JOANNIS LAUNOII

CONSTANTIENSIS, Parisiensis Theologi,

EPISTOLÆ Omnes,

Octo Partibus comprehensæ, nunc demum

SIMUL EDITÆ.

Accesserunt Accuratæ Huic EDITIONI (præter Argumenta singulis antehac Tomis *præfixa)*

INDICES QUATUOR.

I. Authorum majoris Notæ, quorum Opera in *Dogmatibus* hic controversis adhibetur.
II. Eorum, ad quos scripserit *Launoius.*
III. Locorum *S. Scripturæ*, qui hic vel cursim attinguntur, vel integre aut aliqua ex parte explicantur.
IV. Index *Rerum, Verborum, Authorumque*, qui illustrantur, vindicantur, vel emendantur, Locupletissimus, *Alphabetico* Ordine digestus; ubi nihil Notatu dignum in toto hoc *Opere* prætermittitur.

Cum PRÆFATIONE Apologetica,

Pro Reformatione *Ecclesiæ Anglicanæ*, à V. admodum Rev. conscriptâ; in qua agitur de Authoritate & Usu *Catholicæ* Traditionis & OEcumenicorum Conciliorum, eorúmque cum *Sacris Scripturis* Consensu, prout in EPISTOLIS *LAUNOII* fusiùs explicatur.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joan. Hayes*, Celeberrimæ *Academiæ* Typographi; Impensis *Edvardi Hall*, Bibliopolæ *Cantabr.* MDCLXXXIX.

PRÆFATIO.

Ne cui mirum videatur, quòd Epistolæ Doctissimi *Launoii Galli* & Pontificii apud *Cantabrigienses* ederentur, utile erit de Ecclesiæ *Anglicanæ* Reformatione & de ratione hujus instituti nonnulla disserere. Quamvis enim apud *Romanenses* pro Hæreticis, Schismaticis, [a] *Lutheranis*, *Calvinistis* habiti sumus, non tamen probrosis istis titulis magis quam Pontificiorum nomine sumus appellandi. Non enim à fide Catholica, ab unitate Ecclesiæ, aut ab ullâ Ecclesiâ [b] particulari separavimus: in Symbolis, in Decalogo, in Sacramentis, in Regimine Ecclesiastico, cum omnibus Catholicis convenimus; & in iis capitibus solummodo ab aliis Ecclesiis, etiam à *Romanensi* dissentimus, in quibus à Patribus, Conciliis & ab Ecclesia primitiva dissentiunt. Quæcunque antiqua, pia, & ab [c] Ecclesia & generalibus Conciliis tradita & recepta, recipimus & veneramur; Quæ nova, erronea, à Patribus & antiquis Conciliis reprobata, apud nos etiam eodem modo rejiciuntur. Liturgia, articuli Religionis, constitutiones Ecclesiasticæ, ab Episcopis & Synodis Provincialibus secundum Canones Nicæni [d] Concilii, debito ordine stabiliuntur. Cum Catholicâ fide Catholicam etiam charitatem conjungimus, amorem & benevolentiam omnibus Christianis debemus & exsolvimus; nec aliis Ecclesiis Schismata fovemus, aut iis negotium facessimus, ut in omnibus ceremoniis & dogmatibus nobiscum conveniant. Eandem libertatem quam nobis per Ecclesiæ Catholicæ Canones vendicamus, aliis libenter concedimus. Et in finiendis controversiis, & conciliandâ pace Ecclesiæ, ad Patres & Concilia œcumenica, & ad traditionem Ecclesiæ Catholicæ, Episcopi nostri & Theologi semper provocarunt, & invictissimis testimoniis veritatem Evangelicam contra *Romanenses* & alios, ex antiquorum scriptis asseruerunt. Sed quia lingua vernacula ut plurimùm extant, viris doctis & pacificis orthodoxa Ecclesiæ nostræ constitutio non tam manifestè innotescit. Ut itaque orbi Christiano testatissimum faceremus, quanta cum Reverentia SS. Patres & Concilia & Traditiones Ecclesiæ primitivæ, à nobis excipiuntur, & Schismaticorum quorumcunque tum ex testimonio Ecclesiæ, tum ex Scripturis ora obstruamus, visum est Epistolas Doctissimi *Launoii, Galli* & Pontificii, qui apud [e] Cl. *Dallæum* φιλαληθέστατος meritò audit, typis mandare; in quibus præcipua ex Conciliis, Pontificum decretis, & traditione Ecclesiæ etiam *Romanæ* per prima & antiqua secula, quæ ab Episcopis nostris & Theologis in Synodis *Londinensibus* & aliis scriptis diversis seculis, in asserenda Reformatione Ecclesiæ nostræ à corruptelis Pontificiorum allegari solent, argumentis satis validis confirmantur. Non igitur homines docti & pacifici Ecclesiæ nostræ vitio vertere possunt, quòd nimio partium studio aut novandi pruritu abrepta, sed pio affectu erga Deum, & singulari Reverentia erga sacrosanctam veteris Ecclesiæ puritatem, res Ecclesiasticas in hanc formam & ordinem reduxerit. Eandem etiam methodum omnes ferè [f] Ecclesiæ & Scriptores Ecclesiastici suis membris & discipulis commendarunt: utinam tam sanctè & religiosè in suis dogmatibus & praxi observarent! non tot miserorum gemitibus & querelis orbis Christianus resonaret, nec tot Schismatibus Ecclesiâ Dei scinderetur.

[a] *Aug. in Psal. 44. quotquot genuerant, non* Paulianos & Petrianos, *sed* Christianos *nominaverant ---- sumus. n.* Christiani *non* Petriani.

[b] *Synod.* Lond. 1604. c. 30. *Tantum abest, ut Ecclesia* Anglicana *ab* Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, *aliisque similibus Ecclesiis voluerit per omnia recedere, quicquid eas servet tenere, & observare, ut [quod Ecclesiæ* Anglicanæ *Apologia profitetur] ceremonias illas cum reverentia susciperet quas extra Ecclesiæ incommodum ac hominum sobriorum offensionem retinere posse senserat, & in iis tantum articulis à prædictis Ecclesiis dissentiret, in quibus eædem ipsæ tum à pristina sua integritate prius descivêrunt, tum etiam ab Ecclesiis Apostolicis, à quibus sunt presentinata.*

[c] *Synod.* Lond. *A.* 1571. *Concionatores imprimis videbunt, nequid unquam doceant pro Concione, quod à populo religiose teneri & credi velint, nisi quod consentaneum sit doctrinæ Veteris aut Novi Testamenti, quodque ex illa ipsa doctrina Catholici Patres & veteres Episcopi collegerint.* Doctrina verò Patrum & Episcoporum nullibi clarius patet quam in Traditione universali, & generalium Conciliorum Decretis.

[d] *Vid Tractatum* Anglicanum *cui Titulus*, The Reformation of the Church of *England* justified according to the Canons of the Council of *Nice*, &c.

[e] Dall. *de usu pat.* .3. p. 33.

[f] *Vide* Habert. *Pontifical.* p. 49. *Profess. Fidei in Eccles. Græc.* Περὶ τούτοις [illegible]
Confess. August. c. 21. *Hæc summa est Doctrinæ quæ in Ecclesiis nostris Traditur, & consentaneam esse judicamus & Propheticæ, & Apostolicæ Scripturæ & Catholicæ Ecclesiæ, quatenus ex probatis Scriptoribus nota est; atque ita judicaturos esse speramus omnes bonos & doctos viros: non enim aspernamur consensum Catholicæ Ecclesiæ. nec est animus nobis ullum novum dogma & ignotum sanctæ Ecclesiæ invehere in Ecclesiam, nec patrocinari impiis & seditiosis opinionibus volumus quas Catholica Ecclesia damnavit; non enim adducti prava cupiditate, sed coacti authoritate Verbi Dei, & veteris Ecclesiæ, amplexi sumus hanc Doctrinam.*
Concil. Trid. *Sess.* 4. *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem Consensum Patrum ipsam Scripturam interpretari audeat.*
Luther. *Ep. ad* March. Brandeburg. T. 1. *Ger. fol.* 143. *Periculosum & horrendum est quicquam audire vel credere, quod adversetur unanimi testimonio Fidei & Doctrinæ sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, quam illa inde ab initio annos plusquam mille quingentos unanimiter servavit.*
Jacobus *1mus. R. respons. per* Casaub. *ad Ep. C.* Perronii p. 388. *Hanc demum se Doctrinam pro verâ simul & necessariâ ad salutem agnoscere quæ à Scripturâ S. manavit per Consensum Ecclesiæ veteris seu per canalem ad hæc tempora fuerit derivata. ---Ecclesiam* Anglicanam *adeo non descivisse à Fide veteris Ecclesiæ Catholicæ quam veneratur & suspicit, ut ne à Fide quidem* Romanæ *Ecclesiæ desciverit, quatenus illa cum veteri Catholica consentit. Si quæritur Successio Personarum, in promptu sunt Nomina Episcoporum & series à primo nusquam interrupta. Si successio Doctrinæ, agite, periculum facite, Concilium liberum date, quodque ex unius voluntate non pendeat; parata est Ecclesia* Anglicana *Fidei suæ reddere rationem, & rebus ipsis evincere Autoribus Reformationis hoc institutum non fuisse propositum novam aliquam Ecclesiam condere, sed quæ erant collapsa ad formam revocare quam fieri potuit optimam.* Hanc etiam methodum Doctores Scholastici in suis Disquisitionibus sibi proposuerunt, ut post Theologiam Naturalem interpretationem sacræ Scripturæ ex

mente

mente sanctorum Patrum & Traditionis Ecclesiæ nobis exponerent, licet hæc omnia minus feliciter affecuti sint; eo quod nec Scripturas Sacras, nec Historias Ecclesiasticas, in suis propriis Linguis intelligerent, & plerumque ex corruptis & suppositiis Libris & Scriptoribus Disputationum suarum Argumenta desumerent: Deinde, Theologiam suam non secundum Scripturas & Traditionem Ecclesiæ Catholicæ verè dictæ, sed Scripturas ipsas, & Traditionem Ecclesiæ ad normam & placita Curiæ *Romanæ* efformarent. Consensum vero Patrum & Traditionem Ecclesiæ in interpretandis Scripturis & Veritate Theologica exponenda esse optimam Regulam, semper pro certo & immobili fundamento agnoverunt, & multis Capitibus contra Hæreticos & Schismaticos satis acutè & nervosè afferuerunt.

Sed ne videamur temerè *Launois* methodum & autoritatem Ecclesiæ Catholicæ & traditionis Ecclesiasticæ diffidentibus Ecclesiis & aliis objicere, liceat Scripturas hac in re consulere, & quale testimonium perhibent seriò expendere. Tota vero potestas & autoritas [a] *docendi*, [b] *regendi*, [c] *corrigendi Ecclesiam*, Episcopis & Pastoribus commissa est; & nihil magis Christianis injungitur quam *pacem colere*, [e] *Schismata vitare*, [f] *Pastores audire, iis obedire, & se subjicere*, eorum *fidem sequi*: & ne sub aliquo prætextu, in doctrina & moribus ab Ecclesiæ unitate recedant, semper ad Episcopos in dubiis & arduis recurrendum est: *Qui vos* [g] *audit me audit, qui vos rejicit me etiam rejicit; & ecce vobiscum sum, usque ad* [h] *consummationem seculi*. Deinde Dominus ipse modum definiens quomodo lites & dissidia in Ecclesia terminanda sunt, ait: *Si peccaverit in te frater, dic Ecclesiæ, & si* [i] *Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Et per Ecclesiam hic Episcopi & Presbyteri sunt intelligendi; quia statim subjungit, [k] *Quodcunque ligaveritis in terris, ligatum erit & in cœlis.* Per Ecclesiam itaque Servator denotat eos, quibus incumbit sententiam ferre, & non obedientes excommunicationis vinculo ligare. Et si possent omnes [l] Episcopi in unum convenire, proculdubio omnibus æquale esset jus & autoritas de rebus Ecclesiasticis communi suffragio dijudicandi, ut est in Regimine Aristocratico: sed cum hoc sæpe fieri non possit, unanimi Episcoporum consensu Ecclesia ita in Provincias, Diœceses & Parochias distributa est, ut quamvis diversis locis, eandem tamen fidem & charitatem omnes verè Catholici summa cum benevolentia amplectantur; & ad ostendendam strictam unionem & connexionem omnium membrorum inter se, & cum Christo capite, sæpe Ecclesia comparatur *corpori, viti, domui*, &c. Quorum partes vitam & perfectionem amittunt, quamprimum à toto vel sua propria sede & loco separantur. Atque ita hac ratione, Laicus qui non audit Parochum, & Parochus qui non audit Episcopum, & Episcopus qui non audit Synodum Provincialem, & Synodus Provincialis, quæ non audit Collegium Pastorum sive Concilium verè generale, in rebus ad pacem & unitatem Ecclesiæ spectantibus, non audit Ecclesiam, ac proinde non Dominum ipsum qui dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Hanc etiam methodum praxis Apostolorum & totius Ecclesiæ, & recta ratio in aliis rebus peragendis nobis demonstrant. Unde rectè † *Augustinus*: *Si autoritas* Cypriani *est sequenda, magis eam sequendam esse in unitate servanda quam in Ecclesiæ consuetudine commutanda. Si autem Concilium ejus attenditur, huic est universa Ecclesia posterius Concilium præponendum; nam universum partibus semper jure optimo præponitur.*

[a] Matt. 28. 19. Mar. 16. 15, 16. [b] Acts 20. 28. Titus 1. 5. [c] 1 Cor. 4. 21. c. 5. 3. 1 Tim. 5. 19. [d] Rom. 12. 18. Heb. 12. 14. [e] 1 Cor. 1. 10. c. 3. 3. [f] 1 Thess. 5. 12. Heb. 13. 7. 17. [g] Luc. 10. 16. [h] Matt. 28. 20. [i] Matt. 18. [k] V. 18. [l] Tertull. de jejun. c. 13. *Bene autem quod & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent.* --*Aguntur præterea Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa Repræsentatio totius nominis Christiani magna Veneratione celebratur.* Cypr. Ep. 67. *Quam unum est, Frater Charissime, ut Novatiano nuper retuso & refutato, & per totum orbem à Sacerdotibus* [h. e. Episcopis] *Dei abjecto, nunc adulatores adhuc nobis pergantur illudere, & de majestate & dignitate Ecclesiæ judicare.* Euseb. lib. 5. c. 22. [Greek text partly illegible] Aug. Ep. 166. *Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegavit.* Con. Lab. T. 3. p. 441. Theodosius & Valentinianus Imperatores Ep. ad Synod. Ephes. [Greek text partly illegible]

Cyprian Ep. ad Antoni. *Manente Concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo Sacramento, actum suum disponit & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.* --*Quisquis ille est, & qualiscunque est, Christianus non est, qui in* Christi *Ecclesia non est. Jactet se licet, & Philosophiam & Eloquentiam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam Charitatem, nec Ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit. Una Ecclesia per totum mundum in multa Membra divisa; item Episcopatus unus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* --*Qui ergo se ab Ecclesiæ vinculo, atque Sacerdotum Collegio separat, Episcopi nec Potestatem potest habere nec Honorem, qui Episcopatus nec Unitatem voluit tenere nec Pacem.* Canon. Apostol. 12, 14, 30, 33, 36, 73. Concil. Nicen. 1. c. 5. Concil. Constantinopolit. 1. c. 2. C. Antiochen. passim. Synodus quinta Collat. 8. ap. Lab. Concil. Tom. 5. p. 562. *Licet enim S. Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non Indigerent alieno consilio ad ea quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo quod movebatur,* si oporteret gentes circumcidi, *definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum Testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes,* Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c. *Sed & sancti Patres qui per tempora in quatuor Conciliis convenerunt, antiqua Exempla sequentes communiter de exortis Hæresibus & Quæstionibus disposuerunt.* --*Nec enim potest in communibus de fide Disceptationibus aliter Veritas manifestari, cum unusquisque proximi adjutorio indiget; sicut in Proverbiis dicit* Solomon: Frater fratri adjutorium præstans, exaltabitur sicut Civitas munita: Valet vero sicut Regnum fundatum. --*Sed etiam Dominus ipse dixit.* Si duo ex vobis, &c. *Matt.* 18.

Reverendiss. Usherus *Arch.* Armachan. *Concione coram Rege* Jun. 20. 1624. p. 6. The *Catholick* Church must not be sought for in any one Angle or Quarter of the World, but among all that in every place call upon the Name of the Lord, both theirs and ours. *1 Cor.* 1. 2. --Thus must we conceive of the *Catholick* Church as of one Intire Body, made up by the Collection and Aggregation of all the Faithfull unto the Unity thereof; from which Union there ariseth unto every one of them such a Relation to, and Dependance upon the Church *Catholick*, as Parts use to have in respect of their Whole. Whereupon it followeth that neither Particular Persons, nor Particular Churches, are to work as several Divided Bodies by themselves (which is the Ground of all Schism) but are to teach and to be taught, and to do all other Christian Duties, as Parts conjoyned unto the Whole and Members of the same Common-Wealth and Corporation; and therefore the Bishops of the Antient Church, though they had the Government of particular Congregations only committed unto them, yet in regard of this Communion which they held with the Universall, did usually take to themselves the Rank of Bishops of the *Catholick* Church, which maketh strongly as well against the New Separatists, as the Old *Donatists*, who held it a thing not much material so they profess the Faith of *Christ*, whether they do it in the *Catholick* Communion or out of it. Or else (which is worse) dote so much upon their own Part, that they refuse to joyn in Fellowship with the rest of the Body of Christians, as if they themselves were the only People of God, and all Wisdom must live and die with Them and their Generation. And herein do our *Romanists* most fearfully offend; as being the Authors of the most cruel Schism that ever hath been seen in the Church of God. *Reverendiss.* Bramhallus *Successor in Sede* Armachan. *Vindicat Eccles.* Angl. p. 15. *Edit.* 1. Externall Communion consists first in the same Creeds and Symbols or Confessions of Faith, which are the ancient Badges or Cognisances of Christianity. --Lastly in the admission of the same Discipline and Subjection to the same Supream Ecclesiastical Authority, that is, Episcopacy, or a *General Councill*. For as single Bishops are the Heads of particular Churches, so Episcopacy, that is, a Generall Council, or Oecumenicall Assembly of Bishops, is, *the Head of the Universal Church*. pag. 7. Neither is there so strict and perpetuall adherence required to a Particular Church as to the Universall Church.

[m] Chamierus *lib.* 10. c. 8. *Superest quæstio de communi Ecclesiarum toto orbe politia: hanc vero qui neget ab œcumenicis Synodis administrari, oportet hunc aut impudentem aut totius antiquitatis esse imperitum* --n. 5. *quibus argumentis non utiles tantum sed etiam necessariæ dicuntur Synodi, adeo ut nullo alio remedio curari putant Ecclesiæ Catholicæ morbi: ad Synodos autem convocatos fuisse, atque adhibitos omnes Episcopos, nemo dubitat, sed suoque judices suo jure prout fieri solet in Aristocratia.* † *Cont* Donat. l. 2. c. 9.

At objiciat aliquis: verum est, hanc methodum & Scripturæ, & Ecclesiæ praxi, & rectæ rationi consentaneam esse, nec aliter pax & ordo in Regimine Ecclesiæ conservari possit, nisi ubi populus à Pastoribus, Pastores à Conciliis œcumenicis, h. e. membra à capite, & partes à toto dirigantur. Sed quomodo consulendum est Collegium Pastorum aut Concilium generale, cum per mille annos nullus ejusmodi conventus haberetur, nec unquam sperandum est Episcopos per tot terrarum spatia, quibus sparguntur, iterum posse in unum coire ad Concilium generale celebrandum?

Quamvis igitur Concilium generale sit unus modus, quo Ecclesia mentem suam de rebus Theologicis exponit, non tamen est solus & per se absolutè necessarius. Non enim Dominus dixit solummodo; Obedite Ecclesiæ & Pastoribus in Concilio congregatis, *sed si Ecclesiam non audierit*, sive in Concilio, sive extra Concilium, eadem est autoritas Pastorum, & eorum monitis & decretis de rebus Ecclesiasticis fideles obedientiam præstare tenentur. Abunde enim sufficit si ex Scripturis & ex antiquorum scriptis, & usu passim recepto, res nobis traduntur, licèt nullis Conciliorum decretis confirmentur. Fundamentum enim & norma omnis veritatis est sacra Scriptura: Ecclesia est custos & interpres istius regulæ; & semper in omnibus seculis in Liturgiis & Catechismis, in Concionibus, in literis formatis, in Conciliis particularibus, & nonnunquam in generalibus, quando Ecclesiæ necessitas postulabat, fidem Evangelicam unà cum Scripturis, omnibus Christianis commendavit.

At *Concilia generalia* (ut dicit articulus Ecclesiæ *Anglicanæ*) *errare possunt & erraverunt*. Sed non necesse est,[a] ut articulus de sex œcumenicis Conciliis intelligeretur, sed de aliis duodecim Conciliis quæ eo nomine vulgo notantur & occurrunt, licèt verè generalia non sint. Et si de Conciliis verè generalibus intelligeretur, mitiùs tamen de eorum erroribus pronunciat Ecclesia. Dicit enim, *errare possunt in pertinentibus ad Deum*, non autem in rebus ad salutem necessariis. Non enim promisit Deus, Ecclesiam fore ab erroribus immunem in omnibus quæstionibus & capitibus minoris momenti, magis quàm à levioribus peccatis in Moribus & Praxi: Sed tantum aberat ut per traditionem Ecclesiæ aut Concilium verè generale ab Ecclesia Catholica approbatum, aliquid contra fundamentalem veritatem in hunc usque diem decerneretur, quod audacter affirmare possimus, quod tot hæreses & Schismata funditus evellerentur, aut saltem reprimerentur, & veritas Christiana tanta claritate per orbem terrarum, ringente Diabolo, obnitentibus Hæreticis, & frendentibus Atheis, diffunderetur, maxime debent Episcoporum studiis & pietati, & œcumenicorum Conciliorum decretis. Ingrati igitur sunt posteri, si non gesta Sanctorum Patrum cum laude celebrent, & summæ injuriæ postulandi, si contemptui habeant, quæ ab illis in fide Catholica & Ecclesiæ pace & unitate conservanda fœliciter peraguntur.

[a] *Art.* 21.

Tandem igitur concedent nonnulli, Ecclesiæ pacem & salutem maximè periclitari, & sanctissima illius membra in gravissimas angustias cogi, si Pastores & cœtus Christianorum per orbem terrarum diffusi passim hæreticâ labe inficerentur: at inquiunt, Hoc non credimus aut supponimus; non dubitamus enim quin traditio Ecclesiæ Catholicæ in hunc usque diem pura & incorrupta defluxerit; sed de Conciliis generalibus non adeo certum est: in talibus enim conventibus aliquando contingit, quod Doctores plus studio partium quam veritati indulgeant ut de Concilio *Ariminensi*, *Ephesino*, *Nicæno* secundis, & Synodis occidentalibus notum est.

Non ignoramus igitur quod prædixerit Apostolus: *Oportet esse*[b] *hæreses, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Et Sanctus *Paulus* monet Episcopos: *Act.* 20. *quod ex ipsis exurgant viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*: imo & frequentibus Conciliis idem contingere potest. Sed de Collegio Pastorum, aut Conciliis verè œcumenicis ab Ecclesia Catholica receptis ac approbatis, nihil tale dici potest: nec est quod aliquis Scripturam & traditionem Ecclesiæ, traditioni Concilii œcumenici passim recepti & approbati opponat: idem enim docent, & pari passu fidem Evangelicam enunciant, nec aliter testantur Pastores sparsim diffusi, aliter in Concilio verè libero collecti. Eadem veritas continetur in Scripturis, continetur in[c] traditione, continetur in Conciliis œcumenicis. Non est Concilium œcumenicum, h. e. liberum & verum testimonium Collegii Pastorum quod contrariatur traditioni Ecclesiæ; nec potest aliquod dogma traditione Ecclesiæ confirmari, quod repugnat Sacræ Scripturæ, cum inter omnes traditiones nulla sit certior traditione Sacræ Scripturæ. Sua itaque maneat in Scripturis perspicuitas & sufficientia, sua in traditione firmitas & constantia, sua in Pastoribus & Conciliis œcumenicis autoritas & Reverentia: nec aliquis sibi invicem opponat, cum eadem fides, eadem doctrina in omnibus ad salutem necessariis suo modo & ordine à singulis deprædicetur, & in veritate tradenda & conservanda suus cuique usus & auctoritas. Si quid dubium & difficile occurrit in Scripturis, Ecclesiæ doctrina & traditio lumen affert, Textus & tenebras dispellit; si quid Disceptationi obnoxium est in Ecclesia, Scripturæ Canon litem dirimit; & si de mente Scripturæ & Ecclesiæ controvertitur, Pastores afflatu Divini Spiritus ad hoc munus instructi, de Doctrina recepta, & recto sensu testimonium perhibent: Atque ita, ex ore duorum vel trium Testium, hæreticorum & schismaticorum ora obstruuntur, & pax & veritas Catholica sarta tecta conservantur.

[b] 1 Cor. 11. 19.

[c] *Reverend.* J. Usher *Arch. Armacan. Concione prædicta*: That which in the time of the Ancient Fathers, was accounted to be truely and properly *Catholick*, namely, that which was believed every where, always and by all; that in succeeding Ages hath evermore been preserved, and is at this day entirely professed in our Church. And it is well observed by a Learned Man who hath written a full Discourse of this Argument, that whatever the Father of Lies hath either attempted or *shall attempt*, yet neither hath he hitherto effected, nor *shall he ever* bring to pass hereafter, that this *Catholick* Doctrine ratified by the Common Consent of Christians always, and every where, should be abolished, but that in the thickest Mist rather of the most perplexed Trouble, it still obtained victory both in the Minds and *Open Confession* of all Christians,

nor

nor was any ways overturned in the Foundation thereof, and that in this Verity that one Church of Christ was preserved in the Tempests of the most cruel Winter, or in the thickest Darkness of her Waning. Thus if at this Day we should take a Survey of the several Professions of Christianity that have any large spread in any part of the World, as of the Religion of the Roman and Reformed Churches in our Quarters, of the *Ægyptians* and *Æthiopians* in the South, of the *Grecians* and other *Christians* in the Eastern Parts, and should put by the Points wherein they did differ one from another, and gather into one Body the rest wherein they all did generally agree, we should find that in those Propositions which without all Controversie are universally received in the whole Christian World, so much Truth is contained, as being joyned with Obedience and an Holy Life, may be sufficient to bring a man to Salvation.

Dum itaque alii suam particularem Ecclesiam & interpretationem Scripturis & Ecclesiæ catholicæ præponunt, & alii suam privatam expositionem Scripturæ, decretis Conciliorum generalium & Traditioni Ecclesiæ Catholicæ opponunt, ambo à veritate evangelica recedunt, & hæreticis & schismaticis ad Ecclesiæ pacem & unitatem convellendam, viam præmonstrant. Unde factum est, quod membra Corporis mystici Domini nostri in tot particulas discerperentur, nec unquam spes subesse potest ut in unum coirent, donec traditionem Ecclesiæ ad normam sacræ Scripturæ, & interpretationem Scripturæ, ad analogiam Fidei, seu traditionem Ecclesiæ catholicæ componant. Si vero è medio tollantur quæ præter vel contrà Scripturas pro doctrinâ Catholicâ traduntur, & quæ præter vel contra Scripturas, pro Doctrina evangelica prædicantur, statim diffidentes Ecclesiæ inter se Communionem colerent. Nec opus est ut Concilium generale ad has lites dirimendas cogeretur: si id quod superadditum est à *Romanensibus* auferetur, & quod omissum est à Reformatis restitueretur, nulla disceptandi causa restaret, nec ulla contentio inter Ecclesias superesset, nisi ut pio affectu erga Deum, & fraterna erga se invicem charitate, aliæ aliis antecedant. Imo si Pontifex *Romanus* limites à Canonibus præscriptos, quorum observationi [a] juramento astringitur, non transiliret, & Ecclesiæ reformatæ ordinem Episcopalem secundùm Traditionem Apostolicam Canonibus definitum, & usu Ecclesiæ Catholicæ per mille & quingentos annos ubique receptum, denuo restituerent, quod facile possunt & debent, Pax & Communio Ecclesiastica non tam miserè perturbarentur. Et mirum quidem est, viros doctos & pios velle incerta pro certis, nova pro veteribus, in re tanti momenti substituere: nam quod ordinationes Episcopales sint veræ & legitimæ, ordinationis Presbyterianæ acerrimi [b] vindices agnoscunt; igitur tutissimum sane [c] est, & rationi magis consentaneum, ut omnis dubitandi ansa præscinderetur, & certa incertis, antiqua novis in rebus Ecclesiasticis præferantur. Hàc in re itaque sequantur verba Apostoli: Qui *habent fidem* de Ordinatione Presbyterali, *sibi habeant*, nec aliis suam sententiam obtrudant. Sed cum Ordinatio Episcopalis sit tutior, & magis ab Ecclesia recepta & approbata, non decet viros pacificos & Christianos novitatibus & privatis criticorum conjecturis, scandalum fratribus offerre, & Ecclesiæ ordinem & pacem de rebus non necessariis perturbare. Nec est quod metuant, ne jam rebus aliter apud se constitutis, pax & ordo Ecclesiarum suarum tali restitutione pessuuderentur. Si enim Ordinatio Episcopalis tam in superintendentibus quam in Ministris, ubi deest, suppleatur, Episcopi & Presbyteri in Synodis Provincialibus facile constitutiones Ecclesiasticas pro regimine Ecclesiæ eo modo temperare possunt, ut turbis & querelis apud se viam præcludant, atque ita majori auctoritate & certitudine, non solum Hæreticis & Schismaticis, sed etiam piis & Catholicis veritatem commendarent, cum Ecclesiæ consensus & traditio Constitutiones [d] Ecclesiasticas suffragio suo confirmarent. Non hæc exprobrandi aut insultandi causâ, sed pio affectu & animo verè benevolo dicta sunt, ut saluti & paci Ecclesiarum Reformatarum consulatur, quæ nulla in re apud viros modestos & pacificos magis quam hac in parte male audiunt: Tam apertam enim novitatem nullo modo nisi sub necessitatis prætextu excusare possunt; at quomodo hæc necessitas multis Ecclesiis obtendi potest nondum constat; proculdubio si id summo studio ab iis tentatum esset, jamdudum à *Bohemicis*, *Anglicis* aut *Græcis* Episcopis Consecrationes Episcopales consequi potuissent. Amici igitur inter Reformatos non sine lacrymis & gravissimis doloribus hunc defectum sæpe deplorarunt; & eandem ob causam Ecclesiæ quas vocant Protestantium, à *Romanensibus* & *Græcis* magno contemptu excipiuntur. Deus pacis & dilectionis hanc mentem Pontificiis & Reformatis concedat, ut privata Catholicis, nova veteribus commutent, nec suis privatis commodis & dogmatibus, Ecclesiæ paci & unitati obicem ponant.

[a] *Dist.* 16. *c.* 8. *Con.* Constantiens. *sess.* 39. *sanctæ ofte Concilia.*

[b] Calvin *de necess. Reformat. Eccl. Talem nobis Hierarchiam si exhibeant, in qua sic emineant Episcopi, ut Christo subesse non recusent; ut ab illo tanquam unico capite pendeant & ad ipsum referantur; in qua sic fraternam societatem colant, ut non alio modo quam ejus Veritate sint colligati: tum vero nullo non anathemate dignos fatear, si qui erunt qui non eam revereantur, summaque obedientia observent.* Theodor. Beza *ad Tract. de Minist. Eccl. gradibus ab* Hadr. Sarav. *editum. Si qui sunt (quod sane mihi non facile persuaserim) qui omnem Episcoporum Ordinem rejiciant, absit ut quisquam sanæ mentis furoribus illorum assentiatur. Ibid. c.* 18. *Quod si nunc Anglicanæ Ecclesiæ instauratæ suorum Episcoporum & Archiepiscoporum Autoritate suffultæ persistant, quemadmodum hoc illi nostra memoria contigit, ut ejus Ordinis homines non tantum insignes Dei Martyres, sed etiam præstantissimos Pastores ac Doctores habuerit, fruatur sane ista singulari Dei beneficio, quæ utinam sit illi perpetua.* Blondellus *etiam conclusit suam Apologiam pro* Hieronymo *cum verbis in hunc sensum.* By all that we have said to assert the Rights of the Presbytery, we do not intend to invalid the Ancient and Apostolicall Constitution of Episcopall Preheminence. But we believe that wheresoever it is established conformably to the ancient Canons it must be carefully preserved, and wheresoever by some Heat of Contention or otherwise it hath been put down or violated, it ought to be Reverently restored. *Sed hæc verba excisa fuerunt instantia & fraude Presbyterianorum* Anglicanorum. *Vide Ep.* Molin. *apud* Durell. *pag.* 339. Of the View of the Government of the Reformed Churches, *&c. Ubi multa ad hanc rem occurrunt.*

[c] Calv. Beza, Blondell. Bochartus.

[d] *Vid. Epist. R. Episc.* Andreæ Winton. *ad* Pet. Molin. *P.*

At dicant nonnulli: hæc quidem satis commodè proponuntur, & optandum esset, ut Pastores & Concilia sacris Scripturis tam firmiter adhærerent, ut eorum Traditionibus & Decretis sine damno salutis tutò innitamur; non enim aliter externa Ecclesiæ disciplina & Regiminis forma recte administrari potest: Sed ex nullo sacræ Scripturæ textu hoc non deficiendi privilegium, Pastoribus & Conciliis certò ac necessariò colligitur. Quamvis itaque summa cum reverentia Pastores & Concilia sint excipienda, nec temerè ab eorum Monitis & Decretis recedendum sit, oportet tamen potius Deo obedire quam hominibus; itaque si Deus aliquid asserit, Concilium negat, si quod præcipit Ecclesia, prohibet Deus, non Ecclesia, sed Deus audiendus est. Ve-

P R Æ F A T I O.

Verum quidem & verissimum. Absit itaque, longe absit, ut Ecclesia Deo aut Catholicæ veritati in rebus ad salutem necessariis contradicat. Quare tale aliquod fingunt & supponunt, cum Deus Pastores & Episcopos hanc ipsam ob causam ordinaverit, ut Ecclesiam tegant & instituant, & in rectam veritatis cognitionem perducant. Nec enim in dubium vocatur, utrum vox Dei in Scripturis sit audienda; sed de vero sensu & interpretatione verbi Dei in rebus ad unitatem & pacem Ecclesiæ spectantibus, cui sit fides adhibenda? Plebeiis an Episcopis? privatis Pastoribus an Conciliis? particularibus Conciliis, an Collegio [a] Pastorum? h. e. partibus an toti? Si Scripturæ sunt claræ & perspicuæ populo, sunt etiam Pastoribus; si uni Episcopo, multò magis Synodo Provinciali, & Collegio Pastorum, seu concilio verè Generali. De Fide, Pietate, & diligentiâ Conciliorum in tradendâ Ecclesiæ Doctrinâ, & in eruendis & expendendis sacrarum Literarum mysteriis, multo minus quam de privatorum hominum fide & diligentiâ dubitandum est: quod unus videt, plures videre possunt, præsertim Episcopi qui sunt speculatores & huic muneri à Deo ipso præficiuntur. Et si non in apertis verbis, tamen certis rationibus hanc Pastorum in tradenda veritate firmitatem colligere licet: non solum enim promisit Deus, *quod portæ inferorum contra* Ecclesiam *in genere non sint valituræ*, sed in hunc finem dedit Pastores, *ne circumferamur omni vento Doctrinæ*; & ubique *præcipit obedire iis, & habere abundantius in honore propter opus illorum; & pacem habere cum iis, eorum fidem sequi*. Et ne fortè aliquis metus subesset, quasi ipsi deficerent, promisit Christus se cum illis adfuturum usque ad consummationem seculi; nec solum in angulis & latibulis, sed *Mons Domini exaltabitur super omnes montes*, & *non faciet avolare à te ultra Doctorem tuum, erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*. Ecclesia dicitur *Columna & Firmamentum veritatis*; semper itaque extat, & errantibus viam demonstrat. Nec solum unitatem, sed pulchritudinem & ordinem Ecclesiæ Scripturæ repræsentant. Hinc comparatur domui, horto, exercitui, in quibus omnia decentèr & certis Regulis disponuntur, nec aliquod Membrum aut particula totius Corporis aggregati, à sua sede & loco sine præfectorum imperio dimoveatur. Si aliter se res habet in Communione & Regimine Ecclesiastico, hoc non fit vitio Ecclesiæ, sed quia privati homines & particulares Ecclesiæ à regula Traditionis Catholicæ & Conciliorum Decretis, in rebus ad Unitatem Ecclesiæ pertinentibus defecerunt. Hæc itaque supradicta si non certò probare, satis innuere videntur, quod [b] Spiritus Sanctus ita reget & disponet corda Episcoporum, ut saltem in Decretis & Interpretationibus quæ spectant ad Fidem & Pacem Ecclesiæ, nusquam à veritate Catholicâ aberraverint. Omnes fatentur Ecclesiam usque ad finem mundi saltem in angulis & locis abditis permansuram. Sed cum tot præclara [*] & magnifica de ordine, pulcritudine, pace & unitate hujus civitatis Dei in sacris Scripturis dicantur, & ea tanquam Dux & lumen dubiis & errantibus porrigatur; Deo curæ erit proculdubio, ne instabiles & indocti in Hæreses & Schismata, Auctoritate Collegii Pastorum, aut [c] Concilii verè œcumenici impellantur, & pax & regimen Ecclesiæ defectione Episcoporum dissolverentur.

[a] *Confessio Augustan. c. 21. Vistatu & legitimus uaiu Ecclesia dissentiendi dissensiones, videlicet ad Synodos referre Controversias Ecclesiasticas hunc morem servarunt Ecclesia inde usque ab Apostolis, & præstantissimi Imperatores* Constantinus *&* Theodosius *etiam in rebus non valde obscuris, & dignum iudicabant, ut Synodi... constituere voluerunt, ut Ecclesia libertatem in judiciis dogmatum conservarent.*

[b] *Reverendus* Montacutius *Episcop. Norvicens. Orig. Eccles. part. post. Tom. prior. In quibus agunt cum Ecclesia Anglicana, qui tenere & tueri illam mentiuntur, non esse de necessitate [i.e. præcepta] vocationem & missionem Pastorum, Ministrorum ac Sacerdotum ordinarium per Manuum Impositionem. Sancte credimus, accurate tuemur, & defendimus extitisse, extare, extituram semper, contra omnes inferorum & dæmonum machinationes, Ecclesiam & Cœtum fidelium hominum in Christum credentium evocatorum: Cæterum nullis interceptam, intervelsam intercapedinibus, perpetuo extantem alicubi visibilem, oculis usurpandam in eum finem & eo modo ut intelligere possint quibus curæ illud est, apud quos habeatur Verbum vitæ, Sacramenta salutaria administrantur. ---Nam quod prætendunt ordinariam Vocationem retinendam, adhibendam, eique adhærescendum nisi in casu Necessitatis, suppositionis cuiusdam impossibilitatem; neque enim talis Casus, aut extitit aliquando aut contingere potest, nisi fallat nos Dominus qui promisit Portæ inferorum non prævalebunt; ecce sum vobiscum usque ad consummationem mundi.*

Wittembergica *Confess. c. de Ecclesia. Credimus & confitemur quod una sit sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, juxta Symbolum Apostolorum &* Nicænum. *2. Quod hæc Ecclesia a Spiritu Sancto ita gubernetur, ut etsi sinit eam esse in terris imbecillem, conservet tamen eam perpetuò, ne vel erroribus vel peccatis pereat. 6. Quod hæc Ecclesia habeat jus judicandi de omnibus Doctrinis juxta illud,* Probate Spiritus num ex Deo sint. *Et cæteri judicent. 7. Quod hæc Ecclesia habet jus interpretandæ Scripturæ. Ibid. de Concil. Fatemur sua debere esse in Ecclesia de dogmatibus & sacris judicia, & magnam esse Legitimorum Conciliorum authoritatem.* [*] Argentinensis *Confess. c. 15. Ecclesia Sponsa Christi. ---Domus Dei, columna & stabilimentum Veritatis, Mons* Sion, *Civitas Dei Viventis,* Hierusalem *cœlestis, Ecclesia primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis. ---In hac cum verò regnet Servator, propriè eius Ecclesia, & Sanctorum κοινωνία, id est Societas ut in Symbolo Apostolorum vocabulum Ecclesiæ expositum est, nominatur. Hanc regit Spiritus Sanctus, huic Christus nunquam abest, sed sanctificat, ut eam sibi tandem exhibeat non habentem maculam aut rugam. Hanc denique* qui audire non sustinuerit, ut Ethnicus habendus est atque Publicanus. *---Præterea cum Ecclesia Regnumque Dei sit, atque ideo cuncta in eo optimo Ordine geri necesse sit, habet varia Ministrorum munera, Corpus siquidem est ex variis Membris quibus singulis sui actus sunt compactum. Et hi dum suo* Ministerio, *bona fide funguntur, in Verbo & Doctrina graviter laborantes, Ecclesiam verò repræsentant, ut qui eos audierit rectè dicatur audisse Ecclesiam.* Psalmis *&* Canticis *passim* Isa. 60. *&c.*

[c] *Serenis.* Rex Jacobus *Responsione ad* Franciscum *Suares per Archiepiscop.* Spalatens. pag. 928. *n. 25. Rex non negat Concilia extra* Britanniam *ritè & legitimè celebrata Autoritatem habere in rebus Fidei, cui* Anglicana *quoque Ecclesia parere teneatur: & in Apologia pag. 297. expressè à se removet Officium omne, omnemque Autoritatem ferendi judicium circa Articulos Fidei, quibus se subjicit non minori cum humilitate quam quivis subditorum vel infimus.*

Reverendus Andreas *Episcop.* Winton. *in Apologia pro Rege* Jacobo, *contra* Bellarm. *c. 14. pag. 333. Date nobis Concilia legitimè congregata & procedentia. Date Patres unanimi consensu judicantes, & in eorum sententiam imus statim. Vid. Respons. etiam ad Cardinal. Perr. 26. &c.* *Reverendiss.* Laudus *Archiepiscop.* Cantuariens. *& Martyr. p. 378. s. 39.* I submit my self in all humility to the Scripture interpreted by the Primitive Church, and in new and necessary Doubts to the Judgment of a *lawfull and free General Council*. This I do from my Heart; and do abhor in Matter of Religion that my own or any private Mans Fancy should take any place, and least of all against any thing held or practised by the Universall Church; which to oppose in such Things, is certainly as St. *Augustin* calls it, *insolentissima insania*, an Attempt of insolent Madness. *pag.* 386. I have expressly declared that Scripture interpreted by the Primitive Church, and *a lawfull and free* Generall Council determining according to these, is Judge of Controversies, and that no Private Man whatsoever is or can be Judge of these. *Reverend. J.* Bramhallus *Archiepiscop.* Armacan. *& Confessor. Vindicat. Eccles.* Anglican. *pag.* 26. To summ up all that hath been said. Whosoever doth preserve his Obedience intire to the Universall Church, or its Representative a *Generall Council*, he may securely say, my Name is Christian, my Sirname is Catholick. From hence it appears plainly by the Rule of Contraries who are Schismaticks. ---Whoever withdraws his Obedience from the *Catholick* Church, or its Representative a *Generall Council*, or any Superiours without just Grounds; lastly whosoever doth wilfully break the Line of Apostolicall Succession, which is the very Nerves and Sinews of Ecclesiasticall Unity and Communion both with the Present Church, and with the *Catholick* Symbolical Church of all Successive Ages, he is a Schismatick (*qua talis*) whether he be guilty of Hereticall Pravity or no. *Reverend.* Francis. White *Episcop.* Eliens. *in Replicat. ad* Fisherum *pag.* 157. Protestants have always desired a Lawfull *Generall Council* for the concluding of Differences in Religion, and they are most ready and resolute to submit themselves to the Determination thereof; and they yield the same Honour and Authority to all such Councils which the Ancient Church in the Days of *Constantine* the Great, *Theodosius & Martianus*, and which St. *Augustin* did.

Reverendus Christopher Potter *Coll.* Regin. *apud* Oxon. *Præpositus Respons. ad lib. cui titul.* Charity Mistaken. *sect.* 5. *s.* 6. *p.* 30. We say that *such General Councils* as are lawfully called and proceed orderly, are great and awfull Representations of the Church *Catholick*; that they are the highest externall Tribunal which the Church hath on Earth; that their Authority is immediately derived and delegated from Christ; that no Christian is exempted from their Censures or Jurisdiction: and it is very probable the Good Spirit will so direct them that they shall not err, at least

least not Fundamentally. *Reverendus* Hammondus *S. Theol. Prof. in Titulo*, the Dispatcher Dispatched *sec.* 2. c. 2. n. 26. p. 107. The *Sorbonist* hath more reason to forbear Censure on the Church of *England* as Schismaticall than on the *Jesuits*, because a *General Council* (which is of so little weight with the *Jesuit* without the Pope) is acknowledged by us to be the Supream Externall Living Determiner of Controversies, and We together with the Council of *Basil* do hold a *Pope Schismaticall* that pertinaciously opposeth, and divideth himself from a Lawfull Generall Council. *Idem de Heresi sect.* 15. n. 6. We do not believe that *any Generall Council* truly such, ever did, or ever shall *err* in any matter of *Faith*, nor shall we further dispute the Authority, when we shall be duly satisfied of the Universality of any such. Melancthon *Resp. ad Artic.* Bavar. *Inquisit. Nos palam fatemur oportere in Ecclesia judicia esse, & affirmamus multas pias Synodos fuisse, & profuisse Ecclesiæ, & maximè optamus nunc in his Dissidiis rectè constitutum judicium Ecclesiæ.* Chemnit. Ex. *Par.* 1. *de Tradit. pag.* 76. *Clamitant a multis jam annis toto Orbe justissimæ Querelæ, Regnum Pontificium multas Corruptelas, abusus & Superstitiones invexisse in Ecclesiam. Petunt in* Legitimo Concilio *has Controversias ex Verbo Dei dijudicari & decerni.* Buceri *Scripta* Angl. *pag.* 232. n. 103. *At quis tandem judicabit inter tot Ecclesiæ Partes, quarum aliæ Pontificem Romanum sequuntur, &c. aliæ secus.* R. *Concilia Nationalia & Generalia.* *Eruditissimus* Dall. *de vero Usu Patrum. lib.* 1. c. 10. *Inquirendum superest quænam fuerit ea Ecclesia quam dicit, num Universalis an Particularis tantum —id levis non esse momenti vel ex eo apparet, quod Ecclesiæ Universalis de Fide Opiniones Infallibiles & necessariò veræ habentur, cum de Ecclesiis Particularibus idem non sit Judicium, obnoxiæ enim errori censentur.* *Dixit prius c.* 9. p. 184. *Nam si Symbola & Canones sex priorum Conciliorum Universalium & quorundam Synodorum provincialium exceperis, nulla hujusmodi Monumenta* [h. e. *sententiæ Ecclesiæ Universalis in sensu laudato*] *supersunt.* Ubi videtur agnoscere sex OEcumenica Concilia, eaque continere Monumenta Ecclesiæ Universalis, & pro talibus accipienda, & non alia. *Agmen claudant duo Episcopi* Norvicenses. *Reverend.* Ric. Montacutius *lib. cui titul.* the Gagger Gagged. c. 4. The Church Representative [or a Generall Council] True and Lawfull, never yet erred in Fundamentals; therefore I see no cause but to vouch she cannot err in Fundamentalls. *Et Reverendus* Anton. Sparrow *Præfatione ad Collectionem Canonum Ecclesiæ Anglicanæ, ubi copiose disputat hac de re, & inter alia dicit:* Nor did the Christian World ever question her Authority in this particular.

Neque hæc ex suis Capitibus finxerunt, sed à Patribus accepta posteris tradiderunt. *Sit unus pro omnibus* Magnus ille Pater Latinorum, Sanctus *Augustinus lib.* 2. *de Baptism. cont.* Donatist. c. 7. *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante Schisma* Donati *magnos viros & magna charitate præditos, Patres, Episcopos, ita inter se compulit salva Pace disceptare & fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque Regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur.* & c. 18. *Hoc de Baptismo pie credamus quod universa Ecclesia à sacrilego Schismatis remota custodit. In qua tamen, si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista Quæstione salva Pace sentirent, donec Universali Concilio unum aliquid Eliquatum sinceratumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis.*

Et cùm per mille & septingentos fere annos in Traditione universali, & Conciliis ab Ecclesiâ Catholicâ receptis nihil contra fidem & mores in rebus ad Salutem necessariis occurrat, sed veritas Evangelica contra Hæreticos & Schismaticos magno cum fructu ab Episcopis & Conciliis vindicata sit; Mirum sane est posse viros doctos & pios de eâdem Providentiâ in dirigendis & gubernandis Pastoribus & Conciliis pro conservatione Pacis & Unitatis Ecclesiæ in posterum dubitare; præsertim cum Dominus semper moneat & adhortetur Discipulos, ut Episcoporum præceptis & institutionibus se subjiciant: [a] *Si ignoras te, O pulcherrima, inter mulieres egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos juxta tabernacula pastorum.* Non errantes pecudes sequimini, aut hos vel illos Pastores qui seorsim Greges pascunt, sed Tabernacula Pastorum & Collegium Pastorum: apud [*] *Cyprianum.* Deinde si *non audieris Ecclesiam*, h. e. singularem aliquem Presbyterum aut Episcopum in Ecclesia legitimè constitutum, & in ejus Fide & Unitate permanentem; aut in rebus arduis, Concilium Provinciale, aut Collegium Pastorum, prout causæ ratio postulaverit, *sit tibi tanquam* [b] *Ethnicus & Publicanus.* Viderint omnes, quomodo rationem sint Deo & Ecclesiæ Catholicæ reddituri, qui privatæ discretionis obtentu à propriis Parochis recesserunt; multo magis Pontificii & alii qui cum contemptu Ecclesiæ Catholicæ & Conciliorum œcumenicorum, Ecclesiam contra Ecclesiam, & Altare contra Altare apud nos erigunt; & Episcopis verè Catholicis & Apostolicis Ecclesiæ *Anglicanæ* sese opponunt.

[a] Cantic. 1, 8.

[*] *Ep.* 67. *Copiosum est Corpus sacerdotum, concordiæ mutuæ glutino copulatum, ut siquis ex* Collegio nostro *hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant cæteri, & quasi pastores utiles & misericordes, oves dominicas in gregem colligant.* Ibid. Martianum *non sic agat, quasi ipse judicaverit de Collegio sacerdotum, quando ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus.*

[b] Matt. 18.

Hæc dicta sufficiant, ut ostendam in genere, quid sacræ Scripturæ, quid Traditioni Ecclesiæ Catholicæ, quid œcumenicis Conciliis; & quæ cuique Partes in componendis Controversiis & Unitate Ecclesiæ stabilienda, tribuendæ sint. Restat jam, ut breviter expendamus, cui usui hæc methodus inservit; & utrum veritas Historica de Doctrina Ecclesiæ & Conciliorum œcumenicorum, cum Doctrina Christi & Apostolorum in sacris Scripturis, non solum in rebus quibus Ecclesiæ dissidentes conveniunt, sed in iis etiam capitibus quæ Schismatibus fovendis agitantur, consentiat. Primum verò memoria recolendum est, quantus Ecclesiarum Consensus in hac methodo afferenda suprà à nobis allatus est. Nec prætermittendum est, quam optimè convenit inter Ecclesias, in Articulis Religionis maximi momenti, in *Libris sacræ Scripturæ* [licèt non in omnibus eodem modo.] in *Decalogo*, in *Symbolis*, in *Sacramentis*, in *Cultu Divino*, in *Regimine Ecclesiæ*; in genere. Quamvis enim horum omnium, in minutioribus, in Ritibus & Circumstantiis, in Dogmatibus scholasticis, ut plurimùm dissentiunt; nihilominùs, de rebus ipsis in genere quæ spectant ad Fidem & Mores, non tanta est Controversia, quin sepositis affectibus, ea quæ in dubium vocantur, à Fide Christianorum sine damno Pietatis secluderentur. Non hæc dico de istis Capitibus, prout crassè ab Adversariis intelliguntur, sed ut à Synodorum Decretis & viris doctis & pacificis exponuntur. Nam si Quæstionis status, & quo sensu verba accipiuntur, rectè intelligatur, Lites non essent tam graves, nec in tantum numerum excrescerent. De rebus ipsis fere idem sentiunt, de verbis acriter decertant: aliter ab his, aliter ab illis, eadem verba accipiuntur, & pro Temporum & Scriptorum ratione, nunc hoc, nunc illo modo, exponi debent. Quantæ rixæ de vocibus, *Meritum*, *Sacramentum*, *Sacrificium*, Ἐπίσκοπος, Πρεσβύτερος, Διάκονος, *&c.* moventur, & quilibet iis suum sensum affingit; cum apud diversos Authores non idem significant! Cum igitur tot lites ex ipsa terminorum acceptione oriantur, quid magis rationi consentaneum, quam ut Ecclesiæ testimonium de usu & sensu vocabulorum privatorum expositionibus præferatur? His omnibus rectè perpensis à duobus Scriptoribus magni Nominis apud *Romanenses*, disputationes inter Pontificios & Ecclesiam *Anglicanam* ad quatuor vel quinque præcipua Capita reducuntur. [c] *Quatuor res Principales, propter quas à nobus* [*Ministri*] *separaverunt, sunt, Præsentia Realis Corporis Christi in Sacramento; Oblatio Sacrificii in Eucharistia; Preces & Oblationes pro Defunctis; Invocatio Sanctorum*—— *Hæc quatuor Capita sunt præcipui fontes nostræ Dissentionis; de quibus si inter nos conveniret, facile esset de aliis rebus convenire.*

[c] Card. Perron. ep. ad Casaub. præfixa replicat.

[a] *Quatuor*

P R Æ F A T I O.

[a] *Quatuor præcipua Capita*, quæ asseruntur à Supremâ Authoritate Ecclesiastica [Pontificiâ, non Ecclesiæ Catholicæ] *quibus Protestantes se conformes præstare respuunt, & quæ iis sunt maximè offendiculo; Sunt* 1^mo^ *Corporalis Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, & consequenter Adoratio ejus tanquam præsentis,* 2^do^ *Cultus & Invocatio Sanctorum,* 3^tio^ *Veneratio Imaginum,* 4^to^ *Communio sub Una Specie.* Non autem à veterum Fide in his Rebus, sed à recentiorum Novitatibus & Corruptelis dissentimus. Nam in tribus prioribus Quæstionibus, de Transubstantiatione, de Absentiâ Panis & Vini, & Præsentiâ Corporis Christi super Altari, ita ut à muribus devorari possit, & in secessum abire, *&c.* de Purgatorio, cum *Romanensibus* controversia est. Quod verò ad Invocationem Sanctorum attinet, in publicis Liturgiis per primos sexcentos annos nihil tale occurrit, & [b] Concilium *Laodicenum* aperte prohibet, ne quis precetur Angelos; ut patet ex [c] *Theodoreto* in c. 2. & 3. ad *Coloss.* Par est autem & de Sanctis ratio: [d] Et *Augustinus*, manifeste dicit, *non à Sacerdote qui sacrificat invocantur*, hoc est, nec in Synaxi, nec alibi.

[a] Considerations on the Council of *Trent*, being the fifth Discourse concerning the Guide in Controversies. p. 280. *f.* 320.

[b] *Con.* Laodic. c. 35.

[c] Theodoret. in Coloss. c. 2. v. 18. Ἡ συνελθοῦσα σύνοδος ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας [illegible] ἄγγελοις προσεύχεσθαι. Et in c. 3. v. 17. [illegible]

Unde duo consideranda sunt, utrum Quæstiones sunt tanti momenti, ut sub periculo Salutis omnes teneantur more Pontificio iis assensum adhibere, vel potius an non ad Dogmata Scholastica referantur, de quibus sine detrimento Fidei & Pacis Ecclesiasticæ viri boni tuto dubitare possunt. Vel secundo utrum ii qui hæc dogmata aliis obtrudere conantur, possunt ex Principiis Theologicis, h. e. ex Scripturis & Traditione Ecclesiæ necessitatem hanc confirmare. Nam nisi hoc evicerint, Schismatis nota iis inurenda est, qui his de rebus Ecclesiæ Pacem & Unitatem perturbant. Siquis vero Doctrinam in Articulis Ecclesiæ *Anglicanæ* contentam, tum Decretis Concilii *Tridentini* in his quatuor vel quinque Capitibus ad hanc normam componat; illi compertum erit, non solum [e] Ecclesiam *Romanam* sine ulla necessitate bellum injustè intentare ut ea nobis imponeret, sed etiam veritatem Catholicam à nobis defendi. Si itaque *Romanenses* regulam in Concilio *Tridentino* præscriptam, observarent, & cum Ecclesiâ Catholicâ pacem inirent, cum quâ perpetuum bellum multa per secula gesserunt; ista Dogmata à professionibus Fidei, à Breviariis, Missalibus & Conciliorum Decretis rejicienda sunt, aut saltem inter Disputationes Scholasticorum relinquenda, nec aliorum Fidei, diris & Excommunicationibus, vi & armis, ferro & flammis more abominando obtrudenda.

Quare non hic sistimus omnes & pedem figimus? Si potuit *Pius 4tus* [e] Liturgiam nostram comprobare, quare non potest *Innocentius* undecimus? Si Symbolum *Nicenum* est *firmum* & *unicum Fundamentum Fidei* secundum Concilium † *Tridentinum*, & semper habitum fuit per mille & quingentos annos, quare jam non sufficit absque Additamentis *Pii* 4^ti^? Si Schismatici essent tempore *Nicæni* Concilii, *&c.* & non à [f] Pontifice *Romano* nec ab alio Episcopo ad Communionem Ecclesiasticam recipiendi, aut in Catholicorum numero recensendi, qui seorsum à suis Episcopis in *Britannia* sacra colerent, iisque obedientiam præstare detrectarent, quare nunc non idem obtinet, & ejusdem criminis rei peragendi sunt?

At inquiunt *Romanenses*, De Pontifice *Romano*, de Sacramento Eucharistiæ, de Imaginibus, de Invocatione Sanctorum, & de aliis rebus, aliter Concilium *Tridentinum*, aliter Ecclesia *Anglicana* pronunciat; non aliter verò quam sacra Scriptura, sancti [g] Patres & sex œcumenica Concilia docuerunt, docet Ecclesia *Anglicana.* At Fidem Catholicam de Doctrina Transubstantiationis in Eucharistia abnegamus, quæ est Hæresis non nisi flammis exitialibus expianda. Cum Scripturis & Patribus firmiter credimus, *verum* [h] *Corpus & verum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi fidelibus in sacra Eucharistia exhiberi:* de modo non admodum sumus soliciti, vel anxiè inquirimus.

[d] August. de civit. Dei l. 22. c. 10.

[e] Camden Eliz. p. 59.

† Concil. Trident. *sess.* 3. Symbolum Fidei quo sancta Ecclesia Romana utitur tanquam principium in quo omnes qui fidem Christi profitentur necessario conveniunt, & fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod ejusmodi est: credo &c. Si symbolum Nicenum est fundamentum firmum & unicum, ut dicit Concil. Tum ex mente Concilii & Ecclesiæ Romanæ, additamenta Pii 4. ad symbolum, non sunt articuli Fidei, sed dogmata Scolastica, *solummodo* minoris momenti, de quibus Viri boni salva fide dubitare possunt; *licet* non permittantur intra limites Ecclesiæ *Romanæ* contrarium asserere. Sunt Curiales tantum & Sacrificuli nugigeruli, *qui pro rebus* Fidei, imperiti & falsarii inter imperitos, venditant, & hujusmodi funestæ Seditionis faces, non pro membris Ecclesiæ *Romanæ*, ut ut corruptæ, nedum Catholicæ, sed pro Ethnicis & Publicanis ab omnibus verè Catholicis meritò habendi sunt. *Concilium N. enim verò dicit siquis non crediderit, sed siquis dixerit, aut negaverit, sic pacis inter membra suo consuluit, non a novam fidem condidit, hoc saltem fuit solius Papæ, non Concilii; ac proinde nullius momenti.*

[f] *Vid. Epist.* Launoii *ad* Ludovic. Cusinum, *T.* 1.

[g] *Præter alios Scriptores satis multos hac de rebus, consulat lector, si placeat, librum cui Titulus,* The Originall of all Plots in *Christendom,* with the Danger and Remedy of Schism; *ubi Romanensium Dogmata ex Traditione Ecclesiæ abunde refutantur.*

[h] *Catechismus Eccles.* Angl. *Q.* What is the Inward part [of the Lords Supper] or thing signified? *R.* The Body and Blood of Christ which are verily and indeed taken and received by the Faithfull in the Lords Supper. *Art.* 28. *Ritè, dignè, & cum fide sumentibus, Panis quem frangimus, est* Communicatio *Corporis* Christi, *& similiter Poculum Benedictionis, est* Communicatio *Sanguinis* Christi.

Modi rerum ut plurimum sunt incogniti; & cum de Rebus ipsis convenit, de Modis non est curiose disputandum. Dogma vero & Nomen Transubstantiationis quid horridum sonat, & Scripturis & Patribus inauditum, & serò tandem, & non nisi Barbaris seculis adinventum. Sed quid per portentosum illud Transubstantiationis vocabulum de Fide pronunciant? Aiunt vero non solum Corpus & Sanguinem *Christi* adesse super Altari, ita ut à muribus & canibus devorari possint, & vermibus corrumpi; sed non adesse Panem aut Vinum, sed in Substantiam corporis & sanguinis Domini converti.

De Corpore & Sanguine *Christi* in sacrâ Eucharistiâ Communicatis, res est in confesso; de Pane & Vino lis est, utrum adsint necne: de Speciebus fatentur, de Substantia negant *Romanenses.*

Scriptura vero de Eucharistiâ verba faciens, solum de Corpore & Sanguine affirmat, dicendo, [i] *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* Deinde verba Domini sic interpretatur S. *Paulus: Pocu-* [k]

[i] Mat. 26.

[k] Cor. 10. 16.

lum Benedictionis quod benedicimus, nonnè est Communicatio Sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne est Communicatio Corporis Christi? Tantum abest ut neget Panem & Vinum adesse, ut potius supponat Textus, tanquam Signa & Instrumenta divinitùs instituta, per quæ Corpus & Sanguis Domini nobis in Eucharistia communicantur; uti Aqua est Instrumentum per quod communicatur Spiritus Sanctus in Baptismo. Manet Aqua in Baptismo, & tamen per Aquam communicatur Spiritus Sanctus. Quid ni maneant Panis & Vinum, & tamen per ea, Corpus & Sanguis *Christi* nobis in Eucharistia communicentur, ut verba Scripturæ innuere videntur? Imo multi ex *Romanensibus* fatentur, verba [a] Scripturæ Absentiam Panis & Vini non inferre; multa etiam occurrunt apud Patres quæ probant ex Antiquorum Sententia superesse: Quod dicant [b] corpora nostra à rebus terrenis nutriri, ea in secessum abire, &c.

[a] Scotus, Durandus, Biel, Cameracensis, Cajetanus, Bellarminus *de Eucharist. lib. 3. c. 23. Dicit* Scotus *in 4. dist. 11. q. 3. quem sequitur* Cameracensis, *non extare locum ullum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione evidenter cogat Transubstantiationem admittere. Atque id non est* omninò improbabile. *Nam etiamsi Scriptura, quam nos adduximus videatur tam clara, ut possit cogere hominem non protervum;* Tamen an ita sit, meritò dubitari potest, *cum homines doctissimi & acutissimi, qualis in primis Scotus fuit, contrarium sentiant.*

Sed fingamus esse verum Dogma, unde probant esse Articulum Fidei & ab omnibus creditu necessarium? Ubi unquam auditum est in Ecclesia per multa secula, ut secluderentur à Catholicorum Numero, qui dixerint Panem & Vinum in Eucharistia post Consecrationem superesse?

Ubi occurrit apud Patres, quod Corpus & Sanguis *Christi* post Resurrectionem à mortuis, possint à [c] canibus aut muribus devorari & in secessum abire? Uti de Pane & Vino pronunciatum est.

De Sacramento Eucharistiæ cum Scripturis & Patribus sanctè & religiosè credimus, sed de dogmate Transubstantiationis sine Hæresis aut Schismatis notâ ab Ecclesiâ *Romanâ* meritò dissentimus, quia illa à Scripturis & ab Ecclesiâ Antiquâ dissentit.

De [d] Socinianis, Anabaptistis, Tremulis, Independentibus, Presbyterianis, & aliis cujuscunque Nominis qui seorsim in *Anglia* conventus Ecclesiasticos pro cultu Divino celebrant, idem dicendum est: Scripturas enim pro suo libitu detorquent, contra Traditionem Ecclesiæ, contra Decreta Conciliorum oecumenicorum, & contra Mentem & Usum receptum omnium Ecclesiarum per totum terrarum orbem, quæ sub certa Regiminis Forma uniuntur.

[b] Justin. Martyr *Apolog. 2. prope finem.* οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. ἀλλ᾽ ὃν τρόπον διὰ λόγου σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν [*At in Incarnatione* Christi *utraque Natura permansit integra sine aliqua mutatione priorum substantiæ: sic ergo ex mente* Justini *Substantiæ Panis & Vini post Consecrationem manent in Eucharistia*] οὕτως καὶ τὴν εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Iren. *lib. 5. c. 12. Quando ergo Calix & Panis percipiunt Verbum Dei fit Eucharistia Sanguinis & Corporis* Christi *ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia.* Origen. in Matt. 15. *Ille Cibus qui sanctificatur per Verbum Dei, perque Obsecrationem, juxta id quod habet materiale, in ventrem abit & secessum ejicitur.*

[c] Thomas Aquin. *p. 3. q. 80. Art. 3. Ref. 3. Ad tertium dicendum, quod etiam si mus vel canis Hostiam consecratam manducet, Substantia Corporis* Christi *non desinit esse sub speciebus, quamdiu Species illæ manent, h. e. quamdiu panis ille maneret, sicut etiam si projiceretur in lutum. Quidam autem dixerunt quod statim cum Sacramentum tangitur à mure vel cane, desinit esse Corpus* Christi, *quod etiam derogat veritati Sacramenti, sicut supra dictum est. Addunt recentiores Scholastici: Si quis modò contrarium diceret post determinationem Papæ ab Ecclesia* [Romana scil.] *condemnaretur.* Vasquez in 3. *D. Tho. Tom. 3. Disput. 185. c. 5. Multo minus probabile est quod ait D.* Bonaventura, *Corpus* Christi *non comitari species, nec sub illis esse, quando devorantur à mure vel à bestia — hoc enim est contra communem sensum Ecclesiæ, quæ species è loco sordido erutas tanquam verum Sacramentum veneraretur, sicut etiam si à bestiis sumptæ evomerentur. — Porrò autem,* Christum *semper esse sub speciebus, communis Scholæ opinio fert, ut paulo inferius videbimus. Unde & Gregorius XI. in Directorio Inquisitorum 2 p. q. 10. damnavit prædictam sententiam quam ex D.* Bonaventura *retulimus. Nempe, asserentes sub Hostiis consecratis projectis in lutum, aut locum sordidum non manere Corpus* Christi, *nedum corruptis membris.*

[d] Dr. Wardus *p. 108. Per Ecclesias Reformatas intelligimus Ecclesias illas Protestantium per* Britanniam, Germaniam, Daniam, Rhetiam, Helvetiam, *quæ detectis erroribus & abusibus Papatûs ad eorum Reformationem impense* flagitarunt Concilium liberum oecumenicum, *in quo de hisce omnibus disquireretur: quod cum impetrare non potuerunt, exemplo Regum* Israeli, *coactis Synodis Nationalibus aut Provincialibus, sese reformarunt. — In harum Ecclesiarum Censum non admittimus* Anabaptistas, Arianos, *& id genus Sectariorum, quos non Ecclesias aut Partes Ecclesiarum, sed Pestes dicimus, quod* Cicero *olim de* Catilina *in Repub. Dicimus porro has Ecclesias Reformatas non dissentire in Fundamentis Fidei.*

Et ex hoc Fonte omnes Hæreses, Schismata & Dissentiones in Ecclesiâ derivantur, quod privati homines Scripturas Scripturis opponunt, & pro more suo non secundùm Traditionem Ecclesiæ interpretentur. Sed si modestiùs de suo, & meliùs de Ecclesiæ & Præpositorum judicio sentirent; non tot Schismatibus & Disputationibus Ecclesia Christiana scinderetur: imo si Dissidentes Ecclesiæ suas observarent Regulas, & quæ in genere profitentur, non in his vel illis Capitibus abnegarent; controversiis de Religione finis imponeretur. Atque ita Bella quiescerent, Lites cessarent, Pax & Charitas inter Christianos antiquo more effervescerent.

Non opus est, ut veritatem Historicam talis consensus Traditionis & Conciliorum cum sacris Scripturis & in hac methodo asserendâ, latius ostendam: hac in parte tam egregiam Operam navavit Doctissimus *Launoius*, ut satis fuerit Lectorem ad illius Epistolas amandare, in quibus *Baronii*, *Bellarmini*, & quæ ex illis, *Binius*, & alii, Sophismata desumpserunt, ut Traditionem & Historiam Ecclesiasticam in gratiam Curiæ *Romanæ* corrumperent, tam nervosè & acutè in præcipuis Capitibus & Quæstionibus quæ hodiè spectant ad Fidem & Unitatem Ecclesiæ, refutavit; ita ut jam nullus Tergiversandi locus relinquatur, & si Theologi istis telis *Romanensium* & aliorum Errores confoderent, non amplius in Scriptis his de rebus Curiales & Politici contendere possent.

Non igitur Paci & Unitati Ecclesiæ consulunt, sed Hæreticis & Schismaticis, Scripturis detorquendis, & privatis Dogmatibus fovendis, [e] viam patefaciunt, qui de Traditione & Conciliis minus honorificè pronunciant, & ab eorum Fide & Authoritate quicquam detrahere conantur; multo magis quæ ab illis unanimi consensu exhibentur, sine ulla necessitate (uti planè nulla esse potest) apertè abjiciunt. Non dico de rebus indifferentibus, & constitutionibus Ecclesiasticis, quæ certis de causis pro varia rerum & temporum Ratione mutari possunt & debent. Sed in iis etiam observanda sunt, quæ à *Launoio* discutiuntur, Ep. ad *Henr. Barillonium* Tom. 5.

[e] *Reverendus in Christo Pater* Petrus Gunning *Episc. Eliens. Reg. Profess. apud* Cantabrig. *lib. cui Titul.* The Paschal or *Lent* Fast, *pag.* 83. Reason, Experience and the Direction of all Wise Men in the Church of God (Ancient and Modern) the House of Wisdom, Councils, Fathers, and Writers, and our Church in particular, have directed and commanded us not to interpret Scripture in things of Publick

lick Concernment to the Churches Rule of Believing and Doing, but as we find interpreted by the Holy Fathers and Doctors of the Church as they have received it from those before them. For that the leaving of every Man to make any thing of any Text upon any Device out of his own Head— leaves all bold Innovators — to be as much Lawgivers to the Church — as any Pope or Enthusiast can or need pretend to be; this *hath been, and ever will be to the end of the World the Ground of most Heresies and Schisms brought into the Church.* Such pervert the Scriptures to their own, and others (their Obstinate Followers) destruction. *Reverendus in Christo Pater Dr.* Ferrus *Episcop. nuper* Cestrens. *& Coll. St.* Trin. *apud* Cantabrig. *Præfectus, in lib. cui Titul.* Certain Considerations of present Concernment touching this Reformed Church of *England*, c. 1. p. 59. & 60. But what if Men will be perverse (as we have seen in these Days) to pretend Error and Superstition in Worship where there is none? *Who shall judge?* As for Us We answer unanimously, *the Church shall judge*, (be it National or Universall) and take order with such Persons: by the Church we mean the Guides and Governours that have publick Judgment and Authority in every National Church, or *in the Catholick assembled in a General Council*; and by *judging*, we mean their Defining and Demonstrating the Truth according to the infallible Rule of Gods Word, and their Sentencing of Persons Refractory, to due Punishment. So the Church shall judge either to the Convincing and Satisfying, or to the Censuring and punishing such Persons, who are to answer unto God also for their Disobedience.

De Methodo quam observavit Ecclesia in finiendis Controversiis, & tradenda Fide & Disciplina vid. Epist. ad *Ludovicum Maras.* Tom. 8, & Epistolam ad *Carolum Magistrum* Tom. 5. ubi methodum à nobis descriptam abundè demonstrat.

De numero Conciliorum Generalium nihil certi pronunciat; nec tutum ei esset aliquid aperte definire. Qui vero legit, quæ occurrunt in Epistolis ad *Hieronymum Sambœvium*, *Franciscum Bonum*, & *Claudium Amelinam*, satis illi constabit, nec Synodum *Nicænam* secundam, nec Synodum octavam, nec Synodos Occidentales, ne vel *Tridentinam* ipsam, pro Conciliis œcumenicis, nec ab Ecclesiâ Catholicâ nec à *Launoio* nostro approbari. Dicit enim totidem verbis in Epist. ad *Hieron. Samb. p.* 733. *b. Septimam enim Synodum veteres, & cum primis Galli, pro œcumenica non habuerunt.* Octava vero, & Occidentales à *Græcis*, *&c.* rejiciuntur: & proinde [a] sex tantum sunt Concilia œcumenica ab Ecclesiâ Catholicâ recepta & approbata, uti supra monuimus. Alia itaque Concilia, & quæ occurrunt in Actis & Historiis Ecclesiæ, non aliter recipienda sunt, nisi quatenus cum his Conciliis & eorum Decretis conveniunt, præsertim in Dogmatibus & rebus Fidei, semper enim privata Catholicis, nova antiquis cedere debent.

[a] Sex Concilia prima passim recipiuntur in Ecclesia & non alia. *Nam 2dum Nicenum non habebatur pro Œcumenico nec in Ecclesia Græca, nec Romana multis annis, postquam teneretur. Sic diu post Conc.* Nic. *2dum* Nicolaus *Primus Epist. 7. ad* Michaelem *Imperat. agnoscit Sex tantum. Apud Lab. Tom. 8. p.* 287. *& Hadr. II. Epist.* 34. *ad* Carolum Calvum. *ibid. pag.* 938. Photius *etiam Epist.* 2. *Encycl. ad Patriarch.* Orient. *rogat, ut recenserent 2dum Nicænum Concilium inter Oecumenica, quod antea eo Nomine non gaudebat. Præter ea quæ occurrunt apud* Launoium *vide Admonitorium* Jacobi Sirmondi *de Canone secundo Concilii* Francofordiensis, *quo rejecta est secunda Synodus* Nicæna, *&c. apud* Labb. *Tom. Concil.* 7. *pag.* 1054. Bellarminus *de reliqu. Sanct. c.* 22. *fatetur non innotuisse* Thomæ Aquin. *& reliquis Doctoribus Scholasticis.* *Synod.* Thorunens. *in* Polon. *Ann.* 1646. *cui etiam consonant quæ quintâ & sexta Synodus —docuere. Quicquid quicquid Primitiva Ecclesia ab ipsis usque Apostolorum Temporibus unanimi deinceps, & mutuo consensu tanquam Articulum Fidei necessarium credidit, docuit, idem nos quoque ex Scripturis credere, & docere profitemur.* Chamierus *Tom.* 2. *lib.* 14. *c.* 6. *num.* 48. *Falsum est nos quatuor aut quinque tantum Concilia numerare, —etsi vix concedamus septimum & octavum digna eo Nomine.* Agnoscit vero sextum. Alsted. *Chronolog. Concil. pag.* 347. *in* Thes. *Chronolog. ed. in* 8° *Synodus sexta Generalis quæ est* Constantinopolitana *tertia —alii perperam addunt Septimam, videlicet* Nicænam *secundam.* *Reverendus Dr.* Sam. Wardus *Profess. Dnæ.* Margaret. *apud* Cantabrig. *& Coll. Sid. Præfect. unus è Theologis* Anglis *apud Synod.* Dordracen. *determinat. Theolog. pag.* 103. *Concludo ex Sententia totius Antiquitatis, normam perfectam credendorum in Symbolis Apostolorum* Athanasii *& sex primorum Conciliorum Generalium contineri. Idem p.* 109. *p.* 107. *quod ad Concilia Generalia attinet, sive sex duntaxat prout verissima habet Opinio.* *Eruditi.* Dall. *de Usu Patr. l.* 2. *c.* 9. *Si Symbola & Canones sex primorum Conciliorum Universalium & quarundam Synodorum Provincialium exceperis, nulla istiusmodi Monumenta* [*h. e. Ecclesiæ Universalis*] *supersunt.* Ergo ex Mente *Cl.* Dall. sex Concilia recipiuntur ab Ecclesia. *Reverendus Dr.* Hammondus *Tractat. de Heres. sect.* 9. *p.* 395. *ed. in Fol.* For the Fifth Council our Church makes no more doubt of than of the Fourth. —We believe the Four First Councils to be the Conservatories of all truly Catholick and Apostolick Tradition, from whence together with the Scriptures, all Heresies may be oppugned and refuted. For the Sixth —*We willingly receive it. Sect.* 10. As for the Seventh, that Second of *Nice*, I have already intimated the Reasons why no *Romanist* can blame him that allows not the Authority thereof. The same he says *Sec.* 12. concerning the Eight. *Per sextum Concil. intelligitur* C.P. 3. *sub* Agath. *nihil autem dicitur de* Trullano. *Non enim pari modo ab omnibus recipitur, nihil itaque de eo statuitur. Nihil autem ibi additur aut immutatur in rebus Fidei & Morum de aliis vero quæ occurrunt, (quamvis admittatur pro parte sexti) si causa subest, viri boni dubitare possunt, & forsan nihil invenitur quod Traditioni Ecclesiæ rectè intellectæ, adversetur, certè in Eccles.* Græca *semper summo honore habebatur.*

Et quoniam *Romanenses* diris & Excommunicationibus, vi & armis, omnes tanquam Hæreticos & Schismaticos prosequuntur, qui Conciliis & Decretis Papalibus non se subjiciunt, & hanc Papæ arrogant Authoritatem ex his verbis, [*Tu es* Petrus,] [*pasce oves, &c.*] [b] Ostendit *Launoius* hunc Sensum eis verbis contra Traditionem Ecclesiæ inaniter affigi; Ac proinde iniquè illi vindicari. De Potestate convocandi, dissolvendi, confirmandi Concilia œcumenica, & non Errandi privilegio, passim in multis Epistolis disputat; ubi late probat nullum ejusmodi jus Papæ competere, sed Papam ipsum posse esse Hæreticum & Schismaticum, & Decretis & Canonibus Conciliorum subesse debere: non itaque Schismatici sunt qui Decretis Papalibus non obediunt, sed Papæ ipsi Schismatici, qui Decretis Conciliorum non se subjiciunt.

[b] *Epist. ad* Car. Magistrum *p.* 5. *& ad* Jacobum Bevilaquam, Guil. Voellum & Raimundum Formentinum, *ibid.*

Ut quis ab Uno Episcopo excommunicatus ab alio sine Excommunicantis Consensu in Communionem non admittatur. *Ep.* ad *Ludov. Cusin.* T. 1. de distinctione Potestatis Civilis & Ecclesiasticæ, Tom. 4. ad *Franciscum Bonum.*

De Conciliorum Utilitate & Necessitate To. 3. Ep. ad *Jacobum Malatestam.*

Contra Inquisitores Curiæ vindicatur Episcoporum jus in decidendis Fidei, & morum Universalis Ecclesiæ Controversiis. Epist. ad *Joan. Molendinum* Tom. 4.

De Observantia Canonum, Ep. ad *Hieron. Sambeuv.* T. 1. & ad *Thom. Rullandum* T. 3.

Frustrà ex illis verbis, [*Quicquid ligaveris in terris ligatum erit in cælis, & quidquid solveris in terris solutum erit in cælis,*] ascribi Pontifici *Romano* Authoritatem Deponendi Reges, Absolvendi Subditos à Juramento Fidelitatis, & etiam Disponendi de Regnis & rebus Temporalibus. Epist. VII. VIII. IX. X. XI. Tom. 7.

Non opus est de Argumentis aliarum Epistolarum aliquid notare, cum breviter hæc à *Launoio* ipso describuntur. Satis erit Lectorem in ejus scriptis minus versatum, de his rebus breviter monere, ut intelligat, quanto cum fructu pecuniam & operam iis impendat; cum sint Claves Traditionis Ecclesiasticæ, & in iis Radices Hæresium & Schismatum, quibus Unitas Christianorum hodie perturbatur,

fundi-

funditus evellantur. Nec solum in tot Quæstionibus illustrandis, sed etiam in Methodo delineandâ, per quam veritas Catholica in aliis rebus dilucidaretur, rem literariam egregiè auxit.

Si igitur Viri docti pari acumine & diligentiâ cæteras Controversias ad examen revocarent, & quæ sparsim à diversis Sctiptoribus tractantur, in unum fasciculum colligerent, Traditio Ecclesiæ in apertam lucem ederetur; & nullus dubitandi locus restaret, quin illius suffragio in rebus ad Fidem & Pacem Catholicam spectantibus, sine damno salutis, si non sine errandi metu, innitamur. Tanto itaque illius conatus *Baronii & Bellarmini, &c.* laboribus antecellunt, quantum Veritas errori, Pax & Unitas Ecclesiæ tyrannidi Papæ anteponenda sunt.

Sepositis itaque Papalibus Traditionibus & Decretis & aliorum Novatorum placitis, & figmentis, & rebus ad antiquos Mores & Decreta Primitivæ Ecclesiæ & Conciliorum (quoad fieri potest) restitutis; facile esset Lites Ecclesiasticas componere, & Pacem & Unitatem in externâ Christianorum Communione resarcire. Videant Rectores aliarum Ecclesiarum, quomodo Deo & Ecclesiæ Catholicæ sint hac in parte Rationem reddituri. De [a] *Anglicanâ* Ecclesiâ tutissimò possumus affirmare, quod nec crimen nec causa Schismatis ei impingi possit: Nullum enim Officium Pietatis erga Deum, Reverentiæ erga Ecclesiam Primitivam & Catholicam, Charitatis erga reliquas Ecclesias particulares, aut Benevolentiæ & Eruditionis maternæ erga Clerum & Populum sibi subditum, in illa prætermittitur.

[a] *Laici apud nos non tenentur subscribere articulis Religionis: hoc exigitur solummodo a Clericis & Academicis: & in Publica Liturgia nil nihil deesse, nihil occurrit de quo aliquis Christianus dubitare potest, & ut eam ob causam à nostra Communione defugiat. Utinam* Romanenses *& alii eandem moderationem observarent! tunc res Christianæ multo melius se haberent, nec de Pace in Ecclesia desperandum esset.*

Faxit Clementissimus Deus, unicus Pacis & Concordiæ Largitor, ut ii omnes qui eandem Fidem Christianam profitentur, eandem Salutem & Communionem, cum *Patre* & *Filio* ejus *Jesu Christo* in Cœlis, toto corde anhelant, omnibus modis quibus possunt & debent, *Pacem cum omnibus* [in Terris] *sequantur cum sanctimonia*, οὗ χωρὶς [scil. τῦ διώκειν] *nemo videbit Deum*; & *cum omni Humilitate, Mansuetudine, cum Patientia supportantes invicem in Charitate*, [sint] *solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo Pacis.* Ita impensè optat, & ardentissimis Votis precatur,

Veritatis & Pacis Catholicæ Studiosissimus,

Dat. è Coll. *Jes. Cantab.* Novemb. 1. 1688.

GUIL. SAYVVELL.

SERIES

SERIES ARGUMENTORUM, QUÆ IN Hoc Opere continentur.

PARTIS PRIMÆ

iis,

iis, qui novâ Judicandi formâ Symmachum expulerant, dictum ostenditur; Rejectis ubique nescio quibus Præjudiciis, quæ contra Sedis Apostolicæ Traditionem assumuntur. p. 53.

X. In Epistolâ ad CHRISTOPHORUM FAUVÆUM.

Ostenditur, falsam esse Epocham, à Bellarmino præfixam Ecclesiastico Dogmati, quo Romanus Pontifex universalibus Conciliis, & sacris Canonibus subjicitur. Ubi hanc in rem recensentur multa de Parisiensi, & aliis Academiis, quibus Romana Ecclesia per sanctissimos quosque suos Antistites præluxit; & Florentina Synodus suppetias venit. p. 58.

XI. In Epistola ad LUDOVICUM MARÆSIUM.

Probatur, Eugenium IV. Basileensis Concilii initium & progressum luculenter approbâsse; Bellarminum, & alios Romanæ Curiæ Magistros, abuti Leonis X. constitutione, quæ in Lateranensis Concilii Sessione XI. edita est. Hinc expenduntur, quæ in eâ Constitutione Historicè narrantur. Ex occasione datâ, refertur Diploma, quo Clemens VII. in Beatorum numero posuit Ludovicum Alamandum Cardinalem, qui Basileensi Concilio post Dissolutionem ab Eugenio factam præfuit. Ludovici gesta & miracula perstringuntur. Eugenii morientis Vota & suspiria. p. 71.

PARTIS SECUNDÆ

I. In Epistola ad RAIMUNDUM FORMENTINUM.

PRobatur, Bellarminum in Ratione, quâ ex Scripturis suadere nititur, Romanum Pontificem simpliciter & Absolutè esse supra Ecclesiam & Concilium, præscriptas à Tridentino Concilio & fidei professione Leges sprevisse, & disputando Sophisticen exercuisse. p. 85.

II. In Epistolâ ad FELICEM PHELIPPÆUM BROSSAM.

Probatur, Bellarminum abuti Romanorum Pontificum octo Testimoniis, ut Pontificem supra Ecclesiam & Concilium esse confirmet. Pontifices illi Octo in Bellarminum retorquentur, ad excidium opinionis suæ. Idipsum confirmatur ex Officio, quod ipsa Romana Ecclesia in festis Romanorum Pontificum, seu Martyrum seu Confessorum, celebrat. p. 98.

III. In Epistolâ ad JACOBUM BOETIUM.

Probatur, quæsitum ex Appellationibus ad Romanum Pontificem Argumentum, quo Bellarminus eundem Pontificem supra Concilium statuit, invalidum esse. Appellationum materia retractatur. p. 110.

IV. In Epistolâ ad JACOBUM BEVILAQUAM.

Examinantur, quæ ad Pontificiam universalium Synodorum Confirmationem pertinent. Atque iis examinatis, Apparet, Confirmatione hujusmodi probari non posse, Pontificem esse supra Concilium. Quæ autem ex ipsis Pontificibus colligitur Confirmationis Synodorum notio, hæc Bellarmini placitis incommodat. p. 119.

V. In Epistolâ ad HADRIANUM VALLANTIUM.

Parisiensis, de Proximo & immediato Potestatis Ecclesiasticæ Subjecto, Articulus, confirmatur Traditione, quæ ab Origine usque ad Tridentinum Concilium per Patres, Concilia, & Pontifices deducitur. Ex quæstione hâc Ecclesiæ & Concilii supra Pontificem Auctoritas prodest quam maximè. p. 135.

VI. In Epistolâ ad JOANNEM GERBASIUM.

Pontificem subesse Concilio, ad fidem pertinere, Statuitur, ex Disputandi modo, quem Bellarminus & alii Curiales Theologi servant; cùm de confirmatorum à Pontifice Conciliorum Auctoritate scribunt. p. 151.

VII. In Epistolâ ad NICOLAUM PARVIPEDIUM.

Ex Pontificum scriptis colligitur, Ab ipsis Pontificibus ad Concilium Provocari nonnunquam posse. Pii II. constitutio [Execrabilis] *mitigatur.* p. 159.

PARTIS TERTIÆ

I. In Epistolâ ad JOANNEM GERBASIUM.

BRevitèr ac dilucidè Proponitur, Romanæ Ecclesiæ circa negatum illius Pontificibus Indeficientis Judicii privilegium Traditio; quæ & Gregorii XI. Testamento, & ingenuâ Pauli IV. Testificatione confirmatur. p. 163.

II. In Epistolâ ad MICHAELEM MAROLLIUM.

Vindicatur Traditio, quâ hinc Romanus Pontifex Beati Petri Vicarius dicitur, hinc Pontifices alii Christi Vicarii nuncupantur. Exindè malè philosophantur, qui Romanum Pontificem Errare non posse asserunt, quòd ille Christi Vicarius appelletur. p. 167.

III. In Epistolâ ad THOMAM RULLANDUM.

Producuntur Romanorum Pontificum LXII. testimonia, quibus probatur, Canone, non Absolutâ Auctoritate, vel proprio Motu regendam esse Ecclesiam Dei. His testimoniis accedunt, Vetus fidei Professio, quam electi quondam Pontifices emittebant; Florentinæ Synodi Decretum, quod circa Romani Pontificis dignitatem & Munus editum est; & Rationum momenta, quibus Legati in Tridentinâ Synodo intercesserunt, ne in illius actis Formula hæc [Synodus universalem repræsentans Ecclesiam] *adhiberetur.* p. 175.

IV. In Epistolâ ad JACOBUM MALATESTAM.

Producuntur Romanorum Pontificum XXXVI. Testimonia, quibus Conciliorum non modò Utilitas, sed etiam Necessitas identidèm comprobatur. Quæ Bellarminus Traditioni Sedis Apostolicæ opponit, confutantur. p. 193.

V. In Epistolâ ad MARTINUM METAYERUM.

Quid sit, & quid significet [Loqui seu Pronuntiare de Cathedrâ] disquiritur: Quâ de re Varii variè & varia protulêre. p. 221.

VI. In primâ ad CHRISTOPHORUM FAUVÆUM Epistolâ.

Romanum Pontificem Indeficientis Judicii privilegio destitui, ad fidem pertinere, statuitur, ex Disputandi modo, quem Bellarminus & alii Curiales Magistri servant, cùm de confirmatorum à Pontifice Conciliorum Auctoritate scribunt. p. 231.

VII. In secundâ ad Eundem Epistolâ.

Probatur, Bellarminum neglexisse leges Historiæ, cùm Quæstionis statum circa Errandi & Non-errandi Privi-

legium

legium statuit: ubi innumeros Auctores pro Parisiensium sententiâ praetermisit, & iis fere omnibus Imponit, quos pro opinione suâ laudat. Bellarmini censura excutitur: excussa in Auctorem rejicitur, & in Complexionem absurdissimam infertur. pag. 236.

PARTIS QUARTÆ

I. In Epistolâ ad LUDOVICUM MARÆSIUM.

A*Dversus Thomam Cajetanum ostenditur, Ecclesiam nec servam natum esse, nec Principatus jure omni carere. Quo Principio falso* [Ecclesiam servam natam esse, & Principandi jure carere] *nixus ille, sibi arroganter sumit, Roman. Pontificem Ecclesia & Conciliis Ecclesiam figurantis, Correctioni subditum non esse, & continuò veram Parisiensium Theologorum, immò & Sedis R. doctrinam oppugnat. Serva nata non est Ecclesia, quia communis Christianorum mater, Domina, Judex, Sponsa, & Corpus Christi; docentibus sanctis Patribus, & cum primis Romanis Pontificibus. Traditio hec confirmatur exemplis Tribus, quorum Primum ex Silvestro I. Alterum ex Joanne XII. Tertium ex Paschali II. repetitur. Contra Baronium, Bvium, & alia Curia mancipia probatur, Romanum Concilium, quod Joannem deposuit, Legitimum, & illud, quo Joannem restitutum fuisse volunt, Suppositum esse.* p. 263.

II. In Epistolâ ad FRANCISCUM BONUM.

Occurritur nonnullis è Secularium Molitionum scholâ Magistris, qui institutâ inter Reges & Romanos Pontifices comparatione, sacris profana immiscent; & id conantur efficere, ut Romani Pontifices Ecclesia & Conciliis subjecti non sint, etiamsi Sedis illius Traditio repugnet. Seditiosis argumentis utuntur. His opponuntur Evangelista tres, Mattheus, Marcus, & Lucas; Patres; & maximè Romani ipsimet Pontifices; qui institutam ab Adulatoribus comparationem rejiciunt: tantùm abest, ut eam probent, aut probare velint. Ecclesia & Pontificalis Dignitas suis Legibus continentur. Seculares Status, Ordines & Regna suis quoque Legibus, sed aliter tamen atque aliter Reguntur. p. 281.

III. In Epistolâ ad JOANNEM MOLENDINUM.

Contra Inquisitores Curia vindicatur Episcoporum jus in decidendis Fidei, & Morum universalis Ecclesia controversiis. Vindicandi modus sumitur, primùm, ex beato Petro, qui Herosolymitano Concilio praefuit, atque ex Synodo V. Concilii hujus acta interpretante, quam Romani Pontifices approbarunt: Deindè, ex Sedis Romana Traditione, quam Pontifices XXIX. suis quisque temporibus exponunt: Denique, ex Catholica Ecclesia Traditione, quam alia Concilia in oculis omnium defigunt. Erroris Inquisitorum origo Luculenta demonstratur. p. 284.

IV. In Epistolâ ad JOANNEM BAPTISTAM FRANCKEVILLAM.

Quanam fuerit Lovaniensis Academia ab Origine suâ usque ad nostrum Tempus circa Conciliorum supra Papam Auctoritatem, & Indeficientis Judicii praerogativum judicium traditio, disquiritur. Pracipui Academia hujus Theologi referuntur, & eorundem Placita explicantur. Sed cum de Origine censenda sint omnia, Lovaniensis Academia non alitèr nunc sentit de rebus ad scribendum propositis, quàm ab Initio sensit, & Universa sentiebat Ecclesia. Et si recentiores quidam Theologi sentirent aliter, in Prateritis relinquendi essent, ut qui à Majorum suorum placitis & traditione recessissent. Hâc in re Cornelii Jansenii mens excutitur; & num Doctorem suum Augustinum deseruerit, indagatur. p. 298.

V. In Epistolâ ad RAIMUNDUM FORMENTINUM.

Ad liquidum deducitur primùm, Romanos Inquisitores damnata nupèr à se Opinione, quam recens Auctor unus auctoritate suâ probabilem efficeret, confirmasse Censuram, quâ novum Amadai Guimenii de Pontificio indeficientis Judicii privilegio dogma Parisienses Theologi notarunt: Deindè Alexandrum VII. cùm Inquisitorum decreto calculum adjecit suum, occasione tacitâ revocasse illam certè Constitutionis sua partem, quâ propter novum Guimenii dogma Parisiensium Theologorum censuram confixerat: Tùm Alexandro injuriam magnam illatum iri ab eo, qui Pontificem hunc, rejectâ Parisiensium censurâ, novum Guimenii Dogma comprobasse pugnaret. Hinc enim necessariò consequens foret, ut cùm Romana Ecclesia Hadrianum Dertusiensem Cardinalem elegit in suum Episcopum, imbutum Hareticâ doctrinâ hominem elegisset in Episcopum, & in eam Doctrinam consensisset. Occurritur Tergiversationi, quâ in posterum prospicientes quidam ex adulatrice Curiâ Magistri, ut ictum hunc quoquo modo effugiant, utuntur. p. 315.

VI. In Epistolâ ad HENRICUM BARRILLONIUM.

Perspicuè demonstratur, Andream Eudamon-Joannem, è Societate Jesû Theologum, in Ecclesiastica Quaestionis historiâ graviter lapsum esse; cùm falsis Curia & maximè Bellarmini prajudiciis occupatus scripsit, commune Catholicarum Ecclesiarum Dogma hoc esse, ut illa recipiant, in dijudicandis fidei causis ac moribus toti Ecclesia praescribendis Summum Pontificem nec Falli posse, nec Fallere: quod & ipsi etiam Parisiensi Academia affingit. Contraria propositioni huic Parisiensis, Andegavensis, Aurelianensis, Tolosana, Bononiensis, Viennensis, Cracoviensis, Herfordiensis, Coloniensis, Lovaniensis, Papiensis, Senensis, Hispaniensium Academiarum Doctrina explicatur. In Orientalium Academiarum locum Orientalis ipsa subrogatur Ecclesia, qua per Veterum nationis sua Patrum Monumenta seipsam prodit. Certa quadam Parisiensis Academia propositio, quâ Eudamon-Joannes abutitur, explanata, & ad legitimam Auctorum suorum intelligentiam reducta. Hinc, si qua Academia veterem mutâssent sententiam, his opponuntur multi Patres, in quibus Romani Pontifices duo, Celestinus I. & Sixtus III. Additur Scriptura, qua sola sufficeret. p. 323.

VII. In alterâ ad eundem BARRILLONIUM Epistolâ.

Hadrianus VI. defenditur adversus Cardinalem Pallavicinum, & alios Aula sectatores; qui Hadrianum ad regendam Sedem Romanam, minùs Idoneum fuisse calumniantur. Nimirùm id facere voluit Pontifex, quod Lovaniensis Theologus faciendum esse docuerat; sive in iis, qua ad Clerum omnem in Officio, in victûs & vestitûs Moderatione continendum, sive in iis, qua ad relaxandos nonnisi necessaria & urgenti de causa sacros Canones, & ad legitimam Sacerdotiorum Distributionem pertinent: Quòd Nepoti cuidam suo Unum duntaxat Sacerdotium impertierit, & ut impertiret duo, adduci non potuerit; Quòd ornandas esse Sacerdotibus Ecclesias, non ornandos esse Ecclesiis Sacerdotes, dicere solitus fuerit; Quòd denique Romana Curia Vitia corrigere, & eam ad meliorem Frugem revocare, sibi omnino proposuerit. Aulicis in hâc instituenda vita Disciplinâ nec Cor sapit, nec Palatus. Sedis Romana circa infrequentem, & necessitate ac utilitate summâ tantùm definitam, sacrorum Canonum Relaxationem, per Pontifices XXII. exponitur Traditio, quam Hadrianus, Pallavicini & caeterorum Aulicorum judicio, Pontifex mediocris, sibi semper ante oculos constituit. p. 340.

VIII. In

VIII. In Epistolâ ad CAROLUM MAURITIUM TELLERIUM.

Ex Anastasio Bibliothecario eruuntur certa quadam nova Rationum momenta, quibus Joanna Papissa Fabula clarissimam in lucem proditur, sed lucis hujus fugitans statim evanescit. Hinc Credendi Scribendique Facilitas, qua in plerisque Auctoribus fabulam narrantibus deprehenditur, Errori potiùs, quàm Culpa adscribenda videtur. Credulitas hac effecit, ut illi non Aurificum staterâ, sed Populari solùm trutinâ examinaverint, qua suos in commentarios jecerunt. Hoc ingenuè fatendum est; quia negari nequit, id pluribus fuisse Persuasum, quod nemini persuaderi debuit. Sed quidquid in causâ, Veritati non praescribitur. Non dissimile de Cyriaco Papâ fictitio, adjungitur Commentum, quod ex eâdem temporum Face in multorum libros, etiam in Ecclesiasticos codices, defluxit. Qui Cyriacum vindicavit nuper, reprehenditur; non modò, quia figmentum Anile propugnat, sed etiàm quia propugnandis figmentis omnibus Viam aperit: Quo nihil est ab Ecclesia Spiritu alienius. p. 351.

PARTIS QUINTÆ

I. In Epistolâ ad CAROLUM MAGISTRUM.

Beatus Augustinus in variis, quas de Religione scripsit, Controversiis, non alium Supremum vel ultimum Judicem agnoscit, quàm Episcoporum Concilium. Hinc Scriptura loca tria, [Oravi pro te, Petre, &c.] [Tu es Petrus, & Super hanc petram, &c.] & [Pasce oves meas] *non interpretatur, ut interpretantur, qui ex illis Romano Pontifici Non-errandi Privilegium attribuunt. Plenarii Concilii sententiam, cujuscunque Episcopi, etiam Romani, sententia anteponit. Qua Augustini opinio, videtur sacris Ecclesia Ritibus consecrata. Ex occasione ostenditur, Synodicam Arelatensium Patrum Epistolam ad Silvestrum, non omnes continere seu Primi seu. Secundi ordinis Antistites, qui Concilio interfuerunt.* . p. 361.

II. In Epistolâ ad ANTONIUM VARILLAUM.

Examinantur Patrum Testimonia, ex quorum auctoritate Bellarminus non Errandi privilegium Romano Pontifici adscribit. Patres sunt Lucius I. Felix I. Leo I. Agatho, Nicolaus I. Leo IX. Innocentius III. Petrus Chrysologus, Theophylactus, Bernardus. Exponuntur & per seipsos, & per respondentem Unicuique Traditionem Ecclesia. Detegitur Bellarmini Fallacia, quâ Romanum Pontificem cum Sede Romanâ confundit, etiamsi plurimùm inter se distinguantur. Pereunte Romano Pontifice, non Perit Sedes Romana, sed Vacare dicitur. In Theophylacto notatur insignis Bellarmini ἀτεχνία. Florentina Synodi decretum opponitur, & Censura nota rejicitur, quam Parisiensium Placitis inurit. p. 375.

III. In priori ad ANDREAM BERRUERIUM Epistolâ.

Ex damnatâ Roma ab Inquisitoribus Propositione hâc, [Libri Prohibiti, donec Expurgentur, possunt Retineri, usque dùm adhibitâ diligentiâ Corrigantur] *omnino infertur, Aristotelis libros complures tutâ conscientiâ nec legi nec doceri posse, usquàm, etiàm in Urbe, nisi exemplo Malo; quia Gregorius IX. Senonensis provincia Concilii vestigia insistens, vetuit, nè damnati ab illo Concilio Aristotelis Libri legerentur, aut docerentur,* Quousque examinati fuerint, & ab omni Errorum suspicione Purgati. *At nondum examinati, nondum purgati sunt. Examinabuntur & purgabuntur, quando Romanis Inquisitoribus placuerit. Agendi vetus Romanorum Pontificum in Sanctionibus hujusmodi Traditio perstringitur.* p. 392.

IV. In posteriori ad Eundem Epistolâ.

Ex occasione cujusdam Theologici Programmatis, quo plerique Sapientes offensi sunt, Docetur, Theologica quastiones sacrarum Scripturarum Auctoritate, & sanctorum Patrum Tractatibus, & Deductis inde Rationibus dirimendas esse; non Philosophorum opinionibus, aut frivolis Hypothesibus; qua Christianos nec in Fide nec in Moribus adificant; sed qua potiùs Theologiam & Religionem veram Hareticorum & Gentilium ludibrio exponunt. Quâ in re Exempla mala nec pro Bonis habenda sunt, nec pro Lege, ut solet, legum Pravaricatio. Docetur, inquiunt, sic ibi, docetur sic alibi: Sed an sic & sic Docendum sit, ex docendi in Facultate sacra Regulis asserendum est. Legitima non censetur Defensio, cùm Facti quastio in Juris quastionem sufficitur. p. 394.

V. In Epistolà ad FELICEM PHELIPPÆUM BROSSAM.

Referuntur Hieronymi Epistola ad Damasum Pontificem dua; ex quibus perperàm intellectis, Romano Pontifici non Errandi privilegium vindicatur. Ha per seipsas & per Hieronymum explicantur eum in sensum, qui Auctoris menti conveniat. Adjungitur Florentina Synodus, qua in definitione Fidei Pontificiarum quastionum omnium dirimendarum Modum certissimum praescribit. Sed illum Curia Adulatores sequuntur nulli, aut pauci, nisi Definitionis verba corruperint, aut interpolaverint, contra fidem exemplarium Gracorum & Latinorum, qua stante Synodo exarata sunt. p. 397

VI. In Epistolâ ad JACOBUM BEVILAQUAM.

Bellarminus Tridentina fidei professionem (qua ab omnibus servanda est) negligit, cùm Christi apud Lucam verba hac, [Oravi pro te, Petre, &c.] *secundùm Unanimem consensum Patrùm non interpretatur; quò paratiùs ex illis deducat, Petri successorem, Romanum Pontificem, Definiendo Errare non posse. Referuntur Loci hujus Expositiones numero quatuor sanctorum Patrum & Theologorum; ut luculentèr appareat, Bellarminum Tridentina fidei professionem Insuper habere, & Argumentum ipso Inutile, quod ex memoratis verbis colligit. Sigillatim expenduntur, qua Bellarminus ad Argumenti sui confirmationem scribit. Expositiones Patrum & Theologorum committuntur inter se; & ibi nulla Bellarmini consilio propriè inservit.* p. 402.

VII. In Epistolâ ad GUILLELMUM VOELLUM.

Bellarminus Tridentina fidei professionem (qua ab omnibus servanda est) negligit, cùm Christi apud Matthaum verba hac [Tu es Petrus & Super hanc Petram, &c.] *secundùm Unanimem consensum Patrûm non accipit; ut ex iis Probet, Petri successorem, Romanum Pontificem, Definiendo errare non posse. Referuntur loci hujus Expositiones numero quatuor Patrûm & Theologorum: Quibus omissis, Bellarminus philosophatur, & malo praetereà Philosophatur. Parùm sincerè utitur nonnullis Patrûm Auctoritatibus, qua referuntur, atque Expenduntur. Patrum & Theologorum interpretationes Scriptura quatuor contenduntur inter se; & qua ad Tridentina fidei professionem magis accedunt, ha Bellarmini consilio magis adversantur.* p. 419.

VIII. In

VIII. In Epistolâ ad RAIMUNDUM FORMENTINUM.

Bellarminus Tridentini Concilii regulam de interpretandis juxta unanimem consensum Patrum Scripturis negligit; cùm ex Christi apud Joannem verbis [Pasce oves meas] *colligit, successorem Petri, Romanum Pontificem, Definiendo errare non posse. Quas Patrum auctoritates refert vel indicat, hæ per ipsosmet Patres explicantur: Et sic explicatæ invalidum efficiunt Argumentum; & simul ostenditur, ex illis Auctoritatibus nihil nisi fallaciter concludi. Referuntur Romani Pontifices* XL. *qui, Episcopos suos appellando Coepiscopos, Demonstrant apertè, verba hæc* [Pasce oves meas] *sibi soli propria non esse; contrà quàm in argumento Bellarmini, ut valeat, sumendum est. Hæc autem certissima est Romanæ Ecclesiæ per suos Præsules Traditio, quæ à Stephano Papâ I. usque ad Innocentium III. Testimoniis præterpropter* CCXX. *asseritur; & confirmatur insupèr ex Ephesinæ Synodi gestis, ad quæ nos Florentina Synodus remittit, ut sanciatur Romani Antistitis potestas. Cur Romani Pontifices Episcopos suos appellent Coepiscopos, disquiritur: Atque ex Cypriano, Optato, Hieronymo, & Symmacho Papâ, quibus præivit beatus Petrus, redditur Ratio.* p. 433.

IX. In Epistolâ ad THOMAM FORTINUM.

Defenduntur adversus fratrem Vincentium Baronem Duo maximè, quæ in parte primâ Epistolarum nostrarum traduntur. Unum est, B. Cyrilli Alexandrini testimonia, quæ S. Thomas suis in operibus refert, Cyrillo subjecta esse. Critices & Locorum Communium, quibus Baro S. Thomam tuetur, Futilitas declaratur splendidè. Hinc Doctorem sanctum accusat potiùs, quàm propugnat. Privilegia (si tamen nonnulla sint reipsâ & sine fraude concessa) quibus Presbyteri, Clerici, vel Monachi subtrahuntur Jurisdictioni & obedientiæ Diœcesani Episcopi, defendi non possunt in Galliâ, nisi violatis Regis & Regni Juribus, & Libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ. Alterum est, assertâ Romanæ Ecclesiæ per suos Præsules traditione confirmari omninò antiquum Gallicanæ Ecclesiæ, & Parisiensis Academiæ Dogma; Romanos nempè ipsos Pontifices Ecclesiæ, sacris Canonibus, & Conciliis generè subjici, & Non-errandi privilegio carere. Et hæc sunt præcipuè, quæ Gallic. Ecclesiæ Libertates dicuntur. Exindè Baro in Regum duorum Francisci I. & Ludovici XIV. Edicta, & Regni jura, & Gallicanæ Ecclesiæ libertates per occultas Insidias invadit; & cùm Rom. Pontificem ædificare nititur, Romanam Ecclesiam cum Pastore suo funditùs evertit. Quidquid id est, per varia demonstratur Capita, quorum Inscriptiones remipsam ante oculos constituunt. In quibusdam Epistolis meis Pii II. Epistolam ad Carolum VII. sincerè laudari ostenditur; & duæ Baronis Philippicæ removentur. Injectu de Cardin. Perronii ad Regem Angliæ Responsione dispelluntur Offucia; & habita de confutato nonnunquam Bellarmino Querimonia satisfit abundè. In Capite ad Saturam, & in conclusione tractantur Varia, quæ curioso Lectori fortassè non displicebunt: Ubi & à disceptante Barone nova suppeditatur Ratio, quâ solâ relatum apud Thomam in Catenâ Cyrilli Testimonium supposititium esse probaretur. p. 447.

PARTIS SEXTÆ

I. In Epistolâ I. ad HENRICUM LUDOVICUM HABERTUM MOMMORIUM.

Ostenduntur res quatuor: Primùm, quòd nullus est Scripturæ sacræ locus, qui juxta Tridentinæ fidei regulam, id est, juxta Unanimem consensum Patrum acceptus, Romano Pontifici universalium Conciliorum Indictionem & convocationem privatìm vindicet. Id Gelasius I. Synodum benè vel malè gestam Definiens confirmat. Deindè, quòd Constantinus I. Concilia duo Nicænum præcedentia, Romanum & Arelatense fieri jussit. Tùm, quòd Nicænam Synodum indixit, & coëgit; indixisséque & coegisse amplissimâ Traditione docetur. Ubi Prosphonetici ad Constantinum IV. locus ex actis Synodi VI. quid hoc in negotio usui esse possit, exponitur, & redditur inutilis; quinetiam contrà sentientium Proposito contrarius demonstratur. Postremò, quòd pleraque ex iis, quæ inter Nicænam Synodum & Constantinopolitanam I. intercedunt, Conciliis, auctoritate Principum indicta sunt & Coacta. Ubique diluuntur Objectiones, quæ ex Philosophicis potiùs, quàm Theologicis principiis, Scripturâ & Traditione, comparantur. p. 481.

II. In Epistolâ II. ad Eundem.

Theodosius Magnus Constantinopolitanam Synodum primam congregat: Bellarmini circa quadam Aberrationes corriguntur. Ecclesiasticis & Historicis de congregatione hâc Traditio asseritur; Pleraque ex iis, quæ inter Constantinopolitanam & Ephesinam Synodum interjacent, Conciliis, ab eodem Theodosio vel aliis Imperatoribus celebrantur. Horum in numero collocantur habitæ Carthagini Collationes, ubi beatus Augustinus doctrinæ Principatum tenet. p. 497.

III. In Epistolâ ad GUILLELMUM VOELLUM.

Clerici & Monachi à Theodosio Juniore postulant, ut Synodum cogat. Theodosius de cogendâ Synodo apud se constituit. Ad Cyrillum & Metropolitanos scribit. Eam Ephesi indicit & convocat. Quâ de re ipsi sibi testis est pluribus in Epistolis; ut & Ephesina Synodus, quæ se passim in singulis penè Actionibus Imperatoriâ auctoritate convocatam esse libentèr agnoscit. Dispelluntur tenebræ, quibus lucem hanc Bellarminus eripere voluit. Ubi & à seipso discordat, & disputationum suarum laqueis irretitus tenetur. Verba Epistolæ Sixti III. ad Orientales corruptè proponit. Adhæc Sixti Epistola fabulosa ostenditur. p. 505.

IV. In Epistolâ ad JOANNEM BRAYERUM.

Constantinopolitana Synodus Theodosii jussu habetur, ut Eutychetis causa dijudicetur. Hinc ejusdem Imperatoris auctoritate, Ephesina Synodus Secunda congregatur. Id Theodosius & Leo Papa testantur pluribus in Epistolis. Ephesina Synodus postquam Secunda Synodus non dicenda evasit; Leo instat & urget summo cum studio, ut Imperator Synodum aliam indicat, & aggreget. Indicta est Nicæa Synodus, sed paullo pòst Calchedonem translata per Valentinianum & Marcianum. Probationes rei ex Imperatoribus, ex Leone Papâ, ex Calchedonensis Synodi actionibus conglobantur æqualitèr, & fermè Redundant. Expenduntur Leonis testimonia numero Tria, quæ Bellarminus Leoni opponit & perperàm intelligit, relictis nempe pluribus Testimoniis, quæ Leonis mentem omninò patefaciunt. Gelasius Pontifex (cujus Textum Bellarminus vocabulis duobus auget) videtur neglexisse leges Historiæ, cùm de Calchedonensis Concilii indictione scribit: à Leone I. & ipsiusmet Concilii actis dissensit; & Historici tàm qui præcesserunt, quàm qui secuti sunt, à Gelasio dissentiunt. In convocandis Conciliis, si non omnibus, certè in quamplurimis, quæ inter Quartam & Quintam Synodum aggregata sunt, Imperatorum & Regum Auctoritas elucet. p. 509.

V. In Epistolâ ad MICHAËLEM MAROLLIUM.

Justinianus Synodum V. indicit & convocat. Nec Bellarminus, nec Auctores ulli, qui sint alicujus nominis,

 repug-

repugnant. Omnes Justinianaa indictioni & Convocationi assentiuntur. Pelagii II. Epistola ad Orientales prima, ubi de generalium Synodorum Convocatione agitur, ficta & supposita pluribus Rationum momentis demonstratur. Ex Isidori Mercatoris officinâ prodiit. Indicantur nonnulla Concilia, quæ inter Quintam & Sextam Synodum à variis Principibus congregata reperiuntur. Congrediendum fuit cum Bellarmino, qui nec Scripturâ, nec Traditione, nec Auctoritate notabili, sed fallaci Syllogismo, quem Dialectici Pseudographum appellant, convocationem particularium, seu Regionalium Synodorum Principibus adimere voluit. Sincerè semper agendum esse, Christiana nos docet Religio. p. 521.

VI. In Epistolâ ad JACOBUM MALATESTAM.

Constantinus IV. Synodum Sextam indicit. Tot sunt indictionis hujusce Probationes, quot Synodi Actiones, in quibus hoc ipsum Patres attestantur; & cum primis Agatho Romanus Pontifex, qui nihil dissimulat, & veritatis amantior Bellarmino, Pelagii II. Epistolæ, venturis Isidori mercibus, occurrit. Imperatoriæ Indictionis & convocationis Traditio ad Nostram usque ætatem per varios Scriptores deducitur. In ea retardandâ vel inobscurandâ nullus se Bellarminus sistit. De nomine vocantur & laudantur Principes, qui Concilia inter Synodum VI. & VII. cogi jusserunt. p. 525.

VII. In Epistolâ ad LUDOVICUM HENRICUM FAIUM SPESSÆUM.

Expedita & facilis est Septimæ Synodi convocatio, quam Hadrianus I. Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha, Synodus ipsa semel atque iterum Constantino & Irenæ attribuunt; & nullus obsistit. Via obsistendi post Calchedonense Concilium apud Bellarminum hebetari retundique cœpit. Ad Constantinum & Irenen accurrunt quotquot Auctores, qui de Nicænâ Synodo II. verba fecerunt. Subnectitur Disciplina, quæ in quibusdam convocandis ab Regibus Conciliis, usque ad Octavam Synodum retenta & Observata est. In hâc Epochâ & Disciplinâ Reges Galliæ eminent; & cæteris Regibus antecellunt Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Carolus Calvus. Hadriano I. fraudulentèr obreptum est per Isidori Mercatoris collectionem Canonum, quæ hoc in sæculo emersit ad perpetuam Simplicium & illiteratorum hominum Fraudem. Regulæ Tres, quibus à falso secernitur Verum, in quæstionibus Theologicis explicantur. p. 528.

VIII. In Epistolâ ad HIERONYMUM SAMBOEUVIUM.

Octavæ Synodi convocationem Hadrianus I. sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, ipsimet Synodi hujus Patres Basilio Imperatori transscribunt. Historici nobis succurrunt Pauci, quia non omnes Synodum Octavam agnoverunt. Cur Florentina Synodus non agnoverit, Ostenditur. Adjunguntur certa quædam Concilia, quæ varii Reges habuerunt. Confirmatur in hâc Epistolâ, ut & in superioribus, Regi Carolo VIII. datum à Facultate Theologiæ Responsum, de congregandis à Regibus Conciliis, si Pontifex ea congregare nollet. p. 532.

IX. In Epistolâ ad RAIMUNDUM FORMENTINUM.

Sub Florentini Concilii finem, instauratum est circa illius Convocationem, quòd sub initium Græcis absentibus, pro vetere apud ipsos Disciplinâ, fieri non potuit. Id quia observatione summâ dignum est, & fugientem à nobis Antiquitatem retinet, Horatio Justiniano Florentini Concilii alterum Editori nupero displicuit. Hinc Decreti, quo Græci cum Latinis concordes efficiuntur, Inscriptionem alitèr repræsentat, quàm primò exarata sit, Omnibus post habitam concertationem Assentientibus. Refertur utraque Inscriptio, Vetus & Nova, ut nova vitium mutua inter se prodat Contentio. In Justinianum culpa transferenda est, non in Petri Sedem, quæ simplicitatem colit eminentissimam. Manet enim Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate Judicium, ut ait S. Leo. p. 534.

X. In Epistolâ ad THOMAM RUILANDUM.

Bellarmini ratio disputandi circa Conciliorum indictionem & Convocationem expenditur: Expensa in Bellarminum retorquetur; & ostenditur, Universalia Concilia, quæ Romani Pontificis auctoritate Indicta & convocata sunt, Regum & Principum auctoritate indicta & Convocata esse. Utitur locis communibus, qui Utenti magis, quàm Adversario incommodant. Dum ille amorem Contradicendi sequitur, Quæstionum lineas excidit. Communiò tria proponuntur vera Theologiæ Principia, quæ inveniendæ asserendæque Veritati inserviunt, & falsitatem huic contrariam exscindunt. Hæc repetita displicere meritò non possunt. p. 535.

XI. In Epistolâ ad LUDOVICUM CUSINUM.

Demonstratur ex eo, Rejiciendam non esse Tridentinam Synodum, quod eam Principes moribus antiquis non indixerint, aut congregaverint. Pontificiæ indictioni & convocationi idoneum consensum præbuerunt. Sed quod rei caput est, Gelasius, Romanus Pontifex, in benè gestæ Synodi definitione Indictionem & convocationem prætermittit; prætermissurus nunquam sine dubio, si ex Romanæ Sedis Traditione didicisset, Synodi generalis Indictionem & convocationem ad Synodi benè gestæ naturam spectare. Bellarminus quocum dimicamus, hâc in re, volit nolit, id fatetur, cùm ait, Consuetudini consuetudinem Opponi posse. Quæ verba rem alter atque aliter, haud inimicâ dogmatibus Ecclesiasticis mutatione contigisse produnt, & tamen Bellarminum illaqueant. Nam consuetudo prior Imperatorum est, posterior Pontificum. Sed illa non Deterior; quia Prior. p. 536.

XII. In Epistolâ ad JACOBUM BEVILAQUAM.

Propositionis hujus apud Socratem & Sozomenum, [Canon Ecclesiasticus vetat, ne Decreta absque sententiâ Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur,] vel [Acta irrita esse, quia præter sententiam Rom. Episcopi constituuntur] Origo, Usus, & Progressus disquiritur. Sed quia Canon hic Julii I. Rom. Pont. censui deputatur, in disquisitionis partem veniunt Romani Pontifices, qui Julii Decessores & Successores extitêre. Bellarminus ἀσυζητησίας reus peragitur, cum ut laudatum Canonem asserat, Marcelli Papæ Epistolam ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ, & Synodum Alexandrinam in Epistolâ ad Felicem adducit: Adducere non debuit, quia Veritas hominum Mendacio non eget. Utraque Epistola & Marcelli & Alexandrinæ Synodi ad illum Mercatorem pertinet, cujus plenissima est falsorum Chirographorum officina. p. 538.

XIII. In Epistolâ ad ANTONIUM FAURUM.

Qui vulgò dicitur Gregorii VII. Papæ Dictatus, Gregorio abjudicatur. Abjudicandi rationes ex ipsomet Dictatu quæruntur septem vel octo, quæ & ab illius Ingenio & Scriptis planè dissident. Suppositor credidit satis esse, si Dictatus nonnullis Gregorii Placitis aptaretur. Aptatur quidem, sed pluribus aliis Adversatur. Id ad patefaciendam Fraudem sufficit: Quod enim bonum est, suis debet Cunctis Absolvi partibus, quarum Una si desit, quidquid Restat, Bonum esse desinit, quia Malum esse incipit. p. 542.

XIV. In

XIV. In Epistolâ ad LUDOVICUM MARÆSIUM.

Animadversiones sunt XXI. quibus fratris Vincentii Baronis Exercitatio in nostram ad Thomam Fortinum Parisiensem Theologum Epistolam castigatur. Animadversionum tituli rem satis aperiunt & declarant.

I. *Pauca de pluribus notantur Mendacia, cùm ad specimen Operis, tum ad indicium Opificis.*

II. *In dicendis mendaciis superioribus, Consilium suum Baro exponit.*

III. *Frater Baro in Alexandrum VIII. contumeliosus.*

IV. *Frater Baro Romanæ Inquisitionis censuras nunc Parvi, nunc Magni pendit.*

V. *Insigne exemplum, quo calumniis mactati à Fratre Barone, has Patienter ferre debent; levatione quæsitâ ex Romanis Pontificibus, & aliis præstantibus viris, qui Baronis judicio nos in Atheorum Voraginem præcipites dederunt.*

VI. *Baronis Error circa Visibilis Ecclesiæ rationem detegitur & configitur.*

VII. *Pessimi consilii accusatus Baro, convincitur in Quæstione de Abdicandis ob Hæresim Regibus. Tùm Quæstio hæc certis & Idoneis ad disputandum Regulis profligatur.*

VIII. *Frater Baro in Exercitationis Articulo II. Paragrapho I. de pluribus Camarinam movet inconsultò.*

XI. *Frater Baro cùm respondet, dissimulat, quæ in Adversarii Objectionibus sunt præcipua & Invicta.*

X. *Cùm Baro pro evertentibus Episcopalem Obedientiam Privilegiis Pontificia & Regia auctoritati blanditur, Utriusque Exitium machinatur.*

XI. *Exemplum stupenda in explicandâ Theologorum, & cum primis Hadriani VI. circa Pontificium Non-errandi Privilegium mente Protervitatis.*

XII. *Tradita à Barone definitio Definitionis ex Cathedrâ refertur, & ad S. Thomæ & Discipulorum ejus scripta expenditur & rejicitur.*

XIII. *Frater Baro Proteum agit. In Bellarmino, & in Cajetano se prodit Historiæ rudem & imperitum.*

XIV. *Frater Baro, ut suis & Curiæ studiis & placitis serviat, Christi Ecclesiam in statum Secularem transscribit.*

XV. *Frater Baro in Joanne XII. desultoriæ Levitatis exemplum præbet; & sibi turpiter Contradicit, & Innocentio III.*

XVI. *Frater Baro tantâ in scribendo laborat imprudentiâ, ut Adversarium cogat ea scribere, quæ ab eo ne scriberemur, omni ope & operâ enito deberet.*

XVII. *Frater Baro in Romanam Synodum, quæ à Theodorico Rege Italiæ habita est pro causâ Symmachi, & in Baronium, injuriosissimus.*

XVIII. *In re, quæ ad laudatum à me ex Epistolâ Pii II. testimonium pertinet, Frater Baro peccatum suum convolvit, secum pugnat, gravissimæ Reprehensioni B. Thomam exponit, calces Gregorio IX. & Romanis censoribus impingit.*

XIX. *In Barone luculentum amissæ fidei & frontis exemplum, circa Bellarmini de Gratiâ Efficaci sententiam, ostenditur.*

XX. *Frater Baro Jus Naturale violat in Silentio, quod exigit Privata & familiaris Congressio.*

XXI. *Incredibilis est Baronis audacia, cùm Adversario de vitiis Sociorum suorum Campanellæ & Catharini dicam scribit.* p. 548.

PARTIS SEPTIMÆ

I. In Epistolâ I. ad MICHAELEM GIRARDUM.

C*Onfutantur Annotationes Antonii Dadini Alteserræ, Jurisconsulti Tolosani, in Privilegium monasterii sancti Medardi Suessionensis. Suppositum esse Gregorio I. Privilegium ostenditur. E multis, quæ adducuntur, Rationibus, palmares sunt numero Tres. Prima sumitur ex Joviniani & Stoicorum errore, qui ab auctore Privilegii incurritur; aut nusquam incurri potest. Altera ex falsis Episcoporum Subscriptionibus. Tertia ex Violatione sacrorum Canonum: Quæ Tria privilegium Gregorio in tantum abjudicant, in quantum abjudicari potest. Adducuntur multa, quibus probatur, difficilem esse Epistolarum Recensionem, & ad eam Manuscriptos codices non sufficere. Jungenda est maximè Cognatio, Stabilitas & Constantia in Doctrina, quam Gregorius Magnus circa Principum Observantiam, ac circa Episcopalis Jurisdictionis, & sacrorum Canonum Custodiam semper retinuit. Quibus verò Rationum momentis Sammedardense Privilegium, ut Gregorio subjectum aut interpolatum, rejicitur; iisdem rejiciuntur Augustodunensia Privilegia, numero Tria, totidem Epistolis, unâ ad Senatorem, alterâ ad Thessaliam, tertiâ ad Lupponem, comprehensa.* p. 605

II. In Epistolâ ad Eundem secundâ.

Confutantur ejusdem Alteserræ Annotationes ad libri II. Indict. XI. Epistolam XLVIII. Gregorii Papæ, de necessariâ per Romanum Pontificem Provincialium Synodorum Confirmatione. Quæ sit hâc in re Gregorii sententia, per varias Epistolas disquiritur. Alteserra toto aberravit cælo, dicens, Provincialia Concilia non habere vim, priusquàm ab Romano Pontifice comprobentur. Id nec Gregorius exigit, nec Nicænum Concilium statuens, ut Provincialia Concilia bis in anno celebrentur. Alteserra præsidium quæsivit ex can. Conc. XVII. dist. qui nec revera Canon est, & aliàs ab eo perperam intellectus, neglectâ Origine illius rei, quæ Gratianum in errorem induxit. Gratiani C. Alius *dissentitur, & in Discussione apparet, purum putum esse Sæcularis Historiæ factum, quod nec Canon esse potest, & aliunde ab rei gestæ Veritate in pluribus abberrat.* p. 617.

III. In Epistolâ ad JOANNEM JACOBUM BARILLONIUM.

Continetur Tumulus Antonii Carlerii, Baccalaurei Theologi, & Laudunensis Canonici, quo vix ullus fuit Religiosior, Modestior, & ad præstanda quælibet Christianæ Pietatis ac Misericordiæ Opera expeditior: Atque hæc Tria universim sunt Capita, quæ verum Christi Discipulum efficiunt. p. 623.

IV. In Epistolâ ad CÆSAREM Laudunensem Episcopum, Ducem, ac Parem Franciæ.

Continetur Petri Maynonii, Laudunensis Canonici, Epitaphium; cujus summa est, Vivere Deo, Pauperibus, Sibi & Musis. Spartam hanc, quæ quadripartita est, impensè coluit. Dilexit Deum, ut qui maximè: Pauperes fovit, ut qui benignissimè: Sibi suoque muneri satisfecit, ut qui diligentissimè: Vacavit Musis, ut qui amantissimè: Et tandem Omnia ut Singula absolvit. Hunc morbus insanabilis, & supremus vitæ dies hominem Prisci apud Christianos Moris ostenderunt. p. 624.

V. In Epistolâ ad CAROLUM VAIRONIUM.

Continetur Caroli Vaironii, Laudunensis quoque Canonici, Epitaphium; ubi & vitæ Honestas & Industria fecerunt, ut Cleri Syndicus crearetur. Commendabilem reddiderunt, quæ eo in Officio gnaviter & industriè gessit. Primus omnium extruendi Gerontocomii suasor & auctor fuit; & ob id continuò sat magnam Pecuniæ summam largitus est. Perspectâ & animadversâ Seminarii Clericorum Utilitate, immò & Necessitate, illud pro viribus & facultatibus Promovit. p. 625.

VI. In Epistolâ I. ad JOANNEM RULLANDUM.

Augustodunensia Privilegia numero Tria, quorum Unum

in

in libri XI. epistolarum Gregorii Papæ I. epistola X. ad Senatorem; Alterum in epistolâ XI. ad Thessaliam; Tertium in epistolâ XI. ad Lupponem continetur, referuntur, & Gregorio Subjecta vel certè Interpolata demonstrantur. Hic supponitur, non repetitur quæsita ex Joviniani & Stoicoram Hæresi ratio, quæ in priori ad Michaelem Girardum Epistolâ latiùs explicatur. Supponitur quoque, non repetitur, quod ibidèm notatur, Privilegia hæc Tria iisdem planè exarari verbis, si uniuscujusque Privilegii, seu Epistolæ Titulus excipiatur vel Inscriptio. Adseruntur Rationes Duæ, quæ ad Gregorii morem, & Stylum scribendi pertinent. Comparatur prior ex Epistolis octo, in quibus varia concedit Privilegia: sed ibi nusquam adhibetur Clausula postrema, quæ in Augustodunensibus adhibetur privilegiis, etiamsi par adhibendi sese præbeat occasio. Comparatur posterior ex epistolis XV. in quibus Gregorius Simoniacam pravitatem, seu, ut vocat, Hæresim exagitat: sed ibi nusquam adhibetur clausula Postrema, quæ in Augustodunensibus adhibetur privilegiis, etiamsi par, immo major adhibendi sese præbeat Occasio. Ad extremum memorata clausula [Siquis verò Regum, &c.] definitur Tempus, quod à Gregorio distat pluribus sæculis. Quæ sola Observatio Augustodunensia privilegia tria Gregorio satis superque abjudicaret. p. 626.

VII. In Epistolâ ad Eundem secundâ.

Baronius neglexit leges Historiæ scribens, Græcos Historicos omnes prodidisse literis, Leonem Isaurum à Gregorio II. privatum esse exactione Tributorum Italiæ. Ex quæstione hâc, quæ Facti est & in facto versatur, fit gradus ad Juris quæstionem; quam & vetustiorum Patrum Doctrina, & Sedis Apostolicæ Traditio dirimit; & dirimendo, potestatem privandi Reges exactione Tributorum, Romanis Pontificibus abjudicat. Gregorii II. epistolæ duæ ad Leonem Isaurum referuntur penè integræ; & in iis observantur multa, quæ Juris quæstionem illustrant: Ubi & hæc est ingenua Pontificis confessio: Pontificem introspiciendi in Palatium potestatem non habere, ac Regias dignitates deferendi. Quod Lemma in gratiam Gregorii confirmatur productis Patrum, & Romanorum Pontificum testimoniis: Ex quibus liquidò patet, Christi verba hæc ad B. Petrum [Pasce oves meas] ad potestatem Privandi Reges suis regnis, & Imperiis non flecti, & eos qui flectunt, & cum primis Bellarminum, violare Tridentinæ professionis fidei Articulum hunc: [Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenet, & tenuit sancta mater Ecclesia, cujus est Judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrûm Accipiam & interpretabor;] Deindè ati Rationibus, quæ plena sunt Fallaciis. p. 633.

VIII. In Epistolâ ad CAROLUM PRESTIUM.

Bellarminus in lucem prodit, & statim Rejicitur; cùm in Theologicis Philosophicâ tantùm ratione utatur, ut Romanum Pontificem Hæreticos Reges de regnis suis Deturbare posse confirmet. In propositione Ponderis tanti, non sufficit Aristoteles; sed præterea Propheta, Evangelista, & Apostoli requiruntur. Deindè licèt Philosophica Bellarmini ratio admittatur, sophisticâ fraude non carere, Ostenditur. Bellarmino philosophanti Gregorius II. opponitur; cui aptum & Idoneum nihil unquam respondebitur. Nàm Pontifex ille, in posteriori ad Rullandum Epistolâ, Testimoniis Patrum & perpetuâ Sedis Romanæ Traditione armatus in Aciem procedit. p. 644.

IX. In Epistolâ ad LUDOVICUM MARÆSIUM.

Bellarminus falsò docet, Historicos omnes tàm Græcos, quàm Latinos tradere, Zachariam Romanum Pontificem deposuisse Childericum Regem Francorum, & jussisse, ut Pipinus Rex crearetur. Historici XI. quos ille in medium profert, expenduntur; & planum fit, Paucos esse, qui tradùnt Duo illa, quæ sibi sumit. Hìc qui, & qualis sit Bellarminus in citandis Auctoribus, patet. Ad hæc Historici producuntur alii Plures, qui Bellarmino minimè consentiunt. In commodum sensum exponuntur quorundam Historicorum verba, quibus Adulatores Curiæ abuti solent. Zacharias Francorum consultationi respondit; & metienda est ex consultatione vel interrogatione Responsio. In consultatione suâ Franci non petebant à Zachariâ, ut Childericum Regem deponeret, & in ejus locum creari Pipinum juberet. Bellarminus fucum facit de Calvino & Magdeburgensibus, quos causæ huic interponit; perindè ac si negotium fidei ageretur. Quâ in re Bellarminus & Magdeburgenses conveniunt, & quâ in re non conveniunt, Ostenditur. p. 645.

X. In Epistolâ ad CLAUDIUM AMELINAM.

Examinatur, Utrùm id quod inter Ambrosium, & Theodosium ob cædem Thessalonicensem peractum est, inservire possit Bellarmino, ut Probet, Romanum Pontificem in ordine ad Bonum Spirituale summam Potestatem habere Disponendi de rebus Temporalibus Christianorum omnium. Inservire nihil quicquam posse, demonstratur. Bellarminus Theodoretum laudat, nec quid ille scribat, satis attendit. Theodoreti Textus integer refertur. Ambrosii, Paulini, Rufini, Augustini, Sozomeni testimonia adjunguntur. Bellarminus in hos Patres non inspexit, cùm ait Theodosium ab Ambrosio Excommunicatum fuisse. Non inspexit quoque in seipsum alio in loco de Excommunicatione disserentem; & sic pugnantia locutus est. Quid Ambrosius, & Augustinus de Potentioribus Excommunicandis sentiant, notatur. p. 652.

XI. In Epistolâ ad RAIMUNDUM FORMENTINUM.

Refellitur opinio quorundam Theologorum Recentium, qui ex verbis Scripturæ sacræ [Quodcunque solveris] colligunt, Romanum Pontificem posse Regum Subditos à juramento Fidelitatis absolvere. Sed fallaci ratione colligunt, & violant Professionis fidei articulum hunc: Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenet & tenuit sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero Sensu, & interpretatione sanctarum Scripturarum, admitto, nec eam unquàm nisi juxta unanimem consensum Patrûm accipiam & Interpretabor.] In Epistolâ nostrâ servatur hic articulus duplici modo, qui in unum & eundem recidit. Et primùm in luce, & in oculis omnium defigitur Romanæ Sedis Traditio, in quâ Cardinales permulti Romanis Pontificibus conjunguntur. Accedunt Generales Synodi tres, Ephesina, Nicæna Secunda, & Tridentina. Deindè unanimis sanctorum Patrum, aliorum Ecclesiasticorum Tractatorum, & celebrium è scholâ Magistrorum in eandem intelligentiam Conspiratio. Hinc apertam in lucem proditur Oratio, quæ in festo Cathedræ S. Petri in divinis Romanæ Ecclesiæ officiis à tempore Gregorii Papæ I. usque ad tempus Clementis Papæ VIII. recitata est; ubi Ligandi & Solvendi Potestas in ligandis, & solvendis Animabus definitur. Hac in re Mediolanensis Ecclesia cum Romanâ in Missali Ambrosiano consentit. Quæ vox [Animas] licèt ex Romano Breviario & Missali sublata sit, propter adeò Vetustam tamen traditionem, Veritatis indicem, sustineri potuit; & cur remanere debuerit, ratio sat conveniens redditur: Nec siletur, quod de Leone IV. & Anastasio Bibliothecario adfertur. Ut Pontifices quidam in recitandis divinis Ecclesiæ suæ officiis ligandi, & solvendi animas Pontificiam; sic & Pontifices alii in œcumenicis Conciliis ligandi, & solvendi peccata Potestatem dixerunt. Sed illi omnes Unum &

Idem

Idem dixerunt. De Sedis Romanæ traditione, & de SS. Patrum doctrinâ, Gregorio VII. in Romanâ Synodo contra Henricum IV. & Innocentio IV. in Lugdunensi Synodo contra Fredericum II decernentis accommodatur; & Greg. & Innoc. subreptum vel obreptum esse ostenditur. Plerique Doctores, & Florentina Synodus obreptionem, vel Subreptionem validè confirmant. An Lugdunensis illa Synodus prima sit Oecumenica; disputatur; & Bellarminus visus secum pugnet, & ob id repellatur à ferendo Judicio, generalem seu Oecumenicam non esse concludet. Quæstio non Juris, sed Facti est. p. 656.

XII. In Epistola ad MICHAELEM GIRARDUM.

Id Defenditur, quod in primâ ad eundem Epistolâ adversùs privilegium Sammedardense, primùm in Veritatis, deinde in Regum nostrorum, tum in Gregorii primi Gratiam scriptum fuerat. Defensio hæc Capitibus XXXIII. *continetur. In unoquoque capite Altaserra Dicta, Objecta, Responsa, Parerga referuntur & refelluntur; & quæ respondendo dissimulat, notantur. Antiquus juris Antistes in cap.* I. *argumentum Falsi ab Adversario propositum truncavit. In cap.* II. *luculenter imponit scribens, Gregorii ætate privilegia Exemptionis, & à Fundatoribus Monasteriorum petita, & à Sede Romanâ concessa esse, cujusmodi Sammedardense & Augustodunensia. In cap.* III. *Toletana Concilia laudantur duo,* IV. *&* IX. *quibus quia confirmatione Pontificiâ carent, auctoritatem nullam tribuit. In cap.* IV. *Regi hypotheses ostenditur, scribens in fundando Monasterio Regis & Plebeii conditionem Parem esse, & eam ob causam Duriorem minimè videri pœnam, quæ Sammedardensi privilegio apponitur. In cap.* V. *falsò dicit in pœnis Ecclesiasticis personarum Distinctionem nullam fieri. In cap.* VI. *quod à me notatum fuerat, nempè nec Joannem III. nec Gregorium I. Sammedardensis privilegii Auctores esse, dissimulat. In cap.* VII. *perperam ait, Landerici Parisiensis Episcopi privilegium eandem habere cum Sammedardensi privilegio Formulam, de quâ disputatur. In cap.* VIII. *contendit falsò, Legitimam, & canonicam esse Pœnam, quæ in Sammedardensi privilegio statuitur: Et cùm Gregorio legumlationem tribuit, impropriè loquitur, & in Romanorum Pontificum scriptis minùs exercitatum se esse prodit. In cap.* IX. *cùm ait, latam in Sammedardensi privilegio Pœnam nudam Imprecationem, & nudam Comminationem esse; merum est effugium, quod statim intercluditur. In cap.* X. *videtur nullam Joviniani, & Stoïcorum errorem agnoscere, ut si agnosceret, ferret incommodum. In cap.* XI. *Altaserræ mala fides & Tergiversatio detegitur, cùm ut Sammedardense privilegium defendat, ea suggerit de quibus non agitur. In cap.* XII. *significat se legisse Petrum Damianum, quem adduxeram: Sed Textum illius non refert, quò facilius responderet, quod non auderet, relato textu, respondere. Hinc describuntur Argumenta duo, quæ coactus est intacta relinquere. In cap.* XIII. *figmenta de Inscriptione* [Ad omnes Episcopos Galliarum] *dispelluntur; & aliena sunt, quæ de Episcoporum Veteri more Scribendi objicit. In cap.* XIV. *fingit id à me factum, quod factum non est, velle me scilicet Gregorio Inscriptionis Epistolarum Formulam imponere. In cap.* XV. *& in cap.* XVI. *Altaserra mala arguitur fidei, quòd Adversarii argumenta referens duo illa magnâ sui parte mutilet. Tum ut sua tueatur effugia, Gregorium in absurdas complexiones deducit. In cap.* XVII. *palàm fit, Privilegium omne sacris Canonibus derogans in perpetuum, & Inferiores à Superiorum obedientia subducens (quia Pontificiam & Regiam Dignitatem, Ecclesiasticam, & monasticam vitæ integritatem graviter sine dubio minuit) non posse non esse Subreptum vel Obreptum. Id latè probatur & invictè. In cap.* XVIII. *intercluditur repetitum Effugium, quo accepit in Sammedardensi privilegio legem dictam non Regi, sed Fundatori monasterii; atque hoc ut Regem jure Patronatûs privet faciliùs. Id animo imbibit, ut Rex jure Patronatûs privetur, si vel Monacho unius quietem turbet. In cap.* XIX. *Can.* Eleutherius *discutitur, & incerti Auctoris esse commonstratur. Tum ad Quæstionem inutilis est. In cap.* XX. *non erubescit dicere, à Gregorii genio alienam non esse Clausulam, quæ in argumentum falsi assumitur; & tamen certum est, nihil esse à Gregorii genio magis alienum, Enumeratione per omnes illius Epistolas factâ. In cap.* XXI. *quæsitum à Subscriptionibus Episcoporum argumentum falsi inscitè eludit, ad aliud Subscriptionis Episcoporum genus divertens. In cap.* XXII. *cùm ait Sammedardense privilegium inter Epistolas Gregorii fuisse, quo tempore Joannes Diaconus vitam Gregorii composuit; Id sibi sumit, quod Probaturus est nunquam. In cap.* XXIV. *Altaserra ratione falsâ inductus scripsit Perronium, & Gretserum Sammedardense rejecisse privilegium. Rejecerunt quia Falsum illis visum est. In cap.* XXIII. *dissimulat, quæ Adversarius de Romano Archivo, & de contentis in eo Gregorii operibus animadverterat; & monuerat insupèr, in pœnitentiales Psalmos* VI. *Commentarium, qualis est in operibus Gregorii, non esse illius: Et nunc hoc ipsum tribus Testimoniis à commentario petitis probatur. In cap.* XXV. *dicit, Adversarium Augustodunensi privilegio (scribendum erat, tribus Augustodunensibus privilegiis) non parcere: Nec iis respondet, quæ objecit Adversarius, ut illa Gregorio supposita esse confirmet. In cap.* XXVI. *ne, ut par est, respondeat Argumento, quod ex Joanne Diacono ducitur, id suis convestitum adjunctis & Conditionibus non repræsentat. In cap.* XXVII. *pugnat Veritati præscribi posse: Et hoc solum Proponere, Confutare est. In cap.* XXVIII. *inutiliter profert C.* Hinc est etiam. XVI. qu. I. *ut Augustodunensis Xenodochii privilegium verum esse comprobet. Gratiani opus est, non Gregorii Papæ, non illius etiam qui privilegium Gregorio subjecit. In cap.* XXIX. *Damiani Epistolam, quam laudat, non legisse convincitur. Non probat quod probandum erat, fuisse tunc quendam Romæ Epistolarum Gregorii codicem, qui Sammedardensia, & Augustodunensia privilegia exhiberet. In cap.* XXX. *non minuit, sed potiùs male respondendo auget falsi suspicionem, quæ petitur ex Gregorii Epistolis, ubi Pontifex ne quò Presbyter vel Diaconus est, fit Abbas, vel ne qui Abbas, sit eodem tempore Abbas, & Presbyter, vel Diaconus, vetat. In cap.* XXXI. *tantâ cum Judicii vi, & acrimoniâ disputat, ut cogatur fabulas de Cyriaco Papâ, de Germano Antissiodorensi Regem Angliæ ex subulco creante, & Joannâ Papissâ, ut veras Historias admittere. In cap.* XXXII. *Altaserra imprudenti diligentiâ confirmat falsi indicium ex eo petitum, quod Gregorius Episcopum qui viveret & cui scriberet, virum Apostolicum nusquam appellaverit. Repetuntur Argumenta Tria, quæ tacendo corroborat. Notantur MSS. Epistolarum Gregorii codices* XIX. *in quibus Sammedardense non habetur privilegium. His accedunt MSS. codices omnes Angliæ. Contra Sammedardense, & Augustodunensia privilegia conglutinantur Præscriptiones multæ. In cap.* XXXIII. *Romanæ Inquisitionis censuras objiciens Altaserra, Camarinam movet, & suo sibi jumento malum accersit ex Parisiensi Senatusconsulto contra Joannem Chastellum parricidam facto, quod Romani Censores damnarunt, & prohibitorio Indici adscripserunt. Hi nonnunquam in notandis Libris jure Pignerationis utuntur, idque exemplo comprobatur. Expeditum adversus Censuras hujusmodi Amuletum, cujus vim nulla unquam imminutura est ætas. Altaserra, ut ἀλαζὼν ob Sammedardensis privilegii, & in eo sancita contra Reges nostros Pœna defensionem, Martyrium expectare se dicit.* p. 674.

PAR-

PARTIS OCTAVÆ

I. In Epistolâ ad RAIMUNDUM FORMENTINUM.

De Præside Nicænæ Synodi referuntur Opiniones multæ, & per varias Ætates disponuntur. Hinc comparet Alexander Alexandrinus, cui favet Synodus. Inde Eustathius Antiochenus, cui suffragantur Eusebius, Proclus Constantinop. Felix III. Papa, Facundus. Hinc Hosius Cordubensis, cui patrocinantur Athanasius, Theodoretus, & Sozomenus. Inde Vitus & Vincentius Rom. Presbyteri, quibus non antiqui, sed recentiores tantum Scriptores adstipulantur, ii scilicet qui post Carolum Magnum vixerunt. In posterioribus sæculis Romani sunt Pontifices, qui non Hosium, sed Vitum duntaxat & Vincentium Synodi præsides faciant. Post Eusebium scriptores quidam Græci constituunt multos Synodi Præsides. In tantâ opinionum Varietate certum aliquid ac Irrevocabile pronunciare, non est facile, si quæstiones Historicæ haud eo modo tractentur, quo causæ Conscientiæ, in quibus plerumque spernitur, quod Tertullianus ait in Apologetico: Religionis est instar, fidem de Temporibus asserere. *Examinantur Gelasii Cyziceni de Nicænâ Synodo Commentarius, & vulgata Subscriptiones. Aliud est Interesse Synodo, aliud Præesse, ostenditur argumentis, quæ Romani Pontifices suppeditant. Videtur probabilius, Vitum & Vincentium non præfuisse Synodo, cui interfuerunt. Quæ Juris quæstio de generalium Conciliorum Præsidentiâ diu tractari potest & debet ad mentem Tridentinæ Synodi, tractatur adversus eos, qui Leges illius negligunt.* p. 693.

II. In Epistolâ ad RENATUM BURGEUM.

Hosius Cordubensis Sardicensi præfuit Synodo, nec Julii Rom. Pont. Vicarium egit. Id probant Synodus ipsa, Athanasius, Theodoretus, Hadrianus, vel Angilramnus Metensis Episcopus, & Libellus Synodicus. Eminentissimi cujusdam viri Argutiæ ad asserendam Julio Præsidentiam comparatæ dispelluntur. Gelasii Papæ locus, dum agitur de Synodorum convocatione & præsidentiâ, notandus, quia rem Decernit. Bellarminus argumentum Epistolæ suo silentio confirmat. p. 705.

III. In Epistolâ ad GERMANUM GRUINUM.

Damasus Constantinopolitanæ Synodo Primæ nec per Se, nec per Legatos præfuit. Hoc Synodica ad Occidentales Epistola, Concilium Italiæ in Epistolâ V. *ad Theodosium Imp. Vigilius Papa in Epistolâ* X. *ad universum populum Dei in appendice ad Codicem Theodosianum, Pelagius II. in Epistolâ* V. *ad Episcopos Istriæ, vetus Romanæ Ecclesiæ Diurnum conficiunt. Scriptores Græci, de Synodi hujus præsidentiâ locuti, variant inter se, & multos præsides faciunt: Et quidquid est Variationis & controversiæ, sic Componitur. Timotheus Alexandrinus Synodo, quæ anno* CCCLXXXI. *habita est, præfuit; non Nectarius: Sed hic præfuit Synodo, quæ insequenti anno celebrata est. Productus à Baronio Vaticani cod. locus excutitur, duplicisque Falsitatis arguitur. Quæ Bellarminus hâc de re scribit, hic eventilantur, quo mundiora fiant: Alia veritati consonant, alia non consonant.* p. 707.

IV. In Epistolâ ad ANTONIUM FAURUM.

Ephesinæ Synodi Primæ Præsidentia per varias Ætates distribuitur. In ætate primâ, uni Cyrillo, ut Alexandriæ Episcopo, Præsidentia assignatur. In ætate secundâ, Cælestinus & Cyrillus Ephesinæ Synodi præsides dicuntur. In ætate tertiâ Cyrillus Cælestini legatus dicitur. In ætate quartâ Cyrillo Cælestini vicario Memnon Ephesiorum, & Juvenalis Hierosolymorum Episcopi conjunguntur. Quæ de Cyrillo in ætate primâ dicuntur, Rationibus X. *suffulciuntur. Deinde, cur Celestinus & Cyrillus ambo dicantur Præsides in ætate secundâ, explicatur; & simul animadvertitur, decurrentis Epochæ auctores nusquam ab iis, qui Cyrillum Celestini vicarium faciunt, laudari. Et hæc est vitiosa* κρίσις. *Tùm ætatis* III. *&* IV. *Scriptores cum ætatis* I. *&* II. *Auctoribus committuntur, & ad inveniendi asserendiq; Veri regulas expenduntur.* p. 711.

V. In Epistolâ ad THOMAM RULLANDUM.

Ephesinæ Secundæ, quæ talis posteà dicenda non fuit, Præses designatur, & sine ullâ controversiâ agnoscitur Dioscorus Alexandriæ Episcopus. In id inter alios consentit Leo Romanus Antistes; Theodosius Junior significat, significant & acta Synodi hujus Calchedone relecta, & Scriptores idonei. Dioscorus, qui Synodo incipienti præfuit, tranquillè præfuisset usque in finem, nisi sacras Ecclesiæ regulas violasset. Liberati testimonium discutitur. Juvenalis Hierosolymorum, & Thalassius Cæsareæ Episcopi, præsidentiæ Dioscori consortes fuerunt. p. 719.

VI. In Epistolâ ad LUDOVICUM CUSINUM.

Leo I. Rom. Pont. Calchedonensi Synodo per suos Legatos præfuit. Cur id ita factum sit, & quomodò, cùm ex literis Leonis ad Theodosium, Pulcheriam, Valentinianum, & Marcianum, tùm ex Epistolis Valentiniani & Marciani ad Leonem, atque ex aliis Scriptoribus ostenditur. In Actione XII. *res sic se habet: Ut ei Anatolius præfuerit, non Leonis legati, si per eos qui Primi loquuntur, Præsidentia potest agnosci. Id Disciplinæ genus objiciunt, quæ ibi geruntur. Scriptores Græci Photius, Cedrenus, Zonaras, Nilus, Nicephorus, plures Synodi hujus faciunt Præsides: Sed in eo differunt inter se, quod Photius primum Præsidem faciat Anatolium, cæteri Leonem.* p. 723.

VII. In Epistolâ ad CAROLUM PRESTIUM.

Confusæ ab aliis Synodi duæ, una sub Menâ, altera sub Vigilio, distinguuntur. Priori Menas præfuit, posteriori non præfuit Vigilius; sed si voluisset adire Synodum, ei præfuisset. Absente Vigilio, præfuit Eutychius Constantinopolitanus. Scriptores Græci præsides Synodi hujus faciunt quinque. p. 727.

VIII. In Epistolâ ad JOANNEM GERBASIUM.

Agatho Rom. Pont. Synodo Sextæ præfuit. Id exordia actionis I. VIII. *&* XVIII. *cum veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno confirmant. Rejiciuntur Beda, Hincmarus, & alii, qui Synodi hujus Præsidentiam Georgio Constantinopolitano & Macario Antiocheno attribuunt. Photius & Græci scriptores alii multos constituunt præsides; quorum Sergius Constant. primus est apud Photium, sed apud alios Agatho seu Vicarii illius. Constantinus IV. Imperator in Actionibus duodecim* Præsidens *appellatur. Appellationem hanc retinent vetus Rom. Ecclesiæ Diurnum, Anastasius Bibliothecarius, & Romanum Breviarium anno* M. CCCCLXXVII. *&* M. CCCCLXXXI. *Venetiis editum, in festo beati Leonis II. ad IV. Calend. Quintiles. Id Romani Breviarii Correctoribus displicuit. Et primùm quidem* (Præsidente) *in vocem* (Residente) *mutarunt. Deinde cùm hoc adhuc iis displicere cœpit ævi progressione, vocem* (Residente) *in vocem* (Præsente) *verterunt: Ita ut, cùm antè legeretur*

[Præ-

[Præsidente Constantino] *nunc* [Præsente Constantino] *legatur. Hoc est autem certum quoddam genus Novitatis, cujus robur non est, quod esse deberet, antiquitas.* p. 729.

IX. In Epistola ad HIERONYMUM SAMBOEUVIUM.

Hadrianus I. per suos Legatos Synodo VII. præfuit. Id illius Acta confirmant. Nilus Rhodiensis consentit; sed Photius & Libellus Synodicus dissentiunt. Præsides multos faciunt, quorum primus est Tarasius, secundus Hadrianus: sed anteponentibus Tarasio Hadrianus. Cur Græci multos faciant Conciliorum universalium Præsides, non improbabilis Ratio redditur ex Theodoro Studitâ, qui Ecclesiam vocat πεντακόρυφον & πεντάθρονον. Pro Synodi VII. præsidentiâ non adferuntur Latini scriptores; quia olim Synodum hanc pro generali vel Oecumenicâ non habuerunt. p. 733.

X. In Epistola ad FRANCISCUM BONUM.

Hadrianus II. Synodo VIII. præfuit: Sed disquiritur, cur Photius, Cedrenus, Zonaras, & Nilus de Præside Synodi hujus tacuerint. Libellus Synodicus Synodum VIII. agnoscit: sed Florentina Synodus non agnoscit in Editione sua primâ, quæ Clementis VII. Medicæi privilegio munita in lucem prodiit. Hâc in Synodo Imperatores Basilius, Constantinus, & Leo Præsidentes *dicuntur, & ab Romanæ Ecclesiæ Legatis rogantur, ut primi Subscribant. Acclamantur priùs, quam Romani Pontifices.* p. 734.

XI. In Epistola ad CLAUDIUM AMELINAM.

Quanta sit in numerandis universalibus Conciliis Difficultas, ostenditur. Scriptores Græci aliter ac Latini œcumenicas Synodos numerant; Galli aliter ac Itali. Ex variâ universalis Concilii Definitione Difficultas hæc augetur, cùm minuì deberet, si Ecclesiastici tractatores, Theologi, & Jurisperiti, in eâ definitione omnes concordarent. Non concordant. Bellarminus in iis, quas statuit, Universalis Concilii conditionibus, secum pugnat. p. 736.

XII. In Epistola ad LUDOVICUM HENRICUM GONDRINUM.

Producuntur Nicæni Concilii, Antiocheni, Ephesini, & Calchedonensis Canones, quibus Metropolitanorum dignitas asseritur. Hanc Romani Pontifices XLVII. suis decretis validissimè confirmant. Interseritur Professio fidei Pontificum recens creatorum. Excitata inter Joannem VIII. & Ottramnum Viennensem Archiepiscopum Controversia explicatur. Quæ sunt Disciplinæ, etiamsi sint talia, non tam facilè Mutari debere, auctoritate Romanorum Pontificum Leonis I. Agapeti I. Gregorii I. Leonis III. Gregorii VII. Paschalis II. & Clementis IX. ostenditur. Deindè cùm illa mutantur, mutanda sunt in meliùs. Id constituunt Romani Pontifices XIV. quibus Tertullianus præluxit. p. 743.

XIII. In Epistola ad NICOLAUM GATINÆUM.

Ex Scripturis & perpetuâ Patrum Traditione quid sit Ecclesia, colligitur. Fidelium seu Catholicorum cœtus est Ecclesiæ definitio; quæ vel iisdem verbis, vel aliis idem significantibus constat. Hæc sæculorum penè Quindecim usu firmata, quasi non sufficisset ampliùs, à quibusdam Theologis post Tridentinam Synodum Mutari seu Augeri cœpit. Tunc Petrus Canisius sic deformavit Ecclesiam: Ecclesia est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium Congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore in terris gubernatur. *Canisius ut antiquam sprevit Definitionem, ita & Bellarminus definitionem Canisii sprevit, & aliam confecit; quæ talis est:* Ecclesia est cœtus hominum ejusdem fidei Professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipue unius Christi in terris Vicarii Rom. Pont. *Definitiones hæ duæ, & mutuò inter se, & cum inveterata Traditione conflictu labefactatæ dispereunt. Accedit eorum omnium, qui post Tridentinum Concilium antiquam retinuerunt Definitionem Ecclesiæ, contemptus. Quæ Canisius & Bellarminus antiquæ Definitioni adjiciunt, insuperhabitis Dialecticæ legibus, ad Ecclesiæ statum & Regimen, non ad explicandam illius Naturam pertinent. Disputatur deinceps, utra duarum Definitionum, quæ uti jacent novæ sunt, retinenda esset, siqua tamen (quod non videtur necessarium) retinenda. Pro Bellarminianâ definitione, præeuntibus potissimùm Romanis Pontificibus, concluditur.* p. 762.

XIV. In Epistola ad LUDOVICUM MARÆSIUM.

Observatus de Conciliis, de sanctis Patribus, de Romanis Pontificibus, de illustrioribus Ecclesiæ Tractatoribus, dirimendarum Theologiæ quæstionum Modus explicatur. p. 781.

XV. In Epistola ad JACOBUM BEVILAQUAM.

Stephanus Papa, & Cyprianus Carthaginensis, ambo Martyres, componuntur inter se: & compositione factâ per Ecclesiæ Traditionem apparet, Cyprianum pluris quàm Stephanum apud Orientis & Occidentis Ecclesias, Romanam cum primis, habitum fuisse. Hæc Epistola duas in partes distribuitur. In priori, quæ ab Apostolorum tempore usque ad Stephani & Cypriani tempus attinent, tractantur, ex Traditione, quæ sex rationum Momentis comprehenditur. In posteriori, quæ ad consequentes annos ab Utriusque excessu: Atque istud argumentis LXXI. continetur. In utrâque parte, non Cypriani modò persona, sed etiam doctrina de Hæreticorum Baptismate agitur. Interim Joannis Davidis erga Cyprianum Doctorem Irreverentia & inhumana Durities notatur. Pighii, Bellarmini, Becani, & aliorum, qui Commentarios illorum exscribunt, Aberrationes circa Cyprianum & quæstionem de Baptismo Hæreticorum totam, quamplurimæ eduntur in lucem atque extinguuntur. Expenditur Bellarmini & Becani Propositio hæc [Cyprianus habitus non est Hæreticus.] *Expensa suis Auctoribus incommodat, non Cypriano. Quinetiam causæ, quam illi tuentur, incommodat. Productus ad defendendum Stephani decretum Epistolæ ad Philippenses Locus, ab illâ defensione removetur. Inter illos, à quibus removetur, Patres, beatus eminet Augustinus. Exindè Bellarminus & Becanus, vel qui sapiunt ex illorum Commentariis, propositæ Quæstioni convenienter suis Principiis, cum liceb1t per otium, respondebunt.* p. 806.

INDI-

INDICULUS AUCTORUM, &c.

Qui in

LAUNOIANIS

Hiſce COMMENTARIIS citantur.

Caſſio-

d Abrin-

NOMEN-.

NOMENCLATOR

Eorum, ad quos scripsit

LAUNOIUS.

¶ *Numeri, quos in Marginibus vides, Prioris Editionis Paginas ostendunt.*

JOAN-

Joannes Launoius

ANTONIO FAURO

Parisiensi *Theologo, & Collegii Sancti* Michaelis *in Academia principe Moderatori.*

1 ANNUS est tertius, quòd de subjectis quibusdam Cyrillo Alexandrino testimoniis, quæ beatus Thomas in auctoritatem recipit, judicium tuli. Hoc quidem non ingratum habes, sed quia tibi breve & adstrictum videtur, à me postulas, ut illud retractem, & paullo latiùs exponam. De his testimoniis censere poteras accuratiùs, quàm equidem quantum censuerim, si studia doctrinæ gravioris intermitteres, & te referres in otium. Quod argumenti genus jam ego ipse sumpseram & tractaveram, ut resumerem & retractarem, quæ tua est prudentia & humanitas, existimâsti convenientius.

Rem igitur aggredior. Hæc testimonia sic leguntur apud beatum Thomam, & primùm quidem in quartum sent. dist. XXIV. quæst. III. art. II. *Præterea,* inquit, *beatus Cyrillus Episcopus Alexandrinus dicit: Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus: quoniam* IPSIUS SOLIUS *est re-*
2 *prehendere, corripere, statuere, disponere, solvere & ligare, loco illius, qui ipsum ædificavit, & nulli alii, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit,* cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi *tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt.*

In libri contra impugnantes religionem capite III. sub finem: *Hoc autem privilegium Christus Romanæ Ecclesiæ contulit, ut omnes ei sicut Christo obediant, unde dicit Cyrillus Alexandrinus Episcopus in libro II. Thesaurorum, ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes pro omnibus: quoniam* IPSIUS SOLIUS *est reprehendere, corripere, statuere, disponere, solvere & ligare, loco illius, qui ipsum ædificavit; & nulli alii, quod suum est plenum, sed* IPSI SOLI *dedit, cui omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt.* Mox in cap. IV. *Unde & 1. Petri 2. dicitur de Christo, Conversi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum: Hoc autem præcipuè verum est de Romano Pontifice, cui, ut Cyrillus dicit, omnes jure divino caput inclinant, & ei tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt.*

In opusculo contra errores Græcorum: *Habetur etiam ex prædictorum Doctorum auctoritatibus, quòd Romanus Pontifex habeat in Ecclesiâ plenitudinem potestatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Thesaurorum: Sicut Christus accepit à Patre ducatum & sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israel egrediens super omnes principatum & potestatem, super omne quodcunque est, ut*
3 *ei cuncta curventur, plenissimam potestatem, sic & Petro & ejus successoribus plenissimè commisit.* & etiam: *Nulli alii quàm Petro Christus quod suum est plenum, ipsi soli dedit.* & infrà: *Pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota æternitas plenissimam dedit potestatem, quem unus trium assumpsit in unitate personæ, transvexit ad patrem super omnem principatum & potestatem, ut adorent eum omnes Angeli Dei, quem totum dimisit per sacramentum & potestatem Petro & Ecclesiæ ejus.*

Ibidem: *Ostenditur etiam, quod ad dictum Pontificem pertinet quæ sunt fidei determinare. Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum: Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere & quid tenere debeamus.* Et quibusdam interpositis: *Patet etiam, quod ipse Patriarchis prælatus existat: Ex hoc quod dicit Cyrillus, quòd ipsius scilicet Apostolici throni Romanorum Pontificum* solius *est reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificavit.*

Ibidem: *Ostenditur etiam, quòd subesse Romano Pontifici sit de necessitate salutis. Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum: Itaque, Fratres, si Christum imitamur, ut ipsius oves vocem ejus audiamus, manentes in Ecclesiâ Petri, & non inflemur vento superbiæ, ne fortè tortuosus serpens propter nostram contentionem nos ejiciat, ut Evam olim de paradiso.* Hæc autem sunt testimonia, quæ Cyrillo Alexandrino subjecta contendimus & probatum imus.

Beatus Thomas ætatis annum agens XXV. qui Chri-
sti erat M.CC.XLVIII. Magistri sententias interpre- 4
tari cœpit, & commentariis illustrare. Hinc sub Alexandro IV. qui anno M.CC.LXI. excessit è vitâ, librum contra impugnantes religionem composuit. Tunc in Parisiensi Academia exarsit ingens illa contentio, quæ ut Thomam, ita & Bonaventuram ad scribendum impulit. Mox sub Urbano IV. qui anno M.CC.LXIV. mortem oppetiit, ad confutandos Græcorum errores aggressus est, & tractatum suum huic Pontifici nuncupavit. Sic Doctor sanctus cum esset junior Theologus, imponi sibi passus est ab eo, qui relata testimonia Cyrillo Alexandrino supposuit. Verumenimverò ad maturiorem cùm pervenit ætatem, factus doctior & cautior, testimonia hæc pro derelicto habuit, & silentio deprehensæ vel saltem olfactæ falsitatis indice suppressit. Inter omnes convenit Theologiæ summam Doctoris sancti opus esse ultimum & cæterorum perfectissimum: quod tamen priusquam demigraret ab hominibus, absolvere non potuit. In secunda secundæ sunt loca maxime tria, quæ nec minùs utiliter, nec minùs opportunè, quàm Commentarius in quartum sententiarum, & opuscula contra expugnantes religionem & contra errores Græcorum, videntur auctoritates illas omnes, vel certè aliquas postulare, si quâ veritate nitantur.

Locus primus est in quæstionis 1. articulo X. cui titulus: *Utrum ad Summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare. Sed contrà est, quòd editio symboli facta est in Synodo generali: sed hujusmodi Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari, ut habetur in Decret. dist. 17. Ergo editio symboli ad auctoritatem*
Summi Pontificis pertinet. Respondeo dicendum, quòd sicut 5
suprà dictum est, nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in Decret. dist. 43.

unde & Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, *quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. ad Corinth. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest: ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia hujusmodi.*

Ad secundum dicendum, quòd prohibitio & sententia Synodi (Ephesinæ primæ) *se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Neque enim per hujusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam. Sic enim qualibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id, quod præcedens Synodus exposuerat propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cu-*
6 *jus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur.*

Alter est in quæst. XI. articulo II. cui titulus, *Utrum hæresis sit propriè circa ea quæ sunt fidei. Ad tertium dicendum, quod sicut Augustinus dicit, & habetur in decret. 24. quæst. 3. C. dixit Apost. si qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, utrum sic aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in summo Pontifice. Dicitur enim vigesima quarta quæst. 1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & Coepiscopos nonnisi ad Petrum, id est ad sui nominis auctoritatem referri debere. Contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. Unde dicit Hieronymus ad Damasum Papam: Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia &c.*

Tertius in quæstionis XXXIX, articulo 1. cui titulus: *Utrum schisma sit peccatum speciale. Respondeo dicendum.* Et quibusdam interiectis: *Et ideo propriè Schismatici dicuntur, qui propria sponte & intentione se ab*
7 *unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis, Nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem Ecclesiæ, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet in connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput, secundùm illud ad Coloss. 2. Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex, & ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

His tribus locis adjungo quartum, qui repetitur ex quolibeti IX. articulo X. ubi de Romano Pontifice homines pios in Sanctorum album referente agitur. In argumento, sed contrà: *Sicut tenemur credere, quod est in scriptura sacra, ita illud, quod est communiter per Ecclesiam determinatum. Unde hæreticus judicatur, qui sentit contra determinationem Conciliorum, ergo commune judicium Ecclesiæ erroneum esse non potest,* Mox in corpore articuli: *Dico ergo, quòd judicium eorum, qui præsunt Ecclesiæ, potest errare in quibusdam, si persona eorum tantùm restringantur, si vero consideretur divina providentia, quæ Ecclesiam suam Spiritu sancto dirigit, ut non erret, sicut ipse promisit Joannis 14. quòd Spiritus adveniens docebit omnem veritatem de necessariis scilicet ad salutem, certum est, quòd judicium Ecclesiæ universalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile est. Unde magis est standum sententiæ Papæ, ad* 8
quem pertinet determinare; quam in judicio profert, quàm quorumlibet sapientum hominum in scripturis opinioni. Et paullo pòst. *Canonizatio verò Sanctorum medium est inter hæc duo, quia tamen honor quem Sanctis exhibemus, quædam fidei professio est, quæ Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quòd nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare potest.*

Ecce tibi loca quatuor, in quibus firmamenti ac roboris non parum attulissent relata Cyrilli testimonia. Hæc rem decretorio stilo conficere quis negaret? prætermissionis causa quæ; nisi quòd Thomas factus consultior falsitatem suboluit, quam minus consultus olim subolere non potuerat? Audebitne aliquis Chrysostomo tribuere, quæ Thomas illi in opusculo contra Græcorum errores tribuit? Verba sunt: *Chrysostomus dicit ad consulta Bulgarorum ex persona Christi loquens: Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligas, quia ter me trepidus & timidus negasti. Nunc autem reductus, ne credant te fratres gratiam & clavium auctoritatem amisisse, quia amas me coram ipsis, id tibi jam confirmo, quod meum est plenum.* Hoc non urgeo, ne videar Thomæ facinus tam absurdum imponere. Cùm Bulgari Christianam susceperunt fidem, annus volvebatur octingentesimus quinquagesimus quintus, qui erat ab excessu Chrysostomi quadringentesimus trigesimus octavus. Sua est ætati cuique scribendi disputandique ratio. Cogitationes secundæ, quia sapientiores esse solent, anteponendæ sunt primis, non secundis primæ, nisi qui de beato Thoma pessimè mereri voluerit: Ut sine dubio meretur, dum pro relatis Cyrilli te-
stimoniis vadem illum accipit, & sponsorem appellat. 9
Magister absolvitur, & damnatur discipulus: qui hinc magistro facit injuriam, hinc sponte se erroris periculo exponit.

Cæterùm in quæstionis XI. articulo II. reperies, edendi symboli, & sanciendæ fidei jus *principaliter residere in summo Pontifice,* non propter certum atque indubitatum judicium, quo Pontifex seorsum ab Ecclesia vel Synodo valeat, sed propter auctoritatem convocandæ Synodi, in qua & symbolum editur & fides sancitur. Id collata inter se loca superiora, & nihil aliud objiciunt, si ex seipsis pensentur. Contradicentem involves, si Thomæ rationes ad dialecticorum regulas exigantur.

Verùm ad relata testimonia quod attinet, hæc tam non sunt, nec esse possunt apud Cyrillum, quàm non sunt nec esse possunt apud Virgilium, vel Hesiodum. Et primò quidem testimonium illud, quod ter aut quater apud Thomam repetitur, Thesaurorum liber II. non habet, ut habere dicitur in opusculo contra impugnantes religionem. Bellarminus hîc tenetur in libri II. de Rom. Pont. capite XV. ita scribens: *Quæ verba* (de quibus nunc agitur) *non habentur in libris Thesauri, qui nunc extant, sed citantur à beato Thoma in Opusculo contra Græcos, & à Gennadio scholario Græco auctore in libro de primatu Romani Pontificis. Constat autem multos libros Thesauri periisse. Nam citatur in VI. Synodo actione 10, liber 32. Thesauri Cyrilli, cùm non extent hoc tempore libri, nisi quatuordecim.* At verba quæ refert Bellarminus, ea Thomas scribit esse in libro II. Thesaurorum. Quò nunc effugiet Bellar-
minus, qui thesaurorum librum II. habuit? Præterea 10
auctor iste secum pugnat. Hoc enim in loco certa vult

esse

esse Cyrilli apud B. Thomam testimonia, quæ incerta sibi esse significat in Libri 1. de Sum. Pont. capite xxvi. *Cyrillus in Thesauro (si beato Thoma in opusculo contra Græcos credimus) sicut Christus, inquit, accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium*, & cætera, quæ superiùs relata sunt in pag. 11, & 111.

Sic verba hæc non extant in libro 11. Thesaurorum; nec deinde exstare possunt, quòd libri hujus argumentum & Cyrilli proprius tractandi modus prohibeant. Argumentum quidem libri hocce: *quòd ingenitum non sit substantia, sed substantiæ significativum*; Cyrilli proprius tractandi modus, quia Cyrillus operi suo semper insistit, nec unquam à proposito digreditur, vel amplificandis rebus indulget.

Tum Thesaurorum liber totus, qui assertionibus *τοῖς λόγοις* xxxv. constat, paginam nullam potest objicere, in qua quæ Thomas Cyrillo tribuit, locum habeant. Siquidem *de sancta & consubstantiali Trinitate* totus est, & in eo toto proponuntur & variè diluuntur objectiones, quibus Ariani, Eunomiani & alii id genus hæretici Trinitatem impetunt. His causis adductus facile credo, nec Bellarminum, nec alios qui relata apud Thomam Cyrilli testimonia vindicant, legisse unquam Thesaurorum codicem, quem laudarunt. Hunc codicem putarunt arcam esse veluti quandam maximam, quæ rebus cujuscumque generis repleretur.

Denique Gennadius seu Georgius Scholarius qui
11 Florentinæ Synodo interfuit, à quibusdam Latinis deceptus est, & forsan decipi voluit. Arcanam non revolvo historiam. Quidquid id est, Gennadius efficere non valet, ut Cyrillus in Thesaurorum libro scripserit, quod non scripsit.

Non moror Synodum VI. quæ Bellarmini consilio non prodest, sed nocet. Nam quæ in actione x. de Thesaurorum libro vel assertione non solùm xxxii. sed etiam de libro seu assertione xxiv. citantur, hæc ipsa prorsus apud Cyrillum occurrunt. Ergo inter Synodum & Thomam discrimen est, quòd synodus verè, Thomas falsò laudaverit Cyrillum. Quid ex eo Bellarminus & sectatores lucrantur?

Præterea quæ gesta sunt in Florentina Synodo, testimoniorum suppositionem validissimè confirmant. In sessione vii. fuit, qui palam dixerit: *Habemus, patres optimi, multas alias hac de re sententias, sed longè ante omnes Cyrilli in Thesauris. Elucet enim præcipuè Romani Pontificis auctoritas in scriptis Cyrilli.* Sed homo iste in sessione xxv. obmutuit, cùm loqui debuit etiam Stentore clamosior. Cyrilli Thesauros non aperuit, cùm aperiendi occasio sese obtulit. Nonne tunc vehemens & pugnax concertatio Romanos & Græcos diu tenuit, cùm faciendum fuit decretum fidei circa Romani Pontificis dignitatem? Cur quæso Romani Græcis non objecerunt Cyrillum, summæ apud eos auctoritatis Episcopum, qui plura Petro, & in Petro Petri successoribus, quàm Romani peterent, concedit? Cur Romani Græcis non objecerunt relata testimonia, quæ Græcis ad moram & tergiversationem aditum intercludunt omnem? Cur in præstandis illis testimoniis
12 non oppignerarunt Thomæ fidem? oppignerare non sunt ausi. Et primum quidem Græci Græca postulassent Cyrilli exemplaria: quis dedisset? & quis etiamnum ea daret, in quibus quæ Thomas habet, reperirentur? integrum Thesaurorum opus in lucem prodiit, ubi nec vola nec vestigium testimoniorum, quæ exhibuimus. Græci à Latinis sciscitati essent, quis relata testimonia è Græco vertisset in Latinum? an Thomas, vel alius? Nemo affirmasset vertisse Thomam, qui Græcè non intelligebat: si alius: quæsiissent quo tempore claruerat? an totum thesauri opus verterat, an eas tantùm partes, quas Beatus Thomas in suos jecit commentarios? Cur vertendo periodum imperfectam & mutilam reddiderat? *Ut membra maneamus, &c.* Certa quædam verba præcedentia cum insequentibus jungenda utique fuerant, ne Cyrillus vastè & hiulcè loqui videretur. Quæsiissent quoque, quosnam Cyrillus alloquatur per illud, *ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum?* Vel per illud: *Itaque fratres si Christum imitamur, ut ipsius omnes vocem ejus audiamus, manentes in Ecclesia Petri?* An alloquatur Ægypti, Orientis, vel occidentis Episcopos? quare sic alloquatur? quare in Thesaurorum opere res tam alienas tractet? quare Thomas non omnia, quæ ex Thesauris arcessit, unicuique Thesaurorum seu libro seu capiti, seu assertioni non consignet? quare hac in parte Synodum VI. non imitetur? quare in Thesauris extent, quæ Synodus VI. laudat, non extent, quæ Thomas?

Interea dum Latinorum nonnullus Græcis respon-
deat, quid Cyrillus de Petro, de Apostolis, de Petri 13
& Apostolorum successoribus tradiderit, breviter expono, & primùm de Petro.

In Thesaurorum assertione xxxiv. *Præcipuus Apostolorum Petrus ὁ τῶν ἀποστόλων πρόκριτος ad Ananiam loquitur.*

In libro 11. super Joannem: *Congrua similitudine Petrum à Petra vocari placuit, petra super quem fundaturus erat suam Ecclesiam.*

In libro ix. super eundem Joannem. *Ne ullus dixeris Petrum, qui primum inter cæteros locum tenebat, idcirco interrogavit, quod cæteris intelligentibus ipse forsan ignoraret, sed ei ut præcipuo primas loquendi ac liberè interrogandi partes concedit.*

In libro xii. super eundem Joannem, *Petrus sanctorum Apostolorum Princeps, τῶν ἁγίων μαθητῶν πρόκριτος.*

In libro ii. super Esaiam oratione i. *Quod autem divinus Petrus & ipsemet Paulus sapientissimus occidentalibus partibus occupatis Christum annuntiaverint, nemo est, qui ambigat.*

In libro iv. super Esaiam oratione ii. *Tu es Petrus & super hanc Petram, &c. Petram opinor vocans immotam fidem discipuli.*

Hæc de Petro: nunc de Apostolis, & successoribus Apostolorum Episcopis.

In libro ii. Glaphyrorum super Genes. ad illud: *Deus est judex aut judicium: præ se fert autem hic gloriosum atque admirabilem sanctorum Apostolorum Chorum, qui in principatum fidelium sunt constituti, & judicium consecuti, tribuente hoc ipsis Christo.*

In libro i. super Leviticum: *Divini discipuli Salva- 14
toris nostri mysteriis insignes habiti, neque sibi rapuerunt honorem, neque absque vocatione sese ingesserunt, sed potiùs delecti sunt ad munus Apostolicum, & ordinati, ut toti orbi sacra administrarent per salutarem prædicationem, hoc est, Christi Evangelium. Illustres enim & præclaros constituit eos magistros ille, qui Apostolis dixit, Euntes docete omnes gentes.*

In Libro quarto super Esaiam orat. ii. *Fundamenta proxima & viciniora nobis intelligi possunt Apostoli & Evangelistæ oculati testes, ministri sermonis, facti in confirmationem fidei.*

In Thesaurorum assertione xxiv. *Deus bona quæ adventus Salvatoris nostri esset allaturus, prænuntians, ita alicubi de suis gregibus scribit: Suscitabo ipsis pastores secundùm cor meum & pascent greges cum scientia. Paulus verò præco veritatis Ephesiorum senioribus scribens, Attendite, inquit, vobis ipsis & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos.*

In libro iii. de adoratione in spiritu & veritatis: *Dixit etiam certè Christus ejusdem David voce de terrà & de sanctis Apostolis: Ego firmavi columnas ejus: formati quippe sunt sancti Apostoli, qui supra terram eminent, cùm virtute ex alto, gratia nempe sunt sancti Spiritus induti: iidem etiam erant columnæ, eo quòd Christo conformes erant atque similes per gratiam sancti Spiritus.*

In libro iv. de eadem adoratione: *Ideòque scriptum reliquit ille Salvatoris nostri Discipulus: Nolite plures*

magistri fieri, fratres mei, scientes, quod majus judicium sumemus. In Episcopos igitur & eos, qui ordinibus prasunt, communis culpa confertur. Semper enim ferè princi-
15 *pum vigilantia fit, ut ii, qui parent, laudabiliter se gerant. Ideóque scriptum est populis, qui sub imperio erant, Obedite prapositis vestris & subjacete eis, ipsi enim vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri.*

In libro IV. de eadem adoratione sub finem: *In Christo patres multarum gentium & seminis innumerabilis ut Abraham in Isaac facti sunt. Quod autem hac de re dictum est à nobis, id non solùm priscis illis viris ac sanctis Apostolis tribuemus, sed ad eos quoque, qui post illos sacerdotale sunt officium sortiti & Ecclesia duces constituti.*

In libro X. de eadem adoratione: *Ecclesia ex gentibus veluti adificatores quosdam & spirituales artifices sanctos Apostolos constituit, dicens, Euntes docete &c.*

In libro XIII. de eadem adoratione: *Ceterum illi* (Levitæ) *Aaron in sacris operibus administri sanctum illum & admirabilem Apostolorum chorum significare poterunt. Dei namque cooperatores fuerunt & asservatores, dispensatoresque mysteriorum Dei, atque ministri etiam per quos credidimus. Quod siquis velit etiam Ecclesia ordinem perquirere, illam legis prafigurationem jure admirabitur. Episcopis enim, utpote qui duces creati sunt, necnon etiam iis, qui inferioris dignitatis gradum gerunt, Presbyteris inquam, concreditum est altare & qua intra velum continentur. Quibus etiam dici convenit, Et custodiens Sacerdotium suum.* Et quibusdam interpositis: *Igitur prastantiores quidem sacerdotale munus explent, sed Levita adjuvant: ita ut ordinem Ecclesiastici Sacerdotio legis litera pradicare videatur.*

16 In Apologetico ad Theodosium Imperatorem: *Ad eum ferè modum unusquisque sacerdotum, (quandoquidem speculator à Domino constitutus est) siquidem populis sua cura commissis malum, quod ladere solet, annuntiaverit, coronam hac vigilantia sibi conciliabit.* Et post alia: *Beati namque patres nostri cùm sacerdotium à Deo accepissent, hareticorum perversitati, suo quisque tempore, sese intrepidè opposuerunt, maximè verò impiorum Arianorum.*

In libro VI. in beatum Joannem: *Quod factum est in Apostolis Sanctis, & in Sanctarum Ecclesiarum post illos Doctoribus, quibus janitor aperit, hoc est, vel ordinatus Angelus ad prasidendum Ecclesiis, & opem ferendam iis, qui sacerdotium sortiti sunt ad populorum utilitatem: vel rursus, ipse Servator, ipse & janua & janua Dominus.* Et post alia: *Adjungens oves suis pastoribus obsequi, ab alienis verò resilire, rursus ingeniosè subindicat, eos nunquam prafuturos iis, qui credituri sunt in ipsum: contrà verò oves ab eorum doctrina refugiens, & pastoribus ab eo* (Christo) *datis adharebunt.* Et quibusdam interjectis: *Qui verò divinitus sibi concessa gubernacula susceperunt, atque ad ea capessenda per Christum venimus, summa cum auctoritate & gratia sacro praerunt ovili.*

In cap. III. Micheæ: *Sed aquius erat illos cogitare eversores fore potiùs, quamquam ad adificationem & emendationem constitutos velut nimirum & gregum prafectos, sacerdotesque & custodes legum à Deo lectos.*

In cap. IX. Zachariæ: *Evaserunt autem adeò clari & fulgentes tum divini Discipuli, tum pracones Evangelii Salvatoris, & qui eos secuti sunt populorum rectores, &*
17 *Prasides Ecclesiarum, ut claritudinem virtutis eorum nemo ignoraverit.*

In cap. XI. ejusdem Zachariæ: *Et inducam vos in Sion, & dabo vobis pastores secundùm cor meum, pascent vos pastores cum scientia. Quinam isti? Divini Discipuli, & Ecclesiarum suis quisque temporibus Prasides & rectores.*

In libro X. contra Julianum: *Quid in pejus traductum est ab eorum* (Apostolorum) *successoribus, quibus verbi vices à Deo demandata sunt?*

Quot sunt in singulis locis commata, tot argumenta, quibus relata apud Thomam Cyrilli testimonia Cyrillo penitus abjudicantur, & illorum vindicationi fortiter interceditur.

Nunc de Petri successoribus: Cyrillus in Epistola ad Juvenalem Hierosolymorum Episcopum: *Nestorius scripsit ad Romana Ecclesia Episcopum Celestinum, Dominum fratrem & comministrum meum συλλειτουργόν.* Ut Cyrillus Juvenalem in epistolæ titulo, *Dominum & comministrum suum*, sic & Celestinū in ipsa epistola, *Dominum & comministrum suum* nominat. Deinde in Epistola, quam & suo & Ephesinæ Synodi nomine ad Nestorium mittit, Celestinum semel atque iterum *fratrem & comministrum*, & semel *Coepiscopum nostrum* appellat. Tum demum in Epistola, quam & suo & Synodi illius nomine ad Constantinopolitanos Monachos dedit, Celestinum *fratrem & comministrum nostrum* vocat. Quæ igitur Cyrillus de Petro, de Apostolis, de successoribus Apostolorum Episcopis, de Petri successore Celestino scribit, ad demonstrandam relatorum testimoniorum falsitatem sufficerent, si opus esset.

Testimoniorum istiusmodi doctrina non minùs re- 18
pugnat Chrysostomo, qui annis tantùm quinque antequam Cyrillus crearetur Episcopus, vitam deposuit. Sic enim primùm in libro II. de Sacerdotio, ubi persuasurus Basilio, ut Episcopatum ad quem vocabatur, susciperet, hunc Joannis locum adducens, *Tum ostensurum*, inquit, *Basilium eximiam suam dilectionem in Christum, si pascat ejus gregem, cùm scriptum sit, si diligis, pasce oves meas.* Quod Petro dicitur, Basilio quoque dicitur.

Deinde in Homilia XXXI. de beato Philogonio Episcopo: *Quantum autem sit pietatis argumentum, quòd Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi; Christum excitatum à mortuis, quid dicat Petro, Petre amas me, isque respondisset, Tu Domine scis, quòd amo te: Si diligis me, pasce oves meas.* Et post alia: *Si quis voluerit illi commendatus esse, curam ovium habeat illius, publicam quarat utilitatem fratrum suorum.* Chrysostomus dicit, si quis voluerit Christo, non Petro, commendatus esse: iterum ait: curam habeat ovium, Christi, non Petri.

In Homilia LXXVIII. super caput XXIV. Matthæi: *Amas me Petre*, inquit, *pasce oves meas, cùm tertiò ipsum interrogasset, hoc amoris esse argumentum confirmavit, quòd non ad Sacerdotes solummodo dictum est, verum etiam ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus esse videtur, nec enim quia minimus est, negligi debet. Pater namque meus complacuit in ipsis, habet unusquisque nostrûm ovem, ad pinguia eam pascua ducat.* Hæc tam aperta sunt & perspicua, ut commentariis nullis indigeant. Ceterum Chrysostomus eo videtur
scripsisse consilio, ut ex iis quæ scripsit, relata testimo- 19
nia suppositionis accusarentur. Deinde non obscurè significat quomodo intelligendus sit ipsemet, cùm alibi de Petro & de ovibus Petro commissis simpliciter loquitur.

Sed ne sint hæc omnia, Romani Pontifices soli relatorum testimoniorum suppositionem ostenderent.

Celestinus in Epistolâ ad Joannem Antiochenum excludit particulas illas, quibus illa testimonia sedium aliarum consortium excludunt: *Sciat sanctitas tua, ejusmodi à nobis, vel ab ipso veriùs Christo Domino ac Deo nostro per nos sententiam in Nestorium latam esse: videlicet, Quòd nisi intra decem dies post acceptam monitionis nostra syngrapham enumerandos, sacrilegam de Christi ortu doctrinam scripta confessione damnaverit, eámque fidem in posterum se sectaturum promiserit, quam & Romanorum & Alexandrinorum & universa profitetur & servat Ecclesia, certò fore, ut ab Episcoporum Synodo exauctoretur.* Hoc idem penè repetit in Epistola ad Cyrillum. *Eam de Christi Dei nostri generatione fidem imposterum confessurum se spondeat, quam & Romana & tua sanctitatis Ecclesia & universa denique religio Christiana pradicat.*

Leo Cyrilli æqualis & superstes in sermone de anniversario assumptionis suæ: *Propter quod dicitur beatissimo Petro; Tibi dabo claves regni calorum, & quacumque ligaveris super terram, erunt ligata & in calis, & quacumque solveris super terram, erunt soluta & in*

calis. Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustra uni commendatur,
20 *quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur.* Nonne exclusivas testimoniorum particulas omnes funditus evertit?

Sed curiosè ac diligenter id notandum est, quod in Epistolæ LXIII. ad Theodoretum capite IV. ita scribit: *In nullo ab illis, quas Spiritus sancti divinitas in Chalcedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter utramque hostem, novella perfidia sermonem nostrum cum omni cautela libremus: non jam, quod absit, tanquam de dubiis disceptantes, sed auctoritate sua, quæ bene definita sunt, adstruentes, cùm in Apostolicæ Sedis Epistola, universalis sanctæ Synodi assensu firmata, tanta divinæ auctoritatis testimonia noverimus esse congesta, ut nullus queat ulteriùs dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit.* Et primum quidem non sibi soli, tametsi Chalcedonensi Concilio per Legatos præfuerit, sed ipsi Concilio tribuit, quòd illas, à quibus minimè recedendum sit, fidei regulas condiderit. Deinde non sibi soli, sed Concilio Sancti Spiritus auxilium in condendis fidei regulis adscribit. Tum demum asserere non veretur Apostolicæ Sedis Epistolam universalis Synodi assensu firmatam esse. Quo fit, ut nullus supersit de rebus in Epistola definitis ambigendi locus. Hæc autem tria quidquid in subjectis Cyrillo testimoniis astruitur, omnino destruunt.

Quid tibi proferam Siricium, qui ante Leonis & Cyrilli tempus non dubitavit ad Anysium & cæteros Illyrici Episcopos scribere, quæ sequuntur: *Accepi li-*
21 *teras vestras de Bonoso, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi; responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda; neque contra sententiam tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Epistolæ huic, quæ attribuebatur Ambrosio nec attribui jure poterat, Romæ nuper restituta est propria inscriptio. Et ut inscriptionis restitutio firmaretur ampliùs, Franciscus Cardinalis Barberinus librum, cui Epistola inseritur, Alexandro VII. postquam Raimundus Capisucchus sacri Palatii Magister de libro censuit, nuncupavit. Porro autem in hac E-
22 pistola quot periodi, quot versus, tot fulmina, quibus suppositæ Cyrillo auctoritates consumuntur. Satius est cum Hieronymo dicere: *Propositionum,* quæ Cyrillo affinguntur, *rivuli omnes uno Romanæ Ecclesiæ sole siccantur,* & alia multa recentiorum quorumdam Theologorum placita, quæ modò enumerare non licet, ultro se objiciunt intelligentibus.

Intereadum neque Siricio, neque Alexandro Septimo, cui in operis nuncupatione tribuuntur multa, quæ editionem vindicant, neque Francisco Cardinali Barberino, neque sacri Palatii Magistro subreptum vel obreptum esse notaveris, Siricii factum Petri & Pauli, qui Romanam fundarunt, & suo sanguine consecrarunt Ecclesiam, Lini, Cleti, Clementis, Anacleti, Evaristi, Alexandri, Sixti, Telesphori, Hygini & Pii traditione confirmabo. Res hæc sic se habet apud Epiphanium in hæresi XLII. quæ est Marcionistarum: *Marcion fuit genere Ponticus, parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Postea cùm virginem quandam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab spe vitæ cælestis illam juxta ac semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum Ecclesia ab ipso parente pulsus est, viro cum primis religioso ac veritatis amore flagrantissimo, & in hac Episcopalis muneris administratione præstanti. Cui cùm Marcion diu multùmque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset; hanc à patre precibus nullis obtinuit. Vehementem siquidem ex ea re dolorem optimus senex & Episcopus ceperat, quòd non ille solùm excidisset, sed & ignominiam sibi ac dedecus imposuisset. Ergo ubi se nullis artibus eblandiri posse, quod caperat, animadvertit, popularium suorum probra & ludibria non sustinens, clam ab oppido* 23
secessit, ac Romam post Hygini Papæ obitum sese contulit, qui à Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat. Eò statim ac pervenit Marcion ad seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti supererant; ut in communionem admitteretur, frustra ab iis petiit. Quamobrem exstimulatus invidia, quòd non principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad imposturas Cerdonis hæresim confugere in animum induxit. Tum ab ipso principio, ipsisque, ut ita dixerim, quæstionum foribus exorsus, presbyteris, qui tunc temporis erant, capus proponere. Cedo, inquit, quid hoc sibi vult; non mittunt novum vinum in utres veteres, neque commissuram panni rudis in vestimentum vetus, alioqui tollit plenitudinem, neque veteri congruet. Major enim scissura fit. Quod candidi & sanctissimi Dei Ecclesiæ presbyteri ac doctores audientes hunc in modum respondebant: Fili, Veteres illi utres nihil aliud sunt, quam Pharisæorum scribarúmque corda, quæ peccatis inveteraverant, nec Evangelii doctrinam admiserant, eodémque vetus illud vestimentum pertinet: Cujusmodi Judas extitit, qui in avaritia tanquam vetustate quadam obsoleverat, neque novi ac sanctissimi, cælestisque mysterii prædicationem accepit; tametsi ad XI. Apostolos esset aggregatus, & ab ipso Domino vocatus. Ex quo majorem scissuram, non alio, quàm ipsomet auctore sibi conscivit. Propterea quòd ejus animus caducis his opibus ac fastu, fluxáque hominum amicitia; ac spe, voluptatéque contemptis, nequaquam se cælestem ad spem, ac futurorum bonorum rationem accommodaverat. Ad hæc contradicere Marcion, ac longè secus id habere se dicere, pro eo, quòd admittere 24
sese detrectassent. Quare palam eos alloquens: Cur me, inquit, recipere noluistis: Respondere illi: [Nos injussu venerandi Patris tui facere illud non possumus. Una siquidem fides & animorum una consensio; neque contra spectatissimum collegam Patrem tuum quidquam moliri possumus.] Ecce tibi certissima, & recentissimo Martyrum cruore munitissima Sedis Apostolicæ traditio, quæ postea Nicænæ Synodi Canone V. asseritur, & digna insuper, quam retineat istud Catholicæ fidei professionis caput, *Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones firmissimè admitto & amplector.* Et sanè circumspicienti mihi quid impediat occurrit nihil, & si quid tibi solidum occurrat, traditionibus aliis non incommodum, nec paribus moris & tergiversationibus expositum, quando monueris, pergratum facies. Sed interim memorato Catholicæ fidei professionis capiti, quod plurali numero enunciatur, unam semper constare debere veritatem memineris. Verùm Apostolicæ Sedis traditio hæc Siricii manum ad conscribendam Epistolam tenuit & direxit.

Pius Pontifex I. & Romanus Clerus dicunt Marcioni: *Nos injussu venerandi Patris tui,* ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρός σου, *illud facere* communionem tibi dare *non possumus,* οὐ δυνάμεθα. Siricius scribit Illyrici Episcopis: *Cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judi-*

judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Pius & Romanus Clerus asseverant Marcioni: *Contra spectatissimum collegam patrem*
25 *tuum nihil quicquam moliri possumus.* οὐ δυνάμεθα ἐπιτίθεσθαι τῷ ἑαυτῶν συλλειτουργῷ πατρὶ δὲ σῷ. Siricius affirmat Illyrici Episcopis: *Vos totius Synodi vice decernite, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Mutatum quidem in verbis, sed utrobique nihil in doctrina mutatum. Hinc Apostolica illa traditio, & Siricii epistola, quæ Apostolicæ traditionis soboles est verissima, distinctiones frivolas, quæ in volatica dedolari & perpoliri solent academia, non reformidant. Mediolanensis, Capuensis, Ariminensis Episcopi non loquerentur aliter, quàm Pius I. Romanus Clerus & Siricius loquuntur. In summa nihil est quod sophistica fuligine dealbari valeat.

Quamobrem ut subjecta Cyrillo testimonia cum Apostolica traditione, quam Pius Pontifex & Romanus Clerus vindicant, stare non possunt, sic & eadem testimonia cum Siricii epistola cohærere nequeunt, & quia cohærere nequeunt, in rebus potissimùm, quæ ad Apostolicæ Sedis opportunitates spectare creduntur, supposita probantur. Id argumenta non quærit, & velis nolis, in communem hominum intelligentiam irrumpit.

Nunc quæreretur haud inutiliter, quo tempore relata testimonia Cyrillo subjecta fuerint. Post Nicolai I. & Leonis IX. tempus subjecta fuisse facilè mihi persuadeo. Nicolaus & Leo Græcis, quibuscum pugnarunt acriter, non objecerunt testimonia hæc, & quod est eorum ingenium, objecissent, seu quia non licuisset in testimoniorum veritatem inquirere, seu quia sibi ab incertis narrationibus non caveant. Leo auctoritatem Sedis suæ Constantini donatione confir-
26 mat, Nicolaus abdicatione Polychronii Hierosolymorum antistitis, quem fuisse nusquam norunt, qui de Ecclesiastica historia nonnihil degustarunt.

Testimoniorum suppostor & malleator non Græcus, sed Latinus fuit, & recentibus linguæ suæ idiotismis se prodidit: *In omni capitulo & synagoga: in omni electione & affirmatione: jure divino caput inclinant: primates mundi Petro tanquam ipsi Domino Jesu obediunt.* Quæ locutiones novitiolam apud Latinos paraturam sapiunt. Antiquitate Græca, Latina nulla se defendunt. Deinde quid sibi vult? *Pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota æternitas plenissimam dedit potestatem.* Theologi veteres non ita loquuntur. Tum verba hæc, *ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum*, & id genus alia suppostoris tempus & propositum important: tempus quidem, quo Græci à Latinis secesserant. Propositum verò, ut per Græcorum illustrium auctoritatem tollendo schismati consuleretur. Sed strophas & fucos hujusmodi Christiana non agnoscit religio. Hæc in veritate summa, & in eminentissima simplicitate consistit. Id opinor crediderunt plerique omnes, qui suppositis Cyrillo testimoniis usi sunt, & continuò decepti. Mihi non est animo mortalium ulli dicam malæ fidei scribere. Absit, ut in θεολογούντων jura invadam. Historicè loquor, & dissero. Amicus quidem Plato, sed veritas amicior.

Beatum Thomam primum omnium his testimoniis usum reperio. Mox quod ille uni Cyrillo tribuit, Urbanus IV. in Græcorum auctorum plurium censum
27 deputat in Epistola, quam ad Palæologum Imperatorem scribit anno M.CC.LXIII. Verba sunt: *Manentes sicut membra in eorum capite Apostolico scilicet throno Pontificum Romanorum, à quo quærendum est, quid sit tenendum, quidve credendum, cùm ejus sit reprehendere, statuere, ordinare, disponere, præcipere, solvere, & loco illius ligare, qui ædificavit illum, & quod nulli alii, sed ipsi soli, quod plenum est, tradidit & concessit. Huic etiam throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & primates mundi veram confitentes fidem tanquam ipsi Domino Jesu obediunt .˙.˙.˙. prout nonnullorum Sanctorum Patrum, tum Græcorum, quam aliorum scriptura veridica asseverant.* Hæc non tam sunt Urbani, quàm illius scribæ, qui relato apud Thomam Cyrilli testimonio, in quo aliena multa & peregrina videbat, detraxit quædam, & addidit alia, ut quæ citantur è Græcis Patribus, in mansuetiorem & tolerabiliorem auctoritatem erudirentur. Et tamen adornata illa verborum, ut se habet, complexio, apud Græcos Patres reperitur nusquam. Hoc ut animadvertam, exigit veritas, *cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum.* Tertullianus in libri de velandis Virginibus capite 1.

Joannem Montesonum usum esse colligo ex tractatu, quem Petrus Alliacus tunc Navarrici Collegii Magister, Theologicæ Facultatis nomine adversus illum edidit. Adscribo verba e responsione ad objecta Joannis Montesoni: *Tertiò dicendum est, quòd illud, quod dictus frater ad suæ appellationis fundamentum principaliter assumit, scilicet, quòd solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare & reprobare. Et iterum, quòd eorum,*
28 *quæ tangunt fidem, ad solum Summum Pontificem pertinet examinatio & decisio. Hoc, inquam, continet manifestam hæresim, & est dictum sibi ipsi repugnans & contrarium: & ideò propter hoc solum, si nihil aliud erroneum dixisset, Romana Ecclesia ipsum deberet cogere ad revocandum.*

PRIMA RATIO.

Et istud declaratur 1. supponendo, quid sit Sedes Apostolica. Nam ipsa vel est universalis Ecclesia, vel aliquod generale Collegium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia Romana, in qua scilicet Ecclesia sedet, id est, cui præsidet Summus Pontifex, & ideo ipse & Sedes Apostolica non sunt idem, sicut non sunt idem sedes & sedens. Ex quibus clarè patet, si ad solam Sedem Apostolicam pertinet circa fidem declarare vel reprobare, quòd ad solum Summum Pontificem hoc non pertinet. Et è contrà si ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ sunt fidei, examinatio & decisio, hoc ad solam Sedem Apostolicam non pertinet, quod in illo dicto est manifesta repugnantia.

SECUNDA RATIO.

Item hoc tertium dictum manifestè repugnat primo dicto, ubi asserit, quòd Stephanus Episcopus Parisiensis & Facultas Theologiæ approbaverunt doctrinam Sancti Thomæ. Ex quo sequitur, quòd nec ad solam Sedem Apostolicam, nec ad solum Summum Pontificem pertinet, eorum quæ sunt fidei declaratio, decisio, vel approbatio.

TERTIA RATIO.

Item secunda pars illius dicti scilicet, quòd ad solum
29 *Summum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio & decisio continet manifestam hæresim, imò multas hæreses.*

PRIMA HÆRESIS.

Primò, quia per illam exclusionem excluditur universalis Ecclesia, & generale Concilium eam repræsentans, quod est hæreticum, quia in causis fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium, sicut patet 19. dist. cap. Anastasius: & manifestum est, quod ad ipsum pertinet Concilium in causis fidei definire, sicut patet ex auctoritate Gregorii 15. dist. capitulo Sicut.

SECUNDA HÆRESIS.

Secundò, per illud excluditur Sedes Apostolica, ut dictum est, quod est contra ipsum, & est manifestè hæreticum.

TERTIA HÆRESIS.

Tertiò, excluduntur Episcopi Catholici ab omnimoda cognitione, examinatione & decisione eorum, quæ sunt fidei, quod est contra jus tam divinum, quàm humanum, sicut clarè patet ex 2. conclusione.

Porrò

Porrò autem ad ea, quæ in hæresi prima dicuntur, spectare possunt, quæ suprà in eodem tractatu articulo I. conclus. VI. de Facultate Theologiæ, & Joanne XXII. narrantur. *Item prædicta Facultas hoc licitè potuit contra Summum Pontificem, igitur a fortiori contra suum subditum, & inferiorem* (illius errores doctrinaliter reprobare) *Assumptum patuit Joannis XXII. tempore, qui sicut refert Magister Nicolaus de Lyra in tractatu suo de visione beatifica, ferè quadraginta dictæ Facultatis Magistri concorditer determinarunt contrarium illius, quod Papa publicè asserebat. Et simile fecit dictus Magister, & similiter contra eum pulchrè scripsit Magister Gulielmus Okam, ut patet in ejus dialogo. Quæ omnia quoad hoc fuerunt reputata licitè facta, sicut
30 apparuit tempore Benedicti XII. illius successoris.* Hæc ex manuscripto Collegii Navarrici codice, cujus compendium aliquod vel potius dispendium extat sub finem Magistri Sententiarum.

Tunc Philippus Valesius Rex Galliæ cùm Parisiensium Theologorum definitione (tanta erat nostrorum auctoritas) munitum se sentiret, Joanni XXII. minaces scripsit literas in quibus habentur verba hæc: *Qu'il se revoquast, ou qu'il le feroit ardre.* Id est: *Ut errorem suum revocaret, alioquin ipsum igni tradendum curaret.* Petrus Alliacus jam Cameracensis Episcopus id an. M. CCCC. VI. notavit in certa quadam oratione, quæ in Bibliotheca S. Victoris asservatur manuscripta, & sic incipit: *Pax Dei, exuperat omnem sensum.* Pontifex Regi paruit, errorem revocavit suum, & Ecclesiæ Matri suæ ac Dominæ se subjecit: Revocationis & subjectionis libellus extat apud Odoricum Raynaldum in tomo XV. Ecclesiasticorum Annalium, ad annum M. CCC. XXXIV. num. XXVIII. *Ne quis*, inquit, *sinistrè interpretari possit, nos sensisse aliquid, aut sentire, quod sacra Scriptura obviet, aut fidei orthodoxæ, dicimus & protestamur expressè, quòd quidquid in quæstione, seu materia visionis animarum; videlicet, an anima à peccatis & pœnis peccatorum purgata videant divinam essentiam illa visione, quam Apostolus vocat facialem, seu in quacunque alia materia in sermonibus & collationibus nostris diximus, allegavimus, seu proposuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere seu credere, quod esset quovis modo Scripturæ
31 sacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ, sed illud solùm tenere & credere, quod & Scriptura sacra potest & poterat Catholicæ fidei convenire: Et si forsan in prædictis sermonibus vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ sacræ, seu fidei orthodoxæ quovis modo essent, vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem à nobis fuisse prolata dicimus & asserimus, eáque revocamus expressè, non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum.* Hic concordat antiquæ fidei formulæ, quæ Clementis IV. & Joannis XXI. temporibus præscripta est Græcis apud eundem Raynaldum. Hæc autem fidei formula sic se habet. *Et quidem credimus sanctam Trinitatem*, & cætera quibus symbolum Ecclesiæ paullo latiùs explicatur, eóque explicato subjicitur: *Hæc est vera fides Catholica, & hanc super dictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia: Sed & propter diversos errores à quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos dicit & prædicat eos qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum.* Et quibusdam interjectis. *Illas igitur animas, quæ post suum baptisma nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post peccati maculam contractam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ prout superiùs dictum est, fuerunt purgatæ, mox in cælum recipi.* Apud Raynaldum ad annum M. CC. LXVII.

Montesonus anno M. CCC. LXXXVII. ab Episcopo & Theologis Parisiensibus, ut à judicibus non legitimis appellavit ad Clementem VII. quem pro
32 vero Pontifice habebat Gallia. Fundamentum appellationis verba sunt ipsa, quæ apud Thomam Cyrillo appinguntur. Id mutua satis superque docet contentio. Jam igitur vides supposita testimonia effecisse, ut homo reus Episcopi & Theologorum Parisiensium jurisdictionem declinaverit; perinde ac si Episcopus & Theologi Parisienses auctoritate caruissent omni.

Sed prætermittere non possum Jacobum Vernantium aliàs & verè Naureum Carmelitam, qui relatis apud S. Thomam Cyrilli testimoniis confisus nuper in Ecclesiasticam Hierarchiam atrociter invasit, primi & secundi ordinis sacerdotum dignitatem, munera & jura pessumdedit, & veteres illos instauravit errores, quos Facultas nostra suis in Joannem Gorellum Minoritam anno M. CCCC. VIII. in Joannem Saracenum Prædicatorem anno M. CCCC. XXIX. in Nicolaum Quadrigarium Augustinianum Eremitam anno M. CCCC. XLII. in Joannem Angelium Minoritam anno M. CCCC. LXXXII. in Claudium Cusinum Prædicatorem anno M. D. XVI. decretis aliàs confixit: Quos etiam Gallicana prædamnavit Ecclesia, ut facilè colligitur ex Caroli Cardinalis Lotharingii commonitorio, quod ad Joannem Britonem Secretarium Romæ degentem misit anno M. D. LIII. XIX. Calend. Febr. Verba sunt Gallica quidem, quæ alio in loco Latinè interpretatus sum. Hic brevitatis gratiâ Latinam tantùm refero interpretationam, quæ talis est: *Nunc superest titulorum ultimus, è Florentina Synodo deprompius, quem beatissimo Patri nostro tribuere volunt. Ego verò negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus.* IN QUA R. PONTIFICEM 33
SUBESSE CONCILIO TENETUR, ET QUI DOCENT IBI CONTRARIUM, II TANQUAM HÆRETICI NOTANTUR. *Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus partibus suis generale habetur, Basileense in auctoritatem admittitur; Florentinum perinde ac nec legitimum nec generale repudiatur. Atque ideircò Galli de vita potiùs, quàm de sententia decederent. Hæc autem omnia cùm ita sint, me ad sanctitatis suæ pedes projicio, & ei per viscera misericordiæ Dei nostri supplicò, ut impræsentiarum verba hujusmodi omnia & concertationes hujusmodi mittantur. Afflicto regno non est danda afflictio: Hæretici jam satis offensi sunt: Catholici reguntur ac ducuntur omnes à Theologis, qui clamores usque in cælum tollent.* PRIVILEGIA SEU LIBERTATES REGNI IN HAC VERITATE POSITÆ SUNT UNIVERSÆ, *& eam ob causam disputatio hujusmodi si fiat, tota ad subversionem audientium convertetur, Regnum separabitur, ac distrahetur; quod erit commune ac summum illius exitium. Nam credere faturum esse vel unum antistitem, qui huic consentiat, insanum esset.* O Romanam & melioris ævi constantiam!

Hìc gradum sisto, nec persequor alia mala, quæ supposita illa testimonia in sacræ doctrinæ scholas invexerunt. Sufficit malorum indicasse fontes, & unà statuisse, quæcumque his superstruuntur testimoniis, ruinoso & malè materiato fundamento superstrui; Apostolicæ Sedis dignitati obesse posse, prodesse non posse, quia veritas non eget hominum mendacio. Baronius, quem nemo nescit opportunitatum Sedis hujus assertorem esse cupidissimum, & ubicumque & quomo- 34
documque corrogare, quæ illius amplitudini, commodis, honori inserviunt, de relatis testimoniis omnibus silet: Contempsit illa potiùs, quàm non vidit. Atque istud cùm observo, etiamsi nihil observarem aliud, testimoniorum vanitatem mihi viderer demonstrasse. Jacobo Cardinali Perronio in Responsione ad Regem Britanniæ occasio non defuit faciendi, quod non fecit Baronius: Sed vir prudens & attentus facere quoque neglexit, cùm de retinenda & ornanda Pontificis Summi dignitate vel maximè cogitaret.

Hæc habui, quibus in plura conferrem, quæ aliàs in pauca contuleram. Sed vereor ne nimia dixerim,

&

& rursus γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui hæc ad te. Fateor me de Græcis locutum peccasse in eorum proverbium. Sed præterquam quod ut peccarem fecisti, peccatum fatenti venia facilis concedetur. Erit verecundiæ meæ non mediocre solatium, si alii aliud nihil querantur. Si tamen meritò querantur, invenient Theologum, qui se dicto citiùs corriget, & correctori suo, ut amico & benefactori gratias aget quamplurimas. Fortassis norunt id quod in præfatione Thesauri sui scribit Cyrillus, δυσεύρετον τῆς ἀληθείας τὸ χρῆμα, & id quod sibi sumit Augustinus, & quod facio meum: *Nunquam errari tutiùs existimo, quàm cùm in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falsitatis erratur. Qui enim severè reprehendunt, hoc nimiam dicunt esse. Ipsa autem veritas fortasse adhuc dicat, nondum est satis.* Vale Lutetiæ Cal. Maiis anno M. DC. LXIV.

Joannes Launoius

Eidem

ANTONIO FAURO.

1 ELEGANS est inprimis & præclarus, ut à Bellarmino citari dicis, locus ille, quem adhuc in sua Catena beatus Thomas Cyrillo Alexandrino tribuit, & ita refert ad caput XVI. Matthæi: *Cyrillus in libris Thesauri. Secundùm autem hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticáque circumventione manet immaculata super omnes præpositos & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum & populorum in suis pontificibus in fide plenissima, & auctoritate Petri, & cùm aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum, & nos necessario salutis non decepti superbia, neque vino superbiæ inebriati typum veritatis, & sanctæ Apostolicæ traditionis unà cum ipsa profitemur, & prædicamus.* Tuo non contentus judicio, meum circa hoc testimonium exigis, quasi tuum tibi non sufficeret, & præ tuo meum esset pretii nonnullius. Meum igitur, quia postulas, interpono judicium, sed ea lege, ut tuo postponatur, si tuum à meo dissideat.

I. Elegans quidem & præclarus est locus, ut à Ballarmino citatur in libri IV. de Rom. Pont. capite III. sed non integer citatur. *Cyrillus*, inquit, *apud D. Thomàm in Catena hujus loci* (Matth. XVI.) *secundùm hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione & hæretica circumventione manet immaculata, &c.* Sic per & cætera supprimit testimonii re-
2 siduum, quod sensu & legitima constructione careret, quod à vero in tantum abhorret, in quantum abhorrere potest. Bellarminus falsitatem subolfecit, sed ne alii subolfacerent, vi testimonio allatâ cavendum esse censuit. Indigebat prima parte testimonii, ut quod lemma sibi sumpserat, confirmaret. Hoc observasse, reperitum è Sancti Thomæ Catena testimonium cum fide Bellarmini profligasse est.

II. Qui locum hunc beato Cyrillo supposuit, quò faciliùs supponeret, & Sancti Thomæ credulitate abuteretur, & per Thomam cæterorum, relatum locum Thesauri libris transcripsit: Suppostor Thesauri libros putavit eum esse fundum, cui excellentissima & pretiosissima quæque transcribi possent impunè. Quotus enim hominum simplicium quisque est, qui cùm laudatum in libris Thesauri Cyrillum aspicit, non statim in rem laudatam consentiat, & maximè si res laudata ut hìc accidit, præjudicatæ opinioni serviat. Nam animus jam aliqua opinione occupatus, sibi omnia concinere, ut optat ita & reetur.

III. Editi sunt à Cyrillo eruditi & ingentes in multos veteris Testamenti libros, & in Joannis Evangelium commentarii, qui non habuerunt fata hæc, ut eos suppostor vultu meliore respiceret. His enim commentariis de auctoritate falsa non accommodavit. Fatorum genus hoc reservabatur Thesauri libris, ut in eos falsa testimonia inferrentur: Illata sunt, ut constat ex beati Thomæ commentariis in quartum Sent. dist. XXIV. quæst. III. art. II. ex libro contra impugnantes religionem, ex Catena Patrum, atque ex opusculo contra Græcorum errores.

IV. Indistinctè tamen ac promiscuè illata sunt, quo fraus agnoscatur difficiliùs: Sic enim apud Sanctum Thomam in Catena: *Cyrillus in libris Thesauri*; *in opusculo contra Græcorum errores* semel iterum & ter- 3
tio: Semel quidem, *dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Thesaurorum*: Iterum verò: *Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum*: Tertiò denique; *dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum.* Librum contra impugnantes religionem prætereo. Quia Bellarminus non videtur eum legendo percurrisse. Phrasis prior significat, Thesauri libros fuisse complures, phrasis posterior, Thesaurorum librum fuisse unum. Bellarminus hoc tacitum tanquam mysterium tenuit, & dissimulanter phrasim priorem recepit in Catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis, cùm Cyrilli opera recenset, & recensione facta per certas quasdam observationes notat; quid de unoquoque opere sibi videatur. Ad propositum est observatio sexta hæc: *Thesaurus creditur esse imperfectus. Multa enim citantur à Sancto Thoma in opusculo de erroribus Græcorum ex Thesauro Cyrilli, quæ in his libris* (XIV) *non inveniuntur.* Totidem antè numeraverat. Hoc judicium est hominis, qui in aqua, ut aiunt, turbida piscatur, & lucrum undecumque captat. Et revera non tam veritati consulit, quàm citatis à se cùm ex Catena, tum ex opusculo contra Græcorum errores testimoniis, quæ Cyrillo tribuit, dum ait in libri I. de Rom. Pont. capite XXVI. *Cyrillus in Thesauro.* Iterum in libri II. de eodem Rom. Pont. capite XV. *Cyrillus in libro Thesauri.* Ubi & ea interpolat, quæ Sanctus Thomas beato Cyrillo adscribit: Sic enim Thomas tribus in locis: *Ut membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum.* Bellarminus verò ibi. *Debe-* 4
mus nos, ut qui membra sumus capitis nostro Romano Pontifici & Apostolicæ Sedi adhærere. Ex continuo: *Quæ verba non habentur in libris Thesauri, qui nunc extant, sed citantur à beato Thoma in opusculo contra Græcos. Constat autem multos Thesauri libros periisse. Nam citatur à sexta Synodo actione X. liber 32. Thesauri Cyrilli, cùm non extent hoc tempore libri nisi quatuordecim.* Non verò ait in libro vel libris Thesaurorum. Sed ubique sponsorem sibi vindicat beatum Thomam, qui in libri contra impugnantes religionem capite III. cum laudet Cyrillum in libro II. Thesaurorum, & suum & Ballarmini collum in laqueum inserit. Nam quæ

quæ ibi Thomas è libro II. Thesauri refert, & Bellarminus ex opusculo Thomæ contra Græcos, neque in eodem libro II. neque in libris XIV. qui Bellarmini ætate extabant tantùm, neque in libris XXXV. qui nostra extant Græcè & Latinè, reperiuntur. *Argumentum* & oppositio hæc est, quæ nunquam diluetur, quæ adversus Thomam, Bellarminum & eos sectatores cuncta decernit, quæ subjectas Cyrillo auctoritates in oculis, conspectùque omnium exponit.

V. Cyrillus, opinor, non diceret res à suo tempore tam alienas, quàm quæ possunt esse alienissimæ. Dicerétne, quod *Ecclesia Apostolica Petri, in fide plenissima & auctoritate Petri stabilita inquassabiliter ipsa sola regnet?* Hoc si diceret, pugnaret secum. Alexandrinâ Cyrilli Ecclesiâ quid fieret? Si sola regnabat Ecclesia Romana, jam Alexandrina perierat & eo periisset cer-
5 tiùs, quòd id Cyrillus Alexandrinus Episcopus testaretur.

Falluntur ergo Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, cùm anno CCCLXXX. Constantinopolitanis edicunt, eam amplectendam esse religionem, quam Damasus Romanus, & Petrus Alexandrinus prædicant & sequuntur: *Cunctos*, inquiunt, *populos, quos clementia nostra regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat, quámque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandria Episcopum, virum Apostolica sanctitatis.* In Theod. Cod. lib. XVI. tit. II.

Falluntur iterum Imperatores iidem & graviùs quàm antea, cùm insequenti anno Catholicos ab hæreticis secernunt, Romanæ Ecclesiæ mentione nullâ factâ. Sic se res habet in rescripto ad Auxonium proconsulem Asiæ: *Episcopis tradi omnes Ecclesias mox jubemus, qui unius majestatis atque virtutis, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum confitentur ejusdem gloria, claritatis unius, nihil dissonum profana divisione facientes: Sed Trinitatis ordinem, personarum adsertionem & divinitatis unitatem, quos constabit communione Nectarii Episcopi Constantinopolitana Ecclesia, Timothei, necnon intra Ægyptum Alexandrina urbis Episcopos esse sociatos: Quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi in Asia, necnon Proconsulari, atque Asiana Diœcesi, Amphilochio Episcopo Iconiensi, & Optimo Episcopo Antiocheno in Pontica Diœcesi, Helladio Episcopo Cæsariensi, & Otreio Meli-*
6 *teno, & Gregorio Episcopo Nysseno, Terentio Episcopo Scythia, Marmario Episcopo Marcianopolitano communicare constiterit, hos ad obtinendas Catholicas Ecclesias ex communione & consortio probabilium sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem, qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fide communionis dissentiunt, ut manifestos hæreticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum Pontificium facultatémque permitti, ut vera ac Nicæna fidei sacerdotia casta permaneant, nec post evidentem præcepti nostri formam malignæ locus detur astutia.* In ejusdem Cod. libro XVI. tit. III.

Fallitur beatus Hieronymus Cyrillo æqualis, qui fidem ut in Romana, sic & in Alexandrina Ecclesia regnantem appellat, & se ab hæreticis hoc pacto distinguit in Epistola, quam ad Marcum Celedensem presbyterum scribit: *Hæreticus vocor, homousion prædicans Trinitatem: Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes, veras, integras, perfectásque personas indefessa voce pronuncians. Si ab Arianis meritò, si ab orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desierunt; Aut si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum Damaso, Petróque condemnent.*

Fallitur Celestinus Romanus Pontifex, Cyrillo itidem æqualis, cùm Nestorio præscribit eam esse tenendam fidem, QUAM ROMANA ET ALEXANDRINA ET UNIVERSALIS TENET ECCLESIA. Sic enim ea de re scribit ad Cyrillum: *Eam de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam Romana & tua sanctitatis Ecclesia, & universa denique religio Christiana prædicat.*

Ad hæc autem omnia respectum non habuit, qui 7
Cyrillo apud sanctum Doctorem relatum subjecit testimonium. Is, opinor, nisi fidem cum fronte amisisset, *Apostolicam Ecclesiam Petri in fide plenissima & auctoritate Petri stabilitam inquassabiliter ipsam solam regnare*, dixisset nunquam.

VI. Nunc Celestinum ab aliis separo, & præ me fero, illum unicum ad demonstrandam testimonii suppositionem non satis modò, sed abundè etiam esse; sufficere plusquam. Aqua enim & ignis inter se conjungerentur faciliùs, quàm suppositum Cyrillo testimonium, & edenda à Nestorio fidei confessio, quam Celestinus præscribit. Aut suppositum est testimonium, quod apud Thomam Cyrillo appingitur, aut supposita est Epistola, quam Celestinus ad Cyrillum scribit. Inter utrumque nihil est vel potest esse intermedium: At supposita non est Celestini ad Cyrillum Epistola, quæ actis Ephesinæ Synodi illigatur, quæ Græcè & Latinè extat, cùm in iisdem actis, tum inter Cyrilli Epistolas.

VII. Redeo ad Bellarminum propter eos, qui causarentur, illum per unum *&c.* ideo suppressisse, quod suppressit residuum testimonii, quia eo ad probandam assertionem suam minime indigebat. At illi non tam causarentur, quàm cavillarentur: hæc enim, *super omnes præpositos & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum & populorum in suis Pontificibus in fide plenissima & auctoritate Petri, & cùm alia Ecclesia quorundam errore sint verecundata, stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum*, quæ consequuntur proximè, illustri- 8
orem ac firmiorem reddunt assertionem, qua Bellarminus Romanum Pontificem errare definiendo non posse proposuerat: Deinde his verbis non utitur in libri II. de Conciliis capite XV. XVI. & XVII. ut eundem Pontificem supra Ecclesiam & supra Concilia extollat. Et si quis adferret, ex relatis verbis rationem sat firmam colligi non posse, id quidem verum esse responderem, sed omnino contenderem, futuram esse firmiorem argumentis omnibus, quæ ex Sinuessani Concilii, ex Romani sub Silvestro Concilii, ex Calchedonensis Synodi, ex Lateranensis Concilii, sub Alexandro III. ex Leonis I. Gelasii I. Gregorii I. Nicolai I. Paschalis II. Innocentii III. auctoritate depromit. Itaque cùm Bellarminus residuo testimonii non utitur, cùm uti debuit, & quia noverat, potuit, illud sciens & prudens rejecit, veritúsque est, ne si Camarinam illam moveret, detegendæ fraudis ad uniuscujusque pectus advolantis occasionem præberet.

VIII. Verba hæc, *primates Ecclesiarum & populo-* 1
rum, ad Cyrilli stylum quid pertinent? In usu non sunt apud Cyrillum, nec apud vetustiores Græcos Patres, immò nec apud Romanos Pontifices, Celestinum, Bonifacium, Zosimum, Innocentium, Anastasium, Siricium, Damasum, Liberium, Iulium. In usu sunt apud Isidorum Mercatorem, qui primis Romanis Pontificibus epistolas subjecit: hoc notum est iis qui adulterina monumenta hæc legerunt.

IX. Quid sibi volunt opicæ & barbaræ locutiones istæ? *Cùm alia Ecclesia quorundam errore sint verecundata?* Item: *Et nos necessario salutis non decepti super-* 9
bia, neque vino superbia inebriati? Quis res tam absurdè scriptas absque injuria Cyrillo tribueret? Impostor nesciebat enucleatum prorsus & limatum dicendi genus esse, quo Cyrillus utitur. Mitto ἐπίρρημα illud *inquassabiliter*, quo velut Herculis clavâ monstrum quamlibet immane perimeretur.

X. Joannes Nicolaius Dominicani Ordinis & Theo-

logiæ Professor, qui Thomæ Catenam anno M.DC. XVII. Parisiis curavit imprimi, cùm videret omnia hæc, in margine notavit: *Verecundata, seu deturpata ac infamata, sed quid quod sequitur, & nos necessario salutis non decepti superbia &c. divinare non licet? An decepti superbia salutis, id est, præsumptione, an salutis necessario, id est, necessitate confitemur? An mutata sunt quædam, quæ sensum turbant? Nec recurri ad fontem potest, cùm in libris Thesauri, qui nunc extant, nihil tale reperiatur, seu Latinè, seu Græcè; adeóque aliquos excidisse conjectura sit, ut Bellarminus tract. de Scriptoribus notat.* Ut omittatur glossa, quæ nisi textu pejor sit, certè melior non est, ad fontem recurri facilè posse dico. Nunc integer habetur Cyrilli Thesaurus, qui τοῖς λόγοις XXXV. constat. Varii variè interpretantur τὸ λόγος. Leo II. in Synodi VI. ubi Thesaurus non semel allegatur, versione, nunc capitula, nunc libros; Georgius Trapezuntius Cyrilli interpres vetus, librum I. II. III. &c. Thesauri, Joannes Aubertus Interpres novissimus, assertiones. Quidquid id est, de archetypo quod suppetit, censetur. Bellarminus notare potuit, quod notavit: Nicolaius non potuit. Bellarmini tempore publicati tantùm erant Thesauri
10 libri quatuordecim, Nicolaii verò triginta quinque: Sed cum Nicolaius in Thesauri libris, qui suo extant tempore, nil tale reperiri seu Græcè, seu Latinè dicit, rectè dicit. Dixisset adhuc rectiùs, si nil tale reperiri posse addidisset; Si quæ Cyrillus de Petro, de Petri successoribus, de Apostolis, & de Episcopis Apostolorum successoribus docuit, inspexisset vel leviter; si tandem Ecclesiæ statum, qui tunc erat, contemplari dignatus esset. Nempè & sancti Thomæ fidem liberare & tenerè adamatum testimonium beato Cyrillo asserere voluit: Sed neutrum fieri potest, si potiora esse jura veritatis, quàm hominis cujuscunque intelligat.

XI. Qua ætate Cyrillus floruit, affirmari non potuit, *Petri Ecclesiam ab omni seductione, hæreticáque circumventione manere immaculatam in suis Pontificibus in fide plenissima*; affirmari inquam non potuit, ut ex iis quæ de Liberio in Epistola ad Raimundum Formentinum observavimus, perspicuum est. Adjicio Hilarium Liberii æqualem, qui in fragmentis à Pithœo editis anathema denuntiat Liberio, & verè denuntiare se in libro, quem adversus Constantium Imperatorem scripsit, ita confirmat. *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum: & ô te miserum, qui, nescio, majore impietate relegaveris, quàm remiseris:* Siquidem ex urbe Liberium relegaverat Catholicum Episcopum, in urbem Liberium remiserat hæreticum Episcopum. Adjicio Athanasium in Epistola ad Solitarios: *Liberius deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minísque mortis ad subscriptionem inductus est. Verùm illud ipsum quoque & eorum violentiam, & Liberii in hæresim odium, & suum
11 pro Athanasio suffragium, cùm liberos affectus habebat, satis coarguit.* Liberius excusatione qualicumque hac non egeret, *Si Romana Ecclesia in illo Pontifice immaculata mansisset in fide plenissima.* Sed omnes sciunt eum damnare, qui liberat. Philostorgius non aliter de Liberio, quàm Hilarius, & Athanasius, scribit in libri IV. hist. capite III. Cùm ait, *Liberium contra ὁμοούσιον & contra Athanasium subscripsisse.* Hæc autem ratio cùm se totam in unum conglobavit, quis ei resisteret, & relatum à B. Thoma testimonium propugnaret?

XII. *Romanæ Ecclesia in Felice Pontifice,* qui in Liberii exulis locum suffectus est, *immaculata non mansit in fide plenissima, nec silentium imposuit, nec omnium obturavit ora hæreticorum,* ut Athanasius Cyrilli decessor in memorata jam Epistola testatur: *Hoc ministro* (Epicteto) *meus* (Constantius) *incredibile facinus designavit, & quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi, & jure comitiorum tres eunuchos præsentes esse jusserit, tresque item κακοήθεις ὑποκριτὰς, malis moribus imbutos exploratores, (non eos Episcopos dixeris) ut ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum pravitate non permisere eos Ecclesiam intrare, proculque ab iis recesserunt.*

Socrates in libri II. hist. cap. XXX. *Principio igitur Liberius Episcopus Romanus simul ac se illi fidei assentire denegaverat, ab Ursacio in exilium ejectus est, & Felix Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Arianæque sectæ* 12
addictus, per vim & violentiam ab eodem Ursacio ad eum dignitatis gradum delectus.

Theodoretus & Sozomenus quanquam rem aliter narrant, instituto tamen nostro convenienter satis: Ille in libri II. hist. capite XVII. *Successum est Liberio à fideli quodam illius Diacono nomine Felice, qui tametsi fidem in Concilio Nicæno expositam ipse servavit integram, tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, liberè communicavit: ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.* Hic in libri IV. hist. capite X. *Itaque hac de causa Liberius Ecclesiæ Romanæ Episcopatu privatus est. Cui præficitur Felix illius cleri Diaconus, quem aiunt fidei Concilii Nicæni semper consensisse, & omnino quantum pertinebat ad religionem, reprehensione caruisse, atque ob id in crimen vocatum esse, quòd non modò Arianos ministros Ecclesiæ ordinaret, verumetiam quòd eorum communione uteretur.* Theodoretus & Sozomenus in eo conveniunt, quòd Liberius Arianorum communione usus & pollutus fuerit; in eo verò, quod ad religionem pertinet, non conveniunt. Sozomenus affirmatè non scribit, quod Theodoretus affirmatè scribit. Sozomenus id rumori tribuit, quod Theodoretus non tribuit. Quidquid id est, Romana Ecclesia secundùm illorum narrationem, *in Felice immaculata non mansit in fide plenissima, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum*; ut perhibet Cyrilli apud sanctum Doctorem testimonium.

Augustinus post Optatum in Epist. CLXV. ad Generosum Romanorum Pontificum seriem texit, & ab ea Felicem istum rejicit, ob id forsan, quod scribit Athana- 13
sius. *Petro,* inquit, *successit Linus, Lino Clemens:* & quibusdam interpositis, *Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius.* At ibi nullus est Felix. Videamus quid paullò post dicat: *In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens ait de præpositis malis: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; Dicunt enim, & non faciunt: Ut certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.* Hìc dubitari vix potest, quin Augustinus, nisi ad Liberii lapsum, ad aliquid profectò simile respiciat. Ex quo rursus intelligitur, in relato testimonio doctrinam exprimi, quæ ad Augustini & Cyrilli tempus non pertinet.

XIII. Hæc inter se non concordant, *Ecclesia stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, & nos typum veritatis & sanctæ Apostolicæ traditionis unà cum ipsa profitemur & prædicamus.* Si sola regnat Petri Ecclesia, quomodo Marci Ecclesia per Cyrillum Alexandrinum unà cum Petri Ecclesia typum veritatis & Apostolicæ traditionis profitetur & prædicat? Vel contrà, si Marci Ecclesia veritatis & Apostolicæ traditionis typum unà cum Petri Ecclesia profitetur & prædicat, quo pacto sola Petri regnat Ecclesia? Cyrillus pugnantia hæc locutus numquam fuisset: Impostor ita locutus est, non Cyrillus.

XIV. Verba hæc: *Ecclesia Petri sola regnat, silentium imponens & omnium obturans ora hæreticorum,* ad 14
Cyrillum quid attinent? Nonne Cyrillus Nestorio silentium

lentium imposuit? Nonne obturavit illorum ora, qui stabant à Nestorii partibus? Nonne scriptis suis Nestorii hæresim perculit & affixit? Nonne in actione II. Ephesini Concilii, ut Celestino Ita & Cyrillo acclamatur ab universis Episcopis: *Novo Paulo Celestino, novo Paulo Cyrillo, unus Celestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi?* Nonne post habitam à Paulo Emiseno Episcopo in Alexandrina Ecclesia concionem de Christi Nativitate, & de Virgine Deiparâ acclamavit populus: *Hoc Dei donum est, Cyrille, omnes reddidisti tui similes?* Leonem Cyrilli æqualem de Cyrillo loquentem audiamus.

Et primùm in Epistola XXXIII. ad Theodosium Imperatorem: *Relegat* (Eutyches) *itaque sollicitè, quæ à sanctis Patribus Incarnationis Dominicæ fides fuerit custodita, sempérque similiter prædicata: & cùm sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Episcopi Epistolam, (qua Nestorium corrigere & sanare voluit, pravas prædicationes ipsius arguens, & evidentiùs fidem Nicænæ definitionis exponens, quámque ab eo missam Apostolicæ Sedis scrinia susceperunt,) præcedentium sensui perspexerit consonantem; Ephesinæ etiam Synodi gesta recenseat, quibus contra Nestorii impietatem à sancta memoria Cyrillo inserta & allegata sunt de Incarnatione Domini Catholicorum testimonia sacerdotum.*

Deinde in Epistola XXV. ad Pulcheriam Imperatricem: *Simplex est absolutúmque, quod posco, ut remoto longarum disputationum labore, sanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Episcopi Epistola, quam ipse ad Ne-*
15 *storium miserat, acquiescat, in qua & errorem Nestorii*
arguit, & fidem Nicænæ definitionis exposuit.

Tum in Epistola XLVII. ad Calchedonensem Synodum: *Prioris autem Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit, contra Nestorium specialiter statuta permaneant.* Sic Leo & Cyrillus conjunctis operis relato testimonio falsi dicam impingunt, & usque adeò luculenter, ut non possit luculentiùs.

XV. Credibile non est Cyrillum id Romanis Pontificibus tribuere, quod ante Cyrilli tempus Romani Pontifices ipsi sibimet non tribuunt. Experiamur de Liberio, qui ad Constantium scribit: *Secutus morem ordinémque majorum, nihil addidi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum.* Et consideremus modò, quid de suo Episcopatu dicat in ipsius & Constantii dialogo, quem Theodoretus in libri II. hist. capite XIII. refert: *Constantius Imperator dixit: Nos quoniam Christianus es & nostræ civitatis Episcopus, faciendum duximus, ut accitum te moneremus, ut nefariæ impii Athanasii dementiæ communionem repudies. Hoc enim rectum esse orbis terrarum censuit, eúmque ab Ecclesiastica communione alienum Synodali sententia pronuntiavit. Liberius Episcopus dixit: Judicia Ecclesiastica, Imperator, summa cum æquitate fieri debent. Quare si pietati tuæ placet, judicium constitui jube, & si condemnationem commeruisse videbitur Athanasius, tum in illum juxta Ecclesiastici ordinis formam sententia proferatur: Fieri enim non potest, ut virum condemnemus, de quo à nobis judicatum non sit. Constantius Imperator dixit: Totus terrarum orbis de ejus impietate sententiam tulit, & quòd ab*
initio tempus eludat. Liberius Episcopus dixit: Qui 16
subscripserunt, res ipsi gestas non viderunt, sed gloria metúque ducti, & ne abs te infamiam paterentur, acquieverunt. Infrà: *Imperator Liberio dixit: Quota pars orbis es, Liberi, ut solus impium hominem vindices, & pacem orbis ac mundi totius dissolvas? Liberius: Non eo quòd solus sum fidei causa minuitur. Nam & tres olim soli sunt reperti, qui mandato regis resisterent. Eusebius Eunuchus dixit: Imperatorem nostrum Nabuchodonosorem facis. Liberius: Haudquaquam. Sed tu non minùs temerè hominem condemnas, de quo nullum factum est judicium. At ego primùm generalem fieri posco subscriptionem, quæ fides apud Nicæam exposita confirmetur: Deinde ut revocatis ab exilio, atque in sedes suas restitutis fratribus nostris, si hi qui turbas nunc cient in Ecclesiis, visi fuerint Apostolicæ fidei consentire, tum Alexandriam convenientes omnes, ubi & accusatus & accusatores sunt, & defensor eorum, examinata causa sententiam proferamus.*

Liberius in hoc Dialogo Imperatori fortiter & constanter respondet, & tamen quod in relato apud Thomam Cyrilli testimonio conspicimus, non respondet, etiamsi præ manibus respondendi fuerit occasio. Nimirum ubi Constantius interrogat, *quota pars orbis es, Liberi:* Liberius non respondet, Ego sum *super omnes præpositos & Episcopos & primates aliarum Ecclesiarum & populorum:* Ego sum Episcopus illius Ecclesiæ, *quæ in fide plenissima & auctoritate Petri stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens & omnium obturans ora hæreticorum.* Liberius hæc non respondit, sed alia alibi, *secutus morem ordinémque majorum* &c. Ut suprà. Nonne obser- 17
vatio hæc rationem continet, qua nostri testimonii falsitas demonstratur?

XVI Huc tandem pertinent quæcumque ad abjudicanda Cyrillo testimonia, quæ beatus Thomas habet in quartum Sent. dist. XXIV. quæst. III. art. II. in libro contra impugnantes religionem, & in opusculo contra Græcorum errores disseruimus: quibus enim rationum momentis testimonia hæc Cyrillo aliàs abjudicavimus, iisdem & istud, quod est in Catena, potest abjudicari. Ea de re tuum, ANTONI FAURA, sit potiùs, quàm meum judicium, & semper memineris Christi Ecclesiam, cujus columna & fundamentum est veritas, hominum non egere mendacio; Sed utinam pronuntiare mihi liceret, subjectum, quo de agimus, Cyrillo testimonium ab alio, quàm à Sancto Thoma Catenæ Patrum inditum fuisse. At sine ope manuscripti Codicis, in quo non haberetur, pronuntiare non licet. Id rerum genus nostris metiendum non est desideriis, sed asserendæ veritatis amore, studio, honestate præponderari necesse est. Vale, Lutetiæ Parisiorum XI. Calendas Octobris anni M. DC. LXIV.

Joannes Launoius
PAULO RATUYNO
Parisiensi Theologo.

1 SUPERESSE tu mones, ut reliqua Patrum testimonia, quæ Beatus Thomas in Opusculo contra Græcorum errores commemorat, expendam. Pro non inchoato habes, quod inchoatum est, nisi absolvatur. Facerem libenter, quod optas, si genus hoc literati otii placeret omnibus. Est quidem dulcissimum, sed tamen non omnes eo delectantur. Cæterùm magnopere delectari te scio, qui Musas sinceriores colis, nec à concionatoris partibus, quas identidem honorificè sustines, optimarum artium studia sejungis. Hoc autem ut rarissimum est, ita & in prima commendatione ponendum. Quæ duo in aliis disjuncta sunt, in te conjungit amor veritatis, & religio. Jampridem legisti apud Augustinum in libri de vera religione capite LV. *Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecunque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi potest. Melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata.* Itaque nec mirum, si velis Scripturas excerni supposititias, quæ in rebus Theologicis materia omnium gravissima adhibentur.

In Opusculo, cujus mentionem antè fecimus, occurrunt testimonia duodecim, quæ sigillatim expendenda sunt.

2 Primum sic se habet: *Quod enim Romanus Pontifex successor Petri & Christi Vicarius sit primus & maximus omnium Episcoporum; Canon Concilii expressè ostendit sic dicens: Veneramur secundùm Scripturas & Canonum definitionem sanctissimum antiqua Roma Episcopum primum esse, & maximum omnium Episcoporum.* Thomas Canonem hunc paullò aliter refert in IV. sent. dist. XXIV. quæst. III. art. II. ubi quærit, *Utrum supra Episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia. Sed contrà est, quod legitur in Concilio Constantinopolitano: Veneramur secundum Scripturas, & secundùm Canonum statuta, & definitiones sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum & primum esse, & maximum Episcoporum, & post ipsum, Constantinopolitanum Episcopum.* At Canon neque hoc, neque illo modo editus est in Constantinopolitanâ Synodo: Sic verò editus est in Codice Canonum Romanæ Ecclesiæ: *Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quod urbs ipsa sit junior Roma.* Græce: τὸν μέντοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον· διὰ τὸ, εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Integer Constantinopolitanæ Synodi Canon, quia causæ servire non poterat, miserè depravatus & corruptus est, ut serviret. Atque hoc, ut quod omnibus notum sit, nihil est necesse pluribus verbis exponere. Nam sufficit Canonem, quem Beatus Thomas refert, cum eo quem refero, contendere: Porro autem facilè mihi persuadeo canonem hunc ut & illum, quem paullò post Calchedonensi Concilio affectum videbimus, non à beato Thoma, sed ab alio corruptum esse. Mendoso codice usum esse Thomam
3 quis non crederet? Quidquid illud sit, si error est hoc credere, pietatis error est.

Alterum: *Ostenditur etiam, quòd prædictus Christi Vicarius in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem obtineat. Legitur enim in Calchedonensi Concilio, quòd tota Synodus clamavit Leoni Papæ: Leo sanctissimus Apostolicus, & Icumenaycos, id est, universalis Patriarcha per multos annos vivat.* Atqui acclamatio hæc, nec in Græcis, nec in Latinis exemplaribus legitur. Subdititium est testimonium. Deinde *Icumenaycos* nec Latinum nec Græcum, sed opicum & barbarum est nomen.

Tertium: *Ostenditur etiam, quòd Petrus sit Christi Vicarius & Romanus Pontifex Petri successor, in eadem potestate ei à Christo collata: Dicit enim Canon Concilii Calchedonensis: Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum patram refugii, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi Episcopi criminati infamiam secundùm claves à Domino sibi datas. Et infrà, & omnia ab eo definita, ab eo teneantur tanquam à Vicario Apostolici Throni.* Fictitius est omnino Canon, qui Calchedonensi Concilio attribuitur. Oculis tantum est opus, ut Canonis hujus suppositio deprehendatur. Antiqui Patres Græci non ita loquuntur: Neque vetus ferebat disciplina, ut ita loquerentur. Calchedonensis Synodus multò aliter loqitur in can. IX. *Si quis Clericus adversus Clericum habet negotium, non deserat Episcopum proprium, & ad secularia percurrat judicia: sed priùs actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certè consilio ejusdem Episcopi, apud quos utraque partes voluerint, judicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis* 4
correptionibus subjacebit. Quòd si clericus habet causam adversus Episcopum, vel adversus alterum, apud Synodum provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum judicetur.

Qui relatum à Beato Thoma Canonem Calchedonensi Concilio supposuit, hunc ex certis quibusdam Sardicensium Canonum verbis, & pluribus aliis fictis, commentitiisque conflavit: Sed eo conflavit modo, qui Sardicensis disciplinæ nihil exprimat. Ne credas mihi, crede tibi, & Sardicenses Canones duos III. & IV. perlege, & cum fictitio Canone compone: Canon III. hic est: *Quòd si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium renovetur, & det judices: Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt, si hoc omnibus placet, Synodus respondit, placet.* Canon IV. *Gaudentius Episcopus dixit: Addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti,* (alloquitur Osium) *ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negocium in urbe Roma; Alter Episcopus, in ejus cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino* 5

non

non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. Nunc facilè perspicis in subditirio Canone ne adumbrari quidem imaginem disciplinæ, quæ duobus Sardicensis Synodi Canonibus sancitur.

Quartum ibidem: *Item Cyrillus Hierosolymitanus Patriarcha dicit ex persona Christi loquens: Tu cum sine, & ego sine fine cum omnibus, quos loco tui ponam, plenè & perfectè, sacramento & auctoritate cum eis ero, sicut sum & tecum.* Et primùm quidem non dicitur, quo in opere, qua in catechesi leguntur hæc: Hieronymus in libro de Viris illustribus testatur catecheses scripsisse? *Extant,* inquit, *κατηχήσεις, quas in adolescentia composuit.* Deinde in his catechesibus simile nihil habetur: Tum simile nihil haberi potest, si hinc catechesean argumenta, inde illius temporis doctrina spectetur. Denique in relatis verbis nimia est affectatio, quæ dolus æstimatur. Cyrillus testis instructus, & subornatus sistitur. Silentio prætereo, Cyrillum Hierosolymitanum dici Patriarcham, qui Patriarcha non erat. Idque certo certius.

Quintum: *Quòd ad eum pertineat determinare, quæ sunt fidei. Item Maximus in Epistola Orientalibus directa dicit: Omnes fines orbis, qui Deum sincerè receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Ecclesiam Romanorum tanquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt.*

Sextum: *Ostenditur etiam, quòd subesse Romano Pontifici sit de necessitate salutis: Et Maximus in Epistola Orientalibus directa dicit: Coadunatam & fundatam super petram confessionis dicimus universalem Ecclesiam se-*
6 *cundùm definitionem Salvatoris, in qua necessariò salutis animarum nostrarum est remanere, & ei est obedire suam servantes fidem & confessionem.* Hæc testimonia duo sunt unius & ejusdem auctoris, quem Sanctus Doctor Maximum appellat. Fuerunt olim plures apud Græcos Episcopi nomine Maximi, nec eorum ullum ad Orientales scripsisse literas memoriæ proditum est. Ut Constantinopolitanæ, & Calchedonensis Synodi Canones, sic & hæc testimonia ex eadem officina videntur exisse.

Sunt è recentioribus, qui testimonium prius Maximiano Constantinopolitano Episcopo adscribant. Ii tamen non proferunt, quo in loco Epistola, quam laudant reperiatur. Maximianus scripsit ad Cyrillum Alexandrinum Epistolam, quæ & Græcè & Latinè extat. Cur non similiter extaret ad Orientales Epistola, si quam ille scripsisset? Cur ab annis quadringentis periisset Epistolæ Græca vel Latina editio? Deinde quæ extat Epistola, hæc brevis est, nec multum habet succi. Socrates, Liberatus & Nicephorus rationem hanc reddunt. Primus in libri VII. de Historia Ecclesiastica capite XXXIV. *Maximianus literarum ignarus & expers fuit, vitámque quietam aliisque minimè molestam sibi proposuit ad traducendum.* Alter in Breviarii capite VII. *Maximianus Idiota sermone & sub quiete vivere potiùs eligebat.* Tertius in libri XIV. capite XXXVII. *Et propterea quòd doctrina exigua erat, alienam à rebus agendis delegerat vitam.* Præterea Baronius, qui nullam prætermittit occasionem amplificandæ & ornandæ dignitatis Romani Pontificis, Maximiano non asserit Epistolam ad O-
7 rientales missam, in qua Sedis Apostolicæ auctoritas tantopere commendetur. Quod observamus de Maximiano videri posset superfluum, quia Thomas Maximum non Maximianum citat. Melchior Canus in libri VI. de locis capite V. & ante Canum Thomas Cajetanus in Opusculi de divina institutione Pontificatus capite XIV. Maximum apud Thomam legunt. Porro autem sive Maximianus, sive Maximus legatur, insigne capiendum est ex eo falsitatis indicium, quòd Bellarminus Maximiani vel Maximi testimonio non utatur. Utendi enim semel atque iterum sese obtulit occasio: semel quidem in libri II. de Rom. Pont. capite XV. ubi primatum illius ex Patribus Græcis asserendum suscipit. Iterum in libri IV. de eodem Rom. Pont. capite II. Ubi disputat, sitne certum Papæ judicium. Allegat Græcos Patres, nec inter eos Maximus aut Maximianus comparet: Comparuisset sine dubio, si potuisset verè comparere, quia disertissimè omnium loquitur.

Septimum: *Ostenditur etiam, quòd prædictus Christi Vicarius in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem habeat, Chrysostomus super Matthæum: Filius, quæ Patris est & ipsius Filii, potestatem Petro ubique terrarum concessit, & homini mortali omnium, quæ in cælo sunt, dedit auctoritatem, dando ei claves ad hoc ut Ecclesiam ubique terrarum amplificet.* Hîc subornatur Chrysostomus: verba illius recitanda sunt ex Homilia LV. in Matthæi caput XVI. *Quid igitur Petrus omnium Apostolorum os & vertex consortii totius? cùm omnes interrogati essent, ipse solus respondet. Et quandoquidem de sententia vulgi petebat, omnes responderunt, cùm verò de sua eos rogaret, Petrus confestim prosiliens,* 8
& præveniens ait, Tu es Christus Filius Dei vivi. Infrà: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, fidem atque confessionem.* Infrà: *Sublimia sapere ipsum facit, & Pastorem constituit* ποιμένα ποιεῖ, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eum. Si verò adversus Ecclesiam non prævalebunt, multo minus adversus me prævalebunt. Non enim turbari te convenit, cùm audieris, quia tradar & crucifigar. Alium deinde honorem ei præbet. Ego autem tibi dabo claves regni cælorum. Quid verò est? Ego autem tibi dabo, quemadmodum Pater tibi dedit, ut me cognosceres, sic & ego tibi dabo; & non dixit, rogabo Patrem, ut tibi det. Sed quamvis magna erat potestas, & doni magnitudo ineffabilis. Et ego tamen tibi dabo, inquit? Quid das quæso? claves, inquit, regni cælorum, & quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis. Quomodo enim non est ejus, qui dicit: Ego tibi dabo, ut etiam in dextris & sinistris sedere concedas? Animadvertis, quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit. Et seipsum* HIS DUABUS POLLICITATIONIBUS *Filium esse Dei revelat & ostendit. Nam quæ Dei solus concedere potest, &* PECCATORUM SCILICET REMISSIONEM, ET UT ECCLESIA TOT TANTISQUE FLUCTIBUS IMPETU IRRUMPENTIBUS IMMOBILIS MANEAT, *cujus Pastor & Piscator homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superat: Hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.* Hæc est simplicitas sermonis, quem Chrysostomus de Petro instituit, & quem Bellarminus, & alii ad confirmandum 9
Romani Episcopi primatum non insumunt, nec prudenter possent insumere. Chrysostomus exponit duo, quæ solius Dei sunt, & quæ Christus daturum se promittit, peccatorum remissionem, & Ecclesiæ statum immobilem. Quòd autem remittendorum criminum jus non soli Petro dedit, sic exponit in libro III. de Sacerdotio: *Etenim qui terram incolunt, & in ea versantur, iis commissum est, ut ea, quæ in cælis sunt dispensent; iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit: Neque enim ad illos dictum est, quæcunque alligaveritis in terra, erunt & alligata in cælo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta & in cælo. Habent quidem terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum tantùm. Id autem quod dico Sacerdotum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit. Usque adeò, ut quæcunque Sacerdotes inferne confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quodnam hoc aliud esse dicis, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Quæcunque enim, ait, peccata remiseritis, remittantur eis, quæcunque retinueritis retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat?*

Pater

Pater omnium judicium filio dedit: ceterum video judicium à Deo Filio illis traditum: Illis, inqnit, nimirum Sacerdotibus, non uni tantùm Petro. Ex his ergo duobus locis apparet; subornatum & corruptum esse testimoninm, quod apud Beatum Thomam Joanni Chrysostomo affingitur.

Octavum: ad superiorem titulum: *Et super Joan-*
10 *nem in Homilia* LXXXV. *Jacobum localiter in loco terminat; Petrum autem totius orbis ordinat Magistrum, & Doctorem*: Avulsus à loco suo, & in alienum sensum abductus locus hic sic se habet, non in Homilia LXXXV. sed in Homilia LXXXVI. super caput XXI. Joannis: *Quod autem maximè divinum amorem conciliat, est proximi dilectio, quam à Petro Christus exigit. Nam cùm finem cibis fecissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei, pasco agnos meos. Quid tandem aliis omissis de his duntaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum & princeps & vertex ipsius cœtus. Propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit, simul ut ei ostenderet, jam sibi fiduciam habendam. Tanquam enim negationis oblivisceretur, fratrum curam ei committit. Iterum si amas me, curam fratrum suscipias.* Infrà: *Quod si quis percontaretur; Quomodo igitur Jacobus sedem Hierosolymis acceperit, responderem hunc totius orbis magistrum præposuisse. Conversus Petrus vidit illum Discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine hic autem quid? quâ gratiâ recubitus illius meminis, non abs re; Sed ut ostendat Petri post negationem fiduciam: Qui & tunc non est ausus Jesum interrogare: Sed id muneris alteri delegarat. Hic commissa sibi fratrum cura non modò alteri vicem suam mandat, sed & ipse Magistrum interrogat, & Joannes quidem tacet: Ipse autem loquitur. Præterea & suam in eum præ se fert dilectionem: Diligebat enim majorem in modum Joannem Petrus, quod & ex sequentibus apparet, & passim per Evangelium: atque etiam in actibus eorum vinculum*
11 *demonstratur. Nam cùm magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset*: Et paullò pòst: *Cùm enim essent orbis terrarum curam suscepturi, simul ampliùs non esse oportebat. Magnum enim fuisset mundo detrimentum. Idcirco qui suscepisti, te considera, perfice, labora, te certaminibus expone.* In iis, quæ pastoralem curam attinent, Christus omissis aliis Discipulis Petrum affatur. Scilicet, quia qnod Petro dicit, cæteris in Petro dictum, facilè intelligitur, ut esset una omnium fides, una animorum consensio. Cur autem Christns omissis aliis Discipulis Petrum affatur, ratio hæc est: *Os erat Apostolorum.* Interrogatur pro cæteris, pro cæteris respondet: Id Chrysostomus confirmat in libro II. de Sacerdotio: *Tum ostensurum Basilium,* putà *eximiam suam dilectionem in Christum, si pascat ejus gregem, cùm scriptum sit, si diligis, pasce oves meas. Neque enim tum volebat testatum esse, quantum à Petro amaretur. Siquidem id multis nobis argumentis constabat. Verùm hoc ille tum agebat, ut & Petrum & cæteros nos edoceret, quanta benevolentia & charitate erga suam ipse Ecclesiam afficeretur, ut hac ratione nos quoque ejusdem Ecclesiæ studium, curámque toto animo susciperemus.* Iterum in sermone LXI. super illud Pauli: *In faciem Petro restiti: Nonne os fuit Apostolorum? Nonne silentibus cunctis ipse loquebatur? Quem me dicunt homines esse Filium hominis, ait Christus: & alii quidem Heliam dicebant, alii verò Jeremiam, alii unum ex Prophetis. Vos verò, quem me esse dicitis, inquit? Tunc respondens Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Dixit, & pro omnibus ipse locutus est.*
12 *Nam quemadmodum pro toto corpore os loquitur, sic Apostolorum lingua erat Petrus, & pro omnibus ipse respondit.*

Nonum: ad eundem titulum: *Item super Actus Apostolorum. Petrus à Filio super omnes qui filii sunt, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo orbe.* Suppositus est hic locus, nec in Homiliis super Actus Apostolorum, nec in aliis commentariis invenitur.

Decimum: *Habetur etiam ex prædictorum doctorum auctoritatibus, quòd Romanus Pontifex habeat in Ecclesia plenitudinem potestatis.* Infrà: *Et Chrysostomus dicit ad consulta Bulgarorum ex persona Christi loquens: Ter te interrogo, an ames, an ames, an diligas, quia ter me trepidus & timidus negasti. Nunc autem reductus, ne credant te fratres, gratiam & clavium auctoritatem amisisse, quia amas me coram ipsis, id tibi jam confirmo, quod meum est plenum.* Jam alio in loco notavimus citationem hanc mirum quantum à vero abhorrere. Chrysostomus annos quadringentos & triginta octo priùs obiit, quàm Bulgari Christianam religionem amplecterentur. Ad consulta Bulgarorum circa annum DCCCLXVI. respondit Nicolaus Papa I. qui & responsionem III. Chrysostomi Doctoris, ut ait, Sancti auctoritate confirmat.

Undecimum: *Ostenditur etiam, quòd Petrus sit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex Petro successit in eadem potestate ei à Christo collata. Chrysostomus dicit ex persona Filii loquens, pasce oves meas, id est, loco mei præpositus esto fratrum.* At non est apud Chrysostomum *loco mei,* ἀντὶ μου· sic verò est; *Si amas me, fratrum curam suscipias,* εἰ φιλεῖς με, προΐστασο τῶν ἀδελφῶν. Quod Beatus Thomas Petro per Chrysosto- 13
mum attribuit ut singulare privileginm, hoc ipse de Episcopis dicit in quart. dist. XXIV. quæst. III. art. III. de Ministrorum Ecclesiæ vestibus: *Per annulum significantur sacramenta fidei, quæ Ecclesia desponsatur Christo. Episcopi enim sunt in Ecclesia loco Christi.*

Duodecimum: *Ostenditur etiam, quòd ad dictum Pontificem pertineat, quæ sunt fidei determinare. Chrysostomus super acta Apostolorum dicit, quòd Petrus est vertex sanctissimus Beati Apostolici throni, Pastor bonus.* At verba hæc non reperiuntur in Chrysostomi operibus, nedum in Homiliis, quas in Apostolorum acta elucubravit. Præterea nnllus anctor Græcus Chrysostomo vetustior, æqualis, tempore proximus, locutione hac, *vertex Beati Apostolici throni*, usus est unquam. Qqod est manifestissimum falsitatis argumentum.

Hactenus expensa sunt dnodecim testimonia, quæ insincerus aliquis homo Thomæ suppeditavit. Non enim credimus, Doctorem Sanctum malâ fide tractasse qnæstionem, quam tractandam susceperat.

Reliquum est modò, ut quid Chrysostomus de Romani Pontificis, & Synodi generalis auctoritate, & qnid Romanus ipse Pontifex de eadem auctoritate senserit exponam.

Chrysostomus ad Innocentium I. scribit epistolam, in qna illatas sibi à Theophilo Alexandrino injurias enarrat. *Neque enim,* inquit, *congruum est, ut hi qui in Ægypto sunt, judicent eos, qui in Thracia, & præsertim ille, qui ipse reus est, inimicus & hostis. At ille nihil horum reveritus, magno studio anhelabat, ut perficeret ea, quæ mente conceperat. Cùm autem contestaremur, para-* 14
tos nos esse ad diluendum crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarandam coram centum, vel mille Episcopis, non assensit: sed licèt absentes essemus, & ad Synodum appellaremus, & judicium requireremus; ipse tamen accusatores suscepit, & excommunicatos à me absolvit, & ab illis, qui nondum se de suis criminibus purgaverant, libellos collegit, & acta perscribi jussit: Quæ omnia legibus & canonibus prohibita erant. Et post alia: *Tractus igitur & abductus à Magistratu civitatis in media civitate, & in navim conjectus per noctem navigavi, eo quòd ad Synodum & justum judicium provocaveram.* Et post alia: *Igitur Domini mei maximè venerandi & pii, cùm hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum, & magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hæc, quæ in Ecclesias irrupit, iniquitas. Quippe si mos hic invaluerit, & fas fuerit, cuivis in alienam parochiam irrumpere, idque ex tantis intervallis, & eji-*

cere

cere quas voluerit, & auctoritate propria quæque pro libidine sua facere, scitote quod brevi transsilierit omnia, & totus orbis premetur bello non indicto, omnibus ejectis & omnes ejicientibus. Quapropter ne confusio hæc omnem, quæ sub cælo est, nationem invadat, obsecro, ut scribatis, ut hæc tam iniquè facta & absentibus nobis & declinantibus judicium, non habeant robur, sicut neque natura sua habent. Illi autem, qui adeò iniquè egisse deprehensi sunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant: Nobis verò, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei sumus, literis vestris, & caritate vestra aliorúmque omnium, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui concedite.

15 Chrysostomus eandem epistolam mutata inscriptione ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquilegiensem Episcopum misit. Siquidem apud Palladium in Dialogo de vita illius cap. 11. post finem epistolæ subnectit: *Scripsimus & ista ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquilegiensem Episcopum.* Sic scribitur, cum ad plures scribitur, & à *pari*, vel *à paribus* scribi dicitur. Hinc ut chartæ, ita & epistolæ pariculæ cur non dicerentur? Bellarminus id notare oblitus est in libri 11. de Rom. Pont. cap. xv. ubi pro Romani Episcopi primatu laudat hanc Chrysostomi Epistolam. Oblivio hæc Ecclesiasticæ Historiæ non parum importat detrimenti. Quibus enim Epistolæ verbis Romani Episcopi primatum erigit, iisdem & Venerii Mediolanensis & Chromatii Aquilegiensis Episcopi primatum erexisset singulari in tractando religione, accuratione magna, æquali judicio. Pura puta est dissimulatio.

In relatis antè verbis tria sunt, quæ curiosè ac diligenter considerentur. Primùm, quod Chrysostomus ad Innocentium non provocet, sed ad Synodum, ut semel atque iterum dicit: Deinde, quod ad opem Innocentii confugiat, eúmque roget, ut quæ contra leges & canones in sua causa gesta sunt, statuat nihil habere roboris, quemadmodum reipsa nihil habere contendit: Denique, quòd sub Innocentii, ad cujus opem confugit, nomine Occidentales Episcopos, qui subsunt Romano Pontifici, comprehendat. Huc illa pertinent, *literis vestris & caritate vestra aliorúmque omnium, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui concedite.* Hæc est illius & superioris temporis
16 disciplina, cui fidem facit Julius ad Orientales ita scribens apud Athanasium: *Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solum sententiam, sed omnium Italorum & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem omnes nolui scribere, ne à multis onerarentur. Certè ad constitutum tempus convenere Episcopi & ejus sententia fuerunt, quam vobis iterum significo. Quapropter, dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo.*

Innocentius Chrysostomo apud Sozomenum in libri VIII. capite XXVI. sic respondet: *Quanquam insontem omnia expectare bona, & à Deo misericordiam petere conveniat, sunt tamen & à nobis, qui patientiam suademus, competentes literæ per Diaconum Cyriacum missæ, ut contumelia plus posse non debeat in bona conscientia protervenda quàm spes in eadem erigenda. Neque enim tu docendus es, tot populorum Doctor ac Pastor, optimos quosque semper & continuè probari, velintne in vigore tolerantiæ persistere, ac nulli afflictionis molestiæ succumbere. Etenim conscientia bona firmum revera munimentum est adversus omnes casus immeritos: Quos quidem qui tolerantia non superat, is verò sinistræ suspicionis argumentum de se ipse præbet. Omnia enim sufferre debet, quisquis primùm Deo, deinde conscientiæ suæ nititur. Siquidem ad patientiam exerceri potest, ut quàm maximè vir bonus, & honestus, vinci non potest: Quandoquidem conservant ejus animum Scripturæ divinæ, & exempla eundem communiunt lectiones sacræ, quas populo proponimus: Quæ quidem universos penè Sanctos variis modis & continenter exercitatos, ac velut in examine quodam exploratos fuisse, atque ita ad patientiæ coronam perve- 17
nisse docent. Hæc igitur ipsa conscientia charitatem tuam consoletur, honorandissime frater: Quo facto, in tribulationibus ex virtute consolationem habebis. Inspectante enim Domino nostro Christo in tranquillissimus portum conscientia mundata sistetur.*

Mox idem in Epistola ad Clericos Constantinopolitanos: *Innocentius Episcopus Presbyteris ac Diaconis, universóque Clero ac populo Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui subditi sunt Episcopo Joanni, dilectis fratribus salutem. Ex literis charitatis vestræ, quas per Germanum Presbyterum & Casianum Diaconum misistis, tragœdiam malorum, quam ob oculos posuistis, anxiâ sollicitudine cognovi, quantisque miseriis ac difficultatibus istic laboret fides, lectione sæpius repetita perspexi; quam quidem rem unica patientiæ consolatio sanat. Dabit enim brevi Deus noster tantis tribulationibus finem, & hæc olim meminisse juvabit. At verò nos quidem, uti necessariam consolationem istam, quam in exordio Epistolæ vestræ proposuistis, approbamus, ita & intelligentiam charitatis vestræ agnovimus, quæ multa patientiæ testimonia complectitur. Etenim nostram consolationem, quam literis adferre vobis debebamus, scriptis vestris vos ipsi prævenistis. Hanc tolerantiam Dominus noster laborantibus præstare solet, ut etiam in ipsis tribulationibus constituti servi Christi seipsos consolentur, reputantes secum & antea Sanctis accidisse eadem quæ nunc patiuntur ipsi. Itaque nos jam vel ex literis vestris depromere consolationem possumus. Neque enim tam alieni sumus à vobis, ut non condoleamus, cùm & nos in vobis cruciemur. Etenim quis ferre poterit eorum delicta, quos vel præci- 18
puos esse fautores tranquillitatis ac pacis & concordiæ decebat? Atqui nunc præpostero modo de primatu Ecclesiarum suarum deturbantur Sacerdotes insontes: Quo quidem primus frater noster & in Ecclesiastico munere socius Joannes Episcopus vester injustè oppressus est, cui ne id quidem contigit, ut se defensurus audiretur: Nullum crimen objicitur, nullum auditur. Quod igitur hoc commentum est tam deploratum, ut ne vel suppetat, vel quæratur occasio judicii, in locum Sacerdotum viventium alii substituantur? Quasi illi, qui per hujusmodi perversitatem irrepunt, vel habere ipsi, vel agere quicquam recti, à quoquam judicari possint. Neque enim unquam à patribus nostris talia fuisse patrata cognovimus; Sed interdictum potiùs fuisse decreto, quo cavebatur, ne cui fieret copia, quæ in viventis locum inaucthoraretur. Nec enim reproba ordinatio Sacerdotis dignitatem auferre potest: Quomodo nec Episcopus quidem esse potest ille, qui injustè surrogatur. Nos enim quantum ad Canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt: Quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere, Ecclesia Catholica debet. Si qui verò & alii quibusdam proferuntur, qui à Canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi deprehenduntur, hi verò ab Episcopis Catholicis rejiciuntur. Hæreticorum enim commenta Catholicis Canonibus assuere non licet: Semper enim vel per contraria, vel per illicita, labefactare voluntatem student Concilii Nicæni. Non solùm igitur his non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potiùs unà cum hæreticis ac schismaticis dogmatibus esse condemnanda. Quomodo & antea in Sardicensi Synodo ab Episcopis prædecessoribus nostris factum est. Nam satè longè præ- 19
stiterit, vel ea condemnari, Fratres charissimi, quæ rectè facta sunt, quàm ea robur ullum sortiri, quæ adversus istos Canones acta sunt.*

Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? NECESSARIA ERIT SYNODALIS COGNITIO, *quam etiam multo jam antea congregandam diximus.* EA QUIPPE SOLA EST, *quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei, ac Christi ejus Domini nostri. Illa universis, quæ nunc per invidiam diaboli ad examen fidelium*

fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus freti nostra in Deum fide. At nos quidem multùm deliberamus, quonam modo SYNODUS OECUMENICA *congregari possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint. Exspectemus itaque tantisper; ac vallo patientiæ communiti, speremus auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda. Universa verò quæ eos tibi sufferre dixistis, jam antea à Coepiscopis vestris, qui Romam licèt diversis temporibus convenerunt, Demetrio videlicet, Cyriaco, Eulisio & Palladio, qui nobiscum sunt, diligenti inquisitione habita cognovimus.*

Sozomenus non meminit aliarum Epistolarum, quas Innocentius ad Theophilum Alexandrinum dedit. Palladius in dialogi memorati capite III. meminit. *Adhæc*, inquit, *rescripsit beatissimus Papa Innocentius, communioneque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum, atque irritum esse, decrevit dicens, oportere conflare aliam irreprehensibilem* SYNODUM OCCIDENTALIUM ET ORIENTALIUM SACERDOTUM, *ce-
20 dentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis: Neutrarum quippe partium ut plurimùm, rectum esse judicium.* Et quibusdam interpositis, subjicitur Innocentii ad Theophilum Epistola hæc.

Frater Theophile, nos & te & fratrem nostrum Joannem nostra communionis esse decrevimus, sicut & in prioribus literis satis expressimus. Et nunc in sententia nostra & voluntate perdurantes rursus eadem scribimus: Et quotiescunque scripseris, nisi debitum sequatur conveniénsque judicium, propter ea, quæ magno cum dedecore gesta sunt, possibile non est nos à Joannis communione discedere. Itaque si conscientia confidis, tu quoque accurre ad SYNODUM PROXIME IN CHRISTO CELEBRANDAM: *Et illic juxta Nicæni Concilii canones, & decreta contende. Alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia. Quod si obtinueris, evidens & irrefragabilis erit ratio tua.* Datæ ad Theophilum priores literæ, quarum meminit Innocentius, ad posteros non pervenerunt. Sed ex his posterioribus priores & posteriores ejusdem fuisse argumenti colligitur. Posteriores, ut apparet, prioribus explicatiores duntaxat fuerunt.

Palladius subjungit continuò, quæ sequuntur: *Modicum temporis fluxerat, cùm Theotecnus Constantinopolitanus Presbyter venit, literas Concilii Joannis* XXV. *Episcoporum, aut paullò plurium ferens, quibus docebant Joannem militum auxilio urbe depulsum, & Cucusum in exilium missum, Ecclesiámque incensam fuisse. Qui & ipsi communionis literas, & ad Episcopum Joannem, & ad omnes communicantes sibi Episcopos tradens orabat cum lacrymis, ut patienter tolerarent, cùm* OPEM IPSA
21 FERRE NON POSSET, *eo quòd nonnulli obsisterent potentes adversarii Ecclesiasticæque pacis inimici.*

Palladius in cap. IV. mentionem injicit Epistolarum, quas Venerius Mediolanensis & Chromatius Aquilegiensis ad Chrysostomum scripserant. Sed illas non refert, nec referendas esse censuit. Venerius & Chromatius fecerunt idem, quod fecit Innocentius. Ii gemitu & mœstitia declararunt, quantum haberent odium rerum à Theophilo contra Joannem iniquè gestarum. Quid enim fecissent aliud? Secuti sunt exemplum Innocentii. Nunc quid Innocentius Chrysostomo & Constantinopolitanis Clericis respondit, quid ad Theophilum scripsit, quid tandem egit vel non egit in pauca conferendum est.

I. Innocentius Chrysostomo respondet, patienter ferendam esse calamitatem illam omnem, quam ab inimicis accipiebat. Huic egregium de patientiæ fructibus sermonem facit.

II. Quod Chrysostomus petebat, Innocentius exequitur, decernens cassa & irrita, quæ Theophilus contra illum nullo servato juris ordine gesserat: sed interim Theophili communionem non abjicit; Utriusque Joannis & Theophili communionem retinet.

III. Innocentius præterea significat, habendam esse aliam Synodum, cui nec amici nec inimici intersint, & in qua Nicænis tantùm Canonibus dirimatur controversia. Noverat Romanus Pontifex Ecclesiam non auctoritate absoluta, sed canone regendam esse. Theophilo scribit: *Si conscientia confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic juxta Nicæni Concilii canones & decreta contende.* 22
Constantinopolitanis Clericis scribit: *Nos quantum ad canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt, quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere* ECCLESIA CATHOLICA DEBET. At multò magis Romanus Episcopus, qui in fidei regula & in Liturgicis non ponitur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertinet, ut pars illius, quæ in terris est, sine dubio judicanda, si vel in fide vel in moribus aberraret, quemadmodum ex eo necessaria prorsus consecutione deducitur, nec apud eruditos homines priùs deduci quàm à fonte rivus manare, desinet.

IV. Innocentius non dicit, Chrysostomum dignitatem Sedis primæ læsisse, quòd ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquilegiensem non aliter, quàm ad se scripserit, quòd literas in eandem sententiam exaraverit, in quibus verba hæc reperiuntur; *obsecro ut scribas, ut hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & declinantibus judicium, non habeant robur, sicut neque natura sua habent. Illi autem, qui adeò iniquè egisse deprehensi sunt, pœnæ Ecclesiasticarum legum subjaceant, &c.* Hoc unicum Chrysostomi factum omninò demonstraret, eum non scripsisse ea omnia, quæ apud Thomam scripsisse dicitur.

V. Innocentius non conqueritur, quòd Chrysostomus ad Synodum potiùs, quàm ad Sedem Apostolicam provocaverit. Quid ita? Pontifex Ecclesiasticarum rerum peritus noverat, Chrysostomum nihil fecisse, quod à majorum institutis abhorreret: Id verò fecisse, quod æquitati & rationi consentiret. Immo 23
tantùm abest ut ea de re conquestus sit, ut iis, quæ à Theophilo contra Joannem acta fuerant, & à se & à Venerio & Chromatio rescissis, necessariam adhuc Synodum, eámque esse solam judicaverit, quæ excitatæ inter Chrysostomum & Theophilum, inter Thraces, atque Ægyptios controversiæ finem imponeret; sed exspectandum esse usque monet, dum illa congregari possit. Scilicet compertum Innocentio, atque exploratum erat, auctoritatem Synodi, quàm Sedis Apostolicæ majorem esse, ac certò & cum ἀπλανεία pronunciandi privilegium non convenire sibi soli, sed Ecclesiæ & Synodo, in qua Christiani nominis repræsentatio celebratur.

VI. Cur Chrysostomus, ut ad Innocentium Romanum Episcopum, sic & ad Venerium Mediolanensem & Chromatium Aquilegiensem iisdem literis confugerit, ne mireris. Non unus tantùm Julius, sed & alii Italiæ & vicinarum regionum Episcopi Athanasium absolverunt, & in communionem susceperunt, quod & Julium ad Orientales scripsisse jam vidimus. Gelasius tradit Acacium Constantinopolitanum ut à se, sic & ab aliis Episcopis seorsum à Synodo rectè potuisse damnari. Id scribit in Epistola, quam ad Faustum fungentem legationis officio Constantinopoli dedit. Verba sunt: *Euphemium verò miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itaque non perspicit, secundùm formam Synodi Calchedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per numerosam sententiam Sacerdotum erroris hujus auctores fuisse damnates, sicut in unaquaque* 24
hæresi à principio Christianæ religionis & factum fuisse, & fieri manifesta rerum ratione monstratur, decessoréinque meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem? Quod non solùm præsuli Apostolico facere licet, sed cuicunque

Ponti-

Pontifici, ut quaslibet & quemlibet locum secundum regulam hæreseos ipsius ante damnata à Catholica communione discernant. Acacius quippe non fuit novi, vel proprii inventor erroris, ut in eum nova sectu prodirent, sed alieno fautori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, ut in illam recideret justa lance sententiam, quam cum suis successoribus per convenientiam Synodalem susceperat auctor erroris. Quemadmodum igitur Gelasii judicio quilibet Episcopus poterat Acacium damnare, quem ipse damnaverat Gelasius, sic & Chrysostomi judicio Venerius Mediolanensis & Chromatius Aquilegiensis perinde ac Innocentius Romanus poterant latam in Chrysostomum sententiam abrogare: Quippe quæ contra leges & canones penitus lata fuerat. Gelasius in Acacii causâ, unumquemque Episcopum pro Chalchedonensis Synodi executore; Chrysostomus in causâ suâ Venerium & Chromatium pro justitiæ & æquitatis vindicibus, pro legum & canonum, qui violati fuerant, assertoribus habuit. In dispari negotio par agendi ratio conspicitur: Eadem convenientissimæ disciplinæ propugnatio utrobique est.

VII. Innocentius perspicuè significat, incognitum tunc Romæ fuisse placitum illud, quo recentiores quidam volunt, à Romano Pontifice de dogmatibus Ec-
25 clesiasticis fiduciario jure, & in rem præsentem decerni. Etenim apud Palladium, postquam abrogavit Theophili sententiam, dicit: *Oportere irreprehensibilem constare Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis; neutrarum quippe partium implurimum rectum esse judicium.* In Epistola ad Constantinopolitanos Clericos dicit: *Quam quidem* (Synodum) *donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei, ac Christi ejus Domini nostri. Illa universis, quæ nunc per invidiam diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit: Nihil autem desperare debemus, freti nostra in Deum fide.*

Atqui hæc sunt rerum momenta septem, quæ cùm ex Chrysostomi, tum ex Innocentii literis non tam colliguntur, quàm in iis planè leguntur. Unicuique vel parum intento ad oculos occurrunt. Has porro literas exaravit Innocentius, non ut privatus Romanæ Ecclesiæ homo, sed ut Episcopus, ad quem Beatus Joannes Chrysostomus & Theophilus scripserant. Quis enim Chrysostomum à Theophilo abdicatum, quis Theophilum de Chrysostomi abdicatione referentem ad privatum Romanæ Ecclesiæ hominem scripsisse somniaret? Præsidium nullum à privato Romanæ Ecclesiæ homine sperandum erat. Quis etiam Innocentium ut privatum Romanæ Ecclesiæ hominem ad Chrysostomum scripsisse proderet, nisi eum, quod esset nefas, vellet & auctoritati suæ & Chrysostomi miseriis illudere? Quis tandem Innocentium ut privatum Romanæ Ecclesiæ hominem ad Nicænos Canones ablegare Theophilum assereret, nisi eum, quod esset quo-
26 que scelestum ac nefarium facinus, vellet Theophilum ficto sermone compellare?

Hîc exhaurietur variarum distinctionum Thesaurus, quarum auxilio perspicaces & acuti homines sibi videntur efficere, ut & dictum & factum sit, quod nec dictum nec factum est; ut nec dictum nec factum sit, quod & dictum & factum est; ut fuerit, quod fuit nunquam; ut non fuerit unquam, quod aliquando in orbis luce, atque in oculis omnium fuit; ut quod non est, nec forsan esse potest, esse incipiat, & figmento applaudatur ab imperita plebe; ut quod uno & simplici enunciatum est sensu, pluribus enunciatum putetur; ut quæ sunt peregrina & nova recentium placita, hæc in veteres Theologos & Patres præposterè transcribantur. Ex propriis monumentis, non ex alienis, Apostolicæ Sedis auctoritatem defendimus; & perniciosis Romanæ Curiæ assentatoribus veram ac simplicem illius Sedis traditionem, ut murum aheneum opponimus.

Triennio postquam Chrysostomus deductus est in exilium, & secundam ad Innocentium misit Epistolam, Innocentius, qui *Synodum œcumenicam* unicum esse tot incommodis, quot ille patiebatur, remedium censuerat, ad eam congregandam animum appulit. Id Sozomenus testatur in laudati jam libri VIII. capite XXVIII. *Innocentius verò Romæ Episcopus prout antea scripserat, cùm reverti ipsum cuperet, unà cum Orientalibus Episcopis, & iis, qui pro ipso supplicabant, Misit Ecclesia Romana Episcopos quinque, & Presbyteros duos ad Honorium & Arcadium Imperatorem, ut & Synodum & ejus definitum tempus ac locum impetra- 27
rent. At Joannis hostes apud Constantinopolim hanc rem, quasi in contumeliam ejus Imperii fieret, calumniati sunt, & ut illi transmarini Imperii turbatores ablegarentur, effecerunt: Tum etiam ut ipse Joannes etiamnum ulterius Petyuntem scilicet exulatum transferretur, procurarunt. Quod quidem perquàm celeriter advenientes milites perfecerunt. Aiunt enim illum dum ab his duceretur, in itinere prævidisse diem, quâ moriturus esset, apparente sibi Basilico Martyre in Comanis Armeniæ: Quo in loco cùm ad iter ulterius non sufficeret, (laborabat enim dolore capitis, & radios solis perferre non poterat) morbo finivit vitam.* Igitur interveniente Chrysostomi morte congregata non fuit Synodus, quæ, ut est apud Palladium, Thessalonicæ in loco utrisque partibus commodo congreganda erat, si modò Innocentius consilii & voti sui compos factus esset. Hinc Chrysostomus consequi non potuit Synodum, quam appellaverat: Inde Innocentius videtur fecisse, quod potuit, ut ille Synodum consequeretur. In hac autem rerum & personarum conditione, uterque persuasus fuit, majorem & graviorem in œcumenica Synodo, quàm in Romana vel alia sede qualibet auctoritatem residere. Post fidei regulam tunc nihil fuit in Ecclesia Dei, de quo ubique & potissimum Romæ magis constaret: Ubi non inveniebatur Curia hodiernæ Curiæ similis. Quidquid id est, derivatam ab initio Sedis Apostolicæ traditionem, quam Pius I. & Romanus Clerus in Marcionis excommunicati repulsa Nicænæ Synodi canone v. [illegible] confirmata, Siricius in suis ad Illyrici præ-
sules literis, in negotio videlicet Bonosi & Capuen- 28
ensis Consilii, & Innocentius in causa Chrysostomi vindicant, prævalituram semper esse quis desperaret? Hæc enim traditio non est similis pluribus aliis, quæ ex scripturis suam non repetunt originem, in scripturis ipsis firmiter constabilitur: In Actis enim Apostolorum capite VIII. dicitur: *Cùm audissent Apostoli, qui erant in Hierosolymis, quòd Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem.*

Petrus à Collegio Apostolorum, non aliter, quàm Joannes mittitur, quia simul mittuntur ambo, ut docent Acta. Quis autem in se reciperet, Joannem consilio duntaxat, non auctoritate & imperio missum esse? Quis ubi scriptura discrimen nullum ponit, ab antiquis Romanis Pontificibus & tractatoribus Ecclesiæ positum ostendet? Hoc certè in loco

Gens ratione furens, & mentem pasta chimaris,

Comprimetur, algebit, & esuriet. Tum effœta, languescens de via non publica, & sibimet displicens haud impediet, quominus traditio

Illa per immensas spatietur libera terras.

Verùm, unde orsa est, & in eo nostra terminetur Epistola. B. Thomam deceptum fuisse ostendimus cùm Conciliis & Patribus ea tribuit, quæ tribuenda non sunt. Illius sanctitas, doctrina, & auctoritas præstabunt nunquam, ut si revera deceptus est ab homine malæ fidei, deceptus non sit, aut non esse credatur. Egregius est in rem similem Baronius ad annum DCIV. num. XL. *In his*, inquit, *quæ rerum gestarum veritatem spectant, quàm frequenter accidit, falli*

29 *etiam prudentissimos non in antiquis tantummodo, sed & in his quæ facta esse dicuntur in eodem loco quo ipsi sunt, & quo vivunt tempore, cùm usus doceat, pluribus demonstrare supervacaneum putamus. Sit in exemplum, quòd qui major est Damasceno Theologus, ita antonomasticè dictus, celeberrimus sanctitate atque doctrina Gregorius Nazianzenus in ea oratione, quam de sancto Cypriano ad populum habuit, manifestissime lapsus errore cognoscitur, cùm duos in unum Cyprianos conflat, Antiochenum, atque Carthaginensem, quos constat fuisse diversos, inter séque distinctos. Ob idque nihil est, ut quantavis sive sanctitatis, sive doctrinæ cujuslibet prærogativa viri, quod non factum sit unquam, ut factum asseremus, ipsi veritati præjudicium possit inferre; cùm in his quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus fidei orthodoxæ professor, atque defensor aliquando falli. Num rogo te, eminentia superexcellens undique comparata, cumulataque in viro tanto efficere potest, ut quod mendacium est, veritas sit, & quod perinde ac verum ab eo falsum assertum est, recipiatur ab omnibus?* In summa, cùm aliis hominibus, tum maximè Christianis & inter Christianos Theologis fugienda est falsitas & mendacium, à quo etiam Gentiles quidam tantopere abhorruerunt. Quid ego memorem *Zenonem illum veterem Stoicum, qui,* ut notat Ammianus Marcellinus in Libro XIV. *ut mentiretur quædam, laceratus diutiùs, avulsam sedibus linguam suam cum cruento sputamine in oculos interrogantis Cyprii regis impegit?* Hæc non ignoras, qui tam multa calles & tam varia; qui publicum Christianarum institutionum diribito- 30
rem ac præconem agis, & agere te video, audio, demitor. Vale. Lutetiæ Parisiorum Nonis Junii anno M DC. LXIV.

Joannes Launoius
FRANCISCO BONO.

1 AIS incidisse te in eos, qui quamvis egregiè cordati, & optimè in Sedem Apostolicam affecti sint homines, gravatè tamen ferunt subscriptionem, qua Romani quidam Pontifices post annum Christi millesimum utuntur: Subscriptio hæc est; *N. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus:* Tum quia vides me legitimam Sedis Apostolicæ dignitatem subinde tueri, contaris de me, quonam modo subscriptio hæc defendi possit. Respondeo, nihil tibi metuendum esse, rectè defendi posse. Nam inscriptio vel subscriptio hæc nihil sonat aliud, quàm hunc vel illum N. Episcopum esse Romanæ Ecclesiæ, quæ Catholicam religionem ac fidem profitetur. Id perspicuè docet Romanæ ipsius Ecclesiæ traditio, cujus monumenta tibi in medium simpliciter adduco; non omnia, quia non omnia reperi, sed talia, quæ nihilominus rem absolvent.

Leo I. in parte I. Calchedonensis Concilii num. X. sic se inscribit, ad Theodosium Imp. scribens: *Cæsari Theodosio religiosissimo & piissimo Augusto Leo Papa Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ.* Iterum num. XII. *Leo Catholicæ Ecclesiæ Romanæ Episcopus.*

Apostolicæ Sedis Legati in Actione VIII. Calchedonensis Concilii: *Paschasinus & Lucentius Episcopi reverendissimi, & Bonifacius reverendissimus Presbyter, insuper & Julianus reverendissimus Episcopus Coensis habentes locum Apostolicæ Sedis dixerunt: Sanctissimum*
2 *& venerabilem Episcopum Theodoretum sanctissimus & beatissimus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus urbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit.* Locus unus hic sufficeret, qui & antecedentia exponit & subsequentibus sic prælucet, ut ad diverticula & flexiones Sophistarum aditum omnem intercludat.

Hilarus in Romanâ Synodo, cui præfuit, sic inscribitur: *Hilarus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ Synodo præsidens dixit.* In Cod. Canonum Rom. Ecclesiæ.

Felix III. sic se inscribit ad Acacium scribens: *Felix Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ Acacio:* Rursus in Romanâ Synodo Episcoporum XXXVIII. sic inscribitur: *Felix Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ præsidens Synodo dixit:* In Cod. Canonum Rom. Ecclesiæ.

Gelasius in Romana Synodo II. ubi Misenus absolutus est, sic inscribitur: *Gelasius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ dixit.*

Symmachus in Romana Synodo I. semel atque iterum sic inscribitur: *Symmachus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ dixit:* Mox ita subscribit: *Cælius Symmachus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ his constitutis synodalibus à me probatis atque firmatis consentiens subscripsi.* Subscriptio par repetitur in Romana Synodo IV. quæ palmaris appellatur.

Vigilius in Epistola V. quam ad Mennam Episcopum mittit, hoc modo subscribit: *Deo juvante per, ipsius gratiam Vigilius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ, has schedas Epistolarum suprascriptarum recognovi atque subscripsi.*

Iterum in Epistola X. Encyclica ad universam Ec- 3
clesiam: *Vigilius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ urbis Romæ universo populo Dei.* In Jacobi Sirmondi Appendice ad Cod. Theodosianum.

Pelagius I. in Epistola XII. quam ad Childebertum Regem scribit, ita subscribit: *Pelagius misericordia Dei Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ, exemplari Epistola nostra subscripsimus.*

Pelagius II. in Epistola I. ad Episcopos Istriæ sic se inscribit: *Dilectissimis fratribus Eliæ, aliisque Episcopis, universis filiis in Ecclesia Istriæ partibus constitutis, Pelagius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ.*

Bonifacius II. in Romanæ Synodi, quæ Romæ cum Ecclesiasticis monumentis aliis edita est anno M. DC. LXII. sessione I. & II. inscribitur: *Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ urbis Romæ dixit.*

Gregorius I. in fine decretorum, quæ tempore Mauricii, Tiberii, & Theodosii Augustorum edidit, hoc pacto subscribit: *Gregorius* (Episcopus) *Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic decreto à nobis promulgato subscripsi.*

Martinus I. in Epistola V. ad Joannem Philadelphiæ Episcopum sic se inscribit: *Joanni Episcopo Philadelphiæ Martinus servus servorum Dei sanctæ ejus Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ Romanorum Ecclesiæ Episcopus.* In pluribus Epistolis aliis hoc modo se inscribit: præterea in Lateranensi Concilio, cui præfuit, passim inscribitur: *Martinus sanctissimus & beatissimus Episcopus*

pus sancta Dei Ecclesia Catholica, atque Apostolica urbis Roma Concilio præsidens dixit.

4 Agatho in Epistola, quæ in Synodi VI, actione IV. lecta & approbata est, sic subscribit: *Agatho Episcopus sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia urbis Roma* &c, *subscripsi.*

Gregorius Junior seu II. in fine decretorum suorum ita subscribit: *Gregorius Episcopus sancta Catholica atque Apostolica Romana Ecclesia, huic decreto à nobis promulgato subscripsi.*

Zacharias in Romani Concilii, cui præfuit, actione I. sic inscribitur: *Zacharias sanctissimus ac beatissimus. Papa sancta Dei Ecclesia Catholica atque Apostolica urbis Roma dixit.* Et postea subscribit: *Zacharias Episcopus sancta Dei Ecclesia Catholica atque Apostolica urbis Roma, his gestis atque sententia à nobis promulgatis subscripsi.* Hinc in Epistola IX. ad Pippinum & Episcopos Francorum ita se inscribit: *Domino excellentissimo atque Christianissimo Pippino Majori domus, seu dilectissimis nobis universis Episcopis Ecclesiarum*, &c. *Zacharias Episcopus sancta Dei Ecclesia, & Apostolica Romana.* In tom. I. Conc. Gall.

Hadrianus I. in Francofordiensi Concilio sic inscribitur: *Hadrianus sancta Catholica atque Apostolica primaque Pontifex Sedis dilectissimis fratribus & consacerdotibus nostris, Gallicis, Spanisque Ecclesiis præsidentibus in roseo Christi sanguine salutem.* In tom. II. Conc. Gall.

Iterum in Epistola XXVI. ad Episcopos in Regno Caroli constitutos: *Servatur omnino à Deo protectum Imperium suum, quod cum benedictione & sacratissimi olei unctione, Sedis Apostolica præsule ministrante, præcepit ad exaltationem & quietem matris sua* HUIUS *sancta Catholica & Apostolica Ecclesia licenter ac rectissimè moderari.*

5 Leo IV. in Romanæ Synodi, quam propter Anastasium Cardinalem Presbyterum habuit, capite XXXIX. dicit: *Isdem verò hujus urbis Presbyteri Episcopum recognoscant.* Sic Leo Rom. Pont. urbis Presbyterorum Episcopum proprium appellat. Deinde Synodo ita subscribit: *Leo sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia quartus Episcopus in hac excommunicatione & anathemate sive depositione Anastasii Presbyteri tit. sancti Marcelli, à me facta, sicut superiùs legitur, manu propria subscripsi.* In collectione Romana bipartita.

Niculaus I. in Epistola I. sic se inscribit: *Nicolaus Episcopus sancta Catholica, atque Apostolica Romana Ecclesia omnibus vera religionis ministris.*

Hadrianus II, in octavæ Synodi actione IV. & in tertio illius alloquio cap. I. ita subscribit: *Hadrianus Episcopus sancta Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, his sententiis à nobis promulgatis manu propria subscripsi.*

Joannes VIII. in Tricassino Concilio II. cui præfuit, hoc modo subscripsit: *Joannes Apostolica Romana Ecclesia prima Sedis Episcopus huic decreto à nobis promulgato subscripsi.*

Joannes XV. in Romano Concilio, cujus auctoritate Udalricus Augustensis Episcopus in Sanctorum numerum relatus est, ita subscribit: *Ego Joannes sancta Romana Catholica, atque Apostolica Ecclesia Episcopus huic decreto à nobis promulgato consensi & subscripsi.*

Concludit omnia Romanæ Ecclesiæ Diurnum vetus, quod non ita pridem Romæ editum est, & ibi nescio qua de causa captivum detinetur. Utinam injusta non
6 sit, nec cognitioni antiquitatis Ecclesiasticæ inopportuna! In eo professionis fidei formulæ sunt duæ: prior, quam initiandus Episcopus facit; posterior, quam initiatus Episcopus. In priori res sic se habet: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi* &c. *Indict. ill. mense ill. die ill. ego ill. misericordia Dei Presbyter electus, futurúsque per Dei misericordiam humilis Apostolica Sedis Antistes, tibi profiteor, Beate Petre Apostolorum Princeps* &c. Subscribit: *Ego qui suprà ill. indignus Presbyter & Dei gratia electus hujus Apostolica Romana Ecclesia hanc professionem sicut suprà continet, faciens, & jusjurandum corporaliter offerens, tibi Beato Petro Apostolorum Princeps, pura mente & conscientia obtuli.* In posteriori: *Ill. Episcopus Catholica, atque Apostolica Ecclesia urbis Roma reverendissimis fratribus & dilectissimis filiis, seu universa plebi Dei* &c. In fine ita subscribit: *Ill. gratia Dei Episcopus sancta Catholica, atque Apostolica Ecclesia urbis Roma huic professioni recta & orthodoxa fidei, sicut superiùs legitur, subscripsi.*

Hîc gradum sisto, & præ me fero, contra Sedis Apostolicæ traditionem eos graviter errare qui subscriptionem hanc, *N. Catholica Ecclesia Episcopus*, perinde interpretantur, quasi Catholica Ecclesia diœcesis certa quædam esset, cujus hic vel ille N. Episcopatum gereret: Qua ratione in Catholica Ecclesia ubique diffusa unus esset Episcopus, & cæteri Episcopi non essent Episcopi, præterquam nomine, & vicariam illius unius præfecturam tantùm administrarent. Hoc esset ponere Episcopum universalem vel œcumenicum, quem
Sedes Apostolica per Gregorium I. duodecies, in li- 7
bri IV. epistola XXXII. ad Mauritium Imp. in ejusdem lib. epist. XXXIV. ad Constantinam Imperatricem; in ejusdem lib. epist. XXXVI. ad Eulogium Alexand. & Anastasium Antioch. in ejusdem lib. epist. XXXVIII. ad Joannem Constantinop. in lib. VI. epist. III. ad Cyriacum Constantinop. in ejusdem lib. epist. XXIV. ad Anastasium Antioch. in ejusdem lib. epist. XXVIII. ad Cyriacum Constantinop. in ejusdem libri epist. XXX. ad Mauritium Imp. in ejusdem lib. epist. XXXI. ad Eulogium Alexand. & Anastasium Antioch. in lib. VII. indict. I. in epistola XXX. ad Eulogium Alexand. in ejusdem libr. indict. II. epist. LXX. ad Eusebium Thessalonicensem, & alios Episcopos, in lib. XI. epist. XLVII. ad Cyriacum Constantinop. perculit, & afflixit. Pro his locis omnibus nunc unus sufficiet, qui habetur in libri VII. indict. I. epistola XXX. ad Eulogium Alexand. *Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur, dicens; sicut jussistis. Quod verbum jussionis peto à meo auditu removete; quia scio quis sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia sunt, indicare curavi. Non tamen invenio beatitudinem vestram hoc ipsum, quod memoria vestra intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere; & ecce in præfatione epistola, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superba appellationis verbum, universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod,
peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultrà non faciat,* 8
quia vobis subtrahitur, quod alteri plus quàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est universalis Ecclesia. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. Recedant verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant: & quidem in sancta Calchedonensi Synodo, atque pòst à subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit, & tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum. Hæc interprete non egent, hæc per seipsa ut loquuntur, ita & intelliguntur. Perversè religiosus foret, qui aliter ac Sedes Apostolica per Gregorium, tàm sentiret, quàm scriberet.

Hadrianus I. Gregorii factum exequitur in sua ad Constantinum & Irenem epistola, quæ in Synodi VII. actione IV. recepta & confirmata est; Nicolaus I. in

epistola LXX. ad Hincmarum & alios Galliæ Episcopos; Leo IX. in epist. I. ad Michaëlem Constantinop. Gregorius, Hadrianus, Nicolaus, Leo, qui & quales Pontifices, apprimè noverant, decessorem suum Symmachum antiquæ traditionis retinentissimum, cùm ad Æonium Arelatensem Episcopum scriberet, dixisse: *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum esse per diversos antistites Sacerdotium.* Ver-
9 ba hæc comparationem exhibent, qua nulla major est vel augustior, vel explicandæ rei aptior. Illa sincerum Sedis Apostolicæ animum prædicat, & bonis omnibus commendat, & simul nefarias assentatorum Curiæ molitiones patefacit, & ad indignationem odiúmque designat. Deinde præ me fero, veteres illos Romanos Pontifices, quorum testimonia produximus, recentium sic explicare mentem, ut tergiversari ac moram trahere judicandus esset, qui refragaretur. Verùm ut contentionis funem auferam, & malignæ contra Sedem Apostolicam interpretationis speciem omnem detraham, subnecto quædam veterum testimonia, in quibus Episcopi, nunc Catholicæ Ecclesiæ præesse, nunc Catholicæ Ecclesiæ Episcopi dicuntur.

Constantinus in epistola ad Anulinum, lib. X. hist Eusebii cap. VII. Cæcilianum Catholicæ Ecclesiæ præesse scribit. *Quare eos, qui in provincia tua fidei concredita in Ecclesia Catholica, cui Cæcilianus præest, huic sanctæ religioni inserviunt, (quos Clericos nominare solent) ab omnibus omnino communibus & civilibus rerum publicarum ministeriis immunes ac solutos volo.*

Nicæna Synodus prima in epistola ad Alexandrinam Ecclesiam: *Neque quicquam absque consensu Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub ipso Alexandro sunt, omnino transigant.*

Quæ habitæ sunt Carthagine cum Donatistis collationes, passim objiciunt Episcopos, qui Catholicæ Ecclesiæ Episcopi vocantur. Sufficient ii, qui Collationi primæ interfuerunt, num. I. LXI. & LXVIII.

Fortunatianus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.

10 Num. LXI. *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.*

Num. LXVIII. *Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit.*

Cùm Fortunatianus, Aurelius, & Augustinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopi inscribuntur, eo inscribuntur modo & sensu, quem illi de quibus loqueris, in Romanis Pontificibus perperam coarguunt: Sed profectò per inscitiam affingunt, ut coarguant. Africani præsules Catholicæ Ecclesiæ inscribuntur Episcopi, ut Romani Pontifices inscribuntur & subscribuntur. Quinetiam Africani, ut Romani sese interpretantur. Nam in antedictæ collationis num. XLI. XLIII. & XLVI. *Aurelius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Carthaginiensis* nuncupatur & inscribitur.

Felix III. in Epistola IV. ad Zenonem Imp. ubi de Petro Alexandrino Eutychii sectatore loquitur: *Qui Petrus, tamen, si verè receptus esset, veniam mereri debuit, non honorem qui à damnatis & hereticis falsum Sacerdotii nomen accipiens, Catholicæ non poterat Ecclesiæ præsidere.* Sic Felix Alexandrinam, cui Petrus propter errores suos præsidere non poterat, haud dubitat Catholicam Ecclesiam simpliciter appellare. Catholicæ verò Ecclesiæ præsidere, idem est atque Catholicæ Ecclesiæ Episcopum esse.

Mausona Emeritensis Episcopus Toletano Concilio III. hac forma subscribit: *Mausona in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Emeritensis Metropolitanus Episcopus provinciæ Lusitaniæ his constitutionibus, quibus in urbe Toletana interfui, annuens subscripsi.*

11 Hæc autem cùm ita sint, occurrunt mihi duo, quibus vel pertinacissimi quique homines contenti esse debeat. Primùm, quòd posterioris ætatis Pontifices Romani loquuntur, ut Constantinus, ut Nicæna Synodus, ut veteres Africani præsules, ut Felix III. loquebantur. Tunc Constantinum, Nicænam Synodum, Africanos, & Felicem reprehendit nemo, quorum imitationem Concilii canon nullus, Sedis Apostolicæ decretum nullum, quod sciam, prohibuit. Quis igitur Rom. Pontifices nunc meritò reprehenderet? Deinde, quòd Romæ cùm hic vel ille N. Catholicæ Ecclesiæ Episcopum se vel inscribit, vel subscribit, ex veteri & indubitata Sedis Apostolicæ traditione, verba duo hæc, *urbis Romæ*, subaudiri debeant: Idque tribus de causis; ut explicata per auctores suos retineatur traditio, ut omnia inter se conveniant, posterioráque prioribus respondeant, ut inscriptiones non abjiciantur aliæ simpliciores, quibus Pontifices nonnulli utuntur. Liberius urbis Romæ Episcopum se duntaxat inscribit: Inter fragmenta Hilarii: *Dilectissimis fratribus & Coepiscopis nostris universis per Orientem constitutis, Liberius urbis Romæ Episcopus.* Liberium Zosimus imitatur in epistola ad Hesychium Salonitanum Episcopum: *Zosimus Episcopus urbis Romæ Hesychio Episcopo Salonitano.* Zosimum Bonifacius I. sequitur in epistola ad Hilarium Narbonensem Episcopum: *Bonifacius Episcopus urbis Romæ Hilario Episcopo Narbonensi.*

Leo I. in inscriptionis hujus usu frequens est ad epistolas XIX. In epist. I. ad universos Episcopos per Campaniam, Picenum & Thusciam constitutos, in epist. II. ad Episcopus Italiæ, in epist. III. ad Julianum Aquileiensem Episcopum, in epist. IX. ad Theodosium 12
Imp. in epist. XI. ad Julianum Coensem Episcopum, in epist. XVI. ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, in epist. XXIX. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, in epist. XXXIX. ad Pulcheriam Augustam, in epist. XLVII. ad Calchedonensem Synodum, in epist. LVI. ad Julianum Coënsem Episcopum, in epist. LXVIII. ad eundem Julianum, in epist. LXXII. ad Juvenalem Hierosolymitanum Episcopum, in epist. LXXIII. ad Leonem Aug. in epist. LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, in epist. LXXXVI. ad Nicetam Aquileiensem Episcopum, in epist. LXXXIX. ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos, in epist. XC. ad Ravennium Arelatensem Episcopum, in epist. XCIV. ad Rusticum, Ravennium, Venerium, & cæteros Episcopos Galliarum, in epist. XCV. ad Episcopos Galliarum & Hispaniarum. In his epistolis omnibus nunc *urbis Romæ*, nunc *Romæ* Episcopum se inscribit. Gelasius Leonis vestigia relegit in epist. XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Gelasius Episcopus urbis Romæ ad Dardanos.* Hormisda in epist. LI. ad omnes Episcopos Hispaniæ, Celestinum Papam urbis Romæ nominat: *Anathematizamus Nestorium hereticum damnatum in Concilio Ephesino à Beato Celestino Papa urbis Romæ.* Joannes I. epist. I. ad Zachariam Archiepiscopum: *Joannes Episcopus urbis Romæ Zachariæ Archiepiscopo salutem.* Joannes II. in epist. I. ad Julianum Imp. *Joannes Episcopus urbis Romæ Justino Imp.* Iterum in epist. III. ad Senatores: *Joannes Episcopus Romanus illustribus ac magnificis viris Avieno, Senatori, Liberio, Severino &c.* Pelagius II. epist. IV. ad 13
Auxanium: *Dilectissimo Patri Auxanio Pelagius urbis Romæ Episcopus.*

Pius II. in epistola ad Martinum Meyrum, ubi de moribus Germanorum loquitur: *Commendandi sunt & alii Romanæ urbis præsules, qui generalium præcepta Synodorum, quasi divina oracula, & admirati sunt & prosecuti.*

Julius II. in Bulla Indictionis Lateranensis Concilii Alexandrum VI. Romanorum Pontificem appellat: *Quid enim felicis recordationis Alexandro VI. Romanorum Pontifici prædecessori magis nos odiosos fecit, nisi studium & cura generalis Concilii celebrandi?*

In his Pontificibus sunt quidam, Leo nempe. Gelasius, Pelagius II. qui se, ut vidimus, *Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ Episcopos* appellant. Sunt alii, Liberius, Zosimus, Bonifacius, Joannes I. & II. qui

ex

ex Romanō more *Catholica & Apostolica Ecclesia urbis Roma Episcopus* nominasse se intelligi debent.

Porro autem inscriptiones hæ omnes non impediunt, quominus, qui Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ, vel qui simpliciter urbis Romæ Episcopus ast, pro Ecclesiæ capite habendus sit. Alexander III. duo ista conjungit in Epistola, quam ad Pisanum Archiepiscopum, & universos Episcopos atque Abbates per Thusciam constitutos scribit : *Id licèt universis Ecclesiarum rectoribus incumbat, multo tamen fortius imminet Romanæ urbis antistiti, qui à Domino Iesu Christo, ut caput esset Ecclesiæ, in Beato Petro accepit.* Quid verò sit caput Ecclesiæ, Gregorius I. nos docet in libri IV. Episto-
14 la XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum : *Certe Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quam singularium sunt plebium capita? & tamen sub uno capite* (Christo) *omnes sunt membra Ecclesiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.* Ut ergo Petrus, ita & Romanus Episcopus Petri successor primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est; Sed nihilominus membrum semper & in membris Ecclesiæ constitutus, atque eam ob causam Ecclesiæ quæ Domini corpus est, necessario postponendus. Nam, ut Beatus ait Augustinus, *Universum partibus semper optimo jure præponitur* : Exinde Sixtus III. Augustino æqualis sapienter & apposité scribit ad Episcopos per Illyricum constitutos : *Sed ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput nisi suo corpore sustineatur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* In Romana Synodo Collectionis Bipartitæ num. XVII. illustris & perspicua est veritas hæc, quæ argumenta non quærit. Sixtus corporis quam capitis, totius quam partis rationem esse potiorem indubitaté objicit.

De reliquo Gregorius & in hac & in superioribus laudatis Epistolis ad Eulogium Alexand. & Anastasium Antioch. & ad Mauricium Imp. nobis idoneus est testis, Leonem non inscripsisse se *universalis* vel *Catholicæ Ecclesiæ* Episcopum, ut in tribus Epistolis, una ad Martianum Aug. quæ incipit *Magno munere*; Altera ad Maxi-
15 mum Antioch. quæ incipit, *Quantum dilectioni tuæ*; Tertia ad Eudochiam Aug. quæ incipit, *Sancta memoriæ Theophilus*, inscribitur, in Epistolarum editione, quam anno M. D. XLVI. curavit Petrus Canisius. Antiquiores editiones carent titulo hujusmodi. Parisiensis Conciliorum editio anni M. D. XXIV. quæ Jacobi Merlini Parif. Theologi studio debetur, sic habet : *Leo Martiano Aug. Magno munere. Leo Eudochiæ Aug. Sancta memoria Theophilus. Leonis Papa ad Maximum Antioch. Quantum dilectioni tuæ.* Coloniensis Conciliorum editio an. M. D. XXX. & M. D. XXXV. à Parisiensi non differt. His Editionibus præiverunt MSS. codices : In Bibliotheca Thuana extant codices duo ante annos plus minus sexcentos exarati, ubi prima Epistola sic inscribitur : *Leo Episcopus Martiano Aug. Magno munere.* Desiderantur aliæ duæ. In Bibliotheca Monasterii S. Victoris extant quoque codices duo; quorum alter ante annos quadringentos, alter ante annos quingentos scriptus est. Prior sic habet : *Leo Martiano Aug. Magno munere. Leo Eudochiæ Aug. Sancta memoria Theophilus.* Deest Epistola ad Maximum Antioch. Posterior : *Leo Episcopus Martiano Aug.* desunt aliæ duæ. Hic codex posterior est Isidori collectio. In collectione Romana bipartita, quæ Romæ anno M. DC. LXII. in lucem prodiit, Romana Synodus est è Vaticanis manuscriptis deprompta, ubi legitur, *Leo Episcopus Martiano Aug. Magno munere* : De duabus aliis Epistolis par sit judicium. Laurentius Surius in Conciliorum editione, cui vacavit anno M. D. LXVII. memoratas refert Leonis Epistolas, sed illæ vetustiorem anno M. D. XLVI. inscriptionem retinent. Editiones cæteræ posteriores Canisianam editionem sequuntur : At Ca- 16
nisius vel mendosum codicem nactus fuerat, vel quod faciliùs crediderim, de suo tribus memoratis Epistolis titulum apposuit. Quo consilio, Deus novit : Sed certum est, nec veritatem, nec Sedem Apostolicam hominum egere mendacio.

Hæc autem omnia, quæ ex variis Romanorum Pontificum Epistolis & operibus breviter recensui, & verissimè disserui, eò spectant, ut qui N. ab anno Christi millesimo se Catholicæ Ecclesiæ Episcopum vel inscripsit vel subscripsit, se Catholicæ atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, vel quod idem est, se Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ vel inscripsisse vel subscripsisse intelligas. Sic recta & plana erunt omnia, quæ obliqua & aspera esse suspicacis animi homines existimabant.

Accedit, quòd reclamatura non sit Sedes Apostolica, cui maxime proprium est, doctrinæ antiquitatem explosa novitate retinere, vindicare, & asserere. Celestinus I. in Epistola, quam Gallorum Sacerdotibus misit, hoc verbis quatuor, sed expressis & significantioribus declarat : *Desinat incessere novitas vetustatem.* Sixtus III. ut in Celestini locum ita & in eandem cum illo testificationem succedit, ad Joannem scribens Antiochenum Episcopum : *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.*

Cæterum si Cajetanus, si Bellarminus, si similes alii Curiæ Theologi novissent, qua ratione intelligenda sit inscriptio vel subscriptio, hanc à simplici & vero tot Romanorum Antistitum sensu ad novas & falsas opiniones non deflexissent, nec adeò leviter contra Sedis Apostolicæ traditionem dixissent, Romanum Episco- 17
pum supra universam Ecclesiam esse. Jam perspicis, opinor, quod perspectum te esse sæpenumero monui, quomodo Sedes Apostolica suam per se ipsam auctoritatem tueatur & per seipsam vincat adversarios.

Ad Bellarminum quod attinet, hic sibi canit, non Sedi Apostolicæ, non Ecclesiasticæ veritati. Quæ sibi sumit lemmata; Hæc cujus antiquitatis sint, an certa vel incerta, & quò pertineant, non semper expendit, populari trutina contentus. Nam si aurificum statera expenderet, vereretur, ne quæ ex illis lemmatibus colligit, non colligere, sed potiùs abjicere cogeretur: Atque ita, quod scripturienti magnum esset malum, paginâ vacaret. In hoc argumenti genere, quod præ manibus est, insigne statuitur exemplum. In libri II. de Conciliis cap. XVII. ex Ambrosio, ut credit, sic disputat, Romanum Pontificem esse supra Ecclesiam & Concilia : *Unde Ambrosius in illud 1. Tim. 3. ut scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, &c. domus Dei, inquit, Ecclesia dicitur, cujus hodie rector est Damasus.* Sed in libri IV. de amissione gratiæ, & statu peccati capite V. quæ Commentaria in Pauli Epistolas Ambrosio tribuit, eidem sic abjudicat : *Duodecimus auctor Comment. in Epistolas B. Pauli, quæ S. Ambrosio tribuuntur. Is enim, ut Ambrosius à viris doctis esse non creditur, ita æqualis sine dubio fuit. Vixit enim tempore Damasi Papæ, ut ipse testatur in Comment. c. 3. prioris ad Timotheum.* Quasi verò qui commentaria hæc subjecit Ambrosio, Damasi meminisse, aut librarius aliquis inserere commentariis, *cujus hodie rector est Damasus*, non potuerit? Qua fraude majorem illis fidem conciliaret, & faciliùs imponeret lectoribus, ut reipsa multis im- 18
posuit, & iis qui piè decipi volunt, adhuc imponet. At enim productum à Bellarmino locum demus esse Ambrosii, quid ex eo Bellarminus philosophabitur apposité, si locus conferatur cum Epistola LXXVIII. ad Theophilum Alexandrinum, in qua Siricium *Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ* appellat? Collatio efficiet, ut propositio hæc, *Ecclesiæ rector est Damasus*, in suppositione accommoda quemadmodum Dialectici loquuntur, accipienda sit, quam Bellarminus causæ serviens in absoluta & simplici accipiendam esse duxit. Quod vitii genus ibidem

ibidem in quibusdam aliis testimoniis committit, sed per allatas suprà Romanorum Pontificum auctoritates emendari potest. At si emendari velit, nullus est; si nolit, captus: Nullus quidem, quia quod probare intendit, neutiquam probabit; In probatione omnino deficiet: Captus verò, quia tot & tantorum Pontificum auctoritates vel rejiciet, vel eos quorundam aliorum auctoritatibus postponet. Utrumque hoc aut alterutrum omnium auribus atque animis absurdum judicaretur.

Hæc autem, quæ mihi videntur sufficere, ni sufficiant, adjicies, quæ deesse tibi videbuntur. Non sum nescius, te, qui eruditione multa, Latina, Græca, & acri polles ingenio & judicio, id facere posse. Vale Lutetiæ Parisiorum Idibus Junii ann. M. DC. LXIV.

Joannes Launoius

RAIMUNDO FORMENTINO

Parisiensi Theologo.

Fonbellaqueum.

1 JACOBUS Almainus Parisiensis Theologus, ut Romanum Pontificem Ecclesia inferiorem esse, & ab illa judicari posse confirmet, octavæ Synodi canone XXI. utitur: Quæsitum ex eo argumentum Thomas Cajetanus diluit, rectè an secus, scire vis tu, qui me & alios doceres egregiè, si vacares. At scies tum demum, si quod Almaïnus disputat, & si quod Cajetanus respondet inter se contendantur. Contendamus igitur: Almaïnus sic disputat in libro de *auctoritate Ecclesia: Secundò probatur. Nam in octavo Concilio Can. 21. qui incipit Neminem prorsus, cujus pars habetur 22. dist. can. definimus, dicitur, Universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere. Ecce quòd licèt Concilium omnem quæstionem de Romana Sede definire habeat, id tamen cum reverentia propter ejus primatum facere debet, & hoc novissimum est ad majorem spectare auctoritatem.*

Cajetanus in Apologia libri *de comparata auctoritate Papa & Concilii*, respondet: *Ad secundum ex auctoritate octava Synodi dicitur: Quòd male exponuntur verba Synodi dicendo, quòd Synodus negat modum judicandi Papam,*
2 *scilicet audacter, & non judicium ipsum. Et quòd hoc expositio sit mala; probatur, quia ly audacter, aut importat vitium audacia, aut importat auctoritatem: Si primum, cùm illud sit vitandum respectu cujuscunque, & non solùm respectu Papa, ridicula esset decisio Synodi, quòd ipsa non debet vitiosè, vel ex passione judicare Papam: Et si secundum, haberetur contrarium expositionis illatæ: Unde literalis sensus est, quòd dicere sententiam in Romanum Pontificem est audacia vitium: Illa siquidem negatio præposita non modum solùm, sed totum negat. Dicendo igitur, non tamen audacter dicere sententiam in Romanum Pontificem, significat, quòd non nisi audacter dicere potest sententiam in Romanum Pontificem, sicut cùm dicimus: Quòd de manifestis licet nobis judicare; de cordis autem occultis non licet nobis temerè definire: Non intendimus negare modum definiendi tantùm, puta temerè: Sed intendimus determinare, quòd ipsa definitio de occultis cordis est temeraria. Determinat igitur ly audacter naturam judicii in Papam, sicut ly temerè in exemplo dato naturam judicii in cor. Et propterea ex hac auctoritate habetur oppositum ejus, quod arguentes intendunt: In cujus signum Synodus dicit ei competere audientiam & progressum in quæstione de Papa cum reverentia, & de sententia subdidit illam negativam, quam non subjunxisset, si etiam sententia cum reverentia sibi competeret, ipsa quippe distinctio expositionis confutare defectam ostendit. Cùm autem legeris hæc, memento, quòd sermones morales de his sunt, quæ regulariter accidunt. In casu quippe hæresis pertinacis in Papa, judicium Synodi depositivam Papa absque audacia esset.* Caje- 3
tani responsio hæc solidi nihil habet, nihil expressi, nihil eminentis. Jacet in futilium argutiarum fœtore, & litigiosa est tota, quæ recitato Synodi VIII. canone sua sponte dissilit. Canon est talis, pro diversa editione nunc XXI. nunc XIII. *Si quis tanta efferatus audacia, quemadmodum Photius & Dioscorus sive scripto, sive sine scripto infamias quasdam contra Cathedram Coryphæi Apostolorum Petri audeat jactare, eandem atque illi sententiam damnationis subeat. Si qua verò œcumenica Synodo collecta de Romana etiam Ecclesia controversia extiterit, licebit cum decenti reverentia de proposita quæstione veneranter percontari, responsumque admittere, & sive juvari, sive juvare, non tamen impudenter* δηλαδὴ*, contra seniores Roma Pontifices sententiam dicere.* Sic è Græco editio, quæ brevior est ea, quam habet Anastasius.

Dominicam sermonem, quem Christus Sanctis Apostolis, & Discipulis suis dixit, quia qui vos recipit, me recipit, qui vos spernit, me spernit; ad omnes etiam, qui post eos secundùm ipsos facti sunt Summi Pontifices, & Pastorum Principes in Ecclesia Catholica dictum esse credentes definimus, neminem prorsus mundi potentium, quemquam eorum, qui Patriarchalibus Sedibus præsunt inhonorare, aut movere à proprio throno tentare, sed omni reverentia & honore dignos judicare; præcipuè quidem sanctissimum Papam senioris Roma, deinceps autem Constantinopoleos Patriarcham, deinde verò Alexandria, ac Antiochia, atque Hierosolymorum; sed nec aliam quemcunque conscriptiones 4
contra sanctissimum Papam senioris Roma, ac verba complicare & componere, sub occasione quasi diffamatorum quorundam criminum; quod & nuper Photius fecit, & multò antè Dioscorus. Quisquis autem tanta jactantia & audacia usus fuerit, ut secundùm Photium vel Dioscorum in scriptis, vel sine scriptis injurias quasdam contra Sedem Petri Apostolorum Principis moveat, æqualem, & eandem, quam illi condemnationem recipiat. Si verò quis aliqua sæculi potestate fruens vel potens pellere tentaverit præfatum Apostolica Cathedra Papam, aut alterum Patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si Synodus universalis fuerit congregata & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra Summos senioris Roma Pontifices.

Anastasius, qui octavæ Synodi tempore vivebat, eam Latinitate donavit, ac proinde illius versio melior est & alteri præferenda. Octava Synodus in Anastasii versione modum, qui in coarguendis Patriarchalium Sedium, Romanæ, Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ & Hierosolymitanæ Episcopis servandus

vandus eſt, præſtituit, & vetat, nequis Princeps, aut alius Principis poteſtate nſus Patriarcharum quemquam impactorum illis criminum ſpecie, vel contumelia laceſſat, vel de ſede propria deturbet. Mox
5 ad Romanum Pontificem cùm accedit propius, decernit, non eſſe cum illo agendum, ut Photius & Dioſcorus egerunt. Quo decreti genere nihil eſt, vel poteſt eſſe juſtius. Nam Photius & Dioſcorus, quos Synodus in exemplum adducit, Romanorum Pontificum dignitatem in tantum læſerunt, in quantum illa fermè lædi poterat. Sed inde non ſequitur Romanum hunc vel illum Pontificem judicari non poſſe ab Eccleſia, ſi vel erraret in fide, vel publicam Eccleſiæ toti offenſionem concitaret. Et ſanè cùm prohibet Synodus, ne audacter dicatur in Romanos Pontifices ſententia, non prohibet, ne in eoſdem ſecundùm leges & canones dicatur. Quinetiam non obſcurè ſignificat, dicendam eſſe ſententiam, ubi ſecundùm leges & canones dici poteſt. In hujus Synodi octavæ canone ponitur exceptio, quæ firmat regulam in contrarium: *Non tamen audacter ſententiam dicere contra Summos ſenioris Romæ Pontifices.*

Præterea Synodus loquitur de privatis hominibus, quales fuerunt Dioſcorus & Photius, non de provinciali, regionali, vel univerſali Concilio, quod ſubductis rationibus omnibus & ſumma cum æquitate ageret. Obſervatio hæc lectione ſola conſtat: In editione quæ primò relata eſt, *Si quis tanta efferatus audacia, quemadmodum Photius & Dioſcorus*, &c. In editione, quæ ſecundò prolata eſt: *Quiſquis autem tanta jactantia & audacia uſus fuerit, ut ſecundùm Photium vel Dioſcorum*, &c. His autem perpenſis omnibus apparet, octavam Synodum in ea fuiſſe ſententia ut cre-
6 deret, Romanum Pontificem Eccleſiæ judicio ſubeſſe: Romanum ſubeſſe credebat, quemadmodum & Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum, qui omnes eodem canone comprehenduntur. Hoc & Canonis titulus importat: *Quòd non oporteat Papam Romanum, vel quempiam aliorum Patriarcharum à quolibet inhonorari.* At quamquam unum hoc notaſſe, diluiſſe ſit quidquid Almaino Cajetanus reſpondet, reſponſionis tamen partes confutabo ſingulas, ut quod Almainus ſibi ſumit, omni ex parte confirmetur.

Cajetani responsionis pars I.

Ad ſecundum ex auctoritate octavæ Synodi dicitur, quòd malè exponuntur verba Synodi, dicendo, quòd Synodus negat modum judicandi Papam, ſcilicet audacter, & non judicium ipſum.

Confutatio.

Cajetanus reſponſione hac probaret Conſtantinopolitanum Epiſcopum à Synodo judicari non poſſe. Sic enim diceret: *Malè exponuntur verba Synodi, dicendo, quòd Synodus negat modum judicandi* Conſtantinop. Epiſcopum, *ſcilicet, audacter, & non judicium ipſum.* Quis iſta non facilè pronunciaret? Sed Cajetanus inquiet, gratis & ſine ratione pronunciaret. Videndum eſt.

Pars II.

Et quòd hæc expoſitio ſit mala probatur: Quia τὸ audacter, aut importat vitium audaciæ, aut importat auctoritatem? Si primum, cùm illud ſit vitandum reſpectu cujuſcunque, & non ſolùm reſpectu Papæ, ridicula eſſet deciſio Synodi, quòd ipſa non debet vitioſè, vel ex paſſione
7 *judicare Papam, &c. Si ſecundum, haberetur contrarium expoſitionis illatæ. Unde literalis ſenſus eſt, quòd dicere ſententiam in Romanum Pontificem, eſt audaciæ vitium. Illa ſiquidem negatio præpoſita, non modum ſolùm, ſed totum negat.* Sic gravis auctor philoſophatur.

Confutatio.

Cajetanus ſic optimè conficeret, Conſtantinopolitanum Epiſcopum à Synodo judicari non poſſe, & octavam Synodum, quid relato canone decerneret neſciiſſe: Scilicet per adverbium qualitatis *audacter* judicandi poteſtatem ſibimet eripi.

Itaque *literalis ſenſus eſt, quòd dicere ſententiam in* Conſtantinopolitanum Epiſcopum *eſt audaciæ vitium. Illa ſiquidem negatio præpoſita non modum ſolùm, ſed totum negat.* Sic Curiæ Theologus argumentatur.

Pars III.

Dicendo igitur, non tamen audacter dicere ſententiam in Romanum Pontificem. Sicut cùm dicimus, quòd de manifeſtis licet nobis judicare, de cordis autem occultis non licet nobis temerè definire, non intendimus negare modum definiendi tantùm, putà temerè, ſed intendimus determinare, quòd ipſa definitio de occultis cordis eſt temeraria.

Confutatio.

Hæc omnia in Conſtantinopolitanum Epiſcopum transferri poſſe quis non videt? Poſſe quidem: Quia ut transferantur, Canon liberum facit. Transferamus igitur, ut quod abſurdum eſt, adhuc videatur abſurdius: *Dicendo igitur, non tamen audacter dicere ſententiam in Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſignificat, quod non niſi audacter dicere poteſt ſententiam in Con-* 8
ſtantinopolitanum Epiſcopum. Atque iſtud firmabitur comparatione ſequenti, quam Cajetanus inſtituit. Nam ſi legitima eſt comparatio, hæc mihi ad hominem in Canonis ſenſu diſputanti prodeſt: ſi non eſt legitima, auctori ſuo nocet, qui perperam philoſophari dicendus eſt.

Pars IV.

Determinat ergo ly audacter naturam judicii in Papam, ſicut ly temerè in exemplo dato naturam judicii in cor.

Confutatio.

Propoſitio hæc pro Conſtantinopolitano Epiſcopo ſic aſſumitur: *Determinat ergo ly audacter naturam judicii in* Conſtantinop. Epiſcopum, *ſicut ly temerè in exemplo dato naturam judicii in cor.*

Pars V.

Et propterea ex hac auctoritate habetur oppoſitum ejus, quod arguentes intendunt. In cujus ſignum Synodus dicit ei competere audientiam & progreſſum in quæſtione de Papa cum reverentia, & de ſententia ſubdidit illam negativam, quam non ſubjunxiſſet, ſi etiam ſententia cum reverentia ſibi competeret. Ipſa quippe diſtinctio expoſitionis confutatæ defectum oſtendit.

Confutatio.

Et primò quidem evaneſcunt hæc omnia, ſi cum relato canone componantur. Canonis aſpectum & lucem ferre nequeunt; uſque adeò ſunt futilia & indigna, quæ legantur. Deinde quidquid de Romano Pontifice diſputat, id omne per illum canonem de Conſtantinopolitano antiſtite diſputabo. Atque ita 9
vel neuter, vel uterque canone comprehendetur.

De reliquo Cajetanus in reſponſione ſua ſic ſe gerit, ut omnibus velit conſtare, nihil eſſe tam certum & nihil tam verum, cui futiles & ineptæ rationes non opponantur.

Pars VI.

Cùm autem legeris hæc, memento, quòd ſermones morales de his ſunt, quæ regulariter accidunt. In caſu quippe hæreſis pertinacis in Papa judicium Synodi depoſitivum Papæ abſque audacia eſſet.

CAIETANI PER SEIPSUM CONFUTATIO.

Hoc epicitharisma poſt fabulam, in quo noſter auctor penitus diruit, quidquid antè uni adverbio, *audacter*, ſuperſtruxerat. Si nulla eſt in Synodo audacia, cùm Synodus Hæreticum Papam deponit, hoc adverbio, quod ſurſum, deorſum agitat, & tanquam in gyrum rationis & doctrinæ ducit, quid fiet? Si hæreſis in caſu audaciæ vitium nullum committit Synodus, cur in publica Eccleſiæ totius offenſione vitium idem committeret, ſi Pontificem de ſuo ſtatu & loco deturbaret, & alium tanto muneri reſpondentem, atque ædificandæ doctrina & moribus Eccleſiæ idoneum ſubrogaret? Par eſt utrobique ratio: Non eſt in uno, quàm in alio caſu major difficultas. Cajetanus ergo tergiverſatur, contentionis funem trahit, & operam ludit: Atque ita magis audacter, quàm peritè ad ſatisfaciendum Almaino veniſſe dicendus eſt. Quem ſibi errorem extorqueri nolebat, ipſemet extorſit; & tandem poſt varias tricas in adverſarii ſententiam diſceſſit.

10 Profectò vetus erat Eccleſiæ ſententia, quam ille ab Humberto Ordinis ſui Magiſtro generali quinto diſcere poterat, niſi Curiæ, cui addictus erat, ſervire voluiſſet. Hic eam ſententiam ut omnibus perſpectam & animadverſam tradit in διδακτικῶν ſermonum parte II. ſerm. LXX. *Papa, qui eſt ſuper omnes, poteſt deponi ab Eccleſia, quæ tota ſubeſt ei, in caſu.* Humbertus, qui ad annum M.CC.LXX. claruit, errare eos, qui quæſtionem hanc circa Conſtantienſis Concilii tempus ortam eſſe affirmant, validè demonſtrat. Sic facilè pronuntiant & falluntur, qui ad pauca reſpiciunt.

Antiqua eſt igitur ſententia, ut Pius II. teſtatur eo in loco, ubi niſi ſumma fuiſſet veritas, negandum eſſe videbatur. In Retractationis ſuæ Bulla intelligis. Dum cœtus quidam inter Æneam Sylvium & Julianum Cardinalem in aula Imperatoris degentes ſermo inſtituitur: *Tuebamur*, inquit Pius, *antiquam ſententiam, ille* (Julianus) *novam defendebat. Extollebamus generalis Concilii auctoritatem, ille Apoſtolicæ Sedis poteſtatem magnopere commendabat.* Sic antiqua eſt ſententia, quam Julianus Pio teſte impugnabat, & quam Æneas tuebatur: ſed quam poſtea is factus ex Ænea Pius abjecit, etiamſi eſſet Sedis Apoſtolicæ ſententia. Et ſanè cùm Retractationis Bullam edidit, ſedebat in ſede Romanæ Curiæ, quam Hadrianus VI. eximiæ virtutis Pontifex deſcribit in mandatis, quæ Franciſco Cheregato oratori ſuo in Germaniam profici-
11 ſcenti dedit: *Scimus, in hac Sede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe, abuſus in ſpiritualibus, exceſſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata.* Hîc referre cogor, quod alia in Epiſtola referre horrui. Non ſedebat tunc in Sede Petri, cujus, ut ait Leo, *manet privilegium, ubicunque ex ipſius fertur æquitate judicium.* Quod non accidit, cùm doctrinæ antiquitas novitati poſtponitur, & ubi quæ una eſt è notis Catholicæ Eccleſiæ præcipuis, contemnitur.

Tertullianus in libri de præſcriptione hæreticorum capite XXXI. *Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe dominicum & verum, quod ſit prius traditum: Id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum.* Hinc in libri contra Hermogenem capite I. *Solemus hæreticis compendii gratia de poſteritate præſcribere.*

Hieronymus id facit in dialogo contra Luciferianos ſub finem: *Ex hoc ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus pronunciavit.*

Auguſtinus in libri contra Epiſtolam Manichæi capite IV. *In Eccleſiæ gremio tenet me conſenſio populorum vetuſtate firmata.*

Vincentius Lirinenſis in Commonitori I. capite III. antiquitatem pro ſecunda Catholicæ Eccleſiæ nota ſtatuit, & in capite IV. dicit: *Tunc Chriſtianus Catholicus providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorſus jam non poteſt ab ulla novitatis fraude ſeduci.*

Bellarminus in libri IV. de notis Eccleſiæ capite V. Vincentium ſequitur, & antiquitatem ponit alteram Eccleſiæ notam: *Sine dubio*, inquit, *vera Eccleſia an-* 12
tiquior eſt, quàm falſa. Et hanc notam latè perſequitur.

Itaque cùm Pius in Retractationis diplomate à vera receſſit ſententia, ſingulari Dei factum eſt providentia, ut non recederet à veræ ſententiæ teſtimonio, quod monumentis conſignavit ſuis. Opinionis novæ infamiam exagitat in libro I. de geſtis Baſileenſis Concilii; ubi inter alia indignabundus dicit: *Sunt aliqui ſive avidi gloriæ, ſive quòd adulando præmia expectant, qui peregrinas quaſdam & omnino novas prædicare doctrinas cœperunt, ipſúmque Summum Pontificem ex juriſdictione ſacri Concilii demere non verentur. Excæcavit namque illos ambitio, à qua non ſolùm hoc hodiernum ſchiſma, ſed omnia uſque in hunc diem ſchiſmata ſuborta reperiuntur.*

Interim omittere non poſſum recentiorem Theologum, qui annis abhinc quinquaginta Almaini rationem aliter, quàm Cajetanus, diluere voluit: *Tantùm abeſt*, inquit, *ut hoc Concilii decretum quicquam contra Pontificem in favorem univerſalis Concilii moliatur, quin potiùs ejus primatum apertè confirmet. Prohibet enim ne audacter ſententia in Romanum Pontificem dicatur, quamvis quæſtio de ejus ſede exorta ſuſcepta fuerit. Neque enim per particulam audacter, intelligitur temere, aut præcipitanter, quandoquidem temeritas & præceps feſtinatio in quibuſcumque judiciis, etiam vilisſimorum quorumcunque hominum, cavenda eſt: Sed per, audacter, intelligitur, ne abſolutè tantum ſibi arroget Concilium, ut ſententiam contra Pontificem dicere audeat. Quò fit ut ſi decretum hoc* 13
attentiùs, & ſine partium ullarum anticipatu, atque affectata defenſione expendatur, plus feriat, quàm juvet Summi Pontificis adverſarios. Reſponſionem totam hanc referre, ut refero, non ſolùm eſt eam refellere, ſed etiam demonſtrare, auctorem Concilium VIII. & canonem quo de agitur, legiſſe nuſquam. Si enim legiſſet, non eo reſponderet modo, qui totis ſcholis explodendus eſt. Ubinam vidit, particulam, *audacter*, à Grammaticis & literatis hominibus ſic expoſitam eſſe, ut exponit? Illiteratiſſima eſt reſponſio. Majori cum Latinæ linguæ ignorantia, quàm Cajetanus reſpondet, & tamen (quod mirum eſt) perinde reſpondere ſibi videtur, ac ſi de Almaino triumphum reportaret ampliſſimum. Canonis hujus editiones ſeu verſiones ſunt duæ, quas antè retuli: In una ponitur, *Non tamen impudenter contra ſenioris Romæ Pontifices ſententiam dicere.* In altera: *Non tamen audacter ſententiam dicere contra Summos ſenioris Romæ Pontifices.* Hic auctor verba hæc ſic interpretatur: *Sed per, audacter, intelligitur, ne abſolutè tantum ſibi arroget Concilium, ut ſententiam contra Summum Pontificem dicere audeat.* O perverſum interpretationis genus, quo canonis pars in contrarium ſenſum traducitur, quo judicandi modus in ipſum judicium convertitur, quo nova & peregrina dogmata ſanciuntur! Τὸ *impudenter* vel *audacter contra Romanos Pontifices ſententiam dicere*, refertur ad Dioſcorum & Photium, quorum exemplum utpote malum vetatur, non ad Synodum, quæ de Romano Pontifice non niſi ſecundùm leges & canones pronun-
ciabit. Utinam inſpexiſſet Gratiani decretum, quod 14
Romæ correctum atque editum eſt, ubi ſic canon extat: *Definimus neminem prorſus mundi potentum, quemquam eorum qui Patriarchalibus præſunt ſedibus, inhonorare aut movere à proprio throno tentare, ſed omni reverentia & honore dignos judicare, præcipuéque ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ; deinceps autem Conſtantinopoleos Patriarcham, deinde verò Alexandriæ, ac Antiochiæ & Hieroſolymorum.* Diſt. XXII. cap. VII. Igitur ſi canonem hunc à Gratiano relatum inſpexiſſet, quod de Synodo dixit, de privatis dixiſſet hominibus, qui longè aliter, quàm Synodus judicare ſolent: Præterea quod de Romano dixit Pontifice,

non

non dixisset, alioqui de Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano Patriarchis dixisset. Sed quis animo æquo ferret hoc? *Per particulam, audacter, intelligitur, ut absolutè tantum sibi arroget Concilium, ut sententiam contra Summum Pontificem, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum Patriarchas dicere audeat.* In has ineptias coguntur incidere, qui partium studiis ducuntur & excæcantur.

Ad extremum, si vera esset auctoris istius interpretatio, pugnasset secum octava Synodus: Fecisset, quod sibi faciendum non esse decernebat. In definitione sua quùm contra Honorium Romanum Episcopum sententiam dixit, hunc ut hæreticum anathemate percussit: *Anathematizamus Theodorum, qui fuit Episcopus Pharan, & Sergium, & Pyrrhum, & Paulum ac*
15 *Petrum, impios præsules Constantinopolitanorum Ecclesiæ, atque cum eis Honorium Romæ, unà cum Cyro Alexandriæ, nec non & Macarium Antiochiæ, ac discipulum ejus Stephanum, qui malæ opinionis Apollinarij & Eutychetis ac Severi impiorum hæresiarcharum dogmata sectantes, sine operatione ac sine voluntate animatam anima rationali & intellectuali Dei carnem sensibus læsis & revera sine ratione prædicaverunt.* Sententiæ huic Sedis Apostolicæ legati tres, Donatus Ostiensis Episcopus, Marinus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Stephanus Nepesinus Episcopus, qui præerant Synodo, consenserunt, & subscripserunt. Synodum VI. in qua Honorius damnatus legitur, fuisse corruptam, aut Synodi Patres non bene intellexisse Honorii literas, aut Honorium errare & in hæresim labi non potuisse, attulerunt nusquam: Quæ tamen omnia seu sigillatim, seu conjunctim adferre facile fuit, si adferenda legitimè fuissent. Legati ii non erant vtique, qui præter mentem, præter veritatem, præter Sedis Apostolicæ traditionem aliquid ederent, & in medium proferrent. Noverant Agathonis legatos cùm reversi sunt Romam, ac Synodi acta perlegerunt Leoni II. & Leo II. illa vertisset in Latinum, de actorum corruptione conquestos non esse. At si facta fuisset ulla corruptio, nonne apud Imperatorem Constantinum, qui Synodum convocaverat, tanto cum studio interfuerat & subscripserat, de vi actis illata, de injuria Honorio per falsarios irrogata conquesti fuissent? Conquesti non sunt. Occidentales reliqui antistites tacuerunt.
16 Quis autem sciens & prudens Agathonis legatis, quorum unus fuit postea Ioannes V. quis Occidentalibus Episcopis, qui Synodo interfuerunt, exitiosum Honorio, Sedi Apostolicæ, veritati silentium improperaret? Improperaodum esset meritò, si acta Synodi fuissent corrupta? Quis illos omnes, & Legatos & Occidentales Episcopos publicæ causæ prævaricatores appellaret? Appellari jure possent, si de actorum vitiatione, & de non errandi privilegio, quod haberet Honorius, tacuissent?

Celestinus in epistola ad Galliarum Episcopos: *In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori.*

Felix III. in epistola I. ad Acacium Constantinopolitanum: *Non caret scrupulo societatis occultæ, qui evidenter facinori desinit obviare.*

Gregorius VII. in libri IV. epistola I. ad Episcopos, Abbates, Duces, ac Principes Romani imperii: *Qui pravis hominibus sui consideratione officii non contradicit, consentit, & qui resecanda non aufert, committit.*

Urbanus II. in epistola ad Remensem & comprovinciales Episcopos: *Peccantì cùm possis non contradicere, consentire est.* In tom. V. Spicilegii Lucæ Dacherii.

Qui verum tacet, falsum committit. L. Presbyteri, citra. L. de Episcop. & Cler.

Albertus Pighius, Baronius, Bellarminus & alii, qui vitiata fuisse acta Syodi VI. contendunt, oculos ad hæc omnia non adjecerunt; aut si adjecerint, Romanam & Occidentalem Ecclesiam, corruptionis ac- 17
torum Synodi VI. & perfidiæ corruptoris ream peragere non dubitaverunt: nec dubitant etiamnum, qui Pighii, Baronii, & Bellarmini factum exequuntur. Hæc ratio, quæ gravis ni fallor & recta est, dum obversatur mihi,

Horrendum ac dictu video mirabile monstrum.

Ut unus servetur Romanus Pontifex Honorius, condemnantur Romani Pontifices duo, Leo II. & Ioannes V. his adhærens urbis æternæ Clerus, subjacentes Sedis Apostolicæ Concilio centum viginti quinque Episcopi, qui ei subscripserunt, ut in Synodi VI. actione IV. traditur, Occidentales cæteri præsules, qui Synodo interfuerunt, & acta Synodi secum retulerunt.

Ad miseram illorum omnium fortunam accedit Hadrianus II. in epistola, quæ in Synodi VIII. actione VII. & lecta & approbata est: *Licèt Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia super hæresi accusatus fuerat, propter quam solùm licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus liberè respuere, quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit, proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset, auctoritas.* Hadrianus, inquam, & loquendo & tacendo accedit: loquendo quidem, dum fatetur ingenuè Honorio ab Orientalibus, id est, à Concilio apud Orientales celebrato dictum esse anathema, quód de hæresi accusatus fuisset; quo modo pro incorruptis juxta Sedis Apostolicæ traditionem habuit Synodi VI. 18
acta, quæ pro corruptis adversus eandem traditionem habuerunt Pighius, Baronius, Bellarminus, & eorum sectatores: Tacendo vero, quód acta illa fuisse corrupta, & ea jam corrupta in Latinum traduxisse Leonem II. non acriter contenderit, quód Honorium propter Christi privilegium errare minimè potuisse non dixerit, quód Synodum VI. Honorii literas neutiquam intellexisse non receperit, quia Monothelitis opinor pariter dicturis, Synodum non benè intellexisse Patrum testimonia, quibus ad conficiendum fidei decretum usa est, non potuisset fortiter respondere; quod tandem Agathonis Epistolam non objecerit, in qua scribitur: *Hæc est vera fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit, atque defendit hæc spiritualis Mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit* &c. Hanc inquam Agathonis Epistolam non objecerit, seu quia Synodum VI. aliter censuisse, & Synodo Legatos Agathonis consensisse significat; seu quia aliud esse loqui de Romana Ecclesia, aliud de Romanæ Ecclesiæ Episcopo sciebat. Agatho de Honorio non loquitur, & quia non loquitur, eum idoneè loqui non potuisse indicium est certissimum. Quæ de Romana tradit Ecclesia, hæc vera esse possunt etiamsi hæreticus fuerit Honorius. Sedes à sedente distinguitur. Beatus Leo in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite III. *Etsi,* in- 19
quit, *diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium.* Auxilius Formosi Papæ defensor in Libri II. de ordinationibus capite XVIII. *Aliud sunt Pontificales Sedes, aliud Præsidentes.*

Deinde Sedes Apostolica consensit in suo vetere Diurno, probavit & subscripsit, qua parte fidei professio antistiti novo sic præstituitur: *Ill. Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ reverentissimis fratribus, & dilectissimis filiis, seu universæ plebi Dei.* Infrà sub finem: *Inter hæc veneranda universalia quinque Concilia, etiam sextum Concilium universale centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, quod favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis nostri domini Constantini clementer implente, in urbe regia eo præsidente celebratum est, cui*

Apostolicæ recordationis Agatho Papa per legatos suos & responsales præfuit. Et quibusdam interpositis: *Ita quoque & duas naturales habere voluntates, duásque naturales operationes secundùm Sanctorum Patrum doctrinam decreverunt: Auctores verò novi & heretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos unà* cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, *paritérque Theodorum Pharanitanum, & Cyrum Alexandrinum, cum eorum imitatoribus, simúlque & hos, qui hereticorum dogmata veritate fidei Synodaliter declarata, atque prædicata pertinaciter defenderunt, pessimum & Deo odibilem Macarium cum ejus discipulo & magistro impietatis
20 & Polychronium delirum senem, novum Simonem, cum omnibus hæreticis scriptis, aliisque sequacibus nexu perpetui anathematis devinxerunt.* Hæc est Sedis Apostolicæ professio.

Tum Sedes Apostolica in Breviario, quod ad usum illius Venetiis anno M. CCCC. LXXXII. & Parisiis M. D. XLIII. in lucem prodiit, Honorium damnatis à Synodo VI. Monothelitis accenset, dum Beati Leonis II. festum agit IV. Calend. Quintiles.

NOCTURNI I. LECTIO I.

Hic (Leo) *suscepit sanctam sextam Synodum, quæ nuper per Dei providentiam in regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente ac præsidente piissimo ac clementissimo magno Principe Constantino infra regale palatium ejus, quod appellatur Trullus, simúlque cum eo residebant legati Sedis Apostolicæ & duo Patriarchæ, id est, Constantinopolitanus & Antiochenus, atque centum quinquaginta Episcopi.*

LECTIO II.

In qua Synodo condemnati sunt Cyrus & Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus, nec non & Macarius, cum discipulo suo Stephano, sed & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Iesu Christo dixerunt, vel prædicaverunt, aut quod denuò prædicaturi sunt, aut defensaverint.

Lectiones hæ duæ Cajetani ætate in Romana canebantur Ecclesia, & canerentur hodieque, nisi illas certi quidam Curiæ adulatores sustulissent. Traditionem, quæ à Synodi VI. tempore constanter
21 ac fideliter in Apostolica Sede permanebat, ferre non potuerunt.

Haud dissimili fide se gesserunt erga Sancti Eusebii Confessoris lectionem, quæ in ejus festo XIX. Calend. Septemb. legebatur hujusmodi: *Beatus Eusebius Presbyter cùm præsente Constantino fidem Catholicam constantissimè defensaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ consensisse, ab irato Constantino Imp. Ariano includitur in quodam cubiculo domus suæ, habente in longitudine pedes quatuor* &c. Ipsissima sunt Martyrologii Adonis verba, ex quibus hæc comparata est lectio, ni fortasse quis velit Lectionem in Adonis martyrologium transiisse. Utut sit, eadem utrobique verba reperiuntur. Hanc lectionem expunxerunt, nec ullam aliam ob causam, nisi quòd in ea pro hæretico Liberius Pontifex haberetur. At Sedes Apostolica, quæ eminentissimam simplicitatem colit & observat, non removisset lectionem illam, quia antiquæ consonat veritati. Liberius testatur hoc ipse in epistola VII. ad Orientales Episcopos: *Dilectissimis fratribus & Episcopis Orientalibus salutem.* Et paullò pòst: *Ego Athanasium non defendo: sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius decessor meus, verebar, ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, justè vos illum condemnasse, mox consensum meum commodavi sententiis vestris, literásque super nomine ejus* (id est, de condemnatione ipsius) *per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque remoto Athanasio à communione omnium, cujus nec epistolia à me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis, & cum universis E- 22
piscopis Orientalibus, seu per diversas provincias pacem & unanimitatem habere. Nam ut veriùs sciatis me veram fidem per hanc Epistolam ea loqui, Dominus meus & frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram & Catholicam exponere, quæ Sirmii à pluribus fratribus & coepiscopis nostris tractata & exposita, & suscepta est ab omnibus, qui in præsenti fuerunt, hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc à me tenetur.* Hæc perspicua sunt, & lectioni Breviarii consentanea.

Quis verò Fortunatianus fuerit, per quem Liberius deferendas ad Constantium dedit literas, Hieronymus nos docet in libro de viris illustribus: *Fortunatianus,* inquit, *natione Afer, Aquileiensis Episcopus, imperante Constantio, in Evangelia titulis ordinatis brevi & rustico sermone scripsit commentarios, & in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Deinde in Chronico: *Liberio in exilium ob fidem trusо omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verùm cùm Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi perjuraverunt, & post annum cum Felice ejecti sunt: Quia Liberius tædio victus exilii, & in hæretica pravitate subscribens Romam quasi victor intraverat.* Hæc pro comperto ita tradit Hieronymus, qui cùm Romæ sub Damaso Papa plures annos manserit, Liberii res gestas ignorare non potuit. Has novit 23
optimè omnium. Athanasius, Socrates, Sozomenus, Rufinus hac in re debent Hieronymo cedere. Testis est auritus & oculatus, ideòque præferendus cæteris. Auxilius in libri I. de ordinationibus capite XXV. *Quis nesciat, quòd Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæresi subscripserit, & per ejus transgressionem nefandissima scelera sunt commissa?* Iterum in libri II. capite I. *Qui* (Liberius) *Arianæ hæresi subscripsit.*

Sunt ergo monumenta septem, quibus Romanæ Ecclesiæ circa Liberium traditio asseritur: Liberii ipsius ad Orientales Epistola, Hieronymi auctoritates duæ, Adonis Martyrologium, Auxilii testimonia duo, & Romani Breviarii lectio, quam suprà retulimus, & quam alii sustulerunt è Breviario, ne simplex & ingenua Sedis Apostolicæ confessio agnoscatur.

Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus, sacrarum Cerimoniarum, seu Rituum Ecclesiasticorum S. R. E. libros tres edidit, & Leoni X. nuncupavit. In libri I. de Canonizatione unius Sancti Lectione VI. res sic se habet: *De his, quæ fiunt in die Canonizationis. Intrat Ecclesiam Pontifex, & ascendit suggestum cum Prælatis & aliis officialibus: Clerus suggestum circumstat: Pontifex oratione facta ante altare ascendit eminentem sedem.* Et quibusdam interpositis: *Tunc procurator causæ petit à Pontifice nomine procuratorio, & nomine Principum pronunciari & declarari Beatum N. in Sanctorum Catalogo adscribendum, & ut Sanctum venerandum à Christi fidelibus. Pontifex antequam pronuntiet, consuevit protestari in hanc 24
formam: quod invenimus servatum à multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clarissimi viri, qui dicant hoc introductum ex quadam causa, quæ nunc cessat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra suam opinionem, & propterea protestabatur; nunc autem non videri congruam illam protestationem, Sed de hoc statuat Summus Pontifex, & sacer Senatus.*

FORMA PROTESTATIONIS

Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publicè apud vos præsentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem, aut Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei.

Deinde alta voce, sedens tamen cum mitra, pronuntiat in hunc modum: Ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis,

nitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, de Fratrum nostrorum consilio decernimus & definimus bonæ memoriæ N. Sanctum esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque Catalogo hujusmodi adscribimus; statuentes, ut ab universali Ecclesia anno quolibet in die tali festum ipsius & officium, sicut pro uno Confessore (si sit Confessor) vel Martyre (si sit Martyr) devotè & solemniter celebretur. Et paullò pòst: *Quibus finitis procurator fiscalis rogat Protonotarios* &c. *De* protestatione facta *per Papam, & procurator causæ simpliciter rogat de so-*
25 *lemni pronuntiatione canonizationis, & petit instrumentum, & à Papa decerni Bullas super his opportunas.*

In ritu hocce sunt tria maximè, quæ observationis postulant nonnihil. Primùm, quòd relata protestatio communi quodam in usu, atque Romanorum Pontificum more & sermone versaretur, ac syncerum olim agendi modum Sedis Apostolicæ palam ostenderet. Hæc protestatio reapse quoad præcipua capita convenit cum ea, quam Baccalaurii Facultatis nostræ suis actibus Theologicis præmittunt, & in humanæ infirmitatis subsidium assumunt, parati corrigere si quid correctione dignum ederent, & in medium proferrent: Immo ablegata jam tum pertinacia, & ardenti cognoscendæ & tuendæ veritatis desiderio correcti censentur. Sic Pontifices Summi per protestationem istam significant se sibi minimè tribuere non errandi privilegium, quod Christus Ecclesiæ suæ, & eam repræsentanti Concilio pollicitus est. Hinc Concilium de fide & moribus cùm decernit, Christi pollicitatione confisum non adhibet protestationem, quæ relata est.

Deinde, quòd credibile prorsùs est, Romanos Pontifices, qui protestationis formula usi sunt, usos esse, cùm aliquem seorsum ab Episcoporum Concilio in Sanctorum Catalogum referrent. Joannes enim XV. qui Udalricum Augustensem Episcopum Sanctorum numero adscribsit in Concilio, protestationis formula non utitur. Episcoporum verò Synodo fuisse quondam opus, nos docent Romani Pontifices Urbanus II. Eugenius III. Alexander III.

26 Primus cùm Benedicto Kemperlegiensi Abbati, ut unum è suis decessoribus nomine Gurloësium in Sanctorum ordine collocaret, petenti sic in tom. IV. Galliæ Christianæ respondet: *Porro quod de Beati Gurloësii celebratione ab auctoritate nostra judicium expetiisti, non eadem potuit facilitate concedi. Non enim Sanctorum quisque debet canonibus admisceri, nisi & testes adsint, qui ejus miracula visa suis oculis attestentur, & plenariæ Synodi firmentur assensu.*

Alter in diplomate, quo Henricum Imperatorem primum cælo intulit, & ad Egbertum Episcopum & Canonicos Bambergensis scripsit Ecclesiæ: *Quæ quidem nos omnia simul perpendentes, atque devotionem vestram & Ecclesiæ Bambergensis, quæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subesse dignoscitur, diligenter considerantes, tametsi hujusmodi petitio nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat, auctoritate tamen S. R. Ecclesiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atque ejusdem memorabilis viri, cujus exaltationem requiritis, fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio, memoriam inter Sanctos de cætero fieri censemus.*

Tertius in diplomate, quo Edvardum Angliæ Regem in Sanctorum cœtu posuit. In eo sic Archiepiscopos, Episcopos & alios affatur: *Inde utique fuit, quòd super petitione, quam de Edvardo glorioso quondam Rege Anglorum canonizando, & in Sanctorum Catalogo adscribendo, tam carissimus in Christo filius noster Henricus illu-*
27 *stris Anglorum Rex, quàm vos ipsi nobis instantiùs porrexistis, sollicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ dum in carne mortali viveret, & postquam de præsenti sæculo est assumptus, omnipotens Dominus per suam misericordiam declaravit, visis etiam literis antecessoris nostri piæ recordationis Innocentii Papæ, vestris quoque testimoniis inde receptis, quamvis negotium tam arduum & sublime non frequenter soleat, nisi in solemnibus Conciliis de more concedi, de communi tamen fratrum nostrorum consilio juxta votum & desiderium prædicti filii nostri Regis, ac vestrum, corpus ipsius Confessoris ita glorificandum censuimus & debitis præconiis adorandum in terris, sicut eundem Confessorem Dominus per suam gloriam glorificavit in cælis.* Hæc autem quæ Pontifices numero tres afferunt, interpretatione nulla indigent: Omnino sunt perspicua, & observationi nostræ suffragantur.

Denique, quòd nonnulli Cajetano similes protestationem hujusmodi abrogandam esse duxerint; idque ea ratione, quæ Romanos Pontifices non errandi privilegio carere doceat. Si retinendæ protestationis iniissent consilium, fecissent prudentiùs, quam illius tollendæ causam seu veram seu fictam adferre, quæ Sedem Apostolicam infamat. Adulatorii dedecoris exemplum est, quod posteris reliquerunt. Sed relictum perinde prodest, ac si remansisset in usu protestatio: Siquidem minùs honesto nomine veterem conservat traditionem rei, quam honestior protestandi formula conservabat.

Hadrianus VI. antiquæ probitatis vir, qui tunc 28
claruit, antiquam Sedis Apostolicæ traditionem retinere quàm deserere maluit. Adscribo verba illius ex art. III. de ministro confirmationis: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico I. Quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius puta Pontifex, certum est, quòd possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici: Item & novissimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd anima purgata ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei; & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Item patet de hoc errore quorundam Pontificum circa matrimonium, de quo in cap. Licèt de spons. duorum. Item patet hoc de errore, quem ediderat Celestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim, cujus error olim habebatur in alia compilatione in cap. Laudabilem de convers. conjug. ut refert Ostiensis in cap. Quantò de divortiis. Non tamen dico Gregorium hic errare; sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.* Hæc ille cùm Lovanii doceret Theologiam, quæ revocavit nusquam, sed potiùs, quoad vixit, asseruit, ut Romana commentariorum illius in quart. Sent. editio testatur, & in perpetuum testabitur; Quæ inquam non revocavit, ut Cardinalis fieret, non revocavit Cardina- 29
lis factus, quò faciliorem sibi ad Pontificatum viam muniret: Non revocavit creatus Pontifex, ut dignitati propriæ faveret. Quinetiam cùm Pontificatus honorem dogmatibus veris excolendum, nec peregrinis aut novis infuscandum esse sciret, quia syncerus atque eruditus juxtà Theologus, memorata commentaria Romano excudi prælo non ægrè tulit: Id gratum habuit, & viri graves ad librum & libri auctorem elogia addiderunt non pauca, quæ prætermittimus.

Et primùm quidem diligenter observandum est, Hadrianum non dicere, *Dubium vel probabile est*, sed dicere, *Certum est, Pontificem errare posse in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo.* Hadrianus, inquam, dicit, *certum est*, ratus assertionem suam difficultatis habere nihil, quia probè tenebat contrariam assertionem esse novam & perniciosam Ecclesiæ: Noverat decessorem suum Euge-

num

nium IV. scripsisse certam quandam Bullam, quæ nunc in sessione XVI. Basileensis Concilii refertur, ubi disertè tradit: *Si Papa vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, & contra Concilium affectaret, Papa sententia vel ejus Legati personam Summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa, nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.*
30 Quid ita? Concilium certò & sine erroris periculo decerneret de fide & moribus Ecclesiæ, Pontifex non sic.

Hadrianus noverat Petrum Alliacum Episcopum & Cardinalem Cameracensem in sermone II. de Adventu Domini, quem apud Constantiensis Concilii Patres habuit, dixisse: *Quòd auctoritas decernendi & definiendi non est attribuenda soli Pontifici, sed toti Concilio generali. Unde manifestè reprobatur error quorundam perniciosissimus & toti Ecclesiæ periculosissimus, qui adulando potestati Papali ita detrahunt auctoritati sacri Concilii, ut dicere præsumant, quòd Papa non potest necessariò sequi deliberationem Concilii; Immo standum esse sententia Papæ, si Ecclesia vel Concilio generali contradicat.* Quia non Papæ, sed Coucilii tribunal ultimum esse significat, in quo certò & sine erroris formidine pronuntiatur.

Hadrianus noverat Innocentium III. olim scripsisse ad Philippum Francorum Regem, qui volebat Pontificis auctoritate ab Regina uxore discedere: *Non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet; cùm absque dubio, nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis*
31 *sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* Pontifex agnoscit Concilii auctoritatem sua majorem & efficaciorem. Deinde tantum abest, ut non errandi privilegium sibi tribuat, ut illud potiùs abjudicet. At neutrum faceret, nisi ex sedis suæ traditione facere cogeretur. Id in sermone II. de consecratione Pontificis confirmat: *In tantum enim mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Qui fidem potest amittere, non errandi privilegio caret, & sic de rebus fidei certò pronuntiare nequit. Qui ab Ecclesia judicatur, inferior Ecclesia & Concilio esse debet. Hinc decessoris sui Clementis circa matrimonium errorem correxit, ut Robertus Corceon testatur in Summa quæst. de impedim. matrimonii: *Non enim uxor Gentilis aut Judæi debet esse melioris conditionis, ut possit liberè transire ad secunda vota, quàm uxor hæretici conversa ad fidem, quod concessit Clemens in illa decretali, Laudabilem, nec dicit hæc ad paria esse judicanda. Sed Innocentius, qui modò præsidet, hæc revocavit.* Auctoris hujus, qui postea Cardinalis fuit, Summa extat MS. in Bibliotheca monasterii S. Victoris. Innocentius cùm Clementis decretalem revocat in re tam gravi, Clementem errasse demonstrat. Quare mirum non est Innocentium ea de re scripsisse, quæ retulimus.

Deinde cum scribit [*Plures fuerunt Romani Pontifices hæretici*] respectum habet ad Liberium & Honorium maximè, qui Romæ etiam pro hæreticis habebantur.

32 Tum accedit ad Joannem XXII. qui reprobatum ab Ecclesia Romana errorem publicè docuerat & prædicaverat. Reprobatum verò errorem illum ipse nos docet Clemens IV. in epistola, quam ad Palæologum Græcorum Imperatorem anno M. CC. LXVII. scripsit. In ea Catholicæ fidei formula continetur hæc: *Et quidem credimus Sanctam Trinitatem*, &c. Quibus symbolum paullò latiùs explicatur, eóque explicato subjicitur: *Hæc est vera fides Catholica, & hanc super dictis articulis tenet & prædicat sacro sancta Romana Ecclesia. Sed & propter diversos errores à quibusdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos dicit & prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum.* Et quibusdam interpositis: *Illas igitur animas, quæ post suum baptisma nullam omnino peccati maculam incurrerint, illas etiam quæ post peccati maculam contractam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superiùs dictum est, fuerunt purgatæ, mox in cælum recipi.* Joannes Patriarcha Constantinopolitanus in literis, quas ad Joannem XXI. dedit anno M. CC. LXXVII. fidei professionem complectitur; ubi res eadem sic se habet: *Ex quo autem sancta Romana Ecclesia propter diversos errores à quibusdam ex ignorantia, ab aliis ex malitia introductos dicit & prædicat.* Et quibusdam interjectis: *Et illorum animas, quæ post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerint, illas etiam quæ post baptismum maculam peccati contraxerint, vel si in suis manentes cor- 33
poribus, vel eisdem exutæ, sicut superiùs dictum est, fuerint purgatæ, mox in cæleste regnum recipi.* Cùm igitur alibi, tum præsertim Romæ exploratus erat error, quem Joannes XXII. in se receperat. Qua de re Joannes Gerso Parisiensis Cancellarius sic loquitur in sermone de Festo Paschatis, dum illud explicat, *Hodie mecum eris in paradiso. Propter quod insuper apparet falsitas doctrinæ Papæ Joannis XXII. quæ damnata fuit cum sono buccinarum vel tubarum coram Rege Philippo avunculo tuo per Theologos Parisienses de visione beata: Et credidit potiùs Theologis Parisiensibus, quàm Curiæ.*

Denique, quod observatione dignum est maxima, Hadrianus dedita opera calamum stringit adversus eos, qui Papæ non errandi privilegium attribuunt: *Evacuare*, ait, *intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.* Quæ ad Gregorii factum pertinent, disputationem non exigebant tam acrem; sed illorum, qui Papæ non errandi privilegium affingunt, nova & periculosa dogmata, quæ funditus evertere moliebatur.

Huc spectat Joannes Franciscus Picus Theoremate IV. de fide ad Julium II. *Quòd autem Pontifex errare in judicando possit, asseverantissimè à plerisque pronuntiatur. Aiunt enim notissimum esse, Pontificem Summum hæreticum fieri posse, & deponi à sede.* Hæc quia veritati congruunt, Julius ingrata non habuit.

Exinde factum arbitror, ut Hadrianus Pico æqualis errorum Lutheri condemnationem à Leone
X. factam anno M. D. XX. non adhibuerit, sive cùm 34
Fredericum Saxoniæ Ducem per literas hortatus est, ne Lutherum, quem verbis alioqui durioribus appellat, in fidem suam acciperet, aut illius erroribus patrocinaretur, sive cùm Francisco Cheregato oratori suo in Germaniam eunti mandata dedit eo consilio, ut Germaniæ Principes & populos in Catholicæ Ecclesiæ communione retineret, vel ad eam illos qui defecerant revocaret. In his autem mandatis sic loquitur: *Et certè fatemur Luthero* (qui se inauditum à Leone X. condemnatum esse querebatur) *defensionem negari non debere in hiis quæ sunt facti, hoc est, utrum dixerit, nec ne, utrum prædicaverit, vel scripserit, nec ne; Super divino verò jure & materia Sacramentorum standum auctoritati Sanctorum & Ecclesiæ. Adde quod ferè omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia prius reprobata. Non debet autem revocari in dubium, quod per generalia Concilia & universam Ecclesiam constat*

esse

esse approbatum, tanquam fide tenendum. Injuriam namque facit Ecclesiæ Synodo, qui semel rectè disposita nititur in dubium revocare. Quid enim unquam certi esse poterit inter homines, vel quis dubitationum contentionúmque finis erit, si præsumptuoso & perverso cuique libertas seu licentia erit recedendi ab iis, quæ non unius aut paucorum, sed tot seculorum & tot sapientissimorum hominum consensu, & Catholicæ Ecclesiæ, quam Deus in his, quæ sunt fidei, nunquam errare permittit, determinatione sancita sunt? In his Hadrianus totus quantus est agnoscitur, & sibi per omnia consentit.

35 Imbutus hac doctrina Clemens VII. ad convocandam Synodum animum appulit, & in literis quas ea super re ad Franciscum I. Regem Galliæ scripsit anno M. D. XXXIII. illam esse remedium unicum à decessoribus usurpatum affirmat. *Superiori biennio, sicut tua Majestas recordari potest, cùm Serenissimum Cæsarem quamquam pro sua inclyta pietate omnia conatum, tamen in conventu Augustano nihil remedii ad hæresim Lutheranam in Germania tollendam præ illorum obstinatione afferre potuisse audiremus, solúmque Concilii generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum superesse videremus, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione ad ipsius Concilii generalis indictionem in Italia, & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, id tuæ majestati, sicut Cæsaris, & cæteris Principibus significandum communicandúmque duximus.*

Perseverabat hæc Sedis Apostolicæ traditio, cùm Romæ suppressa sunt edita Sixti V. auctoritate Biblia, & illius diploma Bibliis præfixum, in quo non privatus homo, sed Pontifex sic decernit. *Illud sanè omnibus certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores ac vigilias nunquam eò spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto emendatissima, pristinæque suæ puritati, qualis primùm ab ipsius interpretis manu, stilóque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur.*

36 Verba hæc virum sibi præsidentem & de Bibliorum emendatione perfectissima securum objiciunt. At neque Bibliorum editio, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus errâsset. Quod ut magis appareat subjiciam miserabilem illam controversiam, quæ circa negotium hoc cùm in Germaniâ, tum Romæ anno M. DC. X. excitata est. Adamus Tannerus è Societate Jesu Theologus hanc refert, in disput. I. de fide quæst. IV. dub. VI. num. CCLXIII. & sequentibus.

Denique circa ipsum formale decretum definitionis (Pontificiæ) *diligenter advertendum est, an id legitimè & sufficienter fuerit promulgatum, atque etiam an tempus ejusdem obligationi præfixum fuerit elapsum, priusquam id rejiceretur, seu retractaretur. Etenim ut notat Vasques 1. 2. tom. 2. disp. 155. num. 15. id observant Summi Pontifices in Curia Romana, ut nondum intelligantur de sede Petri tanquam judices & Pontifices in legibus & canonibus ferendis, etiamsi eos imprimi faciant, donec ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, & ad valvas Beati Petri per aliquantulum temporis affigantur. Atque hoc modo satisfit illi difficultati, quæ ante annos aliquot frustra nonnullos fatigavit de Bibliis Sixtinis à Clemente VIII. suppressis, & emendatis. Nam ut ex viris gravibus & fide dignis, qui Romæ in hanc rem sedulò inquisierunt, compertum est, dictum seu decretum illud, quod Sixtus V. suis Bibliis præfixerat, nunquam fuit*
37 *planè promulgatum, sed tempestivè revocatum; ipso etiam Sixto V. animadvertente, non paucis irrepsisse, quæ iteratâ diligentiâ indigere viderentur. Adeò ut totum opus sub incudem revocandum censuerit atque decreverit, etsi id morte præventus præstare non potuerit, ut in præfatione Bibliorum Clementinorum dicitur.*

Et quamvis nonnulli scripserint, decretum illud aliquanto tempore ad valvas Ecclesiæ Romæ fuisse affixum & postea refixum, eóque ipso quodammodo revocatum, duobus antè mensibus, quàm tempus requisitum elaberetur, mortuo nimirum Sixto V. & reclamantibus Cardinalibus: Ego tamen fidem huic rei habere non possum. Et post alia narrat quid ad se ea super re scriptum Româ fuerit: *Ferdinandus Alberus Societatis per Germaniam Assistens sic mihi scripsit literis datis 28. Augusti 1610. Circa Biblia Sixtina post diligentem inquisitionem, & discussionem, hanc denique responsionem dederunt, qui huic rei incumbebant, quâ omnis tollitur difficultas, & cui omnes acquiescent. Responsio sic se habet: Certum est bullam de iis Bibliis non fuisse promulgatam. Cujus rei certissimum indicium est, in registro hujusmodi promulgationum non reperiri; & Illustrissimus Cardinalis Bellarminus testatur, se cùm ex Gallia Romam rediisset, à pluribus Cardinalibus audivisse, bullam illam non fuisse promulgatam. Et id quidem illi se certissimè scire affirmabant. Et in literis 4. Septembris eodem anno 1610. ad ejusdem rei confirmationem hæc adjungit: Item Pater Azor eo ipso tempore, quo cœperunt* (typis) *publicari illa Biblia,* 38 *cùm instarent aliqui Papam posse errare, quia videbatur jam de facto errâsse in Bibliis, respondet publicè pater Azor, bullam illam non fuisse publicatam, quamvis in inscriptione legeretur subscriptio cursorum: Nam hoc factum fuisse per anticipationem typographi ita jubente Pontifice, ne impressio tardaretur.* Ecce tibi Theologi quinque opifices futilium argutiarum, quibus expositam Sedis Apostolicæ traditionem inobscurent, & nova Curiæ placita constabiliant, incautisque hominibus fucum faciant, si tamen sint homines usque adeò incauti & imbecilli qui aurem illis accommodent. Christus igitur muris, parietibus & Basilicarum valvis non errandi privilegium, quod Romano Pontifici concessit, illigari voluit, eóque præterea illigari modo, ut tandiu errare posse censeatur Pontifex, quandiu decreta ab illo edita ad muros, parietes, & basilicarum valvas per aliquantulum temporis non affiguntur. Tannerus cum suis auctoribus deliramenta loquitur, Iberas nænias sectatur, & frivola Siculis gerris vaniora Theologiæ importat. Hæc referre me pudet, nec ego referrem, nisi retinendæ traditionis antiquæ interesset quamplurimum. Adhæc gratis sumitur, Pontificiæ definitionis promulgationem esse lineam ultimam, qua indeficiens Papæ judicium terminetur & agnoscatur. Promulgatio nec veritatem nec falsitatem definitioni tribuit, sed inesse supponit. Itaque si falsa est definitio, falsa promulgabitur; si vera; vera quoque promulgabitur. Dico ampliùs, si falsa esset definitio, hæc vera ex promulgatione redderetur nun- 39 quam, etiamsi charta promulgationis ad valvas basilicarum omnium Romanæ urbis per æternitatem totam affigeretur, & cursores sexcenti Stentore clamosiores adstarent. In promulgatione necessitatem ad credendum vel agendum cum definitionis veritate vel falsitate auctores nostri confundunt: Promulgatio quidem definitioni necessitatem ad credendum vel agendum imponit, sed definitioni veritatem vel falsitatem nullam tribuit: Veritas vel falsitas aliunde repetitur. Quare Azorius pessimè respondit iis, qui Sixtum V. in editione Bibliorum errasse contendebant. Etenim quód reperta non fuerit bulla in promulgationum regesto, quid tum, etiamsi verum id esset? Deleta vel avulsa inde fuerat. Et certè è fronte Bibliorum avulsam fuisse nemo nescit, & inde suppostitiam esse prætexet, nemo. Sixtus igitur definiendo id, propter quod sublata est illius bulla, luculenter erravit, & cùm Clemens VIII. bullam sustulit, & Sixtina Biblia suppressit, hoc ipsum credere debuit, & aliis credendum objecit.

Hæc

Hæc est igitur Apostolicæ Sedis doctrina, hæc traditio, comes individua illius alterius, qua Romanus Pootifex Concilio subjicitur. Qui Theologus placita duo ista connexa inter se non esse asseveraret, non falleretur modò, sed imperitum etiam se, & professione sua indignum proderet. Nam si Pontifex Concilio subjicitur, à Pontificis judicio provocatur ad Coocilium: at non provocatur ab illios judicio, qui errare non potest, aut errare non posse creditur. Quid clarius? Hoc non animadverto propter te, quem accuratissimè philosophari scio; Sed propter nonnullos, qui philosophantur tam absurdè, ut separent quæ conjungere oportet. Miserandi tamen & utut ferendi sunt: Quia non omnibus, quod tibi contingit,

Οὐ γάρ τοι πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.

Almainus noster hæc duo conjungit, tum quia acutissimus erat Theologus, tum etiam quia Synodum octavam illa conjunxisse non ignorabat. Synodus est, ex cujus auctoritate contra Cajetanom disputat, & Sedis Apostolicæ traditionem confirmat. Hinc Cajetaous Almaino respondere frustra conatus est. Materiales & formales illius argutias examinavimus, displosimus, in auctorem reflextimus. Qui Cajetano successit in pugnam, hunc miserrimè pugnasse vidimus. Nesciebat ille, quo in loco ipse Martis campus existeret. Itaqoe succenturiatus miles periit tam infeliciter, ut non potuerit infeliciùs. Sic Almainus victor evasit, sic victrix evasit Sedis Apostolicæ traditio, pro qua manus conseruerat. Bene vale. Lutetiæ Paris. IV. Calend. Quintiles ann. M. DC. LXIV.

Joannes Launoius
FELICI PHELIPPÆO BROSSÆ
Parisiensi Theologo.

1 CUM nuper ad Antonium Faurum de subjectis Cyrillo Alexandrino testimoniis scripsi, & Capuanam synodum in satis bono lumine collocavi, potuissem Jacobi Almaini Parisiensis Theologi mentionem facere, sed fecissem minùs commodè. Et primùm quidem veritus sum, ne nimis prolixa foret Epistola. Est enim servandus aliquis in scribendo modus, qui res omnes ad gratiam & venustatem componit. Minuenda insuper mihi fuit molestia, quæ ex controversa & plena dissensionis scriptione trahi poterat. Non enim omnibus [illegible] placent, aut cerulæ miniatulæ probantur. Sunt quos lutulenta loca, quos apocryphi delectant commentarii; delectent eos per me licet. Deinde quæ Jacobum Almainum attinent, proprium disserendi locum exigunt.

Almainus in libro *de auctoritate Ecclesiæ*, & Damasi Papæ auctoritatem, & Capuanam synodum in medium adducit, objicit, & sedulò argumentatur.

Thomas Cajetanus in Apologia libri *de comparata auctoritate Papæ & Concilii* Almaino respondet, & illius rationes, quoad ejus facere potest, diluit. Quæ Almainus & Cajetanus hac de re scribunt, refero, & postea Cajetani responsionem dispungam.

2 Almainus disputat. *Tertiò arguitur auctoritate Damasi Papæ, quæ ponitur inter Epistolas Ambrosii septuagesima secunda in libris impressis, ubi deputati à Concilio Capuensi ad cognoscendum de Bonoso in aliquibus accusato, sententiam sciscitati sunt à Damaso Papa ex consilio Ambrosii, ut patet Epistola* LXXI. *& ita respondet Damasus: Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso Episcopo atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus elegit. Ecce quod Damasus dicit se non posse de illa causa cognoscere, de qua posset, si synodus adhuc esset integra, id est, non commisisset aliis judicium. Et quòd illa verba non sint Ambrosii, patet ex sequentibus. Subditur enim deinde: Cùm Episcopus Bonosus post judicium vestrum misisset ad Fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitia convenire, statueretis, quibus hanc synodus dederat auctoritatem.* 3
Hoc de se non dixisset Ambrosius. Sequitur iterum: Ideo primum est. Ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data; vos enim totius, ut scripsimus, synodi vice decernitis; nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit. Ex his manifestè patet, Damasum Papam non solùm confessum, Concilium esse eo superius in judicando, sed & ipsos deputatos per Concilium in ea causa, in qua deputati sunt.

Caietanus respondet. *Ad tertium ex auctoritate Damasi dicitur, quòd neutrum deductorum ex illa auctoritate sequitur. Nam in illis verbis non negat potentiam, sed formam sibi judicandi competere non posse, & hujus negationis causam reddit, non impotentiam, aut subjectionem suam, sed indecentiam, ut patet in illis verbis. Hoc autem familiare est principibus. Quinetiam si dixisset, se non posse judicare, verum dixisset, & à consuetudine principum non recessisset, qui ea se negant posse facere quæ indecenter facerent, si exaudirent. Constat autem, quòd indecens est determinationes Concilii etiam provincialis fovere, quantò magis Concilii generalis, quorum decreta etiam Papam in foro conscientiæ ligant non minùs quàm propria. Unde & secundùm sacros Canones ad Romanum Pontificem præcipuè spectat servare statuta Patrum. Et si notaveris eandem auctoritatem, contra arguentes facit, pro quanto insinuat excellentiam suam tantam, quòd eum quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit.*

Hæc est responsio hominis, qui rei difficultate impeditur. Hanc & argumentorum vim subterfugit, ac quæsitis hinc inde diverticulis non obscurè significat, causam suam non in æquitate defensionis poni, sed in mora & tergiversatione latere. Est enim nonnunqoam veritas adeo illustris & perspicua, ut nullis verborum præstigiis obrui,

obrui, nullis Dialecticorum captionibus implicari possit. Romanus antistes hac in Epistola judicandi formam sibi competere non posse, non modò dicit, ut leviter dicere poterat, sed etiam illud exaggeratis rationibus confirmat. Accidit sæpe, ut magistratus conscientia ducti nolint jurisdictionem sibi contra leges sumere, & disceptationis alicujus Judices se non legitimos agnoscant. Sed accidit raró, ut argumenta sollicitè comparent, quibus id probetur. Itaque cùm Romanus Episcopus hoc in loco facit, quod factu rarissimum est, ac justo sinceróque homine dignum, testatur omnino, quia nec aliter, nec magis testari potest, se Almaino, non Cajetano ad sentiendum facem prætulisse. Jam vides, opinor, Almainum nostrum Sedi Apostolicæ, cui Damasus præfuit, concordare; Cajetanum ab illa Sede discordare. Quæ discordia eò major est ac periculosior, quód antiquioribus Damaso monumentis nullis sustentetur. Quidquid est à Petro ad Damasum vetustatis sacræ, Almaini non Cajetani est. Hoc premimus, hoc urgemus, in hoc habitamus, quousque ostendatur, quod ostendi non posse credimus.

5 Sed interim placet singula responsionis Cajetani effugia, id est, singula responsionis Cajetani membra dispungere, ut Almaini & Sedis Apostolicæ sententia firmamentum, fidem, & auctoritatem accipiat. Igitur Cajetani responsionem in membra sua partimur omnia, ut hinc dispungendarum rationum vitetur confusio, hinc uniuscujusque rationis dispunctio agnoscatur faciliùs.

RESP. CAJETANI MEMBRUM I.

Damasus in illis verbis non negat potentiam, sed formam sibi judicandi competere non posse.

DISPUNCTIO.

Cajetanus nodum in scirpo quærit. Damasus non negat judicandi potentiam, quia in alia, ut innuit, rerum & temporum conditione judicare poterat, sed in hac rerum & temporum conditione negat actum potentiæ, quia negare se posse credebat: Quod & argumentis pluribus confirmat. Hoc autem Almaino sufficit, ut ex Damasi auctoritate conficiat, Capuanæ synodi, quàm Damasi partes in judicando Bonoso potiores fuisse, immò & illorum Antistitum, quibus à synodo judicandi facultas data fuerat. Atque ista non loquuntur modò, verum etiam personant, Capuanam synodum Damaso superiorem fuisse. Res hypothesi fiet adhuc clarior. Si qui Præsules scripserunt ad Damasum, scripsissent ad Capuanum putà Episcopum, & ab eo sciscitati essent sententiam, ut sciscitati sunt à Damaso, nonne Capuanus Episcopus respondisset ap-
6 positè, si quomodo respondit Damasus, respondisset? *Cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, qui de ejus factis cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset.* Sic respondens Capuanus Episcopus non negaret judicandi potentiam inesse sibi, quæ ex sese Episcopis inest omnibus, sed negaret, in tali rerum, temporum & personarum conditione judicandi formam sibi competere non posse, quia major illo & potentior synodus judicandi provinciam assumpsit, vel aliis demandavit. Hoc ipsum est, quod contendit Almainus, & verè contendit, ut Romanum Pontificem Concilio subjiciat, subjecturus æquè Capuanum Antistitem, si par occurrisset disputandi occasio.

MEMBRUM II.

Damasus hujus negationis causam reddit non impotentiam, aut subjectionem suam, sed indecentiam, ut patet in illis verbis.

DISPUNCTIO.

Cajetanus verbis illis, quæ perspicua sunt, imponit: Hæc oculis iterum subjicio: *Cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, qui de ejus factis cognoscerent, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus.* ∴ *Vicem enim synodi* 7
recepistis, quos ad examinandum synodus elegit. Et post alia: *Ideò primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, synodi vice decernitis; nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit.* Quid ad intelligendum facilius? Quid ad frangendum pertinacis contentionis funem validius? Quid ad removendas sophistarum insidias explicatius? Pontifex non præcisè quidem negat judicandi potentiam, sed negat illius actum, qui auctoritate majori cohibetur. Hoc autem perinde est ac si potentiam negaret, cùm aliunde potentia nonnisi propter actum concedatur. Exinde, *frustra est potentia quæ ad actum non perducitur*, Philosophiæ axioma est, quod in juris quoque axioma transivit. L. multum interest. C. si quis alter vel sibi. L. hæ enim §. Si prætor, de suspecto tut. Hoc in membro Cajetanus vincitur, Almainus vincit, & Damasus pro quo dimicat. Nec tibi mirum videri debet, si Cajetanus vincatur. Pro Romana Curia potiùs, quàm pro Apostolica Sede pugnat. Quæ autem & qualis illa Curia tunc fuerit, Hadrianus VI. antiqui moris Pontifex graphice describit in mandatis, quæ Francisco Cheregato oratori suo in Germaniam eunti dedit. Referre non modo vereor, sed etiam horreo.

MEMBRUM III.

Quinetiam si dixisset se non posse judicare, verum dixisset.

DISPUNCTIO. 8

Damasus verum dicit, & quia verum dicit, Cajetano incommodat, & Almaino maximè suffragatur. Cur ergo Cajetanus cum Almaino litigat? Cur tergiversatur? Cur veritatem locum suum habere non patitur? Scilicet ut altercando veritas amittatur. Sed concessionis hujus audienda est ratio.

MEMBRUM IV.

Damasus à consuetudine principum non recessisset, qui cùm se negant posse facere, quæ indecenter facerent, si exaudirent.

DISPUNCTIO.

Quodnam genus effugii? Ubinam Christiani Principes id fecerunt ante Damasum, quod Cajetanus eos fecisse pronunciat? Hoc qua facilitate dicitur, eâdem & negatur. Deinde si Principes negant se posse facere, quæ indecenter facerent, quonam pacto veniemus in cognitionem eorum, quæ reipsa facere non possunt, nisi forsan Cajetanus velit, nihil esse omnino, quod Principes absolutè facere non possint? Unusquisque distinctioni huic confisus affirmabit, Principes cum negant se posse aliquid facere, non ideò negare, quòd simpliciter facere non possint, sed quòd indecenter facerent. Quæ rerum in publicis negotiis confusio & perturbatio!

Si Cajetanus in se recipiat, ex subjecta materie discretum iri hæc omnia, tunc quæ Damasus negat se posse facere, ponemus in eorum numero, quæ absolutè facere
non potest, & quibus, ut id persuadeat, rationum mo- 9
mentis utitur, confirmabimus. Tum demum si talis esset Principum consuetudo, qualem ille asserit, quomodo Damasum consuetudinem hanc imitatum esse ostenderet? Nam sæculi Principes multa faciunt, quæ Pontifices facere non debent. Nonne Christus apud Matthæum in capite xx. dicit? *Reges gentium dominantur*

nantur

namur coram, non erit ita inter vos. Nonne Hieronymus, qui Damasum in consultationibus ad Sedem Apostolicam mitti solitis per aliquod tempus adjuvit, in Epistola XXX. ad Oceanum scribit? *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* Nonne sanctus Leo primus Damasi ætati suppar in Epistolæ LIV. ad Martianum capite III. docet? *Alia ratio est rerum secularium, alia divinarum; nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio.*

MEMBRUM V.

Constat autem, quòd indecens est, determinationes Concilii etiam provincialis solvere, quantò magis generalis? Quorum decreta etiam Papam in foro conscientiæ ligant, non minùs quàm propria.

DISPUNCTIO.

Cajetanus hoc in loco secum pugnat & adversario favet. Et primum quidem non est indecens, mortalium cuiquam uti jure, quod sibi à Deo concessum est. Nam si Romanus Pontifex sit supra omnia Concilia & gene-
10 ralia & provincialia, ut Cajetanus perperam existimat, generalium & provincialium Conciliorum legibus non tenetur. Si non tenetur, non est illi indecens, provincialium & generalium Conciliorum leges solvere, si neglecta verborum proprietate loqui fas est. Apud literatos enim homines legem solvit, qui legem servare debet: non solvit legem propriè, qui legi non est obnoxius. *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.* Augustinus in libri X. de civitate Dei capite XXIII. Sic ergo Cajetanus seipsum illaqueat, & Andabatarum more, ut ait beatus Hieronymus, in tenebris gladium ventilat.

Deinde si provincialis Concilii decreta Romanum Pontificem ligant in foro conscientiæ, provinciale Concilium Romano Pontifice superius est, & nisi esset superius, Romanum utique Pontificem non ligaret in foro conscientiæ, ut Cajetanus loquitur. Qui autem ligatur in foro conscientiæ, eo est inferior, à quo ligatur, & continuò subjectus est pœnæ, quæ ab eo qui ligat, imponitur.

Tum si provinciale Concilium Romanum Pontificem ligat in foro conscientiæ, generale multò magis ligabit. Et si multò magis ligat, ut non potest non ligare, multò magis erit illo superius. Sic autem Ro-
11 manus Pontifex ab utroque Concilio cogetur in ordinem, si legis impositæ prævaricator existat. Cajetanus hîc non habitat secum, Almaino plus tribuens, quàm Almainus exigere videtur.

Præterea comparatio hæc, *Provincialis & generalis Concilii decreta Papam in foro conscientiæ ligant non minùs, quàm propria,* intellectu est difficilis. Nam auctor sibi sumit, ut apparet, provinciale & generale Concilium edere seorsum à Romano Pontifice decreta, quæ Romanum Pontificem ligent in foro conscientiæ. Hoc autem in Cajetani sententia intellectu difficile est; quia paullo postquam Concilium, quod sine Romano Pontifice celebratur, vocavit acephalum, ei Concilio vim tribuit ferendæ legis, quæ Romanum Pontificem liget in foro conscientiæ.

Hinc si Romanus Pontifex seorsum à Concilio decreta sanciat, quibus ligetur in foro conscientiæ, tunc erit sibimet & superior & inferior: superior quidem cùm suis seipsum decretis ligat in foro conscientiæ; inferior vero, cùm suis ipse decretis ligetur. In superiori major quàm in inferiori potestas attenditur, & tamen superior idem est, qui inferior, rebus in eodem statu semper manentibus. Cajetanus ista facilè capit, ego vero difficilè, & forsan plures alii. Sed facile capio provinciale Concilium, cui Papa interest & præsidet, decretis suis Papam ligare in foro conscientiæ; quia id & rationi congruit, & factum reperio in Romana synodo, quam Symmachus de bonis Ecclesiæ non alienandis habuit, cap. IV. *His ergo perpensis, mansuro* 12
cum Dei nostri consideratione decreto sancimus, UT NULLI APOSTOLICÆ SEDIS PRÆSULI *à præsenti die, donec disponente Domino Catholica fidei manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum, quantæcunque fuerit magnitudinis vel exiguitatis sub perpetua alienatione vel commutatione ad cujuslibet jura transferre, nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu.* Quod & in cap. VI. confirmatur: *Pars etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicunque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia nefas dictu est, obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus Pontifex, eo hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri.* Dilectio, qua Pontifex commissam sibi ovium Christi & in primis pauperum curam sustinere debet & rei benè ac graviter administrandæ rationes efficiunt, ut editis à concurrente synodo canonibus subdatur; & quia verissimè subditur, hinc à majori ad minus disputat, cùm ait: *Nefas dicta est, obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus Pontifex, eo hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri.* Quod argumenti genus vanum & inane foret, nisi Pontifex propositis canonibus obligaretur.

Tum confirmatur ex Epistola, quam Agapetus hac de re ad Cæsarium scribit Arelatensem Episcopum: *Revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus specialiter prohibemur, prædia juris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet* 13
titulo ad aliena jura transferre. Qua in re vestra quoque sapientiæ credimus esse gratissimum, quòd in nullo contra prisca definitionis constituta, vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscunque personæ respectu venire præsumimus; nec tenacitatis studio, aut secularis utilitatis causa hoc facere nos credatis, sed divini consideratione judicii necesse nobis est, QUIDQUID SANCTA SYNODALIS DECREVIT AUCTORITAS, INVIOLABILITER CUSTODIRE. Provinciale Concilium hoc Romanum Pontificem sic obligat, ut is obligari non possit magis, quia lege & religione sempiterna obligatur. At qui obligat major est eo, qui obligatur, ac potentior. Leo IV. in Romano Concilio, quod anno DCCCLIII. habuit sic præfatur: *Si placet, cuncta quæ legenda erunt, ut meliùs in futurum observentur ab omnibus, & fideliter, ut condecet, recolantur, propriis subscriptionibus roboremus, quatenus decretali judicio aditus cunctis claudatur illicitus.* Leo postea subscribit, quem alii secuti suo quisque ordine subscribunt: Sic omnes & Leo & cæteri qui subscribunt, primi & secundi ordinis antistites conditos à Concilio canones observare tenentur, quia Concilium unoquoque superius est. Provinciale Concilium Provinciam repræsentat universam. At *universum partibus semper optimo jure præponitur,* ut Augustinus tradit in libri II. de baptismo capite IV. Deinde in Enchiridii capite LVI. *Spiritus sanctus si creatura, non creator esset, summa creatura esset, & ideò in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam,* 14
quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa ejus parte quæ in cælis est. At quidquid in sancti Doctoris hujus & in cujusque hominis non mente capti sensu pertinet ad Ecclesiam, necessariò minus est Ecclesia & inferius, quia pars est Ecclesiæ. Hinc Augustiana propositio, me vide, ex omni æternitate vera est. Hanc nulla temporis circumscriptio metitur. Et ne metiatur ulla, impediit adhuc nuper Alexander VII. qui ad Lovanienses rescribens Theologos pronunciat, Augustini *dogmata inconcussa & tutissima esse.* Quid quæso re magis inconcussum est ac tutius, quàm quod est inconcussum & tutissimum? Quid tutius est, quàm quod est tutissimum & certissimum? In summa, Romanus Pontifex in Tridentinæ fidei formula non

præponitur Ecclesiæ, sed postponitur, ut & in sacrorum ri[illegible]um Codicibus, qui veterem ac sanctam Apostolicæ Sedis traditionem retinent, omni termino immobiliorem. Hoc planè ostendit Feria VI. in parasceve Domini, ubi primum pro Ecclesia sic oratur. *Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus & Dominus noster pacificare, adunare & custodire dignetur*, &c. *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret.* Deinde pro Papa: *Oremus & pro beatissimo Papa nostro N., ut Deus & Dominus noster, qui elegit eum in ordinem Episcopatus, salvum & incolumem custodiat Ecclesiæ*
15 *suæ sanctæ ad regendum populum sanctum Dei.*

Tum in Canone Missæ: *Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata in primis quæ tibi offerimus, pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris una cum famulo tuo Papa nostro N. & antistite nostro*, &c. Sic in divinis officiis Ecclesia Romano Episcopo præponitur, ut liquidò pateat eum Ecclesia inferiorem esse. Ex his autem omnibus, quæ ad Cajetani rationem, seu potiùs effugium disseruimus, apertè constat, auctorem hunc veritate summâ coactum Almaino suffragari, cum vel minimè suffragari velit.

MEMBRUM VI.

Unde & secundùm sacros Canones ad Romanum Pontificem præcipuè spectat, servare statuta Patrum.

DISPUNCTIO.

Cajetanus hic quoque verum dicit, & quia verum dicit, Almaini causam adjuvat, & suæ nocet quamplurimùm. Quod autem Cajetanus verum dicat, Romani Pontifices ipsi tradunt.

Julius I. in Epistola ad Orientales apud Athanasium: *Id verò ad Synodi & Episcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & cura velut Deo præsente egissent, a nobis ut vana futiliaque abrogarentur.*

Leo I. in Epistolæ LIV. ad Martianum Imp. cap. III.
16 *In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est, me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regula sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt condita, me, quod absit, connivente violentur.*

Gelasius I. in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere quàm primam.*

Hæc pauca de multis, quæ ad firmandam Cajetani sententiam sufficiunt: ex qua necessariò sequitur, Episcopos, qui non servant statuta Patrum peccare, & inter eos Romanum maximè peccare; vel si Romanus Episcopus non peccat, dum statuta Patrum minimè servat, cæteros Episcopos multò minùs peccare. Sed quoniam dici non potest, cæteros Episcopos ad servanda sanctorum Patrum statuta non o[b]ligari & negligendo haud peccare, dici quoque non potest, Romanum ad servanda eadem Patrum statuta neutiquam obligari & negligendo haud peccare. At si omnes Episcopi ad servanda Patrum statuta obligantur, Romanus obligatur potissimùm, & ideo tam Romanus quàm alii Episcopi subjiciuntur Patrum statutis & Conciliis, quæ statuta ediderunt. Cajetanus igitur in hoc membro adversarii sententiam ædificat, & suam funditùs evertit.

MEMBRUM ULTIMUM. 17

Et si notaveris eandem auctoritatem, contra arguentes facit, pro quanto insinuat excellentiam suam tantam, quod eum quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.

DISPUNCTIO.

Hìc Cajetanus mala fide agit, absit verbo injuria. Nervosam enim Damasi antithesim dissimulat, quia illius partem unam tantùm refert, veritus, ne si referret alteram, & integra videretur antithesis, hanc distorquere & fallaciter interpretari non posset. *Ideo primum est*, ait Pontifex, *ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis. Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Damasus antithesi hac præcedentem sermonem, quo judicandi formam sibi competere non posse dixerat, concludit, non destruit, ut destrueret, si Cajetanus audiretur. Cùm Damasus Capuensis Concilii auctoritatem sua majorem esse significat, Cajetanus contra Damasum auctoritatem Damasi Capuensi Concilio majorem esse significare contendit. Quid à Damasi proposito alienius, quid perversius? *Vos*, inquit Pontifex, *ex Capuensis Concilii auctoritate decernitis*, quia Capuensis Concilii vicem impletis; *nos quasi ex Capuensis Concilii auctoritate judicare non convenit*, quia Capuensis Concilii vicem non implemus, ut vos impletis.

Quòd autem Romanos Pontifices ex Synodi auctoritate judicare conveniat, ipsimet Romani Pontifices 18 docent.

Felix III. in Epistola VII. ad Vetranionem Episcopum: *Quoniam* (Eutychis & Dioscori) *Timotheus & Petrus extitisse docentur proculdubio sectatores, eorúmque se communioni nefariæ miscuisse, etiam cùm à nobis prohibitus est Acacius, atque ob hoc ex forma Synodi memorata, similem cunctos, quæ præfixa fuerat pravitati, damnationis incidisse sententiam, cujus se elegerunt esse consortes: unde meritò prædictus Acacius Apostolica Sedis, quæ nunc exsecutrix utique sæpe dicti Chalchedonensis Concilii pro fide Catholica tunc probari non defuit, iterata excommunicatione depulsus est.* Nonne Felix ex Calchedonensis Synodi auctoritate excommunicavit Acacium? Nonne Sedes Apostolica hoc ipsum ex eadem auctoritate fecit, cum se Concilii hujus exsecutricem præbuit?

Prætereo Leonem I. qui toties ex Nicænæ synodi auctoritate scripsit, ut Anatolii Constantinopolitani ambitionem comprimeret. Prætereo cæteros Pontifices, qui quæ statuunt, ex Synodorum auctoritate statuere se profitentur.

Jam verò sentis, opinor, quia cum magna vi judicii, eruditione, veri perspicientia, firmitate sentire soles, contradicendi libidinem effecisse, ut Cajetanus nunc secum pugnaverit, nunc Almaini placitis faverit, nunc ad pueriles ineptias abierit. Sic dum aliquis suffragium suum æmulis invidet, hoc veritati sæpe denegare creditur, tametsi reipsa non deneget, sed ut Ca- 19
jetanus, denegare putat. Jam quoque sentis, Cajetanum in erudito Theologorum pulvere ab Almaino victum esse, & Almaini sententiam, quæ Sedis Apostolicæ & Facultatis nostræ sententia est verissima, sic confirmatam esse, ut vix possit magis confirmari. Sed non antè manum de tabula, quàm observaverim tria: Primùm, quòd Nicolaus Cusanus Cardinalis in libri secundi de Concordantia Catholica cap. XVIII. & Almainus primi omnium, ni fallor, Epistolam, quæ tribuebatur Ambrosio, Ambrosii non esse rectè judicaverint; & hoc est acutorum hominum judicium. Deinde, quòd Epistolam Damaso Papæ asseruerint; & illud certè ab Ecclesiasticæ Historiæ contextu non multùm abhorret, si manuscripti codices circumscribantur: Denique, quòd anno MDCLXII. Romæ in apertum relatus est liber inscriptus, *Collectio Romana*

bipartita, ubi ex Vaticanis codicibus Epistolæ titulus restituitur, *Dilectissimis fratribus Anysio & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis Siricius.* At licet Sicirii sit Epistola, non Damasi, Almainus ex ea recte semper argumentatur; quippe qui ex auctoritate Romani Pontificis argumentetur.

Cæterùm Almainus Cajetani responsionem dispunxisset acriùs, ni mors immatura virum tantum sustulisset. Theologiæ magisterium consecutus erat anno MDXI. & ante annum MDXVI. Facultatis Sacræ flos ille in ipso ætatis flore periit, non sine magno Scholæ nostræ & Gallicanæ Ecclesiæ detrimento. Is
20 à Facultate nostra judicatus fuit unus, qui maximo ingenio refelleret compositum à Cajetano adversus Gersonem librum, quem Gaufridus Boussardus Parisiensis Cancellarius de mandato Pisanæ Synodi ad Facultatem Theologiæ misit, ut ei responderetur.

Almainus respondit, & illius liber publicè recitatus est in frequentissimo Theologorum audientium & approbantium consessu. Id olim ab Andrea Duvallio accepi, Duvallius, ut aiebat, à Joanne Pictavino, Pictavinus à Dionysio Camusio, Camusius ab iis, qui recitationi interfuerant, magistris acceperat. Tunc erat una majorum nostrorum fides, una animorum consensio. Almainus doctrinam suam hauserat ab iis Parisiensibus Theologis, quos Innocentius VIII. mirificè commendat. Verba sunt hæc apud Michaëlem Mancle-rum: *Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus non sine magna cordis nostri lætitia sinceram animorum vestrorum devotionem, quam ad nos sanctámque Romanam Ecclesiam & fidem Catholicam habetis, cùm omne studium & curam vestram pro ejusdem fidei defensione, & hæresum extirpatione, sicut probatissimos quosque Christianos decet, incessanter adhibueritis.* Pontifex consilii magni vir Almaini præceptores, intelligis, non ita laudaret, nisi Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam & in his literis & in aliis ad Faurum nostrum datis exponimus, conservassent diligentissimè. Neque verò privatus vel doctor vel Episcopus aliquis
21 Academiæ principis magistros hoc modo laudaret, si ad eos scriberet. Profectò Bononiensis Doctor filios non appellaret, nec Ariminensis Episcopus salutem illis & benedictionem Apostolicam impertiretur. Præmunienda mihi fuit Innocentii Epistola, ne quis per invidiam de illius auctoritate, & de veris Patrum nostrorum laudibus quicquam detractaturus accederet. Interim si πάρεργον est quod scribo, grati animi & pietatis ἔργον velim existimes.

Theologus fuit recentior, * qui quod argumentum Cajetanus solvere non potuit, solvere se posse ratus est, annis ab hinc quinquaginta. Et primùm quidem si negaret, uti negat, aut Damasum aut successorem Damasi Siricium Epistolæ auctorem esse; Optimè omnium: Nam si Damasus, aut Siricius conscripsit Epistolam, μήτε εἰχέτω, μήτε ἀρεσκέτω, de instituta disputatione actum est. Scilicet docente Romano Pontifice Romanus Pontifex Concilio subjicitur. Nam si Pontifex docendo errat, Theologus captus est, quia Pontifex non poterit non subjici Concilio, à quo emendetur. Si verò non errat, Theologus nullus est, quia Pontifex Pontificis non errantis auctoritate Concilio subjicitur. Deinde si assereret, uti asserit, Ambrosium Mediolanensem verum esse auctorem Epistolæ, quia sic inscribitur in ejus operibus, & Ambrosium, cujus fit in Epistola mentio, ab Ambrosio Mediolanensi diversum esse, quem Bonosus consuluit; Theologus hac in re Baronium, qui sæpè illi est à Consiliis & Bibliothecis, deserit. Nam 22
Baronius Epistolam hanc, quæ est apud Ambrosium Mediolanensem, Ambrosii hujus non esse fatetur ingenuè, nec alii Ambrosio tribuit; Quippe qui nihil haberet, cur tribueret. Sic vides eos, qui ab oblata sibi veritate abhorrent, & opinionibus falsis occupari se sinunt, illiteratissima & absurdissima quæque experiri.

Hactenus feci, quod à me fieri tibi placuit: Sed feci accuratione minori, quod tu majori fecisses. Interim meam supplebis indiligentiam, si de Zozimi Papæ verbis tibi aurem pervellam: *Obsiste superbiæ & arrogantiæ venienti* ex Romanæ Curiæ palpatoribus. *Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum Apostolicæ sedis auctoritas.* Vale Lutetiæ Paris. IV. idus Maias ann. MDCLXIV.

Joannes Launoius

HIERONYMO SAMBOEUVIO.

1 EGO tibi facilè assentior, cùm ais, illam Epistolam, quam Siricius Romanus Pontifex de Bonosi rebus in Capuana Synodo gestis ad Anysium & alios Illyrici Episcopos perscripsit, antiquitatis sacræ monumentum esse omni auro pretiosius, & in Ecclesiastica Historia, quo satis æstimetur, reperiri nihil. Nam Siricius in Epistola id unum statuit & confirmat, quod gravissimis quibusque de Romano Pontifice quæstionibus fieri solitis finem imponit. Sed doleo tecum integra Capuanæ Synodi non superesse acta, quæ rei totius veritatem patefaciant & illustrent. Studioso ac diligenti viro qualis es tu, molestum id quidem est, sed necessariò ferendum. In multis querimur de veterum incuria, sicut & posteri de nostra querentur. Omissis querelis istiusmodi, utamur Capuanæ Synodi monumentis, quæ supersunt. Hæc verò supersunt tria: Ambrosii ad Theophilum Alexandrinum Epistola; Siricii Papæ alia ad Illyrici præsules Epistola, quæ sub Ambrosii nomine in illius libris edita est, & quæ nunc auctori suo vindicata, non editur ampliùs; Carthaginiense Concilium, quod in codice Canonum Africanæ Ecclesiæ habitum est anno CCCC. XIX. Monumenta tria hæc tibi sigillatim referam, & ad unumquodque observabo, quod observandum mihi videbitur. Præmitto tamen Synodi causam, quam habet Theodoretus, etiamsi mentionem illius nullam faciat. Hoc ergo tra- 2
dit in libri. V. Historiæ capite XXIII. *Flavianus verò, qui unà cum Theodoro in multa æque ardua certamina pro ovium Christi salute descenderat, in præsulatu Antiocheno magni Meletii successor fuit. Atque cùm Paulinus Ecclesiæ administrationem capessere vellet, cœtus sacerdotum restitit, dixitque, eum, qui consilium Meletii repudiaverat, post mortem ejus non debere illius sedem occupare: Immo verò qui multis ac præclaris nobilitatus erat laboribus, & quamplurimis periculis se pro ovibus obtulerat, eum pastorem curandum esse. Quæ res Orienti tum à Romanis, tum ab Ægyptiis odium valdè diuturnum peperit. Nam ne Paulino quidem jam mortuo simultas compressa est: Sed cùm Evagrius ejus sedem post*

post illum obtinuisset, non destiterunt inimicitias cum magno
Flaviano exercere, idque cùm Evagrius contra legem Ec-
clesiæ designatus esset. Quippe solus Paulinus eum or-
dinaverat: In qua re complures simul canones violavit.
Siquidem canones neque faciunt potestatem cuiquam jam
mortem oppetituro, quemquam in locum suum sufficere,
atque omnes Provinciæ Episcopos jubent in unum ad eam
rem convocari. Quinetiam vetant rursus, quemquam abs-
que tribus Episcopis Episcopum constitui. Attamen horum
nihil scire cupientes, Evagrii communionem sunt illi qui-
dem amplexati, Imperatorisque animum contra Flavia-
num incitare obnixè studuerunt. Nam cùm Imperatori
nimis acriter instando multum sæpe exhibuissent molestiæ,
accersit eum Constantinopolim & Romam proficisci jubet.
3 At Flavianus respondet, hyemem jam esse, Itaque pollici-
tus se ineunte vere imperata facturum, in patriam rever-
tit. Sed cùm Episcopi Romani, non Damasus solum ille
admirabilis, verum etiam post illum Siricius, & Anasta-
sius Siricii successor, vehementiùs in Imperatorem invecti
essent, dixissémque eum illos, qui tyrannidem contra se
exercere molirentur, opprimere nolle, sed hos, qui per tyran-
nidem Christi leges evertere studerent, impunitatem conce-
dere: Eum accersit denuo Imperator, Romámque ut con-
tendat, cogere laborat. Tum sapientissimus Flavianus li-
berè ei non sine maxima omnium laude respondet: Siquis
me, ô Imperator, ut fidem minimè sinceram ac sanam pro-
fitentem insimulent, dicantve vitam me traducere indig-
nam sacerdotio, cùm illis ipsis judicibus utar, tum pronun-
ciatam ab eis lubens subibo sententiam: Sin autem de sede
& præsulatu digladientur, neque agam cum illis judicio,
neque his quos eum dignitatem adipiscendi studium tenet,
adversabor, sed cedam equidem volens, méque ipse præsu-
latu abdicabo. Quare tu, cui libitum est, sedem Antio-
chenam tribuito. At verè Imperator hanc ejus animi mag-
nitudinem & sapientiam magnopere admiratus, in patri-
am reverti, & Ecclesiam sibi commissam sedulò pascere
jubet. Longo verò jam tempore intermisso, Imperator Ro-
mam denuo adventans, in idem crimen rursus ab Episco-
pis vocatus est, quòd scilicet tyrannidem non repressisset.
Tum Imperator eos dicere jubet, quod sit tyrannidis ge-
nus. Nam ipse, inquit, Flaviani partes suscipiam & cau-
sam ejus agam in judicio. Cùm autem illi respondissent,
se non posse cum Imperatore judicio disceptare, hortatur,
4 uti deinceps concordiam in Ecclesia constituant, dirimant
lites, & inanis contentionis flammam extinguant. Nam
Paulinum jampridem à vita excessisse, & Evagrium con-
tra leges Ecclesiæ designatum fuisse Episcopum: Quine-
etiam omnes Ecclesias Orientis Flaviano adhærescere, at-
que præter eas, Asianam præterea Diœcesim, Ponticam, &
Thraciam cum eo communicare, eique se addixisse: Illy-
riam porro universam agnoscere, eum inter Episcopos O-
rientis principatum obtinere. Huic hortationi obsecuti E-
piscopi Occidentis, promittunt se simultatem deposituros, &
legatos, qui à Flaviano mitterentur, admissuros. Qua re
intellecta, divinus Flavianus Episcopos quosdam illustris-
simos, Presbyteros etiam Antiochiæ, & Diaconos Romam
misit. In qua legatione principem locum tenebat Acacius
Episcopus Berœæ oppidi Syriæ, vir omnium ore ac ser-
mone passim celebratus. Qui unà cum cæteris Romam ad-
ventans, inimicitias ad decem & septem annos continua-
tas extinxit, Ecclesiisque pacem restituit. Qua re audita,
Ægyptii quoque odio sedato sunt concordiam amplexati.
Id temporis Innocentius successor Anastasii Ecclesiæ Ro-
manæ antistes fuit, vir ingenii & prudentiæ ornamentis
egregiè instructus. Hæc Theodoretus, qui per ætatem
rei gestæ suppar extitit, & qui aliunde vicinus An-
tiochiæ vix ignorare potuit, quæ ad Flaviani & com-
petitorum causam pertinebant. Quare minor fides
habenda videtur Socrati & Sozomeno, qui rem paullo
aliter narrant. Ille in libri V. Historiæ capite XV.
Eodem ferè tempore Antiochiæ Syriæ hæc etiam gesta fu-
5 isse accepimus. Cùm Paulinus morte occubuerat, populus
illius Ecclesiæ Flavianum detestatus est, & propterea E-
vagrium, sive ipsius factionis Episcopum designari consti-
tuit, quo non longo tempore vitam protrahente nemo alius
in ejus locum delectus est. Sic enim erat res à Flaviano
comparata. Quotquot igitur Flavianum propter jusjuran-
dum violatum aversabantur, separatim conventus fecerunt.
Flavianus omnem, ut dicitur, movebat lapidem, ut eos sibi
subjiceret. Quod quidem haud diu post perfecit, odio Theo-
phili Episcopi Alexandriæ tum versus ipsum placato,
cujus subsidiis Damasum etiam Episcopum Romanum sibi
reconciliavit. Nam uterque erga Flavianum offensiore
animo fuit, non solùm quod pejeraverat, sed etiam quod
antea fuerat eorum consensum dirimendo, qui erant antè
concordes. Hic in libri VII. Historiæ capite XI. Ac
Meletius quidem talem ibi sepulturam sortitus est; eligi-
tur verò in illius locum Flavianus præter datum jusju-
randum. Adhuc enim Paulinus in vivis erat. Ex eo i-
gitur maxima rursus perturbatio Antiochenam Ecclesiam
corripuit, ac plurimi se à Flaviani communione abstra-
xerunt, & privatum sub Paulino conventum egerunt.
Quin & ipsi quoque sacerdotes ob hanc rem inter se con-
tendebant. Atque Ægyptii & Arabici & Cyprii velut
ob Paulinum injuria affectum stomachabantur. Syri ve-
rò, Palæstini & Phœnices, tum etiam ex Armeniis, ex
Cappadocibus, ex Galatis, & ex Ponticis plurimi pro Fla-
viano stabant. Non minimè autem indignatus fuit Epi-
scopus Romanus, & cum eo cuncti sacerdotes Occidenta-
les, ac Paulino quidem ceu Antiochiæ Episcopo consuetas
scribebant Epistolas, quas Synodales appellant: Ad Flavi- 6
anum verò silentium agebant. Quia & Diodorum Tarsi
& Acacium Berœæ Episcopos, qui illum ordinabant, reos
agebant, & pro excommunicatis habebant. Itaque ut de
his ex rebus cognosceretur, scripserunt tum ipsi, tum Gra-
tianus Imperator, convocantes in Occidentem Orientales
Episcopos. Deinde in cap. XV. Tunc temporis Paulino
Antiochiæ mortuo, auditores ejus Flavianum, ut qui du-
dum Meletii tempore jusjurandum transgressus esset, aver-
sari pergebant, & quidem in dogmate nihil ab illo dis-
crepantes. Constituitur ergo illorum Episcopus Evagrius.
Quo quidem breve admodum tempus supervivente, nemo
alius hanc successionem adimplevit, obstante Flaviano: Se-
paratim igitur collectas agitarunt, quotquot communionem
illius repudiabant.

Socrates & Sozomenus in describendo Antiochenæ
Ecclesiæ schismate, Theodoreto satis consentiunt; Sed
in iis, quæ Flaviani causam attinent, à Theodoreto
dissentiunt. Stant à partibus Paulini & Evagrii, The-
odoretus à Flaviani. Et si res hæc ageretur modò,
Theodoreto magis quàm Socrati & Sozomeno, ut
jam dixi, crederem. Quicquid sit, ab illis tribus de-
scriptum habemus Antiochenæ Ecclesiæ dissidium, quod
uti tolleretur, Capuensis Synodus congregata est.

Nunc referenda est Ambrosii Epistola, quæ sic in-
scribitur: Ambrosius Episcopus Theophilo. Non habet,
quod urgeat Evagrius, & habet, quod metuat Flavianus;
ideóque refugit examen. Dent fratres veniam dolori
justo, quia propter ipsos universus orbis concutitur, & illi 7
non compatiuntur dolori: Perstringi saltem se æquanimi-
ter ferant ab iis, quos vident sua per tantorum curricula
temporum vexari intentione. Inter hos etenim duos nihil,
quod ad Christi pacem pertineat, eligentes, gravis toto or-
be stabat discordia. Cui bona pacis naufragio sancta Sy-
nodus Capuensis tandem obtulerat portum tranquillitatis,
ut omnibus per totum Orientem daretur communio Catho-
licam confitentibus fidem, & duobus istis tua Sanctitatis
examen impertiretur, fratribus & consacerdotibus nostris
Ægyptiis pariter considentibus, quia hoc verum judicium
futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociata com-
munione aliquo favore propenderet. Cùm ex his igitur u-
quissima Synodi constitutis speraremus jam remedium da-
tum, finémque oblatum discordiæ, scribit Sanctitas tua i-
terum, fratrem nostrum Flavianum ad precum auxilia,
& Imperialium rescriptorum suffragia remeavisse. Fru-
stra igitur tantorum Sacerdotum fusus labor: iterum ad
hujus sæculi judicium revertendum; iterum ad rescripta:
iterum vexabuntur sacerdotes senes, transfretabunt mu-

ria, iterum invalidi corpore, patriam peregrino mutabant solo: iterum sacrosancta altaria deferentur, ut in longinqua proficiscamur: iterum pauperum turba Episcoporum, quibus anto onerosa paupertas non erat, externa opis egentes compellentur inopiam gemere, aut certè victum inopum itineris asurpare. Interea solus exlex Flavianus (ut illi videtur) non venit, quando omnes convenimus. Fœnerator & debitor sibi invicem occurrunt, isti sibi
8 *non possunt occurrere. Solus exors Flavianus (ut ipse vult) sacerdotalis consortii, qui nec Imperialibus Decretis, nec sacerdotum conventui præsentiam faciat sui. Nec tamen etiam hoc moti dolere, fratri Evagrio donamus speciem bona causa, qui eo defensabilior sibi videtur, quòd eum refugit Flavianus, aut quod habere se alterum arbitratur æqualem. Uterque aliena magis ordinationis vitiis, quàm suis fretus: Quos tamen nos in meliorem vocamus viam, ut malimus eos suis potiùs bonis, quàm alieno vitio defendi. Qua de re quoniam propriis texuisti literis, posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia, cùm sancta Synodus cognitionis unanimitati vestra, caterisque ex Ægypto consacerdotibus nostris commiseris: Iterum oportet, fratrem nostrum Flavianum conveniat, ut si in eo perseveraverit, quo veniendum non putet, salvis Concilii Nicæni, sed etiam Synodi Capuensis statutis illibata pace universorum ita consulat, ut non videamur destruere, quod ædificatum est. Si enim quæ ædificavi, destruo, prævaricatorem me ipse constituo, ac si quæ destruxi, iterum ædificem. Servetur ergo impertita pacis gratia inter universos, & nihilominus declinatio partis frustrandi effectum habere non possit. Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententia, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostra dissensionem non afferat; ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum,*
9 *cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè probaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.*

I. Ambrosius in hac Epistola indicat multa, quæ jam facta fuerant; sed eorum monumenta desiderantur. Indicta fuerat Capuæ Synodus, quæ Antiochenæ Ecclesiæ dissidium tolleret. Synodus hæc Theophilo Alexandrino Episcopo tollendi dissidii provinciam dederat, quam susceperat Theophilus. Hic ad Ambrosium rescripsit; quòd Flavianus non stiterat, sed potiùs ad Imperatorem confugerat, & libellum illi precum obtulerat. Desiderantur Imperatoris mandata, quibus Concilium indictum & convocatum est; atque ita certus Concilii annus ignoratur. Sozomenus significat quidem fuisse Imperatorem Gratianum, qui Concilium cogi voluit, sed quo voluit anno tacet. Et quoniam Gratianus anno Christi CCC.LXXXIII. VIII. Calend. Septembris periit, planum fiet postea Sozomenum hac in re graviter errasse. Desideratur precum libellus, quo Flavianus Synodi judicium declinavit. Desiderantur Synodicæ literæ, quibus Theophilo judicandi potestas delegata est. Desideratur Epistola quam Theophilus ad Ambrosium misit. Desiderantur nomina sacerdotum, qui ad Synodum convenerant. Cùm autem scimus hæc, quæ desiderantur omnia, nos multarum rerum cognitione privari scimus.

II. Ad Synodi Præsidem quod pertinet, quis ille fuerit, ex monumentis, quæ ad nos pervenerint, verè affirmatèque dici non potest. Concilio præsedisse non Romanum Pontificem, sed Ambrosium de pluribus
10 conjecturam facio. Et primùm quidem Ambrosius potissima quæque exequitur; ad Theophilum Alexandrinum scribit, eique nomine Concilii dirimendæ controversiæ, quæ erat inter Flavianum & Evagrium, potestatem tribuit. Theophilus ad Ambrosium rescribit, eique rerum à se gestarum rationem reddit. Deinde cur Concilium Theophilo judicandi potestatem illam tribuerit, id in causa est, cur Romanus Pontifex Concilio non præfuerit. Quid ea super re Ambrosius ad Theophilum scripsit, expendamus tantisper. *Cui bona pacis naufragio Sancta Synodus Capuensis tandem obtulerat portum tranquillitatis, ut omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam confitentibus fidem, & duobus istis tua sanctitatis examen impertiretur, fratribus & consacerdotibus nostris Ægyptiis pariterque consedentibus,* QUIA HOC VERUM JUDICIUM ARBITRATI SUMUS, QUOD NEUTRI PARTI SOCIATA COMMUNIONE ALIQUO FAVORE PROPENDERET. Theophilus itaque delegatus est à Capuensi Concilio judex, quia neque cum Flaviano neque cum Evagrio communicabat. Neutri societate jungebatur, & ideo Synodus verum judicium futurum arbitrabatur. Innocentius, qui post Siricium & Anastasium Romanus creatus est Episcopus, disciplinam hanc, quæ & bona & æqua est, graviter asseruit, cùm apud Palladium in Dialogi de Joannis Chrysostomi vita capite III. sic ad Theophilum scribit: *Innocentius Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit, dicens oportere constare aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium & Orientalium sacerdotum,* CEDENTI- 11
BUS CONCILIO AMICIS PRIMUM, DEINDE INIMICIS: NEUTRARUM QUIPPE PARTIUM DEPRAVATUM FACTUM ESSE JUDICIUM. Sic decernente Innocentio sacerdotes Theophilo vel Chrysostomo amici aut inimici debebant abesse à Concilio, quod excitatam inter utrumque controversiam diremturum erat. Quibus ex momentis Romanus Pontifex Capuensi Concilio nec præesse nec interesse debuit. Æquitas in paribus causis paria jura desiderat. Socrates, ut vidimus, Damasum offensiore in Flavianum animo fuisse tradit: Sozomenus quoque Romanum Pontificem cum Flaviano stomachatum esse, nullas ad Flavianum dedisse Epistolas, quæ Synodales vocantur: Has ad Paulinum scripsisse dicit.

Præterea huc spectat extrema Epistolæ Ambrosii ad Theophilum clausula hæc: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententia, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur Concilio, quod communioni nostra dissensionem non adferat, ut nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum hujusmodi examinis adipiscamur.* Hìc occurrunt mihi duo, cur tanta cum solicitudine & cura rerum Pontificis Romani Ambrosius satagat: Et quòd ille aberat à Concilio; (siquidem absentium semper habenda est ratio:) Et quòd Flavianum repudiaverat, & Paulini ac Evagrii communionem retinuerat. Verebatur Ambrosius, ne si 12
cassa & irrita censeretur Evagrii ordinatio, nonnihil inde detrimenti in Romanum Episcopum redundaret. At verò si servandi essent Nicænæ Synodi canones, ut servandos esse significat Ambrosius, Evagrii stare non poterat ordinatio, quippe quæ contra Nicænos imprimis Canones, si Theodoretus verum dicit, facta fuerat. Quare non est mirum, omni ope ac studio conniti Ambrosium, ut à Theophilo judicetur nihil, quod Romano Episcopo displicere possit. Sic igitur temperandum erat à Theophilo judicium, ut hinc pax Antiochenæ conciliaretur Ecclesiæ, hinc Romani Pontificis factum benignè acciperetur. Quæ omnia non obscurè produnt Romanum Pontificem non interfuisse Concilio, cùm si interfuisset, Ambrosius id nonnullis significasset indiciis, nisi quod non est credibile, de industria cavisset. Denique, ut in Siricii ad Anysium & Illyrici Præsules Epistola videbimus, Bonosus post delegatorum judicum sententiam ad Ambrosium scripsit, non ad Siricium, ad quem sine dubio scripsisset, si Capuensi Concilio vel præfuisset, vel interfuisset: *Denique cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret.*

III. Cùm

III. Cùm Capuensis Synodus Theophilo judicandi potestatem delegat, non illi soli delegat, sed remittit controversiam ad Synodum, quæ ex Ægyptiis sacerdotibus constetur. Huic autem Synodo præfuisset, si fuisset facta, & fortassis facta est, sed inutiliter, quia
13 Flavianus vadimonium sistere noluit. Judicium causæ suæ in Imperatorem transtulit, quemadmodum Theodoretus narrat. Ut in Capuensi, ita nec in Ægyptiaca seu Alexandrina Synodo non comparuit.

IV. Capuensis Synodus id, cujus gratia convenerat, nec fecit, nec facere potuit. Non fecit quidem, ut scribit Ambrosius, quia controversiam, quæ inter Flavianum & Evagrium erat circa Episcopatum Antiochenæ Ecclesiæ, non diremit: Nec verò facere potuit, quia Flavianus & qui stabant ab illius partibus, ad Synodum adesse noluerunt. Causa non erat, in qua Flavianus damnari potuisset contumaciæ: Auctum fuisset schisma non extinctum.

V. Ambrosius Flaviani & Evagrii causam utrinque agitat, Evagrii quàm Flaviani defensionem æquiorem reperit, quia Evagrius Synodi judicium non refugerat, Flavianus verò refugerat: Atque hoc ipsum est, quod hinc bonæ, inde malæ causæ speciem appellat. Præjudicium tamen fert nullum; sed quidquid est rei, ad Nicæni Concilii Canones & Capuanæ Synodi statuta exigendum esse censet. *Iterum oportet fratrem nostrum Flavianum conveniat, ut si in eo perseveraric, quo veniendum non putet, salvis Concilii Nicæni, sed etiam Synodi Capuensis statutis illibata pace ita consulat, ut non videamur destruere, quod ædificatum est.*

VI. Socrates & Sozomenus nonnulla scribunt, quæ si generatim & in aversione sumantur, Ambrosii Epistolæ non concordabunt: Si verò capiantur singulatim & diversis consignentur temporibus, concordare pote-
14 runt. Cùm Socrates ait Theophilum offensiore in Flavianum animo fuisse, erraret, si respectum haberes ad tempus, quòd susceptam à Theophilo judicandi provinciam, & coactam ob id Ægyptiam aut Alexandrinam Synodum præcedit. Tunc nec Flaviano, nec Evagrio addictus erat. *Cui bonu pacis naufragio sancta Synodus Capuensis tandem obtulerat portum tranquillitatis, ut omnibus per totum Orientem daretur communio Catholicam profitentibus fidem, & duobus istis* (Flaviano & Evagrio) *tua sanctitatis examen imperti-retur, fratribus & consacerdotibus nostris Ægyptiis pariter considentibus, quia hoc verum judicium futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociata communione aliqua favore propenderet.* Non erraret verò, si respectum haberes ad tempus, quod susceptam à Theophilo judicandi provinciam, & coactam Ægyptiam seu Alexandrinam Synodum subsequitur. Nam Theophilus contra Flavianum indignari potuit, quòd Ægyptiæ seu Alexandrinæ Synodo interesse noluerit. Cætera, quæ de Theophilo & de Damaso narrat ita falsa sunt, ut defendi nequeant: *Flavianus*, inquit, *Theophili subsidiis Damasum etiam Episcopum Romanum sibi reconciliavit. Nam uterque erga Flavianum offensiore animo fuit, non solùm, quòd pejeraverat, sed etiam quòd auctor fuerat eorum consensum dirimendi, qui erant antè concordes. Quare Theophilus odio in illum restincto Isidorum Presbyterum misit, uti Damasi animum in Flavianum exulceratum mitigaret, doceretque ex usu Ecclesiæ esse, si propter populi concordiam pecca-*
15 *tum à Flaviano commissum remitteret. Quocirca communione Flaviano ad hunc modum reddita, populus Antiochenus pedetentim tempore progrediente ad concordiam reducitur. Atque res Antiochiæ administrata hunc habuerunt exitum.* Paulinus cui cum Damaso semper fuit communio, migravit anno Christi CCCLXXXIX. hic annus, cùm sit quintus Siricii, qui Damaso successit, tota Socratis cadit narratio: Nam quæ Damaso Pontifice & cum Damaso facta esse dicit, sub Damasi successoribus contigerunt.

Sozomenus in libri VII. hist, capite XI. Imperatori Gratiano tribuit, quod Theodosio vel Valentiniano tribuendum est. *Itaque*, inquit, *ut de hisce rebus cognosceretur, scripserunt tum ipsi, tum Gratianus Imperator in Occidentem convocantes Orientales Episcopos.* Gratianus in Prosperi & Cassiodori Chronicis: *Parisiis Merobaudis Magistri militum proditione superatus & fugiens Lugduni captus occiditur Ricomere & Clearcho Consulibus*, qui anno Christi CCCLXXXIV. respondent. Marcellinus Comes id anno superiori VIII. Calend. Septembris factum, tradit, *Merobaude II. & Saturnino Consulibus.* At Paulinus, cui successit Evagrius, de vita decessit anno CCCLXXXIX. & sic Gratianus convocare non potuit Capuanam Synodum, de qua sermo instituitur apud Ambrosium. Synodi hujus convocatio ad Imperatorem alium referenda est.

Cæterùm Gratianus cùm vivebat, in Occidente Synodum congregavit nullam, quæ de Flaviani & Paulini
contentione judicaverit; & sane contrarium gratis, 16
sine majorum auctoritate, & contra Ambrosii Epistolam assereretur. Sozomenus Gratianum pro Valentiniano vel Theodosio accepit.

VII. Cùm Evagrius Paulino successit ad annum CCCLXXXIX. & non diu vixit Episcopus, ut Socrates & Sozomenus testantur, & eo vivente facta est Capuensis Synodus, hæc circa hunc vel insequentem annum fieri debuit. Atque hæc habui, quæ ad Ambrosii Epistolam observarem. Nunc veniendum est ad Siricii Epistolam, quæ sic Inscribitur:

Dilectissimis fratribus Anysio & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis, Siricius. Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato, copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cum Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere,
atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum 17
foret; sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitia convenire statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit. Sanè non possumus negare de Maria filiis jure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem utero virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus nasci per Virginem, si eam judicasset tam incontinentem fore, ut illud genitale Dominici corporis, illam aulam regis æterni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Judæorum adstruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex Virgine. Nam si hanc accipiant à sacerdotibus auctoritatem, & videatur Maria partus fudisse plurimos, majore studio veritatem fidei expugnare contendent, & ubi est illud, quod scriptum est dicente Domino ad Matrem de Ioanne Evangelista: Mulier ecce filius tuus: Et rursus ad Ioannem de Maria: Ecce Mater tua? Quid sibi istud vult, quòd cùm in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi ut claudat sua ora perfidia, obmutescat, ne Matrem Domini aliquo audeat temerare convicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quòd desponsata fuerit viro tantummodo
Josepho; nulla tamen conjugalis coitûs consuetudine tori jura 18
cogno-

cognoverit: Neque enim eam suscepturam ex Joseph filios à viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Evangelista dicens, quòd suscepit eam discipulus in suam. Nunquid ergo divortium fecit? Nunquid à viro abduxit, atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quasi naufragus titubat & fluctuat? Hoc ergo testamentum filii est de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hæc totius finis consummationis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum, consummans omne mysterium bono fine pietatis. Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri nostro & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestra normam expectamus sententia.

I. Non propter Bonosum apud Macedones Episcopum Capuensis Synodus coacta est, sed Bonosus ad Synodum jam coactam delatus est, & pravæ circa Deiparam doctrinæ accusatus.

II. Capuensis Synodus de Bonoso & Bonosi doctrina sententiam tulit nullam, cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd nec Bonosus, nec Bonosi accusatores Capuæ præsentes adessent.

III. Synodus hæc Anysio Thessalonicensi & finitimis Episcopis in Bonosum & Bonosi doctrinam inquirendi & de re tota judicandi provinciam dedit. Ut in Flaviani & Evagrii de sede Antiochena contendentium, sic & in Bonosi causa se gessit: Illam per seipsam non judicavit, sed aliis judicandam delegavit.

19 IV. Anysius Thessalonicensis & Illyrici antistites suscepta provincia, quæ illis videbatur gravissima, ad Siricium Romanum Pontificem scribunt, ab eóque de Bonoso & de Bonosi doctrina præjudicium aliquod fieri postulant. Rescribit Siricius rem eo in statu esse, ut sibi judicandi forma competere non posset. *Sed cùm hujusmodi*, inquit, *fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset.* Simplex & ingenua est Siricii confessio, quâ non Capuensis modò Concilii, sed etiam delegatorum à Concilio judicum auctoritas Romani Pontificis auctoritate superior exhibetur: ordinatur controversia, & ferendum ab iis, quorum interest, judicium proponitur.

V. Siricius in hac causa se legitimum non esse judicem probare sic pergit. *Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium* (potestatem scilicet judicandi) *sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.* Quibus verbis upertè significat, Concilii potestatem qualibet alia etiam sua, quæ Sedis est Apostolicæ, superiorem existere. Quod & inculcat, dum ita persequitur: *Ideo primum est ut ii*
20 *judicent, quibus facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Sic jurisdictionem illam, quæ à Tullio contra leges dicitur, agnoscere, tum refugere ac deprecari non dubitat. Plura in hanc rem disputo in Epistola, quam ad Felicem Phelippæum Brossam Parisiensem Theologum scripsi.

VI. Priusquam delegati à Synodo judices de dogmate Ecclesiæ pronunciarent, Bonoso Ecclesiâ propriâ interdixerunt, sed Bonosus interdicto stare noluit. Siricius conjicienda duo hæc objicit, & primò quidem cùm Epistolam orditur: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis.* Deinde dum ita paullò pòst scribit: *Cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quòd nihil temerandum foret*, &c. Judicium illud, cujus meminit Siricius, dogma non attinebat Ecclesiasticum; alioqui de eo Siricium Anysius & Illyrici præsules non consuluissent. Hoc satis perspicuum videtur. Ad aliud igitur referri debet. Bonosus vadimonium sistere recusavit, & eam ob causam Ecclesiæ ingressu prohibitus est.

VII. Ambrosii ad Bonosum desiderantur literæ,
quarum summam hîc perstringit Siricius, cùm ait:
*Responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed
omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra
sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur
vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc Synodus* 21
dederat auctoritatem. Itaque Ambrosius Bonoso scripserat, delegatos à Capuensi Concilio judices exceptione nullâ excludi posse, quippe qui vicem Synodi gererent. Quod Ambrosius Bonoso per literas significaverat, id Anysio & judicibus aliis pariter significat Siricius: *Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, nec elabendi, vel accusatoribus, vel accusato, copiam dare.* Auctoritate in judicando supremâ utebantur; nullus restabat appellandi locus, quia vice Synodi judicabant, ut loquitur Siricius.

VIII. Et quanquam Siricius de Bonosi facto nihil pronunciat, quod illi forma pronunciandi competere non possit, ut fatetur ingenuè, refellit tamen opinionem, quæ Bonoso tribuebatur; scripturis & rationi contrariam esse ostendit. Quod Igitur Siricius ut judex facere non potuit, facit ut privatus Theologus, ne Bonoso tacitus favere videretur, & ut aliunde Bonosum meritò reprehensum fuisse demonstraret. Capuensis Synodus impedilt, quo minus Pontifex decerneret, non impediit quo minus doceret. *Sanè*, inquit, *non possumus negare de Maria filios reprehensum, meritòque vestram sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem utero virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit:* Et cætera, quæ nervosè atque eruditè persequitur. Deperditæ sunt Anysii & Antistitum illius collegarum literæ: Et causa hæc est, cur plura scire non possimus.

IX. Siricius in postrema Epistolæ clausula signi- 22
ficat se definire nihil, quod ad Ecclesiæ dogma referatur, sed exspectare, quid delegati à Capuana Synodo judices definituri sint. *Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri nostro, & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestra normam exspectamus sententiæ,* ad quam nimirum & Siricius & cæteri fidem suam dirigant. Hinc enim Siricius udverterat, judicandi formam sibi non posse competere; hinc notaverat, Anysium & judices alios totius Synodi vice decreturos esse, quidquid decreturi erant.

X. Porro autem hæc mihi visa sunt omnia colligi posse ex Epistola, quæ sub nomine Ambrosii inter illius opera reperitur: sed quæ anno M. DC. LXII. Romæ auctori suo Siricio restituta est. Liber, in quo hæc servatur æquitas, inscribitur, *Collectio Romana bipartita veterum aliquot Historiæ Ecclesiasticæ monumentorum.* Deinde inscriptio restituta est eo apparatu, ut Siricii Epistola nostri temporis vocari possit, & quæ in ea erga Capuensem Synodum disciplina sancitur, nunc dierum eadem erga quamcunque aliam Synodum æqualem vel majorem sancita credatur. Nam è Vaticanis codicibus prodiit cum monumentis aliis, Alexandri VII. nuncupatione & auspiciis, Francisci Cardinalis Barberini Vice-Cancellarii commendatione magna; O. Archiepiscopi Patracensis vicesgerentis, & Raimundi Capisucchi Magistri Palatii approbatione; Romana impressione

23 pressione & proscriptione munita contra Curiam, quæ vindicatas Sedis Apostolicæ traditiones cùm per ignorantiam supprimit, apud pios & eruditos homines patefacit, & prohibendo confirmat, quia gratis & insuper habito Beati Petri de reddenda fidei suæ ratione mandato prohibet, & in Petri loco Petrum contemnit exemplo pessimo. Sed absit, ut imitemur.

XI. Jacobus Almainus Parisiensis Theologus cùm anno M. D. XII. de auctoritate Ecclesiæ adversus Thomam Cajetanum scripsit, & Joannem Gersonem Parisiensem Cancellarium ab hujus impetitione defendit, pro eo quo multum valebat ingenii acumine, Epistolam primus abjudicavit Ambrosio, & decessori Siricii Damaso asseruit. Nec valde aberravit. Prospiciebat Epistolam non posse nisi Romano cuidam Pontifici æquali Ambrosii quadrare. Ambrosius sub Damaso creatus est Mediolanensis Episcopus, & sub Siricio ab hominibus demigravit.

XII. Christophorus Justellus vir antiquitatis Ecclesiasticæ peritus, & sagaci præditus ingenio, in notis ad Canonum Africanæ Ecclesiæ codicem, quem anno M. DC. XV. edidit, Siricium Epistolæ auctorem fuisse conjecit, & optimè conjecit: *Quæ*, inquit, *Epistola Ambrosii non est, sed, ut opinor, Siricii P. R. sub quo Capuensis Synodus celebrata est, circa annum* CCCXXCIX. Vaticani codices manuscripti conjecturam Justelli vindicarunt.

XIII. Baronius quidem censuit Epistolam non esse
24 Ambrosii, etiamsi inter ejus opera extaret, sed cujus esset, quærere neglexit. Adhibere noluit diligentiam, quæ & sibi & Annalium suorum scopo vehementer incommodaret. Siricius in Epistola sua Ecclesiasticorum Annalium loca sexcenta, quibus auctor Romanum Pontificem supra Concilia omnia statuit, & sacrorum Canonum derogatorem facit amplissimum, funditus evertit. Siricius contrà fatetur ultro, exquisitiorique sermone asseverat, judicare se non posse controversiam, cujus judicandæ provinciam Capuana Synodus Anysio Thessalonicensi & aliis Macedoniæ Episcopis dederat. Siricius in hoc lemmate antecedentia concludit, & subsequentia præcludit. Hinc antiquiorem omni memoria disciplinam *Ecclesiæ* asserit; hinc decurrendam per ætates posteriores disciplinam eandem ita constringit, ut qui contra illam vel dixerit vel fecerit, defixos à primis Patribus terminos refixisse convincatur. Novum, & de novitate damnandum semper erit, quidquid receptæ ante Siricium retro ad Apostolos versus disciplinæ adversabitur. Nisi fortassis, quæ intervenit mutatio, in melius intervenerit, atque ædificandis in domo Dei populis plus inservierit.

XIV. Romanum Concilium in Epistola III. ad Gratianum & Valentinianum antiquiorem Siricio disciplinam, de qua nunc mihi sermo est, sic concludit: *Memoratus frater noster Damasus quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus est æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolicæ Sedis excellit, ut judiciis publicis videantur esse subjecti,*
25 *quibus sacerdotale caput lex vestra summovit. In quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatum à vobis honorificentiam flagitare: Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse vita munitior, quàm vestra clementia quæ innititur judicata? Quod verò ad prædicandam Episcopi conscientiam* SEVERIOR FACTUS SE DEDIT IPSE JUDICIIS SACERDOTUM, *à quibus non nominis sed etiam morum ratio pensatur, ne quis iterum calumniator existens, dum memoratum conatur appetere, verum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit, religioni tamen fiat injuria in vexatione ministrorum: Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestra magis conferre pietati, quam sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum*, UT EPISCOPUS ROMANUS, SI CONCILIO EJUS CAUSA NON CREDITUR, *apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est.* In Jacobi Sirmondi appendice ad Codicem Theodosianum. Hîc ut nihil de Imperatoris judicio dicam, Silvester & Damasus nunc judicantur à Conciliis, nunc sese judicandos sistunt. Quidquid illud est, Conciliorum potestatem sua majorem & superiorem libenter agnoscunt, nec agnoscerent, nisi agnoscendi ratio justa suppeteret.

XV. Exinde Julius, qui inter Silvestrum & Damasum medius est, utriusque sententiam amplectitur in Epistola ad Orientales: *Id verè*, inquit, *ad Synodi & Episcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & cura velut Deo* 25
præsente egissent, à nobis ut vana futiliáque abrogarentur.

Liberius in Epistola ad Imperatorem Constantium: *Ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere, & nunquam mea statuta, sed* APOSTOLICA, *ut essent semper firmata & custodita perfeci:* SECUTUS MOREM ORDINEMQUE MAJORUM NIHIL ADDIDI EPISCOPATUI URBIS ROMÆ, NIHIL MINUI PASSUS SUM. Hæc adeó sunt perspicua, ut explicatione nulla egeant, & si qua egerent, hæc in Constantii & Liberii Dialogo habetur. *Imperator. Unum est, quod quæritur: Volo enim te, ubi Ecclesiarum communionem fueris amplexus, mittere iterum Romam; proinde consule paci & subscribens Romam redi. Liberius: Romæ jam fratribus vale dixi;* POTIORES SUNT ECCLESIÆ LEGES, QUAM ROMANA HABITATIO. Nempe inauditum à se Episcopum, & ab adversariis injustè tractatum condemnare non poterat.

Hæc est Sedis Apostolicæ traditio, quam Siricius in sua Epistola decessores suos secutus concludit; Et quæ successores illius diligentissimè præcludit, & eis ad doctrinam similem prælucet.

Innocentius I. in præfatione ad Victricium Rotomagensem Episcopum: *Propter eos igitur, qui vel ignorantia vel desidia non tenent Ecclesiasticam disciplinam, & multa non præsumenda præsumunt, rectè postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet Ecclesia Romana, forma servetur, non quò nova præcepta aliqua imperentur, sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus*, quæ ta- 27
men Apostolica & Patrum traditione sunt constituta. Deinde in cap. I. *Primùm ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare. Integrum enim judicium est, quod plurimorum sententiis confirmatur, nec unus Episcopus ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim à Nicæna Synodo constitutum est ac definitum.* Hæc dictasse Siricius videtur: Canonum executorem se præbet.

Bonifacius I. in Epistola ad Hilarium Narbonensem Episcopum de eo, qui prætermisso Metropolitano contra Nicænorum Patrum regulas ordinatus fuerat. QUOD NEQUAQUAM POSSUMUS FERRE PATIENTER, QUIA CONVENIT NOS PATERNARUM SANCTIONUM DILIGENTES ESSE CUSTODES. Et post alia: *Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat, nec aliquid in illorum contumeliam partibus suis, quæ sibi non videntur concessa, defendat. Cesset hujusmodi præstite nostra auctoritate præsumptio eorum, qui ultra licitum sua limitem dignitatis extendant. Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua,* ADEO NOS CANONUM PRÆCEPTA SERVARE, *ut ita quoque Constitutio nostra definiat, quatenus Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet.*

Sic

Sic vindex & assertor Canonum loquitur; sacrorum Canonum derogator non ita loquitur.

Celestinus I. in Epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium, & alios Illyrici Episcopos: DOMINENTUR
28 NOBIS REGULÆ, NON REGULIS DOMINEMUR. SIMUS SUBJECTI CANONIBUS, CUM CANONUM PRÆCEPTA SERVAMUS. In Romana Synodo Collectionis Romanæ bipartitæ num. XIII. Hæc autem verba, Sedis Apostolicæ speciem, formam, & notionem designant, & Censores Curiæ configunt. Celestinus, spero, in librorum prohibitorum indicem mecum detrudetur. Mecum dico, quia nec sentio, nec aliter, quàm Celestinus, sentire volo; Celestini sumus, & noster est Celestinus.

Sixtus III. in Epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes: *Sed ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* In Romana Synodo Collectionis Romanæ bipartitæ. Ex hoc loco facile probatur decretorum Romani Pontificis firmitatem ab Ecclesia sustentari, & nisi decreta hæc sustententur ab Ecclesia, firmitatem & vigorem suum perdere. Quo in casu Romano Pontifice major est Ecclesia: Quia Romanus Pontifex pars est Ecclesiæ, quia caput, & ut ait Augustinus in libri II. de Bapt. capite IV. *Universum partibus semper optimo jure præponitur.*

Leo I. in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite III. *Nimis hæc improba, nimis sunt prava* QUÆ SACRATISSIMIS CANONIBUS INVENIUNTUR ESSE CONTRARIA. Et paullo post: ABSIT A CONSCIENTIA MEA, *ut tam prava cupiditas meis studiis adjuvetur, ac non potiùs meo & omnium, qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi & venera-*
29 *biles Patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Arrio cum sua impietate damnato* MANSURAS USQUE IN FINEM MUNDI LEGES ECCLESIASTICORUM CANONUM CONDIDERUNT, *& apud nos & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, & siquid usquam aliter quàm illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum commune sunt præfixa, & manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum, sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine charitatis se exerceat.* Sic Petrus, sic Petri sedes per Leonem loquitur, & loquendo sese Patribus, qui unicuique terminos constituerunt, subjicit. Deinde idem facit in Epistola ad Metropolitanos per Achaiam Provinciam constitutos: *Illud quoque pari observantia ad sacerdotalis concordiæ vinculum ab omnibus volumus custodiri, ut nullus Episcopus alterius Episcopi Clericum sibi audeat vindicare, sine illius ad quem pertinet, cessione, quoniam & hoc canonum definivit auctoritas, & ipsa servandæ unitatis ratio docet, ne omnis ordo Ecclesiasticus per hanc licentiam efficiatur instabilis.* In Romana Synodo Collectionis Romanæ bipartitæ num. XXVI. Rationes duæ, quas in medium profert Leo, & rationum hujusmodi scopus omni sunt termino immobiliores, & Leonem ipsum constringunt.

Simplicius in Epistola ad Acacium Constantinopo-
30 litanum Episcopum: *Ne aliquis dubius rationis & trepidus mentis expectet novi aliquid post Chalcedonense Concilium contra definitiones ipsius retractari, quia per universum mundum* INSOLUBILI OBSERVATIONE RETINETUR, *quod à sacerdotum universitate est constitutum, & sicut apparuit, cœlestis totiens ultionis assertione firmatum. Unde divino judicio reluctatur, quisquis ejusdem venerabilis definita Concilii post tot divina indignationis exempla non sequitur.* In Collectione Romana bipartita. Si per universum mundum insolubili observatione retinetur, quod est à sacerdotum universitate constitutum, etiam Romæ, quæ pars est Christiani orbis, insolubili observatione retinebitur. Simplicius universim pronunciat de rebus omnibus, quas Calchedonense Concilium definivit: quod Leo de Nicænis, id Simplicius de Calchedonensibus regulis affirmat. Leo in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite II. scripserat: *Et illa Nicænorum Canonum per Spiritum verè sanctum ordinata conditio (ne) in aliqua unquam sit parte solubilis.* Et in Epistolæ LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem capite II. dixerat, *Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos.* Simplicius Calchedonensibus regulis insolubilem observationem attribuit, & eum qui illis reluctatur, divino judicio reluctari contendit.

Gelasius I. in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus,* NON ALIQUAM MAGIS EXEQUI 31
SEDEM PRÆ CÆTERIS OPORTERE, QUAM PRIMAM. At si prima sedes universalis Ecclesiæ constituta magis exequi, quàm sedes aliæ, tenetur, cùm suo deerit officio, in illa major, quàm in aliis officium suum negligentibus residebit culpa: Nec residere posset, nisi universali subjiceretur Ecclesiæ. Hinc in tractatu VIII. qui est in appendice Theodosiani codicis: NON EST, inquit, NOSTRÆ HUMILITATIS, DE TOTIUS ORBIS DISSENTIONE FERRE SENTENTIAM: *Est tamen nostrum de propria salute esse sollicitos; quoniam unusquisque pro se rationem redditurus est ante illud tribunal judicis & regis æterni, in quo etiam de verbo otioso, minimóque quadrante sumus nostrorum rationem acturi præstituri.* Hæc aperta sunt, nec difficultatem ad intelligendum ullam patiuntur.

Symmachus in Epistola VII. Apologetica contra famosum Anastasii Imperatoris libellum: *Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, utrum à fide Catholica, quam in sede Beati Apostoli Petri veniens ex Paganitate suscepi, aliqua ex parte deviaverim. Procedat aliquis & qualibet ratione convincat; alioqui convitia sunt ista, non criminum probamenta.* Quis porro ita loqueretur, si errare in fide & judicari se non posse crederet? Omnino verba sunt hominis, qui superiorem agnoscit, à quo judicetur. Quinetiam persuasus erat se ipsis Ecclesiæ *sive Conciliis* subjici; ut ex Romani Concilii illius, quod de bonis Ecclesiæ non alienandis habuit,
capite IV. colligitur: *His ergo perpensis, mansura cum* 32
Dei nostri consideratione decreto sancimus, ut nulli Apostolicæ Sedis Præsuli, à præsenti die, donec disponente Domino Catholicæ fidei manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum quantacumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione ad cujuslibet jura transferre, nec cujusquam excusetur necessitatis obtentu. Mox in cap. VI. *Pari etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicunque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia nefas est obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus Pontifex, ea hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri.* Qua igitur Concilii lege Romanæ civitatis Presbyteri constringuntur, eadem & Episcopus constringitur: Atque ita ut Presbyteri Romanæ civitatis, sic & Episcopus, subditi sunt Concilio, quod legem tulit. Relati Canones vel hoc, vel nihil important.

Agapetus Romani Concilii hujus lege teneri se fatetur in Epistola VI. ad Cæsarium Arelatensem Episcopum: *Tamen est Deo proprio & ad ea libentissimè concedenda, quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa tuæ fraternitatis affectum nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus, quod animi vestris desideriis postulatis. Sed revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus specialiter prohibemur, prædia juris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Quod in re vestra quoque sapientia credimus esse gratissimum, quod* IN NULLO CONTRA PRISCÆ DEFINITIONIS CONSTITUTA, VEL REGULAS PRO QUALIBET OCCASIONE, 33
VEL

VEL SUB CUJUSCUNQUE PERSONÆ RESPECTU VENIRE PRÆSUMIMUS. *Nec tenacitatis studio, aut sæcularis militatis causa hoc facere nos credatis, sed divini consideratione judicii* NECESSE NOBIS EST, QUIDQUID SYNODALIS DECREVIT AUCTORITAS, INVIOLABILITER CUSTODIRE: & postea relatos suprà canones subnectit. An potuit significare manifestius se Romanum subjici Concilio? Qui negaret, is vel malitiosè facere, vel Latine non intelligere se proderet.

Gregorius I. in libri II. Indict. x. Epistola XXXVII. ad Natalem Salonitanum Episcopum, quem ob convivia lautiora reprehenderat: *Si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, jure tacere compellerer, ut eum non reprehenderem, quem emendare non possem. Hæc ergo sententia* (qui non manducat, manducantem non judicet) *solummodo propter eos dicta est, qui illos judicare student, quorum sibi cura commissa non est.* AT POSTQUAM NOS AUCTORE DEO UNUM SUMUS, SI EA, QUÆ NOBIS CORRIGENDA SUNT, TACEMUS, VALDE DELINQUIMUS. *Ecce fraternitas tua ægrè tulit se de conviviis à me esse reprehensam, cùm ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior,* AB OMNIBUS CORRIPI, AB OMNIBUS EMENDARI PARATUS SIM. *Et hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam ante apparitionem districti judicis mea maculas mentis tergo.* Bellarminus numquam hocce utetur testimonio, ut probet credidisse Gregorium se Concilio inferiorem non esse.

34 Deinde in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Et nos quidem, in quos talis tantáque per ausum nefarium culpa committitur, servamus, quod veritas præcepit dicens, si peccaverit in te frater tuus,*&c. *ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui: Nunc per meipsum scribo, quidquid facere humiliter debui, non omisi:* SED SI IN MEA CORREPTIONE DESPICIOR, RESTAT UT ECCLESIAM DEBEAM ADHIBERE; Scilicet ut tribunal Gregorii solius auctoritate potentius & sublimius, id effecturum sit tandem, quod ipse fatetur efficere se non posse.

Denique in libri IX. Epistola XXXII. ad Romanum dafensorem Siciliæ: *Si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut* PER NOS, PER QUOS ECCLESIASTICUS ORDO CUSTODIRI DEBUIT, CONFUNDATUR? Si Romanus Pontifex Ecclesiasticum ordinem custodire debet, & cavere ne confundatur, reus erit, si non custodiat, & caveat ne confundatur: Immomagis reus erit, si confundat ipse, qui custos esse debet. At qui hujus ordinis violati reus est, Ecclesiæ subjicitur judicio.

Bonifacius II. apud Anastasium Sedis Apostolicæ Bibliothecarium: *Congregavit Synodum in Basilica Beati Petri Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis sacerdotum, & jurejurando ante confessionem Beati Petri Apostoli in Diaconem Vigilium instituit. Eodem tempore facta iterum Synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes* PROPTER REVERENTIAM SANCTÆ SEDIS, ET QUIA CONTRA 35 CANONES FUERAT FACTUM, ET QUIA EUM CULPA RESPICIEBAT, UT SUCCESSOREM SIBI CONSTITUERET, IPSE BONIFACIUS REUM SE CONFESSUS EST MAJESTATIS, *quod Diaconem Vigilium subscriptione chirographi, ante confessionem Beati Apostoli Petri, constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum, cleri & Senatus* INCENDIO CONSUMPSIT. Qui Pontifex propter violatos Canones reum se majestatis profitetur, is se & Canonibus & Conciliis subjectum palam ostendit. Bonifacius sic affectus & comparatus erat, ut & Curialium omnium commentarios, quibus doceretur contrarium, non modò relegasset in librorum prohibitorum indicem, siquis tunc fuisset, sed etiam incendio consumpsisset: Laudasset verò auctores illos, qui secundas illius cogitationes sapientissimas, è cælo missas, & sanctæ Sedis reverentiam in luce totius Ecclesiæ & in oculis omnium defigentes nobiscum approbarent.

Vigilius in Constituto: *Ideòque cùm fratres nostri neque exæquato nobiscum numero residere, neque in scriptum, quæ ageremus vel tractaremus, redigi paterentur, tanquam (quod absit) non convenientia rectitudini loqueremur, quæ scribere timeremus.* Idem habetur in collatione II. Synodi V. *Ille verò* (Vigilius) *respondit, non posse una nobiscum convenire, eo quod plurimi quidam hic sunt Orientales, pauci verò cum eo; facere autem per semetipsum in scriptis suam sententiam & offerre pissimo Domino.* Vigilius Constantinopoli cùm esset, Synodo V. interesse noluit, quia Occidentales Orientalibus non exæquabantur. Orientales aderant multi, Occiden- 36 tales pauci, quorum paucitatem sua se auctoritate tota, quanta eminebat, compensare non posse credebat; tantum abest ut se supra Synodum esse & Synodi auctoritatem à sua pendere crederet? Quid clarius? Quid evidentius? Profectò Vigilius se non minùs, quàm Siricius infra Concilium esse censebat. Sedis Apostolicæ traditio erat, quam & dictis & factis suis asseruit. Non ignorabat, opinor, se in causa fuisse, cur Bonifacius II. id egerit, quod eum egisse mox retulimus ex Anastasio Sedis Apostolicæ Bibliothecario. Et Synodus ipsa V. potestatem in Vigilium suam exercuit, dum quæ in Constituto docet, & Pontificali ritu ac judicio vindicat, confixit & abrogavit. In Synodi hujus decretum Pelagius II. Gregorius I. Romana indiurno suo, & omnis demum consensit Ecclesia.

Martinus I. in Epistola v. ad Joannem Philadelphiæ Episcopum: *Impossibile est*, inquit, *ea contegere vel prætermittere, quæ continentem locum defensionis non habent. Sed omnino in iis, qui libenter peccant, & amant peccare, denegare oportet eam veniam, quæ in hujusmodi lapsibus ex dispensatione datur, néve ipsi propter Canonis contemptum graventur, & nos in culpa simus, injustè agendi, iis licentiam permittentes.* DEFENSORES ENIM DIVINORUM CANONUM ET CUSTODES SUMUS; NON PRÆVARICATORES. QUANDOQUIDEM PRÆVARICATORIBUS CONJUNCTÆ MANIFESTO RETRIBUTIONES SUNT. Martinus his postremis verbis innuit se Ecclesiasticæ disciplinæ obnoxium esse; tantum 37 abest, ut ab ea liberum se & immunem putet.

Deinde in Epistola ad Amandum Trajectensem Episcopum scribit duo: Primum quod celebrare Concilium ad reprimendam Monothelitarum hæresim necesse habuerit: Deinde, quod Gallicani antistites facta Synodo Synodum à se factam confirment. IDEO, inquit, NECESSE HABUIMUS, *ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commissa sunt, culpæ reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & Coepiscoporum nostrorum in hac Romana civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, Apostolicóque mucrone, Patrúmque definitionibus uno ore, undique spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere unà cum Encyclia nostra: Ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum ut filii lucis extinguere. Idcircò studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere; ut tam abominandam hæresim* NOBISCUM *execrentur, quámque sua salutis Sacramenta addiscere valeant, atque Synodali conventione omnium fratrum, & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundùm tenorem encyclia à nobis directa scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent,* CONFIRMANTES ET CONSENTIENTES EIS, *quæ pro orthodoxa fide, & destructione hæreticorum vesana nuper exorta à nobis statuta sunt.* Aucto- 38 ritas hæc in libris quos Bellarminus de Conciliis & Conciliorum confirmatione scripsit, reperietur nusquam: Et quare non reperiatur, ipsa auctoritatis hujus lectio docebit.

Zacharias in Epistolæ I. ad Bonifacium Archiepiscopum capite V. *De illo namque, qui viduam avunculi sui, quæ & ipsa fuit uxor consobrini sui & sacram velamen habere monstrata est, & à beata memoria prædecessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut eam in pernicioso matrimonio assumere debuisset,* ABSIT, UT HOC PRÆDECESSOR NOSTER ITA CREDATUR PRÆCEPISSE. NEC ENIM AB HAC APOSTOLICA SEDE ILLA DIRIGUNTUR, QUÆ CONTRARIA ESSE PATRUM SIVE CANONUM INSTITUTIS INVENIRENTUR. In Tomo I. Conciliorum Gall. O egregiam profectò falsitatis notam, quæ ita exprimitur! Hoc vel illud rescriptum aut privilegium institutis Patrum & Canonibus adversatur, ergo non est ab Apostolica Sede concessum. Sic Zacharias & per Zachariam Sedes Apostolica philosophari nos docet, methodo quidem structâ, non profanâ illâ Aristotelicâ, quam Patres identidem reprobarunt, ut in libro de varia Aristotelis fortuna demonstravi.

Leo III. in Dialogo qui inscribitur, *Ratio habita de Symbolo fidei in Secretario Sancti Petri Apostoli inter Leonem Papam & Bernardum atque Jesse, seu Adalardum, missos Caroli Imperatoris,* contendentes, ut Symbolo Romæ decantari solito particula *filióque* adderetur; *Missi. Nunquid non bene idem tunc auctores* (Constantinopolita-
39 ni Concilii I. Patres) *fecissent, si quatuor tantum addendo syllabas tam pernecessarium fidei Sacramentum, cunctis deinceps sæculis perspicuum redderetur Papa.* SICUT NON AUDEO DICERE, *non bene fecisse, si fecissent, quia proculdubio sicut cætera, quæ vel omiserunt scientes utique, & non tam humana, quàm divina illuminati sapientia fecerunt e Itaquoque* NON AUDEO DICERE, *istud eos nobis minus intellexisse, perpendisse, cur dimiserunt, vel cur dimissum, ut altrà mitteretur, sicut & cætera, prohibuere.* TU ET TRI VIDETE, QUID SENTIATIS DE VOBIS. NAM ET EGO ME ILLIS, NON DICO PRÆFERAM, SED ILLUD ETIAM ABSIT NOBIS, UT COÆQUARE PRÆSUMAM. Leo III. ut Siricius loquitur, proferre non dubitat, se infra Concilium esse. Quandoquidem nunc non audet de facto Concilii pronunciare; nunc dicit, *ego me Concilio non præfero, sed illud etiam absit, ut Concilio coæquare me præsumam.* Hîc pro Leone & pro me, qui eum comitabor semper, ab Romanis censoribus omnia metuo.

Leo IV. in Epistola ad gentis Britannicæ Episcopos respondet, se non posse mutare pœnam, quam Concilia Simoniacis imponunt. *Non pœnitentia illis possumus subvenire, & tantis spiritualibus Patribus obviare,* qui videlicet Simoniacos præsules deponendos esse censuerunt. Sic asserere non dubitat se Conciliis inferiorem esse.

Nicolaus I. in Epistola XXXII. ad Episcopos Silvanectensis Concilii: *Cæterum de Baldvino, de quo multa jam scripsisti,* SCIAT BEATITUDO VESTRA NOS NON
40 REGULAS ATQUE SANCTA DECRETA VELLE CORRUMPERE, *quibus ab uno Episcopo excommunicatus, ne ab alio recipiatur Episcopo, prohibitum est.* Sic Nicænam Synodum decrevisse noverat. Quæ & id decreverat secuta traditionem Apostolicam, cujus exemplum est illustre apud Epiphanium in hæresi XLII. Marcionistarum. Marcioni, qui fuerat à parente suo Episcopo communione privatus, communionem ab Romana Ecclesia petenti responsum est: NOS INJUSSU VENERANDI PATRIS TUI FACERE ILLUD NON POSSUMUS, UNA SIQUIDEM FIDES, ANIMORUM UNA CONSENSIO: NEQUE CONTRA SPECTATISSIMUM COLLEGAM PATREM TUUM QUIDQUAM MOLIRI POSSUMUS.

Hadrianus II. in Epistola XXVII. ad Carolum Calvum Regem: *Sed de his nihil audemus judicare,* QUOD POSSIT NICÆNO CONCILIO ET QUINQUE CÆTERORUM CONCILIORUM REGULIS *vel decretis nostrorum antecessorum obviare.* Quoniam verò Hadrianus se Canonibus Conciliorum agnoscebat subditum, adversus Conciliorum Canones quidquam judicare non audebat. Hæc est certa ratio, quæ ex Sedis Apostolicæ traditione proficiscitur, & eam ob causam omnium gentium linguis prædicanda est, & semper prædicabitur, etiamsi Romani censores prohiberent.

Joannes VIII. in Epistola CCXXXI. ad Carolum Regem: *De cætero autem hoc est de Mediolanensi Archiepiscopatu, ô fili carissime, sicut nobis nunc mandasti, ut Anspertum Archiepiscopum, quem in Synodo pro nonnullis suis negligentiis & præsumptionibus judicavimus, reconciliare deberemus. Quod equidem nos pro vestro amore, alacri* 41
mente omnino perficeremus, si sententia damnationis quam in eundem Archiepiscopum protulimus, sub certo aliquo fuisset prolata. Dictum est enim, tamdiu eum fore ab honore & ministerio sacerdotali suspensum, donec auctore Deo suam specialem nobis ad satisfactionem exhiberet præsentiam, & quia Ecclesia Dei privilegium nos decet immutilatam solemniter conservare, NE IN ALIQUO PATRUM TERMINOS PRÆTERIRE VIDEAMUR, CONTRA STATUTA MAJORUM AGERE NEQUIVIMUS. Ingenua est Pontificis & per Pontificem Sedis Apostolicæ confessio, cujus ante annos sat multos idoneus & locuples testis fuerat Siricius.

Silvester II. in Epistola CXLV. ad Parisiensem Episcopum: *Etsi omnis Ecclesia Catholica una atque eadem est, singulis tamen sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quò se extendere, aut terminos debeant collocare. Itaque in causa Roberti Abbatis ob eam, quam servamus, ac semper vobis servare volumus fidem, hæc tria consultando proponimus:* PRIMUM NON ESSE NOSTRI JURIS FALCEM IN MESSEM ALIENAM PONERE. Pontifex eruditus noverat Ecclesiam non absolutâ auctoritate, sed Canonibus regendam esse, & in Canonibus unicuique Episcopo limites præstitutos esse.

Deinde in Epistola ad Wilderodum Argentinensem Episcopum: *Quomodo mansuræ in æternum leges trecenti decem & octo Patres constituerunt, si horum constituta ad unius libitum permutantur, aut perimuntur?* Sic argumentatur ex Leonis I. testimonio, quod suprà 42
relatum est.

Denique in Epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum: CONSTANTER DICO, QUOD SI IPSE ROMANUS EPISCOPUS IN FRATREM PECCAVERIT, SÆPIUSQUE ADMONITUS ECCLESIAM NON AUDIERIT, HIC, INQUAM, ROMANUS EPISCOPUS PRÆCEPTO DEI EST HABENDUS SICUT ETHNICUS ET PUBLICANUS. *Quanto enim gradus altior, tanto ruina gravior est.* Hæc autem Silvester revocavit nusquam, quia nimis aperta traditione constabant.

Gregorius VII. in libri II. Epistola I. ad Sancium Aragoniæ Regem: *De quorum vita & conversatione eum interrogantes, alia omnia præterquam quòd de concubinis nati erant, bona satis & honesta accepimus.* Et QUIA VENERANDI CANONES *ad sacerdotii gradum tales provehi contradicunt,* PROBARE EOS NON SATIS CAUTUM FORE PUTAVIMUS, NE QUICQUAM A NOBIS CONTRARIUM SS. PATRIBUS IN EXEMPLUM ET AUCTORITATEM POSTERIS RELINQUATUR. SOLET ENIM SANCTA ET APOSTOLICA SEDES PLERAQUE CONSIDERATA RATIONE TOLERARE, SED NUNQUAM IN SUIS DECRETIS ET CONSTITUTIONIBUS A CONCORDIA CANONICÆ TRADITIONIS DISCEDERE. Vix testari potuit manifestiùs, se sacris subjici Canonibus, & iis, non verò absoluta auctoritate, regendam esse Ecclesiam. Porro autem Gregorius & Sedem Apostolicam & illius partes non obscurè describit. Ab illo discat qui nescit. Pontifex est, qui docet, & cui nemo hactenus minutæ potestatis dicam impegit: De aucta potiùs, quàm de minuta potestate 43
accusatur. Gregorii VII. testimonium hac in parte omni exceptione majus est. Me ab illo Romani Censores divellent nunquam: Assertæ Romanæ Sedis à Pontifice tanto traditioni immoriar.

Gelasius II. in Epistola I. ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Clericos, & Principes Galliæ: *De controversia, quæ inter Ecclesiam & regnum est, vel conventioni*

ventioni vel justitiæ libenter acquiescimus loco & tempore competenti, videlicet Mediolani vel Cremonæ in proxima Beati Lucæ solemnitate fratrum nostrorum judicio, qui à Deo judices sunt constituti, & sine quibus hæc causa tractari non potest. Pontifex sibi sumit duo, primùm Episcopos à Deo judices, ac proinde non à se constitutos esse judices, divino videlicet jure potestatem habere judicandi; deinde causam, quæ attinebat Ecclesiam, sine Concilio Episcoporum tractari non posse. Ex his autem duobus facilè colligitur Gelasium in ea fuisse sententia, ut crederet, auctoritatem in Concilio Episcoporum, quàm in solo Pontifice residere majorem, & erraturum se esse, si sine Episcoporum Concilio causam, cujus meminit, tractaret.

Eugenius III. in Epistola VIII. ad Episcopos Germaniæ: *Nec enim siquid de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum.* CONTRA DEUM AUTEM ET SACRORUM CANONUM SANCTIONES NULLI OMNINO PETITIONI POSSUMUS PRÆBERE CONSENSUM. Hoc, *non possumus*,
44 ad duo illa, CONTRA DEUM, ET SACRORUM CANONUM SANCTIONES retrahitur ac determinatur: UT CONTRA DEUM, quia Pontifex ei subjicitur, sic & CONTRA SACRORUM CANONUM SANCTIONES, quia eis quoque Pontifex subjicitur, consensum præbere non potest. De Eugenio rem memoratu dignissimam Otto Frisingensis narrat in libri I. de gestis Friderici capite LXII. *Dum ita per aliquot dies jam sæpe dictus Episcopus* (Pictaviensis Gilbertus Porretanus) *coram Summo Pontifice* (Eugenio III.) *de fide sua in civitate Parisius discuteretur, sentiens* UT POTE CAUTUS ET RELIGIOSUS *causæ difficultatem, protelandam eam usque ad Concilium universale adjudicavit. Erat enim in proxima mediana quadragesima Dominica apud Galliarum metropolim Remis generale indictum Consilium.* Verba hæc, UT POTE CAUTUS ET RELIGIOSUS DIFFICILEM CAUSAM AD UNIVERSALE REMISIT CONCILIUM, important ni fallor duo, quæ jam non semel observavimus: Primùm divinam prorsus lectionem continet, audiet & docebitur qui voluerit. Deinde epitheta duo illa, *cautus & religiosus*, quò pertineant, sentiendo magis, quàm narrando explicari potest. Hinc credidit decessoris sui Innocentii II. constitutionem, qua absolutionem ab homicidio clericorum Sedi Apostolicæ reservaverat, nec ratam fore nec fixam, nisi generalis Concilii hujus auctoritate & Canone firmaretur. Reservatio hæc firmata est Canone XIII. qui sic se habet: *Præsentis scripti serie statuta prædecessoris nostri felicis memoriæ Papæ Innocentii confirmantes decernimus, ut*
45 *siquis suadente Diabolo tanti sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus mittat, anathemati subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Cur quæso? nisi quòd Eugenius Remensis Concilii auctoritatem Innocentii II. auctoritate majorem crederet, nec absoluta potestate, sed Canone regendam esse Ecclesiam judicaret. Quare in Epistola X. ad Arnoldum Coloniensem Episcopum scribit: *Apostolicam providentiam secundùm sacrorum Canonum institutiones universas regere Ecclesias.*

Alexander III. in eadem cùm Eugenio III. sententia fuit. Nam in lib. V. decret. tit. XXXIX. de Sent. excomm. cap. V. non Innocentii II. sed Concilii decretum laudat: *Non dubium est*, inquit, *quod siqui violentas manus in Clericos vel Canonicos, aut cujusvis religionis conversos injiciunt, ex constitutione* CONCILII *sententiam excommunicationis incurrunt, nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice absolutionis possunt beneficium impetrare.* Alexander hoc ita facere nec potuit, nec debuit, nisi Concilium quo de agitur, potestatem Innocentio majorem habuisse crediderit: Tergiversabitur, ut apparet, & hodiernis Curiæ placitis occupabitur qui negabit.

Innocentius III. in libri III. Regest. XV. Epistola CIV. ad Philippum Augustum, qui divortium inter se & Reginam fieri postulabat: SI SUPER HOC ABSQUE GENERALI DELIBERATIONE CONCILII *determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere,* 46
FORSAN ORDINIS ET OFFICII NOSTRI PERICULUM IMMINERET, *cùm contra præmissam veritatis sententiam* (quod Deus conjunxit, homo non separet) *nostra non possit auctoritas dispensare.* In his verbis dogmata connectit duo, potestatem se Concilio minorem habere, & non errandi privilegio se carere, quæ Concilio tribuit. Innocentius, cùm adhuc esset Lotharius, doctrinam hanc à Parisiensibus magistris quorum discipulus fuerat, accepit, & Parisienses a Sede Apostolica per incorruptam traditionem acceperant. Censores Curiæ hoc si semel capiant, capti sunt; si non capiant, nulli, quia seorsum ab Sede Apostolica, cui immobiliter adhæremus, sapient.

Gregorius IX. tit. VI. cap. LVII. de iis, quæ in electione attentantur contra formam Concilii: *Neque credendum est Romanum Pontificem (qui jura tuetur) quod aliàs excogitatum est multis vigiliis & inventum, uno verbo subvertere voluisse.* Injuriam ergo facit Sedi Apostolicæ, qui putat Romanum Pontificem velle subvertere Canones, qui, ut aiunt ipsi Pontifices, *Spiritu Dei conditi & totius mundi reverentia consecrati sunt.* Quare Gregorius dum Rege & Regina postulantibus, vetustas consuetudines Armeniæ confirmat, non omnes utique confirmat, sed eas tantùm, QUÆ SANCTORUM PATRUM REGULIS MINIME CONTRADICUNT, ET CANONICIS NON OBVIANT INSTITUTIS. Apud Odoric. Raynal. tom. XIII. Eccl. Annalium. Hæc est Sedis Apostolicæ traditio, quam diligentissimè sequitur & servat Gregorius.

Clemens IV. in diplomate, quo privilegia mili- 47
tum Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani confirmat, § IX. *Addiscimus insuper, ut si eorundem fratrum, qui ad easdem fraternitates missi fuerint, vel collectas in quamlibet civitatem, aut castellum, vel vicum, aut alium locum devenerint, si fortè locus ille fuerit divinis officiis interdictus, in eorum jucundo adventu semel aperta Ecclesia, annuatim excommunicatis & semel interdictis exclusis, divina ibi officia celebrentur,* SALVA IN OMNIBUS SUPRADICTA DECLARATIONE CONCILII GENERALIS.

Joannes XXII. in diplomate, quo Monachorum Beatæ Mariæ Montis Oliveti congregationem approbat: *Eapropter*, inquit, *dilecti in Christo filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, specialiter autem decimas, grangias, curtes, terras,* &c. SALVA IN PRÆDICTIS DECIMIS MODERATIONE CONCILII GENERALIS.

Joannes XXII. loquitur ut Clemens IV. & eam ob causam uterque eodem modo intelligendus est. Adde quòd loquendi formula hæc, *salva Concilii generalis declaratione* vel *moderatione*, perinde se habet, atque formula hæc alia, *salva Sedis Apostolicæ auctoritate*; qua qui utitur, rem de qua est quæstio, Apostolicæ Sedi subjectam esse significat. Clemens igitur & Joannes Concilii generalis auctoritatem suâ majorem agno- 48
scunt, & in Romanæ Ecclesiæ traditione perseverant.

Martinus V. non verbo tantùm, sed etiam opere, Constantiensi Concilio subjectum se esse demonstravit. Nam paruit Concilio in cap. *Frequens*, statuenti, ut post quinquennium universalis Synodus Papiæ celebraretur. Quinetiam in ipsa sessione XLIV. paruit, cùm in antecessum universalem Synodum Papiæ indixit. *Martinus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Cupientes ac volentes decreto hujus Concilii*

generalis satisfacere inter alia disponemi, quòd omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem Summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii approbante, & consentiente Concilio deputare & designare teneatur, pro loco dicti proximè futuri Concilii celebrandi supradicti, eodem consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus & etiam designamus: &c. Martinus satisfacit, & paret decreto, quod Concilium abdicatis tribus Pontificibus, & antequam ipse eligeretur, conditum fuerat.

Eugenius IV. in Epistola, quam ad Fridericum Romanorum Principem scribit, Constantiensi Concilio ingenuè se fatetur obnoxium: *Concilium,* inquit, *generale Constantiense, decretum, Frequens ac alia ejus decreta, sicut & cætera Concilia Catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia, ipsorum potestatem, auctoritatem, honorem, eminentiam, sicut & cæteri antecessores nostri à quorum vestigiis deviare utquaquam intendimus, suscipi-
49 mus, amplectimur, & veneramur.* Apud Odor. Raynald. tom. XVIII. Eccles. Annal. ad annum M.CCCC.XLVII. His autem verbis clarius non esset id, quod radiis solaribus describeretur.

Pius IV. in forma juramenti fidei, cùm ita scribit: *Injunctum nobis Apostolicæ servitutis officium, requirit, ut ea, quæ Dominus omnipotens ad providam Ecclesiæ suæ directionem sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitùs inspirare dignatus est, ad ejus laudem & gloriam incunctanter exequi properemus.* Et primùm quidem non Romanis Pontificibus decessoribus suis, sed omnipotenti Deo acceptum refert, quidquid sancti Patres ad providam Ecclesiæ directionem sanxerunt. Qua in re videtur Parisiensem quendam articulum, qui anno M.CCCC.XXIX. editus est, exprimere. Articulus sic se habet: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto & Ecclesia Catholica.* Deinde eorum quæ à Concilio definita sunt, executorem se facit. Ex his autem duobus potest colligi, Pium subjici Concilio, non Concilium Pio subjici, nisi fortè quoad executionem: Quo pacto cæteris Episcopis subjicitur.

Pius V. non revocavit approbationem, quā cùm esset Michael Cardinalis Alexandrinus, communiit Cardinalis alterius Clementis Moniliani Theologicarum Institutionum Compendium, in cujus capite XIX. traditur. *Conciliorum celebratio valet ad quinque.* Et post alia: *Secundò valet ad firmiorem & faciliorem elu-
50 cidationem veritatis in dubiis,* &c. *Quartò valet ad refrenandum exorbitantias quorumdam Pontificum, qui minus sacrum, aut spretis Sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate, aut vita scandalosa confundunt.* *Hujus rei causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator lubricus & publicus erat & incorrigibilis.* Doctrina hæc Pio V. jure tribui potest, quia illam approbando suam fecit & postea quam ita fecit suam, nusquam revocandam esse duxit

Pius retenta antiquitate suppressit novitatem, quam Cajetanus & quidam alii suo tempore in Romanam Ecclesiam inducere voluerunt. Hoc observasse, diluisse est, quidquid Bellarminus & ejus sectatores ex sessione XI. Lateranensis Concilii, quod Leo X. habuit, proponunt. Huc spectant Romani Pontifices duo, Celestinus I. & Sixtus III. ille in Epistola ad Episcopos Galliæ de Beati Augustini doctrina: *Desinat incessere novitas vetustatem:* Hic in Epistola ad Joannem Antiochenum Episcopum: *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati. Perspicua majorum fides & credulitas nullâ cœni permixtione turbetur.*

His adjungendus est Pius II. qui in retractationis suæ diplomate opinionem, quæ Concilium supra Pontificem statuit, antiquam nominat, & novam aliam, quæ Pontificem supra Concilium ponit. *Tuebamur* (inquit Pius) *antiquam sententiam, ille* (Julianus) *novam defendebat. Extollebamus generalis Concilii au- 51
ctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnopere commendabat.*

XV Et quamquam illa omnia Romanorum Pontificum testimonia, quæ retulimus, ad intelligendam Concilii Capuensis historiam non requiruntur, à proposito tamen non abhorrent. Nam eo retulimus consilio, ut planè liqueret, Sedem Apostolicam (quæ propria laus ejus est) nullo unquam tempore recessisse ab illa doctrina & disciplina, quam Siricius Anysio Thessalonicensi & aliis antistitibus exposuit; nam si quando recessit, id obreptione contigisse confirmant Gregorius VII. & Beatus Bernardus: ille in libri IX. Epistol XXXI. ad Aganonem Eduensem Episcopum: *Noverit itaque prudentia tua, quia multa tanquam à nobis deferuntur & dicta & scripta nobis nescientibus: Multa enim subripi possunt, nimis ad singula intentis, utpote divisis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur. Unde in hac causa, quod profectò minimè recordamur, si quid fortè subreptum fuit, optat magis animus corrigere, quàm ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.* Hic in Epistola CLXXX. ad Innocentium II. *Hoc solet habere præcipuum Sedes Apostolica, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem.* Quid ita? nempe quia ROMANUS PONTIFEX NON IN DESTRU-
CTIONEM PATERNÆ SENTENTIÆ, SED POTIUS 52
IN DEFENSIONEM ATQUE ULTIONEM PRIMAM ACCEPIT ET MAXIMAM POTESTATEM. Facundus Hermianensis Episcopus in libri II. capite VI.

Præterea Bellarminus & alii recentibus Curiæ placitis imbuti Doctores, qui de Romani Pontificis auctoritate ingentes ediderunt commentarios, relata testimonia vel omnia vel certè pleraque silentio prætermittunt. Res est profectò, cui nunquam adscribetur bonum factum. Siquidem illa testimonia, quò secum ipsi sæpius recolerent homines, eò æquiore animo Pontificum DECRETA DE ECCLESIASTICIS ORDINIBUS, ET CANONUM PROMULGATA DISCIPLINIS, ut Leo loquitur, amplecterentur, & majori consolatione perficerent.

Neque verò Doctores illi & Inquisitores Curiæ tot & tantas Pontificum auctoritates prætereunt, sed & libros, in quibus pro sedis Apostolicæ defensione similes auctoritates colliguntur fere innumeræ, prohibitorio indici assignant, in publicam ejusdem Sedis offensionem, ut & in publicum Decalogi contemptum assignarunt olim Parisiense Senatusconsultum, quo Joannes Chastellus particida damnatus est. Sed quoniam hæc clam Sancta Sede contigerunt, detrimentum illi nullum apud pios & cordatos homines important.

I. Superest modò ut expediamus Carthaginiense Concilium, cujus quadragesimus octavus canon est hic: *Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum, ut non liceat 53
fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum.* Hic Africano loquendi more Capuensis Synodus vocatur plenaria, non quòd ad eam ex toto orbe Christiano, sed quòd ex pluribus provinciis antistites concurrerint. Adfuerunt ex diœcesi Orientis Evagrius & antistites, qui partes illius sequebantur; suppeditavit alios Italia, regiones suburbicariæ, Sicilia, & adjacentes Provinciæ. Ambrosius Capuensem Synodum semel atque iterum dicit, sed plenariam vel universalem non dicit. Siricius Papa Capuensis Concilii semel, Synodi sexies meminit, sed Concilii, seu Synodi plenariæ vel universalis non meminit, etiamsi

tiamsi meminisse debuerit, cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd Concilio huic & delegatis ab eo judicibus potestatem sua majorem esse scripserit, & pluribus confirmaverit.

II. Deinde Ambrosius in sua ad Theophilum Epistola, quam retulimus, apertè significat Capuensem Synodum nonnullos edidisse Canones, *salvis Nicæni Concilii, & Synodi Capuensis statutis.* Sed quinam sint illi Canones, seu statuta, non commemorat, sed Carthaginiense Concilium, & insuper ad capita reducit tria; rebaptizationes, reordinationes, translationes Episcoporum: Hi Canones & maximè, qui de iteratis ordinationibus & de translationibus Episcoporum sanciti erant, ad Flaviani & Evagrii causam spectabant. Unde Capuensis Synodus apud Ambrosium Theophilo injunxerat, ut causam illam judicaret *salvis Capuensis Synodi statutis.* Sic asserenda unius, &
54 rescindenda erat alterius ordinatio, ne si uterque rectè ordinatus judicaretur, alteruter in aliam transferendus esset Ecclesiam. Quod & Nicænæ Synodi Canone xv. & Capuensis Concilii statuto vetitum erat.

III. Evagrii periclitabatur ordinatio, si verum est, quod Theodoretus de illius ordinatione narrat. Theodoreti verba jam retuli, & illa suo loco possunt expendi. Baronius Theodoretum Flaviano nimium favisse contendit, sed id minimè probat. Baronius ipse Flaviano nimium adversatur, cùm in Beati Ambrosii vita tradit, Socratem in libri v. capite xv. de Siricio & Theodosio scripsisse, quæ non scripsit. Baronii verba sunt: *Scripserat ea de re Siricius Papa ad Theodosium Imperatorem, cujus præsidio fulcus Flavianus Episcopale judicium contemnere videbatur.* Ad marginem citat Socratem ut dicti hujus auctorem, apud quem altum est silentium, ut de Socrate suprà relato potest observari.

IV. Hinc opinor Ambrosius, Evagrii, quem Romana Ecclesia pro legitimo Episcopo habuerat, ordinationem cùm periclitari cerneret, apud Theophilum agit, ut de suo judicio Romanam ad Ecclesiam referat: Quo modo Romana eadem Ecclesia consulere rebus suis poterat, si quod judicaturus erat Theophilus, comprobaret.

V. Capuensis Synodus rebaptizare vetuit, & fortassis ideo vetuit, quòd in locis Episcoporum, qui convenerant, non omnes Arelatensis Concilii Canoni VIII. parerent, vel quòd illis nova quædam iterandi Baptismi ratio appareret, & illi sine Canone Baptismum 55
iterarent. Fuerunt semper in Ecclesia, qui auctoritate, non jure multa fecerint.

VI. An autem Canones relatis plures à Capuana Synodo conditi fuerint, nescitur: Nam de pluribus sine veterum testimonio pronuntiare non licet.

VII. De reliquo quid dicam amplius, nihil mihi occurrit. Sed nisi desiderii tui exspectationem omnem expleverim, argumenta saltem præbui, in quæ curiositatem & diligentiam tuam exerceas. Vale. Lutetiæ Paris. III. Calend. Sextiles ann M. DC. LXIV.

Joannes Launoius
LUDOVICO CUSINO
Nummariorum Judicum Præsidi.

1 PRÆDICAS, nec immeritò, traditionem illam Apostolicam, qua Pius I. & Romanus Clerus Marcioni à cœtu Christianorum segregato, sine segregantis Episcopi arbitrio communionem dare non posse, semel atque iterum, constanter affirmarunt. Sed quæris, num traditio hæc per Ecclesias omnes diu multùmque observata fuerit. Quæstionem scitu difficilem proponis. Quis enim respondendo tibi per singulas iret Ecclesias? De Romana tibi respondere possum: Cùm de illa, quæ cæterarum exemplum esse debet, responderim, de cæteris erit, quod bene vel malè sentias: Bene quidem, si sese ad Romanam conformaverint, malè verò, si ab Romana deflexerint. Et quoniam Romana Ecclesia cæterarum exemplum esse debet, mihi visum est pretium curæ, Ipsam referre Marcionis historiam, qua jam inde à principio religionis sanctæ derivata traditio primum consignatur, vel eam certè primum consignatam reperio. Est autem talis apud Epiphanium, ut à majoribus acceperat, in hæresi XLII. Marcionistarum.

Marcion fuit genere Ponticus, parente natus Catholicæ communionis Episcopo. Postea cùm virginem quandam adamasset, ac fraudibus pellexisset, ab spe vita cælestis illam juxta ac semetipsum dejecit. Ob hunc igitur incestum Ecclesia ab ipso parente pulsus est, viro cum primis
2 *religioso, ac veritatis amore flagrantissimo, & in hac Episcopalis muneris administratione, præstanti. Cui cùm Marcion diu multùmque supplicasset, ac pœnitentiam postulasset, hanc à patre precibus nullis obtinuit. Vehementem siquidem ex ea re dolorem optimus senex Episcopus ceperat, quòd non ille solùm excidisset, sed & ignominiam sibi ac dedecus imposuisset. Ergo ubi se nullis artibus eblandiri posse quod cuperat, animadvertit, popularium suorum probra & ludibria non sustinens, clam ab oppido secessit, ac Romam post Hygini Papæ obitum sese contulit, qui à Petro Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat.* EO STATIM ATQUE PERVENIT MARCION, ad SENIORES ADIENS, QUI AB APOSTOLORUM DISCIPULIS EDOCTI SUPERERANT, UT IN COMMUNIONEM ADMITTERETUR, FRUSTRA AB IIS PETIIT. *Quamobrem exstimulatus invidia, quòd non principem illic locum, ac ne Ecclesia quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit. Tum ab ipso principio, ipsisque, ut ita dixerim, quæstionum foribus exorsus, Presbyteris, qui tunc temporis erant, cœpit proponere: Cedo, inquit, quid hoc sibi vult: Non mittunt novum vinum in utres veteres, neque commissuram panni rudis in vestimentum vetus, alioquin tollit plenitudinem, neque veteri congruet: Major enim scissura fit. Quod candidi & sanctissimi Dei Ecclesiæ Presbyteri & Doctores audientes, hunc in modum respondebant: Fili, veteres illi utres nihil aliud sunt, quàm Pharisæorum Scribarùmque corda, quæ peccatis inveteraverant, nec Evangelii doctrinam admiserant, eodémque vetus illud vestimentum pertinet. Cujusmodi Judas exstitit, qui in avaritia tanquam vetustate quadam obsoleverat,* 3
neque novi ac sanctissimi cælestisque mysterii prædicationem accepit, tametsi ad undecim Apostolos esset aggregatus, & ab ipso Domino vocatus: Ex quo majorem scissuram, non alio quàm ipsomet auctore sibi consciverit; Propterea quòd ejus animus caducis his opibus ac fastu, fluxá-

Jinxáque hominum amicitia ac spe, voluptatéque contemptis, nequaquam se cælestem ad spem ac futurorum bonorum rationem accommodaverat. Adhæc contradicere Marcion, at longè secus id habere se dicere, pro eo quòd admittere sese detrectassent: Quare palam eos alloquens, cur me, inquit, recipere noluistis? Respondere illi: NOS INJUSSU VENERANDI PATRIS TUI FACERE ILLUD NON POSSUMUS. *Οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρός σου τοῦτο ποιῆσαι.* UNA SIQUIDEM FIDES ET ANIMORUM UNA CONSENSIO: NEQUE CONTRA SPECTATISSIMUM COLLEGAM PATREM TUUM QUIDQUAM MOLIRI POSSUMUS. *Οὐ δυνάμεθα ἐναντιωθῆναι τῷ καλῷ συλλειτουργῷ, πατρὶ δὲ σῷ. At ille vehementiùs excandescens, & superbia invidiáque percitus schisma conflavit, ac privatam heresim architectatus est, & Ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eámque schisma sempiternum immittam.*

In narratione hac locus est, ex quo Apostolica non operosè colligitur traditio. *Eò* (Romam) *statim ac pervenit Marcion, ad seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti superérant, ut in communionem admitteretur, frustrà ab iis petiit.* Igitur qui excom-
4 municato Marcioni communionem denegarunt Romanam, ab Apostolorum Discipulis cùm edocti fuerint, hos de familiaribus Apostolorum institutionibus & præceptis edoctos fuisse necesse est; alioqui nunquam sic abscissè dixissent Marcioni: *Nos injussu venerandi patris tui facere illud,* (quod petis) *non possumus: Contra spectatissimum Patrem tuum quidquam moliri non possumus.* Res erat, in qua Romani Pontificis sanciebatur auctoritas. Hanc autem discipulos Apostolorum & eos, qui ab his eruditi fuerant, neglexisse, sciens & prudens asseverabit nemo. Romana Sedes quæ sua sunt, quæ Petri, summæ semper curæ habuit. Inventi sunt illis temporibus, qui eam de augenda dignitate sua nonnihil accusarint; qui de minuenda querelas instituerint, inventi non sunt. Liberius in Epistola ad Imperatorem Constantium religiosè pronuntiat: *Nunquam mea statuta, sed Apostolica ut essent semper firmata, & custodita, perfeci; secutus morem, ordinémque majorum nihil addidi Episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum.*

His accedunt quòd seniores ab Apostolorum discipulis edocti factam Marcioni responsionem scripturis confirment: *Respondere illi; Nos injussu venerandi patris tui facere illud non possumus:* UNA SIQUIDEM FIDES, ET ANIMORUM UNA CONSENSIO. Hoc ipsum Alexander Alexandriæ Episcopus assumit sibi, scribens ad ministros omnes Ecclesiæ: *Cùm in sacris literis sit unum corpus Ecclesiæ Catholicæ nobis traditum, & præceptum, ut concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus,*
5 *consentaneum est, uti per literas colloquamur inter nos, aliique alios mutuò de rebus, quæ apud singulos geruntur, certiores faciamus, quò sive unum ex membris patitur sive lætatur, nos inter nos vel patiamur unà, vel unà lætemur.* Apud Socratem in libri I Hist. capite III. Hæc est Apostolicæ traditionis confirmatio, qua nec major dari potest nec angustior.

Cùm verò Pius & Romanus Clerus Marcioni respondent, se sine parentis Episcopi arbitrio, communionem illi restituere non posse, unà significant illam restituere se posse, si parens Episcopus assentiretur. Quocirca si quando Romæ Marcioni restituta est communio, parente Episcopo consentiente restituta est. Hinc efficitur, ut frustrà quis objiceret, quæ de Marcione Tertullianus in libri de præscriptione Hæreticorum capite XXX. tradit: *Ubi tunc Marcion Ponticus Nauclerus, Stoicæ studiosus? Ubi tunc Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos, neque adeò olim fuisse Antonini ferè principatu, & in Catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt: postmodum idem Marcion pœnitentiam confessus, cùm conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus.*

Stat igitur vere Apostolica traditio, qua ne Ro-
manus quidem Episcopus potest hominem ab alio Epi- 6
scopo communione privatum, sine privantis Episcopi assensu communioni restituere.

Hic prætermittere non possum certam quandam Bellarmini *ἀβλεψίαν*, qui ut jus appellationum ad Romanum Pontificem stabiliat, in libri II. de eodem Rom. Pont. capite XXI. Marcionis historiam ex Epiphanio in medium adducit: *Anno,* inquit, CXLII. *Christi Pio I. Pontifice Marcion excommunicatus ab Episcopo suo in Ponto venit Romam, ut à Romana Ecclesia absolveretur, ut Epiphanius refert heresi* XLII. Si quod ab Epiphanio de Marcione narratur, Bellarminus propriis usurpasset oculis, ab allegatione tali supersedisset. Epiphanii narratio Bellarmini consilio nocere potest, prodesse non potest. Quinetiam si bene consideretur quod apud Epiphanium Romana Marcioni respondet Ecclesia, id Bellarmini de Romano Pontifice lemmata non pauca funditus evertit. Hic Chronologicum errorem, quo Bellarminus annum Christi CXLII. cum annis Pii I. copulat, tacerem, nisi erroris hujus animadversio ad confirmandam Bellarmini *ἀβλεψίαν* valeret quamplurimum.

In Eusebii Chronico ubi Cletus in ordine Romanorum Pontificum non collocatur, annus Christi centesimus quadragesimus secundus est annus Hygini tertius; & annus Christi centesimus quadragesimus quartus est Pii primus.

In Annalibus Baronii annus Christi centesimus quinquagesimus octavus est Pii primus. Tantum abest, ut annus Christi centesimus quadragesimus secundus in ullos Pii annos incidat.

Denique etiamsi Bellarminus Cletum & Anacletum 7
in serie Pontificum non retineret ut retinet, atque ex duobus illis unum componeret, ut veteres plerique fecerunt; nusquam tamen efficeret, ut annus Christi centesimus quadragesimus secundus alicui anno Pii respondeat.

Nunc prout Ecclesiasticarum rerum monumenta ferent, ostendendum est, Petri & Pauli traditionem ab universis susceptam & observatam esse Ecclesiis, & Romanam in illius observantia præcelluisse. Sed interim spectanda est semper fides una, & animorum una consensio, quam Petrus & Paulus Romanæ Ecclesiæ fundatores sibi proponunt. Hos subsequuntur Antiocheni Concilii Patres in Epistola, quam post condemnatum Paulum Antiochiæ Episcopum, *Dionysio, Maximo, & omnibus ubique in orbe terrarum Collegis, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, & universæ ac Catholicæ sub cælo Ecclesiæ* scripserunt. At sub finem Epistolæ ad institutum nostrum faciunt, quæ sic enunciantur: *Istum igitur* (Paulum) *tam Deo adversarium, támque contumacem erantes coacti Ecclesiæ & congregationi fidelium indicere, & alium Episcopum, qui huic Ecclesiæ* (Antiochenæ) *Catholicæ præesset, in ejus locum substituere, unde Domnum, divina certè (ut putamus) providentia designavimus, Demetriani hominis felicis commemorationis, (quippe qui hanc Ecclesiam ante hunc præclarè rexisset) filium, omni genere virtutum, quæ Episcopum decent, exornatum. Ac vos de ejus electione per electionem certiores fecimus; ut illi scribatis, & ab eo literas accipiatis communionis. Paulus autem ad Artemonem literas scribat,*
& siqui Artemonis partibus faveant, cum eo deinceps 8
communicent. Tunc quia Paulus ab Antiochena Synodo depositus & communione privatus erat, nec Dionysius Romanus, nec Maximus Alexandrinus, nec alii Catholicæ Ecclesiæ rectores literas, communionis bullas, à Paulo accepissent. Id erga Paulum fecissent,

quod

quod ante annos centum & eò ampliùs Romana erga Marcionem fecerat Ecclesia.

Eliberitanum Concilium etiamsi Nicæno vetustius, incerti tamen apud eruditos temporis, traditionem nostram confirmat Canone LIII. qui sic se habet: *Placuit cunctis ut ab eo Episcopo quis recipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit. Quòd si aliquis Episcopus præsumpserit eum admittere, illo adhuc minimè faciente vel consentiente, à quo fuerat communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstiturum.* His verbis Hispani antistites Pii primi & Romani cleri factum & antiquos mores expresserunt.

Arelatense Concilium primum alio verborum tenore rem ipsam circumscribit in Canone XVI. *De his, qui pro delicto suo à communione separantur, ita placuit, quibuscumque locis fuerant exclusi, eodem loco communionem consequantur.* Nimirum alii ab excommunicante Episcopo Episcopi excommunicationis causas meliùs cognoscere non possunt. Disciplina hæc sancitur à Concilio, quod ut aliud Arelatense Concilium ait, *ex omnibus mundi partibus & præcipuè Gallicanis*, congregatum est, & cui missi à Silvestro Papa Presbyteri &
9 Diaconi interfuerunt & assensum præbuerunt. Et quamvis Arelatensis Synodus non eo modo Canonem hunc temperet, quo Eliberitana suum temperat, ab illius tamen proposito aberrare non videbitur Episcopus, qui excommunicatum ab alio Episcopo hominem cum hujus Episcopi consensu ad Ecclesiæ communionem admittet, quis consentiens Episcopus spectatæ à Synodo utilitati consulere poterit.

Nicæna Synodus Apostolicam traditionem Canone V. vindicat, & quæ in illius observatione vitia intervenire possint, nisi quod crediderim, jam intervenerant, emendandi legem præstituit. Ex malis moribus exortas esse leges optimas quis ignorat? Atenim Canon est ejusmodi: *De his, qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* En Apostolica traditio confirmata! Quæ sequuntur, retinendæ, ut oportet, traditionis conditionem exponunt. *Requiratur autem, ne pusillanimitate aut contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter, omnibus simul Episcopis Provinciæ congregatis, discutiantur hujusmodi quæstiones. Et sic qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur; Usquequò vel in communi, vel eidem Episcopo placeat humaniorem pro talibus*
10 *ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum quidem ante quadragesimam Paschæ, ut omni dissensione sublatâ munus offeratur Deo purissimum; Secundum verò circa tempus Autumni.*

Hic Canon non minùs ad Romanam, quàm ad ceteras Ecclesias spectat. Concilio interfuisse Presbyteros, qui Silvestri Papæ vicem gererent, Eusebius testatur in libri III. de vita Constantini capite VII. *Et quanquam urbis illius, penes quam imperium est, ingravescente ætate præpeditus, abfuit, ejus tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt*, πρεσβύτεροι δ' αὐτοῦ παρόντες, τὸν αὐτοῦ τόπον ἀνεπλήρουν. Id etiam Julius I. testatur in Epistola ad Orientales: *De Marcello autem, postquam de illo quoque ut impio in Christum, perscripsistis, vobis studui significare, eum cùm huc venisset, affirmasse falsa esse, quæ de se in literis vestris scripta essent: Sed tamen cum à vobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate, qua Ecclesia de Domino ac salvatore nostro sentire, neque jam tantummodo, sed etiam olim hujus sententiæ se fuisse confirmabat*, UTI ET NOSTRI PRESBYTERI, QUI TUNC IN NICÆNO CONCILIO ADERANT, ὅτι ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ ἐφοίτησαν, *de ipsius recta fide contestabantur.*

Verùm ego ipse fallor cùm disciplinam nostri Canonis non minùs ad Romanam, quàm ad ceteras Ecclesias spectare dico. Nam revera magis ad Romanam spectat, quàm ad ceteras orbis totius Ecclesias. Traditio est, quæ à Petro & Paulo Romanæ Ecclesiæ fundatoribus descendit.

Hinc Julius I. confirmatas à Nicæna Synodo tradi- 11
tiones vindicat in laudata jam ad Orientales Epistola: *Quòd si istiusmodi consuetudo olim fuit, ejúsque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo, cùmque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari.* Si traditionem, quæ post Apostolos obtinuit, & à Nicæna Synodo confirmata est, ita commendat, quibus quæso verbis traditionem similem illi, qua Marcion abjectus est à Romana Ecclesia, non commendasset, idque maximè, cùm ab eadem Synodo confirmata reperiretur? Sardicensis Synodus traditionem Nicæno Canone V. generatim assertum, in Canone XVI. de Clericis sigillatim exponit: *Osius Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat, ut sive Diaconus, sive Presbyter, sive quis Clericorum ab Episcopo suo communione privatus fuerit, & ad alterum perrexerit Episcopum, & scierit, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abjectum, non oportet, ut ei communionem indulgeat: Quod si fecerit, sciat se convocatis Episcopis causas esse dicturum. Universi dixerunt, hoc statutum & pacem servabit & concordiam custodiet.* Confirmanda fuit in Clericis traditio, quam contraria disciplina fortassis interturbare cœperat.

Hæc Synodus proximum statuit Canonem XVII. quo excommunicatorum ab Episcopo Presbyterorum & Diaconorum cognitio & judicium temperatur. *Osius Episcopus dixit: Quod me adhuc movet, reticere*
non debeo: Si Episcopus, qui fortè iracundus (quod esse 12
non debet) citò & asperè commoveatur adversus Presbyterum, sive Diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem: Et ideo habeat potestatem is, qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet, & causa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti, & ille Episcopus, qui justè, aut injustè eum abjecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut vel probetur sententia ejus à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere ut eum communione societ. Hi vero qui conveniunt ad audiendum, si viderint Clericorum esse fastidium & superbiam, quia non decet, ut Episcopus injuriam vel contumeliam patiatur, severioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta præcipienti Episcopo, qui sicut ille Clericis sincerum exhibere debet amorem charitatis, ita quoque vicissim ministri infucatu debent Episcopo suo exhibere obsequia. At quamvis varia sit in hoc Canone juris temperatio, intactum tamen id remanet, in quo potissimum traditionis momentum consistit: *Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem* NULLUS DEBET PRÆSUMERE UT EUM COMMUNIONE SOCIET. Hic nulla cùm sit exceptio, incolumis & salva retinetur Sedis Apostolicæ traditio, quæ in Marcionis historia exaratur, & Nicæno Canone V. communitur.

Liberius ne latum quidem unguem à Pio I. & Ro- 13
mano ejus Clero discedere se significat, dum ad Imperatorem Constantium ita scribit: *Videt igitur prudentia tua nihil animum meum introisse, quod Deo servientibus non dignum fuerat cogitare. Testis autem est mihi Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide, & me in Deum meum cuncta mundana, ita ut Evangelica & Apostolica ratio præcepit, calcare atque calcasse, non furore temerario, sed constituto atque observato jure divino,*

atque

atque in alio ministerio Ecclesiastico vivens nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, implevi: Atque ad istud officium testis est mihi Deus meus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere; & nunquam MEA STATUTA SED APOSTOLICA, ut essent firmata & custodita, perfeci: SECUTUS MOREM ORDINEMQUE MAJORUM NIHIL ADDIDI EPISCOPATUI URBIS ROMÆ, NIHIL MINUI PASSUS SUM. Ad Episcopatum urbis Romæ pertinet, cum iis, quos alii præsules à communione separant, agere, ut Pium I. & Romanum illius Presbyterium egisse cum Marcione vidimus. Alioquin urbis Romæ Episcopatus minueretur. Minuitur quæcunque dignitas, cùm per eam fit aliquid, quo pax turbatur Ecclesiæ, & dissolvitur concordia. Tunc in sacerdotibus oritur animorum alienatio, quæ dissensionem gignit.

Siricius ex occasione Capuensis Synodi ea scribit, quæ non possunt hîc sine piaculo prætermitti: In Epistola, quam ad Anysium & cæteros Episcopos per Illyricum
14 constitutos scribit, verba sunt hæc: Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi nec elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Et quibusdam interjectis: Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis: Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit. In collectione Romana bipartita. Et sanè quæ Siricius de Capuensi Synodo pronunciat, de Nicæna potiori jure pronunciaret. Nicænos Canones atque imprimis quintum assereret, & contra illum judicandi formam competere sibi non posse fateretur; Pii I. & Romani Presbyterii vestigiis prorsus insisteret.

Innocentius I. huc tendit in Epistola ad Anysium: Cui etiam anteriores tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque suprà memoratus vir ita detulerunt, ut omnia, quæ in illis partibus gererentur, sanctitati tuæ, quæ plena justitia est, tradere cognoscenda, meam quoque parvitatem hoc tenere
15 judicium, eandemque habere voluntatem te decet recognoscere. Neque enim fas erat, ut aut ego contra tantorum bonorum virorum judicium venire tentarem, quorum in locum successisse dignoscor, aut, &c. In Rom. Synodi collectione Rom. bipartita num. IV. Ut in Damasi & Siricii, sic & in Pii I. locum succedit, atque ita contra tam boni viri Pii judicium venire nunquam tentaret. Deinde apud Sozomenum in libri VIII. capite XXVI. ad Constantinopolitanos Clericos scribere non veretur: Nos quantum ad Canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt; quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet. Si Nicænis obsequendum est Canonibus, obsequendum est & quinto, quo vetus erga excommunicatos ab aliis Episcopis homines Sedis Apostolicæ traditio corroboratur. Si Nicæuis Canonibus solis suffragium suum addere debet Catholica Ecclesia, non addet iis Pontificibus, qui contra Canonem v. vel dicerent vel facerent, ut Sedis Apostolicæ traditio, pro qua pugnamus, non conservaretur. In summa rem conficit in Epistolæ ad Victricium Rotomagensem Episcopum capite VI. Hoc etiam Synodus statuit Nicæna, ut abjectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat. Cum Nicæno Canone Apostolicam Sedis suæ traditionem observari præcipit.

Bonifacius I. in Epistola ad Rufum: Non est eorum cedendum studiis, quos novitas rerum, & indebita desiderium dignitatis accendit; sed elaborandum est, & Deo nostro favorem præstante præstandum, ut quisquis contra 16
licitum nititur, sibi per omnia recognoscat occursum. Et post alia: Nunquam licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab Apostolica Sede, tractari. Jnm in alia ad Episcopos Thessaliæ Epistola: Cessit novella præsumptio, nemo audeat sperare quod non licet: Nullus ea, quæ sunt à patribus gesta, & per tantum temporum custodita temerare contendat. In Rumanæ Synodi collectione Rom. bipartita num. VIII. & IX. Auctoritatum istarum mole obruerentur, qui vindicatam à Pio I. & à Nicæna Synodo confirmatam traditionem impugnare vellent, & nefaria mutatione convellere.

Celestinus I. in Epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium, & alios Illyrici Episcopos: Facilè disciplinæ subdi se patiuntur, qui ipsam, ut condecet, amplectuntur disciplinam. Infrà: Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus. Respectum habet ad Nicænas regulas, quarum quintâ Sedis Apostolicæ traditio circumscribitur.

Sixtus III. in Epistola ad Proclum: Sufficiant ergo quæ scripsimus, frater carissime, quoniam ad hæc corrigenda atque servanda animum tuum atque censuram nobiscum sentire confidimus. Quoniam unum cor & animum, ut dicit Scriptura, circa religionis observantiam, Canonum custodiam, & disciplinam Ecclesiasticam nos habere, & debemus, & credimus. In Rom. Synodi collect. Rom. bipart. num. XVI. Sixtus cum Pio consentit, & eadem penè scriptura utitur, qua Pius Apostolicam traditionem definit.

Ephesina Synodus actione I. in legatione illorum 17
antistitum, qui ad Nestorium destinati fuerunt: Sancta Synodus CANONIBUS OBTEMPERANS, téque leni & patienti animo ferens, tertiò ad suum consessum te invitat. Infrà: Synodus necessitate compulsa juxta Sanctorum Patrum sanctiones sententiam adversus te pronunciabit. Si Synodus Oecumenica, quam Romana probat & recipit Ecclesia, Canonibus obtemperat, cur ipsa, & alia quælibet particularis non obtemperaret, & Nicænum Canonem v. quo firmatur Apostolica traditio, non servaret? Si Synodus necessitate compulsa, juxta Sanctorum Patrum sanctiones sententiam adversus Nestorium pronunciat, cur sententiam quoque non pronnnciaret adversus eos, qui Apostolicam traditionem & Nicænum Canonem v. negligerent?

Leo I. in Ep. IV. ad omnes Siciliæ Episcopos cap. VII. Nicænum Canonem v. ita revolvit: Quare illud primitus pro custodia concordissimæ unitatis exigimus, ut quia saluberrimè à Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam fraterno Concilio sociandi occurrant, & indissimulanter à vobis hæc consuetudo servetur. Quoniam adjuvante gratiâ Dei faciliùs poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram Beatissimo Apostolo Petro semper in communione tractatum fuerit, ut omnia instituta Canonúmque decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant. Apud omnes, inquit, Sacerdotes, ac proinde apud Romanum, qui factus est 18
forma gregis, utpote Petri successor. Deinde observatione summo dignum est, quod dicit, Nicænum Canonem v. pro custodia concordissimæ unitatis editum fuisse. Hinc Romanus Pontifex traditionem illam verè Apostolicam, quæ Canone illo sancitur, diligenter custodiet, ne unitatem, quam [ut Avitus ad Hormisdam scribens loquitur] regit, aliquando dividat ac disrumpat.

Non dividet aut disrumpet unquam, qui sibi semper ob oculos constituet, quæ Leo de Nicænis Canonibus repetit, inculcat, & infigit: Et primùm quidem in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite II. Quibus inanditus & nunquam

nunquam amò tentatis ita praveniris exceſſibus, ut ſanctam Synodum (Calchedonenſem) *ad extinguendam ſolùm hareſim, & confirmationem fidei Catholica, ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & ut conniventiam ſuam tibi det, impellas: Tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, &* ILLA NICÆNORUM CANONUM PER SPIRITUM VERE SANCTUM ORDINATA CONDITIO IN ALIQUA UNQUAM SIT PARTE SOLUBILIS. Ut Leo de Nicæno Canone VI. ſic & de V. loquitur: Inter Nicænæ Synodi Canones nihil diſtinguit. Uniuſcujuſque per Spiritum verè ſanctum conditio ordinata eſt. Pergit: *Neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum vel comparare ſe audeat, vel praferre, cùm tanta divinitus privilegio Nicana ſit Synodus conſecrata; ut ſive per pauciores, ſive per plures Eccleſiaſtica judicia celebren-*
19 *tur,* OMNI PENITUS AUCTORITATE SIT VACUUM, QUIDQUID AB ILLORUM FUERIT CONSTITUTIONE DIVERSUM. NIMIS ERGO HÆC IMPROBA, NIMIS SUNT PRAVA, QUÆ SACRATISSIMIS CANONIBUS INVENIUNTUR ESSE CONTRARIA. De Canonibus omnibus & ſingulis ſermonem inſtituit, & inter Canones diſtinguit nihil.

Deinde in cap. IV. ABSIT A CONSCIENTIA MEA UT TAM PRAVA CUPIDITAS MEIS STUDIIS ADJUVETUR, AC NON POTIUS ET MEO, ET OMNIUM, QUI NON ALTA SAPIUNT, SED HUMILIBUS CONSENTIUNT, OPERE SUBRUATUR. *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicena ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato manſuras uſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus vivunt: &* SIQUID USQUAM ALITER, QUAM ILLI STATUERUNT, PRÆSUMITUR, SINE CUNCTATIONE CASSATUR, UT QUÆ AD PERPETUAM UTILITATEM GENERALITER INSTITUTA SUNT, NULLA COMMUTATIONE VARIENTUR, NEC AD PRIVATUM TRAHANTUR COMMODUM, QUÆ AD BONUM SUNT COMMUNE PRÆFIXA, *& manentibus terminis, quos conſtituerant Patres, nemo in jus tendat alienum, ſed intra fines proprios, atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine ſe charitatis exerceat.* Quot commata, tot præſidia, tot propugnacula, quibus per Leonem Nicæna Synodus, & per Nicænam Synodum Apoſtolica traditio defenditur.

Tum in Epiſtolæ LIV. ad Martianum Auguſtum
20 capite III. *Privilegia Eccleſiarum Sanctorum Patrum Canonibus inſtituta, &* VENERABILIS NICÆNÆ SYNODI FIXA DECRETIS, NULLA POSSUNT IMPROBITATE CONVELLI, NULLA NOVITATE MUTARI. *In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeverantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regula ſanctionum, qua in Synodo Nicana ad totius Eccleſia regimen Spiritu Dei inſtruente ſunt condita, me, quod abſit, connivente violentur, & major ſit apud me unius fratris voluntas, quàm univerſa domus Domini communis utilitas.* Hæc omnia ſunt digna, quæ ab Apoſtolica Sede proferantur, ad robur & firmamentum Nicænorum Canonum & Apoſtolicæ traditionis, quæ Nicæno Canone V. fulcitur.

Denique in Epiſtola LXI. ad Juvenalem Hieroſolymitanum: *De cuſtodiendis quoque Sanctorum Patrum ſtatutis,* QUÆ IN SYNODO NICÆNA INVIOLABILIBUS SUNT FIXA DECRETIS, *obſervantiam veſtra ſanctitatis admoneo, ut jura Eccleſiarum, ſicut ab illis* CCCXVIII. *Patribus divinitus inſpirata ſunt, ordinata permaneant.* Si violari non poſſunt Nicænæ Synodi Canones, multò minùs violari poterit Apoſtolica traditio, quam Nicænorum Patrum auctoritates ſummæ circunſtant.

Et quoniam Apoſtolica traditione & illius aſſertione Nicæno Canone V. non ſolùm concordiſſima ſacerdotum unitas, ſed etiam jura Eccleſiarum ſanciuntur, nunc Gregorius I. ſeſe objicit in libri II. Indict. X. Epiſtola XXXVII. ad Natalem Salonitanum
Epiſcopum. *Quòd verò dicitis noſtris temporibus debere* 21
ſervari, qua à meis quoque pradeceſſoribus tradita atque cuſtodita ſunt, ABSIT HOC A ME, UT STATUTA MAJORUM CONSACERDOTIBUS MEIS IN QUALIBET ECCLESIA INFRINGAM, QUIA MIHI INJURIAM FACIO, SI FRATRUM MEORUM JURA PERTURBO. Perturbarentur utique, ſi ſecus ac fert Apoſtolica traditio, & Nicæno Canone V. ſtatuitur, fieret.

Deinde in lib. ejuſdem Indict. X. Epiſtola XXXIX. ad Dominicum Carthaginienſem Epiſcopum: *De Eccleſiaſticis privilegiis quod veſtra fraternitas ſcribit, hoc poſtpoſita dubitatione teneat, quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua jura ſervamus.* At non ſervarentur, ſi quod Nicæno Canone V. ſtatuitur, infringeretur.

Tum Nicæno Concilio minimè derogaret Gregorius, qui putat derogare ſe non poſſe antiquæ conſuetudini Sedis Apoſtolicæ, quæ prohibet, ne Sanctorum reliquiæ ex locis ſuis educantur. Hac de re ſic ſcribit in libri III. Epiſtola XXX. ad Conſtantinam Auguſtam, quæ Beati Pauli caput ab eo petierat: *Serenitas veſtra pietatis religionis ſtudio & ſanctitatis amore conſpicua, propter eam, qua in honorem Sancti Pauli Apoſtoli in palatio adificatur, Eccleſiam, caput ejuſdem Sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipſius ſuis ad ſe juſſionibus à me pracipit debere tranſmitti. Et* DUM ILLA MIHI DESIDERAREM IMPERARI, UT QUIBUS FACILLIMAM OBEDIENTIAM EXHIBENS, VESTRAM ERGA ME AMPLIUS POTUISSEM GRATIAM PRO-
VOCARE, MAJOR ME MOESTITIA TENUIT, QUOD 22
ILLA PRÆCIPITIS, QUÆ FACERE NEC POSSUM NEC AUDEO. Quid ita? *In Romanis,* ait paullò pòſt, *vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quiſquam fortaſſe voluerit: Quod ſi praſumpſerit, certum eſt, quia hac temeritas impunita nullo modo remanebit.* Et quibuſdam interpoſitis: *Quis ergo nunc, Sereniſſima Domina, tam temerarius poſſit exiſtere, ut hac ſciens eorum corpora non dico tangere, ſed vel aliquatenus praſumat inſpicere? Dum igitur talia mihi à vobis precepta ſunt, de quibus parere nullatenus potuiſſem, quantum invenio, non veſtrum eſt: Sed quidem homines contra me pietatem veſtram excitare voluerunt, ut mihi, quod abſit, voluntatis veſtra gratiam ſubtraherent, & propterea quaſiverunt capitulum, de quo vobis quaſi inobediens invenirer.* Hæc ille, ut ſuum illud, *non poſſum, non audeo,* magis ac magis confirmet.

Cùm igitur Gregorius affirmat, [non poſſum, non audeo] affirmat idem quod Pius I. & Romanus Clerus, Marcioni: *Nos injuſſu* vel *ſine arbitrio venerandi Patris tui illud* (communionem tibi dare) *non poſſumus.* Quid non Gregorius dixiſſet de hac Apoſtolica traditione, poſtquam à Nicæno Concilio vindicata fuit? Profectò ſiquid majus potuiſſet dicere, quàm *non poſſum, non audeo,* dixiſſet. Si Romanæ Curiæ cenſores Pium ac Gregorium admittant, capti ſunt, quia velint nolint nobiſcum ſentient; ſi rejiciant, nulli, quia à Pio & Gregorio & à Sede Apoſtolica,
quæ per eos loquebatur, deficient, & ſuis ſe ungui- 23
bus notabunt. Nos verò & Pio & Gregorio & Sedi Apoſtolicæ ſemper adhærebimus. Igitur pergendum eſt.

Martinus I. in Epiſtola IX. ad Pantaleonem: CANONES ECCLESIASTICOS SOLVERE NON POSSUMUS, QUI DEFENSORES ET CUSTODES CANONUM SUMUS, NON TRANSGRESSORES. Inter Eccleſiaſticos Canones, quos ſolvere ſe non poſſe dicit, extat Nicænus Canon V.

Nicolaus I. in Epiſtola IX. ad Michaëlem Imperatorem: AT NOS E DIVERSO CREDIMUS, QUOD ECCLESIA CHRISTI SACROS CANONES ET PRÆCIPUE NICÆNOS NON TRADAT OBLIVIONI,

præcipientes videlicet, UT HI QUI ABJICIUNTUR, AB ALIIS NON RECIPIANTUR. Ecce tibi Nicænæ Synodi Canon v.

Deinde in Epistola xxx. ad Carolum Calvum : *Circa jam dictum Baldvinum usque in finem nequaquam inexorabilis vel inflexibilis persistatis, neu quo vos hac dicendo terminos*, QUOS POSUERUNT PATRES NOSTRI, TRANSGREDI CUPIAMUS, QUOS PER DEI GRATIAM IMMOTOS PERSEVERARE SEMPER OPTAMUS, *sed quò gloriam vestram, ultrà quàm dici possit, diligentes, nullum velimus locum dare occasionem quærenti : Præcipuè cùm idem Baldvinus divinum postularit auxilium, & Sanctorum Petri & Pauli intercessorum vestrorum, quemadmodum prætulimus, ut gratiam plenam à clementia vestra consequeretur, legationem atque interventionem petierit.* Sic Nicænum Canonem v. exequitur, nec tamen desinit pro Baldvino ad Regem deprecator accedere.

24 Tum in Epistola xxxi. ad Silvanectensis Synodi Episcopos : *Cæterum de Baldvino, de quo jam multa scripsistis, sciat beatitudo vestra*, NOS NON REGULAS, ATQUE SANCTA DECRETA VELLE CORRUMPERE, QUIBUS HOMO AB UNO EPISCOPO EXCOMMUNICATUS, NE RECIPIATUR AB ALIO EPISCOPO, PROHIBITUM EST. *Sed quia ad limina Apostolorum veniens à nobis se petiit adjuvari, quanquam nossemus, quòd filius noster Carolus, Rex gloriosus, legaliter possit ei, si vellet, & filiam suam in uxorem dimittere, & misericordia sua gratiam impartiri ; tamen non jussa misimus, sed preces obtulimus : Quod textus Epistolarum nostrarum, quas ad jam fatum excellentissimum Regem & filiam nostram Reginam ad id obtinendum direximus, vobis satis potest indicare. Nam pro tam præsumptuosâ temeritate ipsius viri, maximè cùm consideremus dilectissimi filii nostri Caroli sublimis Regis contritionem cordis & pectoris naturalem affectum, & nos valde doluimus, & ei tota mentis affectione hodie compatimur.* Hîc se rursus Nicæni Canonis mandata exhausisse profitetur.

Denique in Epistola LVIII. ad Episcopos in regno Caroli constitutos : *In quo etiamsi Sedis Apostolicæ judicium à quovis retractandum esset, etiamsi ab inferioribus potiorum sententia solvenda prorsus existeret, quantum Theutgaudus atque Gumbarius circa sacros Canones* PRÆCIPUE NICÆNOS, QUI LUCULENTER INNUUNT, NON DEBERE, QUI ABJICIUNTUR AB ALIIS RECIPI, *contumaces extiterint.* Et post alia : *Secundò, quia eandem Ingeltrudim à nobis & à Synodo abjectam*
25 *& anathematizatam recipere & absolvere præsumpserunt : Et hoc contra Canones &* PRÆCIPUE CONTRA IPSUM NICÆNUM MAGNUM CONCILIUM, QUOD HI QUI ABJICIUNTUR AB ALIIS NON RECIPIANTUR, SANXISSE DIGNOSCITUR. Apostolica traditio & Nicænus Canon non potuerunt illustriùs vindicari.

Hadrianus II. in Epistola XXVII. ad Carolum Calvum Regem : *Sed de his nihil audemus judicare*, QUOD POSSIT NICÆNO CONCILIO, ET QUINQUE CÆTERORUM CONCILIORUM REGULIS VEL DECRETIS NOSTRORUM ANTECESSORUM OBVIARE. Qui Pontifex non audet id facere quod Nicæno repugnet Concilio, Concilii hujus Canones & cum primis quintum, quo Petri & Pauli traditio asseritur, diligenter observabit.

Joannes VIII. præclarum reliquit disciplinæ hujus monumentum in Epistola LXII. quæ sic se habet : *Uvidoni Iuivensi Episcopo. Leontardus quidam tuæ diœcesios homo singultibus & gemitu tristis Sanctam Sedem Apostolicam, & nostram humilitatem adiit, referens se primò quidem homicidii incidisse reatum, & à sanctitate tua pœnitentiam accepisse, quam & peregerit, & ea peracta miserationem & reconciliationem Ecclesiasticam tuo judicio promeruerit : Post verò cum aliis suis concivibus quosdam prædones publica sanctione jussus sit insequi, ut si eos capere potuissent, modis omnibus interimere non admitterent. Contra quos iste cum aliis proficiscens asseris, quòd uno ex illis capto oculos comprehensores ejus eruerint, ac per hoc ipso prædo nefandus vitam finierit. Hoc itaque facto, præfatus Leontardus pœnitentiam sus- 26
cepturus, ad tuam præsentiam, veniens, hujuscemodi dixit se fuisse tuo judicio judicatum : Sanctam videlicet communionem, nisi ad exitum vitæ non percepturum, carnes & vinum exceptis diebus Dominicis, & Sanctorum festivitatibus non sumpturum, cum hominibus non conversaturum, in cinere & cilicio gemiturum, servis, rebúsque suis non dominaturum, seniorem & beneficium non habiturum, & aliis his similibus fortè fruendis non fruiturum. Quæ omnia audientes, & intimo corde pensantes, invenimus aliquid gravius te, quàm expedit, si ita est, judicasse.* HUJUS REI GRATIA OMNE HUJUS JUDICIUM TIBI DIMITTIMUS ; *& ut nostra super hoc vice ad mitiorem in eo proferendam sententiam perfruaris, modis omnibus exhortamur, quatenus pro amore Apostolorum & nostro, & laborem itineris, & lacrymabilem prædicti Latoris interventionem, vel pœnitentiæ amaritudinem omnino considerans, mitiùs cum eo agere non detrectes ; & eò quòd ad Sanctos Apostolos fecit confugium, in his quæ oportuerit, ne fortè in desperationem labatur, misereri illius nunquam omittas, quia Dominus (sicut per Prophetam loquitur) misericordiam vult, & non sacrificium. Ideòque monemus, rogamus, ut misericordiam ei impendas, quatenus de impensione misericordiæ audientes, sanctitati tuæ multimodas gratias referamus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data III Calend. Novembris, Indict.* XI. quæ anno Christi DCCCLXXVIII. respondet.

Leontardus igitur ad Sedem Apostolicam perfugit,
sperans fore, ut impositæ pœnitentiæ, quæ modum 27
excedebat, pars aliqua minueretur. Non minuitur, etiamsi ab Joanne minuenda judicetur. Leontardus ad proprium remittitur Episcopum, quem Pontifex hortatur & rogat, ut ipsemet nonnihil vincula relaxet, quibus devinctum & constrictum pœnitentem suum tenet. Quidquid in causa, Joannes imperio non utitur, sed precibus & rationum momentis, ut Uvidonem Episcopum ad mitiùs cum Leontardo agendum inclinet. Noverat sacris Canonibus obsequi, quos præterire se non posse in alia causa dicit, scribens ad Carolum Calvum Regem : *De cætero autem, hoc est, de Mediolanensi Archiepiscopatu, ô fili carissime, sicut nobis nunc mandasti, ut Anspertum Archiepiscopum, quem in Synodo pro nonnullis suis negligentiis & præsumptionibus [illegible]icavimus, reconciliare deberemus ; quod equidem nos pro vestro amore alacri mente omnino perficeremus, si sententia damnationis, quam in eundem Archiepiscopum protulimus, sub tenore aliquo fuisset prolata. Dictum est enim, tandiu eum fore ab honore & ministerio sacerdotali suspensum, donec auctore Deo suam specialem nobis ad satisfactionem exhiberet præsentiam. Et quia Ecclesia Dei privilegium* NOS DECET IMMUTILATUM SOLEMNITER CONSERVARE, NE IN ALIQUO PATRUM TERMINOS PRÆTERIRE VIDEAMUR, CONTRA STATUTA MAJORUM AGERE NEQUIVIMUS.

Fulbertus Carnotensis Episcopus in Epistola LXXIII. ad Gauslinum Abbatem significat fuisse Aurelianensem Episcopum, qui quem excommunicaverat, eundem à Coepiscopis suis excommunicari postulaverat. Nicæ-
num Canonem hoc modo exequendum esse putabat. 28
Et fanè in idem recidit, sive Carnotensis Episcopus Abbatem ab Aurelianensi excommunicatum iterum excommunicet, sive pro excommunicato habeat & abjiciat. Sed Fulberti narrationem audire præstat : *Præsul Aurelianorum, qui vos excommunicavit, Coepiscopos suos idem facere poscit. At ego correctionis vestræ non expers III. Cal. Octobris ei respectum dedi. Unde nunc, frater, commoneo, ut gradus humilitatis interim vel usque ad tertium relegens, Episcopo vestro subjiciamini, sicut decet. Aut si vobis non ita faciendum esse videtur, cur fieri non debeat, rationem intimare non pigeat.* EGO ENIM, NEQUE LEGEM, NEQUE MODUM RA-

VIO-

TIOCINATIONIS INVENIRE POSSUM, QUI VOS AB JUGO SUBJECTIONIS HUJUS ABSOLVAT. *At si quis alius præter vos invenisse fateatur, novum illum rhetorem de cælo magis cecidisse, quàm descendisse crediderim.* Vereor, ne ex circumspectione illa & accurata consideratione, qua te præditum esse scio, judices me, cùm adfero Fulbertum, à proposito digredi, sed opinor parum digredior. Fulbertus rerum nostrarum satagit, & ad Romanos Pontifices sese adjungit. Quidquid illud est, ad illos, delicias, amores nostros redeo.

Ioannes XX. seu Benedictus IX. in Lemoviceusi Concilio, quod Baronius anno MXXXIV. suis intulit Annalibus, Ioannem VIII. subsequitur & aliter imitatur: Sed res paullo est explicanda latiùs. *Rursum in Concilio conquisitum est de excommunicatis Aquitaniæ gentis, qui ignorantibus Episcopis à Romano Papa pœni-*
29 *tentiam & absolutionem accipiunt, & hac de causa pax & Concilium in Aquitania destruitur,* DUM QUOS ISTI LIGANT, ILLE INJUSTE ABSOLVIT. *Adhæc venerandus Engelricus Cancellarius S. Mariæ Aniciensis Ecclesiæ cœpit explicare dicens: Stephanus Arvernensis Præsul ante hos omnes Pontium Comitem Arvernensem excommunicatione obstrinxit pro uxore legitima, quam dimiserat, & aliam duxerat. Quem cùm nulla ratione vellet absolvere nisi emendatum, Comes à Domino Papa absolutionem accepit, ignorante Papa, eum excommunicatum: Quod graviter Episcopus ferens, conquestorias literas Roman Apostolico misit, cui ille in hunc modum remisit Epistolam.*

Quod nescienter egi, frater carissime, non mea sed tua est culpa: Scis enim, quia quicunque de universa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me causa remedii recurrit, impossibile est mihi ejus curam negligere, dicente Domino ad beatum specialiter Petrum: Petre, pasce oves meas. Quo ergo modo Sedes Apostolica poterit ejicere aliquem de medela nisi rationabili causa? Debueras certè mihi, antequam illa morbida ovis Romam veniret, ejus causam tuis innotescere apicibus, & eam omnimodè abjicerem tuámque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu reperemerem: PROFITEOR QUIPPE OMNIBUS CONSACERDOTIBUS MEIS UBIQUE TERRARUM ADJUTOREM ME ET CONSOLATOREM POTIUS ESSE, QUAM CONTRADICTOREM. ABSIT ENIM SCHISMA A ME, ET A COEPISCOPIS MEIS. *Itaque illam pœnitentiam & absolutionem, quam tuo excommunicato de-*
30 *deram, & ille fraudulenter accepit, irritam facio, & cassam, & de ea nihil aliud speret, quàm maledictionem, qua satisfacta, tu ipse absolvas.* Gallicani antistites qui Lemovicense celebrarunt Concilium, de Romano Pontifice conqueruntur; sed immeritò. Quem enim hominem excommunicatum Romanus Pontifex absolvit, non absolvisset utique, si qui Episcopus hominem excommunicaverat, de excommunicatione tali Romanum Pontificem monuisset. Et certè monendus erat, ut id servaretur, quod in historia Marcionis Romæ servatum vidimus, quod Nicolaus I. fideliter executus est. Itaque Romanus Pontifex, seu Joannes seu Benedictus justam de Arvernensi Episcopo & legitimam querelam habet, & verè dicit: *Quod nescienter egi, frater carissime, non mea, sed tua est culpa.* Deprecatus, ut apparet, culpam non esset, si quod inscienter egit, scienter egisset.

Deinde si monitus esset Pontifex, Arvernensis Episcopi sententiam confirmasset, tantùm abest ut infirmaret: Atque ita Nicæni Canonis vindicem sa & assertorem præstitisset.

Tum æternitate digna est professio hæc: *Profiteor quippe omnibus consacerdotibus meis ubique terrarum adjutorem me & consolatorem potiùs esse quàm contradictorem. Absit enim schisma à me & à Coepiscopis meis.* Ex professione hac colliguntur multa, quæ nostris in Epistolis passim exposuimus.

I. Cùm Pontifex Episcopos *Consacerdotes* & *Coepiscopos suos* appellat, respectum habet ad decessorem suum Symmachum, qui Æonio scribens Arelatensi Episcopo dicit, *ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum esse per diversos antistites sacerdotium.* 31

II. Cùm Episcoporum *adjutorem se & consolatorem potiùs esse, quam contradictorem* affirmat, respectum habet ad Gelasium, qui in Epistola ad Dardaniæ Episcopos protestatur, *uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam.*

III. Cum ait, *Absit schisma à me & à Coepiscopis meis,* significat se perinde ut cæteros Episcopos posse in schisma incurrere. At quomodo schisma istud fieret, Gregorius à Valentia e Societate Jesu Theologus exponit in tom. III. disput. III. quæstione XV. de schismate puncto I. *Quarta propositio: Si spectemus rationem ipsam schismatis, nullum est membrum Ecclesiæ, quod non possit aliquo modo ex prædictis committere istud schismatis peccatum, atque adeò ipsa persona Summi Pontificis. Ita affirmat Ioannes à Turrecremata lib. IV. Summa de Ecclesia part. I. cap. XI. Cajetanus hic art. I. & Bannes ibi. Probatur I. auctoritate Cypriani, qui ita omnino videtur supponere Epist. II. lib. IV. ad Antonianum.* Et relatis Cypriani verbis subnectit: *Secundò probatur manifesta ratione sic: Omne membrum Ecclesiæ, atque adeo etiam persona Summi Pontificis potest se aliquo modo separare ab unitate corporis Ecclesiæ; ergo potest committere aliquo modo peccatum schismatis. Consequentia est evidens ex ratione schismatis. Antecedens probatur dupliciter: Primò, omne aliud membrum potest sejungi & divelli ab unitate corporis Ecclesiæ, sine cujus conjunctione potest ipsa unitas Ecclesiæ manere, sed hæc potest manere sine conjunctione cujuscumque membri cum illa, atque* 32
adeo sine conjunctione personæ Papæ, ut patet, quando sedes vacat; ergo &c. II. Nam posset Papa persona nolle ullo modo, neque ut Papa, neque ut alia pars communicare cum reliquo corpore Ecclesiæ, sed solum vivere & gerere se, ut dominum temporalem, sicut ait Cajetanus. Item posset nolle se cum aliis fidelibus conformare in ritibus Ecclesiæ universalis, ut si nollet celebrare in vestibus & locis sacris, aut cum luminaribus, aut signare se signo crucis &c. Ut ait ibi suprà Turrecremata. In quibus casibus sine dubio ab Ecclesiæ unitate se aliquomodo separaret. Sicut etiam si totam Ecclesiam excommunicaret, ut ait Cajetanus: Eo enim ipso nollet quicquam communionis habere cum illa. At hi sunt modi, quibus Papa fieri posset schismaticus. Adiungi posset casus ille, quem Romanus Pontifex in hac causa, ubi de Apostolicæ traditionis & Nicæni Canonis V. observatione agitur, declarat.

Qui autem potest in schisma, sic & in hæresim incidere. Romanæ Ecclesiæ circa Liberium & Honorium traditionem noverat: Quam nullus à Synodi VI. tempore ad annum MXXXIV. dissensione commoverat. cui non errandi privilegium nullus opposuerat.

Postremò quidquid Romanus Pontifex in excommunicati hominis gratiam fecerat, rescindit, & negotium totum ad Arvernensem Episcopum remittit, ut excommunicatus ille proprii antistitis judicio stet vel cadat: *Itaque illam pœnitentiam & absolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & cassam, & de ea nihil aliud* 33
speret, quàm maledictionem, qua satisfacta tu ipse absolvas. Quibus in verbis tanquam in brevi quadam tabella traditionem à Petro & Paulo Apostolorum principibus derivatam, & à Pio I. à Conciliis Eliberitano, Arelatensi, Nicæno, Sardicensi, à Romanis Pontificibus, & cum primis à Nicolao I. & Joanne VIII. vindicatam non solùm amplectitur, sed & disciplinæ severioris nonnihil adjicit, ut successores ad diligentiorem Apostolicæ traditionis custodiam oppigneret & constringat.

Gregorius VII. id in libri II. Epistola L. ad Sancium Regem Aragoniæ sic confirmat: *De quorum vita & conversatione eum interrogantes alia omnia præterquam quod de concubinis nati erant, bona satis & honesta accepimus, & quia* VENERANDI CANONES *ad Sacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non satis cautum*

fare putavimus: NE QUICQUAM A NOBIS CONTRARIUM SANCTIS PATRIBUS IN EXEMPLUM ET AUCTORITATEM POSTERIS RELINQUATUR. SOLET ENIM SANCTA ET APOSTOLICA SEDES PLERAQUE *considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus* A CONCORDIA CANONICÆ TRADITIONIS DISCEDERE.

Hæc præcipua Sedis Apostolicæ laus est, nihil efficere sacris Canonibus contrarium, ne posteris exemplum malum relinquatur, & in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis nunquam discedere. Quapropter Ivo Carnotensis in Epistola LX.
34 queritur de Hugone Lugdunensi Archiepiscopo & Sedis Apostolicæ legato, quòd nesciente se quibusdam excommunicatis communionem restituerat: *De cætero,* inquit, *prædam à Puteacensibus in me, & in Carnotensem Ecclesiam factam jure possem à vobis repetere, si reverentiam vestram in jus vocare possem, qui ad suggestionem æmulorum meorum, prædictos sacrilegos à me & a Coepiscopis meis communione privatos* ME NESCIENTE *communioni reddidistis, ac per hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda majora sacrilegia relaxastis. Quod utrum faciendum fuerit, vel post factum cognita veritate corrigendum, judicet justitia vestra, cùm justa vincula non solvat, nisi vera pœnitentia.*

Leo IX. Moguntiæ cùm aliquando consisteret, exemplum præbuit, quo luculenter docemur, illum fuisse diligenter servaturum Apostolicam traditionem, quæ Nicæno Canone v. firmatur, si servandi oblata esset occasio. Res sic se habet apud Albertum Stadensem Abbatem in Chronico ad annum M. LIII. *Leone IX. & Imperatore Henrico III. Natalem Domini regio cultu Wormatia agentibus, & missarum celebratione in sancta die peracta ab Apostolico, in sequenti die Luitboldum Moguntinæ Sedis Archiepiscopum utpote in sua Diœcesi subrogavit officio, & peracta processione quidam ex Diaconis Humbertus nomine, lectionem cantavit: Quod quidam ex Papa assistentibus vituperantes, ut contra Papam quasi Romano more non ageretur, objurgantes persuaserunt ei, ut decantationem Diacono interdiceret. Quod factum est, & contempsit, &*
35 *lectionem usque ad finem perduxit. Quâ finitâ ad illum vocavit, & pro inobedientia degradavit. Archiepiscopus misit ad Papam ut suum sibi redderet ministrum: Quod ubi Papa abnuit, Moguntinus ubi sacrificii tempus advenit, in sede sua resedit constans, nec se, nec alium quemquam completurum illud officium, nisi reciperet ministrum suum. Quod ubi intellexit, Moguntino cessit, reindutúmque ministrum continuò remisit: Quo recepto Moguntinus, officium perfecit. Quâ in re & Pontificis Moguntini auctoritas, & Apostolici consideranda est humilitas, dum & ille sui officii dignitatem defendere contendebat, & iste licet majoris dignitatis, Metropolitano tamen in sua Diœcesi cedendum perpendebat.* Hîc Leo suorum Assistentium studio plenus Diaconum de gradu suo deturbavit; Leo suorum Assistentium studio vacans Diaconum gradui suo restituit.

Si Leo IX. cessit Moguntino antistiti, dum Ecclesiæ suæ ritum, qui universalis Concilii Canone nullo statuitur, vindicat, is multo magis cederet Moguntinæ vel alterius Sedis Episcopo, qui Apostolicam traditionem universalis Concilii Canone circumscriptam defenderet. Secundum exemplum hoc Leo excommunicatum ab alio Episcopo hominem in communionem suam nunquam, nisi de consensu excommunicantis, reciperet. Quis complexioni nostræ refragaretur? Quis lumen tantum non aspiceret?

Innocentius III. in libri II. Epistola ad Cantuariensem Archiepiscopum: *Quæ in derogationem sanctorum Canonum attentantur, tantò potiùs infringi volumus & carere robore firmitatis, quantò auctoritas universalis Eccle-*
36 *siæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.* Cùm Sedis Apostolicæ auctoritas eò tendat, ut, quidquid sacris adversatur Canonibus, evertat, ad Nicæni Canonis v. quo ejusdem Sedis confirmatur traditio, custodiam semper advigilabit.

Quod semel atque iterum hac in materia executus est: Semel in constitutione CXXII. ad Rotomagensem Archiepiscopum: *Ad reprimendam malitiam perversorum pœnæ certæ sunt in Canonibus constitutæ, quas sicut latas à vobis interdum in subditis vultis inviolabiter observari, ita & latas ab aliis debetis inviolabiliter observare. Ideóque mandamus, quatenus sententias, quas Lexoviensis Episcopus duxerit in subditos suos canonicè promulgandas, & vos ipsi servetis, & à vestris subditis faciatis inviolabiter observari.*

Iterum in libri III. Regist. XV. Epistola XXVIII. ad Archiepiscopum & Capitulum Thebanum: *Ad audientiam nostram venerabili fratre nostro Zaratoniensi Episcopo significante pervenit, quòd cùm milites & Latini Zaratoniensis Diœcesis mansionem habeant apud Thebas, si quando præfatus Episcopus in eos propter suos excessus sententiam excommunicationis promulgat, vos ipsos non facitis evitari: Propter quod idem Episcopus, & Ecclesia sibi commissa suam non potest consequi rationem. Quia igitur non est malitiis hominum indulgendum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus Parochianos ipsius Episcopi ab eo excommunicationis laqueo rationabiliter innodatos non præsumatis de cætero recipere ad divina, sed eos faciatis potiùs evitari.* Sic degenerantes à paternorum Canonum gravitate antistites 37
corrigit, & ad illorum observationem revocat.

Huc accedit quòd in libri I. Epistola ad rectores Thusciæ scribat: *Sicut jura nostra volumus servari, sic aliorum jura volumus illibata servare.*

Innocentius III. id per traditionem à Gregorio VII. accepit, cùm in libri I. Epistola XXIV. ad Brunonem scribit Veronensem Episcopum: *Sicut Romana Ecclesia debitum honorem impendi à cæteris Ecclesiis, ita unicuique Ecclesiæ proprium jus servare desideramus.*

Gregorius VII. id quoque à Gregorio I. per eandem traditionem habuit; siquidem in libri II. Indict. XI. Epistola XXIX. scribit ad Presbyteros & Diaconos Mediolanensis Ecclesiæ: *Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.*

Gregorius id tum demum hausit ex his principiis: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis: Alteri feceris, quod tibi fieri vis.*

Eugenius IV. in bulla translationis Synodi Basileensis, & indictionis Synodi Ferrariensis parte I. Florentini Concilii num. XIII. Editionis novæ: *Quod factum est sine consideratione justitiæ, & contra omnem Canonum disciplinam, ratum haberi nulla permittit ratio.* Quapropter siquis antistes cujuscunque sedis fuerit, Nicænum Canonem v. quo Apostolica fulcitur traditio, infregerit, id ratum haberi ratio nulla permittit.

At vidimus Episcoporum jura esse omni luce clariora, scilicet ut nequis Episcopus etiam Romanus excommunicatum ab alio Episcopo hominem in communionem sine illius qui excommunicavit, consensu ad- 38
mittat. Hæc est Apostolica traditio, quam & Concilia & Romanæ Sedis decreta *de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum disciplinis promulgata* corroborant, immo & ipsum sacramentum, quo Romani Pontifices sese quondam in sua consecratione obstringebant: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, &c. Indict. ill. mense ill. die ill. ego ill. misericordia Dei Presbyter electus, futurúsque per Dei gratiam humilis Sedis Apostolicæ antistes, tibi profiteor, Beate Petre Apostolorum Princeps,* &c. *Diligentiùs autem & vivaciùs omnia decreta prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæque & synodaliter probata sunt, confirmare & indiminutè servare; & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quósque condemnarunt, vel abdicarunt, simili auctoritatis sententia condemnare; disciplinam & ritum Ecclesiæ sicut inveni, & à sanctis prædecessoribus meis traditum reperi, illibatum custodire, & indiminutas res Ecclesiæ conservare, & ut indiminutè custodiantur, operam dare; nihil de traditione eorum, quæ à probatissimis prædecessoribus meis servata reperi, diminuere vel mutare aut aliquam novitatem inducere; sed ferventer,*

ut

ut verò eorum discipulus & sequipeda totis mentibus meis & conatibus, quæ tradita sunt, conservare ac venerari: Si quæ verò emerserint contra disciplinam canonicam emendare, SACROSQUE CANONES ET CONSTITUTA PONTIFICUM NOSTRORUM ET DIVINA ET CÆLESTIA MANDATA CUSTODIRE, *utpote tibi me redditurum sciens de omnibus, quæ profiteor, districtam in divino*
39 *judicio rationem, cujus locum divina dignatione perago, & vicem intercessionibus tuis adjutus impleo, si præter hæc aliquid agere præsumpsero, vel ut præsumatur, permisero.* Hæc in veteri Romanæ Ecclesiæ diurno, quod editum est Romæ, sed ibi captivum adhuc detinetur; non in Sede Apostolica, sed in Curia, quæ nec priscas Sedis illius traditiones, nec illarum defensores pati potest: Quo facto Romanam Ecclesiam apud eos, qui seorsum à nobis per religionem sentiunt, pro ludibrio abire permittit, & unà impedit, ne hi ad illius communionem accedant faciliùs. Ivo Carnotensis in laudata mox Epistola diurni hujus meminit, & professio hæc deprompta ex Antonii Augustini codice habetur inter notas, quibus octava Synodus à Severino Binio illustratur.

Sancta igitur Sedes cùm electum antistitem sacramento tali obligandum esse censuit, id profectò intelligebat, quod Leo & Gregorius Pontifices cognomento Magni divinitus tradiderunt. Ille in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite IV. *Hoc* PROPRIUM DEFINITIONIS NEÆ EST, *ut quantumlibet numerus sacerdotum amplior aliquid per quorundam surreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum constitutionibus inveniatur adversum, id justitiæ consideratione cassetur:* QUONIAM UNIVERSÆ PACIS TRANQUILLITAS NON ALITER POTERIT CUSTODIRI, NISI SUA CANONIBUS REVERENTIA INTEMERATA SERVETUR. Hic in libri XI. Epistola XLIV. ad Joannem Panormitanum Episcopum: *Illud autem admonemus, ut Apostolicæ Sedis reve-*
40 *rentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria, & Canonum* MANET INCOLUMIS ATQUE INTEMERATA SEMPER AUCTORITAS. O nobilissima Synodis Pontificum, quibus è Petri cathedra docentibus, pax Ecclesiæ, ut sacrorum Canonum observatione retinetur, sic & eorumdem violatione turbatur! Hos autem inter Canones notissimus est Canon Nicæni Concilii quintus, quo Apostolica traditio Epistolæ hujus argumentum validissimè confirmatur.

Cum verò Gregorius *caput fidei* dicit, Petrum ni fallor, intelligit, qui interrogante Christò respondit, *Tu es Christus filius Dei vivi*, & qui ab eo constitutus est *primum membrum universalis Ecclesiæ*, ut ipsemet ait in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Certè Petrus Apostolus primum membrum universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite* (Christò) *omnes membra sunt Ecclesiæ.* Hæc est primi membri universalis Ecclesiæ, id est, capitis notio, quam cum adjunctis suis Sixtus III. & Joannes VIII. explicant.

Sixtus in Epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes: *Ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* In Romanæ Synodi Collectione Rom. bipartita tom. XVII.

Joannes in Epistola CXCIX. ad Basilium & alios Imperatores: *Totius familiæ Domini status & ordo nu-* 41
tabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite, & inde fiet, ut omnis Ecclesiasticæ disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur. Hic præterire nequeo Eugenium IV. nunquam satis laudatum Pontificem, qui in Basileensis Concilii sessione XVI. potiorem corporis, quàm capitis rationem duobus in eventis, si dissentirent inter se, ducendam esse scribit: *Si Papa vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, & contra Concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus Legati personam Summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntati sequenda foret; cùm super omnia Concilia habet potestatem Papa*, NISI FORTE QUÆ STATUTA FORENT, CATHOLICAM FIDEM RESPICERENT, VEL SI NON FIERENT, STATUM UNIVERSALIS ECCLESIÆ PRINCIPALITER PERTURBARENT, QUIA TUNC CONCILII SENTENTIA ESSET POTIUS ATTENDENDA. E duobus illis eventis, in quibus pronuntiante Eugenio, potior corporis, nimirum Concilii, quàm capitis, nimirum Romani Pontificis, ducenda est ratio, primum fidei dogma respicit, secundum universalis Ecclesiæ statum qui perturbaretur maximè, si universalem Ecclesiam aliter, quàm universalia decreverint Concilia, moderandam esse Romanus Pontifex judicaret. Secundum hoc agitur inpræsentiarum. Apostolica enim traditio, quam & Romana erga Marcionem vindicavit Ecclesia, & Nicæna Synodus asseruit, & Romani occasione datâ custodierunt Pontifices, & tandem complexa est Tridentinæ fidei professio, ad statum universalis Ecclesiæ non potest non referri. Hæc tamen doctrina est, quæ apud Curiæ censores nec satis peritos, nec satis cor- 42
datos malè audit, & quæ sub aliis nominibus vetatur in hodierno indice, qui sagenæ missæ in mare bonos & malos pisces congreganti verè similis esse perhibetur.

Reliquum esset modò, ut ex traditione tam illustri, celebria illa & nuper instaurata Scholæ Parisiensis nostræ placita deducerem, ni refugeret animus, & reformidaret injuriam tibi facere, qui quod in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid antecedens, quid consequens, quid disparatum, quid contrarium mihi semper visus es perspicere. Res nostras Ecclesiasticas perinde intelligis, ut monetales tuas, in quibus tam castè, tam integrè, tam diligenter versaris. Vale Lutetiæ Paris. pridie Idus Sextiles ann. M. DC. LXIV.

Joannes Launoius
CLAUDIO SANTEULIO.

1 CUM mihi nuper & aliis in sermone injecisses, te in Symmachi Papæ causa reperisse tria, quæ videntur difficultatis habere nonnihil: Primùm, quód in actis Romanæ illius Synodi, quam Theodoricus propter Symmachum coire voluit, dicitur *Romanæ Sedis antistes minorum non subjacere judicio*: Deinde, quód in Ennodii Ticinensis Diaconi libello, quem pro Symmachi defensione composuit, sic legimus: *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed Romanæ Sedis Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio*: Denique, quód Avitus Viennensis Episcopus in Epistola ad Faustum & Sym-

Symmachum Senatores urbis scribit : *Non datur facilè intelligi, qua ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicitur.* Tria hæc cùm breviter exposuisses ac dilucidè, subjunxisti, optare te, ut illa differenda & diluenda susciperem, Sed optarem ego vicissim, ut cui vacare me vis operi, vacares ipse tu, qui pro ea, qua præstas eruditione & perspicacitate ingenii, meliùs vacares ac diligentiùs. Vacabo tamen pro meatum tenuitate virium, sed imputabis tibi vacantis incommoda, si tuis votis non respondeam. Hac manente conditione, unumquodque singillatim aggredior & persequor.

Ad primum igitur quod attinet, id ex Romana Synodo, quam laudas, repetendum esse censeo. Nam
2 repetendum est altiùs, quod ad inveniendam, enucleandàmque veritatem maximè conducit. Symmachus accusatur criminis, & reus ad Theodoricum Regem Italiæ defertur. Theodoricus interea dum impactum Symmacho crimen examineretur, visitatorem Romanæ Ecclesiæ dedit Petrum Altinensem Episcopum. Rex apud urbem Synodum convocat, ut crimen examinetur.

Actorum Synodi verba sunt : *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis Theodorici diversis ex regionibus congregata in Christi nomine dixit : Cùm ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire Sacerdotes Regia præcepisset auctoritas, ut de his, quæ venerabili Papæ Symmacho Apostolicæ Sedis præsuli ab adversariis illius dicebantur impingi, sanctum Concilium judicaret legitimè ; Liguriæ, Æmiliæ, vel Venetiarum Episcopis (quos ad præsentiam Principis ipse itineris ductus attraxit) consulendi Regem incubuit necessitas, quæ hos voluisset ætate fractos, debilitate corporis invalidos congregari : Respondit præfatus Rex piissimus bonæ conversationis affectu, plura ad se de Papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, & in Synodo oportere, si vera esset inimicorum ejus objectio, indicatione constare : Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum vel Principatum, deinde secuta jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictæ Sedis antistitem minorum subja-*
3 *cuisse judicio, in propositione simili facilè forma aliqua testaretur.*

Memorati Pontifices, qui allegandi provinciam susceperant, pro Symmachi defensione adferunt duo : Convocandam ab eo, qui dicebatur impetitus, fuisse Synodum, & Apostolicæ Sedis antistitem minorum non subjacere judicio. Ratio prior, nec probatur, nec Theologiæ nec juris Ecclesiastici principiis probari potest. Theologiæ principia sunt, scriptura & Catholicæ Ecclesiæ Traditio : Ecclesiastici juris, Canones sacri & Sedis Apostolicæ decreta ex iisdem Canonibus promulgata. Quæ omnia Silvester II. complectitur in Epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum : *Sit lex communis Ecclesia Catholica, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones Spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia* In neutris autem principiis traditur, impetitum Pontificem debere Synodum convocare, quomodo hìc debere asseritur. Symmachi defensores ea in re modum excedunt, cùm (dicis opinor gratiâ) sibi sumunt, quod Symmachus, cujus refert vel maximè, sibi non sumit. Non enim conqueritur, quòd Synodum non convocaverit, aut quòd eam Theodoricus convocaverit. Præterea quæ adfertur ratio, vitiosa est : A non distributo ad distributum procedit. At quis diceret Romanum Pontificem eò redactum esse, ut ad dignitatis suæ tutelam accidentis indigeat fallaciâ? Aliud est Symmachum ex Beati Petri merito, principatu, & Conciliorum, quæ præcesserant, auctoritate
4 singularem in Ecclesiis potestatem habere ; aliud in nullo unquam eventu posse Synodum ei similem qua de agitur, præterquam à Romano Pontifice congregari. Quidquid id est, Symmachus à Theodorico Synodum cogi consensit, & consentire illius intererat quamplurimùm : Siquidem ab objectis criminibus purgatus fuisset nunquam, & eam ob causam visitator Romanæ Ecclesiæ datus à Theodorico remansisset semper.

Rationem priorem sic examinavimus, ut ad posterioris examen viam nobis muniremus. Posterioris robur, si quod in ea esse potest, in *minorum* nomine consistit. Certum est ante omnia, *minores* appellari non posse antistites, quos & Symmachus & Symmachi decessores collegas, fratres, comministros, consacerdotes, & coepiscopos appellant. Hæc est veritas, quæ argumenta non quærit, sed tantùm oculos, qui Ecclesiastica legere possint monumenta, ubi vel oscitantibus & dormientibus id occurrit. Ne verò illud sit, Symmachus periodo unica rem absolvit, ad Æonium scribens Arelatensem Episcopum : *Dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus convenit violari ?* Si teste Symmacho unum est inter universos antistites sacerdotium, quinam quæso *minores* eo modo dicentur, quo dicuntur ab iis, qui allegandi provinciam susceperunt?

Deinde Romanæ Synodi hujus Episcopi Symmacho non dicunt : Judices tui non sumus, teipsum judica, tu post Prophetam Deo potes dicere : Tibi soli peccavi, 5
tibi soli meam debeo innocentiam. Hoc inquam non dicunt : De Symmacho & de Symmachi rebus ea ratione judicant, qua secundùm allegata & probata, ut jurisperiti loquuntur, judicare potuerunt. Hinc removendum esse visitatorem, inde restituendum esse sedi suæ Symmachum decernunt : Hinc restitutus sedi suæ Symmachus ad objecta crimina coram Synodo respondet : Inde Synodus auditis responsionibus Symmachum absolvit quidem, sed non absolvit simpliciter, etiamsi purus & innocens apud homines appareret. Itaque cùm suspicarentur Patres occulta potuisse esse crimina, id totum divino judicio transcribunt. *Quibus*, inquiunt, *allegatis cum Dei nostri obtestatione decernimus, harum necessitatum vel religionum consideratione adstricti, & cælesti inspiratione perpensis omnibus, quæ in causa erant secretis, ut Symmachus Papa Sedis Apostolicæ præsul ab hujusmodi propositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, quia totum causis obsistentibus superiùs designatis constat arbitrio divino fuisse dimissum, sit immunis & liber, & Christiana plebi sine aliqua de objectis oblatione, in omnibus Ecclesiis suis ad jus sedis suæ pertinentibus tradat divina mysteria : Quia eum ob impugnatorum suorum impetitionem, propter superiùs designatas causas obligari non potuisse cognovimus : Unde secundùm principalia præcepta, quæ nostræ hoc tribuunt potestati, ei quidquid Ecclesiasticè intra sacram urbem Romam vel foris juris est, reformamus, totámque causam Dei judicio reservantes universos hortamur, ut sacram communionem (sicut res postulat)* 6
ab eo percipiant, & Dei & animarum suarum meminerint, quia ipse & amator pacis est, & ipse pax est qui monet : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis : Et in quæcunque civitate pacem esse confirmandam affirmans, beatos esse dicit pacificos. Hæc quicunque ex instructione nostra (quod non æstimamus) vel non admittit, vel retractari posse crediderit, videat, quia in divino judicio contemptus sui rationem est, sicut de Deo confidimus, redditurus. De Clericis memorati Papæ, qui ab Episcopo suo ante tempus aliquod contra regulas discesserunt, & schisma fecerunt, hoc fieri decrevimus, ut eos satisfacientes Episcopo suo misericordia subsequatur, & officiis Ecclesiasticis se gaudeant restitui ; quia Dominus & redemptor noster oves perditas ab errore lætatur inventas, & super profugum filium paternam liberalitatem cælestis mediator accommodat. Quisquis verò Clericorum, post hanc formam à nobis prolatam, quocunque sacrato Deo loco in Ecclesia Romana missas celebrare præsumpserit, præter conscientiam Symmachi Papæ dum vivit, statutis canonicis velut schismaticus percellatur.

percellatur. Ista sufficiat nunc cum Dei notitia nos sincerè protulisse.

Subscribunt Episcopi: *Laurentius Episcopus Ecclesiæ Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi. Petrus Episcopus Ecclesiæ Ravennatis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi:* Et sic de cæteris.

Quot commata, tot sententiæ; quibus Concilium
7 suam in Symmachum & Symmachi Clericos jurisdictionem exercet. Symmachus non repugnat: Symmachus Concilii præsulibus se ab illorum judicio liberum & immunem esse non denuntiat. Symmachus Concilii decretis assentitur, parere non renuit. Symmachus, nec ante nec post restitutionem suam, protestatur Episcopis de se judicandi formam non competere. Quis modò Symmachum & suæ & Apostolicæ Sedis causæ indormivisse diceret, cùm ad illius conservationem advigilare vel maximè oportuit? Symmachus quod nec suum erat, nec Sedis Apostolicæ, repetebat, aut vindicabat. Obnoxium se Concilio huic agnoscebat, tantùm abest ut ei subesse renueret, aut id faceret, quod faciunt qui his verbis, *Romanæ Sedis antistitem minorum non subjacere judicio,* abutuntur. Ad Episcoporum Concilium illa non pertinent, sed ad Romanos plures Clericos, ad Senatum & populum, qui sese in Symmachi causa ferventiori, quàm par fuit, studio interposuerant. Id facilè colligitur ex præceptione, quam Theodoricus ad Episcopalem Synodum misit. *Romana Ecclesia pacem, Episcopo Symmacho criminosis propositionibus impedito sub ea, quam cernitis, confusione turba, quoniam non magis potuit providentia nostra consulere, quàm ut juxta petitionem Senatus & Cleri ad congregandos ex diversis provinciis causam revocare & antistites, & de religiosa actione personæ sanctum facere.* Et quibusdam interpositis: *Intentio est vobis servanda justitia, in cognitione libertas remotis omnibus occasionibus integro si vestra voluntatis objectorum criminum causa examinate judicium, dummodo*
8 *studiosa certaminis defendi amore, & omne confusionis amputetur ambiguum, maximè cùm hanc vobis pro religionis reverentia consideratione justitia nostra oracula tribuant facultatem; Ut sicut vobis est inquirenda in hoc negotio voluntas, & cura veritatis, personas illic omnibus constitutis, per quas potest fides rerum quæsita præstare, vos noveritis & Deus, quid in ipsa causa judicare debeatis, pacem modis omnibus Clero, Senatus & Romano populo post judicium reddituri, neque turbatio, nulla discordia in civitate remaneat, sive vultis, ut quod propositum est transeat sine discussione negotium, vos sciatis, & Deus, qualiter ordinetis, dummodo pax Clero, senatus, populóque Romano sub vestra ordinatione reddatur.* Ad clerum ergo, senatum populúmque Romanum flectenda est illa propositio, qua dicitur Apostolicæ Sedis præsul minorum non subjacere judicio. Minores ii sunt, qui Symmachum de sede sua dejecerant; & apud Theodoricum effecerant, ut Romanæ Ecclesiæ visitator daretur Petrus Altinensis Episcopus.

Porro autem illud exceptionis genus firmat regulam, qua Romanum Pontificem Episcoporum Concilio subesse constat.

Hoc verò Symmachus semel atque iterum significat: Semel quidem in Romana Synodo, quam de bonis Ecclesiæ non alienandis celebravit, cap. IV. *His ergo perpensis, mansuro cum Dei nostri consideratione decreto sancimus, ut nulli Apostolicæ Sedis præsuli, à præsenti die, donec disponente Domino Catholicæ fidei manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum quantacunque fuerit*
9 *vel magnitudinis vel exiguitatis sub perpetua alienatione ad cujuslibet jura transferre, nec cujusquam excusetur necessitatis obtentu.* Deinde in capite VI. *Pari etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicunque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia nefas est obligatione, qua se per charitatem Christi connectit Summus Pontifex, ea hominum secundi in Ecclesia ordinis non teneri.* Hic Symmachus Provinciæ Conciliorum legibus obligatur, sed multò magis obligabitur universalium Conciliorum Canonibus, qui Spiritu Dei conditi & totius mundi reverentia consecrati sunt. Iterum verò in Epistola VII. Apologetica, quam scripsit adversus famosum Anastasii Imperatoris libellum: *Dicis me esse Manichæum. Nunquid ego Eutychianus sum vel Eutychianos defendo, quorum furor maximè Manichæorum suffragatur errori? Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, utrum à fide Catholica, quam in Sede Beati Petri Apostoli veniens ex paganitate suscepi, aliqua ex parte deviaverim. Procedat aliquis, & qualibet ratione convincat; alioqui convitia sunt ista, non criminum probamenta.* Hæc cùm ita disserit, nisi fortassis adversario illudat, (quod non est credibile) in hæresim labi se posse innuit, ac proinde quod necessariò consequitur ab Episcoporum Concilio judicari.

In secundo, quod expeditur breviùs, res est hujusmodi: Postquam Concilium absolvit Symmachum a criminibus, quæ ei objiciebant æmuli, fuerunt adhuc inter eos, qui adversus Concilium scripserint, titulúmque operi suo indiderint, *adversus Synodum abso-* 10
lutionis incongrua. Id traditur in libello, quam Ennodius pro Symmacho & Synodo ut Apologeticum adversus eos composuit, qui contra Synodum scribere præsumpserant. Quæ verò in Apologetico ad quæstionem nostram pertinent, hæc sunt: *Videamus, si superest aliqua de regulari propositione defensio. Visitatores, inquiunt, & alius Episcopis ipse dedit, & justum est, ut facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso: Diu mendaciis adhærentia verba non arguo. Dico tamen latorem juris definitionis sua, nisi velit, terminis non includi, & nisi princeps fastigii summa moderetur, frustrà ad illud, quod dederit, jus vocatur. Lex probitatis & mentis est, qua hominem viventem sine lege castigat: Propriè moribus impendit, qui necessitati non debet disciplinam. Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius præsulem, suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit Beati Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.* Qui scribit pro Synodo & Papa, supra Synodum & Papam sapere non debet. Ennodius supra Synodum & Papam saperet, si prout illius verba postrema sonant, intelligeretur. Quæ de Papa dicit Ennodius, de se Papa non dicit, etiamsi dicendi necessitas fuerit vel summa. Ubi quæso & quando Symmachus dixisset magis appositè, Deum causas suas suo sine quæstione reservasse judicio, quàm cum Episcoporum Synodus de causis suis judicare aggreditur? Quàm cùm
reipsa judicat? Symmachus hoc non dicit; obstinatè 11
silet. Ubi quæso & quando Symmachus ad tuendam suam & Sedis suæ prærogativam, siqua vera stetisset, in medium protulisset accommodatiùs, se suam cœlo tantùm innocentiam debere, quàm cùm illa variis criminibus impetitur? Hoc non profert in medium; contumaciter tacet. A majoribus de prærogativa tali per traditionem nihil acceperat; alioqui nec scripsisset in Epistola Apologetica, quod eum scripsisse mox vidimus, nec sivisset se in propria Synodo lege summa constringi, ut constrictum mox vidimus. Qui humana lege constringitur, si legem violat, apud homines pœnas luit. Quæ de Papa dicit Ennodius, de Papa non dicit Romana Synodus, etiamsi dicendi præ manibus fuerit occasio. Ubi quæso & quando dixisset unquam id quod dicit Ennodius, nisi cùm in Symmachi mores & vitam inquirendum est? Nisi cùm Symmachus de sede sua cleri, senatus, & populi factione dejicitur? Cùm visitator in illius locum sufficitur, & innocentia variis criminibus tentatur? Synodus e contrario in tantum judicat, in quantum judicare per leges & Canones potest. Quis contenderet, Laurentium Mediolanensem, Petrum Ravennatem & cæteros antistites maturioris ætatis viros alios, senes alios, Romanæ Ecclesiæ traditionem ignorasse, quam unus Ennodius in

Gallia

Gallia vel in Liguria natus annos XXX. scivisset? Cùm scripsit Apologeticum, annos ferè natus non erat plures, quia cùm annum ætatis ageret quadragesimum octavum, decessit anno Christi DXXI. ut Sirmondus observat in breviculo de vita illius. Synodus verò, 12 de qua nunc agimus, habita est ad annum Christi DIII. Verumenimverò Romana Synodus V. cùm hoc perspiceret, Ennodii honori consulere voluit; atque ut consuleret, Ennodii libellum probando suum fecit, & ita noluit, ut Ennodii libello plus fidei quàm sibi tribueretur. Quo in casu relata Ennodii verba, *aliorum fortè hominum causas*, &c. ultra expositum Synodi sensum produci non debent.

Quòd siquis hac erga Ennodium benignitate uti noluerit, & eum intellexerit de occultis tantùm criminibus, quæ nec probantur nec legitimè probari possunt, efficiet primùm ut Romana Synodus V. & Symmachus Ennodii libellum contra se probent, & probando contra se dicant: Tum ut qui Ennodius adversarios falsitatis accusat, ab adversariis etiam falsitatis accusetur. Nam Ennodii adversarii, quæ ad Synodum & Symmachum animadvertimus, Ennodio opponent, & adjicient eum nesciisse, vel, quod esset acerbius dissimulasse, quæ de Silvestro traduntur in Romani Concilii Epistola III. ad Imperatores Gratianum & Valentinianum: *Accipite aliud quoque, quod vir sanctus* (Damasus) *vestra magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus Romanus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantium causam suam* 13 *prosecutus est*. Tunc à Silvestro Pontifice non dicebatur, quod annis post illum centum & octoginta plus minùs ab Ennodio dictum est. Impositum Silvestro sacrilegii crimen divino sine quæstione reservatum non est judicio; Silvestri innocentia, quæ cælo tantùm deberetur, non obtenditur. Concilia duo proponuntur, Ecclesiasticum unum, Imperiale alterum, in quibus quod crimen Silvestro impingitur, discuti possit. Hæc est Apostolicæ Sedis traditio, cujus cognitione caruit Ennodius; Et quòd caruerit, propter ætatem excusatur, salvis juribus veritatis, *cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum*. Tertullianus, in libri de velandis virginibus capite I.

Franciscus Torrensis in libro II. de Summi Pontificis supra Concilia auctoritate, & Bellarminus in libri II. de Conciliorum auctoritate capite XVII. Ennodii testimonium adducunt, ut Summum Pontificem supra Concilium esse doceant: Sed non adduxissent, si suis illud momentis expendere per otium licuisset; Alios in errorem inducere noluissent.

Cæterùm quota fuerit Synodus, in qua Symmachi tractatum est negotium, inter auctores non convenit. Optimè omnium mea quidem opinione Jacobus Sirmondus in suis ad libellum pro Synodo notis: *Synodus*, inquit, *quam hoc libello defendit Ennodius, ea est, quæ inter Romanas Symmachi Papæ quarta annumerari debet X Calend. Novembris, Rufio Magno Fausto Avieno v. c. Consule peracta, quæ & palmaris cognominata* 14 *est*. Infrà de libro Ennodii: *Quo nomine* (Apologetico) *adeò Episcopis omnibus probatus est liber, ut eum Synodus altera, quæ post consulatum Avieni habita est, suffragio suo confirmaverit, atque inter quartam & quintam Synodos Symmachianas collocari, decretique vim obtinere jusserit. Hodie tamen perperam post Synodum, quæ Avieno ut dixi Consule habita est, subjici debeat. Hæc enim non illa Synodus fuit absolutionis & quarta & palmaris à Symmachi æmulis oppugnata, & ab Ennodio defensa*. Hæc ille vir nunquam satis laudandus; quæ in nostros usus derivamus.

Superest tertium, Aviti nimirum Epistola hæc: *Primùm fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humanisque expeteremus officiis. Sed quia istud jam dudum per rationem temporum fieri posse cessavit, velimus quod fatendum est, vel eò securitatis accedere, ut quæ in causa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque nos voti compotes reddit provincia, præfixis regnorum determinata limitibus; Quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo ordine vestro pagina hæc aliquod moveat quasi ab uno dictata fastidium: Quoniam à cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minùs per mandata, quam per literas oneratus quacunque à vobis omnes ambimus, meus suggerenda suscepi. Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxiaremus ac trepidi essemus, utpote mutare statum in lacessito vertice sentientes, quos omnes una criminatio utique sive invidia multitudinis percusserat, si statum Prin-* 15 *cipis obruisset: Perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus sacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud urbem collecti Italiæ antistites ediderunt. Quam constitutionem licèt observabilem numerosi reverendique Concilii reddat adsensus, intelligimus tamen, sanctum Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potiùs adsciscere, quàm recipere debuisse judicium. Quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter cæli, staturos nos ante Reges & Principes in quacunque accusatione prædicens: Ita non facilè datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cùm celebri præcepto Apostolus clamet, accusationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in præcipuum generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est? Quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam, quam, salva ejus reverentia dictum sit, pene temerè susceperat enquirendam, divino potiùs servavit examini: Perstringens tamen prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theodorico Regi, de his, quæ Papæ dicebantur objecta, patuisse. Quibus cognitis quasi Senator ipse Romanus, quasi Christianus Episcopus obtestor, sic divinitatis cælestis dono temporibus vestris prosperitas optata succedat, sic dignitas quâ floretis, universo orbis speciem Romani nominis mundo labente contineat, ut in conspectu vestro non sit Ecclesiæ minor, quàm reipublicæ status: Quódque vobis Deus posse præstitit, prosit & nobis; Nec minùs diligatis in* 16 *Ecclesia vestra Sedem Petri, quàm in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem vidistis, non ea tantummodo quæ Romæ geritur causa cogitanda est; sed & in Sacerdotibus potest siquid fortè quod vocaverat reformari. At si Papa urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare. Nostis benè inter quas hæresum tempestates veluti ventis circumflantibus fidei puppem ducamus. Si nobiscum hujuscemodi pericula formidatis, expedit, ut gubernatorem vestrum participato labore tueamini: Aliàs autem quæ ultio est, si nautis in magistrum furentibus, non sine illorum periculo cedatur isto discrimine? Reddet rationem, qui ovili Dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: Cæterùm non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis. Quapropter reddite nobis principalem, si tamen nec dum est restituta, concordiam. Quoniam clienti vestro venerabili Symmacho Presbytero idcirco laborem hujus fatigationis injunximus, ut nobis in vestrarum oraculo literarum per reintegratæ pacis nuntium supplicationis nostræ referres effectum.*

I. Avitus scribit ad Faustum & Symmachum Senatores urbis, qui sine dubio principem in vexatione Symmachi Papæ locum tenuerant, egerántque ut Symmachus Papa de sede sua dimoveretur, & à Theodorico Romanæ Ecclesiæ visitator daretur Petrus Altinensis Episcopus. Exinde æstimanda est scribentis intentio & scopus, quem auctor potissimùm spectat.

II. In his duobus Senatoribus, quos fortè cognoscebat, 17

Senatum

Senatum totum alloquitur, qui Symmacho Papæ adversabatur: *Quamprimum*, inquit, *supplici prece posco, ne* CELEBERRIMO ORDINI VESTRO *pagina hæc aliquod moveat quasi ab uno dictata fastidium; quoniam à cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minus per mandata, quàm per literas oneratus, quæcumque à vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi.*

III. Avitus verbis insequentibus significat ad Senatum adjunxisse se Romanum populum, ut Symmachum criminaretur, præberetque exemplum, quo Episcopi omnes à populis pari modo lacesserentur: *Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxiamur, ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes, quos omnes una criminatio nisique sine invidia multitudinis percusserat, si statum Principis obruisset.* Metuebant Gallicani antistites, ne quo modo Romanus Pontifex Episcopalis coronæ vertex à Rege Theodorico, à Senatu, populóque tractatus esset, eodem & ipsi ab Regibus & Principibus sæculi ac populis tractarentur.

IV. Hinc ægrè fert, eam ob causam factum esse Episcoporum Concilium, etiamsi Concilium à Symmachi partibus steterit. Rem esse pessimi exempli putabat: *Perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud urbem collecti Italiæ antistites ediderunt: quam constitutionem licèt observabilem numerosi, reverendique Con-*
18 *cilii reddat adsensus, intelligimus tamen Sanctum Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potiùs adsciscere, quàm recipere debuisse judicium:* De modo judicandi, non de re, id est de judicio, non disputat. Judicandi modum improbat, non judicium, quod Symmachus à suis consacerdotibus recepit.

V. Avitus cùm collectos Italiæ antistites, qui Concilium Romæ celebrarunt, Symmachi Papæ consacerdotes appellat, manifestè innuit, se de collectis Italiæ antistitibus non loqui, cùm paulò pòst ait; *Non datur facilè intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.*

VI. Inferiores in judicando nominat Reges & Principes, ut subsequens periodus ostendit: *Quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter cœli, staturos nos ante Reges & Principes in quacumque accusatione prædicens, ita non datur facilè intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.* Quasi diceret, Deus quidem nos Episcopos terrenis potestatibus subditos esse, & coram Regibus & Principibus accusatum iri prædixit, sed non statuit, ut ab illis judicaremur. At Theodoricus, Senatus, populúsque Romanus Symmachum judicaverunt. Senatus & populus cum factiosis Clericis Symmachum abjeceraot, & Theodoricus Romanæ Ecclesiæ visitatorem dederat Petrum Altinensem Episcopum. Hoc autem qui fecerunt, Sym-
19 machum Romana Sede indignum judicaverunt: Quò spectat cùm ait, *Non datur facilè intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.*

VII. In judicio, quod redarguit, aliter adhuc peccatum esse docet, cùm proximè subnectit: *Nam cùm celebri præcepto Apostolus clamet, accusationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in præcipuum generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est?* Apostoli præceptum hoc est: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* Contendit omnino Pauli præceptum, quod in Presbytero servari debet, Theodoricum Regem & Senatum in Symmacho neglexisse: Post unius vel alterius accusationem spoliatus est Symmachus, & in ejus locum suffectus, qui Romanam Ecclesiam administraret.

VIII. Avitus cùm censeat, absolutè & simpliciter restituendum fuisse Symmachum, penè indignatur adversus Synodum, quæ in Symmachi causam inquisiit, ut restitueret, & quod illi præter leges & canones objectum fuerat, divino examini reservavit. *Quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, penè susceperat inquirendam, divino potiùs servavit examini: Perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theodorico Regi de his, quæ Papa dicebantur objecta, patuisse.*

IX. In causa Symmachi, quia spretæ sunt judicandi leges omnes, Episcoporum omnium causam agit: *Si* 20
profundo, inquit, *illo tractatu vestri concilio rem videtis, non ea tantummodo, quæ Romæ geritur, causa cogitanda est, sed & in Sacerdotibus cœteris potest siquid fortè quod vocaverit reformari: At si Papa urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare.* Quasi diceret: Si permittatis, ut Papa urbis tam iniquè tractetur, jam non Episcopus sed Episcopatus ipse, cùm *unus sit multorum Episcoporum concordi numerositate diffusus*, vacillabit, in discrimen ultimum adducetur. Quare persequitur: *Nostis*, inquit, *benè inter quas hæresum tempestates velutis ventis circumflantibus fidei puppem ducamus. Si nobiscum hujuscemodi pericula formidatis, expedit, ut gubernatorem vestrum participato labore tueamini.* Quæ omnia communem in uno Symmacho causam arguunt.

X. Dum Avitus Senatores urbis sic alloquitur: *Cæterùm non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis: Quapropter reddite nobis principalem, si tamen necdum est restituta, concordiam*; significat adhuc eos esse, de quibus antedixerat: *Non datur facilè intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur.* Senatores pertinebant ad gregem, cujus Pastor proprius erat Symmachus: Deinde Senatores debebant apud Principem Theodoricum sic agere, ut urbi & Ecclesiæ redderetur concordia. Observatio hæc unica sufficeret.

XI. Ex verbis suprà relatis num. IV. & VIII. facilè apparet, Gallicanos antistites, quorum nomine Avitus scribit, in ea fuisse sententia, ut crederent, Romanum 21
Concilium potuisse de Symmacho judicare legitimè, si legitimè & de publicis flagitiis accusatus fuisset, Pontificem ex forma Canonum quibus subjicitur, judicasset, nec ad divinum remisisset judicium. Quorsum quæso te remisisset? Nempe ut Deus patraret miraculum, quo illum vel è medio tolleret; vel Sedi Apostolicæ præesse sineret ad publicam Ecclesiæ totius offensionem. Quæ scriptura, quæ auctoritas, quæ traditio significat, cum divino numine sic agendum esse, ut ab hominibus tentetur? In criminibus quidem occultis, de quibus non judicat Ecclesia, ad divinum remittitur judicium, sed in compertis & exploratis non remittitur. Jam vidimus Symmachum cujus res agebatur, Romani Concilii non declinasse judicium, nec divinum appellasse. Quod si Romani Concilii, quod ex tribus tantùm provinciis, Romana, Mediolanensi & Ravennatensi conflabatur, judicium minimè declinaverit, multò minùs declinaret judicium Concilii, quod ex omnibus Christiani orbis Provinciis congregaretur. Symmachus se sacris Canonibus & Conciliis subjectum arbitrabatur.

Avitus vix è vivis excesserat, cùm Bonifacius II. totum hoc insigni confessione & facto confirmavit, ut Anastasius in illius vita narrat his verbis: *Hic congregavit Synodum in basilica Beati Petri Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum Chirographis Sacerdotum, & jurejurando ante confessionem Beati Petri Apostoli in Diaconum Vigilium constituit.*
Eodem tempore facta iterum Synodo, hoc censuerunt Sacer- 22
dotes omnes propter reverentiam Sanctæ Sedis, & quia contra canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est majestatis, quòd Diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem Beati Apostoli Petri constituisset, *ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum & Cleri & senatus incendio consumpsit.*

Gregorius I. in libri 11. Indict. x. Epistola XXXVI.

ad Natalem Salonitanum Episcopum, quem propter convivia minus sobria redarguerat: *Ecce fraternitas tua ægre tulit, se de conviviis a me esse reprehensam, cum ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim.* Hæc ille: tantum abest ut vitæ suæ rationes Dei sine quæstione reservaverit arbitrio, ut suam cælo tantum debere innocentiam protestaretur.

Hadrianus II. de Honorio agens in Romana Synodo, non dicit a Synodo VI. erratum esse, quod Honorii Epistolarum judicium ad Deum, cui soli suam debebat innocentiam, non remiserit; quod propter contentam in iis hæresim Pontificem illum damnaverit & cum aliis Monothelitis anathemate percusserit. Quinetiam ultro fatetur consentiente Sede Apostolica damnatum esse; tantùm abest, ut reclamarit. Id, inquam, fatetur in Epistola, quæ ex Romana Synodo ab eo missa ad Synodum VIII. lecta ibi & approbata
23 est actione VII. Hadriani verba sunt: *Licet Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super hæresi accusatus fuerat, propter quam solam licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus libere respuere, quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit, proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset, auctoritas.*

Hic præterire non possum, hodiernos esse scriptores nonnullos, qui docent, Honorium non ob hæresim, sed ob certam quamdam in reprimenda hæresi negligentiam a Synodo VI. damnatum esse. Et quamvis faciant duo, quæ non probamus; primum, quod de Honorio aliter ac Synodus VI. & Hadrianus II. judicant: Deinde, quod in Stoicorum errorem labi videntur, consentientes in pœnam æqualem, quæ inæqualibus peccatis duobus decernitur: placitum tamen novum illud accipimus, quia auctores valde graviter & circumspecte nobis pro uno crimine objiciunt duo, hæresim & in reprimenda hæresi negligentiam, ob quæ Synodus Romanum Pontificem deponat, & ei anathema denuntiet. Quæ de Bonifacio II. de Gregorio I. de Hadriano II. & de hodiernis scriptoribus notamus, quorsum hæc omnia? Ut videlicet confirmemus, Ennodium non aliter in Romana Ecclesia intellectum esse, quam intelleximus, vel certe neglectum.

24 Cæterum Silvester & Symmachus, qui, ut vidimus, suo quisque tempore accusati sunt criminum, præbuerunt occasionem fingendi canonis: *Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede justitiam desiderant temperari: Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à regibus, neque à populo judex judicabitur.* Silvester à sacrilegis accusatus apud Constantinum causam propriam prosecutus est. Symmachus æmulorum factione in criminum multorum adductus suspicionem, à senatu, clero, & populo de sede sua pulsus est, & à Theodorico Rege institutus Romanæ Ecclesiæ visitator Petrus Altinensis Episcopus. Hæc penè omnia constituit sibi ante oculos, qui relatum canonem *Nemo* supposuit. In eo canone per Augustum, per Regem, per clerum & populum, vox *nemo* distribuitur; & sic prima Sedes, id est, primæ Sedis Episcopus αὐτοπρόσωπος, nec ab Augusto, nec à Regibus, nec à clero, nec à populo judicabitur. In distributione vero ista Episcoporum Concilium neutiquam continetur. Hinc Symmachi causa in Romano Concilio discussa fuit, & quia non liquebat, divino judicio reservata. In Synodo VI. discussa fuit Honorii doctrina, &, quia liquebat, damnata, & dictum Honorio, ut Monothelitis cæteris, anathema.

Hic canon vicesimus est Romani sub Silvestro Concilii, quod in observatione I. ad caput primum libri
de Cura Ecclesiæ pro miseris & pauperibus, suppositum 25
esse pluribus rationum momentis confirmo, iisque adjicio insequentem, quæ sola sufficeret. Dionysius, qui Romæ Justiniano imperante Codicem canonum confecit, Concilii hujus canones non refert, relaturus sine dubio, si Concilium vel habitum fuisset unquam, vel canones edidisset. Cur enim retulisset celebratorum in Oriente Conciliorum canones, nec retulisset numerosioris Concilii, quod Romæ habitum esset? Comparatio hæc, quæ nunquam diluetur, rem absolvit. Præterea canon hic, qui primum à Nicolao I. sic laudatur, (*prima Sedes non judicabitur a quoquam*) temporis progressu interpolationem passus est. Apud Gratianum legitur: *Nemo judicabit primam Sedem justitiam temperare desiderantem.* In tomo I. Conciliorum: *Nemo judicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede justitiam desiderant temperari.* Lectionis prioris in posteriorem mutatio facta est ab iis, qui primam Sedem, si justitiam temperare nollet, judicari posse perspexerunt. Ratio mutationis statim ad oculos advolat. Tum lectio prior sequenti canonis contextui quadrat utcumque, sed posterior minime quadrat. Interpolatori mala fides non defuit, sed solertia. De canonis suppositore & interpolatore judicabis tu, qui solertiam cum bona fide conjunctam habes: De cæteris quoque quæ in Epistola nostra disputantur. Judicatis à te rebus stabo. Vale. Lutetiæ Paris. XV. Calend. Septembris ann. M. DC. LXIV.

Joannes Launoius

CHRISTOPHORO FAUVÆO

Parisiensi Theologo & Pictaviensi Officiali.

Pictavium.

OBSECRAS me, cùm pro lege amicitiæ nostræ & pro jure vetustioris in eadem Facultate magisterii jubere possis, ut ad te perscribam, num Bellarminus in libri II. de Conciliis capite XIII. & XIV. sincerè proponat statum quæstionis, qua Concilium supra Pontificem collocatur. In obsecratione tua, quæ jussi mihi est instar, continentur, ni fallor, duo: Unum respicit tempus, quo exorta est quæstio hæc: Alterum numerum magistrorum, qui quæstionem tractarunt. Non tenebo te pluribus. Bellarminus in neutro verè ac sincerè versatus est.

Ad primum sic aggreditur: *Quæstio hæc, an Concilium sit supra Papam, exorta est tempore Concilii Pisani, quia cùm duo Pontifices, qui simul sedebant in schismate, Gregorius XII. & Benedictus XIII. non videbantur serò cogitare de tollendo schismate per spontaneam abdicationem, quemadmodum ante Pontificatum uterque voverat & juraverat, Cardinales utriusque partis secesserunt Pisam, & tractare cœperunt, an sibi liceret, invitis Pon-*

Pontificibus illis Concilium generale convocare, & eos Pontifices deponere. Deinde cùm paullo pòst fieret Concilium Constantiense, & Joannes XXIII. qui solus ad Concilium
2 *accesserat, à Concilio clam discessisset; Atque ita Concilium sine capite remansisset: tractare Patres cœperunt, an Concilium posset invitum Pontificem judicare, & deponere. Sed maximè controversia crevit tempore Concilii Basileensis: Quia enim Eugenius Papa IV. Concilium Basileense inchoatum dissolvere volebat & impedire, ne ulteriùs progrederetur, cœperunt Patres quærere, an tenerentur obedire, an Pontifex potiùs teneretur obedire ipsis, id est, generali Concilio.*

Et primùm quidem elumbis est disputandi modus, quo Bellarminus utitur, ut probet, tempore Pisani Concilii, quod anno M. CCCC. IX. habitum est, exortam esse quæstionem, cujus historiam conficere, & epocham defigere instituit. Nam quamvis Cardinales id fecerunt tunc, quod eos fecisse Bellarminus asserit, non inde tamen sequitur, quæstionem esse novam; Utrum Concilium sit supra Papam. Si Concilium esse supra Papam, nova fuisset opinio, nec Pisanum Concilium generale illam amplexum esset, nec Alexander V. Concilii acta comprobasset. At comprobavit semel atque iterum: Semel quidem cùm finitum est Concilium, ut legitur in fine ejusdem Pisani Concilii, quod Lucas Dacherius nuper edidit in tomo VI. Spicilegii sui. Verba sunt: *Item Dominus noster* (Alexander V.) *sacro approbante Concilio determit, quòd per dictum Dominum nostrum cum Cardinalium consilio deputentur nuncii solemnes, & mittantur ad Reges & Principes cunctos fideles, ad publicandum & prosequendum auctoritate Domini nostri Papæ & sacri Concilii acta in isto sacro Concilio.* Et quibusdam interpositis: *Item*
3 *Dominus noster sanctissimus cum consilio Concilii intendit reformare Ecclesiam in capite & in membris.* Iterum in fine vitæ suæ: Platina in Alexandri V. vita. *Cùm verò Alexander graviter ægrotare cœpisset, nossétque mortem propè instare, Cardinales ad se venientes ad concordiam, ad pacem, ad tuendam Ecclesiæ dignitatem adhortatur. Testatus prætereà est per eam mortem, quam ante oculos se continuò cernere dicebat, nec reformidare, conscientia benè acta vita motus, se existimare & credere, quæ in Concilio Pisano decreta fuissent, rectè atque integrè facta esse omnia sine dolo malo, fraudéve. Cùm hæc dixisset, lacrymantibus omnibus, qui aderant, illud Salvatoris verbum ægrè proferens, pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, statim moritur.*

Dominicus Tempesta Romanus in vita Alexandri V. *Dimissa Synodo Pisana, Bononiam profectus, ægritudine quadam corporis oppressus, cùm se proximum morti nosset, accitis Cardinalibus, iisque ad concordiam & Ecclesiæ bonum cohortatis, rursus Concilii Pisani decreta tanquam æquo jure acta confirmavit.*

Severinus Binius in tomi VII. Conciliorum parte II. *Ex quo dum sibi mortem imminere sentiret* (Alex. V.) *Cardinales ad se accersiri jussit, cúmque ad pacem & concordiam, communémque Ecclesiæ utilitatem eos adhortatus fuisset, omnia quæ in Concilio Pisano decreta sunt, sibi justa videri dixit.*

Henricus Spondanus ad annum M. CCCCX. *Alexander cùm magna pro Ecclesiæ felici statu meditatus in procinctu*
4 *rerum gerendarum in ægritudinem incidens Bononiæ, Cardinales ad concordiam & pacem, atque ad Ecclesiæ dignitatis tuitionem adhortatus, approbatísque rursus Concilii Pisani actis, suis benedicens obdormivit in Domino.*

Simon Starovolscius in epitome Conciliorum tam generalium, quàm provincialium Romæ editâ: *Alexander V. Pisis discedens Bononiam se recepit, ibique in morbum incidit: Ex quo dum sibi mortem imminere sentiret, Cardinales ad se accersiri jussit. Cúmque ad pacem & concordiam communémque Ecclesiæ utilitatem eos adhortatus fuisset, omnia, quæ in Concilio Pisano decreta sunt, sibi justa videri dixit.*

Hæc autem cùm ita sint, Bellarminus in libri I. de Conciliis capite VIII. verè affirmatéque dicere non potuit, *Concilium Pisanum generale nec approbatum nec reprobatum esse.* Hac in re historiæ leges, ut non rarò accidit, neglexit.

Nova igitur non erat, sed vetus Ecclesiæ, immo & Sedis Apostolicæ sententia, quòd Concilium supra Papam esset. Sed novi tunc exorti sunt Doctores, qui veterem Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ sententiam in dubium vocarunt.

Pius I. & Romanus Clerus apud Epiphanium in hæresi XLII. excommunicato Marcioni denuntiant secundùm Apostolicam traditionem: *Nos injussu venerandi patris tui te in communionem admittere non possumus.* Novi & corrupti doctores contra eandem traditionem denuntiant: Romani Pontifices possunt excommunicatos sine excommunicantium Episcoporum consensu in communionem recipere. 5

Julius I. in Epistola ad Orientales scribit: *Nos omnia secundùm Canonem,* [illegible] *facimus.* Novi & corrupti doctores scribunt: *Supra Canones & jura sunt Pontifices; Auctoritate, non Canone regenda est Ecclesia.*

Siricius in Epistola ad Anysium & cæteros Illyrici Episcopos scribit: *Accepi litteras vestras de Bonoso, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi vel accusatoribus vel accusato copiam facere. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.* Et paullò pòst: *Ideo primum est, ut judicent ii, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Novi & corrupti Doctores dicunt: Siricius, vel certè Siricii Epistola releganda est in indicem librorum prohibitorum classis primæ. Nam si audiatur Siricius, de libris nostris actum est: Πάντα ὄλωλε, πίστιν εἴχετε.

Celestinus I. in Epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium, & alios Illyrici Episcopos ait: *Dominentur* 6
nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus. Novi & corrupti Doctores aiunt: *Romani Pontifices regulis dominantur; subjecti non sunt Canonibus, cùm Canonum præcepta non servant.* In Romanæ Synodi collectione Romana bipartita.

Sixtus III. in Epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes scribit: *Ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* Novi & corrupti Doctores scribunt: *Caput Ecclesiæ sine corpore Ecclesiæ sustentatur; firmitatem & vigorem suum retinet.*

Gregorius I. in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum scribit: *Certè Petrus Apostolus primum membrum universalis Ecclesiæ est.* Novi & corrupti Doctores scribunt, *Petrus & Petri successores sunt universalis Ecclesia,* cùm universali Ecclesiæ tribuunt quod Petri successores faciunt: Et quamvis caput, quod est primum membrum corporis, sit corporis, volunt tamen corpus esse capitis inverso naturæ ordine.

Leo III. in ratione habita de symbolo fidei dicit: *Ego me illis* (Patribus Constantinopolitani Concilii primi) *non dico præferam, sed etiam illud absit mihi, ut coæquare præsumam.* Novi & corrupti Doctores dicunt: *Absit nobis, ut dicamus, quod Leo dicit: Romani Pontifices non coæquandi modò, sed etiam præferendi sunt Conciliis.*

7 Eugenius III. in Epistola VIII. ad Episcopos Germaniæ tradit: *Contra Deum & sacrorum Canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.* Novi & corrupti Doctores tradunt: *Romani Pontifices contra Deum & sacrorum Canonum sanctiones petitioni cuilibet possunt præbere consensum.*

Si descendamus usque ad Eugenium IV. hic Pontifex in certo quodam diplomate, quod refertur in sessione XVI. Basileensis Concilii, scribit, Dissentientibus inter sese Concilio & Papa, in iis, quæ Catholicam fidem vel statum universalis Ecclesiæ respicerent, *attendendam esse Concilii potiùs, quàm Papæ sententiam.* Novi & corrupti Doctores scribunt, *attendendam esse Papæ potiùs, quam Concilii sententiam.*

Quæstiones hæ circa Pisani Concilii tempus agitatæ sunt ab iis, qui contra veterem Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ sententiam Romanos Pontifices supra Concilium extulerunt.

Hìc non retexo, quæ in Epistola ad Hieronymum Samboeuvium ex Sedis Apostolicæ traditione disserui, ut Romanos Pontifices sacris Canonibus & Conciliis subjici se credere demonstrarem. Nam ut Bellarminus falsi convincatur, ad tempus Innocentii III. regredi satis est.

Joannes Victorinus qui Philippo Pulchro rege vixit Lutetiæ, in Memoriali historiarum nondum edito ad annum M.LXXXI. *Romæ facta est dissensio magna, His, qui pro Imperatore erant, dicentibus, Hildebrandi depositionem justam esse, quia reus erat majestatis ob hoc, quòd contra*
8 *Imperatorem alium ordinaverat, rebellandique contra ipsum audaciam assumpserat; Aliis dicto Papæ faventibus, quod licèt crimen dictum commisisset, tamen non poterat de jure deponi nisi in Concilio generali.* Tunc ergo arbitrabantur qui Gregorii VII. partes sequebantur, generale Concilium supra Papam esse, quia deponendi Papæ auctoritatem generali Concilio tribuunt.

Humbertus Prædicatorum Magister Generalis V. sub quo Beatus Thomas claruit, rem paucis verbis decidit. Hic enim in sermonum διδακτικῶν part. II. serm. LXX. indubitanter ait: *Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, quæ tota subest ei, in casu.* Hæc ille tantùm: perinde ac si de hac thesi inter omnes convenisset, ut certè & illo & superiori tempore conveniebat. Doctrinam hanc Parisiis & Bononiæ acceperat, ubi, ut in ejus vita dicitur, juri divino & Ecclesiasticis sanctionibus complures annos operam dederat.

Barones Galliæ apud Matthæum Parisium ad annum M CCXXXIX. locuti de Frederico Imperatore, cùm eum à Gregorio IX. perculsum anathemate & abdicatum imperio viderent, exclamarunt: *Qui si meritis suis exigentibus deponendus esset, non nisi per generale Concilium cassandus videretur.* His verbis auctoritatem in generali Concilio, quàm in Papa majorem agnoscunt, nec possunt opinor agnoscere, nisi Concilium sit supra Papam.

Robertus Corceon Parisiensis Theologus, Sancti Stephani in Cœlio monte Cardinalis Presbyter, quem suis
9 in Epistolis multum commendat Innocentius III. in Summa Theologiæ quæst. de Extrema-unctione: *Dicimus, quòd pro aliqua necessitate non potest vel oleum benedici, nisi ab Episcopo, nec inunctio celebrari, nisi à sacerdote; nec in alio die, quàm in die cœnæ, est oleum illud benedicendum, nisi per Concilium generale ampliata esset illa benedictio ad alios dies.* Quid ita? Quia ne id fiat aliter, Canonibus quibus subjicitur Pontifex Corceonis judicio, sancitum est. Deinde in quæst. XXIII. cap. III. *Quia in generali Concilio per inspirationem Spiritus sancti à sanctis Patribus institutum est, & à Domino Papa confirmatum, nequis in sacris Ordinibus constitutus contrahat, tam generalis constitutio à Domino Papa revocari non potest, vel ab homine in secreto, nisi per eandem auctoritatem & convocato generali Concilio.* Quis autem negaret in his verbis generali Concilio majorem quàm Papæ auctoritatem concedi? Id est autem, Concilium supra Papam esse.

Innocentius III. in libri III. Regist. XV. Epistola CIV. ad Philippum Regem Francorum: *Diligenter auditis & perspicaciter intellectis, quæ nobis ex parte Regia dilecti filii.... Abbas de Trappa & L. Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus nostris studioso tractatu, non occurrit nobis aliqua via, per quam in his, quæ ipsi pro te postulaverunt à nobis tua secundùm* possemus occurrere voluntati, sub obtestatione divini judicii protestantes, quòd libentissimè, si possemus cum Deo, ab illo te curavimus vinculo expedire, à quo desideras vehementer absolvi. Sed in carnali commercio inter te ac Reginam conjugem tuam adeò est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni* 10
vellemus insistere, quam nuper eadem Regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa & dilecto magistro Roberto Corceon nunc tituli Sancti Stephani in monte Cœlio Presbytero Cardinali, NON AUDEREMUS SUPER HUJUSCEMODI CASU DE NOSTRO SENSU PRO TE ALIQUID DIFFINIRE *propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet; cùm absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur.* VERUM SI SUPER HOC ABSQUE GENERALI DELIBERATIONE CONCILII DETERMINARE ALIQUID TENTAREMUS, PRÆTER DIVINAM OFFENSAM, ET MUNDANAM INFAMIAM, QUAM EX EO POSSEMUS INCURRERE, FORSAM ORDINIS ET OFFICII NOBIS PERICULUM IMMINERET, CUM CONTRA PRÆMISSAM VERITATIS SENTENTIAM NOSTRA NON POSSIT AUCTORITAS DISPENSARE. Cùm Innocentius hoc ita scribit, nònne Concilium supra se agnoscit? Nònne Concilii potestatem sua majorem esse significat?

Deinde in ejusdem libri & Regest. Epist. CLXXXVII. ad Consules & populum Mediolanensem, quibus pœnam minatur gravissimam, nisi illatas Papiensibus injurias resarciant: *Cùm sit,* inquit, *dignum & justum, ut qui non sinunt alios requiescere, apud eos non possint requiem invenire. Ut autem Metropolis vestra obedientiam, quam vos superiori vestræ subtrahitis, in sibi subditis non inveniat, universis Episcopis eidem subjectis Metropoli* 11
nostris damus literis in præceptis, ut in pœnam vestram ipsi omnem obedientiam & reverentiam subtrahentes eidem in aliquo non intendant. Denique non solùm honore Metropolitano, sed etiam Pontificali vos reddatis indignos, quoniam ad præsens generale Concilium commodè convocare non possumus, per Januen. Graden. Remen. Senonen. Rotomagen. Turonen. Bituricen. & Burdegalen. Provincias dirigimus scripta nostra, ut habito super iis Archiepiscoporum & Episcoporum, quos propter hoc congregari mandamus, Concilio in tanto negotio maturitate debita procedamus. Non generale modò Concilium, sed etiam provincialia, quæ fieri jubet, sibi suæque auctoritati præponit.

Tum in lib. IV. Regest. XVI. Epistola CLXXXII. ad Rigensem Episcopum: *Cùm in memoria hominum non existat, Rigensem Ecclesiam alicui Metropolico jure subesse, volumus, ut donec in generali Concilio super hoc aliquid certum duxerimus statuendum, nulli tanquam Metropolitano interim respondere cogaris.* Quorsum hæc scriberet, nisi majorem Concilio, quàm sibi potestatem inesse crederet?

Denique in serm. II. de consecratione Pontificis: *In tantùm mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Se superiorem agnoscit Ecclesiam, à qua si peccet in fide judicetur.

Eruditus & sapiens Pontifex non anteponebat se Ecclesiæ vel Conciliis, quæ repræsentabant Ecclesiam. Id didicerat, quod Beatus Augustinus de sancto Spiritu 12
pronunciat in Enchiridii capite LVI. *Spiritus sanctus si creatura, non creator esset, summa creatura esset, & ideo in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret, in illa ejus parte quæ in cœlis est.* Quod igitur Augustinus de Spiritu sancto sic pronunciat,

ciat, non posset de Romano Pontifice non pronunciare; nec ullus esset Pontifex, nec Pontificis adulator tam cœcus, qui contra ista dicere auderet. Ut Spiritus sanctus qui non creator sed creatura summa esset, sic & Pontifex ad Ecclesiam pertineret; & quia pertineret ad Ecclesiam, pars esset illius; Et quia pars, toti videlicet Ecclesiæ subjiceretur. Unde Augustinus idem in libri II. de baptismo capite IV. dicit: *Universum partibus semper optimo jure præponitur.* Hæc est veritas, quæ ex omni æternitate fluit, *cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum,* ut ait Tertullianus in libri de velandis virginibus capite I. Itáque Bellarminus quæstionis suæ epocham hinc frustrà in Pisano Concilio defixit, si juris; hinc mendaciter, si facti conditio spectetur.

Nunc transeamus ad alterum, quod in obsecratione tua contineri diximus. Bellarminus illud sic exequitur: *Porrò de proposita quæstione tres invenio doctorum sententias. Prima est, Concilium esse supra Pontificem; id quod asserunt imprimis omnes hæretici hujus temporis, & nominatim Hermannus Hamelmannus id conatur probare multis argumentis lib. III. cap. XIII. Prolegemenorum. Idem*
13 *asserit Cardinalis Cameracensis, Joannes Gerson, Jacobus Almainus, & alii nonnulli in suis tractatibus de potestate Ecclesiæ. Item Nicolaus Cusanus in tractatu de Concordantia Canonica lib. II. cap. ultimo. Panormitanus in cap. significasti. extra. de electione, & ibidem magister ejus Cardinalis Florentinus, item Abulensis in cap. XVIII. Matthæi quæst. CVIII. & in Defensorio trium conclusionum, & quidam alii.*

In hac Theologicæ quæstionis expositione sunt duo, quæ in disceptationem venire debent; expositionis modus, & res exposita. Disceptationem ab exposita re incipio. Catholicos auctores septem tantùm numerat; Cardinalem Cameracensem, Joannem Gersonem, Jacobum Almainum Gallos tres, Nicolaum Cusanum Germanum unum, Panormitanum & Cardinalem Florentinum Italos duos, Abulensem Hispanum unum. Deinde cùm semel atque iterum adjungit, *& alii nonnulli, & quidam alii*, nominatis & numeratis plures, opinor, non intelligit: Pauciores intelligit, vel certè totidem ad summum, nisi lectores suos in errorem inducere cogitet. Sic loquor, quia passim invenio neglectæ fidei testimonia. Qui non fecerunt periculum, de quæstione hac conjecturam facilè capient, & mirabuntur.

Et primùm quidem pro tribus Gallis Parisiensibus Theologis non modò Parisiensem nostram Academiam, sed & Galliam reperies universam.

I. Parisiensis Academia,

A Philippo Pulchro Rege Francorum consulta, num generalis Concilii ab eo propositi convocatio ne-
14 cessaria foret, & illi à Bonifacio VIII. ad futurum Concilium provocanti consentiret, Anno Christi M.CCCIII. sic respondet: *Universis præsentes literas inspecturis, Universitas magistrorum & scholarium Parisius studentium salutem in Domino. Ad notitiam singulorum volumus pervenire, quòd nuper nonnullis ex nobis majorem partem Facultatum nostrarum & totius Parisiensis Studii facientibus, pro certis causis & negotiis accedentibus ad præsentiam excellentissimi Principis Domini Philippi Dei gratia Regis Francorum illustris, ipso Domino Rege, ac nonnullis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus & aliis magnæ auctoritatis personis tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus apud Luparam Paris. existentibus recitatum fuit nobis, expositum, & narratum ibidem; quòd die Jovis & die Veneris præcedentibus, ipsis Domino Rege, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis personis prædictis præsentibus per quosdam Comites & alios nobiles regni Francorum, contra Dominum Bonifacium VIII. proposita & significata fuerunt diversa enormia, & horribilia, ac detestabilia crimina, quorum quædam hæresim sapiunt manifestè, quibus eum irretitum esse dicebant, & super iis publicè ac notoriè diffamatum, præstito ibidem ab eisdem proponentibus ad sancta Dei Evangelia tacta corporaliter juramento, quòd hujusmodi proposita & significata credebant esse vera, & posse probari in generali Concilio, vel aliàs ubi, quando & coram quibus de jure fuerit faciendum, & per proponentes eosdem à Domino Rege tanquam fidei pugile, & Ecclesiæ defensore, ac Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & personis aliis Ecclesiasticis suprádictis, tanquam Ecclesiæ fi-* 15
deique columnis petitum fuerat, ac instanter & pluries requisitum, ut pro declaratione veritatis hujus, ut omnis error abscedat, ac periculis & scandalis, quæ universali Ecclesiæ imminent, occurratur, convocationi & congregationi dicti Concilii generalis ad laudem Dei nominis, & exaltationem & augmentum Catholicæ fidei, ac salubre regimen & bonum statum universalis Ecclesiæ, & totius populi Christiani, opem darent & operam efficaces, quódque idem Dominus Rex collatam sibi recepit à Domino potestatem, iidémque Prælati sunt in partem sollicitudinis evocati, super præmissis per dies multos discussione ac deliberatione præhabita diligenti, ex præmissis, & aliis legitimis causis moti convocationem & congregationem dicti Concilii generalis utilem & omnino necessariam reputantes, hujus convocationi & congregationi consenserant, ac responderant, quòd convocationi & congregationi prædictis opem & operam darent efficaciter, ut deberent, & ne dictus Dominus B. motus, seu provocatus ex eis, prout timebant, ex verisimilibus conjecturis & comminationibus multis contra eos, Ecclesias, parochianos & subditos suos quoquo modo procedat, aut procedi faciat, sua vel alia auctoritate quacunque excommunicando, suspendendo, interdicendo, deponendo, privando, aut aliàs quovis modo in impedimentum & perturbationem Concilii congregandi, & quin consedere, condijudicare, & alia, quæ ad officium Prælati pertinent, facere in eodem Concilio possent, salvique eorum & sibi adhærentium status manere deberent, pro se, Ecclesiis, parochianis & subditis suis, & pro sibi adhærentibus, seu adhærere volentibus in 16
hac parte ad prædictum Concilium congregandum, & ad futurum verum & legitimum Summum Pontificem, & ad illum vel ad illos, ad quem vel quos de jure fuerit appellandum, provocarunt & appellarunt in scriptis, & Apostolos testimoniales cum instantia petierunt, supponentes se, Ecclesias, parochianos & subditos, ac sibi adhærentes, ipsorum statum, jura & bona protectioni divinæ, prædicti Concilii, ac futuri, veri & legitimi Summi Pontificis, ac protestantes de innovando appellationem hujusmodi, ubi, quando & coram quibus eis visum fuerit expedire. Quare pro parte præfati Domini Regis petebatur à nobis, ut convocationi & congregationi dicti Concilii generalis assentire, ac quantum in nobis est opem dare & operam curaremus. Nos autem præmissis considerationibus & causis inducti, convocationem & congregationem ipsius Concilii reputantes utilem, necessariam, & salubrem, ac expedientem fidei negotio, & Ecclesiæ Sanctæ Dei, ejusdem convocationi & congregationi Concilii assentimus, ac opem & operam libenter dabimus juxta posse, & provocationi & appellationi præfati Domini Regis adhæremus, quantum de jure possumus & debemus, secundùm Deum & justitiam, & sancta permittunt canonicæ sanctiones: Supponentes nos ac nobis adhærentes, & adhærere volentes, statum nostrum, & Universitatem nostram protectioni divinæ, & prædicti Concilii generalis, ac futuri veri & legitimi Summi Pontificis. In quorum omnium testimonium sigillum nostræ Universitatis prædictæ præsentibus literis duximus apponendum. Datum die Veneris ante festum Nativitatis Beati Joannis Baptistæ 17
anno Domini M. CCC. III. Parisiensis ergo Academia cùm rationi consentaneum esse censuit, ut à Bonifacio ad generale provocaretur Concilium, necessariò quoque censuit Romanum Pontificem generali Concilio inferiorem esse.

Facultas Theologiæ Parisiensis in tractatu, quem in causa Joannis Montesoni composuit; *In causis fidei*, inquit, *à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium.* Composuit dico, quia Petrus Alliacus Navarrici Collegii Magister, qui postea Cameracensis Episcopus & Cardinalis fuit,

fuit, sub nomine ejusdem Facultatis composuit. Id tractatus præfatio demonstrat: *Ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, cujus fidei causam agimus, præsentem tractatum adversus errores fratris Joannis de Montesono Ordinis fratrum Prædicatorum nuper in Parisiensi studio condemnatos ex deliberatione Universitatis studii Parisiensis, & specialiter Doctorum & Baccalaureorum Facultatis Theologicæ compositum in tria capitula distinguemus.* At non appellaretur ad Concilium, nisi Concilium Pontifice Summo majus crederetur.

Facultas iterum Theologiæ Paris. in Joannis Sarraceni ex Ordine Prædicatorum Licentiati propositionum quarundam censura, quam anno M. CCCCXXIX. edidit ad III. Calend. Apriles. Ex damnatis propositionibus ad rem faciunt duæ. Prior: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis in solo Summo residet Pontifice.* Posterior, 18 *sicut nullus flos, & nulla pullulatio, nec omnes etiam flores & pullulationes simul possunt aliquid in arborem, quia hæc omnia sunt propter arborem instituta, & ab arbore derivata, sic omnes aliæ potestates nihil de jure possunt contra Summum Pontificem.* Sarracenus postquam has propositiones revocavit, sic asseruit contrarias ut veras: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto & Catholica Ecclesia. Aliqua potestas, scilicet potestas Ecclesiæ, de jure potest aliquid & in certis casibus contra Summum Pontificem,* quia potestas Ecclesiæ Pontificis auctoritate superior est.

Facultas iterum Theologiæ Parisiensis ad annum M. CCCCLXXXII. quo Joannis Angelii Minoritæ propositiones damnavit. In censura propositionis VIII. *Papa posset totum jus Canonicum destruere & novum construere. Hæc propositio est scandalosa, blasphematoria, & notoriè hæretica & erronea.* Deinde in censura XI. *Papa posset ab uno Ecclesiastico tollere medietatem redituum beneficiorum suorum, & uni alteri dare non exprimendo aliquam causam. Hæc propositio est periculosa, & nullo modo prædicanda ut jacet.* Tum in censura XII. *Quicunque contradicit voluntati Papæ, paganizat, & sententiam excommunicationis incurrit (ipso facto) & à nullo Papa reprehendi potest, nisi in materia hæresis. Hæc propositio est falsa, scandalosa, & sapiens hæresim manifestam.* Hæ autem censuræ Papam Ecclesiæ & Conciliis obnoxium faciunt, ut homo vel mediocriter eruditus intelligere potest.

19 Parisiensis Academia in eo tractatu, quo pro libertate Ecclesiæ & virorum Ecclesiasticorum immunitatibus ad annum M. CCCCXCI. generale Concilium appellavit: *In nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quòd anno ejusdem Domini M. CCCCXCI. Indict. IX. mensis verò Septembris die XIII. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Innocentii divina providentia Papæ VIII. anno VIII. in nostra, notariorum subscriptorum, testiúmque infrà scriptorum præsentia constituti, Rector Universitatis Parisiensis, nec non Sacræ Theologiæ Decretorum & Medicinæ Facultatum Decani, ac Franciæ, Picardiæ, Normaniæ, & Alemaniæ nationum in dicta Universitate Procuratores, vice ac nomine dictæ Universitatis, singulorúmque Doctorum, Magistrorum, Licentiatorum, Baccalauriorum & Scholarium singularum Facultatum Regentium & non Regentium, & aliorum suppositorum ejusdem Universitatis, & tam pro ipsis, quàm pro aliis sibi adhærentibus & adhæsuris in hac parte quendam codicem papyreum, scripturam, quæ sequitur, continentem nobis exhibuerunt, & coram nobis contenta fecerunt & expleverunt, ac in præsenti instrumento publico inseri requisiverunt.* Et post alia: *Quod si in exactione & levatione hujusmodi decimæ perseveraverint,* & quibusdam interpositis, *à Sanctissimo Domino nostro Papa Innocentio VIII. minus debitè consulto ad seipsum meliùs consulendum, & ad sanctam Sedem Apostolicam etiam meliùs consulendam, necnon ad Sacrosanctam Synodum universalem celebrandam, illúmque vel illos, ad quam, seu ad quos de jure* 20 *provocare & appellare nobis licet, in his scriptis tam pro nobis, quàm pro nostris adhærentibus & adhæsuris, quàm etiam pro vicariis dictorum Magistrorum, Doctorum & Scholarium, eorúmque in beneficiis divinis deservientium provocamus & appellamus, protestantes nominibus, quibus suprà, de prædictis sententiarum & censurarum nullitate juxta Canonicas sanctiones, submittentes tamen omnia judicio universalis Ecclesiæ Concilii, ad quod super omnibus præmissis habere recursum intendit præfata Universitas.* Ad disciplinam eandem pertinet, Parisiensem Academiam credere, quòd possit à Romano Pontifice ad Concilium provocari, & quòd Concilium sit supra Romanum Pontificem.

Parisiensis Academiæ sententiæ crepido & fundamentum.

ANnus volvebatur millesimus quingentesimus quadragesimus secundus, cùm postulante Francisco I. Rege Parisiensis Theologiæ Facultas communi consensu, reclamante nemine, articulos quosdam edidit circa dogmata Christianæ religionis tunc controversa. Inter illos vicesimus primus est, cui velut fundamento innititur Parisiensis Academiæ sententia: Sic ille se habet: *Eodem veritatis fundamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de jure divino immediatè à Christo Ecclesiæ concessam, & ob id magnopere timendas esse censuras.* Hoc autem qui capere non possunt, id discant ab ipsis aliarum gentium Theologis, qui quo tempore 21 conditi fuerunt nostri articuli, vixerunt. Dominicus Sotus ex Ordine Prædicatorum Theologus insignis Parisiensium Sententiæ fundamentum illud explicat, in quartum sent. dist. XX. quæst. I. art. IV. *Utrum potestas jurisdictionis in utroque foro fuerit collata Ecclesiæ, ut in toto corpore immediatè resideat, an verò prælatis ejus.* Et post alia: *Enimvero Gerson in tractatu potestatis Ecclesiæ, quem imitatur Almainus in suo libro de Comparatione Papæ & Concilii cap. VI. atque alii fautores opinionis illius, quòd Concilium est supra Papam, arbitrati suam opinionem ex hoc fundamento pendere, aiunt potestatem Ecclesiasticam jurisdictionis in utroque foro residere in tota universitate Ecclesiæ, hoc est, in toto corpore, quod ajunt Categorematicè instar reipublicæ civilis.*

Martinus Navarrus in cap. Novit. de judiciis: notab. III. num. LXXXIV. *Non est consilium in præsentia definire, cui principaliter Ecclesiæ potestas fuerit à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro propter illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium.* Romanorum nomine intelligendi sunt Doctores Curiæ, non Sedes Apostolica, quæ Parisiensibus ad sentiendum facem prætulit. Subjungit paulló post: *Hi verò* (Parisienses) *quibus Gerson adhæret, tenent totam datam esse toti Ecclesiæ, licèt exercendam per unum, atque ideo in aliquibus saltem casibus Concilium esse supra Papam.* Sic intelligitur & explicatur Parisiensium sententia.

Hic autem & alii articuli Regis edicto communiti fuerunt, & in supremarum regni Curiarum tabulas relati. In eos Parisienses Theologi jurant hodiéque & 22 subscribunt.

Variorum auctorum testimonia

SUbjicio, quæ publicis & Academicis adjungenda esse duxi.

I. Dionysii Carthusiani in libri I. de auctoritate Papæ & generalis concilii articulo X. *Porro quòd generale Concilium sit supra Papam, & amplioris potestatis, seu auctoritatis quàm ille, hinc apparet necessariò concludendum, quoniam in generali Concilio Constantiensi hoc apertissimè determinatum est. Sed & Universitates seu Studia quædam privilegiata in suis scriptis hoc videntur* CONCORDITER AFFIRMARE, *quibus contradicere videtur*

detur penitus infectarum. Unde venerandi Sacræ Theologiæ Professores in difficultatibus scripturarum, & quæstionibus statum Ecclesiæ atque salutem concernentibus animarum exercitati, fundamentaliterque edocti videntur de hac materia certius judicare. Privilegiata vocat Studia, quæ tunc constanti forma, & sermone omnium celebrabantur. Inter ea Parisiense primas tenebat. Hic auctor floruit ad annum MCCCCL.

II. Ioannis Majoris Parisiensis Theologi in caput XVI. Matthæi. *An Pontifex sit super totam Ecclesiam vel universale Concilium Ecclesiam repræsentans, partitus est modus loquendi: Unus quem Canonistæ auctoritatibus Pontificis Maximi stipati tenent cum Italia, quod Pontifex est super Concilium ritè congregatum, quod repræsentat universalem Ecclesiam. Alius est modus,*
23 *qui Constantia conclusus est omnino illi oppositus. Unde nostra Universitas & Gallia tota insequitur oppositum.* Deinde in cap. XVIII. *De Theologis multo plures tenuerunt oppositum:* (Concilium esse supra Papam) *superius ostensum est, quod Augustinus & alii Doctores tenent partem, quam insequimur. Hoc tenuerunt varii Cardinales, Ioannes Patriarcha Antiochenus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Nicolaus de Cusa Cardinalis, Doctor vocatus Christianissimus, Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis profectò nunquam satis laudatus, & nostra Facultas à diebus Constantiensis Concilii, in qua plures exercitatos Theologos habebis, quàm in duobus vel in tribus regnis, quæ sic hanc partem fovet, quòd nulli hoc licuerit asserere oppositum probabile.* In prioribus Commentariis habetur: *Alium modum semper Universitas Parisiana nostra à diebus Concilii Constantiensis imitata est, sic, quòd in ea, qui tradictam sententiam* (Papam esse supra Concilium) *tenuerit, in campo cogitur eam revocare.* Porrò autem epocha illa, quam Major in diebus Constantiensis Concilii statuit, præcedens tempus non excludit: sed per eam auctor docere voluit, Parisiensem Academiam post Concilii hujus definitionem tenuisse sententiam, qua de agitur, frequentiùs quàm antea, fortiùs, & religiosiùs contra eos, qui nefaria quadam assentatione antiquam Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditionem pervertere & in Theologiæ Scholas doctrinam novam inducere conabantur. Quo fortè Major spectat cùm paullò pòst subjicit: *Non est bene actum, quòd plures Pontificem*
24 *extollant, quàm Concilium. Non mirabere. Concilium rarò congregatur, nec dat dignitates Ecclesiasticas, Papa dat eas.*

III. Francisci Victoriæ Hispani ex Ordine Prædicatorum Parisiensis Theologi, in libro de protestate Concilii & Papæ: *Concilium esse supra Papam est communis sententia Parisiensium & multorum Doctorum.*

IV. Ioannis Celaiæ Hispani Parisiensis Theologi in quartum Sententiarum dist. XVII. quæst. IV. *Dubitabis circa hanc quæstionem, an Papa obligetur virtute illius cap. allegati, scilicet Omnis utriusque sexus, confiteri semel in anno: Ad hanc difficultatem respondetur ab Universitate Parisiensi affirmativè. Nam tenet, quòd Concilium est supra Papam, & illud caput editum est in Concilio generali celebrato per Innocentium III.*

V. Thomæ Campegii Bononiensis, Feltrensis Episcopi, in libri de potestate Papæ capite XXIV. ubi quæ Concilia duo, Constantiense & Basileense, statuerunt circa Pontificis abdicationem, examinat; de Parisiensium sententia sic loquitur: *Quapropter iterum clara voce denunciamus, opus fore declaratione, quam honestiorem existimamus revocatione: Quandoquidem Parisiensis Schola & aliæ plures non obstante Concilii Florentini decreto mordicus retinent decretum illud Constantiense & Basileense.*

VI. Martini Navarri de Pœnitent. dist. V. *Ex hac conclusione primò infertur, Pontificem ad confitendum sua peccata teneri, quia divina lege obligatur: Quamvis verum sit non ligari per caput illud, Omnis, & ita non teneri*
25 *absolutè ad confitendum semel in anno. Quod etiam sentit Ioannes Andreas & Felinus: Quod procedit tenendo illam quam plerosque omnes Italos audio tenere opinionem, quamque magnis viribus probare ac tutari conatur Thomas à Vio, scilicet Papam esse supra Concilium. Nam si teneremus alteram sententiam, quam Schola Parisiensis cum tota ferè Gallia sequitur, Concilium universale supra Papam esse, & adeò sequitur, ut Jacobus Almainus scribens in hoc ipso articulo dixerit, eum, qui contrarium assereret, hæreticum judicatum iri, diceremus, ut ait ille, Romanum Pontificem statuto Conciliorum ligari, ac proinde ad illud caput, Omnis, servandum teneri.*

VII. Caroli Cardinalis Lotharingii in Commonitorio, quod ad Ioannem Britonem Secretarium Romæ degentem misit anno M. D. LXIII. XIX. Calend. Februarias. Gallica illius verba jam duobus aliis in locis retuli, sed hìc brevitatis gratiâ Latinam duntaxat interpretationem referam: *Nunc superest titulorum ultimus è Florentina Synodo depromptus, quem beatissimo Patri nostro tribuere volunt: Ego vero negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus; In qua Romanum Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui docent ibi contrarium, ii tanquam hæretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus partibus suis generale habetur: Basileense in auctoritatem admittitur. Florentinum perinde ac nec legitimum nec generale repudiatur. Atque idcirco de vita potiùs, quàm de sententia decederent. Hæc autem omnia cùm ita sint, me ad sanctitatis suæ pedes projicio, & ei per viscera misericordiæ Dei nostri sup-* 26
plico, ut inpræsentiarum verba hujusmodi omnia, & concertationes hujusmodi mittantur. Afflicto regno non est danda afflictio. Hæretici jam satis offensi sunt. Catholici reguntur ac ducuntur omnes à Theologis, qui clamores usque in cælum tollent. Privilegia & libertates regni in hac veritate posita sunt universa. Et eam ob causam disputatio hujusmodi si fiat, tota ad subversionem audientium convertetur. Regnum separabitur ac distrahetur, quod erit commune ac summum illius exitium. Nam credere futurum esse vel unum antistitem, qui his consentiat, insanum esset. Tridentina Synodus, Romanus Pontifex, Legati Commonitorio assensum præbuerunt, ut eventus probavit. Scilicet, Florentinæ definitionis pars illa, quam Tridentinæ Synodi decretis inserre nitebantur, illata non est, quòd ex ea colligi videretur, Papam esse supra Concilium: videretur, inquam, quia reipsa non colligitur, ut in Censura responsionis Norberti Caillocii aliàs ostendi: Sed tamen opinione ita factum est.

Jam vides, opinor, mirum quantum Bellarminus historiæ leges neglexerit, cùm in sententiæ primæ expositione, pro Parisiensi Academia, immo & pro universa Gallia tres tantùm Theologos, Cardinalem Cameracensem, Ioannem Gersonem, & Jacobum Almainum suffecit. Verùm demus Bellarminum hoc ignorasse, quod tamen ignorare vix potuit, non debuit reliquos Parisienses Theologos qui sunt plures tribus, præterire, et per istud, *& alii nonnulli,* rem tanti ponderis convolvere, & inobscurare.

Bellarmini negligentia suppletur.

HOS igitur tibi in lucem edendos esse censui, quò 27
Theologicæ quæstionis historiæ magis ac magis consulatur.

Familiam ducet sanctus Thomas in Opusculo de Symbolo: *Ad Articulum, Sanctam Communionem. Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius; ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia.* Et paullò pòst: *Inter alia verè membra Ecclesiæ principale membrum est Christus, quia est caput. Ephes. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Quam Thomas comparationem instituit, hæc aut nihil probat, aut probat, Romanum Pontificem qui primum est membrum Ecclesiæ, ordinari ad bonum ipsius; & quia Ecclesia certum quoddam est totum, hanc Romano Pontifice superiorem vel majorem esse. Id verò de Christo colligi nec potest, nec debet, quamvis sanctus Doctor Christum vocet principale

cipale membrum Ecclesiæ, siquidem Christus ita membrum est Ecclesiæ, ut sit tamen corpus Ecclesiæ. At Romanus Pontifex est quidem membrum Ecclesiæ, idque primum: Sed non est corpus Ecclesiæ. Præterea Romanus Pontifex interveniente morte desinit esse primum membrum, id est, caput Ecclesiæ; sed Christus non item, quia nusquam desinit esse caput Ecclesiæ. Quo fit ut Pontifex à recentioribus non dicatur simpliciter caput Ecclesiæ, uti Christus dicitur, sed caput ministeriale. Scholæ verbum est quod tolerari debet. Id ut ita dicatur, exigit comparatio, quæ inter Christum & Pontificem instituitur.

Henricus Hassianus qui ad annum M.CCCC. floruit, In consilii & pacis Epistola, quæ M S. asservatur in Bibliotheca S. Victoris: *Universalis*, inquit, *Ecclesia, cujus Concilium generale est repræsentativum, est superior Collegio Cardinalium, & omni alia particulari congregatione fidelium & omni cujuscunque dignitatis & præsidentiæ personæ, etiam Domino Papæ in casibus inferiùs exprimendis. Intrat potissimè ad tale Concilium tanquam ad supremam auctoritatem in præsenti casu tangente totam Ecclesiam recurrendum est. Nota est consequentia. Antecedens declaratur, quia Ecclesia universalis non potest errare, nec peccato mortali esse obnoxia: Igitur superior est Collegio Cardinalium, cùm Papa hanc prærogativam non habet.*

Philippus Abbas Monasterii Sancti Dionysii, in Franciâ, qui ad annum M. CCCCXXX. enituit, in libro de auctoritate sacrorum Canonum art. III. concl. I. *Licèt regulariter universalis Ecclesia sit per auctoritatem Papæ congreganda, casualiter tamen sine ejus consensu aliquis vel aliqui fideles possunt congregationem universalem Ecclesiam repræsentantem solemnem & authenticam facere.* Iterum in art. X. concl. III. *Sicut contra Papam unicam clarum & pacificum potest Ecclesia eo non vocante congregari, si sit hæreticus, aut suspectus: ita Ecclesia in duas opiniones de præsidente in Papatu di-* 28 *visa, eis remittentibus aut negligentibus damnabiliter potest se congregare legitimè & canonicè.* Rursus in art. XI. concl. III. *Licèt verus Christi Vicarius inter homines mortales non habeat superiorem unum, vel plures, nec etiam aliquam multitudinem; tamen in criminibus certis citatus per Ecclesiam Catholicam, aut aliquos voce ejus ad comparendum coram ea certo die & loco congregata, tenetur comparere. Patet ex dictis.* Hæc ex Codice MS. Navarrici Collegii in Parisiensi Academia.

Thomas Corsellus in propositione Biturigibus facta anno M.CCCCXL. *Quantum*, inquit, *ad primum, satis notum est omnibus Christianis, quomodo in sacro Constantiensi Concilio, cùm de reformatione Ecclesiæ in capite & in membris agendum esset, fuit solemniter definitum & declaratum, quòd sacra generalis Synodus universalem Ecclesiam repræsentans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunque status & dignitatis etiamsi Papalis, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis, & ad reformationem Ecclesiæ in capite & in membris; & quòd si in prædictis & pertinentibus ad ea contumaciter obedire contempserit, condignæ pœnæ subjiciatur, & debitè puniatur, ad alia juris remedia, si opus sit, recurrendo. Nec dubium est, hanc esse declarationem fidei Catholicæ, quæ est de auctoritate data Ecclesiæ immediatè à Christo, qui est veritas prima, & primum objectum fidei, à quo dependet universa fides nostra. Vigore autem hujus declarationis fuit postea editum capitulum, Frequens, etiam postquam omnes obedientiæ ibidem advenerant, in quo statuta sunt* 29 *pœnæ in casu, quo schisma insurgeret, non sedente Concilio contra Papam, si non congregaret Concilium infra annum, aut si personaliter ad ipsum non veniret, videlicet pœna cadendi à jure Papatus & inhabilitationis ad omnes dignitates activè & passivè: quas pœnas non potuisset statuere ipsa Synodus Constantiensis in illum, qui haberet verum jus in Papatu, nisi ad hoc auctoritatem immediatè à Christo habuisset, quemadmodum in prædicta declaratione ponitur. Deinde in XL. sessione ejusdem Synodi Constantiensis (quam impugnantes auctoritatem sacrorum Conciliorum pro se allegare volunt, & tamen contra eos multùm facit) dicitur, quòd sancta Synodus statuit, & decrevit, quòd Papa futurus cum Concilio, aut deputatis nationum habeat reformare Ecclesiam in capite & in membris super certis articulis ibidem descriptis, ut de annatis, de collationibus beneficiorum, & aliis pluribus: Inter quos articulos ponitur ille: Item propter quæ, & quomodo Papa possit corrigi & deponi. Ex hoc enim apparet primò, quòd in facto hujus correctionis & depositionis Papa subjicitur judicio Concilii generalis; Quando Concilium statuit & decrevit, quòd Papa futurus habeat sic facere. Nam si Papa est superior in hoc ipsi Concilio, Concilium non imponeret ei legem super hoc statuendo & decernendo, sed exhortaretur potiùs vel supplicaret, aut aliquid hujusmodi: Si enim par in parem non habet imperium, à fortiori nec inferior in superiorem. In hoc etiam decreto XL. sessionis non revocabatur in dubium, an Papa posset corrigi & deponi? Imò illud præsupponebatur, sed decernebat Concilium, quòd magis particu-* 30 *lariter exprimerentur casus per Papam futurum cum Concilio & deputatis nationum, propter quos Papa haberet corrigi & deponi, & modus per quem hoc fieret, & hoc in iis, quæ ad reformationem pertinent. Nam ille articulus ponebatur inter articulos reformationis faciendæ, sicut textus illius sessionis clarè ostendit.*

Post hæc omnia Papa Martinus cum toto Concilio dedit literas ad Prælatos & Inquisitores, in quibus continentur articuli Joannis Wiclef & Joannis Hus, inter quos iste ponitur articulus XLI. Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. Super quo dicit Papa approbante Concilio: Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares. Deinde in interrogatorio in iisdem literis posito, super quibus haberent interrogari suspecti de hæresi Hussitarum, ponuntur sequentia: Interrogetur, utrum credat, quòd quodlibet Concilium generale etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet. Ex quibus manifestum est, quòd per Papam Martinum & Cardinales qui tunc ibi communiter aderant XXIII. unà cum toto Concilio fuit approbatum, quòd Concilium generale habeat supremitatem in Ecclesiam, & quòd universalem Ecclesiam repræsentabat. Hæc ille, quæ certissima videntur.

Joannes Major in memoratis Commentariis ad illud, *Si peccaverit*, præ se fert, *Summum Pontificem si procedat de vitio in vitium notoriè & incorrigibiliter,* 31 *esse deponendum ab Ecclesia, seu à Concilio, cùm Dominus dederit potestatem Ecclesiæ immediatè corrigendi fratres, Matthæi XVIII. & nullus frater est exceptus: Ergo si Papa est incorrigibilis, est deponendus, & nonnisi à superioribus ejus. In hoc igitur dicere, quòd oportet pro eo solùm rogare Deum, & quòd non est aliud remedium, est unum extraneum sine ratione.*

Hadrianus Galterus ex ordine Sancti Benedicti Monachus, in tractatu de primatu Petri & Ecclesiæ: *Sic ergo relinquitur temerè dici, veritatique maximè contrarium esse, quòd Summus Pontifex in nullo casu Concilio universali sit inferior; nec minùs item falsum, quòd in nullo casu possit ipse deponi, præterquam in casu hæresis. Nam ipse potest esse criminosus aut fautor alicujus criminis, vel intolerabilis erroris non perniciosi Reipublicæ Christianæ, quàm perniciosa est hæresis, cui crimini resecando, si non possit remedium adhiberi, nisi per Summi Pontificis destitutionem, verè & realiter destituendus est.* Et post alia, doctrinam hanc totam hoc unico disticho comprehendit:

Petrus in æde sacra caput est, & quandoque membrum:
Paret ut est membrum, præcipit ut caput est.

Judocus Clicthoveus in libri III. Antilutheri capite XXXII. *Postremò nec ipsi Summo Pontifici ex Monasterii solitudine ad supremum apicem provecto deficit*

arga-

argumentum præstandæ obedientiæ. Obtemperare siquidem semper debet Deo, ut dictum est, divinaque legi, & omni etiam humanæ, totam fidelium multitudinem concernenti, legi ad pietatem religionis, & honestatem vitæ potissimum
32 *spectanti. Quamvis enim nemo in eum potestatem coercendi exequi possit, nihilo tamen minus legibus totum Christianorum cœtum & suæ conditionem administrationis respicientibus est etiam obnoxius; quas si prævaricatur, est qui quærat & judicet Deus, & universalis Ecclesia de eo judicium ferre potest.*

Petrus Ortisius in thesi, quam anno M.DXXV. V. Idus Maias defendit, præside eodem Clicthoveo, & comprobante Theologiæ Facultate: *In corollario prima partis Conclusio* XV. *Concilium universale interdum est validum sine auctoritate Papæ. Patet, quia si esset meme captus, aut mortuus, aut inter infideles detentus: Item si esset hæreticus, aut notabiliter scandalizatus; si ingruente magna necessitate Ecclesia recusaret convocare Concilium, tunc majores Prælati id facere deberent.*

Conclusio XVI. *Concilium universale potest deponere Papam scitum absque ejus culpa in casu. Patet, quia si ab una parte Ecclesiæ sciretur aliquis electus esse verè Papa, major tamen pars Ecclesiæ sentit oppositum, & concertatur, & prævidetur futurum schisma, si ille maneret; tunc ad evitandum scandalum imminens potest deponi.* Hæc thesis MS. extat inter varios Clicthovei codices & quaterniones manu exaratos, qui in Bibliotheca Navarrici Collegii asservantur.

Joannes Arboreus in libri IV. Theosophiæ capite XXXII. *Decretales Epistolæ non exæquantur Canonibus Conciliorum & definitionibus. Hanc facilè suadebo assertionem: Minus auctoritatis habet Romanus Pontifex, quàm tota & universalis Ecclesia, quam repræsentat Concilium*
33 *generale ritè congregatum. Nam Papa in fide aberrare potest: Et tota via mihi aberrare videtur, qui aliter sentit; & plus veritati tribuendum est, quàm amico. Assentantur sanè Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem à peccato, & à lapsu hæreseos & schismatis, cùm non sit divino munere confirmatus in gratia. At Concilia generalia legitimè congregata non possunt in fide aberrare.*

Claudius Consordius in confutatione errorum Waldensium: *Paucis probemus utrumque, & Ecclesiæ & Petri auctoritatem: Ecclesiæ primò, ex eo quòd generalium Conciliorum definitione Ecclesia sit supra Papam, quem & instituere & ex causa destituere potest.*

Simon Vigoreus, qui Tridentino Concilio interfuit, & postea ex Parisiensi Ecclesiaste factus est Narbonensis Archiepiscopus, in sermone feriæ III. post tertiam Dominicam quadragesimæ. Gallica sunt verba, quæ in Latinum ita converto: *Dico ego quandoquidem de fraterna correctione agitur, hunc Christianum quemlibet obnoxium esse. In Constantiensi Concilio, ut schisma tolleretur, & quæstio, utrum Romanus aliquis Pontifex abdicari posset & corrigi deberet, solveretur, definitum est, Papam non modò fraternæ correctioni, sed & censuræ Ecclesiasticæ subjectum esse. Quomodo id tandem? Papa prælatus est omnibus: Maximè verò: Sed nihilominus frater est. Nam quando precatur Deum, nobiscum dicit, Pater noster. Antistites reliqui censuræ quoque Ecclesiasticæ subjecti sunt.* Et paulò post: *In hac correctione servandus est ordo. Coacti in cœtum unum Episcopi corrigent Papam; Papa*
34 *corriget Archiepiscopum, Archiepiscopus Episcopum, Episcopus Presbyterum, Presbyter Parochianum.* Hæc in sermonibus, quos Joannes Christus, Parisiensis Theologus, edendos anno M.D.LXXXVII. curavit.

Claudius Sanctesius, qui & pariter Tridentino Concilio interfuit, & postea Ebroicensis Episcopus, in Responsione ad Apologiam Theodori Bezæ: *Licuit non solis Serbonicis,* (id est, Parisiensibus, quos tunc eo nomine sugillabant hæretici) *sed in omni orbe Christiano Theologis disserere, an Papa, si defecerit à fide, privari posset suo gradu, non à quovis, sed ab habentibus aliis legitimam potestatem videndi, nequid detrimenti respublica Christiana capiat.* Hinc Conciliorum potestatem supra Papam asserit; hinc tacitus respondet rationi ductæ ex fictitio canone, *Prima Sedes à nemine judicatur,* & qui tunc pro vero habebatur. Missam facio Epistolam, quam ea super re Tridento Parisios ad Claudium Espencæum Parisiensem Theologum dedit: Nam illuc spectat, quò Cardinalis Lotharingii Commonitorium spectare visum est superiùs.

Sed missam facere non possum Catholicæ fidei professionem Gallicè editam, quam ipse ut exhibitam Regi professionem fidei Calvinistarum corrigeret, Pissiaceno Conventui obtulit ad annum M.D.LXI. Articulus est XXXV. quem Latinè sic reddo: *Credimus Synodos legitimas & universales repræsentare Catholicam Ecclesiam, cui Jesus Christus Spiritum sanctum promisit ad eam docendam & in omni utilitate ducendam. Quod credere nos cogit, illam nec in fide, nec in bonis moribus errare potuisse, & reipsa non erravisse, quamvis sectarii errasse calumnientur; & multo minùs aliquid contra verbum Dei imperasse. Ad Synodos verò nationales aut provinciales quod attinet, firmamentum religionis nostræ nullum in iis ponimus, siquid novi primi definiant, quam certe communi consensu & usu Ecclesiæ universalis admittantur & approbentur.* Quibus verbis non obscurè abjudicat Romano Pontifici non errandi privilegium. Hic Sanctesius omnino scribit consentanea iis, quæ à Senonensi Concilio tradita inveniuntur.

Joannes Coterellus Tornacensis Archidiaconus sermone in Epistolam feriæ III. Pentecostes. Gallica sunt verba, quæ Latina sic facio: *Quamvis Sancti Petrus & Joannes missi essent à Principibus Apostolici Collegii, Ecclesiæ tamen, à qua mittebantur, obtemperarunt. Atque ex hoc facto posset argumentum colligi, quo Ecclesia supra Petrum esse probaretur. Nam mittit, qui dignitate superior est. Quare non videmus superiori inferiorem præcipere, ut huc vel illuc proficiscatur.*

Renatus Benedictus, qui suo tempore Parisiensium 35
Theologorum Decanus fuit, in Panoplia Catholicorum adversus hodiernas hæreses, ad octavum caput Actuum, ubi scribitur: *Cùm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem. Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt, Petrum non fuisse cæteris Apostolis superiorem. Nam non est missus ab aliquo in particulari, sed ab illis congregatis, qui Ecclesiam repræsentabant. Non fuit autem Beatus Petrus superior tota Ecclesia, sicut nec nunc successor ejus Papa, saltem in determinando: Aliud autem esse puto forsan in determinationum executione. Quare non est mirum, si ab Apostolis congregatis, id est, ab Ecclesia missus est.* Hæc ille in libro, quem Gregorio XIII. dicavit anno, M.D.LXXV.

Henricus Hassianus, Philippus Abbas Monasterii S. Dionysii, Thomas Corsellus, Joannes Major, Hadrianus Galterus, Judocus Clicthoveus, Petrus Ortisius, Joannes Arboreus, Claudius Consordius, Simon Vigoreus, Claudius Sanctesius, Joannes Coterellus, Renatus Benedictus, Parisienses sunt illi Theologi, qui post Cardinalem Cameracensem, Joannem Gersonem, & Jacobum Almainum à Bellarmino, ut *nonnulli alii,* laudantur: Ut interim taceam, quod de Academia Parisiensi tota, & de universa Gallia ex monumentis certissimis relatum est.

Cracoviensis Academia

NUnc in medium prodeat, & suum de auctoritate 36
Conciliorum tractatum, quem anno M.CCCC.XLI. ad Uladislaum Poloniæ & Hungariæ Regem scripsit, objiciat, & quid sibi velit, eloquatur: *Et quoniam,* inquit, *universalis Ecclesia, & Concilium generale ipsam repræsentans, potestatem habet immediatè à Christo ex conclusione præcedenti; & ideo ut cognitum sit, quæ & qualis sit ista potestas Ecclesiæ universalis, & Concilii generalis ipsam repræsentantis, sit hæc Conclusio* IV. *Potestas Ecclesiæ universalis, & etiam cujuslibet Concilii generalis*

neralis, ipsam repræsentantis, superior est Potestate Papæ. Et post pauca: Ista conclusio est fundamentum totius hujus negotii; & ideo circa probationem ejus erit diutius immorandum. Et antequam accedatur ad probationem ejus, hoc prius præmittendum est, Quòd, sicut Deus cuilibet creaturæ dedit certam periodum, qua determinatur ad durandum in suo esse, & propriam virtutem innatam & intrinsecam, qua possit corrumpentibus se resistere, & se conservare in esse, ita & Ecclesiæ suæ, quam voluit durare usque in finem sæculi, dedit & potestatem, qua possit se servare in suo esse, regere, & tueri, & conantibus ad sui destructionem resistere. Et quibusdam interpositis, & relatis B. Augustini testimoniis subdit: Ecclesia à Christo claves accepit propriè, Petrus autem figurativè. Et post alia: Ad idem est auctoritas manifesta in cap. de Summa Trinitate & fide; ubi ponitur fides nostra, pro qua si
37 necesse est moriendum est: Ubi patet, quòd Sacramentum Eucharistiæ nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuit ordinatus secundùm claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis & eorum successoribus, Jesus. Ecclesiæ claves dicit, non Petri, & eas concessas Apostolis & eorum successoribus, non soli Petro. Ex quibus auctoribus (qui antea citati sunt) apparet, quòd Ecclesia claves accepit principaliter ex commissione Christi. Cùm ergo quæri oporteat, ubi de hac commissione legatur in Evangelio, nec alius locus apertior, quàm ut dictum est Matthæi XVIII. Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in cælis, &c. Sequitur, quòd potestas clavium sit principaliter data Ecclesiæ in personis Apostolorum: Quod satis videtur probari ex dicto textu Evangelii Matthæi XVIII. attenta maximè historiæ narratione. Nam Matthæi XVI. Christus dixerat verba promissiva: Tu es Petrus, & tibi dabo claves regni cælorum: Deinde in cap. XVII. in fine mandavit Petro solvere staterem pro eo & se. Unde, quia ex eis videbatur eum constituere capitaneum super alios, ut dicit glossa super eodem verbo: Ideo statim comminativè subditur in cap. XVIII. in principio: In illa hora accesserunt ad Jesum discipuli dicentes: Quis, putas, est major in regno cælorum? Sed in Ecclesia, quia glossa ibi exponit, id est, in collegio justorum. Unde patet, quia propriè Evangelista loquitur de superioritate. Et tunc quibusdam interpositis Christus volens solvere hujusmodi quæstionem de superioritate, de qua quærebatur, Apostolis subjunxerunt in
38 eodem capite, Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum; Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos & infra: Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ecce dicit judicium Ecclesiæ esse superius judicio Petri; & consequenter, ut ostendat quale sit judicium Ecclesiæ, & quæ sit ejus potestas, statim subnectit: Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c. Loquitur Apostolis collectivè, & eorum successoribus, non soli Petro. Ex codice MS. Collegii Navarrici in Parisiensi Academia.

Coloniensis Academia

CRacoviensem excipiat, in tractatu de potestate Papæ & Concilii, quem ad Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum exaravit: Prima propositio: Ecclesia synodaliter congregata habet supremam jurisdictionem in terris, cui omne membrum Ecclesiæ, cujuscunque dignitatis fuerit, etiam Papalis, obedire tenetur; quam nemo sine ipsius Ecclesiæ synodalis consensu dissolvere vel transferre potest. Patet ex decreto Concilii Constantiensis & Basileensis. Ac prima pars est fundata in Evangelio Matthæi XVIII. dic Ecclesiæ: Ubi, ut patet ex litera sequenti, innititur potestas jurisdictionis data Ecclesiæ synodaliter congregatæ. Et post alia: Secunda pars patet, quia filius, servus, & discipulus tenetur obe-
39 dire suæ matri, Dominæ, & Magistræ: Sed Ecclesia est omnium Christi fidelium mater, Domina, Magistra: De quorum numero est Papa, licèt sit filius primogenitus & capitalis servus, scribens se non ficta humilitate, sed Catholica veritate servum servorum Christi, & inter alios fidei discipulos præcipuum, & per Christum Ecclesiæ sponsum, & Christi fidelium Patrem Dominum & Magistrum in Christi semper mysticè & spiritualiter præsentis corporali absentia, aliorum Christi fidelium rector, pastor, & doctor constitutus, auctoritate Christi & Ecclesiæ suæ conjugis & sponsæ. Et post pauca: Ex quibus facilè ostenditur, eandem Ecclesiam synodaliter congregatam esse consistorium judiciale, & supremum super omnes Christi fideles. Et denique loquens tertia pars conclusionis: Quia nemo judicialis habet ad libitum suum transferre, aut disponere tribunal judicis. Si enim hoc posset Papa, esset supra, non infra Ecclesiam, non utens duntaxat vicaria auctoritate clavium Apostolicarum, sed libero principatu propria jurisdictionis: Nec esset tantùm pastor & dispensator ovium & agnorum Christi, sed Rex & pastor ovium propriorum, contra illud, Joannis ultimo: Pasce oves meas, non dixit, tuas. Ex Cod. Manuscripto Monasterii Sancti Victoris Parisiensis.

Ad hanc Academiam revocandus est Dionysius Cartusianus in libr. 1. de auctoritate Papæ & Concilii, articulo XXXI. Concilium generale nonnisi propter causas singulariter magnas & arduas, ut puta, quæ aliter congruè expediri non queunt, congregandúmque ac celebrandum esse omnes fatentur. Porrò hæ causæ sunt, extirpatio hæreticæ pravitatis ac schismatis, declaratio fi- 40
dei atque editio symboli ejus, universalis reformatio Ecclesiæ in capite & in membris. Itaque in expeditione istorum major dicitur potestas Concilii generalis, quàm Papæ; quoniam Christus promisit Ecclesiæ, seu Concilio, ipsam repræsentanti, infallibilem directionem & gloriosam assistentiam incessantem: Ita quòd errare non potest in fide, neque in his, quæ ad bonos pertinent mores, eo quòd in talium determinatione regatur immediatè à Spiritu sancto. Unde & Papa in talibus tenetur stare determinationi Ecclesiæ, seu statuto Concilii, tanquam ordinationi & sententiæ Spiritus sancti. Cùmque Papa possit errare in fide, & moribus, & cæteris, quæ sunt de necessitate salutis, ejus judicio non videtur ultimatè ac certitudinaliter standum in istis, cùm non sit infallibilis regula & indeviabile fundamentum.

Tum in art. XXXIV. Papa, secundùm diversas sui considerationes, vocatur, & est Pater, & Princeps Ecclesiæ; itemque filius & minister Ecclesiæ. Et quibusdam interjectis: Dicendum, quòd Papa secundùm quod talis, ut puta in quantum Summus Pastor & Pontifex, non est à Concilio generali sententialiter judicandus, aut per depositionem puniendus, quià ut talis est superior, & Prælatus & judex Ecclesiæ; sed in quantum esset intolerabiliter vitiosus, seu criminosus, sicut esset inferior, & Concilium haberet super eum potestatem ac jurisdictionem à Christo, à quo immediatè claves accepit Ecclesia, quam repræsentat Concilium; qui etiam Christus dedit potestatem Ecclesiæ abjiciendi membrum 41
scandalizans, infectivum, ac putridum. Sic ergo generale Concilium potestatem & jurisdictionem habet in Papam, in quantum Papa, ratione culpæ, inferior redditur ipso Concilio; immo insuper & in quantum Papa consideratur ut membrum filiúsque Ecclesiæ, puta ut determinata persona fidelis, seu unus Christianus viator peccabilis: Et in quantum talis est, dicitur ei à Concilio lex præfigi, ne sua potestate abutatur, sed debitè dirigatur. Ex his patet ad objecta solutio. Par enim potestatem non habet in parem, in quantum est talis, id est, æqualis, sed ut aliquo modo exstat inferior.

Cartusiani speculationem adjuvat Gregorius Magnus, cùm in libri VII. Indict. II. Epistola LXV. ad Joannem Syracusanum Episcopum ita scribit: Nam quòd se dicit (Byzacenæ Provinciæ Episcopus) Sedi Aposto-

Apostolicæ subjici; si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.

Joannes Ekius in libri III. de primatu Petri capite I. de Constantiensi Concilio locutus: *Etiamsi Concilium sub obedientia Joannis XXIII. statuit Concilium esse supra Papam, tamen hoc ei non repugnat, Papam de jure divino esse super omnes Ecclesias. Nam dum jure divino Papa præfertur omnibus Ecclesiis singularibus, per hoc non præfertur omnibus Ecclesiis unitim & conjunctim; sicut universale Concilium totam repræ-*
42 *sentat Ecclesiam. Ita senserunt omnes, qui arbitrati sunt Concilium esse supra Papam; ut etiam Guilelmus Anglicus, qui Concilium dicit esse supra Papam, adhuc reputaverit, sententiam illam fore hæreticam, Petrum jure divino non fuisse supremum Pastorem. Non ergo illa sunt contraria, sicut autumat diversarius,* id est, Lutherus.

Herfordiensis Academia

AD Coloniensem accedit, in tractatu super unione & neutralitate Principum Electorum: Ubi post allatam Constantiensis & Basileensis Concilii declarationem, qua Pontifex teneri Ecclesiæ decretis obedire dicitur, subjungit: *Quæ quidem universalis Ecclesiæ declaratio, quamvis sola sufficeret ad probandum summam in terris sacrorum Conciliorum auctoritatem, pro majori tamen istius confirmatione quod dictum est, residuum Ecclesiæ corpus, non computato Papa, si contrarius esset, auctoritatem hanc habere,* Potest adduci ratio, experientia, & auctoritas. *Ratio primò dictat hoc. Nam quòd Papa possit errare, residuum Ecclesiæ synodaliter congregatæ errare non potest in his, quæ sunt fidei, & reformationis morum, & in pertinentibus ad ea; & in talibus à Spiritu sancto regitur: Ut colligitur Actorum XV.* Et quibusdam interpositis: *Experientia demonstrat hoc idem. Sæpius enim compertum est, Papam errasse, residuo Ecclesiæ corpore rectè sentiente: Papa autem non rectè sentiente, residuum Ecclesiæ corpus errasse, nunquam est compertum. Quapropter & corpus Ecclesiæ*
43 *nonnunquam caput suum, Papam videlicet, correxit, aut condemnavit. Auctoritas sacra confirmat hoc idem. Nam Christus cùm dicit, Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ.* Et post alia: *Unde Ecclesia universalis auctoritas in Concilio Constantiensi declaravit, quòd peccata Summorum Pontificum circa fidem & mores dici possunt Ecclesiæ, cujus præceptis, & ordinationibus si obedire contempserint, condigna pœna subjiciuntur, & ad aliqua juris remedia, si opus sit, recurrendo. Præterea, quamvis Christus uni dixerit homini, Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælo; ut secundùm Doctores sanctos unitatem Ecclesiæ designaret: In his tamen verbis Ecclesia ligandi & solvendi potestatem à Christo suscepit, immo immediatè, ut sancta Synodus declaravit, ut suprà. Nam Petrus quandò claves in istis verbis accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Ex Codice MS. Monasterii S. Victoris Paris.

Julius II.

IN Sacramento, quod Odoricus Raynaldus in tomo X. Annalium Ecclesiasticorum, refert ad annum M. D. III. *Ego Julius II. electus in Summum Pontificem, præmissa omnia & singula promitto juro & voveo observare & adimplere in omnibus & per omnia purè & simpliciter & bona fide realiter & cum effectu & sub pœna perjurii & anathematis, à quibus nec meipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam.* Inter præmissa illa quorum facta est mentio, sunt capita duo: generale Concilium congregare intra biennium, & reformare Ecclesiam in capite & in membris.

Joannes Driedo, Lovaniensis Theologus,

PRO Academia sua spondet in libri IV. de dogmatibus capite IV. *Quæstiones magnæ & perplexæ à Doctoribus Ecclesiæ disputantur, ex quibus schismata interdum exorta sunt: Utrum Ecclesia Romana, cui præficitur successor Apostoli Petri, sit prælata omnibus aliorum Episcoporum Ecclesiis: Utrum universalis Ecclesiæ auctoritas major sit auctoritate, seu potestate Papæ; an è contrario:*
Utrum universali Concilio secluso, Papa sit subjectus pote- 44
statis Ecclesiæ universalis, sicut subditus duci suo: Et videntur has quæstiones solvere doctrina Christi, & determinatio Constantiensis Concilii. Doctrina quidem Christi in Evangelio docentis, Si peccaverit in te frater tuus, accipe illum inter te & ipsum solum: Et reliqua usque in eum locum, ubi dicitur, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: Ibi Christus videtur Ecclesiam posuisse ultimum & supremum judiciariæ potestatis tribunal. Cùm ergo Papa sit frater & membrum in corpore Christi, consequens videtur, quòd ipse, aut à fide devians, aut scandalosè vivens, subjectus sit judicio Ecclesiæ; cui & in toto Apostolorum collegio designatæ, Christus ibidem inquit, Quæcunque alligaveritis super terram, &c. *Item & definitio Concilii Constantiensis, sessione V. declarat, & definivit, quòd illa Synodus,* & cætera, quibus interpositis subjungit: *Papa in causis fidei & schismatis, personam suam tangentis atque concernentis, subjicitur judicio universalis Ecclesiæ. Quamobrem si ipse fieret hæreticus aut schismaticus, aut argumentis probabilibus de his suspectus, pertinaciter defendens doctrinam contrariam Evangelio Christi, ipse esset ab Ecclesia monendus, corripiendus, &, si contumax fieret, judicandus tanquam anathema, & vel deponendus, vel declarandus propter contumaciam ab Ecclesia fuisse depositus à tempore, ex quo falsa docere, aut prædicare cœperit. Neque enim tenemur oves subesse Pastori illi, qui jam factus est ex Pastore lupus, aut saluti gregis*
contrarius; quemadmodum & Apostoli fuissent à Christo 45
anathema, si contrariam doctrinam incœpissent prædicare, ut docet ad Galatas I. Paulus: Qui & alibi ait, hæreticum hominem post primam aut secundam correctionem devita. Joannes Apostolus, in II. sua Canonica, &c. *Et quamvis primatus Papæ super omnes particulares Ecclesias sit constitutus jure divino, non hinc tamen oportet consequens esse, eundem Papam in causis propriis jus divinum concernentibus non esse subjectum potestati universalis Ecclesiæ. Sicut Josue constitutus est Dux in Israel, dum sorte divisisset terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel eidem Josue possessionem in medio sui, juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit, Josue 19.*

Thomas Illyricus, ex Ordine Minorum Italorum Theologus,

IN clypeo Papali, quem adversus Lutherum edidit, & Hadriano VI. nuncupavit: *Casus,* inquit, *septem secundùm quosdam; in quibus Summus Pontifex, seu Papa est auferibilis ab Ecclesia de Papatu. Primò enim est auferibilis ab Ecclesia Dei per voluntariam ejus cessionem, seu renunciationem,* &c.

Secundò auferibilis est Summus Pontifex in casibus dabilibus, & hoc per ipsam Ecclesiam, vel per Concilium generale repræsentans eam, vel per aliquos ad hoc per eam institutos, sive consentiat ipse, sive non consentiat suæ cessioni. Sumitur in primis argumentum pro hoc casu ex veritate præcedenti. Nam si vicarius sponsus potest resignare sponte
ipsi Ecclesiæ, dando ei libellum repudii, cùm sponsus & sponsa 46
non debeant quoad hoc impari jure censeri, poterit similiter repudiare sponsum talem ipsa Ecclesia sponsa, dum par ratio vel potior adducitur pro ipsa contra sponsum, vel quia prostituere quærit eam, quantum in se est, vel tyrannidis sæva tractare, laniando eam, vel placitando, bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe statum, nullum gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus, nisi in ædificationem suam & utilitatem communem. Patet ad Corinthios XIII. Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate: Et ad Ephesios IV. Dedit utique ad pacem ejus, cujus fines posuit pacem secundùm Ps. Et hanc operatur dilectio. Propter quod finis legis ab Apostolo ponitur dilectio, in qua etiam Christus fundavit officium pastorale; Si diligis me, (inquit Christus

 Petro)

Petro) pasce oves meas, Joannis ultimo. Sed quis non videat casus multos esse possibiles, quorum aliqui nunc tacti sunt, in quibus Ecclesia non ædificaretur, sed destrueretur, non uniretur, sed dissiparetur, non pasceretur, sed depasceretur, si non cederet voluntarius, vel ejiceretur invitus hic, qui in Vicarium sponsum Ecclesiæ rite & canonicè fuerat ordinatus? Nec sit cuiquam istud admirationi, quod diximus, quasi contrariantes illi jussioni: Nolite tangere Christos meos. Quomodò etiam uni singulari personæ in casu violentiæ attentatæ per Papam verum contra castitatem suam vel vitam, vim vi repellere non liceret cum appositione inculpatæ tutelæ? Et ita licitè stabit, quòd tangat Papam violenter, vel in mare dejiciat. Cur similiter non liceat
47 *idem toti Ecclesiæ pro defensione sua, & violentiæ attentatæ cauta repressione?* Et post alia.

Quintò, auferibilis est Papa per Ecclesiam aut generale Concilium, tanquam hæreticus, aut schismaticus, etiam ubi in casu ipse non est veraciter & mentaliter talis, &c. In his autem & aliis, quæ Illyricus in casu IV. disputat, apparet, eum Innocentii VIII. Alexandri VI. Julii II. Leonis X. mores probè novisse. Pontificum enim illorum æqualis fuit & Anconitanus.

Dominicus Sotus Hispanus, ex Ordine Prædicatorum Theologus,

CUM relatis auctoribus reipsa convenit, etiamsi ab iis in modo loquendi dissideat, in quartum dist. XX. quæst. I. art. IV. *Utrum potestas jurisdictionis in utroque foro fuerit sic collata Ecclesiæ, ut in toto corpore immediatè resideat, aut verè in Prælatis.* Sic autem disputat in responsione ad secundum: *Qui à parte Concilii pugnant, dicunt, Papam à Concilio recipere potestatem; Cardinales verò cum Turrecremata & Cajetano è converso, quòd Concilium illam recipit à Papa. Sed verè utrumque (ut sub correctione Ecclesiæ & peritiorum dixerim) falsum apparet: Prior enim opinio satis est oppugnata; sed nec posterior censetur vera: quoniam Episcopi & qui legitima sunt personæ Concilii legitimè congregati, præsidente Papa aut ejus legatis, eo ipso quòd sunt Episcopi, per se habent, dum publica auctoritate congregantur, auctoritatem Ecclesiæ, sicut Senatores in Senatu. Quare nulla alia indigent Papæ*
48 *auctoritate, nisi quòd ipse sit præses tanquam caput: Non quòd ipsi Episcopi sint tanquam procuratores totius Ecclesiæ, recipientes auctoritatem à toto populo, sed per auctoritatem Episcopalem, quam à Christo susceperunt, dum publico nomine congregantur, habent auctoritatem: Quibus Spiritus sanctus, ut errare nequeant, assistit.* Et post alia: *Non ergo aliter Concilium habet auctoritatem à Summo Pontifice, quàm quòd Episcopi creantur ab ipso; & è contrario, si aliqua ratione Concilium est supra Papam, non est, quòd ipse à Concilio allam recipiat auctoritatem, sed quia omne membrum, etiam caput, est pars totius, & ideo tenetur stare decreto & sententiæ totius.* At Pontifex decreto & sententiæ Concilii stare non teneretur, nisi major esset Concilii, quàm Pontificis auctoritas. A Soto mutatum quidem aliquid in modo docendi, sed in doctrina mutatum nihil.

Clemens Monilianus, ex Ordine Minorum Cardinalis,

IN Theologicarum institutionum Compendio, quod Michael Cardinalis Alexandrinus, postea Pius V. approbavit, *Conciliorum,* inquit, cap. XIX. *celebratio valet ad quinque.* Et quibusdam interpositis: *Quartò ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui munus sacrum aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate, aut vita scandalosa confundunt. Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Ita-*
49 *liæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII, qui venator lubricus & publicus erat & incorrigibilis.* Hic auctor significat non modò generale, sed etiam regionale Concilium supra vitiosum Pontificem esse. Nam Romanum illud Concilium, quod laudat, generale non fuit; & tamen ex eo laudat, quòd Joannem XII. de Romana Sede deturbaverit.

Paulus Grisaldus, ex Ordine Prædicatorum Theologus,

HUmberti Generalis quondam Ordinis Magistri sententiam amplectitur, & eam monumentis suis consignat in decisionibus fidei Catholicæ, num. CXX. *Si Papa fuerit fatuus, & non assignato tempore resipiscat, potest congregari Concilium, & alterum eligi, ne Ecclesia suo legitimo Pastore orbata sit, quod pro confesso dijudicari debet ab omnibus.* Si pro fatuitate & stultitia, quæ crimen non est, deponitur Pontifex, pro criminibus, qualia Monilianus describit, jure potiori deponetur.

Antonius Cordubensis, ex Ordine Minorum Theologus,

IN libro IV. quæstionum Theologicarum quæstione IV. *Utrum Concilium sit supra Papam, vel è converso. Opinio I. est, quod Concilium est supra Papam indistinctè, quam tenet Okam in dialogis, quem sequitur innumerabilis turba Doctorum utriusque Juris, & Universitas Parisiensis, & quædam aliæ Universitates amplexa sunt. Et Almainus de potestate Papæ hanc opinionem magis explicat, & Abulensis super Matthæum in prologo quæst. X. & cap. XVIII. quæst. CVIII. & latiùs in defensorio part. II. cap. LXIX. & Driede de dogmatibus Ecclesiasticis lib. IV. cap. IV. & Gerson de potestate Ecclesiastica & de infallibilitate Papæ.* Hæc ille ad annum M. D. LXXI.

Sanctus Ignatius Loiola, & illius Societas,

HIS accedunt in rectionis forma, quam circa Generalis Præpositi abdicationem, siquando necessitas exigat, instituerunt. Res sic se habet apud Petrum Ribadeneiram in libri III. de vita Sancti Ignatii cap. XXII. *Siquid gravius accidat, si acerbus ille plus æquo ac violentus, si bonorum collegiorum profusus ac præposterus distributor fortasse sit, si doctrinâ depravatus, vel moribus (homines enim sumus) congregationem generalem,* 50
quæ quoniam universam Societatem repræsentat, *ipso etiam Præposito Generali superior est, indicendi penes Assistentes jus est, in qua veritas earum rerum & pondus examinatur, & pro modo culpæ pœna imponitur: Privari enim Generalatu Præpositus Generalis potest, si res exigat, & gravioribus etiam suppliciis affici. Ex quo Societatis gubernatio cùm proximè ad Monarchiam accedat, multum etiam habet Aristocratiæ: Vitato enim, quod vitiosum esse potest, id quod est in utroque genere optimum, Societas sumpsit. Nam unum esse in gubernatione principem, præclarum quidem est, & ad conservationem firmum, sed si ille sit moderatus & sapiens: Veruntamen periculosum est, ne honore elatus libidinem suam, non rationem sequatur, & quod traditum est ad salutem, in perniciem multorum convertat. Et ut hoc quidem absit, utque maximè sapiens sit, omnia certè scire unus non potest; ac propterea ibi salus populi, ubi consilia multa: Quod enim quisque præ aliis scit, in commune confert. At verò illud subest in multitudine periculi, ne quot capita, tot sint sententiæ, & illud unum, quo maximè hominum conventus ac consociatio continetur, distractum in varia dissolvatur. Quæ pericula in utroque genere ut vitaret, & unitatem hæc Societas à Monarchia accepit, & ab Optimatibus consilium, & ita utrumque temperavit, ut Præpositus Generalis præsit omnibus, & ipse quodammodo subsit.* In descriptione hac totus elucet disputandi modus, quem, qui Concilium supra Pontificem statuunt, adhibent. Hi præ se ferunt, Pontificem Concilio inferiorem esse, quia generale Con- 51
cilium universam repræsentat Ecclesiam. Ignatius & illius Socii dicunt, generalem Ordinis congregationem Præposito Generali superiorem esse, quia universam Societatem repræsentat. Parisienses & alii Theologi præ se ferunt, Romanum Pontificem omnibus præesse, & illis quodammodo subesse. Hoc ipsum Ignatius & ejus Socii à Parisiensibus & aliis Theologis accipiunt. In summa, quibus rationum momentis Ignatius & Socii

ad

ad constabiliendum congregationis suæ statum utuntur, iisdem & Parisiensis & aliarum Academiarum Theologos ad asserendum regendæ Ecclesiæ statum nsos fuisse invenies. Quare Bellarminus contra Societatem suam pugnat, cùm in libri II. de Conciliis capite XIX. argumentum hoc, *Papa est membrum Ecclesiæ: Ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia,* non tam diluit, quàm inutiliter vexat. Et revera dilui non potest argumentum, quod Beatus Augustinus semel atque iterum, & quod communis hominum, qui sapiunt, intelligentia suppeditat. Hoc unum mihi sumo, & sumam in perpetuum, Bellarminum & Bellarmini sectatores argumentum illud non antè soluturos, quàm prudentissimam & sanctissimam Beati Ignatii & ejus sodalium præscriptionem, regulam, & normam penitus evertant; si tamen, quod non credimus, everti possit.

Joannes Maldonatus, ejusdem Societatis Theologus illustris,

52 HUC spectat in commentario ad caput XVIII. Matthæi: *Christus voluit Ecclesiæ tribunal ultimum esse, ad quod essent peccatores, cùm aliud non esset emendationis remedium, deferendi; ideóque summam illi tribuit potestatem. Summam autem non tribuisset, si majorem illi non dedisset, quam omnis respublica jure suo habet, ut homines perniciosos mittat in exilium, quod est in Ecclesia excommunicatio.* In explicatione loci hujus sequitur cùm Patres, tum maximè generales Synodos duas, Constantiensem & Basileensem, & Parisiensem Academiam, in qua vixit & docuit.

Antistites Græci in Florentina Synodo,

NON aliud hac in re sapiunt, quàm Basileense Concilium, quod tunc adhuc celebrabatur. Græcorum adscribo verba, quæ in sessione IX. habentur: *De potestate Occidentalis Ecclesiæ multa,* inquit Bessarion, *dicenda suppeterent, nisi aliud nobis esset propositum. Et scimus quidem, quæ sint jura & prærogativa Romanæ Ecclesiæ, nihilominus scimus etiam, prærogativa ejus quos terminos habeant: Nosse tamen volumus reverentiam vestram, à nobis facultatem hanc* (addendi Symbolo) *negari universa Ecclesia & Synodo, vel etiam Oecumenica, non tantùm Romana Ecclesia. Quoniam igitur quantacunque fa-*
53 *cultate polleat Romana Ecclesia, minùs tamen pollet Synodo Oecumenica, & universali Ecclesia; Si nos id universali negamus Ecclesiæ, multò magis negabimus Romanæ.* Græcorum igitur sententia est, Oecumenicam Synodum supra Pontificem esse; nec illam Latini tunc respuerunt, suo silentio consenserunt. Sic universalis in Synodos duas Basileensem & Florentinam divisa Ecclesia, in hoc dogmate consociatur & conjungitur.

Antistites Græci & Latini, in Florentina Synodi decreto,

HOC ipsum demonstrant adhuc manifestiùs, cùm in sessione XXV. de statuendo primatu Papæ disceptarunt inter sese, & habitis ultro citróque concertationibus consenserunt in verba hæc: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum; & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totius Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universam Ecclesiam à Domino Jesu Christo potestatem traditam esse, quemadmodum & in actis Conciliorum Oecumenicorum & in sacris Canonibus continetur.* Cur autem sic legi debeat, non verò, *quemadmodum etiam in actis Conciliorum Oecumenicorum & in sacris Canonibus continetur,* ut vulgò legitur, Blondus Eugenii Papæ IV. Notarius, vir minimè suspectus, nos docet in lib. III. decad. X. ubi Floren-
54 tinæ Synodi decretum integrum refert Marcus Vigerius ex Ordine Minorum Patavinus & Romanus Theologiæ Professor, Senogalliensis postea Episcopus, & tandem Cardinalis, qui Romæ anno M.D.XVI. vitam deposuit, in decachordo chorda X. Ioannes Fischerus Roffensis Episcopus in art. XXV. contra Lutheranas assertiones, Ioannes Ekius in libri II. de primatu Petri capite XXV. Albertus Pighius in libri IV. de Hierarchia Eccles. capite ultimo, postremam decreti clausulam laudant omnino, ut laudavimus. Postremam voco, quia postrema est apud eos, qui decretum laudare consueverunt. Deinde Græcus textus conditæ & relatæ à Blondo, & laudatæ à Vigerio, Fischero, Ekio, & Pighio definitioni respondet: Καθ' ὃν τρόπον, καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται, *Juxta eum modum, quo & in actis Conciliorum Oecumenicorum, & in sacris Canonibus continetur.* At hæ particulæ duæ καὶ, καὶ, &, &, pascendæ, regendæ, ac gubernandæ Ecclesiæ rationem & formam restringunt; tum si per sese considerentur, tum etiam si habitis ultro citróque super statuendo primatu Papæ disputationibus conjungantur. Quinetiam, si quæ vera est definitionis clausula extrema, prioribus accedat, ut necessariò debet accedere. Hæc est: *Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post Sanctissimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus & juribus eorum;* nimirum quæ per sacros Canones sanciuntur. Atque ita de- 55
cernente Concilio Romanus Pontifex nec sacris illis Canonibus, nec Patriarcharum istorum privilegiis & juribus derogare possit. Exinde necessariò sequitur Rom. Pontificem sacris Canonibus, ac proinde Conciliis Canonum auctoribus subjectum esse. Sol in meridie non lucet clariùs, quàm hæc in decreto restricta præfinitio.

Hoc in loco Florentina Synodus subsecuta est, ut apparet, & imitata Constantiensem, cujus definitionem Parisiensis Cancellarius post opusculum, quod *veritatum de fide credendarum declaratio* inscribitur, sic refert: *Ecclesia vel generale Concilium, dum dictat aliqua regitiva Ecclesiam concernentia, Papa non est sic supra jura positiva, quòd possit pro libito disponere, & dissolvere talia dictata per Ecclesiam eo modo & intentione, quibus dictata conclusa sunt: Ecclesia vel generale Concilium, quamvis non possit tollere plenitudinem potestatis Papalis à Christo supernaturaliter & misericorditer collata, potest tamen usum ejus limitare sub certis regulis ac legibus in ædificationem Ecclesiæ, & hoc est totius Ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum.* Id ergò fecit Florentina Synodus, quod Constantiensis antè definierat; & qui Florentinam Synodum id fecisse perperam nolunt, cùm illius decretum citant, verba hæc, *quemadmodum & in actis Conciliorum Oecumenicorum & in sacris Canonibus continetur,* supprimunt; & si qui non supprimunt, sic aliter citant: *Quemadmodum etiam in actis Conciliorum Oecumenicorum & in sacris Canonibus Continetur.* Quæ adulterina est lectio, ut mox 56
probavimus. Germana lectio regendæ Ecclesiæ dispositionem & ordinem adstringit, adulterina dilatat. Hæc Romanum Pontificem actis Conciliorum Oecumenicorum, prout illa Florentini Patres numerant, & sacris Canonibus non subjicit; Illa verò subjicit.

Ad postremam decreti clausulam quod attinet, hanc Curiales magistri vel nulli legunt & laudant, vel certe pauci. Scilicet ab occupatis hominibus tardè leguntur vel laudantur, quæ lecta vel laudata illis incommodant. Quidquid id est, Synodi duæ, Constantiensis & Florentina, reipsa consentiunt; etiamsi fortè rebus in omnibus par non sit loquendi modus.

Pius II.

IN Bulla retractationis suæ cùm alia scribit, tum maximè tria, quæ proposito nostro conveniunt. Primum est istud: *Aderant per id temporis duo viri ex Italia, Basileense Concilium, Nicolaus Panormitanus*

tanus Archiepiscopus, & Ludovicus Pontanus Apostolica Sedis Notarius, qui velut duo orbis sydera, ceu Pontificii juris & totius civilis sapientia duo pracipua lumina & clarissima, censebantur. Hi dictis scriptisque Concilii gesta probabant, Eugenii facta damnabant. Nec erat, qui aut vellet aut auderet dicta eorum refellere. Bellarminus laudat quidem Panormitanum, sed oon laudat Pontanum, quem tamco Pius, ut sydus alterum Panormitano adjungit.

Secundum ita se habet: *Cum his & generalis Con-*
57 *cilii auctoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum & avo nostro Constantia, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum & definitum est.* Si Constantiensis Concilii definitionem amplectitur, Concilium supra Pontificem agnoscit. Quare ne Pius secum pugnare videatur, dicendum est, eum illa tantum retractare, quæ ad Eugenii depositionem spectabant. Facti genus id erat, in quo Basileense Concilium excessisse modum credebat.

Tertium his verbis exprimitur: *Adversus Concilii dignitatem mutire aliquid crimen haresis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio praferebat; de Sedis Apostolica pracellentia, aut silentium, aut contemptus. Una,* inquit, *omnium vox Concilium Eugenio praferebat.* Et ideo verè præferebat, quia vox populi (multò magis sacerdotalis ordinis & cleri) vox Dei est, ut vulgò dici solet. In re tali fideles errasse omnes quis affirmaret? Errasset sine dubio Ecclesia, quam Nicolaus I. & Innoceotius III. coovenienter scripturis *fidelium congregationem* appellant.

Hoc autem cùm ita sit, vix credo Pium id revocasse, in quo una omnium vox erat; aot certè si revocavit humani non modò passus est aliquid, sed etiam in errorem cognitum, & eam ob causam intolerandum incidisset: Exinde si Pius revocavit, lapsus est; si non revocavit, Concilium supra Pontificem agnovit. Hoc secundis cogitationibus dicendum ita mibi videtur. At verò quibus dilemma nostrum hoc non placebit, osque dum illi ab eo sese expediant, oumerandi sunt breviter, quinam post laudatos à Bellarmino tres au-
58 ctores, *ut quidam alii,* designantur; Academiarum trium Cracoviensis, Coloniensis, Herfordiensis magistri, Dionysius Cartusianus, Thomas Illyricus, Ioaones Ekins, Ioannes Driedo, Dominicus Sotus, Clemens Monilianus, Paulus Grisaldus, Sanctus Ignatius, ejus Societas, Ioannes Maldonatus, Antistites Græci & Latini in Florentina Synodo, Pius II.

Fortassis inqoires, cur Bellarminus sententiæ hujus assertores tam paucos indicaverit, cùm innumerabiles indicare potuerit? Respondeo id ita fecisse, quò facilius posset contrariam hoc modo proponere: *Ultima sententia est ferè communis, quòd videlicet Papa adeo sit supra Concilium, ut non possit etiam se subjicere ejus sententia, si propriè de sententia coactiva agatur.* Sed qui ante Pisanum Concilium sententiam hanc ita proposuerit, hactenus inventus est nemo. Post Pisani Concilii tempus proponi cœpit, ut de novitate illius oon ambigator. Bellarminus pergit: *Hac sententia videtur esse omnium scholasticorum veterum, ut Alberti, B. Thoma, B. Bonaventura, Richardi, Paludani, & aliorum in IV. dist. XIX. ubi de clavibus agitur: Tametsi ex professo ipsi de hac re non disputarunt.* In his auctor historiæ leges non semel, sed iterum, & tertiò negligit. Semel quidem, quia, ut vidimus, sententiam, quæ communis non est, communem nominat: Iterum verò, cùm veterum Scholasticorum, qui suut magno io numero, ne onus quidem lemma hoc sibi sumpsit: *Papa adeò est supra Concilium, ut non possit se coactiva illius sententia subjicere.* Tertiò Albertus, Thomas, Bonaventura, Richardus, Paludanos, & alii veteres io IV. dist. XIX.
59 lemma illud oeutiquam assumunt. Quidquid id est, totum confirmant Innocentius III. & Humbertus Prædicatorum Magister Generalis V. quorum auctoritates suprà in medium protulimus.

Hic subsistendum est tantisper, donec è pluribus Beati Thomæ locis, quæ Bellarmino suppeditari possont, tria suppeditem, ut interim perspiciat, oum in iis quod statuere vult, statuere valeat. Primus est in IV. dist. XIX. art. II. *Non enim Prælati à subditis coram multitudine, sed humiliter in privato corripiendi sunt, nisi immineret periculum fidei. Tunc enim Prælatus minor fieret, si in infidelitatem laberetur, subditus fidelis major.* Hæc non minus de Romano, quàm de reliquis Episcopis intelligit. Alter locus est in dist. XXXIV. quæst. III. art. II. *Ad tertiam dicendum, quòd potestas sacerdotis exceditur à potestate Episcopi, quasi à potestate alterius generis: Sed potestas Episcopi exceditur à potestate Papa, quasi à potestate ejusdem generis. Unde omnem actum Hierarchicum, quem potest facere Papa, in ministratione Sacramentorum, potest facere Episcopus.* Ex his autem verbis Bellarmious Pontificem ægrè attollet supra Episcoporum Coocilium.

Tertius est ejusdem Beati Thomæ, vel alterius sub illius nomine, in secunda secundæ quæst. C. articulo I. obi *ad septimum ita respondet: Dicendum, quòd Papa potest incurrere vitium simonia, sicut &* quilibet alius homo. *Peccatum enim tantò in aliqua persona est gravius, quantò majorem obtinet locum. Quamvis enim res Ecclesia sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini & possessoris; & ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de reditibus Ecclesia alicujus,* 60
non careret vitio simonia. Et similiter etiam posset simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico non de bonis Ecclesia. At Papa simoniam istiusmodi non committeret, nisi sacris Canonibus subjiceretur. Infinita id generis loca ounquam efficient, ut Romanus Episcopus Calchedonensi non sublit Coocilio, quod Canone II. simoniam prohibet ab Ecclesia. Et Bellarminus saxa comedet, & favillas antè sorbebit, quàm ex bis tribus locis, Papam ita supra Concilium efferat, ut coactivæ illius sententiæ subjicere se non possit.

Bellarminus pergit: *Expresè autem hoc docent S. Antoninus III. part. tit. XXII. cap. X. §. Summa historialis & II. part. tit. III. cap. XI. Summa Theologica.* At ibi expressè ooo reperitur Bellarmini propositio; quinetiam Antoninus dicit Papam ab Ecclesia judicari posse, *si deprehendatur à fide devius. Cardinalis Cajetanus in tractatu de comparatione Papa & Conciliorum, & in Apologia pro pradicto tractatu.* At Cajetanus in illo tractatu docet Romanum Pontificem sacrorum Canonum observatione constringi: *Constat autem,* inquit, *quòd indecens est determinationes Concilii etiam provincialis solvere: quanto magis generalis? quorum decreta etiam Papam in foro conscientia ligant.* At indecens non esset, si Papa ita esset supra Concilium, ut coactivæ illius senteotiæ subjicere se non posset: *Franciscus Turrianus in tribus libris, quos de hac re scripsit.* At sub finem libri III. de Romano Pontifice sic scribit: *Nos verò & summum esse in terris Pontificem confitemur, & Canonibus Conciliorum ac re-* 61
gulis Patrum Ecclesiasticis, Pontificúmque decretis, imò omnium consiliis ac dictis salutaribus subjectum esse debere in timore Dei, & eos Pontifices, qui Canones & decreta non servarint, similes fore principibus illis & Pharisæis, quos Dominus in Evangelio accusans dixit, alligare eos onera gravia & importabilia, & imponere in humeros hominum, digito autem se nolle ea movere: id est, faciebant ut viderentur intolerabilia pracepta, dum ea ipsi ne incipiebant quidem facere; id enim significat non movere illa digito. Similiter & Pontifices cùm Canones Ecclesiasticos non servant, nulla œconomia & spiritualis utilitatis ratione, quos placet & libet, nulla necessitate leges solventes faciunt, ut reliquis videantur intolerabiles, & omnia faciunt cum murmuratione contra Apostoli praceptum. Quamobrem obtestandus est Pontifex per illius magni Pastoris & Episcopi animarum nostrarum sacramenta & admirabilia judicia, ut eum sollicitudine omnium Ecclesiarum Domini

Dei

Dei præsit, & filios Ecclesiæ habeat subjectos, in timore Dei exemplum & forma gregis factus, ut servet in Domino Canones Ecclesiasticos, & faciat eos ab omni Ecclesia summo studio servari, audiátque verba hæc & consilia, ut Dominus sit cum eo, fiátque, sicut B. Petrus ait, ut cùm apparuerit Princeps Pastorum, immarcessibilem gloriæ coronam percipiat. Hæc non valde conveniunt lemmati, quod Bellarminus assumpsit. Quidquid id est, Cajetani & Turriani testimonia apud Bellarminum reperies nusquam, quia non omnem assentationis speciem refo-
62 runt. Cæteros auctores, quos ille appellat, non excutio, nec tanti est excutere. Sed dolenter interim exclamare mihi liceat: Heu prisca fides!

Superest expositionis modus, quem paucis expedio. Theologicæ quæstionis historiam ab hæreticis, qui Concilio Papam subjiciunt, orditur. Mox ad hæreticos adjungit Doctores nominatim VII. Cardinalem Cameracensem, Joannem Gersonem, Jacobum Almainum, & alios nonnullos; Nicolaum Cusanum, Panormitanum, Cardinalem Florentinum, Abulensem, & quosdam alios, quibus nec Catholicorum nec hæreticorum nomen tribuit: Ut quæ res minimè dubia est, nempe Doctores esse Catholicos, eam hoc in loco & quæstione dubiam faciat sperans, jam inde ab ipso disputationis aditu lectoribus opinionis minùs tutæ injectum iri suspicionem ac terrorem:

Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci,
Luctus & ultrices posuere cubilia curæ,
Terribiles visu formæ, ———
——— ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata chimæra,
Gorgones, Harpyiaque & forma tricorporis umbræ.

Bellarminus igitur hoc ipsum confirmari putat ex narrationis serie, in qua hæretici Doctoribus ambiguæ, ut haberi vult, fidei septem anteponuntur. Nam doctrinæ temporum rudes & ignari facile credent, hæ-
63 reticos, & cum primis Hermannum Hamelmannum illis Doctoribus septem & nonnullis aliis, quorum nomina reticet, ad sentiendum facem prætulisse: Qua fraude Doctorum sententia quam it expositum, adhuc invisior reddatur ac suspectior. Si verò secutus esset ordinem temporum & Catholicis subjecisset hæreticos, de doctrina suspicionis attulisset nihil, aut parùm. Qui enim uno in dogmate hæretici sunt, in altero possunt non esse hæretici, & cum Catholicis bene sentire. Hamelmannus heterodoxus non est, sed orthodoxus, qua parte Cardinalis Cameracensis, Joannis Gersonis, Jacobi Almaini, Nicolai Cusani, Panormitani, Cardinalis Florentini & Abulensis placita defendit. Bellarminus cùm ita quæstionem hanc tractat, pessimè meretur de Stephano Romano Pontifice, qui baptizatus ab hæreticis rursus baptizandos esse vetuit, usus ratione hac: *Siquis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi* (forte *in id*) *quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* Cum hæreticis hac in re sentit Stephanus, quem Bellarminus, opinor, hæreticæ disciplinæ fautorem non haberet.

Nunc ad Bellarmini exemplum quæstionem propono: *Utrum collatus ab hæreticis baptismus repeti debeat.* De proposita quæstione duas invenio Doctorum sententias. Prima est, baptismum hunc repetendum non esse: Id quod asserunt inprimis omnes hæretici veteres. Idem asserit Stephanus Papa, 64
& alii Occidentalium partium Episcopi. Secunda est Agrippini, Cypriani, Firmiliani, & antistitum Carthaginiensis Concilii. Hunc autem tractandi modum nemo unquam sciens & prudens admittet. Si Bellarminus admittat, Stephano Papæ injuriam faciet; si rejiciat, contra se rejiciet. Illaqueari sic non potest, qui sincero animo disputare instituit, & cui nihil aliud ob oculos statuitur, præterquam aperta & simplex ratio veritatis. Bene vale. Lutetiæ Paris. pridie Calend. Septembris anno M.DC.LXIV.

Joannes Launoius
LUDOVICO MARÆSIO
Parisiensi Theologo.

1 OPTARES quidem, me ad te scribere, quid sentiam de Leonis X. constitutione, qua nonnulli recentiores Theologi utuntur, ut Papam supra Concilium esse confirment. Optarem ego quoque, si possem pro magnitudine rei satis tibi facere. Proponis duo: Primùm, num omnia, quæ illi ex Constitutione illa colligunt, sincerè colligant: Deinde, num idoneæ & legitimæ sint auctoritates cunctæ, quibus Constitutio munitur. Propositiones hæ duæ Constitutionis totius recensionem exigunt, si per Constitutionem integram diffundantur; sed quia non diffunduntur, Constitutionis partem solummodò, quæ ad institutum pertinet, describo. Constitutio in sessione XI. Lateranensis Concilii sic incipit: *Leo Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastor æternus.* Et pluribus interpositis: *Et sicut piæ memoriæ Leo Papa I. prædecessor noster, cujus in hoc libenter, quoad possumus, vestigia imitamur, ea quæ in Ephesina Synodo temerè contra justitiam & Catholicam fidem gesta fuerant, postmodum in Calchedonensi Concilio mandavit ac fecit, pro dictæ fidei firmitate revocari: Ita & nos à tam nefaria sanctionis, & contentorum in ea revocatione, retrahi aut desistere, salva conscientia ac nostro & ipsius Ecclesiæ honore non posse, aut debere censemus. Nec illud nos movere de-* 2
bet, quod sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante à Bituricensi congregatione recepta & acceptata fuerunt, cùm ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per Re. me. Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum factam à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs conventicula, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacræ scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, sacrorúmque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constet: Quorum aliqua referre placuit, reliqua verò utpote notoria, silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Romano Ponti-

Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicanam Synodum statuisse, non debere absque Romano Pontifice Concilia celebrari. Neque nos latet, etiam eundem Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonensem transtulisse; Martinum etiam Papam V. præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nulla consensus ipsius Concilii mentione habita, dedisse: Ephesinam quoque primam Synodum Celestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Aga-
3 *thoni, septimam Hadriano, octavam Nicolao, octavam etiam Constantinopolitanam Synodum Hadriano Romano Pontifici prædecessoribus nostris maximam reverentiam exhibuisse, eorumdémque Pontificum institutionibus & mandatis in sacris Conciliis per eos editis & factis, reverenter & humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa & cæteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico consistentis, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur: Quandoquidem constet, Romanum Pontificem, cujus ante omnia decebat spectari decretum, talibus non exhibuisse consensum: Eundémque Leonem universis Siciliæ Episcopis scribentem, idem voluisse apparet. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, à Romano Pont. subscriptionem, approbationémque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Ephesina ac Chalcedonensi hujusmodi, ac VI. Constantinopolitana, & VII. eadem Nicæna & Romana sub Symmacho Synodis habitis, earúmque gestis, necnon Aimari libro de Synodis manifestè colligitur. Quod etiam novissimè Constantienses Patres fecisse constat: Quam laudabilem consuetudinem, si Bituricenses & Basileenses secuti fuissent, hujusmodi molestia proculdubio careremus.* Sermo est de Pragmatica, ut aiunt. sanctione, quam Leo X. in constitutione sua revocandam esse & abrogandam censuit.

Nunc propositioni tuæ primæ generatim & per aversionem respondemus, non omnia, quæ Bellarminus
4 & quidam alii Curiæ Theologi ex Leonis Constitutione colligunt, colligi sincere; quod manifestè probatum imus.

I. Bellarminus in libri II. de Conciliis capite XVII. cujus titulus est: *Summum Pontificem absolutè esse supra Concilium,* scribit: *Denique Lateranense ultimum sub Leone X. sessione II. disertè & ex professo docuit, Pontificem esse supra omnia Concilia, & reprobavit contrarium decretum editum in Basileensi Concilio: Solum, inquit, Romanum Pontificem tanquam super omnia Concilia auctoritatem habent[illegible] Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diss[illegible]rum plenum jus & potestatem habere, nedum ex [illegible] Scriptura testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifestè constat.* Cætera prætermittit; & cur prætermittat, inprimis exponendum est: Non te morabor diutius. Idcirco prætermittit, ne Constitutionis argumentum agnoscatur: Nam si semel agnoscatur, liquidò patebit, hinc Leonem X. aut Lateranense Concilium non docere ex professo, quod ab illo doceri Bellarminus asserit; hinc deductam ex Lateranensi Concilio rationem eas non habere vires, quas Bellarminus habere putat. Hoc unum spectant Leo & Lateranense Concilium, ut editam à Bituricensi & Basileensi Conciliis Sanctionem Pragmaticam rescindant. Et quod Bellarminus editum ex professo à Leone & Lateranensi Concilio decretum affirmat, Leonis & Concilii decretum non est, sed ratio, qua Pragmaticæ Sanctionis abrogationem à se factam sustentare conan-
5 tur. Quicquid illud est, agnovisset Bellarminus, si saltem quæ ex Constitutione retulimus, propriis oculis usurpasset; nec de iis, quibus ducitur præjudiciis & somniis, avulsæ è Constitutione plagulæ accommodasset.

II. Inter Concilii decretum & decreti rationem plerique Theologi discrimen latum constituunt. Et certè allata ratio, quâ Leo & Lateranense Concilium utuntur, monumentis partim suppostitiis, partim incertis innititur, ut in explicatione propositionis secundæ observabimus.

III. Leo & Lateranense Concilium ea tantum reprobant, quæ Basileense Concilium post illius translationem ab Eugenio IV. factam, sibi sumpsit ac decrevit: *Nec illud,* inquiunt, *movere nos debet, quòd sanctio ipsa, & in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta, & acceptata fuerint, cùm ea omnia* POST TRANSLATIONEM EJUSDEM BASILEENSIS CONCILII PER RE. ME. EUGENIUM PAPAM IV. ETIAM PRÆDECESSOREM NOSTRUM FACTAM, *à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs conventicula, quæ præsertim* POST HUJUSMODI TRANSLATIONEM CONCILIUM AMPLIUS APPELLARI NON MEREBATUR, *facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint, cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex sacra Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorúmque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem* 6
Conciliorum confessione manifestè constet. Hoc autem cùm ita sit, Leo & Lateranense Concilium non obscurè consentiunt iis, quæ Basileensis Concilii Patres ante illius translationem fecerant & decreverant. At nisi quis nodum in scirpo quærat, id unquam diffitebitur. Et sanè Basileense Concilium ab Eugenio translatum non est ante sessionem II. in qua continentur decreta hæc duo: *Et ne de ejusdem sacræ Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur, ipsa eadem Synodus duas declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti sessione aliis suis decretis editis seu edendis inferendas ordinat, & decernit: Quarum quidem declarationum tenor prima sequitur, & est talis:*

Et primò quidem declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cujuscunque status & dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris. Alterius verò tenor sequitur in hæc verba:

Item declarat, quòd quicunque cujuscunque status vel dignitatis etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, con- 7
digna pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Præmissis igitur & nonnullis aliis Constantiensis Concilii, præsertim Capituli, quod incipit: Frequens, in priori hujus sacræ Synodi Basileensis sessione recitati, & decretis attentis, prælibata Synodus Basileensis decernit & declarat, quòd ipsa pro hæresum extirpatione ac morum generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, nec non pace inter Christianos procuranda, ut præmittitur in Spiritu sancto legitimè congregata, per nullum quâvis auctoritate, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, dissolvi, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet, aut potest, debebit aut poterit in futurum, absque ejusdem Synodi Basileensis deliberatione & consensu. Hæc anno M. CCCC. XXXII. XV. Cal. Martii. Julianus Cardinalis Sedis Apostolicæ Legatus sessioni huic præfuit.

Eugenius in sessione XVI. quæ anno M. CCCC. XXXIV. celebrata est, Basileensis Concilii acta sic confirmat.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dudum sacrum generale Concilium Basileense per generalium Constantiensis, & Senensis Conciliorum

liorum statuta, ordinationésque felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostras pro extirpatione hæresum, pace populi Christiani, ac generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, & pertinentibus ad ea legitimè inchoatum, ex certis causis in aliis nostris literis expressis de fratrum
8 *nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu dissolvimus. Verùm cùm ex dicta dissolutione ortæ sint graves dissentiones & graviores oriri possent, nihilque magis optemus, quàm quod prædicta sancta opera debitum sortiantur effectum, de consilio & assensu venerabilis fratris Jordani Episcopi Sabinensis & dilectorum filiorum nostrorum Antonii Sancti Marcelli, Francisci Sancti Clementis, Angeli tituli Sancti Marci Presbyterorum, ac Lucidi Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Ardecini Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, decernimus & declaramus, præfatum generale Concilium Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitimè continuatum fuisse, & esse, prosecutionémque semper habuisse, continuari, ac prosecutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quinimo præfatam dissolutionem irritam & inanem de consilio & assensu simili declarantes, ipsum sacrum generale Concilium Basileense purè simpliciter & cum effectu ac omni devotione & favore prosequimur, & prosequi intendimus. Præterea ut mentis nostræ integritas ac devotio, quam ad universalem Ecclesiam & sacrum generale Concilium Basileense gerimus, omnibus constet evidenter, duas nostras literas pridem in Palatio Apostolico promulgatas, nam tertias, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs describitur, quæ dicuntur incipere, Deus novit, cùm à nobis, aut de scitu nostro nunquam emanarint, licèt superfluum videatur, quod non extat, revocare, tamen quia petitum est,*
9 *& ad cautelam, si ullo unquam tempore apparerent, & alias quascunque, & quidquid per nos, aut nostro nomine in præjudicium aut derogationem sacri Concilii Basileensis, seu contra ejus auctoritatem factum, attentatum, seu assertum est, cassamus, revocamus, irritamus, & annullamus, nullas & irritas fuisse & esse declaramus.* Id etiam Pius II. testatur in bulla Retractationis; *Accessit & ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii à se factum revocavit, & progressum ejus approbavit.* Deinde in Epistola ad Martinum Meyrum Moguntini Præsulis Cancellarium, Basileensem Synodum veram Synodum fuisse antequam transferretur, asserit: *Cùm pluribus annis in Basilea Synodus modò vera, modò reproba consedisset:* Vera quidem ante illius translationem, reproba verò post illius translationem. Hæc est Pii sententia, in qua Basileensis Synodus, fuit Synodus vera, cùm habita est secunda sessio, & ibi confirmata sunt Constantiensis Concilii decreta duo, quæ suprà retulimus.

Ad Pium II. accedit Hartmannus Schodel in ætate VI. mundi ad annum Christi M. CCCC. XXXI. *Concilio Basileensi unde infinita mala orta sunt, auctoritatem dedit, approbatis illius per Apostolicas literas decretis.*

Præterea idem de Constantiensi Concilio non dicit: Illud modò verum, modò reprobum non appellat, ut recentiores Curiæ Doctores appellant. In memorata ad Meyrum Epistola postquam scripsit Concilium multa utilia statuisse, subjicit: *Quas ob res minimè laudandi Pontifices illi fuerint, qui constituta tam venerandi conventus temerè violaverint; audiendus potiùs atque imitandus Divus Gregorius, qui se quatuor Concilia veluti quatuor Evangelia suscipere venerarique profitetur. Commendandi sunt & alii Romanæ urbis Præsules, qui generalium*
10 *præcepta Synodorum tanquam divina oracula & admirati sunt & persecuti. Nec nos eum antistitem probaremus, qui Constantiensi Concilio sese opponeret.*

Deinde in bulla Retractationis: *Cum hæc & generalis Concilii auctoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum ævo nostro Constantiæ dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum definitúmque est. Veneramur etiam Constantiense Concilium, & cuncta quæ præcesserunt, à Romanis Pontificibus nostris approbata.* Ac proinde Pisanum quod ab Alexandro V. approbatum est. Approbationis non repeto testimonia, quæ in Epistola ad Christophorum Fauvæum produximus. At Pisanum Concilium in octava sessione *declarat, pronunciat, & decernit per Dei gratiam hic esse generale Concilium repræsentativum totius universalis Catholicæ Ecclesiæ, ritè, justè, & rationabiliter fundatum & congregatum, & ad hoc generale Concilium, tanquam ad unicum superiorem & judicem in terris pertinere hujusmodi causæ, & omnium propositorum contra Dominos Benedictum & Gregorium nominatos contendentes, seu, ut asserunt, colludentes, cognitionem, examinationem, decisionem, & omnimodam determinationem omnium singularum ad dictam causam pertinentium.*

Eugenius triennio post Basileense Concilium Ferrariam transtulit: Verba sunt:

Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Doctoris gentium admoniti saluberrima, suavissimáque doctrina, hortantis, ut sollicitii simus servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, ad ea maximè intendimus 11
aciem mentis nostræ, & indefessa sollicitudine, cura & cogitatione conatus omnes intendimus, per quæ in corpore mystico, sancta scilicet Ecclesia, perpetua charitas & pax inviolata perduret: Ac si quæ membra dissentiant, ea corpori commodè reuniantur suo, ut dum per Spiritus sancti gratiam, qui est Patris & filii amor atque connexio, membra omnia sub Christo capite, unum in Ecclesia corpus efficiamur, unica etiam per unitatem spirituum in Christo societas fiat & pax, quæ est perfecta unitatis vinculum, sincera caritate & concordi animorum conjunctione servetur, omnésque discordiæ, & scissuræ fomites extinguantur. Et multis interpositis: *Tenore præsentium, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia ac ex plenitudine potestatis civitatem Ferrariensem, quam etiam pro futuro Oecumenico Concilio ex nunc assumimus, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc pro loco dicti Concilii transferendi nominamus, assignamus, & etiam deputamus.* Et post alia: *Districtiùs inhibemus, ne in præfata Basileensi civitate, aut alibi, quàm in civitate Ferrariensi supradicta deinceps (ut suprà præmittitur) Concilium, aut aliquis conciliaris actus teneantur, seu aliquod officium ad ea subordinatum de cætero exerceatur, neque etiam aliquis in dicta Basileensi civitate remanere, præterquam ad articulum Bohemorum, ut dictum est, & ad alium locum, quàm Ferrariam sub nomine aut prætextu Concilii accedere audeat.* Infrà: *Datum Bononiæ, anno Incarnat. Dominica* M. CCCCXXXVII. XIV. *Cal. Octob. Pontif. nostri anno* VII. Hæc translatio in 12
Basileensis Concilii sessionem XXVI. vel XXVII. incurrit.

IV. E duabus Constantiensis Concilii declarationibus seu decretis, quæ Basileensis Synodus instauravit & asseruit, primum à Leone X. & à Lateranensi Synodo semel atque iterum confirmatur. Semel quidem, cùm Leo & Lateranensis Synodus non obscurè significant, se ea tantùm rescindere, quæ Basileensis Concilii translationem subsecuta sunt: At decreti primi instauratio & assertio Concilii translationem annis quinque præcessit. Iterum verò, cùm Leo & Lateranense Concilium postremam decreti secundi clausulam tantùm abrogant, quæ nimirum ad jus indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum pertinet, & illud comprehendit. Hæc autem exceptio regulam firmat in contrarium, atque ita, ut verè asseveranterque dici possit, Leonem X. & Lateranense Concilium ad Constantiensis Concilii decretum primum & secundum præter ea, quæ mox notavimus, à Basileensi Concilio instauratum ac vindicatum pondus adfecisse auctoritatis suæ. Qua in re prætermittendus non est Eugenius IV. qui anno M. CCCCXXXIV. præcedentia Basileensis Concilii acta confirmavit, ut relata ante illius verba fidem faciunt amplissimam. Eugenius igitur, Leo, & Lateranense Concilium sentiunt; generale Concilium legitimè congregatum & universalem Ecclesiam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habere; cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis *etiamsi*

13 *Papalis existat, obedire tenetur* in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris; deinde necessariam esse Concilii celebrationem, quæ in Constantiensis Concilii capite, Frequens, decernitur. Sic Eugenius, Leo, & Lateranense Concilium agnoscunt Papam Concilio subjici, Concilium supra Papam esse, quia ei obedientiæ nexu obligatur.

V. Hic non possum non subjungere, quæ Julianus Cardinalis in Epistola 11. ad Eugenium volentem dissolvere Basileense Concilium perscripsit: *Non permittat, inquit, se sanctitas vestra à quoquam seduci incutiente fortè timorem, ubi timendum non est, aut persuadente, hoc non esse legitimum Concilium. Scio me offensurum eandem sanctitatem, si velim probare contrarium, sed melius est, ut paululum offendam verbis, & prosim factis. Nam medicus infirmo apponit cauterium urens, & sanat plagam. Non potest medicina prodesse, nisi gusta sit amara. Sub hac confidentia non verebor patefacere veritatem, ut eâ cognitâ sanctitas vestra sibi & Ecclesiæ consulat. An hoc Concilium legitimum sit, ex Concilio Constantiensi dependet: Si illud verum fuit, & istud. Nemo autem dubitare visus est, an illud legitimum fuerit. Similiter & quidquid ibi decretum est. Nam siquis dixerit, decreta illius Concilii non esse valida, fateri necesse habet, privationem olim Joannis* (XXIII.) *factam vigore illorum decretorum non valuisse; si illa non valuit, nec etiam Papæ Martini tenuit electio facta adhuc illo superstite. Si Martinus non*
14 *fuit Papa, nec sanctitas vestra est, quæ per Cardinales ab ipso factos electa est. Nullius ergo magis interest, defendere decreta illius Concilii, quam sanctitatis vestræ; & si quodcunque illius Concilii decretum revocetur in dubium, eadem ratione poterunt revocari & reliqua ejusdem Concilii decreta. Hac eadem ratione nec aliorum Conciliorum decreta valebunt, quia qua ratione vacillat fides unius Concilii, vacillabunt reliqua omnia.* Et quibusdam interpositis: *Per Concilium autem Constantiense fuit factum decretum, Frequens, in quo statuitur, quod primum Concilium fiat in quinquennium à fine illius, & aliud in septennium à fine Concilii Constantiensis: Quinquennio elapso celebratum est Papiense, vel Senense, a cujus fine elapso septennio cœptum est celebrari istud.* Et quibusdam interpositis: *Unde nullatenus est ambigendum, quin Concilium* (Basileense) *fuerit legitimum & canonicè congregatum. Et forsitan vix unquam legitur aliquod Concilium tot auctoritatibus innixum, sicut per duo videlicet præcedentia Concilia, Constantiense & Senense, & duos Romanos Pontifices confirmatum.* Infrà: *Asserunt etiam prædictam dissolutionem fieri non potuisse, obstante quodam decreto Constantiensis Concilii, quòd in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem schismatis, & ad reformationem Ecclesiæ in capite & in membris quemlibet cujuscunque conditionis etiam Papalis teneri obedire statutis & ordinationibus & præceptis cujuscunque Concilii generalis, & nisi obedierit puniatur,* &c. *Ecce posse statuere*
15 *in aliquem, posse præcipere, posse punire non obedientem, signa sunt evidentia superioritatis in his, in quibus statuit, præcipit, aut punit. Teneri autem obedire, & subjici ac parere, signa sunt inferioritatis in prædictis casibus. Ergo in prædictis casibus etiam Papa, ut dicunt, sit inferior Concilio quod etiam facto probatum fuit, (nam propter unum de tribus casibus Concilium privavit Joannem, & propter alterum privavit Benedictum) non poterit Papa dissolvere Concilium, quia inferior in eo, in quo est inferior, non potest solvere vel ligare superiorem.* Et post alia: *Item probatur hoc alia ratione. Nemo dubitat si contra aliquem Summum Pontificem ageretur de hæresi, quòd ipse non posset Concilium dissolvere, quia si posset dissolvere, non posset judicari. Quod esset contra cap. si Papa dist.* XL. *Ergo sicut in hæresi, sic in aliis duobus casibus: Isti enim tres pacificati sunt per Concilium Constantiense. Eodem modo loquitur Concilium Constantiense, sicut cap. si Papa. In illo uno, ut prædixi, facto Concilium Constantiense approbavit hanc sententiam, quia propter schisma privavit Petrum de Luna, & propter deformitatem vitæ privavit Joannem. Et si qua jura reperiuntur, quæ dicunt, Prima sedes non judicatur à quoquam, & primam sedem nemo judicat, & nemo sibi dicit, cur ita facis, intelligenda non sunt in his tribus casibus: In principio de fide provisum fuit per cap. si Papa, in aliis duobus per decretum Constantiense; alioqui si sine alia exceptione intelligeretur illud, Prima sedes,* &c. *tunc prædictum cap. si Papa* XL. *dist. & prædictum decretum*
Constantiense essent falsa. Et si cap. si Papa casum hæresis 16
istos duos addidisset, nemo dubitaret de prædicta sententia. Sic enim nemo debet dubitare de decreto Concilii, quod factum est auctoritate Papæ, & repræsentat universalem Ecclesiam. Et si dicatur, in Conciliis intelligitur excepta auctoritas Papæ, respondeo illud verum, quando persona Papæ specialiter non includitur; sed si specialiter includitur, non potest excipi, quia saperet contradictionem. Hæc dixi, Beatissime Pater, Deus est mihi testis, cum displicentia animi, sed coget ita dicere, ut sanctitas vestra desinat à prædicta dissolutione, ne contingant infinita mala in Ecclesia Dei. Julianus iste Basileensis Concilii Præses primùm à Martino V. deinde ab eodem Eugenio designatus fuerat, qui & quæ de Eugenio, Leone, & Lateranensi Concilio mox observavimus, omnino confirmat. In summa ii non potuerunt discedere ab Apostolicæ Sedis traditione, quam in nostris ad Hieronymum Samboeuvium literis tam perspicuè proposuimus.

Postrema decreti secundi clausula difficultatem majorem habet, quæ expediri non potest, nisi dicatur ingenuè, Leoni X. & Lateranensi Concilio fraudulenter obreptum esse. Hinc enim Leo & Concilium prorsus innuunt, se non improbare, quæ in Basileensi Concilio ante illius traslationem gesta fuerant, inde affirmant, *Romanum Pontificem solum pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere.* Et hoc ipsum est, cujus contrarium Constantiensis & Basileensis Synodi definierant, & Martinus V. atque Eugenius IV. 17
approbaverant. Immo verò Eugenius semel, iterum, & tertiò approbavit: Semel, cùm sub Gabrielis Condulmerii nomine Constantiensi Concilio interfuit: Iterum cùm ex Gabriele factus Eugenius Papa IV. per Julianum legatum suum Basileensis Concilii sessioni 11. interfuit & præfuit: Denique cùm in ejusdem Concilii sessione XVI. bullam tertiam revocat, quam ut antè vidimus sciente se confectam esse negat; non alia reor de causa, nisi quòd in ea Romanus Pontifex *super omnia Concilia potestatem habere* diceretur. In duobus enim eventis, quæ nominat, potiores Concilio, quàm Papæ partes attribuit. Verba sunt: *Si Papa vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, contrà Concilium affectaret, Papæ sententia vel ejus Legati personam Summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa, nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Igitur bullam tertiam hanc non revocat propter verba, *nisi fortè quæ statuenda forent Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda;* Sed tantummodo revocat propter verba: *Cùm super omnia Concilia potestatem habeat Papa.* Ut autem revocaret, inductus fuit, ni fallor, à Juliano Cardinali, cujus orationem sine dubio nervosissimam suprà retulimus. Eugenius ante revocatio- 18
nem hanc concordabat generali Concilio Basileensi legitimè congregato, & ita concordabat, ut si Romanus Pontifex à Concilio discordasset in iis, quæ ad Catholicam fidem & universalis Ecclesiæ statum & tranquillitatem pertinent, attendenda fuisset Concilii potiùs,

quàm

quàm Eugeni ipsius sententia. Post revocationem Basileensi Concilio magis adhuc ac magis concordat. Nam ad rerum momenta duo, de quibus inter Concilium & Papam conveniebat, adjicitur, quod Papa super omnia Concilia potestatem non habere se consentiat secundis cogitationibus, quæ primis meliores esse consueverunt. Ex quo rursus colligitur Leoni & Lateranensi Concilio obreptum esse, cum id sibi adjudicent, quod Eugenius in frequentissima celebritate & clarissima luce sibi abjudicandum esse censuit.

Deinde si revocanda fuit postrema illa decreti secundi clausula, per Concilium Constantiensi & Basileensi numerosius revocanda fuit. At Lateranense Concilium Constantiensi & Basileensi numerosius non est.

In Constantiensi Concilio *adfuerunt Patriarchæ* IV. *Cardinales* XXIX. *Archiepiscopi* XLVII. *Episcopi* CL. *& Abbatum, Præpositorum, Priorum, & omnis generis clericorum ingens numerus*, ut Joannes Cochlæus scribit in libro II. Historiæ Hussitarum. Michael Bucchingerus Concilii hujus Patres aliter enumerat in Ecclesiastica historia: *Huic*, inquit, *Synodo universali interfuerunt* IV. *Patriarchæ, Cardinales* XXVII. *Archiepisco-*
19 *pi* XLIX. *Episcopi* CCLXX. *Abbates & Doctores* DLXIV.

Qui Basileensis Concilii Patres numero definierit, eum hactenus invenire non potui. Quidquid id est, cùm in sessione II. Eugenii Legatus præsideat, & Basileense Concilium dicatur universam repræsentare Ecclesiam, idoneus ac legitimus Patrum numerus esse debuit: Quod instituto nostro sufficit.

At in Lateranensi Concilio adfuerunt tantùm Cardinales, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi XVI. Patriarchæ & assistentes Papæ & Oratores XI. Archiepiscopi & Episcopi LIII. Abbates & Ordinum Generales V. omnes octoginta quinque; magnam partem ex Italis constans Synodus; Christianissimi Regis orator nullus; missi è Gallicanis Provinciis antistites nulli. Deinde in sessione XI. Lateranense Concilium non dicitur universam Ecclesiam repræsentare. Hoc autem cùm ita se habeat, Lateranense Concilium Constantiensi & Basileensi Conciliis non potest non esse longe minùs numerosum. Hinc efficitur, ut Leo X. qui Leonis I. vestigia premere vult & insistere, per Lateranense Concilium Constantiensis & Basileensis Conciliorum decreti secundi clausulam ante relatam abrogare non potuerit, alioqui secum pugnaret non imitando reipsa Leonem I. quem ad imitandum sibi proposuit. Leo I. exemplum hoc in Epistola XXV. ad Theodosium dedit: *Ecce ego, Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab*
20 *Ecclesiâ supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram Sanctis Angelis Christi*, UT OMNIA IN EO STATU MANERE JUBEATIS, IN QUO FUERUNT ANTE OMNE JUDICIUM, DONEC MAJOR EX TOTO ORBE SACERDOTUM NUMERUS CONGREGETUR. Hac in re Leo X. imitatus non est Leonem I. qui si Conciliorum Constantiensis & Basileensis decreta duo, Martini V. & Eugenii IV. assensu & comprobatione sancita vidisset, longè aliter ac Leo X. fecisset ac dixisset. Dixisset utique quod in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite IV. scribit: *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa.*

His causis adductus contendo Leoni X. & Lateranensis Concilii Patribus octoginta quinque obreptum esse, cùm ii ut Pragmaticam Sanctionem, quæ in Basileensi & Bituricensi Conciliis edita fuerat, abrogarent, sibi sumpserint, *Solum Romanum Pontificem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere.*

Nunc veniendum est ad propositionem tuam alteram, & videndum, an ratio hæc, quam Leo X. & Concilii Patres sibi assumpserunt, idoneis & legitimis auctoritatibus confirmetur. Has singillatim expendo, prout in relato Constitutionis fragmento citantur.

I. Scripturæ sacræ testimonium citatur, sed quo in 21
loco extet, non dicitur. Fortasse dicis gratia citatur. Quidquid in causa, probationis modo huic repugnant juris axiomata duo; alterum quidem: *Quæ notabiliter facta sunt, nisi specialiter notentur, quasi neglecta videntur.* L. item apud Labeonem §. ait Prætor. de injur. Alterum vero: *Non sufficit aliquid in genere proponere, quando qualibet species eundem non operatur effectum*, gloss. ord. in cap. I. §. Siquis igitur. In verbo speciem. De except. in VI. Ex quocunque igitur Scripturæ testimonio non probatur, Romanum Pontificem indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum jus plenum habere: Quo fit, ut non sufficiat Scripturam sacram in genere proponere.

Præterea Scripturæ testimonium nullum est, quod Sancti Patres de indicendis, transferendis, ac dissolvendis per solum Romanum Pontificem Conciliis unanimi consensu intellexerint. Hoc autem necesse esse nos docet Tridentina Synodus in sessione IV. *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis* 22
à jure statutis puniantur. Hæc in formam juramenti professionis fidei sic rediguntur: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* Hoc planè sine ulla exceptione recipio; ne ullus detur locus Scholasticæ illius Theologiæ, quam Lutherus per contemptum sic definiit: *Scholastica Theologia ea est, quæ à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis & Philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est.* Sunt enim, qui aliquando Philosophicas rationes in locum interpretationis Sanctorum Patrum sufficiunt. Hos ut Lutherum & Lutheri definitionem abominor: Sed eam definitionem exosculor, quam tunc Luthero Parisienses Theologi opposuerunt; est autem talis: *Scholastica Theologia est divinarum Scripturarum peritia, recepto, quem Ecclesia approbat, sensu, non spretis orthodoxorum Doctorum interpretationibus & censuris, & interdum aliarum disciplinarum non contempto suffragio.*

II. Sanctorum Patrum dicta citantur, sed dictum nullum particulatim citatur. Probationis modo huic repugnant juris axiomata duo, quæ mox in medium adduximus. Præterea Sanctorum Patrum nullus est, qui memoriæ prodiderit, penes unicum Romanum Pontificem esse, Concilia indicere, transferre, ac dissolvere. Quinetiam Beatus Hieronymus, cùm esset inter eum & Rufinum de Synodo quadam controversia, ab Rufino minimè quærit, A quo Pontifice congrega- 25
ta Synodus fuerat, sed à quo Imperatore? *Responde, quæso*, (inquit in libro II. Apologiæ) *Synodus, à qua excommunicatus est* (Hilarius) *in qua urbe fuit? Dic Episcoporum vocabula, profer sententias, subscriptiones, vel diversitatem vel consonantiam? Doce, qui eo anno consules fuerint? Quis Imperator hanc Synodum jusserit congregari*

III. Romanorum Pontificum dicta citantur, sed dictum nullum speciatim citatur. Probationis modo huic repugnant juris axiomata duo, quæ num. I. exhibuimus. Profectò Leo X. respectum habere non potuit ad Leonem I. quem subsequi & imitari constituit. Hic Pontifex non indicebat Synodos, sed rogabat Imperatores, ut indicerent. Ad Theodosium scripsit precatus, ut in Eutychetis causa intra Italiam Episcopale Concilium fieri juberet. Leonis verba sunt in Epistola IX. *Pro integritate fidei Catholicæ Christianum Principem convenit esse sollicitum: Ex hoc indefessis precibus divinam misericordiam posco, ut cordi vestro id quod est veritatis inspiret, neque falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur.* Et post alia: *Unde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium; citò (auxiliante Deo) poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari.* At nullum in Italia habitum est Concilium: In Oriente habitum est, ut Leonis ad eundem Theodosium Epistola XII. nos docet: *Quoniam tamen pietas vestra, quæ in honorem Dei religiosissimè Catholicam diligit*
24 *veritatem, apud Ephesum constituit Synodale Concilium, ut imperito sermone ea, in qua nimis caligat, veritas innotescat.* In Epistola XIII. ad Pulcheriam Augustam de nimium brevi indictionis tempore conqueritur: *Augustissimus verò & Christianissimus Imperator cupiens quàm celerrimè turbata componi, Episcopali Concilio, quod Ephesi vult haberi, nimium breve & angustum tempus indixit, diem Calendarum Augustarum præstituendo conventui, cùm à tertio die iduum Maiarum, quo serenitatis ejus scripta suscepimus, major pars reliqui sit temporis absumenda, ut profectio sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari.* Imperator tempus non prorogavit. Denique in Epistola XVIII. ad eandem Pulcheriam: *Ne autem Piissimi Principis dispositioni, qua Episcopale Concilium voluit congregari, nostra videretur præsentia defuisse, fratres meos Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum misi, qui præsentiæ meæ vicem implere sufficiantur.* Hæc pauca de multis.

Postquam autem Ephesina Synodus in prædatoriam evasit, & meruit, ut Ephesina Synodus secunda non dicenda diceretur, Leo controversiam per seipsum non diremit, sed de instauranda Synodo alia cogitavit. Hinc ad clerum & plebem Constantinopolitanæ urbis Epistolam XXIII. scripsit, in qua consilium suum ita proponit: *Et quoniam oportet vos post divinum auxilium etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter & sæpemet exposcite, ut petitioni nostræ, qua plenariam indici Synodum postulamus, Clementissimus*
25 *Imperator dignetur annuere.* Ea de re ad Theodosium scribit in Epistola XXV. cujus verba aliud agens suprà retulimus. Itáne verò? Sic Leo indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum jus plenum habet, ut Leo X. habere se dicit? Quis istud ex Leone I. conficeret?

Hormisda Pontifex hanc in Anastasio Imperatore congregandorum Conciliorum potestatem agnoscit in Epistola V. *Ergo quia mansuetudo vestra futuram Synodum scriptis sacratissimis* INDICAVIT, CUI NOS INTERESSE DEBERE *iisdem paginis, Deo, ut credimus, sibi imperante commonuit.* Et post alia: *Veruntamen licet in hoc nullum sæculi præcedentis extet exemplum, neque senioris facti qualitas, aut commissa libris, aut memoriis inserta teneatur, nihil ad nos, quibus dulce est beneficio Dei, pietate vestra invitante inchoare meliora: Et hoc quod non accepimus à parentibus, tam clari operis institutum nobis ipsis imponere, quia totum pro redintegratione fidei & Ecclesiarum pace facere, libenter amplectimur.* Imperator simulaverat velle se Oecumenicam habere Synodum, quam Heracleæ indixerat, ad eámque ut apparet, Hormisdam acciverat. Ubinam Hormisda sibi, quod Leo X. vindicat?

Agatho Papa in sua ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium Augustos Epistola, quæ actione IV. Synodi VI. refertur: *His itaque mansuetissimi rerum domini divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus, orsus sum meliori refectus confidentia paulatim, iis,* QUÆ PER MANSUETISSIMÆ FORTITUDINIS VESTRÆ SACRAM DUDUM PRÆCEPTA SUNT, *efficaciter* PROMPTAM OBEDIEN- 26
TIAM EXHIBERE, *ut personas, quales secundùm temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poterant inveniri,* PRO OBEDIENTIÆ SATISFACTIONE *inquirerem, & cum consilio consamulorum meorum Episcoporum, tam de propinqua hujus Apostolicæ Sedis Synodo, quàm de familiari clero amatores Christiani Imperii, & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad* PIISSIMA TRANQUILLITATIS VESTRÆ VESTIGIA PROPERARENT, *hortarer.* Et post alia: *Ideóque Christianissimi Domini & filii secundùm* PIISSIMAM JUSSIONEM *à Deo protegendæ mansuetudinis vestræ pro* OBEDIENTIA, *quam debemus, non pro confidentia eorum scientiæ quos dirigimus, præsentes famulos nostros Abundantium* &c. *Licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum imperium, dum jusserit ejus clementia, similiter satisfaciendi, in quantum eis duntaxat injunctum est.* Et post alia: *Satisfaciendum est nostro exiguo famulatui apud Serenissimorum Dominorum nostrorum clementiam pro tarditate missarum ex Concilio nostro personarum,* QUAS DIRIGI PER SUAM SACRAM AUGUSTISSIMAM VESTRUM PIISIMUM IMPERIUM JUSSIT. Et post alia: *Personas autem quas de nostra humilitatis ordine prævidimus dirigere ad vestra à Deo protegenda fortitudinis vestigia, quæ omnium nostrûm, id est, universorum per Septentrionales vel Occiduas regiones Episcoporum suggestionem prælibavimus, offerre debeant, suppliciter obsecrantes, ut à Deo coronato vestro Imperio favente hæc eadem ab omnibus prædicari, atque apud omnes obtineri jubeatis.* Siccine loquuntur Pontifices, qui 27
indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum jus plenum sibi vindicant? Ut loquitur Leo X.

Gregorius II. receptum morem convocandæ ab Imperatoribus Synodi generalis attestatur in Epistola ad Leonem Isaurum: *Cùm Dominus,* inquit, *Germanus, quique tunc temporis erat Dominus Georgius suggessissent, persuasissentque Constantino Constantis filio Justiniani patri, ut ad nos scriberet, sub interposito jurejurando scripsit ad nos, & nobiscum egit, ut ad universalem Synodum congregandum viros utiles mitteremus.*

IV. Sacrorum Canonum Decreta citantur, sed decretum nullum speciatim citatur. Probationis modo huic repugnant juris axiomata duo, quæ num. I. edidimus. Adhæc neque vetus Codex Canonum Romanæ Ecclesiæ, neque codex Canonum Ecclesiæ universæ, neque Codex Canonum Africanæ Ecclesiæ canonem repræsentat ullum, quo in Romanum Pontificem indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum jus plenum transscribatur. Huc pertinet Florentinæ Synodi definitio; in qua statuitur, ut Romanus pontifex universam Ecclesiam gubernet & regat, *quemadmodum & in actis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur.* At neque acta Oecumenicorum Conciliorum, de quibus Florentina Synodus loquitur, neque sacri canones continent jus illud plenum, quod à Leone X. citatur.

V. Conciliorum confessio propria vindicatur, sed
Concilium nullum speciatim citatur. Probationis mo- 28
do huic repugnant juris axiomata duo, quæ mox laudavi.

Deinde repugnant ipsa Concilia. Nicænum in literis, quas ad Alexandrinam Ecclesiam & Episcopos per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim constitutos scribit: *Quoniam Dei gratia, Deóque carissimo Principe Constantino ex diversis provinciis & civitatibus nos* CONVOCANTE *magna & sancta Synodus Nicæa celebrata est, necessarium duximus, ab universo Concilio etiam ad vos*

literas misti, ex quibus intelligere possitis, quænam in eo proposita & examinata, quænam decreta & stabilita sint. Cujus verò hortatu & consilio Imperator id fecerit, Epiphanius in libro II. contra hæreses num. LXVIII. designat: *Verùm paullò post Alexandri sanctissimi Alexandriæ Episcopi studio & hortatu beatæ memoriæ Constantinus Synodum in urbe Nicæa congregat, ubi Arii dogma post ejus mortem damnatum est.*

Sardicense in Epistola Synodica ad Ægyptios & Africanos: *Sæpe multúmque in servos Dei rectæ fidei cultores, audaciam suam exercuerunt Ariomanitæ, dum spuriam doctrinam subjiciunt, & toti in hoc sunt, ut orthodoxos ejiciant: Tanta autem vi jam contra fidem insurrexerunt, ut ne pietatem quidem religiosorum Imperatorum latuerit. Quapropter cooperante Dei gratia* RELIGIOSISSIMI PRINCIPES NOS EX DIVERSIS PROVINCIIS ET CIVITATIBUS IN UNUM CONVOCAVERUNT, *cupientes, ut sancta Synodus in Sardorum civitatem conveniret, quò omnis controversia præcideretur.*

Aquileiense in secunda ad Imperatores Gratianum,
29 Valentinianum, & Theodosium Epistola, illos precatur, ut Synodum Alexandriæ fieri jubeant propter Timotheum Episcopum, qui nonnullorum dissidiis urgebatur: IDEOQUE PETIMUS VOS, CLEMENTISSIMI ET CHRISTIANI PRINCIPES, UT ET ALEXANDRIÆ SACERDOTUM CATHOLICORUM OMNIUM CONCILIUM FIERI CENSEATIS, *qui inter se plenius tractent atque definiant, quibus impertienda communio, quibus servanda sit.*

Constantinopolitanum I. in Epistola Synodica ad Damasum, Ambrosium, & alios Episcopos Romæ congregatos. Post expositam Ecclesiarum calamitatem: *Nunc verò postquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos caritate tanquam membra propria per religiosissimi Imperatoris literas evocastis.* Non dicit, vos per literas vestras, sed per Imperatoris, qui sine dubio ab Episcopis Romæ congregatis rogatus fuerat, ut Orientales Romam ad Concilium accerseret: Accersiit, sed illi venire se non posse causati sunt.

Ephesinum I. in singulis pene actionibus. Prima sufficiet: SYNODO CONGREGATA IN EPHESIORUM METROPOLE EX DECRETO RELIGIOSISSIMORUM ET CHRISTIANISSIMORUM IMPERATORUM. Et post alia: *Iuvenalis Hierosolymorum Episcopus dixit: Legatur pium Piissimorum Christianissimorúmque Imperatorum nostrorum edictum ad omnes Metropolitanos destinatum, rebúsque quas tractare incipimus, velut fax quædam præluceat.*

Calchedonense in actione I. *In Calchedonensi civi-*
30 *tate facta est Synodus ex* DECRETO PIISSIMORUM ET FIDELISSIMORUM IMPERATORUM VALENTINIANI ET MARTIANI. Et post alia: *Conveniente sancto & universali Concilio* SECUNDUM SACRAM PRÆCEPTIONEM *in Calchedonensi urbe congregato.* Id in actionibus pene singulis iteratur.

Constantinopolitanum III. in actione I. *Conveniente sancta & universali Synodo, quæ* SECUNDUM IMPERIALEM SANCTIONEM CONGREGATA EST. Sic & in aliis actionibus, & præsertim in decima octava; ubi Synodicæ literæ ad Agathonem Papam mittuntur: *Sanctum & universale Concilium, quod per Dei gratiam, &* PIAM SANCTIONEM PIISSIMI AC FIDELISSIMI IMPERATORIS CONSTANTINI CONGREGATUM EST.

Nicænum II. in omnibus actionibus, & præsertim in septima, ubi fidei definitio sancitur: *Sancta magna ac universalis Synodus, quæ per Dei gratiam, &* SANCTIONEM PIORUM ET CHRISTIANORUM IMPERATORUM CONSTANTINI ET IRENÆ MATRIS EJUS CONGREGATA EST *secundò in clara Nicæensium Metropoli*, &c.

Constantinopolitanum IV. in actione X. *Sancta magna & universalis Synodus, quæ per divinam voluntatem & gratiam &* SANCTIONEM IMPERATORUM BASILII ET CONSTANTINI CONGREGATA EST *in hac regia urbe.*

Quis verò ex enumeratis Conciliis Nicæno I. Sardicensi, Aquileiensi, Constantinopolitano I. Ephesino I. Calchedonensi, Constantinopolitano III. Nicæno II. Constantinopolitano IV. colliget, ad solum Romanum Pontificem indicendorum, transferendorum, ac dissol- 31
vendorum Conciliorum, jus plenum attinere, ut Leo & Lateranense Concilium attinere, & id *manifestè constare* scribunt?

VI. Alexandrina Synodus citatur, cui Athanasius interfuit, & quæ Felici Romano Pontifici scripsit, Nicænam Synodum statuisse, non debere absque Romani Ponificis auctoritate Concilia celebrari. Sed supposititia citatur Alexandrina Synodus; quod Baronius ad annum CCCLVII. non dissimulat: *Quæ* (Epistola) *fertur*, inquit, *Athanasii nomine ad Felicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina scripta ab Episcopis Ægypti, Thebaidos, & Libyæ, haud ægrè probatur: Quippe quod qualis fuerit status Ecclesiæ Alexandrinæ ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix sedere cœpit, jam satis superiùs est demonstratum, ut nullus planè locus vel tempus cogendæ Synodi potuerit esse, Athanasio fuga lapso, & in eremo latitante, atque aliis Episcopis pariter exturbatis. Sunt præter hæc alia multa, quæ ibi posita, minus arrident, ut cùm de ipsius Felicis ordinatione Athanasius eundem Felicem reddit certiorem. At ipse suas merces mercator emat.*

Quis autem & qualis Episcopus Athanasio Felix fuerit, Athanasius ipsemet describit in Epistola ad solitarios: *Hoc*, inquit, *ministro* (Epicteto neophyto homine) *utens* (Constantius) *incredibile facinus designavit, & quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi, & jure comitiorum tres Eunuchos præsentes esse jusserit tresque item* [illegible] *malis imbutos moribus exploratores (non enim eos Epi-* 32
scopos dixeris, οὐ γὰρ ἄν τις ἐπισκόπους εἴποι) *ut ipsi Felicem quendam Episcopum in palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognitu hæreticorum pravitate non permisere eos Ecclesiam intrare, proculque ab iis recesserunt. Quid igitur hic, quod Antichristi non sit, omisit?* Et tamen, si Leoni X. credamus, benedictus ille Felix est, ad quem Athanasius cum aliis Episcopis ex Alexandrina Synodo scripsit, quod Leo X. scripsisse dicit. Præterea, ubinam sunt Græca Alexandrinæ Synodi & Synodicarum literarum exemplaria? Quis ea vidit unquam? Quis Latino sermone donavit?

Ad extremum verba hæc: *Non debere absque Romani Pontificis auctoritate Concilia celebrari*, haud præ se ferunt, *Solum Romanum Pontificem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere*: quemadmodum non præ se ferrent, si pariter diceretur, non debere absque Alexandrini, Antiocheni, Constantinopolitani, & Hierosolymitani Pontificum auctoritate universalia Concilia celebrari. Quis quæso ex illis verbis concluderet, Alexandrinum, Antiochenum, Constantinopolitanum, Hierosolymitanum Pontifices tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentes, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere?

VII. Leo I. citatur, utpote qui Ephesinam Synodum secundam ad Calchedonensem transtulerit: Sed id quod res est, minimè citatur, ut ex iis, quæ jam 33
de Leone I. & Calchedonensi Concilio observavimus, manifestum est. Leonis Epistolæ omnes, quæ de Ephesina Synodo II. & de Calchedonensi loquuntur, de translatione tali silent contumaciter, indicendorum ac proinde transferendorum Conciliorum potestatem

Impe-

Imperatoribus assignant. Sed quod rei caput est, veterum nemo unquam dixit, Ephesinam Synodum II. Calchedonem translatam fuisse. Hæc [illegible] posteriorum temporum ignorantiæ deputanda est.

VIII. Martinus V. citatur: *Qui præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nullâ consensus ipsius Concilii mentione habitâ, dedit.* Sed Concilium, quia non intercessit, consensit. Deinde Martinus exequitur decretum (Frequens) Constantiensis Concilii, quod Pontificem Concilio subjectum esse declaravit. Tum in ipso decreto habetur: *Locum autem pro futuro Concilio celebrando deputatum absque evidenti necessitate non mutet.* Quare cùm propter evidentem necessitatem Concilii locum mutavit, de consensu Constantiensis Concilii mutavit. Res ista commodè narratur in Basileensis Concilii sessione 1. postquam decretum (Frequens) lectum & confirmatum est: *Atque pro ipsius executione decreti civitas Papia apud Italiam fuit electa pro generali Concilio in fine tunc proximè sequentis quinquennii celebrando. Quod quidem Concilium suo decreto tempore in dicta civitate Papiensi celebrari extitit inchoatum, & inde certis ex causis ad civitatem Senensem translatum. In quo quidem generali Concilio Papiæ inchoato, & in Senensi civitate celebrato, hæc*
34 *Basileensis civitas pro celebratione tunc futuri generalis Concilii post septennium à fine ipsius Senensis Concilii celebrandi fuit electa & debitè assignata, ut constat in instrumento publico*: Quod ibidem postea refertur.

IX. Ephesina Synodus I. citatur, quæ Celestino, Calchedonensis, quæ Leoni I. sexta, quæ Agathoni, septima, quæ Adriano I. octava, quæ Nicolao, octava etiam, quæ Hadriano II. maximam reverentiam exhibuit. Quid tum verò? inde non consequitur, *Unicum Pontificem Romanum tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere*, quod tamen Leo X. sibi sumit. Quænam pro tali lemmate probatio? Miseret me referre.

X. Citantur *Damasus Papa & cæteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse, quandoquidem Romanum Pontificem, cujus ante omnia decebat exspectari decretum, talibus non præbuisse consensum.* Hic non dicuntur cum veritate, quæ veritas ipsa gessit. Synodicæ Damasi & Occidentalium Epistolæ verba truncantur. Integra refero, quæ ad rem faciunt: *Neque præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia exspectanda erat sententia, neque Vincentium, qui tot annorum Episcopatum*
35 *integrè gesserat, neque alios talibus præbuisse consensum.* Ex his autem verbis ut colligi non potest, Vincentium & alios Episcopos, qui Ariminensi Concilio non dederunt consensum, supra omnia esse Concilia, & indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum plenum jus & potestatem habere; sic & colligi non potest, Romanum Pontificem supra omnia esse Concilia, & indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum plenum jus & potestatem habere.

XI. Citatur Leo I. in Epistola ad universos Siciliæ Episcopos: sed hac in Epistola nihil prorsus est, ex quo vel per umbram deducatur id, quod Leo X. & Lateranense Concilium contendunt. Quinetiam Leo I. in Epistolæ hujus capite VII. testatur parere se Nicæno Concilio, quod Canone V. statuit, ut Metropolitani bis in anno Concilia celebrent. Hinc Provinciale Concilium Romam ad diem tertium Calendarum Octobrium indicit. At si ex eo concluditur Romanum Pontificem supra omnia esse Concilia, & indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum plenum jus & potestatem habere, non dissimili modo jus idem Metropolitanis tribuetur omnibus, qui per Nicænum Canonem V. Concilia bis in anno celebrare possunt. Conclusionem verò hanc quis animo æquo feret?

XII. Citatur Nicæna Synodus, quæ rerum à se gestarum confirmationem à Romano Pontifice petiit: Sed hac de re altissimum est apud Eusebium, Athanasium, Severum, Socratem, Theodoretum, Sozomenum, apud omnes antiquos utriusque Imperii scriptores, in codice Canonum Romanæ Ecclesiæ, in codice Cano- 36
num universæ Ecclesiæ, in codice Canonum Africanæ Ecclesiæ, silentium. *Quod de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris scriptoris testimonio profertur, contemnitur*: Baronius in apparatu. Si Nycæna Synodus decretorum suorum confirmationem à Silvestro petiit, Græcè petiit omnino. Quis unquam Epistolæ seu rescripti Græcum vidit exemplar? Quis in Latinum traduxit? Epistolæ inscriptio præ se fert ad Nicænam Synodum convenisse Episcopos CCCXX. quod antiquis scriptoribus omnibus Synodi hujus Episcopos numerantibus adversatur. In inscriptione Osius Cordubensis & Macarius Hierosolymitanus, & cæteri Episcopi CCCXVIII. ad Silvestrum scribunt. Deinde quis tot Episcopis tam imperitam locutionem tribueret? *Censeat Apostolica vestra doctrina Episcopos totius vestræ Apostolicæ urbis in unum convenire, vestrúmque habere Concilium?* Fuerúntne tunc plures urbis Romæ Episcopi, qui in unum convenirent? Epistolæ suppostor rudis & ignarus Apostolicæ Sedis Episcopos, qui nempe Sedi Apostolicæ subsunt, dicere voluit, sed non dixit. In summa reliquæ Epistolæ constructio ineptissima est & miserabilis sensus. Qui pro Silvestro rescripsit ad Synodum, falsarium seipsum prodidit his verbis: *Data V. Calend. Novembris, accepta IV. Idus Februarii Constantino septies & Constantio Cæsare IV. Consule.* Hinc Baronius ad annum CCCXXV. locutus de hac Epistola: *Quæ*, inquit, *ob consules perperam positos commentitia reputatur, utpote quæ data & accepta habeatur sub Consulatu Constantii IV.* 37
cum Constantini VIII. sive VII. qui est ab hoc anno quintus. Profectò Nicænæ Synodi ad Silvestrum Epistola, & Silvestri ad Nicænam Synodum Epistola, sunt Epistolæ duæ, quæ inter se conjunctæ in eandem simul ruinam trahuntur. Illarum malleator vel nescio quis librarius cùm Cresconiam collectionem describeret, huic eas fraudolenter subnexuit, ut rebus falsis antiquitatem aliquam conciliaret, ac fidem.

XIII. Verumenimvero Nicæna Synodus, Calchedonensis, & Synodi aliæ confirmationem decretorum suorum à Romanis Pontificibus petierint & obtinuerint; hoc ad Leonis X. & Lateranensis Concilii scopum nihil attinet. Martinus I. Romæ Synodum habuit, & acta Synodi confirmari voluit à Synodo, quam Gallicani antistites celebrarent, ut traditur in Epistola, quam Martinus ad Amandum Traiectensem Episcopum scripsit. Illius verba sunt hæc: *Ideo necesse habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpa reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & Coepiscoporum nostrorum in hac Romana civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum hereticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, & Apostolico mucrone, Patrúmque definitionibus, uno ore, unóque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere unà cum Encyclia nostra: Ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum,* 38
ut filii lucis, extinguere. Idcircò studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum execremur, quámque sint salutis sacramenta addiscere valeant, atque synodali conventione omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta secundùm tenorem Encycliæ à nobis directa scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda con-

concelebrent, CONFIRMANTES ET CONSENTIENTES EIS, *quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesana nuper exorta à nobis statuta sunt.* Jam vel tacente me vides complexionem esse nullam, quam Leo X. & Lateranense Concilium ex Pontificia Synodorum approbatione & confirmatione inferunt: Alioquin ex Martino I. conficeretur, Gallicanos antistites supra omnia esse Concilia, & indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum plenum jus & potestatem habere, quia Romani Concilii acta postulante Martino I. confirmarunt, & iis consenserunt. Par est utrobique, velis nolis, ratio; quod nisi petatur principium, necessaria consecutione admittendum est.

Hic rursus præ me fero & dico mihi esse certius, quàm quod apud Sagram, Bellarminum Lateranensis Concilii constitutionem nec legisse per seipsum, nec expendisse unquam. Etenim si legisset constitutionem illam expendissetque vel leviter, is nunquam sibi finxisset monstra, quæ debellaret. Et primò quidem sibi finxit Concilium, immutabile decretum fidei condidisse, quod non condidit, nec condere potuit iis rationum 39 momentis, quæ adhibuit, & quæ mox discussimus. Non mentior, sic ille scribit: *Decreta de fide immutabilia sunt, nec possunt ullo modo abrogari, posteaquam semel statuta sunt. Tale est autem hoc, de quo agimus.*

Deinde subjicit: *Quòd verò Concilium hoc rem istam non definierit propriè, ut decretum fide Catholica tenendum, dubium est.* Sic pugnantia loquitur. Nam unum & idem fidei decretum modò certum, modò incertum est. Sed simul docet nescire se, vel dissimulare, quæ sit Catholici dogmatis notio, cujusmodi à Vincentio Lirinensi describitur in Commonitorii I. capite III. *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est verè propriéque Catholicum. Quod ipsa vis nominis ratióque declarat; quæ omnia verè universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem.* Quæ Catholici dogmatis notio & conditio, non Bellarmini, sed adversariorum illius sententiæ multò magis conveniunt, ut videre est in literis, quas & ad Hieronymum Samboeuvium, & ad Christophorum Fauvæum exaravimus.

Postremò illud idem decretum contra seipsum, & pro adversariis religione ficta emolliendum adhuc censet hoc modo: *Et ideo non sunt propriè hæretici, qui contrarium sentiunt, sed à temeritate magna excusari non possunt.* Hoc epicitharisma post fabulam. Vir partim studiis addictus & Curialium Magistrorum signifer inerudita fraude & assentatoriè occupat, quod dicen-40 dum adversariis incumberet: Nimirum ne vetus & perpetua Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditio, quam in antedictis ad Samboeuvium & Fauvæum literis exposuimus, agnoscatur. Hoc autem excusari non potest, nisi Bellarminus Gregorium XI. imitatus fuerit, qui Testamenti tabulis apposuit clausulam hanc: *Item volumus, dicimus, & protestamur ex nostra certa scientia, quòd si in Consistorio, aut in Concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis vel privatis ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliqua turbatione; vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia magnatum, ad eorum forsitan complacentiam seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem; quam coram Deo & hominibus, ut tenemur, præ cæteris profitemur, colimus, & colere cupimus, seu forsitan adhærendo opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus, illa expressè & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.* In tomo VI. Spicilegii Lucæ Dacherii. Bellarminus si Pontificem hunc imitetur, scriptionis suæ maculas eluet, si non imitetur, cordati & sinceri auctoris nomen amittet. Porro autem facilè discet ex hac Testamenti clausula Gregorium tunc temporis, in quo si usquam verum dicitur, omnino sibi abjudicare non errandi privilegium. & continenter Ecclesiæ se & Concilii judicio submittere. Siquidem unum ex altero necessaria complexione deducitur. [illegible] & per inconsequentiam qui aliter, philosophatur. Gregorius mentiri non poterat, qui hac in re Sedis Apostolicæ 41 traditionem sequebatur, quam Bellarminus in libri IV. de Rom. Pont. capite III. & in libri II. de Conciliis capite XVII. XVIII. & XIX. aberrando deseruit. Nec mirum. Secutus non est tractandi methodum, quam Silvester II. In Epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum præscribit: *Sit lex communis Ecclesiæ Catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.* Præterea versabatur in Curia, ubi aliter, quàm docuerat, docere non permittitur, ut Jacobo Sirmondo illius familiari placita nova hæc privatim improbanti aliquando dixit: Quod ab eodem Sirmondo antiqui moris viro, cui plura debere me fateor, accepi. Porrò volentes scire, quænam sit illa Curia, Romanos Pontifices duos Pium II. & Hadrianum VI. conveniant; illum in Epistola ad Martinum Meyrum Moguntini Præsulis Cancellarium; hunc in mandatis, quæ Francisco Cheregato Oratori suo in Germaniam eunti dedit: Profectò discent, quæ postea oblivisci volent.

Nunc restat, ut in pauca conferam, quæ in utraque responsione nostra multis disserui. In Prima Leo X. & Lateranense Concilium Patrum octoginta quinque confirmant Constantiensis Concilii decreta illa duo, quæ Basileense Concilium in sessione II. relegit & approbavit, quæ Martinus V. & Eugenius IV. approbarunt rati, decreta illa duo nihil continere, quod ab Apostolicæ Sedis traditione dissideat.

In secunda Leo X. & Lateranense Concilium Pa- 42 trum octoginta quinque decreti illius secundi clausulam extremam probant & improbant: Probant quidem, quia quæ Basileense Concilium ante illius translationem fecit & statuit, recipiunt: Improbant vero, quia in Pragmaticæ Sanctionis abrogatione sibi sumunt potestatem se super omnia habere Concilia, & indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum Conciliorum jus penes unicum Romanum Pontificem esse. Sed quoniam unum & idem probant & improbant, Leoni X. & Lateranensi Concilio Patrum octoginta quinque fraudulenter obreptum esse vehementer contendo: idque & propter rei veritatem, & propter Apostolicæ Sedis honorem contendo, ne Sedes Apostolica cùm à Martino & Eugenio IV. tum à veteri traditione discordare videatur. Qua in re suppetias mihi venit Clemens VII. Mediceus, qui Leonem X. & illius acta non poterat pro comperto non tenere. Igitur Clemens, ut notatam à me Leonis & Concilii obreptionem assereret, Ludovicum Alamandum, Cardinalem Arelatensem, præsidem Basileensis Concilii, à quo post illius translationem depositus est Eugenius IV. & in ejus locum suffectus Felix V. Beatorum numero adscribit. Ecce tibi adscriptionis diploma!

Clemens Papa VII. dilectis filiis Præpositis & Canonicis Metropolitanæ, ac Priori & Fratribus domus fratrum Celestinorum regularis observantiæ civitatis nostræ Avenionensis, dilecti filii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm sicut accepimus, jamdiu magnus Christi fidelium & potissimum civitatis nostræ Avenionensis erga 43 *Reverendum Petrum de Lucemburgo, & Arelatensis erga Ludovicum Alamandum S. R. E. Cardinalem, & Ecclesiæ Arelatensis Archiepiscopum (quorum corpora, Ludovici in Arelatensi, & Petri in vestro Monasterio respectivè requiescunt) devotionis affectus ita immineat, & populi multitudo, non solum civitatum prædictarum, sed etiam aliarum partium diversarum concurrat, ut in eorum procellis, & hujus caduci sæculi turbinibus, tanquam speciales protectores, fautores, intercessores, adjutores*

tores ad Dominum invocentur. Nec mirum si Dominus
noster Jesus Christus, cujus pro posse, ut fide dignorum
habet assertio, imitatores extiterunt, in die ipsorum preci-
bus eos invocantes miraculis, ac dolorum & angustiarum
sublevationibus adjuvet, opémque ferat & auxilium:
Quandoquidem Petrus tenerus sub annis, & Ludovicus
ipse, ut accepimus, vitam cælestem, castámque & imma-
culatam exegerint, & Petrus in XVII. Ludovicus verò
in LX. vel circa suarum ætatum annis, ut in eorum vitæ
annalibus traditur, suo creatori suas purissimas animas red-
diderint, calcatis hujus mundana vita (quamvis illustri
essent orti prosapia) illecebris. Proinde claræ memoriæ
Rex Siciliæ & Hierusalem tunc in illis partibus degens,
cum multitudine Christi fidelium & miraculorum hujus-
modi stupore, vestráque regulari observantia, & vita ex-
emplaris meritis motus Ecclesias, domum, & conventum
vestrum instauravit, & non parva impensa construi fe-
cit: Vósque propterea ob singulares eorundem Petri &
Ludovici virtutes, quæ innumeræ leguntur, necnon jeju-
44 nia, orationes, vigilias, & quamplures Deo gratas & ac-
ceptas operationes, quas tunc viventes gratia sibi assisten-
te divina operabantur, ita ut cælitum numero piè existi-
mentur relati, cupiatis eorum corpora, quæ ut præmitti-
tur, in eisdem Ecclesiis vestris & locis satis humidis &
subterraneis jacent, ad alia intra tamen Ecclesias vestras
commodiora loca transferre, ipsósque Petrum de Lucem-
burgo, & Ludovicum Alamandum, quorum imagines u-
bique à piis fidelibus à longissimis jam annis cera depin-
gi consueverunt, pro beatis coli & venerari posse. Nobis
præterea venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Tus-
culani S. R. E. Cardinalis de Claromonte illarum par-
tium nostrarum de latere legati, qui ad eosdem, Petrum
& Ludovicum non parvum gerit affectum, & vestro no-
mine humiliter supplicatum extitit, ut hujusmodi vestris
tam piis & honestis desideriis annuere pro nostri pasto-
ralis officii debito, de benignitate Apostolica dignaremur.
Nos igitur qui fideles quoslibet, & præsertim sub suavi
religionis jugo Domino famulantes ad devotionem & ve-
nerationem illorum, qui beati habentur, quantum cum
Deo possumus, libenter excitamus, ut imitatores existere
valeant, vestris in hac parte desideriis piis, utpote ex
magno devotionis fervore prodeuntibus annuentes vobis,
quòd eorundem Petri & Ludovici corpora & ossa ex
subterraneis locis in alia commodiora loca earundem Ec-
clesiarum vestrarum transferre, & ibidem venerabiliter
collocare, & tam vos, quàm alii utriusque sexus fideles
eos pro vestra & ipsorum spirituali consolatione in vestris
Ecclesiis & sacellis pro beatis venerari sine incursu ali-
45 cujus demeriti, vel idololatriæ, seu conscientiæ scrupulo
possitis & valeatis, ac ipsi possint & valeant, auctorita-
te Apostolica tenore præsentium, de Apostolica potestatis
plenitudine concedimus pariter & indulgemus. Non in-
tendimus propterea eosdem Petrum & Ludovicum in Cata-
logum Sanctorum esse relatos, donec servatis debitis solem-
nitatibus in Sanctorum canonizatione servari solitis ad il-
lorum canonizationem deventum fuerit, non obstantibus
constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterísque
contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum
sub annulo Piscatoris die IX. Aprilis anno M DXXVII. Pon-
tificatus nostri IV. Jacobus Sadoletus. Hæc Clemens VII.
de Ludovico: etiamsi Eugenius IV. in diplomate Flo-
rentiæ ad annum M. CCCC. XLII. conscripto: Iniqui-
tatis filium, rebellionum & facinorum multorum reum no-
minet, & à Ferrariensi & Florentino Conciliis damnatum
& universis dignitatibus privatum fuisse dicat.

Verùm Æneas Silvius seu Pius II. stat pro Ludovi-
co, & primus omnium Clementi facem ad Ludovi-
cum in Beatorum ordine collocandum prætulit. Sic
enim de Ludovico loquitur in libro I. de gestis Basi-
leensis Concilii: Medius erat inter omnes primóque lo-
co ut judex fidei, totiúsque disputationis moderator &
arbiter Ludovicus Cardinalis, & Archiepiscopus Arela-
tensis, Prælatus cùm multis virtutibus insignis, tum præ-
cipuè fortis & constans. Infra: Ludovicus Cardinalis
Arelatensis vir omnium constantissimus, & ad guberna-
tionem Conciliorum generalium natus, oratorum omni-
um, qui locuti fuerant, verba resumpsit. Disceptatione 46
habitâ sic finem imponit: Cùmque oratores ubique Eu-
geniani novam doctrinam prædicent, Romanum Pontifi-
cem supra universalem Ecclesiam extollentes, ne ignoran-
tium animæ capiantur, conclusiones tres primas publicare
non omittetis, Apostolum Paulum imitati, qui Petro ad
veritatem Evangelii non ambulanti neque ad horam ces-
sit. Pius subjicit: Hic cùm Arelatensis fecisset loquen-
di finem, omnes in eum affixis vultibus admirationem
stupore prodebant: Deinde laudare hic memoriam, ille
doctrinam, hunc esse unum, qui dignissimè præsideret,
qui & confutare objecta nosset, & (ut præsidentem decet)
impenetrabilem se conviciis exhiberet. Infrà locutus de
certa quadam Ludovici oratione adversus eos, qui
Romanum Pontificem supra Concilium extollebant,
hæc scribit: Alii quidem eum, alii vestimentorum
fimbrias deosculabantur, secutique ipsum complurimi,
prudentiam ejus magnopere commendabant, qui licèt ori-
gine esset Gallicus, Italos tamen hac die summa homi-
nes astutia superasset. Communis tamen omnium opinio
fuit, hoc Spiritus sancti magis, quam ipsius Arelaten-
sis opus fuisse. Infrà: Cogitarat Arelatensis, quod erat
futurum, plurimásque Sanctorum reliquias tota urbe per-
quiri jussit, ac per Sacerdotum manus in sessione por-
tatas, absentium Episcoporum locum tenere: Quæ res
maximè devotionem adauxit in tantum, ut vocato post-
modum de more Spiritu sancto nemo lacrymas continu-
erit.

Deinde in libro II. Sed neque illum preces (gras-
sante peste) neque domesticorum funera flectere potu- 47
erunt (ut secederet) volentem potiùs cum vita periculo
salvare Concilium, quàm cum periculo Concilii salvare
vitam: Sciebat enim, quoniam se recedente pauci re-
mansissent, faciléque committi fraus in ejus absentia potu-
isset. Infrà: Primus omnium electorum (Felicis V.)
Cardinalis fuit Arelatensis, vir & constantiâ insupera-
bilis & prudentia incomparabilis, cujus virtuti haud ad-
scribere timuerim, quæcunque in Concilio gesta sunt,
quia nec sine illo prælati perseverassent, nec alicujus
Principis umbra protexisset. Infrà: Sessio mox secuta
est. Divina autem officia Cardinalis Arelatensis cele-
bravit, quo nemo ceremonias novit meliùs. Infrà: Ut
igitur Cardinalis Arelatensis inter missarum solemnia
communicasset, vocati sunt ad altare communicaturi, e-
tiam secundùm ordinem electores. Infrà: Devotionem
maximè Cardinalis adaugebat, qui Pontificalibus indu-
tus vestibus, nudato & calvo capite Dominicum corpus
quibusque ministrabat, confessionémque in re tali soli-
tam singulis repetebat, ac secutus piissima Salvatoris
Domini nostri Jesu Christi vestigia, quemlibet deoscu-
labatur, hortatus plurimùm, ut quàm quisque posset, pu-
ra anima susciperet Dominum. Quam rem sic ordi-
natè, sic solemniter, sic devotè peregit, ut ex videnti-
bus nemo tenuerit lacrymas, nisi qui pectus habuit, aut
saxeum, aut ferreum. Infrà: De modo reficiendi
eos, qui erant conclave ingressi: Quos inter Cra-
coviensis Archidiaconus diminutionem (cibariorum)
tulit. Cui cùm oves & arietina carnes afferrentur,
subtracta avicula sunt, orante in porta famulo, ut
quod plus esset, id Domino dimitteretur: Sperabat nam- 48
que ex ariete partem, ex ovibus autem non spera-
bat: Dominus tamen aviculam præoptasset. Ideóque
cùm spolium sensit, utique conquestus est, publicéque
testatus, nunquam se diem, postquam Sacerdos fu-
it, tulisse pejorem. Ac cùm rogaretur, ut admira-
tionem haberet, quoniam id obtigisset Cardinali (Are-
latensi:) Proh, inquit, Cardinalem mihi æquiparas,
hominem Gallicum, parcum, eventrem, aut (ut ve-
rius loquar) non hominem. Ego apud eum meo infor-
tunio sum locatus; omnia quæ facit, perlustris mihi cor-
tina indicat, nec adhuc aut bibere eum, aut comedere
vidi: Et, quod mihi molestius est, insomnes noctes,
insom-

insomnésque dies ducit, (quanquam nulla est apud nos dies) aut legit semper, aut negotiatur v Nulla ei minor, quàm ventris est cura; mihi nihil cum eo commune est.

Tum demum in Historiæ de Europa, quam post Ludovici mortem edidit, capite XLII. *In Arelate*, inquit, *ad sepulchrum Ludovici Cardinalis Sanctæ Cecilie ejus urbis Episcopi, quem Basilea in consessu Patrum præsidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta est, & invalidorum frequens undique concursus spe sanitatis factus.*

Hæcomnia Æneas seu Pius de Ludovico, quæ nec in Epistola ad Martinum Meyrum, nec in bulla retractationis, nec in alio opere ut falsò & mendaciter conscripta revocavit unquam, nec Pium revocasse tradiderunt auctores vitæ illius Platina, Joannes Stella, Joannes Antoninus Campanus Aretinus Episcopus, Onu-
49 phrius, Dominicus Tempesta.

Guido Papa Gratianopolitanus Senator in decisione LXXXIV. *Vide Reverendiss. in Christo Patrem D. Ludovicum Alamandi Card. Arelat. cujus corpus jacet in civitate Arelat. & ibi claret miraculis.*

Wernerus Rolewinkius Cartusianus in Fasciculi temporum ætate VI. ad annum M. CCCCXXXIV. *Ludovicus*, inquit, *Alamandi Episcopus Arelatensis, vir sancta vita, & mira patientia, singularisque columna Concilii Basileensis, qui diu præcedit, multis coruscat miraculis.*

Parisiensis Senatus in suis ad Ludovicum XI. super Pragmatica Sanctione admonitionibus art. XVII. *Post obitum suum claruerunt miraculis Andegavensis Episcopus Michael, Arelatensis Episcopus, & Prælati alii.*

Jacobus Bergomensis in libro XV. Chron. *Ludovicus Arelatensis, vir doctissimus atque eloquentissimus, qui Basileensi Synodo ex consensu omnium Patrum præfuit his temporibus, cùm multa edidisset opuscula, & quidem digna, non sine magna sanctitatis opinione decessit, & eam ob rem ad ejus sepulchrum magna miraculorum opinio orta est, & infirmorum magnus concursus.* Hæc isti auctores duo æquales vel tempore proximi, quæ etiam Pii II. narrationi consentiunt.

Guillelmus Paradinus Bellijocensis Decanus in Sabaudici Chronici lib. III. capite XXXII. de Ludovico scripsit Gallicè, quæ Latinè sic vertimus: *Præterea creatus fuit Cardinalis Archiepiscopus Arelatensis, Ludovicus Alamandus, vir hoc tempore scientiâ nulli comparandus, cujus sanctitas editis post obitum miraculis comprobata est.* Hæc ad annum M. DLX.

Lambertus Vanderburchius in Sabaudorum Ducum libri I. Amedeo VIII. *Ludovicus Allemanus Archipræsul Arelesius admirandæ pietatis eruditionisque vir, miraculis quoque mortuus inclaruit.* Hæc ad annum M. D. XCVIII.

50 Cæsar Nostradamus in parte VII. Historiæ Provinciæ, ubi Arelatensium Episcoporum post Sanctum Cæsarium successionem describit, Gallicè hæc tradit, quæ Latina fecimus: *Guillelmo successit Beatus Ludovicus Alamandus, Archiepiscopus & Cardinalis, qui singularis fuit columna Basileensis Concilii, miraculis clarus.* Hæc ad illud tempus auctor; qui cùm indigena fuerit, nonnisi perspecta & animadversa monumentis consignavit suis. At præ cæteris notanda sunt, quæ à Cisterciensibus Monachis Monasterii Altæcumbæ in Sabaudia post Ludovici mortem gesta esse mox dicturi sumus.

Petrus Monodus è Societate Jesu in Amedei Pacifici capite LXXXVI. *Interest Amedei nostri innocentia, ut præcipua illius consessus* (Basileensis) *capita noscantur. Princeps occurrit Ludovicus Alemanus tituli Sanctæ Ceciliæ Cardinalis Arelatensis vulgò nuncupatus, quem tanto libentiùs probris eripio, quanto religiosius est consecratos & Divis adscriptos pia oratione tueri.*

Deinde paullò pòst narrat in Altæcumbæ Monasterio, ubi Ludovicus mortalitatem exuit, facellum illi exstructum, & ut Confessori Pontifici in missa litatum esse in hæc verba: *Sacerdos & Pontifex & virtutum opifex Cardinalis gloriose, Pastor bone in populo, in patria Provincia, qui placuisti Deo vivens religiosè, intercede pro nobis in cælis victoriam ad Dominum Deum, cantans melodiosè: Ora pro nobis, Sancte Ludovice Cardinalis, ut per te eruamur ab universis malis. Oremus. Deus, qui meritis & intercessionibus Beati Ludovici Alemandi Confesso-
ris tui atque urbis Arelatensis Episcopi, & Sanctæ Ceciliæ 51
Presbyteri Cardinalis dignatus mortuos suscitare, cæcos illuminare, claudis gressum & surdis auditum restituere, concede propitius, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum.* Monodus libro huic nomen haud apposuit, sed eum composuisse mihi inter alia dixit, cùm anno M. DC. XXXV. ineunte Octobri, Româ rediens Taurini illum inviserem.

Bellarminus in libri IV. de notis Ecclesiæ cap. XII, XIII, & XIV. inter ejusdem Ecclesiæ notas ponit efficaciam doctrinæ, sanctitatem vitæ, & gloriam miraculorum: Quæ tria in Ludovico Arelatensi reperiuntur. Non memini, legere me ullum è Basileensi Concilio ad Ferrariense vel Florentinum transiisse vel Cardinalem, vel Episcopum, quem tot & tanti auctores æquales supparesve paribus elogiis prosecuti fuerint, & quem perinde ac Ludovicum Arelatensem Romanus aliquis Pontifex Beatorum numero indiderit. Evolvi Historias, repetii temporum memoriam, replicavi annalium monumenta, scrutatus sum Pontificum Maximorum commentarios, excussi fastos Ecclesiæ, Calendaria & forulos quoscuoque, sed ad indagationem nostram appositum nihil invenire potui præter judicia Dei, quæ sunt abyssus multa, quæ justa sunt omnia, nec ulla injusta esse possunt.

Non me latet fuisse è recentioribus, qui Ludovicum rerum à se in Concilio Basileensi gestarum pœnituisse prodiderint. Sed intus ii sibi non veritati canunt, non historiæ, quæ verè scribenda est semper: Charibdim
inter & Scyllam navigantes dicendum sibi esse prævi- 52
debant, vel Pontificem subjici Concilio, vel Clementem VII. errasse, cùm Ludovicum Beatorum numero adscripsit. Occupati suis præjudiciis, neutrum in se volebant recipere. Ficta est ergo pœnitentia; commentum est purum putum, quod obruitur silentio auctorum omnium, qui à Basileensis Concilii tempore floruerunt, usque ad annum M. D. XXVII. quo Clemens VII. Ludovicum ordini Beatorum intulit. Ludovicus in Basileensi Concilio se bene gessisse persuasus erat, & idcirco de rebus à se in eo Concilio gestis pœnitentiam nullam egit. Id facilè confirmatur ex Lausanensis Synodi diplomate, quod Odoricus Raynaldus ad annum M. CCCC. XLIX. ita refert: *Sacrosancta generalis Synodus Lausanensis, in Spiritu sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, ad perpetuam rei memoriam. Multis ab annis circumspicientes Ecclesiam Catholicam gravissimis impedimentis & conturbationibus infestari.* Et post aliquammulta: *Ad laudem igitur Dei omnipotentis, salutem, pacem, & consolationem omnium Christi fidelium, sancta hæc Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, matura, unanimi, concordique deliberatione præhabita, in suis sacris deputationibus, votis dilectissimorum Ecclesiæ filiorum, Ludovici Sanctæ Ceciliæ Arelatensis, Ludovici tit. S. Susannæ de Uvarambone, Georgii tit. S. Mariæ in Transtyberim Viennensis vulgariter nuncupati, Joannes tit. S. Calixti, Joannis tit. S. Stephani in Cælio Monte de Arcus,
Bartholomæi tit. S. Marci Cornetani vulgariter nuncupati, 53
& Guillelmi tit. S. Marcelli S. R. E. Presbyterorum Cardinalium, necnon dilectorum Ecclesiæ filiorum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Electorum, Abbatum, Ducum, divini & humani juris magistrorum & doctorum, ac omnium & singulorum eidem sanctæ Synodo incorporatorum, præfatum dilectissimum Ecclesiæ filium Thomam in Summum eligit Pontificem, nomine, quo nunc appellatur, Nicolaum V. appellandum, atque pro Summo Pontifice habeatur, præsentis decreti tenore ex certa scientia statuit & ordinat & decernit, juribus, decretis & ordinationibus etiam*

SACRI BASILEENSIS CONCILII *quibuscunque non obstantibus, quibus quoad hujusmodi actûs celebrationem volumus esse derogatum.* Hæc Lausanensis Synodus anno M. CCCCXLIX. XIII. Cal. Maii, postquam Felix V. eodem anno VII. Idus Aprilis & in eadem Synodo seipsum Pontificatu abdicaverat. In hac Synodo Basileense Concilium, à quo & depositus fuerat Eugenius & suffectus in ejus locum Felix præside Lodovico, *sacrum* adhuc nominatur. Deinde Ludovicus insequenti anno die X. Septembris demigravit ab hominibus, ut est in ejus Epitaphio: Nec de Ludovico narratur, illum in fine vitæ dixisse aliquid vel fecisse, quod ullam de rebus in Concilio Basileensi gestis pœnitentiam testetur. Sed de Eugenio res aliter se habet: Hic cùm esset morti proximus, apud Raynaldum anno M. CCCCXLVII. aliquid dixisse memoriæ proditur, quod nisi pœnitentiam ostendat, certè mihi terrorem injicit. Verba sunt:
54 *Cúmque à religiosis viris cinctus esset, interpuncta suspiriis voce, versóque ad eos vultu dixisse fertur: O Gabriel, quantò magis conduxisset animæ tuæ saluti, ut nunquam Cardinalatum, nec Pontificatum obtinuisses, sed in tuo monasterio religiosam disciplinam coluisses!* Hæc ex vitæ Eugenii auctore, qui tunc claruit, & à Raynaldo laudatur. Quæ verba in Ludovico Arelatensi pœnitentiam ingentem Raynaldo designarent, eidem in Eugenio non designant, quia Raynaldus sibi canit, & præjudiciis ducitur.

Nicolaus V. Lausanensis Concilii decretum si gratum habuit, Ludovicus pœnitentiâ non indiguit; si verò ingratum, Clemens VII. Ludovicum pœnitentiâ non indiguisse censuit. At quis Raynaldi non miretur audaciam, qui ut Nicolaum V. purpuratorum Collegio restituisse Ludovicum probet, Æneæ seu Pii II. caput XLII. de Historia Europæ citat in margine, ad annum M. CCCCXLIX. quis, inquam, Raynaldi non miretur audaciam, cùm ibi Pius Ludovici virtutes & miracula prædicet? *In Arelate*, inquit, *ad sepulchrum Ludovici Cardinalis S. Cæciliæ, ejus urbis Episcopi, quem Basilea in consessu Patrum præsidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta est, & invalidorum frequens undique concursus spe sanitatis factus.* Sic Raynaldi judicio Cardinalatus Ludovico jam vitâ functo, & miracula patranti restituitur. Homo iste lectores suos stipites & bardos futuros esse sperat, qui nihil videant, nihil intelligant.

In summa rem absolvit Clemens VII. qui suo in diplomate pœnitentiæ istiusmodi non meminit, nec opi-
55 nor adjunctum ponderis tanti silentio prætermisisset. Hic Pontifex non eâ, quâ per ignorantiam Raynaldus, Religione ducebatur; Apostolicæ Sedis traditionem apprimè noverat, quâ Romanum Pontificem Conciliis subesse credebatur. Descriptæ ab Hadriano decessore suo Curiæ placitis, quæ Raynaldus fecerat sua, non adhærebat; doctrinæ antiquitatem novitati anteponebat. Nos Clementem & Sedem Apostolicam sequimur, non Raynaldum, non Curiam, absit per Deum immortalem!

Alexander VII. ad Clementem, ni fallor, accurrit, & nobis suffragatur in Constitutione, quam in favorem sententiæ asserentis Deiparam ab originali peccato fuisse præservatam edidit VI. Idus Decembris anno M. DCLXI. Verba sunt: *Accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis.* Inter Academias celebriores illas Parisiensis nostra eminet; nec opinionis suæ fundamentum aliud habet præter id, quod à Basileensi Concilio jactum est in sessione XXXVI. Testantur hoc Facultatis suæ Commentariis eruditi Parisienses Theologi duo, Joannes Major, & Judocus Clicthoveus; Hic in tractatu de Immaculata Conceptione Virginis: *Sacrosancta*, inquit, *Theologorum Parisiensium Facultas conformans suas sanctiones Basileensi Concilio, constituit, neminem esse admittendum in suum consortium, nisi juramentum solemne præstiterit, se eam sententiam obnixè defensaturum & prædicaturum, quòd Beata Virgo fuit prorsus expers originalis culpæ.* Ille in caput I. Lucæ: *Nostra item Theologorum apud Parisios Facultas vestigiis Concilii* (Basileensis) *innixa, nullum Baccalaureum in Theologo-* 56 *rum consortium admittit, nisi jurejurando hanc sanctionem probaverit.*

Adhæc Parisiensis Universitas in literis, quibus à Lateranensi Concilio (quod cœtum non in Spiritu Domini congregatum nuncupat) provocandum censuit, provocationis suæ caput præcipuum statuit, factam ab illo *repudiationem Basileensis Concilii, in quo judicatum est, gloriosam Virginem Mariam sine peccato originali fuisse conceptam.* Coloniensis Academia se circa illud tempus Parisiensi adjunxit; ut Joannes Major observat in secundum Sentent. dist. XXX. quæst. IV.

Hæc autem omnia cùm sic se habeant, Alexander VII. à Clemente VII. vix dissentire potest, quia Basileensis Concilii decretum factum est in sessione XXXVI. quam deposito Eugenio, substituto in illius locum Felice V. & Beato Ludovico Cardinale Arelatensi præside celebratam esse nemo nescit. Itaque si Alexander VII. Academias celebriores Parisiensem & Coloniensem ex eo approbat, quod immaculatam Virginis Conceptionem propugnaverint, Basileense Concilium approbet necesse est: Basileensis Concilii Patres Magistri sunt Parisiensium & Coloniensium, Parisienses & Colonienses, Basileensium Magistrorum discipuli. Absolvuntur nonnunquam Magistri, & condemnantur discipuli, sed condemnatis magistris discipuli nunquam absolvuntur. Argumentum istud eo est efficacius, quòd Alexandrum & in rerum Ecclesiasticarum cognitione, & præsertim in Theologicæ quæstionis hujusce historia exercitatum ac versatum esse mihi persuadeam. Imitatur, ut audio, 57 Gregorium XIII. de quo istud narratur à Dominico Tempesta in illius vita: *Literarum studia vir doctissimus nunquam intermittebat, etsi gravibus curis distentus. Illáque non semel ex ejus ore audita sententia est, nullum magis decere plura scire, quàm Romanum Pontificem.* Intelligebat vir prudens, scientiæ clavem debere potestatis & jurisdictionis clavem præcedere; alioqui clavis hæc errori exponeretur.

His causis impelli potest quis ut credat, Alexandrum VII. qui non privatis sed publicis Ecclesiæ utilitatibus ductur, id perfecturum, quod Clemens VII. incepit. Præ manibus est occasio: Ludovicus Arelatensis & Franciscus Gebennensis eâdem operâ, eodem diplomate consecrari possunt, & Sanctorum Catalogo inferri. Veteratores quidam causabantur Franciscum de Romani Pontificis auctoritate non bene sensisse, quòd Clericorum & Monachorum exemptiones plenas in Epistolis suis condemnaverit, eásque musco similes comparatione insigni dixerit. Sed apud Alexandrum profecerunt nihil. Repulsa est calumnia, & Franciscus Beatorum ordini adscriptus. Hoc ipsemet Pontifex Carolo Suessionensium Episcopo confirmavit anno M. DC. LXII. In Ludovico, quem Clemens VII. in serie Beatorum annis abhinc centum & triginta septem posuit, nullus est jam paris calumniæ locus, nulla ἰψευδοίας ratio. Recentiores siqui essent Ludovici & Clementis adversarii, *sine retractatu doctrinarum revincentur, quod hoc sint de præscriptione novitatis.* Tertullianus in libri I. 58 contra Marcionem capite I.

Cæterum facilè mihi persuadeo, Melchiorem Canum, Dominicum Bannem, & alios, qui Parisiensis nostræ Universitatis appellationem malè exceperunt, non vidisse, quod videre debuerant, diploma illud, quo Julius II. Lateranense Concilium indicit: Ubi sese à congregandæ Synodi negligentia defendit: *Quis tanti erroris particeps est, qui nos de negligentia erga convocationem Concilii redarguere possit, cùm nihil nobis per ultimos undecim annos, quibus Cardinalatûs officio functi sumus, magis cordi fuerit, quàm celebrari videre generale Concilium, & Ecclesiæ Romanæ statum in melius reformari? Quid enim felicis recordationis Alexandro VI. Romanorum Pontifici prædecessori nostro magis nos odiosos fecit, nisi studium & cura generalis Concilii celebrandi? Quid nos terra*

marique

marique jactavit, cùm nobis idem Alexander prædecessor esset infensus? Quid toties Alpes transcendere transalpinat, Gallias peragrare per æstus, nives, & glacies compulit, nisi quòd nitebamur, ut à Romano Pontifice Concilium indiceretur, convocaretur, & celebraretur? Nota recensemus & Principibus Christianis apertissima. Et quibusdam interpositis: *Nulla nostra culpa, neque S. R. E. Cardinalium dilata est generalis Concilii indictio, convocatio, celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum, quæ sub eodem Alexandro prædecessore nostro vexare cœpit Italiam, & adhuc vexare non cessat, & instans necessitas recuperandi terras & jura ejusdem Romanæ Ecclesiæ. Nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationem promptissimum atque integerrimum fuit.* 59 *Quare spiritum diffidentiæ deponant, & ita hujusmodi calumniæ auctores, reversi ad cor, mordere desinant pastorem & patrem animarum suarum.* Et post alia: *Quod verò attinet ad constitutionem Concilii Constantiensis, quæ incipit, Frequens hujusmodi, ea ad octuaginta annos servata non fuit, & si servata fuisset, teste piæ memoriæ Eugenio Papa IV. etiam prædecessore nostro, ac sacrorum Canonum sanctionibus, ex causis prædictis licuit nobis transgredi. Et quod fortius est, stante legitimo impedimento, de quo suprà, eam locum non habere certo certius est.* Sic omnino loquitur, qui se Conciliis & sacris Canonibus obnoxium esse credit; non verò sic loquitur, qui se supra Concilia esse omnia, nec Canonibus subjici credit. Excusat se Julius, ut excusaret se quilibet alius Præsul, qui occurrente impedimento justo Constantiensis Concilii decretum aliquod exequi non potuisset. Itaque Julius, ut quilibet alius Præsul, sublato impedimento decretum illud exequi tenetur. Huc spectant, quæcunque adfert Julius, ut convocandæ Synodi negligentiam à se depellat. Præterea, Julium lapsum esse memoriâ, cùm dixit Constantiensis Concilii constitutionem ad octuaginta annos servatam non esse. Ab anno enim M. CCCCXLII. quo finita est Basileensis Synodus, ad annum M. DXI. quo Lateranensis indicta est, anni non intercedunt octuaginta, sed tantùm sexaginta novem.

Deinde si vidissent, quam videre debuerunt, formidolosam & horrificam illam (vix audeo dicere) Julii ejusdem constitutionem, in qua simoniam *veram atque in-* 60 *dubitatam hæresim*, & electum simoniacè Romanum Pontificem, non hæreticum modò, sed etiam *hæresiarcham* à Christianis omnibus vitandum usque, dum ille à generali Concilio deponatur, non ex alia, quàm sua sede pronunciat, à Parisiensibus nostris non dissensissent. In constitutione hac, quomodocunque intelligatur, omnia, nisi me fallit animus, consummantur.

Tum si vidissent, quod videre potuerunt, relatum Clementis VII. diploma, & si quam videre non potuerunt, vidissent laudatam Alexandri VII. Constitutionem, omnino sibi temperassent à maledictis, quibus Parisiensis Universitatis nostræ appellationem à Lateranensi Concilio lacesserunt. Sed non omnia videre, aut scire possumus omnes. Tu mecum illos excusa: danda est eis venia, ut eam nobis dari vellemus, si similiter, id est, per juris & facti ignorantiam peccassemus. Vale. Lutetiæ Paris. pridie. Idus. Sept. anno M. DC. LXIV.

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS, Epistolarum PARS SECUNDA.

Joannes Launoius, RAIMUNDO FORMENTINO, Parisiensi Theologo.

1 CUM videri tibi dicis, Bellarminum in libri II. de Conciliis capite XVII. nec secundum Ecclesiæ, nec secundùm Dialecticæ leges tractare Scripturæ loca quinque, quibus Romanum Pontificem *simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale* colligit, me simul levas onere, quod imponis. Hoc sine dubio longè prospiciebas animo responsurum me; cùm significasti, nec supervacaneum, nec inutilem futurum esse commentariolum, quo Scripturæ loca retractarentur singula, & ad neglectas à Bellarmino regulas exigerentur.

Primus Scripturæ locus est in Evangelii Lucæ capite XII. *Quis est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*

Alter in Epistolæ I. Pauli ad Timotheum, capite III. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò: Si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Tertius in Evangelii Joannis capite ultimo, *Pasce oves meas.*

Quartus in Epistolæ Pauli ad Ephesios, capite IV. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in*
2 *opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Et post alia: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus.*

Quintus in ejusdem Epistolæ capite V. *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.*

Atque hæc sunt Scripturæ loca, quibus auctor ille lemma, quod sibi sumpsit, & tam confidenter proposuit, confirmat. Sed negligit tractandi methodum, quam Tridentina Synodus duobus in locis præscribit. Et Primùm quidem in sessione IV. *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure statutis puniantur.*

Deinde in forma juramenti Professionis Fidei, quam Pius IV. ad Synodi mentem conscribi curavit: *Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.*

At Bellarminus Tridentinæ Synodo minimè paruit; præstitutam ab illa tractandi methodum insuper habuit. 3
Tantum enim abest, ut relata Scripturæ loca quinque juxta unanimem consensum Patrum acceperit & interpretatus fuerit, ut ne unum quidem e Patribus propositi lemmatis assertorem ediderit & in medium protulerit. Hoc autem observasse, non modò Bellarmini placitum confutasse est, sed etiam ostendisse, Bellarminum ipsum in Tridentinæ Synodi professionem fidei valde peccasse. Sed utrum ignorantia, quæ vinci non potest, Doctorem tantum excuset, pronunciare non audeo. Quis auderet? Quidquid id est, hoc à Deo Optimo Maximo illi ignosci pervelim.

De locis singulis cum Bellarmino breviter experiendum est, quem in sensum illa Patres exposuerint.

I. Irenæus Lugdunensis Episcopus, Scripturæ locorum primum sic exponit, in libri IV. adversus hæreses capite XLIV. *Paulus Apostolus cùm esset bonæ conscientiæ, dicebat ad Corinthios: Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur: Neminem nocuimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. Tales pres-*

byteros nutrit Ecclesia, de quibus & Propheta ait: Et
dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justitia.
Et Dominus dicebat: Quis igitur fidelis auctor bonus &
sapiens, quem praeponit Dominus super familiam suam ad
danda eis cibaria in tempore? Beatus ille servus, quem
veniens Dominus invenerit sic facientem.

Hilarius Pictavorum Episcopus, in Canone XXVII.
super Matthaeum: Quisnam est fidelis servus & prudens,
4 quem constituat Dominus super familiam suam, &c. Quamquam
in commune nos ad indefessam vigilantia curam adhortetur,
specialem tamen populi Principibus, id est, Episcopis
in exspectatione adventúque suo sollicitudinem mandat.
Hunc enim servum fidelem atque prudentem praepositum
familia significat, commoda atque utilitates commissi
sibi populi curantem. Qui si dicto audiens, & praeceptis
obediens erit, id est, si doctrina opportunitate, & veritate
infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat,
& Verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendat,
atque haec agens, hisque immorans deprehendatur;
gloriam à Domino tanquam dispensator fidelis, & villicus
utilis consequetur, & super omnia bona constituetur, id
est, in Dei gloria collocabitur.

Gregorius Nyssenus, in Nicetae Serrarum Episcopi
Catena, super Matthaei caput XXIV: Fidelis administrator
ac prudens esse possit, rectè ita nobis constituta voluntas.
Laudatur enim, quod pascat familiam per mortificationem
eorum, quae ei contraria sunt. Illorum enim corruptio
nutritio est, ac bona constitutio meliorum. Accusatur
autem malus servus, qui cum ebriosis versatur, plagis
onerans Dei familiam. Plaga enim verè est contra
virtutes malitiae prosperitas.

Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, in caput XII.
Lucae: Et illa quidem in omnes praecepti forma generalis,
verùm series sequentis exempli dispensatoribus, hoc est, sacerdotibus,
videtur esse proposita; quò sciant sibi gravem
in futuram poenam esse subeundam, si saecularibus intenti
deliciis familiam Domini, plebémque commissam sibi, gubernare
neglexerint.

5 Ioannes Constantinopolitanus Episcopus Homilia
LXXVIII. in caput XXIV. Matthaei: Caeterùm, quoniam
judicii mentionem fecit, ad Doctores etiam vertit orationem
de poena & meritis disserens: Et primò bonis collocatis,
ad peccatores exitum facit, commodissimè orationem
concludens: Quis ergo, (inquit) fidelis servus & prudens,
quem constituet Dominus suus super familiam suam,
dare ei cibum in tempore suo? Beatus servus ille, quem
cùm dominus ejus invenerit sic facientem, Amen dico
vobis: Quoniam super omnia bona sua constituet eum.
Dic quaeso, num & hoc ignoratus est? Nam si quoniam
nec filium scire dictum est, ignorare ipsum affirmas? Quid
modò dices, cùm dubitando dicere videatur, Quis igitur
fidelis servus? Infrà: Expende autem, qualem haec verba
ignorantiam significare possunt. Siquidem à se constitutum
super familiam suam ignoraret. Beatificat enim eum: Beatus,
inquit, servus ille: Quis verò sit, silentio tradidit.
Quis enim est, ait, quem constituet Dominus super familiam
suam, & Beatus, quem inveniet sic facientem?
Haec autem non de pecuniis solummodo, verumetiam de
verbis, de virtute, de omni dispensatione singulo homini
concessa, dicta sunt. Haec parabola vel ad gerentes, gubernantésque
Rempublicam accommodari potest. Docet enim
unumquemque ad communem utilitatem omnia conferre, quae
sua sunt, sive sapientiam, sive principatum, sive divitias,
sive quidquid aliud, non ad detrimentum conservorum,
nec ad perditionem suam. Quapropter utrumque ab eo
flagitat, prudentiam scilicet ac fidem. Delicta enim ab
amentia originem habent: Fidelem igitur appellat, quoniam
nihil ex rebus Domini sibi attribuit, nec incassum
6 quidquam expendit; Prudentem, quia opportunè dispensare
noverit. Siquidem utraque re nobis opus est, ut scilicet
quae Domini sunt, ad proprios [illegible] rapiamus, & ut opportunè
omnia dispensemus. Nam si utrumque horum absit,
eo absente, alterum omnino claudicat. Infrà: Sed interim,
antequam de punitione dicatur, approbati praemia servi,
qualia sint, audiamus. Nam dico vobis, super omnia bona
constituet. Quid hoc honore majus? Quae oratio hanc dignitatem,
hanc beatitudinem assequi poterit, cùm caelorum
conditor, cui omnia serviunt, hominem super omnia bona
sua constituturus est? Quapropter & prudentem eum appellavit,
quia novit magna pro parvis perdenda non esse,
quia moderatè vitam hic peragens, caelos consecutus est.

Antiquus sed incertus auctor, apud eundem Ioannem,
in Homilia LI. ad caput XXIV. Matthaei: Anima autem
justa quaenam delectamur in corpore? Sed quasi in
exilio sunt: In eas veniente sententia non perfodiuntur, sed
vocantur gaudentes. Quis enim fidelis servus & prudens,
quem constituit dominus ejus super familiam suam, ut det
illis cibum in tempore? Cùm de vigilante & non vigilante
super domum suam Dominus loqueretur; scias, quoniam
plerumque sacerdotes mali populum obdormire faciunt in
peccatis, boni autem excitant à negligentiae somno, & faciunt
vigilare in operibus bonis, quasi assidua tuba doctrinae
suae excitantes ad bona opera animas auditorum: Consequenter
de bonis & justis introducit sermonem, dicens,
Quis est fidelis servus & prudens? Si enim paterfamilias
super possessionem suam villicum ponit; ut non cum singulis
colonis habeat causam, sed de solo villico omnium exigat
rationem: Si ergo inter colonos aliqua indisciplinatio 7
fuerit facta, unusquisque pro suo delicto reus efficitur;
Villicus autem pro omnium delictis: Etsi bene reditum
suum reddiderit, unusquisque quidem pro sua fide laudatur;
villicus autem pro fide omnium remuneratur. Sicut
Deus in populo ideo ordinat sacerdotes, ut actuum eorum
ipsi discutiant rationem: Ideóque peccante populo, unusquisque
quidem pro peccato suo punitur: Sacerdos autem
pro peccatis omnium. Quis est servus fidelis & prudens?
Rem quidem laudabilem proponis, rarissimam autem, ut
quis fidelis inveniatur & prudens.

Hieronymus in caput XXIV. Matthaei: Quis, putas, est
fidelis servus & prudens, quem constituit, &c. Plenius inculcat
& replicat, quare de die consummationis & hora,
nec Angelos caelorum scire praedixerit, sed solum Patrem,
quòd non expediat scire Apostolis; & exemplum patrisfamilias,
hoc est, sui & fidelium servorum, id est, Apostolorum,
ad cohortationem sollicitae mentis interserit, ut
spe praemiorum ministrent conservis in tempore suo cibaria
doctrinarum. (Si autem dixerit malus servus ille in corde
suo, moram facit dominus meus venire, & coeperit percutere
conservos suos; manducet autem & bibat cum ebriis:)
Ex superioribus pendet, quòd sicut sollicitus servus & semper
adventum Domini praestolans, tradit conservis cibaria
in tempore suo, & postea super omnia bona patrisfamilias
constituitur, ita, è contrario, qui juxta Ezechielem dixit:
In tempora longa fiet istud, & non putat dominum citò
esse venturum, factus securior vacat epulis atque luxuria,
& non lenem patremfamilias, sed severissimum sentiet
judicem.

Augustinus Hipponensis Episcopus, in libri II.
de quaestionibus Evangelicis capite XXVI. Quod Do- 8
minus dixit Petro, Quis, putas, est fidelis dispensator
& prudens, quem constituet Dominus super familiam
suam, ut det illis in tempore tritici mensuram, mensuram
dicit, propter modum capacitatis quorumque audientium.

Isidorus Pelusiota in libri III. Epistola CXLV. ad Theodosium
Episcopum, ad illud: Quis est ille fidelis servus
& prudens, &c. Sed quia imperium sibi probè convenire
existimant, ideo tantum sumunt audaciae, ut Episcopum invadant:
Neque ejus difficultatem muneris apud animum
perpendentes, neque vocem Dominicam audientes, quae adeo
rarum negotium esse demonstrat, ut quis ei bene praesit,
ut etiam dubitanda oratione usus fuerit dicens: Quis,
putas, est fidelis servus & prudens, quem constituet dominus
super familiam suam, ut det illis demensum?

Leo primus, Romanus Pontifex, in Epistola XC. ad
Ravennium Arelatensem Episcopum: Justè tamen dicitur
lex non esse posita, quia normam praeceptionis implet
judicio voluntatis, cùm verus recti amor in semetipso
habeat

habeat & Apostolicas auctoritates & Canonicas sanctiones, quarum devotus sectator, & diligens executor in eorum procul dubio consortio gloriaberis, qui de creditorum sibi profectibus talem orum audire meruerunt: Euge serve bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.

Petrus Chrysologus, Ravennæ Episcopus, in Sermone XXVI. de fideli dispensatore: *Quod hodie Dominum interrogantis Petro respondisse legitur, per figuram ad Apo-*
9 *stolos ipsos, ad Doctores tantum, & ad eos, qui Ecclesiæ præsident, dictum, multorum persensit auditus. Interrogat Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Cui respondit Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus servus ille, quem cùm venerit, ita invenerit facientem: Vere dico vobis, quod super omnia, quæ possidet, constituet eum, &c. Ecclesiæ quidem præsules ista quamprimum similitudo constringit: Sed hominem nullum mortalem, nullum prorsus eximit hac figura, quæ dum loquitur ad dispensatorem, omnibus uno interrogante respondit: Si est quisquam, qui à Deo nihil acceperit, discussionem dispensationis, dispensatoris officium non timebit. Homo, si hoc ipsum quod das, accepisti, accepisse te quod habes, quomodo tu negabis? Et de cælestibus conditus, de horreis divinis rationem reddes, præstabit causas Ecclesiæ prorogator: Et quantò majus suscipit creditum, tanto majus se debitum non dubitat redditurum, dicente Domino: Cui plus est creditum, plus exigetur ab eo. Et alibi, Potentes potenter tormenta patientur. Quantò altiùs ascenderit homo lapsus, tantò altiùs cadet.*

Gregorius, Romanus Pontifex, libro IV. expositionis in I. Regum cap. IX. *Omnium ergo fidelium retributiones & præmia, bona sunt Israel: Quia verò electorum prædicatorum merces summa est, eorum sunt optima Israel. De his quippe Israelis optimis, Dominus fideli suo servo repromittit, dicens: Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Qui enim non in omnibus, sed super omnia constituitur, non tantùm bona Israel, sed*
10 *etiam optima habere declaratur.*

Deinde in Pastoralis Curæ parte III. cap. V. *Sciendum verò est prædicatori, ut auditoris sui animum ultra vires non trahat, ne (ut ita dicam) dum plus quàm valet, tenditur mentis chorda, rumpatur: Alta enim quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam veritas dicit: Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extrà fundatur.*

Agobardus Lugdunensis Episcopus, in tractatu de modo regiminis Ecclesiastici, ad Clericos & Monachos Lugdunenses: *Omnis ergo, qui præponitur cæteris sive Clericis, sive Monachis, si ita videtur benevolus & mansuetus atque affabilis, ut subditorum corda in sui amorem & propriam laudem convertat, adulter est, & regimen animarum suscipere numquam debet.* Et paullò pòst: *Qui sic ministrat, sibi ministrat, non Domino; non debet præponi cæteris, qui custodes observationum ad libitum suum, & non ad utilitatem domesticorum, sibimet dispensat, non Domino: Non est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Et paullò post: *Hæc in subjectis ovibus ita observanda sunt; in Prælatis autem Pastoribus alia conditio est: Quoniam sicut beatus est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore.*

Gregorius IX. in Epistola ad Senogalliensem Epi-
11 scopum: *Cùm in minori adhuc officio constitutus, de credito tibi talento fructum acceptabilem, & de labore tuo benedictionis manipulos reportans, dignè velut fidelis servus & prudens super familiam Domini, cui cibum debeas in tempore ministrare, constitui meruisti.* Apud Odoricum Raynaldum in Tom. XIII. Annal. Ecclesiast. ad annum M. CC. XXXII.

Denique Ecclesia in sacro, quod etiam fit in natali Confessoris, non Pontificis, huic tribuit Communionem hanc, *Fidelis servus & prudens*, &c. Id sacerdos seu primi seu secundi ordinis, observasset, ad sacri recitationem tantisper intentus.

Hæc est Patrum expositio, quæ Bellarmini sententiæ nec favet nec favere potest; cùm nullus sit, qui ex hoc Scripturæ loco, non dicam, colligat, sed vel leviter insinuet, Romanum Pontificem *simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat:* Quæ sunt ipsamet Bellarmini verba. Dubium igitur nullum est, quin Scripturæ locum aliter ac Patres, acceperit, & Tridentinæ Synodi decretum neglexerit, & Ecclesiasticam regulam insuper habuerit. Deinde, constituta SS Patrum expositione, tam erit facile, unumquemque alium Episcopum, imò & laicum, quàm Romanum supra Ecclesiam universam esse, ac generalem Synodum, colligere: Quo nihil est absurdius.

Nunc verò, utrum dialecticæ leges melius servaverit, expendendum est. Sic autem ille philosophatur: *Probatur ratione in Scripturis fundata: Nam omnia nomina, quæ in Scripturis tribuantur Christo, unde constat eum esse supra Ecclesiam, eadem omnia tribuantur Pon-*
tifici. Ac primùm Christus est paterfamilias in domo sua, 12
quæ est Ecclesia: Pontifex in eadem est summus Oeconomus, id est, paterfamilias, loco Christi, Lucæ 12. Qui est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, &c. Hic enim per dispensatorem, sive Oeconomum, ut Græcè habetur, intelligunt Episcopum Ambrosius in hunc locum, & Hilarius, & Hieronymus in caput XXIV. Matthæi: Ubi similis habetur sententia. Et quamvis Patres non loquantur expressè de Episcopo Romano, tamen sine dubio sententia Scripturæ illa est: Ut Episcopi particulares sunt summi Oeconomi in suis Ecclesiis, ita esse Episcopum Romanum in Ecclesia universa.

Et primò quidem fallacia est his in verbis: *Omnia nomina, quæ in Scripturis tribuuntur Christo, unde constat eum esse supra Ecclesiam, eadem omnia tribuuntur Pontifici.* Tribuuntur quidem, sed non peræqua proportione tribuuntur: Tribuuntur Christo, ut auctori & fundatori Ecclesiæ; non tribuuntur Pontifici, ut auctori & fundatori Ecclesiæ, sed ut auctoris & fundatoris Ministro & Vicario. Hinc Christus supra Ecclesiam est, non Pontifex. Operis alicujus auctor & fundator, pars non est operis sui; ac proinde Christus non est pars Ecclesiæ, ut est Romanus Pontifex. *Universum autem partibus semper optimo jure præponitur*, ut docet beatus Augustinus in libri II. de Baptismo capite IV. Præterea, cùm Romanus Pontifex sæculis posterioribus in regula fidei poni cœpit, non ponitur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertinet in illa ejus parte, quæ in terris est; ut facilè colligitur ex iis, quæ de Spiritu sancto scribit Augustinus, in Enchiridii capite LVI.
Spiritus, inquit, *Sanctus, si creatura, non creator esset,* 13
summa creatura esset; & ideo in regula fidei non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret in illa ejus parte, quæ in cælis est.

Deinde fallacia est, cum dispensatoris & Oeconomi nomen & notionem, quam ex mente Patrum Episcopis omnibus convenire dicit, ad Romanum unum Episcopum transfert, ut post translationem illam inferat, quod eum inferre notavimus.

Tum fallacia est his in verbis: *Et quamvis Patres non loquantur expressè de Romano Episcopo, tamen sine dubio sententia Scripturæ illa est: Ut Episcopi particulares sunt summi Oeconomi in suis Ecclesiis, ita esse Episcopum Romanum in Ecclesia universa.* Patres de nullo Episcopo loquuntur expressè, sed de omnibus, ac proinde de Romano, uti & de cæteris, quibus Scripturæ locum afferunt. Hinc comparatio hæc, *Ut Episcopi particulares sunt summi Oeconomi in suis Ecclesiis, ita esse Episcopum Roma-*

Romanum in Ecclesia universa, non bene instituitur:
Nam in comparationis reductione dicendum fuit, ita
esse Episcopum Romanum in Romana Ecclesia, non
verò *Episcopum Romanum in Ecclesia universa*, nisi qui
& urbis Episcopus est, idem sit & orbis, Episcopus:
Atque ita non esset, nisi unus in Ecclesia universa E-
piscopus; Nam si qui est urbis Episcopus, idem sit &
orbis Episcopus, cæteri Episcopi tollerentur. Ut alius
in urbe Episcopus præter unum non datur, sic & in or-
be alius Episcopus præter unum non daretur. Ut in
urbe est generalis Romani Episcopi Vicarius, qui Vi-
cesgerens dicitur, sic & in orbe unus aut plures essent
ejusdem Romani Episcopi Vicarii, qui Vicesgerentes di-
14 cerentur. Hæc est ingens Bellarmini comparationis
fallacia, quæ quidem vitaretur, si diceret: Ut Epi-
scopi particulares sunt summi Oeconomi in suis Ec-
clesiis, ita esse universalem Episcopum in Ecclesia u-
niversa. In disputando quidem fallacia non esset, sed
intolerabilis falsitas, quam Gregorius I. perculit &
confixit.

Bellarminus pergit: *Unde Ambrosius in illud* 1. *Ti-
moth.* 3. *Ut scias quomodo te oporteat conversari in do-
mo Dei*, &c. *Domus Dei, inquit, Ecclesia dicitur, cujus
hodie rector est Damasus.* Integer locus sic se habet:
*Sed quia solet aliud placere Deo, cujus providentia ipsi
soli cognita est; Idcirco, ne fortè, inquit, tardavero, scri-
bo tibi, ut scias quomodo Ecclesiam ordines, quæ est do-
mus Dei, ut cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen do-
mus ejus dicitur, cujus hodie rector est Damasus.* Quem
locum hic Ambrosio tribuit, eidem in libri IV. de
amissione gratiæ & statu peccati capite V. abjudicat,
cùm à se laudata in Epistolas Pauli commentaria alteri
tribuenda esse censet. *Duodecimus auctor Commentario-
rum in Epistolas beati Pauli, quæ S. Ambrosio tribuuntur. Is
enim ut Ambrosius à viris doctis non esse creditur, ita æ-
qualis sine dubio fuit. Vixit enim tempore Damasi Papæ,
ut ipse testatur in Comment. cap.* 3. *prioris ad Timothe-
um.* Et primum quidem verisimiliter dici posset illud,
cujus hodie rector est Damasus, additum fuisse ab iis,
qui Commentaria hæc subinde transcripserunt: In
commentario videtur penitus redundare. Sed quia non
vidi exemplar ullum, in quo verba illa desiderentur,
addita fuisse asseveranter dicere non audeo. Commen-
tariorum auctorem esse Hilarium Rom. Ecclesiæ Dia-
15 conum eruditi homines putant: Ex quo ille dicere po-
tuit, *Domus Dei*, seu *Ecclesia rector est Damasus*, Ro-
manam, in qua versabatur, intelligens. Quæ proposi-
tio accomodam, non simplicem suppositionem impor-
tat, ut aliàs in Epistola ad Franciscum Bonum observavi-
mus, & modo Scriptorum æqualium & suppariorum te-
stimonio confirmamus.

Athanasius in Epistola ad Africanos Episcopos: *Suf-
ficiunt quidem scripta Damasi comministri nostri dilecti, &
magnæ Romæ Episcopi.* Infrà: *Scripsimus dilecto Damaso,
Episcopo magnæ Romæ.*

Gregorius Nazianzenus, in oratione XII. *Neque nos
hoc nomine accusent, quòd Vitalii viri nobilissimi fidem,
quam ipsi postulante beato Damaso Romæ Episcopo, literis
consignatam edidit*, &c.

Hieronymus in Chronico: *Romanæ Ecclesiæ* XXXV.
ordinatur Episcopus Damasus. Deinde in Catalogo vi-
rorum illustrium: *Damasus Romanæ urbis Episcopus e-
legans in versibus componendis ingenium habuit.* Tum in
Epistola XI. ad Geruntiam: *Ante annos plurimos cùm
in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis
Episcopum*, &c. *vidi*, &c. Postremò in libro II. Apolo-
giæ contra Rufinum: *Sub nomine ejusdem amici Damasi
Romanæ urbis Episcopi ego petar.*

Rufinus in libri II. hist. capite X. *Damasus post Libe-
rium per successionem sacerdotium in urbe Roma susceperat.*

Sulpicius Severus, in libro II. historiæ sacræ: *At
tum Instantius, Salvianus, & Priscillianus, Romam pro-
fecti, ut apud Damasum urbis ea tempestate Episcopum
objecta purgarent.* Et paullò post: *Hi ubi Romam per-
venere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum* 16
*quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, æque ad-
versantem sibi Ambrosium repererunt. Tum vertere consi-
lia, ut quia duobus Episcopis, quorum ea tempestate sum-
ma auctoritas erat, non illuserant, largiendo & ambiendo
cupita extorquerent.*

Socrates in libri V. hist. Eccles. capite I. *Eisdem tem-
poribus Ecclesiæ, quæ est Romæ urbis primaria præfuit Da-
masus, Alexandrinæ Theophilus*, &c.

Theodoretus in libri II. hist. capite XXII. *Inter
eos verò, qui istarum literarum auctores erant, princi-
pem locum obtinuit Damasus, in Ecclesia Romana pri-
matu successor Liberii.* In iis verò literis, quæ reci-
tantur postea, τῶν Ῥωμαίων ἐπίσκοπος, *Romanorum Epi-
scopus* dicitur.

Sozomenus in libri VII. hist. capite IV. *Eo autem*
(rescripto) *declarabat* (Theodosius) *se velle, ut uni-
versi subditi eam religionem amplecterentur, quam Petrus
Apostolorum princeps Romanis ab initio tradidisset, quám-
que tunc temporis Damasus Romæ, & Petrus Alexandriæ
Episcopus conservarent.*

Prosper, in integro Chron. *Romanæ Ecclesiæ* XXXV.
ordinatur Episcopus Damasus: Et post alia: *Romanæ Ec-
clesiæ post Damasum Siricius præfuit Episcopus.*

Marcellinus Comes in Chronico: *Mense Octobri,
Damasus Romanæ Ecclesiæ excepto Liberio & Felice*, XXXV.
Episcopus, anno Pontificatus sui XVIII. *in Domino re-
quievit.*

Gennadius Massiliensis Presbyter, in libri de Scri-
ptoribus Ecclesiasticis capite XIII. *Quin Hilarium
Pictavensem & Damasum urbis Romæ Episcopum in eo-
dem libro culpat.*

Deinde eadem scribendi ratio in aliis Ecclesiæ Ro- 17
manæ Episcopis à Patribus observatur. Sic enim Pa-
tres scribunt.

Tertullianus in libri de præscriptione hæreticorum
capite XXX. *Constat illos* (Valentinum & Marcionem)
*neque adeo olim fuisse Antonini fere principatu, & in
Catholicæ primò doctrinam credidisse, apud Ecclesiam Ro-
manensem, sub Episcopatu Eleutherii benedicti.*

Cyprianus in Epistola LII. ad Antonianum: *Factus
est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus ju-
dicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis,
quæ tunc adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum
& bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus
esset, cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gra-
dus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.*

Eusebius in Chronico: *Petrus Romæ Evangelium præ-
dicans* XXV. *annis ejusdem urbis Episcopus perseverat*:
Item, *Post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit Li-
nus*: Item, *Tertius Romanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit
Clemens*: Item, *Romanæ Ecclesiæ Episcopatum quartus
suscepit Euaristus*: Et sic de cæteris.

Hilarius in libro contra Constantium: *Vertisti deinde
usque ad Romam bellum tuum; eripuisti illinc Episcopum*
(Liberium.)

Optatus in libro I. contra Parmenianum: *Cùm con-
sedissent Miltiades Episcopus urbis Romæ, & Rheticius, &
Maternus, & Marinus, Episcopi Gallicani*, &c.

Athanasius, in disputatione prima, contra Arianos:
*Si igitur scripta ista ab orthodoxis proficiscerentur, qualia
sunt magni illius & confessoris Hosii, Maximini Galliæ, aut* 18
*ejus successoris, aut Philogonii, & Eustathii, Orientis E-
piscoporum, aut Julii & Liberii, Romanorum Pontificum.*
Iterum in Apologia ad Imperatorem Constantium: *U-
bique jactabatur, Liberium, Romæ Episcopum, & Hispa-
norum magnum illum Hosium*, &c. *in exilium extermi-
natos esse.* Infrà: *Liberius Romæ Episcopus.*

Sardicensis Synodus, nunc *Romanum Episcopum*, nunc
Romanæ Ecclesiæ Episcopum, nunc *Coepiscopum nostrum*
dicit.

Basilius, in Epistola LII. ad S. Athanasium: *Visum
est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ,
ut quæ hic geruntur, consideret, detque consilium.*

Epipha-

Epiphanius, in libri I. contra hæreses capite XXVII. num. VI. *Ex horum factione Marcellina quædam ad nos venit, quæ Aniceti Romæ Episcopi tempore plerosque labefactavit: Aniceti, inquam, illius, qui Pio aliisque Pontificibus successit. Etenim Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt.* Infrà: *Quanquam vel hac ratione poterant, viventibus adhuc Apostolis Petro scilicet ac Paulo, Episcopi alii subrogari: Quòd iidem illi, prædicandi Evangelii gratiâ, in alias urbes regionésque profectionem susciperent; carere autem Episcopo Roma non posset.*

Ambrosius in Epistola LXXVIII. ad Theophilum Alexandrinum Episcopum: *Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ,* id est, Episcopum.

Joannes Chrysostomus in Epistola II. ad Innocentium I. *Innocentio Episcopo Romæ, Joannes in Domino salutem.*

19 Hieronymus, in Catalogi virorum illustrium cap. XXV. *Clemens, quartus post Petrum Romæ Episcopus, scripsit ex persona Romanæ Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum.* In capite XLIII. *Victor* XIII. *Romanæ urbis Episcopus,* &c. In capite LXVIII. *Gaius sub Zephirino Romanæ urbis Episcopo,* &c. In capite LXXV. *Cornelius Romanæ urbis Episcopus,* &c.

Deinde in Epistola VIII. ad Demetriadem: *Dum esses parvula, & sancta ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam,* &c.

Tum in libro I. Apologiæ contra Ruffinum: *Ut Romanæ urbis Pontifex miro eos odio detestetur, meum consilium fuit.*

Denique in libro II. Apologiæ contra eundem: *Veniam ad Apologiam ejus, in qua sanctæ Anastasio Romanæ urbis Episcopo satisfacere nititur.* Infrà: *Clemens Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos Episcopus & martyr fuit, libros edidit.*

Sulpitius Severus, in libro II. historiæ sacræ: *Principes Arianorum; cùm post Synodum Sardicensem viderentur à communione secreti, à Julio Romanæ urbis Episcopo veniam poposcerunt.* Infrà: *Liberius quoque urbis Romæ, & Hilarius Pictavorum Episcopus, dantur exilio.*

Augustinus, in libri II. Retractationum capite LXI. *Sequuntur libri IV. quos, contra duas Epistolas Pelagianorum, ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium, scripsi.* Item in capite I. *Postquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus, ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, convicta atque damnata est.*

20 Theodoretus, in Epistola CXIII. *Leoni Episcopo Romæ.*

Prosper, in Chronico, *Romanæ Ecclesiæ* XXXVII. *Episcopatum tenet Anastasius: Romanæ Ecclesiæ* XXXVIII. *præest Episcopus Innocentius:* Et sic de aliis.

Gennadius, in Catalogi de Scriptoribus Ecclesiasticis, capite LXXXVI. *Victorius, homo natione Aquitanus, calculator Scripturarum scrupulosus, invitatus à sancto Hilaro, urbis Romæ Episcopo, composuit Paschalem cursum.*

Deinde in capite LIII. *Xistus, urbis Romæ Episcopus.* In capite LXIX. *Leo urbis Episcopus.* In capite XCV. *Sanctus Papa Gelasius Romanæ urbis Pontifex.*

Fulgentius, in libro de quinque quæstionibus: *Leo Romanæ præsul Ecclesiæ.*

In summa, cùm Romanus Pontifex mortem oppetiit, locus Petri, & gradus Cathedræ sacerdotalis, Romana Ecclesia vacare dicitur, sed Catholica Ecclesia vacare non dicitur: Romana Ecclesia vacante, dicitur, sed Catholica Ecclesia vacante, non dicitur: Supersunt alii Episcopi, à quibus Catholica gubernatur Ecclesia.

Sic Hilarii Diaconi scribentis intentio æstimanda est ex iis, qui æquales & ætate proximi fuerunt. Romanæ, præterea, Ecclesiæ ea super re traditionem executus sum in Epistola, quam ad Franciscum Bonum dedi.

Bellarminus pergit: *Et Chrysostomus, lib.* II. *de sacerdotio circa initium, hunc ipsum locum, Quis est fidelis servus,* &c. *de Petro exponit.* Si Bellarminus locum per se ipse legisset, eum non de Petro solo expositum reperisset. Ibi Chrysostomus in eo totus est, ut probet 21
sacerdotium, quo quis insignitur, maximum esse charitatis erga Christum testimonium. Verba sunt: *Nam si quoties videmus, servorum pecuariorúmque nostrorum curam à quibusdam suscipi, ex eo studio adversus illa ingenso colligimus, ab iis non amari (etiamsi illa ipsa ejusmodi esse soleant, ut pecuniis veneant.) Qui neque pecunia, neque alia re ulla, sed morte propria ovile hoc redemerit, suúmque proprium sanguinem gregis pretium obtulerit; quanto, quæso, præmio gregis hujus Pastores ac Rectores remuneraturum olim credimus? Propterea enim, cùm respondisset Discipulus: Tu scis Domine, quòd amem te; testémque citasset amoris hujus ipsummet, qui amaretur, haud se continuit servator Jesus, sed & amoris quoque indicium adjunxit. Neque enim tum volebat testatum esse, quantum à Petro amaretur, siquidem id multis nobis argumentis constabat. Verùm hoc ille tum agebat, ut & Petrum & cæteros nos edoceret, quanta benevolentia ac charitate ergà suam ipse Ecclesiam afficeretur, ut hac ratione & nos quoque ejusdem Ecclesiæ studium curámque toto animo susciperemus. Nam qua de causa filio suo eique unigenito Deus Optimus Maximus usque adeo non parcendum putavit, ut etiam quem unicum haberet, hunc daret? Certè ut qui in ipsius offensionem incurrissent, eos sibi reconciliaret, tum verò peculiarem selectúmque sibi populum redderet. Quanam item de causa idem ille sanguinem effudit suum? Certè ut oves eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Jure igitur ac meritò sic loquebatur Christus: Quisnam fidelis servus & prudens, quem Dominus super familiam suam constituit?* 22
Rursus, verba quidem ista hæsitantis esse videntur, cùm tamen ab eo prolata sint, qui minimè hæsitaret. Nam, quemadmodum Petrum dum interrogaret, num ab eo amaretur, interrogabat profectò non ex eo, quòd vellet amorem hujusmodi ex Discipuli verbis intelligere, sed quòd declarare cuperet, quænam censeri deberet nostræ erga se charitatis dilectionisque magnitudo: Ita & hîc dum ait: Quisnam fidelis servus & prudens? Non hoc ait, quod ei ignotus sit fidelis ac prudens servus, sed quòd exprimere velit, tum hoc opus quàm rarum sit, tum quæ sit functionis hujus magnitudo. Contemplare itaque, & præmium quantum: Super omnia, inquit, bona constituet eum. Etiamne nunc nobiscum contendens fraudem istam sibi non bene ac feliciter cessisse, qui per eam universis Dei Optimi Maximi bonis sit præficiendus, cùm præsertim ea agat, quæ cùm Petrus ageret, illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere. Hæc ille: In quibus non discordat à seipso, cùm ex professo Matthæi Evangelium suis Commentariis illustravit. Christi parabolam ad fideles omnes accommodat, & cum primis ad sacerdotes, quibus dominici gregis cura commissa est. Quamobrem, si ex illa concludatur Romanum Pontificem, *simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat,* concludetur pari modo, sacerdotes omnes, immo & fideles alios simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale, *Ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscant.* Quis ita philosophantem animo æquo ferret? 23
quis nonnisi indignabundus audiret?

Bellarminus pergit: *Quòd autem œconomus summus sit supra familiam, & ab ea judicari ac puniri non possit, patet ex hoc eodem loco. Dominus enim ait: Quem constituit Dominus super familiam suam: Et ibidem: Quòd si dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere servos & ancillas, edere, bibere, & inebriari; Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & dividet eum, partémque ejus cum infidelibus ponet. Ubi vides, Dominum servare suo judicio servum illum, & non committere judicio familiæ. Idem*

etiam docet usus omnium familiarum: Nulla enim familia est, in qua liceat inferioribus famulis etiam simul congregatis punire vel expellere œconomum, etiamsi pessimus sit: Id enim ad solum dominum familiæ totius pertinet.

Et primum quidem, Bellarminus abutitur similitudine, qua Christus utitur, & in alienum ab eo, quem Patres exponunt, sensum detorquet. Deinde, Bellarminus nimis probat, ac proinde nihil: Nam probat Dominum suo judicio servare illos omnes, quibus similitudo hæc à sanctis Patribus aptatur. Quid autem fingi potest absurdius? Ut cætera prætermittam, Episcopum, cujuscumque Sedis fuerit, Dominus suo servaret judicio, nec committeret judicio familiæ.

Tum, etiamsi dispensator, œconomus, & paterfamilias à familia sua judicari non possit, non tamen sequitur, eum judicari non posse à multis dispensatoribus, œconomis, & patribusfamilias, qui in unum congre-
24 garentur: Dispensatores, œconomi, & patresfamilias in unum congregati non essent famuli illius dispensatoris, œconomi, & patrisfamilias, qui judicaretur, puniretur, & de officio deturbaretur.

Denique, antistites in unum coacti, non sunt Romani Pontificis famuli, à quibus ille, si causa subsistit, judicetur: Et cùm Bellarminus hoc insinuat, de Romano Pontifice male meretur. Romanus enim Pontifex Episcopos non appellat famulos suos, sed fratres, Coepiscopos, & consacerdotes. Immo tantùm abest, ut Romanus Pontifex cæteros Pontifices appellet famulos suos, ut Christianorum neminem famulum appellet suum. Fideles laicos omnes habet ut filios, & eos hoc nomine compellat. Quæ cùm ita sint, Bellarmini argumentatio, non litigiosi tantùm, sed & pseudographi syllogismi naturam sortitur. Ex principiis Hierarchiæ & Ecclesiasticæ disciplinæ perperam intellectis procedit. Ad has fraudes & fallacias qui descendit, is se profectò declarat extremâ fortunâ confligere, & rebus jam desperatis ac perditis experiri ineptissima quæque velle atque ultima. In summa, Romanus Episcopus judicari non potest ab Ecclesiæ Romanæ Presbyteris & Diaconis, qui omnes sunt illius filii; sed judicari potest à Concilio Episcoporum, quia Episcopi non sunt illius filii, sed fratres, sed coëpiscopi, sed consacerdotes: Et si ab Episcopis, qui sunt illius fratres, coëpiscopi, & consacerdotes, judicari non posset, nullus Episcopus ab aliis Episcopis judicari posset, quia Episcopi omnes sunt fratres, coëpiscopi, & consacerdotes. Unde Cyprianus ait: *Episcopatus unus est, multorum*
25 *Episcoporum concordi numerositate diffusus.* Item: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Quod Symmachus Papa singulari prorsus similitudine sic exprimit: *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos Antistites sacerdotium.*

Augustinus Romani Episcopatus partem à reliquis partibus, quæ ab unoquoque Episcopo in solidum tenentur, ita distinguit in libri 1. contra duas Epistolas Pelagianorum capite 1. *Cùm verò non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque, ad diripiendas tanto pretio redemptas oves, aditus undecumque rimari, communisque sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamvis ipse in eo præmineas celsiore fastigio speculæ pastoralis, facio, quod possum pro mei particula muneris.* Scilicet in officio Episcopatus, qui omnibus omnino Episcopis communis est, unusquisque Episcopus pastoralem speculam tenet; sed Romanus in speculæ pastoralis loco editiore collocatur, non ut causæ fidelium indormiat, sed ut ad Dominici gregis caulas, & ad sacrorum Canonum, qui sunt firmamenta Ecclesiæ, custodiam latiùs advigilet ac faciliùs.

Huc spectabat Gelasius I. cùm in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ scripsit: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & te-* 26
nuit semper, & retinet. Quamobrem pastoralis speculæ locus editior Romanum longè magis, quàm alium ullum Pontificem Conciliis & Canonibus subjicit: Tantum abest, ut ab illorum observatione & subjectione liberet.

II. In secundo Scripturæ loco non immorabimur diutiùs: Quia illum jam aliud agentes expedivimus. Hunc ut Bellarminus cum primo conjunxit, ita & nos cum primi expositione & intelligentia conjunximus, & ostendimus Bellarminum in loci hujus usu bis peccasse: Primùm, quòd Commentarium in Epistolas beati Pauli Ambrosio perperam tribuat: Deinde quòd ex eo male philosophetur. Id autem ostendimus, adductis in medium æqualium, & suppariun Damaso Patrum testimoniis, quæ rem in oculis omnium designant. Notanda est illa ætas integra & matura, de cujus auctoritate contra nonnullas recentium Curiæ adulatorum novitates præscribitur. Quocirca non immeritò Pius II. in Epistola CCCLXXIV. ad Carolum VII. Galliæ Regem petit, *Ut Doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credat, & multa illorum passionibus tribuat.*

III. Nunc videndum est, quomodo Patres tertium Scripturæ locum intellexerint. Incipiam ab ipsomet beato Petro, qui quæ Christus sibi dixit in Joannis capite XXI. interpretari videtur in Epistolæ 1. capite V. *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis passionum Christi, qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè.* Sic 27
quæ Christus Petro dixit, in persona Apostolorum omnium seu Ecclesiæ dixit.

Romanus Clerus sic quoque interpretatur, dum ad Carthaginiensem Clerum scribit, eùmque officii sui admonet & instruit, quid circa lapsos, absente propter persecutionem Cypriano, fieri oporteat: *Didicimus,* inquit, *secessisse benedictum Papam Cyprianum, à Clementio Subdiacono, qui à vobis ad nos venit certa ex causa. Quod utique rectè fecerit, propterea quod cùm sit persona insignis, & imminente agone, quem permisit Deus in sæculo, colluctandi causa cum adversario.* Et quibusdam interpositis: *Et cùm incumbat nobis, qui videmur præpositi esse & vice Pastoris custodire gregem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis, quod & antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes præpositi erant.* Et quibusdam interjectis: *Denique & ipse Dominus implens, quæ erant scripta in lege & Prophetis, docet, dicens: Ego sum Pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis: Mercenarius autem, & cujus non sunt oves propriæ, cùm viderit lupum venientem, relinquens effugit; & lupus dispergit oves. Sed & Simoni sic dicit: Diligis me? Respondit: Diligo: Ait ei, pasce oves meas. Hoc verbum factum ex actu ipso, quo cessit, cognoscimus, & cæteri Discipuli similiter fecerunt. Nolumus ergo, Fratres dilectissimi, vos mercenarios inveniri, sed bonos Pastores; cùm sciatis, tum non minimum periculum incumbere, si non hortati fueritis fratres nostros stare in fide immobiles, ne præcipitantes ad idololatriam funditus eradicetur Fraternitas.* Tunc Fabianus è vita excesserat, & Cyprianus seces- 28
serat; ac proinde Sedes utraque vacabat, Romana & Carthaginiensis. In duobus locis illis, Clerus Ecclesiæ suæ curam susceperat, & eam Romanus in hac Epistola & sibi & Carthaginiensi vindicat, quæ de pascendis ovibus in Evangelio traditur.

Ambrosius, in libri de dignitate Sacerdotali cap. II. *Sic certè à Domino ad beatum Petrum dicitur: Petre, amas me? Et ille, tu scis, quia amo te: Et cùm tertiò fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subjectus, repetitum est à Domino tertiò, pasce oves meas. Quas*

oves

oves & gregem non solùm tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes. Sic quod Christus dixit Petro, in Petro Episcopis dixit omnibus.

Joannes Chrysostomus, tribus in locis: Et primùm quidem in libro II. de Sacerdotio, ubi Basilio, quem velut in dialogum assumit, persuasurus, ut Episcopatum susciperet, Joannis locum hunc adducens, *Tum ostensurum,* inquit, *Basilium eximiam suam dilectionem in Christum, si pascat ejus gregem, cum scriptum sit, Si diligis me, pasce oves meas.*

Deinde, in Homilia LXXIX. super Matthæi caput XXIV. *Amas me, Petre* (inquit) *pasce oves meas: Cùm tertiò ipsum interrogasset, hoc amoris esse argumentum confirmavit. Quod non ad sacerdotes solummodo dictum est, verumetiam ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus esse videtur: Nec enim quia minimus est, negligi debet. Pater namque meus complacuit in ipsis: Habet unusquisque ovem: Ad pinguia eam pascua ducat.*

29 Denique, in Homilia XXXI. de beato Philogonio Episcopo: *Quantum autem sit pietatis argumentum, quòd Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi, Christus excitatus à mortuis quid dicat Petro, Petre amas me? Isque respondisset: Tu, Domine, scis, quod amo te: Si diligis me, pasce oves meas.* Sic quod Christus Petro, in persona Petri sacerdotibus primi & secundi ordinis dixit. Ex his autem tribus locis id facilè intelligitur, quod in Hom. LXXXVII. super Joannem ita scribit: *Cùm magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset:* Deinde in Homilia LXXX. ad populum Antiochenum: *Et per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam contulit:* Denique in Homilia VI. adversus Judæos: *Adeo abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit.* Sustinebat Petrus Ecclesiæ personam, cùm quæ Petro Christus dixit, Chrysostomus ad Basilium, ad Philogonium, ad sacerdotes illos omnes, & ad sacerdotum singulos, quibus vel minimus grex committitur, pertinere dicat.

Quod & modò beatus confirmabit Augustinus. Et primùm quidem, in libri de agone Christiano capite XXX. *Nusquam enim tam vigere debent viscera misericordiæ, quàm in Catholica Ecclesia, ut tanquam vera mater, nec peccantibus filiis superbè insultet, nec correctis difficilè ignoscat. Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus: Huic enim Ecclesiæ claves regni cælorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt; & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me, pasce oves meas. Debet ergo Ecclesia Catho-*30 *lica correctis & pietate formatis filiis libenter ignoscere, cùm ipsi Petro personam ejus gestanti, & cùm in mari titubasset, & cùm Dominum carnaliter à passione revocasset, & cùm aurem servi gladio præcidisset, & cùm ipsum Dominum ter negasset, & cùm in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eúmque correctum atque firmatum usque ad Dominicæ passionis gloriam pervenisse.*

Deinde, in tractatu XLVII. super beati Joannis Evangelium: *Quomodo ipse animam suam pro nobis posuit; sic & nos debemus (ad ædificandam plebem, ad asserendam fidem) animas pro fratribus ponere. Ideo Petro, quem facere volebat Pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo, ait, Petre, amas me? Pasce oves meas: Hoc semel, hoc iterum, hoc tertiò usque ad ejus tristitiam. Et cùm tantùm interrogasset Dominus, quantum interrogandum esse judicavit, ut ter confiteretur, qui ter negaverat, & ei suas oves pascendas tertiò commendasset, ait illi: Cùm junior esses, cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Et exposuit Evangelista, quid Dominus dixerit: Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Ad hoc ergo pertinet, pasce oves meas, ut ponas animam tuam pro ovibus meis.* Et post alia: *Tenete ergo, quomodo Dominus Jesus Christus & ostium sit & Pastor: Ostium pandendo se, pastor intrando per se. Et quidem, Fratres, quid Pastor est, dedit & membris suis. Nam & Petrus Pastor, & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi Pastores. Ostium verò nemo nostrûm se dicit.* 31 *Hoc sibi ipse proprium tenuit, quà intrent oves. Denique Paulus Apostolus boni Pastoris implebat officium, quando Christum prædicabat, quia per ostium intrabat.*

Tum in sermone XLIX. de verbis Domini super Joannem cap. III. *Cùm ergo nunc loqueretur, dixit, se esse Pastorem, dixit, se esse januam. Utrumque ibi habes: Et ego sum janua & ego sum Pastor. Janua est in capite, Pastor in corpore: Dicit enim Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre amas me? Respondit, Domine; amo: Pasce oves meas.*

Denique, in Psalmum CVIII. sic omnia concludit: *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent intellectum illustrem, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in Discipulis habuit: Sicut est, Tibi dabo claves regni cælorum, & si qua hujusmodi: Ita Judas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Judæorum; qui & tunc oderant Christum, & nunc per successionem perseverante genere ipsius impietatis oderunt. Ut ergo Petrus, quando ei dictum est, Tibi dabo claves, in figura personam gestabat Ecclesiæ, sic & quando ei dictum est, Pasce oves meas, Ecclesiæ quoque personam in figura gestabat.*

Mappinius tertius à sancto Remigio Remensis Episcopus, in priori ad Villicum Papam Epistola: *Licèt sancto Petro hoc à Domino dictum legamus, Pasce oves meas, sed ad cunctos, qui sacerdotale funguntur officium, pertinet præsens sententia* sub finem Tomi I. Historiæ Francorum.

Petrus, qui ex Cellensi, & postea ex S. Remigii Rem. 32 Abbate factus est Carnotensis Episcopus, in libri I. Epistola VIII. ad Hugonem Senonensem Archiepiscopum: *Quare non attenditis, quid pro officio, quid pro sponsione, quid pro dilectione summi Pastoris ovibus, magni Pastores, debetis? Certè defensionem, certè instructionem, certè sollicitudinem. Sed qualem vel quantam? Sine dubio, quantam Christus, qualem Petrus. Christus enim dilexit usque ad mortem: Pascit Petrus secundùm triplicem pastionem: Verbo namque, exemplo, & miraculis pavit animas fideles Petrus. Non omnino cuilibet Pastori impossibile est, pabulum divini verbi ovibus suæ curæ apponere, exempla bona demonstrare: Sed grave valde est, miracula antiquorum resuscitare. Quod si supra homines hujus temporis sit patrare miraculum, sufficit nobis fidele propugnaculum. Vobis siquidem in Petro dictum est, Pasce agnos meos, sana scilicet doctrina: Vobis rursum dictum est, confirma fratres tuos, bono utique exemplo. Nihilominus claves regni cælorum tenetis, ut hœdos excludatis, & agnos admittatis.*

Petrus Blesensis, in Sermone XLIV. *Pasce oves meas: Ac si diceret ei Dominus, Pasce Eucharistia, pasce doctrina, pasce bona vita. Quod autem dictum est Petro, & Apostolis omnibus dictum est, & nobis eorum Vicariis & successoribus.*

Ecclesiæ Præfatio, quæ ut in Petri, sic & in cæterorum Apostolorum festo legitur: *Æterne Deus, te Domine suppliciter exorare, ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios contulisti præesse Pastores.*

Denique, Leo primus locum huic nostro haud in- 33 opportunum sermoni habere potest; non quòd ille Joannis auctoritatem exposuerit, sed quòd exponendo testimonium Matthæi capitis XVI. ea protulerit, quæ Joannis auctoritati conveniunt. Leonis igitur verba sunt è Sermone III. in anniversario die assumptionis ad Pontificatum: *Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ principes*

decreti hujus constitutio commendavit: Sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur.

Hæc est Sanctorum Patrum expositio, quæ Bellarmini sententiæ nec favet, nec favere potest, cùm nullus sit, qui ex hoc Scripturæ loco, non dicam, colligat, sed vel leviter insinuet, *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Dubium igitur nullum est, quin Scripturæ locum aliter ac Patres acceperit, & Tridentinæ Synodi Decretum neglexerit, & Ecclesiasticam regulam contempserit.

Deinde, constituta Sanctorum Patrum expositione, tam erit facile, unumquemque alium Episcopum, quàm Romanum supra Ecclesiam universam esse & generalem Synodum colligere: Quo nihil est absurdius.

Nunc verò, utrum Dialecticæ leges meliùs servaverit, expendendum est. Sic autem ille argumentatur: *Nomen Christi est Pastor, Joannis x. Ego sum Pastor*
34 *bonus,* &c. *Idem communicat Petro, Joannis ultimo, Pasce oves meas. Constat autem, Pastorem ita præesse ovibus, ut nullo modo ab eis judicari possit.*

Et prima quidem est fallacia, cùm Bellarminus sibi sumit, Pastoris nomen ut Christo, sic & Petro convenire: Quod à veritate prorsus abhorret. Christus Pastor est ovium, quas redemit & suo sibi sanguine comparavit. At Petrus non est Pastor ovium, quas redemerit, & suo sibi sanguine acquisierit.

Altera fallacia, cùm ille supponit, Christum Pastoris nomen soli Petro dedisse, quod relatis antè Patribus repugnat: Deinde, Romanis Pontificibus adversatur, qui sic loquuntur.

Innocentius I. in Epistola ad Alexandrum Episcopum, de Antiochena Ecclesia: *Unde advertimus, non tam pro civitatis magnificentia, hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apostoli Sedes esse monstretur.*

Leo I. Romanæ Ecclesiæ honorem primum, dignitatem primam, sedem primam vindicat necessariò, cùm Alexandrinæ honorem secundum, dignitatem secundam, sedem secundam; cùm Antiochenæ honorem tertium, dignitatem tertiam, sedem tertiam, primi conatu asserit. Et primùm quidem in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite II. *Doleo etiam in hoc Dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicenorum Canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis juri tuo subditis omnes Metropolitani Episcopi pro-*
35 *prio honore priventur.* Deinde in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum capite III. *Dignum est enim te Apostolicæ Sedis in hac sollicitudine consortem, & ad augendam fiduciam privilegia tertiæ Sedis agnoscere, ut* &c.

Gelasius I. in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Quibus ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* Infrà, *prima Sedes,* dicitur sexies: *Secunda Sedes,* semel atque iterum.

Pius II. in Epistola CCCLXXV. ad Carolum VII. Regem Galliæ; in Epistola CCCLXXXIII. ad Fredericum Comitem Palatinum; in Epistola CCCXCVI. ad Mahometem Turcorum Principem, Romanam Sedem, *Primam Sedem* appellat. Ut igitur Alexandrinus Episcopus ovium secundæ Sedis, & Antiochenus ovium tertiæ Sedis Pastor dicitur, sic & Romanus ovium primæ Sedis Pastor dicendus est.

Gregorius I. in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est.* Ut primum membrum, ita & primus Pastor sanctæ & universalis Ecclesiæ est.

Hadrianus I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, quam Francofordiensis Synodus approbavit: *Quid præstabilius, quidve clarius, & omni religione devotius, quàm beati Petri primi Pastoris Ecclesiæ felici confessione prolatam fidei tenere fundamentum?* Hadrianum imitantur Concilia duo, Moguntiacum & Aquisgranense: Illud in Præfa-
tione: *Secundum dictum Petri primi Pastoris Ecclesiæ:* 36
Hoc in capite XIII. *Unde bene primus Pastor Ecclesiæ Pastores omnes admonet dicens, Parati semper estote.* Hæc omnia nisi Bellarminus dissimularet, relatum argumentum omitteret, in quo Romanum Pontificem non primum Ecclesiæ universæ sed unum esse Pastorem fallaciter, & contra Romanæ Ecclesiæ traditionem supponit. Quo enim modo Romanum Pontificem Cleri populique Romani Pastorem, eodem & Episcoporum totius orbis Pastorem facit. At Romanus Pontifex Clerum populúmque Romanum filios, & totius orbis Episcopos, consacerdotes, coëpiscopos, & fratres appellat. Hinc Leo in Epistola XLVII. ad Calchedonensem Synodum ita scribit: *In his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra Fraternitas existimet præsidere. Vestra,* inquit, *Fraternitas,* non Filiatio. Quamvis igitur Romanus Episcopus à Concilio filiorum judicari non possit, haud tamen sequitur à Concilio fratrum judicare non posse, si legitima causa subsistat. Judicaretur utique à fratrum Concilio, quia per culpam, ut assumimus, Concilio fratrum subjiceretur, ut Episcopi alioquin æquales inter se per culpam subjiciuntur fratrum Concilio. Quidquid id est, Gregorius I. in libri VII. Indict. II. Epistolæ LXV. ad Joannem Syracusanum Episcopum nobis sic objicit: *Nam quod se dicit* (Byzacenæ provinciæ Episcopus) *Sedi Apostolicæ subjici, si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.*

IV. & V. Supersunt Epistolæ ad Ephesios loca duo;
quæ quia scopum eundem attinent, in eadem Patrum 37
expositione conjungentur.

Tertullianus, in libri V. contra Marcionem capite XVIII. *Cæterum mulieres viris subjectas esse debere, unde confirmat? Quia vir, inquit, caput est mulieris. Dic mihi, Marcion, de opere creatoris Deus tuus legi sua adstruit auctoritatem? Hoc jam plane minus est, cum & ipsi Christo suo & Ecclesiæ ejus inde statum sumit, sicut & Christus caput esse Ecclesiæ. Similiter & cum dicit, Carnem suam diligit; sicut & Christus Ecclesiam: Vides comparari operi creatoris Christum tuum, & Ecclesiam tuam. Quantum honoris carni datur in Ecclesiæ nomine? Nam, inquit, carnem suam odio habet, nisi planè Marcion solus: Sed & nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: At tu solus eam odisti auferens illi resurrectionem. Odisse debebis & Ecclesiam, quia proinde diligitur à Christo. Atenim Christus amavit & carnem, sicut Ecclesiam. Nemo non diligit imaginem quoque sponsæ; immo & servabit illam, & honorabit, & coronabit.* Deinde in libri de fuga in persecutione capite XII. *Sanguine empti, sanguine numerati, nullum nummum pro capite debemus, quia caput nostrum Christus est: Non decet Christum pecunia constare.*

Cyprianus, in Epistola LXXIV. ad Pompeium: *Ecclesia est sola, quæ Christo conjuncta & adunata filios spiritualiter generat: Eodem Apostolo rursus docente, Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquæ.* Iterum, in Epistola LXXVI. ad Magnum: *Sed & Paulus Apostolus, hoc idem adhuc apertiùs & clariùs manifestans, ad Ephesios scribit, & dicit: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum
tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro* 38
vitæ. Quod si una est Ecclesia, quæ à Christo diligitur,

&

& lavacro ejus sola purgatur, quomodo qui in Ecclesia non est, aut delegi à Christo, aut ablui & purgari lavacro ejus potest?

Hilarius, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, inter Ambrosii opera, in caput IV. Epistolæ ad Ephesios: *Hanc dicit esse veritatem, ut amorem Christi respicientes, quo dilexit nos, & tradidit se pro nobis, omnia subjiciamus ei, scientes, quia omnium auctor est vita, ut quasi capiti membra subdamur; ut si alii errore vel malevolentia non fatentur omnia caput habere Christum, quia ab ipso facta sunt voluntate Patris, nos tamen qui Catholica fidei adhæremus, hoc omni devotione & cura agere debemus, ut hanc fidei non damnum, sed lucrum afferamus, perseverantes in hac assertione, ut comprimantur prava mentis colloquia, adversus veritatem armata.*

Deinde, in caput V. *A Christo Ecclesia sumpsit initium, unde subjecta est illi. In eo enim diximus esse membra ejus (Christi) quia caput est ipso corpus Ecclesia, ut quia per ipsum esse cœpimus, caput nostrum dicatur, quasi ex quo omne corpus subsistat, ut membra ejus omnis spiritualis creatura sit, si tamen in nomine ejus genu flectat.*

Ioannes Chrysostomus; in caput V. Epistolæ ad Ephesios: *Vir, inquam, est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesia, & ipse est salvator corporis: Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Deinde vir, inquit, caput est mulieris, sicut & Christus Ecclesia, & ipse est salvator corporis. Caput enim est salvo corporis: Jam marito & uxori jecit tan-*
39 *quam fundamentum, charitatem & providentiam, unicuique locum tribuens convenientem, marito quidem principatus & providentia, uxoris verò subjectionis. Sicut ergo Ecclesia subjecta est Christo. Quid est Ecclesia? Viri & mulieres: Ita etiam mulieres subjecta sint maritis, sicut Deo. Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Audivisti summam dilectionem, & catera hujusmodi.*

Hieronymus, in caput IV. Epistolæ ad Ephesios: *Quia igitur adversariorum verba atque rationes, quibus veritatem evertere nitebantur, videbat non facilè posse superari, & omni calliditate plenas, Dialectica quoque, summo Diaboli arte contextas, sperabat Dei auxilium, ut omnem deliberationem de mente sua propelleret, & certè atque definitè absque ulla molestia crederet veritati, & augeret eam in dilectione Christi, quem sciebat & sui & totius Ecclesia corporis caput.*

Deinde in caput V. einsdem Epistolæ: *Quomodo itaque Christo subjecta est Ecclesia, sic subjecta sit uxor viro suo. Quam enim habet principatum & subjectionem Christus & Ecclesia, huic eadem ordini maritus & uxor astringitur. Sed videndum, ut quomodo in Christo, & in Ecclesia sancta conjunctio est, ita & in viro & in muliere sancta sit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Christi Ecclesia dici potest, nec caput eorum Christus est: Sic non omne matrimonium, quod non viro suo secundùm Christi præcepta conjungitur, ritè conjugium appellari potest; sed magis adulterium.* Infrà: *Quidam autem hunc locum secundùm anagogen ita interpretantur, ut dicant uxorem in corpore, virum accipi in anima: Et*
40 *sicut Christo subjecta est Ecclesia, corpora subjici debere sensui, & in unum Spiritum redigi, si Domino fuerint copulata.*

Theodoretus, in caput IV. Epistolæ ad Ephesios: *Hoc etiam dixit in Epistola ad Romanos: Caritas sine æmulatione, & in Epistola ad Corinthios: In caritate non ficta. Ita etiam hic jubet veram habere caritatem, & per eam augere divitias virtutis in ipso Domino: Omnis enim, inquit, palmes in me non ferens fructum, colletur, & in ignem mittitur. Et quoniam cum rursus caput nominavit, ostendit, quæ bona à capite suppeditentur.*

Deinde, in caput V. ejusdem Epistolæ: *Domini curam imitamini, & quam ipse ostendit in Ecclesiam, eandem vos de conjugibus gerite. Christus enim Dominus pro sua sponsa nec mori recusavit, ut eam emundaret, & claram redderet, eique vetus sordium abraderit, ab omnique macula liberam efficeret. Oportet ergo vos quoque ut illas eandem habere benevolentiam, & tanquam propriorum corporum curam gerere.*

Fulgentius, in libri I. ad Trasamundum capite X. *Inaniter autem anima charitatem custodiri mandat Apostolus, si hujus primitias conjunctionis in se non habeat homo à Deo susceptus, præsertim cùm caput & corpus, Christum Ecclesiámque, Doctor gentium prædicare non cesset, dicens, Secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo Jesu.* Ex quibusdam interpositis: *Alio quoque loco dicitur: Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesia, ipse salvator corporis.*

Hæc est Sanctorum Patrum expositio, quæ Bellarmini sententiæ nec favet, nec favere potest, cùm nullus sit, qui ex his Scripturæ locis, non dicam colligat, sed 41
vel leviter insinuet, *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Dubium igitur nullum est, quin Scripturæ loca hæc aliter ac Patres, acceperit, atque Ecclesiasticam regulam contempserit.

Deinde, constituta Sanctorum Patrum expositione, tam erit facile, unumquemque alium Episcopum, quàm Romanum supra Ecclesiam universam esse, generalémque Synodum colligere: Quo nihil est absurdius.

Nunc verò, utrum Dialecticæ leges meliùs servaverit, expendendum est: Sic autem philosophatur. *Christi nomen est caput corporis Ecclesia, Ephes. IV. Idem communicat Petro, ut habemus in Concilio Chalcedonensi actione III. ubi Legati sententiam pronunciant in Dioscorum, & in Epistola Concilii ad Leonem. Porrò caput à membris regi, & non ea potiùs regere, contra naturam est: Sicut etiam est contra naturam, quòd membra sibi caput præsidant, cùm fortè graviter ægrotat.*

Et primò quidem, fallit auctor sibi sumens, Romanum Pontificem eo modo caput esse Ecclesiæ, quo Christus ejusdem Ecclesiæ caput in Scripturis dicitur: Et nisi eodem prorsus modo sumat, argumentum quo utitur, diversam suppositionem, ac proinde fallaciam involvit. At Christus per seipsum caput est Ecclesiæ, non Romanus Pontifex. De Christo sic loquitur Optatus Milevitanus in libro III. contra Parmenianum: *Inde scriptum est in Esaia Propheta: Ex Sion prodiit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Non ergo in illo monte Sion Esaias aspiciens vallem, sed in* 42
monte sancto, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem Romanum caput tulit sub toto cælo, in quo à Deo patre filius Dei regem se constitutum esse gratulatur in Psalmo secundo dicens: Quoniam regem constituit me super Sion Montem sanctum suum; utique super Ecclesiam, cujus Rex & Sponsus & caput est. Ecclesiam, cujus Christus rex, sponsus, & caput est, tribus in locis describit: In libro I. *Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices & principes omnium aliqui Episcopi.* Iterum, in libro II. *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros, & turbam fidelium.* Denique, post pauca: *Sunt quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Fidelium.*

Gregorius I. rem istam breviter definit in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sancta & universalis Ecclesia est: Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite (Christo) omnes membra sunt Ecclesia. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis adstringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia; omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesia constituti.* Deinde, in libri XII. Epistola XXXII. ad Felicem Messanæ Episcopum: *Caput nost-*

nostrum, quod est Christus, ad hoc sua membra nos esse voluit, ut per eum largam charitatis & fidei compagem,
43 *unum nos in se corpus efficeret, cui ita non adhærere convenit, at quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus esse, quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos dividat, ne ab eo, si membrum esse refugimus, relinquamur, & velut dejecti de vite palmites arescamus.* Idem est revera in Christo, in Petro, & aliis Apostolis nomen capitis, sed non est eadem in Christo, in Petro, & Apostolis nominis hujus ratio: Et eam ob causam fallax est Bellarmini argumentum, quod eandem capitis rationem sibi vindicat.

Deinde, si in Christo & Petro idem sit capitis nomen & ratio, Gregorii verba Christo tribuentur, & dicetur postea Christum esse primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ sub eodem capite Christo. Dicetur quidem, sed ab eo tantùm, qui se omnibus deridendum propinare & theatris totis explodendum offerre voluerit.

Julius II. omnia concludit in sacramento, quo electus in Summum Pontificem se obstrinxit: *Ego Julius II, electus in Summum Pontificem, præmissa omnia & singula, promitto, juro, & voveo observare & adimplere in omnibus & per omnia purè & simpliciter & bona fide, realiter & cum effectu, & sub pœna perjurii & anathematis, à quibus nec meipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam.* Inter præmissa sunt capita duo, *generale Concilium congregare intra biennium, & reformare Ecclesiam in capite & in membris.* Apud Odoricum Raynaldum in Tom. x. Annal. Eccles. Si eadem esset in Christo & Romano Pontifice capitis ratio, in capite Christo & membris reformanda esset Ecclesia; quod impietatem & scelus nefarium importat. Hic Bellarmini argumento quid fiet? Ad hæc si auctore
44 Julio II. reformanda est in capite & in membris Ecclesia, utique per generale Concilium, quod ille congregaturum se promittit, reformabitur: Atque ita caput illud generali subjicietur Concilio.

Joannes VIII. ante Julium II. in Epistola CXCIX. ad Basilium & Imperatores alios scribit: *Totius familia Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite; & unde fiet ut omnis Ecclesiastica disciplina resolvatur, omnis ordo turbetur.* Si ut in Christo & Romano Pontifice capitis nomen idem est, ita & eadem capitis notio, licebit Joannis VIII. comparationem transferre in Christum: Sed quis sine crimine ingenti transferet?

Sixtus III. ante Joannem VIII. in Epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes scribit: *Ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* Si in Christo & Rom. Pontifice sit idem capitis nomen, sit eadem capitis ratio, poterit quis auctore Bellarmino docere, Christum Ecclesiæ caput, à corpore sustentari, & nisi sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdere, & non tenere, quam habuerat dignitatem: Poterit utique si vel prorsus insanierit, vel religionem nostram ejurare, & pro impio duci voluerit. Hæc ægerrime collegi, quia colligentem *me lachryma, luctúsque, timórque,*

Tardavinit, gelidásque mihi per dura cucurrit
Ossa tremor.

45 Ex his autem liquidò constat, in hoc Bellarmini, ut & in superioribus argumentis, variari terminorum, ut Dialectici loquuntur, appellationem. Qua fraude qui Romani Pontificis dignitatem egere contenderet, ut Bellarminus tacitè contendit, dignitatem hanc non mediocriter labefactat. Nos autem labefactari nolumus, sed potiùs cupimus sartam tectámque ab omni detrimento conservari, & adversus nationem Doctorum illorum propugnari, de quibus Pius II. in Epistola CCCLXXIV. ad Carolum VII. Regem Galliæ ita scribit: *Unum à te, charissime fili, petimus, ut Doctoribus Sedis Apostolica semper non credas, multa illorum passionibus tribuunt.* Eadem est Doctorum istiusmodi atque Inquisitorum hodierni temporis ratio.

Deinde, cùm Bellarminus affirmat in Calchedonensis Concilii actione III. beatum Petrum vocari *caput Ecclesia*, disputando quidem minimè fallit, sed scribendo leges historiæ contemnit. Nam Leonis Legati id non fecinnt, quod ab iis factum esse scribit.

Tum verum est, quod Bellarminus ait de Calchedonensis Synodi Epistola ad Leonem; sed inde non sequitur, *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & generale Concilium, ita ut nullam in terris supra se judicium agnoscat:* Et si sequeretur, contra Romanæ Ecclesiæ traditionem sequeretur, quod credibile non est. Pius I. & Romanus Clerus non existimabant, se esse supra Ecclesiæ traditionem, qua Episcopus aliquis excommunicatum hominem sine excommunicantis Episcopi consensu in 46
communionem admittere non poterat: Sic enim illi loquuntur apud Epiphanium in hæresi XLII. *Cur me* inquit, (Marcion à parente Episcopo excommunicatus) *recipere noluistis? Respondere illi: Nos injussu venerandi Patris tui facere illud non possumus: Una siquidem fides & animorum una consensio; neque contra spectatissimum collegam Patrem tuum moliri quidquam possumus.*

Julius, in Epistola ad Orientales: *Id verè,* inquit, *ad Synodi & Episcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si qua illi tanto studio & cura velut Deo præsente egissent, à nobis ut vana futiliáque abrogarentur.*

Romanum Concilium, in Epistola III. ad Gratianum & Valentinianum: *Memoratus frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen Apostolica Sedis excellit; ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus sacerdotale caput lex vestra summovit, in quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatam à vobis honorificentiam flagitare. Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse vita munitior, quàm vestra clementia, qua innititur, judicata? Quod verò ad prædicandam Episcopi conscientiam* SEVERIORIBUS SE DEBET IPSE JUDICIIS SACERDOTUM, IN QUIBUS NON NOMINIS, SED ETIAM MORUM RATIO PENSATUR: *Ne quis iterum calumniator existens, dum memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit, religioni tamen fiat injuria in vexatione ministrorum: Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestra 47
magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare.* QUONIAM NON NOVUM ALIQUID PETIT, SED SEQUITUR EXEMPLA MAJORUM: UT EPISCOPUS ROMANUS, SI CONCILIO EJUS CAUSA NON CREDITUR, APUD CONCILIUM SE IMPERIALE DEFENDAT: NAM ET SILVESTER PAPA A SACRILEGIS ACCUSATUS, APUD PARENTEM VESTRUM CONSTANTINUM CAUSAM PROPRIAM PROSECUTUS EST.

Siricius, in Epistola ad Anysium & cæteros Episcopos per Illyricum constitutos: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis: Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integrò esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum Scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi vel accusatoribus vel accusato copiam dare: Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique, cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam con-*

fuleros, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi, responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed
48 *omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitia convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut si judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.*

Celestinus I. in Epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium, & alios Illyrici Episcopos: *Dominemur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus.*

Hæc est Romanæ Ecclesiæ traditio, quam Calchedonensis Synodus, opinor, non abrogavit: Immoquam & in eadem Synodo Paschasinus Episcopus & Sedis Apostolicæ Vicarius constanter retinuit. Nam in actione I. sic palam profitetur: *Nos contra præcepta beatissimi atque Apostolici Papæ gubernatoris Sedis Apostolicæ venire non possumus,* NEC CONTRA ECCLESIASTICAS REGULAS, VEL CONTRA PATRUM INSTITUTA: Quod & Leo in suis Epistolis passim confirmat. Locus unus Epistolæ LIII. ad Anatolium instar erit omnium, ubi dicit in capite III. *Nimis hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria.* Et paullò pòst: ABSIT A CONSCIENTIA MEA, UT TAM PRAVA CUPIDITAS MEIS STUDIIS ADJUVETUR, *ac non potiùs meo & omnium, qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua im-*
49 *pietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt; & si quid usquam aliter, quàm illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur: Ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum commune sunt præfixa; & manentibus terminis, quos constituerunt, nemo in jus tendat alienum, sed intra fines proprios atque legitimos prout quis valuerit, in latitudine charitatis se exerceat.*

Quartò, si quid habet virium Bellarmini ratio, in Romanos Pontifices habet.

In Gelasium I. qui sic scribit in tractatu VIII. *Non est,* inquit, *nostra humilitatis, de totius orbis dissensione ferre sententiam: Est tamen nostrum, de propria salute esse sollicitos, quoniam unusquisque pro se rationem redditurus est ante illud tribunal judicis & regis æterni, in quo etiam de verbo otioso, minimoque quadrante summus nostrorum rationem actuum præstituri.*

In Gregorium I. scribentem in libri II. Indict. X. Epistola XXXVII. ad Natalem Salonitanum Episcopum, quem ob convivia lautiora reprehenderat: *Si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, jure tacere compellerer, ut eum non reprehenderem, quem emendare non possem. Hæc ergo sententia* (qui non manducat, manducantem non judicet) *solummodo propter eos dicta est, qui illos judicare student, quorum sibi cura commissa non est. At postquam nos auctore Deo unum sumus, si ea, quæ nobis corrigenda sunt, tacemus, valde delinqui-*
50 *mus. Ecce Fraternitas tua ægrè tulit, se de conviviis à me esse reprehensam, cùm ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari paratus sim; & hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam, ante apparitionem districti judicis mea maculas mentis terge.*

In Innocentium III. cùm ait in Sermone II. de consecratione Pontificis: *In tantum mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.*

Hi sunt Pontifices, quos Bellarmini argumentum urget, quia Romanæ Ecclesiæ traditionem oppugnat.

Quintò,

Quintò, Innocentius I. in Epistolæ ad Decentium Eugubinum capite III. Episcopis Pontificatus apicem tribuit: *De consignandis verò infantibus manifestum est, non ab alio, quàm Episcopo fieri licere: Nam presbyteri licèt sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent.*

Fortunatus Pictaviensis Presbyter, in libri III. Carmine XI. Nicetium Trevirensem Archiepiscopum, apicem fidei, Pontificum caput, & Summum Pastorem appellat:

Splendor, apex fidei, venerabile mente Niceti,
Totius orbis amor, Pontificúmque caput,
Summus Apostolico præcellens Pastor ovili.

Deinde, in Carmine XIII. de Magnerico Trevirensi Archiepiscopo, quem Patrum Patrem, Archisacerdotem, & caput Ecclesiæ vocat:

Culmen honorificum, Patrum Pater, Archisacerdos.
Infrà: *Quem fidei titulus meritis erexit in altum*
Ecclesiæque caput, distribuente Deo.

Quis, quæso, propter ea, quæ & Innocentius de Episcopis, & Fortunatus de Trevirensibus Archiepisco- 51
pis conscribunt, Episcopos vel Trevirenses Archiepiscopos, nec provinciali, nec generali Concilio subjici colligeret? Jam igitur intelligis, vel me silente, Romanum Pontificem nisi provinciali suo, certè generali Concilio subjici, tametsi Pontificum Calchedonensis Concilii caput dicatur. *Ecclesia,* inquit Optatus, *certa sua membra habet,* in quibus sunt omnes Episcopi, ac proinde Romanus, inferiores utique Ecclesia, vel Concilio, quod vel provincialem vel generalem Ecclesiam repræsentat.

Præterea, si beatus Petrus à Gregorio I. dicatur *primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ,* Romanus Pontifex Petri successor dicitur primum membrum universalis Concilii, quale fuit Calchedonense. Sed quis inde concluderet, primum membrum universalis Concilii non subjici Concilio? Metropolitanus, ut est Trevirensis, primum membrum est provincialis Concilii, nec eam ob rem desinit Concilio subjici. Nam primum membrum cujuscunque Concilii pars est Concilii, ac *universum partibus semper optimo jure præponitur,* ut beatus Augustinus in libri II. de Baptismo capite IV. tradit. Primum membrum Ecclesiæ est Ecclesiæ, sed Ecclesia non est primi membri: Sic primum membrum Concilii est Concilii, sed Concilium non est primi membri, inverso naturæ ordine. Hinc Agobardus Lugdunensis Episcopus, præclare in opere contra Felicem Urgelitanum: *Verum est omnino, quòd Christus & Ecclesia caput & corpus dicuntur ab Apostolo frequenter, & ideo una persona sunt, quia & corpus capitis corpus dicitur, & caput corporis utique corpus: Non enim ad se di-* 52
citur caput, sed ad corpus.

Neque his contraria sunt, quæ Calchedonensis Synodi Patres de rebus à se gestis in relatione ad Leonem scribunt: *Quibus quidem tu sicut membris caput præeras.* Nam hoc in loco [*caput*] nec significat nec significare potest aliud, quàm primum membrum Synodi repræsentantis Ecclesiam, cujus Leo, utpote successor Petri, membrum erat primum. Gregorius Magnus, in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite* (Christo) *omnes membra sunt Ecclesiæ.* Sic Leo & cæteri Præsules membra erant Calchedonensis Concilii, quod sanctam & universalem Ecclesiam repræsentabat. Ut in humano corpore membra non sunt capitis, quia & ipsum caput membrum est, sed humani corporis: Sic & in corpore Ecclesiæ, membra non sunt capitis, quia & ipsum caput membrum est, sed corporis Ecclesiæ. Calchedonense Concilium non dissentit, quia utitur particulâ [ὡς] quæ *ferè, fermè, propemodum* significat. Concilium, in sua relatione, amica & simplici quadam allocutione Leonem

nem

nem convenit, & nunc se ut illius membra, nunc ut fratres, nunc ut filios vocat, quo facilius Leo acta sua confirmet, & iis consentiat. Res hæc non philosophicis argutiis, sed Concilii scopo & intentione metienda est.

53 Postremò, fallacia est insignis, qua ex humani capitis præcisione disputat. Jam anni sunt mille nonaginta sex, quòd Turonense Concilium fallaciam hanc diluit in Can. XIII. *Rectius est, ut caput morbidum, si curari non potest, amputetur, quàm grex per eundem inficiatur. Talis ergo sacerdos non debet à populo venerari, sed renui, qui non formam disciplinæ, sed vitii docet, dum seipsum non corrigit.* Alia est humani capitis ratio, alia capitis illius, de quo loquitur Concilium: Sed Bellarminus utriusque rationem eandem faciens, egregiè παραλογίζει, atque ita de suæ causæ bonitate mirum in modum detrahit. Nam ostendit illam nonnisi malis artibus defendi posse. Bellarminus veneraretur Romanæ Ecclesiæ caput Joannem XII. qui faciebat sacrum, nec illius partem capiebat ullam, qui Diaconum in equorum stabulo non statis temporibus ordinavit, qui presbyterorum ordinationes numerata pecunia vendebat, qui Episcopum annos decem natum in Tudertina Ecclesia constituit, qui sacrilegia palam committebat, qui Raynerii viduam, Stephanam Patris concubinam, Annam viduam & illius neptem constupravit, qui Palatium sanctum in prostibulum convertit, qui venationem publicè exercuit, qui Benedictum patrem suum excæcavit, qui Joannem Cardinalem virilibus amputatis occidit, qui cùm ludebat alea, Jovis, Veneris, dæmonum opem implorabat. Pontificem hunc cùm teneret inemendabilis pravitas, Imperator Romanam curat congregari Synodum, quæ illum veneratione indignum censuit, & Turonensis Concilii Canonem secuta morbidum caput ab Ecclesiæ Romanæ corpore præcidit. Bellarminus
54 contra Turonense & Romanum Concilium pro Joanne XII. calamum stringit, & pro Pontificibus aliis, si qui Joanni reperirentur similes, scribit: Non scribit pro Gregorio I. & aliis Pontificibus justis, quibus lex posita non est.

Bellarminus pergit: *Nomen Christi est vir seu sponsus Ecclesiæ. Idem convenit Petro. Nam in Concilio generali Lugdunensi, ut habetur C. Ubi periculum, de electione, in sexto. Loquens Concilium de electione Romani Pontificis: Acceleret, inquit, utilis & pernecessaria totius mundi provisio, idoneo eidem Ecclesiæ sponso dato. Est autem contra Apostolum Ephes. v. & naturæ ordinem, ut sponsa præsit sponso, & non potiùs subsit.* Argumentum hoc iisdem, quibus præcedentia, vitiis sordescit. Christus est unicus Ecclesiæ totius sponsus; sed Petrus seu Romanus Pontifex non est sic unicus Ecclesiæ totius sponsus: Alioquin antistites cæteri propriæ suæ Ecclesiæ sponsi non essent: Quod quis assereret?

Athanasius, in Apologia II. rem sic exponit, ad Apostoli verba hæc: *Alligatus es uxori, ne quære solutionem. Quòd si hoc de uxore dictum est, quantò magis de Ecclesia, atque adeò de Episcopatu, cui cùm quis alligatus est, alium quærere non debet, ne adulter in sacris literis deprehendatur.* Quibus verbis significat, unumquemque Episcopum propriæ Ecclesiæ sponsum esse, quia qui Ecclesiam propriam deserit, & aliam capessit, adulter vocatur.

Auxilius, in suo pro Formosi Papæ ordinationibus tractatu, qui *Infensor & Defensor*, inscribitur, Portuensem Episcopatum, à quo Formosus ad Romanum translatus fuerat, Formosi uxorem nominat in capite I.
55 *Infensor: Formosus propria relicta uxore, aliam abstulit, hoc est, relicto Episcopatu, his qui rectè ordinandi erant, Apostolicam abstulit Sedem.* Si Portuensis Episcopatus, seu Ecclesia Formosi uxor erat, sponsa quoque erat, cum uxor & sponsa reapse non differant, & sponderi uxor Plauto dicatur: Quo modo Formosus non poterat non esse Portuensis Ecclesiæ sponsus, antequam ad Romanam transferretur, & in illius sponsum evaderet. Hoc autem matrimonii genus sic acceptum est à nonnullis Formosi successoribus, ut ii modum omnem excesserint, nefandissima quæque scelera commiserint, & Romanæ Ecclesiæ maculam nunquam eluendam asperserint.

Materia hæc Innocentium III. incredibiliter exercuit, cùm de translationibus Episcoporum scribens, quis aliquando posset conjugium istud dissolvere, indagavit. Pontificem eruditum non exercuisset, ut exercuit, nisi vetus fuisset traditio, unumquemque Episcopum propriæ Ecclesiæ sponsum esse, & propriam Ecclesiam Episcopi sui sponsam. Quis quæso laborem sibi gratis quærit? Quis negotium sibi sponte arcessit? Quis libens non omittit falsam sollicitudinem, ne se excruciet?

Testis est Pontificalis liber, in quo consecrator Episcopi annulum mittit in digitum annularem dexteræ manus illius dicens: *Accipe annulum Fidei, scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, videlicet Ecclesiam sanctam, intemerata fide illibatè custodias.*

Beatus Thomas, in quartum sent. dist. XXIV. quæst. III. art. III. de vestibus ministrorum Ecclesiæ: *Episcopis*, inquit, *adduntur novem ornamenta supra Sacerdotes, quæ sunt caligæ, sandalia, succinctorium, tunica, dalmatica,* 56 *mitra, chirotheca, annulus, & baculus.* Et quibusdam interpositis: *Per annulum Sacramenta fidei* (significantur) *qua Ecclesia desponsatur Christo, Episcopi enim sunt in Ecclesia loco Christi:* Qua ratione unusquisque Episcopus Ecclesiæ, quam debet regere, desponsatur. Cur verò desponsatur, in causa est, quod ille in Ecclesia loco sit Christi, qui Ecclesiæ desponsatur, & *qui est sponsus unius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum ipse testatur*, ùt ait Optatus in libro I. contra Parmen. Quod mysterii genus à Guillelmo Durando, latè explicatur in libri IIII. Rationalis Divinorum Officiorum capite XIV. Sed, me vide, hoc satis exercuit Innocentium III. qui de translatione Episcoporum cùm ageret, solvendi conjugii hujusce rationes solidas, inventu non ita faciles, disquisivit.

Sunt igitur in Ecclesia plures Ecclesiæ sponsi, quorum unusquisque sponsæ suæ præest, non subest. At inde non sequitur Romanæ Ecclesiæ sponsum, de cujus electione sermo est in cap. ubi periculum, esse *supra Ecclesiam universam & generale Concilium, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Ex antecedente tali quodnam genus consequentis? Nonne otio & literis abutitur, qui sic disputat? Nonne pessimè meretur de suis lectoribus, quos tam fœdo disputandi vitio inquinatum iri putat? Cominus accedo: Unusquisque Episcopus sponsæ suæ juxta Apostolum non subest, sed subest provinciali vel generali Concilio, quod ex idoneo sponsorum Ecclesiæ numero congregatur. Si Bellarminus ex beati Pauli verbis conficeret, Romanum Pontificem sponsum esse sponsorum omnium 57 Ecclesiæ, nonnihil conficeret: Sed quia id conficere non potest, nihil prorsus conficit; oleum & operam perdit. Ut Antiochenus Episcopus Alexandrinæ, sic & Romanus Romanæ Ecclesiæ sponsus est; ambo sponsi in hoc pares: Et ut sponsi conditio, quæ in Paulo Samosatensi, Antiocheno Episcopo, reperitur, non impediit, quo minus Antiochena Synodus Paulum deposuerit; sic & eadem sponsi conditio, quæ in Joanne XII. Romano Episcopo reperitur, non obstitit, quo minus Romanum Concilium Joannem deposuerit. Concilium hoc cùm ab aliis, tum maximè à Cardinalibus duobus Clemente Moniliano, Ordinis Fratrum Minorum, & Michaële Alexandrino, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui Pius V. fuit postea, comprobatum est. Sed quod notandum præ cæteris, Pius approbationem suam revocavit nusquam.

Hoc in loco Bellarminus dissimulat fuisse, qui ex eodem fonte, ex sponsi videlicet & sponsæ ratione contrarium argumentum derivaverit. Thomas Illyricus in Clypeo Papali, quem adversus Lutherum edidit, & Hadriano V. nuncupavit, sic illud proponit: *Si Vica-*

rius

rius sponsus potest resignare sponte ipsi Ecclesiæ, dando ei libellum repudii, cùm sponsus & sponsa non debeant quoad hoc impari jure censeri, poterit similiter repudiare sponsum talem ipsa Ecclesia, dum par ratio vel potior adducitur pro ipsa contra sponsum, vel quia prostituere quærit eam quantum in se est, vel tyrannide sæva tractare, laniando eam vel plagiando, bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe 58 *statum, nullum gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus, nisi in ædificationem suam, & utilitatem communem:* Et cætera, quæ auctor latè persequitur, & quæ magnam partem refero in Epistola ad Christophorum Fauvæum Parisiensem Theologum.

Verumenimverò, non antè manum de tabula, quàm subjecerim galeatam conclusionem, quæ communis erit universim Scripturis à Bellarmino in medium prolatis. Quidquid igitur Bellarminus ex Scripturæ locis colligit, adversus Constantiense Concilium & Martinum V. colligit, id est, adversus ipsammet Ecclesiam, quæ per Constantiense Concilium repræsentabatur certissimè, ut Martinus docet in ea, quam, approbante Concilio, præstituit, formula interrogandi hominem, qui ab hæresi ad Ecclesiam revertitur: *Interrogetur, utrum credat, quòd quodlibet Concilium generale, etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet.* Fieri non potest, quin Concilium illa Scripturæ loca, quæ Bellarminus adhibet viderit, legerit, & diligenter examinaverit, cùm damnavit Wiclefi articulum XLI. quo primatum omnem Romani Pontificis negabat. Sed Concilium & Martinus V. id quod Bellarminus censet de Romano Pontifice, non censuerunt. Censuerunt quidem, eum habere primatum super *alias particulares Ecclesias*, non super Ecclesiam in Synodum collectam; id est, aliis particularibus Ecclesiis præesse, ut eas ad sacrorum Canonum observationem compellat, & cùm observare noluerint, ex Canonum forma castiget; sed Ecclesiæ in Synodum collectæ subesse, ut ab ea cogatur in ordinem, si erret in fide & in moribus, & e-
59 mendari nolit. Sed cùm Bellarminus Pontificem supra Ecclesiam in Synodum collectam esse censeat, id adversus Constantiense Concilium & Martinum V. censet, & Scripturæ loca adversus mentem Concilii hujus & Martini V. perperam interpretatur.

Deinde, fieri quoque non potuit, quin Martinus V. & antequam elegeretur in Romanum antistitem, & postquam electus est, eadem Scripturæ loca diligenter perpenderit, quando, quæ gesta fuerant contra hæreticos, confirmavit: Et tamen primatum Romani Pontificis non alium, quàm *super alias particulares Ecclesias* asseruit.

Propterea, cùm juxta Doctores illius temporis aliud sit primatus in Ecclesia Dei, aliud sit primatus super Ecclesiam Dei, & Martinus V. distinctionem illam apprime nosset, cavit studiosissimè, ne duo ista confunderentur. Nam, in formula interrogandi eos, qui ab hæresi redeunt ad Ecclesiam, præscribit quidem, ut quæratur: *Utrum credant, quòd Papa canonicè electus sit successor beati Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei*; sed non præscribit, ut quæratur, *Utrum credant, quòd Papa, canonicè electus, sit successor beati Petri, habens potestatem supra Ecclesiam Dei*, quæ per universale Concilium repræsentatur: Hoc præscribere nec debuit, nec potuit, quia contrarium à Concilio & seipso definitum esse noverat.

Denique, ratiocinatio hæc tota produci potest ad Basileense Concilium & Eugenium IV. qui semel atque iterum Constantiensis Concilii Decreta, quæ ad Romanum Episcopum maxime pertinent, confirmavit: Semel, in Concilii hujus sessione II. cui per Legatum 60 suum Julianum Cardinalem præfuit, & omnino consensit. Iterum, cùm in sessione XVI. præcedentia Basileensis Concilii acta confirmavit. Confirmationis diploma in eadem sessione legi potest: Et illud integrum retuli in Epistola ad Ludovicum Maræsium Parisiensem Theologum. Si Bellarminus confirmationis hujus diploma rejiciat vel infirmet, viam cæteris id genus diplomatibus rejiciendis vel infirmandis aperiet. Hic ingressus illius vestigiis odorabimur; & *sequemur, quocunque ierit, aut pariter in luto hærebimus, aut pariter expediemur*: Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

Interim dicendum est, Bellarminum loca Scripturæ aliter accepisse, atque Constantiense Concilium & Martinum V. Basileense Concilium & Eugenium IV. accepisse necessariò credendum. Bellarminus supra Constantiense Concilium & Martinum V. supra Basileense Concilium & Eugenium IV. sapit; ab regula, quam Concilia duo, & Romani Pontifices duo nobis objiciunt, discedit; obliquis tramitibus egreditur; viam regiam deserit: Nec, crede mihi, tutò vadere possumus, quò vadit.

Nunc finiendum est pensum, quod ut accurarem, exoptasti. Breviùs accurare illud non potui, quia propositæ ab initio tractandi leges neutiquam permiserunt. Qua via incedere præcipiunt, ego incessi. Regia est via, quam coarctare non licuit. Hanc si Bellarminus secutus esset, dicere non cogeret, quæ reticere sine piaculo non possum. Impegit ille graviter in Tridentinæ fidei professionem, quæ jubet, ut scripturæ sacræ juxta unanimem consensum Patrum 61 exponantur. Non exposuit; idque exemplo pessimo: Quod tamen Romanæ Curiæ censoribus non displicet. Sed memineris, Pium II. à Carolo VII. Galliæ Rege petiisse aliquando, ut Doctoribus Sedis Apostolicæ non semper crederet, & multa illorum passionibus tribueret: *Unum*, inquit in Epistola CCLXXIV. *à te petimus, carissime fili, ut Doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas.* Pontifici recta monenti parendum est. Ad me quod attinet, parebo semper. Sed quemadmodum à te postulo, ut rei hujusce memineris, sic à Deo enixè precor, ut Bellarmini culpæ non meminerit, & veniam illi dederit.

Præterea, Bellarminus prudentiæ suæ innixus Scripturam sacram ad suos sensus contorsit, & illius interpretationem edidit, quod Tridentina Synodus prohibet. Ad extremum, imitatur absurdum & umbratilem illum disputandi modum, quem Lutherus, ut Theologorum scholas ignominiosè traduceret, sic definiit: *Scholastica Theologia ea est, quæ à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis, & Philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est.* Nam vidimus auctorem illum relata Scripturæ loca Philosophicis argutationibus permiscere, atque ex permistione tali colligere, Romanum Pontificem *simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & generale Concilium, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* In cumulum accedit, quòd quidquid ex permistione illa colligit, violatis Dialecticæ legibus colligat, & vitiosissimè philosophetur: Quo pacto errorem gigni, non scientiam, 62 apprime nosti. Benè vale. Lutetiæ Parisiorum IX. Calend. Novembris, ann. M. DC. LXIV.

Joannes Launoius

FELICI PHELIPPÆO BROSSÆ,

Parisiensi Theologo.

Rupellam.

1 QUAS ad me scribis literas, non possunt non esse mihi gratissimæ. In iis ad humanitatem diligentiæ & eruditionis fere semper accedit quamplurimum: Diligentiæ quidem, quia vacant errore, quæ studio & lima tua perpoliuntur; eruditionis verò, quæ, si opus est, ex Græcis & Latinis auctoribus cumulatur. Acceptissima profectò mihi sunt argumenta illa tria, quibus nostram in Epistolis ad Hieronymum Sambocuvium, & Ludovicum Cusinum agendi rationem tibi probatam esse significas. Primùm, quòd ibi jam inde ab initio derivetur Sedis Apostolicæ traditio, qua Romanus Pontifex sacris Canonibus & Conciliis subjici apertissimè & planissimè demonstratur: Deinde, quòd nostra disputandi & agendi ratio atque concilium offensione invidiáque omni careat; siquidem, quæ in medium adduco, non extrinsecus alicunde quæruntur, sed ex ipsis causæ visceribus sumuntur, ab iis scilicet, quorum res est, res ipsa decernitur & constabilitur: Denique, quòd Romanæ Curiæ censoribus imperitis & aliis ejusdem assentatoribus vox comprimatur. Dum enim in propria causa Pontifices è Sede Petri loquuntur, illi tacere debent, & suis magistris aurem præbere. Nec timenda est illorum vis, quæ sub aspectu demonstratæ traditionis nunquam nisi in actum te-
2 merarium erumpet. Verùm pro tua sagacitate adjicis, Bellarminum in libri II. de Conciliis capite XVII. producere quorundam Romanorum Pontificum testimonia, quibus ille Romanos ipsos Pontifices supra Ecclesiam universam & generale Concilium esse, confirmare sibi videtur: Atque exinde necessarium tibi videri, vel certè proficuum, ut illa expendam testimonia, ne Romani Pontifices illi cùm à seipsis, tum ab aliis dissentire judicentur. Bene mones: Fuerunt enim semper, qui nodum in scirpo quæsiverint, & qui jam aliqua opinione occupati, sibi omnia concinere, ut cupiverint, ita & putaverint.

Igitur Romani Pontifices sunt octo. Leo I. Gelasius I. Gregorius I. Nicolaus I. Paschalis II. Alexander III. Innocentius III. Bonifacius VIII. quorum testimonia referenda sunt; tum ea singillatim de uniuscujusque Pontificis mente, & propriæ Sedis traditione æstimanda.

I. Bellarminus Leonis I. testimonium repetit, ex Epistolâ XLVIII. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum: *Magna*, inquit, *Dei dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursum quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, ut nihil usquam à suo capite dissideret: Jam si cura universalis Ecclesiæ ad Petrum pertinet, certò etiam Concilii, quod universalis Ecclesiæ vicem gerit.* Quæ Leo scribit ad Anastasium, non quidem in Epistola XLVIII. sed in Epistola LXXXIV. Bellarmini sententiæ non favent.
3 Nec Bellarminus hanc allegasset Epistolam, si ipse perlegisset. Leo hac in Epistola sacros Canones diligenter exequitur; tantum abest, ut ad Bellarmini mentem se supra Canones & Concilia erigere cogitet. Audiendus est in capite II. *Igitur secundùm sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra Fraternitatis tua cura prætenditur, jus tradita sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: Ita ut à regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.*

In capite VII. *De Conciliis autem Episcopalibus non aliud indicimus, quàm sancti Patres salubriter ordinarunt: Ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci assolent, judicetur.*

In capite VIII. *Si quis Episcopus, mediocritate civitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacumque occasione transtulerit, non solùm à Cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria; ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus sit quisque, nec supra mensuram juris sui affectet augeri.*

In capite IX. *Alienum Clericum invito Episcopo ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi fortè ex placito charitatis id inter dantem accipientémque conveniat. Nam gravis injuriæ reus est, qui de Fratris Ecclesia id quod est utilius, aut pretiosius, audet vel allicere vel tenere.*

Sic igitur Leo sacrorum Canonum & cum primis 4
Nicænorum, vindicem, patronum, atque executorem strenuum se præstat. Hæc Leonis decreta in illius Epistola I. dicuntur, *de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum promulgata disciplinis*: Quo videlicet modo sacros Conciliorum Canones exequitur, & Pontifices alii exequuntur. Sub finem capitis XI. & ultimi cùm Leo dicit id, quod Bellarminus descripsit, à Bellarmini sensu longè abest: De universali quidem loquitur Ecclesia, non quæ in Concilium advocata, sed quæ per orbem Christianum dispersa sit. Hoc Leo & nihil aliud intelligit, ut Epistolæ totius docet lectio. Non noverat figmentum illud, quod pro lemmate Bellarminus assumpsit, *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & generale Concilium, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Ridiculè omnino. Ut ad Petri successorem universæ Ecclesiæ cura confluit, sic ad Metropolitanum universæ provinciæ cura confluit, in Nicæno Canone IV. *Firmitas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo:* Deinde in Antiocheno Can. IX. *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere: Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere, secundùm antiquam à Patribus nostris regulam constitutam.* Hæc autem, quæ de Metropolitano dicuntur, cùm minimè impediant,
quo minus à provinciali Concilio Metropolitanus judi- 5
cetur, cur illa, quæ à Leone de Petro seu Petri successore dicuntur, impedirent, quo minus Petri successor ab universali Concilio judicaretur? Par est utrobique ratio, eáque remanebit semper, nisi per fraudem principium petatur. Sed principii petitio non alios, quàm

inertes

inertes & traditionis Ecclesiasticæ rudes exercet & fatigat. Profectò si Bellarminus fallaciam, quæ in variatione appellationis terminorum consistit, voluisset evitare, paginas integras argumento vacuus præteriisset.

Quin autem Conciliorum cura ad Petri successorem pertineat, nemo ambigit; immo ad ipsum præ cæteris pertinet, ut editos à Conciliis Canones diligenter observet, & exemplo suo ab aliis similiter observari præcipiat. Id relata in nostris ad Samboeuvium & Cusinum Epistolis testimonia Leonis confirmant. Unum aut alterum ex Epistola LV. ad Pulcheriam Augustam nunc proferimus: Et primum quidem ex capite II. *Quoniam contra statuta paternorum Canonum, quæ ante longissima ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis,* NIHIL CUIQUE ADDERE CONCEDITUR, ITA UT SIQUIS DIVERSUM ALIQUID DECERNERE VELIT, SE POTIUS MINUAT, QUAM ILLA CORRUMPAT: *Quæ si, ut oportet, à cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia; nulla de mensuris honorum dissensiones, nulla de ordinationibus lites, nulla de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena usurpatione certamina, sed ea, quæ jure charitatis rationabilis est, & morum & officiorum servabitur* 6 *unanimitas; & ille erit verè magnus, qui fuerit totum ambitione alienus; dicente Domino: Quicunque inter vos voluerit major fieri, sit vester minister; & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Deinde in capite III. *Consensiones verò Episcoporum,* SS. CANONUM APUD NICÆAM CONDITORUM REGULIS REPUGNANTES, *unita nobiscum vestra fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus: In omnibus* ECCLESIASTICIS HIS LEGIBUS OBSEQUENTES, QUAS AD PACIFICATIONEM OMNIUM SACERDOTUM PER TRECENTOS DECEM ET OCTO ANTISTITES SPIRITUS SANCTUS INSTITUIT: *Ita ut etiam si multò plures alii, quàm illi statuere decernerent, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit à prædictorum constitutione diversum.* In testimonio priori cùm ait, *Nicænis Canonibus nihil cuique addere conceditur,* neminem excipit: Excipiendus tamen erat Romanus Pontifex, si Leo in Bellarmini fuisset sententia. Sed quia non credebat se esse supra Ecclesiam universam & generale Concilium, neminem excipit: Seipsum in ea propositione includit. In posteriori fatetur, ultro se legibus Ecclesiasticis parere, cùm in aliis, tum maximè destruendo, quidquid illis opponitur.

Cæterum, rem ipsam decidit Leo in Epistola XXXV. ad Pulcheriam Augustam. *Ad effectum verò salubrium dispositionum velociùs obtinendum, Fratres & Coepiscopos meos Abundium & Asterium, sed & Basilium & Senatorem Presbyteros probatissimos viros misi, qui Clementiæ vestræ formam fidei, quam secundùm doctrinam venerabilium Patrum prædicamus, offerrent; & remotis* 7 *circumlocutionibus, quibus obscurari veritas solet, quid de Incarnatione filii Dei à totius orbis probatis Sacerdotibus defensum fuisset, ostenderent. Quos post divinam gratiam sancto vestræ Pietatis auxilio dignum est adjuvari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat contentio, cùm correctione adhibita, omnes oporteat in unius confessionis redire concordiam: A qua si forsitan* AB ALIQUIBUS DISCREPATUR, *universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam, Clementia vestra annuente, jubeatur; quò remota arte fallendi tandem pateat, quid altiore tractata aut coërceri debeat aut sanari.* His in verbis notanda sunt tria: Primùm, quòd Leo editam secundùm Patrum auctoritates formam fidei dirigit, quæ Sacerdotes omnes in una fidei confessione possit continere: Deinde, quòd si nonnulli dissentiunt, celebrandum est universale Concilium: Denique, quòd in ejusmodi patebit Concilio, quid altiore tractatu aut coërceri debeat aut sanari. Ex his autem tribus inter se comparatis manifestè apparet, Leonem in ea fuisse sententia, ut crederet, majorem & ab erroris formidine remotiorem in universali Concilio, quàm in seipso & in Romana Sede auctoritatem residere. Porrò autem, cùm dico (ab erroris formidine remotiorem) comparatè loquor: Nam si res simpliciter spectetur, universale Concilium non errandi privilegium habet, quo Romanus Pontifex caret, ut ex verbis Leonis facile colligitur.

II. Bellarminus Gelasii I. testimonium arcessit ex Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ; & sic arcessit: *Cuncta,* inquit Gelasius, *per mundum novit Ecclesia, quòd Sacrosancta Romana Sedes fas de omnibus habeat* 8 *judicandi, nec cuiquam liceat de ejus judicare judicio.* Et primò quidem, non agitur de Concilio seu provinciali seu generali, quod Sedis Apostolicæ judicium retractet, sed de unaquaque Sede singillatim accepta, nimirum Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, quæ de primæ Sedis judicio judicare non potest: Deinde, non agitur de provocatione à Romana Sede ad universale Concilium, sed de provocatione ab Romana Sede ad aliam Sedem, quæ permissa est nunquam. Res igitur sic se habet: Gelasius Epistolam hanc scribit ad Episcopos Dardaniæ, contra Euphemium Constantinopolitanum, qui volebat in Diptychis retinere nomen Acacii decessoris sui, quem ut Eutychis sectatorem Felix III. in Romana Synodo, atque ex forma Calchedonensis Concilii damnaverat, ut in illius ad Vetranionem Episcopum Epistola VII. traditur: *In Calchedonensi itaque Synodo, quæ de Concilii Nicæni tenore procedens pro Christiana confessionis integritate servanda, tam auctoritate Sedis Apostolicæ, quàm universalis Ecclesiæ est celebrata consensu, Eutychem atque Dioscorum constat fuisse damnatos: Quorum Timotheum & Petrum extitisse docemur proculdubio sectatores, eorùmque se communioni nefariæ miscuisse, etiam cùm à nobis prohibitum est Acacium, atque ob hoc ex forma Synodi memoratæ* (Calchedonensis) *similem cunctos, quæ præfixa fuerat pravitati, damnationis incidisse sententiam, cujus se elegerunt esse consortes: Unde meritò prædictum Acacium Apostolica Sedes, quæ nunc executrix utique supradicti Calchedonensis Concilii pro fide Catholica tunc probatis non defuit, iterata excommunicatione depulsum est.*

Hinc, cùm Bellarminus prospiceret nec Epistolam 9
nec Epistolæ argumentum sibi prodesse, ut tamen hæc prodesset Epistola, illius verba truncanda esse censuit. Sic autem scribit Gelasius: *Auctore cujuslibet infamiæ ac pariter errore damnato, sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus.* Et post alia: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus,* NON ALIQUAM MAGIS EXEQUI SEDEM PRÆ CÆTERIS OPORTERE, QUAM PRIMAM, *quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper, & retinet.* Et post alia: *Non reticemus, quòd cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quòd de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Bellarminus cùm refert locum hunc, corrumpit, & nomen (*canones*) omittit: Ne scilicet animadvertatur, quo jure ad Sedem Apostolicam de qualibet mundi parte appelletur. Jure appellatur, quòd universalis sanxit Ecclesia, quæ unoquoque Episcopo etiam Romano superior est. Idipsum agnoscunt Felix, & Gelasius, cùm

10 sese Canonum à Conciliis decretorum executores venditant, atque ex forma Calchedonensis Synodi Acacium deponont. Præterea, si unusquisque Episcopus universali Concilio subjectus est, si unusquisque Episcopus universali Concilio Canones tenetur exequi, Romanus Episcopus auctore Gelasio teoetur adhuc magis, Conciliòque magis subjicitur, cùm asserere noo dubitet, *Unusquajusque Synods constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensu, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* Cur verò teneatur magis exequi, Hilarus Papa docet in Romano Concilio, cui præfuit: *Si placet, Fratres, ea, quæ ad ordinationum tenorem pertinent, juxta divinæ legis præcepta & Nicænorum Canonum constituta ita adjuvante Domino in omne ævum mansura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare,* QUIA NOS, QUI POTISSIMI SACERDOTIS ADMINISTRAMUS OFFICIA, TALIUM TRANSGRESSIONUM CULPA RESPICIET, *si in causis Dei desides fuerimus inventi, quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentia Sacerdotum:* SIQUIDEM REATO MAJORE DELINQUIT, QUI POTIORI HONORE PERFRUITUR; ET GRAVIORA FACIT VITIA SACERDOTUM SUBLIMITAS PERSONARUM.

Porro autem, ridiculum & absurdum est, verba hæc [*Nec cuiquam liceat de ejus* (Romanæ Sedis) *judicare judicio*] *ad Concilium usque producere.* Vox [*cuiquam*]
11 noo solùm apud Grammaticos, sed etiam apud Dialecticos, distributionem importat, noo collectionem. Quis, quæso, per nomen [*quisquam*] populum intelligeret? At si nemo per nomeo, [*quisquam*] populum intelligeret, nemo quoque, ni fallor, per idem nomen universale Concilium intelligeret, oi fortassis vellet ab omnibus derideri.

III. Bellarminus Gregorii I. testimonium depromit, ex libri IX. Epistola XXXIX. ad Theotistam; & testimonium est tale: *Si beatus Petrus, cùm à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat, ut Pastorem suum oves reprehendere non auderent: Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, Doctor mansuetudinis non fuisset; humili ergo eos ratione placavit.* Bellarminum ad magnas angustias redigi oportet, cùm eo utatur testimonio, quo neque ex ipsis verbis neque ex argumento Epistolæ confici quidquam possit. Gregorii testimonium paullo repetendum est altiùs. Hic postquam detractiones multorum curandas non esse, si nostra conscientia non accusat, pluribus exemplis demonstravit, subjicit, quæ sequuntur: *Vestra itaque Excellentia potest, protegente Domino, pravorum hominum scandala cum magna tranquillitate declinare: Priores enim eorum sponte vobis secretò vocandi sunt, atque ipsis ratio reddenda, & perversa quædam capitula, quæ tenere vos existimant, coram ipsis anathematizanda. Quod si etiam, sicut dicitur, dari à vobis anathema fictè suspicantur, etiam jurejurando firmandum est, vos nunquam eadem capitula tenere, nunquam tenuisse: Nec vobis indignum videatur, tali eis modo satisfacere, nec de Imperiali genere sit contra eos aliquod in vestra mente*
12 *fastigium. Omnes etenim fratres sumus, unius Imperatoris potestate conditi & sanguine redempti: Et ideo fratres nostros quantumlibet pauperes & abjectos in nullo despicere debemus. Certè etenim Petrus potestatem regni cælestis acceperat, ut quæque in terra ligaret, vel solveret, essent in cælo ligata vel soluta. Supra mare ambulavit, ægrotantes umbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione suscitabat; & quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio à fidelibus facta est, cur ad gentiles intrasset, & comedisset cum eis, cur eos in baptismate suscepisset: Et tamen idem Apostolorum primus tanta donorum gratia repletus, querela fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exposuit; quomodo vas quoddam velut linteam, in quo quadrupedia terræ & bestiæ & reptilia atque volatilia inerant, de cælo submitti viderit, vocémque audierit: Surge Petre, occide & manduca: Qualiter tres viri venerint, eum ad Cornelium vocantes; qualiter Spiritus Sanctus hunc cum eis ire præceperit; qualiter idem Spiritus Sanctus qui venire in baptizatos in Iudæa post baptismum consueverat, in gentibus ante baptismum venit: Si enim cùm à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset, respondere poterat, ut Pastorem suum oves, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent: Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset: Humili ergo eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit, dicens: Venerunt autem sex fratres isti. Si ergo Pastor Ecclesiæ, Apostolorum Princeps, signa & miracula singu-* 13
lariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores, cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus? Quis autem ex oratiooe hac tota probaret unquam, Gregorium in ea fuisse sententia, ut crederet se *simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & generale Concilium, ita ut nullum in terris supra se judicium agnosceret?* Hoc est lemma, quod Bellarmious ex hac Gregorii auctoritate probare contendit? Non legit Gregorii Epistolam, aut si legisset, ad istud argumentum oculos adjecisset nonnihil: *Si ergo Pastor Ecclesiæ Apostolorum Princeps signa & miracula singulariter faciendo non dedignatus est, in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?* Deinde, si legisset Epistolam, legentem retardassent verba hæc: *Idem Apostolorum primus tanta donorum gratia repletus, querela fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit.* Tum demum, si legisset Epistolam hanc noo corrupisset. Nam ubi Gregorius scribit, *Si auctoritatem, quam* (Petrus) *in sancta Ecclesia acceperat, attendisset*, Bellarminus ponit, *si auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset.* Corruptio Bellarmini consilio non est inutilis. Nam *in sanctam Ecclesiam*, idem ac *supra sanctam Ecclesiam*, ac proinde *supra Concilium* interpretatur.

Adhæc, Bellarminus præsidium nullum ex eo potest
quærere, quòd oves Pastorem suum reprehendere non 14
debeant. Id enim non pertinet ad rem, nisi velit unicum esse in Ecclesia universa Pastorem, quem oves reprehendere non debeant, aut non audeant. Hoc esset eum, quem Christus instituit, Episcopatum, *cujus à singulis in solidum pars tenetur, qui multorum Episcoporum concordi numerositate diffunditur*, ut beatus Cyprianus loquitur, omnino labefactare: Congregatum ex Romanæ Ecclesiæ ovibus Concilium, Pastorem illius noo reprehenderet, exigente causa, sed Concilium, quod ex aliis universæ Ecclesiæ Pastoribus colligeretur.

Quòd autem Gregorius reprehendi non gravaretur, ipse docet in libri II. Indict. X. Epistola XXXVII. ad Natalem Salonitanum Episcopum, quem ob convivia lautiora reprehenderat: *Si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, jure tacere compellerer, ut eum non reprehenderem, quem emendare non possem. Hæc ergo sententia* (qui non manducat, manducantem oon judicet) *solummodo propter eos dicta est, qui illos judicare student, quorum sibi cura commissa non est. At postquam nos, auctore Deo, unum sumus, si ea, quæ nobis corrigenda sunt, tacemus, valde delinquimus. Ecce, Fraternitas tua ægrè tulit, se de conviviis à me esse reprehensam, cùm ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim; & hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam ante apparitionem districti judicis mea maculas mentis tergo.*

Dein-

Deinde, supra Ecclesiam universam & generale Concilium non attollit se Gregorius, cùm in libri I. Epistola XXIV. ad Joannem Constantinopolitanum ita
15 scribit: *Dum Concilia universali sunt consensu constituta, se & illa non destruit, quisquis præsumit, aut solvere, quos ligant, aut ligare, quos solvunt.*

Tam, Gregorius se supra Ecclesiam universam, & supra generale Concilium non attollit, qui se supra Romanæ Ecclesiæ consuetudinem non attollit in libri III. Indict. XII. Epistola XXX. ad Constantinam Augustam: *Serenitas vestra pietatis, religionis studio & sanctitatis amore conspicua, propter eam, quæ in honorem sancti Pauli Apostoli in Palatio ædificatur, Ecclesiam, caput ejusdem sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius sibi ad se jussionibus à me præcipit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me ampliùs potuissem gratiam provocare, major me mœstitia tenuit,* QUOD ILLA PRÆCIPITIS, QUÆ FACERE NEC POSSUM NEC AUDEO. Quid ita? *In Romanis*, ait paullò pòst, *vel totius Occidentis partibus, omnino intolerabile est, atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit, quod si præsumpserit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.* Et quibusdam interpositis: *Quis ergo nunc, serenissima Domina, tam temerarius possit existere, ut hæc sciens eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi à vobis præcepta sunt, de quibus parere nullatenus potuissem, quantum invenio, non vestrum est: Sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent, & propterea quæsierunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens invenirer.*

16 Quis dicere auderet, Pontificem adeò sanctum & sincerum, aliud in ore, aliud in corde habuisse? Constantinam voluisse ludificari officio ficto & simulata sedulitate, qua Sedis Apostolicæ privilegiis derogaret? Absit, absit, inquam, ut quis de tanto Pontifice tam indignè sentiat.

Denique, Gregorius non sese attollit supra Concilia & supra Canones, cùm in libri II. Indict. XI. Epistola LII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum ita scribit: *Ego attestante mihi conscientia fateor, quia cum nullo homine habere scandalum volo, & quanta valeo virtute declino. Et quamvis cum omnibus hominibus pacem habere summopere cupiam, vobiscum præcipuè, quos vehementer amo, si tamen ipsi, quos novi, vos estis. Nam si canones non custodiris, & majorum vultis statuta convellere, non cognosco, qui estis. Age ergo, Frater carissime, atque sanctissime, ut nos invicem recognoscamus.* Gregorius, ut Joannem Constantinopolitanum, ita & seipsum canonibus & majorum statutis subjicit, & ita, ut si Gregorius ipsemet canones & majorum statuta non custodisset, Joannes potuisset illi dicere, *Non cognosco, qui estis.*

Noverat eruditus & sanctus Pontifex, Sedis Apostolicæ interesse omnino, ut ipse canones & majorum statuta servaret, nec iis ad arbitrium derogaret. Sic enim ea de re scribit, in libri V. Epistola XII. ad Montanum & Thomam: *Justitia ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiat.* Iterum in libri VII. Indict. I. Epistola XVII. ad Bonifacium primum Defensorem: *Nimis est asperum &*
17 *præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum nisi quempiam quacumque rationis excusatione, & quæ sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere cæteros, sua quandoque post se constituta dissolvere.*

Gregorius hoc per traditionem Sedis suæ acceperat, à Symmacho, qui in Epistola II. ad Æonium Arelatensem Episcopum scribit hoc modo: *Huc accedit, quòd ne fit sententiarum varietas, ad ipsam Sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus potestas omnis infringitur, nisi universa, quæ à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quod aliàs contingere non poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando, quæ gesta sunt, faciat rata esse, quæ gesserit. Quanta enim Vicariis beatissimi Petri Apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in Sacerdotibus præcipuum, eisdem transeuntibus dissolvantur?*

Symmachus hoc per traditionem Sedis suæ acceperat à Leone I. dum in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite III. sic scribit: *Tanta apud me est Nicenorum Canonum reverentia, ut ea, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar, aliqua novitate violari.* Rursus in capite V. *Quidquid præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem; si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicæam constitutum. Nam quod ab illorum regulis constitutionéque discordat, Apostolicæ Sedis nunquam obtinebit consensum.*

Leo hoc per traditionem Sedis suæ accepit à Sixto III. qui in Epistola ad Episcopos apud Thessalonicam con- 18
gregandos paucis omnia complectitur: *Priorum judicium sequimur, hæc constituendo, quæ ab his novimus constituta.*

Sixtus hoc per traditionem Sedis suæ accepit à Celestino, qui in Epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium, & alios Episcopos Illyrici scribere non dubitat: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus.*

Celestinus hoc per traditionem Sedis suæ accepit ab Innocentio I. cùm ad Anysium Episcopum scribit: *Neque fas erat, ut aut ego contra tantorum bonorum virorum* (Damasi, Siricii) *judicium venire tentarem, quorum in locum successisse dignoscor, aut tuo merito, cui præclari viri tantam gratiam auctoritatis hujusce contulisse videntur, aliquid derogari videretur.*

Innocentius hoc per traditionem Sedis suæ accepit à Liberio, qui in Epistola VII. ad Orientales dicit: *Ego Athanasium non defendo, sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius decessor meus, verebar, ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer.*

Liberius hoc per traditionem Sedis suæ accepit à Julio, qui in Epistola ad Orientales scribit ista: *Nos omnia secundùm Canonem facimus.* Infrà: *Quid quæso nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici Canonis est?* Infrà: *Qui sunt igitur, qui contra Canones agunt?* Infrà: *Quæ accepimus à beato Petro Apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbassent.*

Hæc est perpetua sacrorum Canonum observatio, quæ à Gregorio Papa retro ad Petrum Apostolum versus reducitur; nec ibi reperitur illa priorum statutorum 19
derogatio, quam ipsi Gregorius & Symmachus in exemplum pessimum, & in Sedis Apostolicæ opportunitatum ruinam transcribere non verentur.

IV. Bellarminus Nicolai I. testimonium reposcit ex Epistola ad Michaëlem Imp. ubi Pontifex sic disputat: *Patet profectò Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum.* Bellarminus locum hunc truncavit, aut is certè, qui Bellarmino locum suppeditavit. Nicolaus, ubi quæ jam ex Gelasio retulimus, retulit, sic philosophatur: *Quoniam cùm secundùm Canones ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum, patet profectò Sedis Apostolicæ cujus auctoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus judicio liceat judicare.* Heu prisca & integra fides! Nicolai ratiocinatio, apud Bellarminum principio & fine minuitur, & quod superest vastum & hiulcum apponitur: Et sic incautis lectoribus parantur insidiæ. Res autem ita se habet: Romanæ & Constantinopolitanæ Sedis privilegia expendit, & Sedem utramque inter se componit, affirmátque cùm ex aliis, tum ex hoc quoque Romanam Constantinopolitanæ antecellere, quòd Romanæ judicium

judicium minimè retractetur. Non ergo Romanæ Sedis auctoritatem, cum Ecclesiæ totius, vel generalis Concilii auctoritate contendit, uti Bellarminus falsò putat. Verba hæc [*Sedis Apostolica judicium à nemine fore retractandum, nec cuiquam de ejus judicio liceat judicare*] propositam explicationem objiciunt. Voces
20 hæ duæ [*à nemine*] & [*cuiquam*] cùm singulares tantùm personas & Sedes appellent, Concilium nullum excludunt; tantùm abest, ut Oecumenicum excludant.

Porro autem, si Bellarminus legisset Epistolam XXXI. quam Nicolaus Silvanectensis Concilii Episcopis scribit, vidisset utique, Nicolaum palam profiteri, se sacris Canonibus, ac proinde Synodis, Canonum auctoribus, subjectum esse. *Caterum*, inquit, *de Baldvino, de quo jam multa scripsistis, sciat Beatitudo vestra,* NOS NON REGULAS, ATQUE SANCTA DECRETA VELLE CORRUMPERE, *quibus homo ab uno Episcopo excommunicatus, ne recipiatur ab alio Episcopo, prohibitum est.*

Alia non erat tunc Sedis Apostolicæ sententia vel traditio.

Decessor penultimus, Leo IV. id testatur, scribens ad Lotharium Imperatorem: *Mandastis, ut privilegium & pallium Alteo Episcopo praberemus: Unde poscimus, ut vestra super hoc Magnitudo non indignetur; quoniam quod ab ipso Sanctissimo Papa Gregorio usque ad hac tempora nostra factum minimè recordamur*, FACERE NON POTUIMUS, NEQUE PRÆFIXOS PATRUM TERMINOS IMMUTARE: Apud Ivonem part. IV. capite CCX. Deinde, apud eundem in Epistola LX. ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum. Leo idem IV. ita scribit ad Judicem Sardiniæ: *Nec mos, nec noviter introducta consuetudo nostra Ecclesia nostris pradecessoribus fuit, contra Canonum statuta, nova vel inusitata prasumere.* At præsumerent sæpe, qui se supra Ecclesiam & Concilia putarent esse.

21 Hadrianus II. Nicolai successor proximus, in Epistola XXVII. ad Carolum Calvum Regem: *Sed de his nihil audemus judicare, quod possit Nicano Concilio & quinque caterorum Conciliorum regulis, vel decretis nostrorum antecessorum obviare.* Sic loquuntur, qui se infra, non qui se supra Canones & Concilia putant esse.

Leo, Nicolaus, & Hadrianus, idem inter se sentiunt, & in eo à Bellarmino dissentiunt; aut potiùs in eodem Bellarminus à Leone, Nicolao, & Hadriano dissentit, & Nicolao nominatim sententiam falsam imponit.

V. Bellarminus Paschalis II. testimonium sic exhibet: *Paschalis Papa, ut habetur C. significasti, extra. de electione: Aiunt, inquit, in Conciliis statutum non inveniri, quasi Romana Ecclesia legem Concilia ulla prafixerint, cùm omnia Concilia per Romana Ecclesia auctoritatem & facta sint & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Hæc ille Pontifex, in Epistola ad Panormitanum Episcopum, quæ omnia in facti, non juris conditione versantur: Ad rerum quippe gestarum historiam pertinent.

Et primùm quidem illud: *Aiunt, in Conciliis statutum non inveniri, quasi Romana Ecclesia legem Concilia ulla prafixerint.* Qui hoc aiunt & insusurrant Paschali, falluntur.

Antiochenum Concilium, quod Paulum Samosatenum de Sede Ecclesiæ suæ dejecit, apud Eusebium in libri VII. historiæ capite XXIV. Dionysio Romano & aliis Episcopis legem præfixit: *Omnes*, inquit Eusebius, *Episcopi & Pastores, qui in Concilio suprà commemorato erant convocati, unam communi consensu Epistolam*
22 *ad Dionysium Romanum Episcopum, & ad Maximum Alexandrina Ecclesiam procurantem, nominatim conscripserunt, cujus exemplaria ad omnes Ecclesias miserunt.* Hæc Epistola paullò post ita inscribitur: *Dionysio, Maximo, omnibus ubique in orbe terrarum Collegis, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & universa ac Catholica sub calo Ecclesia, Helenus, Hymenaus & Theophilus, Theotecnus, & Maximus, Proclus, Nicomas & Ælianus, Paulus, Bolanus & Protogenes, Hierax & Eutychius, Theodorus, Malchion & Lucius, & reliqui omnes Episcopi & Presbyteri & Diaconi, qui civitates & regiones finitimas apud nos incolunt, & Ecclesia Dei, qua apud nos sunt, dilectis Fratribus in Domino salutem.* Deinde sub finem Epistolæ: *Istum igitur tam Deo adversarium, támque contumacem eramus coacti, Ecclesia, & congregatione fidelium indicere excludereque, & alium Episcopum, qui huic Catholica Ecclesia praesset, in ejus locum substituere, unde Dominum divina certè, ut putamus, providentia designavimus, Demetriani hominis felicis commemorationis, (quippe qui hanc Ecclesiam ante hunc praclarè rexisset) filium, omni genere virtutum, qua Episcopum decent, exornatum, ac vos de ejus electione per Epistolam certiores facimus, ut illi scribatis, & ab eo literas accipiatis communionis.* Sic Orientale Concilium Dionysio Romano peræquè ac Maximo Alexandrino Episcopo legem imponit, seu præcipit, ut Paulum tanquam ritè depositum agnoscant, & Domno novo Antiochiæ Episcopo scribant, & ab eo literas communionis accipiant.

Arelatense Concilium I. Romano Pontifici legem præfixit. Qua de re in Epistola ad Silvestrum: *Cùm* 23
diversa sint provincia, ex quibus advenimus, ita & varia contingunt, qua nos censemus observari debere. Placuit ergo prasente Spiritu S. & Angelis ejus, ut & his, qui singulos, quos movebat judicare, proferremus de quiete prasenti. Placuit etiam antequam à te, qui majores diæceses tenes, per te potissimùm omnibus insinuari. Quod autem sit, quod scripserimus, scripto nostra mediocritatis subjunximus. Præfigentis legem, verba sunt hæc: [*Placuit à te & per te potissimùm omnibus insinuari,*] quæ videlicet pro sancienda Ecclesiæ disciplina Concilium statuit. Deinde in Can. I. *Primo loco de observatione Pascha Dominici, ut uno die & uno tempore per orbem totum à nobis observetur, & juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Præfigentis quoque legem, verba sunt hæc: [*Et juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.*] Silvestri Legati his legibus non intercesserunt: Silvester delatas ad se illas non respuit.

Canonem hunc executi sunt Pontifices Romani, ut ex Innocentii I. & Leonis I. Epistolis habetur.

Deinde, Arelatense Concilium illam, quæ inter Romanam & Africanam Ecclesiam erat, controversiam diremit, in Can. VIII. *De Afris, quòd propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu S. esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum S. quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Concilium igitur legem hanc & Romanæ & Africanæ Ecclesiæ imponit, quæ certum quoddam temperamentum continet: Ubi, nec omnino secundùm Romanam, nec omnino secundùm Africanam Ecclesiam pronunciatur. 24

Africana Ecclesia, in Codice suorum Canonum, Romanæ & Alexandrinæ Ecclesiæ legem imponit, num CI. *Placuit etiam, ut de dissentione Romana atque Alexandrina Ecclesia ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quo utraque Ecclesia intra se pacem, quam pracepit Dominus, teneat.*

Romana Synodus IV. quæ Symmacho Pontifice celebrata est, in capite IV. Romanum Episcopum hac lege constringit: *His ergo perpensis, mansuro cum Dei nostri consideratione decreto, sancimus, ut nulli Apostolica Sedis prasuli, à prasenti die, donec disponente Domino Catholica fidei manserit doctrina salutaris, liceat pradium rusticum, quantacunque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione ad cujuslibet jura transferre, nec cujusquam excusetur necessitatis obtentu.*

Agapetus I. lege hac teneri se fatetur in Epistola VI. ad Cæsarium Arelatensem Episcopum: *Tanta est*, inquit, *Deo propitio, & ad ea concedenda, qua alimoniis proficiunt pauperum, & circa tua Fraternitatis affectum nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus,*

quod

quod animi vestris desideriis postulatis. Sed revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, QUIBUS SPECIALITER PROHIBEMUR, *prædia juris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Qua in re vestra quoque sapientia credimus esse gratissimum,* QUOD IN NULLO, CONTRA PRISCÆ DEFINITIONIS CONSTITUTA VEL REGULAS, PRO QUALIBET OCCASIONE, VEL SUB CUJUSCUNQUE PERSONÆ RE-
25 SPECTU, VENIRE PRÆSUMIMUS. *Nec tenacitatis studio, aut sæcularis utilitatis causa hoc facere nos credatis;* SED DIVINI CONSIDERATIONE JUDICII NECESSE NOBIS EST, QUIDQUID SYNODALIS DECREVIT AUCTORITAS, INVIOLABILITER CUSTODIRE. Hactenus de Conciliis: Quæ etsi non habeantur generalia, Romano tamen Pontifici legem præfixerunt.

Nunc de Nicæno Concilio nonnihil observandum est. Hoc in Canone III. Romanæ Ecclesiæ, perinde ac cæteris, legem præfixit: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem.* At si magna Synodus hoc in Canone Romanæ Ecclesiæ legem nullam præfixisset, Romanus Episcopus subintroductam potuisset habere mulierem impunè. Quo quid, quæso, fingeretur absurdius? Cæteros prætermitto Canones, quibus Romani Episcopi obligantur.

Deinde illud [*omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta sunt:*] Qui hoc aiunt, & insusurrant Paschali, falluntur, si per, [*facta sunt*] convocata & indicta esse, ut Tridentinum Concilium indictum est, intelligant. Non enim meminerunt in veterum Conciliorum actis nihil legi frequentiùs, quàm Concilia Imperatorum jussu fuisse convocata.

Non meminerunt Leonem I. quem de minuta Romanæ Sedis auctoritate nullus accusavit unquam, multoties rogasse Theodosium, ut in causa Eutychis Oe-
26 cumenicam Synodum congregaret. Hic repetere nolo, quæ ea super re in Epistola ad Ludovicum Marasium, Parisiensem Theologum, ex quibusdam Leonis Epistolis collegi. Supersunt alia, quæ nunc ad demensum exscribo.

Et primùm quidem, ex Epistola XIX. ad Julianum Episcopum: *Et quia clementissimus Imperator pro benevolentia ac pietate animi sui de statu hujus, qui antè honorabilis videbatur, diligentiùs voluit judicari, atque ob hoc indicendum credidit Episcopale Concilium, per Fratres nostros Julianum Episcopum & Renatum Presbyterum, sed & filium meum Diaconem Hilarium, & quos ex latere meo vice mea misi, ad Fratrem nostrum Flavianum sufficientia pro qualitate causæ scripta direxi.*

Deinde, ex Epistola XXIII. ad Clerum & plebem Constantinopolitanæ urbis: *Et quoniam oportet vos post divinum auxilium etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, ut petitioni nostræ, qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere.*

Tum, ex Epistola XXV. ad Theodosium: *Literis Clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in causa tam simplici, tamque minuta nihil putaremus posse existere, quod noceret: Præsertim, cùm ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi,* &c.

Quartò, ex Epistola XXXIII. ad eundem Theodo-
27 sium: *Sin verò aliqui à puritate fidei nostræ atque Patrum auctoritate dissentiant, Concilium universale intra Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petit, Clementia vestra concedas, ut in unum convenientibus omnibus his, qui aut ignorantia, aut terrore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur.*

Quintò, ex Epistola XXXIV. ad Faustum, Martinum, & alios Archimandritas: *Ne ergo (quod inter longinquas regiones accidere solet) in nimias dilationes tenderent veritatis examina, Fratres & Coepiscopos nostros Abundium & Asterium, sed & Basilium & Senatores Presbyteros, probatissimos viros, ad piissimum Principem cum sufficienti Paternarum auctoritatum instructione direximus.*

Sextò, ex Epistola XXXV. ad Pulcheriam Augustam: *A quâ* (concordiâ) *si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam, Clementia vestra annuente, jubeatur.*

Septimò, ex Epistola XLII. ad Martianum Augustum: *Unde piissimæ sollicitudini vestræ, quam de indicenda Synodo habere dignamini, per Legationem, quæ confestim ad Clementiam vestram Deo annuente perveniet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere, pleniùs atque opportuniùs suggeretur.*

Octavò, ex Epistolæ XLIII. ad eundem Martianum, capite I. *Poposceram quidem à gloriosissima Clementia vestra, ut Synodum, quàm ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem, à nobis etiam petitam, necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, convenirent.* 28

Nonò, ex Epistolæ XLIV. ad eundem Martianum capite II. *Synodum verò fieri, ut meminit Clementia vestra, etiam ipsi poposcimus, sed Sacerdotes Provinciarum omnium congregari præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illæ provinciæ, de quibus maximè sunt evocandi, inquietante bello, ab Ecclesiis suis non patiuntur abscedere. Unde opportuniori tempori, propitiante Domino, cùm firmior fuerit restituta securitas, jubeat vestra Clementia reservari.*

Decimò, ex Epistola XLIX. ad eundem Martianum: *Credebamus Clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respecta, differri ad opportunius tempus Sacerdotalem Synodum juberetis, ut vocatis de cunctis provinciis Sacerdotibus, verè posset esse universale Concilium. Sed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, Fratrem & Coepiscopum meum Paschasium de ea provincia, quia videtur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi,* &c.

Undecimò, ex Epistola L. ad eundem Martianum: *Sanctum Clementiæ vestræ studium, quo ad reparationem pacis Ecclesiasticæ Synodum habere voluistis, adeò libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptius expectari tempus optassem, quo scilicet plurimi possent Episcopi etiam de longinquis provinciis evocari; mox tamen ut mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifatium de Compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de Episcopis Fratrem meum Pascasium de Si-* 29
cilia fecerim navigare, qui vicem meam sufficienter implerent.

Duodecimò, ex Epistolæ LI. ad Pulcheriam & Augustam capite I. *Quòd ergo Synodum Calchedonensem haberi Clementia vestra præcepit, cùm à me, ut in Italia haberetur, Mansuetudo vestra retineat postulatam, ut omnes nostrarum partium convocati Antistites, si securitas temporis suppeteret, convenirent; adeò tamen non aspernanter accepi, ut binos de Coepiscopis meis & Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent.*

Decimotertiò, ex Epistolæ LIII. ad Anatolium capite II. *Quibus inauditis, & nunquam antè tentatis ita prævenitis excessibus, ut sanctam Synodum ad extinguendam solùm hæresim, & confirmationem fidei Catholicæ, studio Christianissimi Principis congregatam in occasionem ambitus trahat.*

Decimoquartò, ex Epistola LXI. ad Juvenalem Hierosolymitanum: *Propter quam* (fidei causam) *generale Concilium & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Qua in re consensus ille consistat, ex superioribus

Epistolis apparet; & præterea qnomodo intelligatur Martianns ad Leonem ita scribens: *Tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu divinæ fidei possidentem, sacris literis in principio credimus alloquendam, invitantes atque rogantes, ut pro firmitate & statu imperii nostri æternam Divinitatem tua Sanctitas deprecetur, ut & tale propositum & desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat:* Quo-
30 modo, inquam, intelligatur, quia sunt, qui sibi canentes verbis illis abutantur.

Præterea, antistites Mœsiæ II. si Concilii acta & Leonis perlegissent Epistolas, ad Leonem Imperatorem minimè scripsissent, quæ in partis III. Calched. Synodi capite XXXII. scripserunt: *In Calchedonensi civitate multis sanctis Episcopis convenientibus per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum, & venerabilis Sacerdotis & Patriarchæ Anatolii Concilio celebrato, sub duobus Imperatoribus confirmata est* (fides.)

Sic Leo magnus Pontifex nos docet Paschali II. tam luculenter obreptum esse, ut non possit luculentius. Quod igitur vulnns susurrones aliqui disciplinæ Ecclesiasticæ apud Paschalem imposnerunt, hoc Leo multifariam persanavit.

Bellarminus quoque ab illis, qui hoc aiunt, dissentit in lib. I. de Conciliis capite XIII. in quo Hieronymi propositionem hanc explicat: *Dic, Rufine, quis Imperator hanc Synodum jusserit convocari? Dico, Hieronymum illud dicere, quia revera tunc ob causas dictas Imperatores Synodos convocabant, licèt non sine consensu Pontificum.* Consentire non est Romani unius Pontificis, sed & cæterorum, qui aliàs in Synodum minimè venirent.

Tum illud: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem robur acceperunt.* Hoc quidem verum est, sed tunc maximè, quando Romani Pontifices Conciliorum, atque editorum ab iis Canonum patronos se, defensores, custodes, executores acerrimos præstiterunt: Atqui hæc est præcipua laus Romanorum Pontificum, ut ex historia Ecclesiastica colligi potest. Sed hac in re Pontificum ipsorum testimoniis utendum est.

31 Julius I. in Epistola ad Orientales: *Tali igitur commissa audacia, quinam dicendi sunt flammam discordiæ accendisse? Siquidem id nobis in vestris literis objicitis. Nos scilicet discordiam induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundùm Canonem facimus? An qui contentiosè violato Canone trecentorum decreta prævaricantur, & per omnia Synodum contemptui habent? Cùm non solùm Arrianos recipiant; sed jam in usu habeant, de loco in locum ad Episcopatus capiendos transilire. Si igitur verè parem eundémque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, neque ex magnitudine civitatum (ut vos scribitis) honorem ejus rei crescere arbitramini, non oportuit eum, cui concredita est, parva civitas, transvolare, ne eam, quæ à Deo data est, aspernari, illam verò, quæ hominum ambitu concessa est, magnificare videatur.* Sic Nicæni Concilii Canonem XV. exequitur & exequendo confirmat: Hoc enim Canone vetatur, nequis Episcopus ab una civitate in aliam transferatur.

Liberius, in Epistola ad Imperatorem Constantium: *Testis est mihi Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide in Deum meam cuncta mundana, ita ut Evangelica & Apostolica ratio præcipit, calcare, atque calcasse non furore temerario, sed constituto atque observato jure divino; atque in alio ministerio Ecclesiasticus vivens, nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, implevi; atque ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi, in quo cupio quidem, sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere.* ET NUNQUAM MEA STA-
32 TUTA, SED APOSTOLICA, UT ESSENT SEMPER FIRMATA ET CUSTODITA, PERFECI; SECUTUS MOREM ORDINEMQUE MAJORUM, NIHIL ADDIDI EPISCOPATUI URBIS ROMÆ, NIHIL MINUI PASSUS SUM. Hæc perspicua sunt: nec ut luceant, aliena ope indigent.

Damasus, in Epistola ad Acholium, Enrydicum, Severum, Uranium, Philippum, & Joannem: *Illud præterea commoneo Dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci, & deserere plebem sibi commissam, & ad alium populum per ambitionem transire.* In Synodi Romanæ collectionis bipartitæ numero I. Nicæni Concilii Canonem XV. & Sardicensis Canonem I. exequitur, atque exequendo confirmat.

Siricius, in Epistola ad Anysium: *Ad omnem hujusmodi audaciam comprimendam vigilare debet instantia tua, Spiritu in te Sancto fervente, ut vel ipse, si potes, vel quos judicaveris Episcopos idoneos, cum literis dirigas dato consensu, qui possit in ejus locum, qui defunctus, vel depositus fuerit, Catholicum Episcopum, & vita & moribus probatum secundùm Nicænæ Synodi statuta, vel Ecclesiæ Romanæ Clericum de Clero bene meritum ordinare.* In Romanæ Synodi collectionis bipartitæ num. III.

Iterum, in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum: *Fœminas verò non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantùm, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem Synodus Nicæna permisit.* Utrobique Nicænorum Canonum vindicem atque executorem se prodit: Quo pacto Nicæni Ca- 33
nones validè confirmantur.

Innocentius I. in Epistolæ ad Victricium Rotomagensem Episcopum capite I. *Primùm, ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare: Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, ne unus Episcopus ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur: Hoc enim à Synodo Nicæna constitutum est, atque definitum.*

Deinde, in ejusdem Epistolæ capite VI. *Ut de aliena Ecclesia Clericum ordinare nullus usurpet, nisi ejus Episcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Nicæna Synodus statuit, ut abjectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat.*

Tum, in Epistola ad Alexandrum Episcopum: *Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ unam omnium per orbem terrarum mentem explicat Sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim, Sacerdotibus esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam provinciam recognoscimus constitutam.*

Postremò, in Epistola ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ Clericos: *Nos quantum ad Canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt: Quibus solis obtemperandum & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet.* Sic Nicænum Concilium Canonum illius executione confirmat.

Bonifacius I. in Epistola ad Episcopos per Thessaliam constitutos: *Legantur præcepta majorum, & quibus in Ecclesias juris aliquid dederint, invenimus.* 34
Jam temerator est Ecclesiastica disciplina, quisquis in ejus leges, cùm sibi nihil debeatur, irrepit, ea sibimet vendicando, quæ sibi à Patribus negata videantur. Infrà: *Cesset novella præsumptio: Nemo audeat sperare quod non licet: Nullus ea quæ sunt à Patribus gesta, & per tantum temporum custodita, temerare contendat.* In Romanæ Synodi Collect. bipart. num. IX.

Deinde, in Epistola II. ad Hilarium Narbonensem Episcopum: *Ecce enim, ut Caritas tua recognoscit, ex subditis Lutubensis Ecclesiæ Cleri ordo, vel plebis preces suas & lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore miserunt, dicentes, Coepiscopum nostrum Patroclum sua petitione cessante, in locum decedentis Episcopi, nescio quem in alia provincia, prætermisso Metropolitano, contra Patrum regulas ordinasse: Quod nequaquam possumus* ferre

ferre patienter, quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli enim videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, ut eadem propriè verba ponamus, per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, &c. Sic Pontifex sacros Canones confirmat, dum observari præcipit.

Celestinus I. in Epistola ad Episcopos, per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos, capite IV. *Primùm, ut juxta decreta Canonum unaquaque provincia suo Metropolitano contenta sit.* Deinde, in Epistola ad Episcopos per Apuliam & Calabriam constitutos: *Nulli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare.* Impedire, ne violentur Canones, hos utique confirmare
35 est. Sed Cedro digna loquitur, cùm in Epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium, & alios Episcopos per Illyricum constitutos scribit: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur: simus subjecti Canonibus, cùm Canonum præcepta servamus.* In Romanæ Synodi Collect. bipart. num XIII.

Sixtus III. in Epistola ad Proclum: *Licèt Fraternitatem tuam disciplinis Ecclesiasticis eruditam ea omnia, quæ ad regularum & Canonum observantiam pertinent, custodire summa sollicitudine noverimus, nec quidquam aut ipsam facere, aut facere alios Sacerdotes se cohibente permittere, quod vetusta Patrum constituta pervertat, documentis evidentibus probaverimus.*

Deinde in Epistola ad Episcopos per Illyricum constitutos: *Ergo vobiscum, quod ad regularum Canonúmque custodiam proficere novimus, pro sollicitudine nostra conferimus, sequestro filio nostro Artemio Presbytero, cujus nobis efficacia in agendo pariter & moderatio placuit, & amor, ut traditus tramés à Patribus firmis vestræ Dilectionis vestigiis teneatur, & ea quæ à nobis propter quietem Ecclesiarum sunt custodita, serventur.* Infrà: *A Canonum præceptis vestrûm nemo discedat, nec ab iis deviet, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apostolicæ decrevit auctoritas.* In Romanæ Synodi Collect. bipart. num. XVI. & XVII.

Synodi confirmari nequeunt meliùs, quàm præcipiendo, ut illarum Canones observentur.

Leo I. in Epistolæ LIV. ad Marcianum Imperatorem capite IV. *Privilegia Ecclesiarum Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi*
36 *fixa decretis nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.* IN QUO OPERE, *auxiliante Christo*, FIDELITER EXEQUENDO NECESSE EST ME PERSEVERANTEM EXHIBERE FAMULATUM, QUONIAM DISPENSATIO MIHI CREDITA EST, ET AD MEUM TENDIT REATUM, SI PATERNARUM REGULÆ SANCTIONUM, QUÆ IN SYNODO NICÆNA AD TOTIUS ECCLESIÆ REGIMEN, SPIRITU DEI INSTRUENTE *sunt condita, me, quod absit, connivente* VIOLENTUR, *& major sit apud me unius fratris voluntas, quàm universæ domus Domini communis utilitas.*

Deinde in Epistola LXI. ad Juvenalem Hierosolymitanum Episcopum: *De custodiendis quoque Sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ Sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum sicut ab illis* CCCXVIII. *Patribus divinitus inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim exortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio & appetitus Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum Canonibus discreparit, quorum regulis Apostolica Sedes, quàm reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra è lectione cognoscere, me auxiliante Domino & fidei Catholicæ & paternarum traditionum esse custodem.* Magnus hic Pontifex nunc Canonum executorem, nunc paternarum sanctionum custodem se asserit, & asserendo Canones & Synodos confirmat.

Hilarus, in Epistolæ VIII. capite I. *Quod utique* 37
non aliter poterit præcaveri, NISI STATUTA VENERANDORUM CANONUM *in faciendis conventibus, quæ hactenus omitti fecit certa necessitas,* EXEQUAMUR, *in quibus possint pro emergentium necessitate causarum ad Ecclesiasticæ observantiam disciplinæ, & quæ secus facta fuerint, corrigi, & sequenda constitui:* Exequitur Canones & Canonum executionem perurget.

Felix III. quem antè laudavimus, Apostolicam Sedem Calchedonensis Concilii executricem appellat: Locum repetere supervacaneum esset.

Gelasius, in Epistola II. decessorem suum Calchedonensis Synodi executorem nominat: *Itane non perspicis secundùm formam Synodi Calchedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per numerosam sententiam Sacerdotum erroris hujus auctores fuisse constat damnatos, sicut in unaquaque hæresi à principio Christianæ religionis factum fuisse, & fieri manifesta rerum ratione monstratur, decessorémque executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem.*

Huc maximè spectat locus ex Epistola ad Episcopos Dardaniæ, qui suprà relatus est. Ubi quid sit Conciliorum Canones confirmare, eleganter exponit Martinus I. in Epistola IX. ad Pantaleonem: *Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores & custodes Canonum sumus, non transgressores.* Qui Canonum est custos, idem & Canonum confirmator est.

Nicolaus I. in Epistola LIV. ad Carolum Calvum:
Cùm ergo familiarius in regionibus vestris sit hæc temeri- 38
tas, & sacrorum super hoc Canonum violatio dilatata, necesse est, nostram sollicitudinem pro hac amputanda, specialiùs impendere diligentiam. Et post pauca: *Alioqui nos sanctarum minimè regularum immemores, nec segnes executores admodum existentes, adversus temerarios succinctis lumbis defendere procurabimus.* Quibus verbis manifestum est, Pontificem hunc sacrorum Canonum executionem sibi vindicare: Quæ est optima & Canonum & Conciliorum confirmatio.

His omnibus ita constitutis, qui Paschali dicunt, *omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem robur accepisse*, verum dicunt, si id non aliter, quàm relati Pontifices, intelligant. Si verò id aliter intelligant, eos antiquorum Pontificum testimoniis destitui certum est, & hanc ob causam falsum dicere.

Postremò illud, *in Conciliorum statutis Romani Pontificis patenter excipitur auctoritas:* Qui hoc ajunt & insusurrant Paschali, oppidò quàm falluntur. Siquidem nullus est Concilii, vel Nicæni, vel Constantinopolitani, vel Ephesini, vel Calchedonensis Canon, in quo Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Dico amplius: In Canonum codice Romanæ, Africanæ, universæ Ecclesiæ, nullus est Synodi vel generalis vel particularis Canon, in quo Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Hic error est ex omni parte patens & apertus, qui solis oculis deprehenditur. Cæterùm quæ omnia ad caput *significasti, extrà. De electione* disserui, facile mihi persuadent, Epistolam, ex qua depromptum est caput hoc, Paschali subjectam fuisse, vel certè illi subreptum incredibiliter.

Interim Paschalis sacris Canonibus se esse obnoxi- 39
um credidisse tria demonstrant. Primum est, illius Epistola II. ad Daimbertum Senonensem Archiepiscopum: *Venit ad nos cum tuo, seu suffraganeorum tuorum testimonio, Parisiensis Ecclesiæ electus, per Nuncios & per literas ejusdem Ecclesiæ preces afferens, ut à nobis Dei gratia deberet in Episcopum consecrari. Nos personæ gravitatem videntes, morum maturitatem attendentes, infirmitati diutinæ compatientes, Ecclesiæ preces duximus audiendas.* SALVO IGITUR IN OMNIBUS SENONENSIS ECCLESIÆ JURE, ET PERSONÆ TUÆ REVERENTIA, *eum nostris tanquam beati Petri manibus largiente Domino consecravimus:* In Tomo III. Spicilegii Lucæ Dacherii.

Alterum est, illius Epistola VIII. ad Clerum & populum Babembergensem: *Quanto affectionis debito Babembergensis Ecclesia ab ipso sua institutionis primordio Sedi Apostolica constringatur, etsi nos lateret, literarum vestrarum significatio manifestat. Quod affectionis debitum venerabilis frater Otto, vestra Ecclesia electus, constanter tenuisse ac tenere cognoscitur, cùm per tot & tanta pericula ad Apostolica Sedis visitationem percurrat. Nos igitur eum debita benignitatis affectione suscepimus, & juxta vestra dilectionis desiderium, nostris tanquam B. Petri manibus,* SALVO METROPOLITANI JURE, *vobis per Dei gratiam Prasidem ordinavimus.* Utrobique à Paschali patenter excipitur Metropolitani auctoritas, quam Nicæna Synodus & sacri Canones confirmant. Hoc autem modo Paschalis subjectum se Conciliis & Canonibus ostendit.

40 Tertium est, illius Epistola XXXIX. ad Baldvinum Hierosolymitanum Regem: *Unaquaque provincia justicia sua limitibus perfruatur.* NEC ENIM POSSUMUS MANIFESTE SANCTIS PATRUM NOSTRORUM CONSTITUTIONIBUS OBVIARE; *nec omnino volumus, aut pro Principum potentia Ecclesiasticam minus dignitatem, aut pro Ecclesiastica dignitate Principum potentiam mutilari, ne apud nos occasione alterutra pax turbetur Ecclesia.*

His tribus Epistolis adjungendum est Lateranense Concilium Episcoporum plus minus centum, ubi Paschalis demissè ac suppliciter ita loquitur: *Porrò scriptum illud* (de Investituris) *quod magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute, aut gloria, sed pro solis Ecclesia necessitatibus sine fratrum Concilio, aut subscriptionibus feci, super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur; sicut pravè factum cognosco, ita pravè factum confiteor, & omnino corrigi Deo prastante desidero: Cujus correctionis modum, fratrum, qui convenerunt, consilio judicioque constituo, ne fortè per hoc imposterum detrimentum aliquod Ecclesia, aut anima mea prajudicium relinquatur. Tunc enim communi omnium favore laudatum est, fratres meos, qui donum à Deo sapientia scientiaque perceperant, maturius super hoc consilium communi collatione susciperent, quid sequenti die per inspirationem Spiritus Sancti responderent. Die itaque sexta, qua & ultima Concilii fuit, fidei sua veritatem sanctis Patribus per omnia congruentem Dominus Papa Paschalis audientia totius Concilii exposuit, asserens, se Scripturas sanctas veteris & novi Testamenti, & Concilia universalia veneranda suscipere ac venerari, qua*
41 *Catholica Ecclesia suscipit & veneratur, ita dicendo: Amplector omnem divinam scripturam, scilicet veteris & novi Testamenti, legem scriptam à Moyse, & à sanctis Prophetis; amplector quatuor Evangelia, septem Epistolas Canonicas, & Epistolas gloriosi Doctoris beati Pauli Apostoli, sanctos Canones Apostolorum, quatuor universalia Concilia, sicut quatuor Evangelia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calchedonense, decreta sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum, & pracipuè decreta Domini Papa Gregorii, & beata memoria Papa Urbani. Qua ipsi laudaverunt, laudo; qua ipsi tenuerunt, teneo; qua confirmaverunt, confirmo; qua damnaverunt, damno; qua repulerunt, repello; qua interdixerunt, interdico; qua prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia, & in omnibus semper perseverabo.*

In calce hujus professionis ex ore omnium, qui ad consulendum hesternu deliberatione convenerant, Engolismensis Episcopus Gerardus hanc in scriptis sententiam recitavit: Privilegium illud, quod non est privilegium (neque enim dici debet privilegium, sed pravilegium) pro libertate captivorum & Ecclesia à Domino Papa Paschali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc sancto Concilio cum eodem Domino Papa congregati, Canonica censura, & Ecclesiastica auctoritate, judicio sancti Spiritus damnamus, & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus. Hæc omnia palam loquuntur, Paschalem se Ecclesiæ & Conciliis obnoxium credidisse. Siccine loquitur Pontifex, qui se credit *simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & supra generale Concilium, ita ut nullum in terris supra se judicium cognoscat?* Meræ sunt nugæ.

Nunc excusandus est Bellarminus, qui ad superio- 42
res Epistolas tres, & Lateranense Concilium istud oculos non adiecerat: Non enim ex Paschali probare tentasset, quod probandum susceperat.

VI. Bellarminus Alexandri III. testimonium sic proponit: *Concilium Lateranense sub Alexandro* III. *ut habetur cap. Licèt. extrà de elect. In Romana, inquit, Ecclesia aliquid specialiter constituitur, quia non poterit ad superiorem haberi recursus.* Ubi *Concilium docet majori cautela debere eligi Romanum Pontificem, quàm alios Episcopos: Quia si eligatur malus Episcopus, potest ille corrigi & deponi per Romanum; si autem malus eligatur Pontifex summus, non est remedium ullum. Non enim habet superiorem, à quo deponi possit.* Bellarminus non videtur legisse Alexandri seu Concilii decretum integrum, quod sic se habet: *Licèt de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis à predecessoribus nostris constituta manaverint, quia tamen sape post illa per improba ambitionis audaciam gravem passa est Ecclesia scissuram; Nos etiam ad malum hoc evitandum de consilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione Concilii aliquid decrevimus adjungendum. Statuimus ergo, ut si fortè inimico homine superseminante zizaniam inter Cardinales de substituendo summo Pontifice, non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium prasumpserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit & receptus. Siquis autem de tertia partis nominatione confisus (quia de ratione esse non potest) sibi nomen Episcopi usurpaverit, tam ipse, quàm ii,* 43
qui eum receperint, excommunicationi subjaceant, & totius sacri ordinis privatione mulctentur, ut viatica etiam eis (nisi tantùm in ultimis) communio denegetur; & si non resipuerint, cum Dathan & Abiron (quos terra vivos absorbuit) accipiant portionem. Praterea, si à paucioribus quàm à duabus partibus aliquis electus fuerit ad Apostolatus officium, nisi major concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & pradicta pœna subjaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis constitutionibus & aliis Ecclesiis prajudicium generetur, in quibus debet majoris & sanioris partis sententia pravalere, quia quod in eis dubium venerit, Superioris poterit judicio definiri: In Romana verò Ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad Superiorem recursus haberi: Quia tunc scilicet Concilium nullum congregatum est. Bellarminus magnum aliquod quærit mysterium, ubi nihil est mysterii. Alexander, seu Concilium dicit, in eligendis & constituendis Pontificibus rationem aliam Romanæ, aliam cæterarum Ecclesiarum. In cæteris Ecclesiis, si contra Canones eligatur & constituatur Episcopus, est qui vindicet & ulciscatur. Nempe Ecclesiæ cæteræ Romanum Episcopum habent superiorem, à quo vitiosa canonicè rescindatur electio, & malè constitutus Episcopus deponatur. In Romana verò Ecclesia, si contra Canones eligatur & ordinetur Pontifex, non est, qui malo istiusmodi sic continuò medeatur. Nam in reliquorum Episcoporum ordine nullus occurrit, à quo perversa Romani antistitis rescindatur electio & perperam ordinatus antistes removeatur. Quapropter, Alexander & 44
Concilium cautionem magnam adhibent in præscribenda eligendi Pontificis forma, ut quod malum in aliis Ecclesiis aliquando potest contingere, in Romana contingat nunquam. Verùm ex hoc non sequitur Romanum Pontificem esse supra Concilia, vel sacris Canonibus & Conciliis subditum non esse, nisi Bellarminus illud more suo per accidentis fallaciam concludat. Et quando Pontifex & Concilium dicit, *In Romana Ecclesia recursus ad superiorem haberi non poterit*, haberi non posse tam facilè, quàm in cæteris Ecclesiis intelligit. Hoc & non alio tendit ea, quæ Romanam inter & alias

alias Ecclesias instituitur comparatio. Quis enim affirmaret, Alexandrum & Concilium in ea fuisse sententia, ut existimarent, nullum in Ecclesia tota superesse remedium, quo vitiosa Romani antistitis electio rescinderetur, nullum ritę fieri posse seu provinciale, seu generale Concilium, quod pravam Romani Pontificis electionem abrogaret, & legitimum Pontificem crearet? Quis crederet, Alexandrum & Concilium ignorasse, quomodo extinctum fuerit schisma, quod inter Damasum & Ursicinum, inter Bonifacium & Eulalium, inter Symmachum & Laurentium, discordantes Romanæ Ecclesiæ Clerici conflaverant? Ut removeretur Ursicinus, Romæ celebratum est Concilium, quod ea de re literas ad Gratianum & Valentinianum potentissimas scripsit. Imperatores ad Aquilinum urbis Vicarium rescripserunt, ut is, quæ fuerant gesta in Concilio, confirmaret. Honorius Imperator Bonifacium & Eulalium Ravennam accersit, & plures illuc convenire jussit Epi-
45 scopos, qui auditis partibus causam dirimerent. His inter se dissentientibus Episcopis, infectum remansit negotium. Quod cùm videret Imperator statuit, ut propter dies Paschæ qui imminebant, Bonifacius & Eulalius ab urbe abstinerent. Spoleti majorem indicit Synodum, quæ ex Italiæ, Galliæ, & Africæ Episcopis colligeretur. Interim Eulalius Imperatoris decreto non paret, in urbem se immittit, & publicæ seditionis occasionem præbet. Tunc intermittitur Synodus, & Imperator Eulalio urbe pulso & relegato præcipit, ut Bonifacius ad Romanam Ecclesiam accedat, quam posteà pacificè & egregiè juxtà gubernavit. Tum Honorius Bonifacio rogante constituit, ut si denuo Romæ antistites ordinati fuerint duo, ambo de civitate pellantur.

Symmachus & Laurentius convenerunt inter sese, at controversiæ totius disceptatio ad Theodoricum Italiæ Regem transferretur. Theodoricus secundùm Symmachum dixit sententiam. Sic compressum ad tempus Incendium, paullò pòst vehementiùs exarsit: Sed anno DI. & sequentibus, nonnullæ Regis illius auctoritate ea super re Synodi Romæ sunt habitæ, & anno ipso DI. damnatus est Laurentius.

At si Bellarminus non dignatur vetustiorum temporum memoriam repetere, conjiciat oculos in Julium II. qui Romanam Ecclesiam administrare cœpit anno M. D. IV. Hic circa simoniacam Romani Pontificis electionem decretum edidit, in quo sic habetur: *Et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni prædictæ simoniacæ interfuerint, & à præfato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis Cardinalibus, qui hujusmodi simoniacæ electi-*
46 *oni consenserunt, & postea eisdem Cardinalibus in dicta simonia non complicibus se univerint, si se cum eisdem unire voluerint, alioquin sine eis ad alterius nihilominus Pontificis electionem, non expectata alia sententia declaratoria simoniacæ electionis hujusmodi, eadem tamen nostra constitutione semper in suo robore permanente, liberè, aliàs tamen canonicè devenire,* ET CONCILIUM ETIAM GENERALE INDICERE, ET CONVOCARE IN LOCO IDONEO, *prout eis videbitur expedire, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & præcipuè felicis recordationis Alexandri Papæ III. quæ incipit: Licèt de vitanda discordia.* Julius II. ad generale recurrit Concilium, si Romanus antistes per simoniam electus, quem Hæresiarcham nominat, aliter rejici non possit: Qua in re Julius ab Alexandro III. non dissentit, & si dissentiret, non ego, sed Bellarminus ferret incommodum.

Hæc autem omnia cùm sic se habeant, fieri non potest, ut quod Bellarminus ex cap. *Licèt*, consequi vult, legitimè consequatur.

Hic ergo vehementer doleo, quòd auctor noster non legerit diploma, quo Alexander ad Concilium Episcopos per Thusciam constitutos accersit: *Quia*, inquit, *in Ecclesia correctione videmus quamplurimos indigere, tam ad emendanda, quæ digna emendatione videntur; quàm ad promulganda, quæ saluti fidelium visa sunt expedire, de diversis partibus personas Ecclesiasticas decrevimus evocandas, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur, & quod bonum est, secundùm consuetudinem antiquorum Patrum, provideatur & firmetur à multis. Quod si particulariter fieret, non facilè posset plenum robur* 47
habere. Ex hac autem differentia, quam inter particulare & generale Concilium ponit, generalis Concilii necessitatem adstruit; & in generali reperit, quod in particulari suo reperire non facilè posset. At non ita loqueretur Alexander, si se supra Ecclesiam & Concilium generale positum esse crederet.

VII. Bellarminus Innocentii III. testimonium sibi comparat ex Sermone II. de consecratione Pontificis: *In tantum*, inquit Innocentius, *fides mihi necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* At ex hoc Innocentii loco cum probetur, in causa fidei Concilium esse supra Pontificem, qui tunc judicatur ab Ecclesia, mirari subit, cur Bellarminus Innocentium adhibeat, ut confirmet, *Summum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Hîc peccatum, quod in fide committitur, non solùm hæresim veram complectitur, sed & quamcunque pravitatem inemendabilem, quæ Ecclesiæ toti publicam offensionem importaret. Hoc facilè deducitur ex libri III. Regist. XV. Epistola CIV. quam Innocentius ad Philippum Regem Francorum scribit: *Diligenter*, inquit, *auditis, & perspicaciter intellectis, quæ nobis ex parte regis dilecti filii ∴ Abbas de Trappa & I. Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus nostris studioso tractatu, non occurrit nobis aliqua via, per quam in his, quæ ipsi pro te postulaverunt, à nobis tuæ secundùm * possemus occurrere voluntati, sub obtestatione divini judicii protestantes, quòd libentissimè, si possemus* 48
cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, à quo desideras vehementer absolvi. Sed in carnali commercio inter te ac Reginam conjugem tuam adeò est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem Regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto Magistro Roberto Corzon, nunc tituli S. Stephani in Cœlio Monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujuscemodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut Quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm, si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tenteremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare. Sic in hac causa, quæ propriè fidei causa non est, sponte fatetur, admittere se posse id genus peccati, cujus gratiâ ordinis & officii periculum immineret. Ubinam, quæso, immineret, nisi apud Ecclesiam, quæ Pontificem ordine & officio abdicaret? Deinde, in decidenda hac causa Concilii potestatem sua majorem agnoscit, ut semel adhuc iterúmque agnovit.

Semel quidem, in ejusdem libri & regesti Epistola CLXXXVII. ad Consules & populum Mediolanensem, quibus minatur pœnam maximam, nisi illatas Papiensibus injurias resarciant: *Cùm sit dignum & justum,* 49
ut qui non sinitis alios requiescere, apud vos non possitis requiem invenire: Ut autem Metropolis vestra obedientiam, quam vos Superiori vestro subtrahitis, in sibi subditis non inveniat, universis Episcopis eidem subjectis Metropoli, nostris damus literis in præceptis, ut in pœnam vestram ipsi omnem obedientiam & reverentiam subtrahentes eidem in aliquo non intendant. Denique non solùm honore Metropolitico, sed etiam Pontificali vos reddatis indignos, quoniam ad præsens generale Concilium commodè convocare

non possumus, per Januen. Graden. Remen. Senonch. Rothomagen. Turonen. Bituricen. & Burdegalen. provincias dirigimus scripta nostra, ut habito super iis Archiepiscoporum & Episcoporum, quos propter hoc congregari mandamus, Concilio in tanto negotio cum maturitate debita procedamus. Interea, dum generale congregetur Concilium, ad provincialia Concilia decem recurrit, ut eorum auctoritate munitus id agat, quod agere intendit. Hoc autem qui facit, nonne Conciliorum auctoritatem sua majorem esse credit?

Iterum, in libri quarti regist XVI. Epistola CLXXXII. ad Rigensem Episcopum: *Cùm in memoria hominum non existat, Rigensem Ecclesiam alicui Metropolitico jure subesse, volumus, ut donec in generali Concilio super hoc aliquid certum duxerimus statuendum, nulli tanquam Metropolitano interim respondere cogaris.* Hic Pontifex eo videtur scripsisse consilio, ut Concilii potestatem sua majorem esse persuadeat.

VIII. Denique, Bellarminus Bonifacii VIII. testimo
50 nium sic proponit: *Bonifacius VIII. in extravaganti Unam sanctam, tit. de majoritate & obedientia: Si deviat,* inquit, *terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali; si deviat spiritualis, minor à majori; si verò suprema, à Deo solo, non ab homine poterit judicari.* Bellarminus reticet quod sequitur, sed addendum fuit: *Testante Apostolo, spiritualis homo judicat omnia, ipse à nemine judicatur.* Bellarminus, opinor, reticet, ne beati Pauli testimonio vis illata videatur, & argumentum quod illi superstruitur, statim concidat. Beatus enim Paulus non id testatur, quod eum testari Bonifacius significat. Hoc Patrum traditione, quæ optima est Scripturæ interpres, confirmatur.

Irenæus, in libri IV. contra Hæreses capite LIII. *Talis Discipulus, Discipulus verè spiritualis recipiens spiritum Dei, qui ab initio in universis dispositionibus Dei affuit hominibus, & futura annuntiavit, & præsentia ostendit, & præterita enarrat. Judicat quidem omnes, ipse autem à nemine judicatur.*

Athanasius, in libro de Incarnatione Christi: *Cæterùm* (Apostolus) *cùm eos alterum animalem, alterum spiritualem appellet, non aliud in hoc, quàm in illo corpus innuit, sed idem in utroque: Primum quidem corpus, quia viribus anima subsistebat, animale secundum, quia vi & natura spiritus. Ideò appellavit spirituale, spiritus enim verbum Dei. Ita enim quod de nobis quoque dicitur, intelligendum est, dum ait: Spiritualis dijudicat omnia, animalis non percipit ea, quæ sunt spiritus.*

Hilarius, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, apud Ambrosium in Epistolæ I. ad Corinthios capite II. *Quoniam*
51 *verò ratio spiritualium est, id est, credentium, (hoc enim quis nuncupatur quod credit) ideo ipsi omnia judicant: Ipsorum enim exemplo infidelitas judicabitur: Ipsi autem à nemine judicabuntur. Quis enim condemnet verum dicentem? Cùm enim constet omnes inimicos fidei falsa tenere pro veris, accusatio illorum in irritum jam deducta est, veri judicio condemnata, quia Qui non crediderit, inquit Dominus, jam judicatus est.*

Joannes Chrysostomus, in eundem locum: *Hoc est, fide indigent, quæ dicuntur, & rationibus non licet ea comprehendere. Nam eorum magnitudo longo intervallo superat humilitatem nostræ intelligentiæ, & ideo dicit: Spiritualis homo judicat omnia, & ipse à nemine judicatur. Nam qui aspicit, omnia quidem ipse videt etiam ea, quæ sunt ejus, qui non aspicit: Quæ sunt autem illius, nemo eorum, qui non aspicit: Ita etiam nunc nostra quidem, & quæ sunt infidelium, omnia scimus nos, nostra autem illi nunquam. Etenim scimus quidem, quænam sit rerum præsentium natura; quænam futurorum dignitas, cognoscet mundus postea. Quidnam autem patientur peccatores, & quonam fruentur justi, & quod nullius pretii sint res præsentes, & scimus & earum vilitatem arguimus. Judicare, seu dijudicare est arguere. Et quòd futura sint immortalia & immobilia, hæc omnia novit spiritualis, & quod patietur animalis, cùm illuc abierit, & quonam fruetur fidelis, cùm hinc excesserit, quorum nihil scit animalis. Quamobrem eorum, quæ dicta sunt, manifestum subjungens rationem, dicebat: Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis instruxit eum? Nos autem sensum Domini habemus. Hoc est, nos ea scimus, quæ sunt in mente Christi, & quæ ipse vult, ea etiam revelavit. Nam, quoniam dixit Spi-* 52
ritum revelasse, neque filium repellat, subjungit, Christum quoque ea nobis ostendisse; non dicens, nos scire quæcunque novit, sed quæcunque scimus, non esse humana ut sint suspecta, sed illius mentis & spiritualia. Quam enim de iis habemus intelligentiam, totam habemus Christi: Hoc est, cognitionem, quam habemus de iis quæ sunt ex fide, habemus spiritualem. Quamobrem à nullo dijudicamur. Neque enim fieri potest, ut divina norit homo animalis. Quare dicebat: Quis novit mentem Domini? Nostram de iis intelligentiam, intelligentiam illius esse, dicens: Et illud, Qui instruet ipsum, non leviter & inconsideratè adjecit, sed aspiciens ad eum, quem jam dixit, Spiritualem nemo dijudicat.

Auctor Commentariorum in Epistolas beati Pauli, inter Hieronymi opera, ad eundem locum: *Judicat vana esse, in quibus homines carnales delectantur, & ipse ita se agit, ut à nemine judicetur. Sive omnia spiritualis discernit & intelligit, & sensus illius ab homine non intelligitur animali. Item alia expositio. Omnia dicit, quæ sunt spiritualia. Non enim artes & disciplinas hujus mundi animalis homo, nisi spiritualiter intelligat, scire potest.* Et quanquam auctor censetur esse Pelagius, hæc tamen expositio ad illius dogma non pertinet. Hieronymus in quæstione, quam de Pauli simulatione contra B. Augustinum instituit, auctores laudat, qui excesserunt Ecclesia, sed laudat, quia cum Patribus concordabant.

Augustinus, in libri de Genesi ad literam XII. capite XXIV. *Spiritualis visio indiget intellectuali, ut dijudicetur. Intellectualis autem ista spirituali inferiore non* 53
indiget, ac per hoc spirituali corporalis, intellectuali autem utraque subjecta est. Cùm ergo legimus, Spiritualis omnia judicat, ipse autem à nemine dijudicatur, non secundùm spiritum, à quo mens discernitur: Sicut illud, quod dictum est, Orabo spiritu, orabo & mente, sed ex illa notione debemus accipere, quod dictum est: Renovamini autem spiritu mentis vestræ: Jam enim suprà docuimus, alio modo, & ipsam mentem spiritum dici, secundùm quam spiritualis omnia dijudicat. Quapropter non absurdè neque inconvenienter arbitror, spiritualem visionem inter intellectualem & corporalem tanquam medietatem quandam obtinere.

Deinde, in libri III. de Baptismo capite XVIII. *Ergo si personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tanquam ipsi Ecclesiæ diceretur: Pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata, non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei & orationes sanctorum spiritualium, qui omnia dijudicant, ipsi autem à nemine judicantur.*

Theodoretus in eundem locum: *Animalem hominem appellat eum, qui est contentus propriis cogitationibus, & spiritus doctrinam non admittit: Sed neque illam potest intelligere. Spiritualis autem judicat omnes, & ipse à nemine judicatur: Qui enim gratia spiritus donatus est, ipse quidem ad alios docendos idoneus est, aliorum verò doctrina non indiget.*

Beda in eundem locum: *Ut enim nos & omnes animæ rationales secundùm veritatem de inferioribus rectè judicamus, sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas judicat. De ipsa verò nec Pater.* Infra: 54
Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur, id est, à nullo homine, sed à sola ipsa lege, secundùm quam judicat omnia; quoniam & illud verissimè dictum est: Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi. Omnia ergo judicat, quia super omnia est, quoniam cum Deo est: Cum illo autem, quando purissimè intelligit, & tota charitate, quod intelligit, diligit. Ita etiam quantum lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia, & de qua nullus judicare potest. Sicut

in

in ipsis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas. Conditor verò legum temporalium, si vir bonus & sapiens, legem ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundùm hujus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandùmque, discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. Spirituales ergo sive qui præsunt, sive qui obtemperant, spiritualem judicant non de cognitionibus spiritualibus, quæ lucent in firmamento.

Theophylactus & Oecumenius in eandem cum Joanne Chrysostomo expositionem & sententiam discedunt: Quare illorum expositionem repetere supervacaneum esset.

Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus in eundem locum: *(Spiritualis autem) Spiritualis,* inquit, *intelligit & reprehendit omnia, quæ intelligenda & reprehendenda sunt, & ipse à nullo carnalium vel reprehenditur vel intelligitur. In utraque significatione hoc verbum re-*
55 *peritur (& ipse à nemine:) A nemine spiritualis homo intelligitur, quia nemo intelligit. Non enim cognovit quis sensum Domini. A causa probat iterum: A nemine reprehenditur, quia nemo reprehendit, & hoc probat, quia non instruit.*

Hæc est sanctorum Patrum expositio, quæ Bonifacii consilio servire non potest: Quinetiam vehementer incommodat. Nam Bonifacius beati Pauli locum à Patrum traditione, à proprio sensu detorquet ad alienum & peregrinum, ut propositionis suæ novitatem confirmet. Quod Bellarminus cùm perspiceret, Bonifacii testimonium truncavit. Sed neutrum patitur aperta & simplex ratio veritatis, quæ columna est Ecclesiæ ac firmamentum. Deinde, necessariò rejicienda est Bonifacii expositio, quia Tridentinæ fidei regula prohibet, ne Christianus ullus Scripturam aliter, quàm juxta unanimem consensum accipiat & interpretetur: *Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* Si quam Bellarminus legis hujus rationem habuisset, Bonifacii testimonium illud retulisset nusquam, sed, ne legis hujus rationem haberet ullam, reticuit, quod eum jam reticuisse ostendimus.

Præclare omnino & apposité Thomas Cajetanus, in tractatus de Comparatione Papæ & Concilii capite VII. *Et videant,* inquit, *si tamen luminis eis concessum fuerit, quòd hæreticorum more Scripturas & Sanctorum dicta oportet eos extorquere, ut eorum protervus error de-*
56 *fendatur. Fortè nulla scriptura tam clara in fide habetur, quam non possit extorta expositio ad suum trahere propositum. Sed veritas tunc invenitur, cùm planus scripturæ sensus juxta sanctorum consensum quæritur.* Est certa quædam veritas tam plana & illustris, ut eam nullæ rerum verborum-ve præstigiæ valeant obruere.

Tum Bonifacius in sua propositione Romanæ Ecclesiæ traditioni contradicit, ut ex iis quæ de Gregorio I. antè & Innocentio III. mox observavimus, compertum est.

Denique, hæc & alia multa effecerunt, ut Clemens V. Bonifacii constitutionem, *Unam sanctam,* abrogaverit, vel certè enervem reddiderit, in capite *Meruit.* De privilegiis. Quapropter ex ea nonnisi telum imbelle depromi potest. Siquidem Clemens noverat, constitutionem hanc à Bonifacio editam fuisse inter gravissima illa dissidia, quæ inter illum & Philippum Pulchrum Regem Galliæ intercesserant. Hinc post Clementis factum, Bonifacii constitutio, *Unam sanctam,* dici non debuit ampliùs constitutio, nec inter Pontificum decreta locum habere, ubi nunc habet. Sed id accedit vitio Doctorum Sedis apostolicæ, quibus quòd partium ducantur studiis, fides semper adhibenda non est, ut Pius II. in Epistola CCCCLXXIV. ad Carolum VII. Regem Galliæ scribit: *Unum* (inquit) *à te petimus, fili carissime, ut Doctoribus Sedis Apostolicæ non semper credas, multa illorum passionibus tribuas.* Et sane nec justum nec religiosum est, in auctoritatem admittere constitutionem, quam iratus Pontifex contra Galliam edidit, & quam irati Pontificis successor revocandam esse censuit, cùm ut publi- 57
ca vitaretur offensio, tum etiam maxime, quod constitutio invidiam & odium Sedi Apostolicæ conflare potuisset. Hinc enim *ad regularum & canonum custodiam,* ut loquitur Sixtus III. *nil quicquam conducebat;* inde *neque de Ecclesiasticis ordinibus, neque de canonum disciplinis,* ut sanctus Leo ait, *promulgabatur.* Quamobrem Clemens V. honori & dignitati Sedis Apostolicæ consuluit, ut ab omnibus sincere consulendum semper esse recipio. Qui mecum non ita recipiunt, *procul, è procul este prophani.*

Cæterum, Bonifacius sibi ipsi relictus, & antequam memorata partium studia fervERENT, se esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ut Bellarminus asserit, non credebat. Id palam ostendit in controversia exorta propter Martinum IV. Pontificem, qui sese Canonis, *Omnis utriusque sexus,* executorem, non derogatorem præstiterat, cùm in constitutione, *Ad uberes fructus,* ita decernit: *Volumus autem, quòd ii, qui fratribus confitebuntur eisdem, suis Presbyteris Parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit, nihilominus teneantur.* Controversia hæc in Gallia, & potissimum Lutetiæ agitata, ibi finem accipere non potuit; communi omnium consensu dirimenda Sedi Apostolicæ remittitur, ut Eberhardus tradit in annalibus. Ad Nicolaum IV. pervenit, qui etiamsi ex Ordine Minorum assumptus esset, controversiam dirimere non est ausus. Celestinus V. intactam reliquit. Bonifacius VIII. dirimendam suscepit: Sed prout fuit proposita, non diremit. Nam in constitutione *Dudum de sepulturis,* non loquitur ut pro- 58
fectò loqui debebat de controversia, quæ in Gallia & maximè Parisiis Episcopos & Theologos & Jurisperitos inter se diu commissos acerrimè habuerat. Nempe, Utrum, stante Martini IV. decreto, *Qui confessi fuerant fratribus, suis iterum presbyteris Parochialibus confiteri teneantur, prout generale Concilium statuit?* Bonifacius constitutionem fictione juris potiùs edidit, quàm ex subjecta materia, quam sine dubio judicabat difficilem, nec judicasset talem, si se supra Lateranense Concilium ab Innocentio III. celebratum & confirmatum, & à Martino IV. assertum existimasset, si penes se unum plus esse juris & auctoritatis, quàm penes universale Concilium & decessores suos Innocentium III. & Martinum IV. credidisset. Bonifacii constitutio suas postea vices habuit, à Benedicto XI. illius successore abrogata est, & à Clemente V. Benedicti successore restituta, comprobante Viennensi Concilio.

Ex iis autem, quæ ad objecta Romanorum Pontificum octo testimonia disseruimus, colliguntur breviter tria: Primùm, quòd Bellarminus illa suis momentis non expenderat; nam si expendisset, objicere ausus non esset: Deinde, quòd Pontifices illi nusquam putaverunt, *se simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscerent,* quemadmodum Bellarminus sibi sumit: Denique, quòd Pontifices ipsi contrarium existimarunt, nec se ab Romanæ Ecclesiæ traditione abjunxerunt, ut hac in Epistola planum fecimus.

Porro autem Bellarminus Romanos Pontifices Sedis 59
Apostolicæ traditioni non objecisset, ut eum objecisse ostendimus, si vel legisset orationem, quæ feria VI. in Parasceve Domini sic canitur: *Oremus & pro beatissimo Papa nostro N. ut Deus & Dominus noster, qui*

elegit

elegit eum in ORDINEM EPISCOPATUS *salvum & incolumem custodiat Ecclesiæ suæ ad regendum sanctum populum Dei:* Vel cum in natali Romanorum Pontificum seu Confessorum, seu Martyrum, faciebat, ad id, quod faciebat, animum intendisset aliquantulum; observasset sine dubio de Romano perinde ac de cæterarum urbium Pontificibus Divinum celebrari Officium. Quæ enim Missa de Marcello Papa Martyre XVII. Calend. Febr. de Telesphoro XIV. Calend. Febr. de Hygino III. Calend. Febr. de Lucio IV. Nonas Martii, de Sixto VIII. Idus Aprilis, de Aniceto XV. Calend. Maii, de Caio X. Calend. Maii, de Cleto VI. Calend. Maii, de Alexandro III. Idus Maii, de Urbano VIII. de Eleutherio VII. & de Joanne VI. de Felice III. Calend. Junii, de Silverio XII. Calend. Julii, de Anacleto III. Idus Julii, de Stephano IV. Nonas Augusti, de Zephyrino VII. Calend. Septemb. de Cornelio XV. Calend. Octobris, de Lino IX. Calend. Octobris, de Callisto pridie Idus Octobris, de Evaristo VII. Calend. Novembris, de Martino pridie Idus Novembris, de Pontiano XIII. Calend. Decembris, de Clemente IX. Calend. Decembris, de Melchiade IV. Idus Decembris celebratur ad usum Romanæ Ecclesiæ, de Communi Pontificum Martyrum celebratur.
Deinde quæ Missa de Leone Pontifice & Confessore,
III. Idus Aprilis, de Anastasio V. Calend. Maii, de 60
Marco Nonis Octobris, de Damaso III. Idus Decembris, de Silvestro pridie Calend. Januarii celebratur ad usum ejusdem Ecclesiæ, de Communi Pontificum Confessorum celebratur. Hactenus ex Missali Romano, quod Lugduni anno M.D.L. cum approbatione Pauli III. prodiit. Quorsum hæc omnia & hujusmodi, nisi ut Romana ipsa Ecclesia significet, antistitem suum eam præ cæteris non habere dignitatis prærogativam, qua supra universam Ecclesiam & generale Concilium evehatur? Et sanè ex officio tali Romanum Pontificem infra Ecclesiam & Concilium esse confirmari poterit; supra Ecclesiam & Concilium esse, confirmari non poterit. Quo pacto usque ad aras deducitur, & in iis Christo ipso præsente consecratur Sedis Apostolicæ traditio, qua Romanum Episcopum, Ecclesiæ, Conciliis, & sacris Canonibus subjici exceptis Curiæ assentatoribus & Inquisitoribus nemo non cognoscit. Sed de istis hominibus dictum tibi puta, quod Pius II. Carolo VII. Regi Galliæ scribit in memorata mox Epistola: Pontifici recta, sanáque expostulanti parere semper memineris. Vale. Lutetiæ Parisiorum, pridie Calend. Novembris, anno M.DC.LXIV.

Joannes Launoius
JACOBO BOETIO
De Sancto Victore.

1 QUI olim ad Romanum appellarunt Pontificem, ostendunt quidem hunc esse supra eos, à quibus appellabant; sed non ostendunt esse supra Concilium, quod ex totius orbis Christiani Sacerdotibus congregaretur: Siquidem non potuerunt ii fingere, Romanum Pontificem esse supra generale Concilium, cui per se vel per Legatos suos præsideret. Sic ille eodem tempore & simul & semel infra & supra seipsum esset, nisi forsan Concilio junctus auctoritatis minoris sit, majoris verò, cùm à Concilio separatim attenditur. Quis autem hoc tam absurdè vel cogitatum vel dictum animo æquo sustineret? Itaque Bellarminus in libri II. de Conciliis capite XVII. minùs prudenter fecit, cùm jure appellationis usus est, ut Pontificem supra generale Concilium esse comprobaret. Id prævidebas sagacissime, cùm nuper postulabas à me, ut quidquid ille de appellationibus in hanc rem scripserat, examinarem. Sed examinare multùm necesse non est, postquam dixisti, appellationes Romani Pontificis primatum asserere, Romanum Pontificem supra generale Concilium esse, non ostendere, & Bellarminum graviter errasse, cùm istud sibi sumpsit. Verùm quia non omnes errorem hunc percipiunt, eum patefaciendum esse, & illustrandam ampliùs veritatem censes.

2 *Sunt*, inquis, *certi denique fines,*
Quos ultra citráque nequit consistere rectum.

I. Bellarminus igitur sic ibi disputat: *Probatur quartò ex appellationibus à Concilio ad Papam. Sine controversia enim semper à minore ad majorem appellatur: Appellari autem à Concilio ad Papam, non contrà, perspicuum est ex Gelasio in Epistola ad Episcopos Dardaniæ. Ad Sedem, inquit, Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est: Ab illa autem nemo est appellare permissus.*

Et primùm quidem probationem orditur à corrupto Gelasii testimonio. Non enim dicit simpliciter Gelasius: *Ad Sedem Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est: Ab illa autem nemo est appellare permissus.* Sic verò dicit Gelasius: *Non reticemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quòd de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Insigni fallacia, *Canones appellari voluerint*, supprimit, ne quo jure appelletur, observari possit. Nam si semel observetur jure Canonico, id est, Ecclesiastico appellari, argumentum totum, quantum est, concidit. Tunc appellationum jus repetetur ab Ecclesiæ Conciliis, quæ pro publica omnium utilitate ita faciendum esse decreverint. Atque eo pacto Concilia, quæ appellationum jus instituerunt, non possunt non esse majoris, quàm Romanus Pontifex, auctoritatis.
Deinde minùs sincerè agit scribens, *à Concilio ad Pa-* 3
pam appellari, cùm Gelasius, quem in testem vocat, de Concilio simpliciter non loquatur, ut eum loqui significat. Non enim de quocunque Concilio loqui deberet Gelasius, sed de universali tantùm, supra quod Bellarminus Romanum Pontificem attollit. Quibus verò de Conciliis loquatur Gelasius, laudati ab illo Canones ipsi declarant. Tres omnino sunt, quos Sardicensis Synodus constituit. Primus, qui & Synodi tertius, est hic: *Osius Episcopus dixit: Illud quoque necessariò adjiciendum est, ut Episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua non sunt Episcopi, non transeant, nisi fortè à fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere charitatis. Quòd si in aliqua provincia aliquis Episcopus contra fratrem suum Episcopum litem habuerit,*

erit, unus de duobus ex alia provincia advocet Episcopum cognitorem. Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices: Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur, ea, quæ acta sunt; quæ decreverit, confirmata erunt, si hoc omnibus placet: respondit Synodus, placet.

Canon alter, qui & Synodi quartus, est hic: *Gaudentius Episcopus dixit: Addendum si placet huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, ut cùm aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit, agen-* 4 *dum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.*

Tertius, qui & Synodi septimus, est hic: *Osius Episcopus dixit: Placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, & judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum dejecerint: Si appellaverit, qui dejectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si justum putaverit ut renovetur judicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi, quid velit, quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio: Si verò crediderit, Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciat, quod sapientissimo consilio judicaverit.* Hi sunt ergo Canones, quos Gelasius ad sanciendam Sedis Apostolicæ dignitatem Constantinopolitanis opponit. Sed rem acriùs persequitur in Commonitorio ad Faustum: *Euphemium*, inquit, *miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non perspicit secundùm formam Synodi Calchedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per numerosam sententiam Sacerdotum erroris hujus auc-* 5 *tores constat fuisse damnatos? Sicut in unaquaque hæresi à principio Christianæ religionis & factum fuisse & fieri manifesta rerum executione monstratur, decessorémque meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem: Quod non solùm Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicunque Pontifici, ut quoslibet & quemlibet locum secundùm regulam hæreseos ipsius antè damnatæ, à Catholica communione discernant. Acacius quippe non fuit novi vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita proderent, sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, ut in illum recideret justa lance sententia, quam cum suis successoribus per convenientiam Synodalem susceperat auctor erroris.* Infrà: *Nobis opponunt Canones dum nesciunt quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd primæ Sedi sana rectaque suadenti parere fugiunt.* IPSI SUNT CANONES, QUI APPELLATIONES TOTIUS ECCLESIÆ AD HUJUS SEDIS EXAMEN DEFERRI VOLUERUNT: AB IPSA VERO NUSQUAM PRORSUS APPELLARI DEBERE SANXERUNT, *ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio appellari, sententiámque illius constituerunt non oportere dissolvi, cujus potiùs decreta sequi mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, Petrus, Paulus, Joannes & cæteri, non solùm unus, sed plures utique nomen Sacerdotii præferentes sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui hujus præceptionis extitit executor.* Infra: *Qua traditione majorum Sedem Apostolicam in judicium vocant?* Infrà: *Viderint ergo, si alios habent Canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæ-* 6 *terùm isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad judicium vocare non possunt.* Et quibusdam interpositis: *Sed velint nolint, ipsius* (Sedis Apostolicæ) *judicio antiqua Canonum institutiones firmabuntur: Sed religiosi viri atque perfecti secundùm Canones concessam Sedi Apostolicæ potestatem, minimum conantur eripere, & sibimet eam contra Canones usurpare contendunt. O Canonum magistros atque custodes!* Infrà: *Quæro tamen ab his judicium, quod prætendunt, ubinam possit agitari, an apud ipsos, ut iidem sint inimici & testes & judices? Sed tali judicio nec humana committi debent negotia, nedum divinæ legis integritas: si quantum ad religionem pertinet,* NONNISI APOSTOLICÆ SEDI JUXTA CANONES DEBETUR *Summa totius judicii; si quantum ad sæculi potestatem, illa à Pontificibus & præcipuè à beati Petri Vicario debet cognoscere, quæ divina sunt, non ipsa eadem judicare.* Quam ergo dignitatis prærogativam Bellarminus Romano Pontifici tribuit, idque suppresso dignitatis illius auctore, illam à solis Canonibus derivatam esse Gelasius semel, iterum, tertiò, & quartò profitetur. Non est proinde supra Canones & supra Concilia, quæ condiderunt Canones, Gelasius, sed supra Gelasium Concilia & Canones, quibus ille solis quidquid in appellationum negotio juris sibi vindicat, acceptum refert & referre quodammodo gloriatur: IPSI SUNT CANONES, QUI APPELLATIONES TOTIUS ECCLESIÆ AD HUJUS SEDIS EXAMEN DEFERRI VOLUERUNT, non dicit, IPSE DOMINUS SIT, IPSÆ SUNT SCRIPTURÆ, sed IPSI SUNT CANONES. Et sic quemadmodum decreverunt Cano- 7 nes, ut de qualibet mundi parte ad primam Sedem provocaretur, & ab ea ad Sedem aliam provocare nemini liceret, ita vel iidem vel alii Canones auctoritate pari conditi potuerunt decernere, ut nisi à prima Sede ad Sedem aliam, certè ad universalem Synodum provocaretur, si sana rectaque, ut indicat Gelasius, nun suaderet. Par est utrobique ratio, par disputandi modus. Quo dato, sequitur, Papam Canonibus & Canonum auctoribus, id est, Conciliis subesse.

Cæterùm in Acacii causa non dubitabatur, an Romanus Pontifex Conciliis, vel sacris subjiceretur Canonibus. Id apud omnes & potissimùm Romæ constabat. Sed qui favebant Acacio, Acacii causam ab uno Romano Pontifice negabant judicari posse. Hi quidem opponebant Canones, quibus statuitur, ut Episcoporum causæ judicentur in Conciliis ac terminentur: Sed Felix III. & Gelasius I. id tunc temporis necesse non esse recipiunt, cùm hæreticorum jam à Conciliis damnatorum sectatores damnantur, quia ex forma Conciliorum, quæ auctores hæresum damnarunt, continuò damnantur. Hoc Felix in Epistola IV. ad Zenonem Imperatorem, in Epistola V. ad Flavitum Constantinopolitanum Episcopum, & in Epistola VII. ad Vetranionem Episcopum inculcat. Epistolæ V. verba sunt hæc: *Non sumus pertinaces, paterna dogmata defendimus, quemadmodum etiam tua Dilectionis pagina designavit, Zelum pro orthodoxis ostendere nos debere. Calchedonensi Concilio, quod universalis sanxit & custodit Ecclesia, Eutyches & Dioscorus non probantur esse damnati? An eorum complices, Timotheus atque Petrus, instructionibus* 8 *plurimis convenientibus non docentur, sicut hi quoque, quos misit tua Dilectio, perviderunt? An eorum communionem frequenter & regulariter interdicentibus nobis, non est secutus Acacius, quos ipse suis Epistolis hæreticos dixerat, olímque damnatos, & malè rursus ædificans, quod bene antè ipse destruxerat, secundùm Apostolum prævaricator apparuit? Ideòque juxta præfatæ Synodi tramitem meritò illic damnatæ perfidiæ cunctis subiere vindictam, qui hujus maluerant esse participes: Quemadmodum contra unamquamque hæresim Synodus constituta, cunctos etiam deinde similes gravitatis adstringit; Ne in*

successe

successoribus omnino reparandum esset, quod in auctoribus justè monstratur esse prostratum.

Gelasius, quem Bellarminus allegat, iisdem vestigiis insistit, & nonnibil dicit amplius, ut suprà de verbis illius observari potest. Nam asseverat id, quod à se factum est in Acacii depositione, ab unoquoque Episcopo fieri potuisse: Quod Bellarminus vel dissimulat vel ignorat, quippe qui sæpius per malè comparatos indices vel per inertes administros sapiat.

Bellarminus pergit: *Et ne putemus eum* (Gelasium) *loqui de appellatione ab aliquo Episcopo, non à Concilio,* subdit, *sæpe Romanos Pontifices solvisse eos, quos inique Concilia ligaverant.* Concilii & Conciliorum nomine abutitur, vel nihil probat. Abutitur quidem, cùm significare intendit, & Concilium & Concilia, de quibus sermonem instituit, fuisse universalia, cujusmodi fuerunt illa quatuor, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calchedonense, quæ Gelasium
9 præcesserunt. Si verò Concilii & Conciliorum nomine non abutitur, nec universalia Concilia significare intendit, nihil probat, quia non probat, quod probandum assumpsit; scilicet ab universali Concilio ad Romanum Pontificem appellatum esse, & tunc illum solvisse quos inique universalia Concilia ligaverant. At tantùm abest, ut putet Gelasius se supra universale Concilium esse, ut potiùs asseveret Romanum Pontificem præ cæteris debere universalis Concilii decreta exequi: *Quibus,* inquit in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, *convenienter ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* Gelasium Gregorius I. subsequitur, & Bellarmino contraria in libri I. Epistola XXIV. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum scribit: *Dum Concilia universali sunt consensu constituta, se, & non illa, destruit, quisquis præsumit, aut solvere, quos ligant, aut ligare quos solvunt.*

II. Bellarminus pergit: *Cujus rei exstant exempla clarissima. Nam Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus à Concilio depositi ad Julium Papam appellaverunt, & ab eo in suas sedes restituti sunt, ut auctor est Sozomenus lib. 3. hist. cap. 7.*

Athanasii causa sic se habet: Hic variis & fictis modis accusatus, indicta causa, & contra leges & Canones, à Synodo Tyria damnatur, ab Sede sua depellitur, & Alexandria secedere jubetur: Tum Constantinopolim confugit ad Imperatorem, & apud eum agit, ut
10 quæ adversarii falsa crimina objecerant, ulcisceretur. Nova struitur in Athanasium calumnia, insimulatur voluisse impedire, quo minus frumentum Alexandria Constantinopolim ex more adveheretur. His artibus & dolis circumventus Imperator Constantinus, Athanasium Treveros in Gallias relegat: Athanasius biennio post à Constantino juniore restituitur. Eusebiani, hoc est, adversarii intercedunt, contendúntque virum à Synodo abdicatum non posse restitui, quia fieret injuria Synodo, aut certè si restituendus sit, non posse nisi à majore Synodo restitui. Quæ cùm videret Athanasius, in Occidentem discedere cogitat, seu portum quietis, seu præsidium adversus inimicos, si res ita ferret, quæsiturus. Eusebiani persequuntur Athanasium, literas ad Julium Romanum antistitem scribunt, & negotii totius judicium veluti deferunt, rati hoc simulationis genere se sibi suisque rebus optimè consulturos esse.

Athanasius hæc memoriæ tradit in Apologia sua: *Has quidem Ægyptii ad omnes & ad Episcopum Romanum Julium scripsere. Quin & Eusebiani ad Julium literas misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt. Cùm igitur Romam pervenissemus, Julius continuò ad Eusebianos literas scripsit, missis eò duobus ex suis Presbyteris Elpidio & Philoxeno: Illi verò ubi nostram Romæ præsentiam audivissent, plurimùm conturbati sunt, quòd contra spem eorum me Romam contulissem. Rejecto igitur itinere futiles vanásque tergiversando causificationes commenti sunt, eò quòd ingenti metu retinebantur, ne de iisdem criminibus, quæ Valens & Ursacius confessi erant,* 11
ipsi quoque convincerentur. Presbyter deinde Vito plures Episcopos, quàm quinquaginta in Concilium adduxit, ubi & nostra defensio recepta fuit, nósque digni habiti sumus communione & agape, magnáque indignatio excita est contra Eusebianos, quibus Julium, cùm ab eis literas acceperat, rescribere jusserunt. Scripsit igitur Julius, & misit literas per Gabianum Comitem.

Huc pertinent, quæ Julius in iis ad Orientales literis sic scribit: *Ego certè cùm literas vestras evolverem, post varias ultro citróque cogitationes, eas supprimendas putavi, ea spe quòd crederem, saltem aliquos ex vestris adventuros, nec opus fore istiusmodi Epistolis, ne si illæ in publicum promerentur, multos hîc dolore afficerent. Cæterùm ubi nullus vestrûm supervenerat, necessum fuit, ut eas proferrem.* Et paullò post: *Quid actum est dignum offensa? Aut qua in re vobis, quibus scripsi, causam succensionis præbui? An quia adhortati vos sumus, ut ad Synodum occurreretis? Atqui illud potiùs cum gaudio excipi oportuit. Qui enim bene sentiunt de iis, quæ egerunt, & in quibus ipsi (ut aiunt) judices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis judicatum est, ab aliis examinatur, quippe qui securi sint ea, quæ ipsi justa judicaverunt, injusta nunquam fieri posse. Quocirca Episcopi in magna Synodo Nicææ congregati non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi, qui judices erant, præ oculis habentes secundum de ea ipsa re judicium futurum, cum omni diligentia causam expenderent, & illi, qui sententiam acceperant, certò agnoscerent, se non per simultatem priorum judicum, sed jure & meritò condemnatos esse. Quod si* 12
istiusmodi consuetudo olim fuit, ejúsque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo, eámque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim, qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari. Et post alia: *Tali igitur commissâ audaciâ, quinam dicendi sunt flammam discordiæ accendisse? Siquidem id nobis in literis vestris objicitis. Nos scilicet discordiam induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundum Canonem facimus? An qui contentiosè violato Canone trecentorum decreta prævaricantur, & per omnia Synodum contemptui habent?* Infrà: *Oportuit igitur vos, Dilectissimi, huc accedere, & nequaquam tergiversari, ut res ad finem deducatur. Id enim ratio requirit. Sed fortasse dies constituti temporis brevior, quàm par fuit, impedimento fuit, (nam hujusmodi in literis vestris querimoniam facitis) atque illud, Dilectissimi, pro merâ cavillatione putandum est.* Et postquàm objecta reliqua diluit, subnectit. *Verùm in hoc ipsa justa & rationabilis causa est, dilectissimi, quam vobis intimandam puto. Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem omnes nolui scribere, ne à multis onerarentur. Certè ad constitutum tempus convenerunt Episcopi, & ejus sententiæ fuerunt, quam vobis iterum significo: quapropter, Dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo. Hæc quidem à nobis adversus non æquas vestrorum hominum, sed injustas, & suspectas causificatio-* 13
nes dicta sunto. Quod autem non temerè, aut injustè susceperim in communionem Coepiscopos nostros Athanasium & Marcellum, etiamsi priùs dicta sufficiant, brevibus tamen ratio vobis istarum rerum demonstranda est. Infrà: *Cùm igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justè pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici Canonis est? Hominémque proinde non condemnaremus, sed potiùs reciperemus? Eúmque pro Episcopo, quemadmodum est, haberemus?*

Athanasius

Athanasius relata Julii Epistola integra persequitur Apologiam, & dicit: *Hæc cùm Romæ Synodus per Julium Romanum Episcopum scripsisset, improba iterum audacia Eusebiani in Ecclesiis perturbandis, insidiisque tendendis usi sunt. Quod cùm rescitum esset ab religiosissimis Imperatoribus Constantio & Constante, jussi sunt Episcopi Orientis & Occidentis Sardim convenire.* Facta est igitur Sardicensis Synodus, quæ, quod Romana in gratiam Athanasii decreverat, confirmavit, ut nos docet Synodi Epistola ad Presbyteros & Diaconos Alexandriæ: *Quorum* (orthodoxæ fidei hominum) *nonnullos falsis criminibus circumvenerint* (Ariani) *alios extra fines suos relegarunt, alios in ipsis suppliciis absumpserunt, certè fratris nostri & Coepiscopi Athanasii innocentiam vi & tyrannide circumvenire & opprimere conati sunt, nulla in ejus judicio neque sedulitate, neque fide, neque justitia adhibita. Jam ergo diffisi suis fabulis & vanis rumoribus, ac cetera intuentes, quàm non possent de iis rebus justa documenta adferre, cùm essent in urbe Sardica, non ausi sunt in*
14 *Concilio sanctorum Episcoporum apparere. Quæ ex re æquitas judicii fratris & Coepiscopi nostri Julii liquidissimè apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione sententiam tulit, adeò ut nihil relinquatur dubii de communione fratris nostri Athanasii adducentis octoginta Episcopos veros testes pro se in judicium.*

Deinde in ejusdem Synodi Epistola ad Ægyptios & Africanos: *Quapropter cooperante Dei gratia religiosissimi principes nos ex diversis provinciis & civitatibus in unum convocaverunt, cupientes ut sancta Synodus in Sardorum civitatem conveniret, quò omnis controversia præcideretur, & ejecto quidquid pravæ fidei esset, sola in Christum pietas ab omnibus retineretur. Venerunt quoque ex Oriente Episcopi ad id instigati à religiosissimis Imperatoribus, & potissimùm ob ea, quæ subinde jactaverant de dilectis fratribus nostris & comministris Athanasio Episc. Alexandriæ, & Marcello Angyro Galatiæ Episcopo, forsitan & ad vos quoque calumnia penetrarunt, & vestras aures concutere admoliti sunt, ut ipsorum de innocentibus calumniam veram putaretis, & sub hoc prætextu flagitiosam hæreseos opinionem dissimularent.* Et paullo pòst: *Cùm igitur jampridem literas suas accusatrices de Athanasio, Marcello, & Asclepa comministris nostris Eusebiani ad Julium Romanæ Ecclesiæ Episcopum misissent, contigit, ut etiam alii ex aliis locis Episcopi ad eundem Julium literas suas mitterent, quibus & Athanasii innocentiam, & Eusebianorum sycophantiam contestabantur, atque id ita esse ex eo præcipuè apparuit, quòd accersiti à dilecto nostro comministro Julio, judicio non steterunt; stetissent enim, si sui auctorúmque*
15 *suorum in comministros nostros fiduciam habuissent: Fraudem tamen suam per ea, quæ in sacratissima Synodo gessere, longè manifestiùs declararunt. Nam cùm ad Sardorum civitatem accessissent, conspectis ibi Athanasio, Marcello, Asclepa, aliisque nonnullis, veriti sunt in judicium prodire; & cùm non semel aut bis, sed iterum atque iterum citati essent, citationibus non obtemperarunt; tametsi omnes Episcopi simul congregati essent, & in primis gravissima ætate Hosius, homo & ob ævi longitudinem, & confessionem suam, & ob tantos suos labores omni reverentia dignus.*

Athanasius, posteaquam retulit Epistolam hanc, subjicit: *Hæc cùm percepisset religiosissimus Imperator Constantius, nos ad se accersiri jussit, & seorsum ad fratrem suum beatum Constantem scripsit, ad nos quoque semel, iterum, ac tertiò literas misit.* Quibus adductis subjungit: *Imperator igitur istas literas misit, quibus acceptis Romam ascendi, Ecclesiam & Episcopum aditurus. Nam Aquileæ tunc temporis eram, cùm has literas accepi. Ingens igitur gaudium in Ecclesia, Pontifexque Julius, ut gratularetur nostræ restitutioni, & literas ad Ecclesiam* (Alexandrinam) *misit. Nos autem quacunque transivimus, cum pace ab omnibus Episcopis deducti sumus.*

Hæc est vexationis Athanasii historia, in qua spectanda sunt maxime tria: Primum, quòd Athanasius cùm se indignè & contra leges à Tyria Synodo tractatum perspicit, in Occidentem confugit ut in portum communionis suæ; nec ad Julium Romanum ante accessit, quàm ad eum Eusebiani causæ arbitrium detulissent. Theodoretus id quoque observat in libri 1. historiæ capite 111. *Verùm Athanasius præcognitis illorum* 16
insidiis, secessit ipse, & in Occidentem se contulit. Ad Romanum enim Episcopum Julium videlicet, qui Ecclesiam illam tunc regebat, Eusebiani compositas in Athanasium calumnias perscripserant. Is verò Ecclesiasticam sequens regulam, & ipsos Romam venire jussit, & divino Athanasio ad judicium diem dixit, qui simul ac citationem accepit, in viam quamprimùm se dedit. At qui fabulam struxerunt, quippe qui eam ipsi condiderant, Romam ideò profecti non sunt, quod mendacium facilè deprehensum iri sentiebant.

Deinde, quod Romana Synodus, cui Julius præfuit, perspecta Athanasii innocentia, eum in communionem suam admisit, & dignum censuit, qui Alexandrinæ Ecclesiæ restitueretur: Sed Eusebianorum factione restitutus non est. Denique, quòd Sardicensis Synodus Romanâ Synodo longè numerosior & celebrior, quidquid à Romana Synodo gestum fuerat, confirmat, Athanasium civitati suæ restituendum esse judicat, & apud Constantium Imperatorem efficit, ut Athanasius restitueretur; restitutus est.

Hæc autem omnia Bellarminus si legisset in Apologia secunda Athanasii, siccine disputasset? *Athanasius à Concilio depositus ad Julium Papam appellavit, & ab eo in suam Sedem restitutus est.* Confugit, non appellavit, si appellationis Ecclesiasticæ conditiones ex Sardicensi Concilio desumantur; sed appellaverit? Non à Julio tantùm, sed etiam à Romana Synodo dignus restitutione judicatus est. Sic verè dicendum est, quia reipsa restitutus non fuit. Et Bellarminus fallitur, dum reipsa restitutum fuisse significat. Sed reipsa à Julio tantùm restitutus fuerit? Quid inde? Sequi- 17
turne, *Julium simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam, & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat?* Supra illud particulare Concilium est, quod Athanasium deposuit. Sic ab uno Conciliorum genere transit ad aliud, & Sophisticam exercet.

At dicet aliquis: Laudatus à Bellarmino Sozomenus rem eo modo narrat, qui Bellarmini placitis favet. Minimè verò, audiendus ille est. *Quorum*, inquit, (Athanasii & aliorum) *criminationes cùm Episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei Nicæni Concilii consentientes reperisset, in communionem recepit. At cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eósque incusavit, quòd inconsultò de hisce viris judicassent, Ecclesiasque perturbassent, cum decretis Concilii Nicæni stare nollent; deditque mandatum, ut quidam illorum omnium nomine ad diem constitutum accederent, perspicuè declaraturi sententiam, quam de his tulerant, æquam justamque esse. Quinetiam minatus est, se de reliquo non passurum eos inultos esse, nisi novis rebus studere desisterent. Ista quidem scripsit Julius. Athanasius autem & Paulus ad suas ædes revertuntur, literásque Julii Episcopis Orientis mittunt. Quibus illi graviter commoti, conveniunt Antiochiæ in unum, & Epistolam verbis elegantibus ornatam, & disertè, ut Rhetorum mos est, compositam ad Julium scribunt, eámque plenam ironia & minarum non expertem gravissimarum. Nam quanquam literis suis fatebantur, Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, utpote quæ Apostolorum Schola & pietatis* 18
Metropolis (licet auctores religionis Christianæ primùm ex Oriente eò venissent) jam ab initio fuisset, tamen indignati sunt, se posteriores ideo ferre, quod magnitudine Ecclesiæ superarentur, idque cùm virtute, & pro vivendi instituto longè superiores essent. Quinetiam criminis loco Julio objiciebant, quòd cum Athanasio & reliquis cum eo Episcopis communicaverat. & ægrè admodum ferebant, perinde ac si eum Concilium fuisset, tum ipsorum sententia abrogata. Quod factum ut iniquum & à lege Ecclesiasticâ

discrepans insimularunt. His de causis cùm ad hunc modum criminati essent, & sibi factam injuriam testati Julio pacem & communionem pollicebantur, si modò abdicationem eorum, qui ad ipsum profugerant, approbaret; sin autem resisteret, ipsorum decretis contraria se facturos prædicebant. Nam Episcopos & Sacerdotes Orientis, qui ipsos antegressi fuerant, minimè refragatos esse Episcopo Romano, cùm Novatus erat Ecclesia ab eo ejectus. Et post pauca: *Julio quidem ista eos scripsisse constat.* Quæ Sozomenus hic refert, cùm ex Epistola Julii ad Orientales, tum ex Epistola Orientalium ad Julium referre se dicit: Atque ita quæ refert ad Julii & Orientalium mentem intelligenda sunt. Quare cùm Athanasium & alios Episcopos à Julio suis restitutos esse sedibus dicit, id factum esse in Romana Synodo, quam Julius habuit, intelligendum est. Hoc autem Bellarmini concilio quid prodest? Sozomenus videtur minùs animadversam & perspectam habuisse Athanasii & aliorum restitutionem, quæ non priùs contigit quàm Sardicensis Synodus Romanam confirmasset, ut Athanasium ipsum narrantem vidimus.

19 III. Bellarminus pergit: *Similiter Flavianus Episcopus Constantinopolitanus appellavit à Concilio Ephesino II. generali ad Leonem Papam, ut testatur Leo Epistola 25. ad Theodosium Augustum.* Sed referenda est, quam Bellarminus non refert, beati Leonis Epistola, sic autem illa se habet: *Literis Clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in causa tam simplici tàmque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret; præsertim cùm ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, ita manifestatione purissimæ fidei, quam divinitus inspiratam, & accepimus & tenemus, omnium congressionum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultra deciperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privatæ causæ religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod universam Ecclesiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuntio, sed fidelissimo rerum, quæ gesta sunt, narratore Hilario Diacono nostro, (qui vix, ne subscribere per vim cogeretur, effugit) convenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum utique frequentia collationi & judicio profuisset, si is, qui sibi locum principem vindicabat, Sacerdotalem moderationem custodire voluisset, ut (sicut moris est) omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quod & fidei con-*
20 *grueret, & errantibus subveniret. In ipso autem judicio non omnes, qui convenerunt, interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui supradicti Sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederent, & nocituram statui suo scirent, nisi imperata fecissent, talémque ab ipso prolatam esse sententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem Ecclesiam sævire videretur; quod nostri ab Apostolica Sede directi à Deo impium & Catholicæ fidei contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli: Constantérque in eadem Synodo, ut decuit, fuerint protestati, nequaquam id quod constituebatur, Sedem Apostolicam recepturam, quoniam revera omne Christianæ fidei Sacramentum, quod absit, à temporibus vestræ pietatis exscinditur, nisi hoc scelestissimum facinus, quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur. Quia verò Diabolica nequitia subtiliter fallit incautos, & ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis illudit, ut pro salubribus persuadeat nocitura, removete quæsumus à vestræ pietatis conscientia periculum religionis & fidei, quódque in secularibus negotiis legum vestrarum æquitate conceditur in rerum divinarum pertractatione præstare, ut Christi Evangelio vim non inferat humana præsumptio. Ecce ego, Christianissime Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam Clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram sanctis*
Angelis Christi, ut omnia in eo statu manere jubeatis, in 21
quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia (quod necesse est nos dicere) veremur, ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam & communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorúmque martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ divinitatis & veræ humanitatis in Christo. Cui sacramento quia nunc à paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant, Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamaverunt, & ejusdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum. Convenientibus utique Orientalium provinciarum Episcopis, quorum si qui superati minis atque injuriis à veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur, ipsique quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Quàm autem post appellationem interpositam hoc necessariò postuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ à totius mundi sunt Sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt. Cùm in Bellarmini argumentum, & in Leonis Epistolam inspicio, adducor facilè, ut credam, Bellarminum Leonis Epistolam non legisse, sed deceptum
fuisse ab Amanuensi suo, qui illi dixit, Flavianum ad 53
Leonem appellasse. Nam Pontifex hoc in Epistola sua non scribit: Flavianum appellationis libellum dedisse scribit, sed ad quem dederit, non scribit. Credibile est Flavianum provocasse ad Synodum, quæ liberior foret, & numerosior. Nam Leo & Romana Synodus, unum id agunt, ut Imperator generalem Synodum intra Italiam celebrari jubeat, quæ excitatis tumultibus & controversiis finem imponat. Verùm Flavianus ad Leonem provocaverit? Non ideo provocavit, ut Flaviani causam Leo solus judicet, sed ut generalis Synodus cum Leone judicet.

Quod igitur Leo concisa brevitate, id Galla Placidia Theodosii mater pluribus exponit in literis, quas ad filium Imperatorem scribit: *Non medicum*, inquit, *detrimentum est ex his, quæ gesta sunt, ut fides quæ tantis temporibus regulariter custodita est à sanctissimo Patre nostro Constantino, qui primus in Imperio splenduit Christianus, perturbata sit ad unius hominis arbitrium, qui in Synodo Ephesina civitatis odium & contentiones potiùs exercuisse narratur, militum præsentia, & metu impetens Constantinopolitanæ civitatis Episcopum Flavianum, eò quòd libellum ad Apostolicam Sedem miserit, & ad omnes Episcopos harum partium per eos, qui directi fuerunt ad Concilium à reverendissimo Episcopo Romæ, qui secundùm definitiones Concilii Nicæni consueti sunt interesse.* Flavianus libellos appellationis non solum ad Leonem, sed etiam ad Occidentales Episcopos omnes miserat, quorum judicium requirebat.

Huc quoque spectat Valentinianus filius in literis, 23
quas ad Theodosium dedit: *Debemus*, inquit, *cum omni competenti devotione dignitatem propriæ venerationis beato Petro Apostolo intemeratam in nostris temporibus conservare, quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes contulit, locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare. Hujus itaque rei gratia secundùm solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta est de fide. Huic*

itaque

itaque postulanti & comprecanti salutem nostrum communem annuere non negavis, quatenus ad tuam Mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, à principio omnem causam, quæ vertitur, sollicita probatione cognoscens sententiam ferat, quam fides & vera divinitatis ratio expostulat. Flavianus ad Leonem provocat, ut quæ de fide & Sacerdotibus exorta erat apud Ephesum controversia, in generali Synodo terminaretur.

Aliud est igitur Romanum Pontificem appellare, aliud Romanum Pontificem solum de appellatione judicare. Flavianus apud Valentinianum dicitur Leonem & Apostolicam Sedem appellare, & tamen non Leonem solum, vel Apostolicam Sedem, sed etiam reliquos Occidentis Episcopos appellat, ut in Leonis & Gallæ Placidiæ literis habetur. Quò etiam Valentinianus in Epistola sua spectat. Hæc autem omnia quid quæso Bellarmini causam adjuvant? Quid ad propositum ab eo lemma conducunt, ut Papam absolutè esse supra Concilium probet?

24 IV. Bellarminus pergit: *Theodoretus Episcopus Cyri appellavit à Concilio eodem Ephesino II. ad eundem Leonem, ut patet ex Liberato in Breviario capite* XII. *& ex ipsa Epistola Theodoreti, quæ extat ad finem operum Leonis.* Liberati verba, quæ Bellarminus referre non est ausus, sunt hæc: *Valentinianum autem Imperatorem & Eudoxiam uxorem ejus ad memoriam beati Petri cum multis Episcoporum genibus provolutus Romanus Pontifex deprecatus est, ut Imperatorem Theodosium hortarentur, aliam fieri Synodum ad retractandum illa, quæ à Dioscoro malè acta atque perpetrata fuerunt in damnatione Dioscori Episcopi & orthodoxorum depositione.* At quis unquam præter Bellarminum & cæcos Bellarmini Discipulos, ex his Liberati verbis colliget, *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale: Ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat?* Liberatus cùm significet, ad orthodoxorum restitutionem necessarium fuisse Concilium, Bellarmini placitis nocet, non prodest. Bellarminus tamen de Liberato fucum facere voluit iis, qui Liberatum vel non legerant, vel non habebant, rati Bellarminum quæstionem hanc sincerè tractasse.

Nunc veniendum est ad Theodoreti Epistolam ad Leonem, quæ est centesima decima tertia inter illius Epistolas. *Si Paulus præco veritatis, tuba Spiritus Sancti, ad magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multò magis nos humiles & pusilli ad Apostolicam Sedem accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus re-*
25 *medium à vobis accipiamus. Vobis enim primas in omnibus tenere convenit. Etenim alias urbes ornat, vel magnitudo, vel pulchritudo, vel habitatorum frequentia; nonnullas etiam quæ his carent, quædam spiritualia quædam dona illustrant: vestra verò bonorum affluentiam bonorum largitor dedit. Illa enim omnium maxima & clarissima, quæ & orbi terrarum præsidet, & incolarum multitudine redundat. Adhæc Imperium, quod nunc rerum potitur, & suum ipsa nomen subditis impertiit. Præcipuè autem illam fides ornat, cùm testis idoneus est divinus Paulus, clamans: Fides vestra annunciatur in universo mundo.* Et paulò pòst: *Habet præterea communium Patrum magistrorúmque veritatis Petri & Pauli sepulchra, fidelium animas illuminantia: quorum beatissimum ac divinum par, in Oriente quidem exortum est, & radios quaquaversum diffundit, sed in Occidente vitæ occasum ultro subiit, atque inde nunc orbem universum collustrat. Hi sedem vestram nobilissimam reddiderunt; hic bonorum vestrorum est apex. Ac illorum sedem nunc etiam illorum Deus illustravit, dum in ea Sanctitatem vestram rectæ fidei radios fundentem constituit.* Et paullò pòst: *Nos spiritualem sapientiam tuam admirati, Spiritus Sancti gratiam, quæ per vos locuta est, laudibus extulimus, rogamúsque & obsecramus & precamur, & supplices oramus Sanctitatem tuam, ut tempestate jactatis Dei Ecclesiis opem ferat. Cùm enim per eos, quos Sanctitas tua Ephesum misit, tempestatis exitum speraremus, in graviorem procellam delapsi sumus. Alexandrinorum quippe justissimus antistes haudquaquam contentus fuit iniqua hac & injustissima depositione sanctissimi, Deóque charissimi Constantinopolitanorum Episcopi domini Flaviani; neque ip-* 26
sius animam explevit consimilis strages aliorum Episcoporum: sed me quoque absentem calamo similiter jugulavit, nec in jus vocatum, nec præsentem accusatum, nec interrogatum de Dei ac salvatoris nostri Incarnatione quid sentiam. Et homicidas quidem, ac sepulchrorum effractores, alienarúmque nuptiarum invasores, non priùs condemnant judices, quàm vel ipsi objecta crimina confessione sua firmaverint, vel ab aliis fuerint apertè convicti. Nos autem hic in divinis legibus enutritos, triginta mansionibus distantes, condemnavit, ut voluit. Neque nunc tantùm hoc fecit, sed anno etiam superiore, cùm eò profecti essent duo viri Apollinaris morbo infecti, & calumnias in nos texuissent, consurgens in Ecclesia nos anathemate confixit, idque cùm ad eum scripsissem, & quæ sentirem per literas exposuissem. Ego verò Ecclesiæ sanè tempestatem defleo, cæterùm quieti studeo. Et paullò pòst: *Post tantos sudores ac labores* (quos ante recensuit) *indicta causa condemnatus sum. At ergo Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & oro atque obtestor Sanctitatem tuam, ut rectum ac justum tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeátque ad vos venire & doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhærentem ostendere.* Et paullò pòst: *Ante omnia ut à vobis docear, oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non; vestram enim sententiam expecto. Quod si in judicatis manere me jusseritis, manebo, neque ulli hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei salvatorisque nostri judicium expectabo.*

I. In Theodoreti oratione confugium potiùs describitur, quàm appellatio, Si qui sint Appellationis Ec- 27
clesiasticæ termini, qui fines, ex Sardicensi Concilio repetantur.

II. Theodoretus expectare se dicit Apostolicæ Sedis sententiam, sed eo dandam modo, quem ipsemet Leo in Epistola XXV. ad Theodosium præscribit, quem Julius in Epistola ad Orientales in Athanasii causa servatum fuisse dicit.

III. Si Theodoreti Epistolæ diligenter consideretur exordium, vix aliud in eo & ex eo potest colligi, quàm Concilium, cui Leo præsideat, etiamsi Theodoretus nihil videatur omisisse, quod ad commendandam Apostolicæ Sedis auctoritatem tunc temporis requireretur.

IV. Theodoretus in Epistola CXVI. ad Renatum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum clariùs loquitur, & Concilium nominatim expectat: *Cognovimus ardentem justúmque zelum pietatis tuæ, & justissimam ac legitimam libertatem, qua usus es, cùm ea, quæ apud Ephesum temerè licentérque acta sunt, reprehenderes.* Et post alia: *Ex his autem, qui posthac damnati fuere, unus ego sum; ne illò irem, regiis literis prohibitus, & tamen absens condemnatus. Post sex enim & viginti Episcopatus annos, post infinitos labores, post suscepta pro pietate certamina, post oblatas omnium salvatori multas hæreticorum à pristino abductas errore myriadas, sacerdotio me spoliarunt, ejiciúntque ex civitate, nec senectutem reveriti, nec canos in pietate maritos. Quam ob causam oro Sanctitatem tuam, sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo* (Leoni) *persuadeas, ut Apostolica potestate utatur, & ad Concilium, omnes vestrum advolare præcipiat.*

V. Ex quibus verò congregetur Concilium hoc, in 28
Epistola CXIX. ad Anatolium Patricium sic indicat. *At isti* (qui apud Ephesum erant) *nos nec in judicium vocantes, nec vocem nostram audientes, & ex nobis quid sentiamus, cognoscere laborantes, veritatis hostium furori jugulandos nos prodiderunt. Ego autem silentium libens teneo, hoc maximè tempore, cùm Apostolica dogmata apud*

multos corrupta sunt, & nova hæresis vires ac robur obtinuit. Verùm neque eorum, quibus noti non sumus, veras credas esse calumnias, quæ in nos conjecta sunt, offenditurque, diversa nos ab Evangelica doctrina sentire existimans, Magnitudinem tuam obtestor, hanc à Victore Augusto gratiam petat, ut in Occidentem veniam, ibique à Deo charissimis sanctissimisque Episcopis judicer, ac si vel minimùm à fidei regula deflectere videar, in medium maris profundum dejiciar.

VI. Theodoretus à Leone restitutus dicitur in actione 1. Calchedonensis Concilii: *Gloriosissimi judices & amplissimus Senatus dixerunt: Ingrediatur R. Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & pissimus Imperator sanxit eum adesse sancta Synodo.* Et quibusdam interpositis: *Gloriosissimi judices dixerunt: Theodoretus R. Episcopus proprium recipiens locum à sanctissimo Episcopo inclytæ urbis Romæ in locum nunc accusatoris ingressus est: Unde patiamini ea, quæ inchoata sunt finiri, ac aliqua confusio auditorio fiat. Ægyptii, & qui cum ipsis reverendissimi Episcopi clamaverunt: Cyrillum Theodoretus accusavit; Cyrillum ejicimus, si Theodoretum acceperimus; Canones istum ejiciunt.* 29 Tunc inter Episcopos maxima exoritur concertatio, & interloquentibus judicibus sedere Theodoretus jubetur, & ejus causa ad octavam usque actionem differtur, & ea sic se habet: *Judices dixerunt: Omnis jam dubitatio de Theodoreto R. Episcopo est soluta. Quippe & Nestorium coram nobis anathematizavit & à sanctissimo & Dei amantissimo Archiepiscopo senioris Romæ susceptus est, & definitionem fidei à religiositate vestra prolatam libenter suscepit, & insuper memorati sanctissimi Archiepiscopi Leonis Epistolæ subscripsit. Deest igitur ut sententia proferatur à reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit. Omnes reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede.* Et quibusdam interpositis: *Paschasinus & Lucentius Episcopi reverendissimi, & Bonifacius reverendissimus Presbyter, insuper & Julianus reverendissimus Episcopus Coensis habentes locum Apostolicæ Sedis dixerunt: Sanctissimum & venerabilem Episcopum Theodoretum, sanctissimus & beatissimus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus urbis Romæ Leo dudum in communionem suscepit, sicut literæ ab eo ad nostram humilitatem directæ testantur: Si igitur fidem Catholicam sicut promittit, & secundùm prædictum beatum Episcopum subscriptionem in proprio libello direxit, nostræ insuper humilitati alio dato libello monstravit, quando & Nestorium & Eutychem non solùm scripto, sed & sub præsentia totius consessus ore proprio anathematizavit, hoc judicio sanctissima & venerandissima Synodus, insuper verò & nostra humilitas reddi ei Ecclesiam suam definivit.*

Ex his apparet, Theodoretum à Synodo restitutio- 30 nem integram accepisse, quam à Leone non acceperat, quamvis qui acciperet, ab eodem judicatus fuisset dignissimus. Indicta enim causâ, & violatis Canonibus è sua Sede pulsus fuerat. Exinde factum, ut judices suprà dixerint Leonem Theodoreto Episcopatum restituisse. Sed Concilii Patres & in primis Legati Theodoreto Episcopatum restituunt. Ecce tibi Theodoreti appellationis ad Leonem & ad Occidentales Episcopos historia, ex qua Abelem à Caino fuisse occisum perinde colliges, ac *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Quinetiam Leo in Theodoreti causa Calchedonensis Concilii judicium supra se agnovit, nec ægrè tulit. Post Ægyptiorum intercessionem Concilium de Leonis sententia, quam secundùm Theodoretum pronunciaverat, judicavit & asseruit.

Deinde Leo in Epistolæ, quam post Calchedonense Concilium ad Theodoretum scripsit, capite 1. potiorem in Concilio, quàm in seipso & in prima Sede auctoritatem agnoscit. *Remeantibus ad nos fratribus & consacerdotibus nostris, quos ad sanctum Concilium Sedes B. Petri direxit, agnovimus Dilectionem tuam superno adjutorio nobiscum tam Nestorianæ impietatis, quam Eutychianæ vesaniæ extitisse victricem. Unde gloriamur in Domino, cum Propheta canentes: Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit: Sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut verè à se prodiisse ostenderet, quod priùs à prima omnium Sede formatum, totius orbis Christiani judicium recepisset.* Max in cap. IV. *Hoc præcipuè præsenti occasione credimus admonendum, Frater charissime, ut quotiescunque divinâ gratia administrante illos, qui foris sunt, fonte doctrinæ aut submergimus, aut purgamus, in nullo ab illis, quas Spiritus Sancti divinitus in Calchedonensi Concilio protulit, fidei regulis recedentes, inter utrumque hostem novellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela libremus, non jam quod absit, tanquam de dubiis disceptantes, sed auctoritate sua, quæ bene definita sunt, adstruentes, cùm & in Sedis Apostolicæ Epistola universalis sanctæ Synodi assensu firmatis, tanta divinæ auctoritatis testimonia noverimus esse congesta, ut nullus queat ulteriùs dubitare, nisi qui sibimetipsi errorum tenebras inferre maluerit.* 31 Nunc assensum, quem Concilium Leonis Epistulæ tribuit, irretractabilem appellat: Nec talem appellaret, nisi privilegium non errandi Concilio inesse crederet. Nunc Spiritus Sancti Divinitatem in Calchedonensi Concilio fidei regulas protulisse non posset verè dicere; nec diceret, nisi privilegium idem non errandi Concilio soli datum esse censeret. Nunc Apostolicæ Sedis Epistolam universalis Ecclesiæ assensu firmatam gratulatur sibi; nec gratularetur, nisi universalis Ecclesiæ assensus Apostolicæ Sedis auctoritati præponderaret.

Tum demùm in Epistola ad Hieronymum Samboeuvium, ad Ludovicum Cusinum, & ad Felicem-Phelippæum Brossam ea Leonis testimonia refero, quibus liquidò constat, Pontificem hunc fateri se sacris Conciliorum Canonibus subjectum esse. Hæc autem repetere supervacaneum foret.

V. Bellarminus pergit: *Denique Joannes Chrysostomus à Concilio depositus appellavit ad Innocentium Papam,* 32 *ut testatur Gelasius ubi suprà, & idem colligitur ex Epistola Chrysostomi ad Innocentium.* Argumenti hujus dispunctio incipienda ab iis, quorum res est, Chrysostomo & Innocentio. Hi enim, quod suum est, Gelasio longè meliùs noverunt. Chrysostomus in Epistola 1. ad Innocentium rem suam sic exequitur: *Cùm autem,* inquit, *contestaremur, paratos nos ad diluendum crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarandam coram centum vel mille Episcopis, non assensit* (Theophilus:) *Sed licèt absentes essemus, &* AD SYNODUM APPELLARIMUS, *& judicium requireremus, & non auditorium, sed manifestas inimicitias fugeremus, ipse tamen accusatores suscepit, & excommunicatos à me absolvit, & ab illis, qui nondum se de suis purgaverunt criminibus, libellos collegit, & acta proscribi jussit, quæ omnibus legibus & Canonibus prohibita sunt.* Et post alia: *Tractus igitur vi & abductus à magistratu civitatis in media civitate, & in navim conjectus per noctem navigavi,* ao QUOD AD SYNODUM ET JUSTUM JUDICIUM PROVOCAREM. Ad Synodum igitur, non ad Innocentium provocat: Sed eum de sua provocatione admonet, & ad suum auxilium cohortatur. Sozomenus provocationem hanc in libri VIII. hist. capite XVII. describit: *Indignantibus igitur Joanni tanquam non obedienti Synodo* (ad Quercum) *Episcopis, illorum, qui hæc nunciarunt, nonnulli metu territi, non sunt reversi ampliùs. Demetrius verò & quotquot Joannis familiaritatem præferebant, ad illum sunt regressi. Eodem autem die Notarius ex aula festinabundus* 33 *adveniens Joannem ursit, ut ad Episcopos exiret; illos autem, ut in ferenda sententia non cunctarentur. Cùm igitur quater vocatus* AD OECUMENICAM SYNODUM

PRO-

PROVOCASSET, *illi nihil aliud causati, quàm quòd vocatus non obtemperasset, eum deposuerunt.*

Socrates observat idem in libri VI. hist. cap. XIV. *Ubi verò Joannes eos, qui eum accersiverant, tanquam inimicos à sua causa disceptatione exceperat, & ad* GENERALE CONCILIUM PROVOCARAT, *illi absque mora quater illum accersiverunt. Quem quidem cùm accedere nollet, idémque semper responsum daret, communibus suffragiis condemnaverunt, abdicarúntque Episcopatu: Idque cùm nullum aliud crimen illi objectare possent, præterquam quòd accersitus non obtemperaverat. Qua res Constantinopoli sub vesperam nunciata multitudinem ad maximam seditionem concitavit, atque tota nocte excubantes, illum ab Ecclesia extrahi neutiquam passi sunt, sed sublata voce clamarunt ejus causam debere in majore Episcoporum Concilio disceptari.*

Nicephorus idem quoque memoriæ prodit in libri XIII. capite XV. *Ut autem ille quater citatus non comparuit, judices illos, ut sibi inimicos exceptione summovet,* ET AD UNIVERSALEM SYNODUM PROVOCANS; *illi contumacia viri condemnata Episcopatum ei abrogarunt, nihil in eo reprehendentes aliud, quàm quòd quater evocatus, judicio se non stitisset.*

Hæc de Chrysostomo & de Chrysostomi ad Synodum provocatione: Nuuc venio ad Innocentium, de quo scribit Sozomenus in libri VIII. hist. capite XXVI.
34 *Certior autem factus Innocentius Romanorum Episcopus eorum, quæ apud Joannem acta erant, indignè tulit, atque ut ea damnavit, ita* ETIAM OECUMENICUM CONCILIUM CONVOCARE STUDUIT, *& tum ad Joannem, tum etiam privatim ad Clericos Constantinopolitanos scripsit: Utramque autem Epistolam ex lingua Latina versam ut accepi, proposui.*

Innocentius in Epistola ad Chrysostomum suadet ei, ut sese patientiæ clypeo muniat: In Epistola ad Clericos de adhibendis malo huic remediis sic loquitur: *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus?* NECESSARIA ERIT SYNODALIS COGNITIO, QUAM ETIAM MULTÒ JAM ANTEA CONGREGANDAM DIXIMUS: EA QUIPPE SOLA EST, QUÆ HUJUSMODI PROCELLARUM IMPETUS RETUNDERE POTEST. *Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei, ac Christi ejus Domini nostri. Illa universis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus freti nostra in Deum fide.* AC NOS QUIDEM MULTUM DELIBERAMUS, QUONAM MODO SYNODUS OECUMENICA CONGREGARI POSSIT, *per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint. Expectemus itaque tantisper, ac vallo patientiæ communiti speremus, auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda.* Sic Chrysostomus non ad Innocentium, sed ad Oecumenicam appellavit Synodum, quam Innocentius congregandam esse necessariò censuit.

Audiamus quid scribat Gelasius in Epistola XIII. ad
35 Episcopos Dardaniæ: *Sed nec illa præterimus, quòd Apostolica Sedes frequenter more majorum etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi, quos iniquè Synodus damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sancta memoria quippe Athanasium synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sancta memoria nihilominus Joannem Constantinopolitanum Synodus,* etiam *Catholicorum Præsulum, certè damnavit, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit.* At Synodus illa, quæ damnavit Chrysostomum, Oecumenica non erat. Oecumenica tamen esse debuit, ut exemplum tale Bellarmini consilio serviret. Nam etsi detur Papam esse supra Synodum, quæ universalis non est, haud sequitur illum esse supra synodum quæ universalis est. Deinde Innocentius Chrysostomum quidem absolvit, sed Episcopatui non restituit. Qua de re tota sic Palladius in Dialogi de vita Chrysostomi capite III. *Adhæc rescripsit beatissimus Papa Innocentius, communionéque utrousque Partis admissa; Theophili judicium, cassum, atque irritum esse decrevit dicens, oportere conflare aliam irreprehensibilem* SYNODUM OCCIDENTALIUM ET ORIENTALIUM SACERDOTUM, *excedentibus Concilio amicis primùm, deinde inimicis, neutrarum quippe partium ut plurimum rectum esse judicium.*

Porro autem ex hac historia deduci possunt multa, quibus mala Bellarmini fides & opinio configatur.

I. Bellarminus Synodum, quæ damnavit Chrysostomum, ut Oecumenicam objicit, à qua Chrysostomus 36
ad Innocentium provocaverit. Nam Synodum illam convenienter instituto suo tanquam Oecumenicam objicere debuit, ut Romanum Pont. simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & generale Concilium probaret. Hæc autem Synodus cùm Oecumenica non fuerit, Bellarminus bona fide non egit.

II. Contendit Chrysostomum appellasse ad Innocentium, quod à veritate prorsus abhorret. Ad Synodum Oecumenicam appellavit, ut ipsemet in Epistola I. ad Innocentium testatur. Id quoque Socrates, Sozomenus, & Nicephorus testantur. Hac in re Bellarmini fidem quis liberet?

III. Dicere, ut nonnulli Romanæ Curiæ assentatores dicunt, Chrysostomum ad Innocentium provocasse, Tolerandus utcunque error esset: sed dicere, ut Bellarminus dicit, provocationem hanc ex Epistolis Chrysostomi ad Innocentium colligi, intolerandus error est, qui perspicuæ fraudi & imposturæ superstruitur.

IV. Quibus ex verbis Bellarminus Chrysostomum ad Innocentium provocasse colligeret, frustra & inutiliter colligeret. Nempè Chrysostomus Epistolam, ex cujus verbis id colligeret, eandem ad Venerium Mediolanensem Episcopum & ad Chromatium Aquileiensem Episcopum misit, ut Chrysostomus ipse apud Palladium in Dialogi de vita illius capite II. significat hoc modo: *Scripsimus & ista ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquilegiensem.* Id jam observavimus in Epistola ad Paulum Ratuynum Parisiensem Theologum, ubi materiam istam latè persequimur. Sic igitur Chrysostomus, ut ad Innocentium, ita & ad Venerium & 37
Chromatium appellasset. Quò fit, ut quæ prærogativa dignitatis ex Chrysostomi ad Innocentium provocatione colligitur, eadem ex ejusdem Chrysostomi ad Venerium & Chromatium provocatione colligatur: Scilicet & Innocentium & Venerium & Chromatium simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscerent. *Spectatum admissi risum teneatis?*

V. Chrysostomus & Innocentius conjunctis operis argumentum firmum suppeditant, quo probatur, auctoritatem in universali Concilio quàm in Sede Apostolica majorem residere, & Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse infra Ecclesiam universam & Concilium generale, ità ut summum in terris supra se judicium agnoscat. Id validissimè confirmat Siricius, in cujus Schola educatus fuerat Innocentius, qui illi post Anastasium sedentem annis tantùm quatuor successit. Sic autem Siricius ad Anysium Thessalonicensem & cæteros Illyrici Episcopos scribit: *Accepi literas vestras de Bonoso, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Thessalonicensi Episcopo de ejus factis vel cognoscerent, advertimus,* QUOD NOBIS JUDICANDI FORMA COMPETERE NON POSSET. NAM SI INTEGRA ESSET HODIE SYNODUS, RECTE DE IIS, QUÆ COMPREHENDIT VESTRORUM SCRIPTORUM SERIES, DECERNEREMUS: VESTRUM EST IGITUR, QUI HOC RECEPISTIS JUDICIUM, SENTENTIAM FERRE DE OMNIBUS, NEC REFU- 38
GIENDI, VEL ELABENDI, VEL ACCUSATORIBUS,

VEL

VEL ACCUSATO COPIAM DARE. VICEM ENIM SYNODI RECEPISTIS, QUOS AD EXAMINANDUM SYNODUS ELEGIT. Et quibusdam interpositis: IDEO PRIMUM EST, UT II JUDICENT, QUIBUS JUDICANDI FACULTAS EST DATA. VOS ENIM TOTIUS, UT SCRIPSIMUS, SYNODI VICE DECERNITIS, NOS QUASI EX SYNODI AUCTORITATE JUDICARE NON CONVENIT. Deinde sic concludit Epistolam: *Legimus etiam & omnia percurrimus vel de eo, quod fratri nostro & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Sinecio, vel de cæteris,* UNDE VESTRÆ NORMAM EXPECTAMUS SENTENTIÆ, ut ad eam videlicet se componat. Siricius in hac Epistola non solùm Capuensi Concilio inferiorem se significat, sed etiam Episcopis judicibus, quos Capuense Concilium delegaverat, quippe qui vice Synodi judicare deberent.

VI. Gelasius humani passus est aliquid, cùm ut Sedem Apostolicam sine Synodo damnatos absolvisse Episcopos confirmaret, Athanasium in exemplum adduxit. Julius in Epistola ad Orientales contrarium testatur: *Verùm in hoc ipsa justa & rationabilis causa est, Dilectissimi, quam vobis intimandam puto. Nam tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem nolui omnes scribere, ne à multis onerarentur. Certè ad constitutum tempus convenerunt Episcopi, & ejus sententiæ fuere, quam vobis iterum significo. Quapropter, Dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere tamen me communem omnium sententiam vos scire volo. Hæc quidem à nobis adversus non æquas*
39 *vestrorum hominum, sed injustas & suspectas cavillationes dicta sunto. Quod autem non temerè nec injustè susceperim in communionem Coepiscopos nostros Athanasium & Marcellum, etiamsi priùs dicta sufficiant, brevibus tamen ratio vobis istarum rerum demonstranda est.* Athanasius postquam Apologiæ suæ II. Epistolam hanc attulit, subnectit: *Hæc cùm Romæ Synodus per Julium Romanum Episcopum scripsisset, improba iterum audacia Eusebiani in Ecclesiis perturbandis, insidiisque tendendis usi sunt.* Locutio hæc, *Romana Synodus per Julium scripsit*, cùm apud Athanasium similis sit huic, *Julius per Archidamum & Philoxenum Sardicensi Concilio subscripsit*, à Bellarmino nunquam adhibebitur, ut Julius supra Concilium asseratur.

VII. Italiæ Concilium in Epistola V. sic inscripta, *Imperatori Theodosio Ambrosius, & cæteri Episcopi Italiæ*, majorum morem, quem Gelasius appellat, nec ita probè tenet, his verbis exponit, paullo post initium: *Quanta nuper confusio facta est, explicari non potest. Scripseramus dudum, ut quoniam Antiochena civitas duos haberet Episcopos, Paulinum atque Meletium, quos fidei concinere putabamus, aut inter ipsos pax & concordia salvo ordine Ecclesiastico conveniret, aut certè si quis eorum altero superstite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum superstite altero gigneretur. At nunc Meletio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse consortia, quæ à minoribus inoffensè ducta testantur, contra fas atque Ecclesiasticum ordinem, in locum Meletii, non tam subrogatus, quàm superpositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione & con-*
40 *silio Nectarii, cujus ordinatio quem ordinem habuerit, non videmus. Namque in Concilio nuper cùm Maximus Episcopus,* (quem Constantinopolitana Synodus deposuerat) *Alexandrinæ Ecclesiæ communionem manere secum lectis Petri sanctæ memoriæ viri literis prodidisset, ejúsque intra privatas ædes, quia Ariani Basilicas adhuc tenebant, secretum esse, mandatoribus Episcopis ordinantibus, dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, beatissime Principum, in quo de Episcopatu ejus* (Maximi) *dubitare possemus, cùm vim sibi repugnanti, à plerisque etiam de populo & Clero testatus esset illatam. Tamen ne absentibus partibus præsumptè aliquid definisse videremur, Clementiam tuam datis literis putavimus instruendam, ut ei consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordiæ: Quia reverà advertebamus Gregorium* (Nazianzenum) *nequaquam secundùm traditionem Patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi Sacerdotium vindicare. Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. Adeo ipso tempore qui generale Concilium declinaverunt, Constantinopolique gessisse dicuntur. Nam cùm cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more majorum; sicut & sanctæ memoriæ Athanasius & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Romanæ Ecclesiæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur. Cùm enim sicut diximus experiri vellet adversum eos, qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis, sed* 41
consortium tamen debuit esse communis arbitrii. Postremò priùs constare oportuit, utrum huic abrogandum, quàm alii conferendum sacerdotium videretur ab his præsertim, à quibus se Maximus vel destitutum, vel appetitum injuria querebatur. Itaque cùm Maximum Episcopum receperunt in communionem nostra consortia, quoniam eum à Catholicis constiterit Episcopis ordinatum, nec ab Episcopatus Constantinopolitani putavimus petitione removendum; cujus allegationem præsentibus partibus æstimavimus esse pendendam. Nectarium autem cùm nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus: Præsertim cùm ab iisdem Nectarius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quedam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrûm Orientaliúmque Concilium. Neque enim indignum videtur, Auguste, ut Romanæ Ecclesiæ antistitis, finitimorúmque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholii Episcopi ita expectandum esse putaverunt judicium, ut de Occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent. In Jacobi Sirmondi V. Cl. Appendice ad Codicem Theodosianum, Gelasius Romani Concilii Patribus cùm non planè concordet, Gelasio fides adhibenda est minor, quàm illis Patribus, qui & plures sunt, & per ætatem ad Athanasium propiùs accedunt. Tunc igitur, qui apud Orientales vexaban- 42
tur, non solùm ad Romanum, sed etiam ad Italiæ & Occidentis Episcopos confugiebant, & appellabant. Ad Romanum confugiebant Episcopum & appellabant, non ut ipse solus judicaret, sed ut Italiæ & Occidentis Episcopos convocaret, aut convocari curaret, qui postea cum ipso judicarent. Hæc est temporis, in quo versamur, disciplina, hæc præscriptio, quam Bellarminus vel nesciit, vel sine fuco repræsentare noluit. Dubitari tamen meritò non potest, quin apud pios atque eruditos homines veritas Sedi Apostolicæ venerationem & amorem conciliet; falsitas verò, quia nihil est à Christiana religione alienius, contemptionem & odium. Per veritatem Christiana religio à sectis omnibus distinguitur & constituitur. Per falsitatem cum sectis aliis conveniret, & Christiana desineret esse religio. Instituta vetera, crede mihi, recentibus metienda non sunt. Sua est unicuique ætati disciplinæ ratio. Romanus Pontifex etiamsi aliquando solus olim appellabatur, vel oppressus quis ad eum confugiebat solum, is tamen solus appellantem vel confugientem minimè judicabat. Habebatur Synodus: in ea appellationis libelli aut confugii rationes examinabantur; causa disceptabatur tota, & communi Episcoporum judicio dirimebatur. Hinc accidit, ut ex appellatione hujusmodi argumentum nullum quæri possit, quo Bellarmini placita comprobentur; alioqui non unus tantùm, sed &

alii

alii Synodi Pontifices sacris eximerentur Canonibus, & supra Ecclesiam universam, & generale Concilium
43 evehererentur, quod non dictu solùm, sed cogitatu etiam absurdissimum est. Hæ & similes intolerandæ complexiones te non fugiunt, qui & appositè disputare nosti, & rerum antiquarum tam editos, quam manuscriptos in Victorina Bibliotheca Codices pervolutare & meditari non cessas. Quod ego pluribus, tu paucis comprehendisti, cùm nuper solerti & grata brevitate dicebas: Ecclesiasticæ appellationes Romanæ Ecclesiæ primatum asserunt, Romanum Pontificem supra Ecclesiam, & Concilium generale non attollunt. Quinetiam utrique faciunt obnoxium, cum sacris Ecclesiæ & Sardicensis Concilii Canonibus innitantur. Bellarminus longiùs quàm par fuit, Curiæ vitio processit, nec illis se Romanæ Ecclesiæ traditionis finibus continuit, quibus nos contineri oportet. Res tuas tibi reddo, ita tamen, ut iis privari nolim, κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Idibus Novembris, anno M. DC. LXIV.

Joannes Launoius

JACOBO BEVILAQUÆ

Parisiensi Theologo.

1 MIRARI te dicis, quòd Bellarminus Oecumenicarum Synodorum confirmationem adhibeat, ut probet, *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Aucturis hujus lemma purum putum est, nequis credat illi rem adeò absurdam imponi. Non miraberis ampliùs, si pro singulari ingenii vi, & perspicacitate, quæ tibi innata atque insita est, tecum ipse reputes, honesta, vera, & legitima semper defuisse præsidia, quibus bona causa oppugnetur & mala defendatur. Si secus accidit, id artificis, non artis vitio tribuendum est. Ab hoc liber ac immunis & tibi & mihi videtur non esse Bellarminus, cùm in libri II. de Conciliis capite XVII. sic disputat: *Probatur quintò ex approbatione & reprobatione Conciliorum. Nam omnia revocantur ad examen Romani Pontificis, & quæ ille probat, recipiuntur, & quæ improbat, rejiciuntur, ut testatur Gelasius in eadem Epistola ad Episcopos Dardaniæ.*

I. Bellarminus Gelasii verba non refert, quæ tamen in re tanti ponderis referenda erant. Sed simia semper erit simia, ut vulgò dicitur. Hic auctor, dum maximè de Romani Pontificis auctoritate tractat, referre non solet Patrum testimonia, quæ placitis suis ad plenum & perfectum minimè respondent. Ubinam, quæso,
2 scribit Gelasius, Nicænum Concilium ad Silvestri Papæ I. examen revocatum esse? Quasi verò Silvester Nicænum sic examinasset Concilium, ut editum ab eo Symbolum potuisset vel totum, vel partem illius abrogare? Quasi verò penes unum Pontificem hunc omnis Christiana constitisset religio, quam trecenti decem & octo Patres asseruerant?

Ubinam Gelasius scribit, ad examen Silvestri revocatos esse Nicæni Concilii Canones, de quibus Julius Silvestri post Marcum successor ita scribit ad Orientales? *Id verò ad Synodi, ad Episcoporum, qui in Synodo fuere, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & cura veluti Deo præsente egissent, à nobis ut vana futiliáque abrogarentur:* De quibus Innocentius I. sic loquitur, Constantinopolitanis Clericis scribens: *Nos quantum ad Canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt, quibus solis obtemperare & suum suffragium addere Catholica Ecclesia debet:* De quibus tum demum Leo I. in Epistola LIV. ad Marcianum Imperatorem pronunciat, quòd ad *totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente conditi fuerint.* Quasi verò Silvester ad suos illa exegisset calculos, quæ Nicæna Synodus, Deo præsente, spiritu Dei instruente, sanxerat ad publicam Ecclesiæ utilitatem. Quinimo ad suos sic exegisset calculos, ut pro arbitrio divinis sanctionibus auctoritatem detraxisset omnem. Nec Silvestro jure dici potuisset: Cur ita facis! Quià Bellarmino judice, *Silvester simpliciter & absolutè est supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Tantùm ne confusionis & perversitatis? tantùm. Huc tamen spe- 3
ctat Bellarmini propositio hæc: *Ad Romani Pontificis examen revocantur Concilia.* In quorum exemplum, quia nobis licet, Nicænum assumimus. Sed aliò spectat Gelasius, qui Bellarmini causam, assentationem intolerabilem nihil adjuvat. Cùm de generalibus Conciliis sermonem instituit, hæc ad Romani Pontificis examen revocata esse non dicit. Dardaniæ Episcopos, qui Acacium nonnisi in Synodo damnari posse contendebant, sic alloquitur: *Quapropter stultitiam respuentes inanium querelarum percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis, & considerare prudenter: Quoniam Patres nostri Catholici, doctique Pontifices in unaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apostolica secundùm Scripturarum tramitem, prædicationémque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmúmque constare, nec in eadem causa denuo, quæ præfixa fuerant, retractari qualibet recenti præsumptione permiserint, sapientissimè prævidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque pravos errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, & semper iisdem furoribus recidivis omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel Synodalium regularum non cessant elisæ pestes, resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere, quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire Concilium, cùm quamlibet illis manifesta sit veritas, nunquam desit, quod perniciosa deprimat & falsitas, tametsi ratione vel auctoritate deficiens,* 4
sola tamen contentione non cedens: Quæ majores nostri divina inspiratione cernentes necessariè præcaverunt, ut quod contra unamquamque hæresim coacta Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent posthac novis retractationibus mutilari, ne pravis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: Sed auctore cujuslibet insaniæ ac pariter errore damnato sufficere judicarunt, ut quisquis aliquando hujus erroris communicator existeret, principali sententia damnationis ejus esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet, vel professione sua, vel communione posset agnosci: & ut priora taceamus, quæ diligens inquisitor facilè poterit vestigare, Sabellium damnavit Synodus, nec ut sectatores ejus postea damnarentur, necesse fuit singulas viritim Synodos celebrari, sed pro tenore constitu-

tionis

tionis antiqua cunctos qui vel privitatis illius vel communionis extitere participes, universalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic propter blasphemias Arii forma fidei communionisque Catholica Nicano prolata conventu, Arianos omnes vel quisquis in hanc pestem sive consensu sive communione deciderit, sine retractatione conclusit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium Synodus semel gesta condemnans, ulteriùs ad nova Concilia venire non sinit: Sed universos quocumque modo in hac consortia recidentes, tradito sibi limite Synodali refrenavit Ecclesia: Nec unquam rectè cessisse manifestam est, quamlibet necessitate cogente novis ausibus, qua fuerant salubriter constituta temerasse. Propterea in tempestate quoque persecutionis Ari- 5 *ana plurimi Catholici sacerdotes de exiliis, pace reddita respirantes, sic cum Catholicis nihilominus fratribus Ecclesias composuere turbatas, ut non tamen illius Synodi Nicana quidquid de fide & communione Catholica & Apostolica definitas, immutarent, nec nova quanquam prolapsum damnatione percellerent: Sed illius tenore decreti, nisi respuissent, censerent esse damnatos. Quibus convenienter ut dictum est, ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quòd universalis Ecclesia probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem pra cateris oportere, quàm primam; qua & unamquamque Synodum auctoritate sua confirmat, & continuata moderatione custodit pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper, & retinet.*

Et primò quidem dicit: *Quidquid Catholici Patres doctique Pontifices pro fide, pro veritate, pro communione Catholica, secundùm Scripturarum tramitem, pradicationémque majorum facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt deinceps, firmúmque constare.* Sed non adjicit, si modò Romanus illud Pontifex approbaverit. Adjicere tamen debuit, ut Bellarmini placitum fulciret. Non adjecit tamen, quia nulla fuit adjiciendi ex more veterique instituto majorum necessitas.

Deinde hoc ipsum confirmat Gelasius, dum ait: *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem, pra cateris oportere, quàm primam.* Hic ut uniuscujusque Sy-
6 nodi constitutum executioni mandetur, non Romani Pontificis nominatim, sed universalis Ecclesiæ assensum postulat. Quinetiam ut uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, executioni mandetur, non Romani magis, quàm cæterorum Pontificum approbatio requiritur, si comparatio, quam inter primam & alias Sedes facit Gelasius, diligenter attendatur.

Denique qua in re putet Romani Pontificis confirmationem versari, significat cùm ait: *Prima Sedes unamquamque Synodum auctoritate sua confirmat, & continuata moderatione custodit.* Igitur prima Sedes confirmat Synodum & Synodi Canones, dum illos continuata moderatione custodit, & ab aliis custodiendos esse suo exemplo docet. Et quod mireris, huc primæ Sedis principatum revocat, quem beatus Petrus Domini voce percepit.

II. Gelasius in reliqua Epistola de Episcoporum judiciis agit, quæ prima Sedes, ex auctoritate Canonum retractare, discutere, atque examinare potest. Res hæc ad jus appellationum pertinet, quod Bellarmini placitis inservire non posse probavimus in Epistola ad Jacobum Boetium: quapropter ne actum agamus, hic de appellationum jure agere supersedemus.

III. Omittere tamen non possum, quæ Bellarminum, vel eos, qui Bellarmino excerpta è Gelasio testimonia subministrarunt, in errorem induxere. Sunt autem ista: Acacius *satis de seipso judicium, condemnati hominis communione pollutus, damnationis ejus factus est particeps; ita & Sedes Apostolica, quod ad necessariam diligen-*
7 *tiam respiceret, nil omisit, & Acacius secundùm formam Synodi Calchedonensis, qua error, cui communicavit, elisus est, sicut de heretico homine scriptum est, suo judicio condemnatus apparuit, justéque Sedes Apostolica, qua utique se Alexandrinum Petrum damnasse, non etiam solvisse memorat, ne per Acacii pristinam communionem Petri quoque Collegium, cui Acacius communicaverat, incideret, ipsum competenter Acacium à sua communione submovit. Quapropter utrum errori vel pravaricationi communicaverit Acacius, quid opus erat nova discussione cognoscere, cùm jam literis suis esset ipse confessus, ac sicut scriptum est, ore tuo justificaberis & ore tuo condemnaberis, verborum suorum vinculis & reus teneretur, & jure plectendus? Cur ipse in nova causa, quam Synodus nulla præcesserat, Joannem, quem suis literis impetebat, qualemcumque secunda Sedis Episcopum, in prima Sedis Petri Apostoli judicio confutare despexit, & ut causam diceret, seu per se, seu per alium venire vel destinare contempsit, indignum habeas cujuslibet civitatis antistes ad prima Sedis venire judicium, ad quod secunda Sedis cerneret venisse Pontificem, quod Anatolius Constantinopolitana urbis Episcopus missis legationibus pro sua persona fecisse monstratur? Ecce etiam in hac parte vocem non habent conquerentes: Ecce, inquam, ad legitimum est vocatus examen, ubi vel suas partes justis allegationibus defensaret, si ille Apostolica Sedis refugit examen in Joannis Catholici Pontificis negotio vestigando, quemadmodum Sedes Apostolica de receptione Petri haretici sua auctoritate resoluti Acacii suras secutura judicium? An Sedem Apostolicam congruebat paracia Heracliensis, id est, Constantinopolitani Pon-* 8 *tificis vel quorumlibet aliorum, qui cum eodem vel propter eum fuerant congregandi, judicium præstolari? Cùm Apostolicam ejusdem prima Sedis audientiam Constantinopolitanus Episcopus declinaret, qui utique etiamsi Metropolitani esset jure suffultus, etiamsi inter Sedes haberet locum, prima tamen Sedis cognitionem fas non habuit refutandi, ad quam secundùm Canones appellante secunda Sedis antistite vocabatur ad nostrorum causam. Hoc ipso satis ostendit, reum se esse confessum, qui ad legitimum judicium postulatus adesse contempsit, nec poterat ultra differri, ne sicut dictum est, antiqua illius communione durante, cùm sese jam sociasset externa, Sedes quoque Apostolica per eum pollueretur contagiis perfidorum, dignúmque esset vel prævaricatorem vel contemptorem judicii competentis, manifestissimè scilicet de suo negotio desperantem, à Catholica atque Apostolica integritate & communione secludi. Hîc si examinatio quæritur, jam judicio non erat opus, posteaquam & literis suis ipse confessus est, & ad legitimum judicium vocatus adire pertimuit: si auctoritatis pondus inquiritur, Calchedonensis Synodi tenor cum Apostolica Sede consentiens, & illius definitionis executio, reperitur condemnati illic erroris communicator effectus, præfixa nihilominus ibidem particeps damnationis apparuit. Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prava communionis effecto, & execrationem sui gestat & pænam.* Operæ pretium fuit plura describere, ut hinc appareret certa quædam verborum complexio, quæ Bellarmino, vel illius administris negligenter legentibus imposuit; hinc continuò habe- 9 retur, unde error istiusmodi facilè dignoscatur. Bellarminus vel illius administri verba hæc, *novam cognoscendi discussionem, ad legitimum vocari examen, ad legitimum judicium postulari*, & alia id genus ad Conciliorum approbationem perinde transferunt, ac si Gelasius per ea de Concilii Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, & Calchedonensis approbatione tractaret. Quæ negligentia? Quæ ἀβλεψία? Et tamen Gelasius hoc agere debuit, vel nihil egit, quod Bellarmini proposito serviret. At totus quantus est Gelasii contextus aliò tendit, ad Ecclesiasticas videlicet causas & disceptationes, quarum judicium juxta Canones Sedi Apostolicæ defertur. Hos Gelasius proponit, ut & Calchedonensem Synodum, cujus ad formam seu normam omnia dirigantur.

Bellarminus pergit: *Et quidem quod ad petitionem*

Conciliorum

Conciliorum approbaverit Pontifex multa Concilia, patet ex gestis ipsis Conciliorum, præcipuè I. II. III. IV. *&* VI. Bellarminus hoc in loco, si usquam, literis, otio, & patientia lectorum suorum abutitur. Nam si res generatim & in aversione sumatur, incertum, immò falsum est id, quod auctor scribit, & tamen is ita scribit, quasi quidquid illud sit, veritate summa niteretur, & certo esset certius. Sed unumquodque Concilium sigillatim expendendum est, ne cum Bellarmini fucum detegimus, nos ipsi fucum facere videamur. I. gratis & sine auctorum æqualium suppariorum testimonio dicitur, Nicænam Synodum actorum suorum confirmationem à Silvestro petiisse, & Silvestrum eam confirmationem dedisse, quomodo Bellarminus & petitam & datam esse contendit.

10 Eusebius in libri III. de vita Constantini capite VII. scribit, Silvestri Legatos Nicænæ Synodo adfuisse: *Et quanquam urbis illius, penes quam Imperium est, Episcopus, ingravescente ætate præpeditus abfuit, ejus tamen Presbyteri qui aderant, illius locum suppleverunt:* sed Nicænam Synodum actorum suorum confirmationem à Silvestro petiisse, & Silvestrum eam dedisse non scribit; scripturus sine dubio, cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd illud ad integram Synodi historiam spectaret: nec opinor ibit inficias, qui Eusebii diligentiam consideraverit.

Julius Silvestri æqualis, & rerum ab illo gestarum inspector vigilantissimus, meminit quidem Silvestri Legatos Synodo interfuisse, sed Synodum gestorum suorum confirmationem à Silvestro petiisse, & Silvestrum illam dedisse non meminit. Pontificis hujus verba sunt apud Athanasium in Epistola ad Orientales: *De Marcello autem postquam de illo quoque ut impio in Christum perscripsistis nobis, studui significare, eum cùm huc venisset, affirmasse falsa esse, quæ de se in literis vestris scripta essent; sed tamen cùm à nobis postularetur, ut de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, ut nemo non perciperet, eum nihil à veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate, qua Ecclesia de Domino & Salvatore nostro sentire, neque jam tantummodo, sed etiam olim hujus sententiæ se fuisse confirmabat, uti & nostri Presbyteri, qui nunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur.* Quis quæso hîc Julium dissimulasse crederet, quod propter Sedis Apostolicæ dignitatem & jus summum dissimu-
11 landum minimè fuit? Nicænam videlicet Synodum gestorum suorum approbationem à Silvestro petiisse, & Silvestrum eam dedisse.

Liberius Julii successor in Epistola ad Constantium scribit de Nicæna Synodo: *Hæc in cætu Episcoporum diligenter facit omni cum consideratione testari, ut pacatis per te Deo favente temporibus tranquillitate una consentiente sic omnia discutiantur, ut quæ fuerint judicio Sacerdotum Dei confirmata, cùm constiterit omnes in expositione fidei, quæ inter tantos Episcopos apud Nicæam præsente sanctæ memoriæ Patre tuo confirmata est, universos consensisse, cum exemplo possent imposterum custodiri.* Nonne Nicænæ fidei defensor strenuus addidisset: Magnos illos Episcopos etiam curasse, ut decessor Silvester acta Synodi approbaret, si hoc magni illi Episcopi curassent? Oblitus-ne id esset Pontifex, qui hæc ipsa in Epistola profitetur: *Secutus morem ordinémque majorum, nihil addidi Episcopatui urbis Romæ, nihil minus passus sum?*

Tum in Dialogo inter ipsum & Constantium habito, ubi Eusebio Eunucho sic respondet: *Sed tu non minus temerè hominem* (Athanasium) *condemnas, de quo nullum factum est judicium. At ego primùm generalem fieri posco subscriptionem, quæ fides apud Nicæam exposita confirmetur:* Addidisset, non exposita modò, sed & postulantibus Nicænis Patribus Romæ a Silvestro decessore meo approbata, si tum demum aprobata hoc pacto fuisset. Addidisset, inquam, quia eum decuisset addere, quem Imperator in principio Dialogi Romanæ civitatis suæ Episcopum appellat: *Constantius Imperator dixit. Nos quoniam Christianus es, & nostræ civitatis Episcopus faciendum duximus, ut accitum te moneremus,* 12
ut nefariæ impii Athanasii dementiæ communionem repudies: Deinde, quia, ut in Epistola VII. ad Orientales dicit, *Ego Athanasium non defendi, sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius decessor meus, verebar, ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer,* sic & dicere poterat, Quia bonæ memoriæ Silvester decessor quoque meus Nicænum Concilium singulariter approbaverat, verebar, ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer. Hoc autem non dixit, quia verè dicere non potuit.

Hilarius Pictaviensis Episcopus in libro contra Constantium, semel, iterum, tertiò, & quartò de Nicæna Synodo loquitur, nec usquam innuit Patres à Silvestro confirmationem actorum suorum quæsivisse, vel Silvestrum illam concessisse. Semel quidem: *Ac ne me,* ait, *iniquum voluntatis suæ judicem arguas, quid tibi in eadem Nicænorum fide displiceat, renunciabo. Minimè fallit illud, quod tuum est: Patres generatum esse ex patre filium dixerunt, Deum de Deo, totum de toto, unum de uno, perfectum à perfecto, Regem de Rege, inconvertibilis Divinitatis, essentiæque virtutis & gloriæ incommutabilem imaginem. His quidem ego intra Nicæam scripta à Patribus fide fundatus maneo, quæ non ego, sed tamen hæc in emendando rescindis.* Addidisset: his quidem ego intra Nicæam scripta à Patribus fide & Romæ confirmata à frequenti Concilio, cui præerat Silvester, fundatus maneo. Iterum verò: *Non calumniamur de rescissis, de quibus magis post Nicænam Synodum institutis conquerimur:* addidisset, post Nicænam Synodum, quæ & Romæ ab Episcoporum Concilio ap- 13
probata fuit. Tertiò, *Taces cur nostra apud Nicæam à Patribus gesta rescindis:* Addidisset, quæ gesta Romæ & aliud Episcoporum Concilium approbavit. Denique, *Anathema tibi trecenti decem & octo convenientes apud Nicæam Episcopi sunt, anathema deinde omnes, qui variis exinde expositionibus affuerunt:* Addidisset, anathema tibi Silvester & cæteri antistites, qui Romæ ad Nicæni Concilii petitionem acta illius confirmarunt. At Hilarius nihil eorum addidit, quia sine mendacio addere non potuit.

Athanasius de Nicæna Synodo passim loquitur, nec de Bellarmini lemmate mentionem ullam injicit; injecturus omnino, si quod Bellarminus contigisse vult, verè contigisset, quia in auctoris hujus sensu ad majorem Synodi gloriam & dignitatem contigisset. Athanasii verba adscribamus.

Ex disputatione contra Arianos: *Siquidem illi præter mentem Constantii Imperatoris humani & pii pro libidine, quæ volunt, promulgant, & faciunt ea, quæ libet, & in faciendo utuntur magna vafricie, duabus præsertim de causis, ut mihi quidem videtur, quarum una est, ut vobis subscribentibus infamiam Arianici nominis interquiescere faciant, nec interim ipsi sentiantur Arianicè sapere: Altera verò causa est, ut ista scribendo obliterent Nicænum Concilium, fidémque inibi contra Arianos editam: Sed hoc ipsum inprimis eorum malitiam, & dissidentes ab Ecclesia orthodoxa opiniones redarguit. Si enim rectè crederent, contenti essent fide Nicæna ab universo orbis Concilio promulgata.* Non adjicit, & à Silvestro confirmata, quod adjicere & potuit & debuit, 14
si ut & quomodo Bellarminus putat, confirmata esset. Et quibusdam interpositis: *Igitur denuncio vobis, ut quisque caveat, ne ab illis decipiatur, aut furtum sui patiatur, sed potiùs ac si Judaica impietas Christianam fidem invaderet, Zelum Domini zelate, retenta Patrum fide, quam Patres, qui Nicææ convenerant, scripto professi sunt.* Non adjicit, & cum primis Silvester, qui approbando Synodum privatis literis fidem hanc professus est, quod adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester Synodum approbavit.

Ex disputatione II. contra eosdem Arianos: *Fingentes sibi eum qui non est, ad id quod nihil est, reciderunt.*

Ideo quoque universale totius orbis Concilium Arium ista loquentem ejecit ab Ecclesia. Non adjicit, & confirmatum à Silvestro; quod adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, à Silvestro confirmatum fuisset.

Ex Epistola de Nicænæ Synodi contra hæresim Arianam decretis: *In id studio incumbant, ut cognitu sis, quorum priùs ignari fuere, impias aures suas lavacro veritatis, & pietatis dogmatibus abluant: Ita enim in Nicæna Synodo, cum Eusebio, ejúsque gregalibus actum est, cùm principio in hæresi sua contumaces in Deum bella pugnásque meditarentur. Nam quæ ab illis proferebantur, hæresis impietate scatebant. Episcopi contrà, qui convenerant (erant autem illi plus minus trecenti) placidè & humaniter postulabant, ut suorum dictorum rationem redderent.* Non adjicit, Silvestrum Episcoporum plus minus trecentorum sententiam approbasse; quod adjicere
15 & potuit, & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester Episcoporum sententiam per literas approbasset. Et post alia sub finem: *Verbum porro æternaliter esse cum Patre, neque alterius essentia aut substantiæ, Patrisque sui proprium filium, ut sancitum est ab illis, qui Synodo interfuerunt, licebit denuo ex laborioso illo Origene audire.* Non adjicit, Synodum hanc à Silvestro confirmatam esse: Quod adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester illam confirmasset.

Ex Epistola ad Solitarios: *Patres orbis Concilio coacto, congregatisque plus minùs trecentis Episcopis, Arianam hæresim condemnarunt; ostenderúntque eam alienam peregrinámque esse ab Ecclesiastica fide.* Non adjicit; quod & postea ad Concilii postulationem Silvester approbavit: Id autem adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester acta Concilii approbavit. Et nonnullis interjectis: *Iste verò, quoniam omnes hæresim fugiunt, & sana fides in Christum confessionibus celebratur, Synodum plusquam trecentorum Episcoporum abrogat*: non adjicit: Quam Synodum Silvester approbavit; adjicere tamen & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester Synodum approbasset.

Ex libro de Synodis Arimini & Seleuciæ: *Atque ea causa fuit, cur universus orbis in Concilium coiret, ut eodem die ubi festum celebraretur, & hæresis, quæ suppullulaverat, anathemate percuteretur, quod & factum est.* Non adjicit, & à Silvestro confirmatum, quod tamen adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, id evenisset. Infrà: *Adversus Nicæ-*
16 *nam Synodum contendentes multas Synodos instituerunt*: Non adjicit, etiamsi Silvester Papa Synodum illam approbasset. Quod tamen adjicere & potuit & debuit; si ut & quomodo Bellarminus putat, approbasset: Sic enim quos odiosos reddere vult, odiosiores adhuc reddidisset. Et paullò pòst: *Ut perspicere possitis non sine admiratione, qua de causa adversus orbis terrarum Concilium & Patres suos contentiosus Arius ipsiúsque sectatores remittere sese nolint.* Non adjicit, inter eos Patres numerandum esse Silvestrum Papam, qui postulante Concilio Concilium approbavit. Id tamen adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, approbasset. Et post alia: *Eusebiani certè in Nicæno conventu ab Ecclesia ejecti.* Non adjicit, ejectionem hanc tunc à Silvestro confirmatam esse, cùm ipse & Concilium & acta Concilii confirmavit: Quod tamen adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester Concilium Nicænum confirmasset. Et post alia: *Multitudo porro Conciliorum & diversitas scriptorum judicium de se præbet, eos, qui in illis Conciliis congregati fuere adversus Nicænam quidem Synodum bellum gerere.* Non adjicit, tametsi Synodum hanc Silvester approbasset: Quod tamen adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester id fecisset. Et paullò pòst: *Non vulgares homines sunt, sed Episcopi, qui ad id ex toto orbe convenerunt.* Non adjicit, inter eos Episcopos fuisse Legatos Silvestri Papæ, à quo præterea Concilium approbatum est. Id tamen adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, à Silvestro Concilium sic approbatum esset.

Ex Epistola ad Episcopos Africæ, de fide, *quam* 17
Christus largitus est & Apostoli prædicarunt, & Patres, qui Nicææ undiquaque ex nostro habitabili orbe convenerunt, tradidere. Non adjicit, Nicænam insuper Synodum confirmatam fuisse à Silvestro Papa, qui ut eam confirmaret, ab ipsa Synodo rogatus fuerat. Id tamen adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvester Nicænam Synodum confirmasset. Et paullò pòst: *Sufficiunt igitur ea, quæ Nicææ confessa fuere, satisque per se habent virium, quemadmodum superiùs diximus, tum ad subversionem impii dogmatis, tum ad tutelam utilitatémque Ecclesiasticæ doctrinæ.* Non adjicit, ad Concilium accessisse confirmationem Silvestri Papæ, quam Concilii Patres expetierant. Id tamen adjicere & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus putat, Silvestri confirmatio accessisset. Et paullò pòst: *Oecumenica Synodus Nicææ celebrata fuit à trecentis septemdecim Episcopis, ut de fide agerent, convenientibus: Idque ob Arianicam impietatem, quo caveretur, ne deinceps particulatim cavillationes fidei orirentur, aut si ortæ fuissent, ne auctoritatem haberent. Quid enim in eo Concilio defuit, ut novam aliquam Synodum requiram? Plenum enim est illud Concilium pietatis, Dilectissimi, & universum jam orbem terrarum adimplevit.* Non adjicit, quod, si uspiam, hìc adjiciendum fuit, Silvestrum Concilio extremam manum addidisse, cùm exigentibus per literas Patribus Silvester Concilium per literas quoque approbasset. Id autem adjicere profectò & potuit & debuit, si ut & quomodo Bellarminus asserit, Silvester Concilium approbasset. Sic Athanasii
silentium usque adeò contumax, palam eloquitur falsis- 18
simum id esse, quod Bellarminus sibi sumit. Quinetiam in legitimis Athanasii scriptis, ne Silvestri quidem Papæ nomen legitur, tantum abest, ut Athanasius Silvestro tribuat, quod illi Bellarminus tribuit.

Rufinus in libro 1. aliàs x. historiæ Nicænæ Synodi res gestas diligenter, ut omnes consentiunt, persequitur, & tamen non observat, Synodum hanc à Silvestro confirmationem sui petiisse, aut Silvestrum confirmationem illam, qualem Bellarminus statuit, dedisse.

Si quo modo & fine Bellarminus sibi proponit, Silvester Nicæni Concilii acta ad se à Patribus missa confirmasset, Siricius post annos LXIV. ad Anysium & alios Illyrici antistites nunquam ita scripsisset: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.* Et paullò pòst: *Ideo primum est ut ii judicent quibus judi-*
candi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Sy- 19
nodi vice decernitis, nos quasi ex Synodo auctoritate judicare non convenit. In Romana Collectione bipartita. Post annos LXIV. notavi, quòd à Silvestri tempore ad Siricium usque imminuta non sit Romani antistitis potestas. Quidquid in causa, fingi atque excogitari nihil potest quicquam, quod à proposita Bellarmini ratione magis abhorreat, quàm ingenua Siricii confessio.

Leo primus in Epistola VII. ad Theodosium Imperatorem de Nicænæ Synodi decretis; in Epistola IX. ad eun-

eundem Theodosium de venerandis Nicænæ Synodi Patribus; in Epistola XIII. ad Pulcheriam Augustam de Niceni Concilii decretis; in Epistola XXV. de Nicænis Canonibus; in Epistola XXXIII. ad Theodosium Imperatorem de Nicæna Synodo; in Epistola XLIII. ad Martianum Imperatorem de Nicænæ Synodi constitutis; in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite II. de Nicæna Synodo, capite III. de Nicænæ Synodi legibus; in Epistolæ LIV. ad Martianum Imp. capite III. de Nicænæ Synodi decretis & sanctionibus; in Epistolæ LV. ad Pulcheriam Augustam capite II. de Nicænæ Synodi moderatione, & capite III. de Nicænæ Synodi regulis; in Epistola LXI. ad Juvenalem Hierosolymorum Episcopum de inviolabilibus Nicænæ Synodi decretis; in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum capite II. de Nicænis Canonibus, & capite III. de Nicænorum Canonum reverentia, & capite IV. de Nicænorum Canonum statutis, & capite V. de Nicænorum Patrum regulis & constitutione; in Epistola LXXV. ad Leonem Augustum de Nicæna Syno-
20 do & de Nicæna Synodi fide; in Epistola LXXVIII. ad eundem Leonem de Nicæno Concilio & de Nicænæ Synodi definitione; in Epistolæ LXXXIV. ad Anastasium Thessalon. capite II. de Sanctorum Patrum (Nicænorum) Canonibus; in Epistolæ XCVII. ad Leonem Aug. capite I. de Niceni Concilii Symbolo tam magnificè scribit, ut nihil suprà esse possit. Sed tamen nusquam significat, Nicænam Synodum actorum suorum approbationem à Silvestro petiisse, aut Silvestrum illam dedisse. Hic Pontifex sciens & prudens nunquam oblitus id esset, quod ad asserendam illam Sedi suæ dignitatem tantopere conduceret. Rem demonstrat observatio hæc apud eum, cui Leonis nomen incognitum non est. Fixum ergo ratúmque sit, Sedem Apostolicam tunc ad genus approbationis sibi non vindicasse.

Socrates & Theodoretus Leonis æquales in historiæ libro I. referunt Epistolam, quam Nicænum Concilium ad Alexandrinam Ecclesiam & ad Ægypti, Libyæ, & Pentapolis Episcopos scripsit: Cur non referrent Epistolam, quam idem Concilium ad Silvestrum scripsisset, ut ab illo rerum suarum approbationem obtineret? Tam illustre monumentum perire non sivissent, si quod tale unquam editum fuisset. Accedit, quòd Theodoreto præ manibus referendi fuerit occasio, cùm in libri I. hist. capite VII. scribit: *Trecenti decem & octo Episcopi ibi* (Nicææ) *in unum convenerant. Episcopus Romanus propter ætatem admodum ingravescentem abfuit. Verùm duos illò misit Presbyteros, potestate illis concessa, actis illius Concilii assentiendi:* nonne opportunus dicendi locus hic erat, Concilium ab Episcopo illo confirmationem actorum suorum petiisse,
21 & Episcopum dedisse, si quod Bellarminus asserit, evenisset?

Vigilius Papa decessorum suorum Julii, Liberii, Leonis silentium imitatur in Epistola X. quam ad universum scripsit populum Dei: *Sciant universi, nos illam fidem prædicare, tenere, atque defendere, quam ab Apostolis traditam, & per successores eorum inviolabiliter custoditam reverenda Nicæna Synodus* CCCXVIII: *Patrum Sancto Spiritu revelante suscipiens redegit in Symbolum, ac deinceps tres aliæ sanctæ Synodi, id est, Constantinopolitana* CL. *Patrum sub piæ memoriæ Theodosio seniore principe facta, & Ephesina prima, cui beatæ memoriæ Papa Cælestinus decessor noster & Cyrillus Alexandrinus Episcopus præsederunt: sed & Calchedonensis* DCXXX. *Patrum, quæ sub piæ memoriæ Marciano Imp. convenit, cuique sanctæ recordationis decessor noster Papa Leo per Legatos suos Vicariósque præsedit, & prout diversarum hæresum damnanda exigebat adversitas, eandem fidem uno eodémque sensu atque spiritu declarantes latissimè ediderunt.* Vigilius, ut apparet, nihil omittit eorum, quæ commendandæ Sedi suæ possunt inservire. Ephesinæ Synodi primæ præsides duos facit Cælestinum & Cyrillum, & Calchedonensis unicum Leonem per illius Vicarios. Quis modò diceret Vigilium, cùm de Nicæna Synodo loquitur, de industria omisisse, Synodum hanc à Silvestro petiisse, ut decreta sua confirmaret, & Silvestrum ad Synodum misisse diploma, quo quidquid Nicæna Synodus decreverat, confirmaret? Ingenue fateri oportet, nullum omnino ea de re tunc apud Romanos rumorem fuisse; tantùm abest, ut certa fuerit traditio.

Hinc fit, ut nisi supposita, certè interpolata haberi 22
debeat Epistola, quam Romana Synodus Felice III. præside ad Presbyteros & orthodoxos Constantinopolis & Bithyniæ Archimandritas misit: Si quidem in ea legitur: *Quotiens intra Italiam propter Ecclesiasticas causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, ut successor præsulum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum juxta sollicitudinem Ecclesiarum omnibus competentem cuncta constituat, qui caput est omnium, Domino ad beatum Petrum Apostolum dicente, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Quam vocem sequentes trecenti decem & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt: Quam utramque usque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratia præstante, custodiunt.* Postrema clausula suppositionem, aut certè interpolationem objicit. Nam si quod Nicænæ Synodo tribuitur, successiones omnes usque ad Felicis tempus custodierunt, cur Eusebius, cur Julius, cur Athanasius, cur Liberius, cur Hilarius, cur Siricius, cur Leo, cur Socrates, cur Theodoretus ante Felicem III. monumentis illud non consignarunt suis? Cur suos in usus non derivarunt? Cur Vigilius post Felicem tacuit in Sedis Apostolicæ diminutionem? Profectò si qua in hac clausula veritatis umbra reperiretur, hanc Pontifices illi omnes & laudati auctores secuti essent. Quis nisi homo contentiosissimus assensum negaret? Sed ne sit hoc, præsto est nobis Epistola, quam non
Romana Synodus, sed Felix ad Presbyteros & ad Con- 23
stantinopolis & Bithyniæ Archimandritas & Monachos scripsit.

Sic autem se habet in Jacobi Sirmondi V. Cl. Appendice ad Codicem Theodosianum. *Felix Rufino, Thalasio, Presbyteris & Archimandritis: Diabolicæ artis astutias frequentiùs experimur, sed malignitati ejus, Deo juvante, non cedimus. Nam cùm ea, quæ totiens pro constantiâ fidei disponuntur, fraus ejus vacuare molitur, necesse est, ut & viribus, quas divina gratia subministrat, conatus ipsius exstirpemus. Accepimus itaque literas Dilectionis vestræ, quarum Basilius fuit lator, inter cætera Tutus, quem ob hoc feceramus defensorem Ecclesiæ de provectioribus intra Ecclesiam Clericis, ut quam dirigi non licebat in Acacium sententiam, ipse portaret, se quadam dementia, immo ardore pecuniæ, postquam nostris satisfactum est constitutis, immemor fidei vendidisse convictus est atque confessus. Lectæ sunt enim literæ ipsius in conventu fratrum, qualiter pacta interposita persona Marone condemnato, ei cui sententiam portarat, inhæsisse creditur: Quas proprias esse cognoscens non potuit diffiteri. Unde cum fidei & Sedis Apostolicæ proditorem officio Defensoris, quod ei ad tempus dederamus, exuimus, cúmque sacrosanctis mysterii communione privatum, præcipitarique cogitatione præcepimus, monentes Dilectionem vestram, ut sicut semper fecistis, pro custodia veritatis jugi observatione vigiletis, & quia non est dubium, nonnullos ex monasteriis vestris esse deceptos, atque ad inimicos Dei seu sponte seu necessitate transisse, observandum vobis de talibus hoc esse mandamus, ut quisquis cujuslibet loci apud vos vel sponte se*
dedit, vel mercede corruptus, collegii vestri sit prorsus 24
alienus: Quia nisi à fidelibus perfidi sint remoti, rerum discretione sublata laborabunt suspicionibus innocentes. Ut ad vitia facilis hominibus est prolapsus, à probatorum consortio contagia repellenda sunt perditorum, quoniam mores bonos colloquia, sicut scriptum est, perversa corrumpunt.

Illorum verò aliter causa tractanda est, quos constiterit pœnis gravibus ut traducerentur afflictos. Circa quos humaniores vos esse convenit, ut ad cellulas sub districtione pœnitentiæ revertantur, & fidelioribus lacrymis eorum, quòd lapsi sunt, expietur, donec exclusis inimicis & pervasoribus suis Catholica purgetur Ecclesia. Hic non leguntur, quæ autè retulimus ex Epistola, quam Romana Synodus præside Felice ad eosdem scripsit: Est tamen in illa eadem Epistolæ inscriptio, sed non idem verborum contextus: Ex quo fraus deprehenditur.

Præterea, in Codice Canonum Romanæ Ecclesiæ decreta non Romanæ Synodi cui præest Felix, nomine, sed Felicis eduntur. Quam verò Epistolam suppositionis aut interpolationis accusamus, sub nomine Romanæ Synodi ad Presbyteros & Archimandritas mittitur, & hoc in fraudis partem venit. Cur enim quæso Romana Synodus cui Felix præfuit, seorsum à Felice scripsisset, & tam absurdè scripsisset, ut ex Epistolæ fragmento colligitur?

Porro autem, nequis de singulis rerum momentis, quæ Bellarmino suprà objecimus, & quæ eo in statu cordatis atque eruditis hominibus satis essent, tergiversetur, cum illo liberaliter agere volo, me meáque tantum hoc veluti juris axiomate defendo: *Multa simul juncta prosunt, quæ singula non sufficiunt.* L. Spadonem
25 §. qui jura. de excusat. tut. In ratione dubitandi. C. causam, quæ de probat. l. rationes & l. instrumenta.

Verumenimverò, inquies, Nicænæ Synodi ad Silvestrum Papam extat Epistola in Tomo 1. Conciliorum, ubi Synodus ita loquitur: *Quidquid autem constitutum in Concilio Nicæno, precamur vestro oris consortio confirmetur. Oret Beatitudo tua pro universo Concilio. Dat. 8. Calend. Jul. accepta 13. Calend. Novem. Paulino & Juliano summis Consulibus.* Extat quidem ibi Epistola, & hæc illius postrema verba, quibus Epistolæ falsitas convincitur. Et primò quidem quid sibi vult, *vestro oris consortio confirmetur?* Siccine scripserunt trecenti decem & octo Patres, Nicæna Synodus? Deinde quid etiam sibi vult, *Paulino & Juliano summis Consulibus?* Quibus in veterum commentariis epithetum illud, *summus*, Consulibus aut præponitur, aut postponitur? Epitheta hæc, *VV. CC.* Consulibus, aut *V.C.* Consule, præponuntur, sed vox *summis* vel *summo*, nunquam præponitur. Sed quod diligenter curioseque animadvertendum est, vox *summus*, inter Valerii Probi, Magnonis, & Petri Diaconi notas literarum, quibus usi sunt veteres, non reperitur.

Ne sint hæc, quæ tamen sunt abundè: Conciliumne à Silvestro actorum suorum confirmationem petiisset quinto vel sexto die postquam convenit? Epistola datur VIII. Calend. Julii, Paulino & Juliano Consulibus, & Concilium inchoatum est duntaxat XIII. Calend. Julii iisdem Consulibus. Mihi non crede, sed Calchedonensi Concilio, in cujus actione II. Nicænæ fidei symbolum sic refertur. *Consulatu Paulini & Ju-*
26 *liani virorum clarissimorum Coss. anno post Alexandrum sexcentesimo tricesimo sexto mensis (secundùm Græcos) Desii die nonodecimo, quod est tertio decimo Cal. Juliarum, in Nicæa Metropoli provinciæ Bithyniæ. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem*, &c. En Sole clarius falsitatis indicium! Præterea quis crederet ad perferendas Nicæa Romam literas Concilii insumptos fuisse æstivos menses quatuor, cùm præsertim Imperatoris opera perlatæ fuissent? Lectus est fortè tabellarius, qui morbo pedum laborabat.

Deinde extat quoque ibidem Silvestri ad Concilium Epistola, ubi inter cætera sic Pontifex scribit: *Atque in gremio vestræ Synodi parva propter disciplinam alligabo præcepta propter Victorinum, qui arbitrio suo quidquid vellet affirmabat, & Cyclos Paschæ pronunciabat fallaces, & cum Episcopis totius urbis Italiæ examinatam universitas vestri sancti Concilii dignetur accipere veritatem, & alia manu. Oret pro nobis beatitudo vestri S. Concilii trecentorum decem & octo, ut charitatis, quæ vobis data est, Domini nostri Jesu Christi servetur augmentum. Data 5. Calend. Novembris, accepta 4. Idus Februarii, Constantino septies & Constantio Cæsare 4. Consule.* Et revera extat Silvestri Epistola, & hæc illius postrema verba, quibus Epistola falsitatis coarguitur. Et primò quidem Silvester dicitur *parva propter disciplinam Ecclesiæ alligare præcepta in gremio sanctæ Synodi.* Alligavit ergo præcepta in Synodi gremio, sed quis illa vidit unquam, vel Synodi Canonibus juncta, vel ab illis separata? Fabulæ. Deinde fictus est Victorinus ille, qui Cyclos Paschæ fallaces
pronunciaverit: quodnam habet testimonium sui vel 27
apud Eusebium in Chronico, vel apud Hieronymum & Prosperum in Chronicis, vel apud eundem Hieronymum & Gennadium in libris de viris illustribus vel Ecclesiasticis?

Gennadius de Victorio, non Victorino scribit in capite LXXXVI. *Victorius homo natione Aquitanicus, calculator Scripturarum scrupulosus, invitatus à sancto Hilaro urbis Romæ Episcopo composuit Paschalem cursum indagatione cautissima post quatuor priores, qui composuerant, id est, Hippolytum, Eusebium, Theophilum, & Prosperum.* Hæc ille de Victorio & Hilaro, quos per ætatem videre facilè potuit. Ad annum Christi DXLV. Victor Capuanus Episcopus scripsit, contra Victorium Aquitanum, ut Beda, Ado, & alii testantur. Epistolæ suppostor res istas omnes confudit & auctorum nomina corrupit. Ex rerum verò & temporum confusione & nominum corruptione genuit monstrum, quod ob oculos exponimus. Sed veniendum est ad aliud, quod immanitate cum superiori certat: *Cum Episcopis totius urbis Italiæ examinatam universitas vestri sancti Concilii dignetur accipere veritatem:* quasi verò Italia tota sit urbs, vel Italiæ totius urbs sit, quæ plures Episcopos habeat. Suppostor lectoribus suis non tam fucum facere, quàm risum concitare voluit: Sed eum sua vehementer fefellit opinio, quia lectores nactus est, Bellarminum & alios, qui non joco vel risu, sed seriò agentem observarunt. Hinc Silvester ad Nicænam Synodum scribit, ac si finita nondum esset. At VIII. Calend. Septembris finita erat,
ut Cresconiana testatur collectio: *Factum est*, inquit, 28
Concilium apud Nicæam Metropolim Bithyniæ à die 18. Calend. quod tenuit usque ad diem 8. Calend. Septembris, Paulino & Juliano Consulibus. Hæc est opinio communior & certior adversus Nicephorum Callistum, qui Nicænam Synodum triennio durasse scribit. Sed hic auctor est paullo recentior, qui annis abhinc trecentis quinquaginta tantùm floruit. Bellarminus & Scaliger Nicephorum sine probabili ratione ulla sequuntur. Sic ergo inter Concilii finem & diem adscriptum Epistolæ Silvestri menses duo & eo ampliùs intercedunt. Sed inter datam & acceptam Epistolam menses tres & dies sex intercedunt. Consulatus Constantini & Constantii falsitatis argumenta continent, quæ in Epistola ad Ludovicum Maræsium Parisiensem Theologum discussimus: Quapropter illa hic intacta relinquimus. At lepidum & festivum est illud, quod in Bellarmino non possumus non observare. Bellarminus Nicephorum secutus in libri 1. de Conciliis capite IV. tradit, Nicænum Concilium annis tribus durasse: cœptum anno CCCXXVII. & finitum anno CCCXXX. quo in eventu Patres actorum suorum confirmationem à Silvestro petierunt duobus annis, mensibus undecim, & diebus viginti quatuor vel quinque, antequam Synodus absolveretur. Hoc epicitharisma post fabulam.

Nunc ut à Scholarum more non omnino recedamus, disputandi causa sumimus, utramque Epistolam veram esse. Nicæni Patres in Epistola sua à Silvestro exigunt hoc: *Quidquid autem constitutum in Concilio*
Nicæno, precamur vestro oris consortio confirmetur. Sil- 29
vester in Epistola sua rescribit hoc: *Quæ in vestrum nostrúmque manavere mysterium, meum chirographum offero, & discipulorum meorum offero in vestro sancto Concilio*

cilio

tilio quidquid constituistis, unà parem dare consensum. In his duobus utriusque Epistolæ fragmentis, quæ crasso & soloce stylo suo indignationem potiùs, quàm risum eliciunt, Bellarmini argumentum consistit. Nam exinde probat, Silvestrum *simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Itane vero? Tantum ingenii, tantum acuminis! Silvester Synodi constituta oris sui consortio confirmat, & parem cum Synodi Patribus dat consensum iis, quæ Synodus decrevit. Ergo Silvester est supra Ecclesiam universam, ergo est supra generale Concilium: Ergo nullum in terris supra se judicium agnoscit. Hæ sunt miseræ, & omnium animis auribúsque absonæ complexiones, quæ ex antecedente tali, in Bellarmini sententia inferuntur. Et quod est admirabilius, complexiones istæ non pro Silvestro solùm inferuntur, sed etiam pro cæteris Episcopis, qui unà cum Silvestro Nicæni Concilii decretis assensi sunt. At Silvester Ecclesiæ suæ traditionem secutus non ita philosophatur. Agnoscebat se Conciliis inferiorem esse, ut discimus ex Epistola III. quam Romanum Concilium ad Gratianum & Valentinianum Imp. scribit. Verba sunt: *Memoratus Frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen A-*
30 *postolicæ Sedis excellit, ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus Sacerdotale caput lex vestra summovit. In quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatam à vobis honorificentiam flagitare. Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse visa munitior, quàm vestra clementia, quæ innititur judicata? Quod verò ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit judiciis Sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, nequis iterum calumniator existens, dum memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit, religioni tamen fiat injuria in vexationibus ministrorum: Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestræ magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare.* QUONIAM NON NOVUM ALIQUID PETIT, SED SEQUITUR EXEMPLA MAJORUM, *ut Episcopus Romanus si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat.* NAM ET SILVESTER PAPA A SACRILEGIS ACCUSATUS, APUD PARENTEM VESTRUM CONSTANTINUM CAUSAM PROPRIAM PROSECUTUS EST. Ecce tibi Concilia duo, quibus Romanus Pontifex subjicitur: Alterum Ecclesiasticum, alterum verò Imperiale! Silvester Imperiali Concilio se subjecit, cùm à sacrilegis apud Constantinum Magnum accusaretur.

II. Ad Constantinopolitanam Synodum primam quod attinet, hæc à Damaso Papa confirmationem actorum suorum minime petiit, nisi Synodi verbis abutamur. Constantinopolitana Synodus rerum suarum rationem Damaso & aliis Episcopis Romæ congrega-
31 tis exponit in Epistola, quæ apud Theodoretum in libri V. historiæ capite IX. sic inscribitur: *Dominis honoratissimis & reverendissimis Fratribus & Collegis Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Ascholio, Basilio, & reliquis sanctis Episcopis in magna urbe Roma congregatis, sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum, qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt, in Domino salutem.* Et aliquanto post initium: *Nunc verò postquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos charitate vestra tanquam membra propria per religiosissimi Imperatoris literas evocastis, ut quia soli tunc ad subeundas ærumnas fuimus addicti, nunc in ista Imperatorum de pietate concordia soli regnetis, sed nos etiam vobiscum, ut ait Apostolus, conregnemus, optabamus si fieri posset, omnes simul relictis Ecclesiis desiderio potiùs, quàm utilitati servire. Quis enim nobis dabit pennas, sicut columbæ, ut volemus, & requiescamus apud vos? Verùm quia hoc erat Ecclesias renovari nuper cœptas penitus denudare, & rem præstare magna pars non poterat. Convenerámus enim Constantinopolim ad literas à reverentia vestra superiore anno post Concilium Aquileiense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hoc solum iter Constantinopolim usque instructi, & de hac tantùm Synodo Episcoporum, qui in provinciis romanserunt, consensum adferentes, cùm de longioris perfectionis onere nec suspicati essemus, nec antè quicquam audissemus, quàm Constantinopolim pervenimus.*

Ex his & aliis quæ postea laudaturi sumus, colligitur habitas esse Constantinopoli Synodos duas, unam anno CCCLXXXI. alteram insequenti anno. Prioris ar- 32
gumentum explicat Theodoretus in præcedenti capite VIII. & subjungit: *Sequenti æstate cùm ad eandem urbem Ecclesiasticis iterum negotiis evocati plurimi redissent, Synodicam ab Occidentalibus Episcopis Epistolam acceperunt, qua invitabantur, ut Romam ad Synodum, quæ ibi maxima cogebatur, se conferrent. Verùm hi longinquam quidem profectionem velut inutilem futuram deprecati sunt. Epistolam autem miserunt, in qua procellam contra Ecclesias excitatam significantes, illorum hac in re negligentiam denotabant.* Posterioris Synodi causa in certis quibusdam Ecclesiasticis ponitur negotiis, quæ Theodoretus, ut apparet, non exponit. At perspicuè significat, non priorem sed posteriorem fuisse Synodum, quæ Epistolam ad Concilium Romæ coactum scripsit. Hæc autem est Epistola, ex qua jam aliquid excerpsimus, & excerpimus quæ sequuntur, & quæ instituto nostro conveniunt.

Quæ igitur ad fidem attinent, quam apertè prædicamus, in summa sunt hujusmodi, de quibus ampliùs animis vestris satisfacere poteritis, si tomum Synodi Antiochenæ, & eum, qui superiori anno Constantinopoli à Synodo universali est editus, inspicere dignamini, ubi & fidei confessionem uberiùs exposuimus, & in recens adinventas hæreses anathematis sententiam perscripsimus. De privata autem Ecclesiarum administratione, antiquus, ut scitis, mos obtinuit, sanctorúmque Nicææ Patrum definitio, ut in singulis provinciis Episcopi provinciæ, & si ipsi velint cum eis finitimi ordinationes secundum utilitatem peragant. Qua ex forma scitote, tum reliquas apud nos Ecclesias administrari, tum illustrissimarum Ecclesiarum creatos fuisse Sa- 33
cerdotes. Unde & nova, ut sic vocemus, Ecclesia Constantinopolitana, quam nuper ex hæreticorum blasphemia tanquam ex ore leonis per Dei misericordiam eripuimus, reverendissimum religiosissimúmque Nectarium in generali Concilio, communi omnium consensu, & præsente religiosissimo Imperatore Theodosio, cleróque universo & eunctâ suffragante civitate Episcopum constituimus. Et antiquissima veréque Apostolica Antiochena in Syria Ecclesia, in qua primò venerandum Christianorum nomen auditum est, reverendissimum & religiosissimum Episcopum Flavianum provinciæ simul & Diœcesis Orientalis convenientes Episcopi canonicè ordinarunt, tota Ecclesia consentiente, & quasi uno ore virum collaudante. Quam quidem legitimam ordinationem, Synodus quoque universalis comprobavit. Matris verò Ecclesiarum omnium Hierosolymitanæ reverendissimum & religiosissimum Cyrillum Episcopum esse significamus, qui & canonicè olim fuit ab Episcopis provinciæ ordinatus, & cum Arianis plurimum diversis in locis decertavit. Quibus tanquam legitimè & canonicè apud nos constitutis, vestram quoque reverentiam gratulari obsecramus, [illegible]. *intercedente spirituali charitate, & Domini timore humanum omnem affectum coercente, Ecclesiarúmque ædificationem pluris duci faciente quàm privatam erga unumquemque voluntatem & gratiam. Sic enim & fidei doctrina consonante & Christiana in nobis charitate confirmata, desinemus illud dicere, quod ab Apostolis damnatum est: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephas: atque om-* 34
nes nos Christi esse ostendentes, qui in nobis divisus non est, indiscerptum Deo favente corpus Ecclesiæ conservabimus, & ad Domini tribunal cum fiducia comparebimus. Plura describere

describere volui in veritatis gratiam & Bellarmini, à quo descriptum est nihil. Et primò quidem Constantinopolitanæ Synodi posterioris Patres Synodum priorem semel, iterum, & tertiò generalem vel universalem τὴν οἰκουμενικὴν appellant, quod Bellarminus observaret nunquam. Deinde quid Synodus prior universalis circa fidem Ecclesiarúmque administrationem constituerit, exponit. Tum demum Romanam Synodum obsecrat, ut illis omnibus congratulari συγχαίρειν velit. At obsecrare ut Romana Synodus Constantinopolitanæ Synodi Oecumenicæ decretis congratuletur, unà gaudeat & lætetur; non est sanè decretorum approbationem petere, quo sensu Bellarminus petitam illam significat, ac proinde in re magni ponderis historiæ leges negligit, quod si verum fateamur, in rebus Pontificiis accidere solet. Neque verò Romana Synodus, aut Damasus Romanæ Synodi præses Constantinopolitanorum Patrum obsecrationem intellexit, ut Bellarminus intelligendam esse censuit. Monumentum quippe Synodi aut Damasi nullum adfertur vel adferri potest, quo constet Romanam Synodum aut Damasum Constantinopolitanæ Synodi gesta omnia se, vel saltem aliqua comprobasse. Attamen demus Romanam Synodum aut Damasum id fecisse quod Constantinopolitana Synodus petiit, Constantinopolitanæ Synodi gestis congratulatum & unà gavisum esse: Hinc opinor non sequetur Romanam Synodum aut Damasum, *simpliciter*
35 *& absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale*, ita ut Synodus aut Damasus *nullum in terris supra se judicium agnoscat*. Hoc enim lemma est, quod Bellarminus ex congratulatione illa & communi gaudio vindicari putat. Sed demus aliquid amplius: Constantinopolitanum Concilium eam actorum suorum confirmationem, quam Bellarminus fingit, ab Romano Concilio petiisse & Romanum Concilium illam dedisse; quid inde Bellarminus lucrabitur? Damasum fortassis, Ambrosium, Brittonem, Valerianum, & reliquos Episcopos, qui Romæ congregati erant, simpliciter & absolutè supra Ecclesiam & Concilium esse? Nimis opinor probabit, & eam ob causam nihil. Seipsum duntaxat irridendum propinabit.

Certum quidem est in Romana quadam Synodo, cujus caput erat Damasus, perculsas esse hæreses, quas Constantinopolitana Synodus perculit, ut Theodoretus scribit in ejusdem libri v. capite x. *Quin & alia quadam Episcopi in magna Roma congregati adversus diversas hæresis scripserunt, quæ narrationi intexere congruum existimavi.* Titulus est in capite xi. *Confessio fidei Catholicæ, quam Damasus Papa in Macedoniam misit ad Paulinum Episcopum cùm esset Thessalonicæ.* Ubi paullò pòst initium dicitur: *Anathematizamus Arrium & Eunomium, qui pari impietate licèt verbis discrepent, Filium & Spiritum Sanctum creaturam esse confirmant. Anathematizamus Macedonianos, qui ex Arrii radice propagati non impietatem, sed nomen solùm mutarunt.* Cæterùm concordia, quæ est hac in re inter Constantinopolitanam & Romanam Synodum Bellarmini conciliis nihil
36 prodest. Prætermittenda tamen non fuit, ut id quod res est, intelligeretur, Bellarmini consiliis nihil prodesse posse.

III. Bellarminus Ephesinæ Synodo primæ imponit. Hæc enim actorum suorum confirmationem à Celestino haud petiit. Eam intelligo confirmationem, quam auctor ille intelligit, & ex qua colligit, *Romanum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam & Concilium generale: Ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat.* Ephesina Synodus retulit quidem ad Celestinum de rebus, quas contra inimicos fidei gesserat, sed rerum à se gestarum confirmationem ab illo Pontifice nullam petiit. Sic autem retulit in actione v. *Quia verò necesse est, ut omnia, quæ confecta sunt, Sanctitati vestræ significentur, non potuimus non scribere, secundùm omnium nostrûm salvatoris Christi voluntatem, ac Christi amantium Imperatorum nostrorum sanctionem, ex multis variisque provinciis Episcopos supra ducentos in Ephesiorum Metropoli nos convenisse.* Et post alia: *Porro autem perlectis in sancta Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum, & Celestianorum, Celestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orontii, & eadem cum illis sentientium, quæ à pietate tua decreta sunt de ipsis, & confirma, judicavimus & nos ea solida firmáque permanere debere. Et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes, ut omnia, quæ gesta sunt clarè cognoscas, etiam commentarios actorum misimus, & Synodi subscriptiones.* Ubinam verbum ullum facit de approbatione, quam Bellarminus in argumentum adsciscit? Exinde ut Synodus à Celestino confirmationem nullam petiit, sic & Celestinus nullam impertiit. 37
Verùm ut quod Bellarminus sibi sumit, videatur adhuc inutilius, consideret Ephesinam Synodum, quæ semel atque iterum de rebus fidei ad Imperatores refert. Semel quidem in actione III. idque priùs quàm ad Celestinum referret. Sic autem refert: *Piissimis, Deóque dilectissimis Theodosio & Valentiniano victoribus sancta Synodus, quæ gratia Dei, vestraque Majestatis nutu in Ephesiorum Metropoli congregata est. Vestram, Christianissimi Imperatores, erga pietatem curam & studium universorum Deus gratum acceptúmque habens, etiam sanctorum Occidentalium Episcoporum animos zelo, ut Christum contumelia affectum vindicarent, excitavit. Nam licèt maximum itineris spatium universam illam sanctissimorum Episcoporum multitudinem ad nos pervenire prohibuerit; attamen illis in locis simul congregati Celestino sanctissimo piissimóque magnæ Romæ Episcopo etiam præsente, & nunc nostram de fide sententiam magno consensu prædicarint.* Et post alia: *Quia ergo viri isti, qui venerunt, Occidentalis sanctæ Synodi sententiam nostræ huic Synodo per literas exposuerunt, sensúmque de fide & pietate nobis consonum declararunt, & eadem quæ nos decreverunt, tum per literas, tum per ea, quæ in mandatis acceperant, quæ & in scriptis deposuerunt, necessariò, quod officii ratio postulabat, de consensu illorum nobiscum ad Majestatem vestram retulimus, ut pietati vestræ certò constet judicium, quod paullo antè à nobis exiit, esse unam communémque totius orbis terrarum sententiam, quam vester quoque circa fidem & pietatem zelus apertè docendam ac patefaciendam curavit. Cùm itaque negotium hoc finem 38
Majestatis vestræ peroptatum, Ecclesiisque omnibus tutissimum, & fidei firmitatem afferentem jam acceperit, rogamus vestram pietatem, ut ab hac cura & peregrinatione nos absolvat.* Et pòst alia: *Cyrillus Alexandriæ Episcopus retuli.* De confirmato adversus Nestorium dogmate fidei loquitur Synodus, & cur ea de re ad Imperatores referat, sic profitetur: *Necessariò, quod officii ratio postulabat, ad Majestatem vestram retulimus, ut vestræ pietati certò constet judicium, quod paullo antè à nobis exiit, esse unam communémque totius orbis terræ sententiam.*

Iterum in actione v. & sic se habet relatio hæc, quæ per Palladium Magistrianum missa est: *Vestra quidem Majestas pietatem confirmare volens, exactiorem dogmatum examinationem sanctæ Synodo injunxit, quam & fecimus antiquam secuti traditionem sanctorum Patrum, sanctorúmque Evangelistarum & Apostolorum & trecentorum decem & octo Patrum apud Nicæam quondam congregatorum, quam etiam una voce, unóque consensu interpretati perspicuè testatam pietati vestræ exhibuimus in ipsis commentariis actorum, in quibus & Nestorium diversa sentire manifestè deprehensum exauctoravimus.* Hæc ille cùm paullo consideraverit attentiùs, si non fateatur ultro, certè negaturus non est, inutilem esse & inopportunam consiliis suis probationem, quam ex paribus ad Celestinum relationibus compararet. Hoc monuisse sufficit.

IV. Calchedonensis Synodus cùm in actione XVI. de rebus à se gestis ad Leonem I. refert, approbationem petit hoc modo: *Sancta magna & universalis Synodus, quæ per gratiam Dei, & sanctionem piissimorum, & amatorum Christi Imperatorum nostrorum collecta est in Cal-* 39
chedo-

chedonensium Metropoli provincia Bithynia, sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo Leoni. Et postquam de rebus fidei retulit, subjungit: *Hæc sunt, quæ tecum qui spiritu præsens eras, & complacere tanquam fratribus deliberasti, & qui penè per tuorum Vicariorum sapientiam videbaris à nobis, effecimus. Indicavimus verò quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem, scientes, quia & vestra sanctitas addiscens & probatura & confirmatura est eadem. Eam namque consuetudinem, quæ ex longo jam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia ad ordinandum Metropolitanos provinciarum tam Asianæ, quàm Ponticæ vel Thraciæ, & nunc Synodali decreto non tantum firmavimus, sed aliquid Constantinopolitanæ præstantes quantum Metropolitanis urbibus ad quietem congruere visum est, eo quod frequenter Episcopis vitam finientibus multæ turbæ nascuntur, absque rectore clericis ac populis remanentibus, qui per easdem sunt civitates, & Ecclesiasticum confundentes ordinem, quod nec vestram latuit Sanctitatem, quàm maximè propter Ephesios, unde quidam vobis sæpius importuni fuerunt. Confirmavimus autem & centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui in Constantinopoli congregati sunt, regalem sub piæ memoriæ majore Theodosio, quæ præcepit post vestram sanctissimam & Apostolicam Sedem, honorem habere Constantinopolitanam, quæ secunda est ordinata? confidentes quia lucente apud vos Apostolico*
40 *radio, & usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consultè gubernando illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eo quòd absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos. Quæ igitur definivimus ad interemptionem quidem totius confusionis, confirmationem verè Ecclesiasticæ ordinationis definivimus. Hæc sicut propria & amica & ad decorem convenientissima dignare complecti, sanctissime & beatissime Pater. Qui enim locum vestræ Sanctitatis obtinent sanctissimi Episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum eis est reverendissimus Presbyter Bonifacius, iis ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procuidubio à vestra providentia inchoari, & hoc bonum volentes, ut sicut fidei sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tum piissimos & Christi amicos imperatores, qui super hoc delectantur, quàm clarissimum Senatum, & totam (sicut dicere convenit) Imperii civitatem, & opportunum credidimus esse, honoris ejus confirmationem ab universali Concilio, & velut hæc à tua Sanctitate fuerint inchoata, eo quòd fovere semper studeas, roboravimus præsumentes, dum noverimus, quia quidquid rectitudinis à filiis fit, ad Patres recurrit, facientes hoc proprium sibi. Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. Sic enim & pii principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ Sanctitatis judicium firmaverunt, & Constantinopolitana Sedes suscipiet præmium, quæ omne semper studium vobis ad causam pietatis explevit, & semetipsam vobis ad concordiam eodem zelo conjunxit. Ut autem cognoscatis quia*
41 *nihil alicui donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adversando, sed (quippe nutu gubernati divino) omnem vobis gestorum vim insinuavimus, ad comprobationem nostræ sinceritatis, & ad eorum quæ à nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam.* Et primò quidem Synodus à Leone non postulat confirmationem rerum, quæ pro Catholicæ fidei dogmate sancitæ fuerant: Cujus rei ratio his in verbis continetur. *Hæc sunt, quæ tecum, qui spiritu præsens eras & complacere tanquam fratribus deliberasti, & qui pene per tuorum Vicariorum sapientiam videbaris à nobis, effecimus.* Et revera Synodus non aliud circa fidei dogma definit, quàm quod Leo ipse jam in Epistola ad Flavianum definierat. Synodus definitum & expositum in ea Epistola fidei dogma communi assensu confirmat actione III. ubi sic habetur: *Post lectionem prædicta Epistola reverendissimi Episcopi clamaverunt: Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides; omnes ita credimus; orthodoxi ita credimus: anathema, qui non ita credit.* Quod & sanctus Leo in Epistola LXIII. ad Theodoretum ita scribens fatetur: *Remeantibus ad nos Fratribus & Consacerdotibus nostris, quos ad sanctum Concilium Sedes beati Petri direxit, agnovimus Dilectionem tuam superno adjutorio nobiscum tàm Nestorianæ impietatis, quàm Eutychianæ vesaniæ extitisse victricem. Unde gloriamur in Domino cum Propheta canentes, Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, qui nullum nos in nostris Fratribus detrimentum sustinere permisit; SED QUÆ NOSTRO PRIUS MINISTERIO DEFINIERAT, UNIVERSÆ FRATERNITATIS FIRMAVIT ASSENSU, UT VERE*
A SE PRODISSE OSTENDERET, QUOD PRIUS 42
A PRIMA OMNIUM SEDE FORMATUM TOTIUS ORBIS JUDICIUM RECEPISSET.

Deinde ad Dioscori depositionem quod attinet, Concilium Leonis & illius Legatorum sententiam amplectitur & confirmat. *Petimus,* inquiunt Patres, *vestram Sanctitatem quæ habet, magis autem qui habetur, locum sanctissimi Papæ Leonis promulgare in eum* (Dioscorum) *& regulis injustam contra eum proferre sententiam. Omnis enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestræ Sanctitatis sententiæ.* Et postquam Legati sententiam in Dioscorum pronunciarunt, Anatolius Constantinopolitanus Episcopus dicit: *Hæc eadem Sedis Apostolicæ per omnia sapiens concors sententia efficitur super damnatione Dioscori quondam Alexandrinæ magnæ civitatis Episcopi.* Sic alii pene omnes Episcopi dicunt, & ab Leoois sententia dissensit nemo. Hinc factum est, ut Synodus à Leone nec sancitæ fidei nec latæ in Dioscorum sententiæ confirmationem petierit: Si enim petiisset duo hæc, petiisset otique, ut Leo, quæ jam definierat, confirmaret. Quod non modò fuisset supervaneum, sed etiam parum rationi consensisset. De Leonis enim constantia subdubitare Synodus visa esset.

Nunc veniendum est ad eam confirmationem, quam Synodus petit. Ex iis, quæ antè retulimus apparet, Synodum non petere confirmationem Canonum, quibus edendis Legati consenserant, & Leo per Legatos consensisse judicabatur. Confirmatio seu approbatio, quæ de hic agitur, in consensu maximè consistit, ut ex Rom. Pontificum doctrina postea tradetur commodiùs. Quam ergo confirmationem Synodus petit, 43
ea tota spectat Canonem XXVIII. in quo Constantinopolitanæ Ecclesiæ privilegia sanciuntur. Hic est scopus, hæc meta Synodicæ relationis; ubi videmus Sedis Apostolicæ Legatos edendo Caoooi fortiter restitisse. Restiterunt verò cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd Canonem illum Nicænorum Patrum regulis contrarium esse neutiquam dubitarent. Quamobrem Calchedonensis Concilii Patres ea, qua possunt verborum lenitate utuntur, ut Leonem ad consensum pertrahant: Et hæc est decretorum confirmatio, quam enixissime postulant. *Rogamus,* inquiunt, *& decretis nostrum honora judicium, & sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet, adimpleat.* Non adimplevit, quia Canoni XXVIII. confimationem, id est, consonaotiam non adjicit; scilicet Nicænæ Synodi regulis derogare se nec debere nec posse credebat. Quare si rationem, cur Calchedonensis Synodus hac in re Leonis assensum obtinere non potuerit, diligenter attendas, invenies tum demum eam esse, quæ Romanum Pontificem & Calchedonensis Concilii Patres Nicæno Concilio subjicit. Hoc premo, hoc urgeo: Et primùm quidem ex Leonis ad Anatolium Epistolæ LIII. capite II. III. & IV. *Post illa itaque ordinationis tuæ non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra Canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc Dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum Canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quòd secundi honoris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit &* 44

Antio-

Antiochena Ecclesia proprietatem tertia dignitatis amiserit, ut his locis juri tuo subditis omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis & nunquam ante tentatis ita praveneris excessibus, ut sanctam Synodum ad extinguendam solùm heresim, & confirmationem fidei Catholica studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & ut conniventiam suam tibi det, impellas, tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicanorum Canonum per Spiritum verè sanctum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis. Nulla sibi de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quorumlibet copiosior numerus Sacerdotum vel comparare se audeat, vel praferre, cùm tanto divinitus privilegio Nicana sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Nimis ergo hac improba, nimis sunt prava, qua sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria. In totius Ecclesia perturbationem superba hac tendit elatio, qua ita abuti voluit Concilio Synodali, ut Patres in fidei tantummodo negotio convocatos, definitione ejus causa, qua erant curanda, perfunctos ad consentiendum sibi, aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde etiam Fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo prasidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterant, apertè reclamantes, ne contra instituta Nicani Concilii prasumptio reproba novitatis as-
45 *surgeret. Nec potest de eorum contradictione dubitari, de quibus in Epistola tua etiam ipse conquereris, quòd conatibus tuis voluerint obviare, in quo eos quidem multùm mihi hac scribendo commendas: Sed temetipsum, quòd eis parere nolueris, dum illicita moliris, accusas, superfluè non concedenda appetens, & insalubriter tibi contraria concupiscens, qua nullum unquam poterant nostrum obtinere consensum. Absit enim à conscientia mea, ut tam prava cupiditas meis studiis adjuvetur, ac non potiùs & meo & omnium, qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur. Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicana sacrilego Arrio cum sua impietate damnato mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, & si quid usquam aliter, quàm illi statuerunt, prasumitur, sine cunctatione cassatur, ut qua ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt; nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, qua ad bonum sunt commune prafixa, & manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum, sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine charitatis se exerceat.*

Deinde ex ejusdem Epistola LXI. ad Calchedonensem Synodum: *Omnem quidem Fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitionem sancta Synodi, qua ob confirmationem fidei in Calchedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum; quia nulla ratio sinebat, ut qui unitatem Catholica fidei dolebam ab hereticis fu-*
46 *isse turbatam, non exultanter in integrum redisse gauderem. Hoc autem non solùm ab ipso beatissima consensionis effectu, sed etiam ex Epistolis meis, quas post reditum meorum ad Constantinopolitana urbis antistitem dedi, si vobis responsionem Sedis Apostolica manifestare voluisset.* Et paullò pòst: *De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, qua in Synodo Nicana inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestra Sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis* CCCXVIII. *Patribus divinitus inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quarat augmentum. Quamumlibet enim exortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, appetitus suos Conciliorum astimet nomine roborandos; Infirmum atque irritum erit, quidquid à pradictorum Patrum Canonibus discreparit. Quorum regalis Apostolica Sedes quàm reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit Sanctitas vestra è lectione cognoscere, me auxiliante Domino, & Catholica fidei & paternarum traditionum esse custodem.* Ex his autem duabus Epistolis manifestum est, Leonem seipsum Nicænorum Canonum custodem, vindicem, atque executorem præstare, & Calchedonense Concilium Nicæno subjicere, qua nimirum parte Canonem Nicænis Canonibus oppositum condidit. Hæc duo per æternitatem totam argumentum non efficerent, quo id probaretur, quod Bellarminus probandum suscepit.

V. Superest Synodus sexta, quam ille actorum suorum confirmationem ab Agathone petiisse scribit. Quæ
Synodi verba non refert, refero ex ejus Epistola ad 47
Agathonem: *Orthodoxa fidei splendidam lucem vobiscum clarè pradicavimus, quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, ἱκετεύομεν, vestram oramus paternam Sanctitatem. Ut iterum confirmetis seu consignetis,* dicit Synodus, quia Agatho & Romana Synodus Episcoporum CXXV. in Epistola ad Imperatores, quæ actione IV. lecta & approbata est, orthodoxam fidem contra Monothelitas primùm confirmaverant, & consignaverant. Itaque si Agatho cùm orthodoxam fidem iterum confirmaturus est, sequitur Agathonem supra Ecclesiam universam & generale Concilium esse, id non minus sequetur ex quo primùm eandem fidem confirmavit. Neque id tantùm de Agathone, sed etiam de Romana Synodo Episcoporum CXXV. sequetur. Sic ad Bellarmini mentem philosophandum est, nec ille aliter philosophari potest, ut ineptissimum philosophandi modum illum effugiat.

Bellarminus pergit: *Quod autem Pontifices aliquando Conciliorum decreta reprobaverint, quod est apertum signum superioritatis, ex Basilio patet, qui in Epistola ad Athanasium, qua est 52. scribit, videri sibi bonum, ut rogetur Romanus Episcopus, ut mittat aliquos in Graciam, qui ejus nomine irritent Concilium Ariminense. Ipse etiam Damasus in Epistola ad Episcopos Illyrii reprobat Concilium illud.*

Ex Leone mox vidimus id quod apertum signum est superioritatis illius, quam astruit, signum nullum esse; tantùm abest, ut apertum sit. Basilius sapienter & appositè scribit, orandum esse Romanum Pontificem, ut mittat aliquos in Græciam, qui Ariminensis
Synodi decreta rescindant. Basilii verba præstat re- 48
ferre atque examinare: *Visum est autem mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Roma, ut qua hîc geruntur, consideret, & sententiam suam exprimat. Et quoniam difficile est, ut communi ac Synodico decreto, aliqui illinc mittantur, ipse sua auctoritate in ista causa aptos viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos; verùm juxta ad hoc quoque accommodos, ut mansuetudine & facilitate ingenii eos, qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigantur, aptè ac dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes, qua in Arimino ad ea rescindenda, qua illic per vim & violentiam gesta sunt, & hoc nemine sciente absque strepitu tacitè per mare ad eos, qui hîc sunt, vadant, ne qui pacis inimici adventum ipsorum prasentiscant.*

I. Basilius rationi consentaneum arbitratur, ut Romanus Episcopus ingentes concertationes, quibus propter Ariminense Concilium Ecclesia apud Cæsaream Cappadociæ distrahitur, etiam atque etiam attendat.

II. Deinde, ut suam de illo Concilio sententiam expromat, nequis, si bene conjicio, illius silentium ducat in conscientiam & approbationem Concilii, quod in propria, id est, Romana provincia celebratum fuerat, cui non interfuerat, & cui tamen interesse ac præesse debuerat, sed illud vel nesciunt vel dissimulant, qui hoc utentes Concilio Arianorum partes ibi fovent, & in Nicænæ fidei regulam & in Catholicos atrociter invadunt.

III. Tum Basilius indicat usitatum apud Romanos

morem

49 morem, quo ponderosæ res in Synodo tractari solent, & inde ad provincias mitti Sacerdotes, qui afflictos propter religionem populos solentur, & in accepta majorum fide confirment.

IV. Hinc Basilius difficillimorum temporum conscius existimat, mittendos non esse Sacerdotes, qui Synodicum ac publicum decretum Cæsaream deferant, sed satis esse, si quidam ea auctoritate & ingenii dexteritate præditi mittantur homines, qui quæ Arimini per vim & violentiam gesta fuerant, sic gesta, ac proinde cassa & irrita esse declarent.

V. Præterea Basilius quidem apprimè novit jure ipso cassum atque irritum esse Ariminense Concilium: Sed qui distorti sunt apud Cæsaream & obliqui ingenii non norunt; aut si norunt, dissimulant, quò facilius tumultuentur. Quocirca sanctus Pater, cum is opinor suspectus foret, Roma mitti curat idoneos homines, qui sibi collaborent in auferendo præjudicio, quod nonnulli ex Ariminensi Concilio faciunt.

VI. Denique Basilius negotium istud tacitè & sine strepitu transigendum esse censet, ne qui præjudicium tale faciunt, si Legatorum Romanorum adventum præsentiscant, illum modis omnibus impediant, & manus violentas Legatis fortasse adferant.

Ex hac autem Basilii prudentia & consilio, quod in Epistola ad Athanasium proponit, quis unquam præter Bellarminum colliget, à Basilio datum esse signum ullum, quo Papam absolutè esse supra Ecclesiam universam & generale Concilium ostenderetur? Quinetiam in opposita se versari sententia non obscurè docet
50 in Epistola LXXVII. ad Transmarinos seu Occidentales Episcopos: Verba sunt: *Sive vos ipsos caput Ecclesiæ universalis reputatis, non potest dicere pedibus caput: Non est mihi opus vobis: Sive in reliquum vos Ecclesiasticorum membrorum ordinem locatis, non potestis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore constituti sumus: Non estis nobis necessarii. Nam & manus mutuam inter se operam necessariam habent, & pedes mutuò sese firmant & oculi per concordiam habent, quòd objecta clarè & dilucidè apprehendant. Nos quidem nostram imbecillitatem agnoscimus, & vestram avidè concordiam requirimus.* Utrum autem Athanasius apud Romanum Pontificem effecerit, ut Basilii votis responderetur, legere me non memini. Sed rectè memini, Athanasium in Epistola ad Africanos præ se ferre, Ariminense Concilium auctoritatis esse nullius, tum quia Nicænæ Synodo opponitur, tum quia quæ Arimini facta sunt, per vim & contentionem facta sunt. Audiendus est Athanasius: *Sed quia audivimus nonnullos hujus* (Nicænæ Synodi & fidei) *oppugnandæ cupidos allegare Concilium Ariminense, quod ipsi jactitant, auctoritatem obtinuisse, necessariò visum est, ut vos scripto certiores redditos admoneremus, ne istiusmodi homines tolerare velitis. Est enim istud aliud nihil, nisi propago Arianicæ hæreseos. Qui enim Synodum contra istam hæresim habitam repudiant; quid aliud sibi volunt, quàm ut Ariana invalescant? quid igitur illis dignum, nisi ut & Ariani appellentur, & easdem censuras ferant? Qui neque Deum metuerunt ita dicentem, Ne transmoveas terminos æternos, quos posuerunt Patres tui.* Et post alia: *Sive enim quis numerum*
51 *cum numero comparet, tanto major est Nicæna Synodus particularibus Conciliis, quantum totum sui aliqua parte. Quod si causam Nicæni conventus à causis eorum qui postea coierunt, discernere velis, invenies Nicænam Synodum rationabili causa coactam fuisse, reliquas autem per simultatem & contentionem & vim conflatas esse.* Et post alia: *Id cùm ita se habeat quis ferat eos, qui Ariminensem, aut ullam Synodum præter Nicænam in ore habent & jactitant? aut quis non odio habeat illos, qui quæ Patrum sunt, abrogant? Recentiora autem Arimini per vim & contentionem extorta anteponunt.* Hæc sunt & alia similia, quæ Athanasius Ariminensi Concilio ut non legitimo opponit: Sed de Romano antistite nihil omnino dicit.

Transeamus ad Damasum, cui soli Bellarminus tribuit, quod Damaso & cæteris Occidentalibus Episcopis tribuendum est. Theodoretus in libri II. hist. capite XVII. *Quod autem formulam istam* (Ariminensis Concilii) *magnopere improbarint athleta omnes veritatis atque imprimis Occidentales, testantur quæ ab his scripta fuerunt ad Illyricos: Scribentium verò princeps fuit Damasus, vir plurimis virtutibus insignis, Romanæ Ecclesiæ post Liberium Cathedram sortitus. Scripsere autem cum illo Episcopi nonaginta ex Italia & Galatia, quæ Gallia nunc vocatur: Quorum etiam nomina, nisi supervacaneum foret, hic apponerem. Literæ vero sunt hujusmodi: Episcopi Romæ in sacro Concilio congregati, Damasus & Valerianus & cæteri, dilectis fratribus in Illyrico constitutis salutem in Domino. Credimus sanctam fidem in Apostolorum doctrina fundatam.* Et quibusdam interpositis: *Sed in ipso principio ab his ipsis, qui Ari-* 52
mini novare ac retractare compellebantur, eatenus res correcta est; Ut confiterentur sibi alia disputatione subreptum, quòd non intelligerent Patrum sententiæ apud Nicæam constitutæ hoc esse contrarium. Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia expectanda erat sententia, neque Vincentium, qui tot annorum Episcopatum integrè gesserat, neque alios talibus præbuisse consensum, maximè cum isti ipsi, sicut diximus, qui per fraudem deflexisse visi sunt, meliore usi consilio, hæc sibi displicere testati sunt. Ex his ergo literis atque ex rei veritate ad Bellarmini mentem sic argumentari convenit: Episcopi Romæ in Concilio congregati, Damasus, Valerianus, & cæteri Ariminense Concilium irritum, & pluribus in eo Episcopis subreptum esse declarant; igitur Damasus est supra Ecclesiam universam, & supra generale Concilium. Iterum: Nec Romanus Pontifex, cujus ante omnia exspectaoda erat sententia, nec ille Vincentius, qui tot annorum Episcoparum gesserat, nec alii plures Ariminensi Concilio assensum præbuerunt ullum; igitur Romanus Pontifex solus est absolutè supra Concilium, non Vincentius, non alii præsules, qui parem tamen cum Romano Pontifice consensum Ariminensi Concilio denegarunt. Quis autem usque adeo futiles & vanas consecutiones non rejiceret? Has simpliciter exposuisse, est validissimè confutasse.

Bellarminus pergit: *Similiter Leo in Epistola* 55. *ad Pulcheriam: Consensiones, inquit, Episcoporum Canonum* 53
apud Nicæam conditorum regulis repugnantes in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus. Leonis testimonium nobilioribus sui partibus truncatum exhibet. Integer hic est: *Consensiones verò Episcoporum sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes unita nobiscum fidei vestræ pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus, in omnibus his Ecclesiasticis legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum per* CCCXVIII. *antistites Spiritus Sanctus instituit. Ita ut etiam si multò plures alii, quàm illi, statuere decernerent, in nulla reverentia sit habendum, quidquid fuerit à prædictorum constitutione diversum.* Bellarminus verba hæc, *unita nobiscum fidei vestræ pietate*, quæ ad Pulcheriam Augustam pertinent, è media oratione sustulit, & quæ sequuntur, *generali prorsus definitione cassamus*, omnino resecuit.

Bellarminus priora verba ideo sustulit, ne quòd est Leoni cum Pulcheria commune videretur, & ne Pulcheria in partem abrogati Canonis, quo Constantinopolitanæ Ecclesiæ prærogativa sanciebatur, venisse crederetur, & ut iis ita constitutis faciliùs posset concludere, Papam esse supra Concilium. Nam si reliquisset verba, quæ sustulit, periculum erat, nequis pari jure concluderet, Pulcheriam esse supra Ecclesiam universam & supra generale Concilium. At Pontifex Leo

S verba

sidi & Concilio inscribuntur; Leoni ut primo membro Concilii; tum Concilio, quod universam repræsentabat Ecclesiam. Ex eone colligitur, Leonem esse supra Concilium, id est, Concilio subjectum non esse. Definitne Leo esse pars Concilii, quod est totum ac proinde qualibet sui parte superius? Profectò Athanasius in Epistola ad Africanos dicit: *Sive quis numerum cum numero comparet, tantò major est Nicæna Synodus*
59 *particularibus Conciliis, quantum totum sui aliqua parte,* ὅσῳ καὶ τὸ ὅλον μεῖζόν ἐστι τοῦ μέρους. Augustinus Athanasium sequitur, cùm ait in libri II. de Baptismo cap. IV. *Universum partibus semper optimo jure præponitur.* Hoc ipsum dictat communis hominum intelligentia, cui nemo præscribere potest.

Utinam Bellarminus perlegisset Concilii hujus actionem III. & plerasque Patrum sententias tantisper expendisset. Tunc vel usus non esset ea ratione, qua mox usum illum vidimus, vel probasset, quod probare non intendisset, scilicet non Leonem modo, sed & Anatolium Constantinopolitanum majorem esse Concilio, quia Anatolius perinde ut Leo non semel duntaxat, sed pluries anteponitur Concilio, cùm antistites de Dioscoro judicium ferunt. Res igitur sic se habet.

Diogenes Episcopus Metropolis Cyzici dixit: Et paullo post: *Consentio his, quæ statuta sunt à sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo Romano Leone, & his, quæ à sanctissimo & beatissimo regiæ novæ Romæ Anatolio, & præsente sancto & universali Concilio.*

Romanus Episcopus Metropolitanus Myrenæ civitatis dixit. Et paullo post: *Consono & ego sequens sanctissimum & Deo amantissimum Leonem senioris Romæ, & sanctissimum & Deo amantissimum Archiepiscopum novæ Romæ Constantinopolitanum Anatolium, & omne sanctum & universale Concilium, profiteor prædictum Dioscorum,* &c.

Constantinus Episcopus Metropolis Melitenæ civitatis dixit. Et paullo post: *Tamen quoniam consequenter & canonicè & justè adversus eum* (Dioscorum) *à sancto*
60 *& beatissimo Archiepiscopo Leone & sanctissimo Anatolio Archiepiscopo novæ Romæ Constantinopolitano, & sancto & magno & universali Concilio est prolata sententia, concors efficior his,* &c.

Idem ordo servatur in sententiis Seleuci Episcopi Metropolitani Sebastiæ Armeniæ primæ civitatis, Joannis Metropolitani Episcopi Sebastiæ civitatis, Patricii Metropolitani Episcopi Thyanæ civitatis, Francionis Metropolitani Episcopi Philippipolis civitatis, Photii Metropolitani Episcopi civitatis Tyri, Nunechii Metropolitani Episcopi civitatis Laodiceæ, Eutropii Adadensis Episcopi, Danielis Cadenæ civitatis Episcopi, Ætherici Episcopi Smyrnæ, Theodori Claudiopolitani Episcopi provinciæ Isauriæ.

Nunc Bellarmino possumus objicere, quæ aliis intrepidè objicit: *Nemo autem in toto Concilio fuit, qui reclamarit ac dixerit, non debere anteponi Anatolium toti Concilio.* Igitur anteponendus est, utpote major Concilio. Quidquid ille responsurus est, contra se responsurus est: Quia si spectetur vis argumenti, eadem est prorsus in Leone & Anatolio. Interim agnosce vanitatem argumenti, quo Bellarminus utitur, & quo non uteretur, si per seipse legisset Concilium; alioqui mala fide ageret cum Apostolica Sede & cum majoribus nostris Parisiensibus Theologis, qui hac in re puram putam Sedis Apostolicæ traditionem adversus Curiales magistros sequuntur, ac strenuè defendunt.

Deinde, si per se ipse legisset Epistolas Romanorum Pontificum, qui ad Decanum & Capitulum hujus vel illius Ecclesiæ identidem scribunt, ex tali scriptionis ordine haud collegisset, opinor, Decanum esse supra
61 Ecclesiæ suæ Capitulum, vel Decanum editis à Capitulo Ecclesiæ suæ constitutionibus subjectum non esse. Quidquid id est, Decani rationis compotes hoc contenderunt nusquam.

Verumenimverò, mirum est Bellarminum nobis opponere illam literarum inscriptionem, quam uti superbiæ & arrogantiæ plenam Gregorius tot modis confixit, *Evangelio, Sedis Apostolicæ traditione, Ecclesiarum omnium jure, sacris Canonibus, humilitatis & rectitudinis virtute.* Bellarminus inspicere debebat in orationes illas, quæ recitatâ Domini Passione Feria VI. in parasceve decantantur. Duæ primæ pro Ecclesia: Tertia pro Romano Pontifice. Prima est hujusmodi: *Oremus dilectissimi nobis pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus ac Dominus noster pacificare, adunare, & custodire dignetur, toto orbe terrarum subjiciens ei principatus & potestates,* &c.

Secunda: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa stabili fide in confessione tui nominis perseveret.*

Tertia: *Oremus & pro beatissimo Papa nostro N. ut Deus & Dominus noster, qui* ELEGIT EUM IN ORDINEM EPISCOPATUS, *salvum atque incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ, ad regendum populum sanctum Dei.*

Inspicere quoque debebat in Missæ Canonem, ubi par ordo servatur: *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata; inprimis quæ tibi* 62
offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, unà cum famulo tuo Papa nostro N. & antistite nostro N. &c.

In illis autem orationibus & in missæ Canone Catholica Ecclesia idcirco præcedit, quia universum quid est, quia corpus Christi: Romanus Pontifex, antistes hujus vel illius loci, & fideles reliqui, quia partes universi, quia membra corporis Christi subsequuntur. At Romanus Pontifex, quia major non est Petro, cui succedit, nonnisi primum est membrum Ecclesiæ. Gregorius Primus in libri III. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum vocat Petrum primum universalis Ecclesiæ membrum. *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite* (Christo) *omnes sunt membra Ecclesiæ.* Et neque Petrus neque Paulus est corpus Christi.

Denique, si Bellarminus legisset & examinasset Sinuessanum Concilium, non objecisset quod in illius fine traditur, *Prima Sedes à nemine judicabitur.* Si legisset & examinasset Romanum Concilium sub Silvestro habitum, non objecisset istud, quod in eo scribitur, *nemo judicabit primam Sedem.* Hæc, inquam, duo non objecisset, quia supposita esse Concilia duo reperiisset. Nam quo modo traditam a S. Marco Ecclesiis Syriæ & Ægypti Syriacam testamenti novi totius editionem rejicit, eodem & Concilia duo hæc rejiceret. Sic igitur Syriacam illam editionem in libri II. de verbo 63
Dei capite IV. rejicit: *Quia nulla editionis hujus memoria prorsus extat apud Clementem Alexandrinum, Eusebium, Athanasium, Theophilum, Epiphanium, Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum, Joannem Damascenum; aliosque Patres, qui vel in Syria, vel in Ægypto, aut Episcopi aut Presbyteri fuerunt, & vel de variis Scripturarum editionibus accuratè disputarunt, vel certè multa de Scripturis sanctis posteritati scripta reliquerunt.* Sic Sinuessanum, sic Romanum illud Concilium rejiciet, quia Sinuessani & Romani Concilii mentio nulla extat apud Eusebium, Hilarium, Athanasium, Rufinum, Epiphanium, Sulpitium Severum, Hieronymum, Orosium, Augustinum, Prosperum, Bedam, & alios auctores, qui vel de Marcellino, vel de Silvestro, vel de Conciliis usque ad annum DCCC. scripserunt: Rejiciet, quia mentio nulla extat apud Dionysium Romanum Monachum, qui Justiniano imperante Codicem Canonum Romanæ Ecclesiæ confecit; apud Diony-

sium, inquam, qui oblitus non esset Sinuessani & Romani Concilii Canones si qui fuissent editi, & Romæ tunc in scriniis asservati; qui Sinuessani & Romani Concilii Canones non reliquisset in præteritis, cùm habitarum Ancyræ, Neocæsareæ, Gangræ, Antiochiæ, Laodiceæ, Carthagine Synodorum Canones diligenter arcessit, & Codici suo intulit. Quis verò adferret, Dionysium, cùm is foris esset egregie oculatus, domi prorsus cæcutiisse?

Præterea, quo modo Bellarminus Joannam Papissam rejicit, eodem & Concilio duo hæc rejiceret. Sic au-
64 tem in libri III. de Rom. Pont. capite XXIV. Joannam Papissam rejicit: *Non solum Latini, ut Anastasius, Ado, Regino, Lambertus, Hermannus, Abbas Urspergensis & Otto Frisingensis, sed etiam Græci, qui ante Marianum Polonum scripserunt, ut Zonaras, Cedrenus, Joannes Curopalatas & alii, nullam mentionem hujus tam prodigiosæ historiæ inter res ejus temporis faciunt.* Sic Sinuessanum, sic Romanum Concilium rejiciet: Idque longè verisimilius. Nempe Martinus Polonus, qui Bellarmini judicio Joannæ Papissæ primus meminit, ad tempus, quo Joanna sedisse dicitur, accedit propiùs, quàm Nicolaus I. qui Sinuessani & Romani illius Concilii meminisse primus invenitur, ad tempus, quo utrumque Concilium habitum esse fertur. Martinus Polonus circa annum M. CCL. claruit; Joanna verò circa annum DCCCLIV. sedisse ponitur. Sinuessanum Concilium anno Christi CCCIII. & Romanum anno CCCXV. celebratum dicitur. Nicolaus verò Romanam Ecclesiam administrandam suscepit anno DCCCLVIII. qui & aliàs excipi se facilè patitur, cùm ei per otium non licuerit, omnia quæ laudat, suis momentis expendere. Nam laudat coactum à Sixto III. Concilium, in quo Polychronius Hierosolymitanus Episcopus de sua Sede dejicitur, & tamen Hierosolymis Episcopus nomine Polychronius tunc nullus fuit, vel esse potuit, rebus in eo quo erant statu manentibus. Hierosolymitanam Ecclesiam magna cum laude tunc gubernabat Juvenalis, qui Ephesino Concilio I. & Calchedonensi interfuit.

Est & aliud, quo citati à Bellarmino Canones ex-
65 scinduntur, & inter commenta penitus amandantur; Romanum videlicet Concilium, in Damasi & Ursicini causa convocatum: cujus verba ex illius Epistola III. ad Valentinianum & Gratianum suprà retulimus.

Nunc apposité de Bellarmino dici potest, quod Joannes Fischerus Roffensis Episcopus & Martyr præclaré scribit in libro de unica Magdalena: *Qui rationes invalidas & inefficaces adfert, perinde est, ac si nullas attulisset, immò longè fuisset ei satius, si nullas adduxisset. Cùm enim quis sententiam aliquam nulla fultam ratione producit in medium, simpliciter & nudis eam verbis asserens, dubitare de illo adhuc possumus, num abditum aliquid soliditatis habeat, cui innititur, quod hactenus non explicuit. Verùm, qui suam opinionem rationibus munit, quæ palam sunt invalidæ, nulliúsque roboris, profectò seipsum prodit hallucinatum fuisse, atque fallacibus inductum rationibus ut ita opinaretur; suumque ita errorem ipse manifestum facit, quando cunctis apertissimè liquet, eum omni solida carere basi.* Sic Bellarminus in hac materia describitur, sic descriptus agnoscitur.

His autem omnibus subjicio galeatam, eámque communem universim iis, quæ ante de singulis Bellarmini argumentis comminus disputata sunt, observationem. Nicænam Synodum decrevisse, quod non decrevit ponamus; firmitatem Conciliorum Romano Pontifici tribuendam esse: Bellarminus ex decreto tali non conficeret, quòd in probatione sua quinta conficere intendit. Quid ita? Nicæna Synodus in Canone IV. statuit, *Ut firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo:* τὸ
66 δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Et tamen ex hoc Canone inferre non licet, Metropolitanum esse supra provinciale Concilium, ab hoc Concilio judicari non posse aut deponi, etiamsi causa legitima subsisteret. Hic est unus scopulos, ad quem Bellarmini ratio usquequaque non appellitur solum, sed etiam vehementissimè frangitur.

——Ut præceps cumulo salit unda minantes
In scopulos, & fracta redit.——

Superest modò ut acta Conciliorum approbare & confirmare quid sit, ex doctrina Romanorum Pontificum exponamus. Ad consignandam rei hujus notionem duo sufficient, Leo I. & Martinus I. Sic autem Leo in Epistola LXI. ad Calchedonensem Synodum scribit: *Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in Synodo Calchedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres & Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus & clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna universitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam, vobiscum unisse sententiam, in sola fidei causa (quod sæpe dicendum est) propter quam generale Concilium ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Sedis Apostolicæ placuit congregari.* Sic ex professo tractat, quid sit acta Conciliorum approbare, & seipsum in exemplum rei proponit, cùm acta Calchedonensis Concilii approbavit: Per appro- 67
bationem, inquit, gestorum Synodalium propriam vobiscum inivi sententiam. At propriam cum Patribus Concilii sententiam inire, aliud nihil est, quàm definientibus Concilii Patribus assentiri: Quod ita Martinus confirmat in Epistola ad Amandum Trajectensem Episcopum.

Ideo necesse habuimus, ut pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commissa sunt, culpa reatu obstringamur, cœtum generalem fratrum & Coepiscoporum in hac Romana civitate congregare, in quorum præsentia, memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, & Apostolico mucrone, Patrúmque definitionibus uno ore, unóque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur: Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere unà cum Encyclia nostra, ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum, ut filii lucis, extinguere. Idcirco studeat Fraternitas tua, omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quámque suæ salutis Sacramenta addiscere valeant, atque Synodali conventione omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effectæ secundum tenorem Encycliæ à nobis directæ, scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, CONFIRMANTES ET CONSENTIENTES EIS, *quæ pro orthodoxa fide, & destructione hæreticorum vesania nuper exorta à nobis statuta sunt.* Martinus postulat, ut Gallicani antistites
coacta Synodo confirment ea, quæ Romana Synodus 68
pro orthodoxa fide adversus hæreticos & Monothelitas potissimum definierat. At Martino confirmare Synodum est Synodo consentire: Et Synodo consentire, Leoni est propriam cum Synodo sententiam inire: Quæ omnia unum & idem sonant.

Cyrillus Alexandrinus Episcopus notionem hanc occupatat in Epistola, quam ad Acacium Melitenæ Episcopum scribit. *Quòd si Epistolam,* inquit, *tanquam à Philippo reverendissimo Romanæ Ecclesiæ Presbytero scriptam attulerunt, perinde sonantem ac si sanctissimus Episcopus Sixtus depositionem Nestorii molestè acceperit, eique opem tulerit, ne credat hoc sanctitas tua: Scripsit enim consona sanctæ Synodo, omniáque illius acta nobiscum confirmavit, & nobiscum sensit.* Locutiones tres ultimæ unum & idem significant. Prima & tertia secundam

exprimunt

exprimunt & interpretantur. Theodoretus hunc spectat, cum ait *Silvestrum legatis suis potestatem dedisse alios Nicæni Concilii assentiendi.*

Hæc est igitur vera confirmationis & approbationis Conciliorum notio, quæ Romanum Pontificem, nec supra Concilium attollit, nec liberum ab errore immunémque in definiendo facit; alioqui Gallicanos antistites supra Concilium attolleret, & liberos ab errore immunésque in definiendo faceret, si Martini Papæ verba ad sensum tam alienum detorquerentur. Quin etiam singuli Præsules qui Synodo cuipiam consentirent, prærogativa illa duplici gauderent. Ut ex Facundo colligitur, dum in libri v. capite v. ait: *Quod idem modus esse debet atque ordo quærendi, post definitionem Concilii totius Ecclesiæ consensione formati, qui fuit ante definitionem.*

69 Bellarminus notionem illam vel ignorat vel dissimulat, & si non ignorasset, aut dissimulasset, nos levasset onere confutandarum rationum (si tamen rationes dici possint somnia;) quas ut probet Papam esse supra Concilium, ex approbatione & confirmatione Synodorum depromit. Quidquid in causa, Bellarminus in libri III. de translatione Imperii capite IV. veterem illam notionem rejicit, quod ea Nicolaus Cusanus in libri III. de Concordantia capite IV. utatur. Cusanus enim dicit: *In Conciliis universalibus concurrit in primo gradu auctoritas ipsius Papæ per consensum cum aliis omnibus ipsum Concilium celebrantibus. Vigor nihilominus definitionis non est ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium & ipsius & aliorum consensu dependet.* Bellarminus contrà dicit: *Libros de Concordantia Catholica scriptos esse à Nicolao Cusano adhuc juvene, & in gratiam Concilii Basileensis, atque eorum, qui tum nihil magis optabant, quàm aliquid dici vel scribi, quo Romani Pontificis auctoritas minueretur. Ex quo etiam fonte manaverunt illa verba, Vigor nihilominus definitionis non ab ipso primo omnium Pontifice,* &c.

Et primò quidem inter Cusanum juvenem & Bellarminum maturæ ætatis virum hoc interest, quod juvenis ille antiquam Romanorum Pontificum doctrinam sequatur, & maturæ ætatis vir iste abjiciat.

Deinde non parva Basileensis Concilii laus est & commendatio, quòd in illius gratiam Leo I & Martinus I. Cyrillus, Theodoretus, & Facundus aliquid scripserint, & Concilium illos sequatur.

Tum demum Bellarminus fallitur significans, id 70
quod Cusanus scripsit, jam tum primum in gratiam Concilii Basileensis inventum esse. Nam anno Christi M. CCCCXXIX. III. Calend. Apriles, Joannes Saracenus Dominicani Ordinis Professor Licentiatus in Theologia coactus Parisiis est revocare propositionem hanc, *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis in solo summo residet Pontifice,* & contrariam veritatem ut certam profiteri: *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto, & Ecclesia Catholica.* Tunc opinor Concilium nullum Basileæ celebrabatur. *Religionis est instar fidem de temporibus asserere,* Tertullianus in Apologetici capite XIX. Quæ tibi nota sunt, recenseo, nec ob id recenserem, nisi series orationis exigeret. Nam probè teneo te incredibilem adhibere diligentiam in examinandis rebus, quæ Ecclesiasticis dogmatibus, Sedis Apostolicæ traditioni, & Facultatis nostræ decretis opponuntur; & te insuper honestati vitæ, & politiori literaturæ, quæ tibi cum fratribus & communis & singularis est, adjicere curam & studium veræ ac solidæ Theologiæ, qualis à majoribus nostris Parisiensibus Theologis describitur, *Divinarum scripturarum peritia, recepto, quem Ecclesia approbat, sensu, non spretis orthodoxorum Doctorum interpretationibus & censuris, & interdum aliarum disciplinarum non contempto suffragio.* Bene vale. Lutetiæ Parisiorum XV. Calend. Januarii ann. M. DC. LIV.

Joannes Launoius
HADRIANO VALLANTIO,

Parisiensi Theologo, & Remensi Ecclesiastæ.

1 BENE ac sapienter judicas, operæ pretium esse, sanctorum Patrum testimoniis confirmare Parisiensem illum nostrum articulum, in quo ut fundamento tota nititur sententia, quæ Concilium supra Papam constituit. Articulus ille est, quem in Epistola ad Christophorum Fauvæum Parisiensem Theologum ita proposui. *Eodem veritatis fundamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de jure divino immediatè à Christo Ecclesiæ concessam, & ab ea magnopere timendas esse censuras.* Pronomine hoc, *eodem,* respectus habetur ad præcedentes articulos, in quibus multa divina fide credenda decernuntur. Facultas Theologiæ articulum hunc Conciliorum, quàm Scholæ verbis exprimere maluit. Dignum est laude & commendatione consilium. Quæ enim ab omnibus credi debent, recepto in Conciliis loquendi modo exprimi satius est, & Ecclesiasticæ prudentiæ convenientius. Sed quoniam articulus scholæ verbis non exprimitur, hinc accidit, ut à nonnullis etiam Theologis minùs perfectè intelligatur. Ad illorum captum, quod mireris, rem accommodarunt externi Theologi, Dominicus Sotus, & Martinus Navarrus; ille in quartum sent. dist. XX. qu. I. art. IV. *Utrum potestas jurisdictionis in utroque foro fuerit collata Ecclesiæ, ut in toto corpore immediatè* 2
resideat, an verò in prælatis ejus. Et quibusdam interpositis: *Enimvero Gerson in tractatu potestatis Ecclesiasticæ, quem imitatur Almainus in suo libro de comparatione Papæ & Concilii cap. VI. atque alii fautores opinionis illius, quòd Concilium est supra Papam, arbitrati suam opinionem ex hoc fundamento pendere, aiunt potestatem Ecclesiasticam jurisdictionis in utroque foro residere in tota universitate Ecclesiæ, hoc est, in toto corpore, quod aiunt, Categorematicè instar reipublicæ civilis.* Hic in cap. Novit. de judiciis notab. III. num. LXXXIV. *Non est consilium in præsentia definire, cui principaliter Ecclesiæ potestas fuerit à Christo collata, an toti Ecclesiæ, an verò ipsi Petro propter illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium. Hi verò, quibus Gerson adhæret, tenent totam datam esse Ecclesiæ, licèt exercendam per unum, atque ideo in aliquibus saltem casibus Concilium esse supra Papam.* Romanorum nomine Romanam Ecclesiam non intelligit, aut Sedem Apostolicam, depellat malum hoc Deus [illegible], sed Sedis Apostolicæ Doctores, de quibus Pius II. ad Carolum VII. Regem Galliæ sic scribit

bit in Epistola CCCLXXIV. *Unum à te petimus, fili charissime, Doctoribus Sedis Apostolicæ non semper credas, multa illorum passionibus tribuas.* Quod Pontifex à Rege nostro postulat, cùm Christianæ Reipublicæ interfit, ad omnes pertinet. Id putemus nobis dictum, & Pio recta sanáque postulanti morem geramus. Sed contrà quàm intendit Pius, Sedis Apostolicæ Doctores istiusmodi in alias provincias & plerasque Academias se paulatim insinuaverunt. Et si hodiernum spe-
3 ctetur tempus, quæ magna est in Ecclesia Dei tentatio,
irrupisse dicendum est.

His præmissis omnibus, ad Ecclesiæ traditionem venio, cui Christus apud Matthæum in cap. XVIII. Evangelii præluxit: *Si peccaverit frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum; vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum, quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Cætera scripturæ loca prætereo, quod inter Patrum testimonia subinde occurrent.

I. Tertullianus familiam ducet in libri de Oratione capite II. *Dicendo autem Patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis est. Item in Patre filius invocatur. Ego enim, inquit, & Pater unum sumus. Ne Mater quidem Ecclesia præteritur, si quidem in filio & patre mater recognoscitur, de qua constat & patris & filii nomen.*

Deinde in libri ad Martyras capite I. *Inter carnis alimenta, benedicti Martyres designati, quæ vobis & domina mater Ecclesia de uberibus suis, & singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant*, &c. Matrem & Dominam intelligit Ecclesiam; quam Spiritus Sanctus congregavit. De qua ideo nobis constat Patris & Filii nomen, quia per eam nos Deus Christianos fecit. Sed cùm Matris & Dominæ Ecclesiæ appellatio, pietatis & potestatis sit appellatio, Tertullianus Parisiensem articulum firmiter sustentat.

Tum in libri de Baptismo capite VI. *Cùm autem sub tribus & testatio fidei, & sponsio salutis pignerentur, ne-*
4 *cessariò adjicitur Ecclesiæ mentio, quoniam ubi tres, id est,*
Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.

Quartò in capite XVII. *Dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus. dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salvo pax salva est: alioquin etiam laicis jus est; quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi Episcopi jam aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, discentes: Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde & baptismus æquè Dei census ab omnibus exerceri potest, sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit, cùm ea majoribus competant, ne sibi assumant dicatum Episcopis officium Episcopatus. Æmulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, ubi urget circumstantia periclitantis.*

Quintò in libri de exhortatione castitatis capite VII. *Sed Christo servabatur sicut in cæteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Inde igitur apud nos plenius atque instructius proscribitur, unius matrimonii esse oportere, qui alleguntur in ordinem Sacerdotalem, usque adeo quosdam memini digamos loco dejectos. Sed dices, ergo & cæteris licèt, quos excipit, vani erimus, si putaverimus, quod Sacerdotibus, laicis licere? Nonne & laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum*
5 *sanctificatus à Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis non est con-*
sessus, & offers & tinguis, & Sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licèt laici. Unusquisque enim sua fide vivit, nec est personarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores legis justificantur à Deo sed factores, secundùm quod & Apostolus dicit. Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tinguis: Digamus offers? Quanto magis laico capitale est agere pro Sacerdote, cùm ipsi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem?

Denique in Scorpiaces capite X. *Nam etsi adhuc clausum putas cœlum, memento claves hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, quas hic unusquisque, interrogatus atque confessus feret secum.* Locus hic ultimus, in quo per Petrum à Christo claves accepit Ecclesia, superioribus lucem non modicam præbet. Sed in omnibus explicata mox Parisiensium sententia delineatur & conspicitur. Tertullianus in toto Ecclesiæ corpore Sacerdotium residere dicit, & ad Ecclesiæ auctoritatem revocat discrimen, quod inter ordinem & plebem constituitur, cùm scilicet è toto corpore Ecclesiæ eliguntur nonnulli, quibus ritu quodam sacro, vel Diaconatus, vel Presbyteratus, vel Episcopatus officium dicetur. DICATUM, inquit, EPISCOPIS OFFICIUM EPISCOPATUS. Uno verbo, qui sacris & ministerio fidelium præponantur. Deinde discrimen illud, quod apud auctorem ab Ecclesia inter ordinem & plebem constituitur, ita sanctum & divinum est, ut nonnisi conflato schismate violari possit. In summa Tertullianus asserit, Dominum claves per Petrum Ecclesiæ reliquisse,

Præterea Tertullianus in ea se fuisse sententia decla- 6
rat ampliùs, cùm Christianæ veritatis & disciplinæ metas excessit, seque ab Romanæ Ecclesiæ communione segregavit. Nam in libro de pudicitia, ubi mœchis negandam esse veniam disputat, non Ecclesiæ, sed Petro ad tempus datas esse claves contendit. Verba sunt è capite XXI. *De sua nunc sententia quæro, unde hoc jus Ecclesiæ usurpes, si quia dixerit Petro Dominus, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves regni cœlestis, vel quæcunque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel soluta in cœlis, idcirco præsumis & ad te derivasse solvendi & alligandi potestatem, id est, ad omnem Ecclesiam Petri propinquam, qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem: Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam. Dabo tibi claves, non Ecclesiæ.* Sententiam priorem revocat, ut incommodet Romano Episcopo, qui mœchis veniam esse concedendam edixerat. Ex quo insuper apparet, Romæ tunc esse creditum, quod in persona Petri claves datæ essent Ecclesiæ, id est, ligandi atque solvendi potestas. Tertullianus igitur Romanæ conjunctus Ecclesiæ, Parisiensium sententiæ fundamenta post scripturam posuit; ab Romana sejunctus Ecclesia, ad nos Romanam adducit Ecclesiam, quæ posita fundamenta confirmet.

II. S Cyprianus in Epistola XXVII. Lapsis. *Dominus noster*, inquit, *cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Eccle-* 7
siam meam, & portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Notentur locutiones istæ: *Dominus Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur. Ecclesiæ ratio decurrit: omnis actus Ecclesiæ per Episcopos gubernatur: Dominus Ecclesiæ suæ rationem disponit, dum illi claves dedit.* Tum, *Ecclesiæ ratio decurrit, & omnis actus Ecclesiæ per Episcopos gubernatur, dum concessa Ecclesiæ potestas per Episcopos exercetur.*

Deinde in Epistola LXXIII. ad Jubaianum: *Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam,*

&

& unde unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cælis, quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens : Sicut misit me Pater, ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, inspiravit, & ait illis : Accipite Spiritum Sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittentur illi, & si cujus tenueritis tenebuntur. Et post alia : *Quò venturus est qui sitit, utrum ne ad hæreticos, ubi fons & fluvius aquæ vitalis omnino non est ? An ad Ecclesiam, quæ una est, & super unum, qui & claves ejus* (Ecclesiæ) *accepit, Domini voce fundata est ?* Sic datæ sunt claves Ecclesiæ, sed eas Petrus unus accepit, ut Ecclesiæ unitatem commendaret.

8 Tum demum in libro de unitate Ecclesiæ, ut eam unitatem commendet, uni Petro, sed in persona Ecclesiæ ligandi ac solvendi potestatem datam esse à Christo scribit : *Sed exordium,* inquit, *ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur.* Et post alia : *Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat : Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur ; quomodo solis multi radii, sed lumen unum.* Et quibusdam interpositis : *Sic & Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur.* Quot similitudines, tot argumenta, quibus Parisiensium sententia vel probatur, vel explicatur. Cæterum Cyprianus, Tertulliani discipulus, magistrum sequitur, & magistri mentem latiùs aperit.

III. Arelatense Concilium primum in Epistola ad Silvestrum Papam de Donatistis : *Quos & Dei nostri præsens auctoritas & traditio ac regula veritatis ita respuit, ut nulla in illis, aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus aut probatio conveniret. Ideo judice Deo & Matre Ecclesia, quæ suos novit & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi.* Hic Mater Ecclesia sumitur ut apud Tertullianum & Cyprianum, qui Tertulliani vestigiis insistens scribit in Epistola LXXIV. ad Pompeium : *Qui filius Ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum*
9 *Patrem, ante Ecclesiam Matrem ?* Deinde in libro de unitate Ecclesiæ : *Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Concilium igitur in matre Ecclesia judicandi potestatem residere significat : Judice Deo & Matre Ecclesia. Sed judicandi potestas illa per antistites exercetur. Parisiensis articulus ex Concilii hujusce verbis depromptus videtur.

IV. Optatus in libro II. contra Parmenianum : *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros, & turbam fidelium.* Si Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ministri, certa quædam sunt membra Ecclesiæ, profectò Ecclesia corpus est, quod per illa membra suos actus exercet. Neque Optatus simile quid scriberet, nisi principalem potestatem à Christo Ecclesiæ toti collatam fuisse supponeret, quæ postea per Ecclesiæ ministros exercerētur.

Deinde in libro VII. ut Ecclesiæ unitatem confirmet adversus Donatistas, qui se ab illa seperaverant : *Quòd si de recipiendis vobis Catholica dubitaret, nonne vos debuistis unitatis adsequi formam ? Sed exempla in Evangelio lecta proponere noluistis ; ut est lectio de persona beatissimi Petri, ex qua forma unitatis retinenda vel facienda descripta recitatur.* Et quibusdam interpositis : *Gravius est enim negare eum, qui locutus sit, quàm tradidisse verba, quæ locutus sit, & cùm hæc ita scripta sunt, tamen bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, & præferri cæteris Apostolis meruit, & claves regni cælorum communicandas cæteris solus accepit.* Et post alia :
10 *Ecce ut suprà dictum est, cæteris non agnoscentibus solus agnovit, cæteris non promittentibus solus promisit, cæteris nec semel negantibus ter solus negavit, & tamen bono unitatis de numero Apostolorum separari non meruit ; unde intelligitur, omnia ordinata esse providentia Salvatoris, ut ipse acciperet claves. Interclusa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam judicandi conciperent, & severè contemnerent eum, qui negaverat Christum. Stant tot innocentes, & peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur.* Quæ omnia mirificè probant, Ecclesiam in persona Petri claves accepisse. Sed ut unitatis negotium formaretur, solus illas Petrus accepit. Unde paullò post Catholica Ecclesia peccatores suo sinu suscipere dicitur. *Provisum est,* inquit, *ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, & quæ necessaria est unitas, esse non posset. Hæc si commemoraretis, communicare cupientes, quando vos Catholica pio sinu suscipere dubitaret Ecclesia ?*

V. Sanctus Hilarius can. XVI. in Matthæum : *Igitur,* inquit, *quia summum in fide ista bonum est, à discipulis requirit, quem se homines esse dicerent ?* Et post pauca : *Eduis itaque quæ diversa de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ipsi sentiant, quærit : Petrus respondit, Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et post pauca : *Quod igitur de se opinandi judicium desiderabat, non illud arbitrabamur, quod de se ipse confessus est, sed occultum erat, de quo quærebatur, in quod se credentium fides debebat extendere. Et dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset.* Et post pauca : *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione il-* 11
lius Petra, quæ infernas leges & tartari portas & omnia mortis claustra dissolveret beatus cæli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur.

Deinde in libro VI. de Trinitate : *Perdidit me repertus secundum cor suum David, & dignus Salomon Divina sapientiæ munere, & viso Domino Sabaoth. Esaias prædicans, & ante conformationem sanctificatus in utero Hieremias, eradicandarum & plantandarum gentium Prophetas, & mysteriis resurrectionis Ezechiel testis, & vir desideriorum Daniel temporum conscius, & Prophetarum consecratus chorus, & omne prædicationis Evangelicæ sacramentum electus ex publicano Matthæus in Apostolum, & ex familiaritate Domini & revelatione cælestium mysteriorum dignus Joannes, & post Sacramenti confessionem beatus Simon, ædificationi Ecclesiæ subjacens, & claves regni cælestis accipiens, & reliqui omnes Spiritu Sancto prædicantes, & ex persecutore Apostolus vas electionis tuæ, Paulus in profundo maris vivens.* Et post alia : *Dicunt ei Discipuli ejus. Nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc ergo scimus, quia nosti omnia, & non habes necesse, ut aliquis te interroget ; in hoc credimus, quia à Deo existi. Quæ rogo hic verbi hujus admiratio est, quòd se exisse à Deo professus sit ? Tanta & tam propria vos ò sancti & beati viri ob fidei vestræ meritum claves regni cælorum sortiti, & ligandi atque solvendi in cælo & in terra jus adepti, gesta esse per Dominum nostrum Jesum Christum Dei filium videratis.* Et post alia, locutus de confessione Petri : *Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum, et hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum, hæc fides reg-* 12
ni cælestis habet claves. Hæc fides, quæ in terris solverit, aut ligaverit, & ligata sunt in cælis & soluta. Petrus in priori loco claves ut præmium confessionis accipit ; in posteriori claves easdem ut præmium quoque confessionis suæ Apostoli omnes accipiunt, id est, Ecclesia. Unde subjungit : *Sit sanè fides alia, si aliæ claves regni cælorum sunt : Sit fides alia, si Ecclesia alia est futura, adversus quam portæ inferi non prævalebunt : sit fides alia, si alius erit Apostolatus, ligata & soluta per se in terra, ligans in cælo atque solvens.* Hæc igitur omnia testimonia inter se collata eò pertinent, ut ostendant à Christo datas fuisse claves Ecclesiæ, quæ postea suos actus per Apostolos exercuit, & per illorum successo-

tes

res exercere debet, nt sacri Canones præscribunt. Et fane ant oeuter est Hilarius, aut à Parisiensium stat sententia.

VI. Sanctus Basilins in Monasticarum constitutionum capite XXIII. *Petre*, inquit, *amas me plus his? Pasce oves meas: & omnibus deinceps Pastoribus ac magistris eandem tribuit potestatem, cujus quidem rei signum est, quod omnes similiter atque ille ligent ac solvant.* Ad Parisienses potiùs, quàm ad memoratos à Pio II. Sedis Apostolicæ Doctores accedit.

VII. Sanctus Ambrosius in libri de dignitate Sacerdotali capite II. *Sic certè à Domino ad beatum Petrum dicitur: Petre amas me? & ille, tu scis quia amo te: & cùm tertiò fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est à Domino tertiò, pasce oves meas. Quas oves & quem gregem non solùm tunc beatus sus-*
13 *cepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.* Hæc in Parisiensium potiùs, quàm io Romaoorum, doctrinam flecti possnnt. Id paullo pòst beatus explicabit Augustinus.

VIII. Sanctus Chrysostomns Basilium imitatnr, in Homilia LXI. fuper Matthæum: *Poterat Christus etiam ab initio jubere in Ecclesia corripi fratrem. Sed ne divulgentur illius peccata non jussit. At post unam alterámque admonitionem id præcepit. Ecquid verò est in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Habes testimonium*, inquit, *sufficiens ita te tuas partes omnino obiisse, ut nihil eorum, quæ par erat adhibere, omiseris. Si verò etiam hosce non audierit, dic Ecclesiæ, id est, præsidibus* τουτέστι τοῖς προεστῶσιν, qui si causa postulat, in Synodnm coibnnt.

Deinde io hnmilia LXXIX. fuper eundem Matthæum: *Amas me Petre? pasce oves meas, cùm tertiò ipsum interrogasset, hoc amoris argumentum esse confirmavit: quod non ad Sacerdotes solùm dictum est, verumetiam ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus esse videtur: Nec enim quia minimus est, negligi debet. Pater namque complacuit in ipsis. Habet unusquisque ovem: Ad pinguia eam pascua ducat.* Ex his verbis intelligendus est Chrysostomus, cùm in Homilia LXXXVII. super Joannem in Homilia LXXX. ad populum Antiochennm, & in Homilia VI. contra Judæos dixit Christum Petro orbis terrarum curam & προστασίαν contulisse. Ita ut in ea sit sententia, ut credat, Petrum tunc personam Ecclesiæ gestasse.

IX. Sanctus Hieronymus in caput XVIII. Matthæi.
14 *Corripiendus est autem frater seorsum, ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. Et si quidem audierit, lucrifacimus animam ejus, & per alterius salutem nobis quoque acquiritur salus. Sin autem audire noluerit, adhibeatur & tertius, vel corrigendi studio, vel conveniendi sub testibus. Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est.* Et paullò pòst: *Potestatem tribuit Apostolis, ut sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam divina sententia roborari.*

Iterum in libro I. contra Jovinianum: *At dicis super Petrum fundatur Ecclesia, licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea unus eligitur ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Hieronymus utiqne Parisiensi decreto suffragatur.

X. Sanctus Augustinus majorum doctrinam pluribus in locis expressit.

Et primò quidem in libri I. de doctrina Christiana capite XVIII. *Porro quoniam in via sumus, nec via ista locorum est, sed affectuum, quam intercludebant quasi septa quædam spinosa, præteritorum malitia peccatorum, quid liberaliùs & misericordiùs facere potuit, qui seipsum nobis, quò rediremus, substernere voluit, nisi ut omnia donaret peccata conversis, & graviter fixa interdicta reditus nostri pro nobis crucifixus evelleret?* HAS IGITUR CLAVES DEDIT ECCLESIÆ SUÆ, *ut quæ solveret in terris, soluta essent in cælo, quæ ligaret in terra, ligata essent in cælo. Scilicet ut quisquis in Ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur.*

Deinde in libri I. contra legis Adversarium capite 15
XVII. CLAVES QUIPPE REGNI CÆLORUM SIC DEDIT CHRISTUS ECCLESIÆ, *ut non solùm diceret, quæ solveritis super terram, erunt soluta & in cælis; ubi apertissimè bonum, non malum, pro malo reddit Ecclesia; verùm adjungeret, quæ ligaveritis in terra erunt ligata & in cælo, quia bona est & vindicandi justitia. Illud enim, quod ait, si nec Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.*

Tum in libri de Agone Christiano capite XXX. *Nusquam tam vigere debent viscera misericordiæ, quàm in Catholica Ecclesia, ut tanquam vera mater, nec peccantibus filiis superbè insultet, nec correctis difficilè ignoscat. Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus:* HUIC ENIM ECCLESIÆ CLAVES REGNI CÆLORUM DATÆ SUNT, CUM PETRO DATÆ SUNT, *& cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oves meas. Debet ergo Ecclesia Catholica correctis & pietate firmatis libenter ignoscere, cùm ipsi Petro personam ejus gestanti, & cùm in mare titubasset, & cùm Dominum carnaliter à passione revocasset, & cùm aurem servi gladio præcidisset, & cùm ipsum Dominum ter negasset, & cùm in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, cúmque correctum atque firmatum usque ad Dominicæ Passionis gloriam pervenisse. Itaque post persecutionem, quæ per Arrianos hæreticos facta est, posteaquam pax, quam quidem Catholica in Domino tenet, etiam à principibus sæculi, reddita est: Episcopi, qui*
perfidiæ Arrianorum in illa persecutione consenserant, multi 16
correcti redire in Catholicam delegerunt, damnantes sive quod crediderant, sive quod se credidisse simulaverant. HOS ECCLESIA CATHOLICA MATERNO RECIPIT SINU, *tanquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tanquam eundem post pravam simulationem Pauli voce correctum.*

Quartò in ejusdem libri capite XXXI. *Hanc illi matris caritatem superbè accipientes & impiè reprehendentes, quia Petro post galli cantum surgenti non gratulati sunt, cum Lucifero, qui manè oriebatur, cadere meruerunt. Nec eos audiamus, qui negant,* ECCLESIAM DEI OMNIA PECCATA POSSE DIMITTERE. *Itaque miseri, dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere,* DATAS ECCLESIÆ CLAVES REGNI *cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt.*

Quintò in concione II. super Psalmum XXX. CUJUS (Ecclesiæ) PERSONAM GEREBAT PETRUS, *quando ei de cælo submissus est discus plenus omnibus animalibus, quadrupedibus, reptilibus, & volatilibus.*

Sextò io enarratione super Psalmum CVIII. *Sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in* FIGURA GESTASSE PERSONAM PROPTER PRIMATUM, *quem in Discipulis habuit: Sicuti est, Tibi dabo claves regni cælorum.*

Septimò in libri II. quæstionum Evangelicarum quæst. VI. *Septuagies septies ignoscendum esse admonemur, ut intelligamus nullum peccatum excipi, quod pœnitenti*
& veniam deprecanti, PER ECCLESIAM, CUJUS PER- 17
SONAM PETRUS GESTAT, NON DIMITTATUR.

Octavò in libri III. de Baptismo capite XVII. *Nam quod* IN TYPO UNITATIS PETRO DOMINUS DEDIT POTESTATEM, *ut id solveretur in terris, quod ille solvisset, manifestum est, quod illa unitas etiam una columba perfecta sit dicta.*

Nonò in ejusdem libri capite XVIII. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Hoc cùm dixisset, insufflavit, & ait illis: Accipite Spiritum Sanctum. Si cujus remiseritis peccata, remittentur ei, si cujus tenueritis, tenebuntur.* ERGO SI PERSONAM GEREBANT ECCLESIÆ, ET

SIC

SIC EIS HOC DICTUM EST, TANQUAM IPSI ECCLESIÆ DICERETUR, *pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesia pace alienatio tenet peccata, non secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei,* &c.

Decimò in libri VII. de Baptismo capite LI. *Quibus omnibus consideratis puto me non temerè dicere alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint de eadem domo Dei, quæ dicitur ædificari super Petram, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, Paradisus cum fructu pomorum.* QUÆ DOMUS ETIAM ACCEPIT CLAVES, AC POTESTATEM SOLVENDI, ET LIGANDI: *Hanc domum si quis corripientem corripientémque contempserit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Undecimò in tractatu L. super Joannem: *Unus malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, imò corpus Ecclesiæ in bonis. Nam si in eo non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus:*
18 *Tibi dabo claves regni cælorum; quæcunque solveris in terra, soluta erunt & in cælo, & quæcunque ligaveris in terra, ligata erunt & in cælo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia: Si autem & in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in cælo ligentur, & quæ solvuntur in terra, solvantur in cælo, quia cùm excommunicat Ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus, cùm reconciliatur ab Ecclesia, in cælo solvitur reconciliatus; Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit,* ECCLESIAM SANCTAM SIGNIFICAVIT.

Duodecimò in tract. CXVIII. super eundem Joannem: *Meritò vestis, quæ significatur* (Charitas) *desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem, ne aliquando dissuatur, & ad unum pervenit. Quia in unum omnes colligit. Sicut in Apostolis cùm esset etiam ipse numerus duodenarius, id est, quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: Tu es Christus filius Dei vivi, & ei dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, tanquam ligandi & solvendi solus acceperit potestatem: Ergo illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus* TANQUAM PERSONAM GERENS IPSIUS UNITATIS ACCEPERIT: *Ideo unus pro omnibus quia unitas est in omnibus. Unde & hoc cùm dixisset, desuper contexta, addidit per totum. Quod si referamus ad id quod significat, nemo ejus est expers, qui pertinere invenitur ad totum, à quo toto sicut Græca indicat lingua, Catholica vocatur Ecclesia.*

Decimotertiò in tractatu CXXIV. super eundem Joannem: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Sic agit Ecclesia spe beata, in hac vita ærumnosa,* CUJUS ECCLESIÆ PETRUS A-
19 POSTOLUS PROPTER APOSTOLATUS SUI PRIMATUM GEREBAT FIGURATA GENERALITATE PERSONAM. *Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus: Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis,* UNIVERSAM SIGNIFICABAT ECCLESIAM, *quæ in hoc sæculo diversis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, & non cadit, quia fundata est super Petram. Unde Petrus nomen accepit.* Et quibusdam interpositis: ECCLESIA ERGO, *quæ fundatur in Christo,* CLAVES AB EO REGNI CÆLORUM ACCEPIT IN PETRO, *id est, potestatem ligandi solvendique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in Petra, qui significatione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia,* QUAM SIGNIFICABAT PETRUS, *quamdiu degit in malis, amando & sequendo Christum liberatur à malis.* Et post alia: *Omnibus igitur Sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus propter hoc vitæ procellosissimæ gubernaculum ad liganda & solvenda peccata claves regni cælorum primus Apostolorum Petrus accepit; eisdémque omnibus Sanctis propter vitæ illius secretissimæ quietissimum sinum super pectus Christi Joannes Evangelista discubuit. Quoniam nec iste solus,* SED UNIVERSA ECCLESIA LIGAT, *solvitque peccata.*

Decimoquarto in tractatu X. super Epistolam Joannis: *Ubi remissio peccatorum, Ecclesia est. Quomodo Ecclesia?* ILLI ENIM DICTUM EST, *Tibi dabo claves re-* 20
gni cælorum, & quæ solveris in terra, soluta erunt & in cælis, & quæ ligaveris in terra, ligata erunt in cælis.

Decimoquintò in Homiliæ XXVII. è quinquaginta Homiliis capite III. *Restat pœnitentia tertium genus, unde aliquid breviter dicam.* Et post alia: *Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Jam processerunt à morte, nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & à tenebroso procedere est.* SED QUID DOMINUS ECCLESIÆ *suæ, Quæ solveritis, inquit, in terra, soluta erunt & in cælo?*

Decimosextò in Homiliæ ult. capite IV: *Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere* AD IPSAS CLAVES ECCLESIÆ, *quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cælo?*

Decimoseptimò in sermone de quatuor quæstionibus apud Possidium quæstionis I. capite V. & VI. *Unde jam post remissionem peccatorum, quare non recipiantur in corpus Christi, quod est Ecclesia,* CUJUS PERSONAM PETRUS GESTABAT. *Petrus enim multis locis scripturarum apparet, quòd* PERSONAM GESTET ECCLESIÆ, *maximè in loco, ubi dictum est, Tibi trado* (aliàs dabo) *claves regni cælorum; quæcunque ligaveris in terra, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveris in terra, erunt soluta & in cælo. Nunquid istas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit, Petrus accepit, Joannes & Jacobus non accepit, & cæteri Apostoli? Aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi quotidie peccata dimittuntur? Sed quoniam* IN SIGNIFICATIONE PERSONAM PE-
TRUS GESTABAT ECCLESIÆ, *quod illi uni datum* 21
est, Ecclesiæ datum est. Ergo PETRUS FIGURAM GESTABAT ECCLESIÆ, *Ecclesia corpus Christi est.* Hoc loco quidquid id est, deciditur.

Decimooctavò in tractatus de Pastoribus capite XIII. *Multi erant Apostoli, & uni dicitur, Pasce oves.* Et paullò post: *Idem ergo ipse pascit, cùm ipsi pascunt, & dicit, Ego pasco, quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam & ipsum Petrum, cui commendavit oves suas, quasi alter alteri, unum secum facere volebat, ut sic ei oves commendaret, ut esset ille caput,* ILLE FIGURAM CORPORIS PORTARET, ID EST, ECCLESIÆ.

Decimononò in sermonis XI. de verbis Domini super Matthæum capite XXIII. *Deus dedit* ECCLESIÆ *Spiritum Sanctum, ut quicunque in eo peccata dimitterent, dimitterentur ei.*

Vicesimò in sermonis XIII. super eundem Matthæum capite I. *Evangelium quod recentissimè recitatum est de Domino Christo, qui super aquas maris ambulavit, & de Apostolo Petro, qui ambulans timendo titubavit, & diffidendo mersus, confitendo rursus emersit, admonet nos intelligere, mare præsens sæculum esse;* PETRUM VERÒ APOSTOLUM ECCLESIÆ UNICÆ TYPUM. *Ipse enim Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promtissimus sæpè unus respondit pro omnibus. Ipse denique Domino Jesu Christo requirente, Quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursúsque Domino interrogante & dicente: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondit Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi, unus pro multis dedit re-*
sponsum, unitas in multis. Tunc ei Dominus ait, Beatus 22
es Simon Barjona, quia non revelavit tibi caro & sanguis, sed Pater meus, qui est in cælis: Deinde addidit, Et ego dico tibi, tanquam diceret, quia tu dixisti mihi: Tu es Christus filius Dei vivi, & ego dico tibi: Tu es Petrus: Simon quidem antea vocabatur: Hoc autem nomen ei, ut Petrus appellaretur, à Domino impositum est, & HOC UT EA FIGURA SIGNIFICARET ECCLESIAM, *quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus.*

Vicesimoprimò in ejusdem serm. cap. II. *Idem ergo*

Petrus à Petra cognominatus beatus ECCLESIÆ FIGURAM PORTAVIT *Apostolatus principatum tenens.*

Vicesimosecundò in sermone XXIV. de tempore: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cùm negaret Christum, & nisi quod ait Propheta, omnis caro fœnum? Et ideo beatum Petrum paululum subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere; & ut Ecclesiæ rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam regula poneretur. Credendæ enim erant Apostolo Petro* CLAVES ECCLESIÆ, *imò credita sunt ei claves regni cælorum.* Credendæ inquit Petro claves Ecclesiæ, non claves Petri, sed claves Ecclesiæ credendæ Petro.

Vicesimotertiò in serm. CVI. de diversis cap. IV. *Eja fratres aliquid pro tempore volo dicere: quod Petro commendatum est, quod Petro mandatum est, non Petrus solus, etiam alii Apostoli audierunt, tenuerunt, servaverunt, maximèque ipse consors sanguinis & Dei Apostolus Paulus, audierunt ista & ad nos audienda transmiserunt, Pascimus vos, pascimur vobiscum.*

23 Vicesimoquartò in ejusdem sermonis capite X. *Ergo commendavit nobis Dominus oves suas, quia Petro commendavit, si tamen vel aliqua parte vel extrema digni sumus, pulverem vestigiorum Petri calcare. Commendavit nobis oves Dominus; oves ipsius estis, vobiscum oves sumus, quia Christiani sumus. Jam diximus* (capite III.) *pascimus & pascimur.*

Vicesimoquintò in sermonis CVIII. de diversis capite II. *Dominus Jesus discipulos suos ante passionem suam sicut nostis, elegit, quos Apostolos nominavit. Inter hos pene ubique* SOLUS PETRUS TOTIUS ECCLESIÆ MERUIT GESTARE PERSONAM, PROPTER IPSAM PERSONAM, QUAM TOTIUS ECCLESIÆ SOLUS GESTABAT, *audire meruit: Tibi dabo claves regni cælorum. Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesia. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est: Tibi trado, quod omnibus traditum est. Nam ut* NOVERITIS ECCLESIAM ACCEPISSE CLAVES *regni cælorum, audite in alio loco, quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis: Accipite Spiritum Sanctum, & continuò: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; Si cujus tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo, & quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo. Sed hoc Petro dixit: Ut scias,* QUIA PETRUS UNIVERSÆ ECCLESIÆ PERSONAM TUNC GEREBAT. *Audi quid ipsi dicatur, quid omnibus fidelibus Sanctis: Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum, si te non audierit, sit tibi*
24 *sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quia quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo: Et quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in cælo. Columba ligat, columba solvit, ædificium supra petram ligat & solvit.*

Vicesimosextò in ejusdem sermonis capite IV. *Meritò etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter Discipulos suos solus meruit pascere Dominicas oves. Sed quando Christus ad unum loquitur,* UNITAS COMMENDATUR, *& Petro primitùm, quia in Apostolis Petrus est primus.*

Hactenus Ecclesiarum magister Augustinus, apertè, frequenter, perseveranter! Et eam ob causam, quæ retulimus omnia, per seipsa intelliguntur. In quibusdam locis Ecclesiasticæ potestatis subjectum proximum designat, cum claves Ecclesiæ à Christo datas fuisse dicit: In aliis potestatis ejusdem subjectum remotum significat, cùm claves & Petro & cæteris Apostolis à Christo datas fuisse scribit! Hoc est, cùm illam potestatem, per actus & usus suos definit: Atque utroque modo cùm Augustinus disputat, Parisiensium, immò & Catholicæ Ecclesiæ sententiam adeò confirmat, nihil ut suprà esse possit. Facessant ergo Joannis Turrecrematæ, Dominici Jacobatii, Thomæ Cajetani, Roberti Bellarmini & sectatorum præstigiæ, quibus quod Sole clarius est, inobscurare conantur. Augustini libros non evolverunt, nec loca cum locis contulerunt, ut veram sancti doctoris sententiam expiscarentur, inquirerent, agnoscerent. Unum aut alterum locum è reliquo contextu avulsum legerunt, & examinandum sibi sumpserunt, ut beato Augustino de sua sententia
accommodarent, non ut sibi de beati Augustini senten- 25
tia accommodarent. In summa, beatum Augustinum pro discipulo, non pro magistro habuerunt. Hoc vitium in Turrecremata, Jacobatio, Cajetano, Bellarmino & sectatoribus notasse, illos confutasse est: Si tamen cùm ita se erga beatum Augustinum gesserint, digni sunt, qui confutentur; in præteritis relinqui debent. Cæterum quæ antiqui Pontifices ad beati Augustini doctrinam addiderunt elogia, recenserem cupidè, nisi illa omnia in uno conclusisset Alexander VII. cùm in Epistola, quam anno M. DC. LX. die VII. Augusti scripsit ad Lovanienses, ait: *Augustini dogmata inconcussa tutissimáque esse.* Valde charè æstimandum est judicium hujusmodi, quod causâ probè cognitâ, nimirum post accuratam operum Augustini lectionem ac intelligentiam pronuncietur: Rem decernit. Alexandri Epistolam in lucem edidi sub finem dissertationis de Pelagii confessione fidei cap. XI.

XI. S. Cyrillus Alexandrinus in libro XIII. de adoratione in Spiritu & veritate. Cæterum *illi* (Levitæ) *Aaron in sacris operibus administri sanctum illum admirabilem Apostolorum chorum significare poterunt. Dei namque cooperatores fuerunt & asservatores, dispensatorésque mysteriorum Dei, atque ministri, etiam per quos credidimus. Quòd siquis velit etiam Ecclesiæ ordinem perquirere, illam legis præfigurationem jure admirabitur. Episcopis enim utpote qui duces creati sunt, nec non etiam iis, qui inferioris dignitatis gradum gerunt, presbyteris, inquam, concreditum est altare, & quæ intra velum continentur, quibus etiam duci convenit, Et custodient sacerdotium suum.*

Deinde in caput II. Zachariæ: *Et inducam vos in* 26
Sion, & dabo vobis Pastores secundùm cor meum: Pascent vos pastores cum scientia: Quinam isti? Divini discipuli, & Ecclesiarum suis quisque temporibus præsides & rectores.

Tum demum in libro XII. super Joannem: *Quomodo ergo nec immeritò quærit aliquis, quandoquidem verè aberat, Sancti Spiritus factus est particeps, cùm discipulis servator apparuit, & insufflavit dicens: Accipite Spiritum Sanctum? Respondemus virtutem in omnes permanasse, & scopum largientis implesse. Dedit autem Christus non aliquibus seorsum, sed universis discipulis. Quapropter eum accipiunt, tametsi quidam non aderant, dantis liberalitate, non ad præsentes solùm contracta, sed in omnem Sanctorum Apostolorum chorum permeante. Quod autem nihil hic per vim detortum sentiamus, neque nimium audacter id dicamus, ex ipsis sacris literis fidem faciam desumptis ad id demonstrandum ex libris Mosaycis testimoniis. Igitur Dominus Deus Moysi sapientissimo jussit, olim viros seniores ex Judæorum congregatione eligere numero septuaginta, & apertè professus est ablaturum se de spiritu, qui in illo erat, & impositurum eis. Elegit eos Moyses, ac divinum præceptum implevit.*

Cyrillus, Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, & Basilius suprà laudati loquuntur de potestate Ecclesiæ, non quatenus subjectum suum proximum respicit, sed quatenus remotum, vel objectum, id est, quatenus per primi & secundi ordinis sacerdotes exercetur. Subjectum illud proximum, ut utar Scholæ verbis, quibus Dominicus Sotus utitur, ut certum ratúmque supponunt, abjudicant nusquam. Cur autem de remoto subjecto
potiùs, quàm de proximo loquantur, facit primùm id, 27
quod sibi visum est utilius, deinde hominum natura & captus, ad quem sermo de subjecto remoto magis, quàm de proximo aptatur. Sunt & alii tractatores referendi postea, quibus similis danda est interpretatio.

XII. Sanctus Leo ad Augustini mentem licèt minùs explicate loquitur in serm. III. de anniversario die assumptionis suæ. *Et sicut confessores suos in cælestia provehit,*

vehit, ita negatores ad inferna demergit: propter quod dicitur beatissimo Petro, Tibi dabo claves regni calorum,&c. *Transivit quidem in alios Apostolos vis istius potestatis, & ad omnes Ecclesia principes decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur: Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesia rectoribus Petri forma praponitur.*

Deinde in sermone 11. de natali Apostolorum Petri & Pauli. *Vox ista* (Tu es Christus filius Dei vivi) *vox vita est, & sicut confessores suos in calestia provehit, ita negatores ad inferna demergit: Propter quod dicitur beato Petro Apostolo: Tibi dabo claves regni calorum, & quacunque ligaveris super terram, erunt ligata & in calis; Et quacunque solveris super terram, erunt soluta & in calis. Transivit quidem in Apostolos alios vis istius potestatis, sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur: Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesia rectoribus forma praponitur.* Leo idem quod beatus Augustinus, sed verbis aliis dicit: quæ enim Petro tribuuntur, ei ut omnium personam gerenti tribuuntur. Leonis commata propemodum singula id significant &
28 cum primis istud: *Non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur.*

Denique in Epistolæ ad provinciæ Viennensis Episcopos capite 1. *Divina cultum religionis, quam in omnes gentes, omnésque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, qua antea legis & Prophetarum praconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est, In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis verba eorum: Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, ut ab ipso, quodam quasi capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Et primò quidem statuendum est, Leonem nec à seipso, nec à Sedis Apostolicæ, & Patrum traditione discrepare. Non à seipso quidem, cujus mentem ex duobus locis illius patefecimus, non à Sede Apostolica, quæ Tertulliano sententiam mutanti restitit: Non denique à Patribus & cum primis Augustino, quem & videre potuit, & ut Catholicæ fidei testem adducit in Epistola XCVII. ad Leonem Augustum. Hoc ipsum innuit paullo pòst scribens: *Verùm hanc Petri ipsius sacratissimam firmitatem Deo, ut diximus, adificante constructam nimis impia vult prasumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id quod accepit à veteribus, non sequendo, cùm nulli se subditum legi,*
29 *nullis institutionis Dominica credit regulis contineri.*

Verùm ut res ex seipsa pensetur, locus hic tertius prima fronte pugnare cum duobus aliis videtur, at si penitus pernoscatur, consentire judicabitur. Nam in tribus his locis idem agitur, quod in duobus maximè consistit. Unum est, ligandi ac solvendi potestatem & nunciandi Evangelii auctoritatem Apostolis omnibus à Christo concessam fuisse: Alterum verò, potestatem utramque iis in persona Petri concessam fuisse, ut commendaretur Ecclesiæ unitas, quæ à Petro tanquam Apostolorum omnium summo proficisceretur. Dum autem tali modo commendatur unitas Ecclesiæ, non mediocris persuasio est, claves Ecclesiæ datas esse.

Assertæ veritatis nunc interest ostendere, nonnullos Leonis locum tertium in alia atque alia placita trahere, cùm ab antiquæ simplicitatis traditione deflectunt. Res apud eos sic se habet: Joannes Turrecremata & Dominicus Jacobatius Leonis testimonio utuntur, ut Apostolos non à Christo, sed à Petro, & Episcopos non à Christo, sed à Petri successore jurisdictionem accipere confirment. Bellarminus, qui docet Apostolos à Christo jurisdictionem omnem accipere, & Episcopos non à Christo, sed à Petri successore accipere, Leonis idem testimonium adhibet, quo posterius placitum sustentetur. Quasi verò tam prudens Pontifex sic scribat, ut flectatur quam volueris in partem, aut versatilis Artemon habeatur. Id demum ita fit, dum Cardinales illi tres suis studiis serviunt, non veritati, quam & Leonis alia scripta, & vetustiorum Leone Patrum vel æqualium doctrina objiciunt. In hac discordia 30
Turrecremata & Jacobatius multò falsiùs, sed consequentiùs, quàm Bellarminus disputant. Bellarminus verò non tam falsò, sed minùs consequenter, quàm Turrecremata & Jacobatius philosophatur; concordant tamen in eo omnes, quòd Leonis testimonium non repræsentent integrum, nec suis illud momentis expendant. Sed repetenda est Ecclesiasticæ traditionis linea.

XIII. Theodoretus in caput 11. Epistolæ ad Colossenses: *Quemadmodum in corpore cerebrum est radix nervorum, per nervos autem sensus habet corpus: Ita etiam à Christo Domino & doctrina fontes & salutis causas accepit corpus Ecclesia.* Sed doctrinæ fontes & salutis causæ, quas Christi corpus accipit, refluunt in certa quædam Ecclesiæ membra, quæ Optatus suprà, Diaconos, Presbyteros & Episcopos appellat.

XIV. Sanctus Fulgentius in libri de Fide ad Petrum capite III. *Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda: Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia Catholica gerat,* CUI DEUS IN PERSONA B. PETRI LIGANDI SOLVENDIQUE TRIBUIT POTESTATEM, *dicens: Qua alligaveris super terram, erunt ligata & in calis, & qua solveris super terram erunt soluta & in calis.*

Deinde in libri 1. de remiss. pec. capite XIX. *In sola ergo Ecclesia Catholica datur & accipitur remissio peccatorum, quam ipse sponsus unam dicit esse columbam suam, unam electam suam, quam super Petram fundavit,* CUI CLAVES REGNI CÆLORUM DEDIT, *cui etiam potestatem ligandi solvendique concessit, sicut beato Petro veritas* 31
ipsa repromittit, dicens: Tu es Petrus, & super hunc Petram adificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non pravalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni calorum, & quodcunque alligaveris super terram erit ligatum & in calo, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in calo. AB HAC ECCLESIA, QUÆ CLAVES REGNI CÆLORUM ACCEPIT, *quisquis foris est, non cali viam graditur.*

Tum in ejusdem libri capite XXIV. ubi loquitur de peccatis, *Qua in hoc saculo in una & vera Catholica Ecclesia fuerint unicuique dimissa. Soli enim illi Dominus ligandi solvendique tribuit potestatem, dicens: Tibi dabo claves regni calorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in calis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in calis. Quod ergo sancta Ecclesia in hoc saculo non solverit, ita insolubile permanet, ut etiam in futuro saculo solvi nullatenus possit.*

Denique in libri II. de remissione peccatorum capite XX. *Hinc est, quod etiam* BEATO PETRO, HOC EST, ECCLESIÆ SUÆ, *in terra ligandi solvendique tribuit potestatem.* Scilicet ligandi solvendique jus datum est Ecclesiæ in Petro, qui propter primatum Ecclesiæ personam gerebat. Fulgentius Augustini sectator ab illius doctrina non recedit.

XV. Symmachus Papa in Epistola I. ad Æonium Arelatensem Episcopum. *Dilectionis tua literas mandatáque filio nostro Crescentio Presbytero in Nuncio deferente suscepimus, quibus constat, inter Arelatensem & Viennensem Ecclesiam aliquod de ordinandis Episcopis in vicinis civitatibus oriri luctamen, illa re videlicet faciente, quòd decessor noster sancta recordationis Anastasius tra-* 32
ctans confusionem provincia, aliqua contra veterem consuetudinem jusserit observari, decessorum suorum videlicet ordinationem, quod non oportebat, sub qualibet necessitate transgrediens. NAM DUM AD TRINITATIS INSTAR, CUJUS UNA EST ATQUE INDIVIDUA POTESTAS, UNUM SIT PER DIVERSOS ANTISTITES SACER-

DOTIUM, *quemadmodum priorum statuta à sequentibus convenit violari?* Propositio hæc, *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites Sacerdotium*, Cypriani sententiam hanc, *Episcopatus unus est, cujus pars à singulis in solidum tenetur*, facile comprehendit, atque exprimit comparatione, qua nec fingi nec excogitari potest angustior, vel illustrior ad demonstrandam Episcopatus aut Sacerdotii unitatem. Hìc autem cùm Pontifex unum dicit esse per diversos antistites Sacerdotium, unam ut apparet Sacerdotii potestatem intelligit, quæ per Ecclesiæ præpositos exercetur, quæ per actum & usum suum determinatur, non per subjectum, in quo proximè residet.

XVI. Joannes Hierosolymitanus Episcopus & Palæstinarum trium Synodus in suis literis, quæ actione v. Constantinopolitani Concilii sub Menna lectæ & approbatæ sunt: *Qui dedit Hieremia Propheta superædificare & demoliri, eradicare & plantare, & Petro Apostolorum principi solvere & ligare, hoc communiter, τῇ κοινῇ ἱερωσύνῃ donavit Sacerdotio.*

XVII. Facundus Hermianensis Episcopus, in libri x. cap. IV. *Nam* ECCLESIÆ SUÆ *nullam Dominus in* 33 *mortuis ligandi & solvendi tribuit potestatem, cùm Discipulis suis diceret, Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Eos igitur solùm, qui sunt in terris, ligare accepit & solvere.* Hoc est, Ecclesia quæ in Petro ligandi solvendique potestatem consecuta est.

XVIII. Eucherius Lugdunensis Episcopus, seu alius in Homilia natali Sancti Petri: *Et tibi dabo claves regni cælorum: hoc enim, quod principaliter Petro dicitur, cæteris quoque Apostolis dictum esse intelligi debet, & non tantùm Apostolis, verum etiam Episcopis & Sacerdotibus.* Et post alia: *Quodcunque ligaveris super terram*, &c. *hoc Episcopi audiant, de munere gaudeant, de potestate non superbiant: si enim ligaverint, ut Petrus, si ita solverint ut Petrus, quidquid ligaverint, ligatum erit, & quidquid solverint, solutum erit. Imitentur igitur illum in discretione & justitia, quem imitari volunt in ligandi atque solvendi potestate. Si enim aliter egerint, non erit ratum, quod egerint. Ideo enim hæc soli Petro dicta sunt, quia nemo fidelior, nemo justior, nemo discretior, nemo melior erat, cui hæc dici potuissent. Ideo enim soli illi dicta sunt, ut omnes alii se in illo quasi in speculo videant, sic vivendo, sic agendo, sic ligando, sic solvendo, & à pace & concordia non recedendo.* Quæ igitur dicuntur Petro, cæteris Apostolis, Episcopis, & Sacerdotibus dicuntur. Omnes alii se in Petro tanquam in speculo inspicere se debent, & hæc est ratio qua quæ Petro dicuntur, soli illi dicantur. Hoc deromptum videtur ex Leone I. qui suprà dicit: *Non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim singulariter hoc creditur,* 34 *quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur.* In summa Eucherii locus Parisiensium sententiæ inservire potest, non Romanorum, de quibus Navarrum locutum vidimus.

XIX. Mapinius Remensis Episcopus in Epistola ad Villicum Episcopum: *Licet sancto Petro hoc à Domino dictum legamus, Pasce oves meas, sed ad cunctos, qui Sacerdotale funguntur officium, pertinet præsens sententia.* Quid ita? Petrus, cùm ei dictum est, *pasce oves meas*, personam gerebat Ecclesiæ. Mapinius tamen non habito ad subjectum proximum, sed ad remotum & ad actum respectu Pastoris officium deformat.

XX. Gregorius I. lib. VI. expositionis in caput XVI. lib. I. Regum cap. III. *Aminadab interpretatur urbanus. Meritò igitur, Domino consulto, repellitur, quia sancta Ecclesia ad regimen animarum non eligit negotiis sæcularibus strenuum, sed spiritualis conversatione decorum.* Et post alia: *Plenam etiam cornu in unctione sua habere cognoscitur, cujus omnis potestas per misericordiam dispensatur, ipsa quippe auctoritas sanctæ Ecclesiæ, cùm sine misericordia est, nulla est, quia tunc est spiritualis rigor disciplina, cùm alimento non vacat misericordia.* Et post alia: *Quòd si universalis Ecclesiæ status conspicitur, spiritum Domini in David, in reliquum directum videmus, quia electos sancta Ecclesia ab ejusdem Ecclesiæ primordiis, Spiritus Sancti gratia replere cœpit.* Et post alia: *Cornu quidem salutis quid est, nisi sublimitas Ecclesiasticæ potestatis? Nam quod antiquis nusquam dicitur,* MODO UNIVERSALIS ECCLESIÆ DICITUR, *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis, quod pro-* 35 *fectò cornu oleo plenum dicitur, quia sancta Ecclesia cum sublimitate potestatis extendit viscera miserationis.* Hæc & alia similia demonstrant, ligandi ac solvendi potestatem in Ecclesiæ corpore immediatè residere, vel ut loquuntur Scholastici, universalem Ecclesiam esse proximum subjectum Ecclesiasticæ potestatis.

Deinde cùm Gregorius in libri IV. Epistola XXXII. ad Mauritium Imperatorem scribit, Petro Apostolorum principi, totius Ecclesiæ curam esse commissam Joan. cap. XXI. Lucæ XXII. Matth. XVI. tunc Petrum universalis Ecclesiæ personam gestasse, vel ei nomine Ecclesiæ datas esse regni cælestis claves, ligandi scilicet ac solvendi potestatem intelligit. Sic enim S. Augustinus loquitur, quem Gregorius imitari & subsequi consuevit. Quinetiam ipsemet Gregorius eundem loquendi modum usurpat Hom. XXII. in Evangelia. Verba sunt: *Sed illi præ cæteris cucurrerunt, qui præ cæteris amaverunt, videlicet Petrus & Joannes. Currebant autem duo simul (ad monumentum) sed Joannes præcucurrit citiùs Petro, venit prior ad monumentum, & ingredi præsumpsit. Venit ergo posterior Petrus & intravit.* Et post pauca: *Quid ergo per Joannem nisi Synagoga, quid per Petrum, nisi Ecclesia designatur? Nec mirum esse videatur, quòd per juniorem Synagoga, per seniorem verò Ecclesia signari perhibetur, quia etsi ad Dei cultum prior est Synagoga, quàm Ecclesia gentium, ad usum tamen sæculi prior est multitudo gentium, quàm Synagoga.* Quibus ita constitutis Gregorius sibi ipse mirificè consentit.

XXI. Isidorus Hispalensis in libri VIII. Originum capite I. *Cur autem Ecclesia cùm una sit, à Joanne septem* 36 *scribuntur, nisi ut una Catholica septiformi plena spiritu designetur: Sicut & de Domino novimus dixisse Salomonem: Sapientia ædificavit sibi domum & excidit columnas VII. quæ tamen VII. una esse non ambigitur; dicente Apostolo, Ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Quæ dotes hìc Ecclesiæ tribuuntur, Ecclesiæ per ministros suos non conveniunt, sed ministris per Ecclesiam.

XXII. Venerabilis Beda in caput XIX. Joannis: *Ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit, sicut in Apostolis, cùm esset etiam ipse numerus duodenarius, id est, quadripartitus, inter omnes & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: Tu es Christus filius Dei vivi, & ei dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, tanquam ligandi & solvendi solus acceperit potestatem, cùm & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus* TANQUAM PERSONAM GERENS IPSIUS UNITATIS *acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus.*

Deinde in caput XXI. Joannis: *Quando Petro dictum est, Tibi dabo claves regni cælorum,* UNIVERSAM SIGNIFICABAT ECCLESIAM. Et post alia: *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo accepit regni cælorum. Accepit in Petro, id est, potestatem solvendi & ligandi peccata.*

Tum in libro IV. in caput XVI. Matthæi: *Hæc potestas* (ligandi) *sine dubio cunctis datur Apostolis, quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter: Accipite Spiritum Sanctum*, &c. *Necnon Episcopis & Presbyteris, & omni Ecclesiæ idem officium committitur.*

Quarto in Homilia Vigiliæ Petri & Pauli: *Quod enim* 37 *Petro dictum est, Pasce oves meas, omnibus atque dictum est. Hoc namque erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, sed primatus Petro datur, ut* UNITAS ECCLESIÆ *commendatur. Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui & ab Apostolis omnibus tunc unanimi consensione pascebatur, & deinceps à successoribus eorum communi cura pascitur.*

Denique

Denique in Homilia de sancto Petro: *Nam sicut interrogatis generaliter omnibus Petrus respondet unus pro omnibus: Ita quod Petro Dominus respondit, in Petro omnibus respondit.* Et pòst alia: *Quæ solvendi atque ligandi potestas quamvis soli Petro videatur à Domino data, absque ulla tamen dubitatione noscendum est, quia & cæteris Apostolis datur, ipso teste, qui post Passionis resurrectionisque suæ triumphum apparens eis insufflavit & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt. Nec non etiam nunc in Episcopis ac Presbyteris & omni Ecclesiæ officium idem committitur.* Et pòst alia: OMNI IGITUR ELECTORUM ECCLESIÆ *juxta modum culparum vel pœnitentiæ, ligandi ac solvendi datur auctoritas.* Hæc Beda, ut Augustinus, apertè, frequenter, perseveranter.

XXIII. Sanctus Bonifacius Moguntinus Episcopus in Indiculo Sacramenti, quod Romæ, cùm Episcopus ordinaretur, edidit, & manu sua scriptum porrexit: *Fidem & puritatem meam atque concursum tibi* (Petre) *& utilitatibus Ecclesiæ tuæ, cui à Domino Deo potestas ligandi solvendique data est, & prædicto Vicario tuo* (Gregorio II.) *atque successoribus ejus per omnia exhibere* (promitto.) sic Ecclesiæ datur ligandi ac solvendi potestas.

38 XXIV. Ambrosius Autpertus libro IV. in Apocalypsim: *Huic* PETRO TYPUM GERENTI ECCLESIÆ *dicit, quodcunque ligaveris super terram.*

Deinde libro V. *Quod verò Petro dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram,* &c. *Illud, quod simili locutione ad* XII. *Apostolos, quæcunque alligaveritis super terram,* &c. *specialiter illis & generaliter omnibus recta fidei, ecclesiæque operationis Doctoribus aptantur.*

Tum demum libro VII. *Huic Petro hujus* (Ecclesiæ) *typum gerenti dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum.* Hic auctor quid sit Petrum Ecclesiæ figuram, seu typum gerere, perspicuis verbis interpretatur.

XXV. Concilium Cabilonense II. in Canone LI. *Quia ergo constat, in Ecclesia diversarum conditionum homines esse ut sint nobiles & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cætera hujusmodi nomina, oportet ut quicunque eis prælati sunt, clerici sive laici, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis, & quibusdam debitis: Sciantque eos fratres suos esse, & unum secum habere Patrem Deum cui clamant, Pater noster qui es in cœlis, &* UNAM MATREM SANCTAM ECCLESIAM, *quæ eos intemerato sacri fontis utero genuit.* Hæc eadem verba in libro II. Capitularium num. XLI. leguntur. Si mater Ecclesia nobiles, ignobiles, servos, colonos, inquilinos intemerato sacri fontis utero gignit, gignendi facultas Ecclesiæ competit, quæ non per eandem Ecclesiam, sed per illius ministros exercetur.

39 XXVI. Dungalus Diaconus in libro contra Claudium Taurinensem: *Sed quando ei dictum est, Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis,* UNIVERSAM SIGNIFICAT ECCLESIAM, *quæ in hoc sæculo diversis tentationibus velut imbribus & quatitur & non cadit.* Et quibusdam interpositis: *Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælestis accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendique peccata: Quod enim Christus est per proprietatem in Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in Petra. Qua significatione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesia.* Hæc obscura non sunt. Ex Augustino derivantur.

XXVII. Rabanus Moguntinus Episcopus libro V. in Matthæum cap. XVI. *Quæ solvendi ligandique potestas, quamvis soli Petro data videatur à Domino; absque ulla dubietate tamen noscendum est, quod & cæteris Apostolis datur, ipso teste, qui post passionis resurrectionisque suæ triumphum apparens eis insufflavit & dixit omnibus, Accipite Spiritum Sanctum.* Rabanus in eandem cum Beda sententiam discedit.

XXVIII. Meldense Concilium, quod anno DCCCXLV. celebratum est, in præfatione: *Quia nulli, qui sanum sapit, est dubium, ita Dominum omnia moderasse, ut* CLAVIBUS ECCLESIÆ DATIS *aditus ad vitam claudi debeat, vel reserari, & quidquid ordine ordinato à Sacerdotibus in Ecclesia geritur, per gratiam S. Spiritus ab illo geratur.* Ecce tibi claves datas Ecclesiæ, quæ & postea Sacerdotibus traduntur.

XXIX. Paschasius Radbertus Corbeiensis Abbas libro 40
VIII. in Matthæi caput XVI. *Quæso unusquisque circumstantiam lectionis hujus diligenter intendat, maximè tamen Episcopi, quibus videtur cum Petro & cum omnibus Apostolis hæc potestas specialiùs à Domino attributa & licèt* ECCLESIÆ *eadem sit concessa.* Sic de clavium potestate loquitur, quæ primùm ipsi Ecclesiæ data sit, & per Ecclesiam Pastoribus communicata, atque nisi hoc modo intelligatur Paschasius, commodè intelligi non poterit.

XXX. Hincmarus Remensis Episcopus in Epistolæ XXXIII. ad Hincmarum Laudunensem Episcopum, capite XX. *Quæ solvendi ac ligandi potestas quamvis soli Petro data videatur à Domino, absque ulla tamen dubietate noscendum est,* QUIA ET CÆTERIS APOSTOLIS DATUR, *ipso teste, qui post passionis resurrectionisque suæ triumphum apparens eis insufflavit, & dixit omnibus: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: Nec non etiam nunc Episcopis & Presbyteris, &* OMNI ECCLESIÆ OFFICIUM IDEM COMMITTITUR, *ut videlicet agnitis peccantium causis quoscunque humiles ac verè pœnitentes aspexerit, hos à timore perpetuæ mortis miserans absolvat, quos verò in peccatis, quæ egerunt, persistere cognoverit, illos perennibus suppliciis obligandos insinuet. Unde aliàs Dominus de correpto semel & iterum & tertiò, sed non pœnitente fratre præcipit dicens:* SI AUTEM ECCLESIAM NON AUDIERIT, SIT TIBI SICUT ETHNICUS ET PUBLICANUS. *Et ne leve quisquam putaret,* ECCLESIÆ SE JUDICIO *condemnari, mox terribiliter adjunxit: Amen dico vobis: Quæcunque alligaveritis super terram, erunt* 41
ligata & in cœlo; & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta & in cœlo. OMNI IGITUR ELECTORUM ECCLESIÆ *juxta modum culparum vel pœnitentiæ ligandi ac solvendi datur auctoritas.*

Deinde in capite XXVI. *Nullum est peccatum, pro quo non oret Ecclesia remittendum, aut* QUOD DATA SIBI DIVINITUS POTESTATE *discedentibus ab eo non possit absolvere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, Quæcunque dimiseritis super terram,* &c.

Tum in capite XLVII. QUÆ DOMUS (Dei) ETIAM CLAVES ACCEPIT, AC POTESTATEM SOLVENDI AC LIGANDI. *Hanc domum siquis corripientem corrigentémque contempserit, sit tibi, inquit, sicut ethnicus & publicanus.* Et quibusdam interpositis: *Et sciendum nobis est quia præposita regula corripiendi data huic domui Dei, videlicet Catholicæ Ecclesiæ, hæc sententia si contempta fuerit, subditur, sit tibi, inquit, tanquam ethnicus & publicanus.*

Denique in expostulationis libello qui in Concilio Duziacensi I. refertur cap. XXVI. DOMUS DEI CLAVES REGNI CÆLORUM ACCEPIT, *ac potestatem ligandi & solvendi. Hanc domum si quis corrigentem, corripientémque contempserit, præcipitur à Domino, ut sit sicut ethnicus & publicanus.* Quæ omnia nunc ex Augustino, nunc ex Beda derivantur, & Parisiensem articulum confirmant.

XXXI. Hadrianus II. in Epistola IX. ad Waldradam Tom. III. Conc. Gall: *Nemo planè dubitat, nullum facinus esse,* QUOD ECCLESIA DATA SIBI DIVINITUS POTESTATE AB EO DESISTENTIBUS NON POSSIT ABSOLVERE, *& pœnitentibus relaxare: Cui* 42
dicitur, Quæcunque dimiseritis super terram, dimissa erunt & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, soluta erunt

erum & in cœlis. Pontifex remittendorum & retinendorum criminum potestatem Ecclesiæ divinitus concessam esse affirmat.

XXXII. Sanctus Odo Cluniacensis Abbas in libri IV. Collationum capite XIX. *Qui* (Christus) *ejusdem rectoribus potestatem ligandi atque solvendi in* BEATI PETRI PERSONA CONCESSIT. Augustini doctrinam paucis exprimit eámque definit; quatenus per Ecclesiæ præpositos exercetur.

XXXIII. Petrus Damianus in libri 2. Epistola XII. ad Alexandrum II. *Præterea duo quædam apud Apostolicam Sedem usus frequens obtinuit, quæ si sancta prudentia vestra judicat, ut nobis videtur, omnino digna sunt corrigi: Unum, quia cunctis ferè decretalibus paginis anathema subjungitur: Alterum, quia cujuslibet Ecclesiæ filius, sive clericus sit, sive laicus, exponere proprii excessus antistitis prohibetur.* Et post alia: *Hic itaque tam sublimis meriti vir* (Petrus) *cùm ex admonitione Sancti Spiritus ad Cornelium gentilem videlicet hominem fuisset ingressus, adversus eum quæstio facta est ab iis, qui erant ex circumcisione fidelibus, quod ad alienigenas introisset, atque cum eis comedere præsumpsisset, & in baptismate recepisset. Hic inquam tot donorum cælestium incomparabili virtute suffultus, tot miraculorum ostensione conspicuus, querela subjectorum non ex potestate restitit, sed rationem reddendo humiliter satisfecit.* Et post pauca: *Si igitur iste cùm à discipulis culparetur, auctoritatem quam in sancta fuerat fortitus Ecclesia, voluisset*
43 *obtendere, respondere poterat, ut Pastorem suum oves, quæ sibi commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium potestatis suæ titulum objecisset, Doctor profectò mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos privilegii sui auctoritate repressit, sed humili potiùs satisfactione placavit, & tanquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit: Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti.* Et pòst alia: *Nam aliud est querela compassionis, aliud accusatio simultatis & odii. Ista nimirum ut offensio corrigatur, illa verò, ut is qui offenderat, condemnetur. Petrum planè in faciem resistens Paulus objurgavit, & coram omnibus reprehensibilem judicat: Quod ille non in accusationis tulit injuriam, sed benignè & patienter accepit; Quod non ex livore, sed ex charitate procedere perspicuè recognovit. Sed ecce dicitur, ego sum Episcopus, ego sum Pastor Ecclesiæ, non debeo à commissis ovibus accusationum pati molestias: Etenim in causa fidei dignus sum etiam in pravis moribus æquanimiter ferri. Sed dic mihi quisquis es, nunquid non legisti, quod in Evangelio scriptum est: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres testes, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum: Sin autem eos non audierit, dic Ecclesiæ? Si Ecclesiæ ergo referenda est causa quorumlibet fratrum, quomodo non etiam Sacerdotum? Porro si Sacerdos qui in Ecclesia peccat, dedignatur in Ecclesia discuti, quis jam ferat Ecclesiæ se legibus coërceri?* Et pòst alia: *Excludatur ergo ab Ecclesiastica disciplina perniciosæ consuetudinis regula, tollatur*
44 *hæc subterfugii versuta calliditas, ut is, qui tam perversis audaciæ & superbiæ allegationibus utitur, immunitatem commissi piaculi non lucretur.* Hic Pastorum neminem excipit: Romanum comprehendit.

Deinde in libri VI Epistola XXX. ad Teuzonem Monachum: *Neque omnes qui sunt intra Ecclesiam,* CLAVES ECCLESIÆ SUSCEPERUNT. Hic Ecclesiam pro universo Ecclesiæ corpore, à quo claves suscipiuntur, usurpat.

Deinque in vita beati Odilonis locutus de Benedicto Papa, qui beati Odilonis precibus è Purgatorio liberatus fuerat: *Qui juxta privilegium Apostolicæ dignitatis* CLAVES ECCLESIÆ PRÆ CUNCTIS MORTALIBUS TENUIT. Claves quæ sunt Ecclesiæ, tenuerat.

XXXIV. Goffridus Vindocinensis Abbas in libri II. Epistola XXIX. ad Goffridum Episcopum: *Siquis dicit, non ad judicium causæ, sed ad judicium investituræ expoliatum posse vel debere vocari,* CLAVES SANCTÆ ECCLESIÆ AGITARE, *& leges Catholicæ & Apostolicæ Sedis violare conatur.*

Deinde in Opusculo X. *Nec Sacra fidei professio recto nomine dicitur, sed execranda promissio,* QUÆ CLAVES ECCLESIÆ AGITARE, *& unicum ac singulare ejus ostium violare conatur.*

XXXV. Callistus II. in Epistola ad Comprovinciales Episcopos, quæ in Trenoncienlis Monasterii historia refertur: *Postquam nos in Apostolicæ Sedis ministerium disponente Domino promoti sumus.* Si Callistus in Apostolicæ Sedis ministerium promotus est, Apostolicæ Sedis minister evasit; & continuò Sedes Apostolica Callistum II. ministrum habuit. Itaque per eum potestatem suam exercuit.

XXXVI. Hugo de sancto Victore in libri 2. de Sacra- 45
mentis capite XXVI. *De injustè excommunicato quæritur, utrum apud Deum ligatus sit. Si enim non est, quid est* QUOD IN TYPO ECCLESIÆ DICTUM EST PETRO, *quodcunque ligaveris?* Et pòst alia: *Vide quando dictum est* PETRO IN TYPO ECCLESIÆ, *quodcunque ligaveris?*

Deinde in tractatu VI. Summæ sent. *In hoc loco dicendum videtur de clavibus, quas habent Sacerdotes, quod dictum est Petro & in Petro aliis, Tibi dabo claves regni cælorum.* Ab Hugone nihil nisi quod Augustini est expectandum fuit.

XXXVII. Magister Sententiarum de clavibus, hoc est, de ligandi ac solvendi potestate non semel tractat in quartum, dist. XVIII. lit. c. *Hoc sanè dicere ac sentire possumus, quòd solus Deus dimittit peccata & retinet, & tamen* ECCLESIÆ CONTULIT POTESTATEM LIGANDI ET SOLVENDI, *sed aliter ipse solvit vel ligat, aliter Ecclesia.* lit. f. *In solvendis ergo culpis vel retinendis ita operatur Sacerdos Evangelicus & judicat, sicut olim legalis in illis, qui contaminati erant lepra, quæ peccatum signat. Unde Hieronymus super Matth. Ubi Dominus ait Petro, Tibi dabo claves regni cælorum.* lit. g. *Quòd autem hoc ad claves pertineat, Augustinus ostendit dicens: Frustra claves Ecclesiæ, qui sine arbitrio Sacerdotis pœnitentiam agit.* Iterum distinct. XIX. lit. c. *Quòd autem hanc potestatem habeant omnes Sacerdotes, Hieronymus testatur super illum locum Evangelii, ubi Dominus dicit Petro: Tibi dabo claves regni cælorum. Habent enim, inquit, eandem judiciariam potestatem alii Apostoli, habet & omnis Ecclesia in Episcopis & Pres-*
byteris. Hæc plana sunt omnia & aperta, quæ Pari- 46
siensem articulum nostrum præmuniunt.

XXXVIII. Alanus libro II. contra Valdenses in eandem cum beato Hieronymo sententiam transit: *Quòd omnes,* inquit, *Sacerdotes ligandi & solvendi habeant potestatem, testatur Hieronymus super illum locum Evangelii, ubi Dominus ait Petro: Tibi dabo claves regni cælorum. Habent, inquit, eandem potestatem judicandi alii Apostoli; habet & omnis Ecclesia in Episcopis & presbyteris.*

XXXIX. Arnulphus Lexoviensis Episcopus serm. habito in Turonensi Concilio: *Ecclesia Dei quæ dispenenda sunt libera potestate disponit.* Et paullo pòst: *Porro fratres sumus ex eodem Patre Christo, & ex eadem matre Ecclesia per regenerationem aquæ & Spiritus.* Ecclesiasticæ potestatis actum signatum & exercitum paucis comprehendit. Nam Ecclesia per ministros suos quæ disponenda sunt disponit, & homines regenerat & in filios adoptionis transfert. In uno potestatis subjectum proximum, in altero remotum intelligitur.

XL. Alexander III. in Epistola II. quæ in Tomo IV. Historiæ Francorum refertur: *Inde siquidem est, quòd nos licèt insufficientibus meritis ad providentiam Apostolicæ Sedis ministerium* UNIVERSALIS ECCLESIÆ *Deo prout ipsi placuit disponente, vocati.* Si Alexander in ministerium universalis Ecclesiæ vocatus est, universalis Ecclesiæ factus est minister, & continuò ministrum habuit Alexandrum universalis

Eccle-

Ecclesia. Quamobrem hæc universalis Ecclesia potestatem suam per Alexandrum obivit. Quæ in Callisto & in Alexandro legitima & necessaria philoso-
47 phandi ratio hinc Sedem Apostolicam, inde universalem Ecclesiam ut potestatis subjectum proximum designat. Porro Alexander ministerii nomen ab Hieronymo repetit ad Nepotianum scribente: *Unus Dominus, unum templum, unum sit etiam ministerium.* Et Hieronymus ipsemet Ecclesiasticæ potestatis subjectum proximum non obscurè significat, dum in libro I. contra Jovinianum CLAVES REGNI CÆLORUM, id est Ecclesiæ dixit, ut antè visum est.

XLI. Petrus, qui ex Abbate Cellensi factus est Carnotensium Episcopus, in libri I. Epistola VIII. ad Hugonem Senonensem Archiepiscopum: VOBIS SIQUIDEM IN PETRO DICTUM EST, *Pasce agnos meos, sana scilicet doctrina. Vobis rursum dictum est, Confirma fratres tuos, bono utique exemplo. Nihilominus claves regni cælorum tenetis, ut hædos excludatis, & agnos admittatis.* Hoc quoque mutuatur ab Augustino dum sanctissimus Ecclesiarum Magister Ecclesiæ potestatem habito ad objectum suum respectu describit. Nec illud propterea minùs pertinet ad decreti & articuli Parisiensis confirmationem.

XLII. Joannes Sarisberiensis in libri VII. de nugis Curialium capite XXI. de quibusdam Monachis: *Deinde sæcularium potestatum implorant auxilium, & eis divinam gratiam pollicentur, sumque mediatores Dei & hominum: Et eos qui venia indigent, suis aggregant Societatibus, confessiones excipiunt, &* CLAVES ECCLESIÆ *usurpantes, aut surripientes Petro ligare præsumunt & solvere, & Domino prohibente falcem mittunt in messem alienam.* Ecce tibi claves Ecclesiæ, quæ nimirum
48 ad Ecclesiam pertinent! Locutionem hanc cum ex aliis Patribus, tum præsertim ex Augustino desumpsit, & desumendo in ejus sententiam transivit. Huc spectat quod in Epist. CLXXVII. ad Exoniensem Episcopum de certo quodam alio Episcopo scribit: *Si verò non nisi debitas exigit consuetudines, sicut vester Demosthenes asserit, illis profectò debuerat esse contentus, quæ non sunt divinis legibus inimica, quæ bonis moribus non adversantur, quæ Sacerdotium non dehonestant, quæ periculum non ingerunt animarum,* QUÆ MATRIS ECCLESIÆ, DE CUJUS MANU GRADUM SUSCEPIT, *non subruunt libertatem. De matris,* inquit, *Ecclesiæ manu gradum suscepit:* Opera scilicet illorum, qui matris Ecclesiæ potestate defunguntur. Proximum & remotum potestatis Ecclesiasticæ subjectum paucis ob oculos statuit; proximum quidem, cùm ab Ecclesia matre gradum derivatum fuisse innuit; remotum verò, cùm gradus ille à matre Ecclesia derivari non potuit, nisi per eos, qui ministeriis sacris præponuntur.

XLIII. Petrus Blesensis in sermone XLIV. *Pasce oves meas, ac si diceret ei Dominus, pasce Eucharistia, pasce doctrina, pasce bona vita.* QUOD AUTEM DICTUM EST PETRO, ET APOSTOLIS OMNIBUS DICTUM EST ET VOBIS EORUM VICARIIS ET SUCCESSORIBUS. Id ex Augustino in suos usus deduxit.

XLIV. Lateranense Concilium quod celebravit Innocentius III. in capite I. *Et hoc Sacramentum* (Eucharistiæ) *nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus secundùm* CLAVES ECCLESIÆ, QUAS
49 IPSE CONCESSIT APOSTOLIS ET EORUM SUCCESSORIBUS CHRISTUS JESUS. Et primò dicit claves Ecclesiæ, deinde eas esse datas Apostolis & eorum successoribus. Illic clavium subjectum proximum, hic remotum designat: Et quatenus claves exercentur. Porro autem Concilii hujus auctoritas, mille ducentorum Patrum & eò amplius auctoritas censeri debet. Antecedentia concludit, & subsequentia præcludit.

XLV. Guillelmus Parisiensis Episcopus in libri de Sacramento Pœnitentiæ capite XX. LICET ECCLESIÆ DEI CUI TRADIDIT CLAVES REGNI CÆLORUM, *aliis aliter aperire.* Loquitur ut Concilium.

XLVI. Sanctus Thomas pluribus in locis Supplementi, quod ex primo in Sententias commentario depromptum est. Et primùm quidem in quæstionis X. articulo IV. *Homo per confessionem* SE SUBJICIT CLAVIBUS ECCLESIÆ *ex passione Christi virtutem trahentibus.* Claves dicit Ecclesiæ, quia Ecclesiæ datæ sunt à Christo.

Deinde in quæstionis XVI. articulo I. *Hæc potestas* (dispensandi Sacramenta) *metaphoricè* CLAVIS ECCLESIÆ *dicitur, quæ est clavis ministerii.* Quia scilicet Ecclesiæ ministri clavibus Ecclesiæ à Christo concessis utuntur.

Tum in responsione ad primum: *Propter hoc* (tollendum peccatum) *indigemus sacramentis &* CLAVIBUS ECCLESIÆ, quæ scilicet claves Ecclesiæ concessæ sunt.

Quartò in quæst. XXII. articulo VI. in responsione ad primum: *Ideo semper remanet baptizatus* (qui excommunicatus est) DE ECCLESIA, ET SIC ECCLESIA *de ipso judicari potest*; Per suos utique mi-
nistros: sed judicandi potestas in ipsa Ecclesia proxi- 50
mè residet, quæ per illius ministros exercetur.

Quintò in quodlibeti IV. quæstione VII. art. I. *Cùm aliquis dictis absolvitur, consequitur plenariè sacramenti effectum, sed si antequam absolvatur, habeat sacramentum in voto, quando scilicet proponit* SE SUBJICERE CLAVIBUS ECCLESIÆ, *in virtute clavium operatur in ipso, & consequitur remissionem culpæ. Si quis tamen in ipsa absolutione incipit conteri, & habet claves in voto in ipsa absolutione Sacerdotis culpa ei dimittitur per gratiam, quæ infunditur in hoc sacramento.* De clavibus Ecclesiæ sic loquitur, ut facile sit intellectu, beatum Thomam velle dicere, claves Ecclesiæ à Christo datas esse.

Hinc verba hæc è libri IV. contra Gentes capite LXXVI. *Et soli* (Petro) *promittit: Tibi dabo claves regni cælorum ut ostenderetur* POTESTAS CLAVIUM *per eum ad alios derivanda,* commoda expositione molliri debent, ita ut sanctus Doctor ad Augustini mentem eruditus sentiat, Ecclesiæ claves à Christo datas esse Petro in typum unitatis. Quidquid id est, locum hunc vel supprimunt vel ad se revocant conjunctæ primis cogitationes ultimæ, quibus Doctoris sancti mens irrevocabili sententia determinatur. Sic enim ille in tert. part. quæst. LXIV. art. VIII. ad secundum scribit: *Et ideo alii meliùs dicunt, quòd minister sacramenti* AGIT IN PERSONA TOTIUS ECCLESIÆ, *cujus est minister.* Si totius Ecclesiæ personam gerit, qui sacramenti minister est, profectò in Ecclesia tota proximè residet baptizandi jus primarium, quod per illius ministros exercetur. Sic paucis verbis Augusti-
ni doctrinam omnem, quæ ut vidimus, in illius libris 51
longè latéque diffunditur, & Parisiense decretum totum quantum est, firmissimè sustentat.

Dixi, supprimunt vel ad se revocant. Nam siquis benignitate hac erga beatum Thomam uti non vult, dicendum est, eum credere reliquos Apostolos claves Ecclesiæ per Petrum sortitos esse, quod veræ Theologiæ principiis duobus, Scripturæ & Ecclesiæ traditioni penitus adversatur. Et Thomas aliunde secum pugnaret.

XLVII. Pisanum Concilium in Spicilegii Lucæ Dacherii Tomo VI. nuper editum, sessione VIII. *Synodus declaravit, quòd hoc præsens Concilium est sufficienter* REPRÆSENTATIVUM TOTIUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ. Et paullò pòst in Synodi decreto: *Declarat insuper, pronunciat, & decernit per Dei gratiam hic esse generale* CONCILIUM REPRÆSENTATIVUM TOTIUS UNIVERSALIS CATHOLICÆ ECCLESIÆ, *ritè, justè & rationabiliter fundatum & congregatum.*

Sessione XVII. in prima schedula: *Nunc Deo dirigente procedendum est ad electionem unici & indubitati*

Papæ,

Papa, hoc sacrum Concilium UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS *vult, consentit, disponit, & ordinat, quòd ipsi à diversis oventi ad electionem prædictam procedant.* Et sane si quod Pisana Synodus decernit, idcirco decernat, quia universalis Ecclesiæ repræsentativa est, quia universalem repræsentat Ecclesiam, decernendi auctoritas immediatè residet in universali Ecclesia per orbem dispersa, universali Ecclesiæ primaria conditione inest, secundaria Concilio, quod universalem illam Ecclesiam repræsentat. Hæc est repræ-
52 sentantis & repræsentati natura, hic ordo, hic status, ut omnis docet Philosophia, & communis hominum qui sapiunt, intelligentia confirmat.

XLVIII. Constantiense Concilium in Sessione IV. *Hæc Sancta Synodus declarat, quòd ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata, Concilium Generale faciens, &* ECCLESIAM CATHOLICAM REPRÆSENTANS POTESTATEM A CHRISTO IMMEDIATE HABET, *cui quilibet cujuscunque status, aut dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & dicti schismatis extirpationem, & reformationem dictæ Ecclesiæ* IN CAPITE ET IN MEMBRIS. In hoc decreto continentur verba ipsa quibus Parisiensis noster articulus exaratur.

XLIX. Martinus V. cùm modum interrogandi eum, qui ab hæresi rediret ad Ecclesiam sic præscribit: *Utrum credat & teneat, quod quodlibet Concilium generale etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet.* At ubi concilium generale universalem repræsentans Ecclesiam aliquid facit, derivata ab Ecclesia quam repræsentat, auctoritate facit. Nam generale Concilium universalem repræsentans Ecclesiam vices Ecclesiæ gerit. Hoc ipsum natura sua id quod repræsentat, & id quod repræsentatur important; si utrumque inter se contendatur. Id Tostatus Abulensis Episcopus uberiori sermone postea explicabit.

L. Thomas Valdensis in Tomo 1. de Sacramentis capite CXLV. *Tene hic in summa causam, qua Petrus plus aliis omnibus* SUSTINEBAT PERSONAM COMMUNIS ECCLESIÆ CHRISTI IN SUSCIPIENDO CLAVES PRO TOTA ECCLESIA, *pro dimittendis peccatis, non*
53 *quia humilior, non quia miraculis crebrior, non quia sanctitate vitæ præcelsior, (ut tu sine auctoritate glossasti) sed quia post multa scelera surgens ad gratiam, recolens sui casus, esset ad ignoscendum paratior secundùm proprietatem matris Ecclesiæ.* Et post alia: *Jam quære prudenter quid ad Episcopum talem vel talem de potestate Petro commissa:* EGO DICO IN PERSONA ECCLESIÆ, *non quia sanctus est vita, aut ea distortus, sed quia* PRO UNIVERSA ECCLESIA IN SUIS APTIS MINISTRIS HANC (potestatem) PETRUS SUSCEPIT. *Ideo in hæreditatem prædecessoris iste succedit. Non igitur Petrus accepit illas claves propter suum meritum personale, nec tunc personam ejus Dominus attendit, sed in una massa totam, quamo magis non meritum Petri, sed nec suppositum. Unde. Serm.* CXV. *tertiæ partis sermonum, qui incipit, Istum vobis diem Augustinus. Dominus Jesus Discipulos suos ante Passionem sicut nostis elegit, quos Apostolos nominavit. Inter hos* PETRUS SOLUS TOTIUS ECCLESIÆ MERUIT GESTARE PERSONAM, PROPTER IPSAM PERSONAM, QUAM TOTIUS ECCLESIÆ SOLUS GESTABAT, AUDIRE MERUIT: *Tibi dabo claves regni cælorum. Has claves non unus homo, sed unitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur,* QUIA IPSIUS ET UNIVERSITATIS ET UNITATIS ECCLESIÆ FIGURAM GESSIT. *Quando ei dictum est: Tibi dabo, quia omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni cælorum: Audite in alio loco quid Dominus dicat Apostolis suis: Accipite Spiritum Sanctum, & continuò si cujus dimiseritis peccata dimittentur ei, si cujus tenueritis tenebuntur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est,*
54 *quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo. Sed hoc dixit Petro, ut scias,* QUIA PETRUS UNIVERSÆ ECCLESIÆ TUNC PERSONAM GEREBAT. Et quibusdam interpositis: *Sed fides Ecclesiæ resonans per os Petri, & in hâc fide Petri, recompensationem accipit* UNIVERSALIS ECCLESIA CLAVIUM POTESTATEM. Hæc Parisiensis ille Theologus ad Parisiensis Academiæ mentem, cujus libros Martinus V. per literas approbavit. Illæ autem sic se habent:

Dilecto filio Thomæ Waldensi Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Provinciali Angliæ, sacræ Theologiæ Magistro. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Placuit primò nobis opus, quod ediderar contra Hussitas hæreticos, téque fuimus hortati, ut ad quod restabat in materia de Sacramentis simili perficeres studio & diligentia, quod te fecisse gaudemus, & tuum studium utile & salutare Ecclesiæ commendamus. Recepimus enim nuper de manu dilecti filii Joannis Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo Magistri in sacra pagina latoris præsentium volumen II. *de Sacramentis, quod per solemnes viros videri & examinari fecimus, sicut primum, quod pariter ab omnibus commendatum est.* Et quibusdam interpositis: *Datum Romæ apud sanctos Apostolos sub annulo Piscatoris* VIII. *die Augusti Pontificatus nostri anno* X. *Examinatio ista incepit* XV. *Calend. Julii, & duravit usque ad* X. *Calend. Augusti. Quo die præsentabatur Papæ præsentibus Cardinalibus & Prælatis in Consistorio, per Commissarios Domini nostri Presbyterum Cardinalem sancti Petri ad vincula, & Dominum Bernardum Episcopum Cavellacensem Doctorem in Theologia.*

Ex hac autem approbatione constat Augustini do- 55
ctrinam de clavibus Ecclesiæ datis à Christo gratissimam Romæ fuisse, non quomodo Bellarminus illam postea exposuit in libri 1. de Rom. Pont. capite XII. sed quomodo Waldensis exposuit, & in Waldensi Parisienses Theologi omnes, qui Concilio Constantiensi & Basileensi æquales vel suppares fuerunt. Bellarminus sibi canit, non Augustino, cujus loca integra non refert, ne vis Doctori sancto allata deprehendatur. Sed quod adhuc indignius est & insignius, Augustini doctrinam ex Lutheri & Calvini ore prodeuntem inducit, ut illius minuatur auctoritas, & velut suspecta reddatur, aut certè cavenda proponatur. Hac in re Augustini doctrina commentariis non indiget, ut intelligatur: Hæc ipsa sibi lux est, quæ injectas à quocunque tenebras dispellat.

LI. Joannes Gerso Parisiensis Cancellarius cùm multis in operibus, tum maximè in tractatus de potestate Ecclesiastica, consideratione IV. *Potestas Ecclesiastica jurisdictionis in foro exteriori est potestas Ecclesiastica coercitiva, quæ valet exerceri in alterum etiam invitum, ad dirigendos subditos in finem beatitudinis æternæ, velut in finem proximum & principaliter intentum.* Et post alia: *Hanc Ecclesiasticam potestatem contulit Christus Matthæi* XVIII. DUM DIXIT PETRO VICE OMNIUM: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c. Sequitur: quod si te non audierit,* DIC ECCLESIÆ, *quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Quo in loco fundatur* JUDICIA POTESTAS EXCOMMUNICANDI VEL INTERDICENDI AB ECCLESIASTICIS SACRAMENTIS ET COMMUNIONE FIDELIUM, &c. *Fundatur rursus absque omni calumnia possibili in hoc textu pleni-* 56
tudo potestatis gladii spiritualis, & executio ejus in Ecclesia super quemlibet Christianum, qui est frater noster ETIAMSI PAPA FUERIT. Hæc ille, qui in Oecumenica Synodo Constantiensi sic laudatus est, ut in pari Synodo nullus unquam, qui mortalis esset, laude majori commendatus fuerit. Nam Franciscus Zabarella Florentinus Cardinalis excipientibus Gersonem Hussitis respondit: *Dicitis ô Hussitæ Cancellarium Parisiensem suspectum vobis existere: Qui tamen usque adeo superexcellens Doctor est, qualis in tota Christianitate vix reperiri queat.* Apud Joannem Cochlæum in libro II. Historiæ Hussitarum.

LII. Generalis Synodus Senensis apud Basileensem Synodum in responsione, quam de concedenda Græcis plenaria indulgentia fecit anno M. CCCC. XXXVI. V. Idus Maii: *Proximum generale Concilium Senense, quod*

in

in foribus Romanæ urbis erat, ubi felicis recordationis Martinus V. residebat, sub his verbis has plenarias indulgentias concessit: Sacrosancta generalis Synodus Senensis in Spiritu Sancto legitimè congregata UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, &c. *statuit.* At repræsentare universalem Ecclesiam, est illius vices gerere.

LIII. Facultas sacra Parisiensis Theologiæ in suis adversus Joannem Sarracenum de Ecclesiastica potestate decretis, quæ anno M.CCCC.XXIX. edidit: *Quarta veritas. Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto &* 57 CATHOLICA ECCLESIA. Notandum est principaliter residere in Catholica Ecclesia. Decernendi jus in Ecclesia principaliter & proxime residet, quod per illius ministros in actum erumpit.

LIV. Basileense Concilium in sessione II. *Sacrosancta Synodus Basileensis* UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS *in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsidente reverendissimo in Christo Patre Domino Juliano S.R.E. sancti Angeli Diacono Cardinali Apostolicæ Sedis Legato.* Deinde in sessione II. *Et primò quidem declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata generale Concilium faciens, &* ECCLESIAM MILITANTEM REPRÆSENTANS POTESTATEM A CHRISTO IMMEDIATE HABERET, *cui quilibet cujuscunque status & dignitatis etiamsi* PAPALIS EXISTAT, *obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & dicti schismatis extirpationem, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in* CAPITE *& in membris.* Sessioni utrique præfuit Julianus Sedis Apostolicæ Legatus: quæ in sessionibus prioribus Concilii gesta fuerant, Eugenius IV. adhuc confirmat sessione XVI. Diploma confirmationis incipit: *Dudum sacrum generale Concilium Basileense.*

LV. Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus in caput XV. Numerorum quæst. XLVIII. *An communitas seu Ecclesia possit habere exercitium jurisdictionis, & an Christus dederit claves soli Petro specialiter vel toti Ecclesiæ, & quomodo transfertur auctoritas clavium de uno Prælato ad alium.* Sic autem respondet ad illa verba: *Factum est autem cùm essent filii Israël in solitudine, & invenissent* 58 *hominem colligentem ligna in die Sabbati, & obtulerunt eum Moysi & Aaron, & universæ multitudini, qui recluserunt eum in carcerem, quia, inquit, ipsa multitudo non habet jurisdictionem, cùm jurisdictio secundùm actum non possit cadere in communitatem, sed in personam determinatam, quia jurisdictio requirit actus ut judicare & imperare. Communitas autem cùm non sit aliquid unum propriè, sed per accidens, ut acervus lapidum, non potest exercere actus aliquos. Immò* IMPOSSIBILE EST IN COMMUNITATE ESSE JURISDICTIONEM SECUNDUM ACTUM; EST TAMEN JURISDICTIO SECUNDUM ORIGINEM IN COMMUNITATE, ET SECUNDUM VIRTUTEM, QUIA OMNES PERSONÆ ACCIPIENTES JURISDICTIONEM, EX VIRTUTE COMMUNITATIS ACCIPIUNT, *quia ipsæ possunt per se judicare, communitas autem non. Ita autem videtur de* CLAVIBUS ECCLESIÆ, QUIA ILLÆ DATÆ SUNT A CHRISTO TOTI ECCLESIÆ; QUIA TAMEN NON POTERAT TOTA ECCLESIA DISPENSARE ILLAS, CUM NON ESSET ALIQUA PERSONA, TRADIDIT EAS PETRO NOMINE ECCLESIÆ.

Si tamen intelligeretur claves traditas esse Petro specialiter, non solùm sequeretur inconveniens commune, quod inducitur, scilicet quòd alii Apostoli non habuissent aliquam auctoritatem clavium, quod falsum est, quia illis data est potestas remittendi peccata, ut patet Joannis XX. cap. scilicet: Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remissa erunt, ista tamen est sola potestas clavis. Ergo alii Apostoli susceperunt claves. Sed adhuc inconveniens majus erat: Scilicet, quòd defuncto Petro non mansissent claves, quod necesse erat, si soli Petro datæ fuissent: & non solùm, si ipsi soli, sed etiamsi omnibus Apostolis 59 *data fuissent claves specialiter tanquam determinatis personis, defunctis illis non mansissent claves in Ecclesia, quia isti non habent potestatem dandi aliis claves faciendo eos successores suos, cùm nemo possit prælatum successorem sibi facere, & tamen omnes successores beati Petri & aliorum Episcoporum habent claves, sicut habuit Petrus & alii Apostoli:* ERGO NON FUERUNT DATÆ CLAVES ILLIS TANQUAM DETERMINATIS PERSONIS, SED TANQUAM MINISTRIS ECCLESIÆ, ET TUNC MAGIS DABANTUR CLAVES ECCLESIÆ, *cùm Ecclesia, quæ habet ipsas radicaliter, nunquam moriatur. Tunc leviter apparet, quomodo mortuo Petro succederent alii summi Pontifices in æquali potestate, quia illa potestas clavium erat in Ecclesia, & quia non poterat Ecclesia eam dispensare, cùm non esset una persona, tradita est jurisdictio clavium Petro, tanquam personæ electæ ad usum illius jurisdictionis. Et quia mortuo beato Petro adhuc Ecclesia semper habet claves: Potest enim eligere successorem, & eligendo confert eandem potestatem, quam habuit Petrus: Nec oportet, quòd in morte Petri Christus iterum conferret successori ejus, quod tamen necesse erat, si Petro datæ fuissent claves singulariter, & non Ecclesiæ.*

Hoc idem patet in communitatibus. Si enim aliqua communitas vel collegium est, ibi erit jurisdictio, & quia non potest administrari per totam communitatem, administratur per unum de communitate. Non est tamen jurisdictio in illo, ita quòd non sit in communitate, sed est magis in communitate, quia antequam ille constituatur in judicem vel rectorem nullam habet jurisdictionem: Illo autem mortuo 60 *vel cedente jurisdictionem, non penitus expirat jurisdictio. Potest alius præfici in rectorem, vel in judicem: Non tamen posset hoc fieri, si non maneret jurisdictio in communitate, ergo ipsa communitas habet magis jurisdictionem. Adhuc patet hoc, quia Sede vacante Capitulum habet omnia, quæ pertinent ad jurisdictionem Prælati, licèt non ea, quæ sunt ordinis: Si tamen potestas illa esset in persona determinata, mortuo Prælato exspiraret. Ergo videtur quòd* JURISDICTIO ILLA RADICALIUS ERAT IN ECCLESIA, QUAM IN PRÆLATO. *Non tamen haberet eam Ecclesia, nisi in principio ei tradita fuisset, quia jurisdictio clavium non est talis, quales sunt jurisdictiones, quas constituunt sibi communitates per leges, quia cùm ista jurisdictio sit in remittendo peccata, & ligando, non possunt eam homines sibi fingere, sed à Deo solo est: Cùm ipse solus remittat peccata: In Ecclesia autem est ista jurisdictio. Ergo oportet, quòd eam aliquando acceperit, & hoc non fuit nisi, cùm primò traditæ sunt claves à Christo; & hoc modò cùm aliquis eligitur in Prælatum, confertur* SIBI PER ELECTIONEM JURISDICTIO; QUIA ECCLESIA HABEBAT JURISDICTIONEM *illam, & non poterat exercere eam, quia non erat una persona: Ideo tradidit uni viro, & tunc cùm summus Pontifex eligitur à Cardinalibus, à tota Ecclesia eligitur, cùm illi nomine totius Ecclesiæ eligant, quia non potest tota Ecclesia convenire ad quamlibet electionem: Et sicut electio totius Ecclesiæ tribueret jurisdictionem, ita electio Cardinalium, si fiat secundùm voluntatem Ecclesiæ expressam, per decreta sua & constitutiones. Si autem aliter, nihil confert jurisdictionis, nec erit Pontifex, qui est assumptus.*

Deinde in quæst. XLIX. *An Ecclesia aliquando ha-* 61 *beat potestatem ligandi & solvendi. Sed tunc dicet aliquis, quòd si potestas clavium quæ est in summo Pontifice, est in Ecclesia, aliquando habebit Ecclesia potestatem ligandi & solvendi, quod non est conveniens. Respondendum est, quod* ECCLESIA SUSCIPIT CLAVES A CHRISTO ET APOSTOLI TANQUAM MINISTRI ECCLESIÆ: ET NUNC ECCLESIA ILLAS HABET, ET PRÆLATI ETIAM, SED ALITER ECCLESIA, QUAM PRÆLATI. NAM ECCLESIA HABET SECUNDUM ORIGINEM ET VIRTUTEM: PRÆLATI AUTEM HABENT SECUNDUM USUM EARUM: DICITUR ECCLESIA HABERE SECUNDUM VIRTUTEM CLAVES, QUIA POTEST ILLAS CONFERRE PRÆLATO PER ELECTIONEM,

CTIONEM. *Ecclesia enim, quæ ipsum eligit, tribuit ei jurisdictionem illam: Ecclesia autem à nullo suscipit, postquam semel à Christo suscepit. Ideo illas per originem & virtutem habet: Et quando confert eas Prælato, non confert eas eo modo, quo habet, scilicet, quantum ad originem & virtutem; sed quantum ad usum: In utroque tamen integras fuat claves. Exemplum hujus patet in domino rei & usufructuario atque usuario. Nam dominus rei habet usum rei, & confert illum usum alteri; sed non eo modo, quo habet: quia sibi reservat usum ut proprietario; alteri concedit ut usuario vel usufructuario, & in hoc confert dominus, quod habet, quia dominus rei non est usufructuarius vel usuarius. Conformiter in Ecclesia. Ipsa enim non habet claves quantum ad usum. Omnia autem ista descendunt ex hoc, quòd Ecclesia non est aliquid unum per se potens habere administrationem clavium: Ideo*
62 *illas alteri commendat: Si autem posset per se administrare, non committeret alicui Prælato.*

Tum in secunda parte Defensorii capite LXIX. *In talibus constitutionibus licèt Papa possit dispensare, cùm sit caput ministeriale Ecclesiæ, vel membrum ejus præcipuum, potissimè cùm tales constitutiones non habeant causam semper manendi, non est inconveniens, nec negamus, dum tamen hoc non faciat contra prohibitionem expressam generalis Concilii; quia tunc manifestum est, auctoritatem Ecclesiæ esse majorem ejus auctoritate, qui membrum est illius: cùm illa non possit errare nec in fide nec in moribus;* ILLE AUTEM IN UTROQUE ERRARE POTEST, ET SÆPÈ REPERTUM EST, QUOD SUMMI PONTIFICES IN UTROQUE ERRAVERINT. *Ob hoc autem Christus constituit supremum tribunal in Ecclesia, in sacro Concilio etiam supra Papam, & non solùm in pertinentibus ad fidem, sed etiam quantum ad actiones. Quæ omnia patent manifestissimè ex illo verbo Domini Matthæi* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum: Quòd si non audierit, dic Ecclesiæ; & si non audierit Ecclesiam, sit tibi quasi ethnicus & publicanus.* Iterum in cap. LXX.

Ex hac auctoritate quatuor probantur: Primùm, quòd Christus loquitur hîc de Concilio generali. Secundùm, quod posuit Christus ultimum tribunal Ecclesiæ in sacro generali Concilio: Ita quòd post eum non sit ad aliquem recurrendum. Tertiùm, quòd etiam Concilium sit supra Papam, & quòd super statu Papæ possit adiri Concilium generale. Quartùm, quòd non solùm sit hoc IN PERTINENTIBUS AD FIDEM, DE QUIBUS NEMO DUBITAT CON-
63 CILIUM GENERALE EXCEDERE PAPAM, SED ETIAM IN PERTINENTIBUS AD ACTIONES MORALES, *de quibus aliqui interdum dubitant. Primùm scilicet, quòd loquitur hîc Christus de generali Concilio probatur, quia Christus dixit: Quòd si peccator non audierit correctionem coram testibus, quòd diceretur Ecclesiæ. Aliqui autem accipiunt Ecclesiam pro judice Ecclesiastico: Sed non convenit; quia beatus Petrus, qui erat Papa, remittitur hîc ad Ecclesiam, cùm dicat hîc Christus, dic Ecclesiæ. Nullus tamen judex est supra Papam: Ergo non potest accipi pro judice, sed debet accipi pro Ecclesia non dispersa, ergo congregata, quæ est sacra Synodus generalis legitimè congregata.* Pergit in capite LXXI.

Quod autem debeat intelligi ista auctoritas, testis est nobis beatus Hieronymus (Augustinum dicere voluit) QUIA LOQUENS DE CLAVIBUS, CUI TRADITÆ SINT, SCILICET, AN BEATO PETRO, AN TOTI ECCLESIÆ, AIT: HAS CLAVES REGNI CÆLESTIS LIGANDI ET SOLVENDI, NON UNUS HOMO SED UNITAS ACCEPIT ECCLESIÆ, *scilicet unitas Ecclesiæ universalis; & subinfert: Hanc domum siquis corrigentem corripientémque audire contempserit, sit tibi quasi ethnicus & publicanus, & sic valet, quòd Ecclesia universalis sit ista, quæ debet ultimò audiri in correctione fraterna, quòd docet eam unitatem Ecclesiæ, quod non competit nisi Ecclesiæ universali; & quia corrigere & corripere potest, necesse est, quòd non sit ipsa universitas Christianorum dispersa, sed multitudo congregata, scilicet Concilii generalis, cui competit corrigere & corripere quemlibet fidelem.* Pergit in capite LXXV. *Quartùm dicitur, quòd eliciebatur ex hac auctoritate, Si peccaverit, &c. Erat quod non solùm in perti-* 64
nentibus ad fidem Concilium videt de statu Papæ, sed etiam in pertinentibus ad actiones. Nam quandocumque aliqui declarant, Papam SUBJECTUM ESSE ECCLESIÆ UNIVERSALI MATRI SUÆ, CUJUS VICEM PLENE TENET SACRUM GENERALE CONCILIUM, *aliqui non secundùm Deum, sed secundùm hominem favere volentes Pontificibus, quasi constituentes eos Deos impeccabiles, dicunt, verum esse in his quæ sunt fidei, Papam subjectum esse Concilio, quia de hoc expresse continetur in cap. si Papa* 10. *dist. quòd pro causa fidei Papa accusari & deponi posset, pro aliis delictis dicunt eam soli divino arbitrio relictam, & neminem mortalium, nec etiam Concilium generale posse judicare, sicut videtur ipsum capm, si Papa, dicere, & quædam alia jura, & non advertunt ad istam auctoritatem Domini, quæ major est quibuscunque Epistolis summorum Pontificum, ex qua necesse est, accipi Papam subjectum fore judicio Concilii generalis, non solùm in tangentibus fidem, sed etiam in tangentibus actiones.* Et post alia: *Videtur quòd non intelligatur ista regula de correctione peccantis in hæresim, sed in aliis peccatis actionum, licèt quantum ad hoc non insisto magis, tenendo, quòd se ad omnia peccata extendat.* Infrà: *Facile erat nobis respondere ad decretum. Si Papa, & ad illud Cuncta per mundum, & ad illud cap. scilicet aliorum causas: Quæ sunt potissimum fundamenta eorum, qui volunt humanitus adulari summis Pontificibus, constituendo eos incastigabiles circa quascunque actiones, etiamsi quotidie unus summus Pontifex notoriè mille homines occideret, sicut quidam non erubuit in suis scriptis asserere.*

Quarto in caput XVIII. Matthæi quæst. CVIII. 65
Etiam quia quædam personæ sunt, quarum delicta non sufficit denunciare alicui etiam particulari, sicut sunt delicta Papæ. Nam ille est major qualibet Ecclesia particulari, ideo nulla particularis Ecclesia potest judicare de eo etiam quantum ad hæresim. Sed necesse est recurrere ad Ecclesiam universalem, cujus Papa est filius licèt sit præcipuus filiorum. Nam in ea regnat, & in Sacramentis quæ intra ipsam sunt, justificatur, & proficit. Et tamen quia ECCLESIA UNIVERSALIS DICIT IPSAM CONDESDATIONEM OMNIUM FIDELIUM, *quæ nunquam fit, neque fieri potest opere humano, nullus actus competit Ecclesiæ universali, neque aliquid potest ei dici ad hoc, quòd ipsa admoneat aliquem, sed accipitur* ECCLESIA UNIVERSALIS PER REPRÆSENTATIONEM, ET ISTA EST CONCILIUM GENERALE. *Unde quodlibet Concilium generale vocat se* REPRÆSENTATIVUM ECCLESIÆ UNIVERSALIS, *cùm ait sacrosancta Synodus talis vel talis in Spiritu Sancto legitimè congregata* UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTANS, *& ad ipsam Ecclesiam defertur per denunciationem crimen Papæ, si admonitus secretè, & deinde coram testibus se emendare noluerit, & si illa Synodo illum admonente non se emendaverit, habebitur tanquam ethnicus & publicanus, & maximè in crimine, quod est maximè periculosum in Pontificatu summo. Nam pro illo deponitur de Papatu 40. dist. Can. si Papa, & tamen nemo est qui hoc facere possit, nisi Concilium generale,* QUOD VICEM HABET TOTIUS ECCLESIÆ, *& non solùm in crimine hæresis, sed etiam in spectantibus ad mores denunciatur crimen Papæ, Concilio generali tanquam Ecclesiæ universali.*

Denique in idem caput quæst. CXIV. *Accipiendo propriè claves ut communiter exponitur litera ista à sanctis Doctoribus, dicendum, quòd* DATÆ FUERUNT ISTÆ CLAVES ECCLESIÆ HIC NON PRO SEIPSA, SED PRO MEMBRIS SUIS MINISTERIALIBUS, *per quæ exercet actus virtutis suæ, & ita omnibus Apostolis, qui erant membra ministerialia, & præcipua Ecclesiæ, datæ fuerunt hîc claves, & per eos descendunt in omnia alia membra ministerialia Ecclesiæ, claves quidem ordinis in solos Sacerdotes, claves verò jurisdictionis in multos etiam alios non Sacerdotes, dum tamen sint Clerici.* Et post alia. 66

Ad tertium dicendum, quòd ad Ecclesiam ista dicantur, & claves in Ecclesia sunt, in quantum extra Ecclesiam

nemo

nemo habet actum clavium, scilicet postquam ab ea recedit: Et ipsamet Ecclesia habet claves, habet tamen eas in suis ministerialibus partibus, & per illas exercet actum clavium. Sed singuli qui sunt in Ecclesia, non sunt partes ministeriales, sed illi soli, quibus committuntur aliqui actus: ideo non competunt claves ista omnibus de Ecclesia: Ipsi etiam Ecclesia per seipsam competunt claves, quarum actus per seipsam exercet; hoc tamen non est quantum ad clavem ordinis, qua est clavis sacramentalis, sed quantum ad clavem jurisdictionis. Et patet, quia Concilia generalia excommunicant, absolvunt, suspendunt, interdicunt, deponunt, causas audiunt, diffiniunt, indulgentias concedunt, qua omnia pertinent ad clavem jurisdictionis: Et hac omnia faciunt ipsa Concilia per se, quia quodlibet generale Concilium reputatur Ecclesia universalis, &
67 *non fiunt ista per aliquos, qui sint in ipsis Conciliis, quasi per potestatem, quam ipsi habeant, cùm multi faciant ibi hac ex nomine Concilii, quorum nulli habent aliàs per seipsos auctoritatem aliquam: Et ita Concilium facit ista. Et licèt prolationes sententiarum & cateri actus sint aliquid reale, quod non potest esse nisi in particularibus: Concilium autem non est aliqua persona natura, sed juris: Ideo proferre sententias, quod est agere quoddam quod est ens naturale, non potest esse nisi in persona natura, id est, in aliquo homine, & ita per particulares homines ista traduntur executioni: Potestas tamen faciendi, qua non est accidens natura, sed juris, non est in individuo natura, id est, homine aliquo, sed in ipso Concilio, quod est individuum juris, sive corpus.*

De clave ordinis certum est, quòd non est in Ecclesia, vel Concilio realiter, quia ista clavis secundùm essentiam est ipse character Sacerdotalis, ut dictum est pracedenti quastione: Ideo non potest esse nisi in eo, cui confertur ordo, sed non potest ordinari, nisi homo. Ideo Concilium, quod non est homo, aut ipsa Ecclesia, non habet clavem sacramentalem, & consequenter non potest Concilium absolvere aliquem in foro pœnitentiali: Potest dare tamen indulgentias plenarias, & committere alicui, qui aliàs sit Sacerdos, absolvendi potestatem quamcunque in foro pœnitentiali.

Hæc Tostatus, cui tractator Ecclesiasticus vix ullus opponi potest, si acre ingenium, si incomparabilis diligentia, si linguarum plurium cognitio, si Jurisprudentia, si Philosophiæ & Theologiæ intelligentia, si editorum ab illo librorum multitudo, si tempus vitæ brevioris, si morum probitas simul attendantur.

LVI. Eugenius IV. quam fidei formulam Basileensis
68 Synodus præside Juliano Cardinali adhibuerat, eandem adhibuit in Epistola ad Fredericum Romanorum principem: *Concilium autem generale Constantiense, sicut & catera Concilia Catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia suscipimus:* Apud Odoricum Raynaldum in Tomo XVII. Eccles. Annal. ad annum M. CCCC. XLVII.

LVII. Æneas Silvius seu Pius II. In libri I. de Gestis Basileensis Concilii, relatis his verbis: *Tibi dabo claves,* &c. Et relata beati Augustini ex libro de Agone Christiano auctoritate subjicit: *Quibus ex verbis fabularum nostrorum fundamenta concutiuntur, ac penitus evertuntur. Quoniam si* PERSONAM ECCLESIÆ PETRUS GEREBAT, NON PETRO SED ECCLESIÆ POTIUS VIM ILLORUM VERBORUM DEBEMUS ADSCRIBERE. Hic cum Augustino loquitur; ac proinde tutus esse debet à librorum prohibitorum Indice, in quo gesta Basileensis Concilii ponuntur. Deinde ex Ænea factus Pius II. quo in pretio habendi sint Romani censores, nobis significat in Epistola CCCLXXIV. quam ad Carolum VII. Regem Galliæ scribit: *Unum à te petimus, charissime fili, ut Doctoribus Sedis Apostolica non semper credas, multa illorum passionibus tribuas.* Sic Pontifex illatam sibi injuriam ulciscitur, & arma, quibus ulciscantur alii, dum urgebit necessitas, subministrat. Tunc maximè credendum non est illis Doctoribus, cùm jubenti Petro reddendam esse rationem fidei suæ non obtemperant, & vitiosam tacendi consuetudinem prætexunt: Sed cùm istud faciunt, Petrum in loco Petri exemplo pessimo contemnunt. Hanc contumaciam, hanc imperii detractationem auctore Pio
Doctorum illorum passionibus & cum primis ignoran- 69
tiæ & adulationi tribuemus. Nos Petro & in loco Petri & ubique terrarum obtemperabimus, & obtemperationem nostram, si opus sit, effuso sanguine consecrabimus. Quæsitam è Scriptura & traditione rationem fidei nostræ reddemus, & affectatum censorum Romanæ Curiæ silentium nefariis partium studiis & ignorantiæ assignabimus.

LVIII. Cracoviensis Academia in tractatu, quem de auctoritate Conciliorum universalem Ecclesiam repræsentantium edidit in conclusione III. & in probatione I. relatis sancti Augustini testimoniis subjungit: ECCLESIA A CHRISTO CLAVES ACCEPIT PROPRIE, PETRUS AUTEM FIGURATIVE. Et paullò pòst: *Sequitur,* QUOD POTESTAS CLAVIUM SIT PRINCIPALITER DATA ECCLESIÆ IN PERSONIS APOSTOLORUM: *quod satis videtur probari ex dicto textu Evangelii Matthai* 18. *attenta maximè narratione historia.*

LIX. Herfordiensis Academia in tractatu, quem de unione & neutralitate Principum Electorum scripsit: *Corpus Ecclesia nonnunquam caput suum Papam videlicet correxit, deposuit, & condemnavit. Nunquam verò Papa residuum corpus correxit aut condemnavit. Auctoritas sacra confirmat hoc idem cùm Christus dicit, Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesia.* Et paullò pòst: *Petrus quando claves in istis verbis quodcunque ligaveris,* &c. *accepit;* ECCLESIAM SANCTAM SIGNIFICAVIT.

LX. Dionysius Carthusianus in libro I. de auctoritate Papæ & Concilii art. XXXIV. *Papa secundùm diversas sui considerationes vocatur & est Pater & princeps*
Ecclesia, itémque filius & minister Ecclesia. Et paullò 70
pòst: *Dicendum, quòd Papa secundùm quod talis, ut puta summus Ecclesia Pastor & Pontifex, non est à Concilio generaliter sententialiter judicandus, aut per depositionem puniendus, quia ut talis, est superior & pralatus & judex Ecclesia; sed in quantum est intolerabiliter vitiosus seu criminosus: & sic esset inferior, &* CONCILIUM HABERET SUPER EUM POTESTATEM AC JURISDICTIONEM A CHRISTO, A QUO IMMEDIATE CLAVES ACCEPIT ECCLESIA, QUAM REPRÆSENTAT CONCILIUM, *cui etiam Christus dedit potestatem abjiciendi membrum scandalisans, infectivum, ac putridum. Sic ergo generale Concilium potestatem & jurisdictionem habet in Papam, in quantum Papa ratione culpa inferior redditur ipso Concilio. Imò insuper & in quantum Papa consideratur, ut membrum filiúsque Ecclesia, puta ut determinata persona fidelis, seu unus Christianus viator peccabilis; & in quantum talis est, dicitur ei à Concilio lex prafigi, ne sua potestate abutatur, sed debitè dirigatur. Ex his patet ad objecta solutio: par enim potestatem non habet in parem, in quantum est talis, id est, aqualis, sed ut aliquo modo extat inferior.*

LXI. Jacobus Almainus in tractatu de potestate Ecclesiastica capite XVII. postquam sibi objecit: *Quòd ab illo solo Papa potest deponi, à quo immediatè suam habet potestatem,* &c. Sic respondet: *Quantum ad hoc argumentum, magnam haberet apparentiam, nisi esset ab ipso, qui instituit, potestas collata auferendi.* SED EST COLLATA A DEO POTESTAS ECCLESIÆ AUFERENDI, *si peccaverit, super quemcunque, & illa potestas est*
collata in adificationem Ecclesia, & non in destructionem. 71
Imò à superiore communitatis collata est in adificationem: HINC EST, QUOD APUD COMMUNITATEM RELICTA EST POTESTAS, SI IN DETRIMENTUM ECCLESIÆ AGAT, IPSUM AUFERENDI, *& per consequens Concilium immediatè à Christo habet auctoritatem jurisdictionis exterioris super quemlibet Christianum.*

LXII. Leo X. in Lateranensis Concilii sessione XI. *Unde,* inquit, *prafatus Julius pradecessor noster in prasenti*

CONCILIO *Lateranensi universalem Ecclesiam* REPRÆSENTANTE *per eum legitimè indicto*, &c. Sic doctrinam ubique receptam sequitur.

LXIII. Joannes Major prioribus Commentariis in caput XVIII. Matthæi: DOMINUS DEDIT POTESTATEM ECCLESIÆ IMMEDIATE CORRIGENDI FRATRES, *Matthæi* XVIII. *& nullus fuit ater est exceptus: Ergo si Papa est incorrigibilis, & deponendus est non nisi à superioribus ejus. In hoc igitur dicere, quod oportet pro eo solum rogare Deum, & quod non est aliud remedium, est unum extraneum sine ratione.*

LXIV. Henricus VIII. Rex Angliæ in Assertione septem Sacramentorum contra Lutherum, ubi agit de Indulgentiis: *Verùm quantumvis disputemur Indulgentias Pontificis, necesse est inconcussa maneant verba Christi, quibus* PETRO COMMISIT CLAVES ECCLESIÆ, *cùm dixit quidquid ligaveris.* Hæc Rex eo in libro, propter quem à Leone X. vocatus est Ecclesiæ defensor. Igitur non erant Petri claves, quas Petro Christus dedit, sed erant claves Ecclesiæ, quas nempe Christus Ecclesiæ dederat.

72 LXV. Romana Ecclesia in vetere absolutionis forma, quam habent libri duo: *Romanum Breviarium Venetiis* anno M. CCCCLXXXII. editum, & *sacra Baptizandi institutio juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Parisiis anno MDLXXV. MDXCIV. anno M. DCVII. & M. DC. XIV. Venetiis anno M.D.LXXVI. & Lugduni anno M.D. LXXXIX. impressa. In duobus his libris res ita narratur: *Ista est forma absolutionis abstracta de formulario Domini Papæ, pro habentibus indulgentiam plenariam in mortis articulo.* Paulò post initium formæ: *Item eadem auctoritate absolvo te ab omnibus peccatis tuis contritis, confessis, & oblitis, & à transgressione regulæ & statutorum*, IN QUANTUM CLAVES SANCTÆ ECCLESIÆ SE EXTENDUNT.

LXVI. Repetuntur eadem verba in Eduensis Ecclesiæ Rituali, quod Parisiis anno M. D. XXIII. in lucem prodiit. *Item auctoritate Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & etiam Domini nostri Papæ N. summi Pontificis mihi in hac parte commissa*, IN QUANTUM CLAVES SANCTÆ ECCLESIÆ SE EXTENDUNT, *absolvo te*, &c.

Hæc sunt antiquæ traditionis circa claves Ecclesiæ datas monumenta, quæ in Romana & in aliis Ecclesiis ad hoc usque tempus perseverarunt. Deducuntur à Lateranensi Concilio, cui præfuit Innocentius III. & cui demum illa sancti Patres quos laudavimus subministrarunt.

LXVII. Hadrianus VI. in quartum sent. de Sacramento Confessionis & clavibus, quæst. I. *In superioribus actum est de confessione*, QUÆ CLAVIBUS ECCLESIÆ INNITITUR. Infrà: *De hac clave* (ministerii) *dictum*
73 *est* PETRO: *Tibi dabo claves regni cælorum, & in* PETRO OMNIBUS SACERDOTIBUS, *quibus in ordinatione datur Spiritus Sanctus, ut quorum remiseritis peccata*, &c. Infrà: *Has duas claves notat Augustinus.* Infrà: quæst. II. *Non* SOLUM PETRO SED ET OMNIBUS APOSTOLIS ET EORUM SUCCESSORIBUS, *dixit* (Dominus) *Accipite Spiritum Sanctum.* Infrà: *Nec eos audiamus, qui negant Catholicam Ecclesiam omnia peccata posse dimittere. Illi enim in Petro Petram non intelligunt, & non intelligentes*, CLAVES ECCLESIÆ DATAS *esse claves regni cælorum, eas de propria manu amiserunt.* Hadrianus claves Ecclesiæ, ligandi scilicet ac solvendi potestatem, nunc secundùm originem, nunc secundum actus illarum attendit: Secundum originem, cùm claves Ecclesiæ datas esse scribit: Secundùm actus illarum, cùm claves Petro, Apostolis, & Sacerdotibus universis datas esse scribit. Hadrianus, ut Augustinus loquitur, ut Tostatus exponit.

Commune ubique fundamentum habuit sententiæ, quæ in Lovaniensi Academia jam inde ab origine sua invaluerat; Nempe Romanum Pontificem Concilio subjici, atque errare posse. Quocirca mirum non est Hadrianum, qui Lovaniensis Theologus & Cancellarius erat, id de clavibus Ecclesiæ docuisse, quod in Germania & in Gallia per acceptam à Patribus traditionem docebatur.

LXVIII. Judocus Clicthoveus, qui primus, ni fallor, è nostris Parisiensibus Theologis calamum contra Lutherum strinxit, in Compendio veritatum ad fidem pertinentium adversus erroneas Lutheranorum assertiones cap. I. *Beatus Petrus postquam Dominum nostrum confessus est filium Dei vivi, non carnis, non sanguinis revela-* 74
tione, sed Dei Patris interna inspiratione, hoc à Christo accepit responsum: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c. *Ex hac igitur Christi (qui est caput Ecclesiæ) promissione conspicuum est, nec errorem in fide nec exorbitationem morum unquam occupaturam totam Ecclesiam. Quod etiam supradictis subjungitur Christi verbum ad Petrum scilicet, Et Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in cælis, & quodcumque solveris in terris, erit solutum & in cælis, multum confirmat rem propositam. Ostendit enim prædicta verba* DE ECCLESIA MILITANTE INTELLIGI DEBERE, IN QUA SOLA EST POTESTAS LIGANDI ET SOLVENDI. Sic exprimit, quod hac de re beatus Augustinus censuit, & suum facit, aut potiùs Senonensi transcribit Concilio, cujus rationes ad sancienda fidei & morum decreta adhibitas collegit.

LXIX. Nunc finem facio in Parisiensi articulo consequente illum qui scribendi argumentum fuit. Sic autem se habet: *Certum est Concilium generale legitimè congregatum, universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.* Hic articulus præcedentem supponit & involvit. Quod enim Concilium universalem repræsentat Ecclesiam, universalis Ecclesiæ vices gerit, ut ipsa vis notioque Concilii universalem repræsentantis Ecclesiam importat. Quamobrem Concilium universalem repræsentans Ecclesiam, eatenus judicat, statuit, ac certò & sine erroris formidine decernit, quatenus judicandi, statuendi, ac certò & sine erroris formidine decernendi potestas
ad universalem Ecclesiam spectat. Non spectaret autem 75
nisi excommunicandi, hoc est, ligandi solvendique potestas jure divino immediatè à Christo Ecclesiæ concessa esset. Præterea propositio hæc, *Concilium universalem repræsentans Ecclesiam*, Conciliorum quatuor, & Pontificum trium est: Conciliorum Pisani, Constantiensis, Senensis, Basileensis: Pontificum verò Martini V. semel atque iterum; semel in Bulla confirmationis Concilii Constantiensis, iterum in Senensi Concilio; Eugenii IV. semel, iterum, & tertiò: Semel in prioribus Basileensis Concilii sessionibus, quibus per Legatum suum præfuit; iterum in Diplomate, quo in sessione XVI. præcedentia Concilii acta confirmavit; tertiò in Epistola ad Fredericum principem: Leonis denique in Lateranensis Concilii sessione XI. Sic illa Concilia quatuor, & Pontifices illi tres non possunt non probare, quidquid Parisienses in priori articulo suo sibi sumunt.

Adhæc nova non est hæc loquendi formula, ut Tridentini Concilii tempore nonnulli putarunt: à traditione prima Ecclesiæ descendit. Est apud Tertullianum in libri de Jejuniis, capite XIII. *Aguntur per Græcias illa certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Idoneum rei hujusce fundamentum suppetit in Actuum Apostolorum capite XV. *Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam viros primos in fratribus, scribentes per manum eorum, Apostoli & seni-*
ores & fratres, Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ ἀδελφοί, 76
his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem. Quibus verbis celebrata totius Christiani nominis repræsentatio significatur.

LXX. Guil-

LXX. Guillelm. Okamus, qui longè antè Pisanum, Constantiense, Senense, & Basileense Concilium floruit, hoc noverat, dum in libri VI. Dialogorum capite LIV. ita scribebat: *Ad quintum dicitur, quod Concilium generale habet potestatem principaliter ab Ecclesia universali, cujus vicem gerit.*

Deinde in ejusdem libri capite LXXXIV. rationem rei hujus optimam reddit: *Omnes fideles sunt unum corpus, Paulo docente ad Romanos XII. Multi unum corpus sumus Christo, & sunt unus populus & una communitas. Ergo possunt eligere aliquos qui vicem gerant totius corporis. Tales autem electi, si simul convenerint, Concilium generale constituent, quia Concilium generale non videtur esse aliud, quàm congregationem aliquorum, qui vicem gerant totius Christianitatis.*

Hæc est perpetua Sedis Apostolicæ, universalis Ecclesiæ, Patrum & Theologorum traditio, in qua tanquam in fundamento Parisiensis articulus ille noster nititur. Hæc est traditio, quam tu in apertum referri tam enixè postulasti; non quòd ipse harum rerum scientissimus indigeres; sed ut qui seorsum à Facultate nostra communi matre sentiunt, tum demum perspicerent, Facultatem nostram cum Apostolica Sede, cum universali Ecclesia, cum generalibus Conciliis, cum Patribus, cum Theologis eruditioribus sentire.

Nunc superest, ut expositam universalis Ecclesiæ de
77 subjecto clavium traditionem à parum synceris Bellarmini impetitionibus defendam. Quo nihil est facilius. Nam auctoris hujus verba simpliciter referre, simpliciter confutare est; usque adeò veritati & æquitati adversantur. Igitur in libri I. de Romano Pontifice capite XII. quærit, *quis sit ille, cui dicitur: Tibi dabo claves*, *Matthæi* XVI. In responsione dicit: *Tertia dubitatio est de persona, cui dicitur, tibi dabo claves: Tametsi enim Doctoribus Catholicis sensus horum verborum apertissimus videatur, tamen adversarii ita hæc ipsa depravent, ut videantur jam esse obscurissima.* Hi autem adversarii sunt, Lutherus, Calvinus, Magdeburgenses, Smalchaldica Synodus in libro de primatu Papæ. Sed quid dicit Synodus hæc referente Bellarmino? *Principaliter claves Ecclesiæ & immediatè datas esse*, quæ Parisiensium sententia est, per traditionem, ut visum est, à sanctis Patribus derivata, & illorum articulis definita, cùm Lutherus in Germania furere per mortem desierat, & Calvinus in Gallia furebat. Magdeburgenses bacchabantur, cùm Martinus Navarrus in cap. Novit. De judiciis. Notab. III. num. LXXXIV. *Non est*, ait, *consilium in præsentia definire, cui principaliter Ecclesiæ potestas fuerit à Christo collata, an toti Ecclesiæ, an verò ipsi Petro, per illam maximam discordiam Romanorum & Parisiensium.* Monuimus alibi Romanorum nomine non Sedem Apostolicam intelligi, sed Sedis Apostolicæ Doctores nonnullos, similes iis, quibus fidem non semper habendam esse Pius II. ad Carolum VII. Regem Galliæ scribit in Epistola CCCLXXIV. *Unum à te petimus, charissime Fili; ut Doctoribus Sedis Apo-*
78 *stolicæ non semper credas, multa illorum passionibus tribuunt.* Hac in parte Apostolica Sedes nostra est. Sed Bellarminus ut doctrinæ suæ novitatem occultet, & Parisiensium sententiam tacitus infamet, Gorgoneique capitis aspectu horribiliorem efficiat, illam adscribit hominibus, qui seorsum à nobis per religionem sentiunt. Heu prisca Christianorum integritas & simplicitas, apud quos ex fide personæ, non ex personis fides probatur, ut ait Tertullianus in libri de præscriptione hæreticorum capite III. Bellarminus hoc pacto exciperet Stephanum Romanum Pontificem, qui collatum ab hæreticis Baptismum admittebat, & hac ratione admittebat apud Cyprianum: *Siquis ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi* (fortè in id) *quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.*

Bellarminus hoc pacto exciperet Hieronymum & Theodoretum, qui in interpretandis Scripturis Theodotionem, Symmachum, & Aquilam subinde laudant & sequuntur.

Bellarminus hoc pacto exciperet sextam Synodum, quæ consentientes Catholicis tractatoribus hæreticos in medium priùs adducit, quàm fidei definitionem conscribat.

An Testamentum vetus repudiabimus, quia Judæi illud recipiunt & novum abjiciunt? An Matthæi vel Joannis Evangelium procul amandabimus, quia illud Lutherus, Calvinus, Magdeburgenses amplectuntur? Cùm igitur Smalchaldica Synodus id de clavibus Ecclesiæ, quod Bellarminus refert, tradit, Catholice omnino sentit, sed extra Catholicam Ecclesiam, quod & 79
improbandum & dolendum est. Si autem ex quo certum quoddam Catholicorum dogma per hæreticorum codices & os pervasit, illud hæreticum fieri Bellarminus credit, perperam credit, & Catholicam offendit Ecclesiam, quæ hodièque collatum ab hæreticis baptismum recipit.

Deinde Bellarminus dissimulat illa omnia beati Augustini testimonia, quæ suo loco recensuimus, ut eo prioribus & posterioribus Ecclesiæ tractatoribus intelligendis facem præferremus. Nonnulla tamen Doctoris sancti refert testimonia, & hæc minùs expressa & sæpius truncata, quo hæc faciliùs excogitatas in volatica Turrecrematæ & Cajetani Academia distinctiones admittant. Cùm Augustini loca omnia diligenter leguntur, & conferuntur inter sese, sponte sua modus occurrit, quo Pater sanctissimus intelligit, Petrum gestasse personam Ecclesiæ, cùm à Christo claves accepit. Sed Bellarminus collatorum inter sese locorum splendorem ferre non potest: Tenebras quærit in duobus adverbiis *historicè* & *parabolicè*, quibus à Petro tanquam Ecclesiæ persona gestaretur, & à Petro historice personam Ecclesiæ gestatam esse recipit, quo nihil est à beati Augustini & cæterorum Patrum mente alienius. Non negamus Lutherum abusum esse & potuisse abuti Augustini testimoniis, sed error iste alio errore corrigendus non est. Sic multiplicaretur, non tolleretur. Christophorus Marcellus, Corcyrensis Archiepiscopus, qui ante Bellarminum claruit, abutenti quibusdam Augustini locis Luthero ita restitit, ut Catholicorum dogma intactum reliquerit. Verba sunt è lib. I. de auctoritate summi Pontificis contra 80
Lutherum capite VII. sectionis primæ. *Eodem etiam modo ipsemet* (Augustinus) *in libello de Doctrina Christiana exponendus est. Ubi quo pacto claves Ecclesiæ, quæ corpus Christi mysticum appellatur & sponsa, sunt tradita, nequaquam exprimit, sed de ipsa in se, ut solvendi ligandique auctoritatem habuerit, loquitur; tum verò claves si debeant exercere, non ab Ecclesia in se, sed à specialibus hominibus habeantur, oporteat.* Bellarminus contrà Lutheri errorem non corrigit, sed Augustini doctrinam, qua Lutherus abutitur, in ejusdem Lutheri & Calvini os intrudit, ut inde virulenta prodeat, & de hæreticorum nomine & origine censeatur. O perversum consilium! Profectò mihi nunquam persuadebit, hoc artificii genere defensum iri Ecclesiam, vel Augustinum tractari liberaliter, cùm doctrina illius invidiosa redditur, quòd ea hæretici vel utantur vel abutantur.

Tum Bellarminus non parum impingit in Tridentinæ fidei regulam, seu professionem, qua tenetur quisque Scripturam sacram juxta unanimem consensum Patrum accipere & interpretari. *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* Sacramentum hoc insuper habet, nec Matthæi locum, *Tibi dabo claves*, accipit & interpretatur, sicut plerique Patres à nobis recensiti accipiunt

&

& interpretantur. Quinetiam è tanta nube Patrum ne duos quidem adfert, qui locum accipiant, ut in
81 illius opinione accipiendus est. Nam Patres explicando locum hunc dicere deberent, *Claves Petro datas esse, & per Petram Pastoribus Ecclesiæ communicari.* Bellarmini placitum est. At ille Ecclesiasticum tractatorem nullum edit, qui Matthæi locum sic interpretetur. Præterea nullum quoque edit, qui dicat Apostolos à Christo jurisdictionem omnem, & Episcopos à Petro vel Petri successoribus jurisdictionem pariter omnem accepisse. Tum demum si quando certa quædam Patrum edit testimonia, hæc ad sacrorum Canonum normam, & ad disciplinæ Ecclesiasticæ solem exposita diffugiunt, & auctori suo vehementer incommodant, ut suprà de Leone primo potest facillimè observari.

Denique Bellarminus secum pugnat & inconsequenter disputat. Nam ut probet *Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse in fide & in moribus*, argumentum hoc proponit. *Concilium generale repræsentat Ecclesiam universam, ac proinde consensum habet Ecclesiæ universalis: Quare si Ecclesia non potest errare, neque Concilium Oecumenicum legitimum & approbatum potest errare.* Sic non errandi in fide & moribus privilegium datum esse priùs Ecclesiæ, quàm Concilio, cùm privilegium illud ab Ecclesia in Concilium derivetur. Et quamvis certum sit, non errandi privilegium inesse Concilio, longè tamen certius est apud Theologos Ecclesiæ inesse. Nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. At non errandi in fide & moribus privilegium, quod inest Ecclesiæ, jus in fide & moribus decernendi, jus clavium, ligandi scilicet ac solvendi auctoritatem non potest non conti-
82 nere. Quòd si non possit non continere, sequitur jus idem in fide & moribus decernendi, & jus clavium datum esse priùs Ecclesiæ, quàm illius membris, ex quibus Concilium coalescit. Bellarminus ergo secum pugnat & inconsequenter disputat, cùm it inficias, *Claves datas esse primò ipsi Ecclesiæ, & per Ecclesiam Pastoribus communicari.* Hæc sunt vitia illorum, qui studiis partium ducuntur, & à pristina simplicitate deflectunt.

Neque verò secum pugnat tantum, sed etiam cum Martino V. summo Pontifice, qui Constantiensi Concilio approbante redeuntibus ab hæresi ad Ecclesiam præscribit ut credant, *Concilium generale universalem Ecclesiam repræsentare.* Si Concilium quod universalem repræsentat Ecclesiam, jus clavium, ligandi videlicet ac solvendi potestatem habet, habebit & universalis Ecclesia, quæ per Concilium repræsentatur: Sed quia prius est, quod repræsentatur, quàm id quod repræsentat; claves primò & immediate datæ sunt toti Ecclesiæ, tum illius membris quæ & jus clavium exercent, & cùm opus est, Concilium universale componunt.

Præterea non in Romanæ Curiæ & Bellarmini, sed in Parisiensium sententia, quam Tostatus divinè tradidit, atque exposuit, sine difficultate ulla intelligitur, quomodo Romani quidam electi necdum consecrati Pontifices sese pro Romanis Pontificibus gesserunt. In hoc genere primus occurrit Joannes IV. quem literas genti Scotorum pro observatione Paschatis & contra Pelagianam hæresim scripsisse testatur Beda in libri II. historiæ cap. XIX. *Misit idem Papa Honorius literas*
83 *etiam genti Scotorum, quos in observatione sancti Pascha errare compererat, juxta quod supra docuimus, solerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis sive modernis, quæ per orbem terræ erant, Christi Ecclesiis æstimarent, neve contra Paschales computos & decreta Synodalium totius orbis Pontificum aliud Pascha celebrarent. Sed & Joannes, qui & successori ejusdem Honorii Severino successit, cùm adhuc esset electus in Pontificatum, pro eodem errore corrigendo literas eis magna auctoritate atque eruditione direxit, evidenter astruens, quia Dominicum Paschæ diem à quintadecima Luna usque ad vicesimam primam Lunam (quod in Nicæna Synodo probatum est) oporteret inquiri; necnon & pro Pelagiana hæresi (quam apud eos reviviscere didicerat) cavenda ac repellenda, in eâdem illos Epistola admonere curavit. Cujus Epistolæ principium hoc est, Dilectissimis & sanctissimis, Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Bathano Episcopis, Chromano, Hermamòqae, Laustrano, Stellano & Sigrano Presbyteris, Sarano, cæterisque Doctoribus seu Abbatibus Scotis, Hilarius Archipresbyter & servans locum sanctæ Sedis Apostolicæ, Joannes Diaconus & in Dei nomine electus, item Joannes Primicerius, & servans locum sanctæ Sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei Consiliarius ejusdem Apostolicæ Sedis.*

Paulus I. electus necdum consecratus ad Pipinum Regem Francorum scribit, in Epistola XIII. Codicis Carolini: *Domino excellentissimo filio Pipino Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Diaconus & in Dei nomine electus sanctæ Sedis Apostolicæ.* Ubi spondet se in ea fide & concordia, quam Stephanus de- 84
cessor ejus Pipino Regi pactus est, cum suis permansurum.

Gregorius VII. electus necdum consecratus ad diversos variis de rebus Ecclesiæ scribit Epistolas XII. quæ in ejus libro I. Epistolarum leguntur. Tostatus scribit in sua, Parisiensium & Romanæ Ecclesiæ ut apparet sententia: *Et sicut electio totius Ecclesiæ tribueret jurisdictionem, ita electio Cardinalium, si fiat secundùm voluntatem Ecclesiæ expressam per decreta sua & constitutiones.*

Ad hæc si Bellarminus Tridentinum perlegisset expendissetque Concilium, quam oppugnat sententiam, non oppugnaret. Locutiones in eo passim reperisset multas, quæ ad sensum rejectæ à se doctrinæ & traditionis proferuntur. Quatuor è plurimis subjicio.

Primùm in sessionis decimæ quartæ, capite XV. de Confessione: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit.* Hic Ecclesia distinguitur à Concilio, alioquin Concilium statuisset per Concilium. Quæ nugatoria foret propositio.

Deinde in ejusdem sessionis Canone XV. *Siquis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum & non ad ligandum*, &c.

Tum in sessionis XXV. Decreto de Purgatorio. *Cùm Ecclesia Catholica Spiritu Sancto edocta ex sacris literis & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis & novissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium esse.* Hic quoque Catholica Ecclesia distinguitur à Concilio, ut repræsentans à repræsentato distinguitur: alioquin Catholica Ecclesia in Catholica Ecclesia, & Concilia in Conciliis docerent: Quæ nugatoria quoque foret propositio. Particula [*in*] locum 85
significat, in quo Catholica docet Ecclesia.

Postremò in sessionis XXV. capite XXI. de Indulgentiis: *Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus usa fuerit, sacrosancta Synodus*, &c. Hic potestas conferendi indulgentiam à Christo Ecclesiæ conceditur, ut claves eidem Ecclesiæ antè datas fuisse visum est.

His addendum, quod in Tridentinæ fidei professione à Pio IV. edita sic habetur: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto.* Si sanctæ matris Ecclesiæ est judicare, judicandi potestas penes sanctam matrem residet Ecclesiam, sed per illius ministros exercetur. Locutiones hæ omnes, in Bellarmini opinione non intelliguntur, sed probè intelliguntur in ea Patrum sententiâ, quam Tostatus optimè & luculenter exponit, & Parisienses sequuntur.

Et hic est sensus Parisiensis nostri articuli, quem perpetua Ecclesiæ traditione confirmandum auctore te suscepi,

suscepi, in quem ab anno MDXLII. quotquot designandi fuere nuoquoque biennio Parisiis Magistri Theologiæ, jurarunt, & jurando receperunt Ecclesiasticum dogma illud, quod ex articulo necessaria consecutione & adversariorum etiam judicio colligitur, Romanum nempe Pontificem universali Concilio subjectum esse. Quocircà qui nobis hac in re fidem denegarent, adversariis, opinor, non denegabunt. Si omnes tibi similes essent, tam acutè scilicet philoso- 86
pharentur, ut tu philosophari soles, & ex seipsis necessariam rei consecutionem facilè perspicerent, nec ἀναπολίδως tam sæpè dissererent; sed non omnibus tecum adire Corinthum licet. Vale. Lutetiæ Parisiorum, anno M.DC.LXV. Calend. Jan.

Joannes Launoius JOANNI GERBASIO,

Parisiensi Theologo, & Remensis Collegii in Academia principe moderatori.

1 GAUDEO & mihi gratulor, quòd meam ad Christophorum Fauvaum Epistolam non improbasti: In qua Romanum Pontificem Ecclesiæ, Conciliis & sacris Canonibus subditum esse latè asserui. Sed restare unum adjicis, quod à me desideras: Nempe ut cuja sit assertionis veritas, & quanta sit illius ἀσφάλεια, & certitudo, tibi nunc exponam. Quod more tuo, id est, humanissimè requiris, profectò credebam id satis ex memorata Epistola colligi posse, si præsertim ad eam accederet perpetua Sedis Apostolicæ traditio, quæ in aliis meis ad Hieronymum Sambocuvium & Ludovicum Cusinum Epistolis apertam in lucem proditur. Verùm ubi tuum interponis judicium, desisto credere, quod antè credebam. Itaque inveniendus mihi modus est, quo tibi ad plenum & perfectam satisfaciam. Occurrit infucatus & simplex, quem ex Romanæ Curiæ Theologis repetendum esse duxi. Miraris ni fallor? *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

Sed modum nunc exequi non possum, ut oportet, nisi priùs rem ex tribus Conciliis & totidem Romanis antistitibus Conciliorum approbatoribus proponam.

2 Concilium primum est Pisanum, in cujus sessione VIII. decretum hoc editur: *Sancta Synodus habita plena & matura deliberatione decernit, pronunciat, & declarat, unionem & conjunctionem factam de duobus Collegiis Dominorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium fuisse & esse legitimam & canonicam, ipsámque sua auctoritate roborat, approbat, & confirmat pro bono tam sancti & pii negotii, ac evidenti & imminente necessitate universalis Ecclesiæ Catholicæ, extirpatione schismatis, ac unione, ac redintegratione ipsius Ecclesiæ: Ac etiam hanc sanctam Synodum per dominos Cardinales utriusque Collegii ad tantum bonum simul unitos & congregatos tempore congruo, & in loco tuto, habili, idoneo, securo, & libero, ritè, debitè, & canonicè convocatam. Declarat insuper, pronunciat, & decernit, per Dei gratiam hîc esse generale Concilium repræsentativum totius universalis Catholicæ Ecclesiæ, ritè justè & rationabiliter fundatum & congregatum, & ad hoc generale Concilium tanquam ad unicum superiorem & judicem in terris pertinere hujusmodi causæ & aliarum propositarum contra dominos Benedictum & Gregorium nominatos concadentes, seu, ut asseritur, colludentes cognitionem, examinationem, decisionem, & omnimodam determinationem omnium singulorum ad dictam causam pertinentium, quoquo modo dependentium, incidentium, seu emergentium ex præmissis.*

Deinde in sessione XV. *Christi nomine invocato sancta & universalis Synodus universalem Ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio hujus causæ noscitur pertinere, Spiritus Sancti gratia in hoc majori Ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter inspectis omnibus & singulis productis proba- 3
tis & agitatis in præsenti causa unionis Ecclesiæ fidei, & schismatis contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corrario Gregorium XII. olim nuncupatos, quæ in præsenti processu hujus causæ pleniùs continentur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam Synodum ad infra scriptam definitionem moventibus & inducentibus ∴∵∴ In his scriptis pronunciat, decernit, & declarat omnia & singula crimina & excessus & alia cuncta necessaria ad infra scriptam decisionem præsentis causæ deducta per providos viros magistros Henricum de Monleone, Joannem de Scribanis, &c. contra & adversus prælibatos Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corrario Gregorium XII. (de Papatu damnabiliter contendentes) ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsa sacra & universali Synodo præsentata & exhibita fuisse vera & esse, atque notoria, ipsósque Angelum Corrario & Petrum de Luna de Papatu, ut præfertur, contendentes, & eorum utrumque fuisse & esse notorios schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, defensores, fautores, approbatores, manutentores, nec non notorios hæreticos & à fide devios, notoriisque criminibus enormibus perjurii & violationis irretitos, universalem Ecclesiam sanctam Dei notoriè scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia, & pertinacia notoriis, evidentibus, & manifestis: Et ex his & aliis se reddidisse omni honore & dignitate etiam papali indignos, ipsósque & eorum utrumque propter præmissas iniquitates, crimina, & excessus ne regnent, vel imperent, aut præsint, à Deo & sacris Canonibus fore ipso facto abjectos & privatos, ac etiam ab Ecclesia præcisos: Et nihilominus ipsos Petrum & Angelum, & eorum utrumque per hanc sententiam definitivam in his scri- 4
ptis privat, abjicit, & præcidit, inhibendo eis, ne eorum aliquis pro summo Pontifice gerere se præsumat, Ecclesiámque vacare Romanam ad cautelam insuper decernendo.*

Tum qui factus est in hoc concilio Romanus Pontifex Alexander V. Concilium ipsum variis modis confirmavit:

Item sacro approbante Concilio decernimus fore procedendum contra obedientes & adhærentes pertinaciter, seu fautores Petri de Luna & Angeli Corrario nuper de Papatu contendentium & colludentium per hoc sacrum Concilium de schismate & hæresi notoriis per definitivam sententiam condemnatorum, modis, quibus est secundùm sacros Canones contra contendentes, & fautores hæreticæ pravitatis procedendum.

Item sacro approbante Concilio decernimus vel successorem nostrum ex certis, magnis, & arduis causis, nos & hoc sacrum Concilium moventibus, iterum generale Concilium Ecclesiæ fore convocandum, hunc ad triennium, videlicet ann. quo dicetur D. millesimo quadringentesimo duodecimo

in

in mense Aprilis in civitate seu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus Concilii per nos vel successorem nostrum convocationem facientem. Et quibusdam interpositis:

Item Dominus noster sacro approbante Concilio decernit, quòd per dictum Dominum nostrum cum Cardinalium consilio deputentur nuncii solemnes, & mittantur ad reges & principes cunctos fideles ad publicandum & prosequendum auctoritate Domini nostri Papæ & Sacri Concilii acta in isto sacro Concilio.

5 *Item Dominus noster auctoritate Dei & Apostolorum Petri & Pauli, atque sua concedit omnibus, qui in hoc sacro Concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærent, absolutionem plenariam à culpa & pœna semel tantum.*

Hæc in tomo VI. Spicilegii Lucæ Dacherii.

Denique cùm moreretur Alexander, iterùm acta Concilii confirmavit, ut tradunt historici omnes, qui de vita illius scripserunt. Hîc unus sufficiet Platina. *Cùm verò*, inquit, *Alexander graviter ægrotare cœpisset nosséretque mortem propè instare, Cardinales ad se venientes, ad concordiam, ad pacem, ad tuendam Ecclesiæ dignitatem adhortatur. Testatus præterea est per eam mortem, quam ante oculos se continuè cernere dicebat, nec reformidare, conscientia bene acta vitæ motus, se existimare & credere, quæ in Concilio Pisano decreta fuissent, rectè atque integrè facta esse omnia sine dolo malo, fraudeve. Cùm hæc dixisset, lacrymantibus omnibus, qui aderant, illud Salvatoris verbum ægrè proferens, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, statim moritur.* Non dissimilia memoriæ prodiderunt Dominicus Tempesta, Severinus Binius, Henricus Spondanus, & Simon Starovolscius, quorum verba retulimus in Epistola ad Christophorum Fauvæum.

Hinc Bellarminus fallitur cum in libri de Conciliis capite VIII. scribit: *Nec approbatum nec reprobatum videtur esse Concilium Pisanum.* Alexander enim illud semel atque iterum approbavit. Præterea ratio, cur reprobatum non fuisse dicit, approbatum fuisse probat: *Si sine dubio*, ait, *fuisset reprobatum, etiam sine dubio Alexander VI. se non VI. sed V. appellasset. Adde quod est*
6 *ferme communis opinio, Alexandrum & qui ei successit, Joannem, fuisse veros Pontifices. At certè ex tribus, qui tunc se pro Pontificibus gerebant; illi maximè ut veri Pontifices colebantur.*

Concilium secundum, est Constantiense, in quo decreta duo hæc sequentia statuuntur. Et primò quidem in sessione III. *Quod ipsum Concilium non transferatur ad alium locum, nisi, ex causa rationabili, & de consilio hujus Concilii deliberanda & concludenda.*

Deinde in sessione IV. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti amen. Hæc Sancta synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris fienda ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitimè congregata ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs, & uberiùs unionem & reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur: Et primò quòd ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis & generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.*

Tum in sessione XXXIX. *Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri Dominici cultura est præcipua, quæ vepres, spinas, & tribulos hæresum & errorum & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Illorum verò neglectus præmissa disseminat atque fovet: hæc*
7 *præteritorum temporum recordatio, & præsentium consideratio, ante oculos nostros ponunt. Ea propter hoc edicto perpetuo sancimus, decernimus, & ordinamus, ut amodo Concilia generalia celebrentur, ita quòd primum à fine hujus Concilii in quinquennium immediatè sequens, secundum verò à fine illius immediatè sequentis Concilii in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuò celebrentur in locis, quæ Summus Pontifex per mensem ante finem cujuslibet Concilii approbante & consentiente Concilio, vel in ejus defectum, ipsum Concilium deputare & assignare teneatur, ut sic per quandam continuationem semper, aut Concilium vigeat aut per termini pendentiam expectetur: Quem terminum liceat Summo Pontifici de fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium concilio, ob emergentes fortè casus abbreviare, sed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro celebrando Concilio deputatum absque evidenti necessitate non mutet. Sed si forte casus aliquis occurreret, quo necessarium videretur, ipsum locum mutari, puta, obsidionis, guerrarum, pestis, aut similis: Tunc liceat Summo Pontifici de prædictorum fratrum suorum, aut duarum partium ipsorum consensu atque subscriptione, alium locum priùs deputato loco viciniorem & aptum sub eadem tamen natione surrogare; nisi idem vel simile impedimentum per totam illam nationem vigeret tunc ad aliquem alium viciniorem locum alterius nationis aptum, hujusmodi Concilium poterit convocari, ad quem Prælati & alii, qui ad hoc Concilium solent convocari, accedere teneantur, ac si à principio locus ille fuisset deputatus: Quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum teneatur Summus Pontifex legitimè, & solemniter publicare & intimare, ut ad ipsum* 8
Concilium celebrandum prædicto possint statuto termino convenire.

Martinus V. decreto huic paruit & parendo decretum hoc & alia confirmavit. Qua major, & verior dari non potest confirmatio. Igitur paruit cùm in sessione XLIV. futurum indicit Concilium.

Martinus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Cupientes ac volentes decreto hujus generalis Concilii satisfacere, inter alia disponenti, quòd omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii approbante & consentiente Concilio civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, & etiam assignamus, statuentes, & etiam decernentes, quòd prælati & etiam alii, qui ad generalia Concilia debent convocari, tempore prædicto civitatem ipsam Papiensem accedere teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ deputationis & etiam assignationis, decreti, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri, Pauli, & Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum, & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ XIII Calend. Maii. Pontificatus nostri anno I. Quo decreto lecto, dominus Episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis nomine totius Synodi respondit: Placet. Et subsequenter D. Ardecinus de Novaria ex parte serenissimi principis Sigismundi Romanorum regis ibidem præsentis, & ejus nomine idem decretum approbavit & laudavit, & subsequenter dominus Augustinus de Lanco de Pisis legum doctor sacri con- 9
sistorii advocatus nomine Domini nostri Papæ dictum locum sive civitatem Papiensem approbavit, laudavit, & ad Concilium hujusmodi celebrandum habilem esse dixit.

Tum in sessione XLV. confirmat iterum acta Concilii: *Antequam autem ad talia se diverteret, seu procederet, ambasiatores serenissimi Principis Uladislai Poloniæ Regis, & illustrissimi Principis Domini Alexandri, aliàs Uvitoldi magni Ducis Lituaniæ petierunt nomine dictorum Dominorum quendam libellum, & in eo contenta cujusdam Fratris Joannis Falkemberg notoriè crudelissimos errores & hæreses (ut dixerunt) continentem, ritè damnatum, tanquam hæreticum per deputatos in causa fidei, ac etiam per omnes nationes Concilii, ac per Collegium Cardinalium conclusum (prout dixerunt) constare publicis instrumentis in sessione publica, per sacrum Concilium damnari seu publicè damnatum pronuntiari, antequam præsens Concilium dissolveretur, sanctissimo domino nostro Papæ præfato humiliter supplicarunt, aliàs nomine quo suprà protesta-*

bantur

bantur de gravamine, & de appellante ad futurum Concilium. Quibus sic factis, sanctissimus Dominus noster Papa dixit respondendo ad prædicta, quòd omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter tenere & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contrariè quoquomodo: ipsáque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo. At in actis omnibus Conciliis nihil est, quod magis conciliariter factum sit, quàm decreta quæ retulimus, & quibus Pontifex obedire non dubitaverit.

10 Denique in diplomate, quo Martinus hinc condemnationem errorum Wiclefi approbat, hinc redeuntem ab hæresi admittendi modum præscribit. Inter condemnatos Wiclefi errores nous hic erat XLI. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias: Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias particulares Ecclesias.* Hic primatus duntaxat asseritur supra particulares Ecclesias, non supra universalem Ecclesiam, aut Concilium generale. Inter quæstiones quæ ab hæresi revertentibus ad Ecclesiam fieri debent, notandæ sunt istæ: *Utrum credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso sit successor beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei.* Dicitur in Ecclesia Dei, non in Ecclesiam Dei, ac proinde nec in Concilium generale.

Item, utrum credat auctoritatem jurisdictionis Papæ, Archiepiscopi, & Episcopi in solvendo & ligando esse majorem auctoritate simplicis Sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat: dicitur jurisdictionis Papæ auctoritas esse major auctoritate Presbyteri curam animarum habentis, non dicitur esse major auctoritate universalis Ecclesiæ vel generalis Concilii.

Præterea in interrogationibus, quæ ad Constantiense Concilium spectant, notandæ sunt hæ duæ:

Utrum credat, teneat, & asserat, quòd quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet. Inter sessiones non delinquitur, & eam ob causam non minùs in prima, secunda, tertia, &
11 quarta, quàm in cæteris sessionibus Constantiense Concilium universalem Ecclesiam repræsentat.

Utrum credat, quòd illud, quod sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans approbavit & approbat in favorem fidei, & ad salutem animarum, quòd hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum: Et quod condemnavit, & condemnat esse fidei, vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum. Constantiense igitur Concilium ubique sessionum universalem repræsentat Ecclesiam, & cùm ubique sessionum universalem repræsentet Ecclesiam, in suis definitionibus errare non potuit, quod Martinus cùm apprimè novisset, pro sua parte approbat & confirmat quidquid Constantiensis Synodus constituit. Ac proinde decretum illud, quo Synodus hæc decernit potestatem à Christo habere se reformandi Ecclesiam in capite & in membris, quod caput & quæ membra cum reformationi sint obnoxia, errori cùm in fide, tum in moribus obnoxia esse oportet. Alioqui Synodus quæ errare nequit, erravisset.

Præterea Martinus V. anno M.CCCCXXIII. semel atque iterum testatur universalem Synodum convocasse se Papiæ, ut Constantiensis Concilii Decretum exequeretur. Semel quidem in Epistola ad Othonem Trevirensem Archiepiscopum: *Martinus*, &c. *Quod fieri potest spectaculum gloriosius super terra, magisque dignum Deo, quàm si in una mundi parte armati fideles contra hæreticos dimicare pro fide Catholica, in altera mitbrati Patres Ecclesiastici pro reformatione Ecclesiæ decreta justa sancire conspiciantur? Ad hoc enim, Deo duce, dare operam*
12 *intendimus, & si fortè civitas Papiensis per sacram Constantiense Concilium pro loco hujus futuri Concilii deputata, aliquo casu (quem Deus avertat) impediretur, non propterea à tam sancto opere desistemus. Nam in eadem regione aliæ urbes idoneæ sunt ad hoc Concilium celebrandum, quarum aliquam, ut speramus, Deus nobis per suam misericordiam liberam conservabit. Præterea Fraternitatem tuam hortamur, ut sicut aliàs tibi, & cæteris Metropolitanis Germaniæ scripsimus, quæ tibi ad honorem Dei, reformationem status Ecclesiastici, exterminationem hæreticorum ac pacem & quietem provinciæ, quæ videantur esse in hoc generali Concilio proponenda & statuenda, unà cum suffragiis discutias & disponas. Datum*, &c.

Iterum in Epistola ad Parisiense studium. *Literas vestras plenas filialis devotionis & fidei libenter legimus, & oratores vestros libenter audivimus nos eadem fere sententia facundè & prudenter hortantes ad celebrationem Concilii generalis: Quibus licèt per nos fuerit viva voce satis copiosè responsum, tamen quia nos delectamur vobiscum loqui in ista materia, quos non dubitamus zelo conservandæ fidei Catholicæ & Ecclesiasticæ dignitatis commoveri, syncerìtatem cordis vestri per has literas ad pleniorem cognitionem patefacere & aperire voluimus. Non est, filii dilecti, dubitandum, quin plurimum profutura sit, sicut scribitis, Christianæ reipublicæ hæc sacra Synodus Deo auctore de proximo celebranda, per sanctam superiorem Constantiensem Synodum instituta ad ordinandam reformationem status Ecclesiastici, & ad periculosas hæreses extirpandas: Et propterea nemo debet de voluntate nostra circa hujus celebrationem generalis Concilii dubitare. Et si civitas Papiensis ad hoc per ipsam Constantiensem Synodum deputata* 13
casu aliquo impediretur, (quem avertat Deus) non propterea ab hoc necessario & sancto opere desistemus. Nam speramus quòd Deus per misericordiam suam aliquam ex propinquis civitatibus nobis ab omni impedimento liberam conservabit. Denique existimate nos Concilio idoneum locum, nec nobis syncerum animum ad ea, quæ erunt justa & recta, defuturum. Vos verò dilecti filii, quæcumque in eodem Concilio ad honorem Dei, reformationem Ecclesiæ, extirpationem hæresum, & ad pacem & salutem populi Christiani proponenda & statuenda videantur, maturè, distinctè, & salubriter providete, &c. Apud Odoricum Raynaldum in tom. XVIII. Annal. Ecclesiast. Sic penè omnia Constantiensi tribuit Concilio, cujus decretum exequitur. Quæ optima est & certissima Constantiensis Concilii approbatio & confirmatio.

Hinc grassante peste, Papiensis Synodus Senas translata est, ut Raynaldus eodem anno scribit: *Extant*, inquit, *Apostolicæ literæ ea de re ad Conradum Archiepiscopum Moguntinum & Theodoricum Colomensem datæ, in quibus Papiensem Synodum ob pestilentiam dissolutam fuisse ait* (Martinus,) *tum etiam ad Alfonsum Regem Aragonum quibus eum rogat, ut regnorum suorum præsules urgeat, ut Senas veniant: Quia, inquit, ex justa causa translatio Concilii generalis de civitate Papiensi ad civitatem Senensem per ipsum Concilium est decreta, & approbata per nos, Excellentiam tuam rogamus, ut operam facias, quòd Prælati de regnis tuis veniant ad reformandum cum cæteris statum Ecclesiasticum & libertatem Ecclesiæ conservandam.*

Denique Martinus in Senensi Concilio Basileæ indicit 14
Concilium, quod post septennium celebraretur, ut Constantiense Concilium in capite *Frequens* decreverat. *Martinus*, &c. *ad perpetuam rei memoriam.*

Ad sacram Petri Sedem divina dispensatione vocati, ad salutem, tranquilitatem, & pacem totius gregis Dominici nobis crediti juxta Pastoralis officii debitum curis vigilibus libenter intendimus, & iis, quæ pro quieto statu universalis Ecclesiæ, & reipublicæ Christianæ maturè & sapientissimè gesta sunt, ut illibata permaneant, libenter adjicimus Apostolici roboris firmitatem: Nuper siquidem venerabiles fratres, Petrus Archiepiscopus Cretensis, & Jacobus Episcopus Spoletanus, ac dilecti filii Petrus Abbas Monasterii de Rosario ordinis S. Benedicti Aquileiensis Diœcesis, nec non Leonardus de Florentia Ordinis Fratrum Prædicatorum generalis Magister, nuncii nostri Senensi generali Concilio

præsidentes ad audientiam nostram deducere curaverunt, quòd pridem ipsi matura deliberatione præhabita cum doctoribus & magistris aliisque sapientibus & prudentibus viris diversarum nationum, qui ad civitatem Senensem causa Concilii accesserunt, & usque tunc permanserant in eodem, ad quod neque Prælati & cæteri, qui hujusmodi Concilio interesse debebant, per novem menses vel circiter exspectati, in tanto numero convenerant, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbatur, ipsorúmque Prælatorum & aliorum paucitate pensata, animadvertentes, quòd plures ex illis qui ad Concilium ipsum venerant, inde necessitate coactè recessissent, quàm venissent ad illud, sicut quotidie recedebant; nec esset spes adventus aliorum sine longo temporis intervallo: Et propterea inter se præmissa
15 *providè & maturè considerantes ac sentientes ex longa mora & protelatione dicti Concilii diversa & gravissima pericula, non solùm statui universalis Ecclesiæ, verum etiam toti Christianitati quamplurimum nocitura verisimiliter imminere, & (quod dolenter referimus) in eadem civitate per nonnullos tales modi indecentes & inhonesti in prosecutione Concilii tenebantur, quòd neque ibi sessio publica teneri, neque conclusa & concordata poterant expediri & publicari, ex quibus optata Ecclesiæ reformatio juxta desiderium cordis nostri, præmissis obstantibus, nequibat cum libera prælatorum consultatione compleri, & ne his omnibus maturè digestis & ponderatis ejusdem Concilii dissipatio absque deputatione & assignatione loci pro futuro Concilio juxta determinationem sanctæ Constantiensis Synodi sequeretur, civitatem Basiliensem pro loco futuri Concilii inde ad septennium auctore Domino celebrandi, de voluntate pariter & assensu Prælatorum, Magistrorum, doctorum, nationum, & aliorum prædictorum, seu longè majoris partis eorum elegerunt, deputarunt, & etiam assignarunt*, &c. *Datum Romæ apud S. Petrum* IV. *idus Martii Pontificatus nostri anno* VII. Apud Odoricum Raynaldum ibidem. Hæc omnia spectant ad Martinum V. qui antè discessit è vita, quàm Basileense Concilium à se indictum celebraretur. Concilii tamen remansit indictio, & huic in primis sessionibus præfuit Julianus Cardinalis, quem Martinus præsidem designaverat. Eugenius IV. Martini successor designationem illam gratam ratámque habuit, & Julianum ad Basileense Concilium ablegavit. Quæ igitur modò relaturi sumus, ad Eugenium pertinent.

16 Imprimis occurrunt literæ, quas ad Julianum dedit, ut Basileam sese conferret: Quia tunc non modò in Germaniâ, sed & in Polonia & Hungaria legationem obibat. Sunt autem literæ hujusmodi: *Juliano S. Angeli Diacono Cardinali. Certificati tam per tuas literas, quàm aliàs de sollicitudine & circumspecta diligentia, quam habes in prosequendo causam fidei contra Bohemos hæreticos, tuam prudentiam commendamus, & te ad perseverandum hortamur, quantum cum decentia fieri poterit. Præterea cùm felicis recordationis Martinus Papa V. prædecessor noster inter cætera tibi injunxerit præsidere debere auctoritate Apostolica in Concilio generali in Basileensi civitate celebrando, si salus esset concursus & congregatio Prælatorum, quòd meritò & rationabiliter celebrari debuisset & deberet, & sicut accepimus, usque nunc pauci aut nulli convenerunt, & propterea non sit opus alium destinare, sed sit potiùs exspectandum, placet nobis & volumus, tibique mandamus, quatenus expedito negotio Bohemorum, cujus finis exspectatur in brevi, tuos gressus dirigas ad prædictam civitatem Basileensem, & ibi prout opus videris esse juxta tibi injuncta & ordinata in Concilio Constantiensi optimè provideas, prout in tua prudentia & circumspectione plenè confidimus. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ* M. CCCCXXXI. II. *Calend. Junii. Pontificatus nostri anno* I. apud Raynaldum. Eugenius rursum approbat Constantiensis Concilii decreta, quibus edendis cùm esset Gabriel Condalmerius Cardinalis ab Angelo Corrario Gregorio XII. creatus, interfuit & operam novavit, per seipsum noverat quanta cum deliberatione, quanto cum studio, quanta
quanta cum antiquarum traditionum intelligentia & 17
maturitate Constantiense Concilium se gesserat. Quare mirum nemini videri debet, quòd Eugenius literas sic concludat: *Tuos gressus dirigas ad prædictam civitatem Basileensem, & ibi prout opus videris esse juxta tibi injuncta & ordinata in Concilio Constantiensi, optimè provideas, prout in tua prudentia & circumspectione plenè confidimus.* Constantiense Concilium statuerat id, quod in relatis antè decretis statutum legitur, & quod in prima & secunda sessione Basileensis Synodi reperitur & confirmatur.

In sessione I. repetitur decretum, quod *Frequens* appellatur, & quod antè relatum est. In sessione II. repetuntur & confirmantur decreta, quæ sequuntur: Apposita præfatione hac: *Et ne de ejusdem sacræ Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur, ipsa eadem Synodus duas declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti sessione aliis suis decretis editis, seu edendis inferendas ordinat & decernit, quarum quidem declarationum tenor prima sequitur, & est talis.*

Et primò quidem declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans potestatem immediatè à Christo habere, cui quilibet cujuscumque status & dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti Schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.

Alterius verò tenor sequitur in hæc verba: Item declarat, quòd quicumque cujuscumque status vel dignitatis
etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordi- 18
nationibus, aut præceptis hujus sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigna pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Præmissis igitur & nonnullis aliis Constantiensis Concilii, & præsertim capituli, quod incipit FREQUENS, *in priori hujus sacræ Synodi Basileensis sessione recitati, & decretis attentis, prælibata Synodus Basileensis decernit & declarat, quòd ipsa pro hæresum extirpatione, ac morum generali reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, nec non pace inter Christianos procuranda, ut præmittitur, in Spiritu Sancto legitimè congregata, per nullum quavis auctoritate, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, dissolvi, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet aut potest, debebit aut poterit in futurum, absque ejusdem Synodi Basileensis deliberatione & consensu.* Julianus sessioni huic præfuit & fecit, quod faciendum sibi esse injunxerat Eugenius in literis, quas mox adduximus. Repetita Constantiensis Concilii decreta auctoritate, qua munitus erat, Apostolica confirmat, & iis consentit. Hoc Bellarminus duobus in locis fatetur ingenuè: Et primùm quidem in libri II. de Conciliis capite XIX. *Basileense Concilium legitimè inchoatum fuit*; deinde in lib. III. de Ecclesia militante capite XVI. *Basileense Concilium initio quidem fuit legitimum. Nam & legatus aderat Romani Pontificis, & Episcopi plurimi.* Si legitimum tunc fuit Concilium, quando inchoatum
est, si aderat Romani Pontificis legatus, si aderant plu- 19
rimi Episcopi, Basileense Concilium legitimè processit, & repetita Constantiensis Concilii decreta legitimè confirmavit.

Eugenius non multò post Basileensis Concilii sessionem II. cogitat de eo transferendo Bononiam, ut in locum, qui excipiendis Græcis foret opportunior. Hi enim ad concordiam cum Occidentali Ecclesia redire velle jam testati fuerant. Eugenius igitur ad Cardinalem Julianum de transferendo Concilio scribit literas, quibus Basileense Concilium non assensit. Julianus Eugenii Legatus rescribit ad Eugenium, contenditque illi ex falsis causis subreptum esse. Sed curiosè ac diligenter animadvertendum est, Pontificem ea,

quæ

quæ Basileense Concilium fecerat, non infirmare. Adscribenda sunt verba literarum Eugenii:

Cùmque his proximis diebus charissimus in Christo filius noster Joannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator nuncupatus oratorem suum ad nos & præfatos fratres nostros destinaverit, qui exponendo nos requisivit, ut juxta ordinationem dicti prædecessoris pro unione Orientalis Ecclesiæ cum Romana & Occidentali Ecclesia Concilium celebraretur, nósque conventionem & ordinationem dicti prædecessoris etiam cum consilio dictorum fratrum nostrorum approbantes, ipsisque Græcis postulantibus juxta conventiones dicti prædecessoris expensas galearum eos ad Concilium conducere, & ipso finito ad partes suas reducere debentium, & alias expensas opportunas & necessarias obtulerimus, multáque etiam loca Italiæ, cùm alibi pro Græcis commodè fieri non posset, pro celebratione dicti Concilii, eorúmque reductione ad ritum Romanæ Ecclesiæ,
20 *per nos oblata fuerint, dictúsque orator nos certos effecerit, Imperatorem & Patriarcham præfatos alios suos oratores cum plena potestate transmissuros esse qui ex oblatis in Italia locis aliquem, præsertim cum plena potestate Bononiam acceptabunt, prout ad præfatum prædecessorem ante sui obitus notitiam transmittebant, cúmque si nova prælatorum vocatio, ut præmittitur, fieret, hæc duo Concilia uno propè tempore concurrere videantur, & si ea disjuncta fieri & celebrari contingeret, unum ex altero debilius, & minoris efficeretur auctoritatis: Hæc insuper unà cùm dictis fratribus nostris animo nostro contemplantes, cùm in universa Republica Christianorum, nihil desiderabilius contingere posset, quàm videre Græcos tanto temporis intervallo à dicta Romana Ecclesia disjunctos, sub ritu ipsius Ecclesiæ, & veritate Catholicæ fidei reductos esse, & illam Græciæ nationem, quæ tot sanctos Patres, & viros egregios & sapientes genuit, qui humano generi tam sacratarum, quàm sæcularium literarum seminarium dederunt, Romanæ Ecclesiæ unitam, & sub ipsius unico ovili reductum: His & aliis rationabilibus causis inducti, ut tam reformationem cleri, & Ecclesiæ, ac extirpationem hæresum, ac paci & tranquillitati Christianorum, quàm etiam Græcorum reductioni, quæ omnia summis desideramus affectibus, providere personaliter valeamus, circumspectione tuæ ipsum Concilium, si quod adhuc pendere videatur, dissolvendi, & nihilominus ante dissolutionem hujusmodi, in civitate nostra Bononiensi, ubi Deo auctore personaliter intendimus præsidere, usque ad annum cum dimidio à die dissolutionis hujusmodi computandum, novum Concilium indicendi & infrà plenum & liberam de ipsorum fratrum videlicet*
21 *Jordani Sabinensis, Antonii Ostiensis & Velletrensis,* &c. *Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus facultatem.* Apud Raynaldum. Dissolvendi Concilii Basileensis, & alterius Bononiæ indicendi facultatem concedit. Sed nec rescindit ipse, nec rescindendi quæ acta fuerant Basileæ facultatem Juliano ullam concedit.

Rata igitur fixáque remanent, Constantiensis Concilii decreta illa, quæ in Basileensis Synodi sessione I. & II. relata sunt & iterum confirmata præside Juliano, qui suis interim ad Eugenium literis dissolvendæ Synodi causas refellit ac diluit: In summa Pontificem specie recti deceptum fuisse, nec in Synodi dissolutionem diligenter inquisivisse contendit. Hinc inter Synodum & Eugenium altercationes identidem factæ sunt usque ad sessionis XVI. tempus, quo Pontifex meliùs consultus dissolvendæ Synodi consilium deposuit, & Synodi acta quæ præcesserunt, sic confirmavit.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dudum sacrum generale Concilium Basileense per generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum statuta, ordinationésque felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostras pro extirpatione hæresum, pace populi Christiani, ac generali reformatione ECCLESIÆ IN CAPITE ET IN MEMBRIS *& pertinentibus ad ea legitimè inchoatum ex certis causis in aliis nostris literis expressis de fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu dissolvimus. Verùm cùm ex dicta dissolutione orta sint graves dissensiones & graviores oriri possent, nihilque magis optemus, quàm quòd prædicta Sancta opera debitum sortiantur effectum, de consilio & assensu venerabilis fratris Episcopi Sabinensis,* 22
& dilectorum filiorum nostrorum Antonii Sancti Marcelli, Francisci Sancti Clementis, Angeloti tituli Sancti Marci Presbyterorum, ac Lucidi Sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Ardecini Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium decernimus & declaramus, præfatum generale Concilium Basileense à tempore prædicta inchoationis suæ legitimè inchoatum fuisse, & esse, prosecutionémque semper habuisse, continuari ac prosecutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quinimo præfatam dissolutionem irritum & inanem de consilio & assensu similis declarantes, ipsum Sacrum generale concilium Basileense purè & simpliciter & cum effectu ac omni devotione & favore prosequimur, & prosequi intendimus. Præterea ut mentis nostræ integritas ac devotio, quam ad universalem Ecclesiam & Sacrum generale Concilium Basileense gerimus, evidenter constet, duas nostras literas pridem in Palatio Apostolico promulgatas: Nam tertias, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs describitur, quæ dicuntur incipere, Deus novit, cùm à nobis, aut de scitu nostro nunquam emanarint, licèt superfluum videatur, quod non extat, revocare tamen, quia petitum est & ad cautelam, si ullo unquam tempore apparerent & alias quascunque, & quidquid per nos, aut nostro nomine in præjudicium & derogationem Sacri Concilii Basileensis, seu contra ejus auctoritatem factum, attentatum, seu assertum est, cassamus, revocamus, nullas & irritas fuisse declaramus, &c. *Datum Romæ apud S. Petrum* XVIII. *Calend. Jan. Pontificatus nostri anno* III.

Pius II. hoc quoque de Eugenio in diplomate Re- 23
tractationis suæ breviter testatur: *Accessit & ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii à se factam revocavit, & progressum ejus approbavit.* Sic Pius conjunctis cum Eugenio operis Turrecrematæ, Bellarmini, & aliorum strophis, cavillationibus, & calumniis, quibus Basileensis Concilii acta priora impetunt, occurrit, & unà docet auctores illos Basileense Concilium minimè perlegisse, aut lectoribus suis fucum facere velle.

His autem omnibus, quæ ad Pisanum Concilium & Alexandrum V. quæ ad Constantiense & Martinum V. & quæ ad Basileense & Eugenium IV. pertinent, ita constitutis, sumo mihi tria.

Primùm, quòd nemo est tam pertinax, qui Alexandrum V. Pisanum, Martinum V. Constantiense, & Eugenium IV. Basileense Concilium in iis saltem, quæ retulimus, approbasse & confirmasse neget, nisi pudorem omnem exuerit.

Deinde, quòd ex octo primis generalibus Conciliis nullum possit objici; quod è Romanis Pontificibus approbatum & confirmatum fuerit manifestius. Quis quæso ex monumentis certioribus docebit, Nicænam Synodum I. toties à Silvestro Papa, Constantinopolitanam I. toties à Damaso: Ephesinam, toties à Celestino, Calchedonensem toties à Leone I. Constantinopolitanam II. toties à Vigilio, Constantinopolitanam III. toties ab Agathone vel à Leone II. Nicænam II. toties ab Hadriano I. Constantinopolitanam IV. toties ab Hadriano II. approbatam & confirmatam esse, quoties Pisana Synodus ab Alexandro V. quoties Constantiensis à Martino V. quoties Basilean-
sis ab Eugenio IV. approbata & confirmata est, ut 24
jam monuimus, in iis, quæ suprà relata sunt fideliter?

Denique, quòd quibus, sive rationum momentis, sive argutiis Alexandro V. Pisani, Martino V. Constantiensis, Eugenio IV. Basileensis Concilii subducetur

ap-

approbatio & confirmatio, iisdem prorsus Silvestro Nicæni I. Damaso Constantinopolitani I. Celestino Ephesini I. Leoni Calchedonensis, Vigilio Constantinopolitani II. Agathoni seu Leoni II. Constantinopolitani III. Hadriano I. Nicæni II. Hadriano II. Constantinopolitani IV. Concilii approbatio & confirmatio subtrahetur: Idque me vide multò facilius.

Superest modò, ut ad præcipuum scriptionis hujus argumentum veniam, & producam Romanæ Curiæ Theologos, qui quanta & qualis sit propositi ab initio lemmatis veritas & certitudo, perspicuè declareat.

Primus nobis erit Joannes Turrecremata Cardinalis in libri III. Summæ de Ecclesia capite LVIII. *Concilium universale in his, quæ ad fidem pertinent, errare non potest, quæ tam Patrum Ecclesiæ, quàm Romani Pontificis unanimi consensu definita sunt.*

Secundus Albertus Pighius in libri VI. de Hierarchia Ecclesiæ capite VIII. *Conciliorum itaque universalium auctoritatem quæ sit, qualis aut quanta, siquis exactè præfiniri sibi exegerit, eandem utique esse & universam dicemus, quam Cathedræ Apostolicæ, atque ejus præsidis superius demonstravimus, eandem prærogativam, idem privilegium, nempe ut super quoscumque, qui membra sunt Ecclesiastici corporis, sacrosanctum sit, &*
25 *in cælo ratum eorum judicium certa sententia, & indubia veritatis definitio. Sed hæc eorum tantùm est prærogativa & auctoritas, quæ legitima sunt; hoc est, Apostolicæ Sedis & Ecclesiasticæ Hierarchiæ præsidis auctoritate celebrata.*

Tertius Melchior Canus in libri V. de Locis capite IV. *Tertia conclusio: Concilium generale confirmatum auctoritate Romani Pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum. Quam quidem conclusionem ita exploratam habere opus est, ut ejus contrariam hæreticam esse credamus. Primùm, quoniam redibunt aliàs hæreses universæ Conciliorum generalium auctoritate damnatæ, & symbolum quoque Nicænum erit ambiguum Concilii generalis auctoritate sublata. Deinde, si Concilium hujusmodi errare in fide posset, nulla profectò certa via esset reliqua, ut in fidei controversiis Catholicum dogma exploraremus.* Et quibusdam interpositis: *Præterea Martinus V. in Concilio Constantiensi inter reliquas interrogationes, quibus suspecti in fide sunt examinandi, eam etiam proponit; Utrum credant, quòd quodlibet Concilium generale universalem Ecclesiam repræsentet. Si igitur Concilium generale universalis Ecclesiæ habet auctoritatem, qui illam de medio tollit, totius Ecclesiæ auctoritatem eadem opera dissolvit.*

Quartus Dominicus Bannes in secundam secundæ art. 1. quæst. V. dub III. *Prima conclusio: Concilium generale congregatum & confirmatum auctoritate Pontificis errare non potest in rebus fidei definiendis. Hæc conclusio ab omnibus Doctoribus Scholasticis & sanctis asseritur certa secundùm fidem Catholicam.* Et post alia: *Deinde probatur conclusio: Quoniam Ecclesia universalis errare non potest, sed Concilium hujusmodi universalem*
26 *Ecclesiam repræsentat, ut ait Martinus V. in bulla, quæ habetur in fine Concilii Constantiensis, ergo neque Concilium errare potest.*

Quintus Gregorius de Valentia in Analysi fidei Catholicæ lib. VIII. cap. VII. assert. II. *Accedente Romani Pontificis confirmatione Concilium quodvis est infallibile.*

Sextus Robertus Cardinalis Bellarminus in lib. II. de Conciliis capite II. *Sit igitur prima propositio: Fide Catholica tenendum est generalia Concilia à summo Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide, nec in moribus.* Propositionem hanc multis confirmat rationibus, quarum una ex Pisanæ, Constantiensis, & Basileensis Synodi verbis comparatur. *Concilium*, inquit, *generale repræsentat Ecclesiam universam, & proinde consensum habet Ecclesiæ universalis: Quare si Ecclesia non potest errare, neque Concilium Oecumenicum legitimum & approbatum potest errare.* Et paullo pòst: *Præterea Martinus V. in fine Concilii Constantiensis jubet interrogari suspectos de hæresi, an non credant Concilium generale universalem Ecclesiam repræsentare.*

Septimus Andreas Duvallius in parte IV. libri de suprema Romani Pont. auctoritate capite VI. *Nunquam à Catholicis in dubium vocatum est, quin Concilia Oecumenica calculo Pontificis munita & approbata privilegio infallibilitatis gaudeant; ut contra sæculi novatores disertè docent Doctores Polemici, qui controversias pertractarunt, & in hoc Christiano bello calamos in hæreses distrinxerunt.*

Octavus Franciscus Coriolanus in Summam Conciliorum, præludio VII. *Assertio I. Si ad Concilium legitimè congregatum accedat confirmatio Papæ, Concilium il-* 27
lud est infallibilis veritatis in decretis fidei. Infrà: *Assertio II. Determinationes Concilii à Papa confirmati sunt de fide, seu quòd sub pœna hæresis omnes illi teneantur obedire.*

Nonus Thomas Comptonus ejusdem cum Valentia & Bellarmino Societatis Theologus in disput. XXI. de Conciliis sect. IV. num. X. *Concilium generale, in quo adest Pontifex, errare non potest, & est infallibilis regula fidei.* Et paullo pòst: *Idem dicendum est de Concilio generali, in quo Pontifex per se non adest, sed per Legatos suos, si tamen rebus ab eo definitis Pontificis approbatio accedat: Imò si juxta instructionem de re aliqua in particulari à Papa per Legatos transmissam rem illam definiat. Res sic definita, etiam non exspectatâ confirmatione est statim de fide. Pontifex siquidem jam præbuit consensum, sicque res illa habet omnem auctoritatem ad firmam & validam definitionem requisitam.*

Hæc pauca de pluribus Romanæ Curiæ Theologis, quos sic appello, non quòd omnes in Romana Curia docuerint, aut vixerint; sed quòd omnes novas Romanæ Curiæ opiniones animo imbiberint, & passim tradiderint, nec in veterem & perpetuam Sedis Apostolicæ traditionem altiùs inquisiverint.

Jam igitur facilè perspicis, certitudinem (mollienda sunt usu verba) esse summam lemmatis, quod initio assumptum est. Nam auctoribus Turrecremata, Pigbio, Cano, Banne, Valentia, Bellarmino, Duvallio, Coriolano, Comptono, divina fide credi potest & debet, Romanum Pontificem Ecclesiæ & Conciliis Ecclesiam repræsentantibus subjici, non supra, sed infra Concilium esse, & qui contrà negaret, in hæresim in- 28
currere. Utramque complexionem, quæ ex Curiæ Theologorum sententia deducitur, urgere atque exaggerare cordatorum & eruditorum hominum injuria fuerit.

Sunt & aliæ complexiones duæ, quæ ex proposito & asserto lemmate non minùs necessariò inferuntur; una, à Romano Pontifice ad Concilium provocari posse, si causa legitima subsistit: altera, eundem non errandi privilegio carere; & quia Concilio subjicitur, à Concilio in fide & moribus corrigi posse & debere. Quocirca qui Theologi Romanum Pontificem Concilio subesse credunt, & ei non errandi privilegium tribuunt, ad pauca respiciunt, & facilè pronunciant. Inconsequenter loquuntur, & ἀκρισίᾳ pene incredibili laborant.

Sic ergo vindicatam aliis in Epistolis veritatem de manibus eorum qui seorsum ab antiqua Sedis Apostolicæ traditione sentiunt, extorquemus atque extundimus.

Tergiversationi, moræ, cavillationi locus nullus quaquaversum patet, quò tandem se reciperent, aut confugerent. Si proferant ignorasse se Alexandrum V. Martinum V. & Eugenium IV. cui testis idoneus & locuples accedit Pius II. id confirmasse & approbasse, quod illi sole clariùs confirmarunt & approbarunt, quid proficient? Damnabuntur negligentiæ. In re tanti ponderis damnati negligentiæ, quomodo suam in cæteris probabunt diligentiam? Semel malus in eodem genere mali semper præsumitur malus. Si proferant dissimulasse se, quod viros Theologos dissimulare

non

29 non oportet, quid inde reportabunt lucri? Damnabuntur αὐτοψήφως. Damnati αὐτοψήφως quomodo suam in aliis fidem asserent? Si recipiant non putasse se Alexandrum V. Martinum V. Eugenium IV. id fecisse toties, quod toties fecerunt; quid inde habebunt excusationis? Dicere non putabam, sapientis non est hominis, multo minùs sapientissimi. Si tum demum de confirmatione & approbatione, per quam Alexander V. Pisano Concilio, Martinus Constantiensi, Eugenius Basileensis actis prioribus consentiunt, & in eandem cum Pisani, Constantiensis, & Basileensis Patribus ineunt sententiam, ut & Leo I. & Martinus I. loquuntur, detrahant, pernicioso sibi exemplo detrahent. In primis enim confirmationem hanc, qua de agitur, inutilem & supervacaneam esse prodent: Deinde secum pugnabunt; Quippe qui per Romanorum Pontificum confirmationem doceant, Conciliis fidem auctoritatem & firmamentum omne propemodum adjungi.

Porro quidquid illud est, dilemmate hoc constringitur: Si necessaria est Romanorum Pontificum confirmatio, ut ex Pisano, Constantiensi, & Basileensi Concilio credamus, Romanum Pontificem subjici Concilio in iis, quæ ad fidem, schisma, & morum tam in capite quàm in membris reformationem pertinent, confirmatio hæc nobis suppetit abundè: Si verò necessaria non est confirmatio, ex iisdem Conciliis non minùs credemus Romanum Pontificem subjici Concilio, quàm si necessaria foret: Ab hoc dilemmate non se expedient Turrecremata, Pighius, Canus, Bannes, Va-
30 lentia, Bellarminus, Duvallius, Coriolanus, Comptonus, & ὁμόψηφοι reliqui.

Neque verò possunt contendere, materiam ad fidei dogmata non spectare. Id enim contra seipsos contenderent: Bellarminus inter alios cùm in libri II. de Conciliis capite XVII. proposuit; *Summum Pontificem absolutè esse supra Concilium generale*: subjungit, propositionem istam *esse ferè de fide*; atque ita judicat, rem ad fidei dogmata spectare posse. Sed quoniam contrariæ sunt contrariorum consequentiæ, propositio hæc, *summum Pontificem Concilio* subjici, vel infrà Concilium esse, ad fidem pertinere potest. Et ut jam vidimus, reipsa pertinet; idque Turrecrematæ, Pighii, Cani, Bannis, Valentiæ, Bellarmini, Duvallii, Coriolani, Comptoni judicio. Bellarminus quidem per ignorantiam vel malitiam fallitur, cùm ait, *propositionem suam ferè de fide esse*; sed non fallitur, cùm significat materiam ad fidei dogmata referri posse, uti cum scribit, *fide Catholica tenendum esse Concilia generalia à summo Pontifice confirmata errare non posse, nec in fide, nec in moribus.* Quo pacto propriam mutare debet sententiam & oppositam tenere, nimirum fide Catholica tenendum esse Romanum Pontificem generali Concilio subjici; infra illud esse.

Deinde Bellarminus velit nolit nobis assentitur, dum in libri II. de Conciliis capite XIX. ita scribit: *Quæ autem definivit Concilium Basileense de sua auctoritate supra Pontificem, nullus pontifex probavit.* Eugenius, ut mox vidimus, probavit semel atque iterum: Semel quidem per Legatum suum Julianum, iterum per seipsum; nec dissentiret Bellarminus, si quæ retulimus
31 perlegisset. Hic ergo Pontifex id fecit, quod Bellarminus ab illo fieri voluit, ut certò credi posset Concilium supra Pontificem esse. Verum quidem est Bellarminum addere, quæ sequuntur: *Sed reprobavit imprimis Eugenius Papa, ut patet ex Basileensi Concilio sess.* 38. Quo modo Eugenius probaret unum idémque & reprobaret, ædificaret & destrueret, pugnantia loqueretur. Et qua potissimum in re Bellarminus Pontificem errare non posse putat, Pontifex erraret; nempe unum & idem probando & reprobando. Sic à Bellarmino Basileensis Concilii probatio & improbatio luditur, & ad illud nunc asserendum nunc evertendum tanquam machina comparatur.

Quinetiam Bellarminus in ipsa reprobatione non sibi constat. Nam in libri III. de Ecclesia militante capite XVI. ait: *A quo tempore Basileense Concilium Eugenium deposuit, & Felicem elegit, non fuit Concilium Ecclesiæ, sed conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.* Sed in libri IV. de amissione gratiæ & statu peccati capite XV. longè civiliùs loquitur & humanius: *Porro Concilium Basileense sess. 36. definivit quidem beatam Virginem sine peccato fuisse conceptam, sed nec ea definitio facit certam fidem, cum Concilium illud ab Apostolica Sede probatum non fuerit, nec ipsum Concilium sententiam suam pro articulo fidei haberi voluit. Solùm enim statuit eam sententiam amplectendam esse, ut piam & consonam cultui Ecclesiastico fidei Catholicæ, scripturis, & rationi.* Hic semel, iterum, & tertiò Basileense vocat Concilium, quod illic vocabat *Conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.* Hic verò in testimonium magnæ cujusdam 32
auctoritatis in medium edit & profert. Atque ista est desultoria, sed indigna disputandi ratio, quæ non magnam auctori suo fidem asciscit.

Cæterum silentio prætermittendum non est, Bellarminum suprà Martinum V. in re quæ ad Constantiense Concilium spectat, diminutè laudasse, cùm ait: *Præterea Martinus V. in fine Concilii Constantiensis jubet interrogari suspectos de hæresi, an non credant Concilium generale universam Ecclesiam repræsentare.* Ubi subtrahuntur verba hæc, *etiam Constantiense.* Interrogatio facienda sic se habet: *Utrum credant, quòd quodlibet Concilium generale & etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet.* Deinde in præteritis relinquit aliam interrogationem hanc: *Utrum credant, quòd illud, quod sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans approbavit & approbat in favorem fidei, & ad salutem animarum, quòd hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum; Et quod condemnavit & condemnat, esse fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum.*

In his autem interrogationibus, quæ & Concilii & Martini auctoritate fieri debent, Martinus Concilii initium ab illius progressu & fine distinguit nusquam, & ubi non distinguitur in re ponderis tanti, nefas esset distinguere; ne tota vacillaret Joannis Wiclefi, Hieronymi Pragensis, & Joannis Hussi errorum condemnatio, & reliquus synodi labor funditus periret. Bellarminus illud omne dissimulat, ut videlicet det locum exceptioni huic, quam tradit in libri II. de Conciliis 33
capite XIX. *Responderi potest non fuisse Concilium Constantiense, cùm id asseruit hujusmodi, ut quæstiones de fide definire posset. Nam imprimis non erat tunc generale Concilium, cùm tantùm adesset tertia pars Ecclesiæ, id est, ii tantùm Prælati, qui obediebant Joanni. Nam qui obediebant Gregorio & Benedicto, repugnabant iis, quæ à Synodo fiebant. Deinde non aderat tunc certus Papa in Ecclesia, sine quo dubia de fide definiri non possunt. In Concilio autem nullus erat Papa. Joannes enim XXIII. qui Concilium inchoaverat, jam inde recesserat, cùm quarta sessio haberetur.* Ὦ ἀκαιροσοφίας, ô speculationem cæcam! Hæc enim si vera sunt, Concilium & Martinus simul errant, cùm Martinus sacro approbante Concilio mox relatas interrogationes præscripsit. Neque solùm errant, sed & planè tentatur Wiclefi, Hussi, & Pragensis errorum condemnatio, quæ in sessione VIII. XV. & XIX. facta est, absentibus Joanne XXIII. Gregorio XII. & Benedicto XIII. (quos Concilium deposuit) & multo ante sessionem XLI. in qua Martinus Romanus Pontifex creatus est. Sic cùm Bellarminus ad pauca respicit, ut Martinum supra Constantiense Concilium evehat. Martinum ipsum & Concilium in tenebras deprimit, in voraginem detrudit, & extinctas à Concilio hæreses redaccendit.

Sed hîc non cessant privata studia, quibus memoratum illud bonum publicum evertitur. Bellarminus pergit:

pergit: *Neque verum est, quod Martinus V. confirmavit hoc decretum. Ipse enim disertè dixit, se confirmare tantùm ea decreta de fide, quæ facta erant conciliariter, id*
34 *est, more aliorum Conciliorum, re diligenter examinata. Constat autem hoc decretum sine ullo examine factum à Concilio Constantiensi. Itaque Martinus cùm confirmavit decreta de fide conciliariter conclusa, intelligebat tantùm de damnatione hæresum Wiclefi & Husi.*

At Martinus decretum, de quo agitur, omnino confirmavit & confirmasse se prodidit, cùm capiti, *Frequens*, obsecutus Senense Concilium indixit. Quæ major vel certior quæreretur decreti confirmatio?

Deinde Bellarminus non fallitur modò, sed etiam lectores suos ludificat, cùm ait, *Decreti materiam examinatam non fuisse.* Quæ unquam materia in Concilio magis examinata fuit, quàm ista, Utrum Romanus Pontifex subesset vel non subesset Concilio? Hoc agebatur potissimùm? Absentium Pontificum fautores examinandæ materiæ causam non præbebant modò, sed etiam obtrudebant.

Præterea Romanum Pontificem subesse Concilio & sacris Canonibus, res erat in perpetua Sedis Apostolicæ traditione, quam in literis ad Hieronymum Sambœuvlum, Ludovicum Cusinum, & Christophorum Fauvæum exposuimus. Hinc gratis & sine ratione dixit, *Sine ullo examine decretum à Constantiensi Concilio factum.* Qua enim facilitate hoc asseritur, eadem & negatur. Quasi verò Martinus approbasset decretum, quod sine ullo examine conditum fuisset. Approbasse verò decretum suprà ostendimus.

Cùm verò Bellarminus adjicit: *Martinus cùm confirmavit decreta de fide conciliariter conclusa, intelligebat*
35 *tantùm de damnatione hæresum Wiclefi & Husi*, non obscurè innuit sortiri se quid respondeat; nec Constantiense perlegisse Concilium. Nam de damnatione Hieronymi Pragensis mentionem nullam facit, quasi quæ ad errorum illius damnationem pertinent, *hæc conciliariter, re scilicet diligenter examinata, conclusa non essent.* Nonne Bellarminus hic tenetur? Communibus locis utitur, qui nulli materiæ, quia omni conveniunt. Sic quidquid in Nicæna Synodo tam in fide quàm in disciplina sancitum est, in dubium vocaretur.

Bellarminus pergit: *Neque sequitur, si Concilium in hoc erravit, errasse etiam in deponendo Gregorio XII. Joanne XXIII. & Benedicto XIII. Nam etsi Concilium sine Papa non potest definire nova dogmata fidei, potest tamen judicare tempore schismatis, quis sit verus Papa, & providere Ecclesiæ de vero pastore quando is nullus aut dubius est.* Quæ hoc modo Bellarminus disputat, non disputaret, si recordaretur Martinum V. definivisse, *Constantiense Concilium universam repræsentasse Ecclesiam.* Quod autem Concilium universam repræsentat Ecclesiam, dogmata fidei sancire potest. Constantiense Concilium nunc universam repræsentasse Ecclesiam, nunc non repræsentasse nemo contendet unquam. Cum ubi Martinus nihil distinguit, quis distingueret? Profectò non omnes similes sunt Bellarmino, qui Constantiensi Concilio non errandi privilegium nunc concedit, nunc detrahit, ut suis placitis serviat.

Ad hæc si Constantiense Concilium sine Papa non potest nova fidei dogmata definire, pro non hæretica, me vide, haberi posset illa propositio, quam Concili-
36 um hoc in sessione XV. ut hæreticam sine Papa condemnavit: *Tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vasallum suum & subditum, per clanculares insidias, & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante præstito juramento*, &c. At propositio ista ut hæretica recipitur ab omnibus, etiamsi cùm hæreseos condemnata est, Concilium sine Papa esset, aut Martinus postea illam bullæ confirmationis non indiderit, aut propositionis condemnationem speciatim approbaverit. Hic rhodus, hic saltus.

Deinde Eugenius IV. Bellarmino adversatur. Cùm hic Pontifex in bulla, quæ in actione XVI. Basileensis Concilii refertur, affirmare non dubitet, quod *si Papa vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, & contra Concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus Legati personam summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa, nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent. Quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Quo in eventu attendenda esset sententia Concilii, quod novum fidei dogma sanciret. Nam quamvis Eugenius sibi suffragetur, & in propria causa pronuntiet, habere se potestatem super omnia Concilia, (ob id ibi dicit nescientre se bullam editam esse) nihilominus tamen casus duos excipit, in quibus Conciliorum potestatem sua majorem agnoscit. Prior est is, in quo de fide agitur: Tunc si Concilium & Papa inter se dissentiant, Eugenio auctore & judice, à Concilio potiùs, quàm à Romano Pontifice standum erit. Posterior est is, in quo de universalis Ecclesiæ statu agitur: Tunc si Concilium & Pa- 37
pa inter se dissentiant, Eugenio auctore & judice, à Concilio potiùs, quàm à Romano Pontifice standum erit.

Constantinopolitana Synodus I. Macedonii hæresim sine Papa confixit, & contrarium de Spiritu Sancto dogma constabilivit: Damasus quidem qui tunc erat Papa, Constantinopolitanam Synodum in Romana imitatus & subsecutus est, & tamen non Romana sed Constantinopolitana Synodus pro universali & Oecumenica semper habita est.

Porro autem, quidquid hic contra Bellarminum observo, observandum fuit necessariò, nec de causa digredior. Parisienses Theologi & Gallicana Ecclesia Romanæ Curiæ magistris, quos antè citavimus, consentiunt. Id apertè traditur in Caroli Cardinalis Lotharingii commonitoria, quod Romam ad Secretarium suum Joannem Britonem misit anno M. DLXIII. Commonitarii verba sunt Gallica, quæ alibi Latinè sic interpretati sumus: *Nunc superest titulorum ultimus à Florentina Synodo depromptus, quem beatissimo Patri nostro tribuere volunt. Ego verò negare non possum, quin Gallus sim & Parisiensis Academiæ alumnus, in qua Romanum Pontificem subesse Concilio tenetur, &* QUI DOCENT HUIC CONTRARIUM, II TANQUAM HÆRETICI NOTANTUR. *Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus partibus suis generale habetur, Basileense in auctoritatem admittitur; Florentinum perinde ac nec legitimum, nec generale, repudiatur.* ATQUE IDCIRCO GALLI DE VITA POTIUS, QUAM DE SUA SENTENTIA DECEDERENT. *Hæc autem omnia cùm* 38
ita sint, me ad sanctitatis tuæ pedes projicio, & eis per viscera misericordiæ Dei nostri supplico, ut impræsentiarum verba hujusmodi omnia, & concertationes hujusmodi mittantur. Afflicto regno non est danda afflictio. Hæretici jam satis offensi sunt. Catholici reguntur ac ducuntur omnes à Theologis, qui clamores in cælum usque tollent. PRIVILEGIA SEU LIBERTATES REGNI IN HAC VERITATE POSITÆ SUNT UNIVERSÆ, *& eam ob causam disputatio hujusmodi si fiat, tota ad subversionem audientium converteretur. Regnum separabitur ac distrahetur: Quod erit commune ac summum illius exitium.* NAM CREDERE FUTURUM ESSE VEL UNUM ANTISTITEM, QUI HIS CONSENTIAT, INSANUM ESSET. Parisiensis Academia & Gallicana Ecclesia tunc eos, qui Romanum Pontificem subesse Concilio negabant, pro hæreticis habere non poterant, nisi Romanum Pontificem subesse Concilio divina fide crederent, & credendum esse censerent. Nihil enim propriè hæresi præterquam divinæ fidei dogma opponitur. Intelligebant Pisanam Synodum ab Alexandro V. Constantiensem à Martino V. Basileensem ab Eugenio IV. confirmatam & approbatam. id exposuisse illustriùs; quod antea secundùm Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditionem obscuriùs credebatur. Ecclesiæ traditio in octava Synodo retenta & Canone

asserta est, ut in priori ad Felicem Phelippeum Brossam Parisiensem Theologum Epistola adversus Cajetanum ostendi. Traditio hæc per intermedias Synodos derivabatur à sexta, ubi Honorius Papa hæreseos accusatus, & nemine repugnante reus peractus est. Id latè prosequor in priori ad Raymundum Formentinum Epi-
39 stola. Sedis Apostolicæ traditio sole clariùs apparet in Epistolis, quas ad Hieronymum Sambocuvium, Ludovicum Cusinum, & Claudium Santeulium dedi. Ambiguitatem nullam, difficultatem nullam relinquit Siricii ad Anysium, & alios Illyrici antistites Epistola, quæ rem ita decidit: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui eum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrûm est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.* Hæc Epistola & antiqui & hodierni est temporis: Antiqui quidem, quia antiqui Pontificis germanum est opus. Hodierni verò, quia anno M. DC. LXII. Romæ in lucem prodiit longè quàm antea correctior, & necessariis approbationibus communita. In meis ad Sambocuvium literis Epistolam hanc & antecedentia concludere & subsequentia præcludere declaro. His omnibus accedit posterior ad Brossam Epistola, ubi Pontifices octo, quos Bellarminus & à seipsis & à Sede Apostolica divulserat, & sibi ipsis & sedi suæ nullo restituuntur negotio, & restituti impactam sibi calumniam & vim allatam conqueruntur.

Verumenimverò qua ætate Parisienses Theologi dogmati huic, quod exposuimus, adhærebant firmiter, 40
hoc ipso Innocentius VIII. illos ab recta in Deum fide & ab syncera in Sedem Apostolicam observantia laudabat. Sic enim an. M. CCCCLXXXVI. VII. Idus Septembris ad Parisienses Theologos majores nostros scribit: *Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus non sine magna cordis nostri lætitia synceram animorum vestrorum devotionem,* QUAM AD NOS SANCTAMQUE ROMANAM ECCLESIAM ET FIDEM CATHOLICAM HABETIS, CUM OMNI STUDIO ET CURAM VESTRAM PRO EJUSDEM FIDEI DEFENSIONE ET HÆRESUM EXTIRPATIONE, *sicut probatissimos quosque Christianos decet,* INCESSANTER *adhibueritis.* Et quoniam veritati adeò perspicuæ vix resistitur, singulari prorsus divinæ providentiæ factum est beneficio, ut Theologi novis Romanæ curiæ placitis addicti contra propriam mentem nostræ & Sedis Apostolicæ sententiæ suffragentur: Cùm scilicet doceant, *Catholica fide tenendum id esse, quod generalia Concilia à Romanis Pontificibus confirmata decreverunt.* Novatianus in libri de Trinitate cap. XVIII. dicit: *Firmum est genus probationis, quod ab adversario sumitur, ut veritas ipsa etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur.* Isidorus Pelusiota Novatianum sequitur, cùm in libri II. Epist. CCXXVIII. scribit: *Grave & auctoritatis plenum illud est testimonium, quod ab hostibus sumitur.* Hæc est *magna vis veritatis, quæ,* ut ait Tullius, *contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contráque fictas omnium insidias facilè se per se ipsa defendit.* Bene vale. Lutetiæ Paris. calend. Jan. anno M. DC. LXV.

Joannes Launoius NICOLAO PARVIPEDIO,

Parisiensi Theologo, & in Parisiensis Territorii Curia Consiliario.

1 DE Facto Pii II. qui primus, ne ab Romano Pontifice ad futurum Concilium appellaretur, vetuit, quid sentiam, de me quæris. Disciplinam esse novam sentio, quia Pius II. vetus non est Pontifex: sedere anno M. CCCCLIX. cœpit, & anno MCCCCLXIV. sedere desiit. Sed quod diligenter observes velim, quo in loco Pius prohibet, ne ab Romano Pontifice ad futurum provocetur Concilium, nonnunquam provocari posse significat. Videndus est locus, qui in Epistula CCCC. ad Nurembergensis oppidi Burgimagistros & Senatum ita se habet: *Si quæ Christi unicus Vicarius Canonibus sacris etiam juri & scripto inhærendo decrevit, statuitque, & servari, ut dignum est, præcepit, calumniatores malevoli & perversi subterfugere justitiam præsumentes, per ludibria frivolarum appellationum ad futurum Concilium, cea ad id quod nusquam est, ac supra Christi Vicarium esse, aut reperiri negant, obedientiam, quæ est de necessitate Ecclesiæ, & salutis universorum, improbè declinant ac temerè.* Ex his autem Pii verbis facilè colliguntur duo: Primum est, Gregorium Heimburgium, qui à Pio II. ad futurum Concilium provocaverat, immeritò provocasse: Quia quidquid Pius decreverat ad sacrorum Canonum & juris etiam scripti nor-
2 mam decrevisse se confirmat. Alterum, eundem Heimburgium à Pio ad futurum meritò provocaturum fuisse Concilium, si quod decrevit Pius contra sacros Canones, & jus etiam scriptum decrevisset. Et sanè duo hæc Pius vel objicit in Epistola sua, vel objicit nihil: quis autem Pium objicere nihil affirmaret? Intelligebat vir eruditus & vetustæ traditionis memor, provocationem omnem vetari meritò non posse. Majorem Concilio, quàm Romano Episcopo potestatem inesse, non ignorabat. Nam etiamsi causam Eugenii IV. defendendam adversus Basileense Concilium susceperat, tamen in Retractationis suæ Diplomate dissimulare non est ausus, opinionem, quæ Papam supra Concilium statuit, novam esse; antiquam verò, quæ Papam Concilio subjicit. Pii verba sunt: *Tuebamur antiquam sententiam, ille* (Julianus Cardinalis) *novam defendebat; extollebamus generalis Concilii auctoritatem, ille Apostolicæ Sedis potestatem magnoperè commendabat.* In antiqua illa sententia, quæ Romanum Pontificem Concilio subjicit, tanquam in firmissimo Ecclesiasticæ libertatis fundamento positam esse hujusmodi provocationem nemo nescit. Quamobrem Pius II. provocationis abusum tollere voluit, non usum, quem & ab ipsis decessoribus suis veluti habitum esse noverat. Clemens V. cùm factus est Pontifex, Philippo Regi Francorum affirmatè & quasi Deo teste promisit, expuncturum se ex Pontificum numero Bonifacium VIII. propter crimina & hæreses, quarum accusabatur. Sed cùm promissum servare atque exsolvere per seipsum vix posset, rem ad Viennense Concilium remisit.

remisit. Id ita narrat Conradus Vecerius in vita Hen-
3 rici VII. Imp. *Sollicito inter has curas Clemente V. opportunè Nicolaus Cardinalis Prutensis intervenit, cui quòd arbiter omnium arcanorum haberetur, nudantur ordine omnia. Is ut erat ingenio ad subita etiam quæque moderanda dexterrimo, primùm confirmato Pontificis animo scire se quid potissimum illi concilii profuturum speraverat, affirmat, Regias imprimis spes ali dissimulanter, angerique placere, tum docere cupidum principem, quo magis rata fiant, quæ ad Bonifacii cineres attinent, videri futurum consultius, si tanta res nonnisi publici Concilii Senatusconsulto firmetur. Quam sententiam ubi Gallus approbaret, Sedem conventui Viennam inter Allobroges deligit, aliam-ve civitatem quampiam & liberam & ad excedendum regiis finibus opportunam. Placuit Clementi Cardinalis suggestio.* Pontifex ut regi satisfaceret, sic visus est à seipso ad Viennense Concilium provocare.

Innocentius III. in gravi quodam negotio, cui cùm finem imponere per seipsum non posse judicabat, Concilium appellat. Hoc ille testis nimirum idoneus & locuples scribit in libri III. Regist. XV. Epistola CIV. ad Philippum Augustum: *Diligenter auditis & perspicaciter intellectis, quæ ex parte regia dilecti filii .·.·. Abbas de Trappa & I. Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus nostris studioso tractatu non occurrit nobis aliqua via, per quam in his, quæ ipsi pro te postulaverunt à nobis tuæ secundùm * possemus occurrere voluntati, sub obtestatione divini judicii protestantes, quòd libentissimè si possemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, à quo desideras vehementer absolvi. Sed
4 in tali commercio inter te ac Reginam conjugem tuam adeò est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem Regina fecisse proponitur, coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto Magistro Roberto Corzon nunc titulo sancti Stephani in Cælio Monte Presbytero Cardinali, non auderemus, super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid diffinire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit; ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* Hoc autem quod agit Innocentius, quid aliud est, nisi à seipso ad Concilium appellare?

Gregorius Magnus præluxit Innocentio, cùm in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum scripsit: *Considerare vos convenit, nequa radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinentur multi. Quod tamen si considerare negligimus contra tanta elationis tumorem judicia superna vigilabunt, & nos quidem, in quos talis tantáque per ausum nefarium culpa committitur, servamus quod veritas præcepit dicens: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; Si autem te non audierit,
5 adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui: Nunc per meipsum scribo: Quidquid facere humiliter debui, non omisi, sed si in mea correptione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere.* Nonne Gregorius in controversia, quæ illi est cum Joanne, velut à seipso provocat ad Ecclesiam, quæ Gregorio major ac potentior Joannem cohibeat & castiget?

Vigilius, qui primùm Tria Capitula damnare noluit, & ne damnarentur vetuit, postea (sed salva Calchedonensis Concilii) reverentia damnavit. Justinianus damnatione tali neutiquam contentus urgebat Vigilium, ut tria capitula absolute & sine Concilii hujus mentione ulla damnaret. Damnare non est ausus. Concilium appellavit, & ut congregaretur, persuasit.

Hoc disciplinæ genus validè confirmat Leo I. In Epistola XXV. ad Theodosium Imperatorem; cùm ab Ephesina Synodo II. ad majorem Synodum provocat: *Literis clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in causa tam simplici, támque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret, præsertim cùm ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, 6
ita manifestatione purissimæ fidei, quam divinitus inspiratam & accepimus & tenemus, omnium congressionum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultrà deciperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privatæ causa religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod universam Ecclesiam vulneravit. Comperimus enim non incerto nuncio, sed fidelissimo rerum, quæ gesta sunt, narratore Hilaro Diacono nostro (qui vix ne subscribere per vim cogeretur, effugit) convenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum nimque frequentia collationi & judicio profuisset, si is, qui sibi locum principem vindicabat, Sacerdotalem moderationem custodire voluisset, ut (sicut moris est) omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus subveniret. In ipso autem judicio non omnes, qui convenerant, interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti Sacerdotis arbitrio, impiis subscriptionibus captivas manus dederent, & nociturum statui suo scirent, nisi imperata fecissent; taléinque ab ipso prolatam esse sententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem Ecclesiam sævire videretur. Quod nostri ab Apostolica Sede directi adeò impium & Catholicæ fidei contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli: Constantérque in eadem Synodo (ut decuit) fuerint protestati, nequaquam id quod constituebatur, Sedem Apostolicam recepturam: Quoniam revera omne Christianæ fidei Sacramentum (quod absit) à temporibus vestræ pietatis exscinditur, nisi hoc scelestissimum facinus, quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur. 7
Quia verò Diabolica nequitia subtiliter falsis incautos, & ita quorundam impudentiam per similitudinem pietatis illudit, ut pro salubribus persuadeat nocitura, removete quæsumus à vestræ pietatis conscientia periculum religionis & fidei, quódque in sæcularibus negotiis legum vestrarum æquitate conceditur, in rerum divinarum pertractatione præstate, ut Christi Evangelio vim non inferat humana præsumptio. Ecce ego, Christianissime & Venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens ergà reverentiam clementiæ vestræ synceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix imperii, & coram sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia (quod necesse est nos dicere) veremur, ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam, & communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorúmque Martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ divinitatis & veræ humanitatis in Christo. Cui sacramento, quia impiè nunc à paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri*

fideliter

fideliter reclamarunt, & ejusdem libellum appellationis
8 *Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultrà sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum.*

Et primùm quidem, quomodo Synodus malè gesta est apud Ephesum, describit: Deinde Imperatorem rogat, ut perversæ Synodi hujus effectum suspendat: *Ut omnia in eo statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium.* Tum eundem rogat Imperatorem, *Ut major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Denique generalem Synodum haberi quantum Christianæ religionis & publicæ tranquillitatis intersit, exaggerare pergit. In his autem certa quædam provocationis species continetur. Sunt qui Flavianum appellationis libellum ad Leonem dedisse contendant: sit ita: Leo appellationis hujus libellum ad generalem Synodum detulit, & cùm detulit veluti à seipso, quem tantæ rei non sufficere credidit, ad generalem Synodum, quam sufficere credidit, appellavit.

Siricius in Epistola, quam scribit Anysio & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis, id objicit, quod disciplinam hanc plurimùm illustrare potest. Verba sunt: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Capuensis Concilii judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ*
9 *comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus.*
Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, atque contra sententiam vestram tentandam aliquid, ut quod videretur vobis justitia convenire statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis; nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.

Hinc facilè eruitur ratio, cur consentiente Siricio, à Romano Pontifice ad Concilium provocari liceat. Anysius Thessalonicensis & reliqui Macedones Episcopi, causam Bonosi judicandam Siricio deferunt: Siricius ne sententiam diceret recusat; quòd judicandi forma sibi competere non possit, delegatis jam à Capuensi Concilio judicibus; qui vice Concilii totius judicaturi erant; & quòd si judicaret ipse Concilii vice neutiquam judicaret. Nunc, opinor, perspicis Siricium veluti à seipso ad Concilium & delegatos à Concilio judices provocare, cùm delatam sibi ab istis judicibus causam dirimere abnuit, & ad eos dirimendam remittit. *Vestrum est igitur, qui hoc recepistis, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel ac-*
10 *cusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Sy-*
nodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Vestrum est, non quia remitto, etiamsi remittam, sed quia *Synodus hanc vobis dedit auctoritatem.* Quis unquam sinceriorem vidit Pontificem, qui aliàs cùm Himerii Tarraconensis Episcopi consultationi respondet, acerrimum Pontificiæ dignitatis vindicem & assertorem se pluribus ostendit? Sed dignitatem illam suos habere fines ac terminos apprimè noverat: Alioqnin idoneum provocationis argumentum, quod tractamus, minimè præbuisset. Sponte agnoscit duo, quæ in statuenda provocatione Ecclesiastica requiruntur. Primùm, ut in eo, à quo provocatur, judicandi potestas sit inferior eáque errori obnoxia: Nam stultum esset provocare ab eo, qui judicando errare non posset. Deinde ut in eo ad quem provocetur, judicandi potestas sit superior, nec errori obnoxia.

Siricius duo hæc sponte agnoscit, quæ per Ecclesiæ & inprimis Romanæ traditionem acceperat. Quinetiam ex Scripturis repeti facilè possunt. Alterum ex capite VIII. Actuum Apostolorum commate XIV. *Cùm autem audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quòd Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem.* Ubi Petrus & Joannes, quia simul mittuntur ambo, mittuntur æqualiter, nempe non consilio tantùm, sed etiam auctoritate: & sic ad frivolam & gratuitam distinctionem aditus omnis intercluditur.

Alterum verò in Epistolæ ad Galatas capite II. à commate XI. usque ad comma XV. *Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia re-*
prehensibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à 11
Jacobo, cum gentibus edebat: Cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant, & simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis & non Judaicè, quomodo gentes cogis Judaizare?

Hoc in loco, quæ à Paulo exponitur veritas, argumenta non quærit: Et si quæreret, Pelagius II. illa sic offerret in Epistola III. ad Elium & Episcopos Istriæ; qui Vigilii constituto de non damnandis tribus Capitulis edito, post Synodum V. quæ capita illa tria damnaverat, pertinaciter adhærebant. *Rursum per Epistolam vestram dicitur, à Sede Apostolica vos doctos, atque à scrinio sanctæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei, quæ sub pia memoria Justiniano principe gesta est, consentire debeatis, atque hanc opitulationem excusationi vestræ adjungitis, dicentes, quòd in causa principio & Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum provinciarum principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res quæ provocare vos ad consensum debuit, à consensu vos illa divellit. Latini quippe homines & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognoverunt: Et tantò eis celeriùs credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quievit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti,*
priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam 12
diu ab eis laboratum est & longo tempore usque ad injurias certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sint, agnovissent. Et postquam ostendit Deum permisisse, ut Paulus ad fidem Christi paullò tardiùs accesserit, subjungit: *Debet ergo perpendere dilectio vestra, quia prædecessorum nostrorum in hac causa consensus tanto post inanis non fuit, quanto priùs duris contradictionum laboribus insudavit, sed his insuper factum Petri, qui & Paulum superat, vestra fraternitas ad memoriam reducat. Diu quippe restitit, ne ad fidem gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet; diu se à conversarum gentium communione subtraxit: Paulo attestante, qui ait: Cùm venisset Antiochiam.*] Et relatis, quæ mox retuli, Pauli verbis subdit: *Qui tamen* (Petrus) *ab eodem Paulo postmodum ratione suscepta, dum quosdam conspiceret quòd gentiles ad Ecclesiam venientes pondere servandæ circumcisionis onerarent, dicit: Cur tentatis Deum imponentes jugum cervicibus Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Nunquid, fratres dilectissimi, Petro Apostolorum principi sibi dissimilia decenti debuit ad hæc verba responderi: Hæc quæ dicis, audire non possumus, quia aliud antè prædicasti? Si igitur in trium Capitulorum negotio aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inventa veritate dictum est: Cur muta-*

mutatio sententiæ HUIC SEDI *in crimine objicitur, quæ à cuncta Ecclesia humiliter in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio in-*
13 *commutabilis permaneat, quid obstat, si ignorantiam suam deserens verba permutet?* Vide nunc ac circumspice, quibus rationum momentis Pelagius Istriæ Episcopis persuadet, ut Vigilii constitutum deserant, & oppositam constituto definitionem Synodi V. amplectantur. Et quamvis Vigilium & alios errasse non dissimulet, eos tamen quibus potest modis excusat, abjudicato semper non errandi privilegio. In summa, Pelagius id facit, quod facere solent, qui viis præcipitibus & lubricis insistunt. Igitur expedita sunt illa duo, quæ in statuenda provocatione requiri *diximus, si tamen duo dici possunt, quæ sic inter se connectuntur, ut unum inferatur ex altero, aut potiùs ex sese mutuò inferantur.

Sed redeundum est ad Pium II. quem non latebat Epistola, quæ illius tempore adscribebatur Damaso, & nunc ex Vaticanis Codicibus & Romana correctione Siricio verè adscribitur. Hic autem Pontifex cùm Sedis Apostolicæ doctrina & traditione, quam ex optimis auctoribus collegi, non leviter eruditus esset, de tollendis omnibus ad futurum Concilium provocationibus cogitationem nullam suscepit; & certe cogitationem suscepisset, quod nefas dictu est, iniquissimè: Sed vagis ac promiscuis appellationibus modum posuit, & rectè ac sapienter posuit. Tunc enim erant, qui perinde ac Georgius Heimburgius, ne decretas sacris canonibus pœnas luerent, futurum Concilium appellabant.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citráque nequit consistere rectum.

Itaque Pius appellationem justam permisit, injustam
14 prohibuit. Et ne secum pugnare, & *ἀμαρτίᾳ τῆς ἀνθρωπίνης* graviter errare dicatur in Constitutione, *Execrabilis*, ubi provocantes ad futurum Concilium Ecclesiastica communione privat, sic intelligendus est. Id ex eo validè confirmatur, quòd provocationem omnem sive justa, sive injusta sit, minimè condemnet.

Sic quoque intelligendus est Julius II. qui Pii constitutionem illam speciali diplomate renovavit. Quinetiam ut Pius & Julius intelligantur sic, cogit S. Leo in sermone 11. de Natali Apostolorum Petri & Pauli, cùm ait: *Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex illius æquitate fertur judicium.* Ferendum enimvero; sed quis semper laturus est? Num Joannes XII? Negabit Romanum Concilium, à quo Joannes iste propter intoleranda crimina depositus est? Num Alexander VI? Non assentiet Julius II. qui se ab Alexandro VI. immaniter tractatum scribit in Diplomate, quod Lateranense Concilium indicit. *Quid enim*, inquit, *felicis recordationis Alexandro VI. Romanorum Pontifici prædecessori nostro magis nos odiosos fecit, nisi studium & cura generalis Concilii celebrandi? Quid nos terra marique jactavit, cùm nobis idem Alexander prædecessor esset infensus? Quid toties Alpes transcendere Transalpinas, & Gallias peragrare per æstus, nives, & glacies compulit, nisi quòd nitebamur, ut à Romano Pontifice Concilium indiceretur, convocaretur, & celebraretur?* Et quamvis in Gallia non possit non retineri jus provocandi à Romano Pontifice ad futurum Concilium, quia ibi Romanum Pontificem & subjici & errare in fide & moribus posse certò creditur, nihilominus tamen non ita frequenter provocatur. Res apud nos
cœperunt alia gubernari providentia, quæ tamen e- 15
ondem ad finem & scopum pertinet. Mutatum quid in agendi modo, in doctrina nihil mutatum. Pro sanandis iisdem vulneribus remedium unum alteri suffectum est; idque præsentius, adhibitu facilius, efficacitate pari, veteribus exemplis non destitutum. Cùm Romanus Pontifex non urgente necessitate summa, vel non exigente utilitate evidenti universalibus Conciliis derogat, aut ab observatione sacrorum Canonum recedit, futurum non appellatur Concilium, sed apud Senatum ab Romano Pontifice provocatur tanquam ex abusu, (verba sunt juris nostri & consuetudinis;) & tunc Romani Pontificis factum vel decernitur cassum atque irritum, vel ad Canonum normam, & præscriptionem reducitur. Utrobique respectus habetur ad Sedis Apostolicæ morem, qui cùm ab aliis Pontificibus, tum maxime à Gregorio VII. & ab Innocentio III. laudatur: A Gregorio quidem in libri II. Epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem: SOLET SANCTA ET APOSTOLICA SEDES PLERAQUE CONSIDERATA RATIONE TOLERARE, SED NUNQUAM IN SUIS DECRETIS ET CONSTITUTIONIBUS A CONCORDIA CANONICÆ TRADITIONIS DISCEDERE. Ab Innocentio verò in libri I. Epistola ad Faventinum Episcopum: IN TALIBUS EVIDENS UTILITAS ET URGENS NECESSITAS SECUNDÙM INSTITUTA CANONICA SOLENT ET DEBENT ATTENDI. Unde cùm duo hæc desiderantur, & contra Canones attentatur nonnihil, quæ tunc sint suarum partium, ita scribit: QUÆ IN DEROGATIONEM SANCTORUM CANONUM ATTENTANTUR, TANTO POTIUS INFRINGI VOLUMUS,
ET CARERE ROBORE FIRMITATIS, QUANTO 16
AUCTORITAS UNIVERSALIS ECCLESIÆ, CUI PRÆSIDEMUS, AD ID NOS PROVOCAT ET INDUCIT. Sic suus semper est æquitati locus, dum omnia suis quoque ponderibus examinantur.

Hæc habui, quæ tum demum quæstioni tuæ responderem. Tu verò, qui Theologiam cum Jurisprudentia felici nexu copulasti, supplere poteris quæ deesse videbuntur. Vale. Lutetiæ Parisiorum Calend. Martiis, anno M. DC. LXV.

JOAN-

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS,

Epistolarum:

PARS TERTIA.

Joannes Launoius, JOANNI GERBASIO,

Parisiensi Theologo.

1 NIHIL est admodum, quòd meam ad Raimundum Formentinum prædices Epistolam, in qua non errandi privilegium Romano Pontifici à nonnullis adulatoribus perperam adscriptum retracto ac discutio: Prædicanda tibi est potiùs Romanorum Pontificum, qui à me laudantur, ingenua confessio.

Fatetur quippe Leo II. Agathonis successor, qui Synodum sextam, ubi hæreseos multoties damnatur Honorius, latinitate donavit, & in Epistola ad Constantinum confirmante Synodum VI. de Honorio conqueritur, quòd *hanc* (Romanam) *Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustraverit, sed profana traditione immaculatam fidem maculari permiserit.* Deinde in Epistola ad Ervigium regem de eodem Honorio adhuc conqueritur, quòd *immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis acceperat, maculari consenserit.*

Fatetur Joannes V. qui nondum creatus Pontifex sed Agathonis Legatus in Synodo VI. ad damnandum Honorium conspiravit.

Fatentur Romani Pontifices omnes, qui dum olim crearentur, in indiculo professionis fidei suæ, ut Cyro, Sergiò, Pyrrho, cæterisque Monothelitis, ita & Honorio anathema dixerunt.

2 Fatetur Romana Synodus, cui Hadrianus II. præfuit, & ad Synodum VIII. misit Synodicam, confessionis hujusce testem, omni exceptione majorem.

Fatetur Romana Ecclesia, cùm beati Leonis II. festum agit, & in Breviarii sui lectionibus Honorium condemnatis à Synodo VI. Monothelitis accenset, & cùm in sancti Eusebii Confessoris festo dolet Liberium Papam Arianæ perfidiæ consensisse, qui & ipse in Epistola VII. ad Orientales consentire se scribit. De Romano Breviario loquor, antequam vetus ex eo Sedis Apostolicæ traditio expungeretur. Sed expungendi cura hæc non veritatis studium, sed duntaxat adulatorum dedecus importat & ὀψιμάθειαν, quæ eminentissimam antiquæ persuasionis simplicitatem obliterare nunquam poterit. Hæc contestatò dictura est semper, in Breviarii correctione intervenisse dolum malum, & à perenni perspectâque traditione majorum degeneratum esse.

Fatentur Pontifices omnes, qui relata à Christophoro Marcello protestationis forma usi sunt, cùm pium aliquem hominem consecrarunt, & catalogo Sanctorum indiderunt.

Fatetur Innocentius III. qui hinc propter peccatum in fide commissum, ab Ecclesia judicari se posse affirmat; hinc *sine deliberatione generali Concilii*, de permittendo inter Philippum Augustum & illius uxorem divortio, definire quicquam non audet. Quid ita? *Præter divinam*, inquit, *offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam* (quod Deus conjunxit, homo non
separet) *nostra non possit auctoritas dispensare.* Sed fa- 3
tetur maximè, cùm revocat decretalem exordio [*Laudabilem*] qua Clemens III. permiserat, ut hæretici uxor ad fidem conversa alteri nuberet. Id æqualis auctor Robertus Corceon Cardinalis asseverat, in Summa quæst. de impedimentis matrimonii. Hadrianus VI. decretalem hanc Celestino Clementis successori tribuit: Sed utrum illa Clementi, vel Celestino tribuenda sit, instituti nostri nihil interest, quia Romano Pontifici semper tribuitur.

Fatetur Clemens IV. ad Abbatem Casæ Dei scribens, cernere se *decessores suos monasteriis dedisse privilegia* JURI DIVINO CONTRARIA *& humano, quæ rationabiliter annullare se posse* dicit; & adjicit: *Et quamvis nostris prædecessoribus, prout necessitas exigit, geramus honorem, multa tamen eorum aliquibus placuerunt, quæ*

nobis imparis meriti & faemina nulla possent ratione placere: Quomodo decessoribus suis non errandi privilegium abjudicat.

Fatetur Clemens V. cùm Bonifacii VIII. constitutionem, *Unam sanctam*, in qua vindicantur & asseruntur propositiones hæ: *Uterque est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis: Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exerendus: Ille Sacerdotis, is manu regum & militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis: Spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet & judicare, si bona non fuerit, nisi quis duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum & hæreticum judicamus*, nullius esse, aut futuram esse roboris & auctoritatis, decernit in cap. *Meruit*, de privilegiis. At si quis Clementem, Bonifacii constitutionem rescindendo, errasse potius, quàm Bonifacium
4 (quod non putamus) diceret; dictum hoc ab Instituto nostro minimè abhorreret. Erraverit Bonifacius, non erraverit; sed Clemens erraverit, Romanus Pontifex semper erravit.

Fatetur Joannes XXII. qui morti proximus errorem deposuit, quem palam adversus propriam Romanæ Ecclesiæ traditionem in ore atque oculis omnium tenuerat.

Fatetur Eugenius IV. qui dissentientibus Papa & Concilio, in iis, quæ ad fidem & universalis Ecclesiæ statum pertinent, attendendam esse potiùs Concilii, quàm Papæ sententiam, pronunciat.

Fatetur Julius II. qui postquam definiit, simoniam, *veram atque indubitatam hæresim* esse, continuò definiit, Papam simoniacè electum, non hæreticum modò, sed etiam *heresiarcham esse*.

Deinde, Julius de seipso fateri debet necessariò, quòd in constitutione sua erraverit, cùm tradidit, *Simoniam veram atque indubitatam hæresim esse.* Nam Simonia ex se vera & indubitata non est hæresis, sed verum atque indubitatum est peccatum: Tunc est tantùm hæresis, cùm docetur, simoniam licere. Sicut homicidium ex sese vera atque indubitata non est hæresis, sed verum atque indubitatum peccatum: Et tunc tantùm est hæresis, cùm docetur, homicidium licere. Julius erravit αιρετικῶς ἢ ἀἰδοναλῶς, sed nihilominus definiendo Pontificaliter erravit.

Fatetur, docet, & probat Hadrianus VI. qui *certum esse* pronunciat, Romanum Pontificem *errare posse in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo.* Qui, quod mireris, editam à Leone X. contra Lutheri hæreses constitutionem Lu-
5 thero nunquam opposuit, cùm ad Saxoniæ Ducem scribens, eum à Novatoris hujus patrocinio deterrere voluit, qui Luthero universalia tantùm objecit Concilia, quibus solis non errandi privilegium attribuit. Existimabat Pontifex damnatos jam fuisse ab universalibus Conciliis errores pene omnes, quos Lutherus in medium protulerat & revocaverat.

Fatetur Clemens VIII. & Romana cum illo Ecclesia, cùm edita Sixti V. auctoritate Biblia suppressit, quòd illa Sixtus mendis carere omnibus pontificali ritu decreverat, & sic erraverat.

Fatentur eloquenti silentio Romani Pontifices, qui suis quisque temporibus per Legatos suos Tridentinæ Synodo præfuerunt. Scilicet non legitur in hac Synodo, Pontifices illos Legatis dedisse in mandatis, ut memoratam Leonis X. constitutionem rebus definiendis præjudicium aliquod facturam proponerent. Proposuissent enimverò, si credidissent, eam editam fuisse ab auctoritate, quæ deficere non posset. Cur aliàs tacuissent acuti & sagaces viri, quos nemo de neglectis Sedis Apostolicæ opportunitatibus accusavit? Cur tacendo confirmassent argumentum, quo nunc utimur? Res erat tunc apud eruditos & cordatos homines usque adeò nota, ut qui negasset, cornicum oculos configere creditus fuisset.

Fatetur Pius V. qui cùm esset Michaël Cardinalis Alexandrinus, Clementis Moniliani Cardinalis librum de Theologicis institutionibus, probando suum fecit, nec revocavit postea, quod in eo *Conciliorum celebratio valere dicitur, ad faciliorem & faciliorem elucidationem veritatis in dubiis.*

His autem Pontificibus alios duos adjicio, Gregori-
um XI. & Paulum IV. qui rem absolvunt: Gregorium 6
in testamento suo, quod ita se habet, & quod repeto, quia satis repeti non potest: *Item volumus, dicimus, & protestamur ex nostra certa scientia, quòd si in consistorio, aut in Concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis, vel privatis ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia magnatum, ad eorum forsitan complacentiam; seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate aliqua dixerimus* ERRONEA CONTRA CATHOLICAM FIDEM, *quam coram Deo & hominibus, ut tenemur, præ cæteris profitemur, colimus, & colere cupimus, seu forsitan* ADHÆRENDO OPINIONIBUS CONTRARIIS FIDEI CATHOLICÆ SCIENTER, *quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus* CONTRA CATHOLICAM RELIGIONEM *obloquentibus, illa expressè & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis:* In tomo VI. Spicilegii Lucæ Dacherii. Hæc est moribundi Pontificis ingenua & sincera, si usquam, professio, qua sibi non errandi privilegium abjudicat. Non revocaret, quæ contra fidem Catholicam sentire vel pronunciare potuit, si persuasus esset, se nihil contra fidem Catholicam aut sensisse aut pronunciasse, vel sentire, vel pronunciare potuisse, si persuasus esset ex scripturis sacris, non errandi privilegium sibi comparari posse. Didicerat Sedis Apostolicæ traditionem non esse, ut Romani Pontifices privilegio istiusmodi gaudeant, cùm extra Synodum fidei dogmata decernunt.

Paulus verò IV. in frequenti Pontificiæ consultationis consessu, quem anno M D.LVII. fieri voluit, ut tra-
ctaretur, Utrum ille posset solvere matrimonium, quod 7
per verba de præsenti inter Franciscum Mommorantium & Joannam Halluynam Piennæam contractum fuerat. Quæ ibi gesta sunt, Joannes Haya Parisiensis Theologus, qui rebus omnibus interfuit, memoriæ prodidit: *Le Pape commença & proposa l'Argument du fait, presque en cette maniere. Mes freres & enfans, je vous ay bien voulu assembler, pour entendre de vous une chose, laquelle n'est pas de moyenne importance, à sçavoir, Si le mariage contracté par paroles de present, peut estre deslié par nostre puissance. Et notez bien ce que je dis. Car il n'est point icy question ou de paroles de futur, ou de simple promesse. Nous demandons, si le mariage contracté par paroles de present, qui est vray mariage, & vray Sacrement, selon l'advis des plus saints Theologiens, s'il peut estre deslié & rompu par Nous; j'entends où la conjonction charnelle n'est point intervenuë. Puis adjousta cecy. Et ne vous amusez, je vous prie, aux faits & exemples de nos Predecesseurs, que je proteste ne vouloir ensuivre, si non dautantque l'authorité de l'Escriture & la raison des Theologiens vous induira à ce faire. Il dit encore ce qui s'ensuit.* JE NE FAIS DOUTE, QUE MES PREDECESSEURS ET MOY N'AYONS PU FAILLIR *quelquefois, non seulement en ce fait, mais en plusieurs autres, & toutefois nous ne sommes du tout à condamner. Car Dieu conduit tellement son Eglise, qu'il luy cache pour un temps plusieurs choses, lesquelles puis apres il revele. Ce que Jesus Christ luy mesme nous a assez insinué, comme quand il disoit à saint Pierre: Ce que je fais maintenant, tu ne l'entends pas, mais tu l'entendras puis apres.
Et en un autre lieu il disoit: J'ay beaucoup de choses à vous* 8
dire, lesquelles vous ne pouvez comprendre pour cette heure, mais l'Esprit qu'envoyera mon Pere en mon nom, vous enseignera tout. Qui sçait donc maintenant, si ce que Dieu a laissé inconnu le passé aux autres touchant l'indissolubilité du mariage, il le veut maintenant declarer par nous? Pourquoy tâchez, mes Freres & enfans, à ce que vous m'aidez en cette affaire, & sans vous arrester à ce qu'a fait un tel & un tel de mes Predecesseurs, comme

j'ay

J'ay desia dit, s'il n'est point vray, qu'ils n'ayent assez amendé ce que nous voulons maintenant rechercher touchant cette indissolubilité de mariage. Cecy acheué, il addressa sa parole à l'Archevesque de Cosance, autrefois Nonce en la Cour de l'Empereur, & luy commanda de deliberer; lequel fit tout effort à monstrer, que tel mariage ne se pouvoit aucunement deffaire; auquel le Pape fit plusieurs demonstrations d'avoir tres-agreable son opinion, &c.

Apres luy, parla l'Evesque Antoniellus, homme fort ancien & venerable, lequel fut d'aduis tout contraire à l'autre, & en peu de parolles donna & ferma cette conclusion, que le Pape pouvoit, ce dont estoit question. AUQUEL LE PAPE FIT TELLE RESPONSE, QU'IL NE LE REMERCIOIT JA DE TANT DE PUISSANCE QU'IL LUY VOULOIT DONNER EN CETTE PART. *Et pource que ledit Evesque s'estoit aidé de quelques lieux de Saint Thomas, le Pape adjousta de dire cecy, que saint Thomas avoit pû dire plusieurs choses estant jeune, lesquelles il avoit puis apres retractées, estant venu en meilleure connoissance, adjoustant cette authorité de saint Paul: Quand j'estois petit, je parlois comme un petit, mais quand ie suis devenu homme, j'ay delaissé ce qui estoit de l'enfant. Il*
9 *adjousta puis apres de dire cecy: Ce n'est pas sans cause, que je vous donne cét advertissement, mais afin que nul de ceux qui auront à deliberer, ne fassent fondement de telles authoritez dudit saint Thomas, lesquelles il auroit dites en jeunesse.* Quod Latinè dicitur:

Pontifex incepit, & argumentum rei proposuit in hunc fere modum: Fratres & filii mei, ego sanè vos congregare volui, ut ex vobis id cognoscam, quod exigui non est momenti ac ponderis: Num videlicet matrimonium per verba de præsenti contractum possit auctoritate nostra dissolvi? Et notate diligenter, quod ego dico. Hîc enim non agitur quæstio de verbis futuri temporis, aut de simplici promissione. Nos quærimus, num matrimonium per verba de præsenti contractum, quod est verum matrimonium & verum Sacramentum juxta sanctiorum Theologorum sententiam, auctoritate nostra dissolvi possit: Intelligo, cùm carnalis nulla intercessit conjunctio. Deinde addidit hoc: Ne quæso vos teneant Decessorum meorum facta & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus Scripturæ auctoritas & Theologorum rationes vos ad illud agendum inducent. Dixit adhuc quod sequitur: Non dubito, quin EGO ET DECESSORES MEI ERRARE ALIQUANDO POTUERIMUS, *non solùm in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus; & tamen condemnandi planè non sumus. Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi certum ad tempus abscondat multa, quæ tum inde patefacit. Quod Christus ipse satis innuit, cùm beato Petro dicebat: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea: Et in alio loco aiebat: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quis i-*
10 *gitur scit modò, num quæ reliquis circa indissolubile matrimonii vinculum antè fuerant incognita, per vos Deus apertam in lucem nunc prodi velit? Quamobrem, Fratres & Filii mei, studio omni incumbite in illud auxilium, quod à vobis hac in causa expecto, nec rationem habete ullam exempli, quod hic vel ille decessor meus posteris reliquerit, ut jam admonui; perspicite, an decessores nostri id satis intellexerint, quod de indissolubili vinculo matrimonii disquirimus. His confectis, ad Cusentinum Archiepiscopum Apostolicum, aliàs apud Imperatorem Nuncium, sermonem convertit, & ut deliberaret, præcepit. Cusentinus ingenii industriaque sua nervos omnes contendit, ut persuadeat, matrimonium, quo de agitur, dissolvi neutiquam posse. Pontifex sententiam hanc gratam sibi acceptámque esse indiciis pluribus ostendit,* &c.

Cusentinum opinando excepit Episcopus, nomine Antoniellus, vir admodum senex & veneratione dignus, qui contrariam in sententiam discessit; & paucis decidit, Pontificem matrimonium ejusmodi posse dissolvere: Cui Pontifex respondit, se pro attributa sibi potestate tanta gratias nullas agere. Sed quia Episcopus hic nonnullis beati Thomæ testimoniis usus fuerat, subjunxit Pontifex, B. Thomam potuisse, cùm esset junior, multa dicere, quæ factus cum ætate doctior revocaverat. Beatum insuper Paulum dicentem induxit, Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi ea, quæ erant parvuli. Deinde addidit: Ego non sine causa vos hac de re moneo, sed ut ex vis, qui deliberaturi sunt, nullus fundamentum in iis rebus, quas S. Thomas, cùm esset junior, docuerit, con- 11
stituat.

Hactenus, ex narratione illa, quæ refertur in Michaelis Castelnavi Malvisserii Tomo II. Commentariorum, & in libro VI. Additionum ad eos Commentarios, qui anno M.DCLIX. Lutetiæ prodierunt. Et primùm quidem, Paulus IV. in hoc celebri consessu ita se gerit, ut, considerata re, difficilè sit, Pontificem reperire sinceriorem. Deinde, non errandi privilegium sibi ac decessoribus suis abdicat, & illud tribuit Ecclesiæ, quam à Divino spiritu illustrari, docerique significat. Qua in re, quæ & qualis esset Sedis Apostolicæ traditio, apprimè nosse se testatur. In Synodi VI. actione XIII. & consequentibus, Honorium Papam hæreseos accusatum & damnatum esse legerat. Honorii damnationem in Synodo VII. & VIII. repetitam esse, non ignorabat.

Sed, quod animadversione summa dignum est, noverat corrupta non fuisse Synodi VI. acta: Quandoquidem neque Romæ, neque Constantinopoli, neque Alexandriæ, neque Antiochiæ, neque Hierosolymis, neque uspiam de actorum corruptione conquestus est ullus, vel Sedis Apostolicæ Legatorum, vel reliquorum antistitum; ubique conquesti fuissent omnes, qui secum acta detulerant. Noverat cum ingenti periculo dictum iri, Synodum VI. Honorium ex non intellectis Honorii ad Sergium Epistolis hæreseos condemnasse. Scilicet Monothelitæ pari modo & jure dixissent, editam contra se fidei definitionem, ex non intellectis Scripturæ & Patrum testimoniis, quæ allata sunt, editam fuisse. Vix dispar assignaretur ratio, quæ non semper retorqueretur. Et hoc est ingens pericu- 12
lum, quod sagaci mente prævidebat. Noverat Florentinam Synodum veterum Conciliorum Oecumenicorum acta tanti facere, ut ex iis sumendam esse à Rom. Pontifice regendæ Ecclesiæ normam definierit.

Tum, allegationibus ex beato Thoma fieri solitis præscribit modum, quem à Theologis Ecclesiasticisque tractatoribus observari jubet. Discriminis non parum statuit inter ea, quæ juvenis & maturæ ætatis vir docuit.

Præterea, iis qui adulando & factis & exemplis Romani Episcopi potestatem amplificant, succenset. Intelligebat vir prudens, factis atque exemplis utendum esse sobriè, eósque qui utuntur, non rarò legum & Canonum violationem pro lege & pro Canone & accipere & habere. Quo nihil est ad regendas Ecclesias periculosius & aliquando perniciosius. Exinde factum est olim, ut Imperator decreverit, *Exemplis non esse judicandum, sed legibus.* C. de sent. & interloc. om. jud.

Denique, illam Romani Episcopi potestatem Scripturis tantùm & solidis veræ Theologiæ rationibus definiendam esse proponit. Sciebat hinc in consultatione, quam instituerat, sic se gerendum esse, ut in Synodo; hinc decessorem suum Gelasium I. malè & benè gestam Synodum ita delineare in Epistola XIII. quam ad Episcopos Dardaniæ scribit: *Ubi etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sacras, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota Ecclesia meritò non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probavit, per bene gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm tradi-* 13
tionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas pro fide

Catholica

Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit, ut debuerit & potuerit immutari.

Hìc autem Pontifex Apostolica Sede dignissimus recordabatur eorum, quæ cùm esset Joannes Petrus Cardinalis Theatinus, in Concilio delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum notaverat & graviter confixerat. In eo supremi Pontificatus honor mores, contrà quàm fieri solet, haud mutaverat:

Rara avis in terris, nigróque simillima cygno.

Verumenimverò, pretium est operæ videre, quid instituto nostro consentaneum Paulus, tunc Joannes Petrus, & cæteri Cardinales & Prælati notaverint & confixerint. Graviter notarunt hæc, de quibus Paulum III. sic monuerunt: *Beatissime Pater, tantùm abest, ut verbis explicare possimus, quàm magnas gratias Respublica Christiana Deo Optimo Maximo agere debeat, quòd te Pontificem hisce temporibus ac pastorem gregi suo præfecerit, eámque quam habes mentem dederit, ut minimè speremus cogitatione eas, quas Deo gratias debet, consequi posse. Nam Spiritus ille Dei, quo virtus cælorum firmata est, ut ait Propheta, labantem, immo ferè collapsam in præceps Ecclesiam Christi per te restaurare, & huic ruinæ manum, ut videmus, supponere decrevit, eámque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere, certissimam divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut*
14 *nullius aut commodi tui, aut cujuspiam alterius, habita ratione, tibi significaremus abusus illos gravissimos, quibus jampridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim* HÆC ROMANA CURIA: *Quibus effectum propè est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas tua Spiritu Dei erudita, qui (ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu) probè noverat, principium horum malorum inde fuisse, quòd nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus,* COACERVAVERUNT SIBI MAGISTROS AD DESIDERIA SUA, NON UT AB EIS DISCERENT, QUID FACERE DEBERENT, SED UT EORUM STUDIO ET CALLIDITATE INVENIRETUR RATIO, QUA LICERET ID, QUOD LIBERET: *Inde effectum est, præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veritatis ad aures principum, quod confestim* PRODIRENT DOCTORES, QUI DOCERENT PONTIFICEM ESSE DOMINUM BENEFICIORUM OMNIUM, AC IDEO CUM DOMINUS VENDAT ID, QUOD SUUM EST, NECESSARIO SEQUI IN PONTIFICEM NON POSSE CADERE SIMONIAM. *Ita quòd voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: Ex quo procul dubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque (Credat sanctitas vestra scientibus,) qui ob*
15 *hanc præcipuè causam Christianam religionem derident, adeò ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes.*

Concilio huic quod Paulo III. jubente celebratum est, subscribunt Gaspar Cardinalis Contarenus, Joannes Petrus Cardinalis Theatinus (qui fuit postea Paulus Papa IV.) Jacobus Cardinalis Sadoletus, Reginaldus Cardinalis Anglicus, Fredericus Archiepiscopus Salernitanus, Hieronymus Archiepiscopus Brundusinus, Joannes Matthæus Episcopus Veronensis, Gregorius Abbas sancti Georgii Venet. Frater Thomas Magister sacri Palatii.

Atqui statim atque Concilium hoc à tot viris præstantibus habitum est, & Paulo III. exhibitum, acciderunt tria: Primùm, quòd Petrus Crabbus illud Conciliorum editioni suæ secundæ intulit: Deinde, quòd Martinus Lutherus omnia quæ hoc in Concilio facta sunt, absque discrimine refutavit, & Joannes Sturmius homo Semilutheranus Concilium in quibusdam probavit, in aliis reprobavit. Denique, quòd Joannes Cochlæus vir in paucis Doctoribus Catholicis apud Germanos nominatissimus Concilium defendit singulari opere, quod inscribitur: *Discussio æquitatis super Concilium delectorum Cardinalium,* &c. *ad tollendam per generale Concilium inter Germanos in religione discordiam anno* 1539. *Parisiis ad Joannem Sturmium. Tu,* inquit, *eos* (delectos Cardinales & alios Prælatos) *in quibusdam laudas ac probas, Lutherus absque discrimine refutat, & si tum manifestè bona, quæ illi dicunt, ut à nemine nisi ab impiis & insanis, sensúque communi carentibus reprehendi nequeant, ipse per calumniam in contrarium re-* 16
torques sensum, tanquam fictè ac dolosè aut per ironiam, mentisque perversitatem ab eis dicta sint. Et quamvis hoc ita sit, & Paulus IV. habeat respectum ad relata verba Concilii, cujus pars fuit & maxima & nobilissima, cùm Joannes Petrus Cardinalis Theatinus erat, nihilominus tamen hodierni Inquisitores Curiæ pene omnes ἀναλοδέκτοι maluerunt ab oppugnatorum Concilii hujusce, quàm à Pauli IV. partibus stare. Nam verba hæc ipsamet Northerti Caillocii mendaciis atque erroribus à me objecta, deinde exposita Sedis Apostolicæ circa diligentem Canonum custodiam traditio, tum suscepta regni & regiæ dignitatis adversus eundem Caillocium defensio, fuerunt in causa, cur nuper Opusculum meum, in librorum prohibitorum indicem absque ullo discrimine relegaverint: Quod illos, qui damnatorum ab hoc Concilio Romanæ Curiæ Magistrorum hæredes sunt veri, facturos esse satis prævideram. Ingenium enim hominum novi. Nam exposita per Romanos ipsos pontifices Sedis Apostolicæ traditione subjunxi: *Hæc omnia in Curia spectant ad indicem librorum prohibendorum,* id est, non legendorum, *sed in Romana & Gallicana Ecclesia ad indicem librorum legendorum.* Prætermittendum verò non est, Inquisitores ex titulo nostri Opusculi, quod inscribitur, *Censura Responsionis, qua frat. Northertus Caillocius sese mendaciis atque erroribus novis irretivit,* resecuisse id totum, quod verba prima duo, *Censura Responsionis,* sequitur, ita ut quò spectet Censura Responsionis, non intelligatur. O sinceros & veritatis amantissimos homines? Veriti sunt opinor; ne hinc de integri- 17
tate tituli res mea secundùm me à Lectoribus Iudicis præjudicaretur, inde illi viderentur facere, quod reipsa faciunt. Scilicet tuentur exitiosam Regibus & sæculi Magistratibus Caillocii doctrinam, mendacia & errores, quos illustri Sedis Apostolicæ traditione, Florentinæ Synodi definitione, delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum Concilio profligavi. Hoc autem inquisitores, qui ad pauca respiciunt, cùm exequantur, pernicioso exemplo rejiciendarum Ecclesiæ traditionum viam aperiunt, quam nobiscum omni conatu deberent intercludere, Florentinæ fidei definitionem obliquè petunt, & in abjiciendo delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum Concilio, quod Paulus III. fieri, jussit, & comprobavit Paulus IV. Luthero & Sturmio consentiunt. Heu! novis, privatis & factiosis opinionibus student, & publicas Romanæ Ecclesiæ utilitates, quas pro virili parte defendo, negligunt & aspernantur.

Nunc jam occurrunt futilium argutiarum opifices, qui magnum quid pronuntiasse se putant, cùm verba hæc tria, *Pontifex ex Cathedra,* pronunciant, & in vulgus imperitorum spargunt: Sed interim sibi cavent penitus, ne quid sibi velint, interpretentur; & imperiti ne videantur tales, interpretationem nullam quærunt: Deinde hi velut ex Pythio, aut Dodonæo, aut Ammonis oraculo, quod non intelligunt, loquuntur, & nulli non cordato & perito homini obloquuntur: Quod somniant verbis illis affingunt, & postea ut valentes Dialectici pro certo sibi sumunt, quod in quæ-

stione

stione versatur. Sed ne moremur amplius, quid tan-
18 dem sonat *Pontifex ex Cathedra?* Pontificem docentem sonat & præterea nihil. Ubinam quæso oraculum? Ubinam mysterium? Cùm voces illæ tres apertè & simpliciter explicantur, pretiosi vel accersiti nihil objiciunt.

Sixtus V. in bulla, quæ curatæ à se Bibliorum editioni præfigitur, è Cathedra docet quæ sequuntur: *Illud sanè omnibus certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores ac vigilias eò nunquam spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentina Synodi præscripto emendatissima, pristinaque suæ puritati, qualis primùm ab ipsius interpretis manu stiloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur.* Atque hæc fuerunt in causa, cur Bibliorum editio cum bulla suppressa fuerit, & Sixtus erraverit.

Hadrianus VI. & ipse Romanus Pontifex de Pontifice docente, seu de Pontifice è Cathedra pronunciante scribit in quartum sent. *Certum est, quòd Romana Ecclesia Pontifex possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Et quibusdam interpositis: *Evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.*

Christophorus Marcellus in sacrarum Romanæ Ecclesiæ ceremoniarum libris, quos ad Leonem X. edidit, de Romano Pontifice docente sermonem facit in lib. 1. *Pontifex,* inquit, *antequam pronunciet* (in Sanctorum canonizatione) *consuevit protestare in hanc formam: Quod invenimus servatum à multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clarissimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam causa, quæ nunc cessat, quia Papa*
19 *tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra suam opinionem, & propterea protestabatur: Nunc autem non videri congruam illam protestationem. Sed de hoc statuat summus Pontifex, & sacer Senatus.*

FORMA PROTESTATIONIS.

Antequam ad pronunciationem veniamus, protestamur publicè apud vos præsentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem, aut Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei. Sic Pontifex cum formidine erroris docet & pronunciat è Cathedra, in quam priùs ascenderat.

Joannes XXII. Beatorum animas Deum non esse visuras ante ultimum diem judicii concionabatur, & docebat, & ab aliis doceri volebat contra Romanæ Ecclesiæ traditionem, quæ in confessione fidei à Clemente IV. oblata Palæologo Græcorum Imperatori continebatur.

Tum Vigilius in celebri constituto suo ne tria Capitula damnarentur prohibuit. Id è Cathedra docebat, quod Synodus V. damnavit, & damnatum Pelagius II. & Gregorius I. in se receperunt, amandato procul Vigilii constituto, etiamsi è Cathedra editum fuisset. Hîc capti sunt adulatricis Curiæ fautores, qui alios per verba tria hæc, *Pontifex è Cathedra,* capere atque errori exponere volunt, & fraudulenter ac manifesta principii petitione assumunt, quod scriptura & traditione probandum est, nec, ut allatis exemplis liquet, probari potest.

Ad hæc in verbis quidem mutatum, sed in doctrina nihil mutatum ab iis, qui dicunt, Romanum Pontificem quatenus Pontifex est, errare non posse. Id profectò 20
dicunt, at minus attentè & minùs circumspectè; quia hoc dici quoque potest de Ostiensi Pontifice, quatenus Pontifex est, de Petro Christiano, quatenus Christianus est. Nempe Pontificium munus prout tale, Ostiensem Pontificem, Christiana religio prout talis, Petrum Christianum, nec in errorem inducit nec inducere potest. Id necessariò important particulæ omnes, quæ Dialecticis Reduplicativæ (mollienda sunt usu verba auctore Tullio) dicuntur. Quæ res cùm ita se habeat, aliunde, quàm ex reduplicativis particulis confirmandum esset, Romanum Pontificem non errandi privilegio gaudere, cùm aliquod dogma Ecclesiasticum definit. Verùm arguti & in nimiam assentationem eruditi homines sibi temperare nequeunt ab illa fallacia, quæ tunc admittitur, cùm obscurioribus verbis & per ambages idem per seipsum probatur. His necessariò interpositis:

Vide jam ac circumspice, quales in angustias Inquisitores Catholicos controversiarum fidei Magistros conjiciant, & quibus eos armis exuant. Interim curanda nobis sunt duo: Primùm, Inquisitoribus, ut murus firmissimus, opponendus est Romanus Pontifex Pius II. cùm ad Carolum VII. Galliæ Regem ita scribit in Epistola CCCLXXIV. *Unum à te petimus, charissime fili, ut Doctoribus Sedis Apostolicæ non semper credas: Multa illorum passionibus tribuas.* Passionum istarum numero adscribendus est contemptus derivatarum ab initio Sedis Apostolicæ traditionum, quæ ad veras ejusdem Sedis opportunitates, dignitatem, eminentissimam simplicitatem, munus & officium pertinent. Deinde orandus est Deus Optimus Maximus, ut Docto- 21
rum illorum mentem ad perdiscendas nobiscum & retinendas Sedis Apostolicæ traditiones, quas breviter, sed idoneè indicavimus, & ad colendam Gregorii XI. & Pauli IV. ingenuam & cedro dignam confessionem, quam propriis illorum verbis scriptam retulimus, inclinet. Nos verò, velint nolint religiosæ veritatis inimici, colamus perpetuò. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Idibus Martii ann. M. DC. LXV.

Joannes Launoius
MICHAELI MAROLLIO
Abbati Villalupensi.

LAUDAS tu, & ego quoque laudo Bellarminum, quòd in libri II. de Romano Pontifice capite XXXI. varia disquisierit dignitatis nomina, quæ à Conciliis & Patribus Romano Pontifici subinde tributa sunt. Sed miraris, & miror etiam accidisse, ut vir eruditione magna æquè ac sincera præditus dignitatis titulum unum prætermiserit, quo nullus est apud ipsos Romanos Pontifices usitatior, nullus apud Concilia & tractatores Ecclesiæ familiarior. Porro autem titulus hic & tibi & mihi est, *Vicarius beati Petri,* vel *Apostolorum,* qui scilicet Romanam fundarunt & suo sanguine consecrarunt Ecclesiam. Sed ne videamur gratis & sine ratione mirari, operæ pretium est, obvia Romanorum Pontificum, Conciliorum, & tractatorum Ecclesiæ recentiore testimonia, quæ ne miremur amplius, efficient.

Molestus

Molestus essem, si recenserem omnia: Recensebo pauca de multis, quæ ad diversas ætates cùm pertineant, omnino sufficient. E Romanorum Pontificum numero primus occurrit

Leo qui ann. CCCCXL. sedere cœpit, in serm. II. de anniversario die Assumptionis suæ ad *Episcopale officium*, ut in sermone I. loquitur: *Cùm ergo cohortationes nostras auribus vestræ sanctitatis adhibemus, ipsum* (Petrum) *vobis*, CUJUS VICE FUNGIMUR, *loqui credite.* At Petri vice fungi aliud nihil præ se fert, quàm
2 Petri Vicarium esse. Et quamvis Leo nobis occurrat primus, qui se Petri vice fungi, id est, Petri Vicarium esse dixerit, omnino credendum est, Leonem ex Romanis Episcopis vel non esse primum, qui dignitatis titulum hunc sibi scripto vindicaverit, vel si primus est, antiqua Sedis suæ traditione sibi vindicasse.

Secundus Felix III. qui circa annum CCCCLXXXIII. Sedem Apostolicam regere cœpit: Sic igitur scribit in Epistola IV. ad Zenonem Imperatorem in Appendice Theodosiani Codicis: *Hæc ergo, reverendissime Princeps*, BEATI PETRI QUALISCUNQUE VICARIUS, *non auctoritate velut Apostolicæ potestatis extorqueo, sed tanquam sollicitus pater salutem prosperitatémque clementissimi filii manere cupiens diuturnam, fidenter imploro.* Et post alia: *Neque, venerande fili, respuas supplicantem, neve meam velis dissimulare personam.* IN ME ENIM QUALICUNQUE VICARIO, *Beatus Petrus Apostolus, & hoc in illo, qui Ecclesiam suam discerpi non patitur, ipse etiam Christus exposcit.* Quibus verbis Felix semel se, atque iterum beati Petri Vicarium appellat, nec opinor appellaret, nisi hoc Sedis Apostolicæ postulasset traditio. Sed ut dignam Sede hac modestiam exhiberet, qualemcunque se Vicarium appellat.

Tertius Gelasius I. qui anno CCCCXCII. Romanus creatus est Episcopus, in Epistola IV. seu in Commonitorio ad Faustum: *Quæro tamen ab his judicium, quod prætendunt, ubinam possit agitari, an apud ipsos, ut iidem sint inimici & testes & judices? Sed tali judicio nec humana committi debent negotia, nedum Divinæ legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, nonnisi Apostolicæ*
3 *Sedi, juxta Canones debetur summa judicii totius: si quantum ad sæculi potestatem, illa à Pontificibus, & præcipuè à* BEATI PETRI VICARIO DEBET *cognoscere, quæ Divina sunt, non ipsa eadem judicare.*

Quartus Symmachus, qui anno CCCCXCVIII. Romanam capessivit Ecclesiam, in Epistola ad Eonium Arelatensem Episcopum: *Huc accedit, quod ne sit sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus potestas omnis infringitur, nisi universa, quæ à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint: quod aliàs contingere non poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim* VICARIIS BEATISSIMI PETRI APOSTOLI *judicabitur esse reverentia, si quæ in Sacerdotibus præcipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur?*

Deinde in Epistola ad Anastasium Imperatorem: *Qui Petrum Alexandrinum recipis, beatum Petrum Apostolum in* SUO QUALICUNQUE VICARIO *calcare contendis?* Et post alia: *Ubi te rerum humanarum principeps*, QUALISCUNQUE SEDIS APOSTOLICÆ VICARIUS *contestari in ea voce non desino:* In priori Epistola beati Petri Vicarios nominat Romanos Pontifices, in posteriori se qualemcunque Sedis Apostolicæ Vicarium. At Romanus Pontifex sive beati Petri, sive Sedis Apostolicæ Vicarius dicatur, idem ut apparet, reapse dicitur.

Quintus Vigilius, qui anno DXL. Romanæ Ecclesiæ gubernacula suscepit, in Encyclica ad universam Ecclesiam de certa quadam Imperatoris Charta: *Tan-*
4 *tis à veritate sepositis rebus atque injuriis probatur esse plenissima, ut hanc Imperialis oris nunquam credatur mansuetudo dictasse*, MAXIME CONTRA ILLIUS PRIMI APOSTOLORUM VICARIUM; *cujus olim reverentia se frequentibus scriptis professus est debitorem.*

Sextus Gregorius I. qui anno DXC. Romanus creatus est Episcopus, in Romano Concilio, quod insequenti anno celebratum est, ita loquitur: *Interdicimus in nomine Domini nostri Jesu Christi, & ex auctoritate beati Petri Apostolorum principis*, CUJUS VICE HUIC ROMANÆ ECCLESIÆ PRÆSIDEMUS. At vice beati Petri Romanæ præsidere Ecclesiæ, idem sibi vult, quod beati Petri Vicarium esse. Hunc autem honoris titulum Romana Synodus hæc assensu suo comprobavit. Id à simili confirmatur ex libri II. indict. X. Epistola 17. ad Maximianum Syracusanum Episcopum: *Proinde*, inquit, *super cunctas Siciliæ Ecclesias reverendissimum te virum Maximianum, fratrem & coepiscopum nostrum* VICES SEDIS APOSTOLICÆ *ministrare decernimus.* Qui vices Sedis Apostolicæ ministrat, Sedis Apostolicæ minister & Vicarius est.

Septimus Stephanus III. qui anno DCCLXVIII. Romanæ Sedis clavum tenere cœpit, in Epistola II. ad Carolum & Carolomannum Reges: *Quæ* (promissio) *à vestro progenitore sanctæ recordationis Domno Pippino eidem Principi Apostolorum &* EJUS VICARIIS *facta est.* Et post alia: *Omnia, quæ beato Petro &* EJUS VICARIIS *cum vestro sanctæ memoriæ progenitore promisistis, adimplere dignemini.*

Deinde in Epistola III. ad eosdem Reges: *Recordamini & considerate quia oleo sancto uncti per* MANUS VI- 5
CARII BEATI PETRI *cælesti benedictione estis sanctificati.* Et post alia: *Nam & illud excellentiam vestram oportet meminisse, ita* VOS BEATO PETRO ET PRÆFATO EJUS VICARIO, *vel ejus successoribus spopondisse.* Et post alia: *Et quam ob causam nunc contra Apostolica mandata & voluntatem* VICARII APOSTOLORUM PRINCIPIS *agere conamini, quod nunquam Pater vester perpetravit?* Infrà: *Recordamini peto, quomodo vos fide discere visus est præfatus vester Dominus ac genitor promittens in vestris animabus Deo &* BEATO PETRO, ATQUE EJUS VICARIO ANTEFATO DOMNO STEPHANO PAPÆ *firmiter debere vos permanere erga sanctæ Ecclesiæ fidelitatem:* Sic beati Petri Vicarius est Romanus præsul.

Octavus Hadrianus I. qui anno DCCLXXII. ad Romanam Ecclesiam accessit, in Epistola VII. ad Carolum Magnum: *Pippinus eos* (homines) BEATO PETRO EJUSQUE VICARIO *concessit.*

Deinde in Epistola ad Constantinum & Irenem; quæ actione II. Synodi VII. lecta & comprobata est: *Certum est*, inquit, *quòd si universalis est* (Sedes Constantinopolitana) *etiam Ecclesiæ nostræ Sedis primatum habere dignoscitur, quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet, quia in toto terrarum orbe ab ipso Redemptore mundi beato Petro Apostolo principatus & potestas data est, & per eundem Apostolum*, CUJUS VEL IMMERITI VICES GERIMUS, *sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia hactenus, & in ævum tenet principatum.* At vices beati Petri gerere, & beati Petri Vicarium esse significatu pari gaudent. Quidquid id est, loquendi modus hic Synodi VII. non displicuit, & si non displicuit, cur tibi & mihi displiceret?

Nonus Nicolaus I. qui anno DCCCLVIII. culmen A- 6
postolicum conscendit, in Epistola VIII. ad Michaëlem Imperatorem: NEC IN VICARIIS BEATI PETRI APOSTOLI *vobis attendendum est, qui sint, sed quid pro correctione Ecclesiarum, quid pro salute vestra satagant.* Vicarios beati Petri ex traditione vocat Romanos Pontifices, perinde ac si tales semper ita vocati fuissent.

Decimus Hadrianus II. qui anno DCCCLXVIII. Romanam adeptus est Ecclesiam, in Epistola XIV. ad proceres regni Lotharii: *Quamobrem fulti charissimi Apostolicæ Sedis magisterio plurimum debentes nos qui per supernam gratiam* APOSTOLORUM PRINCIPIS FUNGIMUR VICE, *omniúmque Ecclesiarum curam & sollicitudinem nobis à Domino præ cæteris delegatam habentes.* At prin-

cipis

cipis Apostolorum vice fungi, quid aliud est, quàm beati Petri Vicarium esse? Hoc ita significat Hadrianus ipse in Epistola XXIX. ad Carolum Calvum: *Nos verò licèt indigni, tamen sumus* ILLIUS VICARII, CUI COMMISIT DEUS ECCLESIAM SUAM.

Undecimus Joannes VIII. qui anno DCCCLXXII. Hadriani II. successor factus est, in Epistola LXXIII. ad Lambertum Comitem: *Sedem Apostolicam non solùm Reges & Principes terræ, verumetiam Imperatores Augusti & totius orbis Domini suis apicibus, utpote caput omnium Ecclesiarum Dei honoraverunt, dignisque præconiis ejus Pontifices,* VICARIOS SCILICET BEATI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS, *laudaverunt.*

Deinde in Epistola LXXXIII. ad Berengarium Comitem: *Venis Romam & quasi inimicus portam civitatis* 7 *Romæ violenter capiens satellites suos per dies plurimos retinere fecit, & sic tantam civitatem invasam retinuit: Ita sanè ut nobis apud beatum Petrum consistentibus nullam urbis Romæ potestatem à Piis Imperatoribus* BEATO PETRO PRINCIPI APOSTOLORUM, EJUSQUE VICARIIS TRADITAM HABEREMUS.

Tum demum in Epistola CXCII. ad Tuentarum de Marauna: *Scire vos volumus, quia nos per Dei gratiam* BEATI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS VICEM TENEMUS, *pro amore vos quasi charissimos filios amplectimur.* Beati Petri vicem tenere, & beati Petri Vicarium esse, sunt eadem.

Duodecimus Joannes XIII. qui anno DCCCCLXVI. Romanam Ecclesiam administrandam suscepit, in Epistola ad Episcopos citerioris Britanniæ: QUIA VICE BEATI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS *curam Ecclesiarum omnium suscepimus, sollicitudinem, qua uniuscujusque fides integra in eodem Domino reservetur, sine qua et nullus placere valebit, ubique severè observare debemus.* At vice beati Petri curam Ecclesiarum omnium suscipere idem est atque beati Petri Vicarium agere.

Decimus tertius Leo IX. in Epistola VII. ad Constantinum Monomachum: *Porro ego ipse* QUALISCUNQUE APOSTOLICÆ VICARIUS SEDIS, *pro modulo humilitatis meæ & possibilitatis supplere laborans vicem mihi commissæ dispensationis secundum Deiloquum Paulum: Væ mihi est, si non evangelizavero.*

Decimus quartus Nicolaus II. qui anno M. LIX. culmen Apostolicum ascendit, in Epistola ad Edvardum Angliæ Regem: *Præterea in loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ constituendum & meliorandum suscepistis,* 8 *quoniam ut fertur, primò antiquitus consecrationem à beato Petro accepit,* CUJUS LICET INDIGNI VICARII SUMUS.

Decimus quintus Gregorius VII. in libri I. Epistola XXXIV. ad Remedium Linconensem Episcopum: *Absolutionem præterea peccatorum tuorum sicut rogâsti, auctoritate Principum Apostolorum Petri & Pauli fulti,* QUORUM VICE, *quamvis indigni,* FUNGIMUR, *tibi mittere duximus.*

Deinde in libri III. Epistola X. ad Henricum Regem: *In cujus* (Petri) *Sede & Apostolica administratione dum nos qualescunque peccatores & indigni, divina dispositione* VICEM SUÆ POTESTATIS GERIMUS.

Tum in libri VIII. Epistola XIV. ad omnes Episcopos, Abbates, & Milites in Parochia Remensi commorantes: *Vos itaque, quos ab illorum perfidia remotos & alienos existimamus, oportere nunc credimus, ut qualem habeatis animum circa nos, imò beatum Petrum,* CUJUS VICE LICET INDIGNI FUNGIMUR, *demonstretis.*

Decimus sextus Paschalis II. qui anno M. XCVIII. in Romanum Pontificem evasit, in Epistola I. ad exercitum in Palæstina militantem: *Plurima verò significare per chartam & atramentum supersedemus, quoniam ex Apostolicæ Sedis gremio carissimum fratrem Mauricium Portuensem Episcopum destinamus, ut* PER BEATI PETRI VICARIUM *sanctæ in Christo memoriæ prædecessorem nostrum Urbanum tanti peregrinationem itineris assumpsistis, beati Petri solatiis abundetis.*

Decimus septimus Alexander III. qui anno M. CLX. Romanam Ecclesiam gubernare aggressus est, in Epistola XXII. ad Upsellensem Archiepiscopum ad calcem epistolarum Petri Cellensis: VICE BEATI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS *largiente Deo & Domino nostro super gentes & regna licèt immeriti in Apostolicæ Sedis specula constituti, Pontificalis officii debito pro universis compellimur sollicitudinem gerere.* Ecce tibi Alexander vice beati Petri in Apostolicæ Sedis specula constitutus! Atque hoc ipsum est idem, ac beati Petri Vicarius.

His adde monumenta tria, unum, indiculum professionis fidei, quam olim electi & consecrandi Pontifices Romani edebant, alterum Pontificale Romanum manuscriptum, tertium editum: Ubi continentur certa quædam rerum capita, de quibus consecrandi præsules olim hodiéque interrogantur. Res autem sic se habet in indiculo professionis fidei: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, &c. Indict. ill. die ill. misericordia Dei Presbyter electus, futurúsque, per Dei gratiam, humilis Apostolicæ Sedis antistes, tibi profiteor, beate Petre Apostolorum Princeps.* 9 Ex quibusdam interpositis: *Si qua verò emerserint contra disciplinam canonicam, emendare, sacrósque Canones & constituta Pontificum nostrorum, ut divina & cælestia mandata custodire, utpote tibi me redditurum sciens de omnibus quæ profiteor, districtam in judicio divino rationem,* CUJUS LOCUM DIVINA DIGNATIONE PERAGO, ET VICEM INTERCESSIONIBUS TUIS ADJUTUS IMPLEO, *si præter hæc aliquid agere præsumpsero, vel ut præsumatur, permisero.* Hic beati Petri vicem implere est beati Petri Vicarium agere. Cùm ergo consecrandus olim quilibet Romanus Pontifex fidei professionem hanc emittebat, vide ac circumspice, quot numero Pontifices sese beati Petri vicem implere & beati Petri Vicarios agere professi fuerint? Hæc fidei professio, qualis in Romanæ Ecclesiæ Diurno extat, post Synodum VI. anno DCLXXX. habitam fieri cœpta est, & fiebat adhuc Juonis Carnotensis Episcopi tempore, qui ad annum MC. claruit. Id significat in epistola IX. quam Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo & Sedis Apostolicæ Legato scribit.

In Pontificali Romano manuscripto Romanus Pontifex consecratorem agit, & consecrandum præsulem sic interrogat: *Vis beato Petro, cui à Deo data est potestas ligandi atque solvendi,* MIHIQUE EJUS VICARIO *successoribúsque meis fidem & subjectionem per omnia exhibere? Resp. Volo.* Formulæ usus hic erat, cùm Pontifex Romanæ provinciæ, quæ per regiones suburbicarias longè latéque patet, antistites consecrabat, & Metropolitani munere defungebatur. Cæterùm Pontificalis liber istiusmodi meus est, isque trecentis abhinc annis exaratus. 10

Ad Pontificale Romanum editum quod attinet, caput, de quo consecrandus antistes interrogatur, est ejusmodi: *Vis beato Petro Apostolo, cui à Deo data est potestas ligandi ac solvendi,* EJUSQUE VICARIO *Domino nostro Papæ N. suisque successoribus Romanis Pontificibus, fidem, subjectionem, & obedientiam secundùm Canonicam auctoritatem per omnia exhibere? R. Volo.* Ecce tibi hodiéque Papa beati Petri Vicarius! Porro autem fides & subjectio, quæ in Pontificali manuscripto infinitè promittebatur, in Pontificali edito certa redditur, & Canonica auctoritate circumscribitur. Quo fit, ut cùm fides & subjectio secundùm Canonicam auctoritatem exigitur, mandatum & imperium juxta auctoritatem eandem fieri debeat.

Hæc est igitur perspicua Sedis Apostolicæ traditio, qua dignitatis titulus hic, beati Petri Vicarius, per integros & incorruptos testes Romanos Pontifices septemdecim, & antiquæ hodiernæque veritatis monumenta tria certissima, ab initio ad nostrum usque tempus derivatus est.

Nunc de consultationibus Episcoporum & Conciliis delibandum est nonnihil.

I. Ascanius & universi Episcopi Tarraconensis provinciæ in epistola ad Hilarum Papam ex recepta traditione sic loquuntur: *Etiamsi nulla extaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium Sedis vestræ, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio universorum illuminationi pro-
11 spexit; CUJUS VICARII PRINCIPATUS sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus.* De Hilaro Petri Vicario & de Vicariorum Petri principatu sermonem instituit.

II. Romana Synodus, quæ Mysenum absolvit, hunc audivit & approbavit dicentem, Gelasium qui Synodo præfuit, beati Petri Vicarium esse: *Quorum*, ait, *pravitatem nunquam voluntatem receperim, quia me calamitatis impulsu minùs cautus videor incidisse sub conspectu Dei & beati Petri,* EJUSQUE VICARII, *ac totius Ecclesiæ, mea sicut dixi professione vocéque condemno.*

III. Romana Synodus, cui Gregorius Magnus præfuit, ratum habuit Pontificis hujus decretum, in quo ille dicit se VICE BEATI PETRI *Romanæ Ecclesiæ præsidere.* Decretum suprà relatum est.

IV. Synodus septima in actione II. comprobavit Hadriani I. epistolam, in qua hic Pontifex *Beati Petri vices gerere* se scribit. Hadriani verba suo loco relata sunt.

V. Turonensis Synodus, quæ circa annum DCCCXLIX. celebrata est, in epistola ad Ducem Nomenoium: *Omnem læsisti Christianitatem,* DUM VICARIUM BEATI PETRI *Apostolicum, cui Deus dedit primatum in omni orbe terrarum, sprevisti.*

VI. Pontigonensis Synodus, quæ anno DCCCLXXVII. habita est, *Jam*, inquit, *quia divina pietas vos beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli interventione* PER VICARIUM IPSORUM DOMNUM SCILICET JOANNEM SUMMUM PONTIFICEM *ad Imperiale culmen provexit.* Sic judicio Synodi hujus Joannes VIII. Apostolorum Petri & Pauli Vicarius est.

12 VII. Remense Concilium, cui Leo IX. præfuit: *Beato quoque Petro,* EJUSQUE VICARIO, *Romanæ scilicet Ecclesiæ Pontifici, cujus Abbatia illa erat, debitum censum quotannis solvere detractaverat.* Et quibusdam interpositis: *Qui* (Lingonensis Episcopus) *requisitus & à Synodica examinatione se subduxisse repertus, ex parte Dei & beati Petri Apostolorum Principis,* EJUSQUE VICARII, QUI PRÆSENS *aderat, ab eodem Diacono tertiò est vocatus.*

VIII. Concilium apud sanctam Macram anno DCCCLXXXI. celebratum, quod est Hincmari Remensis Opusculum, vel epistola XII. ad Ludovicum III. Regem Balbi filium: *Hæc de cælo Christus & sancti ejus Apostoli atque Sancti ipsius cum eo jam in cælo regnantes intonant, & nos licèt peccatores in terra Episcopi &* CHRISTI VICARII *atque Apostolorum successores in terra ejus virtute & ministerio divino prosequimur.*

IX. Constantiensis Synodus generalis, quæ anno M.CCCCXV. convenit, damnavit Joannis Wiclefi articulum hunc: *Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est immediatus & proximus* VICARIUS CHRISTI ET APOSTOLORUM, Petri scilicet & Pauli, ut quidam laudati suprà Pontifices intelligunt: Articuli hujus damnationem confirmavit Martinus V. & confirmando judicat Romanum Pontificem ut Christi, sic & Apostolorum Petri & Pauli Vicarium immediatum esse ac proximum.

Nunc veniendum est ad Ecclesiasticos tractatores, qui Leonem I. subsequuntur & imitantur. Est quidem tractator unus Leone multò vetustior, Cyprianus nempe Carthaginiensis Episcopus, qui Stephanum primum
13 Cornelii & Lucii Vicarium & successorem appellat. Sed quoniam Epistola, in qua Cyprianum dicere hoc legimus, videtur mihi supposita, auctoritatem ex illa depromere non audeo. Depromam tamen, quod fortè non omnes persuasi sint rationum momentis, quibus epistolæ suppositionem in Responsionis ad dissertationem de duobus Dionysiis discussione cap. V. probare conatus sum.

I. Cyprianus ergo in istorum, qui à me discrepant, opinione, sic loquitur in epistola LXVII. ad Stephanum: *Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor gloriosus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis tu, frater charissime, honorificare & servare gravitate & auctoritate debes,* QUI VICARIUS ET SUCCESSOR EORUM FACTUS ES: Quæ propositio non esset vera, nisi Romanus Pontifex beati Petri Vicarius & successor foret.

II. Ennodius Ticinensis Diaconus in Apologetico pro Symmacho Papa & Romana Synodo IV. *Peccatori dicit Deus, quare tu enarras justitias meas? Hunc dicto conferentes, quasi ad sacerdotis apostrophen, qui* BEATI PETRI VICARIUS ÆSTIMATUR, *prohibetur archiatrum ejus corpori medelam afferre.*

III. Bonifacius Moguntinus Episcopus in indiculo sacramenti, quo Romæ cùm ordinaretur, sese obligavit anno DCCXXII. *Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus tibi beato Petro Apostolorum Principi,* VICARIOQUE TUO BEATO GREGORIO PAPÆ ET SUCCESSORIBUS EJUS *per Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem fidei Catholicæ exhibiturum.*

IV. Albinus Alcuinus qui Carolo Magno Rege floruit in epistola ad Leonem Papam: *Ecce tu sanctissime Pater, Pontifex à Deo electus,* VICARIUS APOSTOLORUM, *Hæres Patrum, princeps Ecclesiæ, unius immaculatæ columbæ nutritor,* &c.

V. Ludovicus Pius, qui anno DCCCXIV. adeptus est 14
Imperium, in decreto, quod sic incipit: *Ego Ludovicus Imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro Apostolorum Principi, &* PER TE VICARIO TUO DOMNO PASCHALI *summo Pontifici.*

VI. Maginfredus in vitæ sancti Emeramni capite XI. *Ad limina sanctorum Apostolorum Romam ire decrevit, ubi Petrus Cathedram habuit, quem in Ecclesia sua censorem veritas ipsa disposuit.* HUJUS VICARIUS *sicut ab eodem loco & ordine trahit honorem, sic & ab eodem tenet auctoritatem.*

VII. Indiculus sacramenti, quo sub anno DCCCXL. ordinandi Archiepiscopi se obstringebant: *Ego hujus Sedis ordinandus Archiepiscopus, & sacro ministerio vestro, sancti Patres, prædicationis officium suscepturus, confiteor sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum naturaliter esse, unius substantiæ, unius naturæ, unius majestatis atque virtutis.* Et quibusdam interpositis: *Beato verò Petro* ET VICARIO EJUS *debitam subjectionem & obedientiam, suffraganeis verò nostris adjutorium me exhibiturum profiteor.*

VIII. Rabanus Moguntinus Archiepiscopus in libro I. de laudibus Crucis:

Principi Apostolico Petro conjunctus in ævum,
In terris VICEM CUJUS ET IPSE GERIS.

Romanum Pontificem Sergium II. alloquitur, quem Petri vicem gerere cùm dicit, perinde est ac si diceret, Sergium beati Petri Vicarium esse.

IX. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in epistola ad Nicolaum Papam de Balvini & Judithæ conjunctio-
ne: *Ad cujus instar* APOSTOLORUM VICARIUS, *ad* 15
quorum limina confugerunt, & Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ summus Pontifex, quod in hominem, regem, & leges mundi peccatum est, perdonari petiit. Sic Apostolos, quorum Vicarius est Romanus Pontifex, Petrum & Paulum fuisse non obscurè significat.

X. Anastasius Bibliothecarius, qui Hadriano II. & Joanne VIII. Pontificibus floruit, in vita Joannis

Papæ

Papæ primi, de Senatoribus Romanis, *Qui cùm ambulassent cum Joanne Papa, occurrerunt beato Joanni Papæ à milliario duodecimo omnis eruntas cum cereis & crucibus in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quia veteres Græcorum testificabantur, dicentes à tempore Constantini, & à beato Silvestro Sedis Apostolicæ Episcopo usque ad Justini tempora non meruisse partes Græcorum* VICARIUM BEATI PETRI APOSTOLI *suscipere cum gaudio & gloria.*

X. Auctor vitæ sancti Tyemonis seu Theodamari Salisburgensis Episcopi: *Per id tempus navicula beati Petri quasi dormiente interim Jesu tempestatum procella propemodum mergens vexabatur, omnesque veritatem ac fidem beato Petro servantes,* EIDEMQUE VICARIO TUNC *Apostolicæ Sedis præsuli Gregorio VII. aut in undas mortis dirum frement, ac fervens salum trahebat.* Hæc ille qui ætate suppar fuit Tyemonis.

XI Leo Ostiensis in libri I. Cassinensis Chronici capite VIII. *Fecit idem gloriosus rex unà cum prædictis suis promissionem & concessionem* BEATO PETRO EJUSQUE VICARIO *de civitatibus & territoriis*: Deinde in capite XII. *Rogatus est, ut donationem illam, quam genitor ejus Pippinus unà secum* BEATO PETRO EJUS-
16 QUE VICARIO *Domno Stephano Papa dudum fecerat, adimpleret in omnibus.* Hæc ad annum M CX.

XII. Petrus de Honestis Clericus Ravennas in epistola ad Paschalem II. *Paschali Dei amta summa & Apostolicæ Sedis Episcopo Petrus peccator Clericus, cum confratribus suis in Christo salutem & omnem obedientiam. Cùm vestra beatitudini* PETRI VICEM IN ECCLESIA GERERE *divina gratia contulerit*, &c. Hæc ad eandem ætatem.

XIII. Rupertus Tuitiensis Abbas in epistola nuncupatoria librorum de processione Spiritus Sancti ad Romanum Pontificem: *Ante faciem tuam, princeps beatissime Petre, testis Christi ac præcentor Christianæ fidei, simùlque ante faciem* VICARII TUI PAPÆ *viam latam invenire & spatium habere nostra parvitas deposcit.* Hæc ad idem tempus.

XIV. Petrus Diaconus in libro II. Cassinensis Chronici capite CV. *Debere juxta proprium morem* BEATO PETRO ET EJUS VICARIO DESERVIRE.

XV. Gualterus Tarvanensis Ecclesiæ Canonicus, in vitæ Caroli Flandriæ Comitis capite II. *Qui ut se periclitari cognovit, Salernitanum Archiepiscopum & Trojanum Episcopum advocavit. Atque quod antea, dum incolumis esset, fecerat, eorum quoque testimonio desiderans confirmari, quidquid mobilium, vel immobilium in terra possidere videbatur, beato Apostolorum Principi Petro,* EIDEMQUE VICARIO SANCTISSIMO PAPÆ HONORIO, *ex cujus ore hoc ipsum frequenter audivi, jure perpetuò possidendum delegavit.* Hæc auctor æqualis Honorio II. qui anno M.CXXII. migravit.

XVI. Arnoldus Moguntinensis Episcopus apud Uda-
17 liscum in capite XXVII. narrationis suæ. *Nostis*, inquit in quadam epistola, *novit & ipse, quàm horribili communicatione distractus ab* IPSO BEATI PETRI VICARIO SIT, *longe jam antè tempore, officio suspensus.* Loquitur de Augustensi Episcopo, quem Paschalis II. piorum cœtu summoverat. Cæterùm hic Arnoldus circa annum M.CLXII. vixit in Dodechini appendice ad Marianum Scotum.

XVII. Sanctus Bernardus in epistola CLXXXIII. ad Conradum Imperatorem: *Quam sententiam* (Pauli ad Romanos capite XIII) *capio vos & omnimodis moneo custodire in exhibenda reverentia summæ & Apostolicæ Sedi, &* BEATI PETRI VICARIO, *sicut ipsam vobis ab universo vultis servari Imperio.*

Deinde in epistola CCXLII. ad Romanos: *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, reconciliamini principibus vestris: Petrum loquor & Paulum, quos utique* IN VICARIO ET SUCCESSORE SUO EUGENIO *suis sedibus & ædibus effugastis.*

XVIII. Sugerius Abbas Monasterii Sancti Dionysii beato Bernardo æqualis in epistola XLVII. ad Eugenium III. *Verùm quia causa Ecclesiæ causa Dei est,* PETRO ET PETRI VICARIO *per Petrum commissa, confidimus in Domino Jesu, quia ipse qui cœpit, perficiet, nec poterunt viri offensores Dei & sui proditores adversùs religionem in Curia capitali religionis prævalere.*

XIX. Inter Regum, Ducum, & Comitum epistolas, quæ in tomo IV. hist. Francorum referuntur, extat epistola CCCCXI. sic inscripta: *Illustri & magnifico Dei gratia Francorum Regi Joa. Pet. Gra. & cæteri de domo Petri Leonis Romani Consules sinceræ dilectionis plenum ob-* 18 *sequium.* Et post alia: *Inde est itaque, quòd excellentiæ vestræ fiducialiùs scribimus, gratiarum actiones quantum possumus, suppliciter persolventes, quòd in tempore opportunitatis Ecclesiam Dei conservastis, &* VICARIUM BEATI PETRI *Patrem nostrum Pastorem & Dominum Alexandrum debita reverentia suscipere ita constantissimè voluistis.* De Alexandro III. scribunt ad Ludovicum VII. Galliæ Regem.

XX. Rectores Romanæ fraternitatis in sua ad eundem Galliæ Regem epistola, quæ tomo IV. histor. Francorum inter Regum, Ducum, & Comitum epistolas, quadringentesima trigesima prima numeratur: *Quod licèt à primordio regni vestri cum summa diligentia feceritis, hoc tamen tempestatis tempore, qua per Octavianum & ipsius complices filios superbiæ, vasa iræ apta in interitum noviter exorta est, tantò clariùs enituit, quantò inspirante Sancti Spiritus gratia schismaticam pravitatem conculcantes inter primos orbis terrarum reges & principes primus audito nomine Domini Alexandri Papæ,* VERE BEATI PETRI SUCCESSORIS ET VICARII *cum in Papam summum & universalem Pontificem elegeritis.*

XXI Pontificale Laudunensis Ecclesiæ, quod Rogerius Episcopus curavit anno MCLXXXV. describi. Inter interrogationes, quæ consecrando præsuli fiunt à consecratore: *Vis beato Petro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ,* EJUSQUE VICARIO *esse subditus secundùm statuta Patrum? Resp. Volo.*

XXII. Arnulfus Lexoviensis Episcopus in epistola XIX. ad Alexandrum III. *Vos Apostolum Christi,* PETRI VICARIUM, *Pastorem & Episcopum omnium, qui* 19 *Christiano nomine censentur, agnosco.* Circa annum MCLXXV. claruit.

XXIII. Joannes Saresberiensis Carnotensium Episcopus in epistola LXXXIII. *Totius Ecclesiæ periclitatur salus, si remigium, cui Petrus præsidet, manibus committitur impudicis: Navem piscatoris egregii Ecclesiam esse scimus: Romanum Pontificem,* PRINCIPIS APOSTOLORUM NON AMBIGIMUS ESSE VICARIUM, *qui sicut rector clavo navem, ita sigilli sui moderamine Ecclesiam regit, corrigit, & dirigit universam. Hujus ergo sigilli corruptiò universalis Ecclesiæ periculum est, cùm ad unius signaculi notam solvi & claudi possint quorumlibet ora Pontificum, & culpa qualibet impunita pertranseat, & innocentia condemnetur.* Circa idem tempus floruit.

XXIV. Bernardus Abbas Monasterii Fontis Calidi, in libri contra Valdenses capite II. *Summus Patriarcha* VICE BEATI PETRI *fungitur.* Circa idem tempus scripsit.

XXV Raimundus Lullius, qui ad annum M.CCC. claruit, in arbore Apostolicali: *Debet Papa illam fidem habere, quam habuit beatus Petrus, postquam est* EJUS VICARIUS.

XXVI. Illustrissimum est exemplum, quod sequitur & veluti extra ordinem poni debuit. Ad Constantinopolitanam perinde ac Romanam Ecclesiam pertinere potest. Id ita se habet apud Gregorium I. in libri X. epistola XXX. cujus est titulus hic: *Promissio cujusdam Episcopi suam hæresim anathematizantis, quam solvi fecit in nomine Domini Imp. Constantinopoli. sub die X. mensis Febr. indict. V.* Et paullo post initium: *Et ne non pura mente sed simulatè reversus existimer, sub mei ordinis* 20 *casa spondeo, & anathematis obligatione, atque promitto tibi,*

tibi, & per te sancto Petro Apostolorum Principi, atque EJUS VICARIO BEATISSIMO GREGORIO, *vel successoribus ipsius, me nunquam quorumlibet suasionibus, vel quocunque modo ad schisma, de quo Redemptoris nostri misericordia liberante ereptus sum, reversurum, sed semper me unitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permansurum.*

Hactenus prærogativam dignitatis, qua Romanus Pontifex *beati Petri Vicarius* appellatur, triplici modo executi sumus; Sedis Apostolicæ traditione, quæ etiamnum viget, Conciliorum auctoritate, & tractatorum Ecclesiæ testimonio. Est funiculus triplex, quem quis difficilè rumperet.

Bellarminus igitur in præteritis reliquit eam dignitatis prærogativam, quæ augustissimo & sanctissimo loco munita est, Conciliis succincta, Ecclesiasticis tractatoribus armata; & quæ præterea eminentissimam Sedis Apostolicæ simplicitatem importat.

Sufficit aliam, qua Romanus Pontifex in Lugdunensi Concilio II. generali *Vicarius Christi* dicitur: Sed titulus hic non tam singulariter Romano Pontifici convenit, quàm relatum titulum convenire reperio. Et certè auctores sunt admodum pauci, à quibus Episcopi beati Petri Vicarii dicantur. Unum invenio Hincmarum Remensem Episcopum, qui inter Capitula Archidiaconis data, Episcopos VICE BEATI PETRI in Ecclesia fungi scribit in præfatione: *Beatus Petrus Apostolus,* CUJUS VICE IN ECCLESIA FUNGUNTUR EPISCOPI, *& sub eorum dispositione ipsorum*
21 *comministri, in epistola sua commonet illos dicens: Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior.* Auctores verò quinetiam & Concilia multa reperio, quæ & *Episcopos, Christi Vicarios* nominant, & Abbates *Christi vicem gerere* in Monasteriis, asserere non verentur.

I. Reperiò Isidorum Pelusiotam in libri 1. epistola CXXXVI. ad Herminum Comitem: EPISCOPUS, QUI CHRISTI TYPUM GERIT, IPSIUS MUNERE FUNGITUR.

II. Hormisdam Romanum Pontificem in epistola XXV. ad universos Hispaniæ Episcopos: *Ut in Sacerdotibus ordinandis quæ sint à Patribus præscripta & definita cognitis: Quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarii Sacerdotes, sic & in eligendis his curam oportet esse perspicuam.* Hormisda dignitatis titulum hunc *Christi Vicarium esse*, non sibi soli, sed & cæteris Sacerdotibus attribuit; nec attribuisset opinor si Sedis Apostolicæ repugnasset traditio.

III. Carolum Magnum in Capitularium libro VII. num. CCCVI. *Volumus atque præcipimus, ut omnes suis Sacerdotibus tam majoris ordinis, quàm & inferioris, à minimo usque ad maximum ut summo Deo,* CUJUS VICE IN ECCLESIA LEGATIONE FUNGUNTUR, *obedientes existant.* At vice Dei fungi est esse Vicarium Dei.

Deinde in fragmento de ritibus Ecclesiæ: *Episcopi consecratio, qui est Vicarius Apostolorum,* IMÒ ET CHRISTI, *fit in Dominica, qui eodem die per donum Spiritus Sancti dignatus est illustrare corda Apostolorum.*

IV. Amalarium Metensis Ecclesiæ Diaconum in li-
22 bri II. de Officiis capite II. *Episcopus est* VICARIUS APOSTOLORUM IMMO ET CHRISTI. Iterum alio in capite, *Episcopus, quia* CHRISTI VICARIUS EST, *in capite ungitur.*

V. Concilium apud Theodonisvillam habitum anno DCCCXLIV. in præfatione sua: *Divinum consilium à nobis secundùm præceptum Domini quo dicitur, interroga Sacerdotes legem Dei,* &c. *à nobis quamquam indignis* CHRISTI TAMEN VICARIIS *quærere & divina devotione velut revera ex ore ipsius expectare dignamini.*

VI. Concilium Meldense celebratum anno DCCCXLV. in præfatione: *Nos omnes licèt indigni,* CHRISTI TAMEN VICARII, *& Apostolorum ipsius successores.*

VII. Consessum Episcoporum Senonensis provinciæ in Rescripto ad Parisiensem Clerum & fratres cœnobiorum sancti Dionysii & sancti Germani & beatæ Genovefæ: *Guenilo sanctæ Senonicæ Sedis Metropolitanus Episcopus, Heriboldus Autissiodori Episcopus, Agius Aurelianorum, Prudentius Tricassinorum, Herimannus Neveraensium, Frotbertus Carnutum, Hildegarius Meldorum Clero Matris Ecclesiæ Parisiorum, & cunctis in diversis cœnobiis sub ea Deo militantibus salutem. De excessu reverendissimi Episcopi nostri Ercanradi non mediocriter anxii, vestrique mœroris participes, tandem justissimæ dispositionis Dei memores consolationem recepimus, dum vos sub Pastore bono agentes, qui summè bonus est;* VICARIUM EJUS SCILICET VISIBILEM, *ministeriique nostri consortem absque dilatione expetere vestris literis temtibus lineas rationis cognovimus.* Sin Ercanradi successorem Æneam Parisiensem Episcopum appellat visi- 23
bilem Pastoris boni, qui summe bonus est, Christi scilicet Vicarium.

VIII. Concilium Episcoporum Remensis & Rotomagensis provinciæ apud Carisiacum ann. DCCCLVIII. habitum in epistolæ ad Ludovicum Regem, capite VII. *Rectores ac Pastores Ecclesiarum ut Patres &* CHRISTI VICARIOS *colite.*

IX. Fulbertum Carnotensem Episcopum in epistola II. ad Finardum. *Nam & Episcopus,* QUI VICES CHRISTI *tenet, Sacerdotes viros in plebem subjectam missurus, sacri corporis Eucharistiam per quadragenos dies sumendam distribuit.* At Christi vices tenere nihil aliud, quàm Christi Vicarium sonat.

X. Joannem Abrincensem Episcopum in libro de Officiis Ecclesiasticis: *Quòd solus Episcopus salutando populum pax Domini dicit; Ostendit* EUM VICARIUM CHRISTI, *qui resurgens à mortuis pacem Apostolis nunciavit.*

XI. Gregorium VII. in libri I. epistola XXII. ad Clerum & Plebem Carthaginiensem: *Rixas & contentiones ut venenum vitate; humilitatis discipuli, humilitatem induite;* CHRISTI VICEM SUPER VOS HABENTI *ex debito obedite.* Et paullo pòst: *Aliter verò si feceritis, in Christum peccatis, Christum spernitis, Christi discipuli esse desinitis, Apostolo resistitis, qui ait, Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: Cùm ergo mundanis potestatibus obedire prædicavit Apostolus, quanto magis spiritualibus, &* VICEM CHRISTI INTER CHRISTIANOS HABENTIBUS? sic Romanus Pontifex è Petri cathedra loquitur, ut Gregorius I. suis in epistolis Eulogium Alexandrinum Episcopum locutum esse scribit.

XII. Ivonem Carnotensem Episcopum in serm. III. de significationibus indumentorum Sacerdotalium: *Episcopo verò specialiter caput ungitur, ut intelligat* SE ESSE ILLIUS VICARIUM, *de quo dicitur in Psalmo: Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

XIII. Petrum Blesensem in epistola XXVII. ad Canonicos de Bellovidere: Thomas Cantuariensis Archiepiscopus *erat præco verbi divini, tuba Evangelii, amicus sponsi, columna cleri, oculus cæci, pes claudi, sal terræ, patriæ lumen, minister altissimi,* VICARIUS CHRISTI.

XIV. Hugonem Cardinalem in caput XXIV. beati
Lucæ: *Hinc est, quòd Episcopus,* QUI EST SPECIALI- 24
TER VICARIUS CHRISTI, *in primo ingressu ad populum & in prima versione in missa dicit,* &c.

XV. Beatum Thomam in 4. dist. XIX quæst. I. art. II. ad tertium: *Dicendum est, quòd prælatus ex hoc quod est persona publica, & vicem Dei super subditos gerens, non amittit ea, quæ sunt propria illius singularis personæ.* Vicem Dei gerere est Vicarium esse Dei.

Deinde in supplementi quæst. XL. art. VII. *per Annulum* (significantur) *Sacramenta fidei, quæ Ecclesia desponsatur Christo. Episcopi enim sunt in* ECCLESIA LOCO CHRISTI. Id est, sunt Christi Vicarii: Hæc sanctus Doctor,

Doctor, qui excessit è vita, cùm vocatus ad Lugdunense Concilium II. generale pergeret.

XVI. Durandum Mimatensem Episcopum in libri I. de Officiis capite VIII. Cur Episcopus ungitur: *Tertiò ut ostendatur* ILLIUS, SCILICET CHRISTI (TANQUAM EJUS VICARIUS) *repræsentare personam.*

XVII. Martinum Peresium Aialam Gnidixiensium Episcopum, qui Tridentino Concilio magna cum laude & eruditione claruit, in tertia parte de Divinis & Apostolicis traditionibus: Episcopi VICES AGUNT CHRISTI, *& ejus locum tenent in Ecclesiis.* Et pòst alia: *Quò fit, ut Episcopali dignitate nulla maior in Ecclesia sit.*

XVII. Carolum Cardinalem Lotharingium, in Commonitorio, quod communi Gallicanorum præsulum & illustriorum Parisiensium Theologorum in Triden-
25 tina Synodo degentium consilio exaratum, & Romam missum est ad Joannem Britonem ejusdem Card. Secretarium anno MDLXIII. mense Januario: *Profiteor, quòd prorsus sum alienus ab ea sententia, ut dicam beatissimum Papam solum esse, aut unum verum Christi Vicarium:* IMÒ OMNES ET EPISCOPI ET CURATI SUNT CHRISTI VICARII, *quod sancti Martyres & Divi Petri successores Pontifices docuerunt.*

XVIII. Cyprianus Patres, Concilia, Theologos hic subsequitur, qui iis omnibus præivit in Epistola LV. ad Cornelium: *Neque enim,* inquit, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur.* Quasi diceret: Uniuscujusque Ecclesiæ quæ universalis illius portio est, unum esse debere Episcopum, qui sit Ecclesiæ propriæ sacerdos ad tempus, & ad tempus judex vice Christi: Qui verò Sacerdos vice Christi est, Vicarius Christi est: Atque ita ferè ab initio Christianæ religionis Episcopi dicti sunt Christi Vicarii. Jam vides Cyprianum Patrum, Conciliorum, & Theologorum agmen feliciter claudere, quod ducere potuit, & reipsa duxit. Nam Isidorus Pelusiota, Hormisda Romanus antistes & cæteri, quorum testimonia retulimus, Cypriani vestigiis insistunt; atque idem expresserunt fere, quod Cyprianus expressit. In unius aut alterius verbi flexione forsan mutatum est aliquid, sed in doctrina nihil mutatum.

Hæc sunt Concilia, hi Patres ac Theologi, quibus Cyprianus & Hormisda Pont. ad scribendum facem prætulerunt. Nimirum aliud dixerunt nihil quàm quod
26 Cyprianus & Hormisda non dixerint prius: *Sacerdotes esse Christi Vicarios.* Nunc veni o ad Abbates, qui dicti sunt olim Christi vicem in monasteriis gerere.

Et primum quidem istud in beati Benedicti regula sic traditur: *Abbas* CHRISTI VICES AGERE *in monasterio creditur.* Quod Rabanus in Commentarii super Benedicti regulam capite II. his verbis explicat: *Tunc Abbas* CHRISTI VICEM AGIT, *quandò gregem sibi commissum providè & justè regit.*

Deinde Rabanus ipse, seu Paschasius Radbertus, in Prologo libri de sacramento Eucharistiæ: *Dilectissimo filio &* VICE CHRISTI PRÆSIDENTI *Magistro monasticæ disciplinæ alternis successibus veritatis discipulo.*

Tum Concilium apud Theodnuisuillam habitum in capite V. *Per loca etiam monastica ejusdem Ordinis provisores necesse erit disponere, cùm vestra auctoritas eos,* QUI VICES CHRISTI *secundùm regulam divinitus dictatam in monasteriis agunt, studuerit ordinare.*

Denique auctor vitæ sancti Gebhardi Constantiensis Episcopi in capite XVIII. *Periggerum tertiumdecimum* VICEM CHRISTI *inter duodenos fratres unius monasterii agere constituit.*

Cæterùm ad hæc omnia Romanorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, & Doctorum testimonia observari possunt, quæ sequuntur.

I. Titulus hic, *beati Petri Vicarius,* quo Romanus Pontifex insignitur, antiquissimus & fundatissimus est: Siquidem à prima Ecclesiæ traditione suam ducit originem, si vel maxime beatus Cyprianus in auctoritatem admittatur. Et quamvis Cyprianus taceret,
Leo I. & Felix III. loquuntur satis superque, ut pri- 27
ma Ecclesiæ traditio vindicetur.

II. Cùm titulus hic Pontificalium librorum operâ ad nostram usque ætatem pervenerit, omnino nihil est, quod pro illius constantia, & pro consequentis ab initio temporis perpetuitate deposcatur amplius. Profectò difficile est, alium reperire Pontificiæ dignitatis titulum, qui cum isto de vetustate, diuturnitate, continuatione, & perennitate certare queat.

III. Et quamvis titulus hic extra omnem sit & esse debeat controversiam, quia de publico illius jure disceptetur, aut veritas perpetuæ traditionis vocetur in dubium; nihilominus tamen vix sustineretur ab iis, qui perversè religiosi sunt, & adulatricis Curiæ potiùs, quàm Sedis Apostolicæ placitis addicuntur. In hoc, Sedes Apostolica parcè, continenter, sobriéque & vivit & sapit; non sic tamen Curia aut Curiæ Doctores, qui apertam & simplicem tituli hujus rationem gustare non possunt, adeò delicati & mollis sunt palati. Scilicet de rebus generis hujuscemodi nonnisi depravatè & corruptè judicare solent. Sed ab illis Curiæ Doctoribus cavendum est ex concilio, quod Pius II. Carolo VII. Galliæ Regi dedit in Epistola CCCLXXIV. *Unum à te petimus, charissime fili, ut Doctoribus Sedis Apostolicæ non semper credas; multa illorum passionibus tribuas.* Apostolicæ Sedis Doctores eos intelligit, non qui Sedis Apostolicæ doctrinam tradunt; minimè verò: Sed qui in Apostolica Sede perperam doceant & agant. Quo etiam modo intelligendus est Hadrianus VI. cùm id mandatis Francisco Cheregato oratori suo in Germaniam eunti datis affirmare scribit: *Scimus in hac*
sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, 28
abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Et cætera, quæ latiùs in Ecclesiasticis Odorici Raynaldi Annalibus suo loco referuntur.

IV. Titulus hic alter, *Christi Vicarius,* antiquissimus quidem est, sed eum Hormisda Romanus Pontifex, Patres, Concilia, & præclarissimi quique Theologi Sacerdotibus universis attribuunt. Quamobrem spectatâ traditionis antiquæ lineâ, quam antè duximus, titulus hic Romano Pontifici minùs proprius est, quàm alter titulus *beati Petri Vicarius.* Haud negabunt, qui noverint commune & proprium opponi. Et reveta si unus dematur Hincmarus, cæteri omnes Pontificem, ni fallor, *beati Petri Vicarium* appellant, præterea neminem.

V. Certi quidam sunt auctores, qui Romanum Pontificem unicum Christi Vicarium esse dixerunt. Albertus Magnus in libri IV. sent. dist. XIX. art. X. *Ad aliud dicendum, loco Christi in terris non est nisi unus Papa.*

Pius II. in Epistola CCCC. ad Nurembergensis oppidi Burgimagistros & Senatum: *Si quæ Christi unicus Vicarius, Canonibus sacris, etiam jure & scripto inhærendo decrevit,* &c.

Albertus, Pius, & si qui alii similia scripserint, omnino excusandi sunt. Hos enim latuit vetus circa titulum hunc Ecclesiæ traditio, quam exposuimus. Romanum Pontificem Christi Vicarium potuerunt dicere, sed unicum dicere non potuisse manifestum est. Albertus non impediit, quo minus beatus Thomas illius discipulus Episcopum loco Christi esse semel atque iterum
doceret. Pius non impediit, quo minus Cardinalis 29
Lotharingius, Gallicani Præsules, & Parisienses Theologi, qui Tridentino Concilio intererant, primi & secundi ordinis Sacerdotes Christi Vicarios nuncuparent. Id Thomas & præsules & Theologi fecerunt, quia ab antiquis Pontificibus Romanis & Conciliis & tractatoribus factum invenerunt. Quidquid in causa, si Hormisda & Pius hac de re inter se contenderent, Hormisda litem obtineret. Tunc audiretur antiquitas, & quod

quod alter alteri veluti suspectus non posset, illud veneranda sæculorum plurium inter utrumque Pontificem interjectorum canicies, Christo proprior, ab hac controversia remotior decideret arbitrio. Deinde Pius narrando potiùs, quàm decernendo, *unicum se Christi Vicarium* esse scribit. Nam quidquid tale decerneretur, si rectè decernendum esset, nonnisi convenienter duobus veræ Theologiæ principiis, Scripturæ, & Catholicæ Ecclesiæ traditioni decerneretur. Tunc omnino caveretur usus Scholasticæ illius Theologiæ, quam Lutherus per irrisionem ita definit: *Scholastica Theologia est ea, quæ à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex Divinis eloquiis & Philosophicis rationibus tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est.*

VI. A tempore Apostolorum usque ad annum Christi millesimum & eo ampliùs, vix ullus occurrit Pontifex Romanus, qui *Christi vicarium* se vel dixerit vel inscripserit, alio titulo contentus. Sed post annum Christi millesimum, Romani Pontifices cœperunt paulatim sese *Christi Vicarios* appellare, & suam tarditatem & ὀψισμὸν frequenti appellatione compensare: ὀψισμὸν di-
30 co, non ὀψιμαθίαν, quia veteres Romani Pontifices non ignorabant, se perinde ac reliquos antistites Christi Vicarios nuncupari posse. Sed *beati Petri Vicarii* maluerunt dici, quò magis nisi me mea fallit opinio, discernerentur. Siquidem ex illorum Pontificum numero fuit, qui *Episcopos Christi Vicarios* nuncupaverit, sed non fuit, qui *Episcopos beati Petri Vicarios* appellaverit.

VII. Stupore mixtus furor Curiales magistros invaderet, si utriusque tituli exigeretur usus, vel ad legem, quæ in Florentinæ fidei definitione lata est, vel ad rationes, quibus Legati sanctæ Sedis intercesserunt, ne in actis Tridentinæ Synodi formula hæc, *Synodus aut Concilium universalem repræsentans Ecclesiam* adhiberetur. Florentinæ fidei definitio est: *Romano Pontifici in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur.* Ut est apud Blondum Eugenii IV. scribam in lib. III. Decad. X. in Græco textu: Καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν Οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται. *Juxta eum modum, qui & in actis Conciliorum Oecumenicorum & in sacris Canonibus continetur.* Titulus autem hic, *Christi Vicarius*, nec in actis Conciliorum Oecumenicorum, ad quæ Florentini Patres respectum habent, nec in sacris Canonibus Romano Pontifici adscriptus legitur. Sed titulus *beati Petri Vicarius* in actis Oecumenicæ Synodi VII. eidem Pontifici adscriptus legitur & approbatur. Locus antea relatus est. Porro Lugdunense Concilium illud, in quo Ro-
31 manus Pontifex vocatur *Christi Vicarius*, ad memorata in Florentina definitione Concilia Oecumenica non pertinet, ut facilè colligitur, cùm ex prima Florentinæ Synodi editione, ubi Synodus hæc octava inscribitur, tum ex Clementis VII. Medicæi privilegio editionis, ubi Synodus hæc octava quoque conceptis verbis appellatur. Nec memini legere me in prohibitorio Indice Florentinæ Synodi editionem primam, & Clementis privilegium illud reponi, donec corrigantur. Quapropter Florentinæ Synodi editione prima, & Clementis privilegio uti possumus tutâ conscientiâ, ut probemus, Lugdunense Concilium Florentinæ fidei definitione neutiquam comprehendi. Hoc non observo, quasi velim in Gallia prohibitorio Indici fidem in omnibus haberi. Nam superiori anno Romæ prodiit certa quædam nova censurarum Inquisitionis Collectio, in qua cum horrore legitur Parisiense Senatusconsultum, quo Joannes Chastellus parricida nefandissimus damnatur, quo modo Inquisitores Christianarum institutionum rudes, divinam legem funditus evertunt, & sicariis viam ad interficiendos.·.·.Horreo scribere, patefaciunt, atque ethnicos ab amplectenda Christi religione deterrent. Utinam mecum illi credant, quod certè credendum est, istud Curiæ & Inquisitorum, non sanctæ Sedis Apostolicæ vitium esse. Absit: nam, ut ait sanctus Leo, *manet Petri privilegium, ubicumque ex illius fertur æquitate judicium.* Ad rem ipsam propiùs accedo, quam Romani Pontifices numero tres absolvunt, Gregorius I. Martinus I. & Pius II.

Gregorius in libri VII. indict. I. Epistola I. ad Sa-
binianum diaconum: *Pervenit verò ad me, quia transmisit nescio quem Clericum qui diceret, quia Maleus Episcopus in custodia pro solidis occisus sit. De qua re unum est, quod breviter suggeras Serenissimis Dominis nostris, quia si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet; atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* 32

Martinus in Epistola ad Theodorum: *Noscere voluit chara vestra Dilectio, qualiter de Sede sancti Petri Apostoli, sicut unus passer solitarius ab ædificiis raptus fuerim.* Et post alia: *Quibus confestim introeuntibus jussio à Callepa porrecta est Presbyteris & Diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quòd irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica Sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam urbem (Constantinopolim) transmitti, subrogato in loco meo Episcopo, quod necdum aliquando factum est, & spero, quod nec aliquando fieri habet: Quia in absentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter & Primicerius locum præsentant Pontificis. Dum hæc moventur, quæ de fide gesta fuerunt, jam manifestavi vobis. Quòd autem præparati non fuerimus ad repugnandum,* MELIUS JUDICAVI DECIES MORI, QUAM UNIUSCUJUSQUE SANGUINEM IN TERRAM FUNDI. *Quod quidem & sine periculo hoc gestum est, non paucis, quæ non placuerunt Deo, malis effectis. Eadem itaque hora dedi meipsum ad exhibendum Imperatori, & non resistendum. Porro acclamantibus mihi, ut veritatem dicam, quibusdam ex Clero ne facerem hoc, nulli eorum accommodavi aurem,* NE 33
SUBITO FIERENT HOMICIDIA.

Pius in Epistola CCCXCVI. ad Mahometem Turcorum Principem: *Non te odio prosequimur, neque tuo insidiamur capiti, quamvis nostræ religionis hostis existas, & armis Christianam urgeas plebem; operibus tuis, non tibi sumus infensi. Diligimus jubente Domino inimicos nostros, & pro persecutoribus nostris oramus.*

Hæc est Sedis Apostolicæ doctrina, quæ ab Inquisitorum censura mirum quantum distat, & illam funditus evertit, ac Parisiensi Senatusconsulto robur adjungit: quibus ex causis adducti credimus, Alexandro VII. fraudulenter obreptum esse in illius bulla, quæ censurarum Inquisitionis Collectioni præfigitur. Bullæ verba sunt: *Nos de prædictorum Cardinalium consilio eundem Indicem generalem, sicut præmittitur jussu nostro compositum, atque revisum, & typis Cameræ nostræ Apostolicæ jam impressum, & quem præsentibus nostris pro inserto haberi volumus, cum omnibus, & singulis in eo contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac ab omnibus tam universitatibus, quàm singularibus personis, ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter, & inconcussè observari mandamus, & præcipimus, sub pœnis in constitutione rec. mem. Pii PP. IV. etiam prædecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas, varietatis veterum decretorum in proponendis transgredientium pœnis tollendæ gratiâ, omnes, & singulas pœnas per constitutiones Apostolicas, & decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflictas, harum serie reducimus, firmis tamen manentibus his quæ 34
de Auctoribus, & libris damnatis in literis Apostolicis die Cœnæ Domini publicari solitis sancita sunt, circa quos nihil omninò mutare, ac ne contingere quidem intendimus.*

Ad

Ad Tridentini Concilii Legatorum rationes quod attinet, hæ cùm à Florentinæ definitionis lege non dissideant, eundem scopum feriunt. Adferebant quippe formulam, quæ mox relata est, nec in sacris Canonibus, nec in antiquis Conciliis reperiri, & quia non reperiebatur, illius usu supersedendum esse. In referenda formulæ hujus historia Petrus Suavis & Sforza Palavicinus conveniunt, nec ullus est de veritate historiæ dubitandi locus. At si oblatis Legatorum rationibus formula hæc, *Synodus universalem repræsentans Ecclesiam*, diffugeret, quibus quæso machinis titulus hic, *Christi Vicarius*, retardaretur? Disparem formulæ & tituli fortunam quis ostenderet? Pergratum mihi faceret, qui eandem disputandi legem jure, non auctoritate prohiberet, aut similem similium conditionem non esse, aut dissimilem in simili similium conditione conditionem esse, apud Dialecticos probaret? Quo in casu nemo est tam loquaciter litigiosus, aut in disputando tam pertinax qui non cedat.

VIII. Jam perspicis, opinor, quod tibi subolüerat, eos aberrare à vero totóque falli judicio, qui quia Romanus antistes Christi Vicarius dicitur, hunc nec Conciliis & Sacris Canonibus subesse, nec definiendo errare posse ineptissimè contendunt. Siquidem pari modo contenderent, reliquos antistites, immo & Abbates, qui Christi Vicarii, aut Christi vicem in Monasteriis gerere dicuntur, Conciliorum legibus solu- 35
tos esse, & fore immunes ab errore, cùm de dogmatibus Ecclesiasticis pro tribunali suo judicarent. Aberrationis istius causæ sunt maximè duæ: Primùm, quód illi præjudiciis nescio quibus occupati animum ad scribendum appellunt. Deinde, quód ad pauca respicientes facilè pronunciant. Nam si antequam pronunciarent, in antiquas traditiones diligenter inquirerent, aut non pronunciarent aut aliter pronunciarent.

IX. Quod dedisti mihi pensum, eo quo potui modo accuravi. In eo quæ sunt Romanorum Pontificum, Conciliorum, atque Ecclesiasticorum tractatorum, auctoritatis suæ mole sustentantur: Quæ verò mea, si quæ tamen sint mea, in iis asserendis rejecto Inquisitorum exemplo & prava consuetudine, obsecutus sum beato Petro jubenti, ut *ad satisfactionem omni poscenti nos rationem parati simus*. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Idibus Aprilis ann. M. DC. LXV.

Joannes Launoius
THOMÆ RULLANDO
Parisiensi Theologo.

1 MULTÆ sunt apud Gregorium Magnum Epistolæ, quibus æquitatis patrocinium suscepisse dicendus est. Sed præ cæteris omnino eminere tibi videtur libri 11. Indict. xi. Epistola VIII. quam ad Natalem Salonitanum Episcopum ita scribit: *Cùm cuncta negotia indaganda sollicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem sacerdotalium graduum pertinent, districtiùs sunt trutinanda, in quibus non tam de humanis constitutis, quàm de divina quodammodo benedictionis rafragatione tractatur. Quæ res quoque nos in Florentio Epidauritanæ civitatis Episcopi persona ad exhortationem vestræ fraternitatis admonuit. Nunciatum siquidem nobis est, à quibusdam fuisse eum in causis criminalibus accusatum, & nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis concilii præveniente judicio, eum ab honoris officio non jure sed auctoritate depositum. Non jure*, inquit, *sed auctoritate.* Quo modo juri auctoritatem opponit, & in hac oppositione justam perinde ac injustam totius Ecclesiasticæ rectionis formam comprehendit: Justam quidem, cùm *jure*; injustam verò cùm *auctoritate* Ecclesiastica negotia transiguntur. Hinc tibi facilè assentior, cùm Gregorii Epistolam divinam ac cælestem appellas: Quippe quæ ab Episcoporum judiciis, & gubernatione Ecclesiæ iniquitatis & injuriæ rationem omnem propulset.

2 Quod autem scire cupis, utrum Pontifex sanctus ex propria mente, vel ex Sedis suæ traditione juri auctoritatem opponat, utroque modo opponere, respondeo: Sed cùm Pontificis mens propria Sedis traditioni jungatur semper, sufficiet Sedis traditionem simpliciter & sine fuco exponere, ut tum demum agnoscas, jure, non auctoritate, canone, non imperio regendam esse Ecclesiam. Traditionis hujus testes alios tibi non edo, aut in medium profero, quàm Romanos Pontifices, non suspectos opinor testes, idoneos, locupletes, omni exceptione majores.

Primus occurit Cornelius Martyr, qui ann. CCLIV. Romanus factus est Episcopus, in Epistola ad B. Cyprianum: Ubi agitur de quibusdam Confessoribus, qui Novatiani partem contra Cornelium secuti fuerant, & volebant ad Cornelium redire: *Qui, cùm hæc & cætera fuissent exprobata, ut abolerentur, & de memoria tollerentur, deprecati sunt. Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio, quod circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur. Et ut motum omnium & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri proferri: Quas & subjectas leges. His ita gestis in Presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres, qui se ei adjunxerant, summis precibus desiderantes, ut ea, quæ antè fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullàque eorum mentio haberetur. Proinde atque si nihil esset, vel commissum, vel dictum, invicem omnibus remissis cor mundum & purum jam Deo* 3
exhiberent, sequentes Evangelicam vocem dicentem, beatos esse puros corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut & ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes & palabundos jamdiu viderant & dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos, quasi hodie pœna carceris fuissent liberati, & ut ipsorum propria verba designem: Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo omnipotenti & Christo Domino nostro scimus. Sic Cornelius non auctoritate vel privato motu, sed multorum antistitum consilio, quod æquiparatur Canoni, regendam esse censet Ecclesiam, nec censeret utique, nisi jam obtinuisset Sedis Apostolicæ mos, qui à Petro & Paulo suam traheret originem.

Alter

Alter Julius primus, qui anno CCCXXXVII. Romanæ Ecclesiæ clavum tenere cœpit, in Epistola ad Orientales : *Quòd si ambitione eloquentiæ ostentandæ ita exceptæ sunt* (literæ vestræ) *à dictatore, id certè studium ad alios spectat. In rebus enim Ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolici requiruntur, operáque dari solet, ne quis ex parvis in Ecclesia scandalizetur. Expedit enim secundùm Ecclesiasticum verbum molem asinariam suspendi in collo; atque ita demergi, quàm unum ex pusillis scandalizare. Quòd si aliquibus in alios ob pusillanimitatem offensis, (non enim omnium talem mentem fuisse arbitror) istiusmodi epistolam scribi placuit:*
4 *Primum decuit neminem offendi, neque solem occidere super hujuscemodi offensis; certè res eo deduci non oportuit, ut offensiones suas scriptis proderent. Quid enim actum est dignum offensâ? Aut quâ in re vobis, quibus scripsi, causam succensionis præbui? An quia adhortati vos sumus, ut ad Synodum occurreretis? Atqui illud potiùs cum gaudio excipi oportuit. Qui enim bene sentiunt de iis, quæ egerunt, & in quibus ipsi, ut aiunt, judices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis judicatum est, ab aliis excutiatur : Quippe qui securi sint ea quæ ipsi justè judicaverunt, injusta nunquam fieri posse. Quocirca Episcopi in magna Synodo Nicææ congregati non sine Dei consilio permiserunt, prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi, qui judices erant præ oculis habentes secundum de ea ipsa re judicium futurum cum omni diligentiâ causam expenderent, & illi, qui sententiam acceperant, certò cognoscerent, se non per simultatem priorum judicum, sed jure & meritò condemnatos esse. Quòd si istiusmodi consuetudo fuit, ejúsque memoria renovata est & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profectò indecoram facitis. Morem enim qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari.* Sic res Ecclesiasticas jure, non auctoritate, ut loquitur Gregorius; Canone, non imperio vel motu proprio dirimendas esse censet.

Deinde quibusdam interpositis pergit : *Si igitur Martyrio & Hesichio nullam Synodum postulantibus adhortator fuissem, ut ad Synodum, qui ad me scripsissent, convocarentur, idque in gratiam fratrum, qui se injuriam pati conquerebantur, etiam vel ita æqua & justa fu-*
5 *isset nostra cohortatio, cùm ea sit Ecclesiastica & Deo grata : Jam ubi iidem illi, qui à vobis pro gravibus viris & fide dignis habiti fuere, auctores mihi fuerint, ut vos convocarem, certè id à vobis ægrè ferri non debuit, sed potiùs alacriter ad citationem occurrere.* Si convocata Synodo, negotia Ecclesiastica definiuntur, jure non auctoritate, canone non imperio vel motu proprio definiuntur, ut Sedes Apostolica per Julium dicit. Hinc proximè subnectit : *Quapropter indignatio eorum, qui citatione hac offenduntur, temeraria, & tergiversatio sistendi se in judicio inhonesta & suspiciosa videtur. An quisquam stomachari debet, si quæ ipse fecit, ab aliis fieri videat? Si enim ut scribitis, inconcussam habet auctoritatem quælibet Synodus, & contumeliosè agitur cum judice, cujus judicium ab aliis examinatur, considerate quæso dilectissimi, quinam sint, qui Synodum improbant, & qui aliorum judicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines gravem.*

Tùm quibusdam interpositis pergit: *Quinam sunt igitur, qui Synodum improbant, & trecentorum Episcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt, nisi Ariomanitæ ab omnibus utique Episcopis condemnati & abdicati?* Ariomanitis igitur sunt similes, qui spretis Synodis negotia Ecclesiastica dirimere contendunt. Id est, auctoritate, non jure; imperio seu motu proprio, non canone.

Quartò post quædam alia: *Scitis autem, dilectissimi, monumenta actorum, ubi una pars duntaxat adfuerit, nullarum virium esse & suspecta haberi. Nos tamen quamquam ita actum esset, pro re certius cognoscenda, neque*
6 *vobis, qui contra eum, neque illis, qui pro eo literas misero præjudicium facientes, cohortati sumus omnes quotquot scripserant, ut præsentes se judicio sisterent, quo omnia ad amussim, quia quamplurimi scribunt pro utroque, in Synodo examinari possent, ne vel innocens condemnetur, aut qui rei sunt, puri habeantur. Non igitur à nobis vilipenditur Synodus, sed ab illis, qui quovis modo & temerè Arianos ab omnibus condemnatos, contra sententiam eorum, qui causam judicaverunt, recipiunt.* Sic Apostolica Sedes colit & observat Synodos, quibus Episcoporum controversiæ disceptentur, ac finiantur, quia id tum fit jure, non auctoritate, ut ait Gregorius.

Quintò post quædam alia : *Impossibile est Secundi ordinationem utpote Ariani vim ullam in Catholica Ecclesia habere. Id enim verè ad Synodi, ad Episcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & cura veluti Deo præsente egissent, à nobis ut vana futiliáque abrogarentur.* Sic Apostolica Sedes Canones exequitur, quibus Ecclesiastica negotia terminantur : Atque ita jure non auctoritate ad Gregorii mentem terminantur.

Sextò post quædam alia: *Tali igitur commissa audacia, quinam dicendi sunt flammam discordiæ accendisse? Siquidem id nobis in vestris literis objicitis : Nos scilicet discordiam induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundùm Canonem facimus? An qui contentiosè violato Canone trecentorum decreta prævaricantur, & per omnia Synodum contemptui habent?* Atque hic statuitur propria laus Sedis Apostolicæ, quæ omnia secundùm canonem facit. Nempe imperio, auctoritate, proprio motu nihil, sed jure, Canone, Synodo 7
omnia.

Septimò post quædam alia: *Verùm in hoc ipso justa & rationabilis causa est, dilectissimi, quam vobis intimandam puto. Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem omnes nolui scribere, ne à multis onerarentur. Certè ad constitutum tempus convenere Episcopi, & ejus sententiæ fuere, quam vobis iterum significo. Quapropter dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere me tamen omnium sententiam scire vos volo. Hæc quidem à nobis adversùs non æquas vestrorum hominum, sed injustas & suspectas causificationes dicta sunto.* Hinc egregiam prodit Sedis Apostolicæ traditionem, inde eam adversariis beati Athanasii opponit.

Octavò post quædam alia: *Cùm igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justa pro se adferret, quid quæso nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici Canonis? Hominémque proinde non condemnaremus, sed potiùs reciperemus?* Sic Ecclesiasticus vindicatur Canon, quo regenda est Ecclesia, quo judicandus est Athanasius, vel quo recipiendus, non auctoritate condemnandus.

Nonò : *Qui igitur sunt, qui contra Canones agunt, nósne, qui cum tantis rerum documentis virum* (Athanasium) *recipimus? An qui solùm ad triginta sex suffragio eorum, qui Antiochiæ fuere, externum hominem Episcopum salutârunt? Eúmque militari manu Alexandriam deduxerunt, quod ne tunc quidem factum est, cùm Athanasius in Galliam relegabatur, quod tunc haud du-* 8
biè factum fuisset, si pro verè damnato habitus fuisset; certè cùm inde ab exilio rediret, etiam tum suam Ecclesiam, à qua recipiebatur, vacantem invenit : Prorsus ignoro, quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt. Primùm enim (si verum dicendum est) non decebat, cùm nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos præoccupare judicium Synodi; deinde non decuit, novos istos modos contra Ecclesiam induci : Ubi est istiusmodi Ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi traditio Apostolica, ut in pace agente Ecclesia, & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Athanasio immittere Georgium peregrinum & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum hominem, neque plebi cognitum, neque postulatum à

Presby-

Presbyteris, &c. Cùm Sedes Apostolica per Julium sic loquitur, nonne palam ostendit, Canone, non auctoritate absoluta, gubernandam esse Ecclesiam? Nonne significat, quidquid in Athanasii & Georgii causa gestum fuerat, absoluta auctoritate, non Canone gestum fuisse? Quod verbis insequentibus exponitur ampliùs: *Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem novi Episcopi ita illegaliter, & præter Canonem Ecclesiasticum,* οὕτως παρανόμως, καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα *fieri, sed in ipsa Ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso Clero ejus provincia Episcopos constitui, & nequaquam ex illis, qui Canones violant. Agesi in quemquam vestrûm id commissum esset, nonne vociferati essetis? Nonne vindictam quasi violatis Canonibus postulaturi fuissetis? Dilecti credite, tanquam Deo præsente cum veritate loqui-*
9 *mur. Non est istud piè factum, non ex jure, non Ecclesiasticè.* Οὐκ ἔστι ταῦτα ὁσίως, οὐδὲ νομίμως, οὐδὲ ἐκκλησιαστικῶς. Atque, hoc ipsum est, quod sanctus Gregorius Papa dicit, non jure, sed auctoritate factum.

Decimò quibusdam interjectis: *Hæc quidem ego non tanquam eorum causam agens scribo, sed ut & vobis fidem facerem, viros istos* (Marcellum & Athanasium) *justè & canonicè à nobis receptos esse, & vos minimè habere causam litigandi. Par autem est, ut studium adhibeatis, & omnibus modis elaboretis, ut quæ contra canonem acta sunt, emendationem accipiant, & Ecclesia pacem habeant, ut Christi pax vobis data permaneat, & non scindatur Ecclesia, ne vos eam culpam veluti schismatis auctores sustineatis. Dico enim & planè protestor, ea quæ à vobis acta sunt, non esse pacis, sed schismatis.* Scilicet quia violati sunt canones, quos Sedes Apostolica summè vult observari. Quia quidquid actum est ab Orientalibus, non jure sed auctoritate actum est, contrà quàm agendum esse Sedes Apostolica dictante Julio præscribit.

Undecimò post quædam alia: *Quapropter quemadmodum conscius est Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, hæc putavi necessaria esse, quæ vobis scriberentur, tum ut parcerem vestræ existimationi, tum quia optarem Ecclesias non in perturbatione esse, sed secundùm canones Apostolorum regi.* Orientales auctoritate, sed Apostolica Sedes canone regendam esse Ecclesiam curabat.

Duodecimò post quædam alia: *Nam si ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundùm canonem, & non isto modo judicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, ut*
10 *ita ab omnibus quod justum esset, decerneretur.* Paucis multa complectitur; Non absoluta scilicet auctoritate, sed canone gubernandam esse Ecclesiam, & dirimenda Ecclesiæ negotia.

Decimotertiò post pauca sic concludit: *Non ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres docuerunt, sed fastus iste & novum studium est. Obsecro vos cum alacritate audire; pro publico bono ista scribo. Quæ enim accepimus à beato Petro Apostolo, ea vobis significo non scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos conturbâssent.* Sedes Apostolica non potuit validiùs testari aut certiùs, canone, qui Synodi multorum videlicet Episcoporum opus est, non auctoritate, quæ unius Episcopi proprius motus est, regendam esse Ecclesiam, quàm per Julium in Epistola ad Orientales testatur. Deinde subjicit, quod observatione dignum est maxima, regendæ Ecclesiæ modum hunc à Petro & Paulo utique proficisci.

Tertius est Liberius, qui anno CCCLII. Romanam cœpit Ecclesiam administrare, in Epistola ad Constantium Augustum. *Testis est mihi Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide, & me in Deum meum cuncta mundana, ita ut Evangelica & Apostolica ratio præcepit calcare, atque calcâsse, non furere temerario, sed constituto atque observato jure Divino, atque in alio ministerio Ecclesiasticus vivens, nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, implevi: Atque ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere, & nunquam mea statuta, sed*
Apostolica ut essent firmata & custodita perfeci; secutus 11
morem ordinémque majorum, nihil addidi Episcopatui urbis Romæ, nihil minus passus sum. Qui sic loquitur, non proprio motu, sed canone regendam esse Ecclesiam arbitratur. Deinde quibusdam interpositis subjungit: *Unde iterum atque iterum mansuetudinem tuam, animum tuum Deo deditum rogo per ejus virtutem, qui se in defensione tua quantus sis universis mortalibus approbavit, habens ante oculos ejus beneficia, qui Imperium tuum in omnibus regit. Hæc in cætu Episcoporum diligenter facit omni cum consideratione tractari, ut pacatis per te Deo favente temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, ut quæ fuerint judicio Sacerdotum Dei confirmata, cùm constituerint omnes in expositione fidei, quæ inter tantos Episcopos apud Nicæam præsente sanctæ memoriæ patre tuo confirmata est, universos consensisse.* Sic decernente Liberio res fidei non proprio motu aut voluntate, sed Conciliis tractanda & definienda est.

Quartus est Damasus, qui anno CCCLXVII. Romanus antistes creatus est, in Romani Concilii, cui præesse debuit, Epistola ad Gratianum & Valentinianum Impp. *Si in longinquioribus partibus hujusmodi emerserit quæstio, ad Metropolitani per locorum judicia deducatur examen, vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò vel ad eos, quos Romanus Episcopus, judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur. Ita ut qui depositi fuerint, ab ejus tantùm civitatis finibus segregentur, in qua gesserunt Sacerdotium, ne rursus impudenter usurpent, quod jure sublatum sit. Certè si Metropolitani, vel*
cujusve alterius Sacerdotis suspecta gratia, vel iniquitas 12
fuerit, vel ad Romanum Episcopum, vel ad Concilium certè quindecim Episcoporum finitimorum ei liceat provocare. Hæc est Concilii, hæc est Damasi sententia, ut Ecclesiastica judicia non auctoritate, sed jure, non imperio, sed canone in Conciliis edito fiant.

Quintus est Siricius, qui anno CCCLXXXV. Romanæ Ecclesiæ præsidere cœpit, in Epistolæ ad Himerium Tarraconensem Episcopum capite XII. *Feminas verò non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantùm quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem Synodus Nicæna permisit.* Nicænum Canonem exequitur, & eo regendam esse Ecclesiam demonstrat.

Sextus est Innocentius I. qui anno CCCCII. Sedis Apostolicæ rectionem obtinuit, in Epistola ad Toletanæ Synodi præsules capite II. *Dehinc Tarraconensium Episcoporum est causa tractanda, qui pari modo Minicium in Gerundensi Ecclesia Episcopum ordinâsse conquesti sunt, & juxta canones Nicænos, sententia de tali usurpatione ferenda est.* Hic non auctoritas seu voluntas Innocentii, sed canones norma sunt judicandi. Ex hac gubernandæ Ecclesiæ forma proficiscitur Epistola, quam Innocentius in beati Chrysostomi causa scribit ad Constantinopolitanos Clericos. Hæc apud Sozomenum refertur in libri VIII. hist. capite XXVI. Verba sunt: *Nos quantum ad Canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus qui Nicææ determinati sunt: Quibus solis obtemperare & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet.* Et paullo post: *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria*
erit Synodalis cognitio, quam etiam multò jam antea con- 13
gregandam duximus. Ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest. Generalis Concilii Canonem appellat.

In Epistolæ ad Decentium Eugubinum Episcopum præfatione: *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur: sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum*

populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humanâ traditione corruptas, putant sibi aut Ecclesiis non convenire, aut ab Apostolis vel Apostolicis viris contrarietatem indultam. Non auctoritate, sed Ecclesiasticis institutis, quæ a majoribus derivantur, temperandi sunt Christianorum mores.

In Epistolæ ad Victricium Rotomagensem Episcopum præfatione: *Propter eos igitur, qui vel ignorantia vel desidia non tenent Ecclesiasticam disciplinam, & multa non præsumenda præsumunt, rectè postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet Ecclesia Romana, forma servaretur, non quò nova præcepta aliqua imperentur, sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus: Quæ tamen Apostolica, & Patrum traditione sunt constituta.* Non privato motu, sed canone, non suis præceptis, sed antiquis Patrum constitutionibus administrandam esse Ecclesiam proponit, & ita confirmat: *Scriptum est namque ad Thessalonicenses Paulo*
14 *monente: State & tenete traditiones nostras sive per verbum, sive per Epistolam.* Et paullò pòst configit publicam illorum offensionem qui auctoritate & proprio motu, gubernant Ecclesiam. *Extiterunt*, inquit, *nonnulli, qui statuta majorum non tenentes castitatem Ecclesiæ suæ præsumptione violarunt, populi favorem sequentes & Dei judicium non timentes.*

Deinde in hujus Epistolæ capite I. *Ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare. Integrum enim judicium est, quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec unus Episcopus ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim à Synodo Nicæna constitutum est atque definitum.*

Tum in capite II. *Item siquis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum admitti omnino non debeat. Si quæ autem causæ vel contentiones inter Clericos tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundùm Nicænam Synodum congregatis ejusdem provinciæ Episcopis jurgium terminetur.* Et paullo post: *Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, post judicium Episcopale referantur.* Præterea in cap. VI. *Ut de aliena Ecclesia Clericum ordinare nullus usurpet, nisi ejus Episcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Synodus statuit Nicæna, ut abjectum ab altero Clericum altera Ecclesia non recipiat.*

In Epistolæ ad Felicem Nucerinum Episcopum capite I. *Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipse volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt: cui verò casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit,*
15 *aut aliquid faciens se non sponte percussit, hoc Canones præcipiunt, & Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici.*

In Epistola ad Agapetum, Macedonium, & Marianum Episcopos Apuliæ: *Multa in provincia vestra contra Canones Ecclesiasticos, decretáque majorum usurpari à plurimis, & relationes diversorum & suggestiones fidissima retulerunt; quæ quidem possent facilè resecari, si Episcopi in hæc non invenirentur auctores: Qui dum aut amicis, aut obsequentibus gratiam præstare nituntur, religionem violant, ordinésque corrumpunt. Ac sic evenit ut indigni quippe honores suscipiant Ecclesiasticos, & adgnitantur ad Clerum, qui nec inter laicos quidem dignum locum habere mererentur, sicut nunc dato nobis libello monstratum est. Modestum quendam multis criminibus involutum, propter quæ etiam pœnitentiam egisse dicitur, non solùm Clericum effectum, quod non licet, verumetiam ad Episcopatus apicem eum tendere, cùm Canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludant. Et ideo, fratres charissimi, perspecto tenore libelli eum jubebitis præsentari, ac si verè constiterit talem, qualem libellus affirmat, non solùm ab ambitione Episcopatus, sed etiam à Clericatûs removeatur officio.* Canones ubique ut norma Ecclesiæ proponuntur, sed auctoritas & arbitrium nusquam.

In Epistola ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum: *Sententia mea exposui atque edixi tenorem. Jam prudentiæ erit tuæ, consors mihi frater cum unanimis & consacerdotibus nostris hanc ipsam rem in Synodo religiosissima retractare, ut si nihil dispositioni nostræ resultat, nobis plenissimè apertéque rescribas, quo deliberatam Paschalem diem jam literis antè ut moris est servandam suo tem-* 16
pore præscribamus. Non auctoritate, sed Canone, non privato motu, sed Concilio Paschalem diem definiendum esse præscribit.

In Epistola quadam ad Alexandrum Antiochenum Episcopum: *Revolventes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium per orbem terrarum explicat mentem sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, esse necessarium custodire, quæ super Diœcesim suam prædictam Ecclesiam non super aliquam provinciam recognoscimus constitutam.* Sic Canone, non auctoritate res Antiochenæ Ecclesiæ decidi debent.

In Epistolæ ad Rufum & Eusebium & cæteros Macedoniæ Episcopos, capite V. *Jam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse, ac fuisse regulas veteres, quas ab Apostolis aut Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit, custodiendásque mandat his, qui eam audire consueverunt, sed necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate debet utique cessare pariter quod urgebat, quia alius est ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. Sed Canones apud Nicæam constituti de Novatianis fieri permiserunt, priùs ille Canon à Patribus institutus ponendus est, ut possimus advertere quid vel qualiter ab eisdem sensum sit vel præceptum.* Doceri vix potuit apertiùs, non auctoritate, sed jure seu Canone regendam esse Ecclesiam.

Denique in Epistola ad Theophilum Alexandrinum, 17
quæ apud Palladium in Dialogo de vita Joannis Chrysostomi refertur: *Si conscientia confidis, tu quoque judicio accurre ad Synodum proximè in Christo celebrandam, & illic juxta Nicæni Concilii Canones & decreta contende. Alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia.* Hac autem forma judicandi quid clarius? Qui sic scribit, non potest non censere gubernandam esse Canonibus Ecclesiam.

Septimus est Zosimus, qui anno CCCCXVII. Romanæ Ecclesiæ administrationem suscepit, in Epistolæ ad Hesychium Salonitanum Episcopum capite I. *Exegit Dilectio tua præceptum Apostolicæ Sedis, in quo Patrum decreta consentiunt, & significas nonnullos ex Monachorum populari cœtu, quorum solitudine quævis frequentia major est, sed & laïcos ad Sacerdotium festinare. Hoc autem specialiter, & sub prædecessoribus nostris, & nuper à nobis interdictum constat, literis ad Gallias, Hispaniásque transmissis, in quibus regionibus familiaris est ista præsumptio: Quamvis nec Africa super hac admonitione nostra habeatur aliena, nequis penitus contra Patrum præcepta, qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, & temporis approbatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ Sacerdotium adspirare præsumeret, & non solùm in eo ambitio inefficax haberetur, verumetiam in ordinatores ejus ut carerent eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderunt præsumendum. Unde miramur ad Dilectionem tuam statuta Sedis Apostolicæ non fuisse perlata. Laudamus igitur propositum constantiæ tuæ, frater charissime, nec aliud de Pontificii censura veteris auctoritatis genus expectandum* 18
fuit, quàm ut talibus ambitionibus pro præceptis Patrum in procinctu fidei constitutus occurreres. Igitur si quid auctoritati tuæ, quod nos non opinamur, æstimas defuisse, supplemus. Vos obsistite talibus ordinationibus, obsistite superbiæ & arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum Apostolicæ Sedis auctoritas. Zosimus proprios motus & consilia Episcoporum ab Ecclesiæ administratione removit; in eorum locum substituit canones & Patrum decreta, quæ diligenter observentur. Deinde

Apo-

Apostolicæ Sedis statota ea sunt; quæ sacris canonibus & Patrum decretis adjungantur: & sic canone, non auctoritate regitur Ecclesia.

Octavus est Bonifacius I. qui anno CCCCXIX. ad beati Petri Sedem adivit, in Epistola ad Hilarium Narbonensem Episcopum: *Difficilem quidem fidem querimoniis commodamus, quarum Sacerdotes Domini pulsat intentio, maximè, cùm eos loquuntur quippiam contra Patrum statuta tentasse, sed frequenter hoc asserit, sicut nunc, multitudo causantium. Ecce enim ut charitas tua recognoscit ex subditis, Lutubensis Ecclesia Cleri ordo vel plebis, preces suas, vel lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore miserunt, dicentes, coepiscopum nostrum Patroclum sua petitione cessante in locum decedentis Episcopi nescio quem in aliena provincia, prætermisso Metropolitano contra Patrum regulas ordinâsse, quod nequaquam possumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicæna, quæ ita præcipit, ut eadem propriè verba ponamus:*
19 *Per unamquamque provinciam jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas, quod illi, quia aliter credendum non est, servandum S. Spiritu suggerente sibimet, censuerunt. Unde frater carissime, si ita res sunt, & Ecclesiam supradictam provinciæ tuæ limes includit, nostra auctoritate communitus, quod quidem facere sponte deberes, desideriis supplicantium, & voluntate respecta ad eundem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani jure munitus, & præceptionibus nostris fretus accede: intelligens arbitrio tuo secundum regulas Patrum, quæcunque facienda sunt, à nobis esse concessa, ita ut peractis omnibus Apostolicæ Sedi quidquid statueris te referente clarescat, cui totius provinciæ ordinationem liquet esse mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat, nec aliquis in illorum contumeliam partibus suis, quæ sibi non videntur concessa, defendat. Cesset hujusmodi prava nostra auctoritate præsumptio eorum, qui ultra licitum sua limitem dignitatis extendunt. Quod idcirco dicimus, ut advertat charitas tua adeò nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus Metropolitani sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.* Hic Pontifex cannnum præcepta servat, & ut ab aliis serventur, præcipit. Nempe noverat Ecclesiam canone, non auctoritate regendam esse.

Nonus est Celestinus, qui anno CCCCXXIV. Bonifacio successit, in Epistolæ I. ad Episcopos Viennensis & Narbonensis provinciæ, capite III. *Primùm ut juxta decreta canonum unaquæque provincia suo Metropolitano*
20 *contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec usurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam. Sit concessis sibi contentus unusquisque limitibus.*

Iterum in Epist. ad Episcopos per Apuliam & Calabriam constitutos: *Nulli Sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa, frangatur?*

Denique in Epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium & alios Episcopos per Illyricum constitutos: *Facilè disciplina subdi se patitur, qui ipsam, ut condecet, amplectitur disciplinam. Ita enim ordinatio cuncta se habet, ut majoribus ea, quæ sub his esse docentur, obediant: Et in hoc gradu regularum cuncta vertuntur, nósque præcipuè circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractando, Christus in sancto Petro Apostolo, cùm illi claves aperiendi, claudendique daret, indulsit, & inter Apostolos suos, non qui altero esset inferior, sed eum maximè, qui esset primus, legit. Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti canonibus, cum canonum præcepta servamus.* Non aliter quàm canonibus & Sedis Apostolicæ decretis, ex iisdem sacris cannnibus promolgatis unamquamque gubernandam esse provinciam censet. Et revera vix aliquid reperiri potest, quod auctoritati, seu privato motui magis opponatur.

Decimus est Sixtus III. qui anno CCCCXXXII. Romanæ Ecclesiæ Sacerdos optatus est, in Epistola ad Proclum: *Licet fraternitatem tuam disciplinis Ecclesiasticis*
eruditam ea omnia, quæ ad regularum & Canonum obser- 21
vantiam pertinent, custodire summa sollicitudine noverimus, nec quidquam aut ipsam facere aut facere alios Sacerdotes se cohibente permittere, quod vetusta Patrum constituta pervertat, documentis evidentibus probaverimus. Et quibusdam interpositis: *Sufficiant ergo quæ scripsimus, frater carissime, quoniam ad hæc corrigenda atque servanda animum tuum atque censuram nobiscum sentire confidimus: Quoniam unum cor & animum, ut dicit Scriptura, circa religionis observantiam, canonum custodiam, & disciplinam Ecclesiasticam retinendam nos habere & debemus & credimus.*

Deinde in Epistola ad Episcopos per Illyricum constitutos: *Ergo vobiscum, quod ad regularum canonúmque custodiam proficere novimus, pro sollicitudine nostra conferimus sequestre filio nostro Artemio Presbytero, cujus nobis efficacia in agendo pariter & moderatio placuit & amor, ut traditus trames à Patribus firmus vestræ dilectionis vestigiis teneatur, & ea, quæ à nobis propter quietem Ecclesiarum sunt custodita, serventur.* Et quibusdam interpositis: *A canonum præceptis vestrûm nemo discedat, nec ab his deviet, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apostolicæ decrevit auctoritas.* Qui Pontifex ita scribit, mirum quantum abhorret ab illorum sententia, qui non canones, sed absoluta auctoritate regendam esse Ecclesiam putarent.

Undecimus est Leo I. qui anno CCCCXL. beati Petri navem conscendit, in sermone V. de Jejunio decimi mensis, ubi docet qua ratinne Manichæos dam-
navit: *De sacris tamen eorum, quæ apud illos tam ob-* 22
scœna sunt, quàm nefanda, quod inquisitioni nostræ Dominus manifestare voluit, non tacemus, ne quisquam putet nos de hac re dubia fama & incertis opinionibus credidisse. Residentibus itaque mecum Episcopis ac Presbyteris, ac in eundem consessum Christianis viris ac nobilibus congregatis electos & electas eorum jussimus præsentari. Qui cùm de perversitate dogmatis sui & de festivitatum suarum consuetudine multa referarent, illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt, quod tanta diligentia investigatum est, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Quod ejusmodi Concilin fit, canone fieri censetur.

In Epistolæ I. ad Episcopos per Campaniam, & Picenum &c. Constitutos, præfatione: *Ut nobis gratulationem facit Ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non levi nos mœrore contristat, quoties aliqua contra statuta canonum, Ecclesiasticámque disciplinam præsumpta, vel commissa cognoscimus: Quæ si non quâ debemus vigilantia, resecemus, illi qui nos speculatores esse voluit, excusare non possumus, permittentes sincerum corpus Ecclesiæ (quod ab omni macula purum custodire debemus,) ambientium improba contagione fœdari, cùm ipsa sibi membrorum per dissimulationem compago non congruat.* Leo cùm ita loquitur, omnino demonstrat canone, non auctoritate, non motu proprio gubernandam esse Ecclesiam. Quod in ejusdem Epistolæ capite V. confirmat apertissimè, cùm dicit: *Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii,*
quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasti- 23
cis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut siquis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Pontifex istiusmodi decretorum genera esse duo significat, alia, quæ ex sacris cannnibus promulgantur, alia verò quæ non promulgantur. Prioribus regitur

Ecclesia, non posterioribus, quæ proprio motu & absoluta auctoritate eduntur vel edi possunt. Leo posteriora ut Ecclesiarum rectioni inopportuna prætermittit.

In Epistola III. ad Julianum Aquileiensem Episcopum: *Circa quos etiam illam canonum constitutionem præcipimus, ut in magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.* Et paullò post: *Non autem dubitet Dilectio tua, nos si, quod non arbitramur, neglecta fuerint, quæ pro custodia canonum, & pro fidei integritate decernimus, vehementiùs commovendos: Quia inferiorum ordinum culpa ad nullos magis referenda sunt, quàm ad desides negligentésque rectores.* Sic sacris canonibus derogandum non esse statuit, ut salubriter gubernetur Ecclesia.

In Epistolæ IV. ad Episcopos Siciliæ capite VII. *Quare illud primitus pro custodia concordissima unitatis exigimus, ut quia saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem III. Calendarum Octobrium Romam fraterno Concilio sociandi occurrant, & indissimulanter à vobis hæc consuetudo ser-*
24 *vetur. Quoniam adjuvante gratia Dei faciliùs poterit*
provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram beatissimo Apostolo Petro semper in communione tractatum fuerit, ut omnia instituta, canonúmque decreta apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant. Hæc omnia privatum motum & absolutam auctoritatem longè propulsant.

In Epistola V. ad Dorum Beneventanum Episcopum: *Judicium, quod de te sperabamus, dolemus esse frustratum, quando ea te commisisse perspicimus, quæ omnem Ecclesiasticæ sanctionis regulam culpabili novitate fœdarent, cùm plenissimè noveris, quanta sollicitudine per omnes Domini Ecclesias paternorum velimus canonum præcepta servari, & hanc maximè curam ad Sacerdotes universarum plebium pertinere, ut sanctarum constitutionum regula nullis corrumpantur excessibus.* Perurget, ut canonibus gubernetur Ecclesia.

In Epistola XXVIII. ad Faustum & cæteros Archimandritas Constantinopolitanos: *Quoniam ea, quæ nuper in Ephesо contra justitiam, vel canonum disciplinam per unius hominis impudentiam gesta sunt, nulla Catholicæ fidei ratio rata esse permittit.* Atque hoc ipsum ostendit, Leonem in ea esse sententia, ut credat, non aliter quàm canonum disciplina regendam esse Ecclesiam.

In Epistolæ LIII. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum capite I. *Decessore tuo beatæ memoriæ Flaviano propter Catholicæ veritatis fidem ejecto, non immeritò credebatur, quòd ordinatores tui contra sanctorum canonum constituta, viderentur sui similem consecrâsse.* Anatolii ordinationem accusat, quòd non jure, sed auctoritate facta fuerat.

25 Deinde in capite II. *Post illa itaque ordinationis*
tuæ non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc Dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere. Paternorum canonum violationem Anatolio non objiceret, nisi paternis canonibus, non arbitrio cujuscunque regenda esset Ecclesia.

Tum in capite III. *Nimis ergo hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria.* Quorsum ista Leo, si auctoritate & proprio motu, non canonibus gubernari bene posset Ecclesia?

Præterea in capite IV. *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Arrio cum sua impietate damnato mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, & si quid usquam aliter, quàm illi statuerunt, præsumitur, sine canctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa, & manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum, sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine charitatis se exerceat: Cujus satis uberes fructus Constantinopolitanus potest antistes accipere, si magis humilitatis virtute nitatur, quàm si spiritu ambitionis inflетur.* Qui Pontifex de tam firmo & tam longo Nicænorum canonum usu & conditione ita sentit, gubernan-
dam esse canonibus, non proprio motu Ecclesiam 26
non potest non sentire. Hinc efficitur, ut humilitatis virtutem, qua quis se sacris submittit canonibus, ambitionis spiritui, quem privatus motus & absoluta auctoritas præ se fert, opponere non formidet.

In Epistolæ LIV. ad Martianum Augustum capite II. *Qui* (Anatolius) *etiamsi præcipuis meritis, optimóque judicio legitimè fuisset, ac solemniter ordinatus, contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra Sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adjuvari. Apud Christianum & verè religiosum, veréque orthodoxum principem loquor, multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento.* Sic vindicat sacros canones, quibus regenda est Ecclesia, nec vindicaret tam fortiter, si auctoritate, ut Gregorius Magnus loquitur, illam gubernari posse existimaret.

Deinde in capite III. *Privilegia Ecclesiarum Sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari.* Non potuit eos tractare acerbiùs, qui aliter quàm sacris canonibus regi posse Ecclesiam docerent.

Tum paullò pòst: *Ad meum tendit reatum, si paternarum regula sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen Spiritu Dei instruente sunt conditæ, me, quod absit, connivente violentur, & major sit apud me unius fratris voluntas, quàm universæ domus Domini communis utilitas.* Nicænorum canonum assertorem ac vindicem se præstat. Ita ut facile significet, canonibus, non propriis motibus, regendam esse Ecclesiam.
Et certè si aliter crederet, eum se non præstaret ca- 27
nonum executorem, qualem se præstat.

Denique in capite V. *Unde quia convenit fidei vestræ vel gloria, ut sicut hæresis, Deo per vos agente, destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur: Agite quod & Christiana est probitatis & regia, ut prædictus Episcopus pareat Patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochenum sine ullo exemplo, contra statuta canonum, Episcopum ordinare præsumpsit: Quod amore reparandæ fidei & pacis studio retractare cessavimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum injuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab universali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat.* Cùm auctore Leone aliquid agere contra canones, est, se ab universali Ecclesia abscindere, quis non videt, & unumquemque Episcopum etiam Romanum canonibus subiici, & iisdem canonibus, non privatis motibus regendam esse Ecclesiam?

In Epistolæ ad Pulcheriam augustam capite II. *Quoniam statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur, ita ut siquis diversum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat: Quæ si (ut oportet) à cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia, nulla de mensuris harum dissensiones, nulla de ordinationibus lites, nulla de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena usurpatione certamina, sed ea, quæ jure charitatis rationabilis est, & morum & officiorum servabitur unanimitas.* Eandem semper tundit incudem, nempe ut serventur 28
canones, quibus gubernanda est Ecclesia. Alioqui pax nul-

nulla inter Christianos erit, si privatis uniuscujusque motibus & auctoritate, ut sanctus Gregorius loquitur, regatur. Porro nomine privilegiorum de quibus Leo mentionem facit, ea non intelligit, quæ sacris Canonibus derogarent. Absit: pugnaret enim secum, qui tam consequenter scribit. Ecclesiarum jura intelligit, quæ apud Leonem privilegia dicuntur. Id omnino confirmatur ex eis, quæ in capite III. tradit his verbis: *Si multo plures alii, quàm illi* (Nicæni Patres) *statuere decernerent, in nulla reverentia sit habendum, quid fuerit à prædictorum constitutione diversum.*

In Epistola LIX. ad Martianum Imp. *Mihi autem multam fiducia Deo per vos operante collatam est, quòd probasse vos observantiam meam de custodia canonum paternorum, pietatis vestræ affatibus indicastis, & meritò geminatur gaudium meum, cùm vobis religiosissimè placere cognosco, ut & fides Nicæna suam teneat firmitatem, & privilegia Ecclesiarum illibata permaneant.* Dum sacri custodiuntur canones, Ecclesia privatis motibus non perturbatur. Sed perspice, quid importent verba hæc: *Probastis meam de custodia canonum paternorum observantiam?* Leonem ipsum sacris subjectum esse canonibus significant, ut proximè confirmabitur.

In Epistola LXI. ad Juvenalem Hierosolymitanum Episcopum: *De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura* 29 *Ecclesiarum, sicut ab illis CCCXVIII. Patribus divinitus inspirata sunt, ordinata permaneant.* Nicænæ Synodi decreta non essent inviolabilia, si aliter, quàm decreta illa præscribunt, regeretur Ecclesia: & quia si aliter regeretur, ambitu, cupiditate, auctoritate regeretur, subjicit quæ sequuntur: *Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim exortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum canonibus discreparit. Quorum regulis Apostolica Sedes, quàm reverenter utatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani antistitis conatus repuli, poterit sanctitas è lectione cognoscere, me auxiliante Domino & Catholicæ fidei, & paternarum traditionum esse custodem.* Quot ferè verba, tot fulmina, quibus qui putant auctoritate potiùs, quàm canone regendam esse Ecclesiam, illos percuti constat.

In Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite III. *Tanta apud me est Nicænorum canonum reverentia, ut ea, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari.* Violarentur utique, si canonum loco proprius motus sufficeretur.

Deinde in capite IV. *Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quòd quid à quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacunque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolvi, quàm prædictorum cano-* 30 *num regulas ex ulla parte corrumpi.* Generale Leonis pronunciatum est, quo planè decernitur, id quod in Epistolæ argumento nobis sumpsimus.

Tum in capite IV. *Hoc tamen proprium definitionis meæ est, ut quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorundam surreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum constitutionibus inveniatur adversum, id justitia consideratione cassetur: Quoniam universæ pacis tranquillitas, non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur.* Hoc palam loquitur non auctoritate, quæ pacem turbaret Ecclesiæ, sed canone, qui pacem Ecclesiæ confirmaret, Ecclesiam gubernandam esse.

Denique in capite V. *Quidquid præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab illorum regulis constitutionéque discordat, Apostolicæ Sedis nunquam obtinebit consensum.* Quasi diceret: Apostolica Sedes consentiet nunquam, ut aliter, quàm sacris canonibus gubernetur Ecclesia. Facessant igitur, proprius motus, auctoritas, privilegia, quæ Synodalium Conciliorum regulis derogent vel repugnent.

In Epistolæ LXXI. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum capite I. *Sed cùm in injuriam canonum, ut agnoscis, illa tentata sunt, quæ omnibus Ecclesiis scandalum maximum generarent, quid aptius, ac modestius facerem, quàm ut te primum, ut ab hac intentione discederes, fraterno animo missis literis admonerem?* Offensionem concitant publicam, qui non sacris canonibus, sed auctoritate sua Ecclesiam moderantur. 31

Deinde in capite III. *Abjiciatur inconcessi juris, qui dissensionem fecerat appetitus: sufficiant limites, quos sanctorum Patrum providentissima decreta posuerunt, ut quieta sit suis meritis, & antiquis privilegiis dignitas omnium Sacerdotum renovetur, & maneat in te Dominicæ charitatis affectio: Ad quam Dilectionem tuam sæpius cohortatus sum cum fratre & coëpiscopo nostro Juliano, qui communem gratiam semper optavit: Cujus industria & sollicitudines tuæ revelabuntur & fides Catholica munietur. Super autem omnia fraterna charitate hortor, & moneo, ut ea, quæ ad gloriam, vel ad munimenta pertinent Sacerdotalis officii, Nicænorum canonum universalis Ecclesiæ pacem servantia decreta custodias. Sic enim inter Domini Sacerdotes inviolata charitas permanebit: Si paribus studiis, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, serventur.* Sic privatis studiis & conatibus opponit canones, quibus solis Ecclesia regatur.

In Epistolæ LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, capite II. *Igitur secundùm sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus tradita sibi antiquitus intemeratum habere decernimus, ita ut à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.* Ubique canones, quibus regatur Ecclesia, auctoritatem de qua Gregorius loquitur, obtendit nusquam. Sed quidquid illud est, periodo unica comprehendit, quæ in capite VIII. sic se habet: *Suis igitur terminis contentus sit* 32 *quisque, nec supra mensuram juris sui affectet augeri.*

In Epistolæ LXXXVII. ad Episcopos Cæsariensis Mauritaniæ capite I. *Si ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant, quàm diligens & quàm prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & cælestium dignitatum, ne in aliquo Apostolica & canonica decreta violentur, & his Ecclesia Domini regenda credatur.* Si hac in re, quam Leo tractat, Apostolica & canonica decreta non violentur, proprio motui & auctoritati dabitur nihil.

Deinde in capite II. *Superest, fratres, ut concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis & Apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini providentissima canonum decreta violari.* Quo modo rejicietur auctoritas, quam Gregorius Magnus rejicit.

Duodecimus est Hilarus qui anno CCCCLXI. Romanæ Ecclesiæ Sacerdotium adeptus est, in Epistola ad Episcopos Tarraconensis provinciæ: *Sed reprehensione justissima eorum pariter justa allegatio non carebat, quia præter conscientiam Metropolitani, fratris, & coëpiscopi nostri Ascanii nonnullis civitatibus ordinatos clarnit Sacerdotes. Unde quoniam quidquid ab alterutra parte est judicatum, omni videmus perversitate confusum, temporum necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad venium pertinere, quod gestum est, ut nihil deinceps contra præcepta beati Petri Apostoli, nihil contra Nicænorum cano-* 33 *num constituta tentetur. Hoc autem primùm juxta eorundem*

dem Patrum regulas volumus custodiri, ut nullus præter notitiam atque consensum fratris Ascanii Metropolitani aliquatenus consecretur antistes, quia hoc & vetus ordo tenuit, trecentorum decem & octo sanctorum Patrum definivit auctoritas, cui quisquis obvias tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum præceptionibus resultarit. Nicænorum canonum, quibus provincialium Episcoporum ordinatio vindicatur Metropolitano, executorem se præstat; tantùm abest, ut aliquid privato motui vel auctoritati relinquat.

In Epistolæ VIII. capite II. *Nec cuiquam licebit à regulis evagari, quas sibi juxta canonum definitiones unita fraternitas in commune præfixerit.* Paucis multa complectitur: non privato cujusquam motu regenda est Ecclesia, sed regulis & canonibus, quos unita fraternitas in commune, id est, Sacerdotale Concilium præfixerit.

Deinde in capite V. eandem serram reciprocat, apposito exemplo in Ecclesiarum prædiis, quæ nonnunquam distrahuntur: *Simul etiam super hoc universam fraternitatem volumus esse commonitam, ne prædia quæ neque deserta, neque damnosa sunt, & ad Ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consuevit necessitatibus subvenire, aliquo jure in alterum transferantur, nisi priùs apud Concilium alienationis ipsius causa doceatur, ut quod fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur.* At quandiu decreto huic parebitur, tandiu Ecclesia canone, non auctoritate, jure, non imperio gubernabitur.

In Epistola IX. *Qualiter contra Sedis Apostolicæ ve-*
34 *niens constituta sacerdotalem modestiam Mamertus Episcopus Viennensis excesserit, Dilectionis tuæ debuimus relatione cognoscere, ut ausibus talibus maturum & juxta Ecclesiasticarum ordinem regularum congruum judicium proferemus.* Ecce tibi Sedes Apostolica, quæ suis se insignibus prodit, cùm non privata vel absoluta auctoritate, sed canone & communi plurimorum deliberatione gubernat Ecclesiam, & gubernandam esse præscribit!

Decimustertius est Simplicius, qui anno CCCCLXVII. Romanam Sedem ascendit, in Epistola ad Joannem Ravennatem Episcopum: *Si quis esset intuitus Ecclesiasticæ disciplinæ, vel si quid apud te sacerdotalis modestia teneretur, nunquam plectibiles perpetrarentur excessus, à quibus si nullo te paternarum regularum poteras continere præcepto, saltem sanctæ memoriæ prædecessoris tui fueras revocandus exemplo, qui cùm faciendo Presbyterum minus deliquisset invitum, senserat tamen dignum pro tali usurpatione judicium.* Cum paternæ servantur regulæ, excessus perpetrantur nulli: Sed cùm in paternarum regularum vicem sufficitur privatum studium vel auctoritas, nulli non perpetrantur excessus.

In Epistola ad Zenonem Hispalensem Episcopum: *Congruum duximus vicariâ Sedis nostræ te auctoritate fulciri, cujus vigore munitus Apostolicæ Sedis decreta, vel sanctorum terminos Patrum nullo modo transcendere permittas.* Atque ita aditus omnis ad auctoritatem, quæ nullum servat modum, intercluditur.

Decimusquartus est Felix III. qui anno CCCCLXXXIII. Magistratum inivit, in Romana Synodo: *De Clericis autem & Monachis aut puellis Dei, aut sæcularibus, servari*
35 *præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos, qui lapsi sunt vel fuerint, servandum esse constituit, ut scilicet qui nulla necessitate, nullius rei timore atque periculo se ut rebaptizarentur, hæreticis impiè dederunt, si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes sint, septem verò annis subjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum: Duobus etiam ad oblationes modis omnibus non sinantur, sed tantummodo popularibus in oratione socientur.* Non ad arbitrium, sed ad canones plectendos esse, qui ab hæreticis rebaptizati sunt.

In Epistola I. ad Zenonem Imperatorem: *Utrum vel Episcopus dici valeas* (Acacius) *quod nomen etiamsi à pluribus Episcopis accepisset, habere non posset, vel orthodoxis plebibus contra Nicænam Synodum, contra observantiam singularem mereatur imponi, prompta in Deum pietate perpende.* Privata quorundam studia excludit, ut locus esse possit Nicænæ Synodi regulis, quibus temperandam esse Ecclesiam arbitratur.

In Epistola ad Clerum & plebem Constantinopolitanam: *Alienarum quoque provinciarum sibi jura defendens sanctorum* CCCXVIII. *Patrum canones illicitarum sibi ordinationum præsumptor est conatus evertere.* Qui Pontifex repugnantes Nicænis canonibus ordinationes abrogat, nihil prius habet vel antiquius, quàm ut Ecclesia jure non auctoritate gubernetur.

Decimusquintus est Gelasius I. qui anno CCCCXCI. initiatus est Pontifex, in Commonitorio ad Faustum: *Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resolvatur, quam & vox Christi & majorum traditio & canonum fulsit auctoritas.* Non veremur, inquit, quia Ecclesia 36
canone, non auctoritate regitur.

Deinde in Epistolæ IX. ad omnes Episcopos, seu ad Episcopos Lucaniæ capite I. *Necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum decessorúmque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri temperemus, quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum.* Cùm sola tantùm necessitas faciat, ut relaxentur canones, manifestum est indicium, Gelasium in ea esse sententia, ut canone non auctoritate gubernari debeat Ecclesia. Quod ex cap. II. confirmatur: *Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis, quæ ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri.*

Deinde in capite XVII. *De his autem, qui semetipsos absciderint, paterni canones evidenter sequenda posuerunt, quorum tenorem sufficiet indidisse. Dicunt enim, talia perpetrantes mox ut agniti fuerint, à munere clericali debere secludi, quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nullis suppeditat, præter illa, quicquam, quæ memorabilis decreverit forma, censere.* Declarare vix potuit apertiùs, non auctoritate sed jure, seu canone moderandam esse Ecclesiam.

Tum in Epistola IX. ad Orientales in Appendice ad Codicem Theodosianum: *Satis sit ostendere, quid secundùm regulas, & Patrum canones facere deberetis.* Et post alia: *Hic nulla consilio non unius urbis, vel unius Episcopi,* 37
sed totius Orientis Ecclesias sibiis animum vestrum facto sacerdotali Concilio curari, sed homines, qui in contrariam partem toto proposito, & toto recesseratis affectu, Concilia potiùs necessaria etiam studio declinastis, ne per eadem tale aliquid conferetur, quo vobis rebus evidenter ostensis, & legitimè confutatis in hæreticorum non liceret venire consortium. Sic totus est in hoc Gelasius, ut non aliter, quàm Conciliis, vel editis in iis canonibus administrari velit Ecclesiam.

Decimussextus est Anastasius II. qui Gelasio successit, in Epistola ad Anastasium Imperatorem: *Cui etiam in privata vita tantum circa sinceræ religionis studium fuit, ut sicut fama certissima celebravit, nemo magis vel inter præcipuos Sacerdotes præfixas à sanctis Patribus regulas Ecclesiæ custodisse dicatur, quod sanctum studium cum majestate Imperii crevisse confidimus.* Qui Pontifex Imperatorem à custoditis Ecclesiæ canonibus sic commendat, quo & in canones & in regendam canonibus Ecclesiam affectu sit, ostendit.

Decimusseptimus est Symmachus, qui anno CCCC. XCVIII. Sedis Apostolicæ ministerium sumpsit, in Epistola V. ad Cæsarium Arelatensem Episcopum: *Hortatur nos æquitas postulationis, desiderio fraternitatis gratanter annuere de singulis, quæ ab Apostolica Sede concedi postulas, quod à Patrum cautela & provisione non discordat.* Scilicet non ignorat, Ecclesiam sacrarum legum derogatione, id est, auctoritate regendam non esse, sed Patrum cautela & provisione, id est, canonibus.

Tum in Epistola X. ad eundem: *Tacere nos ista commissa dispensationis jura minimè patiuntur: Ut & de his* 38
quæ Ecclesiasticis regulis obsecundant, perseverantibus in

concordia

concordia Sedis Apostolicæ gratulemur, & illi, qui Catholicis regulis obtemperare destiterunt, ab Ecclesia gratia & charitate se alienos ostendunt. In Symmacho diligenter attende, quid illi commissæ dispensationis jura sinant vel non sinant? At non sinunt Ecclesiam aliter regi quàm Catholicis regulis, quibus qui non obtemperant, se ab Ecclesiæ gratia & charitate alienos ostendunt.

Postremò in Epistola XII. ad eundem: *Qui veneranda Patrum statuta custodit, amicum se absolutæ religionis ostendit, & qui providit, ut locum excessibus non relinquat, demonstrat se de bono gratia cogitare.* At locum excessibus non relinquit, qui canone, non auctoritate regit Ecclesiam. Hoc ipsum ex sequentibus confirmatur: *Quod vetustas præstitit & Patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare præsumptio.* Violaret utique, si Patrum auctoritate non regeretur Ecclesia, sed præsumptione, quæ disciplinæ novitatem importaret.

Decimus octavus est Hormisda, cujus Pontificatus initium in annum DXIV. incidit, in Indiculo, qui datus est Ennodio & Fortunato Episcopis & aliis Constantinopolim ablegatis: *Quod ad canones attinet, jam antè suggessimus: canones solvere, in religionem committere est.* His ita positis, quis diceret voluisse Hormisdam, ut Ecclesia auctoritate, non canone gubernaretur?

Deinde in Epistola XXV. ad Episcopos Hispaniæ: *De conveniendo bis in anno notum est, canones sanctos constituisse, & præfinitum quidem tempus, si possibile est, inviolabiliter convenit custodiri: Sed si aut temporum*
19 *necessitates, aut emergentes causæ hoc non patiuntur impleri, semel saltem (quamvis non licuerit) sine ulla excusatione præcipimus custodiri.* Hormisdæ præceptum quàm longe abest ab illa auctoritate, quam Gregorius ab Ecclesiastica gubernatione rejicit!

Tum in Epistola XXVI. ad Sallustium Episcopum: *Paternas igitur regulas & decreta à sanctis definita Conciliis, omnibus servanda mandamus:* Quia paternis regulis & Conciliorum definitionibus, non auctoritate absoluta gubernanda est Ecclesia.

Deinde in Epistola LVIII. ad Euphemiam Augustam: *Quæsumus, ut tandem de venerabilibus fratribus & coepiscopis nostris Helia, Thomato, & Nicostrato, quod sacratissimorum canonum dictat auctoritas, nobis decernentibus impleatur.* Hoc in loco canonnm auctoritas, qua regi debet Ecclesia, auctoritati, quam à gubernatione Ecclesiæ prohibet, opponitur.

Denique in Epistola LIX. ad Justinianum: *Angit nos & præsens dolor, & futurorum occasio procurata certaminum, per quam & venerabilium Patrum regula negligitur, & Apostolicæ Sedis putatur auctoritas posse contemni.* Tunc Sedis Apostolicæ auctoritas contemnitur, cùm venerabilium Patrum regulæ negliguntur, & Ecclesia non jure, sed auctoritate, quam Gregorius Magnus incusat, regitur.

Decimus nonus est Felix IV. qui anno DXXVI. Pontificatum Romanæ Ecclesiæ consecutus est, in Epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum. *Quapropter,* inquit, *communis consensu sub observatione venerabilium canonum ordinandum eligite Sacerdotem, ut & de nostra*
40 *simus salute solliciti, & illorum utilitatibus consulamus, qui fuerunt ad hunc ordinem diligenter adsciti.* Non sub auctoritate, sed sub observatione venerabilium canonum ordinandi eliguntur Sacerdotes, quibus postea Ecclesia gubernetur.

Vicesimus est Bonifacius II. qui anno DXXX. in Romanum Præsulem ascitus est, apud Anastasium Bibliothecarium: *Hic congregavit Synodum in Basilica beati Petri Apostoli & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis sacerdotum & jurejurando ante confessionem beati Petri Apostoli in Diaconum Vigilium constituit. Eodem tempore facta iterum Synodo hoc cassaverunt Sacerdotes omnes propter reverentiam sanctæ Sedis, & quia contra canones factum fuerat, & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius reum se confessus est majestatis, quod Diaconum Vigilium sub subscriptione chirographi ante confessionem beati Petri Apostoli constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum & Cleri & Senatus, incendio consumpsit.* Bonifacius successorem auctoritate, non jure sibi designaverat. Quam culpam pœnitentia ductus statim eluit, idque ea ratione, quæ metum & horrorem incutit & simul probat, ea quæ fiunt in Ecclesia, canone non auctoritate fieri oportere.

Vicesimus primus est Joannes II. qui anno DXXXII. in Apostolica Sede Bonifacium excepit. In Epistola ad Cæsarium Arelatensem: *Dolemus de amissione Pontificis, rigorem tamen canonum servare necesse est, atque ideo prædictum* (Contumeliosum Regensem Episcopum) *ab Episcopatus ordine nostra suspendit auctoritas.* Ubi rigor canonum servatur, ibi locus omnis est juri, quo re- 41 genda est Ecclesia, sed nullus auctoritati, qua regenda non est Ecclesia.

Vicesimus secundus est Agapetus I. qui anno DXXXV. ad moderandam Romanam Ecclesiam aggressus est, in Epistola IV. ad Justinianum Imp. *Ex quibus pietas vestra meliùs poterit æstimare, si quomodo tam aperta & Synodalia Sedis Apostolicæ licet infringere constituta, cùm sententia clamet Apostoli, si tamen quæ destruxi, & ea iterum reædifico, prævaricatorem me ipse constituo.* Deus immortalis! Quàm remota sunt hæc ab illa auctoritate, quam juri Gregorius Magnus opponit? Sed remotiora sunt adhuc, quæ tradit in Epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum: *Tanta est Deo propitio, & ad ea libentissimè concedenda, quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa tuæ fraternitatis affectum nostra devotio, ut onerosum nullatenus esse judicemus, quod animi vestris desideriis postulatis, sed revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus specialiter prohibemur, prædia juris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Qua in re vestra quoque sapientia credimus esse gratissimam, quod in nullo contra prisca definitionis constituta, vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscunque persona respectu venire præsumimus, nec tenacitatis studio, aut sæcularis utilitatis causa hoc facere nos credatis, sed divini consideratione judicii necesse nobis est, quidquid Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire.* Divina prorsus sunt verba hæc: *In nullo contra prisca definitionis constituta vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscunque persona* 42 *respectu venire præsumimus.* Item: *Divini consideratione judicii, necesse nobis est, quidquid Synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire.* Divina inquam sunt verba hæc, quæ manifestissimè declarant, fixum apud Sedem Apostolicam ratúmque esse, ut Ecclesia non imperio, sed jure, non auctoritate, sed canone gubernetur.

Vicesimus tertins est Silverlus, qui anno DXXXVI. exeunte Romanæ præesse cœpit Ecclesiæ, in Epistola ad Vigilium: *Multis te transgressionibus irretitum Sacerdotalis jamdudum novit generalitas. Et quia cruentis humano sanguine manibus decessoribus nostris pervicacia tua subripiens Leviticis præsumpseris excubare ministeriis, plerique noverunt fidelium. Nam quia contra jura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii Papæ ipso vivente successor ejus designari conabaris, nisi tibi amplissimi Senatus obviasset justitia.* Quod Silverius Vigilio exprobrat, non exprobraret, si auctoritate & non jure regendam esse Ecclesiam approbaret. Vigilius auctoritate designatus fuerat Bonifacii II. successor, sed jure postmodum refixa fuit illa designatio.

Vicesimus quartus est Vigilius, qui anno DXL. Sedis Apostolicæ gubernacula suscepit, in Epistola IV. ad Justinianum: *Rationem hic prout Christianitatis meritum vestræ postulabat, in quantum valuimus, reddidisse sufficiat, quamvis nos nihil contra Synodalia, vel prædecesso-*

rum

rum nostrorum præsulum Sedis Apostolicæ constituta, aut commisisse aliquid, aut tentâsse quisquam licèt astutus & subtilis inveniet. Nuo inveniet quidem, quia diligeoter
43 servaverat Sedis Apostolicæ traditionem, qua nihil auctoritati tribuitur.

Deinde in Epistola VII. ad Anxanium Arelatensem Episcopum: *Si qua ergo inter fratres & coepiscopos nostros in locis caritati vestræ præsenti auctoritate commissis seminante illo auctore ex antiquitate Zizania dissensiones emerserint, adhibitis vobiscum Sacerdotibus numero competenti causas canonicâ & Apostolicâ æquitate discutite, ea modo omnibus prælato judicio finiatis, quæ Deo placitis decessorum nostrorum regulis convenire possint.* Quid quæso magis contrarium est auctoritati, quam accusat Gregorius, canooica & Apostolica æquitate?

Tum io Epistola XI. ad Episcopos Galliæ de Aureliaoo Arelatensi Episcopo, cui vices suas commiserat: *Oportet ergo caritatem vestram ei in omnibus, quæ servatis per cuncta canonibus salubriter, secundùm nostrorum definitu majorum pro nostra auctoritate censuerit, præbere obedientiam competentem: & quia omnino necesse est, ut pro diversis cum fratribus Deo juvante tractandis, statutis, aptisque temporibus Episcoporum Synodum debeat congregare; idcirco præsenti auctoritate censemus, ut nullus ubi aut quando constituerit se audeat excusare, excepta infirmitatis causa, quam humana non potest evitare fragilitas, aut certè quam digna excusationis ratio fecerit non venire.* Sic ab Ecclesia prohibet auctoritatem, quæ juri oppooitur, cùm & sacros canones servari jubet & Episcoporum Syoodos congregari, quibus regendæ Ecclesiæ disciplina sanciatur.

Vicesimus quintus est Pelagius I. qui anno DLV.
44 ad Romanam accessit Ecclesiam, in Epistola II. ad Narsetem: *Nolite ergo dubitare, hujusmodi homines principali vel judiciali auctoritate comprimere, quia hoc regula Patrum specialiter constituerunt, ut si quis Ecclesiastici officii persona, cui subjectus est, restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur & damnetur.* Sic præcipit, ut quæ Ecclesiastica fiunt judicia, coovenienter Patrum regulis fiant. Quo modo illa excluditur auctoritas, quam Gregorius Magnus excludit. Deinde in Epistola XIV. ad universum populum Dei: *Canones, quos Apostolica Sedes suscipit, sequor, & Deo adjuvante defendo, neque de hac professione reticere, aut discedere aliquando promitto.* Atque ita prædictæ aoctoritati locum nullum, sed juri locum omnem relinquit.

Vicesimus sextus est Gregorius I. qui anno DXC. Romanæ Ecclesiæ gubernatiooem auspicatus est, in libri II. indict. XI. Epistola VI. ad Joanoem primæ Justinianæ Episcopum, à quo Hadriauus Thebanæ civitatis Episcopus præpositus injustè fuerat: *Sed nec alia in gestis ipsis sive per depositionem testium, sive per Hadriani professionem, quod ei potuisset obesse, reperimus. Sed tantùm fraternitas tua nescio quo mentis motu, divino humanóque jure contempto abruptam protulit in ejus damnatione sententiam, quæ licèt non esset appellatione suspensa, contra leges tamen canonésque prolata, ipsa non poterat jure subsistere.* Gregorius jure vult, non auctoritate, negotia & lites Episcoporum finiri.

Deinde in ejusdem libri & indict. Epistola VII. ad
45 Joannem Larissæum Episcopum: *Sed provenit alia contra canones ac leges in Demetrio Diacono ejus, aliisque personis crudelis atque dolorosa discussio, in qua nihil pæne repertum. Ex quo sæpe memoratus Hadrianus damnari legitimè debuisset.* Et post alia: *Hæc enim consona sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus.* Idem est semper Gregorius, qui auctoritati nihil, sed omnia canonibus attribuit.

In ejusdem libri Epistola VIII. ad Natalem Salonitanum Episcopum, quæ scribendi materiam præbuit, Gregorius iis quæ initio retulimus, subjungit: *Quia ergo non potest quemquam Episcopatus gradu nisi justis ex causis, concors Sacerdotum summovere sententia, hortamur fraternitatem vestram, ut præfatum virum ex eodem, in quo detrusus est, cutis faciatis exilio, causámque ejus Episcopali disceptatione, perquiri.* Et paullo pòst: *Executionem verò antefati negotii Antonino Subdiacono nostro ex nostra præceptione mandavimus, quatenus ejus instantia, & quæ sunt legibus canonibusque placita decernantur, & decreta juvante Deo mancipentur effectui.* Gregorius sibi semper & Sedi Apostolicæ consentit, ita ut excludatur à judiciis Ecclesiasticis auctoritas illa, quam hac in Epistola vehementer exhorrescit.

Io ejusdem libri Epistola LII. ad Joanoem Constantioopolitanum Episcopum: *Nam si canones non custoditis, & majorum vultis statuta convellere, non cognosce, qui estis.* Et post alia: *Omni mihi altercatione postposita de eorum causa statuta majorum & canonum termines custodi.* Si custodiantur, jure omoia, auctoritate oihil fiet. 46

In libri III. Epistola XXII. ad Constaotium Mediolanensem Episcopum: *Quamquam igitur fraterna dilectio hoc à te & sine nostris scriptis debeat exigere, tamen præsentibus quoque vos specialiter Epistolis adhortamur, ut adhibito vobis prædicto fratre nostro cunctos Clericos cæterósque religiosos prænominatæ civitatis & territorii ejus de excessibus, quorum aliquid est suspicionis, ad te venire compellas, atque cuncta secundùm Deum propter futuri metum judicii subtiliter inquirentes, si quem à canonum statutis recessisse reperitis, canonica eum ultione corrigite?* Canonica, inquit, ultione, non auctoritate.

Io libri IV. Epistola VII. ad universos Illyrici Episcopos: *Proinde juxta postulationis vestræ desiderium fratrem & coepiscopum nostrum in eo in quo est, Sacerdotii ordine constituimus, nostri assensûs auctoritate firmamus, ratámque nos ejus consecrationem habere dirigentes pallium indicamus. Cui quoniam juxta morem nostras vices commisimus peragendas, ideò fraternitatem vestram necessariò prævidimus adhortandam, quatenus ei in his, quæ ad ordinem Ecclesiasticum, rectitudinémque pertinent disciplinæ, sive in aliis, quibus canonum decreta non obstant, parere nullo modo differatis.* Hic auctoritati, quæ à Gregorio rejicitur, locus oullus esse potest.

In ejusdem libri Epistola XXXII. ad Mauricium Augustum: *Quis est iste, qui contra statuta Evangelica, contra canonum decreta, novum sibi nomen usurpare præsumit?* auctoritate igitur, noo canone oovum usurpavit nomeo.

In libri V. Epistola XXI. ad Petrum Hydruntinum
Episcopum: *Pastoralis nos cura constringit Ecclesiis Sa-* 47
cerdotis moderamine destitutis sollicita consideratione prospicere, ne proprio decedente rectore contrarium, quod absit aliquid Patrum regulis oriatur. Oriri posset aliquid, si non Patrum regulis, sed auctoritate vacanti Ecclesiæ Sacerdos præficeretur.

Io ejusdem libri Epistola XXIV. ad Marinianum Episcopum Ravennæ: *Nunquid non ipse nosti, quia in causa, quæ à Joanne Presbytero contra Joannem Constantinopolitanum fratrem & coepiscopum nostrum orta est, secundùm canones ad Sedem Apostolicam recurrit & nostra est sententia definita.* Ioclamat oon auctoritatem, sed canones, quibus Ecclesiasticæ finiantur controversiæ.

In libri VII. Epistola VIII. ad Episcopos Sardiniæ: *Iis, qui petere festinant licentiam, quod scitis, per canones etiam antiquorum Patrum institutione habere permissum est.* Contra Metropolitanum disceptandi liceotia Episcopis per canooes datur. Nempe nihil agendum esse sioe canonum auctoritate ceoset.

Io ejusdem libri Epistola CXII. ad Siagrium & alios Galliæ Episcopos: *De his itaque, quæ superiùs dicta sunt, fraternitatem vestram auctore Deo volumus Synodum congregare, atque ibi eâ reverendissimo fratre nostro Siagrio coepiscopo & dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate medi-*

mediantibus omnia, quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt adversa, districtè sub anathematis interpositione damnentur. Quæ sunt sacris adversa canonibus, auctoritate facta sunt, & quia sic facta sunt, damnanda.

In libri XI. epistola VIII. ad Brunichildem Reginam Francorum: *Similiter verò de quodam bigamo re-*
48 *quisiti, an ad sacrum ordinem potuisset accedere, juxta canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim ne vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa aguntur, aliquid contra Ecclesiasticam institutum fieri permittatis. Præfati autem viri magnifici filii nostri dato capitulari inter cætera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatam, ut talis debeas à nobis in Gallias persona transmitti, quæ facta Synodo cuncta, quæ contra sacratissimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore possit corrigere.* Quæ profectò perpetrantur contra canones, nonnisi damnata per Gregorium auctoritate perpetrantur.

In ejusdem libri epistola XLIV. ad Joannem Panormitanum Episcopum: *Illud autem admonemus, ut Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria, & canonum manet incolumis, atque intemerata semper auctoritas.* Gregorius nihil magis habet in votis, quàm ut canone regatur Ecclesia, non auctoritate, quæ canoni opponatur. Quinetiam Sedis Apostolicæ reverentiam in eo ponit, ut Ecclesia canone, non auctoritate regatur.

Vicesimus septimus est Martinus I. qui anno DCXLIX. ordinatus est Romanæ Ecclesiæ Episcopus, in epistola V. ad Joannem Philadelphiæ Episcopum: *Impossibile est ea contegere, vel prætermittere, quæ continentem locum defensionis non habent, sed omnino in iis, qui libenter peccant & amant peccare, denegare oportet eam veniam, quæ in hujusmodi lapsibus ex dispensatione datur, ne ut ipsi propter canonis contemptum ampliùs graventur, & nos in culpa simus, injustè agendi iis licentiam per-*
49 *mittentes. Defensores enim divinorum canonum sumus, non prævaricatores, quandoquidem prævaricationibus conjunctæ manifestè retributiones sunt. Cujus rei gratia hortamur canonem observari in iis, qui præter mentem ac scientiam seipsos elegerunt, vel delecti sunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronii.* Martinus longè ac latè propulsat illam auctoritatem, quæ apud Gregorium juri & canoni opponitur. Prævaricatorem eum duceret, qui aliter, quàm per canones regendam esse Ecclesiam arbitraretur.

Vicesimus octavus est Vitalianus, qui anno DCLV. Romanæ Ecclesiæ præsidere cœpit, in epistola I. ad Paulum Archiepiscopum Cretensem: *Itaque statuimus atque firmamus, per hujus nostræ præceptionis auctoritatem, omnia, quæ à te tuáque Synodo contra canonum statuta, contráque legum decreta, gesta, confectave sunt, vel sententiam promulgatam adversus eum inania & vacua esse.* Et quibusdam interpositis: *Denominatum Joannem utpote innocentem existentem cum præsenti nostra præceptione absolvimus.* Et post alia: *Quæ præcipimus tibi secundùm Deum & propter Dominum, tuaque Synodo, inde illico peragere, ne cogamur non misericorditer, sed secundùm virtutem sacratissimorum canonum conversari.* Sic regendam esse canonibus Ecclesiam contendit, ut statim quæ contra canones fiunt, irrita & cassa esse decernat.

Vicesimus nonus est Gregorius II. qui anno DCCXIV. Romanæ Ecclesiæ gubernationem assecutus est, in epistola VI. ad Clerum & populum: *Probabilibus desideriis nihil tarditatis præstantes, fratrem jam & coepiscopum nostrum Bonifacium vobis ordinavimus Sacerdotem,*
50 *cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum & qui virginem non est sortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel curiæ vel cuilibet conditioni obnoxium notatúmque ad sacros ordines permittat accedere, sed siquos hujusmodi repererit, non audeat promovere.* Qui Pontifex tam abscisè scribit, auctoritati nihil, sed omnia juri & canonibus duntaxat concedet.

Tricesimus est Gregorius III. qui anno DCCXXXI. Romanæ Ecclesiæ administrationem sortitus est, in epistola VII. ad Bonifacium Episcopum: *Uvenilo à nobis Episcopus est ordinatus, & si aliquid excedit extra canonicam regulam, doce & corrige eum juxta Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam à nobis accepisti.* Romanæ igitur Ecclesiæ traditio est, ut quæ in Ecclesiarum gubernatione geruntur, non auctoritate, sed canonica regula gerantur.

Tricesimus primus est Zacharias, cui anno DCCXLI. Apostolica Sedes obtigit, in epistolæ I. ad Bonifacium Episcopum capite V. *De illo namque, qui viduam avunculi, quæ & ipsa fuit uxor consobrini sui & sacrum velamen habere monstrata est, & à beatæ memoriæ prædecessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut eam in pernicioso matrimonio assumere debuisset, absit, ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac Sede Apostolica illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive canonum sanctitatis inveniuntur.* Et hæc sunt verba cedro dignissima, quibus manifestum efficitur, Sedem Apostolicam sentire, non aliter quàm canone, seu Patrum institutis regendas esse quascunque Ecclesias. Nec auctoritati, nec sacrarum legum dero- 51
gationibus quidquam permittit. Quinetiam auctoritas & derogatio hæc à Zacharia commentitiis ac falsis rebus transcribitur.

Tricesimus secundus est Hadrianus I. qui anno DCCLXIV. in Romanum Episcopum allectus est, capite XXXVI. ex iis canonibus, quos in gratiam Angilramni Metensis Episcopi Romæ tunc agentis collegit: *Constitutiones contra canones & decreta præsulum Romanorum vel bonos mores nullius sint momenti.* Hic Romanorum præsulum decreta intelligit, quæ, ut ait sanctus Leo, *de Ecclesiasticis ordinibus & canonum sunt promulgata disciplinis.* Hadrianus igitur absolutam in regenda Ecclesia voluntatem, privatos motus & consilia reprehendit; tantùm abest, ut istud administrationis genus approbet & confirmet.

Tricesimus tertius est Paschalis I. qui anno DCCCXVII. creatus est Sedis Apostolicæ præsul, apud Anastasium Bibliothecarium: *Erat autem Patrum præceptorum seu institutorum Pontificum atque canonum, necnon legum, sanctionúmque decentissimus observator, & cuique justitiæ norma à tempore ordinationis suæ nobilissimus promulgator.* Hæc palam loquuntur, Paschalem in ea esse sententia, ut ex Romanæ Sedis traditione certò crederet, non auctoritate vel arbitrio, sed canone vel lege gubernandam esse Ecclesiam.

Tricesimus quartus est Eugenius II. qui an. DCCCXXIV. beati Petri locum occupare cœpit, in Romanæ Synodi capite XXVI. *Nulli liceat Episcoporum à subjecto Sacerdote vel aliquo Clerico & piis locis dationes ultra statuta Patrum exigere.* Ubi servantur canones, ut Eugenius præcipit, ibi nihil tribuitur auctoritati, quam 52
Gregorius I. condemnat.

Tricesimus quintus est Leo IIII. cui anno DCCCL. Romanæ Ecclesiæ impactum est Sacerdotium, in Romano Concilio, ubi Anastasius Presbyter tituli sancti Marcelli depositus est: *Sancta Synodus interea* (dixit) *requiratur sæpedictus* Anastasius Presbyter, *excommunicatus, utrum venerit, an non?* Et post alia: *Tunc venerabilis & præcipuus præsul omnibus residentibus Episcopis & Presbyteris, stantibúsque Diaconibus, & cuncto Clero dixit, O beatissimi fratres, quid vestra beatitudo de crebro dicto Presbytero, qui tanta ac talia & tam enormiter contra Patrum regulas atque statuta peregit? Mox omnes Episcopi unanimiter dixere: Quod aliud arbitrari aut perferre valemus, nisi ut sancti Patres, qui in Antiocheno Concilio residentes tertio capitulo promulgarunt, & inviolabiliter statuerunt his verbis: Siquis Presbyter parochiam suam de-*

ferens ad aliam properavit, deinde omnino demigrans in alia parochia per multa tempora nititur immorari, ulterius ibidem non ministret, maximè si vocanti suo Episcopo regredi ad propriam parochiam, & commorari obedire contempserit. Quòd si in hac indisciplinatione perdurat, à ministerio modis omnibus amoveatur, ita ut nequaquam locum restitutionis inveniat. Quam promulgationem in eum, si vobis placet, Presbyterum inferimus, & propriis manibus roboramus. Præsul summus respondit, placet. Tunc elevans seipse præclarus Pontifex de Sede sua ait: Anastasium jam nuper excommunicatum Presbyterum tituli sancti Marcelli, qui propriam parochiam relinquens in aliena per multa tempora nititur im-
53 *morari, à sacerdotali ministerio modis omnibus removemus, ita ut locum restitutionis nequaquam inveniat. Siquis autem contra hanc definitionem nostram quocunque tempore agere præsumpserit, aut eum restituere in sacro officio tentaverit, sit ei à sanctis Patribus & à nobis omnibus anathema. Post hæc omnes Episcopi in eadem Synodo residentes unanimiter dixerunt: Et nos sic judicamus, sicque irrefragabiliter statuimus.* Non motu proprio, sed Antiocheno canone, non auctoritate, sed jure, non extra Synodum, sed in Synodo depositus est Anastasius Presbyter ex eorum numero, qui nunc Cardinales appellantur.

Deinde in epistola ad Britannicæ gentis Episcopos: *Legationem denique communem omnium Episcoporum reverendissimorum nobis propositam delinquentes, qui turpissimo lucro columbam in templo Domini vendere non pertimescunt, & in sui acta improba temeritate Simonis hæreseos conjungentes, utrum possint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra ordinem Sacerdotalem fieri gradum, quod nos, qui à Deo convicti, & tam detestabile nefas, quod jam multis est damnatum Conciliis, peregisse cognoscitur, non pœnitentia illis possumus subvenire, & tantis spiritualibus Patribus obviare, sed in illorum Patrum sententia convenire, omnibus certum sit, ita tamen, ut omnia in Conciliis sint Episcoporum.* Cùm profitetur obviare se non posse Patribus, qui certas Simoniacis decreverunt pœnas, luculenter docet Ecclesiam non auctoritate, sed canone regendam esse, & quæ negotia sunt agitanda, in Episcoporum Conciliis agitanda esse.

Tricesimussextus est Benedictus III. cujus initium
54 Pontificatûs in annum DCCCLVI. incurrit, in epistola ad Hincmarum Remensem: *Inter hæc & hoc sancimus, ne quilibet tuæ Diœceseos regulis subjectus Ecclesiæ te contempto impunè audeat, seu valeat aliena expetere aut expectare judicia, ut almorum traditionibus Patrum, canonúmque promulgationibus est constitutum.* Occurrit judiciis, quæ auctoritate, non jure fierent.

Tricesimusseptimus est Nicolaus I. qui anno DCCCLVIII. Romanam Ecclesiam regendam accepit, in epistola I. ad Michaelem Imper. *In Ecclesiasticis gradibus subrogandis canonum paternorum vetus forma servetur, ne contra eos ulla ratione prævaleat, quod pro accidentis defectûs remedio providetur. Non adversus scita majorum nova lex proponitur, cæteris Ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam in faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam.* Hîc exceptio firmat regulam in exceptis. Quò fit, ut Nicolaus statuat, non motu proprio, sed canone gubernandam esse Ecclesiam.

Deinde in epistola VIII. ad eundem Michaelem, locutus de Ecclesiis, *Quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur, & hujusmodi causis sollicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, neque contra Ecclesiasticas regulas petentibus concedatis. Quia quod bene cognitum est religiosæ menti vestræ, non aliter devotio rectè potest regalis Christo famulari, nisi providentia ejus Ecclesiasticorum ordinum servetur integritas.* Nicolaus ab Ecclesia probibet auctoritatem, quæ juri & canoni opponitur.

Tum in epistola IX. ad eundem Imp. *Paternos canones non transgrediamur, sacros canones non conculce-* 55
mus, nec decretalia Sedis Apostolicæ constituta, quibus Ecclesia tota fulcitur, atque munitur, quoquo modo violemus. Decretalia constituta intelligit, quæ ex sacris canonibus promulgantur.

Denique in epistola XXII. ad Hincmarum Remensem: *Etsi id agere noluisses, saltem post appellationem Cathedræ ipsius, qui videbatur ejectus, alterum non ordinâsses, priusquam ejus causa juxta sacros canones in nostro judicio fuisset terminata.* Noverat sine dubio Ecclesiam canone regi, qui Ecclesiasticis regulis contentiones dijudicandas esse censet, non in aliis modò sedibus, sed etiam in Romana, cui principatus convenit.

Tricesimusoctavus est Hadrianus II. qui anno DCCCLXVIII. Romanus institutus est Episcopus, in epistola XXVII. ad Carolum Calvum Regem: *Sed de his nihil audemus judicare, quod possit Nicæno Concilio, & quinque cæterorum Conciliorum regulis, vel decretis nostrorum antecessorum obviare, ut de his, quod præfati canones & decreta decernunt, ipsi quoque cum ipsis unà vobiscum congregati cum nostro spiritu similiter decernimus, & quod statuunt, statuimus, & quod judicant, judicamus, nec in ullo deviantes à tenore canonico, servantes omnia jura Metropolitanis.* His in verbis nihil est ænigmaticum, nihil offusum caligine loquendi. Sedis Apostolicæ traditionem exponit, qua liquidò patet, Ecclesiam canone, non auctoritate regi.

Tricesimusnonus est Joannes VIII. qui anno DCCCLXXIII. Sedis Apostolicæ præsul effectus est, in epistola LV. ad Ursum Ducem Venetiæ: *Non ruinam eorum cupimus, absit, sed illius statum reformare* 56
provinciæ, & quidquid inter eos & Metropolitanum quæstionis & controversiæ vertitur, canonicè definire. Canonicè, inquit, non auctoritate, quæ canonibus opponatur.

Deinde in epistola CLIII. ad Episcopum Ravennatensem: *Canonicis sanctorum Patrum regulis bis per annum Concilia Episcoporum esse omnimodis celebranda, nos ob id pro multiplicibus Ecclesiarum Dei utilitatibus & necessitatibus Synodum octavo Calend. Maias Domino annuente celebrare cupimus. Ideo dilectioni tuæ jubemus, ut omni mora postposita, vos cum omnibus suffraganeis vestris Episcopis prædicto tempore venire Romam studeatis, quatenus eandem Synodum nobiscum æqualiter celebretis, ac de communi salute consideretis.* Sic removetur auctoritas, quam Gregorius primus ab Ecclesiasticis judiciis removeri cupit: Sic accersuntur canones, quibus judicia illa terminentur.

Tum in epistola CLV. ad Anspertum Mediolanensem Episcopum: *Facta Synodo communes causas & utilitates Ecclesiarum Dei nobis commissarum ordinemus, & jure canonico statuamus.* Jure, inquit, canonico, non auctoritate.

Denique in epistola CCXX. ad Ravennatensem Episcopum: *Fraternitati vestræ jubemus, ut omni mora vel occasione postposita ad denominatam Synodum, quam Deo auctore in prædicto tempore celebraturi erimus in Ecclesia beati Petri Principis Apostolorum, cum suffraganeis tuis Episcopis occurrere nullatenus permittatis, quia nos omni Ecclesiarum Dei utilitati & exaltationi sicut oportet, pari consensu & decreto more præcessorum nostrorum consulere volumus, & ideo vestram secundùm sacros* 57
canones unanimitatem adesse volumus, quatenus Ecclesiæ Dei vigor Christo favente per Synodalem censuram illibatus permaneat. Sedis Apostolicæ traditionem semper inculcat: Scilicet Ecclesiam non absoluta cujusquam auctoritate, sed canonicis regulis administrandam esse.

Quadragesimus est Silvester II. qui anno DCCCCXCIX. Romanum Pontificium obtinuit, in epist. CXLV. ad Parisiensem Episcopum: *Etsi omnis Ecclesia Catholica una atque eadem est, singulis tamen Sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quo se extendere, ubi terminis debeant*

beant collocare. Atque ita auctoritati, quæ juri opponitur, locus nullus relinquitur.

Deinde in epistola ad Segvinum Senonensem Archiepiscopum: *Sit lex communis Ecclesiæ Catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, & Sedis Apostolicæ decreta ab his non discordantia.* Et sic motus proprius excluditur, quo Ecclesia nec regitur, nec regi potest. Is enim & juri & sacris canonibus contradicit.

Quadragesimusprimus est Joannes XVIII. qui circa annum MXXIV. factus est Romanus Episcopus; in Lemovicensi Concilio II. *Rursum in Concilio conquisitum est de excommunicatis Aquitenigenis, qui ignorantibus Episcopis suis à Romano Papa pœnitentiam, & absolutionem accipiunt, & hac de causa pax & Concilium in Aquitania destruitur, dum quos isti ligant, ille injustè absolvit. Adhæc venerandus Engelricus Cancellarius sanctæ Mariæ Aniciensis Ecclesiæ cœpit explicare dicens: Stephanus Ar-*
58 *vernensis Ecclesiæ præsul ante hos annos Pontium Comitem Arvernensem excommunicatione obstrinxit pro uxore legitima, quam dimiserat, & aliam duxerat: Quem cùm nulla ratione vellet absolvere nisi emendatum, Comes à Domino Papa absolutionem accepit, ignorante Papa eum excommunicatum. Quod graviter Episcopus ferens, conquestorias literas Romam Apostolico misit, cui ille in hunc modum remisit: Quod nescienter egi, frater charissime, non mea sed tua est culpa: Scis enim, quia quicunque de universa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me causa remedii recurrit, impossibile est mihi curam ejus negligere, dicente Domino ad beatum specialiter Petrum: Petre pasce oves meas. Quo ergo modo Sedes Apostolica poterit ejicere aliquem de medela, nisi rationabili causa: Debuerat mihi antequam morbida ovis Romam veniret, ejus causam tuis innotescere apicibus, & eam ego omnimodè abjicerem, tuámque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus consacerdotibus meis ubique terrarum adjutorem me, & consolatorem potiùs esse, quàm contradictorem. Absit enim schisma à me & à coepiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam & absolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & cassam, & de ea nihil aliud speret, quàm maledictionem, quasatisfacta, tu ipse absolvas.* Hoc exemplum, quod ex antiqua Ecclesiæ traditione ducitur, mirificè probat & Romanum Pontificem & Gallicanos Episcopos fuisse persuasos, Ecclesiam non auctoritate, sed canone regendam esse.

Quadragesimussecundus est Clemens II. qui anno
59 M.XLVI. Romanæ Ecclesiæ præfecturam accepit in epistola ad Joannem Salernitanum Episcopum: *Quoties nos contingit, ut exigente necessitate vel maxima utilitate transmutandus sit quisquam Episcopus de propria Sede ad aliam, diligentissimè perquirenda est persona, utrum necessariò sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major Sedes assumitur.* Quid quæso magis oppositum est auctoritati, qua quidquid geritur, sine jure, sine lege, sine canone geritur? Hic necessitas & maxima utilitas firmant regulam in excerptis, & absolutam auctoritatem ab Ecclesiæ disciplina rejiciunt.

Quadragesimustertius est Leo IX. qui anno MXLIX. Sedi Apostolicæ præsidere cœpit, in epistola v. ad Petrum Episcopum: *Terminos, quos patres nostri fixerunt, nulli arroganter transgredi conceditur.* Et quibusdam interpositis: *Mea humilitas in culmine Apostolici throni ideo exultata est, ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet.* Ubi nemo terminos, qui à Patribus & Conciliis positi sunt, transgreditur, ibi nihil auctoritate perficitur. Sic Leo Sedis Apostolicæ traditionem exponit.

Quadragesimusquartus est Nicolaus II. qui anno MLIX. factus est Pontifex, in Romano Concilio, ubi eandem cum Clemente II. serram reciprocat: *Tanta talium* (qui à Simoniacis præsulibus ordinati sunt) *multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensativè ad pia condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus, ita tamen auctoritate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicimus, ut aliquando aliquis successorum nostrorum, ex hac nostra permissione regulam sibi vel alicui assumat vel præfigat, quia hoc non antiquitas Patrum jubendo, aut concedendo promulgavit,* 60
sed temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit. Non ita profectò loqueretur Pontifex, si putaret Ecclesiam auctoritate, non canone regi posse. Non potuit validiùs contra auctoritatem, nec apertiùs secundùm canones pronunciari.

Quadragesimusquintus est Gregorius VII. qui anno MLXXIII. B. Petri locum implevit, in libri II. epistola I. ad Sancium Arragoniæ Regem: *Quoniam erga reverentiam sanctæ Apostolicæ Sedis Regiam nobilitatem suam præ devotione & amore fervere intelligimus, te & regnum tuum dignis honoribus sublimari cupimus, & Apostolicam benevolentiam, non solùm in nostro, verum etiam in quocunque tempore tibi & causis tuis sinceræ charitatis affectum præbere desideramus. Cæterum quòd nos de causa Aragonensis Episcopatûs, & consuluisti, & te quodammodo velle significâsti, diu & multum volentes, & cum filiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertractantes, incongruum fore pervidimus, quoniam in eo canonica decreta nobis obviare cognovimus. Veniens enim ad nos sicut nôsti confrater noster Sanctius Aragonensis Episcopus multa nobis de infirmitate corporis sui conquerens, deserendi Episcopatum à nobis suppliciter licentiam postulavit, quòd & morbo confectus & pene consumptus diutiùs competentè ministerio regere & custodire non possit. Atque ut faciliùs hoc impetraret, indicavit nobis de duobus Clericis, quorum alterum in Episcopatum eligi, tuam & sui ipsius voluntatem atque consilium fore nunciavit. De quorum vita & conversatione eum interrogantes alia omnia præter quod de concubinis nati erant, bona satis & honesta accepimus:*
Et quia venerandi canones ad Sacerdotii gradum tales 61
provehi contradicunt; probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quicquam à nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere. Quot commata, tot sententiæ; quibus firmiter asseritur, jure, non auctoritate, canone, non proprio motu gubernandam esse Ecclesiam Dei. Sed è pluribus sententiis observandæ sunt hæ tres potissimùm. Sanctius Arragoniæ Rex id quod enixis precibus flagitabat, consecutus non est, etiamsi consequi debere videretur. Scilicet pontifex & Cardinales Romanæ Ecclesiæ Regis petitionem canonicis decretis adversari dicunt. Quæ ratio in causa fuit, cur rex optimus repulsam passus fuerit. Deinde Romana Ecclesia nihil agit sanctis Patribus contrarium, quod in exemplum & auctoritatem posteris relinqui possit. Tum Sedes Apostolica in suis decretis & constitutionibus à canonicæ traditionis concordia discedit nunquam.

Deinde in ejusdem libri epistola LVIII. ad Manassem Archiepiscopum Remensem: *Ecclesiasticas causas non potentia magnitudine, sed justitia censura finiri oportet:* Id est, jure, non auctoritate.

Tum in libri v. epist. v. ad Clerum & populum Aquileiensis Ecclesiæ: *Antiqua & nota sacra institutionis est regula, non ab hominibus, sed ab ipso Jesu Christo, Deo & Domino nostro, plenissima sua sapientia consideratione, & veritatis definitione sancita, ipso dicente in Evangelio: Qui intrat per ostium pastor est ovium: Qui autem non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, fur est &* 62
latro. Quapropter quod in Ecclesia diu facientibus peccatis neglectum, & nefanda consuetudine corruptum fuit, & est, nos ad honorem Dei & salutem totius Christianitatis innovare & restaurare cupimus, videlicet ut ad regendum populum Dei in unaquâque Ecclesia exigente tempore talis & eo ordine eligatur Episcopus, qui juxta veritatis sententiam non fur & latro dici debeat, sed nomen & officium

Pastoris habere dignus existat. Hæc quidem nostra voluntas, hoc nostrum est desiderium, hoc (miserante Deo) nostrum, quoad vixerimus, indefessum erit studium. Cæterùm quod ad servitium & debitam fidelitatem regis pertinet, nequaquam contradicere, aut impedire volumus. Et ideo nihil novi, nihil nostris adinventionibus superinducere conamur: Sed illud solummodo quærimus, quod & omnium salus postulat & necessitas, ut in ordinatione Episcoporum secundùm communem sanctorum Patrum intelligentiam, & approbationem primò omnium Evangelica & canonica servetur auctoritas. Quod autem nobis de electione apud vos facta significâstis, gratanter accepimus; & si ita ritè factum esse constiterit, ut in nullo vobis sacra contradicat auctoritas, teste conscientia nostra valde gaudemus, & omnipotenti Deo gratias agimus. Verùm quia (sicut suprà diximus) in hujusmodi causa non secundùm arbitrium nostrum, sed per viam & doctrinam orthodoxorum Patrum incedere cupimus, misimus ad vos hos Legatos nostros harum literarum portitores, ut causam undique diligenter inquirant; Et si eum, quem vos elegisse dicitis, vita, moribus, & scientia ad apicem tantæ dignitatis idoneum & regulariter
63 *assignatum esse perspexerint, electionem vestram (sicut justum est) nostra vice confirment. Sin autem aliquid contrarium & dignum reprehensione, quo minus ad Episcopale regimen pervenire deberet, invenerint, amoto illo talem studeatis eligere personam, quæ tanto honori & officio congruat, & quam nostra per eosdem Legatos repræsentata auctoritas approbare & confirmare debeat.* An potest, an potuit, an poterit unquam motus proprius, arbitrium proprium, quod juri & canoni opponitur, fortiùs repelli? Divina prorsus sunt: *Nihil novi, nihil nostris adinventionibus superinducere conamur, sed illud solummodo quærimus, quod & omnium salus postulat & necessitas, ut Evangelica & Canonica servetur auctoritas: Non secundùm arbitrium nostrum, sed per viam & doctrinam orthodoxorum Patrum incedere cupimus.* Quod Gregorius suprà dixit, *Causas Ecclesiasticas non magnitudine potentiæ, sed justitiæ censura finiri oportere*, id hoc in loco aliis verbis sic exprimit: *In hujusmodi causa non secundùm arbitrium nostrum, sed per viam & doctrinam sanctorum Patrum incedere cupimus.* Petrus est, Petri Sedes est, quæ per os Gregorii loquitur, non Romana Curia quæ non sic loquitur: Non Inquisitores, qui quæ non intelligunt aut nolunt intelligere, aliquando condemnant, & sic Romanam Ecclesiam impiorum ludibrio exponunt, & Catholicos fatigant. Petrum non agnoscunt jubentem, ut parati semper simus ad satisfactionem omni poscenti rationem: Opponunt Petro consuetudinem nescio quam, cujus auctores sunt ipsimet, qui opponunt.

Quadragesimussextus est Urbanus II. qui anno M.
64 LXXXVIII. consecratus est Romanæ Ecclesiæ Episcopus, in Epistola ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum: *Ex Apostolica Sedis debito & sanctorum canonum auctoritate impellimur, in omnibus ubique terrarum Ecclesiis pravè acta corrigere, & rectè statuta firmare.* Quot commota, tot quoque sententiæ; quibus quæ de Gregorio VII. observavimus, de Urbano quoque II. observare possumus. Apostolicæ Sedis debitum est, sanctorum canonum auctoritas, in omnibus Ecclesiis pravè acta corrigere, in omnibus quoque Ecclesiis rectè statuta firmare, quæ omnia jus, non auctoritatem, canonem, non proprium motum & imperium sonant. Vide igitur, quid Urbano judice Apostolica Sedes debeat, qua auctoritate ad suum debitum & munus impellatur, & ad quid obeundum impellatur: Ad corrigenda, quæ pravè acta sunt, & ad firmanda, quæ rectè statuta. Peraguntur ne ista auctoritate, quæ juri opponatur, privilegiis, quæ canonibus sacris derogent? Minimè verò: Jure tantùm & canonibus peraguntur.

Quadragesimusseptimus est Paschalis II. qui anno MXCIX. ad Romanæ Ecclesiæ gubernationem accessit, in Epistola XXIX. ad Basilium Hierosolymitanum regem: *Unaquæque provincia justitia sua limitibus perfruatur. Nec enim possumus manifestè sanctis Patrum nostrorum constitutionibus obviare. Nos enim volumus, aut pro principum potentia Ecclesiasticam minui dignitatem, aut pro Ecclesiastica dignitate principum potentiam mutilare, ne apud nos occasione alterutra pax turbetur Ecclesiæ.* Auctoritatem & proprium motum repudiat, jus & canonem asserit.

Quadragesimusoctavus est Callixtus II. qui anno
MCXIX. à Viennensi Ecclesia ad Romanam transiit, in 65
eadem fuisse cum Urbano II. sententia, sic docet in Epistola ad Stephanum Abbatem & Cistercienses Monachos: *Ad hoc in Apostolica Sedis regimen Domino disponente promoti conspicimur, ut ipso præstante religionem augere, & quæ rectè atque ad salutem animarum statuta sunt, nostri officii debeamus auctoritate fulcire.* Nostri, inquit, officii auctoritate, non proprio motu, qui cum officii auctoritate pugnat. Nam eò spectat officii auctoritas, ut religionem augeat, & quæ rectè & ad animarum salutem statuta sunt, confirmet.

Quadragesimusnonus est Honorius II. qui an. MCXXV. inauguratus est Romanæ Ecclesiæ præsul, in Epistola ad Burcardum Meldensem Episcopum: *In eminenti Apostolica Sedis specula disponente Domino constituti, ex injuncto nobis officio fratres nostros Episcopos debemus diligere, & Ecclesiis sibi à Deo commissis suam debemus justitiam conservare.* Honorius suum describit officium, & in hac descriptione auctoritati, quæ juri opponitur, & proprio motui, quo cuncta disponuntur ad arbitrium, locus nullus relinquitur.

Quinquagesimus est Innocentius II. qui an. MCXXX. in Romanum præsulem assumptus est, in Epistola ad Manassem Meldensem Episcopum: *Suscepti regiminis cura nos ammonet, ita disponente Domino, erga singulos attentam sollicitudinem atque vigilantiam adhibere, ut in Ecclesiasticis dispositionibus nulla confusio inducatur, sed potiùs unicuique suum jus & propria dignitas conservetur.* Atqui hæc fiunt omnia jure & canone, non auctoritate, non proprio motu, quo juri & canoni derogetur. Tunc
magna induceretur confusio, suum unicuique jus minueretur, 66
& propria violaretur dignitas, quod Innocentius omnino prævidit.

Quinquagesimusprimus est Eugenius III. qui anno MCXLV. factus est Romanus antistes, in Epistola VIII. ad Episcopos Germaniæ: *Quoniam igitur quicunque temporalis auræ flatibus agitentur, nos in illius petræ soliditate fundati, quæ in fundamento meruit Ecclesia collocari, ita nec volumus omni vento circumferri doctrinæ, aut à sacrorum canonum rectitudine impulsu aliquo deviare, per præsentia vobis scripta mandamus, quatenus causa isti favorem ulterius non præstetis, & apud charissimum filium nostrum Fredericum, quem Deus hoc tempore pro servanda libertate Ecclesiæ in eminentiam regni evexit, efficere vestris exhortationibus studeatis, ut & ipse à sua super hoc intentione desistat, & contra Deum, contra sacros canones, regiæ dignitatis officium, eidem causa favorem alterius non impendat: Sed Ecclesiæ Magdeburgensi, sicut & aliis Ecclesiis regni à Deo sibi commissis liberam facultatem, quem voluerint secundùm Deum, eligendi relinquat, & electionem ipsam postmodum favore suo, sicut decet majestatem regiam, prosequatur. Nos enim sic, quod de supradicto fratre nostro, facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum. Contra Deum autem & sacrorum canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.* Eugenius non solùm est observantissimus, sed etiam retinens Sedis Apostolicæ traditionum, quibus docemur, Ecclesiam canone, non proprio motu, jure, non auctoritate regendam esse. Quod & ille Pontifex
confirmat in Epistola X. ad Arnoldum Coloniensem 67
Archiepiscopum: *Sicut in humani compage corporis naturalis ratio singulis quibuscumque membris ad salutem providens speciales & proprios actus edocet, nobilioribus verò suam dignitatem conservat: Ita in corpore Ecclesiæ Apostolica providentia, secundùm sacrorum canonum institutiones*

tiones universas regit Ecclesias. Et sanè ignis cum aqua jungeretur facilius, quàm canones cum proprio motu, jus cum auctoritate, apud Eugenium jungerentur.

Quinquagesimussecundus est Anastasius IV. qui anno MCLIV. ad gubernandam Romanam Ecclesiam aggressus est, Eugenii vestigiis insistens ita scribit in Diplomate, quo Lateranensium Canonicorum regularium statum confirmat: *Æquum ergo est, ac rationabile, ut suus unicuique honor Ecclesiæ ac dignitas conservetur. Et sicut in humani corporis compage naturalis ratio singulis quibusque membris ad salutem providens speciales & proprios actus collocet; nobilioribus verò suam dignitatem conservat: Ita in corpore Ecclesiæ Apostolica providentia secundùm sacrorum institutiones canonum, universas regit Ecclesias, digniores autem & famosiores in suo statu prærogativa custodit.* Cùm igitur Apostolica providentia secundùm sacrorum institutiones canonum universas regat Ecclesias, auctoritatem & proprium motum, qui sacrorum institutionibus canonum contrarius est, excludit.

Quinquagesimustertius est Hadrianus IV. qui anno MCLV. Romanam capessivit Ecclesiam, in Epist. ad Henricum Patriarcham Gradensem: *Apostolicu officium dignitatis credita nobis & dispensationis debitum utiliter*
68 *exequi comprobamur, cùm collatam unicuique Ecclesiæ dignitatem provida sollicitudine custodimus, & singulis Ecclesiis jura sua illibata studemus integra custodire.* Hoc autem proprio motu & auctoritate non perficitur, sed jure & canone, ut apparet. Cæterùm Epistola hæc reperitur, in tomo V. Italiæ sacræ.

Quinquagesimusquartus est Alexander III. qui anno MCLX. Apostolicum munus obire cœpit, in Epistola ad Stephanum Meldensem Episcopum: *Sicut ad officium nostrum pertinet, quæ incongrua sunt, prohibere, ita nobis potissimum convenit, quæ recta sunt, stabilire, & stabilita Apostolica firmitatis præsidio roborare.* Quæ autem recta sunt, stabiliuntur quidem canone, non proprio motu, qui plerumque canoni opponitur, non auctoritate, quam Gregorius verè magnus Pontifex juri contrarium esse significat.

Deinde in Epistola ad Pisanum Archiepiscopum, Episcopos & Abbates per Thusciam constitutos: *Nam & hac verba illa* (de Inimico superseminante zizania) *sonare videntur, quibus Jeremiam Prophetam, & in eo Evangelicum Sacerdotem instruxit dicens: Dedit verba in ore tuo: Ecce constitui te super gentes & regna, ut evellas & destruas & disperdas & dissipes & ædifices & plantes. Id autem licèt universis Ecclesiarum rectoribus incumbat, multo tamen fortiùs imminet Romanæ urbis antistiti, qui à Domino Jesu Christo, ut caput esset Ecclesiæ, in beato Petro accepit, & de pascendis Dominicis ovibus & fratribus confirmandis expressum & speciale noscitur habuisse mandatum. Inde siquidem est, quòd nos licèt insufficientes meritis ad providentiam Apostolicæ Sedis & mi-*
69 *nisterium universalis Ecclesiæ à Deo, quo ut ipsi placuit disponente vocati, quia in Ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere tam ad emendanda, quæ digna emendatione videntur, quàm ad promulganda, quæ saluti fidelium visa fuerint expedire, de diversis partibus personas Ecclesiasticas, decrevimus evocandas, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur, & quod bonum, secundùm consuetudinem antiquorum Patrum providea tur & firmetur à multis. Quod si particulariter fieret, non facilè posset plenum robur habere.* Id Alexander III. videtur eo scripsisse consilio, ut proprium motum & auctoritatem, quæ apud Gregorium Magnum juri opponitur, configeret. Quod cùm ita sit, Ecclesia in Alexandri sensu, canone, non proprio motu, jure, non auctoritate regenda est.

Quinquagesimusquintus est Lucius III. qui anno MCLXXXII. Pontificatum suum inchoavit, in Epistola ad Rainaldum Noviomensem Episcopum: *Ex suscepto tenemur administrationis officio ea, quæ juri & rationi obviant, prohibere, ne fiant, & si temeritate aliqua admissa fuerint, salubri consilio revocare, ut Apostolici moderaminis auctoritate quassentur, quæ contra statuta juris canonici attentata noscuntur. Sanè multiplici conquestione didicimus, quòd Decanus & Canonici Ecclesiæ tuæ hanc à te licentiam impetrarunt, ut malefactores suos, quos vellent, quando vellent, sine tuo assensu vinculo anathematis innodarent. Adjectum est insuper, quòd quoties eis aliqua injuria vel per te vel per Castellanum, vestrósque ministros seu communia inferretur, propria possent voluntate cessare, & totam civitatem subjicere interdicto: Ita*
& quòd Abbatia & parochiales omnes Ecclesiæ eidem sen- 70
tentia subjacerent. Quia verò memorata licentia est sacris adversa canonibus, & in gravamen innocentiam introducta dignoscitur, & in ipsius Dei redundat injuriam, à cujus laudibus hac occasione cessatur, multúmque detrimentum animabus fidelium probatur afferre, eam viribus carere decernimus, & Apostolica auctoritate cassamus, cùm ipsi Canonici in præsentia nostra vel Metropolitani, vel tui ipsius, aut judicis delegati à nobis suam valeant justitiam obtinere. Alienum quippe ab Ecclesiastica gravitate videtur, & canonicis obviat institutis, ut excommunicandi potestas, quæ de judicio pendet antistitum, in multitudinis ponatur arbitrio, quæ ad hoc aliquoties animositate potiùs, quàm ratione movetur. Quod Raimaldus Noviomensis Episcopus fecerat, auctoritate, non jure, proprio motu, non canone vel Concilio fecerat. Sed Lucius quidquid, id est, jure non auctoritate, canone, non proprio motu rescindit, & unà docet regendam esse canone, non proprio motu Ecclesiam.

Quinquagesimussextus est Urbanus III. qui anno MCLXXXVI. in eminenti Sedis Apostolicæ specula constitutus fuit, in Epistola ad Guillelmum Scotorum Regem: *Cùm ex injuncto nobis à Deo administrationis officio ad universas Ecclesias aciem nostra teneamur considerationis extendere, & si qua in eis vel ministris earum irrationabiliter attentata noverimus, ad factum congruum revocare.* Quæ attentantur in Ecclesiis, ut Urbanus attentari dicit, non jure, sed auctoritate attentantur. Exinde dum corriguntur, jure, non auctoritate, canone, non proprio motu corriguntur, & ad congruum factum
revocantur. Atque ita certa & indubitata est Romanæ 71
Ecclesiæ traditio, quam Romanorum Pontificum verbis exposuimus.

Quinquagesimusseptimus est Clemens III. qui anno MCLXXXVIII. ad Apostolicæ Sedis fastigium pervenit, in privilegio, quod Præmonstratensium Ordini concessit: *In eminenti Apostolicæ Sedis specula licèt immeriti disponente Domino constituti, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, & ea tenemur sincerè amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornatum.* In Romani Pontificis officio, quod Clemens III. describit, facilè concipitur, Ecclesiam jure, non auctoritate, canone, non motu proprio gubernandam esse. Nam si auctoritate & motu proprio regeretur Ecclesia, nec augeretur religio, nec virtutes ornatum ullum acquirerent. Res hæc per seipsa liquet.

Quinquagesimusoctavus est Innocentius III. qui anno MCXCVIII. in beati Petri Sede collocatus est, in libri I. Epistola ad Nicolaum Melitensem Episcopum: *Sicut ex officio, quod nobis est divina clementia propitiante commissum, tenemur his, quæ ritè ac secundùm formam canonicam peracta esse noscantur, robur Apostolica auctoritatis impertiri, sic ad ea in irritum deducenda, quæ minùs licitè noverimus attentata, studium nos convenit & operam impendere diligentem.* Ex Apostolicæ Sedis traditione describit munus Pontificium, quo luculenter constat, Ecclesiam jure, non auctoritate, canone, non motu proprio gubernari Ab Innocentio confirmantur, quæ rite & secundùm canones peracta sunt, & ad ca-
nonum formam reducuntur, quæ ab ea uniuscujusque 72
auctoritate & proprio motu deflexerant. In eo totus est Innocentius, ut variæ illius Epistolæ demonstrant. Ad specimen duas adferimus ex libro II. Una est ad

Can-

Cantuariensem Archiepiscopum: *Quæ in derogationem sanctorum Canonum attentamur, tanto potiùs infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.*

Altera ad Moguntinum Episcopum: *Officium creditæ nobis administrationis exposcit, ut non solùm corrigamus ea, quæ perperam fuerint attentata, verum etiam illos, qui contra Ecclesiasticum honestatem & sanctorum Patrum constitutiones temeritatem suam non metuunt exercere.* Nescio an fingi excogitari-ve possit aliquid, quod reprehensæ à Gregorio I. anctoritati, & motui proprio magis repugnet.

Quinquagesimusnonus est Gregorius IX. qui anno MCCXXVII. Sedi Apostolicæ præesse cœpit, in libri I. Decretalium tit. VI. cap. LVII. *Denique statutum generalis Concilii, quod electionem decrevit invalidam, cùm contra ejusdem Concilii formam in electione peccatur, non debet ad contemptum, & ad alia, quæ non sunt de forma, referri: Unde quod ibi dicitur, quòd aliter electio celebrata non valeat, ea respicit tantùm, quæ attentantur contra formam Concilii memorati, non autem alia, quæ ponuntur ibidem: Sicut & illud, quod præsentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, haberi debeat in electionis processus, ne cætera quæ super hoc alibi statuta noscuntur, uno verbo videantur everti. Neque*
73 *enim credendum est Romanum Pontificem (qui jura tuetur) quod aliàs excogitatum est multis vigiliis & inventum, uno verbo subvertere voluisse.* Uno inquit verbo, quod auctoritatem juri contrariam & motum proprium exprimeret. Hoc, inquit, credendum non est, & cur credendum non sit, rationem adfert peridoneam: *Romanus Pontifex jura tuetur.* At qui jura tuetur, illa motu proprio subvertet nunquam.

Hinc Gregorius ipse nonus ad Armenorum Regem & Reginam, qui regni sui consuetudines & privilegia confirmari à Sede Apostolica petebant, ea confirmat, sed iis exceptis, quæ & auctoritatem & motum proprium vehementer rejiciunt. Adscribo verba: *Vestris supplicationibus inclinati & rationabiles consuetudines vestras in regno Armeniæ à tempore felicis recordationis beati Silvestri Papæ prædecessoris nostri & sancti Gregorii à Catholicis ejusdem regni, qui contemporanei extitisse dicuntur, inviolabiliter observatas, quæ sanctorum Patrum regulis minimè contradicunt, & canonicis non obviant institutis, vobis & per vos eidem regno auctoritate Apostolica confirmamus.*

Sexagesimus est Gregorius X. qui anno MCCLXXII. ad Romanam adivit Ecclesiam, in certo quodam privilegio, quod Præmonstratensium Ordini concessit: *In eminenti Apostolicæ Sedis specula licèt immeriti disponente Domino constituti pro singulorum statu solliciti esse compellimur, & ea sincerè tenemur amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornatum.* Hæc omnia, quæ Pontifex ex officio debet exequi, jure & canone ad finem perduci possunt, anctoritate & proprio motu perduci non possunt. Jure
74 & canone augeri poterit religio, & virtutes ornari: Sed augeri non poterit religio, nec virtutes ornari auctoritate & proprio motu, qui juri & canoni opponitur. Quod cùm ita sit, jure & canone, non anctoritate & proprio motu regenda est Ecclesia.

Sexagesimusprimus est Bonifacius VIII. qui anno MCCXCV. ad gradum altioris curæ ministeriique pervenit. Extrà, de sententia Excommunicationis: *Alma mater Ecclesia nonnulla rationabiliter ordinat, & consultè, quæ suadente subditorum utilitate postmodum revocat, & in melius commutat.* Hoc autem minime fit, cùm res auctoritate, non jure, proprio motu vel arbitrio, non canone deciduntur.

Sexagesimussecundus est Pius II. qui anno MCCCLIX. primæ Sedis Episcopus evasit, in Diplomate, quod eodem anno apud Bzovium edidit ad perpetuam rei memoriam: *Cùm servare in rebus ordinem atque modum ad Romanum Pontificem maximè pertineat, ordo verò in eo potissimùm consideretur, ut secundùm suam cuique dignitatem, aut præcedant aut sequantur, habita cum venerabilibus fratribus nostris sacrosancta Romana Ecclesia exacta & diligenti deliberatione, auctoritate Apostolica tenore præsentium, de eorundem fratrum nostrorum consilio pariter & assensu statuimus, decernimus, & mandamus, ut notariorum nostrorum (quos protonotarios non abs re consuetudo vocat) nullus deinceps Episcoporum, venerando sanctóque ordini tanquam honorabiliorem sese audeat anteponere.* At quandiu vigebit Romanorum Pontificum munus hoc, servare in rebus ordinem atque modum, servare quoque suam cuique dignitatem, tandiu ab
Ecclesiæ gubernatione removebitur auctoritas, quæ 75
apud Gregorium juri & canonibus opponitur. Præterea quamdiu vigebit Pontificum munus istud, tamdiu proprius motus in Ecclesia Dei ignorabitur, cui sacri canones & Sedis Apostolicæ decreta ex iisdem promulgata canonibus postponuntur.

Deinde in Epistola CCCLXXIV. ad Carolum VII. Galliæ Regem, de Sede Apostolica: *Multa illam circumspicere oportet, multa metiri, ita semper actiones suas dirigere, ut reddere illarum rationem Deo & hominibus possit. Quod si in aliquo præjudicatum tuis juribus putas, parati sumus tuæ celsitudini justitiam cum omni benignitate administrare.*

Tum in Epistola CCCLXXV. ad eundem Regem: *Non oportebit te diu contendere, si ea petieris quæ cum honestate concedere valeamus. Est enim lucrum nostrum cùm tibi cæterisque regibus justa petentibus complacemus.* Et paullo pòst: *Quæcunque agimus, in justitiæ trutina suspendimus, & nos nunquam aut odium aut gratia ex recto tramite deturbabit.* Et paullo pòst: *Apostolica Sedes est mater & justitiæ & æquitatis.* Hæc ex Basiliensi editione anni MDLXXI. quam ut correctiorem & hic sequor & in aliis Epistolis meis secutus sum. At quæcunque Pius tam de se, quàm de Sede Apostolica profitetur, omnino pugnant cum anctoritate, quæ juri contraria est. Quo ita constituto, Pius in ea est sententia ut putet, Ecclesiam jure, non auctoritate, canone, non proprio motu gubernandam esse. Hæc est idonea, locuples, & certa Romanæ Ecclesiæ traditio, cui in cumulum accedunt tria, quorum unumquodque per seipsum sufficeret.

Unum est Romani Pontificis electi professio fidei, 76
quam ille quondam emittebat cùm inauguraretur, & quam etiamnum sive dum inauguratur, sive dum ab alia Sede ad Romanam transit, emittere censetur: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, &c. Indict. ill. mense ill. die ill. Ego ill. misericordia Dei presbyter electus, futurúsque per Dei gratiam humilis Apostolicæ Sedis antistes tibi profiteor, beate Petre Apostolorum princeps, cui claves regni cælorum ad ligandum atque solvendum in cælo & in terra, creator atque redemptor omnium Dominus Jesus Christus tradidit, inquiens: Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis, sanctæque tuæ Ecclesiæ, quam hodie tuo præsidio regendam suscepi.* Et paullo pòst: *Diligentiùs autem & vivaciùs omnia decreta prædecessorum Apostolorum nostrorum Pontificum, quæque vel Synodaliter probata sunt, confirmare & indiminutè servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quosque condemnârunt vel abdicârunt, simili auctoritatis sententia condemnare, disciplinam & ritum Ecclesiæ sicut inveni, & à sanctis prædecessoribus meis traditum reperi, illibatum custodire, & indiminutas res Ecclesiæ conservare, & ut indiminuta custodiantur, operam dare, nihil de traditione eorum quæ à probatissimis prædecessoribus meis servata reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem inducere, sed ferventer, ut verè eorum discipulus & sequipeda totis mentibus meis & conatibus, quæ tradita sunt, conservare ac venerari: Si qua verò emerserint contra disciplinam canonicam, emendare, sacrósque canones & constituta Pontificum*

nostrorum,

77 *nostrorum, ut divina & cælestia mandata custodire, utpote tibi me redditurum sciens de omnibus, quæ profiteor, districtam in divino judicio rationem, cujus locum divina dignatione perago, & vicem intercessionibus tuis adjutus impleo, si præter hæc aliquid agere præsumpsero, vel ut præsumatur permisero.* Et paullo post ita subscribit: *Ego qui supra vel. indignus Presbyter, & Dei gratia electus hujus Apostolicæ Sedis Romanæ Ecclesiæ hanc professionem meam, sicut suprà continet, faciens, & jusjurandum tibi corporaliter offerens, tibi beato Petre Apostolorum Princeps, pura mente & conscientia obtuli.* Hactenus ex veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno, quod Romæ annis superioribus editum est, & captivum ibi detinetur à Curialibus magistris & Inquisitoribus. Nimirum antiquæ veritatis lucem ferre non possunt viri in Sedem Apostolicam contumeliosi: In hac autem fidei professione auctoritati, qualem rejicit Gregorius noster, & proprio motui, quo sacris canonibus derogatur, nihil relinquitur, cùm omnia in sacros canones, & Sedis Apostolicæ decreta ex iisdem promulgata canonibus transscribantur. Pontifices igitur novi cùm Romanam Ecclesiam jure, non auctoritate, canone, non proprio motu regendam accipiunt, ii forma facti gregis cæteras Ecclesias pari modo regendas esse significant.

Alterum est Florentinæ Synodi decretum, quod circa Romani Pontificis dignitatem & munus ita editum est: *Item definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi Vicarium, totiús-*
78 *que Ecclesiæ caput & omnium Christianorum patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Sic legendum est: non verò, *quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum,* &c. ut Abrahamus Cretensis vertit, & Justinianus subdolè retinuit: At legendum est, ut retulimus ex Blondo, qui Eugenii Papæ IV. Amanuensis fuit, & relatum à Blondo, in libri III. Decad. x. citant Marcus Vigerius Card. in Decachordo chorda x. Joannes Ekius, in libri II. de primatu Petri capite xv. Joannes Roffensis in art. xxv. contra Lutheranas Assertiones, & Albertus Pighius in libri IV. de Hierarchia Ecclesiastica capite ultimo. Latinæ editioni consentit Græca, ubi sic habetur: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται. *Juxta eum modum, qui & in actis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Mutatio particulæ, &, in particulam, *etiam*, pascendæ, regendæ, & gubernandæ Ecclesiæ rationem & formam pervertit, & habitas à Patribus pro asserendo primatu disputationes ut invalidas procul amandat. Particula, *etiam*, regendæ Ecclesiæ modum ultra sacros canones & acta Oecumenicorum Conciliorum, de quibus sermo instituitur, protendit: At geminata particula &, &, καὶ, καὶ, regendæ Ecclesiæ modum intra sacros canones & acta Oecumenicorum Conciliorum, de quibus sermo instituitur, coercet, ut aliàs monui in Epistola ad Christophorum Fauvæum
79 Parisiensem Theologum. Jam vel me tacente perspicis Florentinam Synodum eò spectâsse maximè, ut Ecclesia jure, non auctoritate, canone, non proprio motu gubernaretur. Siquidem nec in sacris canonibus, nec in actis Oecumenicorum Conciliorum ad quæ Synodus respectum habet, auctoritati & proprio motui quidquam attribuitur, denegantur omnia.

Tertium est Sedis Apostolicæ Legatorum intercessio, ne in actis Tridentinæ Synodi formula hæc, *Tridentina Synodus universalem repræsentans Ecclesiam*, adhiberetur. Intercessionis causa fuit, quòd formulæ genus illud in antiquis Conciliis & canonibus reperiretur nusquam; ut Paolus Suavis & Sforza Pallavicinus ambo referunt in Tridentini Concilii historia. Sic in antiquis Conciliis & canonibus reperitur nusquam, illa auctoritate, quæ à Gregorio Papa rejicitur, & proprio motu Ecclesiam regi, vel posse vel debere. Ecclesia ubique jure & canone regitur, eámque Romani Pontifices qui tunc claruerunt regendam esse verbo docuerunt & exemplo.

Nunc reliqua sunt tria, primùm, ut unam in Synodum cogamus Pontifices sexaginta duos, quorum sententias in medium adduximus, Pontifices alios, qui oblatam à se beato Petro professionem fidei subscripserunt, Græcos & Latinos Patres Florentini Concilii, cui Eugenius IV. præfuit & consensit, & Sedis Apostolicæ Legatos, qui Tridentino Concilio interfuerunt & præsederunt. Deinde, ut qualis & quanta futura sit Synodus hæc, aliquantisper consideremus, nusquam visa est talis, nusquam major videbitur. Unicuique Synodo Oecumenicæ, cui Romanus Pontifex per se vel per legatos
suos interfuit, unus duntaxat simul & semel interfuit. 80
Huic vero Synodo intersunt Romani Pontifices sexaginta duo: Exinde quæ Synodus conflatur ex Romanis Pontificibus sexaginta duobus, ex iis conflatur Pontificibus, quorum alii universalibus præfuerunt Conciliis, alii præesse potuerunt. Sed inter Synodi hujus Pontifices sanctitate, doctrina, & fortitudine Christiana eminent Leo I. Gelasius I. Agapetus I. Gregorius I. Martinus I. Hadrianus I. Nicolaus I. Præterea his sexaginta duobus Pontificibus aggregant sese magno in numero alii, qui sacros canones, & Sedis Apostolicæ decreta ex iisdem promulgata canonibus servaturos se protestantur, & jurejurando confirmant: Hinc Florentina Synodus, & Sedis Apostolicæ legati Tridentini Concilii præsides memoratis Pontificibus cùm junguntur, stupendæ magnitudinis Synodum efficiunt. Tum demum ut observemus, unumquemque Pontificem Romanum tali & tantæ Synodo non posse non subjici. Nam si unusquisque Romanus Pontifex universalibus Episcoporum Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Calchedonensi, cæteris subjicitur, longè magis subjicietur Concilio, quod penè ex innumerabilibus tunc Romanis Pontificibus, Florentinæ Synodi Patribus, & legatis Tridentini Concilii præsidibus coalescit. Quamobrem in hac Synodo de unoquoque Romano Pontifice locuti non possunt non intelligi Athanasius & Augustinus, qui in generalibus Episcoporum Conciliis de eodem Pontifice locuti convenientissimè intelliguntur: Athanasius quidem in Epistola ad Africanos: *Sive quis numerum cum numero comparet, tanto major est Nicæna Synodus particu-*
laribus Conciliis, quantùm totum sui aliqua parte: ὅσον καὶ 81
τὸ ὅλον μεῖζόν ἐστι τοῦ μέρους. Augustinus verò in libri II. de Baptismo capite IV. *Si autem Concilium ejus* (Cypriani) *attenditur, huic est universæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum, cujus se membrum esse gaudebat. Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & universum partibus semper optimo jure præponitur.* Unusquisque igitur Romanus Pontifex cùm sit magis, ut ita dicam, pars generalis Romanorum Pontificum, Florentinæ Synodi Patrum & Tridentinorum legatorum Concilii, quàm generalis Episcoporum tantùm Concilii, illi magis adhoc quàm huic Concilio subjicitur, quia, ut ait, Athanasius, totum majus est qualibet sui parte, & universum, ut ait Augustinus, partibus suis semper optimo jure præponitur. Quod non modò tantorum virorum auctoritas, sed etiam communis hominum sensus & intelligentia persuadet.

Hoc tamen non impedit, quo minus Curiales Magistri ac Censores auctoritatem, quam Gregorius Papa sanctissimus repudiat, & motum proprium tueantur, sed aliter atque aliter: Sunt enim, qui tuentur ita ut suis se dictis illaqueent & nobiscum reipsa consentiant. Sunt verò, qui tuentur ita, ut à certa atque explorata Sedis Apostolicæ traditione, quam per Romanos pontifices sexaginta duos, per eos omnes, qui relatam fidei professionem emiserunt, & sacrorum canonum custodiam jurarunt,

runt, per Florentinam Synodum & Tridentini Concilii Legatos exposuimus, dissentiant ac perfidiosè deficiant, & eam ob causam nobiscum minimè concordent.

Prioris generis Magistri ac Censores dicunt, Romanum
82 Pontificem non posse sacros canones, vel Sedis Apostolicæ decreta ex iisdem promulgata canonibus sine evidenti utilitate & urgenti necessitate relaxare, aut si relaxat, graviter peccare, relaxationem tamen prodesse iis quibus conceditur. Sed negant inde sequi Concilium supra Romanum Pontificem esse. Si caperent, omnino sequitur. Quid est enim Concilium supra Romanum Pontificem esse, nisi Romanum Pontificem Concilio subjici, & Concilii legibus teneri? At Romanus Pontifex in sacros canones non peccaret, ut eum peccare posse dicunt, si Concilio canonum auctori non subjiceretur, si Concilii canonibus non teneretur.

Deinde qua ratione probant Concilium non esse supra Romanum Pontificem, eadem & probarent Ecclesiam non esse supra Episcopos & generales Episcoporum Vicarios, quia hi Diœcesanos Ecclesiæ legibus aliquando solvunt: Scilicet cùm illis ægrotantibus permittunt in quadragesima carnem & ova manducare: Sic quoque probarent, Decalogum vel illius auctorem non esse supra privatos homines, quia nonnunquam iis licet Decalogi præceptum aliquod transilire, cùm ut vitam propriam defendant ab aggressoribus, hos impunè interficiunt. Cùm autem par sit horum omnium ratio, quis non miretur absurdas complexiones, quibus nostri Curiales Magistri sese involvunt, quis non rideat miseras tergiversationes, quibus utuntur, ut fallaciam à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter committant, & ut Romanum Pontificem in gratiam aliorum peccantem inducant? Quod est ultima linea insulsitatis.

83 Posterioris verò generis Magistri ac Censores audacter pronunciant, Romani Pontificis voluntatem, qualiscunque ea fuerit, esse regulam, qua ejus operationes & actiones dirigantur. Fortasse dices hoc purum putúmque commentum esse. Minimè verò. Id planè tradit delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia Concilium, quod Paulo III. jubente celebratum est. Concilii verba sunt Paulum III. sic alloquentis.

Beatissime Pater, tantum abest, ut verbis explicare possimus, quàm magnas gratias Respublica Christiana Deo Optimo Maximo agere debeat, quòd te Pontificem hisce temporibus ac Pastorem gregi suo præfecerit, eámque quam habes mentem dederit, ut minimè speremus cogitatione eas, quas Deo debet, consequi posse. Nam Spiritus ille Dei, quo virtus cælorum firmata est, ut ait Propheta, labantem, imò ferè collapsam in præceps Ecclesiam Christi per te restaurare, & huic ruinæ manum, ut videmus, supponere decrevit, eámque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere, certissimam divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut nullius, aut commodi tui, aut cujuspiam alterius habita ratione tibi significaremus abusus illos, gravissimos scilicet morbos, quibus jampridem Ecclesia Dei laborat, & præsertim hæc Romana Curia, quibus effectum propè est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas tua Spiritu Dei erudita, qui, ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu, probè noverat, principium horum malorum inde fuisse, quòd non-
84 *nulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Paulus Apostolus,* COACERVAVERUNT SIBI MAGISTROS AD DESIDERIA SUA, *non ut ab iis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio,* QUA LICERET ID QUOD LIBERET: *Inde effectum est, præterquam quòd principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veritatis ad aures principum, quòd confestim prodirent Doctores, qui docerent, Pontificem esse Dominum beneficiorum omnium, ac ideò cùm Dominus jure vendat, quod suum est, necessariò sequi in Pontificem non posse cadere simoniam.* ITA QUÒD VOLUNTAS PONTIFICIS, QUALISCUNQUE EA FUERIT, SIT REGULA, QUA OPERATIONES EJUS ET ACTIONES DIRIGANTUR: Ex quo proculdubio effici, UT QUIDQUID LIBEAT ID ETIAM LICEAT. EX HOC FONTE, *sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere Ecclesiam Dei tot abusus, & gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque.* Hic respectum habet ad id, quod Hadrianus VI. scribit in mandatis, quæ Francisco Cheregato in Germaniam eunti dedit. *Scimus,* ait, *jam aliquot annis in hac sancta Sede multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, omnia in perversum mutata.* Pergit Concilium: *Credat S.V. scientibus, qui ob hanc præcipuè causam Christianam religionem derident: Adeo ut per nos, per nos, inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes.* Igitur non mentior, cùm asserui fuisse Curiales Magistros ac Censores, qui quam Gregorius I. auctoritatem & proprium
motum ab Ecclesiastica gubernatione rejicit, approba- 85
runt, & in Pontificum animos instillarunt. Contrà verò Concilium hoc se Curialibus Magistris & Censoribus opponit, & ita pergit: *Tu verò, sanctissime Pater, & verè sanctissime, edoctus à Spiritu Dei, præter veterem illam tuam prudentiam, cùm totus in hanc curam incubueris, ut sanatis ægritudinibus Christi Ecclesia cura tua commissa bonam valetudinem recuperaret: Vidisti ac probè vidisti, inde incipiendam medicationem, unde primùm ortus est morbus, secutúsque doctrinam Apostoli Pauli;* VIS ESSE DISPENSATOR, NON DOMINUS, ET FIDELIS *inveniri à Domino. Imitatus etiam servum illum quem in evangelio Dominus præfecit familiæ suæ, ut det illis in tempore tritici mensuram: ac propterea* DECREVISTI NOLLE, QUOD NON LICEAT, NEC VIS POSSE QUOD NON DEBES. *Idcóque nos ad te accersivisti, imperitos quidem, ac tam magno negotio impares, non parum tamen affectos, cùm honori & gloriæ sanctitatis tuæ præcipuè instaurationi Ecclesiæ Christi, ac gravissimis injunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, tibique illos significaremus: Obtestatus nos reddituros esse rationem hujus negotii nobis demandati Deo Opt. si negligenter ac infideliter ageremus.* Hic Concilium occupando id, quod Paulus III. facere jam decreverat, non obscurè significat Pontificem hunc velle Ecclesiam non aliter quàm canone gubernare. Et quibusdam interpositis, sanctissimum illius consilium ac decretum confirmat: *Illud verò ante omnia, beatissime Pater, putamus statuendum esse, ut dicit Aristoteles in Politicis, sicut in unaquaque republica, ita & in hac Ecclesiastica gubernatione Ecclesiæ Christi hanc præ omnibus legem habendam, ut quantùm* FIERI POTEST, LEGES SERVENTUR. NEC PUTEMUS 86
NOBIS LICERE DISPENSARE IN LEGIBUS NISI URGENTI DE CAUSA ET NECESSARIA. *Nulla namque perniciosior consuetudo in quavis republica induci potest, quàm hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, earúmque* POTESTATEM VENERANDAM ET DIVINAM *appellarunt.* Concilio huic subscribunt Concilii auctores IX. *Gaspar Cardin. Contarenus, Joannes Petrus Card. Theatinus,* postea Paulus IV. *Jacobus Card. Sadoletus, Reginaldus Card. Anglicus, Fredericus Archiepiscopus Salernitanus, Hieronymus Archiepiscopus Brundusinus, Joannes Matthæus Episcopus Veronensis, Georgius Abbas sancti Georgii Venet. Frater Thomas Magister sacri Palatii.*

Intelligebant viri prudentes & Romanæ Ecclesiæ traditione instructi, Ecclesiam jure, non auctoritate, canone, non arbitrio proprio regendam esse. Quamobrem mirum nemini videri debet, quòd auctoritati & arbitrio proprio adscripserunt, quæcunque mala in Dei Ecclesiam irruperant, & remedium aliud nullum opportunius atque efficacius pestiferæ huic contagioni adhiberi posse affirment, quàm si Ecclesia sacris duntaxat regatur canonibus, nec in iis dispensetur, *nisi urgenti de causa & necessaria.* Facessant ergo Curiales Magistri ac Censores, qui seorsum ab antiqua Sedis Apostolicæ tradi-

traditione sentiunt, qui rejiciunt Concilium, quod Paulus III. fieri jussit, & quod Paulus IV. approbavit. Ii velint nolint, Sedes prævalebit Apostolica, quæ jure, non auctoritate, & canone, non proprio motu gubernandam esse Ecclesiam toties per rectores suos decre-
87 vit. Porro autem tibi ante oculos id semper constituas, quod Pius II. in epistola CCCLXXIV. Basileensis editionis postremæ ad Carolum VII. Galliæ Regem scribit de Sede Apostolica: *Multa*, inquit, *illam circumspicere oportet, multa metiri, ita semper actiones suas dirigere, ut reddere illarum rationem Deo & hominibus possit.* His enim verbis configuntur hodierni Romanæ Curiæ Inquisitores, qui se supra Sedem Apostolicam attollunt. Hæc Sedes sic agit, ut actionum suarum rationem reddere hominibus possit, ac proinde velit: Quia frustra posset, si nollet. Inquisitores verò sic agunt in librorum censura, ut actionum suarum rationem hominibus nolint reddere, ac proinde aliquando non possint, *imparati ad satisfactionem* utique *omni poscenti eos rationem*. Quo in eventu cùm beato Petro minimè pareant, nec Sedis Apostolicæ morem sequantur, nihil est admodum, cur reformidentur notæ censoriæ, quibus Parisiensium placita vel libros afficiunt. Sed quia hi libri Sedis Apostolicæ traditionem exhibent, adversa sunt Romano in pectore vulnera, quæ honestant, non turpant. Hoc est amuletum, hæc antidotus, quâ contra prohibitorium indicem uti nos oportet.

Relicta Curia adulatrice, Sedem veneremur suspiciamúsque Apostolicam, quæ beatum Petrum sapienter imitatur & subsequitur. Hic enim primus Romanorum Pontifex, ut Chrysostomus homilia III. in Apostolorum acta scribit, *facit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil auctoritate suâ, nihil cum imperio*, οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲν ἀρχικῶς. Id Gregorius I. cùm inter alia nosset, argumentum dedit epistolæ, quæ etsi paullo est longior, varia tamen & necessaria (me vide) ejus- 88
dem rei narratione poterit identidem otium tuum oblectare. Vale, Lutetiæ Parisiorum x. Calend. Iunii anni M. DC. LXV.

Joannes Launoius
JACOBO MALATESTÆ
Parisiensi Theologo, sacræ Capellæ Regiæ Divionensis Canonico.

1 OPERÆ PRETIUM esse ducis, quænam fuerit Romanæ Ecclesiæ de Conciliorum necessitate sententia, disquirere; & unà postulas, ut disquiram & scriptis mandem, quidquid ea super re invenerim. Consilium hoc tuum non potest non laudari. Nam si prima omnium in Ecclesia Dei Sedes judicet, necessaria esse Concilia, tum ad configendam doctrinæ novitatem, tum ad temperandos Christianorum mores, & ad dijudicandas Episcoporum lites, quis deinceps contrà sentire auderet? Igitur ordior ab initio.

Testimonium Beati Petri Hierosolymitani Concilii præsidis.

I. APostoli omnes Actuum cap. XV. Concilium habent, ut ei, quæ Hierosolymis de observandis quibusdam Mosaicæ legis ritibus excitata erat, controversiæ finem imponant. Sed quoniam divino numine impleti homines momenta rerum gerendarum omnia cognoscunt, & propter rem illam habent Concilium, videntur habendi Concilii necessitatem indicare. Quis enim diceret, Apostolos hinc tyrannico terrore oppressos, inde in fundanda ubique gentium Ecclesia occupatissimos id tum fecisse, quod utiliter quidem, sed citra necessitatem ullam fieri potuit? In hoc Concilio cùm eximia quadam ratione judex sedeat
2 Petrus, qui primus Christianorum urbis Romæ pontifex fuit, exinde auctoritatem ordiendi sermonis sumimus. Verba sunt.

Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus & Barnabas & quidam alii ex illis ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conversionem gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cùm autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & senioribus annumerantes, quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi: Conveneruntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc, Cùm autem magna disquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo. Et audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa, & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus dicens: Viri fratres, 3
audite me. Simon narravit quemadmodum primùm Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc revertar & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc: Notum à sæculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum & fornicatione & suffocatis & sanguine. Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum: Apostoli & seniores, fratres, his qui sunt Antiochiæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis euntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus; Placuit nobis collectis in unum eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba & Paulo hominibus, qui tradiderunt

*animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Mi-
simus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis referent ea-
dem. Visum est enim Spiritui Sancto & nobis nihil ultrà
imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis
4 vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato
& fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis. Va-
lete. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, & congre-
gata multitudine tradiderunt epistolam. Quam cùm legis-
sent, gavisi sunt super consolatione. Judas autem & Silas,
& ipsi cùm essent Prophetæ verbo plurimo consolati sunt
fratres, & confirmârunt.*

Hæc paullo longiora descripsimus, quæ siquis perspi-
ciat & pertentet ex omnibus partibus, observabit sine
dubio, de Conciliorum necessitate eo esse differendum
modo, quem Synodus V. exponit in collatione VIII.
*Licèt Spiritus Sancti gratia & circa singulos Apostolos a-
bundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ a-
genda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod move-
batur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam
communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis
unusquisque dicta sua confirmaverunt. Unde communiter
de eo sententiam protulerunt ad gentes scribentes: Visum
est Spiritui Sancto, & nobis &c. Sed & sancti Patres,
qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, an-
tiquis Conciliis utentes, communiter de exortis hæresibus &
quæstionibus disposuerunt, certo constituto, quod in commu-
nibus disceptationibus cùm proponuntur, quæ ex utraque
parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit men-
dacii:* NEC ENIM POTEST IN COMMUNIBUS DE FI-
DE DISCEPTATIONIBUS ALITER VERITAS MANI-
FESTARI, CUM UNUSQUISQUE PROXIMI ADJUTO-
RIO INDIGET: SICUT IN PROVERBIIS DICIT SA-
LOMON: FRATER FRATRI ADJUTORIUM PRÆ-
STANS EXALTABITUR, SICUT CIVITAS MONITA.
His in verbis sunt duo, quæ curiosè ac diligenter ani-
5 madverti debent: Primùm, quòd pro dirimenda reli-
gionis controversia exemplum Apostolorum proponi-
tur, qui omnes ad dirimendam illam habuerunt Con-
cilium, & communi consensu protulerunt sententiam,
& eam ad gentes scripserunt hoc modo: *Visum est Spi-
ritui Sancto & nobis:* Deinde, quòd asseverat Synodus
V. *in communibus de fide disceptationibus non aliter posse,
quàm* in generali Concilio *veritatem manifestari.*

Cùm igitur Synodus V. Apostolorum exemplum se-
cuta Conciliorum necessitatem asserit, recentiores qui-
dam Theologi non possunt non graviter peccare, qui
contrarium docere non verentur. Notâsse tamen suffi-
cit, Bellarminum, qui vires omnes in elevandam Con-
ciliorum necessitatem insumit, dissimulare non potuisse,
quin ex hoc Actorum loco Conciliorum necessitas pro-
betur. Sic enim scribit in libri I. de Conciliis capite
XI. cujus inscriptio est hæc: *Concilia Episcoporum ali-
qua simpliciter esse necessaria.* Et quibusdam interposi-
tis: *Secundò probari potest ex facto Apostolorum, qui cùm
possent etiam seorsum singuli definire controversias, tamen
ne viderentur negligere medium ordinarium & à Christo ipso
demonstratum, non sine Concilio controversiam de legalibus
exortam definire voluerunt, Actorum* XV.

Sed Joannes Bagotius ejusdem cum Bellarmino Soci-
etatis agit multò adhuc sinceriùs cùm in libri IV. in-
stitut. Theologicarum disp. III. cap. II. sect. II. pro-
bat *universalis Concilii* necessitatem: *Ex facto,* inquit,
*Apostolorum in quæstione orta inter primos Christianos,
an gentiles conversi ad fidem essent obligandi ad legem
6 Moysi servandam, & ad circumcisionem. Sanè ipse sanctus
Petrus Cornelium Centurionem sine tali obligatione bapti-
zaverat: Id ipsum sanctus Paulus asserebat: Neuter ta-
men, aut ullus Apostolorum quæstionem voluit solvere, & quid
de fide credendum esset definire, nisi habito universali Con-
cilio, in quo quæstio diligenter disceptata est. non tantùm
ab Apostolis, sed etiam presbyteris. Res gesta narratur
Actorum 15. Nec verò ausim probare, quod ait Bellar-
minus citatus, singulos Apostolos potuisse sine Concilio rem
definire. Cur enim non tantùm coactum est Concilium, sed
etiam inquisitio in eo facta esse dicitur, antequam defini-
retur, quid tenendum esset? An simulatè quærebant Apostoli,
an fingebant se instituere quæstionem de re, quam jam ex-
ploratissimam habebant? Sanè haud scio an ejusdem fictio-
nes prudenter admitti queant: Quasi verò in negotiis Ec-
clesiæ tractandis Apostoli ludere voluerint, & prudentes ita
esse voluerunt, sicut serpentes, ut simplicitatem columba-
rum neglexerint. Quod verò dicitur Apostolos nihil ad
fidei mysteria spectans ignorasse, hoc non impedit, cùm
Gelasius P. in tomo de anathematis vinculo, in sancto
Petro imbecillem inscitiam de ea re & controversia cogno-
scat ante hoc Concilium, in quo perfectam doctrinam acce-
pit. Quæ de re legantur quæ dixi in hujus disputationis
cap. I. Ubi cùm quinta Synodus ait Apostolos non in-
diguisse alieno consilio ad ea quæ agenda erant, non con-
tradicit doctrinæ hujus capitis: Quia aliud est scire, quid
sit agendum, aliud sine ullo Concilio quamlibet fidei con-
troversiam definire: Et in eo plena fuit Apostolorum
prudentia, quòd nihil ea in parte temere agere, & Ec-
clesiæ errandi occasionem dare potuerint.* Sic auctor di-
ligens cum indissimulabili veritate sibi comparat, quæ- 7
cunque ex Apostolorum facto commoda, utilitates, &
præsidia comparari possunt.

Quod autem editum est à Concilio decretum, hujus
auctorem fuisse Petrum nos docet Hieronymus in e-
pistola XI. inter Augustinianas: *Et cùm magna super
hoc verbo oriretur quæstio, Petrus solita libertate, Viri,
inquit, fratres vos scitis, quoniam ab antiquis diebus in
nobis elegit Deus per os meum audire gentes verbum
Evangelii & credere, & qui novit corda Deus, testi-
monium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut &
nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purifi-
cans corda illorum. Nunc autem quid tentatis Deum
imponere jugum super cervicem discipulorum, quod ne-
que patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed
per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus sal-
vari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis mul-
titudo, & in sententiam ejus Jacobus Apostolus, & omnes
simul presbyteri transierunt. Hæc non debent molesta
esse lectori, sed & illi & mihi utilia, ut probemus, ante
Apostolum Paulum non ignorasse Petrum, imò prin-
cipem hujus fuisse decreti, legem post Evangelium non esse
servandam.* Et hæc est ratio, cur Concilium hoc in pe-
culiarem Romanæ Ecclesiæ censum, ut jam monuimus,
deputemus.

Nunc tenendus est mihi ordo temporis, in quo Ro-
manæ Ecclesiæ traditionem, quæ à Petro incipit, ex-
pediam. Pro necessitate illa quam indicavi, Pontifi-
cum illius testimonia, prout sese offerent, ex suis fon-
tibus hauriam promiscue, & recensebo fideliter.

Testimonium Romani Cleri in Epistola ad bea- 8
tum Cyprianum.

II. ROmanis Pontificibus adscribere non dubito,
quod Romanus Clerus de Conciliorum neces-
sitate, in suis ad Cyprianum literis tradit. Neque enim
credendum est, Romanum Clerum, Fabiano tunc mor-
tuo, cùm Sedes vacaret, Ecclesiæ doctrinam novam in-
tulisse. Sic autem Clerus ille loquitur, cùm lapsorum
causam tractat. *Quanquam nobis differenda hujus rei ne-
cessitas major incumbat, quibus post excessum nobilissimæ me-
moriæ viri Fabiani nondum est Episcopus, propter rerum &
temporum difficultates, constitutus, qui omnia ista modere-
tur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate & con-
silio habere rationem: Quanquam nobis in tam ingenti ne-
gotio placeat, quod tu ipse tractasti prius, Ecclesiæ pacem
sustinendam: Deinde sic collatione consiliorum cum E-
piscopis, Presbyteris, Confessoribus pariter ac stantibus lai-
cis facta, lapsorum tractare rationem. Perquàm enim no-
bis & invidiosum & onerosum videtur, non per multos
examinare quod per multos videatur commissum fuisse,
& unam sententiam dicere, cùm tam grande crimen per
multos diffusum notetur exisse, quoniam nec firmum decre-
tum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse
consensum.*

consensum. Aspice totum orbem pene vastatum, & ubique jacere dejectorum reliquias & ruinas. Et ideirco tam grande expeti consilium, quàm latè propagatum videtur esse delictum. Non sit minor medicina, quàm vulnus est; non sint minora remedia, quàm funera. Ut quomodo qui ruerunt, ob hoc ruerunt, quòd cæca temeritate nimis in-
9 *cauti fuerunt, ita qui hoc disponere nituntur, omni consiliorum moderamine utantur, ne quid non ut oportet, factum tanquam irritum ab omnibus judicetur.* Et quibusdam interpositis: *Cujus temperamenti moderamen nos hîc tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longè positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur.* Nescio an ulla sit occasio, in qua Conciliorum necessitas verbis significantioribus exprimi possit.

Testimonium Cornelii Papæ.

III. HAC imbutus Apostolica traditione Cornelius Papa sic ad Cyprianum scribit, ubi de Confessoribus ad unitatem reversis ageretur: *Qui cùm hæc & cætera fuissent exprobrata, ut abolerentur, & de memoria tollerentur, deprecati sunt. Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur, & ut motum omnium & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri proferri, quas & subjectæ leges.* Hi autem Confessores sunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, qui & ad Cyprianum ita scribunt: *Certi sumus, frater charissime, te quoque*
10 *nobiscum pari voto congaudere, nos habito consilio, utilitatibus Ecclesiæ & paci magis consulere, omnibus rebus prætermissis & judicio Dei servatis cum Cornelio Episcopo nostro pariter & cum universo Clero pacem fecisse.*

Hæc est Romanæ Ecclesiæ de Conciliorum necessitate traditio, hæc doctrina, quam Cyprianus duabus in epistolis asserit, & confirmat. Una est ad Antonianum, in qua quæ Romanus Clerus de illa Conciliorum necessitate scripserat, repetuntur, & hæc postea Cyprianus adjicit: *Ac si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium Collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis coëpiscopis habito Concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate & salubri moderatione consensit. De quo tibi necesse nunc fuit scribere, ut scias me nihil leviter egisse, sed secundùm quod literis meis fueram antè complexus, omnia ad commune consilii nostri consilium distulisse.* Altera est ad Stephanum Romanum Episcopum, quæ sic incipit, & rem nostram in ipso aditu spectat: *Ad quædam disponenda, & communis consilii examinatione limanda necesse habuimus, frater charissime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus cogere & celebrare Concilium.* Nemo Cyprianum ab Apostolica Romanæ Ecclesiæ traditione distrahet, aut sophistica fraude diluet, quem Bellarminus ipse in traditionis illius testem adducit. In libri I. de Conciliis capite XI. *Sed accedat,* inquit, *confirmatio ex Patribus. Cyprianus libro 2. Epist. I. ad Stephanum: Necesse,* inquit, *habuimus, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus cogere & celebrare Concilium.*

Testimoniam Julii Papæ I.

11 IV. JUlius majorum traditionem non deserit, sed exemplo suo confirmat: Hic enim anno Christi CCCXLII. cùm Athanasii patrocinium suscipit, ea de causa literas ad Orientales scribit, eósque ad Synodum vocat, aut potiùs eos jam vocâsse dicit: *Quid enim est actum dignum offensa, aut qua in re vobis, quibus scripsi, causam succensionis præbui? An quia adhortati vos sumus, ut ad Synodum occurreretis? Atqui illud potiùs cum gaudio excipi oportuit. Qui enim benè sentiunt de iis, quæ egerunt, & in quibus ipsi, ut aiunt, judices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis judicatum est, ab aliis excutiatur; quippe qui secuti sunt ea, quæ ipsi judicaverunt, injusta nunquam fieri posse. Quocirca Episcopi in magna Synodo Nicææ congregati non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut & illi, qui judices erant, præ oculis habentes secundum de ea ipsa re judicium futurum, cum omni diligentia causam expenderent, & illi qui sententiam acceperant, certò agnoscerent, se non per simultatem priorum judicum, sed jure & merito condemnatos esse. Quod si istiusmodi consuetudo olim fuit, ejúsque memoria renovata est, & scripto prodita in magna Synodo, eámque apud vos valere non sinitis, rem indecoram profectò facitis. Morem enim qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est à paucis abrogari; quin ne hoc quidem concesso quidquam æqui habet vestra offensio.* Et post alia:

Scitis autem, dilectissimi, monumenta actorum, ubi una duntaxat pars adfuerit, nullarum virium esse & suspecta 12
*haberi. Nos tamen quamquam ita actum esset, pro re certiùs cognoscenda, neque vobis, qui contra eum, neque illis, qui pro eo literas misere, præjudicium facientes, cohortati sumus omnes quotquot scripserant, ut præsentes se judicio sisterent, quo omnia ad amussim, quia quamplurimi pro utroque (*Athanasio & Marcello*) scribunt, in Synodo examinari possent, ne vel innocens condemnetur, aut qui rei sunt, puri habeantur.* Et post alia: *Nunc autem, quod consentaneum erat respicientes, illis scripsimus, qui nos certiores reddiderant, & literas misere. Quod si id vos commovet, quòd illis scripserim, consequens est, ut indignemini quoque, quod illi soli mihi scripserint. Verùm in hoc ipsa justa & rationabilis causa est, dilectissimi, quam vobis intimandam puto. Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem nolui omnes scribere, nè à multis onerarentur: Certè ad constitutum tempus convenere Episcopi, & ejus sententia fuere, quam vobis iterum significo: Quapropter dilectissimi, etiam si solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo. Hæc quidem à nobis adversus non æquas vestrorum hominum, sed injustas & suspectas causificationes dicta sunt.* Et post alia: *Prorsus ignoro quanam ratione facta sunt, quæ facta sunt: Primùm enim (si verum dicendum est) non decebat, cùm nos ad Synodum celebrandam literas mitteremus, aliquos præoccupare judicium Synodi: Deinde non decuit novos istos modos contra Ecclesiam induci. Ubi enim est Ecclesiasticus canon istiusmodi, aut istiusmodi traditio Apostolica, ut in pace agente Ecclesia & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriæ Atha-* 13
nasio immittere Georgium peregrinum & externum hominem, neque Alexandriæ baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum à presbyteris, eúmque Antiochiæ creare Episcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum Presbyteris, aut Diaconis civitatis, non cum Episcopis Ægypti, sed cum militibus? Hæc enim dixere & conquesti sunt, qui huc venerunt. Et post alia: *Dico enim & planè protestor, ea quæ à vobis acta sunt, non esse pacis sed schismatis. Non enim solus Athanasius, & Marcellus Episcopi, cum querimoniis de illatis injuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cœlosyria, Phœnicia, Palæstina huc convenere, Presbyteri item non pauci partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt: Et coram omnibus Episcopis ibi congregatis inter reliqua dicta sua conquesti sunt, vim & injuriam Ecclesiis illatam esse, suásque Ecclesias eadem, quæ Alexandrina, passas esse, & in aliis Ecclesiis similia designata.* Et post alia:

O dilecti, non jam ulterius Ecclesiæ judicia secundùm E-
vangelium, sed vel ad exilium vel ad mortem instituun-
tur. Nam si, ut dicitis, omnino in culpa fuerunt, opor-
tuit secundùm canonem, & non isto modo judicium fieri.
Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus quod
justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, qui patie-
bantur, & non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur,
sed quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerunt.
Cur igitur & imprimis de Alexandrina civitate nihil no-
bis scribere voluistis? An ignari estis hanc consuetudinem
esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est,
definiri posset? Quapropter si istic hujusmodi suspicio in
14 *Episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam*
referri oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè
fecerunt, postquam jam egerint, quod libuit, suffragatores
suæ damnationis, cui non interfuimus, esse volunt. Non
ita se habent Pauli ordinationes, non ita Patres decreverunt,
sed fastus est & novum studium est. Obsecro vos cum a-
lacritate audite, pro publico bono ista scribo. Quæ enim
accepimus à beato Petro Apostolo, ea vobis significo, non
scripturus alioqui, quæ nota apud vos esse arbitror, nisi
facta ipsa nos conturbâssent. Julius hac in epistola semel
atque iterum se non suam tantùm sed & coacti Romæ
Concilii sententiam scribere, ait, ne scilicet Orien-
tales putent, Julium sine synodo causam Athanasii
judicâsse. Deinde passim significat necessariam esse Sy-
nodum, in qua Athanasii & adversariorum causa judice-
tur. Tum demum ut Pontifex ostendat se hac in re
disciplinam Apostolicam sequi, beatum contestatur Pe-
trum, à quo acceperit quæ accepit: Sic postrema Julii
verba intelligenda sunt, cùm de ipso Athanasii negotio
intelligi non possint, etiamsi ad illud accommodentur.

Testimonium Liberii Papæ.

V. Quam necessaria sint Ecclesiæ Concilia; Libe-
rius suis ad Constantium literis demonstrat:
Ego, inquit, *religiosissime Imperator, tecum, veram pa-*
cem requiro, quæ non sit verbis composita interna dispo-
sitione fallacia, sed præceptis Evangeliorum rationabiliter
confirmata. Non Athanasii tantùm negotium, sed multa
alia in medium venerant, propter quæ Concilium fieri man-
suetudinem tuam fueram deprecatus, ut ante omnia, quod
specialiter optat, mentis tuæ erga Deum sincera devotio
15 *cum fidei causa, in qua prima nobis spes est, ad Deum*
diligenter fuisset tractata, nec eorum, qui nostram circa
Deum observantiam mirari debent, possent finiri, & di-
gnum fuerat Dei cultore, dignum est imperio tuo, quod
Christi pietate regitur & augetur, specialiter hoc ipsum
pro reverentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus es,
clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præstare. Et
post alia: *Hæc scripta, si Deo debet fidem Theosebius,*
qui missus fuerat festinans ad Africam, nobis reliquit,
quæ postea omnia scripta, ne ad impetrandum fortè Con-
cilium deessent, Vincentius, qui cum cæteris Legatis mis-
sus fuerat, Arelatam pertulit. Videt igitur prudentia tua
nihil animam meam intravisse, quod Deo servientibus non
dignum fuerit cogitare. Testis autem est mihi Deus, testis
est tota cum suis membris Ecclesia. Et post alia: *Atque*
ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi,
in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo
sacro, permanere; & nunquam mea statuta, sed Aposto-
lica, ut essent semper firmata & custodita perfeci: secutus
morem ordinemque majorum, nihil addidi Episcopatui ur-
bis Romæ, nihil minui passus sum; & illam fidem servans,
quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex
quibus plures Martyres exstiterunt, illibatam custodiri
semper exopto. Et post alia: *Unde iterum atque iterum*
mansuetudinem tuam, animam tuam Deo deditam rogo
per ejus virtutem, qui se in defensione tua quantus sit,
universis mortalibus approbavit, habens ante oculos ejus
beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit: Hæc in
cæta Episcoporum diligenter facias omni cum consideratione
tractari, ut pacatis per te Deo favente temporibus tran-
quillitate tua consentiente sic omnia discutiantur, ut quæ 16
fuerunt judicio Sacerdotum Dei confirmata, tùm constitu-
erint omnes in expositione fidei, quæ inter tantos Episco-
pos apud Nicæam, præsente sanctæ memoriæ Patre tuo, con-
firmata est, universos consensisse, cum exemplo possent in
posterum custodiri, ut ipse salvator, qui desuper mentis
tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætc-
tur, causam fidei & pacis etiam Reipublicæ necessitatibus
non immeritò præposuisse. Ad exorandam igitur mansuetu-
dinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire
digneris, fratrem & coepiscopum meum, sanctum virum
Luciferum cum Pancratio compresbytero meo, & Hilario
Diacono placuit proficisci, quos credimus de clementia tua
ad pacem omnium Catholicarum Ecclesiarum non difficulter
posse Concilium impetrare.

Deinde in Dialogo, quem cum Imperatore Con-
stantio habuit: *Constantius Imperator dixit. Nos, quo-*
niam Christianus es, & nostræ civitatis Episcopus, facien-
dum duximus, ut accitum te moneremus, ut nefariæ im-
pii Athanasii dementiæ communionem repudies. Hoc enim
rectum esse orbis terrarum censuit, eúmque ab Ecclesia-
stica communione alienum Synodali sententia pronuntiavit.
Liberius Episcopus dixit: Judicia Ecclesiastica, Impera-
tor, summa cum æquitate fieri debent. Quare si pietati
tuæ placet, judicium constitui jube, & si condemnationem
commeruisse videbitur Athanasius, tum in illum juxta Ec-
clesiastici ordinis formam sententia proferetur. Fieri e-
nim non potest, ut virum condemnemus, de quo à nobis
judicatum non sit. Infrà: *Liberius. At ego primum ge-*
neralem fieri posco subscriptionem, quæ fides apud Nicæam
exposita confirmetur. Deinde, ut revocatis ab exilio, at- 17
que in suas sedes restitutis fratribus nostris, si hi qui tur-
bas nunc cient in Ecclesiis visi fuerint Apostolicæ fidei
consentire, tum Alexandriam convenientes omnes, ubi &
accusatus & accusatores sunt, & defensor eorum, exami-
nata causa sententiam proferamus.

Denique idem apud Athanasium in Epistola ad So-
litarios: Ubi cum imperatoris Eunucho sic loquitur:
Profectus igitur Romam spado primùm incitabat Libe-
rium, ut contra Athanasium subscriberet, & cum Aria-
nis communicaret. Id enim Imperatorem velle, & pro Im-
perio jubere. Deinde munera ostentans verbis instabat,
manúque Liberii apprehensa ita locutus est: Obtempera
regi, & ista accipe. Episcopus contrà verbis quærebat,
quomodò hoc contra Athanasium posset fieri? Quem enim,
inquiens, non una, sed jam altera Synodus probè ab omni
crimine liberum pronunciavit, & Romana Ecclesia cum
pace dimisit, quomodo poterimus condemnare? Aut quis
nos probaret, si quem præsentem dileximus, & habuimus
in nostra communione, eundem absentem aversemur? Non
ita se habet Ecclesiasticus canon, neque unquam talem à
Patribus traditionem accepimus, quam ipsi à beato &
magno Apostolo Petro acceperunt. Quod si omnino Impe-
rator curam suam pro Ecclesiastica pace interponere quæ-
rit, aut si scripta à nobis pro Athanasio deleri jubet, de-
leantur quoque ea, quæ contra illum scripserunt, fiátque
deinceps Ecclesiastica Synodus longè à Palatio, ubi nec
Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec judex mi-
natur, & ubi solus timor Dei ad omnia sufficit, & A-
postolorum institutio, ut eo in loco ante omnia Ecclesiasti-
ca fides asseratur, quemadmodum à Patribus definitum 18
est in Concilio Nicæno.

Quorsum Liberius in his tribus locis nervos omnes
industriæ suæ in eo contendit, ut Concilium fiat?
Quorsum ita suppliciter rogat Imperatorem, ut illud
celebrari permittat, nisi morem, ut ait, ordinémque
majorum secutus judicet, Concilium ad sanciendam
Ecclesiæ pacem maximè necessarium esse? Quorsum
ita responderet spadoni, ut respondet, si præter Ec-
clesiasticam Synodum aliud putat esse præsidium, quo
institutæ de Athanasio finiantur controversiæ? Hic
Pontifex, à majoribus per traditionem & traditionis
monumenta acceperat, res magnas non nisi in Synodo
bene transigi posse.

Testimo-

Testimonium Damasi Papæ I.

VI. DAmasus Concilium habuit, in quo quid sibi & aliis Patribus videretur de Ariminensi Concilio, ad Illyrici Episcopos rescripsit. Id Theodoretus in libri II. historiæ capite XVII. tradit his verbis: *Quòd autem formulam istam* (Ariminensis Concilii) *magnopere improbârint Athleta omnes veritatis, atque imprimis Occidentales, testantur, quæ ab his scripta fuerunt ad Illyricos. Scribentium verò princeps fuit Damasus vir plurimis virtutibus insignis, Romanæ Ecclesiæ post Liberium Cathedram sortitus. Scripsere autem cum illo Episcopi nonaginta ex Italia, & Galatia, quæ Gallia nunc vocatur, Romæ congregati: Quorum etiam nomina, nisi supervacaneum foret, hic apponerem. Literæ verò sunt hujusmodi: Episcopi Romæ in sacro Concilio congregati Damasus & Valerianus & cæteri dilectis fratre-*
19 *bus in Illyrico constitutis salutem in Domino. Credimus sanctam fidem nostram in Apostolorum doctrina fundatam, hanc tenere, & hanc populo tradere, quæ à decretis Patrum nulla ratione discrepat, sacerdotes Dei à quibus justum est cæteros erudiri,* &c.

Hæ literæ anno M.DCLXII. correctiores prodierunt in Romana Collectione bipartita: Sic autem ibi se habent. *Exemplum Synodi habitæ Romæ Episcoporum* XCIII. *ex rescripto Imperiali: Damasus, Valerianus, Vitalianus, Aufidius, Pacianus, Victor, Priscus, Innocentius, Abundius, Theodulus & cæteri, qui ad audiendam causam Auxentii, exponendámque fidem in urbe Roma convenerunt, Episcopis Catholicis per Orientem constitutis in Domino salutem. Confidimus quidem sanctitatem vestram Apostolorum instructione fundatam, eam tenere fidem, eámque plebibus intimare, quæ à majorum institutis nulla ratione dissentiat. Neque enim aliter Dei sentire convenit sacerdotes, quorum pars est cæteros erudire,* &c. Et post Epistolæ finem: *Explicit hæc Epistola, vel expositio Synodi Romanæ habitæ sub Damaso Papa, & transmissa ad Orientem, in qua omnis Orientalis Ecclesia facta Synodo apud Antiochiam consona fide credentes, & omnes ita consentientes eidem super-expositæ fidei singuli sua subscriptione confirmant.*

Damasus quoque Concilium habuit, in quo Apollinarem & illius discipulum Timotheum cum suis hæresibus proscripsit. Id facilè colligitur ex Theodoreto in libri V. historiæ capite X. sic inscripto: *Damasi Episcopi Romæ Synodica adversus Apollinarem & Timotheum scripta,* quam ad Orientales Episcopos misit.
20 Sub finem verò Synodicæ res est hujusmodi: *Timothei ergo abdicationem quid à me denuò requiritis, qui & hic judicio Sedis Apostolicæ, præsente Petro Alexandrinæ urbis Episcopo abdicatus est unà cum magistro suo Apollinare, & in die judicii debitas pœnas & supplicia sustinebit.* Damasus habuit & aliud Concilium, cujus paullo pòst Theodoretus meminit: *Quin & alia quædam Episcopi in magna Roma congregati adversus diversas hæreses scripserunt, quæ narrationi intexere congruum existimavi. Confessio fidei Catholicæ, quam Damasus Papa in Macedoniam misit ad Paulinum Episcopum cùm esset Thessalonicæ.* Sequitur postea confessio fidei, quæ ab Episcopis Romæ congregatis edita est.

Damasus tam frequentia non celebrâsset Concilia, nisi Sedis suæ traditione informatus illa credidisset esse necessaria.

Porro autem ad Damasum referri potest & debet Italiæ Concilium, id est, Ambrosium & cæteros Italiæ antistites in unum collectos, qui Epistola V. ad Theodosium Imperatorem ideo scribunt, ut Nectarius Constantinopoli post Maximum ordinatus loco cedat, aut Romæ super utriusque ordinatione habeatur Concilium: Verba sunt: *Nectarium autem cùm nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus: Præsertim cùm ab iisdem Nectarius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quadam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur*
Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super 21
duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrûm Orientaliúmque Concilium.

Testimonium Siricii.

VII. ET sanè nisi necessaria esse Concilia, Siricius non opinione solùm, sed etiam ad veritatem persuasus fuisset planè, Anysio & cæteris per Illyricum constitutis Episcopis non scripsisset, quæ sic scripsit. *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrûm est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi, responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ipsi judicent, quibus judicandi facultas est data: Vos enim*
totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi 22
ex Synodi auctoritate judicare non convenit. Et post alia, in fine Epistolæ: *Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri nostro & coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestram normam expectamus sententia.* Quid opus esset quæso hæc omnia scribere, si Concilia non essent necessaria? Si Conciliorum auctoritas Romani Pontificis auctoritate major non esset cùm in condendis canonibus, tum in decernendis rebus fidei sine periculo erroris?

Testimonium Innocentii I.

VIII. INnocentius certior factus eorum, quæ adversus Joannem Chrysostomum commissa fuerant, indignè tulit: Damnavit illa quidem, sed necessarium esse generale Concilium scribit ad Clerum Constantinopolitanum. Epistola est apud Sozomenum in libri IX. hist. capite XXVI. *Innocentius Episcopus Presbyteris & Diaconis, universóque Clero ac populo Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui subditi sunt Episcopo Joanni, dilectis fratribus salutem. Ex literis charitatis vestræ, quas per Germanum Presbyterum & Cassianum Diaconum misistis, tragœdiam malorum quam ob oculos posuistis, anxia sollicitudine cognovi, quantisque miseriis ac difficultatibus istic laboret fides, lectione sæpius repetita perspexi.* Et post alia: *Nos enim quantum ad canonum observantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt, quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere Catholica Ecclesia debet.* Et paullo pòst: *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria e-*
rit Synodalis cognitio, quam etiam multo jam antea con- 23
gregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ hujuscemodi procellarum impetus retundere potest. Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei ac Christi ejus Domini nostri!

nostri: Illa universis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus fretì nostra in Deum fide. At nos quidem multum deliberamus, quonam modo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint. Expectemus itaque tantisper, ac vallò patientia communiti speremus, auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda. Universa verò, quæ eos ibi sufferre dixistis, jam antea à coepiscopis vestris, qui Romam licèt diversis temporibus convenerunt, Demetrio videlicet, Cyriaco, Eulisio, & Palladio, qui nobiscum sunt, diligenti inquisitione habita cognovimus. Quin autem Conciliorum necessitatem penitus sibi persuaserit Innocentius, secundùm ista quæ relata sunt, dubitari meritò non potest. Huic persuasioni nihil deest. Quippe ille noverat primæ Sedis suæ traditionem esse certissimam.

Testimonium Celestini I.

IX. CElestinus cùm alia multa, tum maximè duo præstitit, quibus antiquam Romanæ Ecclesiæ traditionem sequi se luculenter ostendit. Sic autem illa expeditum imus.

Nestorins Constantinopolis Episcopus exeunte anno Christi CCCCXXVIII. Mariam non esse Deiparam prædicat, nefarios ea de re Commentarios edit,
24 & longe lateque spargit in vulgus: Exportantur Alexandriam, & à Cyrillo loci Episcopo confutantur. Nestorius & Cyrillum & Cyrilli admonitionem spernit, variisque probris ubique lacessendam curat. Hinc causæ confisus suæ ad Celestinum scribit. Celestinns acceptis Nestorii literis Occidentalium Synodum cogit: Nestorii errores communi omnium suffragio configit, & Nestorium nisi resipiscat intra decem dies abdicandum esse decernit. Inde Celestinus ad Cyrillum scribit, eúmque suæ & Occidentalium sententiæ executorem facit. Epistolæ verba sunt hæc: *Quamobrem nostra Sedis auctoritate adscita, nostráque vice & loco cum potestate usus ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequêris, nempe, ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostra admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eámque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana & tua sanctitatis Ecclesia, & universa denique Christiana religio prædicat, illico sanctitas tua illi prospiciat.*

Deinde ad Nestorium scribit, & literas hoc modo concludit: *Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de Christo Deo nostro ea prædices, quæ Romana & Alexandrina, & universalis Ecclesia Catholica tenet, sicut & sancta Constantinopolitana magna urbis Ecclesia ad te usque tenuit, & hanc perfidam novitatem, quæ hoc quod venerabilis scriptura conjungit, nititur separare, intra decimum diem à primo innotescentis tibi hujus conventionis die numerandum aperta & scripta con-*
25 *fessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiæ Catholicæ communione dejectum. Quam formam ad te nostri judicii per memoratum filium Possidonium Diaconum cum omnibus chartis ad sanctum consacerdotem meum memoratæ Alexandrinæ urbis antistitem, qui ad nos super hoc plenius retulit, destinavimus, ut agat vice nostra, quatenus statum nostrum & tibi & universis fratribus innotescat, quia omnes debent nosse, quod agitur, quoties omnium causa tractatur.*

Postremò Cyrillus Alexandrinus ad Joannem Antiochenum scribens, Romanæ seu Occidentalis Synodi mentionem ita facit: *Sancta Romana Synodus disertam statim in illum sententiam tulit; Qua de re & ad tuam quoque pietatem perscripserit. Horum proinde decretis modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerunt.* Et quibusdam interpositis: *Jam tuæ pietatis fuerit, quid in rem futurum sit, diligenter expendere. Nos enim quæ illi judicaverunt, sequi omnino constituimus.* Sed iterum in Epistola Synodica, quam Cyrillns ad Nestorium misit: *Ecce igitur una cum sancta Synodo, quæ in magna Romanorum civitate sanctissimo & reverendissimo Episcopo fratre & comministro nostro Celestino præsidente convenit, jam tertiò hisce literis contestabamur & obtestamur, ut consilium nostrum secutus, à stolidis illis absurdisque dogmatibus, quæ foves, publicéque doces, quamprimum desistas.* Et post alia: *Quod sanè nisi juxta tempus in literis Celestini sacratissimi reverendissimique fratris & comministri Romanorum Episcopi expressum, præfinitúmque præstiteris; certò scias, nullam tibi deinceps cum Episcopis, & Sacerdotibus Dei sortem, nullum sermonem, nullum denique* 26
inter eos locum futurum esse. Sic ergo Celestinus in damnanda Nestorii hæresi se gessit, ut non solus, sed cum Occidentalium Synodo damnaverit. Cyrillus verò cùm Celestini & Romanæ Synodi sententiam exequi voluit, ne exequeretur, Theodosius Imperator obstitit, statuitque, ut Synodus generalis haberetur. Qua de re sic ad Cyrillum scribit: *Cæterum ante sanctissimam Synodum, communémque ejusdem, quæ de omnibus dabitur, sententiam, nihil quicquam in ulla re prorsus à quoquam privatim innovetur. Omnino autem persuasum habemus, neminem ex piissimis, Deóque devotissimus Episcopis fore, qui simulátque rerum Ecclesiasticarum causa, atque adeò controversiarum totius orbis gratia nostra hac sanctione sanctissimam Synodum cogi intellexerit, non properè sit studioséque occursurus.* Tunc Celestinus cùm Theodosii voluntatem perspectam atque animadversam habuit, Legatos ad Synodum generalem, quæ Ephesi indicta erat, misit: Tantùm abest, ut mittere refugeret, aut Romana Synodo prorsus finitam esse controversiam causaretur. Sed notanda sunt verba Epistolæ, quam ille Pontifex ad Synodi Patres dedit: *Non potest*, Inquit, *veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est, Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cùm ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quantò magis eum nunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba sanctorum? Deinde direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres & consacerdotes nostros unanimes nobis & probatissimos viros Arcadium & Projectum Episcopos & Phi-* 27
lippum Presbyterum nostrum, qui his, quæ aguntur intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur, quibus præstandum à vestra sanctitate non dubitamus assensum, quando id quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum.

Hæc autem cùm ita sint, Celestinus ad damnandos Nestorii errores necessariam esse Synodum duplici modo testatur. Primùm quidem cùm acceptis à Nestorio contra Cyrillum literis Romæ Synodum Episcoporum convocat: Deinde cùm ab Imperatore suspenso Synodi hujus effectu Legatos ad Oecumenicam mittit Synodum, dicítque eam esse talem, cui Spiritus Sanctus intersit.

Testimonium Leonis I.

X. LEO Conciliorum necessitatem ita demonstrat, ut nemo magis. Et primùm quidem cùm Niceni canonis V. vindicem & assertorem se præstat in Epistolæ IV. ad Episcopos Siciliæ capite VII. *Quare illud primitus pro custodia concordissimæ unitatis exigimus, ut quia saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam fraterno Concilio sociandi occurrant, & indissimulanter à vobis hæc consuetudo servetur. Quoniam adjuvante gratia Dei faciliùs poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram beatissimo Apostolo Petro semper in communione tractatum fuerit, ut omnia instituta canonúmque decreta*

apud

apud omnes Domini Sacerdotes inviolata permaneant. Hæc
28 *autem quæ vobis inspirante Domino insinuanda credidimus,*
per fratres & coepiscopos nostros Bachillum atque Pascasinum ad vestram volumus notitiam pervenire. Quibus
referentibus cognoscamus, quàm reverenter à vobis Sedis
Apostolica instituta serventur. Quo magis in hæc Pontificis magni verba inspicies, eo magis reperies conventus istiusmodi necessitatem ab illo exponi: In singulis commatibus necessitas ista repetitur, infigitur, inculcatur. Ubi verò canonum observantiam tam vehementer urget pro concordissimæ unitatis custodia, se canonibus subjici significat, cùm ex reipsa, quæ unicuique ad pectus advolat, tum ex variis epistolarum illius locis, quæ alibi retulimus. Nunc epistolæ primæ ad Episcopos per Campaniam, Picenum, & Thusciam constitutos præfatio sufficiet: *Ut nobis gratulationem facit Ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non levi nos mœrore contristat, quoties aliqua contra statuta canonum Ecclesiasticámque disciplinam præsumpta, vel commissa cognoscimus: Quæ si non qua debemus vigilantia, resecemus, illi, qui nos speculatores esse voluit, excusare non possumus, permittentes sincerum corpus Ecclesiæ (quod ab omni macula purum custodire debemus) ambientium improba contagione, cùm ipsa sibi membrorum per dissimulationem compago non congruat.* Non ita loqueretur Pontifex, qui Ecclesiasticis canonibus solutum, & non errandi privilegio præditum se arbitraretur. Hoc autem in causa est maximè, cur Conciliorum necessitatem vindicet & confirmet.

Deinde in confutando Eutychis errore, quem præ
cæteris aperuit & persecutus est. Eutyches igitur Ar-
29 chimandrita Constantinopolitanus cùm Nestorii hæ-
resim percellere conatus est, aliam induxit. Hic monitus à Flaviano Episcopo, ut ab ea spargenda desisteret, desistere noluit; atque eam ob causam in Synodo damnatus est. Leonem appellat, sperans fore, ut Flaviani sententia rescinderetur. Leo ad Eutychem literas dat officii & amoris plenissimas, & in ejus gratiam cùm ad Theodosium Imperatorem, tum ad Flavianum Episcopum scribit, acceptámque per libellum Eutychis querimoniam exponit. Flavianus ad Leonem rescribit, causas adfert, propter quas Eutychem Christianorum communione privaverat, & Sacerdotio abdicarat. Tum addit necesse non esse, ut fiat Concilium, & sufficere, si Leo confirmet, quæ in Constantinopolitana Synodo adversus Eutychem gesta fuerant: *Commotus itaque, sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea, quæ in nos & sanctissimam Ecclesiam facta sunt atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundùm quod Sacerdotio competit, propriámque faciens communem causam & sanctarum Ecclesiarum disciplinam simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare, confortare autem & pissimum & Christo deditissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, quæ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eum facta sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.*
30 Leo Flaviano non assentitur, sed apud Imperatorem
agit, ut Concilium intra Italiam fiat, & novam interim Eutychis hæresim datis ad Flavianum literis configit. Sic autem Leo ad Theodosium scribit in epistola IX. *Pro integritate fidei Catholicæ Christianum Principem convenit esse sollicitum, & hoc indefessis precibus Divinam misericordiam posco, ut cordi vestro id quod est veritatis inspiret, neque falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur. A me autem, atque ab omnibus Catholicis sacerdotibus, quæ Evangelicæ fidei pietas defendat, satis plenè ac lucidè literis meis, quas clementiam vestram jamdudum per famulum vestrum Epiphanium Tribunum, qui pro hac causa missus est, arbitror vos accepisse. Ratum est nec ambigi potest, hoc nos purissime credere, hoc constanter asserere, quod etiam venerandi Patres quondam apud Nicæam congregati secundùm fidem Symboli credendum & confitendum sacratissima auctoritate sanxerint. Nos enim, venerabilis Imperator, sicut Nestorii dogma perversum meritò anathematizavimus, ita justè etiam horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino Jesu Christo susceptam esse, damnamus. Unde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium, citò, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari.* Et paullo pòst: *Data VIII. Calend. Junias, Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus.* Imperator non intra Italiam, sed intra Asiam Ephesi Concilium indicit: Et Leo ad illud Legatos dirigit tres, Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & Hilarium Diaconum: Utrum-
que testatur ipse scribens ad Theodosium in epistola 31
XII. *Unde licèt Eutyches (quantum gestorum Episcopalium ordo patefecit) imperitè atque imprudenter errare detectus sit, debueritque à sua meritò reprobabili persuasione discedere: Quoniam tamen pietas vestra, quæ in honorem Dei religiosissimè Catholicam diligit veritatem, apud Ephesum constituit Synodale Concilium, ut imperitiæ sensu ea, in qua nimis caligat, veritas innotescat, fratres meos Julianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, & filium meum, Hilarium Diaconum misi, qui ad vicem præsentiæ meæ pro negotii qualitate sufficerent.* Et post alia: *Data Idibus Junii Asterio & Protogene viris clariss. Coss.*

Deinde Leo ad Ephesinam Synodum scribit in epistola XV. quid jam in Eutychis causa fecerat, & qua ratione Legatos suos mittit, his verbis significat. *Verùm quia etiam talium non est negligenda curatio, piè ac religiosè Christianissimus Imperator habere voluit Episcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis possit error aboleri, fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium nostrum Hilarium Diaconum, cùmque his Dulcitium notarium probatæ nobis fidei misi, qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia, quæ Domino sunt placitura, constituant, hoc est ut primum pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia ejus facerat irretita, plenè apertéque propria voce & subscriptione damnaverit. Quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram secuturum se*
esse sententiam. Acceptis autem fratris & coepiscopi 32
nostri Flaviani literis, pleniùs ad eum de his, quæ ad nos videbatur retulisse, rescripsimus, ut abolito hoc quo inquinatus videbatur, errore, in laudem & gloriam Dei per totum mundum una sit fides, & una eadémque confessio. Et paullo pòst: *Data Idibus Junii Asterio & Protogene viris clariss. Coss.*

Hic ne tergiversationi & moræ locus ullus detur, prætermittendum non est, Leonem ad Flaviani Constantinopolitani Episcopi magis, quàm ad propriam mentem scribere, quæ scribit in epistola XVI. ad eundem Flavianum: *Literas tuæ Dilectionis accepi cum gestis, quæ apud nos super fidei quæstione confecta sunt. Et quia clementissimus Imperator pro Ecclesiæ pace sollicitiùs Synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu, tamen frater charissime subsecutos esse significo, quos in hac re placuit destinare. Nec necessarium fuit nunc ampliùs scribi, cùm propitio Deo de his, quæ causa credimus convenire, per ea, quæ ipsi portabunt scripta, sis pleniùs instruendus. Data 15. Calend. Julii Asterio & Protogene viris clariss. Coss.* Ad mentem igitur Flaviani loquitur, cùm ait rem de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu, qui nempe in Oecumenica

Synodo

Synodo fiat, Nam Flavianus (ut mox visum est) putabat configendæ Eutychis hæresi sufficere, si ad Constantinopolitanam Synodum, in qua hæresis hæc confixa fuerat, Leonis consensus & confirmatio accederet. Sed illud Leo persuasum non habuit. Rem enim de qua agitur, Synodali credidit indigere tractatu, quem in Oecumenica Synodo institui ab Imperatore po-
33 poscit. Leonis verba suprà retulimus.

Neque verò Leo secum pugnat, cùm in epistola XVII. ad Theodosium scribit, quæ sequuntur: *Acceptis clementia vestra literis, & multum universali Ecclesia gaudendum esse prospexi, quòd Christianam fidem, qua divinitas honoratur & colitur, in nullo dissimilem, in nullo vult esse discordem. Quid enim rebus humanis ad exorandam misericordiam Dei efficacius suffragetur, quàm si una gratiarum actio & unius confessionis sacrificium majestati ejus ab omnibus offeratur? In quo Sacerdotum & cunctorum fidelium ita demum erit plena devotio, si in his, qua per unicum Dei filium Deum verbum pro nostra redemptione sunt gesta nihil aliud sentiatur, quàm quod ipse prædicari de se jussit & credi. Unde quamvis ad diem Concilii Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cùm nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem, præsertim cùm tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum: Tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum studium commodavi, ut clementia vestra statutis aliquatenus parcatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis pro causa æquitate sufficiant, quique præsentia mea impleant vicem, quia non talis quæstio orta est, unde aut possit, aut debeat dubitari: Data XII. Calend. Julii Asterio & Protogene viris clariss. Coss.* Hæc autem verba: *Præsertim cùm tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo* (quæ jam indicta fuerat) *fuisset abstinendum*, sic accipienda non sunt, ut ab indicenda Synodo
34 prorsus abstinendum fuisset. Minime gentium. Nam Leo Theodosium rogaverat, ut Synodus indiceretur. Sed optabat Pontifex, ut Synodus non tam citò indiceretur. In tam evidenti causa fidei judicabat festinandum esse lentiùs; idque duabus de causis. Et primam quidem Leo indicat in epistola XVIII. ad Pulcheriam Augustam: *Unde multum doleo, multúmque contristor, quòd hic, qui antea de humilitatis proposito laudabilis videbatur* (Eutyches) *contra unicam spem nostram, Patrúmque nostrorum, vana & nimis perversa audet astruere. Qui cùm videret insipientia sua sensum Catholicis auribus displicere, revocare se à sua opinione debuerat, ne ita Ecclesia præsules commoveret, ut sententiam damnationis exciperet. Quam utique si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedis enim Apostolica moderatio hanc temperantiam servat, ut & severius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.* Et post alia: *Ac si ipse, qui in hac tentatione incidit, resipiscat, ita ut quod malè senserat, propria voce & subscriptione condemnet, communio illi sui ordinis reformetur. Quod etiam fratri & coepiscopo meo Flaviano me clementia vestra scripsisse cognoscat, & his quos misimus, delegâsse, ut venia concedatur, si error aboletur.*

Deinde in epistola XIX. ad Julianum Episcopum: *Quia tamen non debemus partes miserationis omittere, congrua moderatione credidimus sentiendum, ut si condemnatus presbyter plena satisfactione corrigitur, sententia, qua obstrictus est, relaxetur. Si verò in eodem insipientia sua luto jacere delegerit, statuta permaneant, & cum eis habeat sortem, quorum est secutus errorem.* Sperabat Pontifex
35 futurum esse, ut adjutore, auctore, & hortatore se Eutyches tandem resipisceret, & quem animo imbiberat errorem, abjiceret. Nam dilata tantisper Concilii indictione major Eutychi facultas redeundi ad se daretur, & ille minùs exasperaretur. Multa sunt istiusmodi, quæ dies mitigare consuevit.

Altera causa quæritur ex fidei argumento, quod tractandum & definiendum est. Hoc autem uti convenienter fiat, ex omnibus provinciis remotissimis & disjunctissimis congregandi sunt antistites, qui brevi tempore vix congregantur.

Cum igitur nefariis artibus Dioscori Ephesina Synodus evasit prædatoria, tunc omnino videbatur necessarium, ut Leo per seipse faceret, quod per Ephesinam Synodum istam fieri voluerat. Ratus se id facere non posse, non fecit: judicium præoccupavit nullum; fiduciario jure & in rem præsentem decrevit nihil: sed Imperatorem per literas adjit rogavitque vehementiùs, ut quicquid Synodus egerat, plane teneretur in suspenso, donec Synodus major altera cogeretur. Sic autem Leo scribit in epistola XXV. *Ecce ego, Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementia vestra sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, qui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, qua tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari,* 36
quia (quod necesse est nos dicere) veremur, ne ejus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete & tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam & communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorúmque Martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio vera divinitatis & vera humanitatis in Christo. Et quibusdam interpositis rogat iterum, ut illa Synodus altera, quæ congreganda est, intra Italiam congregetur: *Cùm sacramento* (Incarnationis) *quia impiò nunc à paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesia, omnes mansuetudini vestra, cum gemitibus & lacrimis, supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamârunt, & ejusdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, qua omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum.* Theodosius Leonis preces audit, & Concilium non quidem intra Italiam, sed Nicææ intra Bithyniam cogitur. Tum coactum ibi Concilium justis de causis Calchedonem transfert, de quo ita scribit Leo in epistola XLIII. ad Martianum Theodosii successorem: *Poposceram quidem à gloriosissima clementia vestra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Ecclesia pacem à nobis etiam petitam necessariam judicâstis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet, convenirent.* Et post alia: *Prior itaque Synodus Ephesina Nestorium cum dogmate suo meritò justéque damnavit: Et quisquis in illo errore persistit, ad nullam potest spem remedii pervenire. Sequens* 37
verò in prædicta civitate non potest vocari Concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum, quódque vestra clementia amore veritatis Catholica adfutura, aliud statuendo cassabis, gloriosissime Imperator. Unde per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, ut in præsenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicârunt, non patiamini quasi dubiam retractari, & qua olim majorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari. Illúdque potiùs jubeatis, ut antiqua Nicana Synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant. Nec me quoque (ut voluit vestra clementia) ab illo credatis abesse Concilio, cùm in his fratribus, quos direxi, id est, Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, & in fratre meo Juliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit æstimanda præsentia, &c. *Data VI. Calend. Junii Adelphio viro clariss. Cons.*

Deinde

Deinde in Epistola XLIV. ad eundem Martianum: *Synodum verò fieri, ut meminit clementia vestra, etiam ipsi popostimus. Sed Sacerdotes provinciarum omnium congregari præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illæ provinciæ, de quibus maximè sunt evocandi, inquietante bello ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Unde opportuniori tempori propitiante Domino, cùm firmior fuerit restituta securitas, jubeat vestra clementia reservari. De qua re plenius inter cætera apud pietatem*
38 *vestram poterunt allegare, quos misi. Data V. Idus Junii Adelphio viro clariss. Conf.*

Tum in Epistola XLIX. ad eundem Martianum: *Credebamus clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respecta differri ad opportunius tempus sacerdotalem Synodum juberetis, ut vocatis de cunctis provinciis sacerdotibus verè posset esse universale Concilium. Sed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem & coepiscopum meum Paschasinum de ea provincia, quæ videtur esse securior, evocatam, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, Bonifacio fratre nostro & compresbytero sociato, & his, quos antea miseramus, adjunctis,&c. Data VI. Calend. Junii Adelphio viro clariss. Conf.*

Denique in Epistola L. ad eundem Martianum: *Sanctum clementiæ vestræ studium, quo ad reparationem pacis Ecclesiasticæ Synodum habere voluistis, adeò libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptius expectari tempus optâssem, quo scilicet plurimi possent Episcopi etiam de longinquis provinciis evocari, mox tamen ut mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de Episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meam sufficienter implerent, datis per eosdem Epistolis ad eos, qui legationem antè susceperant, ut ipsi quoque prædictis ad implendas partes meæ præsentiæ jungerentur. Unde quamvis minus arctus dies Synodo fuerit constitutus, spero tamen adfuturum omnipotentis auxilium, quo omnes valeant ad præfinitum tempus occurrere, & unanimiter cum sanctæ fraternitatis assensu, quæ universali Ecclesiæ congruant, definire.*

39 Atque hæc sunt, quæ ad damnationem Eutychis Archimandritæ Constantinopolitani pertinent, ubi quæ Conciliorum etiam generalium necessitatem ostendunt, omnia videre est, nec videre esset, si Leo in decernendo errare se non posse, aut se supra Concilium esse crederet. In his Epistolis duo fateri non dubitat; Primùm quòd ab Imperatore universalem convocari Synodum poposcit. Deinde, quòd ab eodem Imperatore obtinere non potuit, ut Synodus in tempus opportunius differetur. Atqui duo hæc Synodi necessitatem unicuique vel leviter attendenti objiciunt. Præterea quorsum Pontifex & Synodi convocationem, & illius in aliud tempus eo, quod Imperator præscripserat, commodius dilationem poposcisset, si credidisset tum demum se majori vel certè pari cum Synodo auctoritate id posse decernere, quod à Synodo ipsa decernendum erat? Nonne liberâsset se illa vehementi & toties repetita postulatione, cui Imperator semper restitit, quæ apud Imperatorem locum nullum habuit? Non persuadebat sibi ea præditum se esse potestate, quam hodierni quidam Curiales magistri Romanis Pontificibus attribuunt.

Aliud ex eodem Leone adjungimus, quo necessitas Conciliorum peræque confirmatur. Priscillianistarum hæresis, quæ pridem extincta fuerat, tunc revirescere & lacertos movere cœpit. Turribius Asturicensis Episcopus ad Leonem de tanto malo retulit, scire cupiens, quibus modis amputaretur. Turribii literæ non extant, sed ex beati Leonis responsione discimus quid illæ continerent. *Quàm laudabiliter*, inquit Leo in
40 Epistolæ XCIII. præfatione, *pro Catholicæ fidei veritate movearis, & quàm sollicitè Dominico gregi devotionem officii Pastoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquis pestilentiæ reliquiis errorum morbus exarserit. Nam & Epistolæ sermo & commonitorii series libelli tui textus demonstrant Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sentinam. Nihil est enim sordium in quorumque sensibus impiorum, quod in hoc dogma non confluxerit: Quoniam de omnium terrenarum opinionum luto multiplicem sibi fæcem commiscuerunt, ut soli totum biberent, quidquid alii ex parte gustassent. Denique si universæ hæreses, quæ ante Priscilliani tempus exortæ sunt, diligentiùs retractentur, nullus penitus invenitur error, de quo non traxerit impietas ista contagium.* Et post alia: *Quia dilectio tua, fideli, quantùm potuit, diligentia damnatas olim opiniones decem & septem Capitulis comprehendit, nos quoque strictim omnia retractavimus, ne aliquid harum blasphemiarum, aut tolerabile videatur, aut dubium.*

Deinde, quia Priscillianistarum dogmata Turribius decem & septem Capitulis comprehenderat, Leo totidem Capitulis ea per Scripturam & traditionem refellit, & subdit postea: *Habeatur ergo inter vos Episcopale Concilium & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes, ut secundùm ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui hujus hæreseos contagio polluantur, à communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravi-* 41
tates damnare noluerint. Et post pauca: *Dedimus itaque literas ad fratres & coepiscopos nostros, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid, quod absit, obstiterit, quominus possit celebrari generale Concilium Gallicia, saltem in uno conveniant Sacerdotes, quibus congregatis fratres nostri Hydacius & Ceponius imminebunt conjuncta cum eis instantia tua, quò citiùs vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus adferatur.* Præter ista, quibus Conciliorum necessitatem in confutandis hæresibus asserit, etiam postquam Leo hæreses ipsas perculit, & jam ante ipsum, in quibusdam Conciliis perculsæ fuerant, in Epistolæ hujus præfatione pronuntiat audacter, ex infrequentia Conciliorum hæreses & omne malorum genus in Ecclesia procreari. *Ex quo autem*, inquit, *multas provincias hostilis occupavit irruptio, & executionem legum tempestates interdixere bellorum, ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conventus, invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta.* Non potuit Conciliorum necessitatem magis asserere, ubi res plenissimo examine disquiruntur.

Hic præterire nequeo provincialium Conciliorum necessitatem, quam in Epistolæ IV. ad Episcopos per Siciliam constitutos capite VII. repetit, & ad quam fortè respicit in præfatione Epistolæ ad Turribium: *Quare illud præmitimus*, inquit, *pro custodia con-* 42
cordissimæ unitatis exigimus, ut quia saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Calendarum Octobrium Romam fraterno Concilio sociandi occurrant, & indissimulanter à vobis hæc consuetudo servetur. Quoniam adjuvante gratia Dei faciliùs poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm coram beatissimo Apostolo Petro semper in commune tractatum fuerit, ut omnia instituta, canonúmque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant. Quot commata, tot pene sententiæ, quibus & istorum Conciliorum necessitas comprobatur.

Testimonium Hilari.

XI. HIC Pontifex cùm Synodum habeat ad asserendos & exequendos Nicæni Concilii canones, qui per sese videntur observantiam sui satis exigere, non potest non esse persuasus, Synodum requiri, cùm nova causa vel fidei, vel gravioris cujusdam disciplinæ emergit. Sed audiendus est Hilarus, cùm Romanæ Synodo sic præfatur: *Quoniam religiosus Sancto Spiritu congregatos conventus hortatur, ut quæcunque pro disciplina Ecclesiastica necessaria sunt, cura diligentiore tractemus: Si placet, fratres, ea, quæ ad ordinationum tenorem pertinent, juxta divina legis præcepta, & Nicænorum canonum constituta, ita adjuvante Domino in omne ævum mansura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel Apostolica Sedis decreta temerare, quia nos, qui potissimi sacerdotis ad-*
43 *ministramus officia, talium transgressionum culpa respicient, si in causis Dei desides fuerimus inventi, quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentia sacerdotum. Si quidem reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitiâ peccatorum sublimitas dignitatum.* Mox expositis, quæ ad sanciendam Ecclesiæ disciplinam pertinent, subjungit: *Quod ut deinceps possit tenaciùs custodiri, si placet, omnes causas & subscriptiones proprias commodate, ut Synodali judicio aditus claudatur illicitis.* Quibus verbis adhuc certa quædam Synodalis judicii necessitas importatur. Hic prætermitti non debet, Hilarum non antè Tarraconensis provinciæ antistitibus respondisse, quàm responsum suum communicaverit cum Episcopis, qui ad celebrandum illius natalem diem Romam advenerant. Verba sunt: *Lectis ergo in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat, literis vestris, quæ de ordinandis Episcopis secundum statuta canonum, vel prædecessorum meorum decreta sunt, prolata sententia gestorum, quæ pariter direximus, tenorem discetis.* Quorsum hæc, nisi & ita fieret, Romanæ Ecclesiæ poposcisset usus & traditio? Unusquisque Pontifex Romanus sibi semper ante oculos statuebat Hierosolymitanum Concilium, quod initio ex Actis Apostolorum retulimus. Regula est, norma, & præscriptio, quam ille sequendam esse credebat, & sequi se veluti gloriabatur; tantùm abest ut negligeret, & sibi soli confideret.

Testimonium Felicis III.

44 XII. FElix III. antiquam Romanæ Ecclesiæ traditionem duobus modis illustrat. Et primùm quidem cùm generalia Concilia non semper necessaria esse docet: Tunc videlicet cùm damnanda est hæresis, quæ olim à Concilio generali damnata postmodum revivicit: Sic exceptio firmat regulam in contrarium. Deinde cùm Romanus Episcopus, quem Conciliorum generalium executorem esse Felix magnopere contendit, horum Conciliorum decreta exequitur. Alterum ex his duobus in Acacii Constantinopolitani Episcopi historia continetur. Acacius, cujus fortunatiora fuerunt initia, quàm exitus, Eutychianis favebat plurimùm, atque eam ob rem pati nolebat, ut qui Episcopi sectatores erant Eutychis, sine generali Concilio judicarentur, aut à sede sua deponerentur. Felix contrà præ se ferebat, generale Concilium esse duntaxat necessarium, quando primùm exorta hæresis cum suis sequacibus damnatur. Huc spectant tres Felicis Epistolæ, quas Jacobus Sirmondus in Appendice Codicis Theodosiani reposuit.

Una est ad Zenonem Imperatorem, in qua sic habetur: *Quia dum per Synodum Calchedonensem, quam se dudum literis designavit tua clementia venerari, Eutychem atque Dioscorum constet esse damnatos, & eorum sectatores plurimis illarum partium documentis Timotheus & Petrus extitisse monstrentur, atque eorum communionem etiamsi prohibitam secutus Acacius, quos ipse Epistolis suis hæreticos dixerat esse damnatos, sententia illius Concilii convincuntur adstringi, & in ipsorum pœnam*
45 *meritò recidisse, quorum elegere consortium, sicut in cæteris hæresibus facta semel Synodus abjecti cujuslibet erroris cunctos sequaces consequenter involvit. Quæso igitur, gloriosissime, nec in successoribus refovere judicemur, quod manifestum est in auctoribus fuisse damnatum.*

Altera est ad Flavitam Constantinopolitanum Episcopum, in qua sic etiam habetur: *Non sumus pertinaces, sed dogmata paterna defendimus, quemadmodum etiam tuæ dilectionis pagina designavit. Zelum pro orthodoxis ostendere nos debemus. Calchedonensi Concilio, quod universalis sanxit & custodit Ecclesia, Eutyches & Dioscorus non probantur esse damnati? An eorum complices Timotheus atque Petrus instructionibus plurimis convenientibus non docentur; sicut hi quoque, quos misit tua dilectio, perviderunt? An eorum communionem frequenter & regulariter interdicentibus nobis non est secutus Acacius, quos ipse suis Epistolis hæreticos dixerat, olimque damnatos, & malè rursus ædificans, quod benè antè ipse destruxerat, secundùm Apostolum prævaricator apparuit? Idcóque juxta præfata Synodi tramitem meritò illic damnata perfidia parem cuncti subiere vindictam, qui hujus maluerunt esse participes; quemadmodum contra unamquamque hæresim Synodus constituta, cunctos etiam dejecta similes pravitatis adstringit, ne in successoribus omnino reparandum esset, quod in auctoribus justè monstratur esse prostratum.*

Tertia est ad Vetranionem Episcopum, in qua sic quoque habetur: *In Calchedonensi itaque Synodo, quæ de Concilii Nicæni tenore procedens pro Christiana con-*
46 *fessionis integritate servanda tam auctoritate Sedis Apostolicæ, quam universalis Ecclesia est celebrata consensu, Eutychem atque Dioscorum constat fuisse damnatos; Quorum Timotheus & Petrus extitisse docentur proculdubio sectatores, eorúmque se communioni nefaria miscuisse, etiam cùm à nobis prohibitus est Acacius, atque ob id ex forma Synodi memorata, similem cunctos, quæ præfixa fuerat pravitati, damnationis incidisse sententiam, cujus se elegerunt esse consortes. Unde meritò prædictus Acacius Apostolica Sedis, quæ nunc exsecutrix utique sæpedicti Calchedonensis Concilii pro fide Catholica tunc probari non desinit, iterata excommunicatione depulsus est, ne per eum, quod absit, nos quoque reddamus complices perditorum.* Et post alia: *Quomodo autem Dominus filius noster venerabilis Imperator non hoc sibi judicare possit faciendum, quod cerneret sacerdotem vel facere vel docere? Quapropter adjuncta secum mea prece dilectio tua sæpedictum Dominum filium nostrum supplicatione qua potest, & lacrymarum professione deprecetur, ut patienter permittat abscidi, qui nos conturbant, ne in successoribus hæreticorum reparasse videamur, quod in auctoribus eorum certum est fuisse damnatum.* Ex his autem tribus Epistolis facilè colligitur id, quod proposuimus, pro condemnanda hæresi nova opus esse Concilio, non pro ea, quæ jam condemnata est. Quapropter Felix contendit, alio præter Calchedonense opus non fuisse Concilio, ut Petrus & Timotheus Alexandrini Episcopi, & Acacius Constantinopolitanus Ecclesiastica communione priventur, & de sedibus suis deturbentur. Id verò totum ab Sede Apostolica peractum fuerat ex forma Calchedonensis Synodi, cujus executricem se Sedes Apostolica profi- 47
tetur. Itaque Felix pro condemnando Acacio generalis Concilii necessitatem non aliter excusat, nisi quòd damnatorum jam à Calchedonensi Concilio hominum Eutychis & Dioscori consortium elegisset, & quòd non nova judicii ratione, sed ex Calchedonensis Concilii forma condemnatus esset. Unde apparet Felicem in alia rerum conditione generalis Concilii necessitatem non excusasse; generale Concilium tunc fuisse necessarium consensisse.

Testi-

Testimonium Gelasii I.

XIII. GElasius cum decessore suo rem eandem sæpius inculcat, & primùm quidem in Epistola IV. seu in Commonitorio ad Faustum fungentem officio Legationis Constantinopoli: *Euphemium verò miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, secundùm formam Synodi Calchedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec novit eam, aut se nôsse dissimulat, in qua utique per numerosam sententiam Sacerdotum erroris hujus auctores constat fuisse damnatos: Sicut in unaquaque hæresi à principio Christianæ religionis & factum fuisse & fieri manifesta rerum ratione monstratur, decessorémque meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem, quod non solùm præsuli Apostolico facere licet, sed cuicunque Pontifici, ut quoslibet & quemlibet locum secundùm regulam hæreseos ipsius antè damnata à Catholica communione discernant. Acacius quippe non fuit novi vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita prodirent, sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, ut in illum recideret justa* 48 *lance sententia, quam cum suis successoribus per convenientiam Synodalem susceperat auctor erroris.* Et post alia: *In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes & cæteri, non solùm unus, sed plures utique nomen sacerdotii præferentes sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate dejecti, cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui præceptionis hujus extitit executor. Quod utique sicut Apostolicam Sedem juxta formam Synodicam fecisse manifestum est, sic neminem resultare potuisse certissimum.* Quoniam igitur non novæ inventor, sed veteris & jam à Concilio generali damnatæ hæreseos sectator fuit Acacius, necessarium non est ampliùs generale Concilium, à quo ille & configatur, & de sua sede pellatur. Cùm sic disputat Gelasius, non obscurè consentit, ad deponendum Acacium necessarium esse generale Concilium, si Acacius novi erroris auctor existeret. Huc spectat tota quanta est Gelasii ratiocinatio.

Deinde in Epistola VIII. ad Anastasium Imperatorem: *Proinde cùm Calchedonense Concilium pro fidei Catholicæ atque Apostolicæ veritate communioneque celebratum damnaverit Eutychem detestandi furoris auctorem, non satis habuit, nisi ut pariter ejus quoque consortem Dioscorum cæterósque percelleret. Hoc igitur modo, sicut in unaquaque hæresi vel factum semper, vel fieri non habetur ambiguum, successores eorum, Timotheum, Petrum, atque alterum Antiochenum Petrum non viritim propter singulos quosque Concilio rursus factos, sed Synodi semel acta regula consequenter elisit.* Par est, ut suprà disputandi modus, in quo deducitur, necessariam esse Synodum, cùm nova damnanda est hæresis, & novi damnandi sunt hæretici.

49 Tum in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Bona Synodus veréque Christiana semel acta nec potest nec debet nova Synodi iteratione convelli: sed secundùm benè gestam Synodum rectéque præfixam, siquis ab ejus tramite deviârit, consequenter ac sufficienter ejus definitione plectendus, meritóque illius subjacet constitutis, nec opus est per singulos quosque deviantes juréque plectendos novas rursus Synodos introduci, cùm ex illius tramite, quæ auctorem cum errore damnavit, quisquis quolibet modo quolibet titulo complex ejusdem fuerit factus erroris, ut ejus se contagione polluerit, competenter & particeps ejusdem damnationis existat, ejúsque pœnæ pariatur obstrictus, cujus maluit inire consortium.* Hic ut antea cùm uno in eventu, quem explicat, deprecatur Synodum & recusat, in alio, quem satis intelligendum præbet, Synodum nec deprecaretur nec recusaret: Immo paullo pòst necessariam esse significat: *Nam & quid ageretur de fide Catholica si intelligere voluissent, ignorare non poterant, cùm viderant Catholicos Pontifices nulla Synodi discussione, nullo Concilio, cùm novas causas esse perpenderent, toto Oriente depelli.* Et pòst alia: *Nova certè erant causa, & his consequenter nova Synodus debebatur.*

Hinc in Epistola IX. ad Orientales Episcopos, quam Vir clar. Jacobus Sirmondus edidit in Appendice Theodosiani Codicis: *Sed miramur cur eos non pudeat in istorum damnatione de Synodo non facta causari, cùm sciant tot, tantósque Pontifices nulla Synodo fuisse depulsos. Si in istorum rejectione de non inito Concilio conqueruntur, cognoscant se, cur non & hoc in aliorum rejectione quæsiverint, accusari: Si verò in cæterorum rejectione Concilia non necessaria fuerunt, nec in istis necessaria* 50 *fuisse cognoscant. An in Catholicorum dejectione non fuit opus, & fuit magnopere congreganda in prævaricatoris damnatione confessi? Quid igitur restat, nisi ut dicunt hæreticos non fuisse? Non ergo de Synodo conquerantur, qui se palam communionis externæ perhibent sectatores? Cur enim eis Synodus necessaria fuisse videatur, nisi contra Calchedonensem Synodum venire cognoscant, qua Eutychianus error cum auctoribus generali Ecclesiæ voce damnatus est? Nec dubium, quòd sicut in unaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari sorte censentur. Ideóque fit consequens, ut sicut Timotheus atque Petrus talium sectatores, secundùm illius tenorem Synodi nulla recenti facta Pontificum congregatione damnati sunt, sic & qui Petro communicavit Acacius, ut criminis particeps, ita consors sit factus & pœna.* Eadem est semper apud Gelasium disputandi ratio, ac proinde eadem semper deducitur complexio.

Postremò missum facere nequeo locum illum, quem Bellarminus in libri I. de Conciliis capite XI. pro Conciliorum necessitate depromit è tomo de vinculo anathematis: *Si præcessit consensus Pontificis,* (Episcoporum dicendum fuit) *doceatur à quibus & ubi ille sit gestus, si secundùm Ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, ubi proculdubio requirendum est, si Synodali congregatione celebratus, quod in receptione damnati & depulsione Catholici, quia nova est causa, fieri certissimum est.* Quibus ille verbis Concilio- 51 rum in Ecclesia necessitatem demonstrare se dicit. Sed præ me fero relata mox Gelasii verba expressiora non esse iis, quæ antea in medium adduximus.

Testimonium Symmachi.

XIV. QUOD in causa Symmachi ab adversariis injuriosissimè tractati factum est, hoc Symmachi testimonium vocamus. Res est hujusmodi. Hic Pontifex Romanas Synodos habuit numero sex. Primam anno CCCCXCIX. alteram anno D. tertiam anno DI. quartam DII. quintam DIII. sextam DIV. Tot autem & tam brevi temporis spatio non habuisset Synodos, nisi vel omnes vel certè aliquæ fuissent non utiles modò, sed etiam necessariæ, & cum primis illa, quæ sic præfatur: *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis Theoderici, diversis ex regionibus congregata in Christi nomine dixit: Cùm ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire Sacerdotes regia præcepisset auctoritas, ut de his, quæ venerabili Papæ Symmacho Apostolicæ Sedis præsuli ab adversariis illius dicebantur impingi, sanctum Concilium judicaret legitimè.* Plures è Clero, Senatoribus, & plebe crimina Symmacho Papæ objiciunt, eúmque judicant dignum, qui Sedis Apostolicæ rectione privetur. Privatur, & in ejus locum visitator sufficitur Petrus Altinensis Episcopus. Hinc discussis à Synodo criminibus Symmachus absolvitur, & in Sedem restituitur, hoc adversariis nimirum, pluribus è Clero, Senatoribus, & populo vix patienter ferentibus. Quò factum est, ut necessaria fuerit 52 Synodus, sine qua nec absolutus, nec restitutus fuisset Symmachus; usque adeò Romæ ab omnibus ventis invidiæ circumflabatur. Porrò autem cùm hæc in Synodo

Romanæ Sedis antistes dicitur *minorum nunquam subjacuisse judicio*; Id quidem in Synodo dicitur, sed de Synodo non dicitur, quæ de Symmachi absolutione & restitutione sententiam tulit. Hoc dictum spectat judicium illorum, Cleri videlicet, Senatorum, & populi, qui objectis Symmacho criminibus eum perperam & contra fas judicaverunt dignum, qui de Romanæ Sedis administratione dejiceretur. Quod retro ad beatum Petrum versus nunquam acciderat. Rem latè persequor in Epistola ad Claudium Santeulium.

Testimonium Hormisdæ

XV. PRæclarum est in Epistola xxv. ad Episcopos Hispaniæ: *De conveniendo bis in anno notum est, canones sanctos constituisse, & præfinitum quidem, si possibile est, inviolabiliter convenit custodiri, sed si aut temporum necessitates, aut emergentes causæ, hoc non patiuntur impleri, semel saltem, quamvis non licuerit, sine ulla excusatione præcipimus convenire. Hæc, fratres charissimi, & alia, quæ Patrum regulis continentur, in labiis & in cordibus nostris indivisa retractatione meditentur, & sicut scriptum est, ea narremus filiis nostris, ut ea meditentur in cordibus suis, sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque surgentes, quia beatus in Domino, qui in ejus lege meditabitur die ac nocte.* De habendis ut canones præcipiunt Conciliis, aliter loqui non poterat, qui se canonibus subjectum esse noverat. Qua de re cùm pluribus in locis, tum maximè in in-
53 diculo, quem Ennodio, Fortunato, & aliis Sedis Apostolicæ Legatis Constantinopolim euntibus dedit: *Quod ad canones*, inquit, *pertinet, jam antè suggessimus, canones solvere in religionem committere est.* Quis igitur negaret Hormisdam Nicæno paruisse Concilio, quod canone v. statuit: *Annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari?*

Testimonium Bonifacii II.

XVI. BOnifacius congregandarum Romæ Synodorum morem receptum atque inveteratum noverat, cùm id fecit, quod illum fecisse Anastasius Bibliothecarius recenset in libro de Vitis Romanorum Pontificum: *Hic*, inquit, *congregavit Synodum in basilica beati Petri Apostoli, & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis Sacerdotum, & jurejurando ante confessionem beati Petri Apostoli in Diaconum Vigilium constituit. Eodem tempore facta iterum Synodo hoc censuerunt Sacerdotes omnes propter reverentiam sanctæ Sedis, & quia contra canones hoc factum fuerat, & quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret; ipse Bonifacius Papa reum se confessus est majestatis, quod Diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem beati Petri Apostoli constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum & Cleri & Senatûs incendio consumpsit.* Bonifacius in priori Synodo Ecclesiasticæ disciplinæ exemplo pessimo derogaverat, & in posteriori ob Ecclesiasticæ disciplinæ derogationem majestatis reum se agnoscit, & pœnitentia sat gravi peccatum emendat,
54 atque emendandi id genus peccati formam sinceri doloris indicem præscribit. Interim in utriusque Synodi congregatione quanta Romæ crederetur Conciliorum necessitas, etiam in iis, quæ ad disciplinam attinent, non obscurè significat. Quid autem Bonifacius de convocanda Synodo sensisset in fidei materia, quæ longè ponderosior est ac difficilior ad judicandum, verbis explicare pluribus non est necesse.

Testimonium Vigilii

XVII. HAbetur in Epistola, quam Italiæ Clerici ad Legatos Francorum Constantinopolim euntes miserunt, & qua hortantur, ut Vigilio Papæ & Dacio Episcopo Mediolanensi, qui eadem in urbe ob trium Capitulorum controversiam ab Imperatore Justiniano vexabantur, solatio atque auxilio esse studeant. Italiæ Clericorum verba sunt hæc de Vigilio: *Tractatu habito prædictus sanctus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione ipsam causam ordinavit, sollicitè monendo, ne per occasionem aliquam supradicta Synodus pateretur injuriam. Et quamvis nec hoc, quod Papa fecerat, acquieverunt Afri & Illyriciani, atque Dalmatæ Sacerdotes recipere, tamen cœpit iterum sæpedictus beatissimus Papa Vigilius ad hoc compelli, ut absolutè ipsa Capitula sine Synodi Calchedonensis mentione damnaret: sed Papa non acquiescens hoc facere, & videns se nimium ingravari, dixit tunc serenissimo Principi, Veniant hoc fratres nostri ex omnibus provinciis quæ aut sunt Episcopi, & quidquid sub tranquillitate tractatu habito omnibus visum fuerit, cum pace disponemus, quia sine consensu omnium ista, quæ & Synodum Calchedonensem in 55
dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam. Missi sunt ergo à clementissimo ad Africam & Illyricum, ut venire Episcopi debuissent, sed de Illyrico nullus venire voluit: De Africa verò cùm jam aliqui proximare civitati regiæ dicerentur, dixit Papa Vigilius Principi, ut si ei non sufficeret illud, quod antè decreverat, reddere, & tanquam de novo causa cum his, qui venire nunciati sunt, tractaretur. Præstitit igitur Deus, ut hac ratione sanctus Papa Vigilius constitutum, quod in ipsa causa fecerat, publicè in conventu reciperet, denuncians, quia siquis Græcorum Episcoporum usque ad universalis Concilii tractatum, de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, à communione Sedis Apostolicæ alienus existeret, quoniam frequenter ipsi Græci Episcopi ad voluntatem Principis damnaverant Capitula ipsa: Unde causa mota est, sed beatissimus Papa manus eorum à sacratissimo Imperatore receperat.* Occurrunt hic duo, quæ diligenter observentur. Inprimis Romanus Pontifex declarat, se non posse sine aliorum Episcoporum consensu de tribus Capitulis ferre judicium, si Calchedonensis Concilii tollatur mentio: & quod mireris tu, hoc declarat, etiamsi Justinianus Imperator Vigilii definitionem vehementer exigeret, quam suis edictis confirmaret. Deinde rem totam ad universale Concilium remittit, quod finiendæ quæstioni maximè necessarium esse arbitratur.

Testimonium Gregorii I.

XVIII. GRegorius Conciliorum necessitatem uni- 56
versim pluribus in Epistolis prædicat & magnificat.

I. In libri 1. Epistola 1. ad universos Episcopos per Siciliam constitutos: *Illud quoque fieri debere perspeximus, ut semel per annum ad Syracusanam sive Catanensium civitatem universaliter honore, quo dignum est, sicut eidem jussimus, fraternitas vestra conveniat, quatenus, quæ ad utilitatem ipsius provinciæ Ecclesiarúmque pertinent, ad necessitatem pauperum, oppressorúmque sublevandam, sive ad monitionem omnium, atque correctionem eorum, quorum excessus contigit demonstrari congrua, cum eodem Petro subdiacono Sedis nostræ, debeatis moderatione disponere.* Nicænum canonem quoad ejus fieri potest exequitur.

II. In ejusdem libri Epistola xvi. ad Severum Aquileiensem Episcopum: *Pro qua re imminente latore præsentium juxta Christianissimi & serenissimi rerum Domini jussionem ad beati Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregata Synodo de ea, quæ inter eos vertitur dubietate, quod justum fuerit judicetur.* Hæc omni commentario sunt clariora.

III. In libri ii. indict. xi. Epistola viii. ad Natalem Salonitanum Episcopum: *Quia ergo non potest quemquam Episcopatus gradu, nisi justis ex causis concors sacerdotum summovere sententia, hortamur fraternitatem*

vestram,

vestram, ut præfatum virum ex eodem, in quo detrusus est, ejici faciatis exilio, causámque ejus Episcopali disceptatione perquiri: Quæ scilicet in Concilio fiat Episcoporum.

57 IV. In ejusdem & libri, & indict. Epistola IX. ad Antonium Subdiaconum: *Pervenit ad nos, Florentium Epidauritanæ civitatis Episcopum præreptis priùs rebus ejus pro quibusdam non approbatis criminibus sine Sacerdotali Concilio fuisse damnatum. Et quia non debet is pœnam sustinere canonicam, in cujus damnatione non est canonica prolata sententia, præcipimus experientiæ tuæ, ut Natali fratri & coepiscopo nostro debeat immuere, quatenus supradictum virum de eodem ejici faciat, quo nunc dicitur detrusus exilio: Convocatóque Episcoporum Concilio, si hæc in quibus accusatus est canonicè fuerint approbata, præfati Natalis & coepiscopi nostri volumus in eum proprium robur obtinere sententiam.* Necessariam Concilii celebrationem innuit.

V. In libri III. Epistola IX. ad Januarium Caralitanum Episcopum: *Episcoporum etiam Concilia, sicut tam suæ mos dicitur fuisse provinciæ, quàm quod sanctorum canonum auctoritate præcipitur, bis in anno celebrari volumus, ut etsi quis inter eos à sui forma propositi actionis atque morum qualitate discordat, sociali possit fratrum increpatione redargui, & pro securitate commissi gregis animarúmque statu paterna valeat circumspectione tractari.* Præcipit ut Nicænus Canon v. observetur: Canonem exequitur, ei obsequitur, eóque pacto inferiorem se esse Nicæno Concilio demonstrat.

VI. In libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem
Constantinopolitanum Episcopum: *Oportet quidem, ut
veniant scandala, verumtamen væ homini illi per quem
scandalum venit. Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo
Ecclesia scinditur: fratrum omnium corda ad scandalum
58 provocantur.* Et post alia: *Considerare vos convenit,
neque radix amaritudinis sursum germinans impediat, &
per illam coinquinentur. Quod tamen si considerare negli-
gimus, contra tanta elationis tumorem judicia superna vi-
gilabunt. Et nos quidem in quos tales tantáque per ausum
nefarium culpa committitur, servamus, quod veritas præ-
cipit dicens: Si peccaverit in te frater tuus, vade &
corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucra-
tus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe
tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium
testium stet omne verbum: Quòd si non audierit eos, dic
Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut
ethnicus & publicanus. Ego itaque per responsales meos
semel & bis verbis humilibus, hoc quod in tota Eccle-
sia peccatur corripere studui. Nunc per meipsum scribo;
quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea
correptione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere.*
Hæc Apostolicæ traditionis memor. Hoc testimonio
universalis Concilii necessitas asseritur.

VII. In ejusdem libri IV. Epistola LII. ad univer-
sos Episcopos Galliarum in Childeberti regno consti-
tutos: *Quia igitur unumquodque tunc salubriter com-
pletur officium, cùm fuerit unus, ad quem possit recurri
præpositum, idcirco opportunum esse perspeximus, in Eccle-
siis quæ sub regno præcellentissimi filii nostri Childeberti
Regis sunt, secundùm antiquam consuetudinem fratri no-
stro Virgilio Arelatensis civitatis Episcopo vices nostras
tribuere, quatenus & Catholicæ fidei integritas; id est,
sanctarum quatuor Synodorum, Deo protegente, sollicita
devotione servetur: Et si inter fratres consacerdotésque
nostros aliqua fortè evenerit contentio, auctoritatis suæ
59 vigore, vicibus nempe Sedis Apostolicæ functus discreta
moderatione compescat. Cui etiam injunximus, ut si qua-
rumdam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo
aliorum præsentia sit opus, congregatis sibi in numero
competenti fratribus & coepiscopis nostris, salubriter hoc
servata æquitate discutiat & canonica æquitate definiat.*
Vult igitur ut propter contentionem ejusmodi Syno-
dus habeatur. Sed pergit: *Si quam verò contentionem,
quod longè faciat divina potentia, de fidei causa eveni-
re contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit
fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis A-
postolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate, rela-
tione tua ad nostram studeat perducere notionem, qua-
tenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia ter-
minari.* At Sedis Apostolicæ judicium, de quo san-
ctus Pontifex loquitur, non est unius Romani Pon-
tificis, sed Concilii, quod in Apostolica Sede congre-
gatur secundùm majorum traditionem & consuetu-
dinem.

VIII. In libri V. Epistola XVII. ad Theotistum cognatum Imperatoris: *Indicamus itaque vobis Joannem Presbyterum latorem præsentium liberum ab his quibus accusatus fuerat extitisse. Cujus fidem facto Concilio subtili examinatione, ut potuimus, perscrutantes nullam in eo culpam pravæ confessionis invenimus.* Concilii necessitas Gregorii facto comprobari potest.

IX. In libri VII. indict. II. Epistola CXII. ad Sia-
grium, Ætherium, Virgilium, & Desiderium Episco-
pos Galliarum: *Ne hoc quoque in hac sollicitudinis par-
te relinquimus, quod de habendis per parochias Conciliis
Patrum providentia utilitatis causa sancitum est. Unde* 60
*neque inter fratres dissensio, neque inter præpositos & sub-
jectos sint fomenta discordiæ, in unum convenire Sacerdo-
tes necesse est, ut & de incidentibus causis disceptatio, &
sit salubris de Ecclesiastica observatione collatio, quatenus
dum per hoc & præterita corriguntur & regulam futura
suscipiunt, omnipotens Dominus fratrum concordia collau-
detur. Cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observatis,
scitote quia scriptum est, Ubi fuerint congregati duo aut
tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo
adesse dignatur, ubi duo vel tres fuerint, quanto magis
non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes?* Et paullo
pòst: *De his itaque, quæ superiùs dicta sunt, fraternita-
tem vestram auctore Deo volumus Synodum congregare,
atque in ea reverendissimo fratre nostro Siagrio coepiscopo
& dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate mediantibus
omnia, quæ sanctis canonibus sicut prædiximus, sunt ad-
versa, districtè sub anathematis interpositione damnentur.*
Concilii necessitas inculcatur, & illius auctoritas Scri-
pturæ testimonio corroboratur.

X. In ejusdem & libri & indict. Epistola CXIII. ad Aregium Episcopum: *Præterea in ea Synodo, quam contra simoniacam hæresim per fratrem & coepiscopum nostrum Siagrium decrevimus congregari, sanctitatem vestram volumus interesse, atque eidem fratri ita pallium, quod transmisimus tribui, si priùs se promiserit illicita, quæ prohibuimus, per definitionem Synodicam à sancta Ecclesia removere.* Non juberet Gregorius congregari Concilia, nisi ea non utilia modò, sed etiam necessaria esse crederet.

XI. In ejusdem libri & indict. Epistola CXIV. ad Si-
agrium Augustodunensem Episcopum: *Curam præterea* 61
*congregandæ Synodi, quam vobis atque aliis fratribus no-
stris pro illicitarum rerum prohibitione tuendam scripsi-
mus, vestra specialiter sollicitudini noveritis incumbere.
Unde quia præcellentissimos filios nostros Francorum Reges
magnam vobis novimus dilectionem impendere, omni vos
studio, omnique agere annisu necesse est, ut quod de Sy-
nodo congreganda mandavimus, fraternitatis vestræ dili-
gentia compleatur.* Eadem Conciliorum repetitur ne-
cessitas.

XII. In libri IX. Epistola XLIX. ad Virgilium Arelatensem Episcopum: *Vel nunc ergo, dilectissime frater, da operam, ut quod à correptione quiescendo in aliis perdidisti, resarcias. & ab hoc quos potueris pravitate compescas, atque ut Synodus ad eruendam ipsam hæresim congregari possit, insiste, quatenus eum dilectionis vestræ mercede meliùs ab omnibus evocatur, quod auctore omnium fueris confitemione damnatum.*

XIII. In ejusdem libri Epistola L. ad Ætherium Episcopum Galliæ: *Quia igitur ad aliorum emendationem promptum cor geritis, & vanitatis malum libera sicut decet voce damnatis, postquam & aliis fratribus coepi-*

scopisque

scopisque nostris ipsa voluntas est, oportet, ut unanimes contra dominicos hostes insurgere & avaritiam de domo Dei Synodali debeatis definitione projicere. Infrà: *Itaque assiduè instantérque ad congregandam Synodum imminere.*

XIV. In ejusdem libri Epistola LI. ad Aregium Episcopum: *Unde hortamur ut operam studiosiùs impendentes, districta inter alia, qua scripsimus, Concilii definitione damnentur.*

XV. In ejusdem libri Epistola LIII. ad Theodoricum Regem Francorum: *Iterata vos, pro vestra magna*
62 *mercede, adhortatione pulsamus, ut congregari Synodum jubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus vitia, & Simoniaca hæreseos pravitatem omnium Episcoporum definitione damnari.*

XVI. In ejusdem libri Epistola LIV. ad Theodebertum Regem Francorum: *Itaque excellentia vestra Dei nostri mandatis inhærens studium ad congregandam Synodum pro sua mercede adhibere dignetur, ut omne à Sacerdotibus corporale vitium, & Simoniaca hæresis, qua prima in Ecclesiis iniqua ambitione surrexit, potestatis vestra imminente censura Concilii definitione tollatur.*

XVII. In ejusdem libri Epistola LV. ad Clotarium Regem Francorum: *Et quia hæc simoniaca hæresis prima in Ecclesia surgens Apostolorum est auctoritate damnata, petimus, ut pro mercede vestra congregari Synodum faciatis, quatenus omnium sacerdotum definitione compressa & radicitus amputata, nullas illic vires de cætero in periculum animarum inveniat.*

XVIII. In ejusdem libri Epistola LVII. ad Brunechildam Reginam Francorum: *Facite quod Dei est, & Deus faciat, quod vestrum est. Itaque Synodum congregari præcipite, & peccatum simoniacæ hæresis de regno vestro inter alia, sicut antea scripsimus, definitione Concilii studiosiùs prohibete.*

XIX. In libri XI. Epistola VIII. ad Brunechildam Reginam: *Præfati autem viri magnifici filii nostri, dato Capitulari inter cætera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat à nobis in Galliis persona transmitti, qua facta Synodo cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo*
63 *auctore possit corrigere.* Potuitne Gregorius Conciliorum necessitatem magis inculcare? At in sancienda fidei regula, quàm in corrigendis fidelium moribus non est minor Conciliorum necessitas.

Testimonium Theodori.

XIX. HIC Pontifex in Synodica, quam ad Paulum Patriarcham Constantinopolitanum scripsit, Conciliorum necessitatem sic innuit: *Quoniam de hoc eius ùt eum* (Christianissimum Principem) *per literas nostras poposcimus, ut scilicet sæpe dictum Pyrrhum ad hanc Romanam urbem jubeat mitti, quatenus conventu Synodico à nobis effecto pro sua temeritate judicetur.* Cur quæso sic scriberet, si Synodicum conventum non esse necessarium putaret?

Testimonium Martini I.

XX. LUculentum est in Epistola ad Amandum Trajectensem Episcopum: *Ideo necesse habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commissa sunt, culpæ reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & coepiscoporum nostrorum in hac Romana civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, Apostolico mucrone, patrúmque definitionibus uno ore, unóque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere unà cum encyclia nostra, ex quorum serie omnia subtiliter*
64 *potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum ut filii lucis extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quámque suæ salutis Sacramenta addiscere valeant, atque Synodali conventione omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta secundùm tenorem Encyclia à nobis directa scripta unà cum subscriptionibus vestris nobiscum destinanda concelebrent, confirmantes & consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesania nuper exorta à nobis statuta sunt.* Conciliorum necessitas vix decerni potest expressiùs.

Testimonium Agathonis.

XXI. COnstantinus IV. Heraclius & Tiberius Imperatores, ut Monothelitarum error supremo damnaretur judicio, de congreganda Synodo generali cogitationem susceperunt, & ea de re ad Donum Papam ita scripserunt: *Postquam igitur tempus non recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram paternam beatitudinem per præsentem nostram piam Sacram dirigere viros utiles ac modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis, ejúsque Concilii deferentes & libros, qui oportent proferri, & omnem auctoritatem habentes, quatenus convenientes cum hîc posito sanctissimo ac beatissimo Patriarcha, & Macario sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ civitatis perscrutentur eam omni mansuetudine & modestia & per gratiam Sancti Spiritus veritati insistere*
& consentire, munitionem habentibus eis, qui huc advene- 65
rint ex parte Sedis vestræ per præsentem nostram piam Sacram. Et paullo post: *Invitare enim & rogare ad omnem commendationem & unitatem omnium Christianorum; Necessitatem verò inferre nullatenus volumus: Personas verò quæ dirigentur à paterna vestra beatitudine, ita decernat: Ex vestra quidem sancta Ecclesia (si utique videtur ei) tres personæ sufficient. Quòd & si plures, quanta ei placuerint, dirigat. De Concilio verò usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos: De quatuor verò Monasteriis Bizacenis ab unoquoque monasterio Monachos quatuor. Nam si reciperet tempus, ut dictum est, perfectam congregationem studuissemus facere, sed quoniam tempus non admittit, Deus autem noster proprio consilio protulit, quòd nos differebamus in hoc tempore, per omnia volumus vestram paternam beatitudinem minimè effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere. Sic enim speramus in ejus benignitate, quoniam qui voluerit hujusmodi Capitulum moveri in præsenti, per Spiritum Sanctum concedere habet, ut veritas clareat, & instruantur omnes sine schismate atque contentione veritatem proferri, & uno ore, atque corde glorificare nos omnes ejus bonitatem.* Interim dum hæc aguntur, Donus vitam cum morte commutat. Huic succedit Agatho, qui Constantini & aliorum Imperatorum Epistolam accepit: Nec generalem Synodum ob id deprecatur, quod plures Synodi pluribus jam in locis habitæ & cum primis Romana seu Lateranensis Episcoporum centum quinque Monothelitarum errorem confixissent. Neque etiam adfert, generalem Synodum minùs esse necessariam, sed
potiùs lubenter transit in sententiam Imperatorum, qui 66
generalem Synodum necessariam esse judicant, quod facilè colligitur, ex Epistola, quam Agatho ad Constantinum & Imperatores alios scribit: *His itaque, mansuetissimi rerum Domini, Divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus allevíatus, orsus sum meliori refectus confidentia paulatim iis, quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ Sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas, quales secundùm temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poteram invenire, pro obedientia satisfactione inquirerem, & cum consilio confamulorum meorum Episcoporum tam de propinqua hujus Apostolicæ Sedis Synodo, quàm de familiari Clero amatores*

Christiani

Christiani Imperii, & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissima tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortatur. Et nisi longus provinciarum ambitus, in quibus humilitatis nostræ Concilium constitutum est, tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc, quod vix tandem nunc fieri potuit, studiosa obedientia noster famulatus compleret. Sed dum de diversis provinciis familiare nobiscum Concilium congregatur, & dum personas quasdam quidem de hac servili vestri serenissimi principatus Romana urbe, vel de proximo dirigere procuramus, quasdam de longè positis provinciis, in quibus verbum Christianæ fidei ab Apostolicæ dignitatis meæ prædecessoribus missi prædicabant, remeare præstolamur, non parvum temporum cursus elapsus est, ut corporales ægritudines meas famulatus silentio transeam, qui-
67 *bus nec videre licet nec libet assiduis ægritudinis laborantem, ideóque Christianissimi Domini & filii secundùm piissimam jussionem à Deo protegendæ mansuetudinis vestræ pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiæ, quos dirigimus, præsentes consamulos nostros Abundantium, Joannem, & Joannem reverendissimos fratres nostros Episcopos, Theodorum & Georgium dilectissimos filios nostros Presbyteros cum dilectissimo filio Joanne Diacono, & Constantino Subdiacono sanctæ hujus spiritualis matris Apostolicæ Sedis, necnon & Theodorum Presbyterum Legatum sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, & religiosos servos Dei Monachos cum supplici cordis devotione curavimus demandare.*

Deinde in ejusdem Agathonis Epistola Synodica, quæ inscribitur: *Piissimis Dominis*, &c. *Constantino, Heraclio*, &c. *Agatho Episcopus servus servorum Dei cum universis Synodis subjacentibus Concilio Apostolicæ Sedis.* Et aliquantò post initium: *Cujus votum, quia ex Deo est, à Deo perficitur, ut & veritas adhuc in ancipiti positis clareat, & eam sinceriter amplectentibus robur accrescat, & zizaniorum germina spirituali falce, ut offensionis ac deceptionis occasio de medio Christi Ecclesiarum tollatur, abscindantur.*

In his & aliis, quæ in eadem Epistola legi possunt, non causatur Agatho, necessariam non esse universalem Synodum, etiamsi Synodi plures, pluribus in locis, in Africa, in Gallia, in urbe ipsa æterna Monothelitarum hæresim condemnassent. Agatho, & quæ Concilio Sedis Apostolicæ subjacent universa Concilia, non abnuunt, immo fatentur tacitè necessariam esse universalem Synodum, quam Constantinus & Imperatores alii congregaverant; hinc *ut veritas clareat, &*
68 *instruantur omnes sine schismate atque contentione veritatem proferri*, ut loquuntur Imperatores; inde, ut cum universis Synodis quæ factæ sunt, in hac generali *Veritas adhuc in ancipiti positis clareat*, & cætera, quæ mox relata sunt. Utinam Romæ media in urbe cippo cuidam inscripta sic esset historia hæc tota, ut tam facilè posset legi, quàm facilè in Basilicæ sancti Petri domate seu testudine leguntur: *Tu es Petrus, & tibi dabo claves regni cælorum*! Inscriptio peritorum & cordatorum hominum oculos tantùm teneret ac delectaret, quantum defatigaret atque afficeret imperitorum & Curialium Magistrorum.

Testimonium Nicolai, I.

XXII. Siquis unquam Papa Conciliorum necessitatem asseruit, is est Nicolaus primus: & primùm quidem in Epistola ad Hincmarum & alios Galliæ Episcopos, de Græcorum objectionibus: *Sed & magnopere convenit, ut & vestra quoque fraternitas morem secuta majorum concertans nobis & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Unde unusquisque vestrûm, qui Metropolitana jura sortitus est, junctis sibi fratribus & coepiscopis suis, qui sub se sunt, de his diligentem curam suscipiat, & quid tumidis & detractatoribus opponi necesse sit, rimari studeat & invenire summopere gestiat, atque inventum nobis ocyus transmittere minimè parvipendat, quatenus id nos quoque adversus eorum vesaniam cum cæteris assertionibus nostris, deinde emittere valeamus.* Et post alia: *Verùm pro his & similibus causis canonicè discutiendis, & istis definiendis tam vestram, quàm aliorum fratrum coëpiscoporum nostrorum reverendam ad nos convocare* 69
vellemus præsentiam, nisi ad nos diversæ mundi calamitates & quotidiana pressura id gerere vetuissent. Et post alia: *Aliàs quoque vestram fraternitatem ad nos convocandi, & pariter de hujusmodi quæstionibus tractandi nobis erat omnino necessitas, ut videlicet juxta pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud sanctum Petrum convenientes, communes Ecclesiæ calumnias repellamus, qui commune sacerdotii culmen in Christi Ecclesia singuli secundùm suorum qualitatem privilegiorum promeruisse dignoscimur; præcipuè cùm non solùm propter hujusmodi generalis Ecclesiæ negotium, sed etiam pro specialis hujus Sedis exorta causa prædecessores vestri unà cum prædecessoribus nostris hîc solitis sunt non immeritò convenire.*

Deinde in Epistola XXVII. ad Ludovicum Germaniæ & Carolum Calvum Reges: *Sed intelligi datur eos monitis nostris non velle parere, propter illud, quod in literis vestris subditur: Dicunt enim post aliquanta, ut Episcopos de regnis vestris ad Synodum Romam mittendi necessitas non postulet. Unde si vos fortasse aliter dicitis, nos illud dicimus, quod divinitus revelatur, quia cùm novitatum mala multiplicari videamus, si ex diversis provinciis fratres in invicem convenissent, juxta priscum morem, & nos consensu illorum revelante Domino, quæ decernenda sunt, decerneremus, & ipsi necessitates suas referentes, & nos vestras exponentes, quæ decreta fuissent, meliùs in notitiam omnium facerent pervenire, qui semper Synodalem conventum à nobis aggregari poterant.*

Denique in Epistola LXVIII. ad Hucbertum Ab- 70
batem fratrem Theutbergæ Reginæ: *Neque in hoc desides negligentésque poteramus, vel suspecti haberi, qui ad diversa quoque negotia dirimenda & examinanda, atque ad ultimum juris silentium perducenda, & Synodum colligi jussimus, & Legatos Apostolicæ auctoritatis illuc direximus, quorum censura in collegio fratrum aut pro culpa canonicè puniamini, aut pro innocentia justè à crimine deleamini.* Hic Synodum vocat ultimum juris silentium, id est, ultimum Ecclesiæ tribunal, post quod silentium imponitur.

Nicolaus porro hac Conciliorum necessitate occupatus Romæ fecit Concilia numero septem, etiamsi annis tantùm IX. mensibus VI. & diebus XXI. Sedem tenuerit. Primùm, in quo Joannes Ravennas Archiepiscopus damnatus est. Id æqualis testatur Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius in vita Nicolai. Alterum, in quo reviviscens Theopaschitarum hæresis iterum extinguitur. Id qui Concilium fecit testatur in Epistola LXX. Tertium in quo Metensis Concilii acta rescinduntur, & Guntharius & Theutgaudus Archiepiscopi deponuntur, ut Fuldenses & Bertiniani annales tradunt. Quartum, in quo Zacharias Apostolica Legatione in Oriente perperam defunctus excommunicatur, Photius de Sede Constantinopolitana dejicitur, & Ignatius in eandem Sedem restituitur. Quintum, in quo Rothadus ad Suessionensem revocatur Ecclesiam, è qua pulsus fuerit. Id in pluribus Nicolai Epistolis narratur. Sextum, in quo Radoaldus Portuensis Episcopus Sedis Apostolicæ Legatus ob prævaricationis causam abdicatus est, quod in Nicolai Epistolis memoriæ proditum est. Septimum, in quo antiquus status & honor Rothado Suessionensi vindicatur.

Testimonium Joannis VIII.

XXIII. Ex pluribus Epistolis repetitur & inculcatur. 71
1. Ex Epistola XVI. ad Dominicum Olivolensem & Leonem Caprensem Episcopos: *Sanctitatem vestram nolumus ignorare, misisse nos Felici & Petro & Dominico, qui vocatur electus Torcellensis Ecclesiæ, seu Abbati Altinensis Monasterii atque Archidiacono Torcellensis Ecclesiæ, necnon & Archipresbytero & Archidiacono atque*

hujus

hujus æquivoco ac nepoti Laurentio Diacono Gradiensis Ecclesiæ, quia toties à nobis vocati ad Concilium Romæ occurrere contempserunt, futuram excommunicationis sententiam, & eum qui ex his nunc saltem venire distulerit, tandiu post Idus Februarias omni Ecclesiastica communicatione privasse, quamdiu in obstinatione propria perseverans Apostolicam adire Sedem contempserit. Alios enim horum nostro Concilio pro communibus Ecclesiæ utilitatibus volumus interesse: Quosdam autem, quia super quibusdam reprehenduntur excessibus, de his satisfacturos requirimus. Joannes multa hic facit, quæ non faceret, si quam indicit Synodum, necessariam esse non putaret.

II. Ex Epistola XVII. ad Ursum Ducem Venetiarum: *Quæ omnia ideo gloriæ tuæ notiæ fieri volumus, ut illi* (qui in superiori Epistola nominantur) *ad Apostolicam Sedem sanctámque Synodum occursuri liberalitatis tuæ adminiculis sustententur.* Atque ita Synodi necessitas confirmatur.

III. Ex Epistola XVIII. ad Felicem Madanaucensem & Petrum Equilensem Episcopos: *Quapropter vos*
72 *à sanctis mysteriis interim celebrandis, auctoritate summi Pastoris arcemus, jubentes, ut Idibus Februarii istius indictionis, si adestis, vel si duræ infirmitatis pondere non gravamini, Synodo nostra Romæ celebranda interesse inexcusabiliter maturetis, quatenus & ab objectis purgemini, & à capite tam scilicet Apostolica Sede, quam Metropolitano vestro in nullo dividamini, ne* (quod absit) *circumveniamini à Satana, qui videlicet semper dissensione gaudet. Membra quippe quæ capiti non hærent, inter mortua deputantur, sicut proculdubio vos, qui nec Apostolicæ Sedis, quæ caput est omnium Christi Ecclesiarum, decretis hæretis, nec affectui Metropolitani proprii Patroni ac Magistri.* Conciliorum necessitas verbis vix potest significantioribus exponi: *Si duræ infirmitatis pondere non gravamini, Synodo nostra Romæ celebranda interesse inexcusabiliter maturetis.*

IV. Ex Epistola XX. ad Ducem Venetiarum: *Veniant igitur Episcopi ad Synodum, ut ipsis nobis rei veritatem significantibus causam fratris & coepiscopi nostri Petri illis præsentibus facilius diffinire valeamus.* Verba hæc, *Veniant igitur Episcopi ad Synodum,* Synodi necessitatem ante oculos ponunt.

V. Ex Epistola LIII. ad Anspertum Mediolanensem & Antonium Brixiensem Episcopos: *Quia diversis ac multiplicibus Ecclesias Dei nobis commissas incommodis perturbatas, rebúsque propriis incunctanter privatas, & earum antistitum honorem diminutum fore videmus, ipsorum secundùm Apostolum sollicitudine quotidiana compulsi necessario rati sumus, pro illarum statu ac pristina redintegratione generalem Deo favente Synodum celebrare,*
73 QUAM SECUNDUM ANTIQUAM CONSUETUDINEM CUM ROMÆ AGERE DEBUISSEMUS, *non recusantes scilicet laborem itineris, pro suavitate tamen venerabilium confratrum nostrorum Episcoporum, quos in consortium nostrum literis missis adscivimus, octavum Calendarum Juniarum Ravennæ auxiliante Domino erimus proculdubio celebraturi: Ad quam videlicet fraternitatem vestram omni occasione postposita, omnique tarditate prætermissa, his præsentibus venire jubemus apicibus, quatenus communi multorum fratrum nostrorum consensu atque decreto Ecclesiæ Dei nobis commissæ, propria dignitatis jura, quæ à quibusdam iniquè agentibus sunt usurpata, sub integritate recipientes, malorum omnium tandem securi effecti ministerium Pontificale, quod nimirum pro gregis Dominici nobis commissi salute, Deo largiente suscepimus, & ut dignum est glorificare possimus. Quapropter iterato te sermone ad eandem, ut dictum est, Synodum venire præcipimus. Nam si præfato die ad ipsum venerandum Concilium quoquomodo properare fortè contempseritis, & pro Ecclesiæ Christi Dei nostri utilitate, quæ instanti tempore plurimum est necessaria, debitum nobiscum laborem sumere spreveritis, sciatis pro certo communionis nostræ futuros nullo modo esse consortes: Sed potiùs canonicæ auctoritatis censura* (utpote transgressores improbos) *feriendum atque damnandum.* Antiquum Romanæ Ecclesiæ de celebrandis generalibus Synodis morem objicit, quem legis instar habet & ut observatu necessarium.

VI. Ex Epistola LVI. ad Petrum & Leonem Episcopos Venetiæ: *Universale tandem aliquando nos celebrare Concilium multiplex & multifaria nos Ecclesiarum necessitas cogit: Et ideò pro hac moderanda vel dispen-* 74
sanda octavo Calendas Julias hujus Indictionis totius Italiæ apud urbem Ravennam convenire jussimus Sacerdotes, ad quorum videlicet sacratum Collegium Pontificio nostro mediante vestrum quoque sanctitatem occurrere commonemus. Celebrandi Concilii necessitatem minimè dissimulat, imó eam in se recipit, quam lepidi Curiæ adulatores procul abjicerent.

VII. Ex Epistola LIX. ad Joannem Archiepiscopum Ravennæ: *Ecce de itinere scribimus nos certissimè XVI. Calend. Aug. Ravennæ futuros, ubi sanctitas tua per se cum omnibus suffraganeis Episcopis, quos ipsa convocare debet, adesse XII. Calendarum August. omni remota excusatione procuret, ut communi tractatu communia Ecclesiarum exorta zizania generaliter evellantur.* Exponit Concilii consilium, quod, ut constat, necessitatem præ se ferre satis videtur.

VIII. Ex Epistola LX. ad eundem: *Scire volumus gloriam pro multis necessitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ, sicut jam te non latere credendum est, XI. Calend. Augusti istius decima indict. Ravennæ gratia Sancti Spiritus suffragante, Synodum nos cum confratribus & coepiscopis nostris instituisse fore modis omnibus celebrandam, ad quam non incertis utilitatibus omissis, nec laborem quidem itineris, nec intemperantiam aeris recusantes occurrimus: Ita omnes hinc & inde volumus antistites advenire, ut quidquid in sancta Dei Ecclesia perperam per zizaniorum satores crevisse dignoscitur, hoc communi tractatu per nostrum commune studium radicitus extirpetur.* Hæc omnia si simul attendantur, Conciliorum necessitatem publicè per se loqui videbuntur.

IX. Ex Epistola LXXXVII. ad Ludovicum Regem 75
Caroli II. Imperatoris filium: *Epistolas reliquas, quas confratribus vestris Carolomanno videlicet & Ludovico, atque Carolo juniori dirigimus pro talium adhortatione precamur gloria vestra decemiam, ut easdem illis sine mora destinare dignemini, omnibúsque reverendissimis Archiepiscopis, & Clero totius ordinis regni vestri, paterna pro adhortatione significari præcipite, quoniam Domino miserante apud vos Synodum celebraturi sumus cunctis populis Christianis.* Synodum non dicit necessariam, sed pernecessariam, id est, valde seu admodum necessariam. Hic Conciliorum osoribus quid fiet? Curiales magistri quò se recipient? Ineptè adulari desinant oportet, aut in Joannem atrociter invadant.

X. Ex Epistola LXXXVIII. ad Ludovicum Bajoariorum regis filium: *Nos, fili carissime, pro Domini Ecclesia, & ejus ovibus animam ponere cupientes, ecce marinos fluctus, undásque salis ad vos veniendo perdifficile iter assumpsimus, vobiscumque simul positi Domino miserante universalem Synodum celebrare disponimus totius sanctæ Ecclesiæ, vobis obsecundantibus, provectum & exaltationem loco percongruo satagemus peragere. Quod quæso regni vestri omnibus Archiepiscopis, Coepiscopisque nostris innotescere dignemini, eósque nobis adesse, & continua maturitate accelerare monete.* Universalis Concilii hujus necessitatem sola demonstrat lectio, qua discimus, Joannem perdifficile iter assumpsisse, ut apud Bajoarios universale Concilium haberet.

XI. Ex Epistola LXXX. ad Carolomannum Regem:
Nunc apud Trecas Christo opitulante Synodum sumus cele- 76
braturi, loquemúrque cum Ludovico & reliquis vestris fratribus, & post Calendas Augusti ad vos revertemur.

XII. Ex Epistola XCI. ad Angelbergam Imperatricem: *Porro vos scire cupimus, quia apud Trecas in Calendis Augusti, unà cum Rege Ludovico Imperatoris Caroli filio,*

filio, & cum universis Galliæ Episcopis Synodum universalem celebrabimus. Tantum curæ non adhiberet ac diligentiæ, si quam Trecis Synodum habiturus est, necessariam non esse existimaret.

XIII. Ex Epistola XCVIII. ad omnes suffraganeos Rostagni Arelatensis Episcopi: *Notum sit omnium sanctitati, quia Domino opitulante pernecessariam universalem Synodum sumus celebraturi, ad quam mox vos prædictus Archiepiscopus vester Apostolatus nostri literis convocaverit, omni postposita occasione obedientia vicino gressu occurrere satagatis, quoniam sicut in communi conventu (gratia Christi duce) paternis parentibus jussis erit exaltatio; ita quod non optamus, subtrahentibus se ab hoc magno Collegio est subsecutura confusio, universalem Synodum celebraturi sumus apud urbem Lingonensem.* Cum universalem Synodum hanc vocat pernecessariam, de Joannis mente circa necessariam Synodorum celebrationem dubitare non licet, etiamsi Romanæ Curiæ adulatores rumpantur.

XIV. Ex Epistola CIII. ad Rostagnum Arelatensem Episcopum: *Quia omnipotentis Dei miseratione universalem Synodum sumus celebraturi in proximo, te omnésque tuos coepiscopos suffraganeos volumus, auctoritate Apostolica admonemus, expresséque mandamus ad hanc*
77 *omni postposita occasione quamocyus præsentare, exceptis eis obstaculis, quibus remorandi licentiam sacri canones tribuunt. Aliàs, quod non optamus, quicunque se à tanto hac vice Collegio subtraxerit, particeps de reliquo nostræ communionis esse nullatenus valebit.* Ecce tibi Concilii necessitas!

XV. Ex Epistola CXXVIII. ad Berengarium Comitem & Optimates Longobardorum: *Ecce auxiliante Domino Papiam venimus. Quapropter monentes mittimus, & Apostolica auctoritate hortantes jam tertiò mandamus, ut præsentialiter ad nos charissimi tanquam ad patrem venire debeatis, & ut alii veniant, alter alterum incitet, & has literas primò legens remittere aliis procuret, quatenus venientes unà nobiscum de statu sanctarum Dei Ecclesiarum & quiete Reipublicæ, & nostrâ vestrâque omnium salute Synodum celebrantes tractemus.* Papiæ celebrat Concilium, quod non minùs quàm quod Lingone celebratum est, necessarium judicare debet.

XVI. Ex Epistola DLXXVII. ubi Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus Ecclesiastica communione privatus decernitur: *Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum, quem Papiæ existentes, & postmodum ad Synodum Romæ pro multis Ecclesiarum Dei necessitatibus collectam vocavimus, nec per se occurrere, nec excusationem suam secundum sacros canones in tractoria scriptam nobis & sancto Concilio causa temeritatis & inobedientiæ dirigere nolentem virtute Spiritus Sancti, & principum Apostolorum Petri & Pauli, nostráque auctoritate cum consensu sanctæ Synodi corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi privamus.* Archiepiscopus excommunicatur in Synodo, quæ in tali causa secundùm
78 canones necessaria censetur. Tunc non erant in usu verba hæc, *motu proprio, ex certa scientia, & de potestatis plenitudine*, quæ Curia, nun Sedis Apostolicæ traditio subministrat.

XVII. Ex Epistola CXCVI. ad Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum: *Quapropter quia Domino auxiliante secundùm statuta canonum circa autumni tempus Synodum sumus celebraturi, ad quam te volumus omni occasione postposita sine mora venire aut Legatos dirigere.* Sic Nicæno paret Concilio, quod præcipit, ut Synodus autumni tempore celebretur.

XVIII. Ex Epistola CCXX. ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem: *Sicut jam olim vestræ præcepimus reverentiæ, ut pro multis Ecclesiarum Dei necessitatibus IV. Idus Octobris Romam venientes Synodum pariter celebraremus, nunc iteratò his Apostolatus nostri literis fraternitati vestræ jubemus, ut omni mora vel occasione postposita ad denominatam Synodum, quam Deo auctore in prædicto tempore celebraturi erimus, in Ecclesia beati Petri Principis Apostolorum cum suffraganeis tuis Episcopis occurrere nullatenus prætermittatis, quia nos omnium Ecclesiarum Dei utilitati & exaltationi sicut oportet, pari consensu & decreto more prædecessorum nostrorum consulere volumus, quatenus Ecclesia Dei vigor Christo favente per Synodalem censuram illibatus permaneat.* Rationes exponit, quibus necessaria Synodus illi videtur.

XIX. Ex Epistola CCLIII. ad Romanum Ravennatem Archiepiscopum: *Quia bellica, immo Saracena impediente angustia, juxta sacros canones, quarto scilicet Idus Octobris Synodum sicut volueramus celebrare nequivimus, opportunè valdéque necessariò sanè prævidimus, ut hanc eandem VI. Idus Novembris istius XIV. indictionis* 79
adjuvante Domino convocemus. Quapropter sanctimoniam tuam hortamur, ut ad idem tempus sine omni mora, omni occasione postposita Romam occurras, quatenus ea, quæ ad honorem sive utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ pertinent, nobiscum ordines & definias, & Sancti Spiritus gratia revelante voce communi decernas. In hac & superiori Epistola Joannes Nicæni Concilii canonem V. exequitur, ut jam alibi notavimus, si quo modo Synodum non potest non judicare necessariam.

XX. Ex Epistola CCLXXII. ad Romanum Ravennatem Archiepiscopum: *Unde auctoritate Dei & beati Petri nostráque tibi præcipimus, & præsenti statuto jubemus, ut nullam omnino Sacerdotalem ordinationem pro talibus, quibus es irretitus, criminibus, facere quoquomodo præsumas, donec VIII. Calend. Octobris futura XV. indictionis ad Synodum, quam Deo favente pro Ecclesiasticis videlicet utilitatibus secundùm sanctorum Patrum statuta celebraturi erimus, omni postposita occasione venire procures, quatenus Synodali decreto ea, quæ de te dicimus, examinata, canonicum finem percipiant.* Nicænum non tam diligenter exequeretur canonem, nisi Nicæno Concilio subjectum se esse crederet, & inde necessariam esse Synodum arbitraretur.

XXI. Ex Epistola CCLXXIII. ad eundem: *Sacerdotes & Clericos Placentinæ Ecclesiæ, quos examinasti, ut ab eadem excommunicatione absolvas, quousque tempore congruo tu cum eis Romam ad Synodum pariter venias.* Congruum tempus appellat, quod Nicæno canone V. habendis Synodis præscribitur.

XXII. Ex Epistola CCLXXIV. ad Constantinum Sacerdotem Ecclesiæ Faventinæ de plebe sancti Petri 80
Transilvani: *Hu Apostolatus nostri literis ex Dei omnipotentis, sanctorúmque Petri & Pauli Apostolorum Principum auctoritate, nostróque Apostolico jure te excommunicamus, ut nullo modo habeas licentiam aliquid de Episcopali officio peragere, aut ipsam Faventinam Ecclesiam quoquomodo invadere, neque in plebibus vel in rebus, seu hominibus ipsius aliquod dominium agere præsumas, usquequò cum eodem Romano Archiepiscopo tuo VIII. Calend. Octob. Synodo, quam Deo favente celebraturi Romæ erimus, tuam specialem præsentiam exhibere procures.* Romæ Synodum habet, quomodo habendam esse Nicænum Concilium statuit.

XXIII. Ex Epistola CCLXXV. ad Romanum Ravennatem Archiepiscopm: *Quia jampridem missis tibi per Joannem venerabilem Episcopum montis Feretrani Apostolatus nostri literis ad Synodale te Collegium pro Ecclesiasticis duntaxat utilitatibus nobiscum pariter celebrandum occurrere jussimus, & tuam nobis contempsisti præsentiam exhibere, nunc multis te criminibus irretitum multorúmque hominum accusationibus horrendis impetitum, & præcipuè manifesto perjurio esse pollutum agnoscentes, hac secunda vocationis nostræ auctoritate ad venerabilem Synodum, quam Deo favente octavo Calend. Octobris futuræ XV. indictionis erimus celebraturi, omni occasione vel mora postposita, unà cum omnibus suffraganeis tuis Episcopis venire jubemus.* Metropolitanis Episcopis ostendit exemplo suo parendum esse Nicænæ Synodo, quæ præcipit, ut quotannis Synodi celebrentur.

XXIV. Ex Epistola CCLXXVI. ad Romanum Ravennatem Archiepiscopum: *Nos suam causam audientes, &* 81

qui eum accusare non debuerant ex parte Archiepiscopi non invenientes, poteramus ipsum absolvere, sed voluimus usquequò Archiepiscopo misissemus, imò ei misimus dicentes, ut ipse Archiepiscopus pro statuis sanctarum Dei Ecclesiarum VI. *Idus Novembris ad Synodum celebrandam veniret, deferens secum accusatores & testes, quatenus his delatis negotium Deus dedit, inter alia canonicè finissemus.* Non potest non credere necessaria esse Concilia, quandoquidem omnia Ecclesiæ negotia in Conciliis tractet & communi Episcoporum consensu dijudicet? Ubinam proprius motus, certa scientia, & potestatis plenitudo? Hæc inaudita tunc erant.

XXV. Ex Epistola CCXCII. ad Opteramum Viennensem Archiepiscopum: *Et quia alia multa vobis à quibusdam objiciuntur, quæ Synodali discussione sunt corrigenda, decernimus, ut omni excusatione remota* VIII. *Calend. Octob. futura prima indictionis Romam ad Synodum occurrere non omittatis, ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis.* Romana est Synodus, quam de more indicit & celebrat, nec utique celebraret, nisi juxta Nicænum Concilium illam putaret esse necessariam.

XXVI. Ex Epistola CCXCVI. ad Adelbertum Mauriennensem Episcopum: *Tristis nos nuncius perculit quando audivimus, quòd tu ordinis sui immemor Barnerium Gratianopolitanæ Sedis Episcopum hora matutinali in Ecclesia sua publicè agentem officium cum multitudine populi, & armata manu absque reverentia Ecclesiam ingrediens,* 82 *& nulla ab eo tibi culpa illata irreverenter tecum abstuleris, & ignominiosè tractaveris, quod tantum nobis displicuit, quantum te temerè egisse modis omnibus comprobamus. Ideòque nostri Apostolatus litteris tibi mandamus, ut omni excusatione remota* VIII. *Calendas Octobris futuræ primæ indictionis cum eodem Barnerio venerabili Episcopo Romam ad Synodum nostram occurras, ut quidquid inter vos litigii est exortum, nos æquitatis regula potiti Deo juvante discutere & diffinire aliquo modo studeamus.* Joannes *nostram* dicit *Synodum*, quam videlicet ex Nicæni Concilii præscripto celebrare debet.

Cæterum vix ullum reperire est Romanum Pontificem, qui Nicænum canonem v. diligentiùs observaverit. Sed in Joanne VIII. intelligimus id esse verum, quod Gelasius I. scribit in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ. Gelasii verba sunt: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis confidimus, quòd nullus jam veraciter ignoret Christianus, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus,* NON ALIQUAM MAGIS EXEQUI SEDEM PRÆ CÆTERIS OPORTERE QUAM PRIMAM.

Testimonium Stephani IX. aliàs X.

XXIII. HAbetur in Epistola, quam ad Gervasium Remensem Archiepiscopum scribit: *De Concilio,* inquit, *Remis habendo, quid aliud dicendum, nisi quod beatæ memoriæ Domnus Victor Dei judicio hinc est raptus, & quod tu, sicut inter nos convenit, non remandasti, an hoc esset regis consensus?* Et sub finem Epistolæ: *Cæterum Romæ decimoquinto die post sanctum* 83 *Pascha Synodum celebraturi, tuam fraternitatem cum suffraganeis ejus volumus & auctoritate Apostolica jubemus interesse absque inevitabili necessitate.* Et primùm quidem decessor Stephani Victor II. curaverat, ut Remis Synodus fieret, modò rex assentiretur. Noverat saluberrimam esse Synodorum auctoritatem in Ecclesia. Deinde Nicænæ obsecutus Synodo Synodum indicit, eámque necessariam esse censet, ut ex superioribus verbis colligitur, & ubi Remensis Archiepiscopi absentia nullo modo excusatur.

Testimonium Nicolai II.

XXIV. MEmoriæ proditum est in Epistola II. ad Gervasium Remensem Archiepiscopum: *Audivimus relatione multorum, quòd Belvacensis Episcopus contra statuta canonum sine vobis & sine vestro assensu fuerit consecratus, imò execratus, & quod pejus est, ad Episcopatum sublimatus. Accingimini igitur, & fultus hac nostra auctoritate ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beati Apostoli Petri omne Episcopale officium sibi usquedum ad Romanam Synodum in tertia septimana post Pascha ante nos discutiendum veniat, interdicite.* Et paullo pòst: *Silvanectensi vestro suffraganeo, si eum pecuniam dedisse præscivit, & vestrum assensum in maledictione hæredo benedicendo non habuit, similiter omne Episcopale officium, usquedum ad prædictam Synodum veniat, & nobis & tibi dignè satisfaciat, beati Apostoli Petri auctoritate interdicite.* Nicænæ Synodi canonem v. observat, Concilium facit, & in eo Episcoporum causas dijudicat.

Testimonium Alexandri II.

XXV. RES sic se habet in Epistola I. ad Gervasium 84 Remensem Archiepiscopum: *Ad Synodum Deo annuente quintodecimo die post proximum Pascha cum præsentia tua Dilectione celebrandam sanctitatem tuam venire desideramus, ac sancto conventui interesse Apostolica auctoritate invitamus.*

Deinde in Epistola II. ad eundem: *Atque ita ergo, frater beatissime, quatenus dum ad Synodum, ad quam pro adjutorio sancta Ecclesia invitatus es Deo auxiliante veneris, de his expeditus solummodo ad Ecclesiastici negotii vaces consilium, & sanctæ tuæ universali matri Ecclesiæ ut prudentissimus consiliator & fortissimus propugnator contra hostes suos ultionis atque defensionis impendas auxilium. Comitibus autem illis, qui Ecclesiæ tuæ adversantur, iterum scripsimus, ut aut ante Legatos nostros mala, quæ Ecclesiæ tuæ intulerunt, satisfacientes dignè emendando corrigant, aut ad præfatam Synodum omni posthabita occasione ad respondendum de objectis veniant.* Hinc exequitur Nicænum canonem; inde Conciliorum necessitatem ostendit. Porro Epistolæ hæ duæ primæ sunt inter eas, quas Papyrius Massonus in lucem emisit.

Testimonium Gregorii VII.

XXVI. QUam multiplex sit in suis epistolis mirum fortasse videri poterit.

I. In libri I. Epistola XLII. ad Sichardum Aquilegiensem Episcopum: *Confidentes in misericordia Dei Concilium in prima hebdomada quadragesimæ adunare disposuimus,* 85 *quatenus huic tanto periculo suffragante divina clementia cum communi consilio fratrum aliquod solatium & remedium invenire valeamus, ne nostris temporibus irreparabilem Ecclesiæ ruinam destructionémque videamus, ideóque vestram fraternitatem rogamus, & ex parte beati Petri Apostolorum Principis admonemus, ut in prælibato termino vestram nobis præsentiam exhibeatis, convocatis unà vobiscum, tum per hæc nostra, tum per vestra scripta, vestris suffraganeis Episcopis, ut tanto tutiùs, tantóque firmiùs ad subsidium Ecclesiasticæ libertatis, & religionis accingamur, quantò uberiùs ac viciniùs consiliis vestræ prudentiæ, aliorúmque confratrum frequentia & provida consultatione circumdamur.* Hìc commata pæne omnia Concilii necessitatem exprimunt. Ut interim taceam Gregorium Nicæno Concilio parere. Haud enim putabat se Concilio huic obnoxium non esse: Subesse gloriabatur, ut continuò videbimus.

II. In libri ejusdem Epistola XLIII. ad omnes Episcopos Mediolanensis provinciæ: *Non incognitum vobis esse credimus, in Romana Ecclesia jamdudum constitutum esse, ut per singulos annos ad decorem & utilitatem sanctæ Ecclesiæ generale Concilium apud Sedem Apostolicam sit tenendum. Nos itaque hujus celebritatis hoc in tempore causam valde necessariam considerantes, in prima hebdomada quadragesimæ Synodum annuente Deo Romæ celebrare disposuimus, ad quam omnes vos, &*

Apposto-

Apostolicâ auctoritate præsentiam vestram exhibere commonemus atque præcipimus, quatenus unà nobiscum, & cum alia frequentia vestri ordinis, officii nostri debitam
86 *sollicitudinem in divinis & Ecclesiasticis causis suffragante superna clementia commodè ac reverenter exercere valeamus. Intueri autem & diligenter vos oportet attendere, quoniam quicunque miles Domino suo in prælio properante se subtraxerit, non modò gratiam sibi labefactare, sed accepti beneficii commodum meritò sibi corruisse dignoscitur. Hoc igitur exemplo appareat, qui ex vobis, immo quàm omnes sitis fideles Christi milites, & ad divina agmina tam prompta voluntate & studio vos conferre studete, & post adeptam in Christo victoriam pariter vos & de virtute factorum, & abundantiam præmiorum gloriari liceat, sub eadem etiam auctoritate & determinatione omnes Abbates Longobardiæ ad præfatum Concilium invitamus, nullámque in hac obedientia fictitiam excusationem prætendere admonemus atque præcipimus.* Sedes Apostolica Nicænum canonem v. sic exequitur: *In Romana Ecclesia jamdudum constitutum est, ut per singulos annos ad decorem & utilitatem sanctæ Ecclesiæ generale Concilium apud Sedem Apostolicam sit tenendum.* Hic tamen inter Nicænum Concilium & Sedem Apostolicam illud interest, quòd Sedes Apostolica Concilium celebret generalius, quàm Nicænum Concilium præceperit. Idipsum ni fallor necessitatem majorem importat.

III. In libri ejusdem Epistola LI. ad Arnaldum Abbatem sancti Severi: *Data Romæ in Synodo II. Idus Martii indict. XII.*

IV. In ejusdem libri Epistola LII. ad Manassem Archiepiscopum Remensem: *Data Romæ in Synodo II. Idus Martis indict. XII.*

V. In libri ejusdem Epistola LIV. ad Canonicos
87 sancti Hilarii Pictavensis: *Notum vobis esse volumus, quod Canonici Pictavenses in Synodo nostra conquesti sunt, vos denegare & contradicere illis consuetudinem, quam in Ecclesia sancti Hilarii jure habere debent, videlicet ut in festivitate omnium Sanctorum & sancti Hilarii, cùm illuc ex more cum processione veniunt, si Episcopus aderit, ipse missam celebret: Sin autem non adsit Episcopus, Decanus, aut aliquis de majoribus Canonicis Pictavensis Ecclesiæ officium vice Episcopi peragere debeat. Quod cùm apud nos in publico Concilio ventilatum fuit, Gozelino Burdegalensi Archiepiscopo causam vestram cum quibusdam aliis defendente, scientes talem consuetudinem in Romana Ecclesia per singulas stationes, & fere per universum orbem in aliis Ecclesiis ritè & rationabiliter teneri, dijudicante Concilio justam eos requirere causam comprobavimus, & prædictum usum eos obtinere debere Apostolica auctoritate censuimus.* Gregorius controversiam, qua de agitur, sine Synodo dirimendam non esse censet, & si controversia, quæ præ rebus fidei momenti est exigui, sine Synodo non dirimitur, controversia, quæ de rebus fidei institueretur, multò minùs sine Synodo dirimeretur.

VI. In ejusdem libri Epistola LVI. ad Rogerium Catalaunensem Episcopum: *Data Romæ in Synodo XVI. Calend. Aprilis indict. XII.*

VII. In ejusdem libri Epistola LVII. ad Guillelmum Papiensem Episcopum: *Data Romæ in Synodo XI. Calend. Aprilis indict. XII.*

VIII. In ejusdem libri Epistola LVIII. ad Geusam Ungarorum Ducem: *Data Romæ in Synodo XVI. Calend. Aprilis indict. XII.*

88 IX. In libri ejusdem Epistola LXXIII. ad Isembertum Pictavensem Episcopum: *Quæ si ita sunt, Apostolica auctoritate tibi præcipimus, ut te repræsentes in Concilio Episcoporum provinciæ vestræ Metropolitano tuo, & reddita super his omnibus ratione, ac pura veritate discussa, justitiam inde consequenter exhibere non prætermittas. Verùm si hoc aliqua occasione renueris, aut eo injustè prægravari cognoveris, in festivitate omnium Sanctorum cum aliquot Clericis sancti Hilarii ad nos venias, ut in præsentia nostra controversia vestra diligenter perquisita & cognita legitimum finem Deo adjuvante suscipiat.* Controversiam, quæ inter Episcopum & Pictavensis Ecclesiæ Capitolum erat, provinciali Concilio finiri mandat Pontifex Conciliorum amantissimus.

X. In libri ejusdem Epistola LXXVIII. ad Uratislaum Boëmorum Ducem: *De causa verò, quæ inter eum & Marovensem Episcopum tandiu protracta est, propter illius absentiam ita statuimus, ut in futura Synodo ambo Episcopi, aut ipsi ad nos veniant, aut tales nuncios mittant, quibus præsentibus & causam ex utraque parte rationabiliter exponentibus, nos sine omni ulterius dilatione puram super hac re justitiæ definitionem inferre, & contentionem eorum decidere Deo favente possimus, ubi etiam Legatos tuos interesse multum cupimus, quatenus & ipsi tua vice ad indagationem veritatis nos adjuvent, & testes nostræ definitionis existant.* Cur Gregorius & sibi & aliis curæ tantùm ac laboris imponeret, nisi Synodum necessariam esse crederet?

XI. In libri ejusdem Epistola LXXXII. ad Adefonsum Hispaniæ Regem & regni hujus Episcopos:
Romanum ordinem in divinis officiis sicut cæteri Hispani 89
Episcopi, qui Synodo interfuerunt, se celebraturum, & ut meliùs poterit, observaturum promisit. De cætero quoniam ad præsens omnia, quæ secum habuimus, pleniter expedire & determinare non potuimus, ad futuram Synodum eum (Paulum Episcopum) *ad nos iterum reversi præcepimus, & super hac re ab ipso prompta obedientia sponsionem accepimus.* Periodus ultima Concilium non utile tantùm, quo Pontifex carere posset, sed etiam necessarium, quo facilè carere non posset, importat.

XXI. In libri II. Epistola I. ad universos Episcopos & Abbates Britanniæ: *Quoniam igitur inter vos sanctorum Patrum decreta, & Ecclesiastica religionis statum non ea, qua oportet, aut observari diligentia, aut studio tractari intelligimus, per eam, quam beato Petro Apostolorum Principi debetis obedientiam, vos invitamus, & nostra Apostolica auctoritate monemus, ad Synodum, quam in secunda hebdomada quadragesimæ Deo auctore in Apostolica Sede celebrare destinavimus, omni penitus fictitia occasione remota conveniatis, quatenus adjuvante Deo vos nobiscum & cùm alia frequentia vestri ordinis, quæ nostræ dispensationis & Christianæ religionis ordo requirit, perspicaci studio adinvenire, & exequi valeamus.* Gregorius in hac Epistola Nicæno Concilio morem gerit, atque ita Concilium habet, ut Ecclesiastica disciplina, quæ pluribus in locis veluti prostrata jacet, excitetur, ut sanctorum Patrum canones diligenter observentur. Sed quæ omnia communi omnium tractatu, & consilio statuenda esse scribit. Non haberet autem id genus Concilii, nisi necessarium esset.

XIII. In libri ejusdem Epistola IV. ad Gozelinum 90
Burdegalensem Episcopum: *Nunc igitur quoniam ad vindictam malefactorum ejus, non nostra tantum, sed & tua opus est vigilantia, fraternitatem tuam multùm admonemus, ut nulla te occasio in hac causa tepidum vel aliquo modo negligentem reddat: Sed si eum ad nos venturum cognoveris, tu ipse, si queas, ad Apostolorum limina fatigationis cursum non refugias.* Infrà: *Verùm hæc ut non super his, quæ à te nobis significata sunt, dubitemus, hoc ordine transigenda requirimus, sed ut Patrum nostrorum statuta servantes omnia, & rationabiliter discutiamus, & auctorali judicio Deo favente concludamus. Novit enim prudentia tua, quòd personis absentibus accusationem per scripta canonica non probet auctoritas, nec absque partium disceptatione percognita in examinatione recipiat causas.* Concilii necessitatem cùm alia significant, tum illud præsertim: *Non nostra tantùm, sed tua opus est vigilantia.*

XIV. In libri ejusdem Epistola VI. ad Geboardum Brugensem Episcopum: *Nos equidem meminimus sic decrevisse, ut Episcopus Marovensis terram & alia, de quibus inter vos discordia erat, usque ad futuram Synodum cum omni pace & quiete tenere debeat.* Fiduciario jure & in rem præsentem decrevit præstolatus futuram Synodum, cui supremum causæ judicium transscribit, quo Synodi necessitatem insinuat.

XV. In libri ejuſdem Epiſtola VIII. ad Joannem Marnvenſem Epiſcopum : *Et tu quidem nimis ſimpliciter egiſti, quòd nos contra decreta noſtra ſurgere, & ſententiam noſtram tam leviter mutare putaſti, qui ea omnia, quæ inter te & illum in lite ſunt, uſque ad futuram Synodum,
91 *& totius diſſenſionis veſtræ diſcuſſionem, tuis poſſeſſionibus decreviſſe præſens intellexeras.* Non obſcurè prodit Gregorius ſuam ſententiam haud ſufficere, cùm negotium ad futuram Synodum remittat, quo pacto Synodi neceſſitas inducitur.

XVI. In libri ejuſdem Epiſtola x. ad Udonem Trevirenſem Archiepiſcopum : *Deinde convocatis Tullenſibus Clericis, per veram eos obedientiam, immo ſub comminatione anathematis conſtringite, ut quidquid de introitu, & vita Epiſcopi ſciunt, vobis aperiant, & ut vos undique explorata veritate, quid nobis inde credendum ſit, in Synodo, vel ante Synodum, quam in prima hebdomada quadrageſima celebraturi ſumus, per literas veſtras notificare nullatenus prætermittite.* Hinc in congreganda Synodo morem gerit Nicæno Concilio; inde Synodi neceſſitatem innuit, cùm Synodum, non ſe extra Synodum rei judicem ſupremum faciat.

XVII. In libri ejuſdem Epiſtola XXI. ad Abbatem Bellilocenſem : *Confrater noſter Rodulfus Turonenſis Archiepiſcopus retulit nobis te nullam ſibi obedientiam velle impendere, téque uſuris cæteriſque ſceleribus effrænata licentia deſervire. Quapropter admonemus, ut prædicto confratri noſtro debitam non deneges obedientiam. Quòd ſi aliquam te cognoſcis idoneam poſſe prætendere excuſationem, cum prædicti confratris noſtri nuncio ad Synodum, quam in prima ſeptimana quadrageſimæ celebraturi ſumus, venias.*

XVIII. In libri ejuſdem Epiſtola XXII. ad Hugonem Militem de ſancta Maura : *Quòd ſi fortaſſe ab eodem Archiepiſcopo* (Turonenſi Rodulfo) *præjudicium tibi
92 *fieri claruerit, cum nuncio ad futuram Synodum noſtram venias, quatenus utrinque auditis rationibus unuſquiſque veſtrûm proclamationis ſuæ juſtitiam conſequatur.* Non dicit in hac & ſuperiori Epiſtola, *ad nos venias*, ſed *ad noſtram Synodum*, quam hoc modo judicat eſſe neceſſariam.

XIX. In libri ejuſdem Epiſtola XXIII. ad Iſembertum Pictavenſem Epiſcopum : *Quoniam interdictus à Legato noſtro Giraldo Oſtienſi Epiſcopo obedire contempſiſti, Concilium noſtro præcepto congregatum violenter conturbaſti, noſtris quoque præceptis de cauſa S. Hilarii inobediens extitiſti, auctoritate Apoſtolorum Petri & Pauli interdictum à noſtro Legato Epiſcopale officium non ſolum confirmamus, verum etiam ut à communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeparamus uſque ad futuram Synodum, quam Deo annuente in prima hebdomada quadrageſima celebraturi ſumus. Præcipimus etiam eadem auctoritate Apoſtolica, ut in futuro Concilio jam indicto te repræſentes.* Cur quæſo ſtatuit, ut Epiſcoporum & Clericorum cauſæ in Romana tractentur Synodo, niſi Synodum neceſſariam eſſe cenſeret ?

XX. In libri ejuſdem Epiſtola XXV. ad Annonem Colonienſem Archiepiſcopum : *Quapropter charitatem tuam, frater chariſſime, iterum duximus adhortandam, ut præfatum negotium diligenter audias, & legitimè definias. Cæterùm ſi aliqua ratio, quæ ne hoc perficere nequeas, obſtiterit, his ſibi literis oſtenſis nos ad Synodum in prima proxima quadrageſima hebdomada agendam adire commoneas, quatenus controverſia inter eos diu protracta, omni occaſione propulſa, canonicum finem accipiat.* Nicæno Concilio paret, & unà præcipit, ut quæ Epiſcopi non poſ-
93 ſunt per ſeſe dirimere, ea perferant ad Romanam Synodum, ibique juxta canones definiant.

XXI. In libri ejuſdem Epiſtola XXVIII. ad Liemarum Bremenſem Archiepiſcopum ; *Legatis quippe noſtris Alberto Prænæſtinenſi & Giraldo Oſtienſi Epiſcopis, quos ad partes illas ad id deſtinavimus, ut in unum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, religioſiſque Clericis convocatis, vice & auctoritate noſtra fulti, quæ corrigenda eſſent, corrigerent, quæ religioni addenda, adderent, pro viribus impediſti. Ad hæc ut Concilium fieret prohibuiſti. Ab eiſdem etiam Romam vocatus ad inſtitutum terminum feſtivitatem ſancti Andreæ non veniſti. Ad hæc igitur & quamplura alia corrigenda ad proximam Synodum, quæ proxima quadrageſima prima hebdomada celebrabitur, Deo annuente, Apoſtolica auctoritate tibi venire præcipimus & invitamus.* Gregorius ut apparet, ſic amat Concilia, ut Bremenſem Archiepiſcopum, qui ne Concilia fierent prohibuerat, graviter accuſet, cúmque rationem rationum ſuarum redditurum ad Romanam Synodum accerſat. Itaque Pontifex hunc Nicænum Concilium exequitur cùm Synodum indicit; hinc ad ſanciendas res Eccleſiaſticas neceſſariam eſſe Synodum facto ſuo demonſtrat.

XXII. In libri ejuſdem Epiſtola XXIX. ad Sigefredum Moguntinum Archiepiſcopum : *Quapropter Apoſtolica auctoritate religionem tuam admonemus, ut ad Synodum, quam Deo annuente in prima ſeptimana quadrageſimæ celebraturi ſumus, cum tuis ſuffraganeis, videlicet Othone Conſtantienſi, Guarnerio Strazburgenſi, Henrico Spirenſi, Herimanno Babenbergenſi, Imbrico Auguſtenſi, Adelberto Guelzburgenſi, ſi potes, venias : quod ſi aliqua infirmitate, quod abſit, præpeditus venire nequiveris, tales 94
ad nos ſtudeas nuncios dirigere, quorum ſecurè conſilio inniti, & quorum teſtimonio quaſi præſentia tua credere poſſimus.* Sollicitè obſequitur Nicæno Concilio, & quod in eo de celebrandis Synodis ſtatutum eſt, obſervatu neceſſarium eſſe oſtendit.

XXIII. In libri ejuſdem Epiſtola XXX. ad Henricum Regem : *Præterea noverit ſublimitatis tuæ dignatio nos Sigifredo Moguntino Archiepiſcopo literas miſiſſe, evocantes eum ad Synodum, quam Deo auctore proxime quadrageſimæ prima hebdomada celebraturi ſumus : quod ſi venire non potuerit, tales mittat Legatos, qui vicem ejus Concilio repræſentent. Similiter Babenbergenſem, Strazburgenſem & Spirenſem adeſſe præcipimus, introitus ſui & vitæ rationem poſituros. Quòd ſi fortè ut eſt hominum protervia, venire diſtulerint, regia tua poteſtatis impulſu petimus, ut venire cogantur, cum quibus volumus à latere tuo Legatos tales tranſmitti, qui nos fideliter doceant, & de ingreſſu & de vita eorum, quorum relatione, cognita veritate ad liquidum certiùs poſſimus de indubitatis proferre judicium.* Pontifex Nicæno Concilio obnoxium ſe prodit, atque ex illius præſcripto Synodum indicit, quam ad ſanciendas res Eccleſiaſticas de quibus agit, neceſſariam eſſe arbitratur.

XXIV. In libri ejuſdem Epiſtola XXXIII. ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum : *Licèt adverſus præſumptionem tuam duriùs invehi deberemus, quia vocatus ad Synodum, quam circa feſtivitatem ſancti Andreæ celebravimus, venire contempſiſti, & venerabili monaſterio ſancti Michaelis, neque reſpectu divini timoris, neque intuitu Apoſtolicæ defenſionis inquietudinis manum ſubtrahere 95
voluiſti, adhuc tamen fraternam tibi dilectionem reſervamus, & debitæ ſatisfactionis tuæ fructum expectamus. Quapropter iterum te Apoſtolica auctoritate monemus, ut ad Synodum, quam in prima ſeptimana quadrageſimæ celebraturi ſumus, venias.* Obedire Nicænæ Synodo pergit, & quæ de certo quodam monaſterio lis erat, eam in Synodo terminandam eſſe indicat.

XXV. In libri ejuſdem Epiſtola XXXV. ad Guillelmum Papienſem Epiſcopum : *Licèt contra nos id egiſſe videaris, ut nec etiam Apoſtolicam definitionem tibi mittere deberemus, ſcilicet quia ad conſtitutum tibi terminum nec veniſti, nec legalem excuſationem miſiſti, maluimus tamen de pietatis modeſtia reprehendi, quam canonum rigorem ſequendo inobedientiam tuam acriter ulciſci. Quapropter Apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, ut ad Synodum, quam Deo annuente celebraturi ſumus prima hebdomada quadrageſimæ venias, & de cauſa ſororis tuæ reſpondeas.* Vix potuit Conciliorum neceſſitatem clariùs inculcare : Qua in re Gregorius Nicænæ Synodo diligenter obtemperat. Nicæna enim Synodus non ſtatuiſſet, ut bis in anno

anno in unaquaque provincia fierent Synodi nisi Synodos necessarias esse existimasset.

XXVI. In libri ejusdem Epistola XXXVI. ad Mathildem: *Quòd si fortasse te prajudicium pati existimas, & testimonia atque sacramenta de consanguinitate vestra improbare posse confidis, damus tibi audientiam in proxima Romana Synodo.* Cum de rebus, quæ sunt momenti alicujus consulitur, non extra Synodum, sed in Syno-
96 do respondet: *Ubi*, inquit, *Deo auxiliante neque ad dexteram, neque ad sinistram declinabimus, sed quod justum est, statuemus.*

XXVII. In libri ejusdem Epistola XLII. ad Guibertum Ravennatem Archiepiscopum: *Coram oculis habes, frater charissime, & quasi palpare manibus potes miserabilem sancta Ecclesia perturbationem, & jam per longa tempora inimicorum, & impugnatorum ejus insensatam & omnino irrefrænatam præsumtionem, contra quos quoniam nos, qui in sortem ministerii Sacerdotalis & regnum Dei electi sumus, omni cura & studio surgere & pugnare convenit, sicut jam per aliquot annos in Apostolica Sede fieri consuevit, in prima hebdomada quadragesima Synodum Deo annuente celebrare disposuimus, ad quam fraternitatem tuam singulari admonitione, & multo charitatis affectu, postposita omni negligentia venire rogamus & invitamus.* Cur verò ita? *Quatenus*, inquit, *tua aliorúmque fratrum nostrorum annitente prudentia & spirituali tam fortitudine, quàm sapientia impii à suis conatibus arceantur, & Christiana religio in ea, qua primùm fundata est, libertate & pace roboretur.* Quæ res tanti est ponderis, ut eam fieri non posse sine frequentibus Synodis arbitraretur.

XXVIII. In libri ejusdem Epistola XLIII. ad Hugonem Diensem Episcopum: *Videtur nobis, ut quod filii Ecclesia tua de rebus Ecclesiasticis volunt tibi reddere, recipias, tósque absolvas tali tenore, ut data fide quidam illorum promittant secum venire ad nos Romam, videlicet Deo auctore, ad Synodum celebrandam, ut illic, quod nobis ratum visum fuerit, peragam.* Sed audiatur ratio.
97 *Meliùs enim*, inquit, *nobis placet, ut pro pietate interdum reprehendaris, quàm pro nimia severitate in odium Ecclesia tua venias: Debes quidem filios tuos, quia rudes sunt & indocti, conspicere, & ad meliora paulatim provocare, quia nemo repente fit summus, & alta ædificia paulatim ædificantur.* Eandem semper tundit incudem; Conciliorum videlicet necessitatem repetit & infigit, ac Nicænæ Synodo paret.

XXIX. In libri ejusdem Epistola LXII. ad Sichardum Aquilegiensem Episcopum: *Fraternitatis tua prudentiam latere non debet, neque tui ordinis dignitatem ignorare oportet, qua statuta quaque decreta in peracto Concilio præterita quadragesima consilio confratrum nostrorum ac totius conventus assensu sequentes sanctorum Patrum auctoritatem statuimus.* Hic ad Conciliorum necessitatem, quæ ex præscripto Nicænæ Synodi fiunt, adjungit eorundem celebrandorum modum: quod multùm observare convenit.

XXX. In libri ejusdem Epistola LXVII. ad Annonem Coloniensem Archiepiscopum: *Ut ea, qua Dilectioni tua injungimus, compendiosiùs efficaciúsque prosequaris, cum fratribus & coepiscopis tuis Concilium te cogere suademus, in quo quàm maximo poteris Clericorum coetu congregato leges canonicas, & Sedis Apostolica auctoritatem, tuámque & confratrum omnium pariter promulgabis, quanta castitatis sit virtus, quámque Ecclesiasticis gradibus necessaria.* Ut Romæ, sic & Coloniæ necessarias esse Synodos denunciat, & earum celebrandarum normam præscribit.

XXXI. In libri ejusdem Epistola LXIX. ad Cunibertum Taurinensem Archiepiscopum: *Hoc itaque ne &
98 nos illorum auctoritate & exemplo de præfato S. Michaëlis Monasterio facere cogamur, neve tu dum immoderata quæris, ea, qua ex æquo tibi attinere videbantur, justò amittas, Apostolica te auctoritate monemus atque præcipimus, ut aut pacem cum Abbate congrua conventione, & in communi proviso totius causa moderamine facias, aut si peccatis impedientibus hoc fieri nequiveris, in ventura sancti Martini festivitate ad Apostolicam Sedem te convocatum auctoritate præsenti cognoscas, quatenus Deo adjuvante litem vestram dirimere, & juste fine concludere valeamus.* Hæc est Autumnalis Synodus, quam ut Nicæna Synodus statuit, indicit, eámque non indiceret, nisi necessariam putaret.

XXXII. In libri III. Epistola III. ad Henricum Regem: *Simoniacus ille Hermannus dictus Episcopus hoc anno ad Synodum Romam vocatus venire contempsit, sed cùm propriùs Romam accessisset, in itinere substitit, & præmittens nuncios suos cum copiosis muneribus noto sibi artificio innocentiam nostram & confratrum nostrorum integritatem pactione pecunia attentare, atque si fieri posset, corrumpere molitus est.* Romanam laudat Synodum, & quia de more celebratur, & quia corrumpi non potest. Qui mos quia de Nicæni Concilii canone descendit, celebrationis necessitatem importat.

XXXIII. In libri ejusdem Epistola IV. ad Sigifredum Moguntinum Archiepiscopum: *Illi verò, qui dicunt Concilium, quod vobis indiximus, esse differendum, rogamus respondeant, Regis milites dudum ut se ad bella pararent, admoniti, quid tunc essent acturi, cùm hostes in regia aulà armis jam & igne sævirent? Dicant ergo, utrum arma deberent ad ipsos hostes perturbandos & con- 99
terendos violenter corripere, an quid hostes agerent, tantummodo considerare? Quid enim aliud maligni spiritus agunt, nisi quod Christi Ecclesiam igne vitiorum incessanter devastare contendunt? Et quid regios milites, sanctos videlicet Sacerdotes oportet facere, nisi adversus eorum sævitiam clypeo charitatis munitos, gladio divini verbi accinctos auctoritatis vigore consurgere? Quod autem dicis quosdam fratres non posse ad Concilium convenire ob principis inimicitiam, dicimus eis sufficere, si de suis Clericis dirigant, qui pro eis valeant respondere.* Hic apparet quàm necessaria esse Concilia judicet Gregorius, qui propter principum odia & inimicitias illa differre non vult, ratus non posse se aliter malis Ecclesiæ mederi.

XXXIV. In libri ejusdem Epistola VIII. ad Tedaldum Mediolanensem Clericum, qui superstite Episcopo electus fuerat: *Quapropter (conscientia nostra teste) sincero charitatis affectu te admonemus, ut si Ecclesiam diligis, & te pariter atque illam à periculo confusionis eripere cupis, ad proximam Synodum, quam in prima hebdomada ventura quadrigesima Deo annuente celebrare disposuimus, venias.* Pergit Conciliorum necessitatem declarare, & ea potissimùm Concilia, quæ ut fierent, Nicæna Synodus decernit.

XXXV. In libri ejusdem Epistola X. ad Henricum Regem: *Congregata namque hoc in anno apud Sedem Apostolicam Synodo, cui nos superna dispensatio præsidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum interfuere fidelium, videntes ordinem Christiana religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas & suadente Diabolo concul- 100
catas, concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis, ad sanctorum Patrum decreta, doctrinámque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam & unicam Ecclesiastica disciplina regulam & tritam sanctorum Patrum viam relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus.* Gregorius necessarium etiam Concilium esse judicat, ut Ecclesiastica instauretur disciplina, quæ ab antiquis Patribus sancita est. Atque ita Concilium judicaret esse multò magis necessarium, si quæ sancienda essent, ad disciplinam novam vel fidei dogma pertinerent.

XXXVI. In libri IV. Epistola III. ad omnes in Christo fratres, Coëpiscopos, Duces, & Comites, &c. *Si litteras, quibus Henricus dictus rex in sancta Synodo judicio Sancti Spiritus excommunicatus est, diligenter perpenditis; quid de eo debeat fieri, indubitanter cognoscetis.* Sic Synodi necessitatem exemplo suo demonstrat.

XXXVII. In libri ejusdem Epistola IX. ad Richerium Seno-

Senonensem Archiepiscopum: *Et quia non solùm necessitas & tribulatio illius Ecclesiæ,* (Aurelianensis) *verumetiam multa alia regni vestri negotia exigunt, ut Romano Concilio fraternitas tua interesse debeat, admonemus te, ut omni remota occasione ad proximam Synodum nostram venias, & jam dictum Aurelianensem Episcopum tecum venire commoneas.* Romanam vocat Synodum, quam obsecutus Nicæno Concilio Pontifex celebrare consuevit. Concilii hujus necessitatem verba ipsamet ostendunt.

101 XXXVIII. In libri ejusdem Epistola XIII. ad Rodulfum Turonensem Archiepiscopum: *Quòd si ea modo nostra dispositionis consilium transigi non posse contigerit, congruo tempore & te & Dolensem Episcopum ad præsentiam Sedis Apostolicæ convocabimus, & ibi causam vestram utrinque diligenter examinatam, prout sincera veritas & justitia exquisierit, ad irrevocabilem Deo favente finem revocabimus.* Verba duo hæc, *congruo tempore,* designant Synodum, quæ ex Nicænæ Synodi præscripto celebranda est, & hanc ut apparet, quæ congruo tempore congreganda est, necessariam esse putat.

XXXIX. In libri ejusdem Epistola XIII. ad Hugonem Diensem Episcopum: *Quapropter admonemus fraternitatem tuam, ut Concilium in illis partibus convocare & celebrare studeas, maximè quidem cum consensu & consilio regis Francorum, si fieri potest. Sin autem aliqua occasione id consentire noluerit, in Lingonensi Ecclesia conventum Concilii celebrandi instituas.* Infrà: *Stude ergo, ut præfatum confratrem nostrum Lingonensem Episcopum convenias, & communi consilio, ubi vobis melius videbitur, Synodum instituite, & convocatis illuc Archiepiscopo Remensi & cæteris, quotquot possis, Archiepiscopis & Episcopis Franciæ; primè omnium causam suprà memorati Cameracensis electi discutere studeas.* Concilii necessitatem significat, cum terminandi inter Episcopos negotii modum alium agnoscit nullum, nisi Synodum, in qua negotium communi consilio tractetur & decidatur.

XL. In libri v. Epistola XIII. ad Guibertum Ravennatensem Archiepiscopum & ejus suffraganeos: *Quapropter tam vestræ, quàm omnis gregis Christi*
102 *nobis commissi salute, ex omnipotentis Dei parte & Romana Ecclesia, universalis videlicet matris, Apostolica auctoritate monemus & invitamus vos, ut ad Synodum, quam Deo auctore in proxima ventura quadragesima prima hebdomada celebraturi sumus conveniatis: desideramus potiùs Deo teste vestræ saluti & populi vobis crediti consulere, quàm nostro sæculari commodo providere.* Duabus de causis Synodum congregat in quadragesima: Primùm ut Nicæno Concilio morem gerat: Deinde, ut Ravennatis Episcopi & populi huic Episcopo commissi salutem procuret. Atqui hæ causæ duæ Concilii necessitatem præ se ferunt.

XLI. In libri ejusdem Epistola XII. ad Rainerium Aurelianensem: *Nunc itaque Apostolica auctoritate tibi præcipimus, ut omni excusatione semota quidquid abstulisti, justè restituas, & restitutis omnibus ad Synodum, quæ vestris in partibus celebranda erit, convenias, ibique coram Legatis nostris Hugone Diensi, Hugone Abbate Cluniacensi, necnon & Rogerio Subdiacono nostro, de his & aliis, quæ tibi intentantur, rationem canonicè expendas.* Non præciperet Legato suo, ut Synodum faciat, nisi eam esse necessariam autumaret. Tunc temporis omnia & Synodicè fiebant & canonicè.

XLII. In libri ejusdem Epistola XXII. ad Hubertum Subdiaconum & Teuzonem Monachum: *Verùm quia Diensis Episcopus (ut diximus) præsens aderat, commisimus sibi istud, ut in Concilio, quo causam Remensis Archiepiscopi & aliorum Episcoporum Franciæ adjuncto sibi Abbate Cluniacensi tractaturus est, etiam hoc regulariter diffinire procuret.* Gregorius eandem de Concilii necessitate serram reciprocat.

103 XLIII. In libri ejusdem Epistola XXIII. ad Gaufredum Redonensem: *Statuimus præfatum confratrem & Vicarium nostrum* (Hugonem Episcopum) *celebrare Concilium propter multa & magna negotia, quæ in regno Francorum emersa Apostolicæ auctoritatis examinatione atque judicio indigent.* Sic multa & magna negotia Concilium exigunt: Non exigerent, nisi necessarium esset.

XLIV. In libri VI. Epistola I. ad omnes Clericos & laicos regni Teutonici: *Quæ & quanta cura nobis fuerit, & est, ut pestilentia & clades & desolatio à vestro regno auferatur, pax & honestas & solitum decus vobis reddatur, in Synodo, quæ hoc anno in quadragesima Romæ celebrata fuit, declaravimus.* Exponit Romæ factam esse Synodum, quo tempore ex Nicæni Concilii canone facienda est.

XLV. In libri ejusdem Epistola XIV. ad Vuelfonem Ducem: *Perpendistis, quod Sanctus Spiritus per nos licèt indignos dignatus est in sancta Synodo, quæ hoc in anno Romæ in quadragesima celebrata est, statuere, & cognoscetis, quantum valeat, quantum possit auctoritas & potestas beati Petri.* Et paullo pòst: *Quid autem sit actum in quadragesimali Synodo; sive in ea, quam in mense Novembris fecimus, vestri fideles qui interfuerunt, & nostræ litteræ vobis missæ indicare possunt.* Romæ semel atque iterum in anno Synodus habetur, vere & autumno; & sic Gregorius Nicænum canonem v. exequitur, & cæteris exequendi præbet exemplum.

XLVI. In libri ejusdem Epistola XL. ad Bosonem: *Quòd si aliquid justitiæ in supradicta Ecclesia te habere confidis, ante Legatum nostrum Diensem Episcopum in Concilio, quod proximè celebraturus est, te præsentare debebis,* 104
sciens, quòd in nullo contra justitiam te volumus prægravare. Non minùs curat, ut in provinciis, quàm ut Romæ Concilia fiant, nec ita curaret, nisi certò sciret Concilia esse necessaria.

XLVII. In libri VII. Epistola I. ad Hubertum Romanum Subdiaconum: *Præterea monemus te, ut ex parte beati Petri præcipias & invites tam Anglos, quàm Normannicos ex unoquoque Archiepiscopum vel duos Episcopos ad Romanam Synodum, quam in quadragesima Deo auctore sumus celebraturi, venire, scilicet ut quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, sanciantur.* Quis unquam vidit Pontificem sacris Nicænæ Synodi canonibus obsequentiorem?

XLVIII. In libri ejusdem Epistola XVI. ad Hubertum Tarvanensem Episcopum: *Pro quibus & aliis pluribus à fratre nostro Hugone Diensi Episcopo semel & iterum ad Concilium vocatus, & postea à nobis ad Synodum Romanam invitatus, ut te expurgares.* Cùm extra Synodum controversias Ecclesiasticas agitari finirique Pontifex nolit, indicium est certissimum, illius sententiâ Synodum necessariam esse.

XLIX. In libri VIII. Epistola XII. ad omnes Episcopos, Abbates, & Clericos Ravennati Ecclesiæ subjectos: *Illius* (Archiepiscopi Ravennatis) *facinora commemorare supersedeo, quæ per totum ferè Romanum orbem se prodiderunt, pro quibus ipse in sancta Synodo Romæ celebrata omnium Episcoporum, qui aderant, consona sententia jam ex triennio gladio anathematis sine spe recuperationis percussus est.* Romana Synodus est hujusmodi, ut res in ea communi omnium sententia decernantur.

L. In libri ejusdem Epistola XXXIII. ad Comitem 105
Flandrensem: *Itaque præcipimus, ut congregato Concilio causam ipsius Episcopi* (Tarvanensis) *diligentiùs ventilare procurent.* Tarvanensis Episcopi causam per se ipse non judicat, sed præcipit, ut illam Concilium judicet. Id sanè non præciperet, nisi Concilium sibi necessarium videretur.

Hactenus incredibilis diligentia Gregorii VII. qui se totum & animo & corpore in Synodorum congregationem contulit: Et siquid ad Joannis VIII. curam & studium adjici potuit, adjecit. Nec usquam verba hæc, *motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis* usurpavit. Scilicet usurpata non fuerant à Gregorio I. ad quem referre, atque exprimere omnino voluit. Et de Nicæni Concilii canone v. ad primæ Sedis suæ decus & gloriam

gloriam cum Gelasio verè affirmatéque dicere potuit: *Nullus jam veraciter Christianus ignorat, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus,* NON ALIQUAM MAGIS EXEQUI SANIAM PRÆ CÆTERIS OPORTERE, QUAM PRIMAM: hæc repeto, quæ infinities repetita placebunt.

Cæterùm si de vita Gregorii VII. quæ ad Henrici IV. Imperatoris depositionem pertinent, velis detrahere, tunc habebis Pontificem, cui anteferatur nemo, cui nulli vel certe pauci pares potentur.

Hic præterire nequeo Petrum Damianum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Grogorio æqualem, qui de Conciliorum necessitate in libri III. Epistola VI. ad Annonem Episcopum Coloniensem ita scribit: *Quamobrem, venerabilis Pater, ut sanctus studii tui labor ad effectum omnino perveniat, & per eandem titionis hujus,*
106 *immo per unum putridum Diaboli membrum, apud opinionem hominum Romana Ecclesia non vilescat, & hac occasione, quod absit, Christianus populus in errore permaneat, necesse est, ut vestra prudentia totis nisibus elaboret, quatenus generale Concilium quantocyus fiat, & perniciosi hujus erroris spinas, in quo miser mundus versatur, evellat.* Loquitur secundum Ecclesiæ suæ traditionem, quam per Romanos Pontifices exponimus ac derivamus.

Testimonium Urbani II.

XXVII. BEnedictus Kemperlegiensis Abbas ab Urbano II. petiit, ut unum è suis decessoribus Gurloesium nomine in Sanctorum numerum referret: Urbanus respondit, id se sine plenaria Synodo facere non posse. Urbani verba sunt in tomo IV. Galliæ Christianæ: *Porro quæ de Gurloësii celebratione ab auctoritate nostra judicium expetisti, non eadem potuit facilitate concedi. Non enim Sanctorum quisque debet canonibus admisceri, nisi & testes adsint, qui ejus miracula visa suis oculis attestentur, & plenariæ Synodi communi firmetur assensu.* Perspicis quo in rerum Ecclesiasticarum genere Concilium requirit, & illius necessitatem asserit. Pontifex est qui sciens & prudens loquitur.

Testimonium Paschalis II.

XXVIII. ERuditus in Gregorii VII. schola Pontifex vix potuit non celebrare Concilia, quæ ex Nicænæ Synodi canone V. celebranda sunt, & quæ Romæ in Quadragesima celebrari consueverant.

Sic in Epistola ad Guidonem Archiepiscopum Vi-
107 ennensem: *Cesset jam malitiæ zelus & dolositatis cavillatio, & prædictarum Ecclesiarum negotium juxta literarum tenorem omnimodis peragatur. Alioquin ad præsentiam nostram parati prorsus & instructi proximo quadragesimalis Concilii tempore revertamur.*

Sic quoque ab illo Lateranense Concilium, anno MCXII. celebratum esse testatur Viennense Concilium, quod eodem anno Guido Viennensis Archiepiscopus & Apostolicæ Sedis Legatus habuit. Id in Epistola Synodica ad Paschalem his verbis scribitur: *Quas* (Regis literas) *nimirum post Concilium, quod in præterita ultima Quadragesima Romæ celebrastis, se recepisse, & sibi missas idem Rex testabatur.*

Conradus Urspergensis Abbas in Chronico Concilii hujus, & eorum, qui ad illum venerunt, meminit: *Transacta posthac media Quadragesima convenientibus universis Apuliæ, Campaniæ, Siciliæ, Tusciæ, totiúsque simul Italiæ præsulibus, Ultramontanorum autem quamplurimorum, Patrum instituta more solito reverenter confirmata sunt etiam sopeditum nostri temporis schisma inter præcipuas hæreses computatur.* Et paullo pòst: *Scriptum illud,* quod *magnis necessitatibus coactus,* inquit Paschalis, *non pro vita mea, non pro salute, aut gloria, sed pro solis Ecclesiæ necessitatibus sine fratrum consilio, aut subscriptionibus feci; super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur: Sicut pravè factum cognosco, ita pravè factum confiteor, &* OMNINO CORRIGI, *Deo præstante, desidero, cujus correctionis modum, fratrum, qui convenerunt, consilio, judicióque constituo, ne fortè per hoc imposterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, aut anima* 108
mea relinquatur. Tunc omnium communi omnium favore laudatum est, ut fratres omnes, qui donum à Deo sapientiæ scientiæque perceperant, maturius super hoc consilium communi collatione susciperent, quod sequenti die per inspirationem Spiritus Sancti responderent. Die itaque sexta, quæ & ultima Concilii fuit, fidem suæ veritatem sanctis Patribus per omnia congruentem Domnus Papa Paschalis in audientia totius Concilii exposuit, asserens se scripturas sanctas veteris & novi Testamenti, Concilia universalia suscipere ac venerari, quæ Catholica Ecclesia suscipit & veneratur, ita dicendo: Amplector omnem divinam Scripturam scilicet & novi & veteris Testamenti, legem scriptam à Moyse & à sanctis Prophetis: Amplector quatuor Evangelia, septem canonicas Epistolas, & Epistolas gloriosi Doctoris beati Pauli Apostoli, sanctos canones Apostolorum, quatuor universalia Concilia, sicut quatuor Evangelia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calchedonense; Decreta sanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorii, & beatæ memoriæ Papæ Urbani. Quæ ipsi laudaverunt, laudo, quæ ipsi tenuerunt, teneo; quæ confirmaverunt, confirmo, quæ damnaverunt, damno, quæ repulerunt, repello, quæ interdixerunt, interdico, quæ prohibuerunt, prohibeo: in omnibus, & per omnia, & in his semper perseverabo.

In calce hujus professionis ex ore omnium, qui ad consulendum hesterna deliberatione convenerant, Engolismensis Episcopus Gerardus hanc in scriptis sententiam recitavit: Privilegium illud, quod non est privilegium (neque verò dici debet privilegium, sed pravilegium) pro liberatione captivorum & Ecclesiæ à Domno Papa Paschali per vi- 109
olentiam Henrici Regis extortum, Nos omnes in hoc sancto Concilio cum eodem Domno Papa congregati canonica censura, & Ecclesiastica auctoritate, judicio Sancti Spiritus damnamus, & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus. Paschalis necessarium credidit hoc Concilium duabus maxime de causis. Primùm ut in eo palam Romæ in ore atque oculis omnium, quæ à se pravè gesta fuerant, emendaret, *Ne,* inquit, *detrimentum aliquod Ecclesiæ aut animæ meæ præjudicium relinquatur.* Deinde, ut edita professione Catholicum se præstaret, revocato quod regi concesserat, privilegio.

Conciliorum necessitate persuasus anno MCXIII. Beneventi, anno MCXIV. apud Cyperanum, anno MCXV. Trojæ, & anno MCXVI. Romæ habuit Concilia, quibus quæ curva viderentur, corrigeret, excitatas discordias sedaret, & quæ tandem propter bonum pacis statuenda erant, communi omnium consilio statueret. Quidquid illud est, narrant Cassinensis & Beneventani Chronici auctores. Sed silentio præterire non possum Lateranense Concilium III. in quo Lateranensis Concilii II. acta iterum anno MCXVI. confirmat his verbis: *Postquam Dominus de servo suo fecit quod voluit, & me populúmque Romanum tradidit in manus Regis, videbam quotidie passim fieri rapinas & incendia, cædes & adulteria. Hæc & hujusmodi mala cupiebam avertere ab Ecclesia & populo Dei, & quod feci, pro liberatione populi Dei feci. Feci autem ut homo quia pulvis sum & cinis. Fateor me malè egisse, sed rogo vos omnes, Orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum, quod in tentoriis factum est,* 110
quod pro pravitate sui privilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate, ut nullius unquam sit bona memoria, & rogo vos omnes ut idem faciatis. Tunc ab universis clamatum est, fiat, fiat. Et quibusdam interpositis Concilii Patres, *Fratres & Dominos suos* appellat.

Porro autem quanti faceret & Concilia & sacros illorum canones, luculenter docet in Epistola XXIX. ad Basilium Hierosolymorum Regem: *Unaquaque,*

inquit,

inquit, *provincia justitia sua limitibus perfruatur. Nec enim possumus manifestè sanctis Patrum nostrorum constitutionibus obviare.*

Testimonium Gelasii II.

XXIX. HIC Pontifex rem decidit in Epistola I. ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Clericos, & Principes Galliæ: *De controversia, quæ inter Ecclesiam & regnum est, vel conventioni vel justitiæ libenter acquiescimus loco & tempore competenti, videlicet Mediolani vel Cremonæ in proxima beati Lucæ solemnitate fratrum nostrorum judicio, qui à Deo judices sunt constituti, & sine quibus hæc causa tractari non potest.* Concilii necessitas non potuit exprimi disertiùs.

Testimonium Eugenii III.

XXX. HIC Pontifex apud Othonem Frisingensem in libri I. de gestis Frederici capite LXII. de Conciliorum necessitate mentem suam sic aperit: *Dum ita per aliquot dies jam sæpè dictus Episcopus* (Pictaviensis Gilbertus Porretanus) *coram summo Pontifice*
111 (Eugenio III.) *de fide sua in civitate Parisiis discuteretur, sentiens Papa, utpote cautus & religiosus causæ difficultatem, protelandam eam usque ad Concilium universale adjudicavit. Erat enim in proxima mediana quadragesimæ Dominica apud Galliarum Metropolim Remis generale Concilium inditum.* Sic neque motum proprium, certam scientiam & potestatis plenitudinem non asciscit, ut ipse solus de tam grandi negotio judicaret. Sed Pontifex utpote cautus & religiosus illud ad indictum à se Concilium remittit.

Testimonium Alexandri III.

XXXI. HAbetur in literis, quas de convocatione Concilii generalis Lateranensis scribit ad Episcopos Thusciæ: *Quia in Ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tum ad emendanda, quæ digna emendatione videntur, quàm ad promulganda, quæ saluti fidelium visa sunt expedire, de diversis partibus personas Ecclesiasticas decrevimus evocandas, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur, ut quod bonum est, secundùm consuetudinem antiquorum Patrum provideatur & firmetur à multis. Quod si particulariter fieret, non facilè posset plenum robur habere.* Ex hac autem differentia, quam inter particulare & generale Concilium ponit, generalis Concilii necessitatem astruit.

Deinde in Epistola ad Guillelmum, Senonensem Archiepiscopum: *Cùm in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viva voce injunximus, ut suffraganeis tuis Parisius tibi adscitis ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri*
112 *quondam Parisiensis Episcopi, quæ dicitur, quòd Christus secundùm quod est homo, non est aliquid, omnino intenderes, & efficacem operam adhiberes: Inde siquidem est, quòd fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi cùm præsens esses, præcipimus, suffraganeos tuos Parisius convoces, & unà cum illis & aliis viris religiosis & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare.* Sic in doctrinæ pravæ judicio efficax adhiberi non potest opera, nisi Synodus convocetur. Hæc est Sedis Apostolicæ traditio, cui Pontifex insistit.

Testimonium Innocentii III.

XXXII. PHilippus Augustus Galliæ Rex quando cum uxore divortium facere voluit, ut illud faceret, Innocentium III. consuluit veniam impetraturus. Sed Innocentius antiquæ traditionis memor rem tanti momenti sine Concilio transigi non posse respondit in lib. III. regest. XV. Epist. CIV. Verba sunt: *Sed in carnali commercio inter te & reginam conjugem tuam adeò est processum, quod si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina fecisse proponitur coram Abbate de Trappa & dilecto filio Roberto de Corzon nunc titulo S. Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire propter illam sententiam evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cum absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verum si super hoc absque generali deliberatione Concilii, determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis* 113
periculum immineret. Sic ad intelligendas scripturæ auctoritates Concilia nonnnnquam esse necessaria profitetur. Quæ res fidem Catholicam tangat.

Deinde in ejusdem lib. & regest. Epistola CLXXXVII. ad Consules & populum Mediolanensem: *Cùm sit dignum & justum, ut qui non sinunt alios requiescere, apud eos non possint requiem invenire. Ut autem Metropolis vestra obedientiam, quam vos superiori vestro subtrahitis in sibi subditis non inveniat in universis Episcopis eidem subjectis Metropoli, nostris damus literis in præceptis, ut in pœnam vestram ipsi omnem obedientiam & reverentiam subtrahentes eidem in aliquo non intendant. Denique cùm non solùm honore Metropolitico, sed etiam Pontificali vos reddatis indignos, quoniam ad præsens generale Concilium convocare commodè non possumus, per Januen. Graden. Remen. Senonen. Rotomagen. Turonen. Bituricen. & Burdegalen. provincias dirigimus scripta nostra, ut habito super iis Archiepiscoporum, & Episcoporum, quos propter hoc congregari mandamus, Concilio, in tanta negotio cum maturitate debita procedamus.* Hæc de necessitate Conciliorum ad componendas res Ecclesiasticas.

Sed adhuc non minùs expressa traduntur in lib. IV. Regest. XVI. Epistola CLXXXII. ad Rigensem Episcopum: *Cùm in memoria non existat, Rigensem Ecclesiam alicui Metropolitico jure subesse, volumus & mandamus, ut donec in generali Concilio super hoc aliquid certum duxerimus statuendum, nulli tanquam Metropolitano interim respondere cogaris.* Hæc dnbitationem nullam habent.

Deniqne in Epistola ad Patriarcham Alexandrinum: *Denique ad tuam duximus notitiam perferendum, quod* 114
cùm inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc sæculo principaliter affectemus, ut ad recuperationem videlicet terræ Sanctæ ac reformationem universalis Ecclesiæ valeamus intendere cum effectu, hoc ad exequendum prædicta de fratrum nostrorum consilio prævidimus faciendum, ut scilicet, quia hæc universorum fidelium communem statum respiciunt, generale Concilium juxta priscam sanctorum Patrum consuetudinem convocemus opportuno tempore celebrandum, in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos excessus & mores reformandos, eliminandas hæreses, & roborandam fidem, sopiendas discordias & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fovendam, inducendos principes & populos Christianos ad succursum & subsidium terræ sanctæ tam à Clericis quàm laicis impendendum.

Vix ullus est alius Pontifex; qui Conciliorum generalium necessitatem magis asseruerit.

Testimonium Gregorii X.

XXXIII. GRegorius X. in indictione Lugdunensis Concilii majorum vestigiis sic insistit: *Ad quod cùm nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus & devotè speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto & frequenti tractatu prehabito, prout tanta necessi-*

necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale
115 *Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque observationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decernimus congregandum, ut in eo tam circa præmissa, quàm circa cætera, quæ salutem respiciunt animarum, illa Deo auspice communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur.* Quid clarius? Quid ad probandam Conciliorum necessitatem efficacius?

Testimonium Clementis V.

XXXIV. CLemens V. iisdem verbis, quibus Gregorius X. Conciliorum necessitatem exprimit in Epistola, quam ad Philippum Francorum Regem dedit. Nam ibi generalis Concilii necessitatem adstruit, ut Templariorum discutiatur negotium, cujus gratia, *Christianitatem totam dolere* ait. Sic autem scribit: *Ad quod cùm nos sufficere commodè non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devotè speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum eisdem fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exactè & frequenti tractatu præhabito, prout causa necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio universale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longæque observationis exemplum nos instruit, à proximis Calend. Octobris ad duos annos immediatè sequentes decernimus congregandum, ut in eo tam circa dictum Ordinem (* Templariorum *) & personas singulares, & bona ejusdem & alia,*
116 *quæ statum tangunt fidei Catholicæ, quàm circa recuperationem & ordinationem, & stabilitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, & libertatem earum, illa Deo auspice communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur.*

Testimonium Martini V.

XXXV. MArtinus hinc frequentis generalium Conciliorum celebrationis necessitate persuasus, inde Constantiensi Concilio morem gerens, generale Concilium Papiæ antè indicit, quàm Constantiense solveretur. Sic autem in sessione XLIV. indicit: *Martinus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Cupientes ac volentes decreto hujus generalis Concilii satisfacere, inter alia disponenti, quòd omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii approbante & consentiente Concilio deputare & designare teneatur pro loco dicti proximè futuri Concilii celebrandi supradicti, eodem consentiente & approbante Concilio civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, & etiam assignamus, statuentes & etiam decernentes, quòd prælati & etiam alii, qui ad generalia Concilia debent convocari, tempore prædicto civitatem ipsam Papiensem accedere teneantur,* &c. *Datum & actum Constantiæ,* &c. III. *Calend. Maii Pontificatus nostri anno* I.

Cum anno MCCCCXXIII. Papiæ celebraretur Synodus, pestis ibi grassari cœpit, & eam ob causam Senas translata est. Quo in loco Synodum generalem indicit, quæ Basileæ post septennium haberetur. Hæc autem omnia cum ita sint, Martinus omnino credebat, generalia Concilia ad sanciendam & fidem & Ecclesiæ disciplinam requiri.

Testimonium Clementis VII. Medicæi.

117 XXXVI. REM decernit in Diplomate, quo ad annum Christi MDXXXIII. generale indixit Concilium, vel certè indicendum esse censuit, cùm ad Franciscum primum Galliæ Regem ita scriberet: *Superiore biennio, sicut tua majestas recordari potest, cùm serenissimum Cæsarem quanquam pro sua inclyta pietate omnia conatum, tamen in conventu Augustano nihil remedii ad hæresim Lutheranorum in Germania tollendam præ illorum obstinatione afferre potuisse audiremus, solùmque Concilii generalis remedium, à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum superesse videremus, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus matura deliberatione ad ipsius Concilii generalis indictionem in Italia & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, id tua Majestati, sicut Cæsari & cæteris Principibus significandum communicandúmque duximus, eámque nostris literis fuimus hortati, ut tam sancto & necessario operi pro tua pietate, & Christianissimi titulo, próque tuorum majorum perpetua consuetudine favere, causámque sanctæ fidei cum tua, si fieri possit, præsentia, aut saltem oratoribus tuis, tuique regni prælatis adjuvare & tueri, & in hoc te & illos interim præparare pro communi officio velles.* Et post alia: *Nos sanè non solum Christiana charitate sed etiam nostri debito muneris, quod à Deo omnipotente accepimus, adstricti, ne tot animas in illa hæresi periclitari, quantum à nobis præstari poterit, ulteriùs sinamus, nostras partes, nostrúmque officium in Principibus omnibus ad ipsum Con-* 118
cilium adhortandis, tunc susceptum, à nobis terrore immanissimi hostis interruptum resumere continuandum censuimus, ut sancta religioni tantis terroribus illic implicita succurramus. Pontifex in his literis ad sanciendas & fidei & morum regulas necessarium esse generale Concilium agnoscit, & à majoribus agnitum & usitatum profitetur.

Testimonium Pii IV.

XXXVII. HIC Pontifex ordinis sui testium seriem claudit in diplomate, quo Tridentinam Synodum confirmavit. Nempe generalem Synodum, qualis Tridentina fuit, non utilem modò, sed & necessariam indicat his verbis: *Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ regimen, tam necessarium ac salutare opus, sicut Pastoralis sollicitudo monebat, divina misericordiæ fiducia perficere aggressi, adjuti pro studio charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum Imperatoris electi, aliorum Christianorum Regum, Rerumpublicarum ac Principum, tandem consecuti sumus, quod nec diurnis nec nocturnis curis elaborare destitimus quódque à Patre luminum assiduè precati sumus.* Sic providentia Dei factum est, ut invitis & repugnantibus Romanæ Curiæ assentatoribus Pontifices ipsi generalia Concilia non salutaria modò seu utilia, sed etiam necessaria judicarent.

Hæc est Apostolicæ circa non utilem modò, sed etiam necessariam Conciliorum frequentationem traditionis linea, quam à B. Petro per intermedios Pontifices usque ad Pium IV. duximus, & ita ni fallor, duximus, ut vix ulla reperiri possit illustrior, aut testa- 119
tior. Nunc videre mihi videor celeberrimum quendam Romanorum Pontificum Cornelii, Julii I. Liberii, Damasi I. Siricii, Innocentii I. Celestini I. Leonis I. Hilari, Felicis III. Gelasii I. Hormisdæ, Bonifacii II. Vigilii, Gregorii I. Theodori, Martini I. Agathonis, Nicolai I. Joannis VIII. Stephani IX. aliàs X. Nicolai II. Alexandri II. Gregorii VII. Urbani II. Pascalis II. Gelasii II. Eugenii III. Alexandri III. Innocentii III. Gregorii X. Clementis V. Martini V. Clementis VII. Pii IV. consessum, cui S. Petrus præsidet, & unâ omnium voce decernit, Conciliorum celebrationem ad sanciendas res fidei & disciplinæ non utilem modò, verum etiam necessariam esse. Consessui huic accedunt Romanus ille Clerus, qui Cypriani tempore, & vacante Sede omni genere virtutis floruit, & quotquot Romani Pontifices cùm initiati sunt, edidere fidei professionem, hanc, quæ in Romanæ Ecclesiæ diurno extat: *Sancta quoque universalia Concilia Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense, & secundum Constantinopolitanum, quod Justiniani piæ memoriæ Principis*

temporibus

temporibus celebratum est, usque ad unum apicem immutilata servare, & unà cum eis pari honore ac veneratione sanctum sextum Concilium, quod nuper Constantino piæ memoriæ Principe & Agathone Apostolico prædecessore meo convenit, medullitùs & plenius conservare, quæque verò prædicaverunt, prædicare, quæque condemnaverunt, ore & corde condemnare, diligentiùs autem & vivaciùs omnia decreta prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæque ipsi Synodaliter statuerunt & probata sunt, con-
120 *firmare & indiminutè servare, & sicut ab eis statuta sunt in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quosque condemnarunt, vel abdicarunt, simili auctoritatis sententia condemnare, disciplinam & ritum Ecclesiæ sicut inveni, & à sanctis prædecessoribus meis traditum reperi, illibatum custodire* profiteor. Hinc dubitare non licet, quin Pontifices obligati sacramento tam justo Nicænæ Synodo paruerint, & annis singulis Concilia, quoad fieri potuit, celebraverint, etiamsi ad nos Conciliorum monumenta omnia non pervenerint. Apprimè noverunt, Leonem magnum observasse *nihil contra reverentiam paternorum canonum, contra Sancti Spiritus instituta, contra antiquitatis exempla,* tentandum esse, & *sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos,* ita custodiendos esse, *ut à regulis præstitutis, nulla aut negligentia aut præsumptione discedatur.* Noverant Leonem, cùm hæc scribit, de Nicænis Canonibus sermonem instituere. Similiter noverant Gelasium de Petri Sede verissimè & sanctissimè pronunciasse: *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* In summa, noverant eam Conciliorum necessitatem, quam plerique Pontifices relati prædicarunt, ingesserunt, & omnium auribus inculcarunt. Quinetiam, in Synodum V. jurando receperunt id, quod ipsa Synodus collatione VIII. omni nobis asseveratione sic affirmat: *Licèt Spiritûs Sancti gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod*
121 *movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmarunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt ad gentes scribentes: Visum est Spiritui Sancto & nobis,* &c. *Sed ut sancti Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis Conciliis utentes communiter de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt certo constituto, quod in communibus disceptationibus cùm proponuntur, quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii.* NEC ENIM POTEST IN COMMUNIBUS DE FIDE DISCEPTATIONIBUS ALITER VERITAS MANIFESTARI, CUM UNUSQUISQUE PROXIMI ADJUTORIO INDIGEAT: SICUT IN PROVERBIIS DICIT SOLOMON: FRATER FRATRI ADJUTORIUM PRÆSTANS EXALTABITUR, SICUT CIVITAS MUNITA. Quibus verbis Conciliorum asseritur necessitas.

Qui veterum Patrum commentarios evolvet, qui Conciliorum volumina replicabit omnia, necessitatem quidem habendorum in Ecclesia Conciliorum assertam inveniet. Sed qui magis, quàm Romani Pontifices asseruerint, reperiet neminem. Deinde Romanos inter Pontifices, qui magis Conciliorum necessitatem probaverint, quàm qui reliquis sanctitate & doctrina præstiterint, reperiet quoque neminem. Cyprianus Conciliorum necessitatem prædicat, sed cum Romano Clero prædicat, ut capite II. retulimus. Concilium Toletanum XI. de Conciliorum necessitate cùm præfatur, asserit, *Si Concilia desint, necesse est, ut vitiis & erroribus continuò repleantur omnia:* Sed Romanos Pon-
122 tifices non vincit. Quinetiam si ad posteriora veniendum sit tempora, Parisienses Theologi, pro Conciliorum auctoritate & necessitate non pugnant fortiùs, quàm Romani quidam Pontifices, quorum sententias recensuimus. Hæc ergo Romanorum Pontificum propria laus est, ut quidquid de Conciliorum utilitate, auctoritate, & necessitate apud alios offenditur, acceptum illis meritò referri possit. Neque verò Pontifices aliter sentire poterant, nisi, quod absit, cum Licinio Christianæ religionis afflictore sentirent adversus Ecclesiam. Qua de re insignis est locus apud Eusebium in libri I. de vita Constantini capite XLIV. Licinius *primùm contra Dei ministros ejus subjectos Imperio, qui nunquam quicquam criminis contra Imperium admisissent, pedetentim, tum & dissimulanter causas astutè & fallaciter confictas aucupari molitus est: Et cùm nullum crimen ipsi suppeteret, nec haberet, quod viris illis omninò posset objicere, legem promulgavit, qua quidem præcepit, ut neque Episcopi inter se de rebus suis communicarent, neque cuiquam illorum copia esset aliquam Ecclesiam in proximo adeundi, neque conventus, aut consilia, aut deliberationes de rebus ad utilitatem ipsorum spectantibus, instituendi. Atque hæc tanquam ansa illi fuit ad nos protervè contumeliosèque tractandos. Aut enim legem violando supplicio obnoxios esse oportebat, aut legis præcepto morem gerendo Ecclesiæ ritus & instituta evertere. Nam magnæ & graves deliberationes de rebus controversis susceptæ non aliter possunt, quàm per rectam Conciliorum administrationem ratione & via procedere.* Ἄλλως γὰρ ἢ δυνατὸν τὰ μεγάλα τῶν σκεμμάτων ἢ διὰ συνόδων κατορθοῦσθαι. *At reverà Dei hostis Licinius, quoniam Constantini Pii Imperatoris institutis contraria metiri decreverat, ejusmodi* 123
exequi contra nos mandavit. Nam ut hic sacerdotes Dei, quò honor illius, quem sanctè colebant, illustraretur, ad pacem studium & mutuam concordiam adducere: Sic ille honesta disturbare machinatus, consentientem Ecclesiæ harmoniam disrumpere divellereque contendit: Nimirum promulgata lege impediens, ne ab Episcopis Concilia celebrarentur. At Sedes Apostolica, ut ex allatis Pontificum testimoniis apparet, non aliter sensit unquam, quàm quod universa tunc per orbem sentiebat Ecclesia; tantùm abest ut cum Licinio conspiret. Fortassis Romanæ Curiæ Adulatores cum Licinio conspirant. Sed Apostolica Sedes, vel Romana Ecclesia, ut apparet, nec conspirat, nec id fecit unquam, quo conspirare judicetur; de Sede inquam Apostolica loquor, non de Romanæ Curiæ Theologis, qui Conciliorum utilitatem Romanis Pontificibus nunquam exponunt, qui de Romanæ Ecclesiæ circa Conciliorum celebrationem traditione nunquam scribunt, qui de Conciliorum necessitate silent.

Reliquum est modò ut expendantur quæ Bellarminus de hoc argumenti genere scripsit, utrum exploratæ Sedis Apostolicæ traditioni consentiat, vel ab ea dissentiat, vel ut aliquando solet, ἀμφοτερίζοι. Hic igitur auctor in libri I. de Conciliis capite IX. celebrandorum Conciliorum causas enumerat sex: hæresim novam, quæ damnetur; excitatum inter Romanos Pontifices schisma, quod tollatur; communem Ecclesiæ totius hostem, cui resistendum sit; hæresis in Romano Pontifice suspicionem, quæ examinetur; de Romani Pontificis electione dubitationem, quæ removeatur; generalem reformationem abusuum & vitiorum, quæ 124
in Ecclesiam irrepunt. Hic silentio prætermittit observationem Nicæni canonis, quo statuitur: *Ut annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrentur.* At in tota Ecclesia nullus fuit Episcopus, qui canonem hunc diligentiùs, quàm Romanus Pontifex executus fuerit. De uno Gregorio VII. cum quibuscumque Episcopis jure experirer. Intoleranda est κρύψις, cujus hic reum se Bellarminus prodit.

Deinde in capite X. lemma hoc: *Concilia generalia utilia esse & suo quodammodo necessaria, non tamen absolutè & simpliciter,* sibi sumit. Quod complicatur certis quibusdam verbis, quæ Romano Pontifici cuicunque secundùm necessitatem Conciliorum pronuncianti fucum facerent. Apud relatos Pontifices testimonium nullum est, nulla sententia, quam Bellarminus per istud,

non

non simpliciter, sed suo quodam modo necessaria, non enervet, & à proposito non deflectat. Verba sunt Academiæ volaticæ, ubi pro arbitrio quidvis negatur vel asseritur, non disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ simplici, nuda, & communi oratione declaratur. Non ita loquuntur Pius IV. & Clemens VII. Non ita loquitur Synodus V. quam recipientes Pelagius II. Gregorius I. & alii suam fecerunt, & id cum primis, quod mox in medium adduxi.

Bellarminus lemma suum confirmat *ex eo, quod primis trecentis annis caruit Ecclesia Conciliis generalibus, nec tamen periit.*

Et primò quidem argumentum hoc urget Romanos Pontifices, in quorum gratiam de Conciliis generalibus scribit, & eorum necessitatem minuit.

125 Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Liberius sic ad Constantium scribit, ut necessarium esse Concilium significet: *Ego, religiosissime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita interna dispositione fallacia, sed præceptis evangeliorum rationabiliter confirmata: non Athanasii tantùm negotium, sed multa alia in medium venerant, propter quæ Concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus.*

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Innocentius I. ad Clerum & populum Constantinopolitanum scribit: *Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam jam antea congregandam diximus: ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest, quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei, ac Christi Domini nostri.*

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Leo & Romana Synodus ad Theodosium scribunt: *Ecce ego, Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis adeò supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.*

126 Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Synodus V. quam Romani Pontifices approbarunt, ingenuè profitetur in Collatione VIII. *non posse aliter quàm in communibus de fide disceptationibus* (quæ in generali fiunt Concilio) *veritatem manifestari.*

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Gregorius magnus ad Joannem Constantinopolitanum scribit: *Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur corripere studui; nunc per meipsum scribo; quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere.*

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Nicolaus I. scribit ad Episcopos Galliæ: *Alioqui vestram fraternitatem ad nos convocandi, & pariter de hujusmodi quæstionibus tractandi, nobis erit omnino necessitas, ut videlicet juxta pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud sanctum Petrum convenientes communes Ecclesiæ calumnias repellamus.*

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Gregorius VII. in libri I. Epistola XLIII. scribit ad omnes Episcopos Mediolanensis provinciæ: *Nos itaque hujus celebritatis hoc tempore causam valde necessariam considerantes in prima hebdomada quadragesima Synodum* (generalem) *annuente Deo celebrare disposuimus.*

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Innocentius III. scribit ad Philippum Augustum, Regem Galliæ: *Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid ten-* 127
taremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri nobis periculum immineret.

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Gregorius X. in indictione Lugdunensis Concilii II. scribit: *Ad quod cùm nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei*, & cætera, quæ num. XXXII. retulimus.

Bellarminus dicit, *generale Concilium non esse simpliciter necessarium*, sed Clemens VII. ad Franciscum primum Regem Galliæ, scribit, *Concilii generalis remedium superesse solum*, quo Lutheranorum hæresis e Germania tollatur; & Pius IV. asserit Trid. Concilium fuisse *opus salutare & necessarium.*

Tum Bellarminus in variis rei necessariæ acceptionibus ludit, & in his verbis, *Concilia generalia suo quodam modo necessaria, non tamen simpliciter & absolutè*, præstigiosam quandam machinam constituit, in qua nunc se prodit in lucem, nunc se occultat, & tandem Conciliorum generalium frequentationem redigit ad simplicem & absolutam rerum naturalium conditionem, quæ summa est in philosophando fallacia: Quippe alius est rerum mortalium status, quo æstimanda sit generalium Conciliorum celebratio, alius rerum naturalium status, ubi *quod absolutè & simpliciter necessarium est*, perpenditur. Fraus illa & tergiversatio si de Bellarmini disputatione detrahatur, disputatio hæc veluti magno quodam labefactata motu concidet, & operis auctor pone siparium ab omnibus argumentis vacuus & nudus apparebit.

Denique primis Ecclesiæ annis trecentis generalia 128
Concilia fuerunt necessaria, sed ne tunc temporis calamitosissimi fierent, horrendæ Christianorum vexationes obstiterunt. Uno verbo necessaria fuerunt semper Concilia generalia, sed ea non potuerunt semper congregari, & quo tempore congregari potuerunt, & ut congregarentur, fuit operæ pretium, congregata sunt, ut inter omnes de Nicæno Concilio liquet. Quæ rerum momenta quatuor cùm Bellarminus dissimulet; dolo malo sic statuit: *Primis trecentis annis caruit Ecclesia Conciliis generalibus, nec tamen periit. Quemadmodum enim annis illis CCC. Ecclesia sine Conciliis generalibus incolumis mansit, sic etiam potuisset sine dubio aliis CCC. & rursus aliis DC. atque aliis mille permanere. Nam non defuerunt illo etiam tempore multæ hæreses, multa schismata, multa vitia atque abusus; quæ tamen omnia Ecclesiam Catholicam, tametsi Conciliorum generalium præsidio destitutam opprimere non potuerunt.*

Sic igitur dolo malo statuit, cùm quod vir sincero animo præditus libenter agnosceret, non agnoscit. Trecentorum annorum illorum intervallo celebrata sunt diversis in locis Concilia, & prout Imperii barbaries tulit, nunc parva, nunc sat magna; quæ generalibus plerisque æquiparari possent. Cujus rei exemplum est de celebrando Paschali die illustrissimum, quod Eusebius in libri V. historiæ capite XXII. ita recenset:
Idcirco Concilia & conventus Episcoporum in unum cogebantur, & omnes una sententia decretum Ecclesiasticum,
nempe ut non alio die aliquando, quàm Dominico mysterium Domini resurrectionis à mortuis celebraretur, & ut 129
in hoc solo jejuniorum, quæ circiter Pascha fieri solent, finem faceremus, per literas ad omnes Ecclesias scriptas ratum faciebant. Decretum autem Episcoporum, qui tum erant in Palæstina convocati, ad hanc usque ætatem scriptis custoditum est. In quorum Synodo Theophilus Cæsariensis Ecclesiæ Episcopus, & Narcissus Episcopus Hierosolymorum, præsides fuerunt. Aliud etiam est Episcoporum, qui Romæ similiter conveniebant, de eadem controversia statutum: Quod quidem Victorem id temporis Episcopum

fuisse declarat. Aliud item Episcoporum Ponti, quibus
Palmas utpote antiquissimus & maximè venerandus præsi-
debat. Aliud Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat
Episcopus. Aliud porro Ecclesiarum, quæ Osroenam &
reliquas in eo loco civitates incolebant. Aliud separatim
Bacchylli Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi: Et alia denique
aliorum propè infinitorum, de quibus uno consensu, judi-
cióque uno eandem de illius festi observatione tulere senten-
tiam. Atque istorum omnium una hæc, quam docuimus,
consentiens erat decisio. Nonne provincialia Concilia
hæc omnia, generali æquantur Concilio? Nonne uni-
versam idoneè repræsentant Ecclesiam, si præsertim
attendantur cùm multitudo Præsulum, tum disjunctis-
sima, maximéque diversa loca, in quibus provincialia
Concilia fuerunt coacta?

Deinde Eusebius Antiochenum Concilium, quod
Pauli Samosateni confixit hæresim, & Paulum de Sede
sua dejecit, in libri VII. historiæ capite XXII. ita scri-
bit: *Interea Demetriano Antiochiæ vitam deserente Pau-*
lus ex Samosata Episcopatus dignitatem assequitur. Et
130 *quoniam iste abjectam & humilem nimis de Christo contra*
doctrinam Ecclesiasticam habebat opinionem, nempe quòd
solùm communi natura erat cum homine præditus, Dyonysius
Alexandrinus rogatus est, ut veniret ad Synodum; qui
quanquam senectutem simul & imbecillitatem corporis cau-
sando præsto esse renuit, per Epistolam tamen illos quam ha-
bebat de controversia sententiam fecit certiores. Cæteri au-
tem Ecclesiarum Pastores, alius aliunde, contra istum Pau-
lum tanquam pestem & perniciem gregis Christi itinere cum
celeritate confecto, omnes Antiochiæ in unum convenerunt.
Inter hos maximè præstare videbantur Firmilianus Cæsa-
reæ Cappadocum Episcopus, Gregorius & Athenodorus fra-
tres Pastores Ecclesiarum, quæ sunt in Ponto; Helenus
præterea, qui Tarsi rexit Ecclesiam, & Nicomas, qui Ico-
nii Ecclesiæ ministerio functus est. Huc accedit Hymenæus
Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus, & Theotecnus, qui
Cæsareæ Palæstinæ, Hierosolymis finitimæ, administratio-
nem obtinuit. Adde his Maximum, qui fratribus Bostræ
decorè & insigniter præfuit. Ac tametsi alios penè infi-
nitos Episcopos unà cum Presbyteris & Diaconis, qui ejus
rei gratia in urbe suprà demonstrata, id temporis coacti
erant, vix ac ne vix quidem aliquis poterit enumerare,
inter eos tamen hi quos dixi facilè primas tenuerunt. At
enumerari possunt, qui primis Tridentini Concilii sessi-
onibus intersuerunt. Concilium istud Antiochiæ cele-
bratum est anno CCLXVI.

Sed quoniam ibi cum Paulo actum est mitiùs, con-
vocandum fuit anno CCLXXII. aliud Concilium, quod
idem scriptor ita describit in ejusdem libri historiæ ca-
pite XXIII. *Paulus dux & auctor erroris, qui Antiochiæ*
131 *grassabatur, in postremo Concilio Episcoporum numero*
propè infinitorum contra eum convocato, sui erroris &
peregrinæ opinionis omnium jam consensu palam con-
demnatus ab universa & Catholica Ecclesia, quæ sub
cælo est, penitus exturbatus fuit. Mox in capite XXIV.
Omnes igitur Episcopi & Pastores, qui in Concilio suprà
commemorato erant convocati, unam communi consensu Epi-
stolam ad Dionysium Romanum Episcopum, & ad Maxi-
mum Alexandriæ Ecclesiam procurantem nominatim con-
scripserunt.

Hilarius Pictaviensis Episcopus magis definitè, quàm
Eusebius de numero Episcoporum Antiocheni, seu pri-
oris seu posterioris Concilii loquitur, cùm in Epistola
de Synodis Episcopos octoginta huic interfuisse ait:
Malè intelligitur homousion, quid ad me bene intelligen-
tem? Malè homousion Samosatenus confessus est, sed nun-
quid Ariani meliùs negaverunt? Octoginta Episcopi olim
respuerunt, trecenti decem & octo nuper receperunt. Bel-
larminus non advertit generale haberi Tridentinum
Concilium, etiamsi sessionibus nonnullis octoginta Epi-
scopi non interfuerint. Hoc inquam Bellarminus non
advertit, quò faciliùs sua de non necessitate Concilio-
rum placita constitueret.

Niceni Patres persuasi necessaria esse Concilia, de-
creverunt, ut quotannis in unaquaque provincia Sy-
nodi semel atque iterum celebrarentur, quæ omnes
universalibus Synodis non possent non æquiparari, ma-
ximè si universalis Synodus celebrari commode non
posset. Ad hanc observationem Bellarmini extabescit
opinio, qua Concilia non esse absolutè necessaria me-
taphysicis suis & formalibus argutiis per repetitam to-
ties annorum trecentorum subductionem contendit, ex- 132
positam à nobis Sedis Apostolicæ traditionem oppu-
gnat, & refigit curas & cogitationes omnes, quas re-
lati suprà Pontifices Romani in congregandis iden-
tidem Synodis suo quisque tempore confixerunt.

Porro autem non semper necesse est, ut jam monui-
mus, universalia congregari Concilia, vel etiam alia
plura, quæ tantundem essent. Et primò quidem ne-
cesse non est universale Concilium cogi, cùm redaccen-
ditur hæresis, quæ ab universali Concilio jam extincta
est, ut laudati Pontifices Felix III. & Gelasius I. nos
docent: Deinde quando hæreseos materia tam omnium
auribus & animis absona est, ut sponte sua dissiliat, vel
quando hæreseos auctores magni non sunt in Ecclesia
nominis, & manu levissima comprimuntur, vel ab Ec-
clesiasticis tractatoribus & diœcesanis Episcopis, qui
contra illos scribunt, vel à provincialibus Synodis, quas
Episcopi celebrant. Apud Philastrium, Epiphanium,
Augustinum, Hyginum, Theodoretum exempla hære-
seon & hæreticorum ejusmodi occurrunt. Ex Hygino
notabo pauca, quæ ad provinciales Synodos spectant.

XV. *Colarbasiana hæresis à Colarbasio adinventa. Vi-*
tam omnem hominum in septem stellis esse positam adfirma-
bat, & has esse septem Ecclesias & septem Candelabra au-
rea conabatur adstruere. Hunc sanctus Theodotus de Per-
gamo Episcopus habita Synodo septem Episcoporum anathe-
matizavit, docens septem Ecclesias in septiformi Spiritu
consecratas,&c.

XVI. *Hæresis Heracleonitarum ab Heracleone adin-*
venta est, qua baptizatum hominem sive justum sive pecca- 133
torem loco sancti computari docebat. Et paullo pòst: *Hic*
in partibus Siciliæ inchoavit docere. Contra hunc suscepe-
runt Episcopi Siculorum, Eustachius Lilybæorum, & Pa-
normæorum Theodorus, quique omnium, qui per Siciliam
erant, Episcoporum Synodum exorantes gestis eum audire
decreverunt, & universas assertiones ejus dirigentes ad san-
ctum Alexandrum urbis Episcopum rogaverunt, ut ad eum
confirmandum aliquid ordinaret.

XVII. *Hæresis Ophitarum est hæc: Habent colubrum*
assuetum eorum panes lingua lambere. Atque ita ex se ve-
lut Eucharistiam sanctificare. Quem colubrum suum Chri-
stum appellant. Contra hunc susceperunt Bithyniæ provin-
ciæ Sacerdotes, id est, civitatis Calchedoniæ & Nicome-
diæ Episcopi Theocritus & Evander; & confutantes eos
publicè superarunt.

XVIII. *Hæresis Caianorum est hæc: Cain honorant,*
dicentes eum fortissimæ esse virtutis. Simul & Judam tra-
ditorem divinum aliquid putant, & scelus ejus beneficium
deputant, asserentes eum præscisse, quantùm esset generi hu-
mano Christi passio profutura, & occidendum Judæis pro-
pterea tradidisse. Hos ortos esse Mesopotamiam Ecclesiarum
Syriæ Sacerdotes, ad cæteros suos Episcopos conscripserunt:
quos triginta & duo Episcopi apud Antiochiam residentes
cum ejusdem urbis Episcopo Theodoro in præsenti confutatos
damnaverunt.

XXIII. *Hæresis Cerdonianorum à Cerdone capit exor-*
dium, qui duo principia sibi adversantia dogmatizavit.
Et paullo pòst: *Contra hunc suscepit sanctus Apollonius*
Episcopus Corinthiorum, eúmque omni cum Synodo Orien-
tali damnavit.

LIV. *Hæresis Aetianorum ab Aetio dicta. Hi cum Euno-* 134
mio dissimilem per omnia Patri Filium confitentur, & di-
cunt, Quicunque nostræ fidei consentiunt, sciant sibi nulla
obesse peccata, quæcunque fuerint ab eis perpetrata. Con-
tra hos Synodus XX. Episcoporum egit in Achaia.

LV. *Hæresis Apollinaristarum est ab Apollinare incho-*
ata. Negant hominem perfectum in Christo, sed assump-
tionem

tionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima divinitas esset. Infra: *Egit contra hunc Synodum in Antiochia.*

His exemplis instruimur, semper in Ecclesia Dei fuisse persuasum, ad hæresem & hæreticorum, qui alicujus essent nominis, confutationem Synodos requiri. Quocirca nemini mirum videri debet, Licinium, Christianorum hostem infensissimum reputasse secum, fore, ut si tollerentur ab Ecclesia Synodi, religio sancta funditus extirparetur. Quæ omnia si Bellarminus planè novisset, non dubito, quin vir optimus de Conciliorum necessitate scripsisset aliter quàm scripsit, & derivatam ab initio Sedis Apostolicæ traditionem, quæ si ulla alia, monumentis splendescit suis, adamasset maximè, & pugnacissimè defendisset. Profectò nos illo levasset onere, quod ingenita naturæ tuæ humanitas & dignum Parisiensi Theologo studium, mihi tametsi ferendo non sim, imposuit. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Calend. Quintilib. an. MDCLXV.

Joannes Launoius
MARTINO METAYERO
Parisiensi Theologo.

Ebroicas.

1 QUO primùm tempore propositio hæc, *loqui seu pronunciare ex cathedra,* in usu esse cœpit, & quid apud Theologos significet, percontaris. Hic ut apparet, me percontaris de duobus, quæ tamen nonnihil inter se connexa sunt. Ego percontanti tibi de duobus illis sigillatim ut potero, respondebo. Nonnihil inter se connexa esse duo illa dico, quia istud *loqui & pronunciare ex cathedra,* si per seipsum consideretur, docere est. Siquidem docendi munus cathedrâ designatur. At docendi munus in Ecclesia semper fuit. Quod & monumentis publicis testatum reperitur. Eusebius in libri v. hist. cap. x. scribit: *Eodem tempore* (sub Commodo) *Pantænus vir omni humaniori literatura præstantissimus, institutioni Christianorum illic præficitur: Quo quidem in loco consuetudine ab antiquis temporibus ducta, sacrarum literarum schola habebatur, quæ est ad nostram usque ætatem continuata: Quam sanè ab hominibus cùm politiore doctrina & eloquentia mirè instructis, tum sacrarum literarum studio probè exercitatis frequentatam accepimus.* Et quibusdam interpositis: *Iste Pantænus propter multa rectè facta & virtutes eximias tandem Scholæ illi Alexandrinæ præficitur, ἡγεῖτο διδασκαλεῖον, qui tum sermone coram, tum scriptis divinorum institutorum & religionis tanquam thesauros hominibus proposuit.*

2 Hieronymus in libri de viris illustribus capite XLV. *Pantænus,* inquit, *Stoica sectæ Philosophus juxta quandam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi à Marco Evangelista semper Ecclesiastici fuere Doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in Scripturis divinis, quàm in sæculari literatura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ Episcopo mitteretur.* Et post alia: *Docuit sub Severo Principe, & Antonino cognomento Caracalla.*

Hæc Eusebius & Hieronymus de Pantæno, cui apud eosdem scriptores Clemens Alexandrinus successit. Qua de re sic primùm Eusebius loquitur in libri VI. hist. cap. V. *Post Pantænum Clemens Scholæ Alexandriæ ad fidei principia docenda institutæ, ad illud ipsum tempus, quod jam persequimur, præfuit. Sic, ut Origenes dum puer erat, adjutor ejus ac discipulus existeret.*

Hieronymus in ejusdem libri de Viris illustribus capite XLVII. *Clemens,* inquit, *Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, Pantæni, de quo suprà retulimus, auditor, post ejus mortem Alexandriæ Ecclesiasticam Scholam tenuit, & κατηχήσεων magister fuit.*

Nunc veniendum est ad Origenem, de quo Eusebius in libri VI. hist. cap. III. scribit hoc modo: *Atque cùm ludum aperuisset, séque ad docendum (sicut in suis scriptis narrat ipse de se) contulisset, & nemo jam Alexandriæ reliquus esset, qui ad populum in fidei principiis instituendum operam daret, (omnes enim doctores terror & persecutionis minæ prorsus inde abegerant) nonnulli ex gentibus Dei verbum audituri ad eum commeabant. Quorum Plutarchum primum fuisse fertur, qui vita honestè & præclarè transacta, mortem per beatum marty-* 3
rium insigniter & gloriosè oppetiit: Secundum verò, Heraclam, germanum Plutarchi fratrem, qui cùm præclarum vitæ, divinæ sapientiæ studio addictæ, & piæ exercitationis specimen apud illum dedisset, post Demetrium Alexandriæ Episcopatu donatus est. Hæc Origenes cùm vix adhuc decimum septimum ætatis suæ annum complevisset, ut antè tradit Eusebius, qui & sic persequitur: *Origenes decimum octavum ætatis suæ annum jam agebat, cùm Scholæ Christianæ institutioni præficiebatur: In quo munere exequendo dum persecutionum violentia, Aquila Alexandriæ præfecturam gerente, vehementer ingravescebat, permagnos sanè fecit progressiones: Quo quidem tempore etiam propter incredibilem humanitatem erga omnes sanctos Martyres cùm ignotos, tum notos declaratam, & propensum de illis bene merendi studium, insignem cum primis & celebrem nominis splendorem apud omnes, qui fidem Christianam profitebantur, consecutus est.* Et quibusdam interjectis: *Nec mirum sanè eum tantam hominum frequentiam ad fidem convertisse, cùm vita sua actiones & officia valde admirabilia sincerissima & maximè ingenua sapientiæ documenta complecterentur. Nam ut est in proverbio, qualis ejus fuit oratio, tales fuere & mores, & quales mores, talis fuit & oratio. Quapropter divina virtute & potentia illi cum primis opem ferente infinitos propè ad se imitandum allexit. Verùm ubi jam plures discipulos, cùm sibi uni illud docendi munus à Demetrio (qui Ecclesiæ illi tum præfuit) haberet concreditum, in dies ad se confluentes animadvertit, existimans Grammaticarum præceptionum institutionem parùm consentaneam esse studio illi, quod in divinis docen-* 4
dis versari debet, abjecta cunctatione, Grammaticæ instituendæ exercitationem, utpote sacris literis tractandis inutilem, & propè adversariam deposuit.

Hieronymus in ejusdem libri de Viris illustribus cap. LXIII rem Origenis sic attingit. *Hic Alexandriæ dispersa Ecclesia decimo octavo ætatis suæ anno κατηχήσεων opus aggressus, postea à Demetrio ejus urbis Episcopo in locum Clementis presbyteri confirmatus, per multos annos floruit.* Et paullo pòst: *Constat eum antequam Cæsaream migraret, fuisse Romæ sub Zephirino*

Episcopo,

Episcopo, & statim Alexandriam reversum, Heraclam presbyterum iterum qui sub habitu philosophi perseverabat, adjutorem sibi fecisse [Greek illegible]. *qui quidem & post Demetrium Alexandrinam tenuit Ecclesiam.* Hæc de multis quæ congerere difficile non esset, pauca; ut interim perspicias, jam inde ab initio fuisse in Ecclesia, qui de cathedra loquerentur, seu pronunciarent, id est, docerent. Cùm Marci discipuli decessores Pantæni, cùm Pantænus ipse, cum Clemens, cùm Origenes, cùm Heraclas Alexandriæ populos ad Christianam religionem informabant, cùm vera illius præcepta docebant & explanabant, nonne de Marci & hujus successorum cathedra loquebantur? Nonne pronunciabant? Id autem si presbyteris, si diaconis, si inferioris tandem ordinis hominibus conveniebat, Episcopis non poterat non convenire. Hinc quia Episcopi ex officio & beati Pauli lege doctores esse debent, cathedras habent, è quibus palam loquantur, & quid ad vitam rectè instituendam requiritur, pronuncient.

5 Exinde apud Tertullianum in lib. de præscr. hæret. cap. XXXVI. *Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia, habes Corinthum, si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est.*

Deinde apud Cyprianum in Epistola LII. ad Antonianum legimus: *Cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret.* Et paullo pòst: *Tum deinde post Episcopatum non exambitum, nec extortum, sed de Dei, qui Sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso suscepto Episcopatu suo virtus? Quantum robur animi? Qualis firmitas fidei? Quod nos simplici corde & perspicere penitus & laudare debemus; Sedisse intrepidum Romæ in Sacerdotali cathedra eo tempore, cùm tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur.*

Tum apud Optatum Milevitanum Episcopum in libro I. contra Parmenianum legimus: *Nec Cæcilianus recessit à cathedra Petri vel Cypriani, sed Majorinus.* Iterum in libro II. *Et videndum est ubi sint quinque dotes, quas tu sex esse dicis. Inter quas, cathedra est prima, ubi nisi sederit Episcopus, conjungi altera Dei non poterit, qui est annulus: Videndum est, qui & ubi prior cathedra sederit:* Et paullo post: *Vestræ Cathedræ vos originem reddite.*

Postremò apud Hieronymum in libri de Viris illustri-
6 bus cap. LXIX. legimus: *Novatianus Romanæ urbis presbyter adversus Cornelium Cathedram Sacerdotalem conatus invadere.* Ad Cornelium jure pertinebat sacerdotalis cathedra, quam Novatianus invaserat. Ex his ergo aliisque Patrum testimoniis & tibi & mihi constare oportet, unumquemque Episcopum suam habere cathedram, ex qua loquitur ac pronunciat, dum commissos sibi à Deo populos Christianis institutionibus imbuit. Habet autem ab Apostolis, quibus succedit.

Huc spectat Bracarense Concilium primum, ubi *omnes Episcopi dixerunt* adversus Priscillianistas: *Valde necessaria est horum capitulorum lectio, ut dum simplicioribus quibusque pristina sanctorum Patrum instituta panduntur, abominata jam olim à Sede Beatissimi Petri Apostoli, & damnata Priscilliana hæresis figmenta cognoscantur.* Et post capitulum X. *Præcipuè cùm & de cæteris quibusdam causis instructionem apud nos Sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationem quondam venerandæ memoriæ prædecessoris tui Profuturi ab ipsa beati Petri cathedra directa est:* Scilicet Profuturus Bracarensis Episcopus acceperat documenta, quæ Romanus Pontifex eo interrogante de Petri cathedra pronunciaverat.

Gregorius I. qui anno post Bracarense Concilium XXVII. ad Romanam Ecclesiam accessit, locutione hac, *De Petri sede seu cathedra loqui*, semel atque iterum & tertiò utitur, et ei de certo quodam alio sensu accommodat: Semel quidem in libri VI. Epistola XXXVII. ad Eulogium Alexandrinum Episc. *Suavissima*, inquit, *Sanctitas vestra multa in Epistolis suis de Sancti Petri Apostolorum principis cathedra locuta est, dicens, quòd in ea nunc usque in successoribus suis sedeat.* Iterum post pauca: *Sed cuncta, quæ dicta sunt in eo libenter accepi, quòd* 7
ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet. Tertiò in libri VIII. Epistola XLII. ad Eulogium Alexandrinum Episcopum: *Et gaudeo, quia ubi vos adesse contingit, me non arbitror defuisse. Nam veritatis minister Petri sequax, & sanctæ Ecclesiæ prædicator scit, quia illa sic loqui potuisti, quæ de Sede Petri Apostoli per os Doctoris sonare debuerunt.* Eulogius de Petri cathedra loqui dicitur Gregorio, quia Eulogius verum loquitur. Atque ita Gregorii verba parœmiæ cujusdam speciem præ se ferunt, qua qui verum dicit, Petrus per os illius loqui dicitur, vel de Petri cathedra locutus dicitur. Exemplis rem patefacio. Ecclesiastes dum concionatur egregie, vel convenientem beati Pauli documentis sermonem habet, Paulus ore illius locutus asseritur, vel etiam Paulus alter vocatur, & tamen dicendus non est universim non errandi privilegio gaudere, sicut nec universim gaudet Eulogius, tametsi de Petri cathedra loquatur.

Huc spectat factum Conciliorum, ubi ita Pontificibus, sicut & Magistratibus & Principibus acclamatum est: In Calchedonensis Synodi actione III. postquam Synodica Leonis Papæ Epistola perlecta est, acclamatur hoc modo: *Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides: Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui non ita credit, Petrus per Leonem ita locutus est:* [Greek illegible]. Deinde in actione XII. sic judicibus acclamatur: De Bassiano & Stephano Episcopis: *Gloriosissimi judices dixerunt: Omnibus examinatis de Bassiano & Stephano reverendissimis, relectis etiam canonibus dicat sancta Synodus de Episcopatu Ephesio, quid ei videatur. Reverendis-* 8
simi Episcopi clamaverunt: Justitia Bassianum vocat, regula valeant. Gloriosissimi Judices dixerunt: Nobis quidem videtur, neque Bassianum reverendissimum dignum existere, ut sit Ephesiorum civitatis Episcopus, quoniam ex invasione violenta Episcopatum sibimet vindicavit, neque Stephanum reverendissimum Episcopum, qui per conjurationes & tales adinventiones Episcopatum sibimet acquisivit, justum verò esse, ut eligatur alius, qui & fidem integrè sciat, et vita noscatur ornatus, ut esse possit Episcopus. Totum autem sancto Concilio relinquimus, quatenus sententiam, quæ in hac causa fuerit visa depromat. Sancta Synodus clamavit: Hæc justa sententia est, hoc Dei judicium est, Christus judicavit causam: Deus per vos judicat, hæc sententia Christi est. Hic animadverti meritò potest, Calchedonensem Synodum magnificè quidem Leoni, sed judicibus acclamare magnificentiùs, ut collata inter se mutuò acclamationum verba perspicuè demonstrant.

Tum in Synodo VI. Constantino Imp. IV. sic acclamatur: In actione VIII. *Sancta Synodus exclamavit: Constantino magno Imperatori multos annos, orthodoxo Imperatori multos annos, Conservatori orthodoxæ fidei multos annos.* Et infrà: *Nos famuli imperatoris Agathoni orthodoxo Papæ Romano multos annos.* Rursus in actione XVI. *Exclamaverunt universi multos annos Imperatori. Constantino magno Imperatori multos annos. Conservatori rectæ fidei multos annos. Firmamentum Ecclesiarum Domine custodi, conservatorem fidei Domine conserva. Agathoni Papæ Romano multos annos.* Iterum post subscriptiones: *Constantinus Imperator dixit: Edicat sanctum & universale Concilium, si cum consensu omnium* 9
Episcoporum promulgata est definitio: Sanctum Concilium exclamavit: Omnes ita credimus.∴ Multos annos Imperatori. Integritates duarum naturarum Christi tu declarasti,

rasti, luminarium pacis Domine conserva. Marciano novo Constantino æterna memoria. Novo Justiniano Constantino æterna memoria. Omnes hæreticos tu effugasti, deletorem hæreticorum Domine conserva.:.:Per te universalis Ecclesia pacificata est. Denique in sermone acclamatorio: *Christus per vos Ecclesiis suis pacem delegit impertiri.* Quis modò propter acclamationes hujusmodi reciperet, & illos judices qui Calchedonensi Concilio interfuerunt, & Constantinum IV. nec errare simpliciter nec falli posse? Acclamationes illæ in subjecta designantur materia, nec inde ad quidlibet aliud in quocunque eventu conficiendum refigi possunt aut debent.

Sic ergo Gregorius, cùm Eulogium de Petri cathedra locutum dicit, materiam, de qua sermo erat, respicit, non personam, quæ cum de Petri cathedra loquitur, hinc certò & sine ullo erroris periculo ac formidine loquatur. Cùm Eulogius verum dicit, de Petri cathedra loquitur, cùm verò falsum, de Petri cathedra non loquitur; atque ita singulare, non commune loquendi privilegium est.

Nunc à Gregorio I. veniendum est ad Gregorium II. qui locutione idem sonante, vel simili dissimiliter uti mihi videtur. Res ita se habet in Epistola XIII. ad Bonifacium Episcopum, ubi variis interrogationibus respondet, & hoc pacto præfatur. *In iisdem literis quædam subnexuisti capitula sciscitando qualiter teneat vel doceat*
10 *ceat hæc sancta Apostolica Romana Ecclesia: Bene fatis, quia beatus Petrus Apostolus, & Apostolatus & Episcopatus principium extitit, & consulentis tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis quasi ex nobis, sed ejus gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam, dicimus.* Hic Gregorius II. verbis pluribus comprehendit atque exprimit quod Gregorius I. paucioribus: Sed non eodem prorsus sensu, atque hoc ita esse, magis, qui magis consideraverit, judicabit. Non errandi privilegium videtur exponere, quod Romanus Pontifex sibi tribuat. Sed id Bellarmino minimè placet in responsione ad Capitulum III. quod est hujusmodi: *Nam quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis; bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.* Bellarminus postquam capitulum hoc in libri IV. de Pontifice cap. XII. sibi objecit, inter alia sic respondet. *Ideo posset etiam dici cum eadem glossa in 32. q. 7. can. propos. Pontificem loqui de quacunque infirmitate, sed non concedere aliud conjugium tanquam justum, sed tanquam minus malum. Minus enim malum videtur, ut aliquis unam tantùm concubinam habeat, quàm ut cum multis aliis passim scortetur. Vel certè Pontificem ex ignorantia lapsum esse, quod posse Pontificibus accidere non negamus, cùm non definiunt aliquid de fide; sed solùm opinionem suam aliis de-*
11 *clarant, ut hoc loco videtur Gregorius fecisse.* Hæc Lugdunensis editio anni MDXCVI. & præcedentes aliæ. In quibus Gregorius, & si credimus Gregorio, Deus ipse, cujus gratia id quod consulenti Bonifacio respondet, respondere se scribit, durissimè tractantur. Scilicet nisi Deo, certe Gregorio soli tribuenda est responsio, quam mox retulimus, & quam satis male habet. Cùm igitur Bellarmino judice Gregorius in responsione sua erret, quis ex Gregorii præfatione non errandi privilegium colligeret? Et sanè quò magis in eam præfationem inspicio, eò magis me Bellarmini dictata percellunt ac perturbant. Verùm hic dissimulandum est nihil. Bellarminus cum temporis progressu vidisset, dictatis istiusmodi suam de Pontificio non errandi privilegio sententiam incommodatum iri, dictata illa sustulit in posterioribus operum editionibus, & hæc alia in locum illorum substituit · *Deinde dico Gregorium non loqui de quacunque imbecillitate, sed de impotentiâ perpetua & naturali, per quam est inepta ad conjugium mulier. Talia enim conjugia si ex errore contracta sint, censentur non esse conjugia, & Ecclesiæ judicio solvuntur, ut habemus in decretalibus tit. de frigidis cap. ex literis: Ita respondet glossa in 20. dist. can. de libellis.* Et paullo pòst: *Pontifex dat consilium, non præceptum, ut eam quæ videbatur fuisse uxor, adhuc sustentet, si providentia ejus indigeat, cùm nulla ipsius culpa acciderit, ut uxor illius esse non posset.* Ne in dictatis prioribus perseveret, apertam vim facit Gregorianæ ad Bonifacii interrogationem responsioni, quæ per seipsa lucet. Non agitur de impotentia, quæ à natura sit, sed quæ matrimonio jam contracto ex infirmitate supervenerit. Deinde cùm ait: *Non tamen* 12
subsidii opem subtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa, id est, adulterium, *excludit.* Cæterùm Bellarminus cùm tam varias in partes Gregorii responsionem agitat, auctoritatis nihil aut parum defert Gregorio, qui suam responsionem ita præmunit: *Consulentis tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis, quasi ex nobis, sed ejus gratia, qui aperuit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam, dicimus.* Verba hæc si superis placet, Gregorium quatenus Pontificem, & de Petri cathedra pronuntiantem exhibent & inducunt, ut quidam Theologi loqui solent. Sed ætate Gregorii cùm explicata non essent, quomodo nunc à nonnullis Ecclesiasticarum antiquitatum imperitis explicarentur, nisi fortassis Bellarminus explicationem istiusmodi comprimeret, & compressam membratim distraheret?

In posterioribus Gregorio seculis, quod propositam à te locutionem, eáque intellectam ratione, qua recentiores intelligunt nonnulli mediocriter docti & factiosi, referat, occurrit nihil. Quinetiam sub Gregorio IX. Bonifacio VIII. & Joanne XXII. excluditur.

Sub Gregorio quidem, cùm illo Pontifice Lucas Tudensis Episcopus in libro II. contra Valdenses scribat: *Quæcumque à Romano antistite Catholicè proferuntur, sicut divina præcepta, servanda sunt à fidelibus. Credendum est illi à fidelibus, ubi manifestè sacra Scriptura non resistit auctoritas.* Quibus verbis auctor censet, Romanum antistitem errare posse contra literas sacras. Nec illi minùs erroris in docendo, quàm præsulibus aliis tribuit. Quæ enim de Romano antistite pronunciat, in quem- 13
cumque alium antistitem qui multa Catholicè proferret, traduci facilè possunt.

Sub Bonifacio verò cùm in literis, quas Philippus Pulcher & suo & Ludovici Ebroïcensis & Guidonis sancti Pauli Comitum, Gallicanorum Præsulum & Parisiensium Theologorum nomine ad Clementem V. misit, *Ideo,* ait, *negotium ipsum nostro & incolarum regni nostri cujuscunque status ac dignitatis existant, nomine, & pro ipsis officio Sanctitatis vestræ plenariè, & ex toto dimittimus, & relinquimus secundùm vestræ Sanctitatis arbitrium, & fratrum vestrorum consilium in futuro Concilio, vel aliàs dirimendum; ordinationique aut judicio, quam vel quod Sanctitas vestra de fratrum vestrorum consilio fecerit, aut decreverit, in quantum ad sopiendam querelam institutam vel imposterum instituendam de hæresi contra dictum Bonifacium pertinebit, acquiescere, nos & ipsos acquieturos perpetuò nostro & ipsorum nomine consentimus, & contentari volumus, ut tenemur; Nósque & ipsos eodem vinculo perpetuæ firmitatis innititi. Absit enim à regia perennitate seculari in quæstione fidei quicquam, quod vestra sanctitas maximè sacro approbante Concilio deciderit, in aliquod unquam dubium revocare.* Idem quoque traditur in literis, quas Ludovicus Ebroïcensis & Guido sancti Pauli Comites ad eundem Clementem dederunt: *Absit à nobis tam execranda præsumptio in quæstione fidei quicquam, quod reverendissima Sanctitatis vestræ Sedes, & maximè sacro approbante Concilio deciderit, in aliquod unquam dubium revocare.* His in verbis, Romanum Pontificem è cathedra pronunciare, non est 14
seorsum à Sede sua & Concilio pronunciare, sed unà cum sancta Sede & approbante potissimùm Concilio pronunciare. Neque hoc, ut apparet, poterant aliter

intel-

intelligere, qui Bonifacium VIII. hæreseos accusabant. Cæterum quidquid hac in re sapiunt Principes nostri, non ex seipsis cum Theologi non sint, aut Episcopi, sed ex Theologis atque Episcopis docentibus sapiunt. Quo fit, ut Pontificem loqui de cathedra in sensu Gallicanæ Ecclesiæ sit dogmata fidei sacro approbante Concilio sancire.

Ad Joannis XXII. tempus quod attinet, hic Pontifex exemplo docet suo, eum errare posse, qui è cathedra pronunciat, ut ille contra Romanæ Ecclesiæ traditionem & fidei symbolum non semel pronunciavit, beatorum animas quamlibet purgatas Deum ante supremum diem Judicii non esse visuras. Id fuse persequor duabus in Epistolis, quarum una est ad Antonium Faurum, altera ad Raymundum Formentinum. E cathedra loqui seu pronunciare aliud tunc nihil erat, quàm docere, quemadmodum Joannes XXII. docebat ita, ut omnes docenti assentirentur.

Joannes Falkabergius ex Ordine Prædic. Theologus, in responsione, quam ad certas quasdam propositiones in Constant. Concilio factas dedit: *Ex doctrina*, inquit, *sacra manifestum est, quod quæstiones fidei personaliter terminare ad solam pertinet universalem Ecclesiam, etiam vel ad Papam, in quantum adhæret illius judicio, vel etiam consulit.* Ad mentem auctoris hujus Papa ex cathedra loqui seu definire non censetur, nisi universalis Ecclesiæ judicio adhæreat, vel universalem consulat Ecclesiam, ut videlicet secundùm exploratam
15 universalis Ecclesiæ traditionem quod definiendum est, certò definire queat. Quare si secùs definiret, è cathedra Falkabergio judice non definiret, & in errorem labi posset.

Joannes Gerso Parisiensis Cancellarius, vir in paucis nominatissimus, peculiari tractatu quærit, *utrum liceat in causis fidei à Pontifice provocare*, quo in tractatu disputat multa, sed istud ad rem nostram potissimum facit: *Quarta propositio: In causis fidei nulla determinatio judicialis Episcopi, immo nec Papæ solius præcisè ut est Episcopi vel Papa ligat fideles ad credendum, quod ita sit de veritate fidei, sicut prætendit sua declaratio. Quoniam tam Papa quàm Episcopus deviabiles sunt à fide: Obligat tamen subditos, sub pœna excommunicationis talis determinatio, quòd non dogmatizent oppositum, nisi appareat manifesta ratio repugnandi, vel per sacram scripturam, vel per revelationem, vel per Ecclesiæ seu generalis Concilii determinationem.* Determinatio judicialis apud Gersonem eadem est atque illa, quæ ex cathedra fieret, ut modò loqui mos est.

Quæstionem agitat Tostatus vir ille incomparabilis, & in secunda parte Defensorii cap. XXX. Gersonem sequitur: *Ex quo*, inquit, *apparet, quòd jura supponunt Papam posse effici hæreticum, & confirmatur experimento. Nam Papa Marcellinus fuit hæreticus.* Et post alia: *Item de Papa Joanne XXII. qui tenuit hæresim circa visionem beatificam, & postea coactus fuit publicè illam revocare, ut patet in gestis Summorum Pontificum.* Iterum: *Ex quo apparet, quòd dato, quod Papa damnet aliquam conclusionem, vel aliquem auctorem dicat sensisse hæreticè,*
16 *non sequitur necessariò illam conclusionem esse hæreticam, quia potest esse, quòd Papa erraverit, & fortè sit hæreticus, & per ignorantiam, vel affectionem aliquam passionalem damnet conclusionem, sive dictum aut auctorem, sicut aliquos Summos Pontifices legimus hæreticos factos, per ignorantiam, per timorem vel alias passiones.* Deinde in præfatione ad Evangelium beati Matthæi locutus de Concilio Apostolorum: *Hoc factum est*, inquit, *Spiritu S. dictante, ut recognosceretur per hoc auctoritas & potestas Concilii generalis, qua nulla est major super terram, & non potest errare in pertinentibus ad fidem, nec errat in pertinentibus ad mores. Quilibet autem homo, quantumcunque sanctus & quantacunque potestatis potest errare in fide & effici hæreticus. Sicut de multis summis Pontificibus legimus, ut de Liberio, de Joanne XXII. & aliis quibusdam.* Tostatus Romanum Pontificem perinde habet, sive loquatur ex cathedra, sive non loquatur, aut definiat; quocunque enim modo accipias, Pontificem errori obnoxium accipiet. Hinc oppidò quam falluntur ii, qui putant verba hæc *de cathedra loqui seu definire*, in Romano Pontifice cujuscumque erroris vacuitatem importare! Fingunt quod sibi volunt, qui ad pauca respiciunt.

Joannes Turrecremata Cardinalis etsi temperamentum quoddam hac in quæstione adhibeat, Romanum tamen Episcopum definiendo errare posse docet: Sic enim scribit in libri III. de Ecclesia capite LXIV. *In materia fidei jam definita per Apostolicam Sedem, potiùs standum est judicio Papæ, quàm Patrum Concilii juxta beatum Hieronymum in cap. Hæc est fides: in materia nondum ab Ecclesia definita, magis regulariter standum foret judicio Patrum totius Concilii, quàm judicio Romani* 17
Pontificis. Colligitur ex cap. Anastasius. Hinc Turrecrematæ sententiam quærimus, non expendimus auctoritates, quibus innititur. Turrecrematæ igitur sententia est, Pontificem errare posse, quamvis è cathedra in materia nondum ab Ecclesiâ definita pronunciaret. Tunc enim si Concilii totius Patres & Romanus Pontifex dissentirent inter se, Concilii potiùs, quàm Pontificis judicio standum esse auctore Turrecremata, qui tamen Romanis Pontificibus pro eo ac potuit, adulatus est. Ut in Tostato, sic & in Turrecremata perspicis, decantatum illud ab imperitis *è cathedra definire*, immunitatem in Pontificia definitione nullam simpliciter & absolute præ se ferre.

Nicolaus Cusanus rem breviter determinat in libri II. de Concordia Catholica capite XVIII. *Cùm autem Romanus Pontifex sit membrum illius Ecclesiæ, quæ corpus Christi mysticum est, & infallibilitas non cuilibet membro, sed soli Ecclesiæ promissa est, tunc non dubium, potestas indeviabilis ligandi & solvendi totius Ecclesiæ est supra potestatem Romani Pontificis.* Rursus ibidem: *Quare concluditur, universale Concilium ritè adunatum, licèt graduationes inter se habere possit quoad judicia, est tamen semper majoris auctoritatis, & minoris fallibilitatis, quàm Papa tantùm.* Cusanus non disseruisset hoc pacto, si cùm Pontifex è cathedra definit aliquid, seorsum à Concilio definiat, eum sine ullo periculo erroris definire credidisset. Id nequicquam advertunt, qui verba hæc *è cathedra definire*, tam importunè, quàm inconsideratè objiciunt, ut oraculum, quod instinctu divino afflatúque fusum esset.

Dionysius Carthusianus eò tendit, quò Cusanus & 18
alii, cùm in libri I. de auctoritate Papæ & Concilii, capite XXXI. ait: *Concilium generale nonnisi propter causas singulariter magnas & arduas, utpote quæ aliter congruè expediri non queunt, congregandúmque ac celebrandum omnes fatentur: Porrò hæ causæ sunt extirpatio hæreticæ pravitatis ac schismatis, declaratio fidei, atque editio symboli ejus, universalis reformatio Ecclesiæ in capite & in membris ejus. Itaque in expeditione istorum major dicitur potestas Concilii generalis quàm Papæ; quoniam Christus promisit Ecclesiæ seu Concilio, ipsam repræsentanti, infallibilem directionem & gloriosam assistentiam incessantem; ita quòd errare non potest in fide, neque in his, quæ ad bonos pertinent mores: Eo quòd in tali determinatione regatur immediatè à Spiritu sancto. Unde & Papa in talibus tenetur stare determinationi Ecclesiæ, seu statutis Concilii, tanquam ordinationi & determinationi Spiritus sancti. Cúmque Papa possit errare in fide & moribus & cæteris, quæ sunt de necessitate salutis; ejus judicio non videtur ultimatè ac certitudinaliter standum in istis, cùm non sit infallibilis regula, neque indeviabile fundamentum.* Judicium illud, quod ferret Pontifex, è cathedra ferret, nec ea tamen ferret auctoritate, cui non errandi privilegium necessariò conjungeretur, ut conjunctum nugatores quidam veteris Theologiæ ignari occinunt.

Annus circumagebatur millesimus quadringentesimus octogesimus secundus, cum Facultas Theologiæ Parisiensis

tifiensis Judicialem Romani Pontificis determinatio-
19 nem, aut factam ab eo de cathedra propositionem non aliter acciperet. Id ex censura, quam in certas quasdam Joannis Angelii Minoritæ assertiones tulit, facilè deducitur. Sic autem se habet censura assertionis XII. *Quicunque contradicit voluntati Papæ paganizat, & sententiam excommunicationis incurrit ipso facto, & à nullo Papa reprehendi potest, nisi in materia hæresis. Hæc propositio est falsa, scandalosa, & sapiens hæresim manifestam.* Sic Joannes Angelius & Facultas Theologiæ supponunt Romanum Pontificem seu docendo, seu credendo hæreticum fieri posse. Quo in casu illud *è cathedra docere* non significat id genus privilegii, quod nonnulli significare falsò putant.

Hadrianus VI. hac in re non titubat, sed certò pronuntiat in quartum Sent. de ministro Sacramenti Confirmationis: *Ad secundum*, inquit, *principale de facto Gregorii dico 1. quod si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput ejus, putà Pontifex, certum est, quòd possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo.* Hæresim per suam determinationem aut decretalem asserere, idem est, atque hæresim *ex cathedra* pronuntiare, ut exinde liquidò pateat, in veterum Theologorum scriptis tyrones & peregrinos existere, qui verbis istis *è cathedra pronuntiare* non errandi privilegium inesse sibi persuadent.

Hadrianus Galterus ex Ordine beati Benedicti Parisiensis Theologus, in tractatu de primatu beati Petri & Ecclesiæ: *Quis igitur*, inquit, *tam vafrè imponere, suavitérque didicit obtrudere palpum, ut gloriosis mendaciis & consarcinatis fabulamentis, tanta soliditate firmare*
20 *contendat, ut judicium ejus* (Successoris Petri) *in iis quæ fidei sunt, & bonorum morum errare à veritate non posse mordicus asseveret?* Galterus loquitur de Romani Pontificis judicio, quod ab illo de cathedra pronuntiaretur, ut intelligant tum demum judicium tale errori subesse posse, & nescire se turpiter, quid apud veteres Theologos verba illa sonent. Et quibusdam interpositis subjicit: *Ad sponsam Domini charissimam, quæ spiritum sponsi sui in se habet permanentem necessariò accurrendum est, tanquam ad regulam aliquam certam & indeviabilem in iis maximè, quæ sunt fidei & morum bonorum.* Iterum: *Talis est namque sola nostra omnium mater Ecclesia, vel universale Concilium in Spiritu sancto legitimè congregatum.*

Thom. Cajetanus in lib. de auctorit. Papæ & Concilii cap. IX. mentem ita suam aperit, ut idem quod recentiores sentiat, sed id verbis aliis significet. Sic autem scribit: *Dicendum est, quòd errore personali certum est, quòd Papa, quia est una singularis persona, magis potest in fide errare, quàm totum residuum Ecclesiæ. Sed hoc non spectat ad propositum. Errore autem judiciali in fide est è converso, quia magis potest errare communitas Ecclesiæ sine auctoritate Papæ, quàm Papa.* Hoc probat vitiosis argumentis duobus, quorum alterum à divisis ad conjuncta concludit: *Si errore judiciali erraret Papa, erraret tota Ecclesia:* Alterum verò à conjunctis ad divisa concludit: *Errare non potest tota Ecclesia, ergo neque Papa caput Ecclesiæ.* His argumentis error gignitur, non opinio. Quicquid illud est, Cajetano & æqualibus Cajetani Theologis judicialiter & sententialiter pronunciare id sonat, quod è cathedra loqui. In sensu discrimen nullum, in vocibus
21 discrimen aliquid, quia barbarismum important adverbia.

Cajetano, qui novam init disputandi viam, Silvestrum Prieratem, & Cyprianum Benetum objicio æquales ejusdem cum illo Ordinis Prædicatorum Theologos; illum in Summa, verbo *Concilium*, ubi ait, in conclusione III. *Sicut non errat Ecclesia perseveranter, ita Papa quamdiu est caput Ecclesiæ, & ut caput Ecclesiæ, id est mens adjmorio membrorum Ecclesiæ per Concilia* &c. Sic Prieratis judicio Papa non definit ut caput Ecclesiæ, nisi Concilio jungatur, atque ita cùm loquitur è cathedra, certò loquitur & sine ullo periculo erroris. Hunc in tractatu quem de non mutando Paschate confecit: Sic autem statuit fundamento XIII. *Quòd semper est aliqua Ecclesia, quæ per rectam fidem reguletur & confirmetur intelligendo semper à tempore Christi usque ad consummationem sæculi: Sed ex ea non convincitur hoc convenire alicui particulari, intelligendo, per particularem, Ecclesiam quamcunque ab Ecclesia universali distinctam. Igitur ex sufficienti divisione convincitur hoc convenire Ecclesiæ universali, & toti congregationi fidelium. Consequentia patet, sed minor ratione probatur. Illud, quod in Scriptura sacra promittitur toti Ecclesiæ, & non parti, non debet attribui alicui parti, sed semper rectam fidem habere, aut nunquam contra veram fidem errare: In sacra Scriptura à Christo promittitur toti & soli fidelium congregationi, ut patebit ex probatione majoris. Igitur. Major autem principalis rationis probatur primò ex illo verbo Christi Lucæ XXII. Petro pro te rogavi, ut non deficiat fides tua; neque dubitandum est, ipsum in hoc fuisse exauditum, quia secundùm Apostolum ad Hebræos, exauditus est pro sua reve-* 22
rentia. Constat ergo, quòd Christus promisit Petro, quòd non deficiat fides sua, non intelligens de ejus personali, sed de generali Ecclesia Dei committenda regimini Petri, & cùm non loquatur de aliqua Ecclesia particulari sequitur, quod intendit de Ecclesia totali. Et post aliquanta: *Non igitur pro personali fide Petri rogavit Christus, quæ defecit tunc, sed pro generali.* Iterum fundamento XIV. *Sed quidquid statueret S. D. N. Papa sacro approbante Concilio, in omnibus illis obtemperandum esse ingenuè profitemur, & nonnisi sanctum illud & Catholicum esse censendum.* At in auctoris hujus sensu Pontificem in publico fidei judicio pronuntiare, vel è cathedra loqui, aliud nihil est, quàm pronunciare Concilio approbante & repræsentante Ecclesiam, cui non errandi privilegium concessum est.

Auctores hi duo, quorum alter fuit Generalis Prædicatorum Magister, alter verò, Parisiensis Theologus, inductum à Cajetano novum, & periculosum disputandi modum rejiciunt. Sed non placebunt quibusdam recentioribus, qui veteris Theologiæ hujus partem nullam gustarunt, & sibi arroganter sumunt omnia.

Petrus Ortisius Baccalarius formatus Parisiensis anno M.D.XXV. ad III. Idus Maias publicè proposuit theses, in quibus una est propositio, quæ ad rem pertinet, & conclusione V. sic exaratur: *Concilium generale præferendum est Papæ in materia fidei. Patet, quia universale Concilium in materia fidei similiter & morum (nam idem est de utroque judicium) est indeviabile, Papa est deviabilis sententialiter judicando.* Quid est sententialiter judicare nisi ex cathedra judicare? Sed 23
quia deviabilis est Papa, deviabiliter ex cathedra judicare poterit. Sic tunc in nostra Facultate Theologiæ philosophabantur. Interim peregrinis vocibus uti mihi liceat, ut rem familiarem & domesticam exponam. Parisiis in Bibliotheca Navarrici Collegii asservantur Judoci Clicthovei opera & adversaria quædam MMSS. inter quæ Ortisii theses describuntur. Porro Clicthuveus theses probando suas fecit & confirmavit, dum actui Scholastico præsedit.

Habitum est Lutetiæ anno M.D.XXVII. celebratissimum Senonensis Provinciæ Concilium, quod varios Lutheranorum errores perculit & afflixit: Inter edita ab eo fidei decreta tertium est, in quo de supremo & falli nescio Controversiarum Religionis judice sic decernitur. *Proinde cùm certa sit & infallibilis Ecclesiæ regula, ne aliquando invisibilitatis prætextu tandem eludi queat, ea profectò sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non potest quæ proximè universalem repræsentant Ecclesiam. His enim Conciliis si ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei & extirpationem hæresum, Ecclesiæ reformationem & morum integritatem pertinent, potestas adimatur, nihil certum, nihil stabile futurum est, nihil*

 deni-

denique, quo hæreticus ab orthodoxo possit internosci. Fuisset omnino Pontifex, si cùm ex cathedra decernit, certò & sine ullo erroris periculo decernere crederetur: Scilicet illius decreto hæreticus ab orthodoxo potuisset internosci. Non putabant ergo Concilii Patres decreta, quæ Romanus Episcopus e cathedra sua proponit, non errandi privilegio donari.

Hoc ipsum Clicthoveus confirmat in libro, quem in-
24 scripsit *Compendium veritatum ad fidem pertinentium contra pestiferas Lutheranorum assertiones, quæ anno Domini* M. D. XXVIII. *in Concilio Provinciali Senonensi apud Parisios celebrato agitata fuerunt.* Sic autem ille scribit in Decreti III. quod retulimus, assertione: *Adhuc necesse est ipsam Ecclesiam Catholicam (quoniam in fide & moribus aberrare nequit) habere regulam aliquam certam & determinatam atque infallibilem, per quam in suis dubiis circa materiam fidei & morum incidentibus dirigi debeat, rectóque duci tramite, ne in devia errorum decumbat, aut in obliquum deflectatur. Nempe si nullam haberet ipsa Ecclesia regulam sensibilem, & mensuram quandam tanquam amussim directricem, cùm ipsa visibilis sit, & humano sensui pervia, facilè posset ob hujus regulæ defectum prolabi in errores, & pertrahi ad diverticula pravorum dogmatum & morum: Atqui talis regula totius Ecclesiæ directiva non est judicium ipsius Summi Pontificis, cùm ipse nequaquam in Dei gratia confirmatus sit, & falli possit, & in errorem prolabi. Tanto minus hujusmodi regula est judicium alterius particularis personæ, sive publicam gerat administrationem, sive privatam agat vitam, cùm unaquæque earum etiam sit errori obnoxia.* At si judicium Summi Pontificis, & quatenus ille publicam administrationem gerit, errori sit obnoxium, ut obnoxium hoc in loco dicitur, egregiè falluntur, qui contrarium in se recipiunt, rati suo sensu satis esse dicere, Romanum Pontificem è cathedra & prout publicam personam sustinet pronunciasse, ut is certò & sine ulla erroris specie pronunciasse credatur. Concilium & Clicthoveus duo hæc valde inter se
25 distinguunt, quæ imperitorum vulgus animosè ac prælicenter confundit. Porro autem Clicthoveus in operis sui præfatione testatur, Concilio *se unà cum aliis Theologicæ professionis insignibus viris* interfuisse: Quod omittendum non fuit, ut agnoscant omnes Concilium & Facultatem Theologiæ Parisiensis in unam & eandem sententiam conspirasse.

Franciscus Torrensis è Societate Jesu Theologus in libro III. de Summi Pontificis supra Concilium auctoritate, quid sit pronunciare è cathedra sic tradit: *Certè si Pontifex maturè & canonicè, hoc est cum Concilio Ecclesiæ aliquid grave ac necessarium ad Christianè vivendum decernat, errabit nunquam.* Et paulo pòst: *Pontifex non quidem pro ratione & merito personæ, sed pro merito Pontificali ad utilitatem eorum, quibus præest, non potest errare, idque cùm canonicè & Ecclesiasticè judicat.* Conceptis ferè verbis exhibet distinctionem, qua Romanus Pontifex in privatam, & publicam personam, in loquentem è cathedra & non loquentem tribuitur, sed non efficit apud Torrensem distinctio hæc, ut Romanus Pontifex de rebus fidei & morum extra Concilium Ecclesiæ dicendus sit absque errore pronunciare.

Joannes Viguerius celebris ex Ordine Prædicatorum Theologus Torrensem imitatur, & sic in Institutionibus Ecclesiæ, qua parte de condendi symboli potestate quæstionem agitat, scribit: *Dicendum est, quòd Summus Pontifex, ut privata persona errare potest, non tamen ut est Summus Pontifex. Unde fit, ut si tanquam persona privata symbolum edere tentaret, non esset symbolum, maximè ubi à vera fide deviaret: Si autem procedat*
26 *& pronunciet, ut Summus Pontifex, sive ut Papa, quando observat ritum in Conciliis Apostolorum & Sanctorum Patrum definitionibus observari solitum, ut puta quando vocat Concilia seniorum, id est Episcoporum, & instat instantérque facit orationibus, & invocat Spiritum Sanctum, cujus assistentia Ecclesiæ promissa est, inibi & ipsemet talibus Congregationibus affuturum pollicitus est, & non patitur ipsum errare. Et sic quod Papa ut Papa, sive ut Summus Pontifex facit, Concilium ritè congregatum, quod universalem repræsentat Ecclesiam, facit. Sedes enim Romana Concilio ritè congregato directa in determinationibus fidei & morum sic confirmata est, ut errare non possit.* Hæc ille, qui ad annum M. D. L. Theologiam magna cum laude Tholosæ professus est. Non oportet rem alioqui lucidissimam externis admotis luminibus illustrare. Romanus Pontifex Viguerii judicio privata semper est persona, ac proinde errori obnoxia. & ut privata persona de rebus fidei decernit semper, quoties extra Concilium decernit. Romanus Pontifex de rebus iisdem statuit semper, ut Papa, ut Summus Pontifex, cum statuendo ritum in Conciliis Apostolorum & Sanctorum Patrum definitionibus observari solitum sequitur & custodit, cum statuendo synodo rite congregatâ dirigitur.

Hic auctor tractatione suâ funditus evertit quidquid tunc vel paulo pòst in Hispania Melchior Canus in lib. VI. de locis stabilire conatur. Superest tantum, ut in Melchiore Cano observem tria: Primum, quòd illa Christi apud Lucam verba, *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua,* interpretetur aliter, quàm antiqui patres Chrysostomus, Augustinus, Innocentius I. & alii
interpretati fuerint, & in subdititiis Anacleti, Evaristi, 27
Alexandri, Sixti, Eleutherii, Pii, Victoris, Zephirini, Marcelli, Eusebii, Melchiadis, Marci, Julii, Damasi, ac trium Conciliorum Africanorum Epistolis, ratiocinationis suæ fere totius arcem constituat, & sane pristinam Ecclesiæ faciem non satis agnoscebat; Deinde, quòd male reprehendat eos Theologos & cum primis Hadrianum VI. & Alfonsum à Castro, qui hac in quæstione Sedem Apostolicam ab Apostolico Præsule secreverint. Hadrianus scribit, ut mox vidimus: *Dico, quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput ejus puta Pontifex, certum est, quòd possit errare &c.* Alphonsus pari modo scribit in libri I. adversus hæreses capite VIII. *Cùm generalia Concilia universalem Ecclesiam repræsentent, colligitur illam habere potestatem definiendi in his rebus, quæ ad fidem attinent: Sedes autem Apostolica quoniam Ecclesiam tanquam caput repræsentat, primum post generalia Concilia in definiendo locum tenet.* Et quibusdam interpositis: *Verùm hic animadvertendum est, nomen Sedis Apostolicæ non pro solo Summo Pontifice accipi, cùm hic in fide errare possit, ut superiùs de Liberio, Anastasio, & Cœlestino ostendimus. Sed Sedes Apostolica, quæ nunquam erravit, comprehendit tam Cardinalium collegium, cujus consilio juvatur Pontifex, quàm ipsum Pontificem. De hac autem sede non constat eam aliquando errasse: An autem totum collegium Cardinalium errare possit, non assero, tamen credo, quòd Dominus nunquam permittet, totum Collegium hæresi maculari. Quapropter justum est, ut in re tanti momenti qualis est fides Catholica, consulat fratrum suorum Collegium, antequam quidquam definiat; Adjunctis*
etiam si id possibile foret, viris aliis sanctitate pariter 28
ac doctrina eminentibus. Hæc ita circumspectè docet, cùm antea docuerat: *Si ergo nulli hominum jure tenemur in interpretatione sacrarum Literarum credere, propterea quòd quilibet homo solus errare potest, erit necessariò judicium interpretationis penes totam Ecclesiam, penes quam jus fuerat discernendi sacras Scripturas ab humanis, nam hæc errare non potest, cùm à Spiritu sancto sit edocta.*

Cum autem Hadrianus & Alfonsus Romanum Pontificem ab Ecclesia Romana & sedentem à sede distinguunt, his antiqui Patres præluxerunt: Augustinus in Epistola CLXV. *Cui* (Petro) *totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens &c. In illum autem ordinem, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ &*

inno-

innocentibus Christianis. Sic loquitur vel propter casum Liberii, vel propter Felicem, qui pulsi in exilium Liberii locum tenuit, sed quem Augustinus ex Pontificum numero detraxit. Huc etiam spectat in libri de unico baptismo capite XVI. *Non sanè parva est, parùmque gloriosa consolatio cujuscunque nostrûm, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminemur, ejus tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt: Prorsus qualescunque fuerint Marcellinus, Marcellus, Silvester, Melchiades, Mansurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt pro sua defensione quod volunt, nihil præjudicat*
29 *Ecclesia Catholica toto orbe terrarum diffusa; nullo modo eorum innocentiâ coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur.*

Leo I. Augustinum sequitur, cùm in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite V. scribit: *Aliud sunt sedes, aliud præsidentes; magnus unicuique honor est integritas sua.*

Hæc autem cùm ita sint, Hadrianus & Alfonsus & alii, Romanam Sedem à sedente distinguentes, ab antiqua traditione non degenerant, sed Canus degenerat, qui distinguendum non esse contendit.

Denique, quod Canus Joannis XXII. historiam perspectam animadversámque non habuerit, cum in cap. VIII. scribat. *Nec enim historia fide digna docet Joannem XXII. post summum adeptum Pontificatum, de ejusmodi re* (de beatorum post mortem statu) *aliquid definisse.* At si Canus Joannis novisset historiam, qualem duabus in Epistolis, altera ad Antonium Faugum, altera ad Raymundum Formentinum exhibuimus, non scripsisset multa, quæ de non errandi privilegio Romani Pontificis scripsit.

Clemens Monilianus Cardinalis Viguerium & Canum per ætatem excipit, & à Viguerii stat partibus in compendii Theologicarum institutionum capite XIX. *Conciliorum,* inquit, *celebratio valet ad quinque.* Et paullo post: *Ultimò valet ad omnium scandalorum, quæ suscitantur in Ecclesia, extinctionem. Illud enim est ultimum refugium ex omnibus angustiis suis: Unde Romano Pontifici dicitur mysticè illud Isaiæ XVI. Ini consilium, scilicet cum sapientibus coge Concilium, id est congrega,*
30 *ut exponit Liranus: Quasi diceret Spiritus sanctus Romano Pontifici; Imminentibus gravissimis periculis in Ecclesiam ini Concilium, & coge: Id est, congrega universale Concilium.* Et tunc aget ut Summus Pontifex, & quæ ad cathedram, id est, ad munus suum pertinent, exequetur.

Deinde Auctor prodit se ampliùs in cap. XXXIII. *Sequendo Cardinalem de Turrecremata in Summa lib. III. de Ecclesia cap. 64. qui docet, dissentientibus Papa & Concilio, in his, quæ sunt fidei, standum esse judicio Papæ in materia à Sede Apostolicâ definita, sed in materia noviter per Concilium definienda regulariter magis standum est judicio Patrum totius Concilii, quàm Papæ.* Et post pauca: *Si tamen talis controversia orta esset, licèt universitati Patrum adhærendum esset ratione prædicta, nihilominus nihil videretur convenienter concludendum, quousque concorditer Papa & Patres in unam convenirent sententiam.* Et paullo post: *In rebus ad jus Pontificium spectantibus standum est magis judicio Papæ volentis condere legem, si sit rationalis, quàm judicio Episcoporum nolentium; si verò lex non sit rationalis, è contra.* Sic non errandi privilegium Romano abjudicat Pontifici, cùm extra Concilium res definit, quæ ad fidem pertinent.

Michael Cardinalis Alexandrinus, Monilianí librum approbando suum fecit, nec factus Pontifex Pius V. approbationem illam revocavit.

Dominicus Bannes Melchiorem Canum, discipulus magistrum sequitur, & iisdem quibus ille præjudiciis ducitur. In præjudiciorum partem veniunt Græci Patres, qui à beato Thoma in opusculi contra Græ-
31 corum errores *capite 13. & capite 65. usque ad 70.* laudantur. Sed istud modò non expendimus. An verbis istis *ex cathedra*, vel aliis utatur, quærimus. Sic igitur in secundam secundæ quæst. I. art. X. dub. II. scribit in conclusione quarta: *In publico fidei judicio non potest Summus Pontifex errare.* Hæc postquam in conclusione III. statuerat: *In publico fidei judicio non est distinguenda Apostolica Sedes ab Apostolico præside vel Summo Pontifice, neque Romana Sedes à Romanô Pontifice.* Quæ sic statuit contra Hadrianum VI. & Alfonsum à Castro gratis & sine idonea ratione statuit, ut suprà vidimus. Deinde, quæ sibi sumit in conclusione IV. à Joanne Falkabergio, Silvestro Prierate, Cypriano Beneto, Joanne Viguerio, Michaele Alexandrino Cardinale Ordinis sui Theologis validissimè refelluntur. Tum videtur abire ad ineptias, cùm in conclusionis suæ probationes insumit beatum Petrum, qui sine Concilio fidei nihil quicquam definiit. Si Bannes excusari potest, quòd Apostolorum acta non legerit, & in iis non profecerit, excusabitur. Deinde pauca sunt admodum in conclusione IV. rationum momenta, quæ transferri non possint ad confutandam conclusionem primam, quæ sic se habet: *Summus Pontifex in quantum Doctor, & persona privata errare potest in rebus fidei, sive errore inculpato, sive culpabili cum pertinacia, ita ut sit hæreticus.* Rationum autem momenta postquam ita translata fuerint, conclusio prima & quarta mutuis attritæ vulneribus corruent, & auctorem suum cordatorum hominum risui exponent. Etenim in Bannis opinione cùm Pontifex ut privatus doctor evaserit obstinato animo hæreticus, hæreticorum pœnis plectetur, exilio mulctabitur, aut igne consu- 32
metur, nihilominus tamen ut publicus doctor persistet Romæ, & tunc temporis, me vide, de rebus fidei certissimè & sine ulla erroris formidine definiet. Insulsitatum satis est, pergamus.

Robertus Cardinalis Bellarminus in libri IV. de Rom. Pont. capite III. quæstionem ita proponit. *Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest:* Deinde in capite V. *Non solùm in decretis fidei errare non potest summus, sed neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur.*

Andreas Endæmon-Joannes è Societate Jesu Theologus Bellarminum sequitur, & rem in Epistola ad amicum Gallum ita prodit: *In dijudicandis fidei causis, ac moribus toti Ecclesiæ præscribendis Summus Pontifex nec falli potest nec fallere.* At si hoc tantùm in casu errare non potest Summus Pontifex, cùm quid credendum & agendum sit, toti præscribit Ecclesiæ, cùm totam docet Ecclesiam, hinc primùm sequitur, Summum Pontificem errare posse, cùm Ethnicæ nationi Evangelium annunciaret, & præcepta morum præscriberet, deinde sequitur errare posse, cùm mediam Ecclesiæ partem doceret, & ei præcepta morum præscriberet: Tum demum errare posset, cùm Romanam duntaxat Ecclesiam, cujus proprius est Episcopus, doceret, & ei præcepta morum præscriberet. Corollaria hæc sunt numero tria, quæ ex proposito Bellarmini & Endæmon-Joannis lemmate tanquam è fonte rivuli deducuntur. Atqui hæc omnia exponere, confutare est, quidquid Bellarminus & Eudemon-Joannes sibi tam audacter vendicant.

Observo præterea id quod non parum habet admi- 33
rationis, Bellarminum propositionem suam confirmare iisdem Christi apud Lucam cap. XXII. verbis, *Ego autem rogavi pro te, &c.* quibus postea in cap. VI. confirmat propositionem hanc: *Probabile est, piéque credi potest Summum Pontificem non solùm ut Pontificem errare non posse, sed etiam ut particularem personam hæreticum esse non posse, falsum aliquid contrà fidem pertinaciter credendo.* Quasi verò Christus Deum Patrem sic oraverit, ut ejus orationem sine ulla Patrum & Ecclesiæ traditione quam in partem volueris, convertas, & ad propositionum duarum usque adeò dissimilium probationem adhibeas. Sed quo tempore Bellarminus opinionem suam probabilem & piam nominat, eodem &

Bannes graviter insectatur. *Quamvis enim*, inquit, *opposita opinio præ se ferre videatur quandam pietatem, & Pontificiam dignitatem extollere, tamen re bene inspecta parum pia est, quin potiùs minuit Pontificiam dignitatem, quia nihil est pium, nisi quod idem verùm est, sed opinio Alberti* (quam Bellarminus sequitur) *est minùs vera ac proinde minùs pia.* Quidquid id est, Bellarminus Christo facit injuriam cùm illius verbis abutitur, & vehementer impingit in Tridentinæ fidei regulam, quæ præcipit ut nullus unquam *Scripturam sacram nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiat & interpretetur.* Ad regulam istam si advertisset, quæ in utraque propositione differit, in præteritis reliquisset. Sed inveterata Pontificibus adulandi consuetudo non permisit.

Adamus Tannerus è Societate Jesu Theologus in
34 disp. 1. de fide quæst. IV. dub. VI. proponit modum alium, quo Pontifex de sede Petri locutus intelligatur: *Denique circa ipsum formale decretum definitionis* (Pontificiæ) *diligenter advertendum est, an id legitimè & sufficienter fuerit promulgatum, atque etiam, an tempus ejusdem obligationi præfixum fuerit elapsum, priusquam id refigeretur, seu retractaretur. Etenim ut notat Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 155. num. 15. id observant Summi Pontifices in Curia Romana, ut nondum intelligantur de Sede Petri tanquam judices & Pontifices in legibus & canonibus ferendis, etiamsi ea imprimi faciant, donec ad valvas Basilicæ principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ Apostolicæ, in acie campi Floræ & ad valvas beati Petri per aliquantulum temporis affigantur.* Etsi quo in sensu à suis auctoribus accipitur, Pontificem de Petri sede loqui tam novum est, ut vix ætatem ferat, tamen magis adhuc novum est illud indicium, quo Pontifex de Petri sede locutus dignoscitur. Apud Bellarminum, Bannem, Canum, & Cajetanum neutiquam comparet. Machinam hanc propter Sixti V. decretum quod Bibliis præfixum est, inventam qui diceret, non sine negotio coargueretur. Quidquid in causa, arcanum rei in eo consistit, ut non antè Pontifex de Petri Sede locutus intelligatur, quàm Pontificis decretum ad memoratas valvas per aliquantulum temporis affigatur.

Andreas Duvallius Bellarmini vestigiis utcunque insistit, cùm in parte II. de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate quæst. 1. *Dicendum est*, inquit, *Divinam providentiam tantùm cavere ne Pontifex ut Pon-*
35 *tifex & ex cathedra definiens erret, quamvis aliàs eum errare sinat.* Quibus verbis significat idem esse Pontificem ut Pontificem, atque ex cathedra definire. Tum in quæst. V. docet quibus notis Pontifex ita decernens agnoscatur: *Notandum est*, ait, *nos in primis dignoscere Summum Pontificem, non ut privatum doctorem, sed ut communem totius Ecclesiæ pastorem se gerere, quoties ad id, de quo consulitur & interrogatur, absolutè & sine ulla hæsitatione respondet, totique Ecclesiæ credendum proponit.* Et paullo pòst: *Ut responsio Summi Pontificis infallibilis ab omnibus habeatur, non tantùm opus est eum absolutè respondere, sed etiam ut responsionem suam omnibus fidelibus credendam proponat. Secundò suppetunt similiter aliqua alia, quibus definitionem Pontificis ab eo tanquam Pontifice manare dignoscimus, ut si contra eum, qui oppositum dixerit, anathema pronunciet, vel si dicat, qui contrarium senserit, hæreticus habeatur, vel si affirmet, de consilio fratrum nostrorum hoc vel illud definimus. Quod si nullum prædictorum signorum aut similium responsioni vel definitioni apponatur, non est omnino ipsa definitio infallibilis, nec Pontifex ut Pontifex agere censetur.*

Duvallius in nota prima conjungit duo, quæ Bellarminus non conjungit. Hic auctor de interrogatione & responsione mentionem nullam facit, memor fortè responsi, quod Gregorius II. Bonifacii Episcopi interrogationibus reddidit. Verùm qua in re Bellarminus & Duvallius consentiunt, Duvallius in easdem cum Bellarmino absurdas complexiones incurrit. Id cùm satis notum sit, necesse non est pluribus explicare. Deinde quæ duo conjungit Duvallius, efficiunt, ut à Christi
tempore usque ad nostrum tempus vix reperiri posset 36
decretum ullum, quod Romanus Pontifex è cathedra pronunciaverit. O cæcam hominis speculationem! Denique si reliquæ conditiones, quibus Romanus Pontifex è cathedra pronuncians dignoscitur, spectentur, quis plura inveniet decreta ad conditiones illas expressa? Fortassis inveniri posset Sixti V. de Bibliorum editione & correctione decretum: Sed non potest objici quia suppressum est. Et quia suppressum est, destruitur funditus quod Duvallius ædificare conatur. Ex quo accidit, ut rectè dici possit, Duvallium notas illas, quibus Pontifex ex cathedra locutus dignoscatur, motu quidem proprio, sed non ex certa scientia apposuisse.

Ludovicus Cellotius è Societate Jesu Theologus conditiones alias apponit, cùm hac de re scribit in libri IV. de Hierarchia & Hierarchis capite X. *Romanus*, inquit, *Pontifex loquitur ex cathedra, cùm tres adhibet conditiones, quarum una si defuerit ex edito universalis Ecclesiæ solio ad privatæ personæ conditionem devolvitur: Primam ex parte materiæ desumo, quam volo esse propositionem veram, verè revelatam & quidem Prophetis, Apostolis, & canonicorum librorum scriptoribus, ut monet D. Thomas. Quibus adjungo Concilia, Patres, traditiones, Ecclesiæ adversus hæreses militantis arma. Secundam in inquisitione requiro, ut neque solus judicet, neque temere pronunciet; memor quàm multa unum fugiant, quàm facilè unum error occupet. Adhibeat igitur oportet maturam ac diligentem discussionem, sine qua Christus ex lege ordinaria, neque Pontifici, neque Concilio infallibilitatem promisit. Quapropter
in Concilio quodam Romano cùm Patres rem, de qua agebatur, 37
totam in Zachariæ Pontificis arbitrio constituerent, sapienter respondit vir modestissimus, non ut non nobis solùm visum fuerit, sed pariter cum sanctitate vestra est pertractandum. Tertia in ipsa propositione versatur, ut toti Ecclesiæ absolutè & præcisè proponat, eum pronunciando hæreticum, aut ei anathema imprecando, qui aliter senserit, aut affirmando statuere se, & definire de concilio fratrum suorum. Hæc verba tanquam adamantina quædam vincula intelligentiam nostram constringunt & alligant ad Ecclesiam Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis.* Et primò quidem si Pontificis è cathedra definientis notio hæc admittatur, admitti quoque debet, nonnulla credi nunc à quibusdam è cathedra definita, quæ definita non sunt. Deinde Romani Pontificis decretum vix reperietur ullum, cui enumeratæ conditiones illæ tres conveniant: Convenire autem debent, quia si una defuerit, Romanus Pontifex ex edito universalis Ecclesiæ solio ad privatæ personæ sortem devolvetur.

Joannes Bagotius ex eadem Societate Theologus rem paullo aliter tractat in opere, quod de Theologicis Institutionibus composuit. Sic enim scribit in libri IV. disputatione III. cap. 1. sect. 1. *Quidquid sit, quantum ego possum colligere, Romanus Episcopus quoties de negotio fidei, aut aliis ad Ecclesiam spectantibus tractat, Concilium habet, & saltem Clerum Romanum ex Episcopis suæ Provinciæ Presbyteris & Diaconis Cardinalibus compositum, in synodo congregatum audit, nec unquam de fide quidquam definit, nisi in Concilio. Nec verò aliter videretur prudenter agere, & consequenter legitimè &
infallibiliter. Deus enim ut superiùs insinuavi, agens de 38
potentia ordinata, & concursum suum ordinarium præstans, requirit causarum secundarum cooperationem, & in tantum infallibilitatem dat Summo Pontifici, in quantum hunc nonnihil agentem, aut dormientem illuminat, sed humano etiam modo & secundùm naturalem rationem agentem ipse dirigit. Pontifex igitur debet agere prudenter, & omnem diligentiam pro veritate fidei indaganda, inveniendáque adhibere, & cùm Deus non faciat jam pro fidei doctrina novas revelationes, nec novos Prophetas aut Evangelistas suscitet, in tantùm dat scientiam veritatis Ecclesiæ, in quantum Summum Pontificem adjuvat, ut ex fidei articulis jam traditis & notis conclusiones*

inferat

inferat per ratiocinationem. Debet ergo Pontifex ratiocinari & prudenter agere, quod ut faciat, debet peritos & doctos consulere, & iis auditis cum suo Concilio judicare & definire quid sentiendum sit. Sed de hoc postea magis in particulari agam.

Nunc tantùm habeo duo dicere: Primò quidem Summum Pontificem quæstionem de doctrina fidei semper cum Concilio aut provinciali, aut universali tractare. Secundò in controversiis facilioribus provincialia seu particularia Concilia sufficere: In gravioribus verò nonnullis quæstionibus necesse est audire generalia Concilia, ita ut sine illis eas controversias cum summa auctoritate non dirimat. Tum in sectionis III. fine quidquid disseruit, per Pontificis è cathedra definientis notionem ita concludit. *Ex quibus omnibus concludo Summum Pontificem ut definiat aliquid infallibiliter, Concilium aliquod seu synodum audire oportere: Nec malè dici tunc ex sancti Petri cathe-*
39 *dra eum loqui, seu pronunciare sententiam, cùm audito Concilio pronunciat: provinciali scilicet in controversiis facilioribus: universali verò in gravioribus.* Quæ ex hac definientis è cathedra Pontificis notione speraretur utilitas, sine difficultate ulla colligi potest. Notionem hanc in usu facili positam esse nemo non videt. Illius opposita diffugiunt certæ quædam Pontificum definitiones, quæ à plerisque omni termino immobiliores prædicantur.

Theophilus Raynaudus ex eadem Societate Theologus, cùm opusculum αὐτὸς ἔφα inscriptum edidit, notionem aliam deformat in puncto v. *Pontifex tunc docet aliquid ex cathedra, cùm habet voluntatem obligandi fideles omnes ad credendum.* Hoc ipsum repetit in libro de immunitate auctorum Cyriacorum a censura, quem sub nomine *Petri à Valle clausa* prodire in lucem voluit. Sic autem scribit in diatriba II. *Tametsi Papa posset peccare, si absque collatione cum suis consiliariis aliquid de fide statueret, se solo tamen definitio esset valida, si fieret ex cathedra, hoc est si Papa veritatem à se solo discussam proponeret fidelibus cum obligatione sic credendi.* Hæc notio planè nova est, nec ullis limitibus qui certò dignosci queant, constringitur, quidquid enim Pontifex è cathedra definire se voluisse dixerit, definitum esse credendum erit. In summa, decisionis ratio tota erit voluntas & potentia decidentis. Ab auctore suo inventa est definitio, ut rei, ut ita dicam, natæ conveniret & præsenti serviret causæ, quæ per Bagotii & Cellotii definitiones in discrimen adducebatur ultimum. Obtinenda erat quoquo modo.

40 Thomas Comptonus ex eadem Societate Theologus sic tandem aliter definit, si tamen aliter definivisse dicendus sit, qui quod Tannerus multis disseruit, contrahit & suum facit in secundam secundæ disp. XXII. de Summo Pontif. sect. v. *Ad id quod de Sixto V. refertur, ipsum scilicet decreto suis Bibliis præfixo definivisse Biblia illa à se edita carere mendis. Ad hoc inquam dico cum Tannero hic disp. 1. quæst. IV. dub. VI. vel decretum illud nunquam ad valvas Ecclesiæ Romanæ affixum fuisse, vel si fuerit, refixum tamen mortuo Sixto fuisse duobus mensibus ante elapsum tempus, quod ad validam illius promulgationem requirebatur.* Sic Pontifex non censetur è cathedra loqui, nisi fidei morùmque decreta, quæ Pontifex aliquis ediderit, ad valvas Ecclesiæ per menses nonnullos Romæ affixa fuerint. Nam si ante tempus elapsum, quod requiritur, decreta illa refigerentur, Pontifex, qui aliter e cathedra loqui fortassis voluerat, locutus non esse censetur. Machina est, quæ suos gyros & vices sortitur. Spectatoribus non errandi privilegium nunc objicit, nunc non objicit, ut placet iis, quorum partes sunt decreta Pontificum ad valvas Ecclesiarum Romanæ civitatis affigere, vel ex iis refigere.

Hæc habui, quæ de variis auctoribus & commentariis decerperem, & in unum colligerem, & quamvis non omnia decerpserim, quæ ab alio diligentiore Theologo decerpi potuerint, ea tamen, quæ decerpsi & in unum collegi, sufficiunt ad idoneam rei intelligentiam, quam tu consequeris, cùm agnoveris, rem variis & gratuitis notionibus circumscriptam & involutam esse.

Reliquum est modò ut ad ea, quæ decerpsi & in unum collegi, notas & observationes quasdam decerptis 41
auctoritatibus universim communes subnectamus.

I. *E cathedra loqui & docere* eadem sunt omnino, si hinc verborum vis & proprietas, inde seorsum ab omni mentis occupatione considerentur: Sed quoniam sunt eadem, Ecclesia semper habuit, qui è cathedra loquerentur, cùm semper habuerit, qui Christianas veritates & institutiones docerent. At istud ex se nullum, ut apparet, importat non errandi privilegium.

II. Et quamvis *è cathedra loqui* & *docere*, sint eadem, tamen formula hæc, *è cathedra loqui*, non semper usurpata est ab Ecclesiasticis tractatoribus. Res ista in facti, non juris conditione versatur. A quo primùm usurpatam illam invenio, (verba spectamus, non sensum) is est Gregorius primus, qui Eulogium Alexandrinum Episcopum non simpliciter quidem *de cathedra*, sed *de cathedra Petri* locutum esse, semel, iterum, & tertiò scribit. Cùm verò dico, formulam à Gregorio I primùm usurpatam invenio, fortassis me mea fallunt adversaria, quibus duntaxat confido, usque dum alter animadverterit, quod ego præ nonnulla indiligentia non animadverti. Sincero & inani partium animo veritatem quæro, non factione, quæ mater est schismatis. Meus erit semper quicunque veritatem suis indagabit legibus & vindicabit.

III. Quo in sensu formulam hanc, *de Petri cathedra*, seu *sede loqui*, Gregorius accepit, non accipiunt, qui annis abhinc plus minùs centum formula utuntur. Hi formulam non errandi privilegio impertiunt simpliciter, Gregorius non impertit, nisi quatenus verum dicit, qui *de sede Petri* pronunciat, qui autem verum dicit, 42
cùm illud dicit, non potest non dicere. Sed istud perpetuum non est, sed temporarium.

IV. Gregorius II. cùm ad Bonifacium scribit, formula utitur, quæ non errandi privilegium videtur præ se ferre: *Consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis, quasi ex nobis, sed ejus gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, qualiter teneas Apostolici vigoris doctrinam, dicimus.* Sed Bellarminus Gregorio ita loquenti non assentitur, & non assentiendo docet, qualiter alii possint accipere Pontificum decreta, quæ cum præmunitione tali ederentur. In summa funditus evertit, quod alio in loco suprà citato ædificare conatur.

V. Sub Clemente V. Gallicana Ecclesia per os Principum suorum declarat, quo in eventu Romanus Pontifex res fidei decidit sine periculo erroris. Nempe cùm res fidei decidit, *sacro approbante Concilio*, ita ut Pontifex in sensu Gallicanæ Ecclesiæ loquatur *de Petri cathedra*, cùm *sacro approbante Concilio* loquitur & res fidei decernit. Gallicana Ecclesia credebat, indeficientis judicii privilegium nonnisi universæ Ecclesiæ, cujus caput est Romanus Pontifex, & repræsentanti universam Ecclesiam Concilio datum esse. Quid verò sit, *esse caput Ecclesiæ*, Gregorius Papa primus in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum scribit: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite* (Christo) *omnes sunt membra Ecclesiæ.* Universalis igitur Ecclesiæ membrum primum 43
& caput rem eandem sonant, & quæ in hoc capite vis agendi sit, discimus ex decessore Gregorii Sixto III. qui in Epistola ad Illyrici Episcopos sic scribit: *Sed ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.* Hinc Augustinus Anconitanus in Summa quæst. v. art. VI. ad secundum tradit: *Licèt in quæstionibus terminandis auctoritas Papæ dum est Papa, sit necessaria, cùm tamen desinit esse Papa per crimen hæresis, auctoritas illa remanet in Ecclesia,*

sia, sicut ipso mortuo. Idipsum Alvarus Pelagius in libri 1. de planctu Ecclesiæ capite LXVIII. docet: *Vacante Ecclesia per mortem Papæ, non est dicendum, quod remaneat sine capite; quia hoc dictum non esset remotum ab hæresi, quia tunc corpus Cardinalium & tota Ecclesia habet caput Ecclesiæ generale & verum & proprium, Christum scilicet viventem, de consecrat. dist. II. prima in fin.* Idipsum Panormitanus ætate sua Juris Canonici princeps cùm quæstionem hanc in cap. *significasti* expenderet, secutus glossam in cap. Clem. *ne Romani. De electione*, scribit: *Mortuo Papa Ecclesia non est sine capite, & ista est Ecclesia, quæ errare non potest.*

VI. Apud recentiores auctores nostros propositio hæc, *Summus Pontifex, agens ut Summus Pontifex, ut caput Ecclesiæ*, duplicem sensum objicit: Sunt quidem, qui Pontificem Ecclesiæ vel synodo conjungant; sunt verò, qui Pontificem ab Ecclesia vel synodo sejungant. In sensu priori non errandi privilegium inesse Ecclesiæ
44 vel synodo quatenus Ecclesiam repræsentat, intelligitur; quo pacto probatur synodum errare non posse, quòd repræsentet Ecclesiam, quæ errare non potest: In sensu posteriori non errandi privilegium residet in Summo Pontifice, etiamsi synodo non conjungatur. Sed qui statuunt hoc, non advertunt dare se ansam dicendi, quemlibet Episcopum agentem ut Episcopus est, errare non posse: Siquidem Episcopale munus prout tale, Episcopum ab errore revocat, tantùm abest ut eum ad errorem inclinet. Sic Christiana religio in quantum Christiana est religio, ad peccandum fidelem inducit neminem. Non capiunt, aut certè nolunt capere, quò reduplicantes particulæ apud Dialecticos pertineant, quò pervadant. Homines perversè ingeniosi, non errandi privilegium, quod uni Romano Pontifici volunt asserere, illud contra propriam mentem cum Episcopis, & universis Christianis communicant: Hoc est, nimis probant, ac proinde nihil prorsus. Rem sic explico. Dum in fide errat Petrus Episcopus, non errat, quà Episcopus est, ut mox ostendi, sed Petrus homo, qui Episcopus est; concretum hoc errat malitia, nimirum, vel ignorantia. Dum Paulus Christianus peccat, non peccat, quà Christianus est, sed Paulus homo, qui Christianus est; conjunctum hoc peccat infirmitate, scilicet, qua circundatur. Aliud est propositio reduplicantibus particulis affecta, aliud propositio reduplicantibus particulis non affecta, quod qui nescit, infantissimus sit Dialecticus oportet. Hæc autem cùm ita sese habeant, auctorum nostrorum propositione quid fiet, me præterit. Si præ se ferant, reduplicante particula
45 licitum esse tantùm uti, dum hac in quæstione de Romano Pontifice agitur, nulli sunt & ridebuntur; si non præ se ferant, capti sunt, & illorum propositio in vagum pulverem fatiscet. Fortassis id facient, quod plerique ἀφιλίστοροι facere solent, principium petent, & continuò in puerile vitium per inscitiam summam incurrent.

VII. Ab anno MCCCX. usque ad annum MCCCCXL. nihil occurrit, quo istud, *loqui de cathedra Petri*, in Bellarmini vel Tanneri & Comptoni vel Raynaudi sensu acceptum defendatur: Quinetiam celebris illa synodalis responsio, quæ in Basileensis Concilii sessione VI. facta est anno MCCCCXXXII. & cui Julianus Cardinalis Eugenii IV. legatus præfuit, ut indubitatum quid apud omnes nobis objicit, *certum esse, Papam errare posse*, ex eóque Concilio subjici.

VIII. Anni sunt abhinc plus minus ducenti, postquam Curiæ adulatores nonnulli quæstionem hanc in scholis tractarunt acriùs, sed non omnes eodem modo & forma verborum tractarunt. Antiquiores, putà Cajetanus, Canus, Bannes, dicunt, *Pontificem in publico fidei judicio errare non posse*: Recentiores, putà Tannerus, Duvallius, Raynaudus, dicunt, *Pontificem è cathedra loquentem errare non posse.* Ab illis quidem Theologis mutatum in verbis, sed in doctrina nihil mutatum. Quod inter utrumque loquendi modum penes verba discrimen interest, ad tyrones & Theologiæ candidatos tantum refertur. Antiquiorum modus & forma loquendi, quia faciliùs percipitur, minùs continet mysterii; recentiorum modus & forma loquendi, quia minùs facilè percipitur, plus objicit mysterii. Quamobrem statim atque scholares *Pontificem è cathedra locu- 46
tum esse*, inaudierunt, divino quodam spiritu afflari videntur, & ad tuenda magistri dictata incredibiliter accenduntur & exardescunt. Quod non eveniret, si diceretur, *Pontificem in publico fidei judicio decrevisse.* Sic orbi fumus venditur, sic ad populum phaleræ comparantur.

IX. Quod antedicti Curiæ assentatores cuncti non errandi privilegium inesse putant suis formulis, *in publico fidei judicio, & è cathedra*, pernegant æquales magni nominis Theologi, Galterus, Benetus, Hadrianus Papa, Prieras, Parisienses in thesibus suis, Senonensis Concilii Patres, Torrensis, Viguerius, Castrensis, Bagotius, & contendunt insuper ut sua illis formulis constet veritas, Romanum Pontificem Ecclesiæ vel Synodo conjungi oportere, quæ contentio eò est melior & laudabilior, quòd à suis partibus stet Romanæ Ecclesiæ traditio, quam duabus in Epistolis exposuimus; altera ad Raymundum Formentinum, altera ad Joannem Gerbasium. His accedunt omnium animis atque auribus absurdæ complexiones illæ, quas ex Bellarmini, Eudæmon Joannis, Duvallii & Raynaudi lemmate deduximus.

X. Quod abscissè & pro certo sibi sumunt Bellarminus, Eudæmon-Joannes & Raynaudus, id Cellotius & Bagotius ut incertum rejiciunt, & illis involvunt conditionibus, quæ Bellarmino, Eudæmon Joanni, Raynaudo & sectatoribus impedimentum & moram in tantum adferunt, in quantum adferri potest. Sed quoniam ii sunt homines ὁμόφυλοι omnes, ratio & æquitas postulat, ut Bellarminus, Eudæmon-Joannes, Raynaudus cum Cellotio & Bagotio antè conveniant, quàm in Parisienses 47
& alios Parisiensibus consentientes invadant. Tunc autem quando mutuis erunt attriti & confossi vulneribus, in Bellarmino duce, Eudæmon-Joanne, Raynaudo nihil supererit virium: cùm ad pugnam accedent, continuò sub jugum mittentur, & Parisiensium nostrorum triumphum, quæ sola erit illorum gloria, cohonestabunt.

XI. Quoniam verò dissimulanda non veritas, nec illa erubescit unquam, nisi dum absconditur, observandum est Bagotium in definitione sua cum Gallicana Ecclesia convenire. Hæc sub Clemente V. dicit Romanum Pontificem quæstiones fidei posse decidere sacro potissimùm approbante Concilio. Ille sub Urbano VIII. scribit: *Summum Pontificem quæstionem de doctrina fidei semper cum Concilio provinciali aut universali tractare: In controversiis facilioribus provincialia, seu particularia sufficere; in gravioribus verò nonnullis quæstionibus necesse esse audire generalia Concilia, ita ut sine illis eas controversias cum summa auctoritate non dirimat.* Iterum: *Ut definiat aliquid infallibiliter, Concilium aliquod seu synodum audire oportere, nec malè dici tunc ex sancti Petri cathedra eum loqui seu pronunciare sententiam, cùm audito Concilio pronunciat.* Sic cùm unicuique quod suum est redditur, querelæ & injustitiæ locus nullus relinquitur. Quod Gallicana Ecclesia verbis exprimit paucioribus, id multis Bagotius exprimendum censuit. Utinam ἴσως cæteri Gallicanæ Ecclesiæ factum hoc essent modo executi. Sed

Pauci, quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

XII. Cellotius cum Bagotio reipsa concordat; quod 48
enim ad dirimendam fidei controversiam requirit, vix aliter, quàm in Concilio perfici potest. Ut enim homo unus id quod requirit totum perficeret, desiderarentur anni complures. Adde quod plus videant oculi, quàm oculus, & indeficientis judicii privilegium non uni tantùm de Ecclesia promissum sit, sed ipsi Ecclesiæ.

Eccleſiæ. Ad reliqua quod pertinet, dum Cellotius exponit iſtud, *loqui de cathedra*, Gregorium Magnum imitatur: Apud quem qui verum dicit in iis, quæ religionem attinent, loqui de cathedra cenſetur, & ſic à nonnullis perperam reprehenditur, & irridetur.

XIII. Comptonus poſt annum M. DC. LIII. ſcripſit, ſed ita ſcribendo, ut ſcripſit, cauſam videtur deſtruere, quæ apud ſuos ædificanda erat. Is tamen mihi excuſandus videtur, quòd Leodii, non Pariſiis, aut Lugduni ſcripſit: Nec monitus opinor fuit, ut formulam, *loqui ex cathedra*, definiendo Raynaudum imitaretur, & ſuam cum primis definitionem tempori aptaret, ut Raynaudus aptavit, cum Pythagoricum illud, *αὐτὸς ἔφα*, ſic verſum, *os Domini locutum eſt*, in Eccleſiam induxit. Hic auctor res ſuas antiquorum inſtitutis non ſubjicit, ſed normam, præſcriptionem, & regulam fingit, cui res ſuas ſubjiciat, ut ignari & incauti Lectores, cùm normam quæ norma non eſt, præſcriptionem, quæ non eſt præſcriptio, & regulam, quæ regula non eſt, niſi Lesbia, intuiti fuerint, circumveniantur faciliùs.

XIV. Quamvis rei unius natura ſit una, & una proinde definitio, formulæ tamen hujus, *de cathedra loqui*, multiplex & varia confecta eſt poſteriori ſeculo definitio, qua unuſquiſque auctor propriæ definitionis faber ſibi cavit & blanditur. Quæ definitio uni arridet, quia placitis ſuis favet, alteri non arridet, quia placitis ſuis officit. Sic definitio poſita eſt tota in definientis arbitrio. Hinc effectum eſt, ut relati Theologi in tam varias & multiplices ejuſdem rei definitiones abierint, nec adverterint, definitionum hujuſmodi multitudinem, earundem eſſe *ἀκυρίαν*, nullitatem, ſi apud literatos hoc uti verbo licet. Auguſtinus concludit omnia, dum in libri X. de civitate Dei capite XXIII. ait: *Liberis verbis utuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt: Nobis ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Id tamen non impedit, quo minus nonnulli homines formulam, *loqui ex cathedra*, in ore ſemper habeant, & cùm habent, ſibi perſuadeant, aliiſque perſuaderi velint, In verba hæc, quæ vix numerum faciunt, Scripturæ ſacræ medullam, Patrum & Conciliorum doctrinam, antiquitatis totius eruditionem, & quidquid eſt in traditione certius, confluere & conjungi.

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!

In ſumma ſi verum amamus, planè dicendum eſt, formulam hanc, *loqui de cathedra*, ut à Raynaudo & ei ſimilibus, & à quibuſdam minutis adulatricis Curiæ Theologis nunc accipitur, certam quandam eſſe teſſeram, eruditioniſque falſæ ſignum, quo quis agmen hominum minùs peritorum veluti glorioſus miles penetrat, dicti ac facti ſui conditionem circumſpicit, & occurrenti cuicunque, tametſi fuerit Plato vel Ariſtoteles, Hieronymus vel Auguſtinus, obſtrepere non dubitat, ut qui olim,

Seſe aliquem credens, Italo quòd honore ſupinus,
Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.

Verumenimvero quod pejus eſt & deplorandum dolentiùs, recentiores iſti & *ὁμόψηφοι* alii, qui hodiéque fruuntur lucis uſura, non advertunt, ſe in graviſſimam beati Pauli reprehenſionem incidere, cum in Epiſtolæ ad Epheſios capite IV. ſcribens ait: *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in aſtutia ad circumventionem erroris.*

XV. Theophili Raynaudi librum *αὐτὸς ἔφα* inſcriptum, ex quo teſtimonium repeto, citaſſem nuſquam, niſi coëgiſſet me Theologicæ quæſtionis hiſtoria, quam aliter perficere non quiviſſem. Hic enim liber planè indignus eſt, qui ab ullo ſcriptore Gallo ſi Gallum ſe eſſe intelligat, citetur unquam. Raynaudus ut illum ſcriberet quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, ex favorabili alienæ diſputationis argumento non tam accepit, quàm arripuit occaſionem, qua in Regis & Regni jura invaderet atrociter, & Gallicanæ Eccleſiæ libertatum fundamenta commoveret. Sceleris hujus ſpecimen eſt in puncto I. his verbis: *Inſtiterunt perditiſſimi hujus (Photii) Schiſmaticorum anteſignani poſteriores quidam vel Schiſmatici, vel cum Pontificibus exercentes privata odia & inimicitias. Sic tempore ſimultatum inter Bonifacium. VIII. & Philippum Pulchrum ISTE appellavit futurum Concilium anno 1303. ut Spondanus eo anno notavit.* En ſpecimen operis, & opus totum, cui tantum abeſt ut conſentiam, ut potiùs illud averſis in ſiniſtrum 51
palmis abominer. Sic & abominor relatam à me neceſſaria de cauſa definitionem, cui quidquid eſt operis, perfidioſe ſuperſtruitur. Atque ita purgandum me eſſe cenſui de citato libro, qui tamen ſub Lugdunenſe prælum ſemel atque iterum ſudavit, necdum arſit.

Hæc eſt Eccleſiaſticæ quæſtionis hiſtoria quam requiris. In illa, quia pauca ſunt mea, opus eò eſt melius: Ex aliorum monumentis totum ut decuit, exaratur. Tu pro ingenii ſolertia & acumine quo polles ſi demenda ſint quædam, demere, ſi adjungenda ſint alia, adjungere curabis. Grata mihi erunt omnia, & nihil ingratius, quàm errantem me non redargui: redargutus proficiam. At proficere ſtudioſo homini etiam dum corrigitur, ſi rerum ſuarum ſatagat, tam eſſe debet jucundum, quàm quod jucundiſſimum. Vale Lutetiæ Pariſ. Nonis Sextilibus ann. M. DC. LXV.

Joannes Launoius

CHRISTOPHORO FAUVÆO,

Theologo, Pictavienſi Officiali.

Pictavium.

1 PROPONIS mihi tria, quæ ſtudio, circumſpectione, & accurata conſideratione tua digna mihi videntur. Primùm, quòd Hadrianus VI. cùm Lovanii profiteretur Theologiam, docuit, certum eſſe, Romanum Pontificem errare poſſe in iis, quæ ad fidem pertinent. Adſcribis verba è Commentario in quartum ſententiarum de miniſtro Confirmationis: *Ad ſecundum principale de facto Gregorii dico I. quòd ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum eſt, quòd poſſit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſim per ſuam determinationem aut decretalem aſſerendo. Plures enim fuerunt Romani Pontifices hæretici. Item & noviſſimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit,*

davit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei, & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quod nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa matrimonium. De quo in cap. Licèt de spons. duorum. Item patet hoc de errore, quem edidérat Celestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim: Cujus error habebatur olim in alia 2 *compilatione in cap. Laudabilem de convers. conjug. ut refert Ostiensis in cap. Quantò de divortiis; Non tamen dico Gregorium hic errare. Sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.*

Deinde, quod Hadrianus non revocavit doctrinam hanc, sive ut Cardinalis fieret, sive ut ex Cardinali Papa crearetur, sive postquam creatus est Papa.

Denique quæ & qualis certitudo sit propositionis, quam Hadrianus magna cum asseveratione docuit, ut tunc temporis ex traditione Ecclesiæ & potissimùm Romanæ docere potuit. In hoc tertio diligentiæ & animadversionis tuæ momento, quod proponis, cardo rei vertitur. In duobus aliis difficultas nulla consistit. Hadrianum tradidisse, quæ adscripsisti omnia, quis dubitet? Commentariorum editiones cunctæ id habent, & cum primis Romana, quæ auctore Pontifice comparata, & elogiis quampluribus adornata est. Hadrianum revocasse, quod retulimus, quis assereret, nisi fidem cum fronte amisisset? Quinetiam secundis cogitationibus iisque Pontificiis asseruisse, quod docuerat, pronunciare licet. Igitur tertium est campus, in quo tota disceptatio versari debet. Quærendus est modus, quo illi finis imponatur. Nunc objiciunt se mihi tria, quibus id sine ullo negotio perfici possit, Basileense Concilium, Pontificia Basileensis Concilii confirmatio, Theologorum Romanæ Curiæ de auctoritate Conciliorum à Pontifice confirmatorum sententiæ.

De primo res sic se habet in Responsione, quam Basileensis Synodus, *De potestate cujusvis Concilii generalis supra Papam*, dedit anno MCCCCXXXII. *Sacrosancta Basileensis Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata,* 3 *universalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam. Coganti huic sacra Synodo in Spiritu Sancto legitimè congregata, quid vobis venerabilibus Joanni & Andreæ Tarentino & Colossensi Archiepiscopis, ac Bertrando Episcopo Magalonensi, nec non dilecto Ecclesiæ filio Antonio de sancto Vito Palatii Apostolici causarum auditori, oratoribus sanctissimi Domini Eugenii Papæ IV. pro iis, quæ suo nomine hic exposuistis, responsura sit, duo ipse Spiritus Sanctus persuadet: Primum, ut secundùm Apostolum non in sublimitate sermonis, & doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritûs loquatur: Deinde, ut summum Pontificem & vos & quoscunque huic sacro Concilio adversantes sub iis verbis Apostolicis admoneat, quibus beatus Paulus ad Ephesios usus est: Nolite, inquit, contristare Spiritum Sanctum.* Et pluribus interpositis: *Ex his manifestè constat, auctoritates, quas de summi potestate Pontificis allegastis, non probare, quo minus ipse Pontifex mandatis universalis Ecclesiæ & Concilii generalis obedire teneatur, sed id duntaxat probant, quod omnes singulares homines, particularésque Ecclesiæ ipsi Pontifici obedire debent, nisi in his, quæ sacra huic Synodo, & cuilibet alteri legitimè congregatæ præjudicium generarent. Nam etsi sit caput ministeriale Ecclesiæ, non tamen est major tota Ecclesia, alioquin errante Pontifice, sicut sæpe contingit, & contingere potest, tota erraret Ecclesia, quod esse non potest. Etsi caput sit & principalis prælatus hujus corporis mystici, est nihilominus intra corpus. Nam si extra corpus esset, tunc non pertineret ad Ecclesiam, nec tunc caput esset. Corpus igitur hoc totum con-* 4 *tinet, & ipsum, quod dicitur caput & singula membra. Nec quis dicat, quòd ipsa pars principalis potentior est, ac dignior reliquo toto corpore & cæteris membris, & per consequens illi potiùs obediendum, quia ratio, experientia, & auctoritas dictant contrarium. Ratio, quia reliquum totum corpus etiam non computato Papa secundùm legem communem errare non potest in his, quæ sunt fidei, alioquin si errare posset, cùm* CERTUM SIT PAPAM ERRARE POSSE, *tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus tota erraret Ecclesia, quod esse non potest. Experientia etiam demonstrat, quia sæpe experti sumus, & legimus, Papam, licèt caput & principalem partem, errasse, reliquum autem corpus, Papa etiam errante, errasse nunquam legimus: Propterea reliquum sæpe totum corpus condemnavit atque deposuit Papam tam ratione fidei, quàm morum: Sed nunquam Papa condemnavit aut excommunicavit aut deposuit reliquum totum Ecclesiæ corpus. Licèt ergo tam Papa, quàm Ecclesia claves habeant ligandi atque solvendi, Papa tamen nunquam in totam Ecclesiam claves ligandi atque solvendi exercuit, Ecclesia autem sæpenumero in Papam. Auctoritas etiam Scripturæ evangelicæ idem probat. Nam hoc quod dixit Christus, si peccaverit in te frater tuus dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, omnes homines comprehendit, & quòd Petrus & successores illa auctoritate comprehendantur, ostendit Paulus, qui in faciem restitit Cephæ & coram omnibus. Ecclesiæ enim dixisse videtur, qui coram omnibus dixit; quod ad successores Petri, jam suprà dictum est, qualiter sæpe peccata eorum dicta fuerint Ecclesiæ, & ab Ecclesia punita, & qui non audierunt Ecclesiam, fuerunt habiti, ut Ethnici & Publicani, ut legitur de Anastasio & Liberio. Probat hoc etiam auctoritas universalis Ecclesiæ, quæ non potest errare,* 5 *ita definientis in Concilio Constantiensi, quòd peccata Pontificum circa fidem aut schisma vel mores possunt dici Ecclesiæ, cujus præceptis & ordinationibus tenentur obedire, & si obedire contempserint, condigna pœnitentia possunt subjici, & ad alia juris remedia recurri; & per consequens possunt excommunicari. Quo facto, ut ethnici & publicani habebuntur.* Et post alia benè multa. *Datum Basileæ in congregatione nostra generali III. Nonis Sept. anno à Nativitate Domini* MCCCCXXXII.

Hæc est aliqua pars definitionis quæ ut apparet, conciliariter facta est, nimirum postquam ultro citróque & allatis hinc inde Scripturæ & Patrum testimoniis disputatum est, utrum Papa supra Concilium sit, atque errare possit. At peracta disputatione tali, in eam deventum est sententiam ut dicatur certò Concilium supra Papam esse, & Papam errare posse, *cùm certum sit,* inquit Basileensis Synodus, *Papam errare posse.*

Nunc ad secundum, id est, ad Pontificiam Synodalis definitionis hujus confirmationem accedendum est. Eugenius IV. definitionem istam semel atque iterum confirmavit. Semel quidem per Legatum suum Julianum, qui quo tempore definitio facta est, Basileensi Concilio præfuit. Quinetiam non tantùm præfuit, sed & Eugenium volentem tunc Concilium dissolvere & transferre Bononiam continuit, & ab hoc consilio deterruit. Egregia est in hanc rem Juliani ad Eugenium Epistola secunda: *Non permittat,* inquit, *sanctitas vestra à quoquam seduci incutiente fortè timorem, ubi timendum est, aut persuadente, hoc non esse legitimum Concilium, & in eo offensuram tandem sanctitatem, si* 6 *velim probare contrarium, sed melius est, ut paululum offendam verbis, & prosim factis. Nam medicus infirmo apponit cauterium urens & sanat plagam. Non potest medicina prodesse, nisi gustu sit amara. Sub hac confidentia non vereor patefacere voluntatem, ut ea cognita sanctitas vestra sibi & Ecclesiæ consulat. An hoc Concilium legitimum sit, ex Concilio Constantiensi dependet: Si illud verum fuit, & istud. Nemo autem dubitare visus est, an illud legitimum fuerit. Similiter & quidquid ibi decretum est. Nam siquis dixerit, decreta illius Concilii non esse valida, fateri necesse habet, privationem olim Joannis (XXIII.) factam vigore illorum decretorum non valuisse; si illa non valuit, nec etiam Papa Martini tenuit*

tenuit electio, facta adhuc illo superstite. Si Martinus non fuit Papa, nec sanctitas vestra est, qua per Cardinales ab ipso factos electa est. Nullus ergo magis interest defendere decreta illius Concilii, quàm sanctitatis vestra: Et si quodcunque illius Concilii decretum revocetur in dubium, eadem ratione poterant revocari & reliqua ejusdem Concilii decreta hac eadem ratione; nec aliorum Conciliorum decreta valebunt, quia qua ratione vacillat fides unius Concilii, vacillabunt reliqua omnia. Et quibusdam interjectis: *Per Concilium autem Constantiense fuit factum decretum, Frequens, in quo statuitur, quòd primum Concilium fiat in quinquennium à fine illius, & aliud in septennium. A fine Concilii Constantiensis quinquennio elapso celebratum est Papiense, vel Senense, à cujus fine elapso septennio captum est celebrari istud.* Et quibusdam interpositis: *Unde nullatenus est ambigendum, quin Concilium* (Basileense) FUERIT 7 LEGITIMUM, *& canonicè congregatum. Et forsitan vix unquam legitur aliquod Concilium tot auctoritatibus munitum, sicut per duo videlicet pracedentia Concilia Constantiense & Senense, & duos Romanos Pontifices confirmatum.* Infrà: *Asserunt etiam pradictam dissolutionem fieri non potuisse, obstante quodam decreto Constantiensis Concilii, quod in his, qua pertinent ad fidem & extirpationem schismatis & ad reformationem Ecclesia in capite & in membris, quemlibet cujuscunque conditionis etiam Papalis teneri obedire statutis & ordinationibus & praceptis cujuscunque Concilii generalis, & nisi obedierit, puniatur,* &c. *Ecce posse statuere in aliquem, posse pracipere, posse punire non obedientem, signa sunt evidentiora superioritatis in his, in quibus statuit, pracipit, aut punit: Teneri autem obedire, & subjici, ac parere, signa sunt inferioritatis in pradictis casibus. Ergo in pradictis casibus cùm Papa, ut dicunt, sit inferior Concilio, quod etiam facto probatum fuit; (Nam propter unum de tribus casibus Concilium privavit Joannem, & propter alterum privavit Benedictum) Non poterit Papa dissolvere Concilium, quia inferior in eo, in quo est inferior, non potest solvere vel ligare superiorem.* Et post alia.

Nemo dubitat, si contra aliquem summum Pontificem ageretur DE HÆRESI, *quod ipse non posset Concilium dissolvere, quia si posset dissolvere, non posset judicari. Quod esset contra caput Si Papa dist.* XL. *ergo sicut* IN HÆRESI, *sic & in aliis duobus casibus; isti enim tres pacificati sunt per Concilium Constantiense. Eodem modo loquitur Concilium Constantiense, sicut caput Si Papa. In illo uno, ut pradixi, facto Concilium Constantiense approbavit hanc sententiam, quia propter schisma privavit Pe-* 8 *trum de Luna, & propter deformitatem vita, privavit Joannem. Et si qua jura reperiuntur, qua dicunt, prima Sedes non judicabitur à quoquam, & primam Sedem nemo judicat, & nemo sibi dicit, cur ita facis, intelligenda non sunt in his tribus casibus. In principio de fide provisum fuit per cap. si Papa: In aliis duobus per Concilium Constantiense. Alioqui si sine ulla exceptione intelligeretur illud prima Sedes,* &c. *Tunc pradictum cap. Si Papa* XL. *distinct. & pradictum decretum Constantiense essent falsa: Et si cap. Si Papa, causa* HÆRESIS *istos duos addidisset, nemo dubitaret de pradicta sententia. Sic enim nemo debet dubitare de decreto Concilii, quod factum est auctoritate Papa, & repræsentat universalem Ecclesiam. Et si dicatur, in Conciliis intelligitur excepta auctorita[illegible]e, respondeo illud verum, quando persona Papa spe[illegible] non includitur: Sed si specialiter includitur, no[illegible] excipi, quia saperet contradictionem. Hac dixi be[illegible]e Pater, Deus est mihi testis cum displicentia animi, se[illegible]r ita dicere, ut sanctitas vestra desinat à pradicta [illegible]tione, ne contingant infinita mala in Ecclesia.* Hæc E[illegible]nius cùm vidisset omnia & momentis expendisset [illegible]us, animum cohibuit, reversúsque ad seipsum nec Concilium dissolvit, nec Bononiam transtulit. Quinetiam id fecit, quod causâ meliùs & perfectiùs cognitâ Pontificem summum facere decuit & oportuit.

Et primò quidem ille datis ad Julianum literis exponit, quo consilio Basileensem Synodum dissolvere & Bononiam transferre voluerat, nec ibi vel leviter significat, se de iis, quæ Synodus egerat, rescindendis cogitationem suscepisse ullam, nec obstitisse proinde, quo minus Synodi præses Julianus relatis in sessione I. & 9 II. Constantiensis Concilii decretis & continuò assertis, nec non Synodali responsioni, quæ in sessione VI. facta est circumspectissimè, consentiret, & ea pro munere suo confirmaret. Sed ne in animum inducas tuum, velle me vel historiæ leges negligere, vel fuci tantulum facere, Eugenii literarum verba ipsa refero, quæ Odoricus Raynaldus refert in Ecclesiasticis Annalibus: *Cùmque his proximis diebus charissimus in Christo filius noster Joannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator nuncupatus oratorem suum ad nos & prafatos fratres nostros destinaverit, qui exponendo nos requisivit, ut juxta ordinationem dicti pradecessoris pro unione Orientalis Ecclesia cum Romana & Occidentali Ecclesia Concilium celebraretur, nósque conventionem & ordinationem dicti pradecessoris etiam cum consilio dictorum fratrum nostrorum approbantes, ipsisque Gracis postulantibus juxta conventionem dicti pradecessoris expensas galearum eos ad Concilium conducere, & ipso finito, ad partes suas reducere debentium & alias expensas opportunas & necessarias obtulerimus, multáque etiam loca Italia, cùm alibi pro Gracis commodè fieri non posset, pro celebratione dicti Concilii, eorúmque reductione ad ritum Romana Ecclesia per nos oblata fuerint, dictúsque orator certos nos effecerit, Imperatorem & Patriarcham prafatos alios suos oratores cum plena potestate transmissuros esse, qui ex oblatis in Italia locis aliquem prasertim cum plena potestate Bononiam acceptabunt, prout ad prafatum pradecessorem ante sui obitus notitiam transmittebant, cúmque si nova pralatorum vocatio, ut pramittitur, fieret, hac duo Concilia uno propè tempore concurrere videantur, & si* 10 *ea disjuncta fieri & celebrari contingeret, unum altero debilius & minoris efficeretur auctoritatis: Hac insuper unà cum dictis fratribus nostris animo nostro contemplantes, cùm in universa republica Christianorum, nihil desiderabilius contingere posse, quàm videre Gracos tanto temporis intervallo à dicta Romana Ecclesia disjunctos, sub ritu ipsius Ecclesia, & veritate Catholica fidei reductos esse, & istam Gracorum nationem, qua tot sanctos Patres & viros egregios & sapientes genuit, qui humano generi tam sacrarum, quam sacularium literarum seminarium dederunt, Romana Ecclesia unitam, & sub ipsius unico ovili reductam: His & aliis rationabilibus causis inducti, ut tam reformationem Cleri, & Ecclesia, ac extirpationem haresum, ac paci & tranquillitati Christianorum, quàm etiam Gracorum reductioni (qua omnia summis desideramus affectibus,) providere personaliter valeamus, circumspectioni tua ipsum Concilium, si quod adhuc pendere videatur, dissolvendi, & nihilominus ante dissolutionem hujusmodi in civitate nostra Bononiensi, ubi Deo auctore personaliter intendimus prasidere, ubi ad annum cum dimidio à die dissolutionis hujusmodi computandum novum Concilium indicendi, & infra plenam ac liberam ipsorum fratrum videlicet Jordani Sabinensis, Antonii Ostiensis & Velletrensis,* &c. *Cardinalium consilio auctoritate Apostolica tenore prasentium concedimus facultatem.* Eugenius dissolvendi Concilii facultatem impertitur, sed nec rescindit ipse, quæ jam acta fuerant, nec rescindendi potestatem Juliano tribuit. Confirmat ipse tacitus ea, quibus Julianus præses reipsa pondus adjecerat auctori- 11 tatis suæ. Iuliano indicendi Bononiæ Concilii facit copiam, quò faciliùs & Græcos ad indictum propter eos Concilium alliceret, & tandem pertraheret ad ineundam cum Latinis concordiam.

Deinde in sessione XVI. Synodi acta, quæ præcesserant omnia & præsertim Synodalem responsionem ita confirmat: *Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dudum sacrum generale Concilium Basileense per generalium Constantiensis, & Se-*

nensis Conciliorum statuta, ordinationésque felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostras pro extirpatione hæresum, pace populi Christiani ac generali reformatione Ecclesiæ in capite & membris & pertinentibus ad ea legitimè inchoatam, ex certis causis in aliis nostris literis expressis de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu dissolvimus. Verùm cùm ex dicta dissolutione orta sint graves dissensiones, & graviores oriri possent, nihilque magis optemus, quàm quòd prædicta sancta opera debitum sortiantur effectum, de consilio & assensu venerabilis fratris Episcopi Sabinensis & dilectorum filiorum nostrorum, Antonii sancti Marcelli, Francisci sancti Clementis, Angelotti titali sancti Marci Presbyterorum, ac Lucidi sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Audecini sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, decernimus, & declaramus, præfatum generale Concilium Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitimè inchoatum fuisse & esse, prosecutionémque semper habuisse, continuari ac prosecutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad
12 *ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quinimo præfatam dissolutionem irritam & inanem de consilio & assensu simili declarantes, ipsum sacrum generale Concilium Basileense purè & simpliciter, & cum effectu ac omni devotione & favore prosequimur, & prosequi intendimus. Præterea ut mentis nostræ integritas ac devotio, quam ad universalem Ecclesiam & sacrum generale Concilium Basileense gerimus, evidenter constet, duas nostras literas pridie in Palatio Apostolico promulgatas, aam tertias, quarum tenor de verbo ad verbum inferiùs describitur, quæ dicuntur incipere, Deus novit, cùm à nobis, aut de scitu nostro nunquam emanarint, licet superfluum videatur, quod non exstat, revocare, tamen quia petitum est, & ad cautelam, si ullo unquam tempore apparerent, & alias quascumque, & quidquid per nos, aut nostro nomine in præjudicium & derogationem sacri Concilii Basileensis, seu contra ejus auctoritatem factum, attentatum, seu assertum est, cassamus, revocamus, nullas & irritas fuisse declaramus*, &c. *Datum Romæ, apud sanctum Petrum* XVIII. *Calend. Jan. Pontif. nostri anno* III. Hæc est præcedentium actorum & cum primis Synodalis responsionis approbatio, hæc confirmatio, quæ expressè conscribitur, & apertissimè planissiméque explicatur. Cùm dicit Eugenius indixisse se Concilium, ut in capite & in membris reformaretur Ecclesia, nonne ut membra, sic & caput in reformationem & emendationem venire significat? Quòd si reformandum atque emendandum est caput Ecclesiæ, hoc caput erroribus cùm in fide, tum in moribus non potest non esse obnoxium. Id omnino demonstrat capitis & membrorum conjunctio, quam habet eadem
13 series orationis. Ad hanc demonstrationem ut cumulus accedit revocatio literarum, quæ sub Eugenii nomine prodierant. In tertia diligenter consideranda sunt hæc: *Si Papa vel Legatus ejusdem nollet disponere aliquid, & contra Concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus Legati personam summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa, nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Pontifex revocat epistolam cum propter alia, tum maximè propter hoc, quòd sibi potestatem super omnia Concilia vindicet. Sed non revocat ob verba hæc: *Nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, & statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent. Quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Non revocat inquam ob verba hæc, quibus cum Synodali responsione concordat. In his duobus rerum Ecclesiasticarum momentis Concilio seorsum à Pontifice non errandi privilegium attribuit, haud Pontifici seorsum à Concilio. Nempe dissentientibus Concilio & Pontifice, Concilii sententiam Pontificis sententiæ anteponendam esse censet. Hoc ipsum in Synodali responsione traditur: *Reliquum totum corpus non computato Papa secundùm legem communem errare non potest in his quæ sunt fidei, alioqui si errare potest, cùm certum sit, Papam errare posse, tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus, tota erraret Ecclesia, quod esse non potest.* Hac igitur in parte & caput cum membris, & membra cum capite conveniunt, nec dubium ullum est, quin Euge- 14
nius Synodalem responsionem præ cæteris, quæ in superioribus Basileensis Conc. sessionibus gesta sunt, confirmaverit.

Futiles moras & tergiversationes, quas Bellarminus de Basileensi Concilio nectit, ut id quod res est, non emineat, in priori ad Joannem Gerbasium epistola dilui. Quocirca quod ibi latè disserui, hic repetere supersedeo. Sed quidquid id est, ineluctabili vi dilemmatis hujus ita confirmo, ut confirmari magis non possit. Cùm Eugenius Basileensis Concilii acta, quæ sessionem XVI. præcedunt, approbat, vel fallitur; vel non fallitur: Si fallitur, indeficientis judicii privilegio absolutè & simpliciter caret: Nam si Romanus Pontifex in Conciliorum approbatione caret tali privilegio, ubique & semper caret: Si non fallitur, certum atque indubitatum erit, Romanum Pontificem errare posse. Si quidem id confirmat, quod Basileense Concilium sibi sumit, & auctoritate ac ratione asserit. Adulatricis Curiæ magistri in uno capti sunt, in altero nulli.

Si quæramus externa testimonia, occurret Æneas Silvius seu Pius II. si tamen externum dicendum est illius testimonium: Memorata Basileensis Concilii acta comprobata esse ab Eugenio affirmat ille, qui certè negaret, si cum aliqua veri specie negari posset. Scilicet in Retractationis suæ diplomate affirmat: *Accessit*, inquit, *& ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii à se factam revocavit, & progressum illius approbavit.* In eo progressu cùm alia, tum nostra quoque Synodalis responsio continetur. Prætermittere non possum, quæ in libro
traduntur sic inscripto: *Pii II. Pontificis maximi com-* 15
mentarii rerum memorabilium, quæ temporibus suis contigerunt, à R. D. Joanne Gobelino Vicario Bonnensi jamdiu compositi, & à R. P. Dominico Francisco Bandino Picolomineo, Archiepiscopo Senensi ex vetusto originali recogniti. Quibus Gtegorii XIII. epistola ad Franciscum Archiepiscopum Senensem præfigitur, & Commentarii probantur die 1. Octobris, anno MDLXXXIII. Res autem sic se habet in lib. VI *Eugenium IV. natione Venetum ei* (Martino) *suffecerunt, qui Martini Legatos in suis provinciis confirmavit. Cœpit deinde Concilium Basileæ, ad quod frequentes ex omni orbe Christiano Episcopi & regum Legati convenerunt, & Italiamus in Bohemia profligatus eo se contulit. Eugenius conventum dissolvere primò conatus est, quod ubi non successit, rogatu Principum confirmavit.* Confirmatio hic quoque ut & aliis in locis asseritur.

Ad extremum Leo X. & Lateranense Concilium cui præfuit, cùm ea tantùm reprobent, quæ Basileense Concilium post factam illius ab Eugenio translationem gessit, ea quæ ante gessit approbare censentur. Nam exceptio firmat regulam in exceptis: *Nec illud*, inquiunt in sessione XI. *movere nos debet, quod sanctio ipsa*, pragmatica, *& in ea contenta in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante à Bituricensi congregatione recepta & acceptata fuerunt, cùm ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per reverendæ memoriæ Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostram factam, à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs conventicula, quæ præsertim post hujusmodi translationem Concilium ampliùs appellari non merebatur, facta exstite-*
rint. Ex his autem verbis facile est colligere Leo- 16
nem X. & Lateranense Concilium in ea consentire, quæ Basileensis Synodus ante illius translationem, gessit, docuit, decrevit. At certum est inter illa Synodalem responsionem, de qua nunc agitur præcipuum locum tenere, & habitis ultro citróque dispu-

cationibus

tationibus editam fuisse. Superest tertium, quod addicti Romanæ Curiæ placitis Theologi breviter ac dilucide exequentur. Stanislaus Hossus Varmiensis Episcopus & Cardinalis familiam ducet in libro II. de legitimis judicibus: *In iis quæ in facto sunt, fieri potest, ut fallatur quandoque Concilium: Ut autem erret in iis quæ sunt fidei, modò sit legitimè congregatum, fieri non potest.*

Robertus Cardinalis Bellarminus in libri II. de Conciliis capite II *Sit igitur*, ait, *prima propositio. Fide Catholica tenendum est generalia Concilia, à summo Pontifice confirmata, errare non posse nec in fide nec in moribus.*

Gregorius à Valentia è Societate Jesu Theologus, in Analysi Catholicæ fidei lib. VIII. cap. VII. assert. II. *Romani Pontificis confirmatione quodvis Concilium est infallibile.*

Thomas Stapletonus in Academia Duacensi Professor Theologiæ de mediis judicii Ecclesiastici Controvers. III. lib. VII. cap. X. *Tertium adhuc magisque infallibile hoc Synodorum medium est in judicio, sive provinciales sint, sive etiam generales Synodi, cùm à Romano Pontifice sancti Petri successore confirmata illæ fuerint.*

Gabriel Vasques è Societate Jesu Theologus, in disputationis CCXLIX. capite II. *Quamvis*, inquit, *ne-*
57 *gare non possimus Concilia provincialia ante Pontificis confirmationem errare; Tamen ut id de aliquo affirmare sine temeritate possimus, firmioribus sanè uti debemus fundamentis, quàm Turrianus.* Sic post Romani Pontificis confirmationem nequeunt provincialia Concilia, & longè minùs universalia, quæ universalem repræsentant Ecclesiam, errare.

Adamus Tannerus è Societate Jesu Theologus in disputationis I. de fide quæst. IIS. dub. III. *Universim affirmandum est Concilia etiam generalia, quantumvis legitimè congregata in definiendo errare posse, si decreta ipsa nulla auctoritate summi Pontificis fulciantur, aut comprobentur.* Infrà: *Quare hinc non colligitur Concilia absque Pontificis auctoritate, sed unà cum Pontifice quidem velut capite & præside omnium Pastorum ipsorumque Conciliorum infallibilem habere auctoritatem.* Sic generalia Concilia, dum à Romano Pontifice confirmantur, errare non possunt.

Christophorus Gillius è Societate Jesu Theologus, in lib. S. tract. VSS. de locis Theologicis, cap. IX. num VI. *Si verò Concilia* (generalia vel particularia) *sint à summo Pontifice approbata, jam habent infallibilem auctoritatem fundatam in assistentia Spiritûs Sancti manu tenentis ac dirigentis Pontificem in tradenda fidei doctrina ex cathedra.*

Joannes Bagotius è Societate Jesu Theologus in libri SV. Institut. Theolog. de vera religione disp. V. cap. IV. *Tertiò auctoritas Romani Pontificis in Conciliis jus istud habet, ut eorum definitiones plenissimam infallibilitatem non habeant, nisi ad eas accedat consensus & probatio illius, ita ut ipse judicet legitimum fuisse Concilium.* Sic Eugenius IV. in sessione XVS. Basileense Concilium fuisse legitimum judicavit.

18 Thomas Comptonus è Societate Jesu Theologus, in disp. XXS. de Conciliis sect. SV. num. X. *Concilium generale, in quo adest Pontifex, errare non potest, & est infallibilis regula fidei.* Infrà: *Idem dicendum est de Concilio generali, in quo Pontifex per se non adest, sed per Legatos suos, si tamen rebus ab eo definitis Pontificis approbatio accedat.*

Gregorius Rivesius Avenionensis Capucinus, in Præludio VII. Epitomes Canonum & Conciliorum: *Si ad Concilium legitimè congregatum accedat confirmatio Papæ, Concilium illud est infallibilis veritatis in decretis fidei, tum ob intimam spiritus Christi præsentiam, ac divini spiritus magisterium infallibile quod Concilio præsidet, tum quia Ecclesia est infallibilis, & errare non potest, & ipsum Concilium sic congregatum & confirmatum est ipse consensus Ecclesiæ.*

Hæc pauca de multis, quæ ad solvendam quæstionem satis superque sufficiunt Hi Theologi omnes manifeste docent propositionem illam, quam ex Hadriano VI. Papa edidisti, usque adeo certam esse, ut eî falsum subesse non queat. Quare contraria propositio flagitii non potest non coargui, quippe quæ confirmatis à Romano Pontifice Conciliis generalibus non errandi privilegium detrahat. Neque verò in Pontificiam Basileensis Concilii confirmationem lis inferetur ollis, quæ in Pontificiam Nicænæ Synodi I. & Constantinopolitanæ Synodi I. confirmationem non faciliùs inferatur & impuniùs. Nam monumenta, quibus probavimus Eugenium Basileensis Concilii acta, sessionem 19
XVI. præcedentia & præsertim Synodalem responsionem confirmasse, certiora & magis expressa sunt iis, quibus ostenderetur, vel Silvestrum Nicænæ Synodi, vel Damasum Constantinopolitanæ Synodi acta confirmasse. Hoc spondeo, hoc recipio, hoc affirmarem apud Sagram. Nunc igitur vides, quæ & qualis certitudo (mollienda sunt tua verba) propositionis sit. Hæc ut dubitationem omnem excludit, ita & assensionem omnem meretur: Hanc plurimùm adjuvabit Romanæ Ecclesiæ traditio, quam in prioribus ad Raimundum Formentinum; & in posterioribus ad Joannem Gerbasium literis exposui. Jam tandem vel tacente me perspicis, oppositis & novis ea super re placitis fidem nullam, veritatem nullam asseri, vel etiam probabilitatis speciem nullam affricari posse, nisi fortassis contra generales Synodos per Romanos Pontifices confirmatas probabiliter & sentire & dicere quis possit. Agitur de suprema Romanorum Pontificum auctoritate, quòd agatur de auctoritate Conciliorum, quæ Romani Pontifices approbaverint, ut Eugenium IV. Basileensis Concilii acta sessionem XVI. præcedentia confirmasse vidimus. Exinde quidquid illud est, hoc ad intelligendum facili dilemmate concluditur: Eugenius IV. & Leo X. inter cætera Basileensis Concilii acta Synodalem responsionem confirmantes vel erraruntque, vel non errarunt: Si errarunt, Romani Pontifices indeficientis judicii privilegium nullum habent, & quia in confirmandis Conciliorum actis non habent, nusquam habent: Si verò non errarunt, Romani nihilominus Pontifices errare possunt, quia Eugenius & Leo confirmarunt Synodalem responsionem, 20
ubi expressè traditur, quòd *Papam errare posse certum sit.* Certitudo autem cuja sit, colliges tu ex Bellarmino & aliis Curialibus magistris, quorum testimonia sincerè retulimus. Si cum illis tuam & Hadriani VI. propositionem divinæ fidei candidatam esse putaveris, oppositam amandabis procul, & ei nigrum theta præfiges. Vale. Lutetiæ Paris. pridie Idus Sextiles ann. MDCLXV.

Joannes Launoius

Eidem

CHRISTOPHORO FAUVÆO,

Pariſienſi Theologo, Pictavienſi Officiali.

Pictavium.

21 BELLARMINUM ais in libri IV. de poteſtate ſummi Pontificis capite 11. quæſtionem hanc proponere, *Sitne certum Papæ judicium?* Sed dubitas, num controverſæ, ut ipſe dicit, inter Catholicos quæſtionis ſtatum ſimpliciter & candide proponat. Dubitas enimverò, quia probè tenes illum quæſtionis hujus alterius, *Sitne Romanus antiſtes ſupra vel infra Concilium*, ordinem ac ſtatum perperam defixiſſe. Tua te non fallit conjectura, quam de poſterioris quæſtionis conditione capiendam eſſe duxiſti. Nam Bellarminus prioris quæſtionis ſtatum vix potuit iniquiùs proponere, quam propoſuit. Hæc dolenter animadverto, ſed ut animadvertam cogit me ſimplex veritatis ratio. Sic autem quæſtionis ſtatum proponit poſt relatam hæreticorum ſententiam.

Secunda ſententia eſt, Pontificem etiam ut Pontificem, poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque Concilio generali definiat; & de facto aliquando accidiſſe. Hanc opinionem ſequitur & tuetur Nilus in ſuo libro adverſus primatum Papæ: Eandem ſecuti ſunt aliquot Pariſienſes, ut Gerſon & Almaynus in libris de poteſtate Eccleſiæ, necnon Alfonſus de Caſtro, libro 1. cap. 11. contra hæreſes, 22 *& Adrianus VI. in quæſtione de confirmatione: Qui omnes non in Pontifice, ſed in Eccleſia, ſive in Concilio generali tantùm conſtituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.* Infrà, poſt relatam Alberti Pighii ſententiam:

Quarta ſententia eſt quodammodo in media, Pontificem ſive hæreticus eſſe poſſit, ſive non, non poſſe ullo modo definire aliquid hæreticum à tota Eccleſia credendum. Hæc eſt communiſſima opinio fere omnium Catholicorum; ut beati Thomæ 2. 2. quæſt. 1. art. 10. Thomæ Valdenſis lib. ſecundo doctrin. fidei, cap. 47. & 48. Joannis de Turrecremata libro ſecundo Summæ cap. 109. & ſequem, Joannis Driedonis, libro quarto de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 3. part. 3. Cajetani in Opuſculo de poteſtate Papæ & Concilii cap. 9. Hoſii libro 2. contra Brentium, qui eſt de legitimis judicibus: Joannis Ekii lib. 1. de primatu Petri cap. 18. Joannis à Lovanio libro de perpetua Cathedræ Petri protectione & firmitate, cap. 11. Petri à Soto in Apologia ſua, part. 1. cap. 83. 84 & 85. & Melchioris Cani libro ſexto cap. 7. de locis. Hæc ad annum MDLXXVII. quo libros de poteſtate ſummi Pontificis ſcribere aggreſſus eſt.

Hæc autem omnia, quæ antè deſcripſimus, ſingillatim expendenda ſunt, ut ſuus veritati conſtet locus, ſua conſtet dignitas.

I. Utriuſque ſententiæ auctores enumerat quindecim, prioris quinque, poſterioris decem: Quia in enumeratione poſterior ſententia priorem dimidia tantùm parte ſuperat; & tamen Bellarminus audet dicere, *Hæc eſt communiſſima opinio fere omnium Catholicorum.* Heu priſca fides & integritas! Quaſi verò ne 23 opinio hæc ſit Catholicorum fere omnium, impedire non poſſent auctores quinque, quorum

Primus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus fuit.

Secundus in Conſtantienſi Concilio ſic commendatus, ut non potuerit commendari magis: Franciſcus enim Zabarella Florentinus Cardinalis excipientibus Gerſonem Huſſitis reſpondit: *Dicitis ô Huſſitæ Cancellarium Pariſienſem ſuſpectum vobis exiſtere, qui tamen uſqueadeo ſuperexcellens Doctor eſt, qualis in tota Chriſtianitate vix reperiri queat.* Fuitne ullus unquam inter homines agens homo, quem vir Zabarellæ par in Synodo pari tantopere commendaverit?

Tertius, quem Lutetiæ perinde ac divinum aliquod ingenium aut numen ipſum, auditores venerabantur, ut Oliverius de Lugduno Pariſienſis Theologus & Navarrici Collegii Archididaſcalus teſtatur, ſcribens ad Lectorem in fine operum Almaini.

Quartus magna cum eruditionis laude Tridentino Concilio interfuit, & editis libris quampluribus illuſtre apud poſteros nomen conſecutus eſt.

Quintus fuit inſignis Theologus & Romanus Pontifex, qui ſua ſe & conditione & loci dignitate defendit, & pleriſque aliis præponderat, quod factus Pontifex ſententiam non mutaverit, & eam Romanis typis mandari voluerit.

II. Si de poſteriori ſententia demerentur auctores quinque, tunc prior & poſterior ſententia auctorum numero coæquarentur, nec una ſententia prædicari poſſet alterâ communior. Sed ambæ æquè communes eſſent. Si verò auctores quinque dempti alios ad quinque reducantur, efficientne quæſo, ut poſterior ſententia ſit *communiſſima Catholicorum fere omnium?* Bellarmi- 24
nus in hoc calculo deceptus eſt, vel lectores ſuos decipere voluit. Utrum ſit neſcio, ſcit ille, quem nihil fugit. Neutrum eſſe vehementer etiam atque etiam vellem, ne tam aperto partium ſtudio duci videretur.

III. Abſurdum eſt, Catholicos fere omnes Theologos exceptis quinque denario numero comprehendi: Et cùm Bellarminus illud ſignificat, in re tanti ponderis fucum facit, aut patitur. In uno reprehenſione gravi dignus eſt, in altero ſuffocatur.

IV. Pro ſententia priori cùm Bellarminus auctores ſexcentos enumerare potuit, enumerat quinque duntaxat, ut illa minùs communis minùſque probabilis appareat. Et ſic de vitioſiſſima diſſimulatione purgari nequit. Sigillatim refero quos è noſtris Pariſienſibus in præteritis reliquit. Hi autem ſunt.

V. Innocentius III. in libri III. Regeſt. XV. Epiſtola CIV. ad Philippum Auguſtum: *Diligenter audivis & perſpicaciter intellectu, quæ nobis ex parte regia dilecti filii:.:.:.:.: Abbas de Trappa & Joannes Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus noſtris ſtudioſo tractatu non occurrit nobis aliqua via per quam in his, quæ ipſi pro te poſtulaverunt, à nobis tuæ ſecundum * poſſemus occurrere voluntati, ſub obteſtatione divini judicii proteſtantes, libentiſſimè ſi poſſemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, à quo deſideras vehementer abſolvi. Sed in carnali commercio inter te ac reginam conjugem tuam adeò eſt proceſſum, quòd ſi etiam illi tantùm confeſſioni vellemus inſiſtere, quam nuper eadem regina feciſſe proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto Magiſtro Roberto Corzon nunc tituli ſancti* 25 *Stephani in Cœlio Monte Preſbytero Cardinali, non auderemus ſuper hujuſcemodi caſu de noſtro ſenſu pro te aliquid diffinire,*

diffinire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tua in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, prater divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan, ordinis & officii nostri periculum immineret, cùm contra pramissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare. Non ita scripsisset Innocentius, si non errandi privilegium & in fide & in moribus habere se putasset. Omnino credit se errori obnoxium, cùm sincerè pronunciat: *Si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, prater divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri nobis periculum immineret, cùm contra pramissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* Præterea cùm fatetur id à Concilio fieri posse, quod à seipso fieri non potest, Concilio inferiorem se esse agnoscit, ac proinde errare posse. Nam omnis qui inferior est Concilio, ab eo corrigi potest. At non corrigeretur, qui errare non posset.

Hoc ipsum libenter agnoscit in sermone II. de consecratione Romani Pontificis: *In tantum*, inquit, *mihi fides necessaria est, ut cùm de cateris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide com-*
26 *mittitur, possem ab Ecclesia judicari.* Sic loquitur qui se à fide deficere, qui in publico fidei judicio errare posse arbitratur? Noverat decessores quosdam suos errasse & cum primis Clementem III. cujus decretalem, inscriptione Laudabilem, revocavit, ut æqualis Robertus Corzon tradit in Summa quæst. de impedimentis matrimonii: *Uxor*, inquit, *relicta fide manet libera à matrimonio. Non enim uxor gentilis aut Judai debet esse melioris conditionis, ut possit liberè transire ad secunda vota, quàm uxor heretici conversa ad fidem, quod concessit Clemens in illa decretali Laudabilem. Nec dicit hac ad parva esse judicanda, sed Innocentius, qui modò prasidet, hac revocavit.*

Noverat seipsum aliàs errasse circa sigillum confessionis, cùm in Lateranensis Concilii capite XXI. eodem approbante Concilio sic decernit: *Caveat autem omnino, ne verbo vel signo vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiorum consilio indiguerit, illud absque expressione persona requirat*, &c. De sigillo confessionis ante Concilium sic aliter censuerat apud Cæsarium Cistercienscm in libri III. historiarum memorabilium capite XXXI. & XXXII. *Peccata*, inquit, *confitentium in multis casibus prodere poterit, tacitis personis: Ipsas verò personas prodere non debet, nisi in uno casu, quem infra hoc quinquennium dominus Innocentius Papa tali modo determinavit. In domo quadam Cisterciensis Ordinis monachus quidam sine ordine celebravit. Hoc cùm die quadam Abbati suo retulisset in confessione, nec tamen cessare vellet à tanta prasumptione, Abbas dolens & lacrimans, ut à blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit, & pracepit. Sed non*
27 *profecit: Ille verò timens notari, si cessaret, celebravit, ut priùs. In sequenti Capitulo generali Abbas idem proposuit casum eundem, interrogans quid faciendum foret confessori, si forsè tale quid in aliqua domo emergeret. Cùmque Dominus Cisterciensis & cateri Abbates super hoc nihil auderent diffinire, casum scripserunt Innocentio Papa, qui convocans Cardinales, virósque literatos, casum eis proposuit, & quid de hoc sentirent, à singulis requisivit. Omnibus pene in hoc sentientibus, quod confessio non esset prodenda. Respondit: Ego dico in tali articulo esse prodendam, quia talis confessio non est confessio, sed blasphemia. Nec debet confessor, blasphemiam talem ac infamiam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Ecclesia. Et placuit sententia omnibus, scripsitque sequenti anno Capitulo, quod à se fuerat determinatum & à Cardinalibus approbatum.* Hic est error, in quem lapsus fuerat Pontifex consultus ut Pontifex, sed quem postea Lateranense Concilium cui ille præfuit, emendavit. Cæterum Parisiensibus Theologis adnumerandum esse Innocentium duxi: Quia cum esset Lotarius, Parisiis Theologiam didicit Petro Corboliensi docente, qui Innocentio Pontifice ad Senonensem Ecclesiam accessit.

VI. Robertus Corzon, qui ex Parisiensi Cancellario factus est Cardinalis Presbyter, in Summa quæst. de Extrema Unctione: *Dicimus, quòd pro aliqua necessitate non potest vel oleum benedici nisi ab Episcopo, nec unctio celebrari nisi à Sacerdote, nec in alio die, quàm in die certa est oleum illud benedicendum, nisi per Concilium generale ampliata esset illa benedictio ad alios dies per internam inspirationem.*

Deinde in quæst. XXIII. cap. III. *Quia in generali* 28
Concilio per inspirationem Spiritus Sancti à sanctis Patribus institutum est, & à domino Papa confirmatum, ut quis in sacris ordinibus constitutus contrahat, tam generalis constitutio à domino Papa revocari non potest, vel ab homine in secreto, nisi per eandem auctoritatem Spiritus Sancti, & convocato generali Concilio. Auctoris hujus Summa MS. est in Bibliotheca sancti Victoris ad Lutetiam. In his duabus quæstionibus cùm major Concilio, quàm Romano Pontifici auctoritas tribuitur, Romanus Pontifex Concilio subjicitur, nec Concilio subjici potest nisi errare possit. Certa & indubitata est complexio. Nec alia tunc temporis, quo florebant Innocentius & Robertus, Parisiis & Romæ vigebat opinio.

VII. Albertus Magnus in quartum dist. XII. art. VII. *Item dicitur, quòd hac quastio devoluta est ad Sedem Apostolicam, & ibi judicatum, quòd spelta esset species hordei. De hordeo autem confici non potest, ergo nec de spelta.* Infrà: *spelta frumenti genus est, & non species grani, & habet sub se triticum & speltam, unde spelta frumentum est, & de ipsa potest confici corpus Domini, sicut de tritico.* Infrà: *Ad aliud dicendum, quòd non puto Curiam ita determinasse, & si ita determinavit, hoc fuit ex ignorantia materia grani spelta.* Hic Romana Curia, quam cum Apostolica Sede confundit, Alberti judicio errat, non quidem malitia, sed ignorantia, quæ mater est erroris.

VIII. Parisienses Theologi illi omnes, qui Joanni XXII. contra Romanæ Ecclesiæ traditionem dogmata disseminanti restiterunt, & ea condemnarunt anno 29
MCCCXXXIII. In iis eminuerunt tres, Petrus Paludanus, Patriarcha Hierosolymitanus, Petrus Rogerius, qui ex Archiepiscopo Rotomagensi factus est Papa, Clemens VI. & Nicolaus Liranus. Historiam ita persequitur Guillelmi Nangii continuator ad annum MCCCXXXIII.

Hoc anno (1333) cùm pradicatio, quam dictus dominus Joannes Papa, in qua publicè ut ferebatur, dixerat, quòd anima decedentium, ut dictum est prima Dominica Adventus anni 1331. debuit pradicare, in qua ut publicè ferebatur, dixerat, quòd anima decedentium in gratia, non vident Deum per essentiam, nec sunt perfectè beata usque post resumptionem corporum (quod dictum multos scandalizaverat) quasi sopita videretur, publicè tamen apud Avenionem, ubi Papa tunc residebat, istud dictum à pluribus, ab aliquibus & maximè à quibusdam Cardinalibus ob favorem, ab aliis propter timorem summi Pontificis pradicti. Nam quendam fratrem Pradicatorem, qui contra istud dictum, sive errorem istum pradicaverat, statim in carcerem fecit poni, ut sustineretur, ac etiam pradicaretur. Parisius autem ut à Magistris & tota Theologia Facultate reprobaretur, missi sunt à latere ipsius Papa duo Magistri in Theologia, qui sibi in opinione sua consentiebant: Et quamvis fingerent, quòd pro reformanda pace inter regem Anglia & regem Scotia esse missos, apparuit tamen quòd pro alio non venerant, nisi ut Magistros in Theologia regentes Parisius cum aliis de regno Francia subverterent, & ad opinionem suam adducerent, sed ita per Dei gratiam non accidit. Nam quamvis idem generalis Minister eandem quastionem in prasentia scholarium quasi infinitorum deter-

30 *determinaret, & teneret pro conclusione affirmando, quòd animæ decedentium, seu animæ sanctorum non vident nec videbunt Deum visione beatifica & gloriosa, usque ad assumptionem corporum in die extremi judicii; Hoc audito magnum murmur inter scholares auditum est, dicentes, talem errorem sine punitione transire non debere. Audiens autem scandalum quod erat Parisius, pro hac determinatione, frater Prædicator, qui cum illo, ut dictum est, venerat, quid de his pro quibus missus fuerat in Francia, faceret aut diceret, nisi statim ad Papam rediret? Sed in quodam sermone ipsum summum Pontificem super errore prædicto excusavit, dicens, quòd nunquam tenebat, nec unquam istam tenuerat doctrinam, quæ ponit, quòd animæ Sanctorum non videbunt Deum usque ad diem judicii, & cùm ad aures Regis Franciæ Philippi ista devenirent, is tanquam verus Catholicus ac pugil Christi fidei fortissimus valde condoluit, quod talis zizania erroris in medio tritici fidei, quæ semper in regno Franciæ viguit, superseminaretur, & cùm videret prædictus Minister, quòd Rex super hoc malè contentus erat, venit ad eum, ut super hoc se excusaret. Sed rex animadvertens & dubitans, ne ipse verbis involveret, dixit ipsum in præsentia bonorum Clericorum in Theologia libenter audire. Tunc rex accersitis decem magistris in Theologia de sufficientioribus, qui tunc Parisius potuerunt inveniri, quorum quatuor erant de Ordine Minorum; interrogavit eos in præsentia dicti Ministri, quid eis de doctrina, quam nuper Parisius seminaverat, videretur? Qui omnes reprobaverunt eam ipsam cum determinatione sua, falsam & hæreticam reputantes: Sed ad hoc non potuerunt eum adducere, ut*
31 *cum eis concordaret. Sed Rex adhuc super hoc non contentus, altera die satis citè post fecit vocari in domo sua de nemore Vicenarum omnes Magistros in Theologia, cum omnibus Episcopis & Abbatibus, qui tunc Parisius potuerunt inveniri; vocato etiam prædicto Ministro. Cùm resedissent, Rex in Gallice suo duo eis quærendo proposuit. Primum fuit, utrum animæ Sanctorum nihil habentes purgabile, extunc videant faciem Dei: Aliud fuit, utrum ista visio, quâ nunc vident faciem Dei, in die judicii deficiet altera superveniente visione. Ad primam quæstionem omnes responderunt affirmativè. Ad secundam similiter responderunt, quòd ista visio non in die judicii deficiet, sed permanebit æternaliter. Verum est, quòd aliqui dixerunt, quòd ista visio perfectior erit in die judicii, & cum istis prædictus Minister non sponte, sed quasi coactus, ut videbatur, concordatus est. Et de ista sententia Rex petivit ab omnibus magistris ibidem assistentibus unam literam sigillis istorum singulorum munitam: Quod & factum est. Nam factæ sunt tres literæ eandem formam continentes, sigillata singula* XXIX. *sigillis, quia tot erant ibi magistri. Quarum literarum ex parte Regis una fuit missa Papæ, mandans sibi à latere, quatenus sententiam magistrorum de Parisius, qui melius scirent, quid debet teneri & credi in fide, quàm Juristæ & alii Clerici, qui parum aut nihil sciunt de Theologia, approbat, & quòd sustinentes contrarium corrigeret.* Ex cod. MS. Monasterii beati Germani Pratensis.

Interea dum hæc agerentur in Gallia, & Philippus Rex pati nollet, ut Joannis opinio doceretur, aut prædicaretur, Joannes ad eum scribit postulans, ut inveniendæ & asserendæ veritatis gratia quæstionem in u-
32 tramque partem Parisiis agitari permitteret. Literarum, quæ sic incipiunt: *Regalem notitiam volumus non latere*, &c. verba sunt: *Et quia, amantissime fili, scimus, quòd in his vel aliis ut elucidetur veritas, intendes, rogamus benevolentiam regiam, ut per fidelem, seu fideles nuncios magistris in Theologia & Baccalariis Parisiis legentibus & degentibus facias nunciari, quòd talibus minis illatis non obstantibus quilibet dicere & disputare & prædicare valeat, quod sibi juxta doctrinam Evangelicam & Apostolicam disputandum videbitur, & etiam prædicandum, donec aliud ordinatum per Sedem Apostolicam, vel etiam declaratum. Sic enim ad veritatem quæstionis prædictæ poteris promptiùs pervenire. Dat.* XIV. *Calend. Decembris anno* XVIII. (Pontificatûs) qui anno Christi MCCCXXXIII. respondet. Joannes huc tandem se recepit, huc perfugit, ubi suam opinionem & fautores illius prævalere posse desperavit. Philippus, acceptis à Joanne literis Parisienses Theologos ἐν ὁμάδι statim consulendos esse censuit.

Hi ergo semel, iterum, & tertiò congregati sunt eodem anno: Semel apud saltum Vicennarum in Dominica quarta Adventus; iterum Parisiis in die festo sancti Joannis Evangelistæ: Tertiò ibidem secunda Jannarii die, qua Theologorum ad regiam consultationem responsionis instrumentum, triplex, editum & consignatum est. *Datum Parisiis, apud sanctum Maturinum in nostra congregatione generali magistrorum in Theologia regentium & non regentium secunda die Januarii anno Domini* 1333.

Rex unanimi Parisiensium Theologorum responsione, & auctoritate munitus, quod Joannes postulaverat, permittere noluit. In priori sententia firmior 33
permansit, & potentissimas ad illum ea super re literas misit.

Verùm Petrus Alliacus tunc Cameracensis Episcopus in oratione, seu ut ille vocat, propositione, quam de tollendo schismate & sancienda Ecclesiæ pace coram Rege habuit III. Idus Decemb. anno MCCCCVI. id magis expressè tradit, quod Philippus Rex ad Joannem scripsit. Oratio seu propositio incipit: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum.* Et post aliquammulta: *Quand l'on traita l'erreur Joannis Papæ XXII. de visione beata, Rex Franciæ qui estoit au bois de Vincennes, envoya par devers la Faculté de Theologie, non mie par devers l'Université; & luy envoya l'en à Vincennes la Faculté 29. Maistres, & l'Appointement, qu'ils firent, il l'executa, & manda lors Joanni Papæ XXII. qu'il se revoquast, ou qu'il le feroit ardre.* Quod Latinè dicitur. *Cum error Joannis Papæ XXII. de visione beata discussus est, Rex qui tunc in nemore Vicenarum manebat, ad Theologiæ Facultatem, non verò ad Universitatem confugit, & Facultas ad regem illuc misit magistros* XXIX. *quorum decretum rex executus est, illóque tempore mandavit Joanni Papæ XXII. ut nisi errorem revocaret suum, auctoritate regia concremaretur.* Alliacus Parisiensis Theologus erat magnæ vir auctoritatis, singularis prudentiæ, acris ingenii.

Joannes Gerso Parisiensis Cancellarius, in sermone de festo Paschatis testatur, Joannis Papæ doctrinam Parisiis fatales exitus habuisse: *Propter quod*, inquit, *insuper apparet falsitas doctrinæ Papæ Joannis XXII. quæ damnata fuit cum sono buccinarum vel tubarum coram Rege Philippo avunculo tuo per Theologos Parisienses de visione* 34
beata, & credidit potiùs Theologis Parisiensibus quàm Curiæ. Nempe Parisienses Theologi firmiter adhærebant veteri Ecclesiæ, & cum primis Romanæ traditioni, quam Joannes XXII. & nonnulli Curiæ doctores impugnabant. Hi non loquebantur ex Petri Cathedra: illi loquebantur, quomodo Gregorius magnus formulam hanc in suis ad Eulogium Alexandrinum Epistolis accipiendam esse significat.

Quis porro Prædicator ille fuerit, quem apud Nangii continuatorem Joannes in carcerem conjici præcepit, Gobelinus Persona Paderbornensis Officialis, & Paulus Langius Citizensis Monachus nominant, ille in Cosmodromii ætate VI cap. LXXI. hic verò in Monasterii sui Chronico.

Gobelini Personæ verba sunt: *Joannes XXII. postquam senex effectus est, desipuit, prædicans animas separatas à corporibus non videre essentiam divinam visione faciali ante diem judicii. Contra quam Thomas Walleis de Ordine Prædicatorum se exponens periculo propter fidem Catholicam, publicè prædicavit. Itaque propter hoc Papa misit eum in carcerem, & ibidem fame cruciatus est, sed tandem liberatus magno cum honore: Papa etiam anno 20. Ludovici Regis in extremis constitutus, ad instantiam quorundam amicorum suorum prædictum errorem revocavit.* Id fecerunt amici cùm ex aliis, tum ex hoc quoque,

quòd

quòd Philippus Rex Galliæ potentissimas ad Joannem ea super re literas dedisset, ut Alliacus narrat.

Paulus Langius sic scribit: *Thomas de Valois Ordinis Prædicatorii Theologiæ magister insignis circa hæc tem-*
35 *pora exponens se periculo ob fidem Catholicam, prædicavit Avione publicè contra Papam Joannem propter errorem ejus de tacitate animarum separatarum, omnibus Prælatis Ecclesiasticis dissimulantibus & diu tacentibus. Qui ob id anno proximo ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, sed & latenter hæretico incarceratur Avione, ubi pro Christi fide multa passus est. Sed paullo post precibus Philippi Regis Gallorum pro eodem Papa scribentis, libertati datur. Anno Domini* MCCCXXXIV. *Joannes Papa moritur, vitæ suæ anno* XC. *& obiit Avione. Et antequam migraret à vita, revocavit errorem suum supradictum de animabus separatis.*

Joannes meliùs consultus regi morem gessit, & tantum abest, ut Parisienses Theologos sibi nimium arrogasse quereretur, ut potiùs in illorum sententiam concesserit, errorémque suum revocaverit. Revocatio sic se habet apud Odoricum Raynaldum, in Annalibus Ecclesiasticis ad annum MCCCXXXIV. num. XXVIII. *Ne quis sinistrè interpretari possit, nos sensisse aliquid, aut sentire, quod sacra Scriptura obviet, aut fidei orthodoxæ, dicimus, & protestamur expressè, quòd quidquid in quæstione seu materia visionis animarum, videlicet an animæ à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam essentiam illa visione, quam Apostolus vocat facialem, seu in quacumque alia materia, in sermonibus & collationibus nostris diximus, allegavimus, seu proposuimus, non intendentes aliquid determinare vel decidere, seu credere, quod esset quovis modo Scripturæ sacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ, sed illud solùm tenere & credere, quod & Scriptura sacra potest & poterat, & Catholicæ fidei convenire. Et si forsan in prædictis*
36 *sermonibus, vel collationibus aliqua, quæ Scripturæ sacræ, seu fidei orthodoxæ quovis modo essent, vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem à nobis fuisse prolata, dicimus & asserimus, atque revocamus expressè, non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum.* De mense verò & die, quo migravit, sic apud Raynaldum: *Joannes Villanus ejus temporis scriptor, aliique testantur, quorum dicta confirmat MS. Vaticanum his verbis. Anno Domini* MCCCXXXIV. *Papa Joannes obiit in Avenione die* IV. *mensis Decembris, Pontificatûs sui anno* XIX.

Cæterùm historia hæc si bene capio, nos docet, ex omnibus Curiæ magistris hominem tunc fuisse neminem, qui Joannem ab indeficientis judicii prærogativa defenderet, qui Papæ non errandi privilegium affricaret. Nondum è tenebris emerserant adulatores, qui Romano Pontifici per fœdum crimen servitutis attribuerent, quod à Christo Ecclesiæ, & illius formam ac figuram exprimenti Synodo concessum est. Hic epocha figitur, quam Curialium adulatorum natio tota nunquam refixura est, nisi sedentem cum sede conjungat, vel cum Cajetano Papæ judicium & Ecclesiæ judicium dici ὁμωνύμως inscitè nugetur.

IX. Facultas Theologiæ Parisiensis in tractatu, quem illius nomine Petrus Alliacus Navarrici Collegii Magister anno MCCCLXXXVII. composuit adversus Joannem Montesonum. Sic autem Facultas in art. I. concl. VI. loquitur, ubi de Joanne XXII. sermo incidit: *Item prædicta Facultas hoc licitè potuit contra summum Pontificem: Igitur à fortiori contra suum subditum & inferiorem. Assumptum patuit Joannis XXII. tempore, quia sicut refert magister Nicolaus de Lyra in tractatu*
37 *suo de visione beatifica, fere quadraginta dictæ Facultatis Magistri concorditer determinarunt contrarium illius, quod Papa publicè asserebat.* Deinde in responsionibus ad objecta Joannis Montesoni: *Item secunda pars illius dicti scilicet, quòd ad solum summum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio & decisio, continet manifestam hæresim, imò multas hæreses.*

Prima Hæresis.

Primò, quia per illam exclusionem excluditur universalis Ecclesia, & generale Concilium eam repræsentans, quod est hæreticum, quia in causis fidei à summo Pontifice appellari potest ad Concilium. Sicut patet 19. dist. cap. Anastasius. & manifestum est, quod ad ipsum pertinet Concilium in causis fidei definire: Sicut patet ex auctoritate Gregorii 15. dist. capitulo sicut. Ex Cod. MS. Navarrici Collegii Paris.

X. Petrus Alliacus tunc Cardinalis in sermone II. quem de Adventu Domini coram Patribus Constantiensis Concilii, anno MCCCCXVII. habuit: *In antiquis Conciliis & maximè approbatis hujusmodi verba leguntur: Placuit sancto Concilio, vel sanctum Concilium definivit, vel statuit sanctum Concilium: Papa etiam quandoque dicit, auctoritate Concilii vel consensu definitum est.* Et post adductum Apostolici Concilii exemplum subjicit: *Ex quibus patet, quòd auctoritas decernendi & definiendi non est attribuenda soli Pontifici, sed toti Concilio generali. Unde manifestè reprobatur error quorumdam perniciosissimus, & toti Ecclesiæ periculosissimus qui adulando potestati Papali ita detrahunt auctoritati sacri Concilii, ut dicere præsumant, quòd Papa non potest necessariò sequi deliberationem Concilii, imò standum* 38
esse sententiæ Papæ, si Ecclesia vel generali Concilio contradicat. Scilicet adulatores illi Romano Pontifici non errandi privilegium attribuebant. Atque illud ipsum nominat errorem perniciosissimum & toti Ecclesiæ periculosissimum. Sermoni huic Constantiensis Concilii Patres consentiunt: non repugnat Martinus V. qui nuper, id est, die festo beati Martini Pontifex electus fuerat. Quapropter quæ Alliacus Cardinalis hoc loco dicit, Concilio toti & Martino certiùs tribui possunt & veriùs, quàm à Bellarmino in libri I. de Conciliis capite XIII. tribuuntur sextæ Synodo, quæ actione XVIII. in gratulatione Imperatori facta sic dicuntur: *Arius divisor atque partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus & Silvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Certiùs dixi & veriùs. Nam annus à Nicæna Synodo trecentesimus quinquagesimus quintus agebatur, cùm primùm dici cœpit, Silvestrum Nicænam Synodum congregasse. Synodus hæc, quæ ni fallor noverat, à quo congregata fuerat, se in Epistola ad Alexandrinos congregatam à Constantino fuisse dicit, sed se à Silvestro congregatam fuisse non dicit, dictura sine dubio, si verè dici, & indictionis monumentum edi potuisset. Nec dicunt auctores æquales vel suppares.

Hîc statuitur epocha opinionis novæ, quam ut errorem perniciosissimum Cardinalis pius & doctus, qui Constantiensis Concilii sessioni III. præfuit, refellere aggressus est. *Instar religionis est fidem de temporibus asserere.* Tertullianus in Apologetici capite XIX.

XI. Henricus Hassianus Parisiensis Theologus in con- 39
cilii & pacis Epistola, quæ manuscripta asservatur in Bibliotheca sancti Victoris: *Ecclesia universalis non potest errare, nec peccato mortali esse obnoxia. Igitur superior est collegio Cardinalium, cùm Papa hanc prærogativam non habet.* Hæc ille, de quo Pius II. ita scribit in Epistolâ CLXV. *Henricus de Hassia Parisiis edoctus huc (Viennam) in principio Universitatis (Viennensis) advolavit, primásque Cathedram rexit, ac plurima volumina notata digna conscripsit.*

XII. Philippus Abbas sancti Dionysii Canonici Juris antistes in suo de sacrorum canonum auctoritate tractatu, quem anno MCCCCXVIII. edidit, art. III. conclus. IV. *Catholicè tenendum est quòd Papa juxta suam phantasiam non potest determinare in fide, multitudinem fidelium obligando ad sic, vel sic credendum, prout sibi placuit, sicut in positivis regimen Ecclesiæ tangentibus, quia non potest sententiare in fide nisi sacro approbante Concilio Episcoporum.*

Deinde in art. V. concl. II. *Papa potest errare in fide, sed*

sed non est possibile Papam cum Concilio Ecclesia erroneè in materia fidei errare. Ex Cod. MS. Navarrici Collegii Paris.

XIII. Facultas Theologiæ Parisiensis anno MCCCCXXIX. III. Calend. Aprilis communi Magistrorum omnium consensu, repugnante nemine decretum edidit, quo acceptam à majoribus traditionem circa doctrinam hanc asseruit & defixit ad perpetuam scholæ disciplinam. Edendi decreti causa fuit frater Joannes Saracenus ex Ordine Prædicatorum designatus in Theologia magister, qui in Actu Vesperiarum multas the-
40 ses castigatione dignas ad disputandum proposuerat. Quarta numero fuit hæc: *Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, in solo summo residet Pontifice.* Saracenus thesim hanc à Facultate inter alias notatam revocavit sponte & oppositam amplexus est ut veram, quæ sic se habet: *Quarta veritas: Quandocumque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto & in Catholica Ecclesia.* Sic non errandi privilegium Romano Pontifici adimitur, cùm seorsum à Concilio Ecclesiam repræsentante decernit. Quibus in Comitiis id actum est, interfuerunt XXIX. Magistri, Parisiensis Episcopus, & Rector Academiæ. Quò fit, ut ad decreti hujus firmitatem nihil hîc à quoquam vel litigiosissimo homine desiderari possit. Nunc Bellarmino quid fiet, qui ut secundæ sententiæ auctoritatem elevet, in ea dicit esse Parisienses aliquot ut Gersonem & Almainum? Almainus nondum natus erat, Gerson ante menses novem Lugduni obierat non sine magna opinione sanctitatis.

XIV. Jacobus de Paradiso ex Ordine Cartusianorum Theologus, in Collecto seu Collectorio de auctoritate Ecclesiæ, de iis, qui Papam supra Ecclesiam & supra generale Concilium evehunt: *Tales sic dogmatizantes & eis consentientes arbitrantur se obsequium præstare Romanis Pontificibus, sed non advertunt, quantum saluti adversantur eorundem. Nam saluberrimam misericordiam & medicinam ejusdem prosciendunt, scilicet fraternam correctionem, & capiti Ecclesiæ morbido non patiuntur ad-
41 hiberi medelam: Quod quanta sit crudelitatis nemo sanus ignorat, ut Augustinus testatur in regula sua. Si enim singulis membris medicina est parata, cur capiti denegatur? Cùm hoc magis indigeat sanatione, quàm alia: Quia eo ægrotante, omnia membra ægrotare videntur: Nisi fortè quis insaniùs ad hunc errorem prorumperet, quòd diceret Papam impeccabilem & indeviabilem, quasi jam extra terminum viatorum volentes eum collocare, non recensent Petrum primum Papam reprehensum fuisse à Paulo ut singulari & sibi inferiore ad Galat. 2. Et Ecclesiastica historia, & Speculum historiale, & certa ac indubitata experientia manifestat, eum & in fide & in moribus, similem esse posse cæteris peccatorem ex vertibilitate liberi arbitrii nondum confirmati. Auferre igitur à Papa correctionem, imò potestatem deponendi est maxima impietatis, & ipsum statuere in plena audacia peccandi, & per consequens furiose gladium dare, ut seipsum sine resistentia interimat. Mittunt igitur Papam in foveam damnationis, & cum eo damnantur, quòd eum subesse Ecclesiæ universalis correctioni contradicunt. Quo igitur pacto talis universalem Ecclesiam solus reformare valeat, quòd & ipse infirmitati subjectus est, indigens per se reformari? Ut pono quòd sit aliquis talis. Et quomodo filius Ecclesiæ censeri potest, quòd matri suæ obedire contemnit, & quem Ecclesia corrigere pro suis excessibus non potest? Et si non filius Ecclesiæ, quomodo hæres promissionum Ecclesiæ per ipsum factarum? Prorsus enim se ab hæreditate paterna alienum pronuntiat, cùm se filium Ecclesiæ negat.* Hæc explicatione nulla indigent, lectione sola intelliguntur, & rem stilo decretorio conficiunt.

42 XV. Facultas Theologiæ Parisiensis ad annum MCCCCLXXXII. quo certas quasdam Joannis Angelii Minoritæ propositiones damnavit, in censura XII. *Quicunque contradicit voluntati Papæ, paganizat, & sententiam excommunicationis incurrit (ipso facto) & à nullo Papa reprehendi potest, nisi in materia hæresis. Hæc propositio est falsa, scandalosa, & sapiens hæresim manifestam.* Tam erat certum ubique, & Parisiis maxime, Romanum Pontificem indeficientis judicii privilegio nullo gaudere, & hæresim docere posse, ut qui de potestate illius tractantes modum excedebant, hac in re modum servare, ut apparet, cogerentur.

Nunc Innocentius VIII. Parisiensibus Theologis nostris interponendus est ut illorum fautor & approbator, qui quadriennio pòst ad eos ita scripsit die VII. Septembris: *Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus non sine magna cordis nostri lætitia sinceram animorum vestrorum devotionem, quam ad nos sanctámque Romanam Ecclesiam & fidem Catholicam habetis, cùm omne studium & curam vestram pro ejusdem fidei defensione & hæresum extirpatione, sicut probatissimos quosque Christianos decet, incessanter adhibueritis.* Quis modò sanæ mentis crederet, Pontificem hunc Parisienses ita commendasse Theologos, si quid hi docuissent Romanæ Ecclesiæ traditioni contrarium? Pro certo tenebant & docebant Papam Concilio subjici & errare posse, propositiones duas, quæ sic inter se connexæ sunt, ut necessariò dicendum sit Papam Concilio subjici, si errare possit, & errare posse, si subjiciatur Concilio. Et qui aliter disputant, inconsequenter & imperitè disputant.

XVI. Cyprianus Benetus ex Ordine Prædicatorum 43
Parisiensis Theologus in tractatu de non mutando Paschate fundam. XIII. *Quòd semper est aliqua Ecclesia, quæ per rectam fidem reguletur & confirmetur intelligendo semper à tempore Christi usque ad consummationem sæculi, sed ex ea non convincitur hoc convenire alicui particulari Ecclesiæ, intelligendo per particularem Ecclesiam quamcunque ab Ecclesia universali distinctam. Igitur ex sufficienti divisione convincitur hoc convenire Ecclesiæ universali & toti congregationi fidelium. Consequentia patet, sed minor ratione probatur. Illud, quod in sacra Scriptura promittitur toti Ecclesiæ & non parti, non debet attribui alicui parti: sed semper ratam fidem habere, aut nunquam contra veram fidem errare, in sacra Scriptura à Christo promittitur toti & soli fidelium congregationi, ut patebit ex probatione majoris: Igitur. Major autem principalis rationis probatur. Primò ex illo verbo Christi Lucæ XXII. Petre, pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Neque dubitandum est ipsum hoc non fuisse exauditum, quia secundùm Epistolam ad Hebræos exauditus est pro sua reverentia. Constat ergo quod Christus promisit Petro, quòd non deficiet fides sua, non intelligens de ejus personali, sed de generali Ecclesia Dei committenda regimini Petri, & cùm non loquatur de aliqua Ecclesia particulari, sequitur, quòd intendit de Ecclesia totali.* Et post alia: *Non igitur pro personali fide Petri, quæ defecit tunc, rogavit Christus, sed pro generali.* Hæc lectione sola indigent, ut intelligantur. Non penes Romanum Pontificem, sed penes totam Ecclesiam indeficientis judicii privilegium constituit.

XVII. Joannes Major prioribus in cap. XVIII. Matth. 44
commentariis, qui anno MDXVIII. editi sunt: *Cùm Dominus dedit potestatem Ecclesiæ immediatè corrigendi fratres Matth. XVIII. & nullus frater est exceptus, ergo si Papa est incorrigibilis est deponendus, & nonnisi à Superioribus ejus. In hoc igitur dicere quòd oportet pro eo solùm rogare Deum, & quòd non est aliud remedium, est unum extraneum sine ratione.*

XVIII. Hadrianus Galterus ex Ordine beati Benedicti Parisiensis Theologus, in libro de primatu Petri & Ecclesiæ: *Quis igitur tam vafrè imponere suavitérque didicit obtrudere palpum, ut gloriosis mendaciis & consarcinatis fabulamentis tanta soliditate firmare contendit ipsum Petri successorem, ut judicium ejus in iis quæ fidei sunt, & bonorum morum errare à veritate non posse mordicus asseveret?* Deinde sub finem libri: *Sed tamen*

rei

rei veritas est, quòd ubi summus Pontifex in materia fidei vel eorum, quæ magnopere conducunt saluti hominum, vellet aliquid ordinare contra statuta universalis Ecclesiæ vel Conciliorum generalium legitimè congregatorum, nullatenus illi standum esset, non magis, quàm si vellet perperam errorem intolerabilem inducere. Et paullo pòst: *Quia tamen nemo usquam est, nemo unquam solus homo, qui omnibus horis sapiat, ad sponsam ejus charissimam, quæ spiritum sponsi sui in se habet permanentem, necessariò accurrendum est tanquam ad regulam aliquam certam & indeviabilem in iis maximè, quæ sunt fidei & bonorum morum.* Infrà: *Talis est sola nostra omnium mater Ecclesia, vel universale Concilium in Spiritu Sancto legitimè congregatum.*

XIX. Senonense Concilium decreto III. inter fi-
45 dei decreta: *Proinde cùm certa sit & infallibilis Ecclesiæ regula, ne aliquando invisibilitatis prætextu tandem eludi queat, ea profectò sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non potest, quæ proximè universalem repræsentant Ecclesiam. His enim Conciliis, si ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei & extirpationem hæresum Ecclesiæ, reformationem & morum integritatem pertinent, potestas adimatur, nihil certum, nihil stabile futurum, nihil denique, quo hæreticus ab orthodoxo possit internosci.* Non ita loquerentur, si non errandi privilegium in Romano Pontifice agnoscerent. Nam illud superfuisset, quo hæreticus ab orthodoxo potuisset internosci. Hoc ipsum Judocus Clicthoveus explicat in opere, quod Compendium veritatum ad fidem pertinentium appellat, siquidem ibi præcipuas decretorum rationes adfert. Et ad relatum mox decretum III. hoc observat: *Regula totius Ecclesiæ directiva non est judicium ipsius summi Pontificis, cùm ipse nequaquam sit in gratia confirmatus, & falli possit & in errorem prolabi.*

Senonensis Concilii antistites Parisiensibus Theologis immisceo. Primùm quòd erant omnes alumni Parisiensis Academiæ, quæ pro certo atque indubitato dogmate habebat Romanum Pontificem Concilio subjici, & errare posse in iis quæ ad fidem & mores pertinent: Hæc duo sic inter se connexa sunt, ut separari nequeant. Deinde, quòd peritissimi quique Parisienses Theologi Senonensi Concilio interfuerint, nec in eo aliter, quàm in schola sua senserint. Denique, quod Clicthoveus Concilii decreta omnia in ordinem redegerit & scriptis mandaverit.

46 XX. Joannes Celaia Parisiensis Theologus in tertium sent. dist. XXV. quæst. V. *Quæritur V. ad quem spectat editio Symboli fidei Catholicæ & determinare ea, quæ fidei sunt. Pro hujus quæstionis enodatione est advertendum, quòd mirabilis est controversia inter Doctores Catholicos circa istam difficultatem veluti de superioritate Papæ ad Concilium. Nam Joannes de Gersono & Galli Doctores, & multi Alemannorum tenent, quòd ad universale Concilium pertinet edere symbolum, & determinare ea, quæ fidei Catholicæ sunt, & non ad Papam.* Nimirum Doctores illi omnes indeficientis judicii privilegium Romano Pontifici abjudicant, & universali adjudicant Concilio. Sed notandum est quod ait, *Joannes de Gersono & Galli Doctores, & multi Alemannorum*, &c. Ut Bellarminus, qui Gallos Doctores duos tantùm, & Germanum nullum laudat, fœdissimæ κρύψεως accusetur.

XXI. Franciscus Victoria ex Ordine Prædicatorum Parisiensis Theologus & postea in Salmanticensi Academia Professor clarissimus, libri de potestate Papæ & Concilii propositione II. *Si Concilium declarat aliquid de fide aut de jure divino, Papa in hoc nihil potest declarare aut immutare, maximè si tale jus spectet ad fidem vel ad mores Ecclesiæ universalis. Probatur, quia in illa Concilium errare non potest juxta promissum Lucæ 22. Ego rogavi pro te,* &c. *& Matth.* 18. *ubicumque fuerint duo vel tres*, &c. *Et non minùs est Spiritus Sanctus in quocumque Concilio generali, quàm in Concilio Apostolorum, ubi Spiritus Sanctus assistebat. Actuum 15. visum est Spiritui Sancto*, &c. *Confirmatur: Quia si in illis Concilium errare posset, & Papa errare posset,
standum esset potiùs Concilio. Ergo postquam determinatum 47
fuit in Concilio Apostolorum, quòd legalia erant extincta, non potuit Petrus aliter definire: ita in quocunque Concilio generali. Et patet, quia si errare posset, non esset Ecclesia fundata supra firmam petram.*

XXIII. *Propositio propter injustas dispensationes, vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procedunt, posset convocari & congregari Concilium contra voluntatem Papæ, ut si resisteret, obviaret ejus insolentiæ.* Hoc expressè tenet Silvester in verbo Papa §. 4 *Quòd si Papa, suis moribus destruit Ecclesiam, potest convocari Concilium contra ejus voluntatem, ut per illud Papa moveatur, & Deus invocetur, & resistendo, in malis remedium apponatur. Hoc expressè tenet Turrecremata assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis lib. 3. cap. 10. ubi loquens de utilitate Conciliorum: Celebratio, inquit, Conciliorum utilis est ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui Pontificatum suum aut extra sanctorum Patrum regulas pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vita scandalosa confundunt: hac de causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator lubricus & incorrigibilis erat. Quod factum laudat & approbat Turrecremata, & hoc est valde utile.* Et paullo pòst: *Nihil enim prodesset congregatio Concilii, nisi sua auctoritate posset determinare, quibus in rebus Pontifex non debeat nec possit attentare contra Patrum decreta & sanctiones.* Hic auctor secundùm ista minimè credit Papam non errandi prærogativa donatum à Christo fuisse. Imò
locum Lucæ XXII. *Ego rogavi pro te*, ad Ecclesiam 48
flectit non ad Pontificem.

XXII. Joannes Arboreus Parisiensis Theologus in libri IV. Theosophiæ cap. XXXII. *Decretales epistolæ non exæquantur canonibus Conciliorum & definitionibus. Hanc facilè suadebo assertionem. Minùs auctoritatis habet Romanus Pontifex, quàm tota & universalis Ecclesia, quam repræsentat Concilium generale ritè congregatum. Nam Papa in fide errare potest, ut dicit Innocentius hujus nominis quartus in cap. 1. De summa Trinitate, & tota mihi via aberrare videtur qui aliter sentit. Et plus veritati tribuendum est, quàm amico. Assentantur sanè Romano Pontifici, qui faciunt eum immunem à peccato, & à lapsu hæreseos & schismatis, cùm non sit divino munere confirmatus in gratia. At Concilia generalia ritè congregata non possunt in fide aberrare.*

XXIII. Robertus Cænalis Parisiensis Theologus & Abrincensis Episcopus in tomo 1. de utroque gladio: *Ubi ergo suboriretur de fide aut moribus quæstio, dum quod uni regno placet, alteri displicet, quis inter se pugnantia in fide moribúsque decreta componet, nisi adsit sacer aliquis principatus, qui silentium hujuscemodi concertationibus decernat, quique sua auctoritate quid tenendum quidve fugiendum sit, legitimo saltem Ecclesiæ cœtu congregato decernat?* Papæ seorsum à Concilio indeficientis judicii privilegium nullum tribuit.

XXIV. Claudius Sanctesius Parisiensis Theologus, qui magna cum nominis celebritate Tridentino Concilio interfuit, in Responsione ad Apologiam Theodori Bezæ: *Licuit non solùs Sorbonicis* (id est Parisien-
sibus) *sed in omni orbe Christiano Theologis disserere, an 49
Papa, si à fide defecerit, privari posset suo gradu, non à quovis, sed ab habentibus aliis legitimam potestatem videndi, ne quid detrimenti Respublica Christiana capiat.*

XXV. Renatus Benedictus Parisiensis Theologus in Panoplia Catholicorum, in caput II. epistolæ ad Galatas: *Pernegamus successores Petri cum Ecclesia per Spiritum Sanctum congregatos, in iis, quæ sunt fidei & morum decretis ferendis errasse unquam aut errare posse*

successores Petri cum Ecclesia: Quia seorsum ab Ecclesia vel Concilio errare possunt.

Deinde in Gallico tractatu de auctoritate Conciliorum: Gallica sic Latine verto: *Cùm igitur Scripturam amulatus dico, in religionis & fidei controversiis Sacerdotum, Pastorum, & Doctorum Ecclesia decisionem quærendam, & tutò sequendam esse, non loquor de Sacerdotibus, Pastoribus, & Doctoribus Ecclesia, qui singulares sint homines, quia hoc modo spectati possunt omnes errare, sed qui in universalem & legitimè congregatam Synodum coeunt, ubi Spiritus Sanctus veritatem omnem docet, Ecclesia Sacerdotes & Pastores adjuvando, quemadmodum Christus, qui nec fallitur, nec potest fallere, promisit.* Ecce tibi Parisiensium nostrorum doctrina, quam vir in Scripturæ & sanctorum Patrum lectione exercitatissimus proponit; idque convenienter articulis, quos Facultas nostra anno MDXLII. IV. Idus Martii jussu Francisci primi Regis edidit, & quos ipse Benedictus Lutetiæ anno MDLXS. juris publici fecit. Articuli illi sunt numero tres è viginti sex.

XVIII. *Tenetur & quilibet Christianus firmiter credere unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, in fide & moribus errare non valentem, cui om-*
50 *nes fideles in his quæ sunt fidei & morum obedire adstringuntur.*

XIX. *Quòd si quid in Scripturis sacris controversia aut dubii oriatur, ad præfatam definire Ecclesiam spectat, & determinare.*

XXII. *Certum est Concilium generale legitimè congregatum universalem repræsentans Ecclesiam in fidei & morum determinationibus errare non posse.*

Baccalarii unoquoque biennio jurant in hos articulos, cùm absolutis actibus Theologicis omnibus è schola dimittuntur, sed antequam in Theologia Magistri designentur. Exinde perjuri haberentur, qui his articulis directè vel obliquè derogarent. Cæterùm articuli illi & alii tunc placuerunt Romano Pontifici, a quo dati sunt, qui in articulorum violatores inquirerent, ut in Codice regiarum constitutionum memoriæ proditum est.

Hæc de Parisiensibus Theologis, quos Bellarminus ad duos, Gersonem videlicet & Almainum, per incredibilem dissimulationem reduxerat.

Porro autem alii sunt natione Germani, alii Galli, alii Hispani, alii Scoti, quorum eadem est mens, eadem sententia, eadem conspiratio & concordia ad defendendam Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam in prioribus ad Raymundum Formentinum, & in posterioribus ad Joannem Gerbasium literis explanavi.

At verò quidquid hîc Parisienses & alii Theologi docent, acceperunt ab antiqua Gallicanorum antistitum traditione, cujus monumenta Flodoardus refert in libri III. historiæ capite XIII. ubi illorum nomine Hincmarus ad Nicolaum Papam ita scribit: *Et cùm*
51 *omnes in istis regionibus sciant, quàm negligens & contemptor sacrorum Canonum, & quandiu, quàmque patienter atque benignè fuerit toleratus* (Rothadus Suessionensis Episcopus) *& à quàm invitis, quia se corrigere noluit, secundùm sacras regulas, sicut eas intelleximus, fuerit judicatus, nullam habere possemus verecundiam de restitutione illius, si foret facta à vestri summi Pontificatus pietate, quia* OMNES SANE CUM JUNIORIBUS SCIMUS, *nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in primatu beati Petri subjectos esse Romano Pontifici, & ob id* SALVA FIDE, *quæ in Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestra Apostolica auctoritati obediendum.* Quid quæso sibi volunt verba hæc: *Et ob id salva fide vestra auctoritati obediendum est?* Nonne præ se ferunt Romanum Pontificem errare circa fidem posse? Nonne significant fieri posse, ut Pontifex aliquando credenda propositurus esset ea, quæ Gallicani Antistites credenda non esse censerent? Hincmarus damnatis à Synodo VI. hæreticis adnumerat Honorium Papam in Opusculi XXXIII. capite XX. *Fumio,* inquit, *conflictu Georgius correctus, Macarius verò cum suis sequacibus simul & præcessoribus Cyro, Sergio,* HONORIO, *Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizatis.* Deinde in ejusdem Opusculi capite XLVIII. scribit Vigilium in hæresim lapsum esse: *Et in decretis Apostolicæ Sedis, quando Vigilius ex Apostolico post multa & terribilia sacramenta in hæresim lapsus Constantinopoli detinebatur ∴∴∴ inter alia scriptum est.* Hinc Vigilius sive lapsus in hæresim, sive lapsus non sit, labi posse creditus est, ac proinde non errandi privilegio carere.

Quod Hincmarus observat de Honorio, apud A- 52
donem publicis Ecclesiæ fastis illatum est XV. Calend. Julii: *Leonis Papa, qui sedit Romæ menses X.* Et paullo pòst: *Hic eloquentissimus, & divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca Latinâque lingua eruditus sanctam sextam Synodum, quæ in urbe regia celebrata est, ubi damnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Macarius, Stephanus, & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Jesu Christo prædicabant temporibus Agathonis Papæ, de Græco in Latinum transtulit.* Exemplar MS. Martyrologii hujus, quod ad S. Marii Badonensis Abbatis in Sistaricensi pago Ecclesiam spectabat, & nunc extat in Bibliotheca Mazarina, ad ætatem Adonis accedere videtur. In edito quidem Adonis Martyrologio hæc non comparent, sed sublata esse oportuit vel à Librariis, vel ab iis qui primi curam editionis susceperunt. Cæterùm Ado credidit Pontificem errare posse in fide, cùm inter damnatos à Synodo VI. hæreticos Honorium collocavit.

Est & in edito Martyrologio locus alter XIX. Calend. Sept. qui quod Ado de Romano Pontifice per Honorium credidit, luculenter confirmat. Verba sunt: *Natale sancti Eusebii Presbyteri & Confessoris, qui præsente Constantio cùm fidem Catholicam constantissimè defenderet, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ consensisse, ab irato Constantio Imperatore includitur in quodam cubiculo domus suæ, &c.* Et quamvis monumenta hæc sufficiant, ut probetur, indeficientis judicii privilegium soli Romano Pontifici non competere, nihilominus tamen lubet istud in A-
relatensi Concilio primo tanquam in speculo conspi- 53
cere.

Arelatense Concilium finem imponere voluit controversiæ, quæ inter Stephanum Romanum & Cyprianum Carthaginiensem circa susceptum ab hæreticis baptismum agitata pridem fuerat. Cyprianus in epistola LXXIV. ad Pompeium dicit: *A quacunque hæresi venientem baptizamus.* Stephanus verò contra dicit: *A quacunque hæresi venientem non baptizamus. Siquis,* inquit, *ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* Concilium litem hanc diremit canone VIII. qui sic se habet: *De Afris, qui propria lege utuntur, ut rebaptizent placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum: Quòd si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Duo sunt in hoc canone: Et primùm quidem per verba hæc, *qui propria lege utuntur, ut rebaptizent,* quæstio ad eum statum perinde reducitur, ac si Stephanus ea de re decrevisset nihil: Deinde res ita temperatur, ut qui baptizati sunt ab hæreticis in Patre & Filio & Spiritu Sancto, non rebaptizentur. His eo modo positis consequens est, Cyprianum & Stephanum in agitata utrinque controversia & disciplina modum excessisse, & Concilii judicio errasse: quocircà Patres cùm utrique non errandi privilegium abjudicent, Stephano non possunt non abjudicare. Siquidem Ste-

phanus

phanus hæreticorum omnium baptismata justa & le-
54 gitima esse indistinctè censuerat, & illorum cum primis, quorum ritus ab Irenæo in libri I. adversus hæreses capite XVIII. recensentur, & damnantur.

Gallicani præsules tunc recordabantur secum, de Irenæo Lugdunensi Episcopo, qui Victori Asianos Romanæ Ecclesiæ communione privanti neutiquam consenserat: Quinetiam Victorem graviter redarguerat, utpote qui à decessorum suorum & cum primis Aniceti traditione & usu deflexisset. Res latè describitur apud Eusebium in libri V. hist. capite XXIII. & XXIV. Ex iis autem facilè colligitur, nec Irenæum, nec Ecclesias, quas regebat in Gallia, persuasas esse, Romanum Episcopum indeficientis judicii privilegio donari.

XXVI. Bellarminus unum numerat Hispanum Alfonsum Castrensem, & Hispanos alios prætermittit.

XXVII. Primus est Lucas Tudensis Episcopus in libri I. contra Valdenses capite X. *Quæcunque à Romano antistite Catholicè proferuntur, sicut divina præcepta servanda sunt à fidelibus, credendum est illi ab omnibus, ubi manifestè sacra Scriptura non resistit auctoritas.* Quibus verbis significat, Romanum antistitem non errandi privilegio destitui. Nam quæ Lucas de Romano scribit antistite, de quocunque alio antistite scriberet, quem quis falli errareque in fide & præceptis morum non posse contenderet?

XXVIII. Alter est Tostatus Abulensis Episcopus, qui multorum instar esse potest: Sic ergo ille scribit in secunda parte Defensorii capite LXIX. *In talibus con-stitutionibus licèt Papa possit dispensare, cùm sit caput*
55 *ministeriale Ecclesiæ, vel membrum ejus præcipuum, potissimè cùm tales constitutiones non habeant causam semper manendi, non est inconveniens nec negamus; dum tamen hoc non faciat contra prohibitionem expressam generalis Concilii, quia tunc manifestum est, auctoritatem Ecclesiæ esse majorem ejus auctoritate qui membrum est illius, cùm illa non possit errare, nec in fide, nec in moribus; Ille autem in utroque errare potest, & sæpè repertum est, quòd Summi Pontifices in utroque erraverint. Ob id autem Christus constituit supremum tribunal in Ecclesia & in sacro Concilio etiam supra Papam, & non solùm in pertinentibus ad fidem, sed etiam quantum ad actiones, quæ omnia patent manifestissimè ex illo verbo Domini Matth. XVIII. Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum. Quòd si non audierit, dic Ecclesiæ, & si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Deinde in capite LXXV. *Quartum dicitur, quod elicebatur ex hac auctoritate, Si peccaverit, &c. Quòd non solùm in pertinentibus ad fidem Concilium videt de statu Papæ, sed etiam in pertinentibus ad actiones. Nam quandocunque aliqui declarant Papam subjectum esse Ecclesiæ universali matri suæ, cujus vicem plenè tenet sacrum generale Concilium, aliqui non secundùm Deum, sed secundùm hominem favere volentes Pontificibus, quasi constituentes eos Deos impeccabiles, dicunt verum esse in his, quæ sunt fidei Papam subjectum esse Concilio, quia de hoc expressè continetur in cap. Si Papa, 10. dist. Quòd pro causa fidei Papa accusari & deponi posset, pro aliis delictis dicunt eum soli divino arbitrio relictum, & neminem mortalium, nec etiam Concilium generale posse judicare, sicut videtur ipsum*
56 *caput, Si Papa, dicere, & quædam alia jura, & non advertunt ad istam auctoritatem Domini, quæ major est quibuscunque epistolis Summorum Pontificum. Ex qua necesse est accipi, Papam subjectum fore judicio Concilii generalis non solùm in tangentibus fidem, sed etiam in tangentibus actiones.* Et post alia: *Videtur quòd non intelligatur ista regula de correctione peccantis in hæresim, sed in aliis peccatis actionum, licet quantum ad hoc non insisto magis, tacendo, quòd se ad omnia peccata extendat.* Infrà: *Facile erat nobis respondere ad decretum, Si Papa, & ad illud, Cuncta per mundum, & ad illud caput scilicet, Aliorum causas: Quia sunt potissimum fundamenta eorum, qui volunt humanitùs adulari Summis Pontificibus, constituendo eos incastigabiles circa quascunque actiones etiamsi quotidie unus Summus Pontifex notoriè mille homines occideret, sicut quidam non erubuit in suis scriptis asserere.* His in verbis unum duntaxat observandum est, Theologos & Canonici Juris antecessores in eo convenire omnes, quod Romanus Pontifex errare in fide possit, & ob id crimen ab Ecclesia judicari, ac de sua sede deturbari: disceptabatur, utrum pro criminibus aliis ab Ecclesia vel Concilio judicari & deponi posset. Tostatus affirmat, & rationes quibus utitur, rem demonstrant, & ad consentiendum me vel invitum & repugnantem pertrahunt.

XXIX. Tertius est Dominicus Sotus ex Ordine Prædicatorum Theologus illustris, qui Tridentino Concilio magna cum nominis celebritate interfuit, in libro V. de jure & justitia quæst. I. art. 5. de Injustitia judicis. An possit Papa se alterius judicio subjicere: *Supponamus ex cap. si Papa, dist. 40. quod dum hæresis labe sorde-* 57
scit, potest à Concilio conveniri & deponi, & cùm deponendus nequaquam sit, nisi auditus, poterit sub anathematis censura, ut compareat, cogi. Fac ergo ipsum vehementi infamia de hæresi laborare, sic ut Concilium jam jam de illa re judicatur, videtur ratio persuadere, quòd possit judicium circumspectis viris & gravitate insignibus delegare. Infrà: *Respondetur Papam hoc neutiquam posse. Enimverò potestas illa cogendi tunc Pontificem non est penes ipsum, quippe qui non potest vim coercivam in seipsam exercere, sed duntaxat penes Concilium, & ideò non est in arbitrio Papæ talis commissio, quia quam non habet potestatem, nemini valet dare, neque depositio per suos commissarios facta ullius esset valoris. Concilium autem potest causam cognoscere & alteri delegare.* Sic disputat adversus Jurisperitos quosdam, qui qua ratione deponendus sit Papa hæreticus, non bene callebant. Sed, ut apparet, Romano Pontifici non errandi prærogativam detrahit.

XXX. Lucæ Tudensi, Tostato Abulensi, & Dominico Soto Toletanum præluxerat Concilium XV. quod anno DCLXXXVIII. celebratum est. Siquidem in eo legerant, quæ sequuntur: *Post hujus igitur piæ confessionis prolatam devotis vocibus regulam, ad illa non illico convertimus continenda Capitula, pro quibus muniendis ante hoc biennium beatæ memoriæ Papa Benedictus nos literarum suarum significatione monuerat, quæ tamen non in scriptis annotare curavit, sed homini nostro renotanda injunxit. Ad quod illi jam eodem anno sufficienter congruéque responsum est.* Et post alia: *Quos* (Ambrosium, Augustinum, Cyrillum, Fulgentium)
quia celebres in toto orbe Doctores feriata Ecclesiarum 58
Dei vota percenseant, non illis est succensendum, sed potiùs succumbendum, quia omne quod contra illos sapitur, à recta fidei regula abhorrere sentitur. Et post pauca: *Jam verò si posthac & ab ipsis dogmatibus Patrum, quibus hæc probata sunt, in quocunque dissentiunt, non jam cum illis est ampliùs contendendum, sed majorum directo calle inhærentes vestigiis, erit per divinum judicium amatoribus veritatis responsio sublimis, etiamsi ab ignorantibus æmulis censeatur indocilis.* Quæ Synodus ita Romano Pontifici respondet, & quæ sua sunt, sic adversus illius reprehensionem defendit, persuasa non est, illum indeficientis judicii privilegio in iis, quæ ad fidei causas pertinent, uti. Istud commentario non indiget ampliori.

Quid evenerit postea, Rodericus Toletanus Archiepiscopus in libri III. de rebus Hispaniæ capite XIV. memoriæ prodidit: *Ejus* (Egicæ Regis) *tempore librum de tribus substantiis, quem dudum Romam miserat primus sanctissimus Julianus, minùs cautè tractando Benedictus Papa Romanus judicaverat reprobandum ob id, quòd voluntas genuit voluntatem: Sed sanctus Julianus veridicis testimoniis in hoc Concilio ad exactionem præfati principis per oracula eorum, quæ Romam transmiserat, verum esse firmavit, & Apologeticum fecit, & Romam*

mam

nam misit per suos Legatos Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum viros eruditissimos & in omnibus Dei servos, & in divinis Scripturis imbutos, cum versibus etiam acclamatoriis, secundum quod & olim transmiseras de laude Romani Imperatoris. Quod Romanus Pontifex Benedictus digné & pié suscipiens cunctis legendum indixit,
59 *atque Imperator acclamando, Laus tua Deus in fines terræ, lectum sæpius notum fecit. Quæ & rescriptum Domno Juliano per suprafatos Legatos cum gratiarum actione & cum honore remisit, & omnia quæcunque scripsit, justa & pia esse deprompsit.* Benedictus probando quod in materia fidei reprobaverat, errare se posse demonstrat & in eo cum Toletanis Patribus consentit.

XXXI. Bellarminus dissimulat, quod Joannes Calaia mox laudatus non dissimulat, Germanos fuisse complures, qui Romanum Pontificem non errandi privilegio gaudere neutiquam crederent. Celaiæ locum suprà retulimus.

XXXII. Non ignorabat auctor hic, Nicolaum Cusanum Card. in libri II. de Concordantia Catholica capite XVIII. scripsisse: *Quare concluditur universale Concilium ritè adunatum, licèt graduationes inter se habere possit, quoad judicia, est tamen semper majoris auctoritatis, & minoris fallibilitatis, quàm Papa tantùm. Ex quo sequitur corollariè, universale Concilium etiam in alio, quàm hæresis casu Papam deponere posse.*

XXXIII. Non ignorabat, Herfordiensem Academiam in tractatu super unione & neutralitate Principum Electorum dixisse: *Quæ quidem universalis Ecclesiæ declaratio.* (quæ in Constantiensi, Senensi, & Basileensi Concilio facta est) *quamvis sola sufficeret, ad probandam suam in terris sacrorum Conciliorum auctoritatem, pro majore etiam istius confirmatione, quod dictum est, residuum Ecclesiæ corpus non computato Papa, si contrarius esset, auctoritatem hanc habere, potest adduci ratio, experientia, & aucto-*
60 *ritas. Ratio 1. dictat hoc: Nam cùm Papa possit errare, residuum corpus Ecclesiæ Synodaliter congregatam errare non potest in his, quæ sunt fidei, & in reformatione morum, & in pertinentibus ad ea, cùm in talibus à Spiritu Sancto regatur, ut colligitur Actor. 15. Ubi dicit Concilium Apostolorum: Visum est Spiritui Sancto & nobis. Unde & Christus Ecclesiam, quam suo pretioso sanguine fundavit tanta gratia ditare dignatus est, ut non possit errare, & quod soli Deo proprium est, natura competat & Ecclesiæ privilegio. Experientia demonstrat hoc idem; sæpiùs enim compertum est, Papam errare residuo Ecclesiæ corpore rectè sentiente: Papa autem non rectè sentiente residuum totum Ecclesiæ corpus errasse unquam est compertum. Quapropter & corpus Ecclesiæ nonnunquam caput suum Papam videlicet correxit deposuit & condemnavit. Auctoritas sacra confirmat hoc idem. Nam Christus cùm dicit, Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ,* &c.

XXXIV. Non ignorabat, Cracoviensem Academiam anno MCCCCXLI. de auctoritate sacrorum Conciliorum ad Uladislaum Poloniæ & Hungariæ Regem hæc exarasse in Conclus. IV. *Sic etiam est de judicio Ecclesiæ respectu actionum Papæ, quia Ecclesia nunquam deviare aut aberrare potest à fide recta, Papa verò frequenter 19. dist. Anastasius. Ideo judicium Ecclesiæ dignius est judicio Papæ.*

XXXV. Non ignorabat Viennensem Academiam anno MCCCCXL. in sua ad Electores Imperii responsione hæc tradidisse: *Unde consequens est Spiritum Sanctum ibi* (in Conciliis) *esse, sed non est ibi ut subditus, sed ut supremus præsidens, à quo nulli fideli licet appellare, & per consequens nec à Concilio in his articulis, in quibus certum*
61 *est, ipsum Concilium ab eo gubernari, & illi speciali gratia & illustratione præsidere: Scilicet in his, quæ fidei sunt, extirpatione schismatum, & reformatione morum tam in capite quàm in membris. Quomodo enim non est apertè divinæ majestatis contemptus, & quasi idololatriæ scelus, in talibus causis appellare à sacro Concilio ad Papam? Quid hoc aliud est, quàm à Deo, qui nosceitur in sacro Concilio in hac re præsidere ad purum hominem appellare? Et judiciariam potestatem à Deo cremore auferre, & in hominem transferre, quid est hoc aliud, quàm hominem Deo tanquam justiorem judicem præferre?* Ex Cod. MS. Cœnobii sancti Victoris Paris. Quæ omnia demonstrant, Viennensem Academiam in ea esse sententia, ut credat Romanum Pontificem nullo indeficientis judicii privilegio gaudere. Id cùm ab aliis didicerat, tum potissimùm à fundatore suo Henrico Hassiano Parisiensi Theologo, cujus verba alio in loco recensuimus.

XXXVI. Non ignorabat Dionysium Cartusianum in libri 1. de auctoritate Papæ & Concilii articulo XXXI. docuisse: *Concilium generale nonnisi propter causas singulariter magnas & arduas, ut puta, quæ aliter congruè expediri non queunt, congregandúmque ac celebrandum esse omnes fatentur: Porro hæ causæ sunt extirpatio hæreticæ pravitatis ac schismatis, declaratio fidei, atque editio Symboli ejus, universalis reformatio Ecclesiæ in capite & in membris. Itaque in expeditione istorum major dicitur potestas Concilii generalis, quàm Papæ, quoniam Christus promisit Ecclesiæ seu Concilio ipsam repræsentanti infallibilem directionem, & gloriosam assistentiam incessantem: Ita quòd errare non potest in fide, neque in his, quæ ad* 62
bonos pertinent mores, eo quod in talibus determinatione regatur immediatè à Spiritu Sancto: Unde & Papa in talibus tenetur stare determinationi Ecclesiæ, seu statuto Concilii tanquam ordinationi & sententiæ Spiritus Sancti. Cùmque Papa possit errare in fide & moribus, & cæteris, quæ sunt de necessitate salutis, ejus judicio non videtur ultimatè ac certitudinaliter standum in istis, cùm non sit infallibilis regula & indeviabile fundamentum.

XXXVII. Nicolaus Cusanus, Academiæ Herfordiensis, Cracoviensis, Viennensis; Theologi, Dionysius Cartusianus, Germani vetustiores, ut Hadriano VI. præluxerunt, ita & Hadrianus VI. cum iis Germanis & aliis recentioribus præluxit.

XXXVIII. Paulus Langius Citizensis Monachus in Monasterii sui Chronico, quod Citizense cognominatur: *Thomas de Valois Ordinis Prædicatorii Theologiæ Magister insignis, circa hæc tempora exponens se periculo ob fidem Catholicam, prædicavit Avione contra Papam Joannem propter errorem ejus de cæcitate animarum separatarum . . . qui ob id anno proximo ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, sed & latenter hæretico incarceratur Avione. Ubi pro Christi fide multa passus est . . . Anno Domini MCCCXXXIV. Joannes Papa moritur, vitæ suæ anno XC. & obiit Avione. Et antequam migraret è vita, revocavit errorem suum supradictum de animabus separatis. Ideo non potest dici hæreticus.* Sic Langii judicio hæreticus dictus fuisset Pontifex si errorem suum minimè revocasset. Ubinam tunc in Romano antistite non errandi privilegium in iis, quæ ad fidem pertinent?

XXXIX. Joannes Cochlæus vir apud Germanos magni nominis, & acerrimus Ecclesiæ contra Luthe- 63
rum defensor, in libello, qui æquitatis discussio super Concilium delectorum Cardinalium inscribitur ad Joannem Sturmium, sic pro generali stat Concilio, cui soli non errandi privilegium attribuit: *Hoc pacis,* inquit, *& unitatis vinculum rupit Lutherus: Unde factum est perniciosum inter nos Germanos schisma, ad quod feliciter tollendum multis jam annis desideramus Concilium. Quod jam tandem Deo miserante ac disponente per hunc Pontificem Paulum III. legitimè indictum est, ut Vicentiæ celebretur.* Et post alia: *Quod enim petis epistola tua Synodum liberam & in tuto loco, nos quoque id ipsum petimus. Talem enim locum promittunt nobis illustrissimus Dux, & inclitus Senatus Venetorum, in quorum plena potestate constituta est Vincentia. Hæc una superest nobis ad reparandam concordiam via, atque ad sopiendum, quod inter nos excitavit inimicus homo, dissidium, sine ope enim & auctoritate Concilii inter nos concordare nunquam poterimus: Quia vos reprobatis nostra, & nos vestra. In medio posita est*

Scriptura

Scriptura sacra, quam longo contentionis fune xx. jam annis magno cum scandalo multorum populorum, non sine gravi animarum innumerarum periculo huc atque illuc in diversa trahimus: Vos non creditis auditui nostro, neque nos vestro. Quid ergo? Utique oportet, ut inquit ad Paulum Jacobus convenire multitudinem; ut fiat rursus, sicut fuit ab initio, multitudinis credentium cor unum & anima una. Hujus rei praeclarum habemus exemplum in actibus Apostolorum de dissidio, quod Antiochiae contra Paulum & Barnabam excitatum Hierosolymis per Conci-
64 *lium Apostolorum & seniorum sedatum ac sublatum fuit, dum Concilii sententiam utraque pars venerabiliter comprobaret.* Et post alia: *Quod si sacram Scripturam, seu verbum Dei causae nostrae judicem statuatis, nos quidem Scripturam & verbum Dei nequaquam rejicimus, aut refutamus, sed quoniam de ipsa vobiscum contendimus, & in dubium vocatur, utra partium verum Scripturae sensum teneat, necessarium est, ut Spiritum Sanctum in Concilio pro judice legitimo cognoscamus, qui nobis verum Scripturae sensum pronunciet, atque determinet. Mortua enim litera scriptura per se loqui, & pronunciare non potest. Ipsa igitur Scriptura cum non intelligat per sese, sed ab hominibus intelligatur, non potest per sese judex esse, sed per eam homines spiritum Dei habentes rectè pronunciant & judicant. Id quod nusquam certius, quàm in Concilio generali fieri potest. Nulli enim mortalium ita promissus ac datus est Spiritus Sanctus, sicut universali Ecclesiae, quam universale Concilium, ut dixi, repraesentat. Cui enim Apostolorum aut Prophetarum nominatim dictum est: Dabo tibi spiritum veritatis, ut tecum maneat in aeternum? Obstat enim illud Psalmistae: Omnis homo mendax. Soli igitur Ecclesiae, quae columna & basis est veritatis, verè dictum est, Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis.* Hæc clariora non essent, tametsi solaribus radiis describerentur. Nam cùm soli Ecclesiæ & repræsentanti Ecclesiam Concilio privilegium non errandi impertiat, hoc ipsi Summo Pontifici detrahit.

XL. Fredericus Nausea Viennensis Episcopus, qui Tridentino Concilio interfuit, in lib. III. rerum Con-
65 ciliarium capite III. cujus argumentum est: *Num ipse Papa, adeòque Sedes Apostolica praestare possit, quod praestat Concilium? Non defuerunt hactenus, qui ipsum posse responderunt: Utpote quia possit ipse per Epistolas aut per alias viae Ecclesiae causas & emergentes casus definire, vitiáque passim tollere. Ipsi verò Pontificem maximum posse idem, quod Concilium, prorsus inficias iverimus. Et in primis quidem propterea quòd si minus agerentur Concilia, fore ut pleraque mala non solùm impunita manerent, sed & invalescerent, quae vel sola Ecclesia, quae per Concilium repraesentatur, singulari quadam authoritate citraque formidinem corrigere potest, quae alioqui sub praetextu falsae corruptaeque consuetudinis, perinde atque justa & licita reputarentur. Deinde si Pontificis esset facere, quod Concilii est, fieri posset, ut corrigenda dissimularet ipse, malàque è medio sustollere negligeret, cùm non ignoraret turpe suorum Doctori redarguere culpam, quae tangeret ipsum, opprobiis & ipse posset audire hoc Servatoris: Medice cura teipsum,* &c. *Jam verò non potest esse obscurum, quantis laboret Romana Curia vitiis & scandalis, quorum causa prae caeteris reformari indigeret. Quod Hadrianus ille sextus usque adeò non inficiatus est, ut anno abhinc post Christum natum 1522. ad ordines statúsque sacri Romani Imperii scribens minimè veritus sit dicere: Scimus in hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata. Nec mirum, si aegritudo à capite in membra, à Summis Pontificibus in alios inferiores praelatos descenderit. Et idem paullo post ad oratorem suum ait. Quare in re quod ad nos attinet, pollici-*
66 *beris nos omnem operam adhibituros, ut primùm Curia haec, unde fortè omne hoc malum processit, reformetur: Ut sicut ab eadem corruptio in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet.*

Deinde in libri v. capite III. cujus argumentum est: *Patribus in Concilio à Papa vel ejus Legato dissentientibus, cujus judicio standum sit?*

Nec enim primu fronte videtur accedendum uni solique Papae, praesertim in causa fidei, cùm satis periculosum videatur fidem nostram unius hominis arbitrio committi, nec usque adeò superbum esse Papam credimus, quòd ipse solus & unus homo toti congregationi suum judicium praeferat, perinde atque ipse Spiritum Sanctum habeat, maximè, quòd major urbe sit orbis. Ne itaque navigandum sit inter Scyllam & Charybdim, plerique omnes Doctores arbitrantur, sententiae Papae prorsus esse standum in negotio fidei priùs per Apostolicam Sedem definito, quod ipsi Patres Concilii vellent, aut refutare, aut immutare. In ipso verò fidei negotio nondum definito, sed per Concilium definiendo standum esse potiùs judicio Patrum totius Concilii. Hæc omnia, quæ ad Germanos pertinent, Bellarminus silentio prætermittit, & tamen prætermittere non debuit, quia Theologicæ quæstionis historiæ consulendum erat. Quæ igitur, Deus immortalis, & qualis dissimulatio!

XLI. Germanis addendus est Batavus unus, qui mihi est pro centum, Hadrianus VI. duobus in locis. Alter est, quem Bellarminus laudat, & dignus, qui semper laudetur. Ita se habet: *Dico quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput ejus putà Pontifex, certum est, quòd possit errare etiam in iis, quae tangunt fidem,* 67
haeresim per suam determinationem aut decretalem asserendo.

Alter verò est, quem Bellarminus non laudat, etiamsi valde dignus sit, qui laudetur. Sic se habet in mandatis, quæ Francisco Cheregato oratori suo in Germaniam eunti dedit: *Et certè fatemur Luthero defensionem negari non debere in his, quae sunt facti: Hoc est, utrum dixerit, necne? Utrum praedicaverit, vel scripserit, necne? Super divino verò jure & materia Sacramentorum, standum authoritati Sanctorum & Ecclesiae. Adde quòd ferè omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia priùs reprobata. Non debet autem revocari in dubium, quod per generalia Concilia & universam Ecclesiam constat esse approbatum, tanquam fide tenendum: Injuriam namque facit Ecclesiae Synodo, qui semel rectè disposita nititur in dubium revocare. Quid enim unquam certi esse poterit inter homines, vel quis dubitationum contentionumque finis erit, si praesumptuoso & perverso cuique libertas seu licentia erit recedendi ab his, quae non unius neque paucorum sed tot saeculorum, & tot sapientissimorum hominum consensu, & Catholica Ecclesia, quam Deus in his, quae fidei sunt, nunquam errare permittit, determinatione sancita sunt?* Nunc vide, quid Pontifex Theologus insignis Luthero concedat, & quid non concedat? Tum in iis, quæ non concedit, quid opponat? Generalia opponit Concilia quòd errare nequeant. Non opponit, quæ decessor Leo X. contra Lutherum definierat, quia Leonem indeficientis judicii privilegio carere noverat. Quid enim aliud Hadrianum ab opponenda Luthero definitione Leonis retardare pote- 68
rat? Quod hac in re fecit Hadrianus, sciens utique & prudens fecit.

XLII. Hadrianum sapientem utpote Pontificem imitantur Concilia, quæ deinceps variis in locis Germaniæ & Galliæ celebrata sunt. Coloniense Concilium primum, quod anno MDXXXVI. Augustanum Concilium, quod anno MDXLVIII. Trevirense Concilium primum, quod eodem anno. Coloniense Concilium II. quod anno MDXLIX. Moguntinum Concilium, quod eodem quoque anno. Trevirense Concilium II. quod eodem adhuc anno celebratum est. At mirum! In his Conciliis omnibus, quæ pro reformanda diversimodè Ecclesia habita sunt, edita Leonis contra Lutheri errores constitutio nusquam comparet, nusquam allegatur, ut præjudicium aliquod faciat. Tam contumacis silentii causam nescire me fateor ingenuè, nisi his in Con-

Conciliis eadem fuerit, quæ in Hadriano. Causam aliam, si quæ sit optima, libenter discerem.

XLIII. Bellarminus auctorem ex Anglia nullum Gersoni, Almaino, Castrensi, & Hadriano adjungit. Adjungendus est sine dubio Gullelmus Okamus ex Ordine Minorum Theologus celebris, qui lib. v. partis 1 Dialogorum cap. III. statuit, *quòd Papa hæreticari possit. In dictis decretalibus* XXIII *&* XXIV *plures hæreses de paupertate Christi & Apostolorum ejus, nec non & de voto abdicationis proprietatis omnium temporalium in speciali, & etiam in communi continentur, ut nonnulli dicunt & scribunt. Discipulus. Isti malitiosè contra Dominum Joan. XXII. procedunt. Nituntur enim, quòd vel fuit, vel est hæreticus, monstrare.*
69 *Magister. Volo te scire, quod nonnulli putant non malitiosè, sed veraciter & infallibiliter demonstrari, quod Joannes XXII. vel fuit, vel est modò hæreticus, quia, ut asserunt, nulla potest tergiversatione negari, quin doctrina sua de paupertate Christi & Apostolorum ejus, & de abdicatione proprietatis omnium spiritualium in speciali & etiam in communi, & de paupertate Evangelica doctrina Nicolai III & aliorum Pontificum decretis adversetur. Cùm ergo omnia prædicta ad fidem pertineant, vel ad bonos mores, necesse est, quòd altera doctrinarum istarum contineatur sub hæretica pravitate. Aut ergo doctrina Joannis XXII. est hæretica, aut doctrina Nicolai III. & aliorum Pontificum cum eo concordantium circa prædicta est hæretica. Si doctrina Joannis XXII. est hæretica, cùm diffinierit solemniter eam esse tenendam, sequitur, quòd pertinax & hæreticus est censendus. Si autem doctrina Nicolai III. & aliorum Pontificum est hæretica, ergo Joannes XXII. quando eam per declarationem suam solemniter approbavit, & multipliciter commendavit, fuit hæreticus reputandus, quia pravitatis hæreticæ defensor & fautor. Unde nonnulli ex prædictis formant hancce rationem. Qui circa ea quæ sunt fidei, est sibi ipsi contrarius, potest errare circa fidem. Papa autem potest circa ea quæ sunt fidei, esse sibi ipsi contrarius: Ergo potest errare circa fidem. Papam autem posse circa ea quæ fidei sunt, esse sibi ipsi contrarium, probant per exemplum Joann. XXII. qui sibi ipsi contrarius invenitur, cùm priùs approbat doctrinam Nicolai de paupertate Christi & Apostolorum ejus, & de abdicatione proprietatis Christi omnium temporalium in speciali & in com-*
70 *muni, & postea contradicit eidem.*

Deinde in cap. v. *Ad secundam rationem respondetur, quòd quamvis ad hæreticum causa fidei minimè deferenda, ad illum tamen, qui hæreticus potest fieri, antequam efficiatur hæreticus, sunt causæ fidei deferendæ, & ideo licèt possit in pravitatem labi hæreticam, antequam tamen labatur, sunt causæ fidei deferendæ ad ipsum, sed si hæreticam incurrerit pravitatem, tunc non est ad ipsum quæstio fidei deferenda.*

Tum post alia: *Ad quartam rationem respondetur, quòd Summo Pontifici in veteri lege, & judici, oportebat omnes in talibus difficultatibus & ambiguis obedire, quando juxta legem divinam & veritatem judices judicabant: Si autem contra legem divinam aliquid præcepissent, non fuisset obediendum eisdem, sicut ex lib. c. 13. & 17. colligitur evidenter. Quòd autem Sacerdotes summi veteris legis & etiam Judices principales poterant contra legem Dei jubere & contra fidei veritatem errare, constat ex hoc quòd plures eorum à veritate judicii & fidei deviaverunt, sicut per plura exempla posset ostendi, quòd plures summi Pontifices & Sacerdotes circa tempora Machabæorum legem Domini reliquerant.*

Hic non possum silentio præterire rationem invictam, qua hic auctor sic propemodum utitur: *Ille qui contra fidem errare non potest, ad definiendum & determinandum dubia, quæ contra fidem emergant, non indiget aliorum constitutorum in hac vita mortali peritia; Sicut qui in Geometria vel alia facultate errare non potest, ad diffiniendum dubia in eadem aliorum consilio minimè indigeret: Sicut etiam quia congregatio fidelium contra fidem errare non potest, aliorum, quàm Christianorum sapientiam non requirit ad diffinienda illa, quæ sunt consona Catholicæ*
veritati. Sed Pontifex ad multa dubia, quæ circa fidem 71
emergunt Catholicam, declaranda & diffinienda indiget aliorum peritia. Aliter enim pro dubiis declarandis & hæresibus extirpandis frustra fuissent generalia Concilia congregata. Frustra enim vocaret in sacra pagina peritos: Ergo Papa potest contra fidem errare. Bellarminus, & alii illius sectatores rationem hanc sibi nunquam objecerunt integram, ut eam diluerent: Dissimulando responderunt, fugiendo vicisse sibi videntur.

XLIV. Bellarminus auctorem ex Italia nullum indicat, ratus omnes secum sentire, & adulatricis Curiæ vitio laborare. Sed me vide non omnes laborant.

XLV. Auxilius in libelli de ordinationibus à Formoso Papa factis capite xxv. *Quis,* inquit, *nesciat, quòd Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæresi subscripserit, & per ejus transgressionem nefandissima scelera sint commissa.* Deinde in capite xxxv. *Præterea si nos Ecclesiarum Pastores de nostris offensionibus justè vel injustè obligare voluerint, justè videlicet, si nostra præcesserit culpa, injustè verò, si non habuerimus culpam, talis obligatio rectissimè formidanda est, & diligentissimè observanda, donec per ejus, qui obligavit, indulgentiam, absolvi mereamur. Nempe aliud sunt Pontificales Sedes, & aliud Præsidentes. Proinde honor & dignitas uniuscujusque Sedis regulariter observanda sunt. Præsidentes autem, si deviaverint, per devia sequendi non sunt. Hoc est, si contra fidem vel Catholicam religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam sequi debemus. In his autem quæ ritè dicunt, etiamsi non faciant, eis obedire debemus.* Sic Romanum Pontificem & credendo & docendo hæreticum fieri posse arbitratur.

XLVI. Benedictus Papa IX. inter Lemovicensis Con- 72
cilii acta fatetur posse se in schisma incidere. Stephano Arvernensi Episcopo querenti, quòd Pontifex excommunicatum à se Pontium Arvernensem Comitem absolverat, sic respondet: *Quod nesciens egi, frater charissime, non mea, sed tua est culpa: Scis enim quia quicunque de universa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me causa remedii recurrit; Impossibile est mihi ejus curam negligere, dicente Domino ad beatum Petrum: Pasce oves meas. Quo ergo modo Sedes Apostolica poterit ejicere aliquem de medela, nisi rationabili causa? Debuerat certè mihi antequam illa mortua ovis Romam veniret, ejus causam tuis innotescere apicibus, meam omnimodè abjicerem, tuámque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem: Profiteor quippe omnibus consacerdotibus meis, abique terrarum adjutorem me & consolatorem potiùs esse, quàm contradictorem: Absit enim* SCHISMA A ME *& à Coepiscopis meis.* Benedictus ut à Coepiscopis suis, sic & à seipso schisma deprecatur. Nec ita deprecaretur, nisi ut Coëpiscopos suos, sic & seipsum in schisma posse labi putaret. Par est in Benedicti verbis ratio, par disputandi modus. Cur enim Pontifex minùs posset in hæresim incurrere, quàm in schisma? Quod aliquando hæresi deterius est, ut colligitur ex Epistola, quam Dionysius Alexandrinus apud Eusebium in libri VI. hist. capite XXXVII. scribit ad Novatum, Novatianum scribere debuit: *Si invitus, ut dicis, huc inductus es, ut illud planè ostendes, si sponte ab eo recedas. Oportuerat enim omnia incommoda potiùs subiisse, quàm Ecclesiæ Dei discidisse concordiam. Atque illud martyrium, quod quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensio, non minùs certè, sed multò plus, meo* 73
quidem judicio habet commendationis, quàm illud quod suscipitur, ne idolis omnino immoletur. Nam in hoc pro una quisque anima suffert martyrium, in illo autem pro tota Ecclesia. Cæterum Benedictus quia seipsum noverat, nec blandiebatur sibi ipsi; non errandi privilegium sibi deesse libenter agnoscit.

XLVII. Micrologus, seu Guido Abbas Monasterii sanctæ Crucis Avellanæ in capite XXV de observationibus Ecclesiasticis: *Sedi Apostolicæ per omnia absque*

omni

omni hæsitatione debemus obedire, cui nunquam debitam exhibebimus obedientiam, si ejus statuta potiùs judicare, quàm implere curemus. *Hoc enim est privilegium obedientia de sententia sui præceptoris non judicare, in iis duntaxat rebus, quæ canonicis scripturis contraire non videmus, Imò statim exequi quod jubetur.* Clausula hæc, *In iis duntaxat rebus, quas canonicis Scripturis contraire non videmus*, Supponit omnino Pontificem ea jubere posse, quæ Canonicis Scripturis adversentur. Qui autem aliquid contra Scripturas præcipit, vel potest præcipere, fallitur omninò, nec immunis ab errore judicandus est.

XLVIII. Bruno Signiensis Episcopus in Romano Concilio, ubi damnatum est Paschalis II. privilegium, quod Henrico regi concesserat: *Bruno Signinus Episcopus altiùs exorsus est: Gratias agamus omnipotenti Deo, quòd Dominum Paschalem Papam, qui præsenti Concilio præsidet, audivimus proprio ore damnantem illud privilegium, quod pravitatem & hæresim continebat. Adhuc quidem cavillatoriè subjunxit: Si privilegium illud hæresim continebat, qui illud fecit, hæreticus fuit. Joannes autem Ca-*
74 *jetanus adhuc commotus Signino respondit. Tunc hîc & in Concilio nobis audientibus Romanum Pontificem appellas hæreticum: Scriptum, quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit.* Hæc apud Conradum Urspergensem Abbatem, in Chronico ad annum MCXVI. Et primùm quidem Bruno Signinus in ea fuit sententia, ut crederet Paschalem in hæresim incurrisse, cùm Henrico Regi privilegium investiturarum concessit, ac proinde Romanum Pontificem non errandi privilegio carere. Deinde hoc minime negant, qui Brunoni respondent, immo non obscurè videntur consentire. Non enim dicunt, haud potuisse fieri, ut Paschalis in hæresim laberetur: Sed dicunt tantùm, concessum à Paschali privilegium hæresi nulla infici, tametsi malum esset, & turbaret Ecclesiam. Qua ex causa damnatum à Concilio, & confixum fuit.

XLIX. Gratianus dist. XL. cap. Si Papa: *Cujus culpas istîc redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Hoc poneretur frustrà, nisi Pontifex à vera fide posset aberrare.

L. Glossa, *à fide devius, quod intelligit cùm Papa vult corrigi. Si enim paratus esset corrigi, non posset accusari. Item nunquid Papa posset statuere, quòd non posset accusari de hæresi? Respondeo, quòd non, quia ex hoc periclitaretur tota Ecclesia, quod non licet.*

Deinde in cap. Anastasius dist. XIX. *Videtur ergo, quòd Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, quod*
75 *verum est, ubi de fide agitur, & tunc Synodus major est Papa ut 55.ª dist. sicut. Videtur ergo, quòd Papa non posset destruere statuta Concilii, quia orbis major est urbe.* Hæc omnia manifestè demonstrant, Romanum Pontificem separatim à Concilio errare posse.

LI. Humbertus Generalis Prædicatorum Magister V. in secunda parte sermonum serm. LXX. *Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, quæ tota ei subest, in casu.* Respectum habet cùm ad alias causas, tum maximè ad hæresim, in quam posse Romanum Pontificem incurrere, ex antiqua Romanæ Ecclesiæ traditione credebatur.

LII. Guido Archidiaconus Bononiensis in dist. XXI. *Nunc autem. Tunc Papa potest condemnari de hæresi, cùm pertinax fuerit, aliàs non.* At non condemnatur de hæresi, qui privilegium non errandi in fide & moribus habet.

LIII. Augustinus Anconitanus ex Ordine Eremitarum sancti Augustini Theologus in Summa quæst. V. art. I. *Capitis est vitam influere omnibus membris. Principium autem vitæ spiritualis est ipsa fides, quia sine fide impossibile est placere Deo. Unde Apostolus ad Hebræos XI. fidem dicit esse substantiam, id est, fundamentum omnium sperandarum rerum. Si ergo Papa deprehendatur devius à fide, mortuus est ipsa vita spirituali, per consequens aliis influere vitam non potest. Unde sicut homo mortuus non est homo, ita Papa deprehensus in hæresi non est Papa, propter quod ipso facto est depositus.*

Deinde art. II. ad secundum: *Episcopi de Concilio noluerunt eum* (Marcellinum Papam) *deponere, potissimè quia paratus erat corrigi.*

Tum art. V. ad secundum: *Papa non potest facere statutum prohibens, ne Papa posset accusari de hæresi, quia* 76
statutum prohibens, ne Papa posset accusari de hæresi, esset in præjudicium totius Ecclesiæ: periclitaretur enim universitas fidelium sub regimine ejus.

Denique art. VI. ad secundum: *Licet in quæstionibus terminandis auctoritas Papæ, dum est Papa, sit necessaria, cùm tamen desinit esse Papa per crimen hæresis, auctoritas illa remanet in Ecclesia sicut ipso mortuo.* Hæc ille, qui etsi Pontificiam dignitatem plus quàm par sit evehat, nihilominus tamen non potuit ab antiqua Ecclesiæ traditione recedere, qua constat Romanum Pontificem, seu credendo, seu docendo errare posse.

LIV. Alvarus Pelagius, ex ordine Minorum Theologus & Silvensis Episcopus, in libri I. de Planctu Ecclesiæ capite IV. *Quòd nullum crimen privat Papam ipso jure Papatu etiam hæresis, si vult corrigi. Ut no. XL. dist. si Papa.*

Deinde in cap. VI. *Notat etiam Ostiensis extrà de concess. præb. proposuit. Quòd si totus mundus sentiret in aliquo negotio contra Papam, quòd sententiæ Papæ standum esset. Id verum intellige, nisi esset causa fidei. Ut no. XV. dist. Sicut.* Exceptio hæc Papæ non errandi in fide privilegium detrahit.

Tum in lib. II. cap. X. *In condemnatione Papæ, ut dictum est, duo* (testes) *sufficiunt, nec in hoc privilegiatus est, imò deterioris conditionis, quia ipse major sine comparatione aliorum creatus est, & ideo sine spe veniæ condemnandus, ut Diabolus de pœnit. dist. II. principium.* Infrà: *Errare potest Papa, ut ibi,* (dist. XIX. Anastasius) *& no. XXIV. q. I. à recta, & legitur in Legenda beati Eusebii, quod Liberius Papa Arianæ perfidiæ consensit.* Hæc ille, quem licèt Hispanus sit, Italis tamen ad- 77
misceo, quia Joannis Papæ XXII. pœnitentiarius fuit, & diu mansit in Curia.

LV. Joannes Imolensis Jureconsultus celebris, in cap. de electione & de electi potestate: *Dicunt, quòd non possit* (Papa) *excipi, tamen poterit accusari de hæresi. Facit, quod notat Joannes in cap. in fidei I. de hæreticis in VI. & ibi tangit, quomodo Concilium erit Judex contra Papam in causa hæresis.*

Deinde in cap. de majoritate & obedientia: *Licèt Papa sit major omnium VIII. q. III. capit. cuncta, & cap. per principalem, tamen condemnari potest à Concilio: Sed illud est speciale, causa hæresis, propter quam Papa tunc censetur minor, ideò ligari potest à Concilio generali.* Hîc duo tradit tanquam communi omnium Doctorum consensu recepta, hæreticum esse posse Romanum Pontificem, & nullo proinde non errandi privilegio frui, & à generali Concilio judicari posse.

LVI. Nicolaus Tudescus, qui ex Abbate Siculo Panormitanus Archiepiscopus & Cardinalis factus est, in cap. Significasti. de Electione: *In his quæ non dependent à plena potestate Papæ, non est simpliciter dicendum, quòd Concilium est supra Papam. Unde non potest Papa disponere contra dispositum per Concilium. Vide contex. & gloss. in cap. Anastasius. Hinc est quòd Concilium potest condemnare Papam de hæresi, ut in cap. si Papa XL. dist. Ubi dicitur quòd Papa potest esse hæreticus & de hæresi judicari. Et dicunt Doctores in cap. in fidei favorem. De hæresi lib. VI. quòd Concilium est Judex.* Et paullo pòst: *In concernentibus fidem dictum unius privati esset præferendum dicto Papæ, si ille moveretur melioribus rationibus novi & veteris Testamenti, quàm Papa.* Hæc ille, quem ætas sua ut Canonici Juris 78
principem suspexit & demirata est, Lucernam Juris illum appellavit. Hinc effectum est ut posteri cùm

auctorem

auctorem hunc laudant, eum sub nomine Panormitani, vel Abbatis simpliciter laudent. Tanta est hominis existimatio & celebritas.

LVII. Cataldinus Boncompagnius in libro de potestate Papæ pro Eugenio IV. contra Basileense Concilium num. XLIV. *De nullo mundi crimine potest Papa præterquam de hæresi impeti 2. q. 3. c. præsul.* Iterum num. XLV. *Hujus culpam nullus redarguere præsumat mortalium, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius, tex. ad literam 40. dist. cap. si Papa, nec potest Concilium pro quocunque crimine vel delicto nisi pro hæresi, ut dicebam, Papam dejicere de Papatu.* Apud omnes in confesso erat, Pontificem hæreticum esse posse, quandoquidem id fatentur ingenuè, qui causam illius tuentur.

LVIII. Sanct. Antoninus Florentinus Archiepiscopus in Summa tert. part. tit. XXII. §. II. *Dicendum est secundùm Augustinum de Ancona, ubi suprà, pro crimine quantumcunque notorio Papa non est deponendus, quia talis depositio vel accusatio redundaret in malum totius Ecclesiæ, cùm si audiretur ejus accusatio, Ecclesia remaneret acephala, & hoc nisi pro peccato hæresis, de qua & si vellet se corrigere & emendare, non deberet deponi, ut notat Hugutio dist. XXII. Infrà: Pro ipsa autem hæresi congruè & ipso facto deponitur. Infrà: Si ergo Papa deprehendatur à fide devius, mortuus est ipse Papa vita spirituali, & per consequens aliis vitam influere non potest. Unde sicut homo mortuus non est homo, ita Papa in hæresi*
79 *deprehensus non est Papa, quia ipso facto est depositus.* Infrà: *Sed quando labitur in hæresim tunc eo ipso est præcisus ab Ecclesia, & desinit esse caput, & tunc deponitur de facto, non de jure, quia qui non credit, jam judicatus est de jure.*

LIX. Pius II. in Epistola CCCXCVI. ad Mahometem Turcorum Principem: *Ad Petrum Vicarium suum inquit Salvator, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et iterum, rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. Prævaluissent portæ Inferi, & defecisset fides Petri, si falsum esset Evangelium, quod sequimur, sed manet fides magni Pastoris in Ecclesia Romana, quæ nunquam inventa est errasse, atque errabit in æternum.* Non sibi, non Romano Pontifici stabilem & perpetuam in fide Christi permansionem attribuit, sed Romanæ Ecclesiæ, sive Romana Ecclesia particularis, sive universalis intelligatur. Hinc Ecclesiæ non errandi privilegium attribuit, non sibi vel Romano Pontifici. Quinetiam Scripturæ loca, quæ Bellarminus & adulatores cæteri in Romanum Pontificem transferunt, Pius ad Romanam Ecclesiam transferre non dubitat. Sapiens Pontifex cum acri & attento animo intuebatur omnes sui partes, nimium veritus esset suos ita titillare sensus, ut sibi non errandi privilegium ascisceret.

Deinde in Epistola CCCLXIX. ad Martinum Meyrum: *Fatemur insuper aliquando in Romana Curia, quam regunt homines aliqua fieri, quæ digna essent emendatione, nec dubitamus ipsos Romanæ urbis præsules etiam in quantum homines, falli, errare, labi, ac decipi posse.*
80 Tum in alia ad eundem Epistola de moribus Germaniæ: *Fatemur in Romana Curia, quam homines regunt, non omnia esse nitida & plurima fieri digna correctione. Nec ambigimus ipsos primæ urbis antistites cùm Christi Dei nostri Vicariatum assumunt, homines remanere; Ac propterea falli, errare, labi, ac decipi posse.* Sincere omnia hæc & rectè. Intelligebat quippe vir prudens & doctus, Romæ, Eugubii alterius urbis Pontificem errare & falli posse, quia homo est, non quia Pontifex. Si quidem Pontificatus nullo in loco Pontificem hominem ad errandum per se inclinat, ut in posteriori ad Joannem Gerbasium Epistola jam observavi, nec satis observari potest propter vulgus imperitorum, qui sibi applaudunt in propositione hujusmodi & ludunt in ambiguo. Cùm dicunt Romanum Pontificem ut Pontifex est & caput Ecclesiæ, errare non posse, Romanum Pontificem captiosè sejungunt ab Ecclesia, cui in Synodum collectæ jungi debet, ut tunc intelligatur errare non posse propter divinum auxilium, quod Ecclesiæ & Synodo promissum est, ut Pius innuere videtur.

LX. Beatus Joannes Capistranus ex ordine Minorum Theologus, in tractatu de auctoritate Papæ part. III. secundæ partis num. XLVII. *Objicitur quare isti Episcopi non deposuerunt istum Papam* (Marcellinum) *cum esset confessus de hæresi 40. dist. si Papa. Dicit Hug. quòd paratus erat corrigi. Licèt enim Papa sit hæreticus, vel alius, si tamen paratus est corrigi, non deponitur 14. quæst. Dixit Apostolus: Vel ideò non debebant ipsum deponere, quia coactus fecit. Hæc est cauda glossæ, ex qua expressè colligitur, quòd præter casum hæresis nunquam*
subesse debet Concilio. Tunc inauditum erat non erran- 81
di privilegium, quod Romano Pontifici extra Concilium tribueretur.

LXI. Angelus è Clavasio Ligur, ex Ordine Minorum Theologus, in Summa verbo Papa: *Utrum Papa possit decidere contra aliud statutum in causa fidei sine Concilio: Respondeo, quòd non: Ut in cap. Anastasius, in dist. quia Papa errare potest in fide 40. dist. Si Papa. Sed non tota Ecclesia.*

LXII. Bernardinus Corius Mediolanensis valde persuasus erat Romanum Pontificem errare in moribus Ecclesiæ posse, cùm in gentis suæ historia de Bonifacio IX. observat quæ sequuntur: *El anno nonagesimo primo soprà mille trecento dil mese de Genaro essendo compita la Indulgentia à Roma, dove Lombardi per le continue guerre & turbatione non essendogli potuto andare. Bonefacio Pontefice ad intercessione di Giovanne Galeazo Vesconte la concesse in Milano nella medesima forma che era à Roma. Cio è che chiascuno nel Domino del Vesconte, si anche non fusse contrito, ne confesso fusse absoluto de qualecunque peccato.* Quod Latinè dicitur. Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo Indulgentia mense Januario finita est Romæ, quo Langobardi diuturno, & longè latèque diffuso bello ac confusione rerum omnium impediti non potuerunt proficisci. Bonifacius Pontifex (IX.) Joannis Galeacii Vicecomitis rogatu Indulgentiam illam Mediolanensi Ducatui eo modo concessit, quo Romæ concesserat. Nimirum ut ditionis Vicecomitis unusquisque à quocumque absolveretur peccato, etiamsi nec contritus nec confessus esset. Nonne hoc est vehementer errare
circa mores Ecclesiæ, in qua qui nec contritus nec 82
confessus est peccatorum veniam consequi nequit? Fortassis dicent, Bonifacium vixisse in schismate. Id verum quidem est, sed Romani, & qui Romæ scribunt Pontificum historiam vel Annales, Bonifacium pro certo atque indubitato Pontifice & habent & vindicant. Quasi verò eum qui Annatarum vectigalis illius sacri auctor verus creditur, pro dubio & incerto Papa ducerent?

LXIII. Joannes Franciscus Picus in Theoremate IV. de fide ad Julium: *Quòd autem Pontifex errare in judicando possit asseverantissimè à plerisque pronunciatur. Aiunt enim notissimum esse, Pontificem summum hæreticum fieri posse, & deponi à Sede. A plerisque,* inquit, *pronunciatur.* At vox, *plerique*, Theologorum partem majorem importat.

LXIV. Philippus Decius insignis Jurisconsultus in consilio de auctoritate Ecclesiæ: *Sed supradictis nonobstantibus & similibus, quæ adduci possent in contrarium, de jure esse arbitror, saltem in aliquibus casibus in quibus communiter Doctores tenent, quòd Papa ab alio judicari possit.* PRIMUS EST IN HÆRESI, IN QUO OMNES DOCTORES CONVENIUNT, *quòd accusari possit, ut expressè dicitur in dicto can. Si Papa, ubi à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius. Et meritò, quia nullum peccatum est gravius hæresi 22. quæst.*

2. can.

2. can. premiùm in principio 32 quæst. 7. can. quod in omnibus. Et quia admodum periculosum est, si vera fides, quæ in toto populo Christiano requiritur, in capite non reperiatur, ut dicitur 61. dist. can. miramur, & ideo Papa hæreticus est minor qualibet Christiano, ut dicit glossa in can. Acacius. 24. quæst. 1. in verbo, in hæresim. Infrà:

83 . *Est quintus casus in quo difficultas consistit. Videlicet, quòd Papa incorrigibilis sit in aliquo notorio delicto pro quo Ecclesia scandalizatur. In tali casu, glossa in terminis in dicto can. si Papa. Tenet, quòd papa accusari possit, & de illa glossa, maximum factum fuit fundamentum contra Eugenium IV. in Concilio Basileensi, & illa glossa communiter tenetur. Cap. omnes, ut dicit Abbas in cap. significasti. De electione. Et in dicta dispensatione Episcopus, & quidam Rector in fine secundi dubii. Ubi inquit; quòd totus mundus approbat illam glossam. Et idem Abbas in cap. proposuit. Columna. fin. de concess. preben. & in cap. Cùm venissent. Columna. 4. de Jud. & illam glossam pluribus rationibus comprobat Rom. in consilio 523. quæst. discutienda est. Primò, quòd Papa, qui in notorio crimine persistit, incidit in suspicionem hæresis 38. dist. in can. fin. 81. dist. in can. si qui sunt, & in cap. final. de pœnis. Sed pro hæresi Papa accusari potest dicto can. si Papa. Ergo & pro tali crimine, & fuit ista ratio glossa in dicto can. si Papa. Secundò removetur Episcopus ab Ecclesia particulari, ut scandalum tollatur, ut notat Innocentius in cap. Cur pridem. De renunciat. Idem à fortiori videtur dicendum in Summo Pontifice, quo est periculum universalis Ecclesiæ.* Vide qoid anno MDXI. Decius asseveret: *Primus*, inquit, *casus est in hæresi, in quo omnes Doctores conveniunt.* Ac proinde Doctores illi omnes Romano Pontifici non errandi privilegium abjudicant. Sed nunc vide quid anno MDLXXVII. Bellarminus affirmet de contraria sententia: *Est communissima & fere omnium Catholicorum:* Uter eorum servat leges historiæ? Uter negligit? Uterque, Decius

84 servando, Bellarminus negligendo, finem & scopum assecutus est: Ille veritatem & traditionem Romanæ Ecclesiæ confirmavit; hic Curiæ placuit, & illustrem in ea locum obtinuit.

——*Exitus actu probavit.*

LXV. Dominicus Jacobatius Cardinalis in lib. III. de Conciliis: *Et ideo non debent subditi tolerare Papam hæreticum & volentem facere legem, ne de hæresi possit accusari vel cognosci. Ad hoc ille tex. in cap. Si Papa. 40 dist. qui vult. Quòd licèt Papa à nemine possit judicari, illud est verum, nisi reperiatur à fide devius, quia textus est ex gestis Bonifacii Martyris, & non simpliciter Papalis dispositio. Si enim Papa statuere vellet quòd non posset accusari vel redargui de hæresi, tolleret subditis defensionem, quam princeps tollere non potest. Ut in Clem. Pastoralis. De re jud. Cùm enim Papa labitur in hæresim, minor est omni Catholico, quia juri divino contradicit, & ideo potest à fidelibus redargui, sicut Paulus redarguit Petrum, ut legitur ad Galatas 2. Et hujus ratio est, quia quando Papa labitur in hæresim, tendit in necem & damnationem subditorum, & ideo justè possunt populi contra ejus mandatum resilire, quia obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.*

LXVI. Silvester Prieras Generalis Prædicatorum Magister, in Summâ, verbo Concilium: *Tertia conclusio Sicut non errat Ecclesia perseveranter, ità nec Papa, quando est caput Ecclesiæ, & ut caput Ecclesiæ, id est, utens adjutorio membrorum Ecclesiæ per Concilia, & orationes.* Infrà: *Si tamen* (Papa) *erret in fide, ut singularis persona, desinit esse caput Ecclesiæ, quoad Deum, licèt non quoad Ecclesiam, quousque per judicem deponatur.*

85 LXVII. Thomas Illyricus ex provincia Marchiæ Anconitanæ Franciscanus Theologus in Clypeo Papali, quem adversus Lutherum confecit, & sub nomine Hadriani VI. apparere voluit: Ubi casus septem enumerat, in quibus Summus Pontifex secundùm aliquos de Sede sua deturbari potest: *Quintò miserabilis est Papa per Ecclesiam aut generale Concilium tanquam hæreticus, aut schismaticus, etiam ubi in casu ipse non est veraciter & mentaliter talis. Assignemus summatim casus aliquos circa personas alias, qui similiter possunt in Papam cadere: Duos invenimus juribus expressos. Unus est, dum aliquis sustinet excommunicationem ultra annum, & citatus in materia fidei, nec respondet. Alius, dum citatus coram judice renuit præstare juramentum: Talis aliquis poterit manere semper verus fidelis: Attamen ipse tanquam hæreticus juris præsumptione damnabitur. Tertius assignatur casus, si timore mortis vel alia passione motus quis vocaliter negat, quæ sunt fidei, & non vult cùm possit sufficienter se purgare. Quartus casus, ubi per actus hæreticales, aut idololatricos habebitur præsumptio vehemens contra aliquem, & talis cùm potuerit, noluerit se sufficienter purgare. Dicuntur autem actus hæreticales vel idololatrici, qui sunt contrarii vel oppositi actibus, quibus solet fieri professio fidei & religionis Christianæ & cultus divini, sicut est genuflexio coram Sacramento altaris, & ingressus templi, & similia. Et in hoc multum valet usus hominum, sic talia signa vel talia accipientium. Unde siquis exhibet talia in honorem Mahometi vel Idolorum, aut si oppositus factis detestaretur Sacramentum altaris & templum Dei & sacras imagines & similia faceret, haberi deberet de hæresi & idololatria suspectus. Et hoc vel vehementer, vel* 86

graviter, vel leviter, secundùm quod plures causa suspicionem aggravantes, & pauciores relevantes concurrerent, & hoc esset longus sermo de modo accusationis talium coram Inquisitore, quando scilicet & quando non veniunt judicialiter in materia fidei & idololatriæ pertractandi. Casus quintus invenitur, ubi quis per testes accusatur, atque convincitur fuisse relapsus in hæreses jam damnatas: ille planè damnabitur per Ecclesiam. Sextus casus incidens cum quarto, ubi quis etiam levi suspicione notatus de fide vocatus fuerit ad judicium, & venire neglexerit, seu contempserit, aut fortè non potuerit, de quâ tamen impotentiâ fidem facere noluerit. Cùm enim Summus Pontifex juxta probata priùs possit tam doctrinaliter, quàm judicialiter denunciari, deferri & accusari coram Concilio generali in materia fidei & cultus divini, non repugnat casus istos & similes in ipso posse reperiri, qui circundatus est infirmitate, sicut dicit Apostolus experientia vocè loquens. Hæc ille in libro I. qoi anno MDXXIII. Taurini editus est.

LXVIII. Ferdinandus Ponzetus Neapolitanus ex Melphitensi Episcopo Cardinalis, in Summa Theologiæ lib. II. cap. XII. de solutionibus dubiorum: *Innocentius tenet, quòd si Papa dispensaret super illa, quæ habent relationem ad corpus Christi verum, quòd Concilium potest ei resistere, & quòd sententia istius præfertur sententia Papæ, nec potest facere contra fidem vel statutum Ecclesiæ.* Quæ verba palam sigoificant Papam indeficientis judicii privilegium nullum habere.

LXIX. Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus in lib. I. de auctoritate Papæ contra Lutherum capite VIII. primæ sectionis: *Quod*, inquit, *si* 87

meliùs in Ecclesia potestatem hanc quis statuat collocari, quoniam à fide minùs illa, quàm unus tantùm declinet, ratio nulla est. Nam licèt faciliùs errare possit Pontifex, quàm totus fidelium cœtus, meliùs tamen ab uno, quàm à pluribus æquè ad id muneris institutis Ecclesia regitur. Profectò non ita loquèretur, si Pontificem indeficientis judicii privilegio frui existimaret.

Recordabatur eorum, quæ in veteribus Romanæ Ecclesiæ monumentis didicerat, & libri I. de illius ceremoniis sectioni VI. indiderat, ubi Canonizationis ritum describit: *Pontifex antequam pronunciet* (N. Sanctorum Catalogo adscribendum esse) *consuevit protestari in hanc formam, quod invenimus servatum à multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clarissimi viri, qui dicunt, hoc introductum ex quadam causa, quæ nunc cessat, quia Papa tunc cogebatur ad canonizandum quendam contra suam opinionem, & propterea protestabatur, nunc autem*

non videri congruam illam protestationem. Sed de hoc statuat Summus Pontifex, & sacer Senatus.

FORMA PROTESTATIONIS.

Antequam ad pronunciationem veniamus, protestamur publicè apud vos præsentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem, aut Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei, & cætera, quæ in priori ad Raimundum Formentinum Epistola retulimus. Porro Marcelli opus hoc cum Leonis X. privilegio & approbatione editum est anno MDXVI. nec in eo Romani censores refricandum vulnus ullum invenerunt.

Hæc autem protestatio, & auctoris in eam animad-
88 versio Apostolicæ Cathedræ traditionem nobis exhibent, qua privilegium non errandi Summo Pontifici abjudicabatur. Cæcus ille sit, qui hoc non perspiciat, & qui aliter definiat, nisi definiendo, ac proinde sic errando traditionem illam confirmare velit.

LXX. Joannes Tabiena ex Ordine Prædicatorum Theologus in Summa Summarum, verbo Concilium: *Tertiò dicitur, quòd quamvis Papa erravit, seu est hæreticus, maximè si hæresis sua sit jam damnata & nota, & ipse sit pertinax, tunc est ipso jure depositus, non quòd Concilium deponat, & sic non valet consequentia, ergo Concilium habet majorem auctoritatem, quia tunc Concilium sine Papa non est, quod Papam deponit, sed ipsum jus, quod fuit institutum auctoritate Papæ.* Infrà: *Quartò dicitur, quòd quando Concilium judicat de Papa vel corrigit, habet majorem auctoritatem, quàm Papa, ut dicit glossa in cap. Anastasius 19 dist. & similia. Quia tunc Papa hæreticus, de quo loquitur ibi textus, jam est depositus. Et sic non est Papa, & tunc Concilium judicat & corrigit,* &c. *Sed tunc non valet consequentia, ergò Concilium habet majorem* &c. *Quia jam non est, & etiam in tali casu auctoritas Concilii est à jure & ex consequenti à Papa.* Tunc non erat quæstio, an Romanus antistes errare, & hæreticus fieri posset; ea de re dnbitabat pene nullus. Sed controversia erat de modo, quo Pontifex propter hæresim deponebatur. Hoc non agitur impræſentiarum.

LXXI Petrus Albiniann Tretius in tractatu de Pontificia potestate ad Clementem VII. contra Lutherum, num. 1. *In tuis conclusionibus incusare vel arguere videris Summum Pontificem, & ejus Apostolicos*
89 *executores de eorum multis excessibus, quod tibi non licet, quia Papa de nullo crimine accusari potest, nisi de hæresi, ut est gloss. communiter ab omnibus pro singulari allegata.*

LXXII. Petrus è Monte Brixiensis Episcopus in tractatu de potestate Pontificis sub initium: *Secunda conclusio principalis: Si de hæresi Romani Pontificis contenditur, generale Concilium de hujusmodi causa potest & debet cognoscere & judicare.*

LXXIII. Legati, quos Apostolica Sedes ad Tridentinum Concilium identidem misit, Hadriani VI. & suprà laudatorum num. XLII. Belgicæ I. & Germaniæ I. & II. Conciliorum factum circa Leonis X. constitutionem adversus Lutherum editam executi sunt: Scilicet constitutionem illam in medium adduxerunt nusquam, ut illa decernendis à Concilio rebus inserviret, & præjudicii adferret nonnihil. Quorsum hæc, si Leonem in publico fidei judicio errare non posse credidissent? Non crediderunt; aut quòd crediderint, probabilibus conjecturis ostendi non potest. Et sanè si credidissent, machinas adhibuissent omnes, animo toto fuissent connisi, ut Leonis constitutio hæc in auctoritatem certam admitteretur, & de illa quidquid contra Lutheri errores judicandum erat, præjudicaretur. Observatio hæc accurata consideratione digna est, eáque confirmat Romanæ Ecclesiæ traditionem, qua planum alibi fecimus, illius Præsules non errandi privilegio carere.

LXXIV. Thomas Campegius Bononiensis, Feltrensis Episcopus in libri de Concilio capite II. *Dici etiam potest Pontificem hæreticum fore minorem quocumque Catholico, imò nec esse Pontificem. Et est is casus, in quo sine*
consensu Pontificis haberi potest Concilium. De hæresi, in 90
quam labi potest Pontifex, sermonem instituit ut de re nota, & apud omnes pervulgata, & quæ difficultatis patitur nihil.

LXXV. Clemens Monilianus ex Ordine Minorum Theologus, & Cardinalis, in Compendii Theologicarum institutionum capite XIX. *Conciliorum,* inquit, *celebratio valet ad quinque,* &c. *Secundò valet ad firmiorem & faciliorem elucidationem veritatis in dubiis,* &c. *Quartò valet ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui munus sacrum, aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate, aut vita scandalosa confundunt. Hujus rei causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator lubricus & publicus erat & incorrigibilis. Ultimò valet ad omnium scandalorum, quæ suscitantur in Ecclesia, extinctionem. Illud enim est ultimum refugium in omnibus angustiis suis. Unde Romano Pontifici dicitur mysticè illud Isaiæ 16. Ini consilium, scilicet cum sapientibus, coge Concilium, id est, congrega, ut exponit Liranus. Quasi diceret Spiritus Sanctus Romano Pontifici: Imminentibus gravissimis periculis in Ecclesiam, ini Concilium & coge, id est, congrega universale Concilium.*

Deinde in capite XXXIII. *Sequendo Cardinalem de Turrecremata in Summa lib. III. de Ecclesia cap. LXIV. qui docet dissentientibus Papa & Concilio in his, quæ sunt fidei, standum est judicio Papæ in materia à Sede Apostolica definita. Sed in materia noviter per Concilium definienda, regulariter magis standum est judicio Patrum totius Concilii, quàm Papæ.* Et quibusdam interpositis:
Si tamen talis controversia orta esset, licet, universitati 91
Patrum adhærendum esset ratione prædicta, nihilominus nihil videretur convenienter concludendum, quousque concorditer Papa & Patres in unam convenirent sententiam. Et paullo pòst:

In rebus ad jus Pontificium spectantibus standum est magis judicio Papæ volentis condere legem, si sit rationalis, quam judicio Episcoporum nolentium: Si verò lex non sit rationalis, è contrà. Hæc ille, in quibus Romano Pontifici non errandi privilegium detrahit, buccinis ut ita dicam non in Gallia, sed in Italia, non Lutetiæ inter Theologos, sed Romæ inter Cardinales concrepantibus.

LXXVI. Michaël Cardinalis Alexandrinus Moniliani librum approbando suum fecit, & quidquid in libro docetur: Neque verò approbationem suam revocavit unquam, sive ut Pontifex fieret Pius V. sive postquam factus est. Vir pius ac doctus probè noverat, perniciosam esse opinionem, quam nonnulli adulatricis Curiæ magistri nuper invexerant. In antiqua Romanæ Ecclesiæ traditione manendum esse censuit.

LXXVII. Hieronymus Albanus Cardinalis in tractatu de potestate Papæ in prima parte num. CXXVI. *Quare jam non obscurè probatum esse arbitror, Papam errantem, non tamen in fide, à Concilio tanquam ab inferiori judicari non posse. Verùm si quispiam objiciat, Papam saltem in casu hæresis judicari per dictum c. si Papa. dicimus, hoc propositæ conclusioni non repugnare. Cùm enim Pontifex hæreticus, extra Ecclesiam sit, Pontifex esse desinit, & Pontificiam potestatem amittit.* Infrà num. CXXXI. *Papa*
hujus criminis (hæresis) *reus, non est Papa. Bellamera* 92
& Cardinalis Alexandrinus in C. Anastasius 19. dist. aiunt Papam hæreticum inter alios Pontifices non connumerari. Idem tradit ad L. D. Trajanus §. de testim. milit. *Papa hæreticus ampliùs Papa non est, quoniam hæresis separat omnem hominem ab Ecclesia, ut habetur in C. Conventientibus. I. q. 7.* Hæc ille quem Bellarminus videre potuit. Nam Commentarios suos Venetiis juris publici fecit, anno MDLXXI. Bellarminus Romæ Theologiam docebat ann. MDLXXVII.

Hæc pauca de sexcentis illius sententiæ Assertoribus, quos

quos Bellarminus ad auctores quinque, Nilum Thessalonicensem, Joannem Gersonem, Jacobum Almainum, Alphonsum Castrensem, & Hadrianum VI. insigni vel dolo vel ignorantia redegit, quò faciliùs contrariam *opinionem communissimam ferè omnium Catholicorum* appellaret. Non crederetur id flagitii genus, nisi palparetur.

LXXVIII. Sed modò expendendi sunt auctores decem, quos pro contraria opinione Bellarminus allegat; examinanda fides, qua in illis allegandis utitur.

Primus allegatur Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. Sed mala fide allegatur. Thomæ verba sunt: *Utrum ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare?* Infrà: *Sed contrà est, quòd editio Symboli facta est in Synodo generali, sed hujusmodi Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari, ut habetur in decret. dist. 17. Ergo editio Symboli ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet. Respondeo dicendum, quòd sicut suprà dictum est, nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo aucto-*
93 *ritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pont. Ad quem majores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decret. dist. 43. Unde & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ, secundùm illud 1. ad Corinth. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & alia omnia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, & alia hujusmodi.* Et paullo pòst:

Ad secundum dicendum, quòd prohibitio & sententia Synodi (Ephesinæ primæ) *se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Neque enim per hujusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem Symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eamdem magis expositam. Sic enim qualibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens Synodus exposuerat propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem* (nova editio Symboli) *cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur.*

Hæc si Bellarminus perlegisset omnia, & suis librasset ponderibus, non reperisset unquam, B. Thomam in
94 ea esse sententia, ut putet Rom. Pontificem seorsum à Concilio in fide & moribus errare non posse. Subductis rationibus cunctis invenisset duntaxat, Symboli editionem novam earenus ad Romanum Pontificem spectare, quatenus auctoritate illius congregatur Synodus, in qua Symbolum edatur. At istud non est id, quod quæritur. Sed quæritur utrum Romanus Pontifex seorsum à Concilio non errandi privilegio fruatur. Hoc genus lemmatis beatus Thomas nunquam sibi sumpsit. Neque ut sumeret, antiquiores vel æquales Theologi fecerunt. Romanum Pontificem tali non frui privilegio, antiqua Romanæ Ecclesiæ ferebat traditio, quæ ætate Doctoris sancti interrupta non fuit. Curia tunc caruit assentatoribus, qui traditionem illam interrumperent. Humbertus Generalis Prædicatorum Magister, sub quo Thomas claruit, id videtur ob oculos statuere, cùm in secunda parte sermonum, sermone 1. sine hæsitatione ulla dicit: *Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, quæ tota subest ei, in casu*· Quo scilicet vel labitur in hæresim, vel inemendabilis pravitatis reus agitur. Confessa res erat & manifesta apud omnes, Liberium hæreseos labe pollutum, & ei anathema dictum fuisse, & Honorium à Synodo VI. VII. & VIII. ut Monothelitam damnatum esse, & hoc ipsum in indiculo professionis fidei, quam consecrandi Pontifices edebant, apertissimè perhiberi. Gratiani decretum terebatur magistrorum omnium manibus, & in distinct. XL. illorum oculos sine dubio tenebat caput *Si Papa.* & capitis glossa, hodiernis subterfugiis vacua. Antiquiores & æquales sancti Thomæ Doctores replicatis Ecclesiæ Annalibus invenerant, Constantinopolitanam Synodum 95
primam fidei Symbolum novum citra Romanum Pontificem edidisse, sed Romanum Pontificem fidei Symbolum novum citra Concilium edidisse non invenerant.

Adjuncta sunt hæc, quæ ad intelligenda sancti Thomæ dicta conducunt quamplurimum. Hic enim etsi aliquando vetera novè tractaret, opinionis tamen novæ auctor sponte non erat, in iis potissimùm, quæ receptam Ecclesiæ rectionem attinerent. Quo fit, ut si quid in Thomæ dictis extra sui temporis traditionem & fidem decurreret, comprimendum, & ad illam revocandum esset, ne fieret auctor opinionis, cujus auctor esse sciens & prudens nollet.

Adducit quidem sancti Lucæ testimonium, *Oravi pro te Petre,* sed quo in sensu illud accipiat, exponit ipse in ejusdem secundæ partis quæst. 11. art. VI. *Ad tertium dicendum, quòd minores non habent fidem implicitam in fide majorum, nisi quatenus majores inhærent doctrinæ divinæ. Unde & Apostolus dicit prima ad Corinthios* IV. *imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Unde humana cognitio non fit regula fidei, sed veritas divina, à qua si aliqui majorum deficiant, non præjudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra universalis Ecclesiæ fidem, quæ non potest deficere, Domino dicente Lucæ 22. Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.*

Deinde accedit quæstio XXV. art. 1. supplem. in argumento. Sed contrà: *Præterea universalis Ecclesia non potest errare, quia ille, qui in omnibus exauditus est pro* 96
sua reverentia, dixit Petro super cujus confessione Ecclesia fundata est, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua Lucæ 22.· Sed Ecclesia universalis indulgentias approbat & facit, ergo indulgentiæ aliquid valent. Hic syllogismus vitiosus est, multásque continet fallacias; aut sanctus Doctor arbitratur, Dominum non pro Petro separatim ab reliqua Ecclesia rogasse, ut ejus fides non deficeret, sed pro universali Ecclesia, cujus personam Petrus gerebat. Hinc quoniam ex antecedentibus & consequentibus media intelligi illustrarique solent, quæstionis primæ articulus X. inter articulum VI. quæstionis XXV. ex commentariis in quartum sent. depromptæ, & quæstionis 11. articulum VI. medius est, & eam ob causam de fide universalis Ecclesiæ, pro qua Christus ad mentem Thomæ oraverit, intelligitur, atque ex subjecta materie intelligi debet.

Id confirmatur ampliùs invicta ratione, quam in eadem 2. 2. quæstionis XI. articulus 11. objicit, cùm in responsione ad tertium dicitur: *Sic ergo aliqui Doctores videntur dissensisse vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, utrum sic aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Ecclesiam determinata. Postquam autem essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice. Residet,* inquit, *principaliter,* sed non ὁλικῶς, totaliter, ut scholæ verbo utar. At totaliter resideret, si Pontifex seorsum ab Ecclesia non errandi in fide & moribus privilegium haberet, quemadmodum Bellarminus Pontificem habere contendit. Cæterùm uni- 97
versalis Ecclesiæ auctoritatem, qua pertinens ad fidem aliquid determinatur, in S. Pontifice *principaliter* residere cùm Thomas asserit, continuò proponit oculis suis repræsentans universam Ecclesiam Concilium, quod S. Pontifex congregat, & ubi Ecclesiasticum

dogma definitur. In tali Concilio Pontifex sibi vindicat duo, quæ vox, *principaliter*, importat: Concilium cogit, & ibi si adest, ut caput, primum videlicet universalis Ecclesiæ membrum, sententiam dicit; si abest, per Legatos suos rebus definitis assentitur, eóque pacto illas confirmat.

Huc relatæ ad secundum responsionis extrema spectant verba hæc: *Unde nova Symboli editio pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur.* Quæ cùm ita sint, perspicuè constant duo; primum quid vox *principaliter* significet; alterum, quòd Pontifex seorsum à Concilio indeficientis judicii privilegium nullum habeat in Thomæ sententia.

Denique idipsum confirmatur ex his verbis: *Ad secundum dicendum quòd prohibitio & sententia Synodi* (Ephesinæ primæ) *se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide.* Cùm B. Thomas ita respondet, tacitus innuit prohibitionem & sententiam Ephesinæ Synodi non se extendere ad personas publicas, quæ de fide determinare possent. Sed personæ publicæ tunc essent duntaxat, cùm in universali Concilio versarentur, & res fidei deciderent. Sed Romanum Pontificem sine Concilio definientem à privatarum personarum numero neque hìc neque uspiam secernit.

98 Silvester Prieras, & Joannes Viguerius, præstantissimi è schola sancti Doctoris Theologi duo, hoc, ni fallor, animadvertunt: Ille cùm in Summa verbo Concilium ait: *Sicut non errat Ecclesia perseveranter, ita nec Papa quandiu est caput Ecclesiæ, & ut caput Ecclesiæ, id est, utens adjutorio membrorum Ecclesiæ per Concilia.* Hic cùm in institutionibus Ecclesiæ de potestate ipsa condendi Symboli tractat: *Dicendum est*, inquit, *quòd Summus Pontifex, ut privata persona errare potest, non tamen ut est Summus Pontifex. Ideo fit, ut, si ut persona privata Symbolum edere tentaret, non esset Symbolum, maximè ubi à vera fide deviaret. Si autem procedat & pronuntiet ut Summus Pontifex, sive ut Papa, quando observat ritum in Conciliis Apostolorum & sanctorum patrum definitionibus observari solitum, ut puta, quando vocat Concilia seniorum, id est, Episcoporum, & instat instatque facit orationibus, & invocat Spiritum Sanctum, cujus assistentia Ecclesiæ promissa est, imò & ipsemet talibus congregationibus affuturum se pollicitus est, non patitur ipsum errare: Et sic quod Papa ut Papa, sive ut Summus Pontifex facit, Concilium ritè congregatum, quod repræsentat universalem Ecclesiam, facit. Sedes enim Romana Concilio ritè congregato directa in determinationibus fidei & morum sic confirmata est, ut errare non possit.* Sic auctores isti Romanum Pontificem, quia Summus est Pontifex & persona publica, & ut caput Ecclesiæ conjungunt Concilio, non ab eo sejungunt.

Hæc est vera & certa tractandi methodus, qua beati Thomæ mens circa Symboli editionem aperitur, & aperta viam omnem ad Curiæ adulatricis
99 cavillationes quascunque intercludit. Quòd siquis
nolit acquiescere, & tergiversari pergat, injuriam beato Thomæ faciet. Nam si rationes illius ad Dialecticorum regulas exigantur, vix erit ulla, quæ se ab accidentis fallacia defendat, cùm tribus adornata propositionibus comparebit. Tunc syllogismus à non distributo ad distributum procedet, vel in syllogismo multa, quæ Thomas dicit, supprimentur. Id videre est apud Joannem Celaiam, qui in tertium Sent. dist. xxv. quæst. v. Thomæ rationes explicat, & apud Dominicum Bannem, qui in secundam secundæ textus summam per conclusiones mittit in compendium, quò faciliùs ad contraria Romanæ Ecclesiæ traditioni & ipsi Doctori sancto dogmata formanda iter sibi sternat.

Secundus allegatur: *Thomas Valdensis libro secundo doctrin. fidei cap. 47. & 48.* Locus capitis XLVII. sic se habet: *Orthodoxi ergo omnes ad judices Christi currunt Vicarios & ordinatè requirunt, ut tandem planam tenerent veritatem. Propter hoc enim, ut vere credant, licet Doctores & ultra eos Episcopos & inter omnes mortales singillatim acceptos petere Papam, cujus moderamen & decisio pro irrefragabili veritate tenebatur à Patribus. Apud ipsum enim piè credebant, totius fidei nostræ latere mysteria, & pectus ejus imbutum butyro illo Prophetico, quo sciret reprobare malum & eligere bonum.* Locus verò capitis XLVIII. est ejusmodi: *Et quid mirum si Christo rogante Romana Ecclesia non potest in fide deficere? Non est magnum, hæretice, non est magnum, ut quod per se caderet, Christo sustinente cadere non possit.* Et paullo pòst: *Jam solve sophismata, expositiones tuas statue, de sensu composito & diviso intricatos syllogismos intrare compelle;* 100
non proderis contra fidem Romanam, quam nec Angelus de cælo poterit mutare. Ergo audacter dico, in Christi nomine & Christo juvante Romanam Ecclesiam in doctrina Christi impeccabilem. Ecce tibi loca duo, quibus putat Bellarminus Valdensem sibi suffragari! Sed ille contra propriam mentem Valdensis auctoritate abutitur. Valdensis loquitur de Romana Ecclesia, non de Romanæ Ecclesiæ Pontifice, quem Bellarminus ab Romana Ecclesia distinguit. Nam in libri IV. de Rom. Pont. capite III. sic primùm statuit: *Sit igitur propositio prima: Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet, in iis, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Deinde in cap. IV. *Secunda propositio: Non solùm Romanus Pontifex non potest errare in fide, sed neque Romana particularis Ecclesia.* Valdensis probandæ propositioni secundæ inservire potest, si tamen Romanæ Ecclesiæ nomine universalem non intelligat, sed probandæ propositioni primæ inservire non potest. Hinc efficitur, ut Bellarminus judicari debeat auctoritate Valdensis abuti, & mala fide agere.

Præterea Bellarminus dissimulat, quæ Valdensis suprà in ejusdem libri II. capite XIX. scribit: *Hæc est Ecclesia Symbolica, Ecclesia, inquam, Christi, Catholica & Apostolica, mater credentium populorum, quæ fidem habet indefectibilem secundùm promissum Christi ad Petrum, qui tunc figuram gessit Ecclesiæ: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Non est ergo specialis Ecclesia, non Africana, ut Donatus dixit, non utique particularis illa Romana, sed universalis Ecclesia, non quidem in generali Concilio congregata, quam aliquoties er-* 101
rasse percepimus, velut illa Ariminensis congregata sub Tauro præfecto, & illa Constantinopolitana sub Justiniano minore tempore Sergii Papæ secundùm Bedam, & quædam aliæ, sed est Ecclesia Christi Catholica per totum mundum dispersa. Quin autem hæc à Bellarmini proposito valde discrepent, neminem dubitaturum opinor. Itaque Valdensis sive pugnet secum, sive non pugnet, Bellarmini non est, quia nunc de Romana Ecclesia, nunc de universali Ecclesia sermonem instituit, & utrique de loco beati Lucæ accommodat. Si Valdensi Romana Ecclesia eadem sit quæ universalis & Catholica, non pugnat secum & Bellarmino adversatur; tantum abest, ut illi prosit. In summa, non potest non mala fide agere, cum Valdensem in suas partes pertrahere conatur. Nam si Doctor ille pugnare secum judicetur, in præteritis relinquendus erat.

Tertius allegatur: *Joannes de Turrecremata libro secundo Summæ cap.* 109. Sed quali fide videndum est. *Ex iis*, inquit Turrecremata, *quæ in superiori Capitulo dicta sunt, datur nobis luce clarissima intelligere, quòd tanta soliditate veritatis Apostolicum thronum clementia divinitatis firmaverat, quòd judicium ejus, quæ fidei sunt, errare à veritate non possit. Decebat sanè, ut Sedes illa, quæ superni dispositione consilii magistra fidei & cardo omnium instituebatur Ecclesiarum, in his, quæ fidei sunt, hominúmque necessaria saluti, ab ipso omnium auctore Deo, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, hoc singulari infallibilitatis munere dignaretur, in cujus rei sacramentum primo illius Sedis Pontifici divina dispensatione nomen*

firmitatis

102 *firmitatis imponitur scilicet Petrus, quod Syra lingua rupes interpretatur. Unde beatus Gregorius Eulogio Episcopo Alexandriæ scribit Epistola* CLXXXI. *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à Petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, cui rursum dicitur, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos? Hæc Gregorius.* Hic Bellarminus vel fallit vel fallitur, cùm Turrecrematam adducit, qui de Sede Apostolica, hoc est, de Romana Ecclesia sermonem instituit, non de Romano Pontifice, qui ab Sede Apostolica, vel Romana Ecclesia distinctus intelligatur. Turrecremata propositioni secundæ, quam Bellarminus statuit, probandæ inservire posset. Sed propositioni primæ, quam Bellarminus statuit, & pro qua testis producitur Turrecremata, probandæ inservire non potest. Quod autem Turrecremata de Sede Apostolica & sedente & de Romana Ecclesia, & ejus Episcopo loquatur, ostendunt cùm ipsa Turrecrematæ verba, tum deprompta è Gregorii I. Epistola probatio, & quæ ea in Epistola sequuntur: *Itaque cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est: Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.* Missum facio Turrecrematam uti expressis quibusdam auctoritatibus, quæ apud sanctum Thomam super Matthæum & in Opusculo contra Græcorum errores Cyrillo Alexandrino Episcopo subjectæ sunt, ut in duabus, ad Antonium Faurum Parisiensem Theologum, Epistolis demonstravi. Verùm de Romano
103 Pontifice, in quantum à sua Sede abjunctus intelligitur, Turrecremata sic loquitur, in libri III. de Ecclesia capite LXIV. *In materia fidei jam definita per Apostolicam Sedem potiùs standum est judicio Papæ, quàm Patrum Concilio juxta beatum Hieronymum in cap. hæc est fides: In materia autem nondum ab Ecclesia definita magis regulariter standum foret judicio Patrum totius Concilii, quàm judicio Romani Pontificis. Colligitur ex cap. Anastasius.*

Deinde in libri IV. capite XVI. de modis viginti, quibus aliquis præsumitur pertinaciter errare contra fidem: *Decimus septimus modus convincendi specialiter Papam de pertinacia in hæretica pravitate est, si errorem definit solemniter, & à Christianis asserit, tanquam Catholicum esse tenendum. Patet quia talis artans alios ad errorem pertinaciter defendendum est pertinax reputandus. Decimus octavus modus est, cùm quis prufata definitioni hæreticæ pravitatis facto consentit, consulendo, cooperando, inducendo, & esse taliter asserendo: patet, quia facientes & consentientes par pœna constringit.* Siccine loqueretur de Romanæ Sedis Episcopo, si eum indeficientis judicii privilegio gaudere crederet? Siccine Turrecremata, siccine Bellarminus loqueretur de Concilio, cui Romanus Pontifex præesset? Observarentne modum, quo Concilium hujusmodi in materia fidei errare posse deprehenderetur? Torrecremata noster est, non Bellarmini, si Turrecremata ad primam Bellarmini propositionem revocetur, in qua dicit: *Summus Pontifex, cùm totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent,* NULLO CASU ERRARE POTEST.

104 Quartus allegatur: *Joannes Driedo libro quarto de Ecclesiast. dogmat. cap. 3. part. 3.* Sed non meliori fide, quàm Thom. Valdensis, & Joan. Turrecremata. Driedonis referendus est locus: *Jam operæ pretium est,* ait, *considerare, quemadmodum accipienda sit sententia ex Scripturis docens fidem usque ad consummationem sæculi non deficere unquam à Petri Cathedra, seu Ecclesia Petri. Ad intelligendum igitur verba Salvatoris docentis ad Ecclesiam in collegio Apostolorum designatam: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, & ad Pastores universalis Ecclesiæ designatos in Petro: Simon, Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et iterum: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Operæ pretium est considerare, quòd ex hujusmodi Scripturis firmiter tenendum est, & nullatenus dubitandum, Christum & fidem Petri, nunquam deficere ab Ecclesia Petri, ab Episcopatu Petri, ab Ecclesia Petri usque ad consummationem sæculi.*

Verùm hic animadvertendum, aliud esse, quod dicimus, primatum, fidem, & claves regni cælorum esse inseparabiles, & non deficere ab Ecclesia, seu diœcesi Romana: Aliud, quod dicimus, ea esse inseparabilia ab Ecclesia, seu Cathedra Petri.

Hoc & insuper considerandum est, aliud esse, quod dicimus, fidem Petri non deficere ab Ecclesia, seu à potestate Petri; aliud quod dicimus, Petrum & ejus successorem aut populum Romanum non deficere unquam à fide. Et qui hujuscemodi diversitatem non observat, in sententiis Patrum facilè fallitur. Eadem est enim fides Christiana, quæ in Petro est & cæteris credentibus, & idcirco tametsi deficiat fides in persona vel Petri, aut successoris, vel 105 *Romana diœcesi, non ob hoc consequens est, fidem deficere in Cathedra, in Sede, vel Ecclesia Petri.*

Proinde & hoc sciendum, quòd verbum Christi Patrem rogantis pro Petro, ut non deficiat fides ejus, potest concipi sub triplici intellectu: Vel primùm pro eo, ut fides nunquam deficiat à corde Pontificis universalis Ecclesiæ, nec videlicet à persona Petri, nec à persona Pontificis, qui Petro Vicaria ordinatione succedit: Vel secundò, ut fides nunquam deficiat à generali Cathedra, à Sede, ab universali Ecclesia, seu ovibus ipsius Petri usque in consummationem sæculi: Vel tertiò ut fides non deficiat unquam à propria Sede vel diœcesi, quam Petrus particulariter pascendam dirigendam & gubernandam suscepit.

Horum primus sensus videtur esse extra intentionem Salvatoris. Neque enim videtur Salvator hujusmodi verbis voluisse Petro omnibúsque successoribus ejus promittere perseverantiam fidei usque in finem. Ex quo consequens esset, omnes successores Petri esse ad perseverantiam fidei prædestinatos. Si quidem & Petrus post illa verba ad tempus defecit à fide, sicut & cæteri Apostoli dicente Scriptura: Exprobravit Jesus incredulitatem eorum, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Unde & testimonia Angelorum, sanctarúmque mulierum de resurrectione Christi visa sunt Apostolis tanquam deliramenta. Verum quidem est, quòd Petrus post acceptum Spiritum Sanctum non defecit à fide, sed hoc privilegium non erat speciale Petro, sed & commune cæteris Apostolis, pro quibus & Christus oravit: Pater sancte, serva eos, quos dedisti mihi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis. Postremum quamvis propter promissiones Sal- 106 *vatoris sit firma fide tenendum, Petrum non defecisse finaliter à fide, hoc tamen non oportet sic credere de successoribus Petri, qui neque in fide sunt confirmati ut Petrus, neque tales habuerunt promissiones à Christo, qui dixit, Sedebitis super sedes duodecim, &c. Neque videtur ulla scriptura, qua cogamur credere, universalis Ecclesiæ Pontificem non fieri unquam hæreticum. Non oportet igitur accipere verbum Salvatoris: Ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi; super hanc, &c. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ex quibus consequens est, Christum permansurum cum Episcopatu & Ecclesia & Sede Petri usque in consummationem sæculi. Hoc autem non est sic consequens de Episcopatu, seu Ecclesiis aliorum Apostolorum, deficientibus jam à fide suis ipsorum gregibus. Verùm & hoc sciendum est, secundùm hanc interpretationem non oportere consequens esse, quòd Romana diœcesis certis limitibus ab aliis disjuncta, in qua finaliter Petrus resedit, non deficiet unquam à fide: Aliud potest intelligi Ecclesia, seu Cathedra Petri, aliud Ecclesia Romana. Si quidem Ecclesia, seu diœcesis Romana potest intelligi destructa, permanente Petri Cathedra, quæ est Cathedra universalis Ecclesiæ: Unde & tertium intellectum pertinaciter hæretici refellunt, imitati insaniam Judæorum, qui odientes Ecclesiam Romanam expectant finaliter illius interitum.*

Bel-

Bellarminus auctorem hunc nusquam legit, quia si legisset, non esset ausus eum, ut sibi suffragantem adducere, qui placitis illius tam vehementer adversatur. Sed Driedo pergit: *Fuerunt jam olim & alii, qui non pertinaciter, sed quasi probabiliter sententiam defendere*
107 *voluerunt ex scripturis, nobis incertum esse, an Romana diœcesis deficiet unquam à fide, & ideirco esse temerarium asserere alteram partem tanquam fidei articulum, cùm neutra sit ex Scripturis necessariò consequens, neque usquam revelatum sit, quòd omnes Christiani à Mahumeta vel Turca non expellantur unquam à Romana diœcesi, aut non transferantur in aliam diœcesim, nunquam ampliùs reversuri Romam.*

Quatenus ergo investigando magis appareat veritas, quædam argumenta subjiciamus adversus eos, qui ex Scripturis conantur demonstrare, Ecclesiam Romanam ita esse fundatam supra firmam Petram, ut non possit à fide deficere. Quibus propositis subnectit:

Non temerè igitur, sed pia fide cum Patribus nostris prædecessoribus creditur, quòd fides & primatus Ecclesiæ & Sedes seu Cathedra Petri, claves regni cælorum, potestas ligandi & solvendi sint à diœcesi Romana inseparabiles, & quòd Deo providente & beato Petro opem ferente Romanus Episcopus seu populus sub Romana diœcesi non deficiet unquam totus à fide, cùm videamus ab initio ad hæc usque tempora in tot ac tantis tyrannorum persecutionibus eandem diœcesim Romanam, nec à tramite Apostolicæ traditionis unquam errasse docendo, nec hæreticis novitatibus succubuisse credendo; sed antiquam fidei regulam secundùm Apostolorum traditionem semper tenuisse. Infrà in responsione ad primum: *Sic & verba Christi ad Petrum dicta, Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, accipienda sunt ut intelligatur, non Petro soli, ut privatæ personæ, sed ut futuro Ecclesiæ universalis Pastori, & ideo quod Petro promittitur, dignitati Cathe-*
108 *dræ Petri promittitur; proinde & intelligitur promissum omnibus, qui Petro in dignitate pastorali succedunt, cùm in Petro intelligantur & ipse & omnes successores illius.*

Rursus intelliguntur de fide permansura, non apud personam Petri & successorum ejus, sed apud Sedem, dignitatem Pastoralem, Cathedram seu Ecclesiam Petri: Sic sensus erit, ut non deficiat fides tua, ut non prorsus pereat fides à Sede tua, à Cathedra tua, intelligendo, Sedem, Cathedram, seu Ecclesiam, non solùm universaliter, sed specialiter futuram ad curam Petri & successorum illius. Quo fit, ut verba Christi dicta Petro ex consequenti intelligantur dicta Romanæ Sedi, cui præsidet Episcopus, qui Petro legitima electione succedit. Non est igitur arbitrandum absurdum, si Christus specialiter videtur orasse pro diœcesi ipsius Petri, & successorum ejus. Talem siquidem intelligentiam, habuerunt Cyprianus, Bernardus, cæterique Patres ex eadem doctrina Salvatoris arbitrantes, apud Ecclesiam Romanam fidem non perituram, usque in consummationem sæculi. In Romana Sede hactenus nullus sedit Hæresiarcha, qui docendo definierit aliquid fidei nostræ repugnans. Neque hæresis ulla illinc sumsit initium, sed mos ibi servatur antiquus. Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui Jacobus præsedit: defecit Achaia, ubi Andreas, Asia, ubi Ioannes, India, ubi Thomas, &c. Romana Sedes hactenus manet in fide Christi erecta. Infra: *Quamvis igitur donemus nondum fuisse Romanam Ecclesiam, cùm Christus diceret Petro, Ego pro te rogavi, Petre, non tamen oportet dicere, inde consequens esse, quòd Christus tunc non rogavit pro Romana Ecclesia. Nam & eadem ratione consequens esset, Christum non rogasse pro ulla*
109 *Ecclesia, quia cùm Christus hoc diceret, nondum erat ulla Petri Ecclesia.* Infrà: *Hactenus de Ecclesia Christi, quænam sit, & apud quos sit, & apud quos non sit, & quemadmodum permansit una ab origine mundi, crescens usque ad consummationem sæculi, & quemadmodum oporteat omnem particularem Ecclesiam, omnémque Episcopatum subesse cathedræ Petri, & quonam pacto sit, accipiendum, quòd fides nunquam deficiat à Petri cathedra.* Hæc paullò longiora descripsi, quò faciliùs Driedonis mens intelligeretur. Hac autem rectè intellectâ & subductis rationibus omnibus apparet, Driedonem ad secundam Bellarmini propositionem referri posse, non ad primam, pro qua tamen auctor ille in testem adhibetur.

Neque verò Bellarminus verbis istis; *in Romana Sede hactenus nullus sedit hæresiarcha*, uti potest, ut suam confirmet sententiam, quia Driedo quæstionem facti, non juris tractat, quam si tractaret, omnino diceret: *In Romana Sede nullus sedere potuit hæresiarcha:* Sed dicit, *nullus sedit hæresiarcha:* Et hæc est facti quæstio, quæ & particulâ *hactenus*, valde confirmatur. Sic enim aliquis posset dicere, in Viennensi, in Lugdunensi, in Turonensi Sede, hactenus nullus sedit hæresiarcha, qui docendo definierit aliquid fidei nostræ repugnans. Exinde tamen non sequitur Viennensem, Lugdunensem, Turonensem Episcopum indeficientis judicii privilegio frui. Bellarminus facti quæstionem cum juris quæstione confundit. Quidquid id est, postrema capitis verba concludunt: *Hactenus de Ecclesia Christo, quænam sit & apud quos sit, & apud quos non sit, & quemadmodum permansit una ab origine mundi. .:.: &*
quonam pacto accipendum sit, quòd fides nunquam deficiat 110
à Petri cathedra. A Petri, inquit, cathedrâ, non à Petri successoribus, de quorum non errandi privilegio mentionem nullam facit.

Sed utinam Bellarminus legisset, quæ auctor tradit in capite proximo, nimirum IV. ubi contrariam omnino sententiam recipit: *Papa in causis fidei & schismatis personam suam tangentis atque concernentis subjicitur judicio universalis Ecclesiæ. Quamobrem si ipse fieret hæreticus, aut schismaticus, aut argumentis probabilibus de his suspectus, pertinaciter defendens contrariam Evangelio Christi doctrinam, ipse esset ab Ecclesia monendus, corripiendus, & si contumax fieret, judicandus tanquam anathema, & vel deponendus, vel declarandus propter contumaciam ab Ecclesia fuisse depositus à tempore, ex quo falsa docere, aut prædicare cœperit.*

Deinde in libri II. de Christiana libertate cap. II. *Sententia Papæ circa fidem tanta Concilii moderatione concipi debet, tantáque maturitate patientiæ decoqui, & tanta deliberationis gravitate, ut omnino recta sit credenda. Verùm quia Papa, quatenus homo talem modum deliberationis circa ea, quæ sunt fidei, potest omittere, & inniti proprio sensui, propriæque prudentiæ; idcirco etiam plerumque liceret examinare literas mandatorum Papæ definientis, aliquid credendum esse, aut fide tenendum.* Hæc Driedo, quem Hadriani VI. aluerat schola: utrobique noster est, non Bellarmini. Bellarmini adversarius est, sed illum subornare voluit. Heu prisca & integra fides!

Quintus allegatur *Cajetanus in Opusculo de potestate*
Papæ & Concilii cap. 9. Sed verè: Sic enim Cajeta- 111
nus scribit: *Dicendum est, quòd errore personali certum est, quòd Papa, quia est una singularis persona, magis potest in fide errare, quàm totum residuum Ecclesiæ. Sed hoc non spectat ad propositum. Errore autem judiciali in fide est è converso, quia magis potest errare communitas Ecclesiæ sine auctoritate Papæ, quàm Papa: Et ratio est, quia error Papæ in diffinitiva sententia fidei, est error totius Ecclesiæ, & verò universalis Ecclesiæ capitis & membrorum: Quia ad ipsum spectat determinare finaliter de fide, quid tenendum & quid repellendum, ut ab omnibus inconcussa fide teneatur, ut sanctus Thomas in tractatu contra errores Græcorum cap. 67. auctoritate Cyrilli & Maximi ostendit.*

Et primò quidem quibus argumentis probaret, residuum corpus Ecclesiæ personali errore minùs errare posse, quàm Pontificem, iisdem probaretur, residuum corpus Ecclesiæ judiciali errore minus errare posse, quàm Pontificem. Atque ita futilis est & gratuita illa distinctio, quæ à Cajetano ut disputandi principium certum assumitur.

Deinde sophismate laborat ratio hæc: *Error Papæ in diffini-*

diffinitiva sententia fidei est error totius Ecclesiæ. Fallax
est conclusiuncula, quam Joannes Driedo rectissimè
pervidit, cùm ait: *Hoc & insuper considerandum est,
aliud esse, quod dicimus, fidem Petri non deficere ab Ec-
clesia, seu à potestate Petri, aliud quod dicimus, Petrum
& ejus successorem aut populum Romanum non deficere
unquam à fide, & qui hujusmodi diversitatem non diligen-
ter observat in sententiis Patrum, facilè fallitur. Eadem*
112 *enim est fides Christiana, quæ in Petro est, & in cæteris
credentibus, & idcirco tametsi deficeret fides in persona Pe-
tri aut successoris vel Romana diœcesi, non ob hoc conse-
quens est, fidem deficere in cathedra, in Sede, vel Eccle-
sia Petri.* Errat, inquit ille, Papa in fide, ergo errat
Ecclesia in fide: quis consecutionem hanc ferat, nisi à
divisis ad conjuncta velit concludere?

Tum Cajetanus in ratione hac supponit Papam esse
plusquam primum membrum Ecclesiæ, & ea in re Gre-
gorio Magno adversatur. Sic enim in libri IV. Episto-
la XXXVIII. scribit ad Joannem Constantinopolita-
num Episcopum: *Certè Petrus Apostolus primum mem-
brum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andre-
as, Joannes quid aliud, quàm singularium sunt plebium
capita? Et tamen sub uno capite* (Christo) *omnes sunt
membra Ecclesiæ.*

Supponit Papam esse gradu plusquam Episcopum:
quod repugnat Symmacho Papæ scribenti: *Unum esse
inter diversos antistites Sacerdotium ad instar Trinitatis,
cujus una est atque individua potestas.*

Gregorio I. dicenti: *Quid ergo nos Episcopi dicimus,
qui honoris locum, ex Redemptoris nostri humilitate susce-
pimus?*

Gregorio VIII. pronuntianti: *Quoniam ad Episcopo-
rum maximè spectat officium afflictis & laborantibus sub-
venire, unùmque illorum licèt deficientibus meritis me esse
voluit, prospicere tenemur.*

Romanæ traditioni, qua unusquisque Papa Episcopus
simpliciter appellatur.

Romanæ consuetudini, qua unius Sedis Episcopus ad
Romanam Sedem absque consecratione nova transfer-
tur, atque ita Romanus Episcopus vocari incipit.

113 Ecclesiasticis officiis, in quibus pro Papa sic oratur:
*Oremus & pro beatissimo Papa N. ut Deus & Dominus
noster, qui elegit eum in ordinem Episcopatus, salvum &
incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum po-
pulum sanctum Dei.*

Tridentino tandem Concilio decernenti: *Siquis di-
xerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina or-
dinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris,
& ministris, anathema sit.* At R. Pontificem in hierar-
chiæ definitione hac non comprehendi ut Episcopum,
quis nisi hæreticus diceret?

Tum argumentum illud, quo Cajetanus utitur, phi-
losophicum est potiùs, quàm Theologicum. Nempe
ex duobus veræ Theologiæ principiis minimè ducitur,
Scripturæ sacræ auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ
traditione. Quinetiam suppositis apud sanctum Tho-
mam Cyrilli & Maximi testimoniis totum quantum est
fulcitur. Suppositionem, quæ Cyrillum attinet, in pri-
ori ad Antonium Faurum Epistola, & suppositionem,
quæ Maximum, in media ad Paulum Ratuynum Epi-
stola patefeci. Non est opus repetere momenta ra-
tionum, quibus suppositionem ostendo. Ibidem facilè
legi possunt. Sed observare pretium est operæ, Caje-
tanum quæstionem hanc tractasse deteriùs, quam Lu-
therus tractari posse cogitaverit, dum scholasticam
Theologiam per ludibrium ita definiit: *Scholastica
Theologia est ea, quæ à Parisiensium Sorbona mixtione
quadam ex divinis eloquiis & philosophicis rationibus,
tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina con-
flata est.* In Cajetani argumento sacra Scriptura nul-
la laudatur. Patres quidem laudantur duo, Cyrillus
& Maximus. Sed subdititia sunt illorum testimonia.

114 Cajetanus pergit sic argumentari: *Impossibile est uni-
versalem Ecclesiam errare in fide, ergo impossibile est Pa-
pam in judicio diffinitivo auctoritativè errare in fide.* O
sophisticum & fallacem disputandi modum! Quo falsi-
tas asseritur, non veritas, à conjunctis ad divisa phi-
losophatur: Quasi verò quæ corpori Ecclesiæ conve-
niunt, singulis partibus corporis convenirent, ut ar-
gumento pari convenire probares, si quid eo proba-
retur? Id est adeò perspicuum, ut necesse non sit, in
complexionem inferri. Dialecticæ tyrones illud manu
contingunt. Vitium hoc alteri simile est, quo Papa,
distributivum nomen, & Ecclesia, collectivum nomen,
συνωνύμως usurpantur, & in eandem significationem
conferuntur, ita ut quod Ecclesiæ, collectivo nomini,
proprium est, cum Papa, distributivo nomine, com-
municetur. Ab hac autem quæstione si abigantur vitia
duo hæc, Cajetanus, & reliqui Curiæ palpatores, quo
confugient, supererit pene nihil. Isthmum deinceps
perfodient.

Quidquid id est, Cajetanus sibi sumit, R. Pontificem
unum esse universalis Ecclesiæ Pontificem, vel univer-
salem Episcopum eo in sensu, quem ut hæreticum Gre-
gorius Magnus procul abjecit. Hoc judicabis mecum,
si velis in libri IV. Epistolam XXXII. ad Mauritium
Augustum inspicere, cum Joannem Constantinopolita-
num sic impetit: *Universa ergo Ecclesia, quod absit, à
statu suo corruit, quando, qui appellatur universalis, ca-
dit.* Iterum in ejusdem libri Epistolam XXXVI. ad Eu-
logium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum:
*Si hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum om-
nium negatur: Et cùm fortasse is in errore perit, qui uni-* 115
*versalis dicitur, nullus jam Episcopus remansisse in statu
veritatis invenitur.* Tum demum in libri VI. Epistola
XXIV. ad Anastasium Antiochenum: *Et ut de hono-
ris vestri injuria taceam, si unus Episcopus vocatur uni-
versalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus, ca-
dit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus
meis.* His tribus in locis Gregorius Cajetani rationem
non modò solvit, sed etiam vehementer impugnat,
ostenditque quàm periculosum & perniciosum Eccle-
siæ sit, uni, quisquis ille sit, non errandi privilegium
attribuere. Non attribuebat sibi soli, cùm de cele-
brandis seu provincialibus seu generalibus Conciliis
agebat, vel cùm ad Natalem Salonitanum Episcopum
scribit in libri II. indict. X. Epistola XXXVII. *At post-
quam nos auctore Deo unum sumus, si ea, quæ nobis cor-
rigenda sunt, tacemus, valde delinquimus. Ecce fraterni-
tas tua ægrè tulit se de conviviis à me esse reprehensam;
cùm ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgre-
dior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus
sim.* Seipsum non ut privatum hominem, sed ut Pon-
tificem Summum, & publico munere fungentem at-
tendit.

Sextus allegatur *Stanislaus Hosius libro 2. contra Bren-
tium, qui est de legitimis judicibus*; Sed minùs sincerè,
ut constabit ex illius dictis, quæ sunt ejusmodi: *Non
fuit hic* (Vigilius) *Pontifex in primo suo ingressu Cai-
phæ dissimilis, effecit tamen Sedis hujus Apostolicæ privi-
legium, ut à fide non potuerit aberrare quódque prius im-
piè promiserat, id piè postea negavit. Ac eo, quo Chri-
stianum Pontificem decebat, animo tulit omnia potiùs for-
titer quamlibet acerba, quàm ut aliquid indignum Petri
successore de religione statueret. Ex quo videre licet,* 116
*quantum sit Romanæ Sedis privilegium. Nam ut ab aliis
peccatis non semper immunes fuerint Romani Pontifices,
obtinuit tamen hoc venerabilis & efficax oratio Christi,
quemadmodum scribit sanctus Leo, quòd hactenus fides
Petri nec defecit, nec defectura creditur in throno illius
in sæculum. Quæ propria sunt inferorum portæ, nunquam
adversus hanc Sedem hæreses illæ prævaluere, nec deinceps
etiam per Dei misericordiam prævalebunt.* Infrà, post-
quam Pontifices nonnullos Liberium & Honorium &
alios ab hæresi liberavit ut potuit, subjungit: *Cæterùm
ut aut eligatur hæreticus, aut qui Catholicè sedens in Pe-
tri cathedra Pontifex hæresim apertè profiteatur, non fa-
cilè fieri posse credent ii, quibus persuasum est, efficaciorem*

fuisse,

fuisse, quam pro Petro fudit ad Patrem suum cælestem orationem Christus, ut ne deficeret fides ejus quàm at pro sua reverentia exaudiri non potuerit. Hæc ille duntaxat, in quibus indeficientis judicii privilegium Romano Pontifici seorsum à Sede non tribuit, ut tribuisse docet Bellarminus in prima propositione sua. Immo privilegium istud Sedi seorsum à Sedente tribuit Hosius, ut de Vigilio potest observari, sed Sedenti seorsum à Sede neutiquàm tribuit. Atque Hosius à nostris potiùs, quàm à Bellarmini stat partibus.

Septimus allegatur *Joannes Ekius lib. 1. de primatu Petri cap.* 18. Sed utique minùs sincerè. Verba sunt: *Proponitur, nullum Papam errasse definitivè, Ecclesiam Romanam non posse errare: Sed fundatâ Ecclesiâ super Petrum, porta, hoc est, hæreticorum doctrina non prævaluerunt contra Ecclesiam. Nam aliæ Ecclesiæ particulares defecerunt,*
117 *at, proh dolor! Ecclesias perdidimus Patriarchales, Constantinopoli, Hierosolymis, Alexandria, & Antiochia, omnis Africa nobis adempta est per infideles, licèt priùs sæpè defecerint, hæreticis in his Sedibus debacchantibus & invalescentibus. Inconcussa tamen mansit fides Catholica apud Sedem Romanam, erecta salus & doctrina Christiana integritas. Defecit Achaia, ubi Andreas, defecit Asia, ubi Joannes, &c. prædicavit. Roma semper in fide accepta stabilis permansit. Nullus in ea unquam sedit hæresiarcha, adeò quòd etsi non defuerint in eo præsidentes mali, attamen non memini me audivisse vel legisse, per Romanum Pontificem diffinitivè, & per sententiam aliquid promulgatum fidei nostræ repugnans,* Nisi mox divina fuerit subsecuta ultio. *Non nego tamen aliquos fuisse conspersos hæresi, aliquid erronei attentasse. Nonne hoc est mirificum opus divinum? Homines enim hoc non possent in tanta rerum mutatione, quod jam anno* MD. *ubi præsederunt Pontifices* CCXXIX. *A vera fide publicè diffiniendo nullus defecit. Hoc enim statum sanctissimi existimaverunt viri, non ob aliam arbitror causam, quàm quòd supra Petram firmata sit, adversus quam portæ inferi, hæreticorum si nulla Arrii, Sabellii, &c. oriantur, semper ipsa manebit incolumis, quod ut verum credas, probatissima afferam testimonia.* Hic auctor opinionem suam de capitis sui titulo præjudicat, & se à Bellarmino perperam citatum ostendit: *Nullus,* inquit, *Papa erravit definitivè; Ecclesia Romana errare non potest.* Propositiones sunt duæ. In priori, quia facti est, non juris, Bellarmino nil prodest, in posteriori favet. De priori, non de posteriori propositione nunc agitur. Tum indeficientis judicii privilegio donatos non esse
118 Romanos Pontifices apertè significat cùm ait: *Non memini me audivisse vel legisse per Romanum Pontificem diffinitivè, & per sententiam aliquid promulgatum fidei nostræ repugnans,* Nisi mox divina fuerit subsecuta ultio. Bellarminus non ita loquitur, nec ita loqueretur alius, qui quod Bellarminus sentit de Pontifice, sentiret. Quod autem Ekius in Romanis Pont. admiratur, admiratione quidem dignum videtur, sed illud singulare non est. Nam possum Ekii verbis utendo dicere: Non memini me audivisse vel legisse per Viennenses vel Lugdunenses Episcopos diffinitivè & per sententiam aliquid promulgatum fidei nostræ repugnans. Qua ex oratione non liceret inferre, Viennensibus aut Lugdunensibus Episcopis non errandi privilegium fuisse concessum.

Præterea Bellarminus neglexit legere & intelligere, quæ in ejusdem libri capite XI. tradit: *Vide candide lector dominum Gersonem de auferibilitate Papæ consid.* XVI. Et paullo post: *Unde verior apparet mihi sententia, Papam hæreticum non esse depositum, sed deponendum ita, quòd sicut nullus fit jam legitimè Papa, nisi per electionem Cardinalium, aut aliorum quibus hæc potestas collata fuerit, sicut Constantiæ est actum, sic non desinit esse Papa eo vivente, nisi per legitimam destitutionem. De quo plura possent adduci. At hoc non est accessarium principale institutum.* Qui de Romano Pontifice sic loquitur, illi non attribuit indeficientis in fide judicii privilegium. Lectorem suum ad Gersonem remittit.

Octavus allegatur *Joannes à Lovanio in libro de perpetua cathedra Petri protectione & firmitate cap.* 11. Sed qua fide pronunciare non audeo. Librum hunc sa- 119
tis diligenter quæsivi, nec tandem invenire potui. Rarus admodum debet esse liber, quem nec Josias Simlerus æqualis in Epitome Scriptorum, nec ætate suppar Antonius Possevinus in Apparatu Sacro annotarunt, cùm opera Joannis à Lovanio recensuerunt: Valerius Andreas, Possevino junior, cùm in Athenis suis Belgicis facit Joannis à Lovanio, seu Hesselii librorum indicem, designat quidem librum hunc, quem quærimus; sed utrum editus sit, & si editus, quo in loco sit editus, minime designat; adeò ut non sit improbabile, Valerium Andream librum illum nonnisi apud Bellarminum vidisse. Sic rei fides tota erit penes Bellarminum unum.

Cæterum si de libri titulo res præjudicaretur, dicerem Joannem à Lovanio citari fide non bona. Siquidem auctor ille potuit de perpetua cathedræ Petri protectione & firmitate agere, nec agere propterea de Romano Pontifice seorsum à Petri cathedra vel Sede Apostolica, cui præsidere, cujus se esse Episcopos Romani Pontifices ipsimet asseverant. At Bellarminus de S. Pontifice per se & præcisè loquitur, ac propositionem primam statuit. Verum interea dum Joannis à Lovanio videre librum mihi licuerit, pono eum à Bellarmino bona fide laudati, tametsi jure ponere non possem. Jam enim sæpe ostendimus Bellarminum in laudandis auctoribus bona fide non semper uti: *Semel malus in eodem mali genere semper præsumitur malus,* est juris regula, qua non utor impræsentiarum.

Nonus allegatur *Petrus Sotus in Apologia sua part.* 1. *cap.* 83. 84. & 85. sed nulla vel exigua fide. Videndum est. In cap. LXXXII. quod à Bellarmino præteri- 120
tur, propositio est hæc, *Tota Ecclesia major est, quàm singula privata Ecclesia,* quæ facem Soti dictatis omnibus præfert. Eam Bellarminus omisit, quippe quæ Romanum Pontificem Ecclesiæ subjiciat. At verò Ecclesiæ cùm Pontifex subjectus sit, ab illa corrigi potest. Nec corrigi posset, si non posset errare.

In cap. LXXXIII. discutitur locus hic: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides: Manifestè Petro specialiter dici totus ostendit contextus: Simoni ait, Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret, sicut triticum. Primò dicit omnes expetitos à Satana, & statim. Ego autem, inquit, rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Orat certè etiam pro aliis: Ego, inquit, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: Orat pro omnibus: Sed quod specialiter pro Petro & ad Petrum dicitur, rogavi pro te, speciale aliquid ostendit; Et id præcipuè quod sequitur, tu aliquando confirma fratres tuos. Cùm enim proposita omnium tentatione unus jubetur confirmare omnes, apertè unitas fidei ostenditur, quæ quòd in omnibus eadem esse debet, meritò exigit, ut ad unum tandem pertineat eorum in omnibus confirmatio, ut unus ultimus sit judex & unitatis conservator. Si hoc non esset necessarium, nequaquam uni præciperetur, Confirma fratres tuos.* Quod ut probet, laudat Marci Papæ ad Athanasium Epistolam quæ subdititia est. Et post alia: *Hæc oratio pro Petro specialiter facta impetravit illi, ut etsi lapsus fuerit, non tamen in finem usque perseveraverit, sed mox redierit per pœnitentiam: Hæc obtinuit ut deinceps fortior effectus confirmaret fratres.*

In cap. LXXXIV. *Instante hac hora, in illa ultima cœna lapidi illi suo, quem deputaverat fundamento, quem* 121
ut agnoverat, in eo specialiùs loquitur: Ecce, inquam, Satanas expetivit vos: Ego autem rogavi pro te, in hac significans tentatione communi omnibus specialem sibi curam esse de Petro, & quod libero suo arbitrio dimissus casurus esset, & sese aversurus à Christo, ne cùm hoc conspiceret, deficeret animo, & in eam laberetur desperationem, in quam & Judas. Ego, inquit, rogavi pro te, non prævalebit, nec diu tenebit te ille casus: Et ideo conversus ab illa negationis aversione, & conversus ad agnoscendam indignitatem suam, quam nunc quasi fortitudinem jactas,

jactat, animam pro te ponam, & paratus sum tecum in carcerem & mortem ire.

In cap. LXXXV. *Hæc igitur circa Petrum à Christo perfecta, non solùm illum singulariter respexisse, aut ad eum solùm pertinere, sed ad successores etiam suos in eo munere & magistratu, qui tunc instituebatur, persuasit Christus ipse Ecclesiæ, ut ea agnosceret perpetuum munus, perpetuum gradum, qui perpetuò in eo maneret, institutum esse in Petro: Magistratum, inquam, proprium Ecclesiæ, & unius hominis à Christo dependentem primatum, quo præcipuè unitas Ecclesiæ conservaretur.* Et hæc sunt in argumentis præcipuis, quibus hic auctor beati Petri & successoris ejus primatum adversus Brentium defendit, sed ibi quæstionem non tractat, cujus vadem illum ac sponsorem Bellarminus appellat. Sotus ne verbum quidem ullum facit de publico fidei judicio, quod Romanus antistes seorsum à Synodo vel cum Synodo pronuntiet. Hæc est tamen quæstio, in qua Sotus, si legitimè citaretur, Bellarmino prælucere debuit, nec præluxit. Exinde prorsus efficitur, ut à Bellarmino
122 mala fide laudetur. Sotus rem contra Bellarminum decidit scribens; *Totam Ecclesiam singulis privatis Ecclesiis,* in quibus sine dubio est Romana, *majorem esse.*

Neque verò id satis est: Petrus Sotus in Catholica fidei assertione, quam adversus Wirtembergensem Confessionem Tridentinæ Synodo oblatam exaravit, de Summo Pontifice, de Ecclesia, & de Conciliis multa, eáque præclara scribit, sed ibi de indeficientis judicii privilegio, quod Romano Pontifici separatim ab Ecclesia & Conciliis proprium sit, ne gry quidem. De Conciliis hæc tradit: *Inferiora Concilia à superioribus corrigi, suprema verò & universalia à nullo inferiori judicari posse. Quare omnes ad ea suscipienda tenentur, si legitimè celebrata sint: Quia ergo si errarent in fide & moribus, totam Ecclesiam necesse esset errare, Promissio Christi facta Ecclesiæ, portæ inferi non prævalebunt adversus eam, universalibus Conciliis facta est, & per illa Ecclesiæ. Certa ergo fide tenendum est, ea nunquam in fide erratura.* Tum postquam retulit verba Concilii, quod Actuum cap. XV. celebratum est ab Apostolis, subnectit: *Ecce exemplar & necessitas Conciliorum, atque ordo & auctoritas.* Complexio hæc, quàm alienus à Bellarmini doctrina sit auctor, perspicuè demonstrat, & Bellarmini propositiones multas & cum primis eam, qua de agitur, funditus evertit.

Decimus & ultimus allegatur *Melchior Canus libro sexto capite 7. de locis.* Sed sincerè allegari nequit, nisi capitis argumentum à capite sejungatur. Laudatum à Bellarmino caput sic inscribitur: *Rationibus Theo-*
123 *logia probat, Romanum Pontificem in fidei controversiis finiendis errare non posse.* At in capitis decursu Romana Ecclesia vel Sedes Apostolica Romano Pontifici conjungitur. Nec in Bellarmini sententia conjungi debet. Sed ne credas falli me, aut velle fallere, id mox intueberis.

Cani ratio prima hæc est: *Ad Romanam Sedem Episcopi Ecclesiarum in causis quibusque gravissimis provocarunt; ab illius ore fideles fidei semper oracula petierunt.* Provocationes illæ quò spectent, in epistola ad Jacobum Boëtium expendi. Profectò non spectant, quò Canus spectare putat. Rationi præterea huic Okamus suprà respondit.

Ratio secunda: *Quid? quod ipso etiam rerum experimento comperimus Christi de Petro & successoribus vaticinia in Ecclesia Romana manifestiùs impleri?* Romana hæc Ecclesia vel particularis, vel forsan universalis intelligenda est.

Ratio tertia: *Adhoc cùm Concilia & provincialia & generalia sine Romani Pontificis auctoritate nonnunquam erraverint, nunquam autem, si Romani Episcopi auctoritate firmata sunt, satis persuasum esse debet Conciliorum atque adeò totius Ecclesiæ firmitatem à Romano Pontifice derivari. De quo quoniam in loco superiore multa illinc lector assumet, quæ ad hujus argumenti explicationem pertinebunt,* Assumo quæ sequuntur: *Præterea Martinus V. in Concilio Constantiensi inter reliquas interrogationes, quibus suspecti in fide sunt examinandi, eam etiam proponit, utrum credant, quòd quodlibet Concilium universalem Ecclesiam repræsentet. Si igitur Concilium generale Ecclesiæ habet auctoritatem, qui illam de medio tollit, totius Ecclesiæ auctoritatem eadem opera dis-*
solvit. Argumentum hoc Cani rationem tertiam fun- 124
ditus destruit, tantùm abest ut illam explicet, quia generalis Concilii auctoritas cùm ab universali, quam repræsentat, Ecclesia derivetur, à Romano duntaxat Pontifice derivari non potest. Cùm hac in re Canus pugnet secum, ab hac causa meritò repellitur.

Ratio quarta: *Si in definienda fidei quæstione Romanus Episcopus errare posset, redditur statim incerta nobis multarum hæresum condemnatio. Pleraque enim non sunt damnata per generalia Concilia, sed per Romanæ Ecclesiæ judicium & decretum.* Si in antecedente Romanus Episcopus à Romana separetur Ecclesia, & si in consequente Romana Ecclesia à Romano non separetur Episcopo, vitiosa est penitus ratio. Si utrobique duo illa conjungantur, vitiosa quidem non erit ratio, sed inutilis Bellarmini, qui de Rom. Pontificis solius judicio disputat. Tum multæ sunt hæreses, quæ & ab Episcopis & ab Episcoporum Synodis damnatæ sunt, inconsulto Romano Pontifice, ut in fine epistolæ ad Jacobum Malatestam ostendi. Ex damnatione tali perinde colligeretur non errandi privilegium Episcopis convenire. Quidquid id est, Canum non agere de Romano Pontifice, quemadmodum Bellarminus agit, Canus ipse luculenter docet quæstione hac:

Sed quæris, inquit, *Eritne hæreticum asserere, Romanam Ecclesiam degenerare quoque ut cæteras posse, & Apostolicam etiam Sedem à fide posse Christi deficere?* Non dicit: Quæris, Eritne hæreticum asserere, Romanum Episcopum degenerare ut Alexandrinum, vel Antiochenum, vel Constantinopolitanum posse, vel Romanum Episcopum à fide posse Christi deficere? Sed ait, *Quæris* id, quod proposuimus: *Huic quæstioni breviter respondemus.*
Nolumus hic nos Ecclesiæ sententiam prævenire, sed si ad 125
generale Concilium referamur, hæreseos nota errori illi inuretur. Non dicit: *Nolumus hic nos Romani Pontificis sententiam prævenire.* Dicere debebat, si Romano Pontifici seorsum ab Ecclesia non errandi privilegium inesse crederet, ut Bellarminus credit.

Deinde quæstionis hujus decisionem non refert ad Romanum Pontificem, ut referre debebat, si eum in decisione falli non posse censeret, ut Bellarminus censet. Sed ad generale Concilium refert, ut ad unicum eúmque supremum judicem, qui decidendo falli non possit.

Tum Canus responsionem suam Cypriani & Hieronymi testimoniis confirmat: Sed ille non ignorabat, vel quid Cyprianus de Stephano Romano Pontifice in epistolis ad Jubaianum, & Pompeium, & in præfatione Carthaginiensis Concilii senserit, vel quid Hieronymus de Liberio Romano Pontifice & in Chronico, & in libro de viris illustribus scripserit.

Denique in capite VIII. non solùm concedit in hæresim lapsos esse Liberium & Honorium, sed id contra Pighium per unam paginam confirmat, & subjicit: *Præterea illud caput si Papa 40. dist. quod pro nihilo habet Campensis, nos maximi habere debemus.* Et quibusdam interpositis: *Non est igitur negandum, quin Summus Pontifex hæreticus esse possit, cujus rei exemplum unum & item alterum forsitan proferretur. At quod in fidei judicio contra fidem definierit, ne unum quidem proferri potest.* Et post alia: *Fidei interior Romani Pontificis non est Ecclesiæ*
necessaria, nec illius occultus & privatus mentis error Ec- 126
clesiæ Christi nocere potest. Quapropter non est necesse, ut interioris fidei conservatione Romanis Pontificibus Deus

semper

semper assistat. At quòd dum ea decernunt, quæ fidelibus credenda sunt, dúmque Ecclesiam Christi in fide dirigunt, non deficiant, sed divina manu teneantur, id Ecclesiæ opus est, idque proinde Romanus Episcopus etiam imbecillis & aliàs privatim errantibus non negabitur, ne videlicet per publicæ potestatis errorem Ecclesiam faciant in communi veritatis ignoratione versari.

Scilicet ad distinctiunculam istam eruditus magister ita docere, seu potiùs delirare poterit: Romanus Pontifex id privatim de Christo credit, quod Arius credebat, & simul in publico fidei judicio decernit, non esse credendum, quod credebat Arius, & quod ipse cum Ario firmiter sed occulte credit. Quis modò non intelligit tam miserabilem, & tam inopportunam esse negotio huic Cani distinctiunculam, ut ea lacrymis discutienda sit potiùs, quàm risu?

His autem omnibus sic positis certa sunt duo: Primùm, quòd Melchior Canus pugnantia & involuta multa in hoc argumenti genere scripsit, séque eo pacto reddidit indignum, qui hac in causa audiatur. Deinde, quòd ille nec Bellarmini studiis favet nec favere potest. Romanam enim Sedem a Sedente Pontifice distinguere non vult. Bellarminus distinguit, etiamsi in propositionis suæ probationibus fraudulenter conjungat.

LXXIX. His ita, ut rei gravitas postulat, expensis, è numero Theologorum decem, quos Bellarminus sibi suffragari putat, subducendi sunt sanctus Doctor, Tho-
127 mas Valdensis, Joannes Turrecremata, Joannes Driedo, Stanislaus Hosius, Joannes Ekius, Petrus Sotus, quorum testimonia retulimus, & à Bellarmini sensu discrepare ostendimus. Igitur sanctus Doctor, Valdensis, & Turrecremata Parisiensibus Collegis suis, à quibus divulsi fuerant, suprà suo quisque & loco & tempore reddantur. Driedo, quia Lovaniensis est Theologus, Hadriano VI. Discipulus Magistro jungatur. Hosius, quia Polonus & Varmiensis est Episcopus, Cracoviensem subsequatur Academiam. Ekius Germanorum Theologorum numerum augeat, & Sotus Hispanorum.

LXXX. Verumenimverò quoniam S. Doctor noster est, non Bellarmini, pro eo quòd Summum Pontificem hîc in editione Symboli, Concilio, hinc in expositione loci, *Ego rogavi pro te*, universali Ecclesiæ omnino conjungit, Parisiensium nostrorum sententia, quam defendo, inconcussa & tutissima necessariò evadit. Quid ita quæso? Alexander Papa VII. rem decidit in epistola, quam anno MDCLXII. VII. Idus Augusti scripsit ad Lovanienses Theologos; Nimirum in ea pronunciat, B. Thomæ dogmata inconcussa & tutissima esse. Sed adscribenda sunt verba epistolæ: *De reliquo non dubitamus, quin pro singulari scientia pietatisque studio sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes & sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxæ religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimáque dogmata sequi semper, ut asseritis, & impensè revereri velitis: Quorum profectò sanctissimorum*
128 *virorum penes Catholicos universos ingentia & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione planè non egent.* Sic noster est Alexander VII. cùm Lovaniensium Theologorum verba repetit, & post accuratam, ut oportuit, librorum Thomæ lectionem & intelligentiam confirmat. Neque opinor dissentit à Paulo IV. qui postremis Thomæ operibus, quàm primis plus tribuit auctoritatis, ut in secunda ad Joannem Gerbasium epistola vidimus. Hoc animadverto propter supposititia quædam beati Cyrilli Alexandrini testimonia, quibus in primis operibus suis usus est, non in postremis: Quia suppostorum fraudem & ingenium subolfecerat. De testimoniis istiusmodi quæstionem non retracto: Hanc ad Antonium Faurum scribens tractavi copiosiùs.

LXXXI. Supersunt duo, Thomas Cajetanus, & Melchior Canus: Quorum prior omnium apertissime Bellarminianæ opinionis fundamenta jecit; sed ea disjecimus, cùm ex novitate, quæ secum in materia gravi erroris suspicionem semper trahit, tum ex fallaci argumentatione, quam adhibet. Posterior priorem sequitur, & iisdem aliisque se & suam opinionem paralogismis & subdititiis auctoritatibus involvit. Quod in Theologis quales sunt Cajetanus & Canus, minùs quàm in Jureconsultis ferendum est. Jureconsulti canonum & eorum, quæ in Juris corpore continentur, veritatem supponunt, nec ex officio debent in illorum omnium & Commentariorum reliquorum veritatem inquirere. Theologi contrà debent in illorum omnium verita-tem inquirere, ut monumentis nonnisi certis ad legitimè disputandum utantur. Quocirca Cajetanus & Canus disputant sine ulla probabilitatis specie, quia opini- 129
onem novam condendo fallaciter & insidiosè disputant, ut ostensum est.

Cæterum cùm de proprio Theologorum & Jurisperitorum munere, & de utriusque professionis finibus loquor, comparate loquor, non simpliciter: Neque enim me fugit, Antonium Augustinum, & Jacobum Cujacium, singularis doctrinæ virorum nomina, Jurisprudentiæ κειμήλιον addidisse.

LXXXII. Joannes à Lovanio per me stare poterit à Bellarmini partibus, usque dum illius liber inveniri queat, & quid ille sibi voluerit, dijudicari. Sed homo unus in re tanta nullus homo est, & is maximè, quem Bellarminus alloqui potuit. Scriptoris vetustas scriptis sæpè nonnihil tribuit reverentiæ & auctoritatis, qua recentiores carent.

LXXXIII. Nunc subit animum Baronii recordatio, qui postquam anno Christi DCIV. examinasset vulgarem popularémque de Trajani salute opinionem & famam, dicit ingenuè: *Sed & accidere solet interdum, ut aliquid vulgò allatum, siquis certos velit examinare testes, an verum sit, neminem id seriò testantem inveniat, fideque, ut quod ab hominibus dici jactatur, afferatur à nemine, rumórque ille evanescat in auras.* Sic quod à Theologis decem assertum putat Bellarminus, ferè videtur assertum à nemine. Quis modò auctorem hunc patienter audiret vel legeret, cùm de sententia, quam ipse statuit, pronunciat: *Hæc est communissima opinio ferè omnium Catholicorum; Communissima* quæ ab uno vel altero vix docetur, aut si docetur, [illegible] quia [illegible] docetur: Et cùm additur *fere omnium Catholicorum*, Catholici fere omnes ad unum vel alterum hominem redu- 130
cuntur? Quis Bellarmini consilium in his omnibus capiet unquam? Quis expiscabitur? Præstigiæ & fraudes tandem aliquando apertam in lucem produntur, *& veritas Domini manet in æternum.*

LXXXIV. In præstigiarum cumulum accedunt quæ loquuntur: *Videntur quidem hi auctores aliquo modo inter se dissentire: Quia quidam eorum dicunt, Pontificem non posse errare, si maturè procedat, & consilium audiat aliorum Pastorum: Alii dicunt, Pontificem etiam solum nullo modo errare posse: Sed revera non dissident inter se.* Ut alii Herculem sibi fingunt quem debellent, ita & Bellarminus inimicos sibi fingit, quos inter pacem conciliet. Quod enim dissidium proponit, nullum apud sanctum Doctorem, Valdensem, Turrecrematam, Driedonem, Hosium, Sotum, Ekium, comparet; vix aliquid compararet dissidii apud Cajetanum & Canum, qui novæ, id est, Bellarminianæ opinionis semina sparserunt.

LXXXV. Nunc videndum est judicium, quod Bellarminus de secunda & quarta sententia pronunciat. Est autem ejusmodi: *Secunda non est propriè hæretica. Nam adhuc videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam sequuntur, & tamen videtur omnino erronea, & hæresi proxima. Quarta certissima est, & asserenda.* Hoc epicitharisma post fabulam. Nimirum *erronea omnino & hæresi proxima* est illa sententia, quam Gallia, Germania, Polonia, Anglia, Hispania, Belgium, Italia per innumerabiles Theologos, & Canonici

Juris

Juris antistites, per Episcopos, Cardinales quamplu-
rimos, & pontifices tradiderunt. Asserenda verò est
131 ut certissima illa opinio, quam ante Bellarmini tempus
docuerunt pauci, si tamen unus vel alter fucata dis-
putandi specie usus paucorum numerum efficere possit.
O perversum hominis judicium & censuram! In qua
bonum malum, & malum bonum dicitur.

Præterea Bellarminus graviter offendit Ecclesiam,
cùm ait ab illa tolerari sententiam *omnino erroneam, &*
quasi hæresi proximam, atque heterodoxis causam de ea-
dem Ecclesia conquerendi præbet amplissimam. Hete-
rodoxi dicent, si Catholica Ecclesia tolerat senten-
tiam, quæ Bellarmino judice *omnino erronea & hæresi*
proxima est, quomodo Catholicæ Ecclesiæ sua in fide
& moribus constabit integritas? Si Bellarminus no-
vam in re tanti ponderis opinionem asserendam ut
certissimam tradit, cur novas opiniones nostras asser-
endas esse, ut certissimas non tradit? Cur eas ut no-
vas & eam ob causam erroris suspectas rejicit? Si
veterem & constanti pene infinitorum Doctorum ser-
mone celebratam sententiam ut *omnino erroneam &*
hæresi proximam repudiat, cur novas opiniones nostras
accusat hæreseos, etiamsi vetustate nulla, magistrorum
consensione nulla sustententur? In Summa, cum Bellar-
minus orthodoxis, quorum testimonia produximus,
incommodare se putat, heterodoxorum causam adju-
vat quamplurimùm. Ipse viderit, viderint & alii, qui
Bellarmini placita defendunt. Hic *non de adversario*
(Parisiensium) *victoriam, sed contra mendacium quæ-*
rimus veritatem: Hieronymus in Dialogo contra Lu-
ciferianos.

LXXXVI. Sed ad Bellarmini perversam disputandi
methodum propiùs accedo & simpliciùs. Et primùm
132 quidem auctor ille novam in materia gravi opinio-
nem, quæ vix ætatem ferre potest, omni studio defen-
dendam suscipit, cùm universim Lutheri & Calvini
opiniones novas refellere aggreditur. Et sic quod una
manu ædificat, altera destruit, aut omnino docere
debet; opinionem illam novam jure ædificandam esse,
quam edificat, & Lutheri ac Calvini opiniones novas
jure destruendas esse, quas destruit. Quibus quæso ve-
ræ Theologiæ principiis id fiet unquam?

Deinde opinionem in materia gravi novam tradit
asserendam esse ut certissimam, cùm universim Lutheri
& Calvini opiniones novas rejicit ut incertissimas, &
hoc ipso, quòd novæ sint, iis dicam erroris scribit.
Qui sic disputat, quo pacto liber ab omni partium
studio & immunis ostendetur? Et si eadem non sit
parium ratio, negandum erit quod leges, quod com-
muniùs hominum docet sensus & intelligentia.

Tum sententiam opinioni novæ contrariam, veteri
Romanæ Ecclesiæ traditione succinctam, Conciliorum
auctoritate munitam, & innumerabilium magistrorum
consensione firmatam, ut *omnino erroneam & hæresi*
proximam, vocat & procul abjicit, cùm universim Lu-
theri & Calvini opinionibus novis antiquam Ecclesiæ
traditionem, Conciliorum decreta & Patrum testi-
monia opponit, & continuò hæreseos vel erroris no-
tam inurit. Siccine patrocinium æquitatis suscipitur,
cùm defenditur, quod accusatur?

Denique iis, qui seorsum à nobis per religionem
sentiunt, vix persuaderi poterit, ut ejuratâ hæresi vel
superstitione suâ eam Tridentinæ fidei professionem
133 edant, cujus articulum unum Bellarminus & ejus secta-
tores disputando funditus evertunt; aut sanè nos do-
ceant, quomodo permissâ disputandi libertate tali e-
denda persuaderi facile poterit Tridentinæ fidei pro-
fessio, cùm Bellarminus in probando, quod sibi sumpsit,
lemmate hoc, *Summus Pontifex cùm docet Ecclesiam, in*
his quæ ad fidem pertinent, & in morum præceptis, quæ
toti Ecclesiæ præscribit, nullo casu errare potest, formam
juramenti professionis fidei negligat. Nam Scripturæ
loca tria, Lucæ XXII. *Oravi pro te*, &c. Matthæi XVI.
Super hanc Petram, &c. Joannis XXI. *Pasce oves meas*,
quæ in lemmatis sui probationem insumit, juxta una-
nimem consensum Patrum nec accipit, nec interpre-
tatur, contrà quàm in fidei confessione decernitur;
Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem te-
nuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare
de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum,
admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum
Patrum accipiam & interpretabor. At unanimis Pa-
trum in locorum trium illorum interpretatione con-
sensus eò non spectat, ut probetur, Romanum Ponti-
ficem solum atque extra Synodum res fidei certò &
sine ullo erroris metu definire posse, vel quod eòdem
recidit, uni Romano Pontifici non errandi in fide &
moribus privilegium à Christo concessum esse: Immo
veterum Patrum nullus est, qui Summum Pontificem, cum
docet totam Ecclesiam in his, quæ ad fidem pertinent,
vel in morum præceptis, quæ toti Ecclesiæ præscribit
(si quando id ea ratione fecerit) nullo casu errare
posse, verè affirmateque dixerit, & ad propositionis
istiusmodi confirmationem loca illa Scripturæ adhibu- 134
erit: Veterum Patrum nullus, inquam, tantum abest,
ut universi Patres in eandem propositionem consentiant
& conspirent. Quod igitur à Bellarmino legitimè pro-
bandum fuit, legitimè probatum non est. Neglexit
ille per summum nefas probandi modum, quem fidei
professio præstituit.

Deinde tanti ponderis assertio sine veteri Romanæ
Ecclesiæ traditione statuenda non fuit. Bellarminus
illam sine exemplis ullis statuit.

Neque enim ita ponit: In primo æræ Christianæ sæ-
culo fuit Romanus Pontifex N. In secundo ejusdem
æræ sæculo fuit Romanus Pontifex N. In tertio, in
quarto, in quinto, in sexto, in septimo, in octavo,
in nono, in decimo, in undecimo, in duodecimo fuit
Romanus Pontifex N. qui cùm totam Ecclesiam doce-
ret, ei dogmata fidei credenda, vel præcepta morum
sequenda proposuerit. Dicam ampliùs: In hodierna
fidei professione dogma fidei nullum, præceptum mo-
rum nullum est, de quo verum sit dicere: Hoc fidei
dogma, hoc morum præceptum Summus Pontifex N.
cùm doceret totam Ecclesiam, ei toti vel credendum,
vel sequendum præscripsit, ut ab eo præscribi posse
Bellarminus intelligit & intendit. Hinc efficitur, ut
Bellarmini propositio sit titulus sine re, vana cogitatio,
& inanis species adulationis.

Præterea Codex canonum universæ Ecclesiæ, Codex
canonum Romanæ Ecclesiæ, & Codex canonum A-
fricanæ Ecclesiæ, Codex juris Græcoromani, præ-
cepta morum & disciplinæ nulla objiciunt, quæ Ro-
manus Pontifex aliquis universæ Ecclesiæ præscrip-
serit, & quæ universa Ecclesia in auctoritatem ad-
miserit. Hæc est facta quæstio, quæ oculis, non for- 135
malibus argutiis deciditur, & Bellarminum atque illius
exscriptores idoneis ad disputandum legibus con-
stringit.

Bellarminus igitur destituitur duobus veræ Theolo-
giæ principiis, scriptura, & traditione, quibus, ut par
est, suam propositionem suffulciat. Confugiendum illi
est ad illam scholasticam Theologiam, quæ à Luthero
per ludibrium ita definitur: *Scholastica Theologia est*
ea, quæ à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex di-
vinis eloquiis, & philosophicis rationibus, tanquam ex
centaurorum genere biformis disciplina conflata est. Sed
confugium istud est aperta rei, qua de agitur, perni-
cies & certum exitium. Quidquid hic tractat, com-
mercii nihil habet cum illa Theologia quæ à Parisien-
sibus nostris definitur: *Divinarum Scripturarum peritia,*
recepto, quem Ecclesia approbat, sensu, non spretis ortho-
doxorum Doctorum interpretationibus, censuris, & inter-
dum aliarum disciplinarum non contempto suffragio.

Postremò Bellarminus Chrysostomum, Augustinum,
& Theophylactum subleStiori fide adducit. Nam Pa-
tres illi Lucæ locum aliter accipiunt, quàm in Bellar-
mini opinione accipiendus sit. De privilegio accipiunt,

quo Petrus quamlibet tentatus à Satana non posset unquam veram fidem amittere: Quod ad Petri personam duntaxat pertinet, & nihil præterea.

Augustinus Matthæi locum in Epistola CXLV. ad Generosum sic intelligit: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo*
136 *Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam?* Intellectus hoc modo locus Bellarmini causæ quid serviet? obesse, non prodesse poterit.

Joannis locus Bellarmini causæ minùs adhuc serviet, siquis oculos adjiciat ad Patrum expositiones, quas in posteriori ad Raimundum Formentinum Epistola collegimus. Sic ad Tridentinæ fidei regulam disputamus. Qui nobiscum disputare nolunt,

Procul ô procul este profani.

LXXXVII. Bellarminus mirificam se in latebram conjicit, cùm in ejusdem libri capite VI. objicienti sibi, *per canones posse Pontificem fieri posse hæreticum, quòd propter hæresim judicari possit:* Argutè respondet, istos canones omnes loqui de errore Pontificis personali, non judiciali: Scilicet Romanus Pontifex id de Christo privatim credet, quod credebat Arius, & in publico fidei judicio simul definiet, eos anathemate percellendos esse, qui de Christo id credent, quod Arius credit: Scilicet Romanus Pontifex propter Arianam hæresim à Deo depositus, vel mox à Concilio deponendus, sanciet id de Christo credendum esse, quod Nicæna Synodus credendum esse sanxit: Scilicet Romanus Pontifex ut privatus Doctor Nicænam Synodum errasse credit pertinaciter, & simul ut Doctor publicus decernit, ut qui credunt, quod ipse credit, omnes Ecclesiastica communione priventur. Ecce tibi, quò gratuita & inopportuna materiæ huic distinctio pertineat, & quid lucretur?

Neque hoc satis: Progrediendum est ulterius. Cùm Pontifex ut privata persona erraverit, aliorum, Bellar-
137 mini si vis, judicio, mox ille publicam personam induet, & tunc eo in habitu & forma decernet, & toti Ecclesiæ prescribet verum id esse, quod alii errorem certum judicaverant: Et sic Bellarminus & sectatores illius cogentur credere id veritate summa niti, quod uti falsum & forsan hæreticum credendum erat. Bellarminus & alii quid respondebunt? Hìc nisi fateantur ingenuè, Pontificem sive ut privata, sive ut publica persona consideretur, errare posse, è duobus alterutrum proferant necesse est, Pontifici, vel ereptum iri libertatis usum, vel vitam, ne id faciat, quod eum facturum esse posuimus. Adferre Pontificem periturum potiùs, ut Joannes XII. periit, abominandæ necessitatis esset perfugium, & id tam facilè negaretur, quam facilè adferretur. Hoc si responderent, ii profectò declararent, extrema se fortuna confligere, & rebus jam desperatis & perditis experiri durissima velle atque ultima. Sed infelix est penitus responsio, quæ à vincendi desperatione proficiscitur.

Hoc argumento non urgentur, qui contra Bellarminum & Bellarmini sectatores asserunt, Pontificem, ut publica est persona, & ut caput Ecclesiæ spectatur, ipsi Ecclesiæ, seu repræsentanti Ecclesiam Concilio junctum intelligi; quia tunc Ecclesia impediret, vel Concilium, ne quem errorem admisisset Pontifex ut privata persona, eum ut publica persona, & ut caput Ecclesiæ vindicare posset.

Deinde laudati à Bellarmino canones inter personalem Pontificis & judicialem errorem non distinguunt, & quia non distinguunt, Bellarminus oleum perdit &
138 operam, cùm distinguit. Quia *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* L. de pretio. Quocirca Juris interpretes, quos affluenter produximus, non distinguunt, ut Bellarminus Canum secutus distinguit, cùm uterque rei difficultate impeditum se esse sensit.

Tum inutilis est hæc distinctio in Bellarmini sententia. Nam in libri II. de Rom. pont. capite XXX. quæstionem instituit, *Utrum Papa hæreticus deponi possit.* Et adductis in medium opinionibus quinque, quintam eligit, in qua dicitur, *Papam hæreticum manifestum per se desinere esse Papam, sicut per se desinit esse Christianus, & membrum corporis Ecclesiæ, quare ab Ecclesia posse eum judicari & puniri.* Et primò quidem Bellarminus in his verbis, *quare ab Ecclesia posse eum judicari & puniri*, tanquam in adjecta re meram inducit repugnantiam. Etenim is ab Ecclesia ut Pontifex judicabitur, qui non est ampliùs Pontifex, qui Pontifex per hæresim esse desiit. Tuam, vir doctissime, Dialecticam! Quæstionem hìc universim tractat, nec inter personalem Pontificis & judicialem errorem distinguit. Sed postea in libri IV. de eodem Rom. Pont. capite VII. sibi visus est evadere non posse, nisi per distinctionem, quæ sponte sua dissilit, cùm ab illo sic explicatur: *Si Pontifex possit esse hæreticus, solùm erit negando veritatem antea definitam;* & ita erit personalis error: *Non autem poterit esse hæreticus, dùm ipse aliquid novi definit:* Qui judicialis error esset. Sic igitur explicata distinctio, sponte sua, ut jam monui, dissilit, quia utrumque distinctionis membrum gratis & sine tatione ponitur. Nam si Pontifex veritatem antea definitam negare possit, cur eam non poterit errore judiciali negare? Nonne poterit definire, perperam
definitum esse, quod antè definitum fuerat? Cur Pon- 139
tifex minùs errare poterit affirmando veritatem aliquam ad fidei dogmata pertinere, quæ non pertinebat anteà, quàm negando veritatem aliquam ad fidei dogmata pertinere, quæ antea pertinebat? Ubinam Scriptura, ubinam Concilia, ubinam Patres, ubinam Theologi veteres, quibus Bellarminiana innitatur distinctio? Hæc tam non reperitur apud canonicos auctores, Concilia, Patres, Theologos veteres, quàm non reperitur apud Hesiodum aut Virgilium.

Joannes Turrecremata, quem Bellarminus ut opinionis suæ testem adducit, à Bellarmino hac in re plurimum dissentit: Sic enim ait: *Dissentientibus Papa & Concilio in his, quæ sunt fidei, standum est judicio Papæ in materia jam à Sede Apostolica definita, sed in materia noviter per Concilium definienda regulariter magis standum est judicio Patrum totius Concilii, quàm Papæ.* Cur ita, nisi Concilii Patres dum aliquid definiunt novi, minus errare possent, quàm Pontifex? Quod Bellarminus negat. Hìc ex Bellarmini teste ad hominem disputo, & Bellarminum cum Turrecremata contendo, & neutri assentior, quia neuter quærendæ & suis inveniendæ legibus veritati studet, ut planum fecimus.

Ad extremum, quod à Christiani Theologi professione abhorret quamplurimum, insidiosa est Bellarmini & aliorum Doctorum similium distinctio. Insidiæ sunt hujusmodi. Concedunt Pontificem posse fieri hæreticum credendo, non docendo, & tamen quæ ut distinctionis partem negantem confirment, ex Scripturis vel ex Patribus adducunt, probationem nullam efficiunt: Aut si quam specie tenus efficiunt, promiscuam 140
summùm, incertam, & ἀδιάφορον, eámque quocunque volueris, in aientem, vel in negantem convertes: Atque ita proletariis, vel simplicibus, & incallidis hominibus illudunt. Ineptâ spe suadendi blandiuntur sibi, & in cunctabundos resistentésque alios dicacitatem exercent. Sed

Vana sunt sine viribus iræ.

Verumenimverò nihil admodum, cur fraudulentos homines reformidemus. Illorum ingenium Vincentius Lirinensis olim detexit in Commonitorii I. capite XI. *Captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paulò involutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur.*

LXXXVIII. Ad Bellarminum redeo, & illi oppono Arelatense Concilium primum, cujus judicio ut Cypri-

anus

anus Carthaginiensis, ita & Stephanus Romanus cùm
ambo aliquid definirent novi, [illegible] er-
rarunt. Rem breviter & dilucide tradit Augustinus
in libri de unico baptis. cap. XIV. *Duo erant eminen-
tissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthagini-
ensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate
Catholica constituti, quorum Stephanus baptismum Christi*
IN NULLO *iterandum esse censebat, & hoc facientibus
graviter succensebat: Cyprianus autem in hæresi vel schis-
mate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Chri-
sti, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat.* Ste-
phanus IN NULLO iterandum esse baptismum definiit,
& aliquid definiit novi; Cyprianus in omnibus iteran-
dum definiit. Utriusque excessum Arelatensis Concilii
141 Patres sic correxerunt in canone VIII. *De Afris, quia
propria lege utuntur, ut rebaptizent, placuit ut si ad Ec-
clesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbo-
lum, & si perviderint eum in Patre, & Filio, & Spi-
ritu Sancto, esse baptizatum, ei manus imponatur, ut ac-
cipiat Spiritum Sanctum: Quòd si interrogatus non re-
sponderit hanc Trinitatem, baptizetur.* At hæretici erant
complures, qui in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto
non baptizabant, ut constat ex illorum formis bap-
tizandi, quos beatus Irenæus refert in libri I. capite
XVIII. Et eam ob causam Cyprianus graviter insecta-
tur Stephanum, qui Marcionis baptismum admittebat.
Quo fit, ut Arelatensis Concilii Patres Stephanum ta-
citè configant. Legati Silvestri Papæ interfuerunt Con-
cilio: Non restiterunt, consenserunt. Stephanus ergo
cùm aliquid definiit novi, nec ullum excepit hæreti-
corum baptismum, ut scribit Augustinus, erravit, quo-
modo Bellarminus Romanum Pontificem errare posse
tantùm negat, quia negare instituit.

LXXXIX. Scriptores nonnulli, in quibus est Pius II.
cùm Pontificum vitiis atque erroribus humanæ naturæ
conditionem prætexunt, non id faciunt ita, ut velint
alia ratione Pontificibus indeficientis judicii privile-
gium attribuere. Minimè verò. Sed id faciunt, ut
videantur excusationis adferre nonnihil, quod insita
atque innata universis hominibus miseria suppeditet.
Qui enim Pontifices, qui Reges creantur, homines esse
non desinunt, ut Pius eleganter & scribit ingenuè. Id
autem Carolus Calvus cùm perspiceret, quæ minùs
bene acta sunt in Capitulis suis, homini, non Regi
transscribit. Sic se res habet in quinto ex iis Capi-
142 tulis, quæ decreta sunt in villa Colonia: *Et si fortè
subreptum nobis quidpiam ut homini fuerit, competenter
& fideliter, prout sublimitati Regiæ convenit, & necessi-
tatibus subjectorum expedit, ut hoc rationabiliter corriga-
tur, vestra fidelis devotio admonere curabit.* Ut aperi-
untur à nobis, sic & intercluduntur diverticula, an-
fractus & suffugia vitiligatorum, qui sola pravitate
contentionem quærunt, & contra veritatem resistunt
ac repugnant.

LXXXX. Nunc restat, ut meum summatim de Bellar-
mini modo tractandi, & de illius opinione judicium
interponam, ut ille suum de nostrorum Parisiensium
Joannis Gersonis & Jacobi Almaini, & aliorum The-
ologorum Alfonsi Castrensis, & Hadriani VI. Papæ
sententia interponit.

I. Bellarminus in exponendo quæstionis statu, in tra-
denda nimirum secunda & quarta sententia, tam mala
fide agit, ut non possit iniquitate magna & ardentiori
partium studio non damnari. In secunda sententia
Magistrorum universitatem, antiquitatem, & consensio-
nem dissimulat, ut interim nullum id faciam, quod
superioris epistolæ argumentum fuit.

II. Nonnullis Theologis, quos Bellarminus opinio-
nis suæ sponsores appellat, imponit egregiè, & hoc
nomine is dignus est qui causam amittat. Qui im-
posturam facit, apud Ulpianum in stellionatus crimen
incurrit.

III. Tridentinæ fidei regulam, in qua Scripturæ
usus certis quibusdam terminis constringitur, usque
adeò negligit, ut excusari non queat. Et tamen ex
regulæ hujus observatione pendet Ecclesiæ pax & con-
cordia, & vera Theologici studii ratio, correctio, & 143
emendatio. Si regulam illam negligat, quomodo re-
gulæ illius professionem aliis suadebit? *Non debet aliis
legem imponere, qui ipsam negligit observare.* C. pro il-
lorum. de præben.

IV. Iniquissima & maximè intoleranda est censuræ
nota, *omnino erronea, & hæresi proxima*, quam Bellar-
minus sententiæ secundæ inurit, & si toleretur, vix
nulla receptissima est Theologorum opinio, quæ simi-
lem notam effugiat.

V. Si nova opinio, quæ Theologorum est pauco-
rum admodum, & præterea fallaciter disputantium,
asserenda est ut certissima, Bellarminus non poterit pro
suscepto contra Novatores scribendi munere, cum
Tertulliano in libri de præscriptione hæreticorum ca-
pite XXXI. dicere: *Ex ipso ordine manifestatur id esse
Dominicum & verum, quod sit priùs traditum, id autem
extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sen-
tentia manebit adversus posteriores quasque hæreses, qui-
bus nulla constantia de conscientia competit ad defenden-
dam sibi veritatem.* Non poterit quoque cum eodem
in libri adversus Hermogenem capite I. dicere: *Sole-
mus hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere.*
Non poterit etiam cum eodem in libri IV. contra
Marcionem capite IV. dicere: *Quis inter nos determi-
nabit nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod
antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod
posterius revincetur?*

VI. Mendacium est ingens, affirmare opinionem
quartam esse *communissimam ferè omnium Catholico-
rum*, & contrà veritas est maxima affirmare, secun-
dam sententiam, ut à nobis relata est, *communissimam
esse ferè omnium Catholicorum.* Quo fit ut opinio 144
quarta longè magis, quàm secunda mereatur illam
censuræ notam, qua Bellarminus secundam affecit,
& fœdare voluit. Ad secundæ bonitatem accedit Se-
dis Apostolicæ circa quæstionem hanc traditio, quam
in priori ad Raimundum Formentinum, & in poste-
riori ad Joannem Gerbasium Epistola deduximus.
Quàm verò certa sit hæc secunda sententia, ex supe-
riori Epistola constare potest. Tuum tamen sit, &
aliùs cujusque pii & docti viri circa omnia hæc judi-
cium, cui quæ mea sunt, libenter studioséque subjicio,
sperans fore, ut quæ curva repereris, corrigas, & quæ
vitiosa, emendes. Mihi nihil est, crede, dulcius, quàm
discere quod nesciam, & sine labore aliorum labori-
bus frui. Bene vale. Lutetiæ Parisiorum Calend. Sep-
tembris anno MDCLXV.

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS,

Epistolarum:

PARS QUARTA.

Joannes Launoius LUDOVICO MARÆSIO, Parisiensi Theologo.

1 SCRIBIS te aliàs ex sermone quodam in ea venisse, quibus ne Romanus Pontifex maternæ correctioni videretur obnoxius, hoc pugnabant atque enitebantur nonnulli, ut ille filius Ecclesiæ neutiquam diceretur. Statua dignum inventum, sed plumbea! Suscepti, illiberaliterque & indiligenter educati fuerant in Romanæ Curiæ schola, ubi Thomas Cajetanus ineptè, & cum magno partium studio docuit, *servam esse Ecclesiam*, ac proinde Romanum Pontificem servæ non esse filium, sed dominum: Servam quidem Ecclesiam, quod judicandi de re quapiam ac decernendi jure omni careret; dominum verò Romanum Pontificem, quòd eo jure solus potiretur, & si quis potiretur, per eundem Pontificem re ipsa potiri. Hæc est incredibilis deliratio, in quam Cajetanus, ut consummatæ, ita & deploratæ adulationis Theologus incurrit, cùm defensam à nostris Parisiensibus Theologis Conciliorum auctoritatem oppugnare aliter non posset. Hæc est errorum vorago, cui submersus auctor nonnullos in eandem secum ruinam traxit. Ad hanc Cajetani ætatem & ludum maximè referenda sunt, quæ Hadrianus VI. in mandatis Francisco Cheregato Germaniam petenti datis, & delecti Cardinales Prælatique alii in suo Concilio memorant. Hadrianus sic: *Scimus, in hac sancta Sede, a-*
2 *liquot jam annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata; Nec mirum, si ægritudo à capite in membra, à Summis Pontificibus in alios Prælatos descenderit.* Delecti vero Cardinales & Prælati alii hoc modo de se cum Paulo III. locuti: *Quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut nullius aut commodi sui, aut cujuspiam alterius habita ratione tibi significaremus abusus illos, gravissimos videlicet morbos, quibus jampridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Romana Curia, quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas tua spiritu Dei erudita, (qui ut ait Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu) probè noverat, principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet: Inde effectum est, præterquam quòd principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veritatis ad aures principum, quòd confestim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem esse dominum beneficiorum omnium: Ac ideo cùm dominus vendat id, quod suum est, necessariò sequi in Pontificem non posse cadere simoniam, ita quòd voluntas Pontificis qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: Ex quo proculdubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat: Ex hoc fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, &* 3
tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus, eam ad desperationem ferè salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque. Credat sanctitas vestra scientibus, qui ob hanc præcipuè causam Christianam religionem derident, adeò, ut per nos, inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes. Concilium hoc non potuit non approbare Paulus III. à quo jussum est ut haberetur. Huic subscribunt Gaspar Cardinalis Contarenus, Joannes Petrus Cardin. Theatinus, postea Paulus IV. Jacobus Cardin. Sadoletus, Reginaldus Cardin. Anglicus, Fredericus Archiepiscopus Salernitanus, Hieronymus Archiepiscopus Brundusinus, Joannes Matthæus Episcopus Veronensis, Gregorius Abbas sancti Georgii Venet. Frater Thomas Magister sacri Palatii. In Romanæ igitur Curiæ schola educati fuerant ii, quorum arte & perversa religione patrata

sunt

sunt mala, de quibus Hadrianus VI. & Concilium delectorum Cardinalium & Prælatorum aliorum gravissimè conqueruntur.

Verumenimverò deserenda est hæc Curiæ schola, ubi perperam docetur, Ecclesiam esse Romani Pontificis servam, & adeunda Sedis Apostolicæ schola, ubi apertè traditur, Ecclesiam esse Romani Pontificis, quia Christianus est, matrem & dominam. Non mentior: Gregorius VII. quem schola hæc magistrum optimum habuit, pluribus in Epistolis præs, ac sponsor est meus.

Et primùm quidem in libri 1. Epistola xxvii. ad Albertum Aquensem Episcopum: *Age igitur ut universalis mater sancta Romana Ecclesia in te, quasi fidissi-*
4 *mo filio consoletur.* At si Romana Ecclesia universalis est mater, Romanus Pontifex non potest non esse illius filius.

Deinde in ejusdem libri Epistola xxix. ad Judices Sardiniæ: *Vobis & omnibus, qui Christum venerantur, cognitum est, quòd Romana Ecclesia* UNIVERSALIS MATER SIT OMNIUM CHRISTIANORUM. Si Christianorum omnium, igitur & Romani Pontificis, quem quis Christianum negaret esse, ne Romanæ Ecclesiæ hujus filius videretur?

Tum in libri 11. Epistola 1. ad universos Episcopos & Abbates Britanniæ: *Videtis, quòd in maligno jam totus mundus est positus, &* COMMUNIS NOSTRA MATER ECCLESIA *tantò ardentius contra antiquum hostem nos invitat surgere.* Communem nostram cùm dicit matrem Ecclesiam, se ad numerum filiorum illius pertinere significat.

Denique in libri v. Epistola x. ad Regem Danorum: *Audivimus insuper, nec dubitamus, quod Dei Ecclesia,* QUÆ MATER ET DOMINA NOSTRA EST, *sicut in multis aliis terrarum partibus, ita in vestris ab iniquis hominibus & Diaboli membris comprimatur, non ut decet, tueatur & veneretur.* Matrem & dominam nostram dicit Ecclesiam, ut se & filium & maternæ potestati subditum esse demonstret.

Præterea cùm se ab aliis Ecclesiæ filiis corrigi posse non dissimulet, cur matrem & dominam non agnosceret Ecclesiam, à qua castigaretur? Sic utique in libri ix. Epistola xxxi. scribit ad Haganonem Episcopum: *Noveris itaque prudentia tua, quia multa tanquam à nobis deferuntur & dicta & scripta nescientibus. Multa etiam subripi possunt, nimis ad singula intentis, utpote divisis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehemen-*
5 *ter arctamur. Unde in hac causa, quod profectò minimè recordamur, siquid fortè subreptum fuit, optat magis animus corrigere, quàm ab æquitate & rationis tramite deviare,* VEL ALIIS CORRIGENDA RELINQUERE: Digna sunt hæc tanto Sedis Apostolicæ præsule: *Si quid fortè subreptum fuit, optat magis animus corrigere, quàm ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.* Quibus & errare & ab aliis emendari se posse libentissimè fatetur.

Gregorius exploratum habebat jam ab initio Christianæ religionis, Ecclesiam matrem & dominam appellari. Tertullianus duobus in locis utrumque amplectitur. Unus est in libri de Oratione capite 11. *Dicendò autem Patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis. Item in Patre Filius invocatur: Ego, inquit, & Pater unum sumus.* NE MATER QUIDEM ECCLESIA *præteritur, siquidem in Filio & Patre mater recognoscitur, de qua constat & Patris & Filii nomen.* Alter in libri ad Martyras capite 1. *Inter carnis alimenta benedicti martyres designati, quæ vobis &* DOMINA MATER ECCLESIA *de uberibus suis, & singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant.*

Tertullianum excipit Cyprianus in Epistol. lxxiv. ad Pompeium: *Ubi & ex qua & cui natus est, qui filius Ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum patrem ante Ecclesiam matrem?* Deinde in libro de unitate Ecclesiæ: *Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.*

Cyprianum excipit Arelatense Concilium I. in Epistola ad Silvestrum de Donatistis: *Quos & Dei nostri præsens auctoritas & traditio ac regula veritatis* 6
ita respicit, ut nulla in illis aut dicendi ratio subsisteret, aut accusandi modus ullus, aut probatio conveniret. Ideo JUDICE DEO, ET MATRE ECCLESIA, *quæ suos novit & comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi.* Apud Tertullianum mater & domina est Ecclesia; hic mater & judex Ecclesia, quæ suos novit & comprobat, quæ Donatistas per Concilium hoc accusat, vel repellit.

Hic autem loquendi modus, *mater & judex Ecclesia,* cùm sit Concilii totius, Concilii partium est singularum: Atque inprimis Claudiani & Viti Presbyterorum, Eugenii & Cyriaci, Diaconorum, qui Concilio Silvestri Papæ nomine adfuerunt.

Silvester cùm hanc accepit Epistolam, ingratam eam non habuit, nec habere potuit, cum veterem traditionem spiraret. Quò fit, ut verè affirmatéque dici possit, ab Arelatensi Concilio, à Silvestri Legatis, ab ipso Silvestro Ecclesiam matrem, dominam, & judicem censeri, non servam, qualis à Cajetano censetur, judicandi potestate frui, non privari, ut auctor iste inscitè putat.

Arelatense Concilium excipit Optatus Milevitanus Episcopus, à quo semel, iterum, & tertiò mater Ecclesia dicitur: Semel in libro 11. *Sic sit hominum pater Deus, sancta sic sit mater Ecclesia.* Iterum in libro 111. *Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem sacramentorum visceribus una mater Ecclesia genuit.* Tertiò post pauca in eodem libro: *Electi estis, qui sedentes populum docetis, & detrahitis nobis utique fratribus vestris, quoniam (sicut suprà dixi) una nos mater Ec-*
clesia genuit. Cur ita, nisi quòd ab ipso Christo gignen- 7
di potestatem accepit; non accepisset, si serva nata esset?

Optatum excipit Pacianus Barcinonensis Episcopus in Epistola 111. ad Sympronianum: *Quinetiam addimus Ecclesiam esse reginam in veste deaurata.* Si regina est Ecclesia, quomodo serva erit nata, & jure carebit omni?

Pacianum excipit Ambrosius Mediolanensis Episcopus in libro 1. de Virginibus: *Quæ igitur nupta plures liberas habet, quàm sancta Ecclesia, quæ Virgo est Sacramentis, mater est populis, cujus fœcunditatem etiam Scriptura testatur.*

Deinde in libro 11. super Evangelium beati Lucæ cap. 111. *Mater ergo viventium Ecclesia est, quam ædificavit Deus in ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis structura compaginata crescit in templum Dei. Veniat ergo Deus, ædificet mulierem illam quidem adjutricem Adæ, hanc verò Christus, non quia Christus adjumentum requirit, sed quia nos quærimus & desideramus ad Christi gloriam per Ecclesiam pervenire.* Quas dotes Ambrosius tribuit Ecclesiæ, huic non ut servæ natæ, sed ut dominæ conveniunt,

Ambrosium excipit Hieronymus libro 111. in Proverbia, cap. xxxi. Ad ea verba: *Surrexerunt filii ejus & beatissimam prædicaverunt, vir ejus & laudabit eam. Quod futurum pro certo noverat, more Prophetico, quasi jam factum refert: Surgent enim filii ejus, videlicet omnes electi in novissimo, carnis immortalitate donati, & tunc matrem suam, quæ eos ex aqua & Spiritu Sancto Deo genuit, beatissimam prædicant, quæ nunc ab infidelibus quasi misera*
contemnitur. Tunc unus aderit Cajetanus, qui matrem 8
suam spernet, utpote servam matrem, quæ *principandi* jure careat. Sed aderit quoque Hieronymus, qui miseram Cajetani sortem lamentabitur, & adjiciet, quæ in illius super caput. iv. Marci commentario habentur: *Regnum Dei Ecclesia est, quæ regitur à Deo, & ipsa regit homines.* Profectò Ecclesia regere non potest homines, nisi regendi, vel, ut Cajetanus opicè & barbarè loquitur, *principandi jure* gaudeat.

Hiero-

Hieronymum excipit Augustinus multis in locis, ubi Catholicam Ecclesiam matrem appellat.

Et primùm quidem in libri I. de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite XXX. *Meritò Ecclesia Catholica mater Christianorum verissima.*

Deinde in libri III. de Symbolo ad Catechumenos capite I. *Dum per sacratissimum Crucis signum vos suscipit in utero sancta mater Ecclesia, quæ sicut & fratres vestros cum summa lætitia spiritualiter pariet.*

Tum in ejusdem libri capite XIII. *Nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.*

Quartò in libri de disciplina Christiana capite III. *Ad id, quòd Christianus es, unus pater est Deus, una mater Ecclesia.*

Postremò in sermone XXXI. ex eorum numero, quos eruditionum parens Jacobus Sirmondus edidit: *Ama matrem tuam, sed noli super Ecclesiam, quæ te genuit ad vitam æternam.*

In primo & tertio loco Ecclesia cùm mater sit verissima Christianorum, quos illa nimirum ad vitam æternam genuit, Antistitum omnium ac proinde Romani
9 mater est: Quis nisi temerè negaret? Romanus ergo antistes, ut & cæteri matris hujus correctioni subjectus est, cùm errat.

In secundo loco materna potestas hæc elucet mirificè Comparationis genus illud, quod ibi instituitur inter Deum & Ecclesiam, Ecclesiæ potestatem sic attollit, ut nihil, si Christum excipias, suprà esse possit. Quis igitur animo æquo ferret servitutem, quam Ecclesiæ Cajetanus affinxit, ut Romanum Pontificem matris suæ dominum, & eam famulam efficeret? Ut tandem certa & definita naturæ jura & leges perfringeret, labefactaret, violaret?

Augustinum excipit Petrus Chrysologus Ravennas Episcopus, in sermone CXXVIII. de sancto Apollinari Episcopo & martyre: *Festinabat Christus ad martyrem, martyr suum festinabat ad Regem. Bene diximus, festinabat juxta illud Prophetæ: Exurge in occursum mihi & vide, sed ut propugnatorem suum sibi sancta Ecclesia retineret, Christo vehementer occurrit.* Et paullo pòst: *Et quid plura fratres? Egit, egit Ecclesia sancta mater, ut nusquam à suo separaretur antistite.* Geminatum illud, *egit, egit*, ad Ecclesiam ut dominam, non ut servam natam pertinet.

Chrysologum excipit Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, ubi qualiter in Romana Ecclesia ordinantur Diaconi & Presbyteri, præscribitur: *Postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Subdiaconum ad onus Diaconii ordinetis.* Si Cajetanus verba hæc vidisset aliquando, Ecclesiam servam esse natam, nusquam opinor dixisset.

Cæterùm Gregorius I. præluxit Gregogio VII. qui Ecclesiam toties matrem appellat. Ne mireris: Gregorius VII. Gregorium I. sibi ad imitandum proposuerat.

10 Gregorium I. excipit Alcuinus in libri de Divinis officiis capite de celebratione missæ: *Orat etiam pia mater Ecclesia pro defunctis suis.* Orat, & orandi modum per suos ministros præstituit: Quod Ecclesiæ ut dominæ, non ut servæ natæ convenit.

Alcuinum excipiunt Carolus Magnus, & cum Carolo Gallicani Præsules in libri II. Capitularium num. XLS. *Quia ergo constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sunt nobiles & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cætera hujusmodi; Oportet, ut quicunque eis prælati sunt, clerici, sive laïci, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent, sivè in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis, & quibusdam debitis, sciántque eos fratres esse, & unum secum habere patrem, Deum, cui clamant, Pater noster, qui est in cælis; & unam matrem, sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero genuit.* In his de sancta matre Ecclesia documentis comparatio, quæ ab antiquis derivatur Patribus, inter Deum patrem & Ecclesiam matrem instituitur: Atque hæc cùm alia significat, tum maximè Ecclesiam sic esse matrem, ut serva non sit. In summa, Carolus Magnus & Gallicani Præsules, non ita loquerentur de matre Ecclesia, quæ serva esset nata, nec certum ac definitum jus ullum haberet.

Carolum & Gallicanos Præsules excipit Theodulfus Aurelianensis Episcopus, in Capitularis sui sectione XLVS. *Admonendus est populus, ut ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam, missarum solemnia & prædicationem, audituri conveniant.* Matrem vocat Ecclesiam, quæ cùm fideles genuerit, gignendi potestate fruitur, nec ut ser- 11
va nata jure omni privatur.

Theodulfum excipiunt Carolus Calvus & Gallicani Præsules, semel atque iterum: Semel quidem in Capituli XXII. num. XV. *Idem Deus in carne veniens, qui solus Rex fieri potuit & Sacerdos, & in cælum ascendens suum regnum, id est, Ecclesiam inter Pontificalem auctoritatem & regiam potestatem gubernandum deposuit.* Et paulló post: *Regnum Christi, quod Ecclesia.* Iterum in Capitulo XI. *Quod est Reclamatio Episcopi Barcinonensis apud Attiniacum* cap. I. *Convocatos ab Episcopo ad matrem Ecclesiam, etiam in solemnitatis Paschæ ac Nativitatis Domini ad se revocat.* In Ecclesia quæ Christi regnum est, & in Ecclesia, quæ fidelium mater est, servitutis conditiones veræ nusquam deprehendentur. Si regnum Christi est Ecclesia, quomodo serva nata esset?

Carolum Calvum & Gallicanos Præsules excipit Hincmarus Remensis Episcopus in Opusculo de divortio Lotharii & Tetbergæ: *Unum Regnum, una Christi columba, videlicet sancta Ecclesia, unius Christianitatis lege, regni unius, & unius Ecclesiæ, quamquam per plures regni principes & Ecclesiarum præsules gubernacula moderentur.* Quæ omnia Ecclesiæ ut dominæ & matri, non ut servæ natæ propria sunt.

Hincmarum excipit Ivo Carnotensis in sermone XIII. de Capite Jejunii: *Hodie mater Ecclesia filios suos, in quibus detrimentum se sensisse cognoscit, paterna corripit severitate, ut possit eos medicinali parsimonia reformatos materna pietate colligere.* Non credebat vir doctus &
sapiens, matrem Ecclesiam, cui corripiendi filios jus 12
tribuit, servam natam esse, ut Cajetanus miserrimè docuit.

Ivonem excipit Joannes Saresberiensis, in Epistola CLXXVII. ad Exoniensem Episcopum, ubi de certo quodam alio Episcopo scribit: *Si vero nonnisi debitas exigit consuetudines, sicut vester Demosthenes asserit, illis profectò debuerat esse contentus, quæ non sunt divinis legibus inimicæ, quæ bonis moribus non adversantur, quæ sacerdotium non dehonestant, quæ periculum non ingerunt animarum, quæ matris Ecclesiæ, de cujus manu gradum suscepit, non subruant libertatem.* Vir apprimè doctus Ecclesiam matrem exhibet, non servam, sed magistram & dominam, de cujus manu Sacerdotalis gradus per illius ministros suscipitur.

Saresberiensem excipit Innocentius III. in sermone II. de consecratione Pontificis: *Intantum*, inquit, *mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Judicem ergo censet esse Ecclesiam, cui judicandi de seipso munus tribuit. Sic serva nata non est Ecclesia, ut eam servam natam esse tradit Curialium Theologorum in adulandi facultate antesignanus. Hic peccatum, quod in fide committitur, paullo laxiùs sumendum est. Ad eum protenderetur Pontificem, quem inemendabilis pravitas teneret. De fide enim malè sentire creditur, qui pluries monitus corrigi non vult, sed in peccatis publicam offensionem concitantibus persistit. Scilicet Ecclesiam audire contemnit, & tunc in certam hæreseos suspicionem incurrit.

Innocentium excipit Bonifacius VIII. cùm extrà de 13

ſent. excomm. ait: *Alma mater Eccleſia nonnulla rationabiliter ordinat, & conſultè, quæ ſuadente ſubditorum utilitate poſtmodum revocat, & in melius commutat.* Mater hæc non eſt ſerva, ſed verè mater & magiſtra, cùm id agit, quod eam agentem Bonifacius inducit. Agendi poteſtatem habet, quam per eos, quos diſtinctè & ordinatè diſponit, præſides exercet. Hoc Eccleſiæ, ſi ea Cajetani judicio ſerva eſſet nata & *principandi* jure careret, convenire quis aſſereret?

Bonifacium excipit Tridentina Synodus in ſeſſionis XIII. canone IX. *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ, anathema ſit.* Sanctæ matris Eccleſiæ præceptum dicit, quod ſancta mater Eccleſia per ſuos præpoſitos conſcripſerat. Nec illud potuiſſet conſcribere, niſi priùs conſcribendi jus habuiſſet, quo ſi ſerva eſſet nata, ut Cajetanus tradit, penitus careret.

Pius IV. in fidei profeſſione, quam ex variis Tridentinæ Synodi decretis concinnari, edique curavit, Eccleſiam ſanctam matrem nominat, & eo pacto Sedis Apoſtolicæ traditionem circumſcribit: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto.* Quæ verborum ſeries ex ſeſſione IV. repetitur, ut intelligamus non Pium modò, ſed & Tridentinum ipſum Concilium Eccleſiam cenſere matrem, cujus ſit de vero ſenſu & in-
14 terpretatione Scripturarum judicare. At Eccleſia judicandi jus non haberet ullum, ſi ſerva eſſet; huic obſequii, non judicii, quod imperari poteſt, gloria relinqueretur. Tridentinum Concilium & Pius IV. vetere, non novo loquendi modo utuntur.

Annus agebatur milleſimus ducenteſimus vigeſimus ſecundus, poſtquam Arelatenſe Concilium, quod *ex omnibus mundi partibus, & præcipuè Gallicanis* collectum erat, Eccleſiam matrem & judicem nuncupaverat. Concilium utrumque arceſſit hoc ex ipſo Domino, qui beatum Petrum apud Matthæum ſic alloquitur: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum, ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium ſtet omne verbum: Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ,* non ancillæ utique vel ſervæ, ſed matri, dominæ, & judici, quæ fratrem peccantem corrigat atque emendet. Porro Eccleſia non per ſeſe, ſed per eos quos inſtituit, præpoſitos judicat, & proprio maternæ indoli dominio defungitur. Hoc minimè faceret Eccleſia, ſi ſerva eſſet, quia ſerva præpoſitos nullos inſtituit. Serva per alium judicare, aut magiſterium obire non poteſt, cùm judicandi, & magiſterii cujuſlibet obeundi jure prorſus omni careat.

Sed ne à Romanis Pontificibus diſcedam, in medium tibi profero Gregorium magnum, qui rem totam in expoſitione ſuper Cantica Canticorum paucis complectitur. Verba ſunt: *Oſtium etiam bene eſſe Eccleſiam dicimus, quam ab ipſo Chriſto poteſtatem aperiendi & clau-*
15 *dendi accepiſſe ſcimus. Oſtium proculdubio in ſuis prædicatoribus exiſtit, quia per eos aditus ad vitam ſe nobis aperit. Unde & ipſi primo Paſtori Eccleſiæ dicitur: Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Sic Eccleſia ab ipſo Chriſto aperiendi & claudendi poteſtatem in perſona beati Petri, cui dictum eſt, *quodcunque ligaveris*, accepit, ſed eam poteſtatem per ſuos prædicatores primi utique & ſecundi ordinis antiſtites exercet, cæli oſtium aperit & claudit. Atque iſtud dominæ proprium eſt non ſervæ, qualem Cajetanus Eccleſiam deformat, cùm in Apologia libelli de comparata auctoritate Papæ & Concilii capite 1. ſcribit: *Eccleſia utpote ſerva caret principandi jure caret.* Ubinam Scripturarum? Quo in Concilio, quibus in canonibus, quibus in Pontificum decretis, quibus in Patrum commentariis viſa eſt unquam propoſitio hæc? Sæculorum omnium, quæ Cajetanum præceſſerunt, obruitur ſilentio. Igitur nova eſt & damnandæ novitatis reum peragit auctorem ſuum.

Quinetiam novitas hæc eò eſt periculoſior, quòd in Scripturis & apud Patres ſponſa Chriſti vocetur Eccleſia. Sed ne idem his dicatur, Patres tantùm adfero, qui quod aſſerunt, Scripturarum auctoritate confirmant. Optatus Milevitanus in libro II. incipiat ſub initium: *Illud demonſtrare tam proximum eſt, quæ ſit una Eccleſia, quam columbam & ſponſam ſuam Chriſtus appellat.*

Ambroſius in medium prodeat, & rem lib. II. ſuper Evangelium beati Lucæ cap. III. decidat: *Hæc autem* (Eccleſia) *diligitur à Chriſto quaſi ſponſa, glorioſa, ſancta, immaculata, ſine ruga.*

Hieronymus libro I. in Hieremiam cap. II. ad il- 16
lud: *Nunquid obliviſcetur Virgo ornamenti ſui, &c. Per hæc diſcimus, Chriſtum eſſe ſponſum Virginis Eccleſiæ, quæ non habet maculam, neque rugam. Si autem ipſe eſt ſponſus, ipſius verba ſunt, de quo loquitur Joannes Baptiſta: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt.* At ſi Chriſtus ſponſus eſt Eccleſiæ, Eccleſia non poteſt non eſſe ſponſa Chriſti.

Auguſtinus in libri XII. contra Fauſtum Manichæum capite VIII. *Fit viro dormienti conjunx de latere, fit Chriſto morienti Eccleſia de Sacramento ſanguinis, qui de latere mortui profluxit.* Et paullo pòſt: *Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum,* inquit, *hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Quis enim non agnoſcat, Chriſtum eo modo reliquiſſe Patrem, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens: Reliquiſſe etiam matrem Synagogam Judæorum veteri Teſtamento carnaliter adhærentem, & adhæſiſſe uxori ſuæ ſanctæ Eccleſiæ, ut in pace novi Teſtamenti eſſent duo in carne una.*

Deinde in Pſalmum XLIV. *Sonet eum jam Pſalmus, gaudeamus in nuptiis, & nos erimus cum iis, qui ſiunt nuptiæ, qui invitantur ad nuptias, & ipſi invitati ſponſa eſt. Etenim ſponſa eſt Eccleſia, ſponſus Chriſtus*

Tum in Pſalmum CXXVI. *Quando dormivit in cruce, ſignum geſtabat, imme implebat, quod ſignificatum erat in Adam, quia cùm dormiret Adam, coſta illi detracta eſt, & Eva facta eſt. Sic & Dominus cùm dormiret in Cru-*
ce, latus ejus lancea percuſſum eſt, & Sacramenta pro- 17
fluxerunt. Unde facta eſt Eccleſia. Eccleſia enim conjunx Domini facta eſt de latere, quomodo Eva facta eſt de latere.

Denique in ſermonis XXXI. de verbis Apoſtoli capite VI. *Nos enim dicimus Chriſtum, de quo ait Joannes Baptiſta: Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: bonum conjugium, ſanctæ nuptiæ, ſponſus Chriſtus, ſponſa Eccleſia. Ab ſponſa cognoſcimus ſponſum.*

Leo I. in Epiſtolæ XI. ad Anatolium capite I. *Illa eſt Virgo Eccleſia, ſponſa unius viri Chriſti, quæ nullo ſe patitur errore vitiari.*

Theodoretus in Cantica Canticorum: *A veteri igitur ad novam ſponſam accedentes, hac ratione Canticum Canticorum interpretemur, rejectiſque falſis, ac pernicioſis opinionibus ſanctos imitemur Patres, atque unam ſponſam cum uno ſponſo colloquentem agnoſcamus, & qui ſit ſponſus, quæque ſit ſponſa, à ſanctis diſcamus Apoſtolis. Id enim docet nos & diviniſſimus Paulus ita ſcribens: Deſpondi enim vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto. Sponſam ex multis conflatam dicit. Nam deſpondi, inquit, non eo, ſed vos, hoc eſt, animas pias & in virtute perfectas. Sponſam enim Divina Scriptura Eccleſiam intelligit: Sponſum autem Chriſtum appellat. Et magnus ille Joannes, legis finem gratiæ principium oſtendit, quique inter pædagogum & ſapientem magiſtrum medius fuit, cujus tempore umbra corpus accepit. Qui*

habet,

habet, inquit, sponsam, sponsus est: Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Quid quod ipse Dominus se sponsum appellat? Cùm enim Pharisæi sanctos Apostolos uti non jejunantes accusarent, refellit eos;
18 *Nunquid possunt, inquiens, filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Sponsam igitur Ecclesiam, sponsum Christum intelligamus.*

Iterum in caput v. epistolæ ad Ephesios: *Domini curam imitamini, & quam ipse ostendit in Ecclesiam, eandem vos de conjugibus gerite. Christus enim Dominus pro sua sponsa nec mori recusavit, ut eam emundaret.*

Petrus Chrysologus in sermone cxxx. de consecratione Episcopi: *Hinc est, quòd hodie, sicut dixit Isaias, Ecclesia mater sancta, festiva, tota gaudens, compta processit, induit se tunicam jucunditatis, & sicut sponsa imposuit sibi mitram, ac vario se composuit & decoravit ornatu.*

Fulgentius Ruspensis Episcopus in epistola III. ad Gallam de statu viduali: *Christus Dei virtus est, & Dei sapientia, ex quo est Ecclesia. Quæ virgo in fide & charitate persistens, & sapientiam possidet & virtutem. Ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia interna virginitatis integritate fulcitur. Hinc Virgini Esaias dicit: Quoniam complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur; Habitabit enim juvenis cum Virgine, & habitabunt in te filii tui. Et ut ostenderet non alium esse juvenem, quàm sponsum, nec aliam esse Virginem, quàm sponsam, sponsum autem & sponsam Christum & Ecclesiam sequentes adjunxit: Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Hæc Virgo mater est, cui dicitur, [habitabunt in eo filii tui,] & hæc mater Virgo est, de qua dicitur, [habitabit enim juvenis cum Virgine.] Hæc Virgo sponsa est, de qua dicitur, [& gaudebit super sponsam suam.] Hæc igitur Ecclesia una & vera Catholica sponsa est, quia*
19 *inhæret Christo; mater est, quia fœcundatur à Christo; Virgo est, quia incorrupta perseverat in Christo. Hujus sponsa nec fœcunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fœcunditas impeditur. Tale namque istum est viri virginisque connubium, ut idcirco ab hoc viro fœcundetur hæc virgo, quia in hoc connubio nulla unquam potest esse corruptio, & tanta in hac matre virginitatis perseverat integritas, ut nisi Virgo semper esset, mater esse non posset.*

His accedit, quòd in Scripturis quoque & apud Patres ipsamet Ecclesia dicatur corpus Christi.

Beatus in epistola ad Ephesios capite I. *Et omnia subjecit pedibus ejus, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius & plenitudo ejus.* Iterum in capite v. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus.*

Hieronymus in caput III. epistolæ ad Ephesios: *Ipsi itaque Deo sit gloria, primùm in Ecclesia, quæ est pura, non habens maculam, neque rugam, & quæ propterea gloriam Dei recipere potest, quia corpus est Christi.*

Rursus in caput v. *Peccator currat ad medicum, quia non habent opus sani medico, sed malè habentes, & curentur vulnera ipsius, & fiat de Ecclesia, quæ corpus est Christi.*

Augustinus in epistola L. ad Bonifacium Comitem: *Dominus itaque Christus & justus est & justificans. Nos autem justificati gratis per gratiam. Non autem justificat nisi corpus suum, quod est Ecclesia:* Iterum sub finem: *Unus panis Sacramentum est unitatis, quoniam sicut Apostolus dicit: Unus panis, unum corpus multi*
20 *sumus. Proinde Ecclesia Catholica sola corpus est Christi.*

In libri III. de consensu Evangelistarum in capite XXIII. *Ne quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si ejus corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ, cujus unitatem in Sacramento panis commendat Apostolus.*

In libri XXII. de civitate Dei capite XVIII. *Quotidie tamen eidem corpori accedunt, dum ædificatur Ecclesia, cui dicitur: Vos estis corpus Christi & membra: & alibi, Pro corpore, inquit, ejus, quod est Ecclesia.*

In sermonis XLV. super Evangelium Joannis capite III. *Istos attendamus fratres nostros, cum quibus agimus. Nam Christus caput est & corpus. Caput in cælo est, corpus in terra est. Caput Dominus est, corpus ejus Ecclesia est.*

In sermonis XXIIII. de verbis Apostoli capite VII. *Ipse Christus passus est, tertio die resurrexit, caput est Ecclesiæ: corpus quod est? ipsa Ecclesia.*

Leo I. in epistolæ XL. ad Anatolium capite II. *Aliter enim in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec rata sunt Sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostra proprietate natura verus nos Pontifex reconciliet.*

Theodoretus in epistolæ I. ad Corinthios caput XII. *Christum hic commune Ecclesiæ corpus appellavit, quoniam hujus corporis caput est Christus Dominus. Præcipit ergo in corpus intueri & scire, quod ex diversis quidem membris est compositum: Unum autem corpus est & dicitur: Et hinc intelligere, quod etiam Ecclesia vocatur corpus Christi Domini. Habet autem multa membra & differentia, & alia quidem majora, alia minora, & alia præstantiora, alia inferiora, sed omnia tamen necessaria &* 21
utilia.

Deinde in epistolæ ad Ephesios capite I. *Ecclesiam vocat Christi fidelium. Hanc appellavit Christi quidem corpus: Patris autem plenitudinem. Eam enim implevit donis omnis generis, & in ea habitat & obambulat juxta vocem Propheticam.*

Gregorius I. in caput XXXVIII. Job: *Quid enim sancta Ecclesia, nisi superni sui capitis corpus est?* Hæc pauca de multis quæ cogi & coacervari possent. Jam vides opinor, quantus sit Thomæ Cajetani error, qui usque adeo asseveranter scribit, Ecclesiam, quæ nunc Christi sponsa, nunc Christi corpus dicitur, *servam natam esse*, eámque auctoritate carere omni. Si serva nata est Ecclesia, serva est Christi sponsa, cui sponsus auctoritatis nihil dederit, servum Christi corpus, cui caput Christus virium nihil intulerit? Atque ita Cajetanus contrà quàm putat, ad servi conditionem redigit Romanum Pontificem, quem in libertatem summam asserere contendit. Servæ sponsæ filius, & servi corporis servum membrum erit, nisi fortasse velit servam sponsam liberos parere filios, & libera servi corporis membra esse. Intolerandæ sunt & horrendæ complexiones istæ, quibus auctor cùm oblatam à majoribus nostris Parisiensibus Theologis veritatem refugit, implicatur. Majores nostri Joannes Gerso Cancellarius Parisiensis, Joannes Major, Jacobus Almainus, cæteri cùm essent ad sanctorum Patrum, & Sedis Apostolicæ traditionem informati, docuerant, Romanum Pontificem Ecclesiæ filium esse, & hujus tam in fide, quàm in moribus correctioni subjici, quia Ecclesia Christianorum omnium mater est, domina, & judex. Hoc autem est 22
certum atque inexpugnabile subjectionis istiusmodi præsidium, hoc propugnaculum, quo Pontifices continentur in officio, hic murus quidam firmissimus, qui adulatrici Curiæ & coacervatis ad desideria nonnullorum Pontificum magistris opponitur. At tantùm abest, ut Cajetanus traditioni veræ assentiretur, ut contrà potiùs ab ea dissenserit, & initâ disputandi ratione novâ docuerit, Romanum Pontificem maternæ correctioni subjectum non esse, *Ecclesiam servam natam esse, & principandi jure carere:* Atque idcirco Pontificem quamlibet ferè ob causam nec judicari nec destitui posse. Quo nihil est ab Sedis Apostolicæ traditione alienius. Rem exemplis tribus breviter conficio.

Primum est in epistola III. Romani Concilii ad Gratianum & Valentinianum Imperatores. *Et hoc,* inquit, *gloria vestra clementissimi Principes pietatísque est illustre documentum, quod innumeri ferè ex diffusis Italiæ partibus ad sublime Sedis Apostolicæ sacrarium congregati, cùm quæreremus, quid pro Ecclesiarum statu poscendum*

esset à vobis, nihil melius potuimus reperire, quàm quod spontanea vestri providentia consuluistis. Et post alia: *Sic denique factio profecit Ursini, ut Isaac ex Judæo subornato, qui facto ad Synagogam recursu cælestia mysteria profanavit, sancti fratris nostri Damasi peteretur caput, sanguis innocentium funderetur, componerentur doli, quibus divino planè instinctu providentia vestra pietatis occurrit, spoliaretur pravè Ecclesia omnibus ministeriis: Ea fraude videlicet, ut dum causam dicit, qui in omnes judex fuerat constitutus, nemo esset, qui de lapsis, vel certè de factiosis posset*
23 *Episcopatus invasoribus judicare. Quia igitur vestro judicio tranquillitatis probata est innocentia memorati fratris nostri Damasi, integritas prædicata est, Isaac quoque ipse, ubi ea, quæ detulit, probare non potuit, meritorum suorum sortem tulit.* Et post alia: *Memoratus frater noster Damasus, quoniam in sua causa vestri tenet insigne judicii, non fiat inferior his, quibus etsi æqualis est munere, prærogativa tamen Sedis Apostolicæ excellit, ut judiciis publicis videantur esse subjecti, quibus Sacerdotale caput lex vestra summovit. In quo post sententiam non videtur declinare judicium, sed delatam à vobis honorificentiam flagitare. Nam quod ad leges publicas pertinet, quæ potest esse vita munitior, quàm vestra clementia, quæ innititur, judicatu? Quòd verò ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse judiciis Sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, nequis iterum calumniator existens, dum memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit, religioni tamen fiat injuria in vexationibus ministrorum: Accipite aliud quoque, quod vir sanctus vestræ magis conferre putavit, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus, si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est.*

Et primò quidem Imperatores Gratianus, & Valen-
24 tinianus ut de innocentia Romani Pontificis judicant, sic & de vitiis innocentiæ oppositis judicarent. Contrariorum eandem esse disciplinam quis ignorat? Tunc illa innocentia divino nondum reservabatur examini. Nec ulla ut reservaretur, ferebat traditio. *Religionis instar est fidem de temporibus asserere,* ut Tertullianus ait in Apologetici capite XIX. Instrumentis, quibus reservari solet, primam auctoritatem summa non vindicat auctoritas. Romanum Concilium Gratiano & Valentiniano dicit: *Vestro judicio tranquillitatis probata est innocentia memorati fratris nostri Damasi; integritas prædicata est.* Iterum: *Frater noster Damasus vestri tenet insigne judicii.*

Deinde non veretur Damasus se suámque causam Episcoporum arbitrio subjicere: *Ad prædicandam Episcopi conscientiam severioribus se dedit ipse judiciis Sacerdotum, à quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur.* Tunc nondum è latebris emerserant, qui Romanos Pontifices à subjectione tali deterrerent, & supra Conciliorum auctoritatem eveherent. Subjiciebant illi se ultro Conciliis, quia inferiores se Conciliis esse facilè credebant. Damaso pluribus sæculis posteriores sunt, qui contrariam doctrinam in scholas induxere, & periculosa novitate turbarunt Ecclesiam.

Tum Romanum Concilium significat, Conciliorum genera esse duo, in quibus quæ ad Romanum Episcopum spectant, disceptari, dijudicarique possint, Sacerdotale unum, Imperiale alterum: *Damasus non novum aliquid petit: Sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus Romanus si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat.* Quod hic voco Sacerdo-
25 tale Concilium, Episcoporum Concilium est, quale Romanum istud, quod in Damasi & Ursicini negotio convocatum fuit, non quidem ex omnibus Christiani orbis provinciis sed ex variis Italiæ partibus duntaxat. Regionis Concilium fuit, non universitatis.

Postremò Silvester cùm à sacrilegis accusatus esset, maluit se apud Imperiale, quàm apud Sacerdotale Concilium defendere, & causam suam prosequi. Cur autem Pontifex id ita fecerit, pronunciatu non est facile. Persuasum fortassis habuit, adversarios validiùs ab Imperiali, quàm à Sacerdotali Concilio coërcitum repressumque iri. Quidquid id est, utriusque Concilii auctoritatem supra Romanum Episcopum admitti constat; nec repertus est ullus, qui admittendam non esse contenderet, ne Romani Episcopi dignitas læderetur.

Quinetiam proximus successor Damasi Siricius observationes nostras præclare confirmat, cùm ad Anysium & cæteros Episcopos per Illyricum constitutos ita scribit: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrarum scripturarum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique* 26
cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitia convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis: Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit. Deinde in fine Epistolæ: *Legimus etiam, & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri nostro & Coëpiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestra normam exspectemus sententia.*

Ut Damasus & Silvester Conciliis, quæ non sunt universalia, se subjectos esse agnoscunt, sic & Siricius, Capuensi Synodo, quæ non habetur Oecumenica, se subjectum esse recipit, cùm Synodi hujus auctoritatem sua majorem asserit & probat: Neutrum autem faceret, si Sedis Apostolicæ traditio vel dignitas repugnaret. Pontifices omnes, qui à Petro floruerant usque ad Siricium, ut matrem & dominam habebant Ecclesiam, quam Cajetanus post annos ab excessu Siricii mille centum & quatuordecim, Romanis Episcopis in servitutem tradere, & omni materno jure spoliare tentavit.

Alterum est in Romano Concilio, quod Joannem
XII. ob innumera & horrenda scelera de Sede Petri 27
deturbavit. Luitprandus Ticinensis, vel illius Continuator æqualis Concilii historiam, memoriæ prodidit in libri VI. capite VI. de rebus per Europam gestis. Sic autem illa se habet in Parisiensi editione anni MDXIV. *Post triduum* (quàm Otho Romam advenit) *rogantibus tam Romanis Episcopis, quàm plebe, magnus in sancti Petri Ecclesia fit conventus, sederúntque cum Imperatore Archiepiscopi: Ab Italia pro Engelfrido Aquileiensi Patriarcha, quem in eadem urbe languor repente (ut fit) ortus arripuerat, Rodulfus Diaconus, Walbertus Mediolanensis, Petrus Ravennas: A Saxonia Adeloac Archiepiscopus, & Landohardus Episcopus Numandensis: A Francia Otgerius Episcopus Spirensis, Babius Parmensis: Ab Italia Liudprandus Cremonensis, Hermenaldus Regensis: A Tuscia Conradus Lucensis, Everarius Aritiensis, Pisanus Senensis, Florentinus Pistruensis, Petrus Camerinensis, Spoletinus: A Romanis Gregorius Albanensis, Spoletinus, Sico Hostiensis, Benedictus Portuensis, Lucidus Ganensis, Theophylactus Prænestinus, Wido Silvæ candidæ, Leo Veliternensis, Sico Blebensis, Stephanus Serensis,*

rensis, Joannes Nepesinus, Joannes Triburtinus, Joannes Forojuliensis, Romanus Feretinensis, Joannes Normensis, Joannes Beruleusis, Martinus Sutrinus, Joannes Nurniensis, Joannes Sapmiensis, Joannes Gallacensis, Phalarensis, Alaterensis, Orsanus, Joannes Anagniensis, Trebensis, Salibatinus, Terracinensis, Stephanus Cardinalis Archipresbyter titulo Balbinæ, Dominicus titulo Anastasiæ, Petrus titulo Damasi, Theophylactus titulo Chrysogoni, Joannes titulo Equitii, Joannes titulo Susannæ, Petrus titulo Pammachii, Adrianus titulo Ca-
28 lixti, Joannes titulo Cæciliæ, Adrianus titulo Lucinæ, Benedictus titulo Sixti, titulo quatuor Coronatorum, Stephanus titulo Sabinæ, Benedictus Cardinalis Archidiaconus, Joannes Diaconus, Bonofilius Diaconus Cardinalis Primicerius, Georgius Secundicerius, Stephanus adminiculator, Andreas Arcarius, Sergius Primicerius defensorum, Joannes Sacellarius, Stephanus, Theophylactus, Adrianus, Stephanus, Benedictus, Azo, Adrianus, Romanus, Leo, Benedictus: Item Leo & Leo Scriniarii, Leo Primicerius scholæ cantorum, Benedictus Subdiaconus, & oblationarius, Azo, Benedictus, Demetrius, Joannes, Amicus, Sergius, Benedictus, Urso, Joannes, Benedictus Subdiaconus, Subpulmentarius, & Stephanus Archiacolytus cum omnibus Acolytis, & regionariis: Ex primatibus Romanæ civitatis, Stephanus filius Joannis, Superista, Demetrius Meliosi, Crescentius caballi marmorei, Joannes cognomento Nyzina, Stephanus de Muza, Theodorus de Rufina, Joannes de Primicerio, Leo de Camirzuli, Richardus, Petrus de Canaparia, Benedictus cum Bulgamino filio suo: Ex plebe, Petrus, qui & Imperiola est dictus, astitit cum omni Romanorum militia.

Cap. VII. *His itaque residentibus, silentiúmque summum tenentibus, ita sanctus est Imperator exorsus: Quoniam decorum esset, tam claro sanctóque Dominum Papam Joannem interesse Concilio, cur tantum declinaverit cœtum, vos, ô sancti Patres, consulimus, quibus communis labor Ecclesiasticus, ac commune negotium existit. Tunc Romani Pontifices & Cardinales Presbyteri ac Diaconi cum universa plebe dixerunt: Miramur sanctissi-*
29 *mam prudentiam vestram, nos hoc velle percontari, quod nec Hibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic jam de illis est, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces: Ita apertè sævit, ita apertè Diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitione utatur. Imperator respondit: Justum nobis videtur, ut accusationes nominatim exprimantur: Deinde quod agendum est, communi consilio pertractetur. Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter se vidisse illum missam celebrasse, & non communicasse testatus est: Joannes Episcopus Narniensis, & Joannes Cardinalis Diaconus se vidisse illum Diaconum ordinasse in equorum stabulo, non certis temporibus, sunt professi. Benedictus cum cæteris condiaconis & Presbyteris dixit se scire, quòd ordinationes Episcoporum pretio faceret, & quòd annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinaret. De sacrilegio non esse necesse percontari dixit, quia plus videndo, quàm audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quòd oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Rainerii, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum Palatium lupanar & prostibulum fecisse. Venationem dixerunt publicè exercuisse. Benedictum spiritualem patrem suum lumine privasse, & mox mortuum esse, Joannem Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse, ense accinctum, galea, & lorica indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam clerici, quàm laici acclamarunt. In ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorúmque Dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & canonicas horas eum non celebrasse, nec signo Crucis se muni-*
30 *visse professi sunt. His auditis Imperator, quia Romani ejus loquelam propriam, id est, Saxonicam intelligere nequibant, Luitprando Cremonensi Episcopo præcepit, ut Latino sermone, hæc Romanis omnibus, quæ sequuntur exprimeret. Surgens itaque sic cœpit.*

Cap. VIII. *Persæpe contigit, & nobis expertis credimus, ut in dignitatibus constituti invidorum infamia maculentur: Displicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quòd hanc in Papam accusationem, quam modò Benedictus Cardinalis Diaconus legit, & vobiscum fecit, amphibolam retinemus, incerti, utrum è zelo justitiæ, an impietatis livore proruperit. Unde mihi indigno secundùm concessa dignitatis auctoritatem omnes obtestor per Deum, quem fallere, etsi vult, nemo potest, sanctámque ejus genitricem intemeratam Virginem Mariam, perque pretiosissimum Apostolorum Principis corpus; In cujus hæc recitantur Ecclesia, ut nulla in Dominum Papam jaculentur convicia, quæ non sint ab ipso patrata, atque à viris probatissimis visa. Tunc Episcopi, Diaconi, Clerus & cunctus Romanorum populus, quasi vir unus, dixerunt: Si non & quæ per Benedictum Diaconum lecta sunt, hisque turpiora & ampliora Joannes Papa indigna commisit facinora, non nos à peccatorum vinculis absolvat Apostolorum Princeps beatus Petrus, qui verbo cælum indignis claudit, justè aperit; simus anathematis vinculo innodati, atque in die novissima in sinistra parte positi cum eis, qui dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quòd si fidem nobis non adhibetis, exercitui domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante V. dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit: Solus Tibris, qui* 31
interfluit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impedivit. Mox sanctus Imperator dixit: Tot sunt hujus rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores. Sancta Synodus dixit: Si placet sancto Imperatori, mittantur literæ Domno Papæ, ut adveniat, séque ex his omnibus purget. Tunc eidem sunt literæ destinatæ.

Cap. IX. *Summo Pontifici & universali Papæ Domno Joanni, Otho divina respectu clementia Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino S. Romam ob servitium Dei venientes, dum filios vestros, Romanos scilicet Episcopos, Cardinales Presbyteros, Diaconos, & universum plebem de vestra absentia percontaremur, & quid causæ esset, quòd vos Ecclesiæ vestræ, vestrique defensores videre noluissetis, talia de vobis tamquam obscœna protulerunt, ut si de histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub brevitate describimus: Quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret unus. Noveritis itaque non à paucis, sed ab omnibus tam vestri, quàm alterius ordinis, vos homicidii, perjurii, sacrilegii, & ex propria cognatione atque ex duabus sororibus incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, Diaboli vos in amorem vinum bibisse, in ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorúmque Dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque Paternitatem vestram obnixè venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis. Si fortè vim temerariæ multitudinis formidatis, juramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonum sanctionem. Data VIII. Idus Novembris.*

Cap. X. *Hanc epistolam cùm legisset, hujusmodi A-* 32
pologeticum scripsit. Joannes Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis. Nos audivimus dicere, quòd vos vultis alium Papam facere; si hoc facitis, excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam ullum ordinare, & missam celebrare. Cùm hæc epistola in sancta Synodo legeretur, advenerunt, qui priùs defuerant, religiosi è Lotharingia, Henricus Treverensis Archiepiscopus, ab Emilia & Liguria Vuido Muxiensis, Gezo Tertonensis, Sigulfus Placentinus, quorum consilio Domno Papæ ita rescribunt.

Summo Pontifici & universali Papæ Domno Joanni Otho divina respectu clementia Imperator Augustus, sed & sancta Synodus Romæ ob servitium Dei congregata, in Domino salutem. Præterita Synodo, quæ celebrata est VIII. Idus Novembris, literas vobis direximus, in qui-
bus

bus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causa continebantur. Rogavimus etiam eisdem literis magnitudinem vestram, quemadmodum justum est, à vobis non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad Synodum rationabilis esse excusatio debuit. Sed & præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuntii interesse, qui vos ægritudinis, aut certè difficultatis causa satisfacerent, sanctum vos Synodum declinasse. Est & aliud vestris in literis scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret: Excommunicastis enim omnes, ut non habeamus licentiam canendi missas, ordinandique Ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ Sedi constitueremus Episcopum. Ita enim scriptum erat. Non ha-
33 *beatis licentiam ullam ordinare. Nunc usque putavimus, immo credimus duo negativa unum facere dedicativum, nisi vestra auctoritas priscorum sententias infirmaret auctorum. Nos verò intentioni vestræ, non verbis respondeamus. Si ad Synodum venire, & objecta purgare non differtis, auctoritati vestræ proculdubio obediemus: Sed si, quod absit, venire, & objecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, cùm præsertim vos venire nil impediat, non maris navigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo, tunc excommunicationem vestram parvipendemus: Eam potiùs in vos retorquebimus: Quandoquidem justè facere possumus. Judas Domini nostri Jesu Christi proditor, immo venditor, cum cæteris prius ligandi atque solvendi potestatem à magistro in hæc verba acceperat: Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, &c. Quandiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque solvere valuit. Postquam verò cupiditatis veneno homicida factus vitam occidere voluit, quem postea ligatum solvere, atque solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulavit? Data x. Calend. Decembris, & missa per Adrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum. Qui cùm ad Tyberim pervenissent, eum non invenerunt. Pharetratus enim in campestria jam abierat. Nec quisquam erat, qui his ubi ipse esset, indicare posset. Cùmque eum invenire non possent, cum eisdem literis ad sanctam Synodum, quæ tunc tertiò est habita, sunt reversi. Mox Imperator ait. Expectavimus adventum ejus, ut præsente eo, quid nobis egerit, quereremur: Verùm quoniam eum non affuturum certè scimus quàm perfidè nobiscum*
34 *egerit, ut diligenter agnoscatis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, reliquòque Clero, necnon & Comitibus, Judicibus, omnique plebi, quòd idem Joannes Papa oppressus à Berengario atque Adelberto rebellibus nostris misit nobis in Saxoniam nuntios rogans, ut pro amore Dei in Italiam veniremus, & Ecclesiam sancti Petri ac seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos verò adjuvante Deo quantum fecerimus, non est necesse dicere, ut impræsentiarum videtis. Ereptus verò mea opera ex eorum manibus, honori debito restitutus,* OBLITUS JURAMENTI ET FIDELITATIS, QUAM MIHI SUPRA CORPUS S. PETRI PROMISIT, EUNDEM ADELBERTUM ROMAM VENIRE FECIT, ET CONTRA ME DEFENDIT, SEDITIONES FECIT, ET VIDENTIBUS NOSTRIS MILITIBUS DUX BELLI FACTUS LORICA ET GALEA EST INDUTUS. *Quid super hoc sancta Synodus decernat, edicat. Ad hæc Romani Pontifices reliquisque Clerus & cunctus populus dixerunt: Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus sibi soli & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot priùs casti hujus facti sunt imitatione incesti? Quot probi hujus exemplo conversationis sunt reprobi? Petimus itaque magnitudinem imperii vestri monstrum istud nulla virtute redemptum à vitiis, a sancta Romana Ecclesia pelli, aliúmque loco ejus constitui, qui nobis exemplo bonæ conversationis præesse valeat, & prodesse sibi, ac bene vivendi nobis exemplum præbeat. Tunc Imperator, Placet, inquit, quod dicitis, nihilque gratius nobis, quàm ut talis, qui huic sanctæ & universali Sedi præponatur, inveniri possit.*

Cap. XI. *His dictis omnes una voce dixerunt: Leo-* 35
nem venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ protoscriniarium, virum approbatum, ad Summum Sacerdotii gradum nobis in Pastorem eligimus, ut sit Summus & universalis Papa Romanæ Ecclesiæ, reprobato ob improbos mores Joanne Apostata. Cùm hoc omnes tertiò dixissent, annuente Imperatore, nominatum Leonem ad Lateranense Palatium secundùm consuetudinem cum laudibus ducunt, & certo tempore in Ecclesia sancti Petri ad Summum Sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos jurejurando promittunt. His ita gestis sperans sanctissimus Imperator cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur populus Romanus ob multitudinem exercitus, multis ut redirent, licentiam dedit; cúmque hoc Joannes, qui dejectus est, Papa cognosceret, non ignorans, quàm facilè Romanorum mentes pecunia posset corrumpere, clam Romam mittit nuncios beati Petri, omniúmque Ecclesiarum pecuniam repromittentes, si super pium Imperatorem, & Dominum Leonem Papam irruerent, eósque impiissimè trucidarent. Quid multis morer? Romani, quàm mox exercitus paucitate confisi, immo decepti, & pecuniæ promissione animati buccina concrepante super Imperatorem, ut eum occidant, festinare contendunt. Quibus Imperator super pontem Tyberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, occurrit. Cujus fortes milites assuefacti bello, pectore & armis intrepidi, eos inter prosiliunt, & quasi accipitres avium multitudinem nullo resistente proterunt. Non latibula, non corbes, non concava ligna, non cripta sordium receptacula, fugientibus tutela esse possunt. Occiduntur itaque, & ut assolet contingere viris fugientibus, passim à tergo vulnerantur. Quis 36
tunc Romanorum cladis hujus superstes fieret, si non Imperator sanctus misericordia, quæ illis nulla debebatur, inclinatus, suos adhuc interficere sitientes retraheret & revocaret? Itaque devictis omnibus atque iis, qui supererant, obsidibus acceptis, venerabilis Papa Leo pedibus Imperatoris provolutus orat, ut Romanis obsides reddat, séque eorum fidei commendet. Rogatu denique venerabilis Papæ Leonis Imperator sanctus Romanis obsides reddit, non incertus, quod prosecuturus sum, incepturos. Igitur Romanorum fidei eundem Papam, quemadmodum lupis agnum committit. Deinde Roma exiens Camerinum, Spoletúmque versus, ubi Adelbertum esse audierat, properavit. Interea mulieres quibuscum Joannes, qui dictus est Papa, voluntatis suæ ludibrium exercebat, ut non ignobiles & plures concitaverunt Romanos, ut Leonem Summum & universalem Papam à Deo & ipsis electum perderent, & Joannem in urbem susciperent. Quod cùm fecissent, Deo miserante, ex eorum manibus est venerabilis Papa Leo liberatus, paucisque ipsum concomitantibus ad piissimi Imperatoris misericordiam est profectus. Imperator denique sanctus tantum dedecus ægrè ferens, tum ex Domini Papæ Leonis dejectione, tum ex Joanne Cardinali Diacono, & Azone protoscriniario, quorum alterum manu dextera, alterum lingua, duobus digitis naribúsque abscissis Joannes abdicatus defœdaverat, reparato exercitu Romam redire disposuit. Priusquam tamen sancti Imperatoris copia essent congregata, voluit cunctis seculis innotescere Dominus, quàm justè esset Joannes Papa à suis Episcopis & omni plebe repudiatus, quámque postmodum injustè receptus, quadam nocte extra Romam, DUM 37
SECUM CUJUSDAM VIRI UXORE OBLECTARET, IN TEMPORIBUS ADEO A DIABOLO EST PERCUSSUS, UT INTRA DIERUM OCTO SPATIUM EODEM SIT VULNERE MORTUUS. SED EUCHARISTIÆ VIATICUM IPSIUS INSTINCTU, QUI EUM PERCUSSERAT, NON PERCEPIT, QUEMADMODUM A SUIS COGNATIS ET FAMILIARIBUS, QUI PRÆSENTES ERANT, PERSÆPE SUB ATTESTATIONE AUDIVIMUS. *Quo mortuo Romani omnes juramenti, quod sancto Imperatori promiserant, immemores Benedictum Cardinalem Diaconum Papam constituunt. Insuper & juramento nunquam se eum dimissuros, sed eum contra Imperatoris potentiam defensuros promittunt. Quo audito Impe-*

Imperator urbem vallavit, neminem, qui non membris truncaretur exire permisit: Machinis & fame usque adeò afflixit, donec Romanis nolentibus urbem reciperet; Leonem virum venerabilem debita Sede restitueret; Ac Benedictum Summæ Sedis invasorem ejus præsentiæ præsentaret. Residentibus itaque Domno Leone Summo & universali Papa in Ecclesia Lateranensi, nec non & Imperatore sanctissimo Othone, & Episcopis Romanis Italicis à Lotharingia, & Saxonia Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superiùs adscribuntur, adducitur Benedictus Apostolicæ Sedis invasor eorum, qui se elegerant, manibus adductus, Pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali est sermone aggressus: Qua tibi auctoritate, quave lege, ô invasor, hæc Pontificalia indumenta usurpasti, superstite hoc præsente Domno nostro venerabili Papa Leone, quem tu nobiscum accusato & reprobato Joan-
38 *ne ad Apostolicum culmen elegisti? Nam inficiari potes præsenti Domno Imperatori juramento promisisse, nunquam te cum cæteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum absque illius, filiique sui regis Othonis consensu? Benedictus respondit: Si quid peccavi, miseremini mei. Tunc Imperator effusis lacrymis, quàm misericors esset ostendens, rogavit Synodum, ne Benedicto præjudicium fieret, si vellet & posset, ad interrogata responderet. Quòd si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inveniret. Quo audito ad Domni Leonis Papæ pedes, ipsiusque Imperatoris idem Benedictus concitè procedens, se peccasse, séque sanctæ Romanæ Sedis invasorem esse acclamavit. Posthæc pallium sibi abstulit, quod simul cum Pontificali ferula, quam manu gestabat, Domno Papæ Leoni reddidit. Quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit. Cui casulam, quam planetam vocant, cum stola pariter abstulit. Post autem omnibus Episcopis dixit: Benedictum sanctæ & Apostolicæ Sedis Romanæ invasorem omni Pontificatus & Presbyteratus honore privamus. Ob eleemosynam verò Domni Imperatoris Othonis, cujus summi opera in Sedem debitam restitui, Diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, sed in exilium destinamus.*

Hoc in Concilio luculentum habemus exemplum, quo in Pontificem post homines natos vitiosissimum animadvertitur, & quo mater ac domina Christianorum agnoscitur Ecclesia. Baronius in Annalibus, & Binius in Conciliorum tomis cùm referunt Concilium hoc, integrâ fide non utuntur. Ex undecimo capite
39 sex vel septem tantùm versus referunt, omissis cæteris, quæ, ut apparet, magnam Concilii partem & divinam illius confirmationem exhibent: Idque, quò facilius accusent Concilium, & nominent Conciliabulum, & Joannis Papæ defensionem accipiant. Et sane mirum est, cur Baronius Pontificem tot criminibus accusatum & convictum, adulterum & publicum scortatorem inter scorta divinitus confossum & necatum, quem Synodus vocat Apostatam, tueatur, & vexet Synodum, quæ Romanam Ecclesiam usque adeò detestabili peste atque pernicie liberavit. Quasi verò divinæ & humanæ leges prohiberent, ne fieret, quod sancta Synodus fecit? Quasi verò statuerent, ut homo sanctionum omnium bustum, struma civitatis, Simoniacæ hæreseos reus, adulter, incestis, flagitiis, stupris pollutus, scortator infamis, perduellis, homicida, publicæ tranquillitatis eversor, qualis fuit Joannes XII. toleraretur? Romana Synodus illa probè noverat Turonense Concilium II. dixisse in can. XIII. *Rectius est ut caput morbidum, si curari non potest, amputetur, quàm grex per eundem inficiatur. Talis ergo Sacerdos non debet à populo venerari, sed renui, qui non formam disciplinæ, sed vitii docet, dum seipsum non corrigit.*

Sed videndum est modò, quibus machinis in Romanam Synodum Baronius invadat.

Opponit Sinuessanum Concilium, quod Suessionense perperam appellat. Hoc in Concilio pronuntiatum ait: *Primam Sedem non judicari à quoquam.* Nonne Baronius egregie cordatus homo est, cùm anno DCCCCLXIII. in auctoritatem recipit Sinuessani Concilii Acta, quæ anno CCCIL. & CCCIII. validè impugnaverat, & ea ut corrupta, vitiata, supposita procul 40
amandaverat? Suppositionem confirmo in Epistola ad Jacobum Bevilaquam Paris. Theologum. Præterea verba hæc, quia distributionis, non collectionis sensum apud literatos & dialecticos important, à judicio Romani Pontificis Concilium neutiquam excludunt. Id grammaticæ & dialecticæ tyrones apprimè sciunt.

Opponit Concilium Romanum in causa Symmachi Papæ habitum, ubi legitur, *Romanæ Sedis antistitem minorum non subjacuisse judicio.* Sed istud non pertinet ad rem, quia Joannes judicatus est a Concilio, cui præter Romanum clerum & populum Episcopi complures interfuerunt. At Symmachus à Clero tantùm & populo Romano judicatus fuerat, & post tale judicium Sede pulsus, & datus à Theodorico Rege Visitator Altinensis Episcopus. Quapropter habitum est Romanum Concilium, in quo Symmachi causa discussa est & Symmachus absolutus. Fallitur Baronius, falluntur & alii, dum verba hæc, *Romanæ Sedis antistes minorum judicio non subjacet*, quæ ad Cleri & populi Romani factionem referenda sunt, ad Romani Concilii Episcopos referunt. Quis enim non videt, referenda esse ad eos, quorum subjacuerat judicio? Minores quidem illi erant Romanæ videlicet Ecclesiæ Presbyteri, Diaconi, populus, & nonnulli Senatores, qui de expellendo, propter ficta vel certe occulta vitia, Symmacho conjuraverant. Rem pertracto latiùs in Epistola ad Claudium Santeulium.

Opponit minus elegantes Concilii locutiones, quæ si Concilium invalidum efficerent, celebrata tunc temporis Concilia pene omnia invalida censerentur. Exu- 41
labat Latini sermonis integritas, barbaries ubique regnabat. In quibusdam erat rebus mutata loquendi consuetudo. Romani Pontifices non alii quondam dicebantur, quam qui Romanæ Ecclesiæ vel Sedi Apostolicæ præessent. Tunc Romani Pontifices vel Episcopi dicebantur ii quoque, qui comprovinciales erant, qui Romanæ provinciæ præsidebant.

Opponit nonnulla, quæ ad judicii formam attinent, sed ea non opposuisset, si scriptam à Luitprando, vel ejus continuatore Concilii totius historiam perlegisset, & diligenter attendisset. Recentibus adulatricis Curiæ placitis occupatus cùm esset, ad legendam historiam accessit. In quibusdam fortè nova & inaudita judicandi forma fuit, quia Joannes Papa novorum & inauditorum criminum reus agebatur. Lepidus ac festivus est Baronius, cùm hinc Joannem Papam Ecclesiasticis & politicis legibus omnibus liberum & solutum faciat, inde Concilium & Imperatorem Ecclesiasticis & politicis legibus quibuscunque obstrictum esse velit. Concilium ab Imperatore postulat, ut Joannem condemnet; quid mali? Joannes datam Imperatori fidem violaverat & majestatis crimen admiserat. Deinde quidquid Imperator facit, communi cum Patribus consensu facit. Huc omnino spectat, quod Romanum Concilium ad Imperatores Gratianum & Valentinianum scribit: *Accipite aliud quoque quod vir sanctus vestra magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed Principibus adrogare. Quoniam non novum aliquid petit, sed sequitur exempla majorum, ut Episcopus Romanus si Concilio ejus causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Silvester Papa à* 42
sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantinum causam propriam prosecutus est.

Opponit præposteram ut loquitur nomenclationem illam, qua Imperator sanctus dicitur, & qua Joannes Papa sanctus non dicitur. O præposterum agendi modum! Concilium Imperatorem sanctum appellat, quòd ad Christianæ religionis præscriptum vitam omninò instituerat; sed horruit Pontificem vocare sanctum,

quod

quod gentilium potiùs, quàm Christianorum mores
exprimeret, qui homo esset omnibus vitiis atque
omni dedecore infamis. Exinde accidit, ut Romana
Synodus hæc imitata non fuerit Calchedonensem,
quæ hæreticum Nestorium nonnisi post prolatam sen-
tentiam reverendissimum & sanctissimum nominare
desiit. Hæc sunt præcipua rationum momenta, qui-
bus auctor celebris sanctissimum & reverendissimum
Joannem Papam XII. adversus Romanum Concili-
um, à quo Joannes depositus est, religiosissimè de-
fendit, & quod sanctum est Concilium, Conciliabulum
inscribit.

Verumenimverò in eo Baronii fortitudo non consistit,
ultra progreditur. Vir cujus mores casti ac probati
fuerunt adjungit se publicis meretricibus, ut suffectum
Joanni Leonem abigat, & Joannem Sedi suæ restituat,
& observet insuper esse coactam ob id à Joanne Sy-
nodum, cujus mentionem nullam Luitprandus vel ejus
Continuator injicit, injecturus sine dubio, si quæ co-
acta ulla esset. *Interea*, scribit historicus, *mulieres, qui-
buscum Joannes, qui dictus est Papa, voluntatis suæ lu-
dibrium exercebat, & non ignobiles & plures concitaverunt*
43 *Romanos, ut Leonem summum & universalem Papam à
Deo & ipsis electum proderent, & Joannem in urbem sus-
ciperent. Quod cùm fecissent, Deo miserante, ex eorum
manibus est venerabilis Papa Leo liberatus.* Hic, si quæ
facta esset ab Joanne Papa ad seipsum restituendum
Synodus, auctor non reticeret, uti non reticet, quæ
Imperator egit, ut Leoni Sedes assereretur, Joannis
dejectio persisteret, & ut substitutus in Joannis mortui
locum Benedictus removeretur. Luitprandus vel ejus
Continuator Synodum, quæ Benedictum in Sedem A-
stolicam invasisse statuit, congregatam esse sic meminit:
*Residentibus itaque Domno Leone Summo & universali Pa-
pa in Ecclesia Lateranensi, nec non & Imperatore sanctis-
simo Othone, & Episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia
& Saxonia Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, omnique
Romanorum plebe, quorum nomina inferiùs ascribuntur, ad-
venit Benedictus Apostolicæ Sedis invasor*, &c. Cur non
meminisset similiter ad restituendum Joannem abdica-
tum, factam esse Synodum, si qua fuisset facta?

Præterea synchronus auctor nullus est, qui factam
fuisse Synodum talem memoriæ prodiderit, ut Lu-
itprandi vel Continuatoris illius silentium & κρύψις
accusetur.

Continuator Chronicorum Reginonis ad annum
DCCCCLXIII. scribit: *Interim Joannes Papa promissio-
nes Imperatori factas oblivioni tradens ab eo deficit, &
Berengarii, seu Adalberti partibus favens, Adalbertum
Romam intromittit. Quas dolositatis ejus fraudes Impe-
rator audiens, relicta circa montem* (Leonis) *obsidione
Romam versus cum hoste pergit, cujus ipsi metuentes adven-*
44 *tum, plurimum thesaurum sancti Petri rapientes fuga sub-
sidia petunt. Tunc Roma in plura divisa, partim Impe-
ratori faventes, (multi enim à prædicto Papa injuriis se
opprimi conquerebantur) partim Apostolico blandientes licèt
diversa sentirent, Imperatorem tamen cum honore debito
urbem intromittunt, seque per omnia datis obsidibus, illius
ditioni subjungunt. Imperator verò plurimorum Episcopo-
rum collecta multitudine Synodum coadunavit, & consilio
eorum missa legatione, canonica auctoritate profugum A-
postolicum ad Sedem Pontificalem & Apostolicam revo-
cavit. Illo tamen hoc omnimodis renuente plebs Roma-
na Leonem protoscriniarium, virum strenuum & in-
dustrium, communi consensu in locum ejus elegit & ordi-
navit. Cui Synodo interfuerunt omnes propè Romaniæ &
Italiæ Episcopi, Angelfridus etiam Aquileiensis Patriar-
cha, qui tunc temporis etiam ibidem obiit. Sed & de
nostratibus interfuerunt Adaldagus & Henricus Archie-
piscopi: Landuvardus & Otgerius Episcopi. Postea Joan-
nes, qui & Octavianus, videns se esse depositum, sera
pœnitentia ductus Adalberto disjungitur.* Mox ad an-
num DCCCCLXIV. *Tunc Imperator plena adhuc heb-
domada apud illos manens, Spoletinum Ducatum & Ca-
merinum ordinaturus exivit, & ad preces Papæ Leo-
nis obsides Romanis remisit: Quibus ipsi beneficiis in-
grati non longè illo ab urbe posito Joannem, qui &
Octavianus, urbem intromittunt, & fidem Imperatori
& Papæ promissam annihilare non metuunt. Leo verò
Papa vix cum paucis saculatum omnium undas evasit,
& Imperatorem in Camerino Ducatu positum adiit, ibique
Pascha celebravit. Joannes autem, qui & Octavianus,
Joannem Diaconum & Azonem Scriniarium crudeliter* 54
*detruncavit, & Otgerium, Spirensem Episcopum comprehen-
sum & flagellatum aliquandiu, licèt incommodè secum de-
tinuit, sed postea statim cum spe impetranda veniæ remisit.
Quæ spes divina eum ordinatione fefellit. Nam II. Idus
Maii rebus humanis excessit.*

*Tunc Romani non modicè metuentes Imperatoris adven-
tum, Benedictum quendam Romanæ Ecclesiæ Diaconum
fidei & electionis Domini Leonis immemores eligunt, &
ordinatum Sedi Apostolicæ imponunt. Quo audito, Impe-
rator collecta undique secus fidelium suorum multitudine,
Romam adiit, & firma eam omni parte obsidione, nequis
pateret exitus, munivit. Sed prædictus Benedictus, falso
nomine Apostolicus, diutiùs ut Imperatori resisterent, Ro-
manos animavit. Ipséque Imperatori, suisque fidelibus, ex-
communicationem comminans, muros urbis ascendit, &
elatiori se fastu, quàm Apostolicum decuerat, ostendit. Ad
ultimum Romani fame & obsidione constricti se errasse,
contráque Imperatorem injustè deliquisse, pœnitentes, in
Vigilia Præcursoris, id est IX. Calend. Julii portas urbis
aperiunt, & Imperatore cum honorificentia debita intro-
misso Benedictum sacrilegum & perjurum Imperatoris ditioni
reddunt & dominum Leonem in Sedem Apostolicam resti-
tuunt. Tunc Leo Apostolicus coadunata multorum Episco-
porum Synodo eundem Benedictum Romanæ Sedis invaso-
rem judicio omnium ab invaso gradu deposuit, & Ponti-
ficale pallium, quod sibi imposuerat, abscidit, ferulámque
Pastoralem manu ejus arreptam coram omnibus in frusta
confregit, & ad preces Imperatoris Diaconatus ei tantum
gradum concessit.* Hæc Monachus rerum gestarum
æqualis, qui Synodos duas meminit: Unam, qua Jo- 46
annes XII. deponitur, & Leo in illius locum suffici-
tur; Alteram, qua pulsus Roma Leo in suam Sedem
restituitur. Sed non tradit ullam factam esse Sy-
nodum, qua Joannes depositus suam in Sedem re-
vocetur.

Adamus Bremensis Canonicus in libri II. hist. Ec-
clesi. capite V. *Igitur tali viro piissimus Rex & Archi-
episcopus noster vicos suas in hac regione commendantes
in Italiam discesserunt, ubi Rex habito Concilio Episco-
porum Joannem Papam, cui Octavianus cognomentum
erat, multis accusatum criminibus deponi fecit, quamvis
absentem (nam fuga judicium declinaverat) & in locum
ejus promptum Leonem ordinari.* De Joanne per Syno-
dum restituto nihil.

Deinde in capite VI. *Reversus ergò in patriam Archi-
episcopus, sicut audivimus & cognovimus, & patres nostri
narraverunt nobis, duxit in comitatu suo Benedictum Pa-
pam ordinatum, sed item ab Ottone depositum, quem ille
in Hamburg custodia mandari præcepit. Archiepiscopus
verò cum magno honore detinuit usque ad obitum ejus.
Nam vir sanctus literatúsque dicitur fuisse, & qui dignus
Apostolica Sede videtur à populo Romano, nisi quòd per
tumultum electus est, expulso eo, quem ordinari jussit Im-
perator.* Sic Hafniensis editio anni MDLXXIX.

Anctor Anonymus, qui Farfensis Monasterii Chroni-
cum excerpsit: *Per idem autem tempus Joannes Papa
præfatus pro sua nequitia expulsus fugit ad partes Cam-
paniæ, ibique in silvis & montibus latitabat more bestiæ.
Tunc Otto Imperator Romam venit, quem omnes Ro-
mani consensu Cleri rogaverunt, ut Leonem protoscri-
niarium eis eligerent, Papámque constituerent. Quod &
factum est, qui sedit anno uno & mensibus tribus. Quo* 47
*vivente iniquè conciliati sunt Romani, ut sceleratam Jo-
annem reducerent & dominum Leonem abjicerent. Fa-
cta est autem fames magna in tota urbe. Extunc verò*

Domi-

dominus Leo in partibus Spoletanis ad Imperatorem venit, qui statim militibus armatis contra Romanos maximas insidias paravit. Romanorum autem Nuncii ad rem in Reatina civitate venerunt, mortémque Joannis intimantes, Benedictum ei Diaconum petierunt, sed minimè obtinere valuerunt. Revertentes autem Legati eundem elegerunt sine consensu Imperatoris. Unde Imperator magis in ira exarsit, & civitatem undique gyravit, & in tantam penuriam adduxit, ut modius furfuris venderetur triginta denariis. Coangustati verò Romani Benedictum innocentem Imperatori tradiderunt, & Dominum Leonem Papam coacti receperunt, spondentes ei & Domino Imperatori super corpus beati Apostoli Petri. Dimisit autem eis quanta & qualia perpessus est ab illis. Hæc in Farfensi Monasterio, quod in Spoletino Ducatu situm est. Unde fit ut maximè audiendus sit auctor, qui Joannem meritò de sua Sede deturbatum, & Leonem ei suffectum esse scribit. Deinde Leonem ut Joannis successorem legitimum agnoscit, & Benedictum repudiat. De Joanne per Synodum restituto nihil.

Sigebertus in Chronico, quod Aubertus Miræus ad Gemblacensis Monasterii exemplaria recensuit, ad annum DCCCCLXIII. *Collecto in tota Italia Episcoporum Concilio Joannes Papa de nefariis causis infamatur. Qui tertiò evocatus dum se excusatum venire cunctatur, post multa tandem eo à cunctis præjudicato, Leo adhuc laicus electione omnium & consensu Imperatoris Papa substitui-*
48 *tur.* Quæ sequuntur & parenthesi clauduntur, adventitia sunt, [*Sic Leo præsidens Apostolicæ Sedi fecit ordinationes, & ea quæ erant Apostolica. Nec longum: Romani alterata fide apud Imperatorem Papam recipiunt Joannem. Ille Synodo collecta Leonem deposuit, & ejus gesta cassavit. Statutum quoque est publicè omnium judicio Synodum à Leone habitam, nec nominandam Synodum, sed prostibulum fautens adulterii. Quicumque ergo eo ordinante erant damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta, hæc continente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Et sic depositi remanserunt in illis gradibus, si quos habuerant, non à Leone ordinatis. Siqui autem digni judicantur, ut non acceptis priùs consecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto, quod & damnatis à Constantino Neophyto.*] *Romani igitur à Papa Joanne pecunia illecti Imperatorem cum paucis Romæ morantem subito aggressi, ita ab exercitu Imperatoris sunt attriti, ut nisi ab Imperatore & à Papa Leone milites Imperatoris à cæde revocarentur, usque ad internecionem Romani delerentur. Romanis per Leonem Papam Imperatori reconciliatis, post abscessum Imperatoris Leo Papa insidias sibi parari sentiens ad Imperatorem fugit. Joannes ex-Papa se cum uxore cujusdam oblectans à Diabolo in tempore percutitur, ac sine Viatico Dominico moritur. Romani verò contra juramentum, quod Imperatori fecerant, se nunquam electures Papam sine ejus & filii ejus Othonis consensu, Benedictum sibi Papam statuunt. Imperator autem Roma obsessa Romanos cæde & fame adeò afflixit, ut Leonem Papam se recepturos promitterent: Sic Benedictus rejectus non solùm Papatu, sed etiam*
49 *sacerdotio à Leone exordinatur.*

Sigebertum Vincentius Bellovacensis sequitur in Speculi historialis libro XXIV. cap. LXXXVI. ubi meminit Romanæ Synodi, quæ Joannem XII. deposuit, & Leonem IV. instituit; meminit etiam Synodi, quæ Leonem deposuit. Sed eam Synodum legitimam fuisse non existimat, ut ex verbis sequentibus apparet: *Joannes ex-Papa se cum uxore cujusdam oblectans à Diabolo in tempore percutitur, & sine Viatico Dominico moritur.* Joannem non vocaret ex-Papam, si legitima fuisset Synodus, & si Synodus Joannem restituisset legitimè.

Vincentium sequitur Martinus Polonus, in Chronico de vitis Pontificum: *Hujus*, inquit, (Joannis XII.) *pater Albericus cùm esset potens in urbe, vocatis nobilibus rogavit eos, & induxit juramento constringendo, ut mortuo Agapeto Papa promoverent filium suum Octavianum in Papam, vocatúsque est ille Joannes. Hic erat venator & totus lubricus, adeóque publicè fœminas etiam tenebat: Propter quod quidam Cardinalium & Romanorum scripserunt Ottoni Principi Saxonum occultè, ut scandalo Ecclesiæ compatiens sine mora Romam properaret. Hic Papa Joanni Diacono Cardinali tanquam hujus facti consiliario nasum, & alteri Joanni Subdiacono qui literas scripserat, manum computari fecit. Hic cùm frequenter per Imperatorem & Clerum de sua correctione fuisset monitus præsente Imperatore, de Papatu destitutus, communi voto Leo Papa eligitur.* Et paullo post in vita Benedicti V. *Joannes verò oblectatus adulterio sine pœnitentia subitò moritur.* Non revocat in dubium potestatem eorum,
qui Joannem de Pontificatu dejecerunt, & in ejus locum 50
Leonem suffecerunt.

Martinum Joannes Turrecremata Cardinalis sequitur, & habitum contra Joannem Papam XII. Italiæ Concilium ita probat, ut ex eo cùm universalium Conciliorum utilitates disquireret, quintam, eámque præcipuam utilitatem deprompserit. Turrecrematæ verba sunt è libri III. de Summa Ecclesiæ capite X. *Universalium Conciliorum celebratio maximè valet ad sex.*

Primò quidem valet celebratio universalium Conciliorum ad conservandam Christianam religionem in unitate fidei, quæ primum vinculum est societatis Christianæ, ut dicit beatus Chrysostomus. Et post alia:

Secundò valet ad faciliorem & firmiorem elucidationem veritatis in dubiis; faciliorem quidem, quia quod à pluribus sapientibus quæritur, faciliùs invenitur, ut ait Innoc. in cap. De quibus dist. 20. Firmiorem etiam dicimus, quia tanto firmius sive gravius est judicium, quanto plurium sententiis confirmatur & approbatur assensu. Et post alia:

Tertiò Conciliorum universalium celebratio utilis est ad culturam agri Dominici, ut Canon Concilii Constantiensis dicit, Frequens. Tunc quidem Patres in Concilio congregati sunt ministri, operarii, agricolæ, de quo Dominus ait Joannis 15. Et post alia:

Quartò celebratio Conciliorum universalium utilis est ad tyrannorum & infidelium superbiam humiliandam plurimùm profecto, ut intellaximus à fide dignis, qui fuerant infideles in Orientalibus partibus. Et post alia:

*Quintò celebratio Conciliorum est utilis ad refrenan-
dum exorbitantias quorundam Pontificum, qui Pontifica-* 51
tum suum, aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vitiis scandalosis confundunt. Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator & lubricus publicus & incorrigibilis erat. Ut enim ait Hormisda Papa in Epistola decretali ad Episcopos per Hispaniam constitutos, difficile est, ut cujusquam cor sic pravis cogitationibus induretur, ut in se patiatur culpandum fieri, cùm noverit se judicium subeundum Concilii.

Sextò valet universalium Conciliorum celebratio ad omnium quasi scandalorum, quæ suscitantur in Ecclesia, extinctionem. Istud planè, ut priora exempla nos docent, ultimum est refugium Ecclesiæ in omnibus magnis angustiis suis, sicut in præcedenti capite exemplariter deductum est in multis, tam de scandalis occasione hæreticorum, aut schismaticorum, quàm aliunde exortis. Unde propter has multiplices utilitates provenientes Ecclesiæ sanctæ Dei ex celebratione sacrorum Conciliorum, posset optimè adaptari mysticè propositè tanquam dictum Summo Pontifici illud Esaiæ 16. Ini Concilium, scilicet cum sapientibus, coge Concilium, id est, congrega, ut exponit magister Nicolaus de Lyra, quod dicit Spiritus Sanctus Summo Pontifici, imminentibus gravissimis periculis in Ecclesia: Ini Concilium, id est, congrega universale Concilium, quoniam si in medio duorum vel trium in nomine Christi congregatorum ipse est ut spirator, Doctor, & adjutor, ut habetur Matth. 18. multò ampliùs, ubi sanctorum Patrum multorum societas in nomine convenerit Jesu Christi,

52 *maximè pro rebus universitatem Christianæ religionis respectivè concernentibus interesse credendum est.* Hæc in Romana editione quam Pius IV. approbavit. Tunc nemo revocabat in dubium, quin Romanum Concilium, in quo abdicatus est Joannes XII legitimum foret. Quis quæso id revocasset in dubium, postquam Turrecremata nimiùm vehemens Pontificiæ dignitatis defensor, illud summam in auctoritatem admisit?

Turrecrematam sequitur Blondus Flavius, qui Eugenii IV. Amanuensis fuit, in libro III. Decadis II. *Quod autem refert Bibliothecarius, Otho Imperator, cùm à Joanne XII. honorabiliter exceptus esset, cum illo multis institit, ut à flagitiis temperans vitam Pontifice dignam duceret. Et cùm preces suasionésque parum prodesse intelligeret, Archiepiscopos Episcopósque Italiæ, coram quibus eadem diceret, convocari curavit. Sed pertinax in turpitudine Joannes, Roma fugiens in montibus delituit. Tum magnus ad Imperatorem concursus factus, efflagitatúmque est, ut quempiam ille dignum Pontificem designaret. Otho autem modestia usus, electum se jubente à Clero & populo Leonem Romanum civem, & Lateranensis Ecclesiæ Scriniarium, qui fuit ejus nominis octavus, in Sede Petri confirmavit. Quo facto & rebus urbis Romæ compositis, Otho Spoletum accessit. Nec mora, furentes & passione obcæcati animo Romani Joannis consanguinei populum ut ille reduceretur, seduxerunt. Ejectúsque Leo agentem Spoleti Imperatorem adiit: Qui odio iráque exardescens bello persequi Romanos cœpit, & civitatibus oppidisque illorum in Spoletum versis, maximo per excursiones affectis incommo-*
53 *do, copias omnes in urbem Romam ducendas in agro Theatino ad diem adesse jussit. Interim Joannes post paucos quàm redierat menses obiit, nec scribit Bibliothecarius quod multi habent Scriptores, illum in adulterio deprehensum fuisse confessum. Sed qualiscumque fuerit illius mors, secundùm eam Romani ad Othonem mittentes pace impetrata Benedictum Diaconum, & non Leonem Pontificem dari oraverunt. Renuit verò Imperator, & se arma corporis, regnorúmque suorum tutelam priùs, quàm Leonis defensionem, dignitatémque neglecturum, magna vocis & vultus constantia affirmavit: Spoponderúntque victi ea Imperatoris petendi vehementia oratores Leonem Cleri & populi jussa in patriam reducendum. Nec tamen destiterunt protervi; quin oratoribus in urbem cum pace reversis Benedictum in Petri Apostoli Sede pro Romano Pontifice locaverint. Et cùm intellexisset Otho, non ultra verbis comminationibúsque agendum ratus, primùm omnium agri ditionisque Romanorum civitates, & oppida pleraque capi, diripi, ac magna ex parte vastari curavit. Romam exinde adeò dura pressit obsidione, ut scribat Lateranensis modium farfuris per eam tempestatem triginta aureis venundatum fuisse, tantisque coangustatos malis Romanos Benedictum Othoni dedisse, & Leonem in Pontificatus Sedem auctoritatémque accepisse. Edomita Romanorum protervia Otho in Germaniam reversus, Benedictum apud Hausburgam relegavit, ubi post paucos menses vel dies vita est functus, Leóque pariter, vix ad tertium mensem quàm restitutus fuerat, superstes fuit.* Meminit Episcoporum Concilii, quod Joannem deposuit; non meminit Concilii, quod eum restituerit.

54 Blondum sequitur Æneas Sylvius seu Pius II. in Decad. Blondi Epitome lib. III. ex lib. III. Decadis II. *Instituit apud Joannem Otho multis verbis, ut à flagitiis temperans vitam Pontifice dignam duceret, cùmque ille obaudiret, Archiepiscopos & Episcopos Italiæ convocari curavit, coram quibus Pontifex argueretur. Sed pertinax in turpitudine Joannes Roma fugiens in montibus delituit. Populus ac Clerus Leonem Romanum civem, & Lateranensis Ecclesiæ Scriniarium, qui fuit ejus nominis octavus, in Pontificem elegit, & Otho confirmavit, atque ad Spoletum se transtulit. Sed Populus Romanus, à consanguineis Joannis instigatus, ejecto Leone Joannem revocavit. Leo ad Othonem Imperatorem confugit, quem dum reducere etiam per arma Otho præparat, Joannes post paucos menses quàm rediret, Romæ obiit. Quidam in adulterio deprehensum fuisse, confessúmque tradunt. Romani Benedictum Diaconem subrogari ab Imperatore petierunt, & cùm ille renuisset, nihilominus in beati Petri Sede pro Pontifice locaverunt. Indignatus ea re arma in Romanos movit, quos magnis cladibus affectos Benedictum dedere, & Leonem pro præsule recipere coëgit, atque Germaniam Benedictus apud Hausburgam relegatus paucos post menses obiit, & Leo ad tertium mensem superstes fuit.* Sic quæ ab Othone gesta sunt in causa Joannis XII. confirmat.

Æneam seu Pium II. sequitur Platina, in libro de vitis Pontificum: *Joannes XIII.* (dicere potiùs debuit XII.) *patria Romanus de via lata, patris Alberici potentia fretus Pontificatum occupat. Octavianus is quidem primò vocabatur, homo sanè ab adolescentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus, venationibus magis, siquid temporis à libidinibus supererat, quam orationi deditus.* Et 55
post alia: *Octavianus itaque patris potentia in satis libera civitate fretus, Pontificium munus, humeris suis nequaquam conveniens, sibi desumit. Hac quidem indignitate moti duo Cardinales literis Othonem obsecrant, ut Clerum populúmque Romanum è manibus Berengarii, Joannísque XII. vindicare conetur, aliter Christianam fidem una cum Imperio perituram.* Et post alia: *Otho autem composito aliquantulum statu civitatis cum Joanne secretò collocutus, hominem primò blandè appellando à flagitiis deterrens ad virtutem adhortabatur. Verùm cùm nequaquam moveri à sententia verbis eum cerneret, ad minas conversus Concilium indicit, convocatis Episcopis Italiæ, quorum judicio vita sceleratissimi hominis dijudicaretur. Is itaque judicium bene sentientium reformidans in Henricos aufugit, in sylvísque more feræ aliquandiu delituit. Hanc ob rem Otho persuadente Clero Leonem Romanum civem Lateranensis Ecclesiæ protoscriniarium Pontificem creat. Verùm abeunte Imperatore Joannis cognati & clientes pulso Leone, Joannem ipsum revocant, quem quidem divinitus eisdem fermè diebus periisse creditum est, ne Ecclesia Dei perniciosa seditione jam glíscente labefactaretur. Sunt qui scribant, hunc sceleratissimum hominem vel hoc monstrum potiùs in adulterio deprehensum & confossum interiisse. Verùm non ita quoque sedata seditio est. Nam Romani mortuo Joanne, in ejus locum Benedictum subrogant, idque ab Imperatore, qui tum Spoleti erat, confirmari contendunt. At Imperator iratus non solùm Romanos utpote iniqua postulantes à se repulit, verumetiam eosdem armis, ut postea dicetur, coëgit abrogato Benedicto Leonem susci-* 56
pere.

Platinam sequitur Hartmannus Schedelius in ætate VI. mundi de Joanne XII. *Is vitam nedum Pontifici, sed cuicunque privato turpem in Pontificatu duxit. Quippe qui præter venationis, cui se totum dedit, levitatem, mulieres palam habuit concubinas.* Et paulo pòst: *Octavianus itaque patria in satis libera civitate fretus, Pontificium munus humeris suis nequaquam conveniens sibi desumpsit. Hac quidem indignitate moti duo Cardinales literis Ottonem obsecrant, ut clerum populúmque Romanum è Berengarii manibus Joannísque XII. vendicare conaretur, aliter Christianam fidem cum Imperio perituram. Quorum Joannes uterque nomine, Diaconus uterque dignitate & ordine erat; similésque literas ad Othonem multi Italiæ populi & potentes domi nobiles dederunt. Interim dum Otto exspectaretur, res per judices patefacta. Joannes XII. iracundia, cujus impotens, excanduit: Et Cardinales Diacones auso unum, manu alterum mutilavit. Hanc ob rem Otto in Italiam movens urbem ingrediens à Joanne honorificentissimè suscipitur, coronatúrque, ut quidam tradunt: Composito aliquantulum statu civitatis cum Joanne secretè collocutus eum à flagitiis deterrens ad virtutem cohortabatur. Iterum cùm nequaquam moveri è sententia verbis eum cerneret, ad minas conversus. Is judicium reformidans in sylvis more feræ aliquandiu delituit. Interim post paucos quam redierat menses obiit, & ut multi habent scriptores, in adulterio deprehensus.*

Benedictus V. Papa Romanus ex Diacono in seditione

Pontifex

Pontifex creatur, ab his potissimùm, qui Joanni cognationa
57 *factionéque conjuncti fuerant, cùm Otto Leonem electum*
confirmasset. Proterui tamen Benedictum in Petri Apostoli
Sede pro Romano Pontifice locaverunt. Ea cùm intellexisset
Otto, non ultrà verbis commonitionibúsque agendum ratus,
primùm omnes agro & ditionis Romanorum civitates &
oppida pleraque capi, diripi, ac magna ex parte vastari
curavit. Romam exinde adeò dura pressit obsidione, ut
modium furfuris per eam tempestatem triginta aureis ve-
numdatum fuerit, tantísque coangustati malis Romani Be-
nedictum Ottoni dederunt, & Leonem acceperunt. Edo-
mita Romanorum protervia, Otto in Germaniam reversus,
Benedictum apud Hamburgam relegavit. Ubi post paucos
menses vita est functus.

Hic judicii nomine intelligit Concilium, quod Joannem deposuit, & Leonem in ejus locum subrogavit.

Schedelium sequitur Jacobus Philippus Bergomas ex Ordine Eremitarum S. Augustini in libro xi. supplementi Chronicorum, de Joanne XII. *Hic primò Octavianus dicebatur, homo siquidem ab ipsa sua adolescentia probris & sceleribus omnibus contaminatus, ac magis venationibus & voluptatibus, quàm orationi & lectioni deditus. Cujus quidem indignitate permoti Cardinales literis Othonem Germania Regem obsecrant, ut Clerum populúmque Romanum è Joannis istius manibus liberare dignetur, aliter de Christiana fide actum esse. At dum Otho expectaretur, ea per judices patefacta, Joannes hic ira percitus, duos Cardinales cepit, & huic nasum, illi verò manum abscidit. Otho itaque in Italiam ingressus Romam cum magno comitatu accessit, & à Joanne magnificentissimè suscipitur, atque ab eo (ut quidam tradunt) coronatur. Indéque aliquantulum*
58 *civitatis statu composito, convocatisque Italicis Episcopis*
Concilium indixit. In quo quidem Concilio hominis vita
pessima adjudicata est. Sed dum in turpitudinibus, Joannes hic pertinax haberetur, è Roma tandem fugit, & in montibus quibusdam delituit. Nec propterea perniciosissimus hic vir à malis suis pedem avertere voluit, sed in proposito malo sic perseverans, tandem in adulterio deprehensus, à viro adultera confossus interiit. Depositóque Joanne Pontifice populus ac Clerus Romanus Leonem quendam Romanum civem Lateranensis Ecclesia Diaconum Pontificem ex lege & creavit, quem statim Otho confirmavit. Quo confirmato statim Otho ad Spoletum civitatem se transtulit. Verùm eo absente populus Romanus à consanguineis Joannis prædicti Pontificis instigatus Joannem revocavit. Leo autem pulsus ad Othonem Spoletum confugit, quem dum revocaret, etiam dum arma præparat, Joannes præfocatur. Hic Joannes non aliter quàm à Luitprando deformatur, nec mentio fit ulla Synodi, quæ illum Romanam in Sedem revocaverit, Leone pulso.

Bergomatem sequitur Joannes Tritemius Ordinis beati Benedicti Monachus, in Hirsaugiensi Chronico: *Verùm cùm Papa fidem promissam violaret, sempérque deterior fieret, Imperator secundò invitatus à Romanis anno sequenti denuò Italiam ingreditur, ad cujus introitum Papa fugit. Magna igitur Synodus jubente Imperatore Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, & Clericorum Roma facta est, ubi palam recitatis Papa criminibus, cùm rogatus, citatus, monitúsque per literas, primùm comparere seque expurgare contemneret, imò Synodum se excommunicatu-*
59 *rum minaretur, decreto Imperatoris & omnium præsentium*
in Synodo Patrum depositus est 10. Calend. Sept. & Leo
sanctæ Romanæ Sedis protoscriniarius, vir venerabilis & approbatus, in Papam unanimi omnium consensu electus est, ductúsque ad Lateranense Palatium, collaudantibus factum Romanis, ad summum sacerdotium consecratur. Capita autem criminum pro quibus depositus est, ista fuerunt. Missam celebravit, & non communicavit. Item Benedictum patrem suum spiritualem lumine privavit, qui statim mortuus est. Item Joannem Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidit. Item adulterium & fornicationem perpetravit, & incestum cum vidua Reinerii, & Stephana patris concubina, cum Anna vidua & nepte sua & multis aliis, sanctúmque palatium lupanar & prostibulum meretricum fecit. Item in Ecclesia Tudertina ordinavit puerum decem annorum. Item ordinationes faciebat pro pretio. Item Diaconum ordinavit in stabulo equorum non debitis temporibus. Item sacrilegus fuit, cruces & clenodia sanctuarii meretricibus distribuit. Item vinum bibit in amore Diaboli. Item in ludis alea Venerem, Junonem, aliósque Deos gentilium sibi adjutores invocabat. Item venationem publicè exercebat. Item Matutinas & alias horas Canonicas non celebravit, nec munivit se more Christianorum signo sanctæ Crucis. Item viduas, maritatas, virgines vi oppressit & stupravit multas. Item homicidii, perjurii, & sacrilegii reus accusatus est. Incestum in propriam cognationem commisit, cum duabus quoque sororibus commiscuit. Item lorica & aliis armis indutus quasi dux processit contra S. Imperatorem ad bellum: Aliáque multa & horrenda coram Imperatore in sancta Sy-
nodo per Cardinales, Episcopos, Diaconos, & alios boni testi- 60
monii viros sub jurejurando publicè delata sunt. Multi fuerunt in hac Synodo Episcopi, & ex nostris ibi fuit Henricus Archiepiscopus Trevirensis, Otgerius Episcopus Spirensis: Adeldacus Archiepiscopus Bremensis, & Landobardus Episcopus Mardensis in Saxonia. Erant autem omnes Episcopi in Synodo xl. Cardinales Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi xlviii. numero: Qui omnes cum primoribus Romanis & universo populo, uno ore Joannem deponentes à Papatu tanquam monstrum & Diaboli mancipium unanimi voto Leonem hujus nominis VIII. in Summum Pontificem elegerunt, jurantes se nunquam ab eo discessuros, nec Papam deinceps sine Imperatoris filiique ejus consensu electuros.

His ita peractis, S. Imperator nolens Romanos exercitu nimio gravare, simul credens illos in fide promissa mansuros, multis abeundi licentiam concessit. Quod cùm Joannes depositus rescisset, sciens instabilitatem & avaritiam Romanorum, misit ad eos clam nuncios, promittens se omnes Ecclesiæ thesauros illis daturum, si Imperatorem cum sancto Papa Leone trucidarent. Et paullo pòst: *Interea mulieres, cum quibus Joannes quondam Papa voluptates suas implere solebat, & numero plures & genere non penitus ignobiles concitaverunt Romanos, ut Leonem Papam, quem ipsi voto concordi elegerant, interficerent, & Joannem in urbem revocarent. Qua cùm fecissent, Leonémque occidendum caperent, de manibus eorum (Deo miserante) cum paucis evasit, & ad Imperatorem piissimum calamitatem suam expositurus accessit. Mox in urbem Joannes reducitur, in summúmque Pontificatus Sedem reponitur, statimque inter cætera crudelitatis suæ facinora Joanni Dia-*
cono Cardinali manum dexteram amputat, & Azoni Scri- 61
niario linguam, duósque digitos præcidens etiam naribus truncat. His cognitis Imperator tantas ulturus injurias servorum Dei reparato exercitu Romam quantocyus redire disponit. Interea Joannem olim Papam, sed jam Apostolicæ Sedis invasor temerarius, nihil pravitatum suarum emendans, dum se cum viri cujusdam uxore oblectaret, per Diabolum in temporibus graviter percussus, octavo die miserabiliter sine viatico corporis & sanguinis Christi diem clausit extremum. Quo mortuo Romani omnes juramentorum & jurisjurandi obligationis immemores Benedictum Cardinalem Diaconum in Papam constituunt, séque illum nunquam dimissuros, imò contra Imperatorem defensuros juramento promittunt. Quo audito Imperator urbem vallavit, neminémque, qui non membris truncaretur, exire permisit, machinis & fame usque adeò Romanos infideles afflixit, donec civitatem violenter intravit, Leonem venerabilem Papam, propriæ Sedi restituit, ac Benedictum Summi Apostolatus invasorem ad ejus pedes præsentavit, qui post susceptam confusionem in publica Synodo, quam meruit, exilio relegatus in Saxoniam, ibi mortuus est. Sanctus itaque Leo in Sedem Apostolicæ culminis repositus sedit anno uno mensibus quinque, feliciterque obiit. Et hæc satis.

Tritemium Christianus Massæus sequitur in Chronicorum mundi libro xv. *Otho Romanam Ecclesiam fideliter defendit. Nam defuncto Agapito cùm Joannes XII.*

 effet

esset intrusus, homo flagitiosus, & duo Cardinales per hoc literas Othoni questi essent, eisque propterea alteri nasum, alteri dexteram amputasset, venit Otho, Joannem frustra monitum deposuit, Leonem ordinavit. At mox abjecto
62 *principe furens populus ejecit, Joannem resumpsit, quem Diabolus etiam corporaliter invasit & rabidum secum ad tartara traxit. Quo mortuo populus Benedictum intrusit, quem Imperator tam arcta obsidione cinxit, ut modius furfuris triginta aureis emeretur. Igitur compulsi fame Benedictum tradunt, Leonem recipiunt.*

Massæum sequitur Franciscus Victoria Hispanus, ex Ordine Prædicatorum, Parisiensis Theologus, in libri de potestate Papæ & Concilii propositione XXIII. *Propter injustas dispensationes vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procedunt, posset convocari & congregari Concilium contra voluntatem Papæ, ut si resisteret, obviaret ejus insolentiæ. Hoc expressè tenet Silvester in verbo Papa §. 4. Quòd si Papa suis moribus destruit Ecclesiam, potest convocari Concilium contra ejus voluntatem, ut per illud Papa moneatur, & Deus invocetur, & resistendo in malis remedium apponatur. Hoc expressè tenet Turrecremata assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis lib. 3. cap. 10. Celebratio, inquit, Conciliorum utilis est ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui Pontificatum suum, aut extra sanctorum Patrum regulas pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vita scandalosa confundunt. Hac de causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator lubricus & incorrigibilis erat. Quod factum laudat & approbat Turrecremata, & hoc est valde utile.* Ut Turrecremata, sic & Victoria Dominicani ambo, Parisienses Theologi
63 ambo, laudant & approbant Episcoporum Italiæ Concilium, quod Joannem XII. è Sede sua pepulit.

Victoriam sequitur Clemens Monilianus Cardinalis in Theologicarum Institutionum compendio, cap. XIX. de Conciliorum celebratione: *Conciliorum celebratio valet ad quinque:* Et quibusdam interjectis: *Quartò valet ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui munus sacrum aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate, aut vita scandalosa confundunt. Hujus rei causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem P. XII. qui venator lubricus & publicus erat & incorrigibilis:* Nimirum qualis apud Luitprandum ejusque continuatorem, Martinum & Platinam, Tritemium & alios exhibetur.

Michael Alexandrinus Cardinalis Moniliani librum approbavit & approbando suum fecit. Nec antè vel postquam creatus est Papa Pius V. approbationem suam revocavit. Quo fit ut Cardinales illi duo vel legitimum agnoscant Concilium, quod Joannem XII. deposuit.

Clementem & Michaelem sequitur Onuphrius, qui rem totam paucis complectitur, Annotatione in Benedicti V. vitam: *Hunc Benedictum V. appellari ab omnibus, & in ejus numeri nota illius rationem haberi à sequentibus Pontificibus, qui illud nomen tulere, video, & id quidem parum accuratè factum existimo, cùm schismaticus fuerit contra Leonem VIII. Papam legitimè creatum, per vim renunciatus. Duo autem simul legitimi Papæ esse non possunt. Ille germanus & verus Pontifex semper censetur, cujus in Ecclesia successio extat, quæ quidem*
64 *Leonis VIII. non Benedicti V. est. Regino lib. 2. Luitprandus lib. 6. cap. 11. & Guillelmus Bibliothecarius auctores.* Guillelmus hic auctor est æqualis, qui post Anastasium de Vitis Pontificum scripsit.

Cum igitur Onuphrius Leonem VIII. Pontificem legitimè creatum esse censeat, censere quoque necessariò debet, Joannem XII. legitimè abdicatum esse ab eo Concilio, quod Otto Magnus congregari jussit.

Onuphrium sequitur Papirius Massonus in lib. IV. de Episcopis urbis, in Joan. XII. *Cedrenus & Curopalates nihil quidem de nomine tradunt, & tamen referunt, Joannem ipsum fuisse Alberici filium: Nam Cedreni hæc sunt verba: Romanæ Ecclesiæ præfectus erat Joannes Alberici filius, homo ad omnem lasciviam ac malum propensus, quem Otto Imperator expulit, aliúmque Ecclesiæ Pastorem constituit. Et Curopalates, Cedreno posterior, idem quoque scribit: Quid puella illa, quam in Saxonia floruisse diximus, in historia Ottonis? Nonne ita loquitur de Joanne?*

Summum Pontificem quædam perversa parantem,
Ejus nec monitis dignantem credere crebris,
Sedis Apostolicæ fraudari fecit honore,
Constituens alium rectoris nomine dignum.

Restat Luitprandus Ticinensis, cujus meritò in hac dejectione Joannis, testimonium sequemur: Illis enim temporibus se ipso vixisse testatur initio libri IV. Idémque libro VI. rerum gestarum per Europam rem totam, id est, Othonis in Italiam adventum, apparatúmque Romanorum, & coronationem à Joanne Pontifice factam, crimina illi objecta, Synodum Romæ habitam, Episcoporum Italiæ, Germaniæque, qui illum non immeritò ut videtur, exauctorandum censuerunt, depulsionémque ejus à summi sacerdotii 65
possessione, ordine prosequitur. Et quia nimis prolixa sunt, ne hic liber in immensum crescat, ea nolumus inserere, sed lectorem Christianum monemus, ut ex ipso fonte fortem rei petat. Synodus autem illa est quasi formula exauctorandi Pontificis Romani, cùm iratus illi Deus hoc fieri sinet, Massonus accurationis magnæ scriptor, & acerrimi vir judicii vetustos auctores numero tres nobis suppeditat, Cedrenum, Curopalatem, & Saxonicam mulierem, quæ Joannem XII. versibus suis ut sceleratum hominem depinxit. Tum in Luitprando rerum, quas scribit, teste oculato standum esse maximè arbitratur. Sed quod præ cæteris animadvertendum est, Synodum nullam agnoscit, quæ Joannem depositum Apostolicæ Sedi restituerit.

Deinde in Benedicto V. & Leone VIII. *Quàm non immeritò Joannes loco dejectus est, qui teste Gratiano pactus erat, si Otho in Italiam veniret, se Pontificia dignitate exutum non iri. Quod genus pactionis contra bonos mores, & contra Ecclesiasticæ disciplinæ securitatem erat, (nihil enim reformidat adversi, qui se pium & innocentem sub Dei metu scit vivere.) Itaque Othonem oblitum datæ fidei, præstitique jurisjurandi immemorem licèt fuisse constet, id tamen pietati potiùs tribuendum puto, quàm illi crimini. Joannem enim gravissima Episcoporum testimonia plurimorum criminum dilucidè atque apertè convincebant, ipsiúsque absentis contumacia odiosa Cæsari visa est. Verùm qua ratione Leo Protoscriniarius pulso Joanne electus fuerit, & quomodo Benedictus ejusdem Romanæ Sedis Scriniarius populari manu subrogatus, suffectúsque in Leonis locum, præstat ex Luitprando sincero harum rerum teste peti: Cui accedit elegans testi-* 66
monium Frodoardi ad annum nongentesimum sexagesimum quintum, in hæc verba: Otho, quem Romæ Octavianus Papa, à quo fuerat susceptus, & ad Imperii regenda gubernacula benedictus, ab urbe digresso & sæpè illum revocante Imperatore, à quo quia de irreligiositate sua corripiebatur; reverti nolente, congregata Synodo illustrem quendam ejusdem Ecclesiæ Clericum per electionem Romanorum Papam ordinare fecit. Sed eo Papiam ingrediente, Octavianus à Romanis recipitur, nec multò post vitâ decessit. Leone verò cum Imperatore demorante Papia, Romani quendam Benedictum ipsius Ecclesiæ Scriniarium eligunt, atque Pontificem sibi ordinari faciunt, qui in Leonis electione consenserat, & eidem subditus extiterat. Imperator Otho Romam reversus convocata magna Synodo Leonem in sua Sede restituit, Benedictum Episcopum totius Synodi judicio exauctoratum secum abduxit in Saxoniam. Hæc Massonus & apud Massonum Frodoardus, qui Joannis XII. æqualis fuit, nec Concilii, quo Joannes vel Octavianus restitutus fuerit, meminit.

Papirium Massonum sequitur Dominicus Tempesta Romanus, qui anno MDXCVI. Romæ librum de vitis Pontificum edidit cum privilegio Clementis VIII. Expositam Romanæ Ecclesiæ traditionem ita retinet: *Joannes Alberici filius ex Comitibus Tusculanis è regione via lata, Octavianus antea vocatus, non virtute & sanctitate vitæ, sed patris potentia Othone imperante Pontificatum invasit. Hujus rei indignitate commoti duo Cardinales Othonem Augustum literis rogarunt, ut gregem Dei ab indigno Pastore vindicaret. Quod ut sensit Joannes,*
67 *eorum uni nasum, alteri manum scindi jussit. Otho Romam à Pontifice quàm honorificentissimè suscipitur, & ut quidam scribunt, coronatur. Imperator Joannem adhortatur, ut honestam vitam, & majestati Pontificia convenientem ageret. Quod hortationis officium cum sæpe frustra suscepisset, Romæ Concilium indicitur: Cujus judicii sententiam veritus Joannes flagitiorum suorum conscius in Hernicos aufugit, ubi diu latuit. Tunc Leo civis Romanus in ejus locum sufficitur, qui Othone ab urbe discedente ab affinibus Joannis è Pontificatu dejicitur, & Joannes revocatur. Hic statim interiit, & in æde Lateranensi sepultus est. Romani Benedictum in demortui locum crearunt, Othonem rogantes, ut ratum haberet. Quod ille indignatus, remoto Benedicto Leonem restituit.* Et paullo pòst:

Verum Pontificem Leonem esse, non Benedictum ex eo satis constat, quòd Imperator Romanis rogantibus, quemadmodum dictum est, ut pulso Joanne alium substitueret, respondit non sui juris esse, sed Cleri, populique Romani, ad se tantùm confirmationem pertinere. Romani Leonem Protoscriniarium è regione Clivi argentarii elegerunt. Quod cùm Imperator comprobasset, Romani tumultu iterum excitato, Leone ejecto, Benedictum decernunt. Quo iratus Imperator, ob inconstantiam Romanorum, eos armis coegit, Leonem antea electum recipere.

Succedit ὑψηλῶς Baronius, qui derivatæ ab initio traditionis cursum abrumpit; illatas Sigeberti Chronico ab impostore nugas, quæ suprà parenthesi & Italico charactere designantur, adhibet, ut factam fuisse à Joanne contra Leonem Synodum constituat. Fabulo-
68 sam additionem, nisi ea doloso servisset consilio, facilè potuisset deprehendere, cùm ex antiquiorum Sigeberto auctorum omnium silentio, tum ex eo quoque, quòd cum reliqua Sigeberti oratione pugnet. Nam Sigebertus Leonem ut legitimum agnoscit Pontificem, non Benedictum. Baronius contrà Benedictum, ut legitimum habet Pontificem, non Leonem. Quid est igitur illi cum Sigeberto hac in re commercii? Quid concordiæ? Excusari utcunque potest Baronius, quòd cùm ista scripsit nondum opinor Sigeberti Chronicon ad Monasterii Gemblacensis exemplaria recognitum ac recensum fuerat.

Porro fabulosam additionem, ni fallor, idem architectatus est, qui & Synodum: Hæc apud veteres nullum habet sui testimonium. Vincentius meminit quidem Synodi hujus, sed eam ut vidimus tanquam non legitimam rejicit. Profertur quidem ex Vaticano Codice, sed cujus ille sit ætatis, non animadvertit Baronius: Vetustum codicem non esse, indicium est sat magnum. Vetustatem ille prædicasset. De Codicis loco nihil est quod multum curemus, postquam Vaticani Codicis assertor scripsit annum DCIV. *Sed & exsecratione æquè insectanda sunt, quæ nomine Joannis & Petri, Diaconorum sancti Gregorii, in medium afferuntur ex Codice Vaticano scripta, quæ ob id recipienda simplices putant tanquam divinum oraculum: Quasi non omnis Bibliotheca referat similitudinem sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congregantis bonos & malos, continens libros probatos & improbatos, utiles & inanes semper amplexans, illos ut sequatur, rejiciat verò istos.* Quidquid in causa, Synodus hæc quæ à Joanne
69 contra Leonem facta esse dicitur, nobis objicit permulta, quibus suppositio illius confirmari potest.

I. *Anno Domini 964. domni Ottonis Imp. tertio Indict. VII: habitum est Concilium in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis 5. Calend. Martii, hoc est mense Februarii die 25. Indict.* VII. Explicatio hæc, *hoc est mense Februarii die 25.* recentioris est auctoris, qui hinc synchronismum affectavit, inde timuit, ne numerandi ratio isto *5. Calend. Martii*, per seipsa satis intelligeretur. Antiqui receptam usu numerandi per Calendas, Nonas, & Idus rationem ita non sunt interpretati. Quis nunc, *mense Februarii die 25.* in eodem orationis filo, *5. Calend. Martii*, interpretaretur?

II. Repetita fere continenter Indict. VII. meram sonat ταυτολογίαν, nisi quis fortè aliam atque aliam Indictionem in eodem & anno & mense aliquando viderit. Hoc scribendi vitium ad Ottonis I. ætatem minime pertinet.

III. *Positis in medio sacrosanctis Christi quatuor Evangeliis.* Affectatio & irrisio est in causa Joannis, qui ad Evangelicæ veritatis præscriptum vitam minime instituerat. Et sanè si Joannes XII. ex operibus suis cognoscendus sit, ut unumquemque cognoscendum esse Christus asserit, quis Joannem verè Christianum, vereque fidelem cognoscet?

Hieronymus Higuera è Societate Jesu Presbyter, qui Luitprandi opera castigatiora edidit, Joannem ut sicarium & pene paganum esse notat in capitum libri VI. inscriptionibus.

IV. *Præsidente piissimo & evangelico Domino Joanne Summo Pontifice sanctæ Romanæ Ecclesiæ duodecimo Papa. Præsidentibus etiam cum eo reverendissimis Episcopis.* Et post enumeratos Episcopos XVII. subjungit: *Seu vene-* 70
rabilibus Presbyteris. Et post enumeratos Presbyteros XII. subjungit: *Astantibus Diaconis, videlicet Benedicto Archidiacono, item Benedicto Diacono, Bonifilio Diacono, seu reliquis astantibus.* In hac igitur Synodo præsides sunt Episcopi XVII. & Presbyteri XII. Quis unquam in Synodo etiam Oecumenica tot numeravit præsides, quot in hac Synodo, quæ non est Oecumenica? Præsides numerantur cum Joanne Episcopi XVII. & Presbyteri XII. simul & unà ἐν ὁμάδι Præsides XXIX. Ludere & jocari voluit, qui Synodum istam fabricatus est. Hic pugnabit secum Baronius, si tueri Synodum istam pergat. Quid ita? In Synodo, quæ Joannem deposuit, loquendi modum longe minus incongruentem redarguit.

V. Si hac in Synodo præsides fuerunt XXIX. præter Diaconos quosdam, superfuerunt nulli quibus præsiderent. Quis unquam Synodum talem reperit? Ordinata ne esset castrorum acies, cujus milites pene omnes duces forent?

VI. In actione II. *Suspendatur ejus damnatio si placet usque ad tertium Concilium:* In actione III. *Joannes piissimus ac sanctissimus Papa dixit: Reverendissimi fratres Domino protegente jam ad tertium venimus Concilium.* Sic actio III. vocatur Concilium III. Et quia Concilium tribus constat actionibus, Concilius quoque tribus Concilium unum constare dicetur. Ad hoc quid respondebit Baronius, qui Synodum ubi Joannes abdicatus est, insimulat, quòd Calchedonensem Synodum imitata non sit? Quasi verò Synodus hæc, quam ille defendit, Calchedonensem imitetur? Profectò Calche-
donensis Synodus actionibus constat Sexdecim, nec ob 71
id dicta est quondam Synodis seu Conciliis constare Sexdecim. Quis nunc aspecto Baronio sibi temperet à risu vel lacrymis? Hic ipse sibi vocem elisit, redarguens Concilii, quod Joannem deposuit, Italicos quosdam idiotismos & locutiones, quas inter temporum detrimenta & annorum vices ætas minùs integra pepererat.

VII. In Præfatione: *Præsidente piissimo & evangelico Domino Joanne.* In actione I. *Joannes piissimus & sanctissimus S. R. E. Papa dixit.* In actione II. *Joannes piissimus atque benignissimus Papa dixit.* Et post alia: *Piissimus ac mitissimus Papa dixit.* In actione III. *Joannes piissimus ac sanctissimus Papa dixit.* Adjuncta & epitheta hæc omnia habito quidem ad Pontificium munus respectu convenire Joanni possunt, sed habito

ad

ad Joannis personam respectu convenire neutiquam
possunt. Concilii architectus perinde cavillari cum
Joanne voluit, ac si scripsisset: *castissimus & integerrimus
Joannes Papa dixit;* qui cum scortis scilicet volutabatur
perpetuò. *Sanctissimus & evangelicus* [illegible] *Joannes
dixit,* qui scilicet faciebat sacrum, nec sacri partem ca-
piebat ullam, qui Diaconos in equorum stabulo conse-
craverat, qui ordinationes Episcoporum numerata ven-
debat pecunia, qui annorum decem puerum Tuder-
tinæ Ecclesiæ antistitem creaverat. *Benignissimus &
mitissimus Joannes dixit;* qui scilicet Benedictum spiri-
tualem patrem suum oculis privavit, qui Joannem Sub-
diaconum Cardinalem virilibus amputatis occidit, qui
incendia non pauca fecit.

72 VIII. Episcopi sunt numero sex. Joannes Verulen-
sis, Joannes Anagniensis, Wido Candidæ Sylvæ, Jo-
annes Narniensis, Joannes Nepesinus, Gregorius Alba-
nensis. Cardinales seu Presbyteri, seu Diaconi sunt
numero tres, Theophylactus tit. S. Grysogoni, Ste-
phanus tit. S. Sabinæ, Benedictus tit. S. Sixti, qui om-
nes Romano Concilio anni DCCCCLXIII. ubi Joannes
Papa deponitur, & Romano Concilio anni DCCCCLXIV.
ubi Joannes restituitur, subscribunt. Et quamvis hoc
absolutè fieri potuerit, & omninò repugnet nihil, (sic
agendum est per formales argutias) quis tamen ita
factum esse crederet, præsertim, cùm ne unus quidem
ex illis omnibus, qui utrique subscribunt Concilio, ra-
tionem reddat, cur qui priori subscribunt Concilio,
posteriori subscribant? Quis in animum induceret suum,
tot Episcopos & Cardinales ratione nulla reddita Joan-
nem anno DCCCCLXIV. Sedi restituisse Apostolicæ,
de qua Joannem eundem anno superiori deturbave-
rant? Intoleranda esset sententiæ istiusmodi mutatio,
cujus ratio nulla redderetur. Cùm posteriori subscri-
bunt Concilio, perinde subscribunt, ac si priori minimè
subscripsissent, & anno DCCCCLXIV. ignorassent pe-
nitus, quæ anno DCCCCLXIII. magna & plurima cum
deliberatione fecerant. Quis inquam hoc in animum
induceret suum? Sed ante omnia ponderandum est
Joannis Narniensis Episcopi silentium, postquam ille
vehementis accusatoris personam in Romano Concilio
priori gesserat. Hoc si voluisset observare Baronius,
Romanum Concilium istud ut falsum & suppositum re-
jecisset. Sed ille vix inquirebat in monumenta, qui-
bus affirmari poterat, Romanum antistitem Ecclesi-
73 asticis canonibus subjectum non esse, & huic eam, quæ
supra sacros canones est, potentiam simpliciter con-
venire, Commune Romanæ Curiæ vitium est, quo Baro-
nius per omne vitæ tempus & per omnes annales suos
maximè laboravit.

IX. Joannes Papa infinitorum criminum accusatus
fuerat, & quia quæ palam nota sunt probatione non in-
digent, peractus reus fuerat: & tamen de nullo crimine
se purgat, tantùm abest ut se de omnibus aut certè de
plerisque se purgaverit. De Leone sibi substituto que-
ritur, & objecta sibi & probata crimina non diluit, aut
ut falsò imposita repellit. Non repellens vel non dilu-
ens consentit, & consentiens eo in statu Synodum fa-
cere jure qui potuit? aut de facienda Synodo cogitare?
quis unquam agendi modum similem vidit? Imperitè
omninò & per ludibrium confecta est Synodus hæc,
quam Baronius è tenebris eruit, & obtrudit, dignam
prorsus, quæ easdem in tenebras retrudatur.

X. Luitprandus Italus, Flodoardus Gallus, & Reginonis
Continuator Germanus, rei gestæ æquales rem contra Ba-
ronium decernunt: Concilium, quod Joannem XII. depo-
suit, non appellant Conciliabulum, sed Concilium, quo no-
mine Episcoporum conventus reliqui vocantur: Non me-
minerunt Concilii, quod Joannem restituerit, quia Con-
cilium hujusmodi factum est nullum: Leonem Joannis
successorem dixerunt, non schismaticum, non Pseudopon-
tificem. Dixissent si vere affirmatéq; dici potuisset. Hoc
74 unicum observasse, Baronii molitione cunctas destrux-
isse est. Nunc ut de Baronii mente quod sentio, ingenuè
dicam, nesciò utrum ante Baronium reperies scriptorem
nominis alicujus ullum, qui Romanum illud Concilium à
quo depositus est Joannes, & in ejus locum substitutus
Leo, Conciliabulum, & Leonem schismaticum appel-
larit. Baronius vituperandum esse duxit Concilium,
quod Centuriatores laudaverant, & quia laudaverant.
Hæc privata sunt studia, quæ veritatem obscurare pos-
sunt, illustrare non possunt. Ille ignorare vix potuit,
reprehensum olim à nemine fuisse Concilium, à pleris-
que fuisse laudatum & in auctoritatem admissum. Quid
repetam Cardinalem Turrecrematam, qui amplificandæ
supra modum Pontificiæ potestatis viam Curialibus
magistris aperuit? quid Victoriam? quid Cardinales
Clementem Monilianum, & Michaelem Alexandrinum?
quid cæteros? Ignorare quoque vix potuit quid de Jo-
anne XII. Luitprandus aut ejus Continuator oculatus
testis, Reginonis Continuator, Adamus Bremensis, Ano-
nymus scriptor, qui Farsensis Monasterii Chronicam
excerpsit, Sigebertus ad Gemblacensis cœnobii exem-
plaria recensus, Martinus Polonus, Vincentius Bello-
vacensis, Blondus, Pius II. Platina, Bergomas, Sche-
delius, Tritemius, Massæus, Onuphrius, Massonus, &
apud Massonum Saxonica Poetria, Cedrenus, Curopa-
lates, Tempesta.

Ad hæc Baronius suppositum Concilium illud, quo
revocatus est Joannes XII. fugato Leone, tuetur con-
tra regulam hanc suam: *Quod à recentiore auctore de
rebus adeò antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate pro-
fertur, contemnitur;* Si tamen dicendus sit auctor, qui
Sigeberti Chronologiam insertis narrationibus falsis 75
corrupit; qui Vincentio, nonnullisque aliis imposuit,
atque ipsimet Baronio, qui fortassis imponi sibi voluit,
ut quæ Sigeberti non sunt, Sigeberto tribuat ad confir-
mandum Concilium, quod nusquam fuit, & ad colo-
randa mendacia, quæ Concilio tali superstruuntur.

Baronium in retinendo hoc Concilio, & in rejicien-
do altero sequuntur auctores decepti, vel certè minùs
sinceri, creduli, & velint nolint, taciti vitæ & morum
Joannis XII. fautores, & adulatricis Curiæ mancipia;
Severinus Binius in Conciliorum tomi III. part. II.
Jacobus Gretserus in lib. II. contra Replicatorem
cap. XVI. & in Mysterii Plesseani examine cap. XLII.
Franciscus Coriolanus in Summa Conciliorum, Gre-
gorius Rivesius in brevi historia Conciliorum, & qui-
dam alii, qui omnes Romanum Concilium à quo depo-
situs est Joannes, & in ejus locum suffectus Leo, Conci-
liabulum appellarunt, non quòd sit olim appellatum
invenerint: sed quòd Romanum Concilium nomina-
rant Concilium, & laudarunt Centuriatores, Melchior
Goldastus & Philippus Mornæus secuti bene Catholicos
auctores, Luitprandum, Flodoardum, Reginonis Con-
tinuatorem, Adamum Bremensem Canonicum, Sige-
bertum, Vincentium Bellovacensem, Joannem Turre-
crematam Cardinalem, Blondum Eugenii Papæ IV.
Amanuensem, Pium II. Platinam, Jacobum Philippum
Bergomatem, Joannem Tritemium, Christianum Mas-
sæum, Franciscum Victoriam, Clementem Monilianum
Cardinalem, Michaelem Alexandrinum Cardinalem
Moniliani operum approbatorem, Pium deinceps V.
Pontificem, Onuphrium Panvinium, Papirium Massonum, 76
Dominicum Tempestam Romanum, cujus opus Clemen-
tis VIII. privilegio munitum Romæ in lucem prodiit.

Si crimen est Scriptoribus, qui seorsum à nobis per
religionem sentiunt, nominare & laudare Concilium,
quod ante se Catholici plures nominarunt & laudarunt
ut Concilium, non verò rejecerunt ut Conciliabulum,
crimen erit majus in Stephano Papa martyre, qui dum
collatum ab hæreticis baptismum adversus Cypria-
num defendit, defensionem suam hæreticorum ipsorum
disciplina & ritu confirmat, ad Africanos scribens:
*Siquis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil inno-
vetur, nisi* (fortè in id) *quod traditum est, ut manus illi
imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alteru-
trum ad se venientes non baptizent, sed communicent tan-
tùm.*

tùm. Si reprehendendus non est Catholicus opinor Pontifex, quod hæreticorum exequatur factum, quomodo reprehendendi erunt hæretici, dum aliqua in re Catholicos auctores sequuntur? Sic usu venire solet, ut dum suffragium nostrum invidemus adversariis, denegemus illud veritati.

Sed vexare non cessant Concilium, quod in eo Romani dicantur Pontifices, qui Sedis Apostolicæ vel Romanæ Ecclesiæ Pontifices non erant. Sed in Luitprandi operum editione, quam Hieronymus Higvera è Societate Jesu, & Andreas Quercetanus curarunt, quinam sint illi Romani Pontifices, Concilium ipsum seu acta Concilii sic explicant: *Tunc Romani Pontifices, Episcopi scilicet suffraganei, & Cardinales Presbyteri,* &c. *dixerunt.* Iterum ad finem: *Adhuc Romani Pontifices,*
77 *suffraganei scilicet Episcopi,* &c. *dixerunt.* Editionem hanc non viderunt correctiorem prima, quam ut Baronium sequerer, secutus sum; & ubi desideratur illa explicatio, quæ etiamsi desideraretur, facile suppleri potuit. Ut ego antè supplevi exponendo Concilium, ut Concilium in secunda editione sui seipsum exponit.

Igitur cùm Concilium vel acta Concilii se ita, ut retulimus, interpretentur; quæ, amabo te, tanta est vexandi Concilii ratio? Nonne unicuique ætati suus semper fuit & rectè & minùs rectè scribendi modus, qui narrationi rerum ut veritatem non tribuit, ita & non adimit? Eleganter omnino & scitè Plinius Junior in libri v. epistola VIII. ad Capitonem: *Orationi,* inquit, *& carmini est parva gratia, nisi eloquentia sit summa: Historia quoquo modo scripta delectat.* Romanum nostrum Concilium ad historiam pertinet, non ad specimen eloquentiæ. Sed hîc egregiè cordatum se prodit Baronius, cùm explicatam (quod sufficeret) locutionem arguit, quam ad annum DXCIII. in vindicato utcunque à se Monasterii sancti Medardi Suessionensis privilegio non arguit, tametsi neutiquam explicetur in privilegio. Sic ibi se res habet: *Auctoritate Divina vice beati Petri Apostolorum Principis, consensu omnium Romanorum Pontificum decernimus.* Ad hoc quid dicturi sunt Baronius & Baronii sectatores, non video.

Porro autem ex verbis istis aliàs falsi dicam scripsi privilegio Sammedardensi, quòd locutio hæc sit longè posteriorum Gregorio Papa I. sæculorum, in quibus Romani Pontifices vel Episcopi vocati sunt, qui Romanæ provinciæ antistites erant. Beati Bernardi tem-
78 pore sic invaluerat, ut qui Romanæ provinciæ præsules erant, in illius epistolis Romanæ Curiæ Episcopi perinde nuncupentur, quasi sonarent idem Romana Curia & Romana provincia. Nunc Baronius Bernardi epistolas disperdat, si velit. Et quia quibusdam abhinc sæculis Romani Pontifices soli dicuntur Papæ, disperdat quoque veterum Patrum scripta, in quibus ut Romani, sic & reliqui antistites vocantur Papæ.

Non ignorabat profectò Baronius quæ animadvertimus, sed tergiversabatur, & recentibus Curiæ placitis serviebat. Atque hoc pacto admittebat Monasterii beati Medardi privilegium, etiamsi Gregorio subjectam esse apprimè calleret: Romanum quoque nostrum rejiciebat Concilium, ut non legitimum, tametsi legitimum esset. Baronium, seu Curia in qua versabatur, seu natura talem finxerat.

Præterea Baronius & sectatores illius Leonem nominant schismaticum, quamvis ex Scriptoribus antiquis nullus sit, quem ducem habeant. Sed quod mireris, Baronius in Romano Martyrologio & in Ecclesiasticis Annalibus secum pugnat: In Martyrologio quidem, cùm ibi ad XIII. Calend. Maii, ponitur, *Romæ sancti Leonis noni, virtutum & miraculorum laude insignis,* quia si Leo octavus non est verus Papa, sed schismaticus, hic Leo sanctus octavus dici debuit, non nonus. In Annalibus verò, cùm ibi hic quoque sanctus Leo nonus dicitur, non octavus.

Baronius & alii pro argumento sibi sumunt, quod in quæstione (si ulla tamen potest esse quæstio) vertitur. Et quia Joannes multa patravit contra Decalogum, Evangelium, Concilia, & sacros Canones, incon- 79 gruentis disciplinæ magistri Joannem supra Decalogum, Evangelium, Concilia, & sacros Canones attollunt, rati hac se via ad consentiendum sibi facilè perductum eos iri, qui propria, non communi utilitate ducuntur, & adulatricis Curiæ corruptelarum illecebris irretiri se sinunt. At quorsum tergiversationes hujusmodi? Nempe ut Romanus Pontifex vivat, quomodo voluerit, & subditus non sit matri suæ Ecclesiæ, vel Concilio, ubi Christiani nominis repræsentatio celebraretur. O consilium religioni sanctæ apertè infensum, & Sedis Apostolicæ traditioni crudeliter inimicum!

Cæterum ex illorum, qui temere & cæco impetu sequuntur Baronium, numero eximendus mihi videtur Dionysius Petavius, dum in Rationario temporum part. I. lib. VIII. cap XIV. scribit: *Joannes, qui Alberico patre natus, Octavianus ante dicebatur, ab Othone desciscens, Adalbertum Berengarii filium Romam evocavit: Contra quos Otho reversus cum exercitu fugatis ambobus, Conventum Episcoporum Romæ celebravit, in quo Joanni Pontificatus abrogatur, eique suffectus est Leo, anno 963. Rursus anno sequenti Romanos de improviso irruentes magna eorum cæde compescuit. Joanne inter hæc Papa mortuo, eid. Maii 964. ab iisdem Romanis subrogatus est Benedictus, quem Otho gradu dejectum secum in Germaniam abripuit.* Conventum Episcoporum dixit, non conventiculum aut Conciliabulum. De Joanne per Synodum restituto nihil tradit. Leonem Pontificem legitimum agnoscit, non Benedictum. Quæ apud corruptum Sigebertum designavimus ad inductionem, & quæ Baronius de hoc & alio Concilio solicitiùs observat, neglexit ille potiùs, quàm non vidit. Animadver- 80 siones Baronii repudiavit ut invalidas, & suo silentio compressit.

Bellarminus Concilio huic quod Joannem XII. de sua Sede dejecit, nec benedixit, nec maledixit. Nam illud nec inter reprobata, nec inter partim confirmata & partim reprobata Concilia reponit. Videtur utcunque tacitus benedicere, cùm utilitates Conciliorum & caussas disquirit. Quartam assignat, inemendabilem Romani antistitis pravitatem, qualis verbi gratia in Joanne XII. fuit. Bellarminus, si Joannis hujus vitam probè novisset, cum Joanne Turrecremata, Clemente Monlinno, & Michaele Alexandrino Cardinalibus benedixisset Concilio, quod ejusmodi monstrum à sancta Sede amandavit procul, & acerbum, horribilem, ac miserum illius interitum deplorasset. Hominem vidisset præsentis vitæ portentum, futuri sæculi dedecus, terribile divini judicii exemplum, Diabolicæ impudentiæ ludibrium, & pabulum incendii perpetuò duraturi.

In exempli hujus recensione paullo sum longior, non abnuo: sed idoneam causam accipe. Confirmandum inprimis mihi fuit, verum ac legitimum esse Concilium, quod Joannem XII. deposuit, falsum verò & subdititium esse Concilium, quo Joannes restitutus fuisse dicitur. Hoc autem paucis fieri non potuit. Auctorum & sæculorum omnium, quæ ab anno DCCCCLXIII. usque ad tempus Baronii decurrerunt, traditio apertam in lucem edenda fuit, eáque suis absoluta numeris paginas complures non potuit non implere. Tum diluendæ etiam fuerunt rationes, quibus illustris Ecclesiasticorum Annalium conditor in verum 81 & legitimum Concilium invadit. Postremò quod falsum & subdititium est Concilium, id quibusdam argumentis demonstrare oportuit.

Asserto igitur Concilio, quod verum & legitimum est, & rejecto, quod falsum & subdititium, certa extat eminétque potestas matris Ecclesiæ supra Pontifices, qui cùm vitiosi sunt & in fidelium offensionem cadunt,

Joannis

Joannis instar, noldnt corrigi nec ad frugem meliorem redire.

Tertium supereſt exemplum, quod ex Lateranenſi Concilio Epiſcoporum plus minus centum repetitur. Concilium hoc anno MCXII. celebratum Paſchalem II. correxit, ſed mitiùs correxit, quia propter Eccleſiæ bonum corrigi voluit, ut ex his illius verbis apparet: *Porro ſcriptum illud* (de inveſtituris) *quod magnis neceſſitatibus coactus, non pro vita mea, non pro ſalute aut gloria, ſed pro ſolis Eccleſia neceſſitatibus ſine fratrum conſilio, aut ſubſcriptionibus feci, ſuper quo nulla conditione, nulla promiſſione conſtringimur; Sicut pravè factum cognoſco, ita pravè factum confiteor, & omnino corrigi Deo præſtante deſidero. Cujus correctionis modum fratrum, qui convenerunt, conſilio judicióque conſtituo, ne fortè per hoc impoſterum detrimentum aliquod Eccleſia, aut animæ meæ præjudicium relinquatur. Tunc enim communi omnium favore laudatum eſt, ut fratres omnes, qui donum à Deo ſapientia ſcientiæque perceperant, maturius ſuper hoc Concilium communi collatione ſuſciperent, quid ſequenti die per inſpirationem Spiritus Sancti reſponderent. Die itaque ſexta, quæ & ultima Concilii fuit, fidei ſuæ*
82 *veritatem ſanctis Patribus per omnia congruentem Dominus Papa Paſchalis in audientia Concilii totius expoſuit, aſſerens ſe Scripturas ſanctas veteris & novi Teſtamenti, & Concilia univerſalia veneranda ſuſcipere ac venerari, quæ Catholica Eccleſia ſuſcipit & veneratur ita dicendo: Amplector omnem divinam Scripturam, ſcilicet veteris & novi Teſtamenti, Legem ſcriptam à Moyſe & à ſanctis Prophetis: Amplector quatuor Evangelia, ſeptem Epiſtolas canonicas, & Epiſtolas glorioſi Doctoris beati Pauli Apoſtoli, ſanctos Canones Apoſtolorum, quatuor univerſalia Concilia, ſicut quatuor Evangelia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Calchedonenſe, decreta ſanctorum Patrum Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorii; & beatæ memoriæ Papæ Urbani. Quæ ipſi laudaverunt, laudo, quæ ipſi tenuerunt, teneo, quæ confirmaverunt, confirmo, quæ damnaverunt, damno, quæ repulerunt, repello, quæ interdixerunt, interdico, quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus & per omnia, & in his ſemper perſeverabo.*

In calce autem hujus profeſſionis ex ore omnium, qui ad conſulendum heſterna deliberatione convenerunt, Engoliſmenſis Epiſcopus Gerardus hanc in ſcriptis ſententiam recitavit. Privilegium illud, quod non eſt privilegium (neque enim dici debet privilegium ſed pravilegium) pro libertate captivorum & Eccleſia à Domino Papa Paſcali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in hoc ſancto Concilio cum eodem Domino Papa congregati canonica cenſura & Eccleſiaſtica auctoritate judicio ſancti Spiritus damnamus, & irritum eſſe judicamus, atque omnino caſſamus.

83 Hic intelligis opinor Paſcalem matrem ac dominam agnoſcere Eccleſiam, quæ per Lateranenſe Concilium hoc exprimitur. Non vides modò ſed etiam veluti manu tangis Pontificem, qui ſe maternæ correctioni ſubjicit; nec ſe ſubjiceret, niſi erraſſet. At erraſſe ſe ultro fatetur: *Quia*, inquit, *ſicut pravè factum agnoſco, ita pravè factum confiteor, & omnino corrigi Deo præſtante deſidero. Cujus correctionis modum fratrum qui convenerunt, judicio conſilióque conſtituo.* Correctus atque emendatus eſt, & correctores emendatoréſque ſenſit Epiſcopos, qui Romæ Concilium habuerunt, qui Paſcalis matrem ac dominam Eccleſiam repræſentarunt, qui non accepta à Paſcali auctoritate, ſed ſancti Spiritus judicio conceſſum ab illo Pontifice privilegium reſignarunt, diſſolverunt, abrogarunt.

Paſcalis errorem multo antè deprehenderant Gallicani antiſtites, qui Viennæ in Synodum coiverant. Qua de re ſic ad Paſcalem ſcribunt: *Domino ſancto & dulciſſimo Patri Paſcali, Guido Viennenſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, & cæteri omnes Epiſcopi & Abbates, qui Viennenſi affuimus Concilio, debitam ſubjectionem & obedientiam. Sanctæ pietatis veſtræ mandata ſequentes apud Viennam convenimus, ibique cooperante gratia Spiritus Sancti, de inveſtituris, de captione veſtra & veſtrorum, de perjuriis Regis* (Henrici V.) *de pacto illo & privilegio, quod à veſtra majeſtate violenter extorſit, tractare diligenter curavimus.* Et quibuſdam interpoſitis: *Igitur dictante Sancto Spiritu inveſtituram omnem de manu laica hæreſim eſſe judicavimus; Scriptum illud, quod Rex à veſtra ſimplicitate extorſit, damnavimus: Et nunc Domne Pater, veſtram, ſicut dictum eſt, Majeſtatem ſuppliciter exoramus, ut quod pro ſancta* 84
Catholicæ fidei robore, pro Deo & veſtro honore fecimus, auctoritate Apoſtolica ſolemniter confirmetis. Cujus confirmationis argumentum per apertas nobis literas ſignificare dignemini, quas etiam ut gaudium noſtrum ſit plenum, alter alteri deſtinare poſſimus. Et paullò pòſt: *Illud autem cum debita reverentia veſtræ ſuggerimus pietati, quod ſi nobiſcum in his ſteteritis, ſi hoc ſicut rogamus, confirmaveritis, ſi deinceps ab illius crudeliſſimi tyranni & nunciorum ejus literis, locutione, muneribus abſtinueritis, unanimiter nos ſicut decet habebitis filios & fideles: Si verò quod minimè credimus, aliam viam aggredi cœperitis, & noſtræ paternitatis aſſertiones prædictas roborare nolueritis, propitius ſit nobis, quia nos à veſtra ſubjectione & obedientia repelletis. Anno Incarnationis Domini M. C. Indict. V. XVII. Calend. Octobris.*

Concilium hoc Viennæ celebratum eſt. Paſchalis, quod Viennenſe Concilium voluerunt ab illo confirmari, confirmavit. Et quia non errandi privilegium non vindicabat ſibi, ſeque Eccleſiæ ſubjectum eſſe noverat, propriæ infirmitatis conſcius, minacium literarum clauſulam patienter accepit & tulit. Sed quod mirere, Viennenſi Concilio præſedit Guido Viennenſis Epiſcopus, & Sedis Apoſtolicæ Legatus; qui poſtea Romanam ad Eccleſiam acceſſit, & Calixti II. nomen aſſumpſit. Qui verò diceret, Guidonem, ut Romanus optaretur Epiſcopus quidquid ſub finem epiſtolæ præſcribitur, revocaſſe, hiſtoriæ leges contemneret, & impudentiſſimè mentiretur. Quid ita? nullus revocationi fuit locus; ſeu quia Concilium revocatione dignum nihil fecerat, ſeu quia Paſcalis Concilio morem geſ- 85
ſerat, & hocce pacto Concilium & Concilii decretum confirmaverat.

Tu verò, Maræſi, quidquid iſtud eſt, animo facile complecteris, & quæ mihi non ſuppetunt, ſi judices neceſſaria, adjicies: Et inter ea, quæ mihi ſuppetunt, ſi quædam ſint minùs neceſſaria, detrahes, & memineris me ſemper velle corrigi: Id eſt, Paſcalem Romanum Pontificem imitari. Vale. Lutetiæ Pariſiorum pridie Calend. Novembris ann. MDCLXV.

Joan-

Joannes Launoius

FRANCISCO BONO.

Ruellium.

1 INCIDISSE te dicis in homines, qui vinci quidem possunt sine controversia, sed suaderi non possunt, quia nolunt, circa ea, quæ ad Conciliorum supra Romanum Episcopum auctoritatem pertinent. De hominum istorum genere quereris, quòd ne suaderi possint, immo ne videantur suaderi posse, odorantur omnia, ut populare ac plausibile argumentum reperiant; eóque & propriæ illudant conscientiæ, & veritatis assertores in odium atque invidiam adducant. Non accuso te, quòd queraris, quia justè quereris, sed accuso te, quòd vitilitigatores audias, qui vafrè & malitiosè funem contentionis ducunt, qui inusitatas indagant vias, & tritas relinquunt, ne inveniant, quod inventum singulari amore suscipiendum esset. Verùm audiendos esse pugnas, & scriptura docente, *respondendum esse stulto secundùm stultitiam ejus, ne sibi sapiens videatur*: Bene mones. Quid igitur adferunt? Rationem, inquis, ex sæculi principibus, ex sæcularium regnorum statu & ordine petitam, qua insidiosam comparationem instituunt. Hanc capio: vicissim illi capiant quod Tertullianus vir & legum & institutionum Romanarum peritissimus scribit in libri de Corona capite XIII. *Omnia imaginaria in sæculo, & nihil veri.* Et quamvis ad intercludendam litigiosorum hominum tergiversationem quamlibet paucula hæc
2 sint satis superque, nihilominus tamen efficiam, ut quia Christiani & esse & videri cupiunt, Christianorum omnium magister illos dedoceat, cùm in Evangelio discrimen inter Ecclesiam & reges gentium constituit, aut certè constitutum agnoscit. Ergo discant, quod magister ille, qui nec falli potest, nec fallere, apud Matthæum tradit in capite XX.

Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum; & qui majores sunt, potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos: Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.

Deinde apud Marcum in capite X. *Et audientes decem, indignati sunt de Jacobo & Joanne. Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari Gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister, & quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam & filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret.*

Tum apud Lucam in capite XXII. *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major*
3 *est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit?* Locorum Evangelii ubique apertam in lucem produntur insidiæ, quæ per institutam inter gentium reges & Romanum Episcopum, inter Concilia & sæculares status comparationem struuntur. Ut Ecclesia præceptis Christi, documentis Apostolorum & sacris Conciliorum canonibus regitur, & suis tandem limitibus circumscribitur: Sic & regna gentium propriis quoque legibus, centuriatis comitiis, communi omnium ordinum consilio temperantur, & suis tandem finibus constringuntur. Itaque cùm auctore Christo diversa sit regni mundani & regni Evangelici ratio, contentiosi homines, de quibus loqueris, desinant uti ea comparatione, qua Christi auctoritati & doctrinæ adversarentur, & Ecclesiasticam veritatem pessundarent. Sed nisi desinant, & de comparatione sua rixari pergant, tu illis cum Tertulliano in libri de præscriptione hæreticorum capite VIII. poteris dicere: *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post evangelium.*

In promptu sit hoc effati genus, quod antè ex Paulo sic præmunierat. *Videte ne quis vos circumveniat per Philosophiam & inanem seductionem, secundùm hominum traditionem, præter providentiam Spiritûs Sancti: Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam, affectatricem & interpolatricem veritatis, de congressibus noverat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis, quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.*

Verumenimverò placet tecum agere copiosiùs, non 4
ex sanctorum Patrum testimoniis, tanquam ex jure Ecclesiastico, quia mecum sentis, sed de sanctis Patribus, qui cùm se tulit occasio, communi causæ servierunt, & contentiosos homines, qui de sæculo opportunitatem nescio quam trahere conantur, longè ac latè propulsarunt.

Primus nobis sit Osius Corduhiensis Episcopus in Epistol. ad Constantium: *Tibi*, inquit, *Deus Imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit: Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes.* Cùm Osius disputationem hanc instituit, sic affectus est, ut nunquam pateretur eam inter regni & Sacerdotii negotia comparationem fieri, quæ inde veritatem inobscurare, inde veritatis amantibus invidiam conflare tibi meritò visa est.

Secundus non unus tantùm, sed pro uno plures habiti sanctissimi Præsules, qui apud Athanasium in Epistola ad Solitarios sic loquuntur: *Hos ad se vocatos jussit Imperator, ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent: Quibus admirantibus novum ejus studium, dicentibúsque id non esse Ecclesiastici canonis, statim subjecit: At quod ego volo, pro canone sit. Ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent: Aut igitur obtemperate, aut vos quoque exules estote. Id cùm audivissent Episcopi, magnopere admirantes, & ad Deum manus tendentes, multa cum libertate illi suas rationes* 5
proposuerunt, docentes regnum non ipsius esse, sed Dei, à quo acceperat, eúmque metuendum, ne illud quod dederat, derepentè adimeret. Denunciabant illi diem judicii, suadebántque, ne Ecclesiastica corrumperet, neve Romanum Imperium Ecclesiasticis constitutionibus immisceret. Et primùm quidem antistites non faciunt, nec facere

 volunt

volunt quidquam, nisi quod Ecclesiastici canonis est, Imperator verò facit, quod Ecclesiastici non est canonis. Imperatori lex est sua ipsius voluntas & arbitrium: Deinde Imperatorem rogant antistites, ne quæ sunt Ecclesiæ, sæculari modo corrumpat, & profana sacris immisceat. Nonne rerum momenta duo hæc invictam contra perversos disputatores rationem nobis suppeditant?

Tertius Joannes Chrysostomus in homilia LXVI. super caput XX. Matthæi: *Qui primatum quærunt, sibi ipsi dedecori sunt, ignorantes se hoc pacto in infimum detrudere: Non enim externis similia nostra sunt. Nam apud gentes, qui Principes sunt, ipsi dominantur, apud nos autem, qui ultimus est, ipse summa tenet.* Jam facilè perspicis, in sancti Doctoris hujus schola nunquam formatum iri argumentum illud, quod à litigiosis hominibus formatum audivisti.

Quartus Hieronymus in Epistola XXX. ad Oceanum: *Aliæ sunt*, inquit, *leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit.* Ecce tibi solutionem ductæ ab odiosa similitudine rationis! Ecce solutionem, quam magister Ecclesiarum porrigit! Quis verò aptè rejiciet? Illa e visceribus causæ, ex utriusque
6 potestatis Ecclesiasticæ & sæcularis natura quæritur.

Quintus Augustinus alter Ecclesiarum magister in Epist. CLX. ad Apringium Judicem: *De vobis quidem dixisse Apostolum legimus, quòd non sine causa gladium geratis, & ministri Dei sitis vindices in eos, qui malè agunt: Sed alia causa est provinciæ, alia est Ecclesiæ: illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* Augustinus inter provinciæ & Ecclesiæ rationem discrimen adfert luculentissimum, quod tu cùm in Doctoris sancti doctrina versatus sis, non ignoras: Et nemo est tam hebes in plebecula, qui eo uti non possit, & se ab impetitione omni defendere.

Sextus est Leo I. in Epistolæ LIV. ad Martianum Imp. capite III. *Habeat, sicut optamus, Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia divinarum. Nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio.* Perspicacis prudentiæ vir occurrit argutiis, in quibus qui tergiversantur, præsidium suum omne collocant. Disparem rationem assignat, & in ea quidquid est argutiarum dissipatur.

Septimus Apollinaris Sidonius in libri IV. Epistola XIV. ad Polemium: *Noveris volo, non ut est apud Præsulem fieri, sic esse apud judicem mundi. Namque ut is, qui propriè vobis non tacuerit flagitia, damnatur; ita nobiscum, qui eadem Deo fuerit confessus, absolvitur.* Cùm igitur alia sit ratio rerum sæcularium, alia rerum divinarum, quid est quæso, cur nonnulli velint utramque rationem perturbare & confundere, nisi (quod nimis
7 manifestum est) ut ex perturbatione & confusione tali Ecclesiæ & Conciliorum decreta subvertant?

Octavus est Gelasius I. in Epistola VIII. seu in tractatu, cui deest principium: *Non est quidem nostræ humilitatis de totius orbis dissensione ferre sententiam: Est tamen nostrum de propria salute esse sollicitos, quoniam unusquisque pro se rationem redditurus est, ante illud tribunal judicis & regis æterni, in quo etiam de verbo otioso, minimèque quadrante sumus nostrorum rationem actuum præstituri. Unde & optamus qualiacunque & quantacunque super nos importaverit inimicus, tolerare discrimina in sæculo præsenti, tantùm ne causas incurramus mortis æternæ.* Hæc in Gelasio scribendi ingenuitas demonstrat quærendam non esse Romano Pontifici è seculi Principibus comparationem, qua suam auctoritatem tueatur. Intelligebat vir prudens eam propriis non alienis finibus & principiis æstimandam esse. Et illuc spectat, cùm ad Imperatorem Anastasium ita scribit: *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regia potestas.* Et quibusdam interpositis: *Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium sibi supernâ dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ: Quo rogo te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus attributi sunt mysteriis?* Gelasii schola plurimùm abhorret à magistris politicis, qui Ecclesiastica permiscent sæcularibus, ut Romanum Pontificem à sacrorum canonum & Conciliorum subjectione liberum atque immunem efficiant.

Nonus Gregorius Magnus, qui ne se privatorum 8
correctioni, Sedis Apostolicæ traditione, Ecclesiæ & Conciliorum canonibus subjiceret, futuram in eodem vel simili casu Imperatoris dejectionem prætexuit: Singillatim ostendenda sunt tria hæc, quorum primum habetur in libri II. Indict. X. Epistola XXXVII. ad Natalem Salonitanum Episcopum. *Convivia autem communia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt rectè Sanctitas vestra in suis Epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis nullâ absentium vita morditur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec inanes in eis sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur, cùm non plus quàm necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque si vos in vestris conviviis agitis, abstinentium fateor magistri estis. Quod ergo Pauli Apostoli testimonium ad me posuistis, in quo ait: Qui non manducat, manducantem non judicet, omnino existimo incongruum fuisse, quia neque ego non comedo, neque ad hoc à Paulo dictum est, ut membra Christi, quæ in ejus corpore, id est, in Ecclesia invicem sibi charitatis compage connexa sunt, nullam de se ullo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, jure tacere compellerer, ut eum non reprehenderem, quem emendare non possem. Hæc ergo sententia solummodo propter eos dicta est, qui illos judicare student, quorum sibi cura commissa non est. At postquam nos auctore Deo unum sumus, si ea, quæ nobis corrigenda sunt, tacemus, valde delinquimus. Ecce fraternitas ægrè tulit, se de conviviis à me 9
esse reprehensam, cùm ego, qui hanc etsi non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim: Et hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam ante apparitionem districti judicis meas maculas mentis tergo.*

Hoc in loco Gregorius Natalem ita reprehendit, ut reprehensioni pari obnoxium se esse significet; tantùm abest, ut pugnet se posse alios reprehendere, se verò reprehendi non posse, & istud politicis confirmet rationibus, quæ quo validiores sint, & invidiosiores, ad Imperii Romani comitiorum jura, & ad commovendum Imperatoris statum, & incutiendum ei timorem pertineant.

Alterum in libri III. Epistola XXX. ad Constantinam Augustam: *Serenitas vestræ pietatis, religionis studio, & sanctitatis amore conspicua, propter eam, quæ in honorem sancti Pauli Apostoli in Palatio ædificatur, Ecclesiam, caput ejusdem sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius, suis ad se jussionibus à me præcipit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram ergà me amplius potuissem gratiam provocare, major me mæstitia tenuit, quod illa præcipitis, quæ facere nec possum nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli Apostolorum tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus beati Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore fere quindecim pedum spatio mutare voluit, signum ei non parvi terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad 10
sacratissimum corpus sancti Pauli Apostoli meliorare volui, & quia necesse erat, ut juxta sepulchrum hujusmodi effodi altiùs debuisset, præpositus loci ipsius ossa aliqua non*

quidem

quidem eidem sepulchro conjuncta reperit. Quæ quoniam levare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis subita morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus itidem ad corpus sancti Laurentii martyris, quædam meliorare desiderans, dum nescitur, ubi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subitò sepulchrum ipsius ignoranter apertum est, & ii, qui præsentes erant atque laborabant, monachi & mansionarii, quia corpus ejusdem martyris viderunt, quod quidem minimè tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus vita superesse potuisset, qui sanctum & justum corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quandò Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tanta per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Et paullo pòst: *In Romanis vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est, atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisque fortasse voluerit, quod si præsumpserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.* Et paullo post: *Quis ergo nunc serenissima Domina tam temerarius possit existere, ut hæc sciens eorum corpora non*
11 *dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi à vobis præcepta sunt, de quibus parere nullatenus possem, quantum invenio, non vestrum est; Sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent, & propterea quæsiverunt capitulum, de quo vobis quasi inobediens invenirer. Sed in omnipotenti Domino confido, quia nullo modo benignissimæ voluntati surripitur, & sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & animo diligitis, non ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habebitis.* Non dicit se Romanæ Ecclesiæ consuetudini & traditioni subjectum non esse; neque ut subjectionem illam excutiat, Imperialem dignitatem advocat, quæ politicis Romanæ urbis constitutionibus non subjaceat: Libenter & sincero animo fatetur se traditioni hujusmodi subjectum esse, ut pronuntiet; *Illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo*; & aliunde rebus sacris sæcularia non immisceat.

Tertium in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Et nos quidem in quos talis tantáque per ausum nefarium culpa committitur, servamus, quod veritas præcepit dicens: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audieris, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Ecclesia peccatur,*
12 *corripere studui: Nunc per meipsum scribo: Quidquid facere humiliter debui, non omisi, sed si in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere.* Hæc perspicua sunt, in quibus Gregorius auctoritatem Concilii sua majorem agnoscit. Potestatem suam propriis finibus metitur: Nec regnorum jura, nec regum opportunitates vocat in subsidium, ut adulatores & disciplinæ sacræ corruptores vocant. Sed quoniam de rebus Pontificum agitur, per Gregorii auctoritatem primum illud præsulci atque præmuni quæso, ut in tuenda sacrorum Conciliorum potestate firmissimus persistas; nec à Theologis, qui rebus, vel suis vel alienis serviunt, interponi sæculare quippiam sinas. Insidiæ veritati parantur.

Decimus Nicolaus I. in Epistola VIII. ad Michaelem Imperatorem: *Sed cùm*, inquit, *ad verum ventum est & eundem Regem atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit: Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis dignitatibúsque distinctis officia utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu rerum temporalium tantummodo Imperialibus legibus uterentur* Hic omnino percelluntur, qui sæculares controversias Ecclesiasticis dogmatibus immiscent, ut dogmata hæc dissuadeant, & ut Principes ad dissuasionem pravis adulationibus impellant. Sed homines perversè ingeniosi non reformidant adversari divino consilio & ordinationi, quam Nicolaus I. tam eleganter exponit. Servator noster Christus Pontificum & Regum munia sic distinxit, ut nefas sit illa deinceps confun- 13
dere, ut malitiosè confundunt ii, in quos incidisti. At verò tibi solerti quippe viro facile est perspicere, id non fieri amore veritatis, sed partium studiis, quibus tenentur. Ut Pontifices superponant Concilio, libertatem Regum attollunt, quam in alia rerum occasione deprimunt: neque hoc tantùm, sed & illorum jura dignitatémque alienæ potestati ad excidium usque subjiciunt.

Undecimus est Gregorius IX. in Rescripto, quod anno MCCXXXI. misit ad Parisiensem Academiam, ubi docet, qua ratione tradenda sit doctrina sacra, seu Theologia: *Magistri verò & scholares Theologiæ in Facultate quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec philosophos se ostentent: Sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi linguam Hebræam cum Azotica confundentes, sed de illis tantùm in scholis quæstionibus disputent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Quomodo Pontifex excludit rationum momenta, quæ vel ex Aristotelicis haurirentur fontibus, vel ex sæcularium ordinum & statuum, qui aliter atque aliter gubernantur, suo quisque modo, comparatione repeterentur.

Verùm adversus istos compendii gratiâ de Gregorii IX. Nicolai I. Gregorii I. Gelasii I Sidonii, Leonis I. Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Osii. & plurium apud Athanasium Episcoporum, & tandem Christi (quod sufficeret) auctoritate præscribe. Si auctoritati cedant, capti sunt; si non cedant, nulli. Siquidem ut Conciliorum definitiones, veritatem ipsam in odium & invidiam apud ipsos Principes conjiciant, 14
omnino faciunt, quod apud Salomonem prohibetur: *Terminos ac fines proximi tui non commutabis, quos patres tui præfixerunt.* Vale. Lutetiæ Parisiorum Idibus Octobris an. MDCLXV.

Joannes Launoius JOANNI MOLENDINO

Parisiensi Theologo.

1 MIRARIS, oec utique sine causa, Alexandrum VII. anno MDCLIX. IV. Calendas Martii, ad Henricum Andegavensem Episcopum misisse probatum à se Congregationis Inquisitorum Decretum, in quo dicitur: *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* Decreti verba sunt hæc: *In congregatione generali sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino nostro Alexandro divina providentia Papa VII. Ac eminentissimis & reverendissimis D. D. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

*Cùm nuper à Regularibus Mendicantibus diœcesis Andegavensis judicio Sedis Apostolicæ (*AD QUAM DUNTAXAT *controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ pertinet definire) infrà inserta propositiones fuerunt oblata, de mandato sanctissimi Domini nostri Domini Alexandri divina providentia Papa VII. plurium Theologorum & Canonistarum à Sanctitate sua ad id specialiter deputatorum examini sunt commissa. Quo peracto, & relata Sanctitati suæ unanimi eorundem Theologorum atque Canonistarum Censura, idem sanctissimus auditis votis*
2 *eminentissimorum & reverendissimorum D. D. Cardinalium generalium Inquisitorum, easdem propositiones, prout infrà qualificatas auctoritate Apostolica declaravit, & declaratas decrevit, & tales ab omnibus haberi præcepit.*

Quod miraris tu, ego oon solùm miror, sed etiam obstupesco. Siquidem novitio lemmati huic resistit Romanæ Ecclesiæ traditio, quæ ab ipsomet primo illius antistite derivatur. Inquisitores non negabunt, opinor, B. Petrum fuisse primum Romanæ Ecclesiæ antistitem, qui in Actuum Apostolorum capite XV. Sibi oon sumit, quod illi Petri successoribus, & Sedi Apostolicæ in hoc decreto attribuunt. Sed referendus est Actuum Apostolorum locus, quem Inquisitores fortassis legerunt nunquam, aut si legerunt, ad Tridentinæ fidei regulam non expenderunt: *Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari: Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ adversus illos statuerunt, ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conversionem gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cùm autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & Senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. Conveneruntque Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna*
3 *nu conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere. Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Dei Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Placuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus dicens: Viri fratres audite me. Simon narravit, quemadmodum primùm Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba Prophetarum sicut scriptum est: Post hæc revertar & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc: Notum à sæculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocato, & sanguine. Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur. Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum Apostoli & Seniores* 4
fratres hiis, qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris, Barnaba & Paulo, & hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam & Silam, & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; à quibus custodientes vos bene agetis.

Ecce tibi primum Ecclesiæ Concilium, in quo de rebus ad Christianorum mores spectantibus decernitur, sed oon à solo Petro, sed & ab eo, & reliquis Apostolis & Senioribus: *Convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Et postquam viderunt de verbo hoc, id est, quæstionem eo, quo par erat, modo agitarunt inter se, quod visum fuerat, communi omnium nomine sic exprimitur: *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia.* Deinde pari ratione fratribus, qui sunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ scribitur: *Apostoli & Seniores fratres hiis, qui sunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem.* Tum demum in literis quas tulere, qui missi sunt Antiochiam, communi adhuc omnium nomine decretum exaratur, *visum est Spiritui Sancto & nobis.*

At verò Concilium istud rerum ab Ecclesia definiendarum oormam ac regulam esse quis negaret? Quis
nisi accepta à Christo potestate Concilio huic Con- 5
ciliorum normæ ac regulæ derogare se posse sibi sumeret? Quis tandem Actuum locum hunc ad Tridentinæ fidei præscriptionem, nimirum juxta unanimem consensum Patrum sic accipiet, & interpretabitur, ut Inquisitorum assertiooem confirmare possit?

Patres ad Inquisitorum mentem nec accipiunt, nec interpretantur. Collecti in Synodum V. Patres locum eo accipiunt modo, qui ad inurendam Inquisitorum assertioni notam erroris sufficit. Verba sunt è Collatione VIII. *Licèt Spiritus Sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret circumcidi gentes, definire, priusquam communiter congregati divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque dicta sua confirmaverunt. Unde communiter de eo sententiam protulerunt ad gentes scribentes: Visum est Spiritui Sancto & nobis, &c. Sed & sancti Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes communiter de exortis hæresibus, & quæstionibus disposuerunt, certa constituto; quod in communibus disceptationibus cùm proponuntur, quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cùm unusquisque proximi adjutorio indiget: Sicut in Proverbiis dicit Salomon, Frater fratri adjutorium præstans exaltabitur, sicut civitas munita.* Et quoniam Inquisitorum assertio cum his verbis stare nequit, illa non potest non erroris accusari: Idque decernentibus Ro-
6 manis Pontificibus, qui Synodum V. approbarunt, tantùm abest, ut eam reprobarent, & accusarent id arroganter sibi sumpsisse quod ad Sedem Apostolicam duntaxat pertineret. Nam Synodus absente Vigilio Papa, qui ei interesse noluit, damnavit tria Capitula, quorum defensionem ille Pontifex susceperat in Constituto suo.

Pelagius II. ad Synodum V. accedit edito libello, quem de tribus Capitulis composuit, ut Gregorius I. scribit in libri II. Indict. x. epistola XXXVI. ad universos Hiberniæ Episcopos: *Ut igitur de tribus Capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere.*

Gregorius I. Pelagium decessorem sequitur, & Synodum V. amplectitor. Qua de re in libri I. epist. XXIV. scribit ad Joannem Constantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, Joannem Hierosolymitanum, & Anastasium Antiochenum: *Præterea quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor: Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur, Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur, Chalcedonense verò, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen*
7 *extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, Quas venerantur, amplector: quia dum universali sunt consensu constituta, se & illa non destruit, quisquis præsumit, aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.*

Romani Pontifices recèns creati in fidei professione, quam habet vetus Romanæ Ecclesiæ Diurnum, Gregorii factum hoc sic exequuntur: *Ill. Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ reverendissimis fratribus & dilectissimis filiis, seu universæ plebi Dei. Ad hoc Apostolicæ Sedis effectum.* Et post aliquammulta: *Cognoscat itaque vestra Dilectio, integra nos satisfactione prædicare, tenere, ac defendere, prædicaturósque esse confidas fidem Christi, quam Apostoli tradiderunt, Apostolorum discipuli docuerunt, eorúmque successores Apostolici nostri ac probatissimi prædecessores immutabiliter servaverunt ac defenderunt. Etenim hujus Apostolicæ traditionis normam inviolabiliter custodiens venerandum sanctorum* CCCXVIII. *Patrum Concilium, quod in Nicæa sub magno Principe Constantino convenit, Dei gratia revelante, redegit in Symbolum & consubstantialem Patri filium prædicavit.* Et post aliquam multa: *Hæc igitur sancta atque universalia quatuor Concilia. etiam sanctum quintum Concilium venerandum consecutum est, & sub piæ memoriæ* 8
Justiniano Principe, apud Constantinopolitanam urbem est congregatum.

Pelagius II. Gregorius I. & recèns creati Pontifices, qui fidei professionem hanc emiserunt, Concilium V. non recepissent cum veneratione tanta, si controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire ad Sedem Apostolicam duntaxat pertineret. Siquidem Concilium V. ita se gerit in collatione VIII. quasi suppeditare id vellet, quo Inquisitorum assertio confligeretur. Ex Apostolorum Actibus exemplum celebrandorum Conciliorum sumit, & quicquid est ab iis decidendum, omnibus Patribus transcribit. At verò Inquisitores totum uni duntaxat Sedi Apostolicæ transcribunt: Aut igitur Concilium V. & suscipientes illud Pontifices errant, aut errant Inquisitores, dum in Ecclesiam novum & pestiferum dogma inducunt. Quis autem præter Inquisitores Concilium V. & tot Romanos antistites errasse reciperet?

Hæc est prima ratio vehemens & justa, quæ cùm repetatur ex Conciliis duobus, quorum uni Petrus præfuit, alteri dederunt fidem Pelagius II. Gregorius I. & complures alii Pontifices Romani, rem adversus Inquisitionis congregationem decretorio stilo conficit.

Altera ratio comparanda mihi est ex ipsiusmet Sedis Apostolicæ traditione, quam ipsi Romani subinde Pontifices præstabunt & sanctissimè tuebuntur.

Primus est Cornelius, qui anno Christi CCLIV. sedere cœpit. Hic traditionis à Petro derivatæ memor ad Cyprianum Carthaginiensem scribit, & ei rerum à se circa Confessores ad unitatem reversos gestarum rationem exponit: *Qui cùm hæc & cætera fuissent expro-* 9
brata, ut abolerentur, & de memoria tollerentur deprecati sunt. Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui hodie præsentes fuerant, ut firmato consilio quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur, & ut motum omnium & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri proferri, quas & subjectas leges. Notanda sunt tria: Cornelius Romanum Clerum ex Presbyteris & Diaconis compositum in unum cogit, idque contractum vocat Presbyterium: Ad illud accedunt Episcopi quinque, ex locis, ut par est credere, vicinioribus, in quantum Christianorum vexationes permittere poterant: Quidquid statuitur, communi omnium consensu statuitur, idipsum subjecta uniuscujusque sententia confirmat. Hocne ita fecisset Cornelius, si quod sibi sumunt Inquisitores, verum esset?

Permisissétne Stephanus Cornelii post Lucium successor, ut Cyprianus id sibi juris arrogaret, quod ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinebat? Sic enim Cyprianus ad Stephanum scribit in epistola LXXII. *Ad quædam disponenda, & consilii communis examinatione limanda necesse habuimus, frater charissime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus cogere & celebrare Concilium. In quo multa quidem prolata atque transacta sunt: Sed de eo vel maximè tibi scribendum, & cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, & ad Sacerdotalem auctoritatem, & ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem pariter ac dignitatem de divinæ dispo-*

sitionis

10 *ſtionis ordinatione venientem, qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos & ſchiſmaticos profana aqua labe maculati, quando ad nos atque ad Eccleſiam, quæ una eſt, venerint, baptizari oportere, eo quòd parum ſit eis manum imponere, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum.* Nonne Stephanus acceptis his literis Cyprianum incuſaſſet arrogantiæ, quòd in Sedis Apoſtolicæ prærogativam involaſſet? Nimirum arbitris Inquiſitoribus, *controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſiæ definire ad Sedem Apoſtolicam duntaxat pertinet.* At Stephanus id nunquam fecit, etiam cùm vel maximè faciendum videretur; cùm illa quæſtio, de qua Cyprianus ſcribit ad Stephanum, illos inter ſe acerrimè commiſſos diu tenuit. Nunc verò noſtris Inquiſitoribus quid fiet?

Secundus eſt Julius I. qui anno CCCXXXVII. Sacerdotale faſtigium aſcendit, in epiſtola ad Orientales: *Quid enim eſt actum dignum offenſa, aut qua in re vobis, quibus ſcripſi, cauſam ſuccenſionis præbui? An quia adhortati vos ſumus, ut ad Synodum occurreretis?* Et poſt aliquammulta: *Verùm in hoc ipſo juſta & rationabilis cauſa eſt, dilectiſſimi, quam vobis intimandam puto. Nam tametſi ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi. Ego autem nolui omnes ſcribere, ne à multis onerarentur. Certè ad conſtitutum tempus convenere Epiſcopi, & ejus ſententiæ fuere, quam vobis iterum ſignifico. Quapropter, dilectiſſimi, etiamſi ſolus ſcribo, ſcribere me tamen communem omnium ſententiam vos ſcire volo.* Verba hæc non ſunt Pontificis, qui crederet id, quod Inquiſitores aſſerunt; *Pertinere duntaxat ad Se-*
11 *dem Apoſtolicam controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſiæ definire.* Quot commata, tot argumenta, quibus aſſertio hæc convellitur. De aliorum Epiſcoporum ſententia perinde ac de ſua loquitur, & eam omnium communem eſſe ſcribit: Quo nihil eſt Inquiſitorum aſſertioni magis contrarium.

Tertius eſt Liberius creatus anno CCCLII. Pontifex, qui poſtquam ſuis ad Conſtantium literis præmunitionem hanc, *Secutus morem ordinémque majorum, nihil addidi Epiſcopatui urbis Romæ, nihil minus paſſus ſum,* adhibuit, Imperatorem rogavit, ut Synodum Epiſcoporum fieri permitteret. *Ad exorandam igitur manſuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes noſtras audire digneris, fratrem & coepiſcopum meum, ſanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo, & Hilario Diacono placuit proficiſci, quos credimus de clementia tua ad pacem omnium Catholicarum Eccleſiarum non difficulter poſſe Concilium impetrare.* Liberius Epiſcopatum urbis Romæ minui paſſus eſſet, ſi controverſiam, cujus deciſio Inquiſitoribus noſtris judicibus ad Sedem Apoſtolicam duntaxat pertinet, à Concilio dirimi curaſſet. Quis unquam vidit Romanum Pontificem ullum aliarum Sedium Epiſcopos vocare in partem juris, quod Sedi Apoſtolicæ maximè proprium eſſet?

Quartus eſt Damaſus, qui anno CCCLXVII. Romanam Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit. Hic Inquiſitorum aſſertionem illuſtri exemplo perculit, cùm Priſcillianum Cæſaraugustana Synodus damnavit. Damnatus ab hac Synodo Priſcillianus ad Damaſum confugit, ſed confugientem rejecit Damaſus, tantùm abeſt, ut
12 eum admitteret, & conquereretur de Synodo, quòd in Sedis Apoſtolicæ juriſdictionem invaſiſſet, ut invaſeret, ſi noſtris Inquiſitoribus credatur. Tunc agebatur de controverſia, quæ ad fidem & mores univerſalis Eccleſiæ ſpectat. Sed quo, inquies, auctore, Priſcillianum Damaſus rejecit? Sulpitio Severo, qui tum claruit, & illud memoriæ mandavit in libro II. Hiſtoriæ ſacræ: *Igitur poſt multa inter eos & digna memoratu certamina, apud Cæſaraugustam Synodus congregatur, cui tum etiam Aquitani Epiſcopi interfuere: Verùm hæretici committere ſe judicio non auſi, in abſentes tum lata ſententia, damnatique Inſtantius & Salvianus Epiſcopi, Helpidius & Priſcillianus laici. Additum etiam, ut ſi quis damnatos in communionem recepiſſet, ſciret, in ſe eandem ſententiam promendam.* Et poſt alia: *At tum Inſtantius, Salvianus, & Priſcillianus Romam profecti, ut apud Damaſum urbis ea tempeſtate Epiſcopum objecta purgarent.* Et paullo pòſt: *Hi ubi Romam pervenere, Damaſo ſe purgare cupientes, ne in conſpectum quidem ejus admiſſi ſunt. Regreſſi Mediolanum, æquè adverſantem ſibi Ambroſium repererunt.* Non potuit apertiùs, non potuit validiùs damnari Inquiſitorum noſtrorum aſſertio.

Quintus eſt Siricius qui anno CCCLXXXV. Romanæ urbis Epiſcopatum regere aggreſſus eſt, in epiſtola, quam ad Epiſcopos per Illyricum conſtitutos ſcribit: *Accepi literas veſtras de Bonoſo Epiſcopo, quibus vel pro veritate vel pro modeſtia noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed cùm hujuſmodi fuerit Concilii Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo atque ejus accuſatoribus judices tribueremur, & præcipuè Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de ejus factis vel cognoſcerent, adverti-* 13
mus, quòd nobis judicandi forma competere non poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries, decerneremus. Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accuſatoribus vel accuſato copiam dare. Vicem enim Synodi recepiſtis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonoſus Epiſcopus poſt judicium veſtrum miſiſſet ad fratrem noſtrum Ambroſium, qui ejus ſententiam conſuleret, interdictam ſibi Eccleſiam irrumpere atque ingredi, reſponſum eſt, quòd nihil temerandum foret, ſed omnia modeſtè, patienter, ordine gerenda, neque contra ſententiam veſtram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis juſtitiæ convenire, ſtatueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum eſt, ut ii judicent, quibus judicandi facultas eſt data: Vos enim totius, ut ſcripſimus, Synodi vice decernitis, nos quaſi ex Synodi auctoritate judicare non convenit. Et poſt aliquammulta in fine epiſtolæ: *Legimus etiam & omnia percurrimus vel de eo, quòd fratri noſtro & coepiſcopo Baſſo in conſortium regendæ Eccleſiæ datus eſt Senecio, vel de cæteris, unde veſtram normam expectamus ſententiæ.* Ignis cum aqua concordabit faciliùs, quàm Siricius cum noſtris Inquiſitoribus concordaret. Diceres Siricium eo ſcripſiſſe animo, ut futuræ Inquiſitorum aſſertioni præcurreret, ſe & Sedem Apoſtolicam, cui præſidebat, tanquam murum firmiſſimum opponeret, & tandem perniciosæ novitatis impetum retardaret. Agebatur in Capuenſi Concilio de Bonoſo Macedoniæ Epiſcopo, qui beatam Mariam poſt partum Virginem non fuiſſe docuerat. Bo- 14
noſus ad Capuenſe defertur Concilium, quod rei hujus judicium Anyſio Theſſalonicenſi, & quibuſdam aliis Macedoniæ Epiſcopis committit. Anyſius & alii Epiſcopi delegati à Concilio judices ad Siricium ſcribunt, eúmque de negotio gravi rogant ſententiam, qua ſcilicet præmuniti injunctum opus perficiant & faciliùs & ſecuriùs. Reſcribit ad illos hic Pontifex, & reſpondet, judicandi formam ſibi competere non poſſe, quòd jam Capuenſe Concilium illis dirimendæ controverſiæ provinciam dediſſet. Itáne reſcripſiſſet Siricius, ſi ad Sedem Apoſtolicam duntaxat pertineret, controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſiæ definire? Probaſſétne tam operosè Siricius, ut probat, judicandi formam ſibi competere non poſſe in tali rerum eventu, ſi Sedis Apoſtolicæ tuliſſet traditio, ut ea ſola controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſiæ definiret? Inculcaſſétne Siricius contra ſuam & Sedis ſuæ dignitatem, quod ſæpiùs inculcat? *Veſtrum eſt igitur, qui hoc recepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi, vel accuſatoribus vel accuſato copiam dare.* Iterum, *Vicem Synodi recepiſtis, quos ad examinandum Synodus elegit.* Tertiò, *Neque contra ſententiam veſtram tentandum aliquid, ut quod vobis videretur juſtitiæ convenire, ſtatueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem.* Quartò, *Ideo primum eſt ut ii judicent, quibus*

judicandi facultas est data. Quintò, *Vos totius Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Postremò, *Vestra normam expectamus sententia.* Hic intermedium nihil est circa sedis Apostolicæ
15 traditionem. Vel Siricius, vel Inquisitores errant. Ad me quod attinet, Inquisitores errare pugno, & sto à partibus Siricii, & Sedis Apostolicæ, cujus traditionem per ipsos Romanos Pontifices assero & confirmo. Si verò Inquisitores Siricium errare præ se ferant; illorum quæso propositione quid fiet? *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinet controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* Errare poterit is, qui Sedi Apostolicæ præsidet, errare poterit & Sedes Apostolica, si eadem sit cum illius præside, ut assentatores quidam ignoranter existimant. Sic Inquisitores nostri constringuntur. Sed nullo negotio constringi possunt, qui ad imperitorum vulgus pertinent.

Sextus est Innocentius I. qui anno CCCCLI. ad Petri Cathedram conscendit: Hic in suis apud Sozomenum literis ad Clerum Constantinopolitanum datis ea scribit, quæ Inquisitoribus nostris fauces elidunt, ubi de Joannis Chrysostomi vexatione agitur: *Sed quodnam,* inquit, *remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multò jam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ hujuscemodi procellarum impetus retundere potest, quam quidem donec consequamur expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei ac Christi ejus Domini nostri: Illa universis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus freti nostra in Deum fide. Ac nos quidem multùm deliberamus, quonam modo Synodus œcumenica congregari possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint.*
16 *Exspectemus itaque tantisper, ac vallo patientiæ communiti speremus auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda. Universa verò, quæ vos ibi sufferre dixistis, jam antea à coepiscopis nostris, qui Romam licèt diversis temporibus convenerunt, Demetrio videlicet, Cyriaco, Eulisio, & Palladio, qui nobiscum sunt, diligenti inquisitione habita cognovimus.* Hæc omnia non scripsisset Innocentius, si eum schola Inquisitorum nostrorum aluisset. Scripsisset utique: Necessaria non est Synodalis cognitio, necessaria non est œcumenica Synodus, quam Episcopus vester Joannes appellavit. His quæ scripsit, contraria scripsisset. Nimirum ad œcumenicam Synodum haud pertinet *controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire*; Hoc ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinet. Innocentius adhibuisset remedium, quod ille nonnisi ab œcumenica Synodo adhiberi non posse putat. Sed in Sedis Apostolicæ schola eruditus Pontifex hæc omnia nec scribere nec facere poterat. Quid ita? Innocentii schola veritatis schola erat: Inquisitorum verò schola, erroris hac in re schola est.

Sed ne ista sint, in Carthaginiensi & Milevitana Synodo jus decidendarum fidei controversiarum agnoscit, cùm ad Milevitanæ Synodi Patres rescribit: *Inter ceteras Romanæ Ecclesiæ curas, & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater & noster coëpiscopus Julius dilectionis vestræ literas, quas ex Milevitano Concilio curâ fidei propensiore misistis, nobis inopinanter ingessit, Carthaginensis etiam Synodi querelæ paralis scripta subjungens: Nimirum*
17 *exultat Ecclesia tantam sollicitudinem commissis gregibus exhibere Pastores, ut non solùm ex his non patiantur errare, sed si quas magis ovium obscœnæ delectationis herba seduxit, si in errore permanserint, aut segregari penitus velint, aut illicenter dudum perita vitantes, custodia pristina circumspectione vitari, in utraque parte videlicet consulentes, ut vel suscipiendo tales similis cetera ducamur exemplo, vel spernendo redeuntes luporum morsibus videantur ingesta. Prudens admodum & Catholicæ fidei plena consultatio. Quis enim aut tolerare possit errantem, aut non recipere corrigentem? Nam ut durum arbitror, conniventiam præbere peccantibus, ita impium judico manum negare conversis.* Et paullo pòst: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere; velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse. Fiant igitur necesse est cautiores, cùm inventores malorum ad duplicis relationem Synodi sententia vestra statutis viderint ab Ecclesiastica communione sejunctos. Gemino igitur bono charitas vestra fungitur. Nam & canonum potiemini gratia servatorum, & beneficio vestro totus orbis utetur. Quis enim Catholicorum virorum cum adversariis Christi velit ulterius miscere sermonem? Quis saltem ipsum lucem vota communione partiri?* Inquisitores aut hanc Innocentii epistolam non viderunt unquam (quod facilè crederem) aut si viderunt, apertè contempserunt. Atque ita facti sunt digni, qui contemnantur.

Septimus est Leo I. qui anno CCCCXL. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum sortitus est. Hic multis in lo-
cis & eventis ab Inquisitoribus nostris mirum quan- 18
tum dissidet. Sufficiunt duo omni luce splendidiora, quorum alterum, Flaviani Constantinopolitani ad Leonem epistolæ duæ, & una Leonis ad Theodosium epistola IX. repræsentant; Alterum verò Leonis epistola XXV. ad eundem Theodosium.

Flavianus in Epistolæ prioris capite III. scribit: *Talis inter nos Eutyches emersit quondam Presbyter & Archimandrites, qui quasi nostra religionis sectam sapiebat, & hanc præferebat. Nestorii autem impietatem confirmabat, & succingebatur pro Nestorio militare in pugna, quæ contra Nestorium parabatur.*

Deinde in capite IV. *Sed ne multa dicens longam faciam epistolam, olim quodqnid egerimus, misimus ad beatitudinem vestram literas, quibus literis docuimus & Presbyterio illum esse nudatum, quia sic captus est, & jussimus eum cum Monasteriis nullam habere rationem, & exclusimus eum à communione vestra, ut sanctitas vestra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus Episcopis sub beatitudine vestra degentibus, manifestare dignetur illius impietatem, & nescientes aliqui quod ille senserit, quasi ad orthodoxum vel per literas, vel per aliquam conjunctionem loquantur.*

Tum in epistola posteriori prout apud Leonem edita est: *Accusatum verò eum* (Eutychem) *à reverendissimo Eusebio & occurrentem in sanctum Concilium, & voce sua sectam propriam retegentem, alienùmque existentem à recta fide damnavimus, sicut decebunt vestram sanctitatem omnia, quæ super eo gesta sunt, quæque direximus cum nostris his literis.* Et paullo pòst: *Commotus itaque sanctissimus Pater in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea, quæ in nos & sanctissimam Ecclesiam facta sunt,*
atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secun- 19
dùm quod Sacerdotio competit, propriámque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare; Confortare autem & piissimo & Christo dilectissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, quæ debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eum facta sunt, facillimè destruentur Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur: Quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.

In Leonis epistola res est hujusmodi: *Pro integritate fidei Catholicæ Christianum principem convenit esse sollicitum, & hoc indefessis precibus divinam misericordiam posco, ut cordi vestro id quod est veritatis inspiret.* Et paullo pòst: *Unde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostra dignetur annuere,* ut intra Italiam *habere jubeatis Episcopale Concilium, citò (auxiliante Deo) poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota*

mota, reſecari, ut per univerſum regnum veſtrum Catholica fidei integritate ſervata, & pacem Chriſtianam manere, & veſtram apud Deum creſcere gloriam gaudeamus. Nunc expendendum eſt diſſidium, quod inter Inquiſitores & Leonem intercedit.

Inquiſitores aſſeverant, *Pertinere ad Sedem Apoſtolicam duntaxat, controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſia definire.* Leo iſtud non aſſeverat, nec de Flaviano conqueritur, quòd in damnanda Eutychis hæreſi
20 Sedis Apoſtolicæ auctoritatem uſurpaverit, quòd neſciente ſe Concilium fecerit, in quo hæreſis illa damnata eſt. De hoc, inquam, Leo non conqueritur: Inquiſitores ſi ſeipſos intelligant, conqueruntur. Quis dicet niſi demens, Leonem non conquerendo errare, Inquiſitores conquerendo non errare? Deinde Flavianus Leoni perſuadere conatur, habendum non eſſe aliud Concilium præter illud, quod habuerat, & ſufficere, ſi Leonis ad ea quæ geſta ſunt, conſenſus accedat. Sed Leo perſuaderi non potuit: Generale Concilium cenſuit eſſe neceſſarium, atque ut illud celebraretur, Imperatori ſummiſsè ſupplicat. Quorſum hæc omnia, ſi ad Sedem Apoſtolicam duntaxat pertineat controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſiæ definire? Inquiſitoreſ-ne dicent Leonem quod ſuum eſt, non defendere, ſed Sedis Apoſtolicæ juri prævaricari? Si dicant, nulli ſint, ſi non dicant, capti. Quidquid id eſt, Inquiſitores publicæ Epiſcoporum cauſæ prævaricatores appellabimus, & Leonem ut ſtudioſiſſimum juris Sedis Apoſtolicæ quoad licet, defenſorem reverebimur & colemus.

Nunc veniendum eſt ad Leonis epiſtolam xxv. quæ ſic inſcribitur: *Leo Epiſcopus & ſancta Synodus, qua in urbe Roma convenit, Theodoſio ſemper Auguſto. Literis clementia veſtra quas dudum ad beati Petri Sedem pro Catholica fidei amore miſiſtis, tantam fiduciam ſumpſimus defendenda per vos veritatis & pacis, ut in cauſa tam ſimplici támque munita nihil putaremus poſſe exiſtere, quod noceret, præſertim cùm ad Epiſcopale Concilium, quod haberi apud Epheſum præcepiſtis, tam inſtructi ſunt miſſi, ut*
21 *ſi ſcripta, quæ vel ad S. Synodum, vel ad Flavianum Epiſcopum detulerunt, Epiſcoporum publicari auribus Alexandrinus permiſiſſet antiſtes, ita manifeſtatione puriſſima fidei, quam divinitus inſpiratam & accepimus & tenemus, omnium congreſſionum ſtrepitus quieviſſet, ut nec imperitia ultra deciperet, nec occaſionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privata cauſa religionis exercemur obtentu, commiſſum eſt impietate paucorum, quod univerſam Eccleſiam vulneraret. Comperimus non incerto nuncio, ſed fideliſſimo rerum, quæ geſta ſunt, narratore Hilario Diacono noſtro (qui vix, ne ſubſcribere per vim cogeretur, effugit) conveniſſe ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum utique frequentia collationi & judicio profuiſſet, ſi is, qui ſibi locum principem vindicabat, Sacerdotalem moderationem cuſtodire voluiſſet, ut (ſicut moris eſt) omnium ſententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo conſtitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus ſubveniret. In ipſo autem judicio non omnes, qui convenerant, interfuiſſe cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupradicti ſacerdotis arbitrio impiis ſubſcriptionibus captivas manus dederent, & nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent, talémque ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem Eccleſiam ſævire videretur. Quod noſtri ab Apoſtolica Sede directi adeò impium & Catholicæ fidei contrarium eſſe viderunt, ut ad conſentiendum nulla potuerint oppreſſione compelli, conſtantérque in eadem Synodo (ut decuit) fuerunt proteſtati, nequaquam id quod conſtituebatur, Sedem Apoſtolicam recepturam: Quoniam revera omne Chriſti-*
22 *ana fidei ſacramentum (quod abſit) à temporibus veſtra pietatis exſcinditur, niſi hoc ſceleſtiſſimum facinus, quod cuncta ſacrilegia excedit, aboleatur. Quia verò Diabolica nequitia ſubtiliter falſis incantos, & ita quorundam imprudentiam per ſimilitudinem pietatis illudit, ut pro ſalubribus perſuadeat nocitura, removete quæſumus à veſtra pietatis conſcientia periculum religionis & fidei, quódque in ſæcularibus negotiis legum veſtrarum æquitate conceditur, in rerum divinarum pertractatione præſtate, ut Chriſti Evangelio vim non inferat humana præſumptio. Ecce ego, & Chriſtianiſſime venerabilis Imperator, cum conſacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ veſtræ ſinceri amoris officium, cupiéuſque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante tribunal Chriſti Domini rei de ſilentio judicemur, obſecramus coram unius Deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipſa veſtri ſit cuſtos & auctrix imperii, & coram ſanctis Angelis Chriſti, ut omnia in eo ſtatu manere jubeatis in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, (quia quod neceſſe eſt nos dicere), veremur, ne cujus religio diſſipatur indignatio provocetur. Præ oculis habete & tota mentis acie reverenter aſpicite beati Petri gloriam, & communes cum ipſo omnium Apoſtolorum coronas, cunctorúmque martyrum palmas, quibus alia non fuit cauſa patiendi, niſi confeſſio veræ divinitatis, & veræ humanitatis in Chriſto. Cui Sacramento, quia impiè nunc à paucis imprudentibus obviatur, omnes partium noſtrarum Eccleſiæ, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lacrymis ſupplicant Sacerdotes, ut quia & noſtri fideliter reclamarunt, & ejuſdem libellum appella-* 23
tionis Flavianus Epiſcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra ſit, vel in fide dubium, vel in charitate diviſum. Et ſanè niſi Inquiſitorum aſſertio putidum eſſet mendacium, non abs re crederetur Leo Sedis Apoſtolicæ jura minuiſſe, qui auxiſſe à minùs bene in eam Sedem affectis creditur. Ad Inquiſitorum enim mentem (ſi qua tamen illis mens eſt) Leo Romanæ Sedis jura minuit, cùm omni ope ac ſtudio connisus eſt, ut Epheſina Synodus cogeretur: Scilicet, ut quod Sedi huic proprium eſt maximè, cum aliarum Sedium Epiſcopis communicaretur. Deinde cùm Synodus hæc in prædatoriam evaſit, jura illa magis adhuc minuit ab Imperatore poſtulans, *Ut omnia in eo ſtatu manere juberet, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Cur hæc duo, quæ ab Imperatore perfici rogat, Leo non perficit, *ſi ad Sedem Apoſtolicam duntaxat pertinet, controverſias fidei & morum univerſalis Eccleſiæ definire,* ut Inquiſitores ſibi ſumunt? *Ἐάν* ἐἰς χάραξ propoſitio, qua ſanctiſſimus & Eccleſiæ ſtudioſiſſimus Pontifex de minuta Sedis Apoſtolicæ dignitate accuſaretur, qua vir perfidioſus ac prævaricator exiſtimaretur. Quod Inquiſitores turpiter ignorant, Leo probè noverat, deciſionem controverſiarum fidei & morum univerſalis Eccleſiæ non uni tantùm Romano Pontifici, ſed etiam cæteris omnibus Epiſcopis convenire.

Inquiſitores legant Leonis epiſtolam xv. ad Epheſinam Synodum II. ubi Pontifex ſcribit: *Verùm quia* 24
etiam talium non eſt negligenda curatio, & piè ac religiosè Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri, fratres noſtros Julianum Epiſcopum, Renatum Presbyterum, & filium noſtrum Hilarium Diaconem, cúmque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei, miſi qui vice mea ſancto conventui veſtræ fraternitatis interſint, communi vobiſcum ſententia, quæ Domino ſint placitura, conſtituant. Obſervent verba hæc: *Haberi voluit Epiſcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis poſſit error aboleri.* Deinde alia hæc de Legatis: *Communi vobiſcum ſententia, quæ Domino ſint placitura, conſtituant.*

Inquiſitores percurrant Leonis epiſtolam L. ad Martianum Auguſtum, & in hac periodo ſiſtant: *Unde quamvis*

vis nimis arctus dies Synodo fuerit constitutus, spero tamen adfuturum omnipotentis auxilium, quo omnes (Episcopi) *valeant ad præfinitum tempus occurrere, & unanimiter cum sanctæ fraternitatis assensu, quæ universali Ecclesiæ congruant, definire.*

Inquisitores denique conjiciant oculos in caput 1. epistolæ LXIII. quam ad Theodoretum Leo misit post Chalcedonense Concilium, & Leonem in Domino gloriantem videant, quòd illud Concilium definitionem suam confirmaverat: *Remeantibus ad nos fratribus & consacerdotibus nostris; quos ad sanctum Concilium Sedes beati Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam superno adjutorio nobiscum tam Nestorianæ impietatis, quàm Eutychianæ vesaniæ extitisse victricem. Unde gloriamur in*
25 *Domino cum Propheta canentes: Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram: Qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit,* SED QUÆ NOSTRO PRIUS MINISTERIO DEFINIERAT, UNIVERSÆ FRATERNITATIS IRRETRACTABILI FIRMAVIT ASSENSU, UT VERE A SE PRODIISSE OSTENDERET, QUOD PRIUS A PRIMA OMNIUM SEDE FORMATUM, TOTIUS CHRISTIANI ORBIS JUDICIUM RECEPISSET. Sic audiendus est Leo, & audienda per Leonem locuta beati Petri Sedes. Sed apage pestilentam Inquisitorum assertionem, qua Leonis sanctitas polluitur, & Sedis, quæ vere est Apostolica, traditio labefactatur!

Octavus est Vigilius, qui anno DXL. Romanam Ecclesiam gubernandam suscepit. Hic Synodo V. quam necessariam esse judicaverat, interesse noluit, quòd Occidentalium Episcoporum numerus Orientalium numero non adæquaretur. Id tradit Vigilius in suo constituto: *Ideòque cùm fratres nostri, neque exæquato nobiscum numero residere, neque in scriptum quæ ageremus vel tractaremus, redigi paterentur, tanquam (quod absit) non convenientia rectitudini loqueremur, quæ scribere timeremus.* Deinde in Synodi V. collatione II. *Ille verò* (Vigilius) *respondit non posse unà nobiscum convenire, eò quòd plurimi quidem hìc sunt Orientales, pauci verò cum eo, scilicet Occidentales.* Et primò quidem Vigilius quæstionem, quæ de inter ipsum & Justinianum agebatur, ad generalem Synodum remittere non debuit, si vera est Inquisitorum assertio: siquidem ad Sedem Apostolicam pertinebat duntaxat controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire? Tum futilis & vana esset
26 Vigilii ratio, cur Synodo V. interesse noluit: Quid ita? Vigilius solus poterat controversiam, quæ ad fidem vel mores universalis Ecclesiæ spectabat, dirimere; & quia Vigilius id solus poterat, cæteri Episcopi non poterant, nisi diremptæ à Vigilio controversiæ assentiri. Nam generale Inquisitorum pronuntiatum est: *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinet, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* Porro autem Vigilium cum Apostolica Sede confundimus, quia philosophamur ad mentem Inquisitorum & hodiernorum adulatricis Curiæ Magistrorum, qui Romanum Pontificem & Sedem Apostolicam dici ὁμωνύμως, inscitè nugantur. Nos Vigilium sequimur, quia Sedis Apostolicæ traditionem sequitur. Inquisitores non sequimur, quòd à Sedis Apostolicæ traditione aberrent, & per præcipitia deferantur.

Nonus est Gregorius I. cui anno DXC. Romanæ Ecclesiæ Sacerdotium impactum fuit, cùm in libri IV. epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum ita scribit: *Et nos quidem, in quos talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, servamus, quod veritas præcepit dicens: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui: nunc per meipsum*
scribo. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed 27
si in mea correptione despicior, restat, ut Ecclesiam debeam adhibere. Quod sanctus atque doctus Pontifex restare affirmat, id apud Inquisitores nostros minimè restat: *Ad Sedem*, inquiunt, *Apostolicam duntaxat pertinet controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* At præ se fert Gregorius, controversiam, quæ tunc agebatur, ad fidem & mores universalis Ecclesiæ pertinere. Hic deliberandum non est diutiùs, an minus credendum sit Inquisitoribus, quàm Gregorio, qui in libri II. Indict. XI. Epistola XXIX. scribit ad Presbyteros & Diaconos Mediolanensis Ecclesiæ: *Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.* Atque ita quod restare dicit Gregorius, id verè & secundùm Evangelium, Sedisque Apostolicæ traditionem restabat, sed in eo, quod Inquisitores restare negant, ii Gregorio, Evangelicæ veritati, & Sedis Apostolicæ traditioni repugnant.

Decimus est Martinus I. cui anno DCLIX. Romana obtigit Ecclesia. Hic in epistola ad Amandum Trajectensem Episcopum scribit, eúmque hortatur, ut Romanam Synodum adversus hæreticos celebratam confirment Gallicani antistites. Martini verba sunt: *Ideo necesse habuimus, ne pro quadam negligentia, & animarum detrimento, quæ nobis commissa sunt, culpæ reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & coepiscoporum nostrorum in hac Romana civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, Apostolico mucrone, Patrúmque definitionibus uno ore, unóque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem; qui in* 28
eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere unà cum Encyclia nostra: Ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum ut filii lucis extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut jam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quamque suæ salutis Sacramenta addiscere valeant, atque Synodali conventione omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta secundùm tenorem Encycliæ à nobis directa scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes & consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesania nuper exorta à nobis statuta sunt.

Martinus facit duo, quæ pro Sedis suæ dignitate facere non debuit, si vera esset Inquisitorum assertio. Et primùm quidem, cogit Concilium Episcoporum centum quinque, in quo Monothelitarum hæresis damnatur. Deinde ab Amando Trajectensi Episcopo petit, ut Gallicana celebretur Synodus, quæ Romani Concilii acta confirmet. Martinus fecit quod faciendum esse pro rei gravitate judicat, & Inquisitores id asserunt, quod absq; Romanæ Sedis dedecore asseri non potest.

Undecimus est Nicolaus I. qui anno DCCCLVIII. Romanam Ecclesiam regere cœpit. Rem contra Inquisitores decidit in epistola XXVII. ad Ludovicum Germaniæ & Carolum Calvum Reges: *Sed intelligi datur; eos monitis nostris non velle parere propter illud, quod in literis vestris subditur: Dicunt enim post aliquanta, ut Episcopos de regnis vestris ad Synodum Romam mittendi necessi-* 29
tas non postulet, unde si fortasse aliter dicitis, nos illud dicimus, quod divinitus revelatur, quia cùm novitatum mala multiplicari videamus, si ex diversis provinciis fratres in invicem convenissent juxta priscum morem, & nos consensu illorum revelante Domino, quæ decernenda sunt, decerneremus, & ipsi necessitates suas referentes, & nos nostras exponentes, quæ decreta fuissent, meliùs in omnium notitiam facerent pervenire, qui semper Synodalem conventum à nobis aggregari patiere: Sicque fieret, ut secundum qualitatem medicina conficeretur, & ad sananda vulnera longè latéque effunderetur. Hic Pontifex scri-

bit duo, quibus eliditur Inquisitorum assertio: necessarium esse Concilium, quod congregare intenderat, & se, quæ decernenda erant, consensu Episcoporum Concilii decreturum esse. Sed ex Inquisitorum assertione consequens est, Nicolaum in his duobus Sedis Apostolicæ jura neglexisse. Hoc autem de tanto Pontifice præter Inquisitores quis suspicaretur?

Duodecimus est Joannes VIII. qui in Romanum Episcopum ascitus est anno DCCCLXXIII. Hic Pontifex Nicolaum imitatur in epistola CCXX. ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem: *Sicut jam olim vestra præcepimus reverentiæ, ut pro multis Ecclesiarum necessitatibus IV. Idus Octobris, Romam venientes Synodum pariter celebraremus; Nunc iterato his Apostolatus nostri literis fraternitati vestræ jubemus, ut omni mora vel occasione postposita ad denominatam Synodum, quam Deo auctore in prædicto tempore celebraturi erimus, in Ecclesia beati Petri Principis Apostolorum cum suffraganeis tuis* 30 *Episcopis occurrere nullatenus prætermittatis, quia nos omnium Ecclesiarum Dei utilitati & exaltationi sicut oportet, pari consensu & decreto, more præcessorum nostrorum consulere volumus, quatenus Ecclesia Dei vigor Christo favente per Synodalem censuram illibatus permaneat.* Ut Concilii necessitas, quam Joannes indicat, sic & decernendi modus, *pari consensu & decreto, more præcessorum nostrorum consulere volumus*, Inquisitorum assertionem funditus avertunt.

Decimus tertius est Gregorius VII. qui Romanam ad Ecclesiam anno MLXXIII. accessit. Hic in libri I. epistola XLII. ad Sichardum Aquilegiensem Episcopum Joannis VIII. vestigiis insistit: *Confidentes in misericordia Dei, Concilium in prima hebdomada quadragesimæ adunare disposuimus, quatenus huic tanto periculo suffragante divina clementia cum communi consilio fratrum aliquod solatium & remedium invenire valeamus, ne nostris temporibus irreparabilem Ecclesiæ ruinam, destructionémque videamus. Ideóque vestram fraternitatem rogamus, & ex parte beati Petri Apostolorum Principis admonemus, ut in præfinito termino vestram nobis præsentiam exhibeatis, convocatis unà nobiscum, tam per has nostra, tum per vestra scripta, vestris suffraganeis Episcopis; ut tanto tutiùs tantòque firmiùs ad subsidium Ecclesiasticæ libertatis & religionis accingamur, quantò uberiùs ac vicinius consiliis vestra prudentia, aliorúmque confratrum frequentia & provida consultatione circundamur.* In hac Gregorii oratione periodus nulla est, quæ Inquisitorum assertionem non validè percellat. Accusabuntne Gregorium violatæ dignitatis, quæ Sedi Apostolicæ seorsum ab aliis Sedibus conveniat? Si 31 accusent, quis & qualis sit Gregorius VII. omnino nesciunt.

Decimus quartus est Urbanus II. qui anno MLXXXVIII. Pontificatum assumpsit. Hic in epistola, qua Benedicto Kemperlegiensi Abbati Gurloesii relationem in numerum Sanctorum petenti respondet, rem ita conficit: *Porro quæ de Gurloësii celebratione ab auctoritate nostra judicium expetisti, non eadem potest facilitate concedi. Non enim Sanctorum quisque debet canonibus adnosceri: nisi & testes adsint, qui ejus miracula visa suis oculis attestentur, & plenariæ Synodi communi firmetur assensu.* In tomo IV. Galliæ Christianæ. Inquisitores, opinor, non ibunt inficias, quin pii viri consecratio pertineat ad mores universalis Ecclesiæ: Et tamen Urbanus profitetur ingenue Sanctorum canonibus admiscendum non esse pium hominem, quin antea illius consecratio communi plenariæ Synodi assensu firmata fuerit. Ad Urbani testimonium Inquisitores nostros pudore frangi necesse est, nisi frontem amiserint.

Decimus quintus est Gelasius II. qui anno MCXVIII. in Petri Cathedram ascendit. Sic autem scribit in epistola I. ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Clericos, & Principes Galliæ: *De controversia, quæ inter Ecclesiam & regnum est, vel conventioni vel justitiæ libenter acquiescimus loco & tempore competenti, videlicet Mediolani vel Cremonæ in proxima beati Lucæ solemnitate fratrum nostrorum judicio, qui à Deo judices sunt constituti, & sine quibus hæc causa tractari non potest.* Diceres Gelasium eo scripsisse consilio, ut futuram Inquisitorum assertionem profligaret. Intrepidè Episcopos judices à Deo constitutos esse ait, & mox sine il- 32 lorum Episcoporum judicio causam, quæ inter Ecclesiam & Regnum erat, tractari non posse subjungit. At ergo ni fallor, diceres tu, id quod Inquisitores nostri asserunt, eo asserere consilio, ut dicta Gelasii profligent? Si diceres, id quidem repugnanter audirem. Sed quid reponerem, non haberem. ô egregium Inquisitorum consilium!

Decimus sextus est Innocentius II. qui anno MCXXX. Romanam Ecclesiam regendam accepit. Hic de Apostolicæ Sedis auctoritate à Senonensi Concilio usurpata non conqueritur, quòd illud Concilium Petri Abailardi dogmata confixerit. De sancto Bernardo non conqueritur, quòd in epistola CLXXXIX. ad seipsum scripta dixerit: *Denique scripsit mihi, sollicitante quidem ipso, Archiepiscopus Senonensis diem statuens congressionis, quo ille in præsentia ejus, & coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere prava dogmata sua, contra quæ ego mutire ausus fuissem. Abnui, tum quia puer sum, & ille vir bellator ab adolescentia sua, tum quia judicarem indignum, rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constet esse subnixam. Dicebam sufficere scripta ejus ad accusandum eum, nec mea referre*, SED EPISCOPORUM, QUORUM ESSET MINISTERII DE DOGMATIBUS JUDICARE. At verò per Deum immortalem tantùm abest, ut Innocentius de Senonensi Concilio, de Bernardo & de Bernardi propositione hac, EPISCOPORUM EST DE DOGMATIBUS JUDICARE, querelam habuerit ullam, ut potiùs Concilii sententiam auctoritate sua confirmaverit. Nunc si toleretur Inquisitorum assertio, dam- 33 nandus est Innocentius, quòd adversus Concilium & Bernardum Sedis Apostol. jura non vindicaverit, quòd in jurium Sedis Apostolicæ usurpatione, nefario & immani scelere connivendum sibi esse arbitratus fuerit. Neque hoc tantùm, quòd tamen sufficeret: sed & Episcoporum auctoritatem in decidendis fidei dogmatibus libenter agnoscit in epist. quam ad Senonense Concilium rescribit: *Injuriam*, inquit, *facit judicio reverendissimæ Synodi siquis semel judicata & rectè disposita revolvere, & iterum disceptare, & in contemptores hujus legis, tanquam in sacrileges pœna non deerit.* Et paullo post: *Verùm in hoc maximè consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, & tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclares voluit esse pastores, qui novi hæretici calumniis studeant obviare, & immaculatam sponsam uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hic aut Inquisitores errarunt, aut erravit Innocentius.

Decimus septimus est Eugenius III. qui anno MCXLV. Sacerdotale fastigium conscendit. Hic Pontifex Inquisitorum reprehensioni sese objicit, cùm apud Othonem Frisingensem in libro I. de gestis Frederici negotium Gilberti Porretani ad Remense Concilium remittit. Othonis verba sunt: *Dum ita per aliquot dies jam sæpedictus Episcopus* (Pictaviensis Gilbertus Porretanus) *coram Summo Pontifice* (Eugenio III.) *de fide sua Parisius discuteretur, sentiens Papa, utpote cautus & religiosus causæ difficultatem, protelandam eam usque ad Concilium universale adjudicavit. Erat enim in proxima mediana quadragesimæ Dominica, apud Galliarum Me-* 34 *tropolim Remis generale Concilium indictum.* Quis modò poterit Eugenium ab Inquisitorum reprehensione eximere, si non mentiuntur Inquisitores, cùm aiunt, *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinet, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire?* Nemo mehercle, nemo poterit. Vel Inquisitores errant, vel Eugenius, qui spreta & in Morbonium missa Inquisitorum assertione pugnat, Gilberti doctrinam ab univer-

universali Concilio dijudicandam esse: adeò non Sedi tantùm Apostolicæ dijudicandam reservaverit.

Decimus octavus est Alexander III. qui anno MCLX. Sedi Apostolicæ præesse cœpit. Inquisitores Alexandri literas, in quibus de generalis Concilii Lateranensis convocatione scribit ad Episcopos Thusciæ, vel non legerant, vel si legerant, in assertione sua viri sapientissimi pro nihilo putarunt. Sic autem scribit Alexander: *Quia in Ecclesia Dei correctione videmus quamplurima indigere, tam ad emendanda, quæ digna emendatione videntur, quàm ad promulganda, quæ saluti fidelium visa sunt expedire, de diversis partibus personas Ecclesiasticas decernimus evocandas, quarum præsentia & consilio, quæ fuerint salubria, statuantur, ut quod bonum est, secundùm consuetudinem antiquorum Patrum provideatur, & firmetur a multis. Quod si particulariter fieret, non facilè posset plenum robur habere.* Alexander Sedi Apostolicæ non tribuit, quod Inquisitores tribuunt. Credisne potiùs Inquisitoribus Sedis Apostolicæ traditionem ignorantibus, an Alexandro Pontifici? Res hæc deliberatione non indiget. Alexander colitur, Inquisitores respuuntur.

35 Decimus nonus Lucius in cap. IX. ad Abolendam de hæreticis, quæ sint Episcoporum hac in re jura constituit: *Universos qui de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione & matrimonio, & reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & observat, & generaliter quoscunque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diœceses suas cum concilio Clericorum, vel Clerici ipsi Sede vacante cum concilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum hæreticos judicaverunt, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Hic Pontifex declarat, quod in perpetua Ecclesiæ traditione positum erat, Episcopos nimirum de controversiis fidei & morum universalis Ecclesiæ definire, cùm singuli Episcopi per diœceses suas hæreticos judicent, qui fidem & mores universalis Ecclesiæ dogmatibus novis perturbant.

Vicesimus est Innocentius III. qui anno MCXCVIII. Romanum Episcopatum inivit. Aut Inquisitores vocem Innocentii suffocant, aut Innocentius Inquisitorum vocem suffocat, dum in libri III. Regest. XV. Epist. CIV. ad Philippum Regem Francorum ita scribit: *Diligenter audiens & perspicaciter intellectis, quæ nobis ex parte regia dilecti filii .:.:.:.: Abbas de Trappa, & I. Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus nostris studioso tractatu, non occurrit nobis aliqua via, per quam in his, quæ ipsi pro te postulaverunt a nobis tua secundum * possemus occurrere voluntas, sub obtestatione divini judicii protestantes, quòd libentissimè si possemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, a quo desideras*
36 *vehementer absolvi. Sed in carnali commercio inter te ac reginam conjugem tuam adeò est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto Magistro Roberto Corzon, nunc tituli sancti Stephani in Cælio Monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid diffinire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio nec sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* Cùm agitur de sententia Evangelica, agitur de re, quæ ad fidem & mores universalis Ecclesiæ spectat. Quocirca dignus est Innocentius, qui audiatur, cùm rem illam ad Concilium remittit. Sed loquente Innocentio Inquisitores obmutescant, aut si loqui volunt, non loquantur, nisi ut assertionem suam revocent; erroris & ignorantiæ suæ indicem luculentissimum.

Vicesimus primus est Gregorius X. qui anno MCCLXXII. ad Ecclesiasticæ dignitatis apicem pervenit. Hic Pontifex generale Concilium Lugduni cogere instituit, & quibus in literis indicit Concilium, proposito illius argumento subjicit: *Ad quod cùm nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos ad montem, montem*
quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde op- 37
portunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus & devotè speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum concilio generale Concilium, sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longaque observationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decernimus congregandum, ut in eo tam circa præmissa quàm circa cætera, quæ salutem respiciunt animarum, illa Deo auspice communi concilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur. Non erant tunc opinor Inquisitores, qui Gregorium ab indicendo Concilio deterrerent, & palam reciperent, quòd non pertineat ad Episcopale Concilium, sed *ad Sedem Apostolicam duntaxat, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* Aut igitur Pontifex universalem Ecclesiam universalis Concilii necessitatem docens errat, aut Inquisitores errant, dignique sunt, qui coarguantur ab omnibus.

Vicesimus secundus est Clemens V. qui an. MCCCV. ab Ecclesia Burdegalensi ad Romanam transiit. Inquisitores nostros pudore suffundit, cum Viennense Concilium sic indicit: *Ad quod cùm nos sufficere commodè non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devotè speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum eisdem fratribus nostris aliisque prudentibus viris exacto*
& frequenti tractatu præhabito, prout tanta necessitatis 38
instantia exigebat, de ipsorum fratrum concilio universale Concilium sicut imitatione digna sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longoque observationis exemplum nos instruit, à proximis Calendis Octobris ad duos annos immediatè sequentes decernimus congregandum, ut in eo tam circa dictum Ordinem (Templariorum) *& personas singulares & bona ejusdem & alia, quæ statum tangunt fidei Catholicæ, quàm circa temperationem & ordinationem & stabilitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, & libertatem earum illa Deo auspice communi concilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur.*

Deinde in constitutione de summa Trinitate & fide Catholica: *Nos igitur ad tam præclarum testimonium, ac sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes sacro approbante Concilio declaramus,* &c. Paullo pòst: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes) tanquam probabiliorem & dictis sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Inquisitores os & frontem perfricare oportet, cùm hæc inspexerint, quæ Clemens V. ex Gregorio X. suos in usus derivat, & cùm animadverterint, Clementem, quidquid decernit, nonnisi sacro approbante Concilio decernere. Hinc decernen-
di vis tota in Pontifice & Concilio simul residere 39
censenda est. Constitutio exprimit Gallicanæ Ecclesiæ sensum, quem habent Philippi Regis literæ ad Clementem missæ: *Absit à Regia perennitate sæculari in quæstione fidei quidquam, quod vestra sanctitas maximè*

sacro approbante Concilio deciderit, in aliquod unquam dubium vocare. Idem traditur in literis, quas Ludovicus Ebroicensis, & Guido sancti Pauli Comites ad eundem Clementem exararunt: *Absit à nobis tam execranda præsumptio in quæstione fidei quidquam, quod reverendissima sanctitatis vestræ Sedes & maximè sacro approbante Concilio decideret, in aliquod unquam dubium revocare.* Porro autem ex his verbis facile intelligitur, quid Clemens sibi velit, cùm ait: *Ad Apostolicam considerationem dumtaxat hæc declarare pertinet.* Quasi diceret: Non alius, quàm qui Sedi Apostolicæ præsidet, antistes id habet juris, ut quæstiones fidei decidat sacro approbante Concilio.

Vicesimus tertius est Martinus qui anno MCCCC. XVIII. ad Rom. accessit Ecclesiam. Hic Pontifex ab Inquisitorum nostrorum assertione & doctrina nisi abfuisset procul, executus non esset Constantiensis Concilii decretum, quo generalium Conciliorum necessitas omnino asseritur. Nam asserta generalium Conciliorum necessitate dici non potest, *Ad Sedem Apostolicam dumtaxat pertinere controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* Siquidem ad generalia Concilia pertinet controversias hujusmodi suprema auctoritate dirimere. Sed Constantiensis Concilii decretum referendum est ad perpetuam Inquisitorum ignominiam: *Martinus Episcopus servus servorum Dei, ad*
40 *futuram rei memoriam. Cupientes ac volentes decreto hujus generalis Concilii satisfacere inter alia disponenti, quòd omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem Summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii, approbante & consentiente Concilio deputare & designare teneatur, pro loco dicti proximè futuri Concilii celebrandi supradicti, eodem consentiente & approbante Concilio civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus, & etiam assignamus, statuentes & etiam decernentes, quòd Prælati & etiam alii, qui ad generalia Concilia debent convocari, tempore prædicto civitatem ipsam Papiensem accedere teneantur.* At si quis decretum hoc cum Inquisitorum assertione contendat, decretum ut sanctissimum observabit, Inquisitorum verò assertionem, ut Ecclesiæ Dei periculosam execrabitur.

Vicesimus quartus est Eugenius IV. qui anno M. CCCCXXXI. Petri Cathedram obtinuit. Rem decernit in Bulla III. quæ in Basileensis Concilii sessione XVI. refertur: *Si Papa,* inquit, *vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, & contra Concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus Legati personam Summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habet potestatem Papa, nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quid tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Si Eugenio judice in his duobus rerum momentis Concilii sententia anteponenda est Romani Pontificis sententiæ, Concilium longè certiùs, quàm Pontifex controversias fidei & morum
41 universalis Ecclesiæ definiet. Quo ita posito, quid Inquisitorum assertione hac fiet? *Ad Sedem Apostolicam dumtaxat pertinet, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* Eugenius porro Bullam hanc, ut pacem ineat cum Patribus Concilii, revocat propter verba illa, quibus Papam super omnia Concilia potestatem habere dicit, & revocando, reliqua quæ primum asseruisse dicitur, confirmat. Cæterùm quidquid id est, certum omnino redditur, cùm apud Blondum Eugenii scribam in Decadis III. libro X. fidei definitionem edidit: *In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti, hoc sanè universali approbante Concilio* (Florentino) *definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur,* &c. Qua ratione & via ostenditur ex universalis Concilii approbatione definitionem illam maximè pendere, & Romanum Episcopum non posse auctoritate, quæ falli nequeat, de rebus fidei decernere, non approbante universali Concilio: Et sic assertio Inquisitorum Eugenio Papæ IV. repugnat.

Vicesimus quintus est Julius II. qui anno MDIV. Sedi Apostolicæ præsidere cœpit. Hic statim atque electus est, Inquisitorum assertionem penitus diruit, cum sacramento promisit convocaturum se esse generale Concilium, & reformaturum Ecclesiam *in capite & in membris.* Quæ duo cum plerisque aliis præcedunt sacramentum, quo ita se obstrinxit: *Ego Julius II. electus in Summum Pontificem præmissa omnia & singula promitto, juro, & voveo observare, & adimplere in omnibus & per omnia purè & simpliciter & bona fide, realiter & cum effectu, & sub pœna perjurii & anathematis, à quibus nec meipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam.* Cum in capite & in membris reformatur Eccle- 42
sia, vix fieri potest, quin dirimantur controversiæ, quæ ad fidem & mores universalis Ecclesiæ pertineant. Si jurejurando pollicitus est Julius id facturum se esse, quo Sedis Apostolicæ jura violarentur, capti sunt Inquisitores & illorum extabescit assertio. Si verò pollicitus est id facturum se esse, quo Sedis Apostolicæ jura minimè violarentur, nulli sunt Inquisitores. Quia quod ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere dicunt, ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere non potest.

Vicesimus sextus est Hadrianus VI. qui anno MDXXII. ad gubernandam Romanam Ecclesiam aggressus est. Ut Inquisitores gravissimi erroris coarguantur, referenda sunt tantùm, quæ duobus in locis scribit. Unum ad Romanum Pontificem spectat, & sic se habet in quartum sent. De ministro Confirmationis: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico 1. quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum est, quòd possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Romani Pontifices hæretici. Item & novissimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei, & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa matrimonium. De quo in cap. Licet, de spon. du-* 43
orum. Item patet hoc de errore, quem ediderat Celestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim: Cujus error habebatur olim in alia compilatione in cap. Laudabilem, de convers. conjug. Ut refert Ostiensis in cap. Quantò, de divortiis: Non tamen dico Gregorium hic errare. Sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.

Alterum verò ad Sedem Apostolicam pertinet, & sic se habet in mandatis, quæ Francisco Cheregato in Germaniam eunti dedit: *Scimus in hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata: Nec mirum si ægritudo à capite in membra, à Summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit.* Hic vel cadant Inquisitores, vel Hadrianus; sed Hadriano cadente stare non potest illorum assertio.

Vicesimus septimus est Clemens VII. Medicæus, qui anno MDXXIV. Hadriano successit. Hic Pontifex Inquisitoribus nostris dicam erroris impingit in Epistola, quam de celebrando Concilio generali ad Franciscum I. scripsit anno MDXXXIII. IV. Nonas Januarii: *Superiore biennio, sicut tua Majestas recordari potest, cùm serenissimum Cæsarem, quamquam pro sua inclita pietate omnia conatum, tamen in Conventu Augustano, nihil remedii ad Lutheranam hæresim in Germania tollendam præ illorum obstinatione afferre potuisse audiremus, solùmque Concilii generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum superesse videremus, habita super hoc cum venerabilibus* 44
fratri-

fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, ad ipsius Concilii generalis indictionem in Italia & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, id tua Majestati sicut Cæsareæ & cæteris Principibus significandum communicandúmque duximus. Ex his autem verbis, *Solúmque Concilii generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum*, observare tria oportet.

Primum, quod generale Concilium est præclarum tollendæ hæresis remedium: deinde, quòd remedium est unicum: denique, quòd remedium hujusmodi ad tollendas hæreses ab Romanis subinde Pontificibus adhibitum esse dicitur. Hæc autem manifeste demonstrant Inquisitores maximo in errore versari, cùm asserunt, *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ definire.*

Vicesimus octavus est Paulus III. qui anno MDXXXV. Clementi VII. successit. Hic Pontifex Inquisitorum assertionem non potuit validiùs redarguere, quàm in indictione Tridentini Concilii redarguit: *Animo*, inquit, *repetentes, majores nostros sapientia admirabili & sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ Reipublicæ periculis remedium optimum, atque opportunissimum œcumenica Concilia, Episcoporum generales conventus adhibuisse; ipsi quoque animum ad generale habendum Concilium adjecimus, exquisitisque Principum sententiis, ut quorum nobis videbatur utilis inprimis & opportuna ad hanc rem esse consensio, cùm eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, œcumenicum Concilium, & generalem cœtum Episcoporum, aliorúmque Patrum, ad quos*
45 *pertineret, Conventum in civitate Mantua indiximus.* Et post alia: *Verùm in illo congressu colloquióque nostro, quod Nicææ habitum est, etsi peccatis nostris impedientibus, inter duos principes vera & perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ sunt, quarum opportunitate nos sperantes & sacrum Concilium commodius celebratum iri: Deinde ex Concilii auctoritate perfici posse pacem.* Et primùm quidem appellat Paulus Sedis Apostolicæ traditionem, seu majorum consuetudinem, qua Romani Pontifices imminentibus Christianæ Reipublicæ periculis convocabant Episcopos, & tunc generale celebrabatur Concilium: Deinde hoc nominat sanctum opus, quod minimè sanctum esset, si verum Inquisitores dicerent. Nempe violaretur auctoritas Sedis Apostolicæ, *Ad quam*, ut aiunt, *duntaxat pertinet, controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ definire.* Postremò his verbis, *ex Concilii auctoritate perfici posse pacem*, Concilio tribuitur, quod Sedi Apostolicæ duntaxat conveniret, eóque pacto reus esset Pontifex, vel Inquisitores rei essent. Non Pontifex, qui Sedis Apostolicæ morem sequitur, sed Inquisitores, qui ab eo deflectunt per summam rerum Ecclesiasticarum inscitiam, vel per stolidè affectatam Episcopalium jurium occupationem: Stolide affectatam dico, quòd assertionem suam, quocunque intelligatur sensu, nequeant duobus veræ Theologiæ principiis, scripturæ auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione comprobare, immo ne adumbrare quidem.

Vicesimus nonus est Pius IV. qui anno MDLX. Romanam Ecclesiam administrare cœpit: Hic Aposto-
46 licæ traditionis lineam adversus Inquisitores claudit, dum in forma juramenti professionis fidei sic scribit: *Injunctum nobis Apostolicæ servitutis officium requirit, ut ea, quæ Dominus omnipotens ad providam Ecclesiæ suæ directionem sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad ejus laudem & gloriam incunctanter exequi properemus.* Sic non ad solam Sedem Apostolicam sed etiam ad sanctos Patres in Dei nomine congregatos, pertinet, controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ definire.

Hæc est secunda ratio, quæ postquam Sedis Apostolicæ traditionem per Ipsiusmet Sedis antistites explicuit, de auctoritatis robore cum prima certat, nec minùs fortiter, quàm prima Inquisitorum assertionem refellit, & execratione omni dignam ostendit.

Tertia ratio quærenda mihi est ex Conciliis, quæ Episcopis cæteris æquè ac Romano jus dirimendi controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ attribuunt. Nec existimaverunt unquam ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire, contrà quàm existimant Inquisitores hodierni, scilicet Alexandro VII. Pontifice.

Quo tempore Constantinus regebat Imperium, antiqua jam opinio Christianorum mentes occupaverat, Episcoporum Concilia, in quibus de fide & moribus Ecclesiæ tractaretur, sic esse necessaria, ut, qui ea tolleret, evertendæ religioni sanctæ viam latissimam patefaceret. Quiquid id est, apertè constat in libri I. de vita Constantini capite XLIV. ubi agitur de Licinio Christianorum vexatore: *Primùm*, inquit Eusebius, *contra Dei ministros ejus subjectos Imperio, qui nunquam quidquam criminis contra. Imperium admisissent,* 47
pedetentim, tum & dissimulanter causas astutè & fallaciter confictas aucupari molitus est, & cùm nullum crimen ipsi suppeteret, nec haberet, quod viris illis omnino posset objicere, legem promulgavit, quâ quidem præcepit, ut neque Episcopi inter se de rebus suis communicarent, neque cuiquam illorum copia esset aliquam Ecclesiam in proximo adeundi, neque conventus, aut consilia, aut deliberationes de rebus ad utilitatem ipsorum spectantibus, instituendi. Atque hæc tanquam ansa illi fuit, ad nos protervè contumeliosèque tractandos. Aut enim legem violando supplicio obnoxios esse oportebat, aut legis præcepto morem gerendo Ecclesiæ ritus & instituta evertere. Nam magnæ & graves deliberationes de rebus controversis susceptæ non aliter possunt, quàm per rectam Conciliorum administrationem ratione & via procedere. At revera Dei hostis Licinius quoniam Constantini pii Imperatoris institutis contraria moliri decreverat, ejusmodi exequi contra nos mandavit. Nam ut hic Sacerdotes Dei, quòd honor illius, quem sanctè colebant, illustraretur, ad pacem studuit & mutuam concordiam adducere: Sic ille honesta disturbare machinatus, consentientem Ecclesiæ harmoniam disrumpere divellerèque contendit: Scilicet promulgatâ lege impediens, ne ab Episcopis Concilia celebrarentur. Si tunc in Ecclesia Dei id creditum esset, quod homines egregiè cordati nobis modò persuadere volunt, Licinii edictum Christianis timorem incussisset nullum, modò Romana perstitisset Sedes, *Ad quam duntaxat pertinet controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ definire.* Sic ab initio Ecclesiæ præfocatur nova Inquisitorum nostrorum assertio.

Arelatense Concilium I. quod circa tempus illud 48
habitum est, rem adversus illos homines decernit in epistola, quam Patres ad Silvestrum Papam miserunt. Verba sunt: *Utinam frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesse tanti fecisses, profectò credimus, quia in eos severior fuisset prolata sententia,* ET TE PARITER NOBISCUM JUDICANTE *cœtus majore lætitia exultasset.* Quid est hoc? *& te pariter nobiscum judicante,* si *ad Sedem Apostolicam duntaxat pertineat controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire?* Nonne verba hæc parem in Silvestro & in aliis Arelatensis Synodi antistitibus judicandi potestatem important? Non reclamarunt Papæ Legati quatuor, qui Concilio interfuerunt, non reclamavit Silvester, postquam Concilii epistolam accepit. Non reclamantibus aut Silvestri Legatis quatuor, aut Silvestro ipso, cujus reclamare vel interérat maximè, reclamabúntne Inquisitores nostri? Si non reclament, cum infamia peribit illorum assertio. Si reclament, turpissimæ [illegible] accusabuntur, & sine controversia perniciosæ & intolerandæ novitatis rei peragentur.

Nicænum Concilium ab Arelatensi Concilio non dissentit in epistola, quam ad Alexandrinam Ecclesiam scripsit: *Quoniam*, inquit, *Dei gratia, Deóque carissimo Principe Constantino ex diversis provinciis & civitatibus nos convocante magna & sancta Synodus Nicææ celebrata est, necessarium duximus ab universo sacro Concilio etiam ad vos literas mitti, ex quibus intelligere*

gere possitis, quænam in eo proposita & examinata, quænam decreta ac stabilita sint. Ante omnia siquidem sub
49 *oculis Deo carissimi Imperatoris nostri Constantini discussa fuerunt impia & perversa Arii dogmata,* OMNIUM
SUFFRAGIIS *placuit impiam ejus opinionem anathemate damnari.* Synodus inter omnes, qui tulerunt suffragium, non distinguit. *Omnium suffragiis*, perinde est, atque Silvestri Legatis cum reliquo Episcoporum consessu judicantibus, ut Arelatense Concilium loquitur. Mutatum quidem in aliquibus verbis, sed nihil in doctrina mutatum. At si *controversias fidei universalis Ecclesiæ definire ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinet*, Nicænam Concilium jus Sedis Apostolicæ usurpavit, arbitris Inquisitoribus. Hoc autem dictu nefas esse quis non videt?.

Romanum Concilium, quod apud Theodoretum in lib. II. hist. cap. XVII. sic inscribitur: *Episcopi Romæ in sacro Concilio congregati, Damasus, Valerianus, & cæteri dilectis fratribus per Illyricum constitutis*, invictam rationem suppeditat, cùm ait: *Quam salutarem definitionem* (Nicænæ Synodi) *adorabilémque deliberationem corrumpere quidam aliis cogitationibus ac temerare voluerunt, sed in ipso principio ab his ipsis, qui Arimini novare ac retractare compellebantur, eatenus res correcta est, ut confiterentur sibi alia disputatione surreptum, quòd non intelligerent Patrum sententiæ apud Nicæam constitutæ hoc esse contrarium. Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia expectanda erat sententia, neque Vincentium, qui tot annorum Episcopatum integrè gesserat, neque alios talibus præbuisse consensum.* Hic Concilium, hic Damasus non dicit, Ariminense Concilium errasse, quod jura Se-
50 dis Apostolicæ violaverit, *Ad quam duntaxat pertineat controversias fidei universalis Ecclesiæ definire.* Id neque Concilium, neque Damasus dicit: Dicendum tamen erat, si vera esset Inquisitorum assertio; sed quoniam falsissima est, dictum minimè fuit.

Concilium Italiæ in epistola V. ad Theodosium Imperatorem, quæ sic inscribitur: *Beatissimo Imperatori & clementissimo Principi Theodosio Ambrosius & cæteri Episcopi Italiæ*, petit, ut Nectarius Constantinopoli post Maximum ordinatus loco cedat, aut Romæ super utriusque ordinatione Concilium habeatur: *Quia revera*, inquit, *adverrebamus Gregorium nequaquam secundùm traditionem Patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ sibi Sacerdotium vindicare: Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Episcopis videbatur esse præscripta, nihil temere statuendum esse censuimus. Adeo ipso tempore, qui generale Concilium declinaverunt, Constantinopolique gessisse dicuntur. Nam cùm cognovissem ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure & more majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur: Cùm eum sicut diximus, experiri velle adversum eos, qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissem, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt: Non prærogativam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii. Postremò prius constare oportuit, utrum huic abrogandum, quàm alii conferen-*
51 *dum Sacerdotium videretur. Ab his præsertim à quibus se Maximus vel destitutum, vel appetitum injuriis querebatur. Itaque cùm Maximum Episcopum receperimus in communionem nostra consortia, quoniam eum à Catholicis constitit Episcopis ordinatum, ne ab Episcopatu Constantinopolitano putavimus petitione removendum. Cujus allegationem præsentibus partibus æstimavimus esse pendendam. Nectarium autem cùm nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus partibus non videmus, præsertim cùm ab iisdem Nectarius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quadam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certè super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum Orientaliúmque Concilium. Neque enim indignum videtur, Auguste, ut Romanæ Ecclesiæ antistitis, finitimorúmque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholii Episcopi ita expectandum esse putaverunt, judicium, ut de Occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent. Siquid uni huic reservatum est, quanto magis pluribus reservandum est? Nos autem à beatissimo Principe fratre tuæ pietatis admoniti, ut tuæ clementiæ scriberemus Imperio, postulamus, ut ubi una communio est, commune velis esse judicium, concordantémque consensum.* Quot periodi, tot fulmina, quibus Inquisitorum, id est, Novatorum assertio percellitur.

Concilium non dicit: *Ad hoc partium non venit*
Maximus, ut causam in Sede Apostolica duntaxat age- 52
ret suam. Sed Concilium dicit *ut causam in Synodo ageret suam.* At Synodus est plurium Episcoporum.

Concilium non dicit: *Athanasius & Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi ad Romanæ Ecclesiæ duntaxat judicium confugerunt*, ut ad mentem Inquisitorum dicere debuit: Sed Concilium dicit: *Athanasius & Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ & totius Occidentis confugerunt judicium.*

Concilium non dicit: *Prærogativam examinis apud Sedem Apostolicam duntaxat vindicamus:* Sed Concilium dicit: *Non prærogativam vindicamus examinis.*

Concilium non dicit: *Apud Sedem Apostolicam duntaxat arbitrium esse debuit:* Sed Concilium dicit, *consortium debuit esse communis arbitrii.*

Concilium non dicit: *Priùs constare apud Sedem Apostolicam duntaxat oportuit, utrum huic* (Maximo) *quàm alii* (Nectario) *conferendum Sacerdotium videretur:* Sed Concilium dicit: *Priùs constare oportuit, utrum huic, quàm alii conferendum Sacerdotium videretur. Ab his præsertim, à quibus se Maximus vel destitutum vel appetitum injuriis querebatur.*

Concilium non dicit: *Super duorum ordinatione apud Sedem Apostolicam duntaxat judicium esse debet:* Sed Concilium dicit: *Super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum* (Occidentalium) *Orientaliúmque Concilium.*

Concilium non dicit: *Non indignum videtur ut Ro-*
manæ Ecclesiæ antistitis debeant subire tractatum: Sed Con- 53
cilium dicit: *Non indignum videtur, ut Romanæ Ecclesiæ antistitis, finitimorúmque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum.*

Concilium non dicit: *Postulamus ut apud Sedem Apostolicam duntaxat, judicium sit:* Sed Concilium dicit: *Postulamus, ut ubi una communio est, commune velis esse judicium.*

In summa, Inquisitores & Concilium ita pugnant inter se, ut simul stare nequeant. Inquisitorum sine dubio cadet assertio, & Concilium stabit firmissimè. Extinguetur Inquisitorum novitas, & doctrinæ Concilii antiquitas durabit ad longum tempus, & efflorescet in dies.

Constantinopolitanum Concilium I. occurrit, quod Gregorius Papa I. ut Evangelium reveretur. Sed illud tollendum est e Conciliorum numero, si admittatur Inquisitorum assertio. Quod breviter ac dilucidè expono. Annus volvebatur trecentesimus octogesimus, cùm Synodus Constantinopoli coacta est, maximè, ut dirimeret controversiam, quæ erat inter Gregorium à Nazianzena Ecclesia ad Constantinopolitanam translatum, & Maximum creatum ejusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsulem. Meletius Antiochenus Episcopus Gregorii translationem confirmaverat, & Timotheus Alexandrinus Maximum ordinaverat. Gregorius translationi

renun-

renuntiavit, & Synodus Maximum amovit, & in illius locum Nectarium suffecit. Maximus interea confugit ad Occidentales, qui eum suam in communionem acceperant. Tum, ut ait Theodoretus in lib. v. hist. capite VIII. *Canonibus ad rectam Ecclesiæ administrationem editis Nicæaque exposita fide palam confirmata in suam quisque patriam reversi sunt.*

54 *Sequenti æstate cùm ad eandem urbem Ecclesiasticis iterum negotiis evocati plurimi redüssent, Synodicam ab Occidentalibus Episcopis Epistolam acceperunt, qua invitabantur, ut Romam ad Synodum, quæ ibi maxima cogebatur, se conferrent. Verùm hi longinquam quidem profectionem velut inutilem futuram deprecati sunt. Epistolam autem miserunt, in qua procellam contra Ecclesias excitatam significantes, illorum hac in re negligentiam denotabant, Apostolica quoque doctrinæ summam iisdem literis includerunt. Sed scribentium virtutem ac sapientiam litera ipsa apertiùs declarabunt,* Cap. IX.

Epistola Synodica Concilii Constantinopolitani.

Dominis honoratissimis & reverendissimis fratribus & collegis, Damaso, Ambrosio, Britoni, Valeriano, Ascholio, Basilio, & reliquis sanctis Episcopis in magna urbe Roma congregatis, sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum, qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt, in Domino salutem. Deinde circa mediam Epistolam: *Nos sive persecutiones, sive cruciatus, imperatorias minas, sive crudelitatem judicum, sive aliam quamcumque tentationem pertulimus, pro Evangelica fide à trecentis decem & octo Patribus apud Nicæam Bithyniæ confirmata sustinuimus: Hanc utique & vobis & nobis & omnibus, qui vera fidei verbum non pervertunt, probari convenit, ut quæ antiquissima sit, & baptismati consentanea, docens nos credere, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ita nimirum ut una credatur Divinitas & potentia & substantia Patris & Filii, & Spiritus Sancti, æqualis-*
55 *que dignitas, & imperium coæternum in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis, ut neque Sabellii pestis locum inveniat, qua hypostases confundantur, tollanturque proprietates, neque Eunomianorum, Arianorúmque & eorum, qui Spiritum Sanctum oppugnant, vires habeat blasphemia, qua substantiam seu naturam & divinitatem discindit, atque increatæ & consubstantiali & coæternæ Trinitati posteriorem quandam aut creatam, aut diversæ substantiæ naturam inducit. Incarnationis quoque doctrinam incorruptam servamus, neque animæ neque mentis expertem, aut imperfectam carnis dispensationem suscipientes; sed totum scientes perfectum ante sæcula Dei verbum, perfectum in novissimis diebus salutis nostræ gratia hominem factum. Quæ igitur ad fidem attinent, quam apertè prædicamus, in summa sunt hujusmodi: De quibus ampliùs animis vestris satisfacere poteritis, si tomum Synodi Antiochenæ, & eum qui superiore anno Constantinopoli à Synodo universali est editus, inspicere dignamini, ubi & fidei confessionem uberiùs exposuimus, & in recèns adinventas hæreses anathematis sententiam perscripsimus.* Hæc omnia, in quibus inscio Rom. Pontifice & damnantur hæreses & fidei symbolum editur, Inquisitores nostri penitus ignorant, cùm aiunt: *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinet, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire.* Et nisi fateantur omnia hæc ignorare se penitus, ab intolerando errore nunquam eximentur, si tamen eximi possint. Crassa & pinguis est ignorantia, quæ in ipsis pueris non verbis tantùm, sed etiam verberibus castigaretur. Hoc unum metuendum
56 est, ne quæ ex Synodica Constantinopolitani Concilii Epistola retulimus, fabulosis narrationibus adscribant, quo minus videantur ignorare, quod ignorant. At si audent illa fabulosis narrationibus adscribere, continuò damnabuntur ab Ephesina Synodo, quæ Constantinopolitani Concilii symbolum refert & confirmat. Damnabuntur à Calchedonensi Synodo, quæ & idem exequitur.

Lateranense Concilium I. quod Martinus Papa primus contra Monothelitas habuit, sic per os Pontificis Inquisitorum assertionem refellit, in Secretario 1. *Pertimescens imminentem iram super eos, qui negligenter opus Dei faciunt, necessarium fore prævidi, omnes vos, qui secundùm gratiam ejus Sacerdotale officium geritis, invitare, & propter hanc quæstionem in nomine Domini congregare in unum, quatenus communiter omnes, ipso utique Deo respiciente & judicante nos ipsos, sed & nostra omnia de prædictis viris, sine novitate in dogmatibus eorum exposita tractare debeamus, & maximè præceptum habentes Apostolicum, attendere nos ipsos & gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Dei Ecclesiam, quam acquisivit per sanguinem proprium.* Concilium ut de Martino, ita & de cæteris Episcopis loquitur: Quibus omnibus ex Apostolo incumbit de rebus tractare, quæ ad fidem universalis Ecclesiæ pertinent. Hoc autem ita constituto perspicuè sequitur, Inquisitores errare gravissimè, cùm asserunt, *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere controversias fidei, & morum universalis Ecclesiæ definire.* Quis enim diceret Concilium ex eo falli, quòd jura Sedis Apostolicæ ignoret? Quis proferret Inquisitores anno MDCLIX. ea Sedis Apostolicæ jura novisse, quæ anno DCXLIX. Lateranense Concilium latuerint?

Lateranense Concilium II. quod concessum à Pascali 57
II. Henrico Regi privilegium rescidit, non minùs profligat Inquisitorum assertionem: *Porro scriptum illud* (de investituris) *quod magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute aut gloria, sed pro solis Ecclesiæ necessitatibus, sine fratrum consilio, aut subscriptionibus feci, super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur, sicut pravè factum cognosco, ita pravè factum confiteor, & omnino corrigi Deo præstante desidero. Cujus correctionis modum fratrum, qui convenerunt, consilio, judicióque constituo, ne fortè per hoc imposterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, aut animæ meæ præjudicium relinquatur.* Et post editam à Pascali professionem fidei quam præscripsit Concilium, subjicitur: *Privilegium illud, quod non est privilegium (neque enim dici debet privilegium, sed pravilegium) pro libertate captivorum & Ecclesiæ à Domino Papa Pascali per violentiam Henrici Regis extortum, nos omnes in sancto Concilio cum eodem Domino Papa congregati, canonica censura, & Ecclesiastica authoritate, judicio Sancti Spiritus damnamus, & irritum esse judicamus, atque omnino cassamus.* Pascalis sese Concilii judicio subjicit, tantùm abest, ut conqueratur de Concilio, quod in jus Sedis Apostolicæ involarit. Concilium profitetur damnare se judicio Spiritus Sancti privilegium, quod damnat, ut damnandi potestatem, quam in concessum à Pontifice privilegium exercet, à Deo derivari, non ab ipso Pontifice demonstret.

Nunc prodeat Florentinæ Synodi circa dignitatem Papæ decretum, quod post habitas ultrò citróque concertationes editum est: *Item definimus sanctam Apostoli-* 58
cam, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, QUEMADMODUM ET IN GESTIS OECUMENICORUM CONCILIORUM, ET IN SACRIS CANONIBUS CONTINETUR. Sic refert Flavius Blondus Eugenii Papæ IV. scriba, & eam ob causam vir minime suspectus, cui Græcus textus consentit. (καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται). *Juxta eum modum, qui & in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Sic igitur exercenda est Romani antistitis potestas, quemadmodum & in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris canonibus continetur. Ad

præ-

præscriptos limites hujusmodi si vocetur Inquisitorum assertio, ut vocari necessario debet, penitus conclamata est. Nam in sacris canonibus & in gestis Oecumenicorum Conciliorum, ad quæ potissime respectum habet Synodus, Inquisitorum assertionis nec vola nec vestigium. Quibus quæso in canonibus, quibus in actis Oecumenicorum Conciliorum legitur assertio hæc, *Ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinet, controversias fidei, & morum universalis Ecclesia definire?*

Accedant Legati, quos Sedes Apostolica ad Tridentinum Concilium misit. Proponant nobis rationem cujus ope intercesserunt, ne in actis Concilii adhiberetur
59 formula hæc: *Concilium, vel Synodus universalem repræsentans Ecclesiam.* Apud utrumque Concilii Historicum, *Formulam hanc nec in Conciliis, nec in canonibus antiquis reperiri* proponunt. In hac ratione perstiterunt firmiter, etiamsi præsules quidam exigerent, ut adhiberetur formula, quam Concilia quatuor, Pisanum, Constantiense, Senensa, & Basiliense, & Pontifices numero tres Martinus V. Eugenius IV. & Leo X. auctoritate & usu suo consecraverant. Ut interim missum faciam Tertullianum scriptorem antiquissimum, qui in libri de Jejuniis capite XIII: scribit in Conciliis totius Christiani nominis repræsentationem celebrari: *Aguntur*, inquit, *per Gracias illa certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per qua & altiora quaque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur, & hoc quàm dignum fide auspicante congregari undique ad Christum.* In summa Legati vicerunt. Sic parata nobis est contra Inquisitores victoria, si pugnemus nec in Conciliis, nec in canonibus antiquis reperiri, quòd *ad Sedem Apostolicam duntaxat pertineat, controversias fidei & morum universalis Ecclesia definire.*

Accedat denique fidei professio, quam Pius IV. ad Tridentini Concilii mentem edi curavit. Inquisitores in assertione sua neglexerunt professionis illius articulum hunc: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.*

60 Neglexerunt, inquam, quia in Scripturæ totius contextu locus nullus est, cui juxta unanimem consensum Patrum intellecto quod Inquisitores sibi tam confidenter vindicant, innitatur. Ad hanc regulam si expendatur Inquisitorum assertio, ut expendi debet, longè latéque propulsabitur, & de perniciosa novitate damnabitur.

Hæc est ratio tertia, quam ex conciliis comparaturum me esse promiseram. Verùm, quia ut sine amatore fœditas est nulla, sic & sine patrono nulla est fatuitas, Inquisitores facti sui patronum habent Joannem Montesonum, qui ad annum MCCCLXXXVII. vixit, & Theologicis studiis operam dedit Lutetiæ. Hic in actu Vesperiarum, ut vocamus, certas quasdam de beatæ Virginis Conceptione theses posuit, quas ab eo sacra Facultas revocari voluit. Sed ille revocare noluit, Romanum appellavit Pontificem, qui tunc Avenione sedebat, & à Gallis ut legitimus Petri successor agnoscebatur Clemens VII. Montesonus causabatur judicari se nec a sacra Facultate, nec à Parisiensi Episcopo, qui judicio intervenerat, potuisse; id ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere. Sic in appellationis instrumento fuisse colligitur ex conjectione causæ seu tractatu, quem adversus Montesonum, Petrus Alliacus tunc Navarrici Collegii Magister, Theologicæ Facultatis nomine composuit. Quo in tractatu de illa appellationis causa censet hoc modo.

Tertiò dicendum est, quòd illud quod dictus frater ad sua appellationis fundamentum principaliter assumit, scilicet, quòd solius Sedis Apostolica est declarare, damnare, & reprobare: Et iterum, quòd eorum, qua tangunt fidem ad solum Summum Pontificem pertinet examinatio & decisio, Hoc, inquam, continet manifestam hæresim, & 61
est dictum sibi ipsi repugnans, & contrarium, ideo & propter hoc solum, si nihil aliud erroneum dixisset, Romana Ecclesia ipsum deberet cogere ad revocandum.

PRIMA RATIO.

Et istud declaratur 1. supponendo, quid sit Sedes Apostolica: Nam ipsa, vel est universalis Ecclesia, vel aliquod generale Collegium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia Romana, in qua scilicet Ecclesia sedet, id est, cui præsidet Summus pontifex. Et ideo ipse & Sedes Apostolica non sunt idem, sicut non sunt idem Sedes & Sedens.

Ex quibus clarè patet, si ad solam Sedem Apostolicam pertinet circa fidem declarare vel reprobare, quòd ad solum Summum Pontificem pertinent eorum, qua sunt fidei, examinatio & decisio, hoc ad solam Sedem Apostolicam non pertinet. Quod in illo dicto est manifesta repugnantia.

SECUNDA RATIO.

Item hoc tertium dictum manifestè repugnat primo dicto, ubi asserit, quòd Stephanus Episcopus Parisiensis & Facultas Theologia approbaverunt doctrinam sancti Thoma.

Ex quo sequitur, quòd nec ad solam Sedem Apostolicam, nec ad solum Summum Pontificem pertinet eorum qua sunt fidei declaratio, decisio, vel approbatio.

TERTIA RATIO.

Item secunda pars illius dicti, scilicet, quòd ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, qua tangunt fidem, examinatio & decisio, continet manifestam hæresim, imo multas hæreses.

PRIMA HÆRESIS.

62 *Primò, quia per illum exclusionem excluditur universalis Ecclesia & generale Concilium eam repræsentans. Quod est hæreticum, quia in causis fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium. Sicut patet 19. dist. Cap. Anastasius, & manifestum est, quòd ad ipsum pertinet Concilium in causis fidei definire. Sicut patet ex auctoritate Gregorii 15. dist. capitulo sicut.*

SECUNDA HÆRESIS.

Secundò per illud excluditur Sedes Apostolica, ac dictum est, quod est contra ipsum, & est manifestè hæreticum.

TERTIA HÆRESIS.

Tertiò excluduntur Episcopi Catholici ab omnimoda cognitione, examinatione, & decisione eorum, qua sunt fidei: Quod est contra jus tam divinum, quàm humanum, sicut clarè patet ex secunda conclusione. Quæ sub initium tractatus sic se habet: *Ad Episcopos Catholicos* (seorsum à Concilio) *pertinet auctoritate inferiori & subordinata circa ea, qua sunt fidei, judicialiter definire. Et hoc probatur: Quia ad eos pertinet auctoritate judiciali inferiori & subordinata in fide definire, ad quos pertinet consimili auctoritate Ecclesiam regere. Sed ad Episcopos Catholicos pertinet secundum. Ergo & primum. Major patet, quia Ecclesia regimen maximè concernit fidem: Et ideo cui jure divino committitur Ecclesiam regere, ei eodem jure committitur de fide cognoscere & judicare: Sed minor probatur auctoritate Pauli Actorum 20. cap. ubi dicit, Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Unde patet, quòd jure divino & auctoritate Spiritus*
Sancti Episcopi positi sunt ad regimen Ecclesia Dei. Regi- 63
men autem importat judicialem auctoritatem: Ergo sequitur, quòd ad eos pertinet auctoritate judiciali inferiori & subordinata, id est, suprema auctoritati subjecta Ecclesiam regere, & per consequens de fide cognoscere, & in ea judicare. Unde quòd de tali regimine ad fidem pertinente loquatur Apostolus, ex hoc patet, quòd ibi hortatur Episcopos adversus hæreticorum fidem subverten-
tium

tium nequitiam vigilare. *Nam immediatè sequitur: Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, & exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, propter quod vigilate. Et ideo exemplo Pauli Summus Pontifex & Concilium generale sub gravium comminatione pœnarum ad vigilem hæreticæ pravitatis expurgationem alios hortantur Episcopos. Unde extrà de hæreticis, cap. Excommunicamus. in fine sic concluditur: Si quis enim Episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, ab Episcopali officio deponatur, & in locum illius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere pravitatem.* Et paullo post:

Ex quibus omnibus satis patet, quòd tam jure divino, quàm humano ad Episcopos pertinet hæreticos & hæreticam pravitatem judicare, & per consequens assertiones hæreticas condemnare judicialiter, & auctoritate judiciaria veritates Catholicas definire. Ex Manuscripto Cod. Navarrici Collegii in Parisiensi Academia.

Hæc est hæreseos nota, quam nostra Theologiæ Facultas annis abhinc ducentis septuaginta & octo Inquisitorum assertioni per antecessum inussit, & 64 justè inustam esse nostræ rationes tres perspicuè confirmant. Sed quod observatu dignum est, Facultas communem Montesono & nostris Inquisitoribus assertionem multò antè damnavit, quàm Romanæ Inquisitionis congregatio institueretur. Quocirca Inquisitores, qui anno MDCLIX. sibi sumpserunt, *ad Sedem Apostolicam duntaxat pertinere, controversias fidei & morum universalis Ecclesiæ definire*, confixum olim errorem revocant & instaurant. Nec mirum deinceps esse debet, quòd errore tali imbuti homines in Indicem suum aliquando relegent Catholicorum Scriptorum Commentarios, quibus fundatissima Conciliorum auctoritas commendatur, sacra Episcoporum potestas asseritur, & Sedis Apostolicæ traditio explicatur. Veritas hæc probationem aliunde non quærit. Nam rerum momenta illa gravissima, quæ jamjam notavimus, in una Inquisitorum assertione cùm profligentur, profligari quoque ab istis hominibus necesse est libros, quibus comprehenduntur. Exinde factum est, ut à piis eruditisque viris credatur, damnationem librorum istiusmodi non transire Tyberim, nec aliis præterquam Bibliopolis, qui forsan libros vendunt cariùs, utilem esse; quòd illa damnatio manifestum sit veteris & sanæ doctrinæ indicium.

Sed orandus est Deus Optimus Maximus, ut Inquisitores Hierosolymitanum Concilium cui beatus Petrus præfuit, & Synodum V. in quam tot & tanti Pontifices jurarunt, non aspernentur ampliùs; ut expositam per Romanos Pontifices viginti octo Cornelium, Julium I. Liberium, Damasum, Siricium, In- 65 nocentium I. Leonem I. Vigilium, Gregorium I. Martinum I. Nicolaum I. Joannem VIII. Gregorium VII. Urbanum II. Gelasium II. Innocentium II. Eugenium III. Alexandrum III. Innocentium III. Gregorium X. Clementem V. Martinum V. Eugenium IV. Iulium II. Hadrianum VI. Clementem VII. Paulum III. & Pium IV. Sedis Apostolicæ traditionem venerentur deinceps & colant; ut Conciliorum auctoritatem tanti pendant imposterum, quanti Pontifices, qui Concilia commendarunt, approbarunt & confirmarunt. Verùm ante omnia ob oculos sibi semper constituant

Gregorium I. qui in libri II. Indict. XI. epistola XXIX. ad Presbyteros & Diaconos Mediolanensis Ecclesiæ de Petri cathedra scribit: *Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.*

Gregorium VII. qui in libri I. epistola XXIV. ad Brunonem Veronensem Episcopum de eadem Petri cathedra loquitur cùm ait: *Sicut Romana Ecclesia debitum honorem impendi à cæteris Ecclesiis, ita unicuique Ecclesiæ proprium jus servare desideramus.*

Innocentium III. qui in libri I. epistola ad Rectores Thusciæ de eadem Petri cathedra pronuntiat: *Sicut jura nostra nobis volumus servari, sic aliorum jura volumus illibata servari.* Ad hæc autem Inquisitores si tantisper attendant, non dubito quin errorem corrigant suum, nisi quod absit, eos teneat inemendabilis pravitas. Non tenebit unquam, si Sedem imitari velint Apostolicam, de cujus more laudabili beatus Bernardus, in epistola CLXXX. sic scribit ad Innocentium II. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* 66 *Res plena æquitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem.* Sed vix spero Censores illos Sedem Apostolicam imitaturos esse, qui Sedis Apostolicæ traditiones minime curant. Has *Inquisitione in Præmonstratensis Ordinis privilegia*, & *Censurâ Responsionis Caillocii* per ipsiusmet Sedis Præsules exposui, & pene statim atque viderunt expositas, indice prohibitorio confixerunt. Sed vulnera infligunt nulla, vel siqua infligunt, hæc adversa sunt Romano in pectore, quale nostrum est, vulnera, quæ hominem adornant, non dedecorant. Augent id genus noxæ, cùm spernunt & pro nihilo putant beati Petri præceptum, quo unusquisque jubetur *paratus semper esse ad satisfactionem omni poscenti rationem.* Exemplum pessimum detestemur, beatum Petrum colamus ex animo, & præceptum illius diligenter observemus, rejecta consuetudine prava, quam illi prætexunt, & rationis instar obtendunt, digni sua culpa facti, qui contemnantur, cùm beatum Petrum primum Christianorum urbis antistitem, & illius præceptum contemnant. Vale. Lutetiæ Parisiorum Calend. Novemb. ann. MDCLXV.

Joannes Launoius

JOANNI BAPTISTÆ

Franckevillæ, *Lovaniensi Theologo.*

1 FUERUNT nuper, qui in gravissimorum virorum consessu dixerint, Lovaniensem Academiam circa ea, quæ & ad Conciliorum auctoritatem supra Romanum Pontificem, & ad non errandi privilegium illi noviter attributum pertinent, seorsum à Parisiensi Academia sentire. His pro eo ac decuit, restitisti vehementissimè, & simul affirmasti, homines esse rerum novarum cupidos, qui rumorem hunc sparserant. Tunc adjeci contingere vix posse, ut Academiæ majorum doctrina & virtute tam celebris, nunc dierum adulatricis Curiæ placita velit amplecti, & Ecclesiasticis dogmatibus, quæ ab initio tradidit, nuncium remittat. Et sanè capita mihi suppetunt duo, quibus ut splendidè, sic & abundè confirmem, Lovaniensem Academiam in ortu & progressu suo id de Conciliorum auctoritate supra Romanum Pontificem, & de non errandi privilegio illi recèns attributo id sensisse, quod Parisiensis nunc sentit & olim sentiebat Academia. Non te morabor diutiùs: Caput primum consistit in tempore, quo Lovaniensis Academia fundata est: Scilicet cùm una Catholicos omnes occupabat sententia, post Constantiense & Senense Concilium, & priusquam Basileense celebraretur. Certa est epocha hæc, tametsi de anno, quo 2 Academiæ jacta sunt fundamenta, Jacobus Middendorpius & Gilbertus Genebrardus, inter se non conveniant. Dissidium hoc, si nostrum ad institutum referatur, ponderis est nullius. Sit Lovaniensis Academia constituta anno uno vel altero citiùs aut tardiùs; id in re qua de agitur, mutationem nullam importat. Romanus Pontifex Martinus V. qui tum claruit, Concilio se simpliciter inferiorem semel, iterum, & tertiò declarat, approbando Constantiensis Concilii decreta, quæ sequuntur, & primùm quidem in sessione III.

Quòd ipsum Concilium non transferatur ad alium locum nisi ex causa rationabili, & de consilio hujus Concilii deliberanda & concludenda.

Deinde in sessione IV. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei, in capite & in membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad consequendam faciliùs, securiùs, liberiùs, & uberiùs unionem & reformationem Ecclesiæ Dei ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, ut sequitur: Et primò quòd ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.*

3 Denique in sessione XXIX. *Frequens generalium Conciliorum celebratio agri Dominici cultura est præcipua, quæ vepres, spinas, & tribulos hæresum, errorum, & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Illorum verò neglectus præmissa disseminat atque fovet, hæc præteritorum temporum recordatio, & præsentium consideratio ante oculos nostros ponunt. Ea propter hoc edicto perpetuo sancimus, decernimus, & ordinamus, ut amodò Concilia generalia celebrentur, ita quòd primum à fine hujus Concilii in quinquennium immediatè sequens, secundum verò à fine illius immediatè sequentis Concilii in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuò celebrentur in locis, quæ Summus Pontifex per mensem ante finem cujuslibet Concilii approbante & consentiente Concilio, vel in ejus defectum, ipsum Concilium deputare & assignare teneatur, ut sic per quandam continuationem semper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur; quem terminum liceat Summo Pontifici de fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio ob emergentes fortè casus abbreviare, sed nullatenus prorogetur. Locum autem pro celebrando Concilio futuro deputatum absque evidenti necessitate non mutet. Sed si fortè casus aliquis occurreret, quo necessarium videretur, ipsum locum mutari, puta obsidionis, guerrarum, pestis, aut similis, tunc liceat Summo Pontifici de prædictorum fratrum suorum, aut duarum partium ipsorum consensu atque subscriptione, alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum, sub eadem tamen natione surrogare, nisi* 4 *idem vel simile impedimentum per totam illam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem locum alterius nationis aptum, hujusmodi Concilium poterit convocari, ad quem Prælati & alii, qui ad hoc Concilium solent convocari, accedere teneantur, ac si à principio locus ille fuisset deputatus: Quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum teneatur Summus Pontifex legitimè & solemniter publicare & intimare, ut ad ipsum Concilium celebrandum prædicto possint statuto termino convenire.*

Atqui hæc sunt, quæ Martinus V. semel, iterum, & tertiò probavit. Semel quidem, cùm in sessione XLIV. ut morem Concilio gereret & inferiorem se proderet, futurum sic indicit Concilium. *Martinus Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.* CUPIENTES AC VOLENTES DECRETO HUJUS GENERALIS CONCILII SATISFACERE, INTER ALIA DISPONENTI, *quòd omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem Summus Pontifex per mensem ante finem hujus Concilii approbante & consentiente Concilio, deputare & designare teneatur pro loco dicti proximè futuri Concilii celebrandi supradicti, eodem consentiente & approbante Concilio, civitatem Papiensem tenore præsentium deputamus & etiam assignamus, statuentes & etiam decernentes, quòd Prælati & etiam alii, qui ad generale Concilium debent convocari tempore prædicto civitatem ipsam Papiensem accedere teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ deputationis & etiam assignationis, decreti & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.* 5 *Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli & Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ XIII. Calend. Maii, Pontificatûs*

nostri

nostri anno 1. Quo decreto lecto, dominus Episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis nomine totius Synodi respondit: Placet. Consequenter dominus Ardecinus de Novaria ex parte Serenissimi Principis Sigismundi Romanorum Regis ibidem præsentis, & ejus nomine idem decretum approbavit & laudavit: & subsequenter dominus Augustinus de Lance de Pisis legum Doctor, sacri Consistorii Advocatus, nomine Domini nostri Papæ dictum locum, sive civitatem Papiensem approbavit, laudavit, &. ad Concilium hujusmodi celebrandum habilem esse dixit. Et primò quidem cùm Martinus affirmat cupere & velle se decreto generalis Concilii satisfacere, Concilium supra se agnoscit, ut quicunque alius Episcopus agnosceret, cùm profiteretur cupere ac velle se decreto generalis Concilii satisfacere. Quis quæso reciperet, subjectum non esse Concilio eum Episcopum, qui enunciaret, quod Martinus enunciat? *Cupientes ac volentes decreto hujus Concilii generalis satisfacere inter alia disponenti, quòd omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem talis Episcopus per mensem ante finem Concilii designabit.*

Deinde Martini V. id est, Romani Pontificis subjectio approbante & consentiente Martino apertam in lucem editur in his verbis: *Quo decreto lecto dominus Episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis nomine totius Synodi respondit, Placet.*

6 Denique Martinus Concilii hujus indictione, quæ Thomas Cajetanus & Robertus Bellarminus & alii adulatricis Curiæ servi temerè & speculatione cæca disputant, refellit. Nam ut relatorum Constantiensis Concilii decretorum vim subterfugiant, decreta hæc non ultra tempus, quo plures simul & semel sunt Romani Pontifices extendunt, atque intra schismatis hujusmodi terminos defigunt immobiliter. Sed ridendi sunt penitus & explodendi. Quo anno Papiense Concilium Martinus indixit, sublatum erat schisma, unus certus atque indubitatus erat Pontifex, & ad quem annum Papiense indixit Concilium, futurum non erat schisma, nisi velint illud infaustis avibus ominari. Sed ominentur si velint, Martinus refragabitur, cùm ipse solus anno MCCCCXXIII. bis testatur universale Concilium indixisse se Papiæ, ut Constantiensis Concilii decretum exequeretur.

Et primùm quidem in Epistola ad Othonem Trevirensem Archiepiscopum: *Martinus, &c. Quod fieri potest spectaculum gloriosius super terra, magisque dignum Deo, quàm si in una mundi parte armati fideles contra hæreticos dimicare pro fide Catholica, in altera mitrati Patres Ecclesiastici pro reformatione Ecclesiæ decreta justa sancire conspiciantur? Ad hoc enim Deo duce, dare operam intendimus; & si fortè civitas Papiensis per sacrum Concilium Constantiense pro loco hujus futuri Concilii deputata, aliquo casu (quem Deus avertat) impediretur, non propterea à tam sancto opere desistemus. Nam in eadem regione aliæ urbes idoneæ sunt ad hoc Concilium celebrandum, quarum aliquam, ut speramus, Deus nobis*
7 *per suam misericordiam liberam conservabit.*

Rursus in Epistola ad Parisiense studium: *Literas vestras plenas filialis devotionis & fidei libenter legimus, & oratores vestros libenter audivimus, nos eadem fere sententia facundè & prudenter hortantes ad celebrationem Concilii generalis: Quibus licèt per nos fuerimus viva voce satis copiosè responsum, tamen quia nos delectamur vobiscum loqui in ista materia, quos non dubitamus zelo conservandæ fidei Catholicæ & Ecclesiasticæ dignitatis commoveri, sinceritatem cordis vestri per has literas ad pleniorem cognitionem patefacere, & aperire volumus. Non est, filii dilecti, dubitandum quin plurimùm profutura sit, sicut scribitis Christiana Respublica hæc sancta Synodus Deo auctore de proximo celebranda, per sanctam superiorem Constantiensem Synodum instituta ad ordinandam reformationem status Ecclesiastici, & ad periculosas hæreses extirpandas: Et propterea nemo debet de voluntate nostra circa hujus celebrationem generalis Concilii dubitare. Et si civitas Papiensis ad hoc per ipsam Constantiensem Synodum deputata casu aliquo impediretur, (quem avertat Deus) non propterea ab hoc necessario & sancto opere desistemus. Nam speramus, quòd Deus per misericordiam suam aliquam ex propinquis civitatibus nobis ab omni impedimento liberam conservabit.* Hæc apud Odoricum Raynaldum in tom. XVIII. Ecclesiasticorum Annalium.

Annus jam erat quintus à finito Constantiensi Concilio, cum Martinus ad Othonem Trevirensem Archiepiscopum, & ad Parisiensem Academiam scriberet, & tamen scribit, *Papiensem civitatem ad generale Con-* 8
cilium per ipsam Constantiensem Synodum deputatam esse. Quo pacto Martinus non erubescebat Constantiensi Synodo tribuere, quod ipse Constantiensis Synodi decreto executus fuerat, & tunc exequebatur. Atque ita persuasus erat Romanos Pontifices extra propriæ Ecclesiæ schisma generali Concilio subjacere, ut subjacere se verbo & exemplo confirmat.

Quòd autem Martinus iterum relata Constantiensis Concilii decreta probaverit, id luculenter apparet ex sessione XLV. ubi sic habetur: *Antequam autem ad talia se diverteret, seu procederet, Ambasiatores serenissimi Principis Uladislai Poloniæ Regis, & illustrissimi Principis Domini Alexandri, aliàs Uuitoldi Magni ducis Lituaniæ, petierunt nomine dictorum Dominorum quendam libellum & in eo contenta cujusdam fratris Joannis Falkemberg notoriè crudelissimos errores & hæreses, ut dixerunt, continentem, ritè damnatum tanquam hæreticum per deputatos in causa fidei, ac etiam per omnes nationes Concilii, ac per Collegium Cardinalium conclusum (prout dixerunt) constare publicis instrumentis in sessione publica per sacrum Concilium damnari seu publicè damnatum pronuntiari, antequam præsens Concilium dissolveretur, sanctissimo Domino nostro Papæ præfato humiliter supplicarunt, alioqui nomine quo suprà protestabantur de gravamine, & de appellatione ad futurum Concilium. Quibus sic factis, sanctissimus Dominus noster Papa dixit respondendo ad prædicta, quòd omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter tenere & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo-* 9
modo, ipsáque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter nec alio modo.

Et primum quidem relata Concilii decreta spectant ad fidei materiam, in qua statuitur, *generale Concilium Catholicam Ecclesiam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habere, cui quilibet etiamsi Papalis dignitatis obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, schismatis extirpationem & generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.* At Martinus dicit, *quòd omnia & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter, tenere & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquomodo.* Deinde relata Concilii decreta non possunt non esse facta conciliariter, re nimirùm maturè considerata, cùm his decretis innititur trium Pontificum destitutio, & Martini V. creatio, & sic Pontificis novi planè intererat, decreta hæc approbare, in quibus de statu illius agebatur, & à quibus tota pendebat Ecclesiæ Dei reformatio in capite & in membris. Denique cùm alia, tum maximè decreta hæc observavit, ut mox visum est, & adhuc postea videbitur.

Postremò Martinus relata Concilii decreta confirmat in diplomate, quo hinc condemnationem errorum Wiclefi approbat, hinc redeuntes ab hæresi modum admittendi præscribit. Inter condemnatos Wiclefi errores unus hic erat XII. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro* 10
quanto negaret primatum Summi Pontificis super alias particulares Ecclesias. Hic cùm primatus supra particulares

Ecclesias asseritur tantùm, supra universalem Ecclesiam aut generale Concilium negari censendus est. Nec poterat non negari, cùm à Martino relata Concilii decreta confirmentur: Idque planum est adhuc in interrogationibus, quæ ad Constantiense Concilium spectant, ut proximæ duæ: Prima est, *Utrum* (qui à damnata hæresi revertitur) *credat, teneat, & asserat, quòd quodlibet Concilium generale & etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet.*

Altera, *Utrum credat, quod illud, quod sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans approbavit & approbat in favorem fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum, & quod condemnavit, vel condemnat esse fidei, vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum.* Et quoniam Martinus inter sessiones non distinguit, nemo debet distinguere. Atque eam ob causam non minùs in prima, secunda, tertia, & quarta sessione, quàm in cæteris Constantiense Concilium universalem repræsentat Ecclesiam. At si ubique sessionum universalem repræsentet Ecclesiam, ubique sessionum in suis definitionibus errare non potest. Hoc autem cùm ille Pontifex pro comperto teneret, approbat quæcunque Constantiense Concilium sanxit, ac proinde decretum illud, quo Synodus hæc decernit potestatem à Christo immediatè habere reformandi Ec-
11 clesiam in capite & in membris. Quod caput & quæ membra cùm sint reformationi obnoxia, errori cum in fide, tum in moribus obnoxia esse oportet, alioqui Synodus quæ errare nequit, erravisset.

His accedunt, quæ Concilium Papiæ indictum subsequuntur. Martinus Concilium hoc propter grassantem pestem Senas transtulit, facta sibi à Constantiensi Concilio potestate. Tum Senis Basileæ Synodum generalem indixit, quæ post septennium celebraretur. Quibus in omnibus Constantiensi Concilio paret, eique inferiorem se publice demonstrat. Indictionis verba sunt: *Martinus*, &c. *Ad perpetuam rei memoriam. Ad sacram Petri Sedem divina dispensatione vocati, ad salutem, tranquillitatem & pacem totius gregis dominici nobis crediti juxta Pastoralis officii debitum curis vigilantibus libenter intendimus, & iis, quæ pro quieto statu universalis Ecclesiæ & reipublicæ maturè & sapientissimè gesta sunt, ut illibata permaneant, libenter adjicimus Apostolici roboris firmitatem.* Et paullo post: *Et propterea inter se præmissa providè & maturè considerantes, ac sentientes ex longa mora & protestatione dicti Concilii diversa & gravissima pericula, non solùm statui universalis Ecclesiæ, verum etiam toti Christianitati quamplurimum nocitura verisimiliter invenire, & (quod dolenter referimus) in eadem civitate* (Senensi) *per nonnullos tales modi indecentes & inhonesti in prosecutione Concilii tenebantur, quòd neque ibi publica sessio teneri, neque conclusa & concordata poterant expediri & publicari; Ex quibus optata Ecclesiæ reformatio juxta desiderium cordis
12 nostri præmissis obstantibus nequibat cum libera Prælatorum consultatione compleri. Et ne his omnibus maturè digestis & ponderatis ejusdem Concilii dissipatio absque deputatione & assignatione loci pro futuro Concilio,* JUXTA DETERMINATIONEM SANCTÆ CONSTANTIENSIS SYNODI SEQUERETUR, CIVITATEM BASILEENSEM, *pro loco futuri Concilii inde ad septennium auctore Domino celebrandi, de voluntate pariter & assensu Prælatorum, Magistrorum, Doctorum, nationum, & aliorum prædictorum, seu longè majoris partis eorum elegerunt, deputarunt, & etiam assignarant*, &c. *Datum Romæ apud S. Petrum* IV. *Idus Martii Pontificatus nostri anno* VII. Hæc ad annum Christi MCCCCXXIII. quo nullum erat in Romana Ecclesia dissidium vel schisma, immo nec umbra schismatis, ad quod tollendum Basileensis Synodus convocaretur. Sed Pontifex optimus & rerum in Constantiensi Concilio gestarum conscius ejusdem Concilii decretis obediendum sibi esse existimabat.

Cajetanus & Bellarminus, & eorum exscriptores omnia hæc si vel torvis inspexissent oculis, suos in Commentarios tot mendacia & tot ineptias non jecissent, quot jecerunt, ne Romanus Antistes extra tempus schismatis generali subjectus Concilio, indeque errori obnoxius videretur. Martinus cùm publicam personam sustinet, & verbo & opere Concilio se subjectum fatetur esse: diffitentur Cardinales duo, & diffitendo funditus evertunt, quod firmiter ædificare conantur. Judicio suo errat Pontifex, quem errare posse, cùm agit Pontificem, denegant. O perversum & inane concilium! Ignorant illi vel dissimulant Ecclesiasticam hujus temporis historiam.

Non ignorat nec dissimulat Pius II. in Bulla Re- 13
tractationis, quam ad Coloniensem scholam misit. Sic enim scribit: *Anno salutis primo & 30. supra mille 400. cum Dominico Capranica, quem Martinus V. in secreto Consistorio Cardinalem creaverat, Eugenius IV. spreverat, Basileam petivimus, ibique Concilium inchoatum invenimus. Verùm ab Eugenio quamvis congregati noluerant obedire, asserentes jam inceptum Concilium sine consensu Patrum qui convenissent, haudquaquam potuisse dissolvi. Julianus aderat S. Angeli Cardinalis natione Romanus, moribus & doctrina conspicuus. Is cùm cæteris præstaret, audita Eugenii revocatione, præsidentiam dimisit, tanquam Summo Pontifici vellet obedire: Sed cùm augesceret indies Eugenio vel invito Concilium, & multi ex diversis regionibus Episcopi & regum Legati advenirent, Cardinales quoque ex Romana Curia profugi in dies nonnulli concurrerent, præsidentiam resumpsit, & auctoritatem Concilii mirum in modum extollens eminentiam primæ Sedis supprimere cœpit. Venientes Eugenii Legatos & potestatem Romanorum præsulum magnificantes apparenter confutavit, & cùm esset facundissimus, facilè persuasit auditoribus, quæ cupiebat.* Et paullo post: *Aderant Legati Parisiensis scholæ, cujus est fama percelebris; affuerunt & aliquando vestri & aliorum studiorum Germanicæ nationis oratores, & uno cuncti ore Concilii generalis auctoritatem ad cœlum efferebant. De potestate Romani Pontificis pauci erant, qui loqui præsumerent, omnes, qui publicè loquebantur, multitudini applaudebant. Accessit & ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii à se factam revocavit, & progressum ejus approbavit.* Et paullo post: 14
Adversus Concilii auctoritatem mutire aliquid, crimen hæresis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio præferebat. Et paullo pòst: *Fortasse per id temporis* (cùm in causa Imperatoris versaretur) *Julianus sancti Angeli Cardinalis cujus suprà meminimus, ex Ungaria, quæ sibi decreta contra Turcas fuerat provincia, Flavinianum venit* (*quæ hodie Vienna dicitur*) *præcipuum Austriæ columen: Sæpe cum eo sermonem pro veteri consuetudine miscuimus, sæpe de rebus Basileensibus disputavimus. Tuebamur antiquam sententiam, ille novam defendebat. Extollebamus generalis Concilii auctoritatem: Ille Apostolicæ Sedis potestatem magnopere collaudabat. Dicebamus Concilium Basileense jure perseverasse, quamvis Eugenius præsidentes revocasset, & hoc ejus factum accusabamus: Ille dissolutum seu translatum ritè Concilium affirmabat.*

Ex his autem omnibus, quæ Pius II. historica fide narrat, & quæ ut à se falsò narrata revocat nusquam, colliguntur maximè tria. Primùm, quod Coloniensis Academiæ Legati cum primis Concilii auctoritatem extollerent supra Pontificem, & quòd una omnium vox Concilium Eugenio præferret: Deinde, quòd Eugenius dissolutionem Concilii Basileensis à se factam revocasset, & illius progressum approbasset: Denique, quòd sententia Concilium anteponens Romano Pontifici antiqua esset, & quòd nova esset sententia, quæ Concilio Romanum Pontificem anteponit.

Nunc opinor facilè perspicis, id tempus, quo Lovaniensis instituta est Academia, non ferre, ut illius Magistri de Concilio & Romano Pontifice tunc 15
sentirent aliter, quàm Romana ipsa per Martinum V.

&

& universa per Constantiense, Senense, & Basileense sentiebat Ecclesia: Nimirum Romanum Pontificem simpliciter & absolutè subjici Concilio, & in suis definitionibus errare posse, si quid seorsum à Concilio definiret. Et sanè credibile non est, Magistros Lovaniensis Academiæ, quam ante annos paucos Coloniensis apud Middendorpium progenuerat, à parentis suæ doctrina & placitis tam citò deflexisse. Mihi crede, non deflexerunt. Æneas Silvius id nos docet in libro 1. de gestis Basileensis Concilii. Res autem ibi sic se habet referente Ænea.

Atque ut de re ipsa dicere incipiam, Conclusiones Theologorum tanquam disputationis fundamentum ipso in exordio ponam, nec ego iisdem utar verbis, quibus illi: sententiam retulisse sat erit. Conclusiones hujusmodi fuerunt:

I. *Veritas est Catholicæ fidei, sacrum generale Concilium supra Papam potestatem habere.*

II. *Generale Concilium legitimè congregatum, sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex auctoritate sua potest Romanus Pontifex, idque veritatis ejusdem est.*

III. *Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus.*

IV. *His veritatibus Eugenius Papa IV. repugnavit, cùm primò ex plenitudine potestatis Apostolicæ Basileense Concilium dissolvere sive transferre attentavit.*

V. *Errores his veritatibus repugnantes, monitus tandem per sacrum Concilium Eugenius revocavit.*

16 VI *Dissolutio sive translatio per Eugenium secundò attentata prædictis est obvia veritatibus, inexcusabilémque circa fidem errorem continet.*

VII. *Eugenius iteratè dissolvere seu transferre Concilium tentans in revocatos errores prolabitur.*

VIII. *Commonitus per Synodum Eugenius ut dissolutionem, sive translationem secundò attentatam revocaret, post declaratam contumaciam in rebellione persistens, Ferrariaque Conciliabulum erigens, seipsum pertinacem declarat. Hujusmodi (sicut arbitror) fuere conclusiones, quibus in Capitulo coram Patribus iterum atque iterum lectis, rogati sunt omnes viritim sententiam dicere, pedibúsque ferè omnes in conclusiones ibant.* Et post aliquammulta: in sermone, quem Amedeus Lugdunensis Archiepiscopus habuit: *Illud autem majus omni miraculo videtur, quoniam viros omnium doctissimos, Conclusiones nostras impugnare video, quæ certa & verissima sunt, & ab illis, qui eas nunc reprobant, aliàs approbatæ. Nec nos fugit, Ludovicum protonotarium* HAS VERITATES LOVANII AC COLONIÆ PRÆDICASSE, EASQUE ILLINC UNIVERSALIS STUDII AUCTORITATE FIRMATAS REPORTASSE. *Quare si ipse nunc mutatus est, veritas tamen non est mutata. Ideòque vos rogo, obtestórque, ne aures his præbeatis, qui quamvis doctissimi sint, eam tamen, quæ virtutes omnes decorat, constantiam non habent. Quo finiente, illico Ludovicus assurgens, Verum est, ait,* ILLAS ME APPORTASSE VERITATES, *vos tamen eas fidei veritates nuncupatis, quæ adjectio mihi subdubia est.*

Jam vel me silente intelligis, quid ab origine sua
17 Lovaniensis Academia de Conciliorum supra Pontificem potestate, & de non errandi privilegio, quod illi Curiales Magistri quidam attribuunt, senserit, cùm relatas antè conclusiones octo Lovaniensis studii auctoritate firmatas aspicis. Jam agnoscis filiam à matre, Lovaniensem Academiam à Coloniensi, & matrem à filia, Coloniensem Academiam à Lovaniensi non dissentire; Academiam utramque in illis conclusionibus consentire.

Ad Lovaniensis Academiæ progressum venio, cúmque talem, quale fuit initium, reperio. Post annos ab erecta Academia plus minus septuaginta Hadrianus Florentius Trajectensis Theologiam ibi magna cum laude docuit, & in quartum Sententiarum, cùm de ministro sacramenti Confirmationis disputat, acceptam à majoribus doctrinam sequitur, & sic exponit: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico 1. quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius,* PUTA PONTIFEX, CERTUM EST, QUÒD POSSIT ERRARE ETIAM IN IIS, QUÆ TANGUNT FIDEM, HÆRESIM PER SUAM DETERMINATIONEM, AUT DECRETALEM ASSERENDO. *Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici: Item & novissimè fertur de Joanne XXII. quòd publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd anima purgata ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei, & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurâsset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa matrimonium, de
quo in Cap. Lacès de spons. duorum. Item patet hoc* 18
de errore, quem ediderat Celestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim, cujus error olim habebatur in alia Compilatione in Cap. Laudabilem de convers. conjug. ut refert Ostiensis in cap. quanto de divortiis: Non tamen dico Gregorium hîc errare, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt. Et primùm quidem cùm dicit, CERTUM EST, respectus duos habet, unum ad Lovaniensis Academiæ traditionem, quæ mox ex suis monumentis & originibus explicata est: Alterum ad rem ipsam, quam argumentis pluribus confirmat. Deinde cùm ait: *Non tamen dico Gregorium hîc errare,* non obscurè significat, occasionem arripere se de non errandi privilegio disserendi, & illud Romano Pontifici detrahendi. Tum demum cùm adjicit: *Sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt,* quàm molestè & quàm indignè ferat opinionem contrariam, ostendit. Intelligebat vir prudens, quantum Christianæ reipublicæ intererat, antiquam Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ retinere sententiam, & novam quæ à perniciosis quibusdam Romanæ Curiæ adulatoribus inducebatur, procul abjicere. Hinc Doctoris hujus nomen erat tantum, & tanta famæ celebritas, ut Caroli Principis Hispaniæ in Belgica nati informandæ pueritiæ præficeretur. Carolus Hadrianum ob id summo in honore & pretio semper habuit. Hunc Leo X. ut Caroli V. præceptorem è Lovaniensi schola doctissimum, jámque Episcopum Dertusiæ urbis Hispaniæ dignum purpurea veste, & post Leonem Collegium sacrum Pontificatu
dignum censuit: etiamsi nec familiam Romæ ha- 19
beret, nec in urbe degeret, sed in Hispania. Honores ut vidimus in Pio II. mutarunt mores, sed in Hadriano VI. non mutarunt. Antiquam sententiam non mutavit, ut Pius II. sed perpetuò retinuit, atque ut illud constaret omnibus, quos in quartum sententiarum Commentarios ediderat, Romanis typis mandari voluit. Eóque pacto quod ante Hadriani Lovaniensis Theologi opus tantùm erat, deinceps Hadriani VI. Romani Pontificis opus fuit, ut verè affirmatéque dici possit: Hadrianum VI. Romanum Pontificem docuisse hoc: CERTUM EST, QUÒD ROMANUS PONTIFEX POSSIT ERRARE ETIAM IN IIS QUÆ TANGUNT FIDEM, HÆRESIM PER SUAM DETERMINATIONEM AUT DECRETALEM ASSERENDO. Hæc autem propositio, est summa adversus Curiales Magistros præscriptio, quæ & aliunde mirum in modum confirmatur. Hadrianus in literis quas ad Fredericum Saxoniæ Ducem scribit, ut eum à Lutheri patrocinio deterreat, Luthero Leonis X. constitutionem non opponit. Quorsum igitur hæc spectat circumspectio? Non credebat editam esse constitutionem auctoritate, quæ falli nequeat. In mandatis quæ Francisco Cheregato oratori suo in Germaniam proficiscenti dedit, non errandi privilegium Ecclesiæ soli vel repræsentanti Ecclesiæ Concilio tribuit: Hadriani verba sunt: *Et certè fatemur Luthero* (qui inauditum se à Leone condemnatum esse querebatur) *defensionem negare non deberi in his;*

quæ

*quæ sunt facti, hoc est utrum dixerit, necne, utrum præ-
dicaverit, vel scripserit, necne? Super divino verò jure*
20 *& materia Sacramentorum standum auctoritati Sancto-
rum & Ecclesiæ. Adde quòd feri omnia, in quibus Lu-
therus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia priùs
reprobata. Non debet autem revocari in dubium, quod
per generalia Concilia, & universam Ecclesiam constat
esse approbatum, tanquam fide tenendum. Injuriam nam-
que facit Ecclesiæ Synodo, qui semel rectè disposita mit-
tit in dubium revocare. Quid enim unquam certò esse
poterit inter homines, vel quis dubitationum, contentio-
númque finis erit, si præsumptuoso & perverso cuique li-
bertas seu licentia erit recedendi ab iis, quæ non unius
aut paucorum, sed tot seculorum & tot sapientissimorum
hominum consensu & Catholica Ecclesiæ, quam Deus in
his, quæ sunt fidei, nunquam errare permittit, determina-
tione sancita sunt.* Hîc primùm quæ ad facti quæstio-
nem pertinent, nimirum utrum Lutherus, vel quis
alius scripserit, vel non scripserit divinæ fidei sub-
esse non posse tradit, nec aliter potest tradere, qui
Theologiæ scholas vel à limine salutaverit, tantum
abest, ut id tradat Hadrianus, qui Theologus erat
doctissimus. Non moror factiosum Theologum, qui
id traderet, quia factiosus Theologus, veri nominis
Theologus non est. Veri quippe nominis Theolo-
gus apprimè novit, divinæ fidei subesse nihil posse,
nisi quod duplici modo muniri possit, divinæ legis
auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione. Si-
quidem Catholicum id est, *quod ubique, quod semper,
quod ab omnibus semper creditum est*, ut Vincentius Li-
rinensis scribit in Commonitorii I. cap. III. Deinde
Hadrianus pugnat id esse tale, *quod per generalia Con-
cilia, & universam Ecclesiam constat approbatum esse.* Tum
21 non alii, quàm Catholicæ Ecclesiæ non errandi privi-
legium in his, quæ sunt fidei, concessum esse innuit,
cùm ait: *Præsumptuoso & perverso cuique libertatem seu
licentiam non esse recedendi ab iis, quæ non unius aut pau-
corum, sed tot sæculorum ac tot sapientissimorum hominum
consensu & Catholica Ecclesia, quam Deus in his, quæ
sunt fidei, nunquam errare permittit, determinatione san-
cita sunt.* Denique præcedentia hæc omnia præmunit
& suffulcit, & nefariis adulatricis Curiæ patronis fauces
elidit, cum sincero animo, ut Romanum decet Ponti-
ficem, subnectit: *Scimus in hac sancta Sede, jam aliquot
annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, ex-
cessus in mandatis, & omnia denique in perversum muta-
ta: Nec mirum si ægritudo à capite in membra, à sum-
mis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit.* Et
quibusdam interpositis: *Qua in re quod ad nos attinet,
pollicemeris nos omnem operam adhibituros, ut primùm Cu-
ria hæc, unde fortè omne hoc malum processit, reformetur,
ut sicut inde corruptio in omnes inferiores emanavit, ita
etiam ab eadem sanitas & reformatio omnium emanet.* His
dictis addi nihil potest, quo magis confirmetur, Ro-
manum Pontificem indeficientis judicii privilegio ca-
rere.

De Concilii quidem supra Romanum Pontificem
auctoritate sermonem nullum instituit, seu quia non
sic tulit occasio, seu quia id ex denegata non errandi
prærogativa facilè colligitur. Qui unum ex altero con-
sequens esse non capit, nihil capit. Pontifex eam ob
causam Concilio subjicitur, quòd in fide & in moribus
errare possit.

22 In iis igitur, quæ Hadrianum VI. attinent, rata &
fixa sunt duo: Primum, Hadrianum ut Lovaniensem
Theologum testem esse omni exceptione majorem, quo
Lovaniensis Academiæ circa denegatum Pontifici non
errandi privilegium, & Conciliorum supra eundem
potestatem traditio probatur: Deinde Hadrianum ut
Summum Pontificem memorata capita duo asserere ac
vindicare.

Hadriano succedit Joannes Driedo celebris è Lova-
niensi schola Theologus, qui majorum traditionem re-
ligiosè sequitur, & pluribus exornat. Et primùm qui-
dem in libri IV. de dogmatibus Ecclesiasticis ca-
pite III. part. III. *Jam opera pretium est considerare,
quemadmodum accipienda sit sententia ex scripturis, fidem
usque ad consummationem sæculi non deficere unquam à
Petri cathedra, seu Ecclesia Petri. Ad intelligendum igi-
tur verba Salvatoris dicentis ad Ecclesiam in Collegio Apo-
stolorum designatam: Ego vobiscum sum usque ad consum-
mationem sæculi: Et ad Pastores universalis Ecclesiæ de-
signatos in Petro: Simon, Simon, Satanas expetivit, ut
cribraret vos sicut triticum: Ego autem pro te rogavi,
ut non deficiat fides tua: Et iterum, Supra hanc petram
ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt
adversus eam: Opera pretium est considerare, quòd ex hu-
jusmodi scripturis firmiter tenendum est & nullatenus du-
bitandum, Christum & fidem Petri nunquam deficere ab
Ecclesia Petri, ab Episcopatu Petri, ab Ecclesia Petri
usque ad consummationem sæculi. Verùm hîc animadver-
tendum, aliud esse quod dicimus primatum, fidem & claves
regni cælorum esse inseparabiles, & non deficere ab Ecclesia,
seu diœcesi Romana; aliud, quod dicimus ea esse inseparabilia* 23
ab Ecclesia, seu cathedra Petri.

*Hoc & insuper considerandum est, aliud esse, quod di-
cimus, fidem Petri non deficere ab Ecclesia, seu à po-
testate Petri; aliud, quod dicimus, Petrum & ejus suc-
cessorem, aut populum Romanum non deficere unquam à
fide: & qui hujuscemodi diversitatem non observat, in
sententiis Patrum facilè fallitur. Eadem enim est
fides Christiana, quæ in Petro est & in cæteris credenti-
bus; & ideirco tametsi deficiat fides in persona vel Pe-
tri aut successoris, vel Romana diœcesi, non ab hoc con-
sequens est, fidem deficere in cathedra, in sede vel Ec-
clesia Petri.*

*Proinde & hoc sciendum, quòd verbum Christi Pa-
trem rogantis pro Petro, ut non deficiat fides ejus, po-
test concipi sub triplici intellectu: Vel primùm pro eo,
ut fides nunquam deficiat à corde Pontificis universa-
lis Ecclesiæ, nec videlicet à persona Petri, nec à per-
sona Pontificis, qui Petro Vicaria ordinatione succedit:
Vel secundò, ut fides nunquam deficiat à generali ca-
thedra, à Sede, ab universali Ecclesia, seu ovibus ip-
sius Petri usque in consummationem sæculi: Vel ter-
tiò, ut fides non deficiat unquam à propria sede vel
diœcesi, quam Petrus particulariter pascendam, dirigen-
dam, & gubernandam suscepit. Horum primus sensus
videtur esse extra intentionem Salvatoris. Neque enim
videtur Salvator hujusmodi verbis voluisse Petro, omni-
búsque successoribus ejus promittere perseverantiam fidei
usque in finem. Ex quo consequens esset, omnes succes-
sores Petri esse ad perseverantium fidei prædestinatos.
Siquidem & Petrus post illa verba ad tempus defecit
à fide, sicut & cæteri Apostoli, dicente Scriptura: Ex-* 24
*probravit Jesus incredulitatem eorum, quia his qui vi-
derant eum resurrexisse, non crediderunt. Unde & te-
stimonia Angelorum, sanctarúmque mulierum de resur-
rectione Christi visa sunt Apostolis tanquam delira-
menta. Verum quidem est, quòd Petrus post acceptum
Spiritum Sanctum non defecit à fide, sed hoc privile-
gium non erat speciale Petro, sed & commune cæteris
Apostolis, pro quibus & Christus oravit: Pater sancte
serva eos, quos dedisti mihi, & nemo ex iis periit, nisi
filius perditionis. Postremum quamvis propter promissiones
Salvatoris sit firma fide tenendum, Petrum non defe-
cisse finaliter à fide, hoc tamen non oportet sic cre-
dere de successoribus Petri, qui neque in fide sunt con-
firmati, ut Petrus, neque tales habuerunt promissiones
à Christo qui dixit: Sedebitis super sedes duodecim,
&c. Neque videtur ulla scriptura qua cogamur credere
universalis Ecclesiæ Pontificem non fieri unquam hæreti-
cum. Non oportet igitur accipere verbum Salvatoris: Ego
vobiscum sum usque in consummationem sæculi; Super hanc
petram, &c. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.
Ex quibus consequens est Christum permansurum cum E-
piscopatu & Ecclesia & Sede Petri, usq; in consummationem
sæculi: Hoc autem non est sic consequens de Episcopatu,*

seu

seu Ecclesiis aliorum Apostolorum deficientibus jam à fide suis ipsorum gregibus.

Verùm & hoc sciendum est, secundùm hanc interpretationem non oportere consequens esse, quòd Romana diœcesis certis limitibus ab aliis disjuncta, in qua finaliter Petrus resedit, non deficiet unquam à fide: aliud potest in-
25 *telligi Ecclesia, seu cathedra Petri, aliud Ecclesia Romana. Siquidem Ecclesia seu diœcesis Romana potest intelligi destructa, permanente Petri cathedra, quæ est cathedra universalis Ecclesiæ: Unde & tertium intellectum pertinaciter hæretici refellunt, imitati insaniam Judæorum, qui adientes Ecclesiam Romanam expectant finaliter illius interitum.* Non ita philosophantur recentes Curiæ Magistri, dum Romano Pontifici non errandi in fide & moribus privilegium adscribunt. Philosophantur aliter omnino. Driedo pergit: *Fuerunt jam olim & alii, qui non pertinaciter, sed quasi probabiliter sententiam defendere voluerunt ex scripturis, nobis incertum esse, an Romana diœcesis deficiet unquam à fide, & idcirco esse temerarium asserere, alteram partem tanquam fidei articulum, cùm neutra sit ex scripturis necessariò consequens, neque usquam revelatum sit, quòd omnes à Mahometa vel Turca non expellantur unquam à Romana diœcesi, aut non transferantur in aliam diœcesim nunquam ampliùs reversuri Romam.*

Quatenus ergo investigando magis appareat veritas, quædam argumenta subjiciamus adversus eos, qui ex scripturis conantur demonstrare Ecclesiam Romanam ita esse fundatam supra firmam petram, ut non possit à fide deficere. Quibus propositis subjungit: *Non temere igitur, sed pia fide cum patribus nostris prædecessoribus creditur, quòd fides & primatus Ecclesiæ, & sedes seu cathedra Petri, claves regni cælorum, potestas ligandi & solvendi sint à diœcesi Romana inseparabiles, & quòd Deo providente & beato Petro opem ferente Romanus Episcopus*
26 *seu populus sub Romana diœcesi non deficiet unquam totus à fide, cùm videamus ab initio ad hæc usque tempora in tot ac tantis tyrannorum persecutionibus tandem diœcesim Romanam, nec à tramite Apostolicæ traditionis unquam errasse docendo, nec hæreticis novitatibus succubuisse credendo, sed antiquam fidei regulam secundùm Apostolorum traditionem semper tenuisse.* Et quibusdam intermissis in responsione ad primum:

Sic & verba Christi ad Petrum dicta, Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, accipienda sunt, ut intelligantur non Petro soli, ut privatæ personæ, sed ut futuro Ecclesiæ universalis Pastori, & ideo quod Petro promittitur, dignitati cathedræ Petri promittitur; proinde & intelligitur promissum omnibus, qui Petro in dignitate Pastorali succedunt, cùm in Petro intelligantur & ipse & omnes successores Petri.

Rursus intelliguntur de fide permansura, non apud personam Petri & successorem ejus, sed apud sedem, dignitatem Pastoralem, cathedram seu Ecclesiam Petri: Sic sensus erit, ut non deficiat fides tua, ut non prorsus pereat fides à Sede tua, à cathedra tua, intelligendo sedem, cathedram seu Ecclesiam non solùm universaliter, sed specialiter futuram ad curam Petri & successorum illius. Quo fit, ut verba Christi dicta Petro ex consequenti intelligantur dicta Romanæ Sedi, cui præsidet Episcopus, qui Petro legitima electione succedit. Non est igitur arbitrandum absurdum, si Christus specialiter videtur orasse pro diœcesi ipsius Petri & successorum ejus. Talem siquidem intelligentiam habuerunt Cyprianus, Ber-
27 *nardus, cæterique Patres ex eadem doctrina Salvatoris arbitrantes, apud Ecclesiam Romanam fidem non perituram usque in consummationem seculi. In Romana Sede hactenus nullus sedit hæresiarcha, qui docendo definierit aliquid fidei nostræ repugnans. Neque hæresis ulla illinc sumpsit initium, sed mos ibi servatur antiquus. Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui Jacobus præsedit, defecit Achaia ubi Andreas, Asia ubi Joannes, India ubi Thomas, &c. Romana Sedes hactenus manet in fide Christi erecta.* Et post alia: *Quamvis igitur dicentibus nondum fuisse Romanam Ecclesiam, cùm Christus diceret Petre, Ego pro te rogavi Petre, non tamen oportet dicere, inde consequens esse, quòd Christus tunc non rogaverit pro Romana Ecclesia. Nam & eadem ratione consequens esset, Christum non rogasse pro ulla Petri Ecclesia.* Et paullo pòst:

Hactenus de Ecclesia Christi, quænam sit, & apud quos sit, & apud quos non sit, & quemadmodum permansit una ab origine mundi, crescens usque ad consummationem seculi, & quemadmodum oporteat omnem particularem Ecclesiam, omnémque Episcopatum subesse cathedræ Petri, & quonam pacto sit accipiendum, quòd fides nunquam deficiat. In posterioribus verbis quæstionem juris nullam tractat, sed facti tantùm. At illa facti quæstio pluribus aliis Ecclesiis quàm Romanæ quadrat. In Gallia nimirum plures sunt Ecclesiæ, in quibus hæresiarcha nullus unquam sedit, in quibus qui præsedit Episcopus nihil definiit fidei nostræ repugnans.

Deinde quidquid id est, liquidò patet ex sequenti capite IV. ubi sic Driedo disputat: *Quæstiones magnæ* 28
& perplexæ à Doctoribus Ecclesiæ disputantur, ex quibus schismata interdum exorta sunt: Utrum Ecclesia Romana, cui præficitur successor Apostoli Petri, sit prælata omnibus aliorum Episcoporum Ecclesiis: Utrum universalis Ecclesiæ auctoritas major sit auctoritate seu potestate Papæ, an è contrario, utrum universali Concilio secluso, Papa sit subjectus potestati Ecclesiæ universalis, sicut subditus Duci suo. Et videntur has quæstiones solvere doctrina Christi, & determinatio Constantiensis Concilii. Doctrina quidem Christi in Evangelio docentis, Si peccaverit in te frater tuus, accipe illum inter te, & ipsum solum, & reliqua usque in eum locum, ubi dicitur, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: ibi Christus videtur Ecclesiam posuisse ultimum & supremum judiciariæ potestatis tribunal. Cùm ergo Papa sit frater & membrum in corpore Christi, consequens videtur, quòd ipse aut à fide devians, aut scandalosè vivens subjectus sit judicio Ecclesiæ, cui & in toto Apostolorum Collegio designatæ, Christus ibidem inquit, Quæcunque alligaveritis super terram, &c. *Item & definitio Concilii Constantiensis sessione V. declaravit & definivit, quòd illa Synodus,* &c.

Pro harum quæstionum & ratione & dissolutione consideranda est hæc conclusio in superioribus declarata, Romanam videlicet Ecclesiam, in qua est generalis Christi Vicarius Apostoli Petri successor, esse omnium aliarum Ecclesiarum magistram, quemadmodum & in superioribus ostensum est, ipsum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, Christi Vicarium, Petri successorem cæteris omnibus Episcopis esse prælatum: Proinde quemadmodum Antiochena Ec- 29
clesia, quæ olim erat prima propter Petrum in illa residentem; cessit Ecclesiæ Romanæ Petro jussu Dei ad eandem Ecclesiam Romanam transeunte, sic & Ecclesia Romana, quæ nunc est prima, cedere deberet alteri Ecclesiæ, si Deo jubente successor in cathedra Petri ad aliam Ecclesiam sese transferret, alium quendam Romanæ Ecclesiæ præficiens Episcopum, quemadmodum Romana Ecclesia, in qua residet Apostoli Petri successor, est omnibus Ecclesiis prælata, ad quam ceu fidei magistram ac matrem omnes majores totius Ecclesiæ causæ recurrunt sumentes terminum, seu finem juxta sententiam ejusdem Ecclesiæ, cujus vis & potestas Ecclesiastica est in Pontifice ejusdem Ecclesiæ: Ita & Romanæ Ecclesiæ sententia prævalet omnibus sententiis aliarum Ecclesiarum à Romana Ecclesia discrepantium. Papa in causis fidei & schismatis personam suam tangentis atque concernentis subjicitur judicio universalis Ecclesiæ, quamobrem si ipse fieret hæreticus aut schismaticus, aut argumentis probabilibus de his suspectus pertinaciter defendens doctrinam contrariam evangelio Christi, ipse esset ab Ecclesia monendus, corripiendus, & si contumax fieret, judicandus, tanquam anathema vel deponendus, vel declarandus propter contumaciam ab Ecclesia fuisse depositus à tempore; ex quo talia docere

aut

aut prædicare cœperit. Neque enim tenentur oves subesse Pastori illi, qui jam factus est ex pastore lupus, aut salutis gregis contrarius, quemadmodum & Apostoli fuissent à Christo anathema, si contrariam doctrinam incœpissent prædicare, ut docet ad Galatas 1. *Paulus: Qui &*
30 *alibi ait, Hæreticum hominem post primam aut secundam correctionem devita. Joannes Apostolus in* II. *sua Canonica, &c. Et quamvis primatus Papæ super omnes particulares Ecclesias sit constitutus jure Divino, non hinc tamen oportet consequens esse eundem Papam in causis propriis jus divinum concernentibus non esse subjectum potestati universalis Ecclesiæ. Sicut Josue constitutus à Deo Dux in Israel, dum sorte divisisset terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel eidem Josue possessionem in medio sui juxta præceptum Domini, urbem, quam postulavit, Josue* 19.

Denique in libri II. de Christiana libertate capite 11. *Sententia Papæ circa fidem tanta Concilii moderatione concipi debet, tantaque maturitate patientia deloqui, & tanta deliberationis gravitate, ut omnino recta sit credenda. Verùm quia Papa quatenus homo, talem modum deliberationis circa ea, quæ sunt fidei, potest omittere, & inniti proprio sensui propriaque prudentia, idcirco etiam plerumque liceret examinare literas mandatorum Papæ definientis aliquid credendum esse, aut fide tenendum.*

Ex Driedone plura referre placuit, ut liqoidò pateret, eum à prima Lovaniensis Academiæ traditione non degeneravisse, sed illam potiùs conservasse fideliter, & solidis ratioonm momentis communivisse. Sic vigebat illa traditio ad annum MDXXXV. quo Driedo demigravit ab hominibus.

Driedouem excipit Jacobus Latomus Junior Lovaniensis Theologus, io libro, quem de primatu Romani Pontificis contra Lutherum composuit. Hic auctor inter alia proponit sibi argumentum ex Coostantiensi Concilio quæsitum, quo jactabat se Lotherus e-
31 vertendorum Coociliorum viam invenisse: Tom ubi ad hominem multa respoodit, quæ aliter oon respondisset, subjungit: *Neque hoc dico, quòd credam Constantiense Concilium circa articulum potestatis Papæ & Concilii errasse, aut non rectè determinasse, sed quod etiamsi uno aut alio articulo deprehenderetur à veritate deviasse, non propterea deberet in aliis sua auctoritate privari.* Et post alia de variis quæstionum generibus: *Non itaque rationabiliter dubitari potest Romanus Pontifex esse ordinarius judex supremus in spiritualibus, ut cùm de fide, de religione, de Sacramentis & similibus agitur, super unumquemque Christianum, & quodlibet particulare Concilium Ecclesiæ Catholicæ, quidquid sit de Concilio universali plenario ex tota Ecclesia ritè congregato.* Hæc ille ad annum MDL. quæ noo sunt intellectu difficilia. Nam semel atqoe iterum Concilii supra Romaoum Episcopum auctoritatem agnoscit: Semel quidem, cùm ait: *Neque hoc dico, quòd credam Constantiense Concilium circa articulum potestatis Papæ & Concilii errasse, aut non rectè determinasse.* Iterùm verò, cùm ait: *Romanum Pontificem esse judicem supremum in spiritualibus super unumquemque Christianum & quodlibet particulare Concilium Ecclesiæ Catholicæ.* Latomus respectum habet ad Joannis Wiclefi articulum XLI. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias,* quem Martinus V. & Constantinense Concilium ita damnaruot: *Error est si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.*

32 Denique quod consequens est, Latomus non obscurè significat, Romanum Pontificem indeficientis judicii privilegio noo gaudere. Cum enim dicit: *Romanus Pontifex est ordinarius judex supremus in spiritualibus,* non adjicit, qui nec falli aut errare potest. Adjecisset omnino, si sua in sententia potuisset adjici.

Latomum sequitur Ruardus Tapperus Lovaniensis Academiæ Cancellarius, in declaratione, quam ad Lovanienses articulos contra Lutherum editos conscripsit anno MDLIV.

Lovaniensis articulus XXI. hic est: *Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque Catholicam Christi Ecclesiam, eámque visibilem, quæ ab Apostolis fundata est, & in hanc usque nostram durans ætatem retinet ac suscepit, quidquid de fide & religione tradit, tradidit, vel traditura est cathedra Petri, super quam ita à Christo suo sponso est ædificata, ut in his, quæ fidei sunt & religionis errare non possit.*

Tapperi declaratio io iis, quæ ad postremam articuli partem attineot: *Sequitur demum, hanc Ecclesiam retinere & recipere, quidquid de fide & religione tradit, tradidit, & traditura est cathedra Petri. Idem Sedes Apostolica, ut intelligamus non personam Petri, aut successorum ejus in se consideratorum, qui sicut peccatis subjacere possunt, ita & ignorantiæ & errori in multis: Qui proinde falsa ut sentire, ita & tradere possint, in iis etiam quæ fidem & mores concernunt. Verùm volumus considerari horum cathedram, id est, Apostolicam auctoritatem, Pastorale munus, ratione cujus dicimus ipsos à fide nullo modo posse deficere, ita quòd sedentes pro tri-*
bunali in negotio religionis non possint deficere, seu fide 33
credendum tradere, quod à veritate sit alienum. Unde non personam Petri sunt intelligendæ spectare promissiones ipsi à Christo factæ (aliaquia ipso mortuo periissent) verùm Pastoralem ejus auctoritatem & curam, ut ad illos omnes spectare non dubitentur, quotquot ei Pastorali munere succedunt. Et post alia: *Non igitur persona hominis aspicienda, non secundùm faciem judicandum. Verùm agnoscendus Christi Vicarius, agnoscenda vox Christi in eo loquentis.* Et post alia: *Unde Ecclesiæ quodammodo potiùs intelligi debet facta hæc promissio* (oravi pro te Petre ut non deficiat fides tua) *quàm Petro, quoniam huic nonnisi propter Ecclesiam facta est. Unde ejus persona potest à fide deviare, sicut quibusdam accidit, at non ejus cathedra.* Tapperus à majorum traditiooe non degenerat, nec Lovanieusis Academiæ, cujus articulum XXI. exponit. Tapperi eadem est reipsa, quæ Hadriani VI. doctrina. Hadrianus scribit: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico, quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius putà Pontifex, certum est, quòd possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo.* Tapperus verò ita dicit: *Successores Petri sicut peccatis subjacere possunt, ita & ignorantiæ & errori in multis: Qui proinde falsa ut sentire, ita & tradere possunt in iis etiam, quæ fidem & mores concernunt.* Iterum: *Ejus* (Petri aut successorum) *persona potest à fide deviare sicut quibusdam accidit.* Illos, ni fallor intelligit, quos Hadrianus oominat. Annus ergo volvebatur millesimus quingentesimus 34
quinquagesimos quartus, cùm antiqua Lovaniensis Academiæ traditio circa indeficientis judicii privilegiom, de quo Hadrianus ille Romano Pootifici perperam attributo graviter conqueritur, floreret. Quod etiam Romanos Pontifex subjiceretur Concilio, apud eos certum erat, quia qoi errare potest in fide & moribus, Concilio subjicitur, ut corrigatur. Iotelligebant viri sagaces unum ex altero colligi, & sciebant collectum esse in Basilieosis Conc. sessione VI. cui Julianus Card. Eugenii IV. Legatus præfuit, & io qua missis nuper ab Eugenio sanciendæ inter ipsum & Concil. pacis gratia Legatis aliis post habitas ultro citróque disputatiooes responsum est: Id responsio Synodalis appellatur, obi Lovanienses legerant, quæ sequuntur.

Ex his manifestè constat, auctoritates, quas de Summi potestate Pontificis allegastis (Syoodus oratores Eugenii alloqoitur) *non probare, quominus ipse Pontifex mandatis universalis Ecclesiæ & Concilii generalis obedire teneatur, sed id duntaxat probant, quòd omnes singulares homines, particularésq; Ecclesiæ ipsi Pontifici obedire debent, nisi in his quæ sacra huic Synodo & cuilibet alteri legitimè congregata*

gregata

gregata prajudicium generarem. Nam etsi sit caput ministeriale Ecclesia, non tamen est major tota Ecclesia; alioquin errante Pontifice, sicut sapè contingit & contingere potest, tota erraret Ecclesia, quod esse non potest. Etsi caput sit & principalis Prelatus hujus corporis mystici, est nihilominus intra corpus. Nam si extra corpus esset, tunc non pertineret ad Ecclesiam, nec tunc caput esset. Corpus igitur hoc totum continet, & ipsum quod dicitur
35 *caput & singula membra. Nec quis dicat, quòd ipsa pars principalis potentior est ac dignior reliquo toto corpore & cateris membris, & per consequens illi potiùs obediendum, quia ratio, experientia, & auctoritas dictant contrarium; ratio, quia reliquum totum corpus etiam non computato Papa secundùm legem communem errare non potest in his, qua sunt fidei; alioquin si errare posset cùm certum sit Papam errare posse, tunc & Papâ & reliquo toto corpore errantibus tota erraret Ecclesia, quod esse non potest.*

Neque verò legerant hæc tantum, sed & Bullam, quâ Eugenius IV. Basileensis Synodi acta, quæ præcesserunt omnia in sessione XVI. confirmat: *Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dudum sacrum generale Concilium Basileense per generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum statuta, ordinationésque felicis recordationis Martini Papa V. ac nostras pro extirpatione haresum, pace populi Christiani, ac generali reformatione Ecclesia in capite, & in membris & pertinentibus ad ea legitimè inchoatum, ex certis causis in aliis literis nostris expressis de fratrum nostrorum sancta Romana Ecclesia concilio & assensu dissolvimus. Verùm cùm ex dicta dissolutione orta sint graves dissensiones, & graviores oriri possint, nihilque magis optemus, quàm quod pradicta opera sancta debitum sortiantur effectum, de consilio & assensu venerabilis fratris Episcopi Sabinensis, & dilectorum filiorum nostrorum Antonio sancti Marcelli, Francisci sancti Clementis, Angeloti tituli sancti Marci Presbyterorum, ac Lucidi sancta Maria in Cosmedin, & Andecini sanctorum Cosma & Damiani, Diacono-*
36 *rum sancta Romana Ecclesia Cardinalium decernimus & declaramus, prafatum generale Concilium Basileense à tempore pradicta inchoationis sua legitimè inchoatum fuisse & esse, prosecutionémque semper habuisse continuari ac prosecutionem habere debere ad pradicta & pertinentia ad ea, perinde ac si nulla dissolutio facta fuisset. Quinetiam prafatam dissolutionem irritam & inanem de concilio & assensu simili declarantes, ipsum sacrum generale Concilium Basileense purè & simpliciter, & cum effectu, ac omni devotione & favore prosequimur, & prosequi intendimus.* Pontifex non potuit verbis significantioribus, & ab omni ambiguitate remotioribus, vel Concilii dissolutionem rescindere, vel quidquid à Concilio decretum ante & pòst gestum fuerat, confirmare. Sed effugia, cavillationes, & volaticas distinctiones universas intercludit, cùm affirmat, *Basileense Concilium pro generali reformatione Ecclesia in capite & in membris, & pertinentibus ad ea legitimè inchoatum fuisse.* Nam si decernente, consentiente, & confirmante Eugenio reformanda est in capite & in membris Ecclesia, ut membra cætera, sic & caput reformationi subesse quis non videt? At non subessent, nisi errare in fide & moribus possent. Veritatis hujus ea vis est, ut eam Pius II. in Bulla retractationis suæ occultare non potuerit: *Accessit*, inquit, *& ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii à se factam revocavit, & progressum illius approbavit.* Hartmannus Schedelius, qui pene æqualis fuit, videtur favere Eugenio, & tamen id in ætate VI. mundi ad annum Christi MCCCCXXXI. non dissimulat
37 de illo Pontifice locutus: *Concilio Basileensi unde infinita mala orta sunt auctoritatem dedit, approbatis eorum* (Basileensium) *per Apostolicas literas decretis.* Siquis autem concedat, quod non potest non concedere nisi fidem cum fronte perdiderit, Eugenium Basileensis Concilii acta & decreta omnia, quæ sessionem XVI. antecedunt, confirmasse, sed infirmasse postea contendat, fateatur necesse est illum, vel confirmando vel infirmando errasse. Idque ea in re, quam ponderis esse maximi adulatricis Curiæ Magistri omnes docent. Siquidem existimant, tunc tantum errare non posse Concilia, cùm ad ea Romani Pontificis accedit confirmatio. Sed infirmatarum a se rerum, quas antea confirmaverat, Eugenium morti proximum ni fallor pœnituit, si vera sunt, quæ apud Odoricum Raynaldum anno MCCCCXLVII. narrantur: *Cùmque à religiosis viris cinctus esset, interpuncta suspiriis voce versoque ad eos vultu dixisse fertur: ô Gabriel, Gabriel: Quanto magis conduxisset animæ tuæ saluti, ut nunquam Cardinalatum, nec Pontificatum obtinuisses, sed in tuo monasterio religiosum disciplinam coluisses!*

Porro dissimulanda non sunt, quæ Tapperus subjicit, ut ultimam articuli partem exponat: *Sequitur in articulo, super quam Petri Sedem Ecclesia Christi ita fundata est, ut in his qua sunt fidei & religionis errare non possit. Primùm adificatam esse Ecclesiam super Petrum, id est, super Petri Sedem expressis verbis affirmat Christus, dum id ipse futurum promittit. Ego, inquit, dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam. Quibus verbis palam promittit se adificaturum Ecclesiam super hanc petram, id est, super Petrum ipsum, qui à fidei* 38
soliditate hoc nomen ab ipsa sortitus est. Vide Hieronymum & Chrysostomum in hunc locum. Et Cyprianum in Epistola III. I. libri. & Epistola penult. ult. lib. & in tractatu de simplicit. Pralatorum. Hi concorditer tradunt petram super quam adificata est Ecclesia, intelligi Petrum. Idipsum evidentissimè palam tradiderunt reliqui Patres, etiam D. Augustinus, quamquam idem plerisque locis per petram Christum intelligi docuerit lib. I. retract. Et paullo pòst: *Ideo Petrum constituit super totam familiam ipse peregrè profectus, ut pasceret ejus gregem, & in iis qua ad salutem pertinent, dirigeret. Quapropter ab eo instructio omnis petenda in fide & moribus, & resolutio dubiorum, qua circa hac movemur, exquirenda, ut unico indefectibili Magistro toti Ecclesia à Christo misericorditer dato, ut confratres suos, id est coepiscopos emendet & corrigat, si quando vacillare eos contingat secundùm verbum suprà allegatum: Et tu aliquando confirma fratres tuos.* Hic ut omnia intelligantur distinctiùs, præstanda mihi sunt duo. Et primùm quidem separo Tapperi declarationem ab ultima parte articuli, quem ob majorem doctrinæ consanguinitatem & similitudinem cum articulo XXV. conjungo: *Certa fide tenendum est, non solùm quod expressè nobis atque apertè per Scripturam traditur, verumetiam quod nobis ab Ecclesia Catholica & sancta credendum proponitur, traditurque. Neque minùs credendum est quidquid definitur, determinatur, & concluditur per cathedram Petri, atque generalia Concilia legitimè congregata, quoad ea, qua fidem & mores Christianos attinent.*

Hic Petri cathedra generali copulanda est Concilio, 39
alioqui duo in Ecclesia Dei forent summa ex æquo tribunalia, quæ indeficientis judicii privilegio gauderent. Et quia ut inter se concordare, ita & discordare possent, tandem aliquando contingeret, ut Ecclesiam in discrimen ultimum adducerent. Id autem Divinæ providentiæ, qua constituta est Ecclesia, repugnare & contrarium esse quis non videt? At Lovaniensi Academiæ rem omnium animis & auribus usque adeò absonam tribuere religioni ducerem.

Deinde perpendenda est Tapperi declaratio, in qua certè major desiderari posset accuratio.

I. Dicit Christum expressis verbis affirmasse, *Ecclesiam super Petri Sedem adificatam esse*, quod Christus expressis verbis non affirmat. Idque patet ex Christi verbis, quæ adducit.

II. Non dicit, quænam sit Petri Sedes, an Antiochena vel Romana, an utraque? Nam utrinsque festum agitur.

III. *Super Petram*, nunc super Petrum, nunc super Petri Sedem interpretatur. Quasi unum & idem esset

super Petrum & super Petri Sedem. Antea tamen sedentem à Sede distinxit, cum mortuo Petro Petri Sedem remansisse dixit.

IV. Tapperus ait, *vide Hieronymum in hunc locum:* Vidimus, & ille sic loquitur in cap. XVI. Matth. *Sicut ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, cateráque ex Domino sortiti sunt vocabula; ita & Simoni. Qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram petra, rectè dicitur ei, Ædificabo Ecclesiam meam
40 super te.* At non dicit, *super Petri Sedem.* Et hîc Tapperi consilio non favet. Quemadmodum nec favet in cap. VII. Matth. ubi scribit: *Super hanc petram Dominus fundavit Ecclesiam: Ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen. Super hujuscemodi petram non inveniuntur serpentis vestigia.* Et post alia: *Fundamentum, quod Apostolus architectus posuit, unus est Dominus noster Jesus Christus. Super hoc fundamentum stabile & firmum & per se robusta mole fundatum, ædificatur Christi Ecclesia.* Sed minùs adhuc favet in libro I. contra Jovinianum: *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia. Licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Et tandem minus adhuc favet in Psalmum LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, quos nos possumus dicere fundamenta? Apostolos. In illis erant fundamenta: ibi primum posita est fides Ecclesiæ, & ibi posita sunt fundamenta.*

V. *Vide Chrysostomum in hunc locum.* Vidimus, & ille sic loquitur in Homilia LV. super Matthæum: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, fidem atque confessionem.* Deinde in cap. I. Epistolæ ad Galatas: *Itaque cùm Petro dixisset: Beatus es Simon Barjona, promisissetque futurum, ut Ecclesiæ fundamenta super illius confessionem jaceret, haud multò post dicit eidem.* At Chrysostomus neque super Petrum, neque super Petri Sedem dicit ædificatam esse Ecclesiam, sed super Petri confessionem. Quem auctorem ab aliis videri vult Tapperus, ipse non vidit, aut obliquè vidit.

41 VI. *Vide Cyprianum:* Vidimus; & ille dum loquitur, spectat illuc, quò Tapperus non spectat. In exemplum sint Epistolæ duæ, una est XXVII. ad Lapsos: *Dominus*, inquit, *noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis: Et quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis. Ideo per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cùm hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, quando Ecclesia in Episcopo & Clero & in omnibus stantibus sit constituta.*

Altera verò est XL. ad universam plebem: *Deus unus est & Christus unus, & una Ecclesia & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.*

In Epistola priori docet adversus Lapsos quomodo fundata sit, & quibus personis constet Ecclesia. In posteriori ad Ecclesiæ unitatem contra schismaticos respectum habet.

Et sanè cùm Tapperus Cyprianum adducit, ut lemma suum confirmet, significat ignorare se, qui & qualis Cyprianus fuerit, & in quas tum demum disceptationes cum Stephano Romano Pontifice venerit.

42 VII. Ad reliquos Patres lectorem perinde remittit, ac si pari modo, *super petram,* exponerent. Hîc Romanos Pontifices solos attingam.

Leonem I. in sermone III. de Anniversario assumptionis suæ: *Quia tu es Petrus, id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum exstruam templum; & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt.*

Felicem III. in Epistola V. ad Zenonem Imperatorem: *Cùm ipse* (Petrus) *dixisset ad Dominum, Tu es Christus filius Dei vivi, ab ipso audire meruit: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi. Sed Pater meus, qui in cælis est, & super ista confessione ædificabo Ecclesiam meam.*

Hormisdam in Commonitorio, quod Ennodio & Fortunato Constantinopolim ablegatis dedit: *Sancti Patres, qui ista constituerunt, beati Petri Apostoli fidem secuti sunt, per quam ædificata est Ecclesia Christi.*

Gregorium I. in libri III. Epistola XXXIII. ad Theodelindam Reginam: *In vera fide persistite & vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione beati Petri Apostolorum Principis solidate.*

Hadrianum I. in Epistola, quæ actione II. septimæ Synodi lecta & probata est: *Iste* (Petrus) *tam præ- 43
celso prælatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi.*

Joannem VIII. in Epistola LXXVI. ad Petrum Comitem: *Supra quam etiam solidum confessionis petram suam Dominus Ecclesiam fabricavit.*

Innocentium II. in Epistola CXCIV. ad Henricum Senonensem & Samsonem Archiepiscopos eorúmque suffraganeos, apud sanctum Bernardum: *Inde est, quòd beatus Petrus Apostolorum Princeps pro eximia fidei confessione à Domino ac Salvatore nostro audire meruit, Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Petram utique, firmitatem fidei & Catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans.*

Hadrianum IV. in Epistola ad Fredericum Imperatorem: *Personam suam sicut charissimi & specialis filii nostri & Principis Christianissimi, quem in Apostolicæ confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus charitate.*

Urbanum III. in Epistola ad Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates Angliæ: *Cælestis altitudo consilii firmam retinens in sua dispositione censuram, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ad cujus regimen sumus licèt insufficientes assumpti, supra petram fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens in Apostolicæ confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec prævalere possit spiritus tempestatis.*

Innocentium III. in serm. II. de Consecrat. Pont. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adver- 44
sus eam. Cùm enim idem sit ipse fundator & fundamentum Ecclesiæ, profectò portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quia fundamentum immobile perseverat, de quo dicit Apostolus. Fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus.* Et paullo pòst: *Fundata autem erat supra petram, super illam videlicet, de qua dicit Apostolus, Petra autem erat Christus.*

Tapperus Pontifices istos non viderat, qui non dicunt, quod ille dixisse asseruerat.

VIII. Cætera, quæ Tapperus subnectit, nisi commoda expositione molliantur, & ad sensum articuli XXV. reducantur, cum iis quæ antè docuit, & quæ retulimus, non videbuntur cohærere. Pugnabit auctor secum & inconsequenter loquetur. Et ut dicam quod sentio, non satis accuratè & circumspectè scribit.

Est & aliud, quod de Tappero adhuc observemus, postquam observavimus, quò Lovaniensis Academia cum suis articulis spectet. Hic auctor anno sequenti, id est, MDLV. contra Philippum Melanchtonem lucubravit orationem numero tertiam, in qua cùm Lovaniensis Academiæ sententiam probare atque illustrare vellet ampliùs, hanc obscuravit nonnihil, & ubi primùm figit epocham, quæ à veritate non parum abhorret. Sic autem scribit : *A tempore Constantiensis Concilii & Basileensis Doctores quidam apud solum Concilium œcumenicum docent esse infallibilis sententiæ privilegium : Veteres verò scriptores Petro totius familiæ Christi præposito, Romano Pontifici supremo in terris post*
45 *Petrum Christi Vicario, ut qui solus claves acceperit, quodlibet ligandi ac solvendi, ejusque cathedræ proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiæ, concorditer ex Scripturis tradunt.*

In hac epocha propositiones sunt duæ. Prior : *A tempore Constantiensis Concilii & Basileensis Doctores quidam apud solum Concilium œcumenicum docent esse infallibilis sententiæ privilegium.*

Tapperus Theologos qui hoc docent, non satis accuratè numerat. Dicere non debuit : *Doctores quidam* : Sed Doctores bene multi. Nimirum illi omnes, qui Romano Pontifici non errandi privilegium abjudicant, & eum universali Concilio subjiciunt. Hos autem quis omnes numero subducat ?

Albertus Pighius Campensis ad annum MDXXXVIII. scribebat in libri VI. de Hierarchia capite II. ubi de Constantiensis & Basileensis Concilii decretis loquitur : *Quorum auctoritatem & sequens & asserens Joannes ille Gersonius Cancellarius Parisiensis (quem in hodiernum usque diem universa illa schola sequitur) in tractatu de potestate Ecclesiastica, & in altero quem inscribit de auferibilitate sponsi hanc positionem suo illo scholastico more distinctiùs probabiliùsque & explicare & defendere nititur.*

Franciscus Victoria Hispanus in libro de potestate Papæ & Concilii : *Concilium*, ait, *esse supra Papam, est communis sententia Parisiensium & multorum Doctorum in Theologia & Canonibus, ut Panormitani & aliorum.* Hæc ille qui anno MDXLVI. mortem oppetiit.

Joannes Celaia Hispanus Parisiensis Theologus in tert. sent. dist. XXV. quæst. V. *Quæritur V ad quem*
46 *spectat editio Symboli fidei Catholicæ, & determinat ea, quæ fidei sunt. Pro hujus quæstionis enodatione est advertendum, quòd mirabilis est controversia inter Doctores Catholicos veluti de superioritate Papæ ad Concilium. Nam Joannes de Gersono & Galli Doctores, & multi Alemannorum tenent, quòd ad universale Concilium pertinet edere Symbolum, & determinare ea, quæ fidei Catholicæ sunt, & non ad Papam.* Hæc ille, qui Victoriæ æqualis fuit.

Joannes Franciscus Picus in Theoremate IV. de fide ad Julium II. *Quòd autem Pontifex errare in judicando possit, asseverantissimè à plerisque pronuntiatur. Autumant enim notissimum esse, Pontificem summum hæreticum fieri posse & deponi à Sede.* At vox, *plerique*, Doctorum partem majorem importat. Franciscus Picus ad annum MDX. claruit.

Senonense Concilium Provinciale, quod anno MDXXVIII. habitum est, in decreto III. de Conciliorum auctoritate : *Absurdum*, inquit, *non abs re videri possit, si tanto studio veteri Synagogæ Deus affuit, ut si quid in lege difficile vel ambiguum occurreret, quod citra controversiam à judicibus & legisperitis absolvi non posset, Designato tamen cœtu non carerent, cujus arbitrio res tota finiretur : Ecclesiam autem longe Synagoga potiorem ita necessariis destituat auxiliis, ut prorsus non habeat, cui suborta de fide quæstione tutò satis inniti possit. Proinde cùm certa sit & infallibilis Ecclesiæ regula, nec aliquando invisibilitatis prætextu tandem eludi queat, ea profectè sacris Conciliis generalibus auctoritas derogari non potest, quæ proximè universalem repræsentant Ecclesiam, His enim Conciliis si ea decernendi, quæ ad sinceritatem*
fidei, & extirpationem hæresum, Ecclesiæ reformationem 47
& morum integritatem pertinent, potestas adimatur, nihil certum, nihil stabile futurum est, nihil denique, quo hæreticus ab Orthodoxo possit internosci. Quibus postremis verbis non obscurè significat, id non esse Romani Pontificis judicium, quo hæreticus ab Orthodoxo possit certò internosci. Necessarium ad statuendum istud discrimen judicium generali Concilio transscribit.

Clemens VII. in epistola, quam anno MDXXXIII. ad Franciscum I. Galliæ Regem de generali Concilio celebrando dedit : *Superiore*, inquit, *biennio, sicut tua majestas recordari potest, cùm serenissimum Cæsarem quanquam pro sua inclyta pietate omnia conatum, tamen in Conventu Augustano nihil remedii ad hæresim Lutheranam in Germania tollendam præ illorum obstinatione afferro potuisse audiremus, solùmque generalis Concilii remedium à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum superesse videremus, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, ad ipsius Concilii indictionem in Italia & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, id tuæ Majestati, sicut Cæsaris, & cæteris Principibus significandum communicandùmque duximus.* Notanda sunt verba hæc, *solùmque Concilii generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simili usitatum* ; Quæ Tapperus non vidit : Nam si vidisset, non scripsisset quæ scripsit adversus Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam Pontifex auctoritate sua confirmat.

Secundùm ista & alia multa quæ referre longum
esset, & fortassis molestum, Facultas Theologiæ Pa- 48
risiensis facilè se prodit in illis articulis, quos anno MDXLII. circa controversa Christianæ religionis dogmata exaravit. Articuli sunt tres XVIII. XIX. & XXII.

Tenetur & quilibet Christianus firmiter credere unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest, cui omnes fideles in his quæ sunt fidei & morum obedire astringuntur.

Quòd si quid in Scripturis sacris controversiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire ac determinare spectat.

Certum est Concilium generale legitimè congregatum universalem Ecclesiam repræsentans in fidei & morum determinationibus errare non posse.

De Romano Pontifice seorsum ab Ecclesia vel Concilio spectato articulus est unus tantùm, qui sic se habet : *Nec minùs certum est unum esse jure Divino Summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur, qui quidem potestatem habet indulgentias concedendi :*

Facultas judicem controversiarum non facit Romanum unicum Pontificem, sed universalem Ecclesiam, quæ per generale Concilium repræsentatur. Franciscus I. articulos illos communiit edicto, quod apud supremas & inferiores regni Curias omnes publicis tabulis inscriptum est. Exinde contigit, ut Parisiensium Theologorum doctrina in regni totius doctrinam evaserit.

Hæc pauca de multis efficiunt, ut Tapperus enormiter lapsus fuerit, cum dixit : *A tempore Constantiensis Concilii & Basileensis Doctores quidam apud solum Con-*
cilium œcumenicum docent esse infallibilis sententiæ pri- 49
vilegium.

Propositio posterior est hæc : *Veteres scriptores Petro totius familiæ Christi præposito, Romano Pontifici supremo in terris post Petrum Christi Vicario, ut qui solus claves acceperit quodlibet ligandi ac solvendi, ejúsque cathedræ proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiæ concorditer ex Scripturis tradunt.* Tapperus ut propositionem istam probet, laudat Romanos Pontifices duos, Innocentium I. & Innocentium III. quos si novisset bene, non laudasset unquam, nec in probationem insumpsisset.

Tappe-

Tapperum igitur sequor, sed ex Innocentio plura refero, quàm ille retulit, quò videatur planiùs, num Pontifex hic Tappero suffragetur. Sic autem Innocentius scribit ad Milevitani Concilii Patres: *Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater & Coepiscopus noster Julius dilectionis vestræ literas, quas ex Milevitano Concilio curâ fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit, Carthaginiensis etiam Synodi querelæ paribus scriptis subjungens.* Et paullo post: *Diligenter ergo & congruè Apostolico consulitis honori, honori inquam illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verùm hæc missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam. Quid, id etiam actione firmastis, nisi scientes, quòd per omnes provincias ab Apostolico fonte petentibus responsa* 50 *semper emanent? Præsertim cùm fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cùm inventores malorum ad duplicis relationem Synodi sententia vestræ statutis viderint ab Ecclesiasticæ communione sejunctos. Gemino igitur bono charitas vestra fungitur. Nam & Canonum potiemini gratia servaterum, & beneficio vestro totus orbis utitur. Quis enim Catholicorum virorum cum adversariis Christi velit ulterius miscere sermonem? Quis saltem ipsam lucem vitæ communione partiri?* Et postquam variis Scripturæ testimoniis Milevitanæ Synodi definitionem asseruit, subnectit: *Quare Pelagium, Cælestiúmque, id est inventores vocum novarum, quæ sicut dixit Apostolus ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones, Ecclesiasticæ communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundùm ipsius voluntatem, eósque interim Dominico ovili non recipi, quod ipsi perversæ viæ secuti tramitem deserere voluerunt.* Cur autem ad Africanos scribat: *Cùm fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctorem referre debere*, id qua ratione faciendum sit, docet in exordio epistolæ ad Decentium Engubinum Episcopum: *Si instituta Ecclesi-* 51 *astica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus ac consecrationibus haberetur, sed dum unusquisque, non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur.* Et paullo post: *Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superduci, aut introduci aliquid, quòd aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulásque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint Sacerdotes, aut legant, si in iis provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.* In his autem omnibus quorum alia ex aliis intelliguntur, liquidò patet Innocentium indeficientis judicii privilegium sibi non asserere, tametsi Romanæ Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ multa jure tribuat. Hîc Romanæ Ecclesiæ cura & Sedis Apostolicæ occupatio consistit in vindicandis iis, quæ contra Pelagium & Cælestium Synodi duæ decreverant. Romanæ Ecclesiæ curam, & Sedis Apostolicæ, cui præerat Innocentius, occupationem cum statutis duarum Synodorum conjungit.

Ad rem ipsam, cui vacat Tapperus, quod attinet, 52 Innocentius in generali Concilio Ecclesiasticorum judiciorum summam ponebat. Id sincerè profitetur in epistola, quam apud Sozomenum ad Constantinopolitanos Clericos scribit: *Sed quodnam*, inquit, *remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multo jam antea congregandam duximus. Ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest, quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei, ac Christi ejus Domini nostri. Illa universis, quæ nunc per invidiam Diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil enim desperare debemus, freti nostra in Deum fide. Ac nos quidem multùm deliberamus, quonam modo Synodus œcumenica congregari possit, per quam Divina voluntate turbulenti illi motus consopiri possint. Expectemus igitur tantisper, ac vallo patientiæ communiti speremus auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda.*

Innocentius de illa œcumenica Synodo, quam Joannes Chrysostomus appellaverat, sermonem instituit.

Deinde apprime noverat, quod decessor Siricius Anysio & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis scripserat in hæc verba: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judi-* 53 *candi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec repugnandi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi; Responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideò primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totum, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Tum in fine: *Legimus etiam & omnia percurrimus vel de eo, quod fratri nostro & coëpiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestram normam exspectamus sententiæ.* Hæc inquam apprimè noverat Innocentius, & quia ante annos non multos gesta fuerant, & quia in epistola ad Martianum Narsitanum Episcopum constituit, ut susciperentur Clerici, quos Bonosus antequam damnaretur, ordinaverat: *Hi videlicet, qui se ante damnationem Bonosi assererent ab eodem tam Presbyteros, quàm Diaconos ordinatos, ut si relicto atque damnato ejus errore vellent Ecclesiæ copulari, libenter reciperentur.*

Sic Innocentius & ante illum Siricius vix magis po- 54 tuerunt Curiæ adversari placitis, quibus favere Tapperus videtur.

Nunc conveniendus est Innocentius III. in capite *Majores*, ubi sic pronuntiat: *Majores Ecclesiæ causas præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit: Tu es Christus filius Dei vivi, & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.* Sunt autem & hæc verba, quibus propositionem

positionem suam posteriorem Tapperus confirmat, non confirmaturus utique, si qui & qualis erat Innocentius III. non planè ignorasset: Is sibi non errandi privilegium nec vindicabat, nec vindicavit unquam. Sed primùm audiendus est ipse in sermone II. de consecratione Pontificis: *In tantum*, inquit, *mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Quid clarius?

Deinde in libri III. Regest. XV. In epist. CIV. ad Philippum Regem Francorum: *Diligenter auditis & perspicaciter intellectis, quæ nobis ex parte Regia dilecti filii Abbas de Trappa, & J. Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus nostris studioso tractatu non occurrit nobis aliqua via per quam in his, quæ ipsi pro te postulaverunt à nobis tuæ secundùm * possemus occurrere voluntati sub obtestatione Divini judicii protestantes, quòd libentissimè si possemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, à quo desideras vehementer*
55 *absolvi. Sed in carnali commercio inter te ac Regiaam conjugem tuam adeò est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem Regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa & dilecto magistro Roberto Corzon, nunc titulo sancti Stephani in Cœlio Monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire propter illam sententiam evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cum absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur.* VERÙM SI SUPER HOC ABSQUE GENERALI DELIBERATIONE CONCILII DETERMINARE ALIQUID TENTAREMUS, PRÆTER DIVINAM OFFENSAM ET MUNDANAM INFAMIAM, QUAM EX EO POSSEMUS INCURRERE, FORSAN ORDINIS ET OFFICII NOSTRI NOBIS PERICULUM IMMINERET, CÙM CONTRA PRÆMISSAM VERITATIS SENTENTIAM NOSTRA NON POSSIT AUCTORITAS DISPENSARE. In postrema periodo hæc res adversus Tapperum stilo decretorio conficitur, ut commata singula demonstrant. Usque adeò perspicua est veritas, ut argumentatione nulla elevaretur. Sufficiunt Pontifices duo, ut probetur, Tapperum in epocha sua non leviter peccasse. Si necesse esset, adjungerem complures alios, qui latè producuntur in epistola, quam ad Jacobum Malatestam Parisiensem Theologum de Conciliorum utilitate & necessitate scripsi. Sed cùm ibi legi facilè possint, supersedeo.

56 Non moror Athanasii & Alexandrinæ Synodi ad Felicem II. literas, quarum auctoritate usus non esset Tapperus, si Athanasii epistolam ad Solitarios legisset, ubi Athanasius pro Antichristo Felicem habet: *Hoc*, ait, *monstro* (Epicteto homine neophyto) *iterum* (Constantius) *incredibile facinus designavit, & quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conventu Populi & jure Comitiorum tres Eunuchos præsentes esse jusserit, trésque item* [illegible]*, malis artibus imbutos exploratores: Nec enim eos Episcopos dixeris, ut ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum pravitate non permisere eos Ecclesiam intrare, procúlque ab iis recesserunt. Quid igitur hic, quod Antichristi non sit, omisit?*

Verùm non Athanasius modò, sed etiam plures alii Felicem legitimum esse Pontificem haud credidere.

Optatus Milevitanus Episcopus Felicem hunc in Romanorum Pontificum recensione prætermittit. Sic enim eos recenset in libro II. *Ergo in cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus. Cui successit Linus, Lino successit Clemens.* Et quibusdam interpositis: *Silvestro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius hodie, qui noster est socius.* Æqualis erat Liberio & Felici Optatus. Ac proinde cùm Optatus omittit Felicem, sciens & prudens omittit.

Augustinus Optatum sequitur, & in epistola CLXV. Romanos Pontifices recensens Felicem præterit. Sic
enim scribit: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium* 57
considerandus est, quanto certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam! Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus. Et quibusdam interjectis: *Silvestro Marcus, Marco Julius, Julio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius.*

Sunt quidem alii, qui de Felice mentionem, sed parum honorificam faciunt: Marcellinus & Faustinus in Præfatione libelli precum ad Imperatores: *Sed eo die, quo Liberius ad exilium proficiscebatur, Clerus omnis, id est Presbyteri, & Archidiaconus Felix, & ipse Damasus Diaconus, & cuncta Ecclesiæ officia, omnes pariter præsente populo Romano sub jurejurando firmaverunt, se vivente Liberio Pontificem alterum nullatenus habituros. Sed Clerus contra fas, quod minimè decebat, cum summo perjurii scelere Felicem Archidiaconum ordinatum in locum Liberii susceperunt. Quod factum universo populo displicuit, & se ab ejus processione suspendit.*

Hieronymus in Chronico: *Liberio in exilium ob fidem truso omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verùm cum Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi perjuraverunt, & post annum cum Felice ejecti sunt.* Hæc illi auctores æquales & pene oculati testes, qui Felicem pro intruso Pontifice habuerunt. Ad quem quis Athanasium & Alexandrinam Synodum affirmaret epistolam scripsisse sic
inscriptam? *Domino beatissimo & honorabili, sancto pa-* 58
tri Felici sanctæ Sedis Apostolicæ urbis Romæ, Athanasius & universi Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum Episcopi in sancta Alexandrina Synodo gratia Dei congregati.

Deinde exulante Liberio & occupante Romanam Sedem Felice, Athanasius non erat Alexandriæ, sed in fugam conversus. Quomodo igitur potuit Alexandriæ Synodum cogere, & ad Felicem scribere?

Tum ubinam Synodi hujus mentio, vel apud Athanasium, qui tot Synodorum meminit? vel apud Hilarium, qui librum de Synodis fidei Catholicæ adversus Arianos composuit? vel apud Luciferum Calaritanum Episcopum, qui libros ingentes duos scripsit pro Athanasio? vel apud Hieronymum, qui Chronicum usque ad Imperatorem Gratianum perduxit? vel apud Socratem, Theodoretum, Sozomenum, qui de vexatione Athanasii, & de rebus illius temporis tam multa tradiderunt memoriæ? vel tandem apud Prosperum qui Chronicum ab ortu rerum ad mortem Valentis cum annotatione Consulum edidit?

Postremò ubinam sunt Græcæ Alexandrinæ Synodi, & epistolæ, qua de agitur, exemplaria? quis illa vidit unquam? quis Latinitate donavit?

Tapperus epistolæ huic adjungit Cyrilli Alexandrini loca duo, quæ magni essent ponderis, si vera essent. Sed apud beatum Thomam Cyrillo supposita sunt. Suppositionis rationes in duabus ad Antonium Faurum epistolis amplissimè deduxi. Has nunc repetere supervacaneum esset. Locorum suppositio & falsitas tam est perspicua, ut nimio lumine oculorum aciem perstringat.

Hic auctor progreditur ulteriùs, & ait propositio- 59
nem suam ex eo confirmari, quòd *universalia Concilia prima quatuor constitutionum suarum approbationem ab Romano antistite petiverint, ut eorundem Conciliorum acta testantur.* Sed acta, quæ ad Nicænum Concilium pertinent, non expendit, rejecturus illa sine dubio, si dignatus fuisset expendere. Falsitatis indicia percurro

curro in epistola ad Jacobum Bevilaquam Parisiensem Theologum. Non repeto hic, ne actum agere videar. Constantinopolitanum I. Concilium nec constitutionum suarum petiit approbationem à Damaso, nec Damasus dedit. Acta Concilii hujus nulla sunt, seu vera, seu etiam falsa, quæ Tappero faveant. Si Constantinopolitani Concilii constitutiones approbavit Damasus, ut Tapperus putat, cur Leo I. in Calchedonensi Concilio per Legatos intercessit, quominus Concilii hujus Canon II. in auctoritatem admitteretur, ubi sancitur: *Ut Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum, post Romanum Episcopum, propterea quòd urbs ipsa sit junior Roma?* Cur Leo tot epistolas nunc ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, nunc ad Martianum Augustum, nunc ad Pulcheriam Augustam, nunc ad Julianum Coënsem Episcopum, ad Juvenalem Hierosolymitanum, ad Maximum Antiochenum contra relatum canonem exaravit?

Verùm Tappero demus universalia Concilia prima quatuor, quam ille sibi vindicat, confirmationem petiisse: Non petierunt majorem, me vide, vel efficaciorem, vel luculentiorem ea, quam Martinus I. pro Romanæ Synodi gestis à Gallicana Synodo petiit, ad
60 Amandum ita scribens Trajectensem Episcopum: *Ideo necesse habuimus, ut pro quadam negligentia, & animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpa reatu obstringamur, cœtum generalem fratrum & coepiscoporum in hac Romana civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque damnata sunt, & Apostolicæ mucrone, Patrúmque definitionibus, uno ore, unóque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere unà cum Encyclia nostra. Ex quorum serie omnia subtiliter poteritis addiscere, & tenebras illorum nobiscum, ut filii lucis, extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quámque suæ salutis sacramenta addiscere valeant, atque Synodali conventione omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum partium illarum effectu secundùm tenorem Encyclia à nobis directa, scripta unà cum subscriptionibus vestris nobiscum destinanda concelebrent,* CONFIRMANTES ET CONSENTIENTES HIS, *quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exorta à nobis statuta sunt.* Martinus postquam Amando Romanæ Synodi rationem reddidit, ab eo postulat, ut Gallicani antistites in Synodum coeant, & Romanæ Synodi acta confirment, iisque consentiant. Oecumenicæ Synodi primæ quatuor fecerunt, ne aliquid, quod cum Pontificis hujus epistola vel expressiori sermone, vel sincerioris animi certet indicio? Nunc Tapperus videat, quid ex
61 jactata sua illa Conciliorum approbatione lucrari poterit, & num obtinuerit, quod obtinendam sibi sumpsit? Hoc inquam videat.

Interea dum propositionis verba hæc, *ut qui solus claves acceperit, quodlibet solvendi ac ligandi*, tantisper attingam, & ab interpretatione Patrum abhorrere doceam, si Tapperus Petrum Ecclesiæ personam tunc minime gestasse putet.

Cyprianus in epistola XXVII. de Lapsis: *Dominus noster*, inquit, *cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Siccine Petrus solus accepit claves, ut Tapperus videtur intelligere cùm Petrus claves accepit, Ecclesiæ personam gerebat, ut Cyprianus significat, & hic, & in epistola LXXI. ad Jubaianum: *Quò venturus est, qui sitit, utrumne ad hæreticos, ubi fons & fluvius aquæ vitalis omnino non est? An ad Ecclesiam, quæ una est & super unum, qui & claves ejus* (Ecclesiæ) *accepit, Domini voce fundata est?*

Optatus in libro VII. contra Parmenianum: *Interclusa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam judicandi conciperent, & severè contemnerent eum, qui negaverat Christum. Stant toti innocentes, & peccator ac- 62
cepit claves, ut unitatis negotium formaretur.* Id est, Ecclesia in persona Petri claves accepit.

Augustinus in epistola L. ad Bonifacium Comitem: *In Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ, alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur: De quibus dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo.*

Iterum in Psalmum CVIII. *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in Discipulis habuit, sicut est, Tibi dabo claves regni cælorum, & si qua hujusmodi.*

Hæc pauca de multis, quæ in epistola ad Hadrianum Vallantium Parisiensem Theologum cumulatissimè descripsi. Sic ergo refixa est epocha, quam Tapperus parum accuratè fixerat.

Sed utrum anno MDLV. recesserit à Lovaniensis Academiæ sententia, quam anno superiori in artic. XXI. declaratione statuit, incertum relinquit. Nam illa hinc indè scribit, quibus videtur non Petro vel Petri successoribus, sed Petri cathedræ privilegium infallibilis sententiæ attribuere. Sub orationis initium multa de *judicio cathedræ, & de officio cathedræ Petri* disputat, & in ipsa epocha, quam ab illo fixam retuli, conceptis verbis ait: *Petri cathedræ proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiæ.* Huc flectit Ambrosium de quo dicit: *Ambrosius confitetur se in omnibus sequi ma- 63
gistram Romanam Ecclesiam.* Id etiam potest suadere Tapperus, cùm Cypriani auctoritate utitur. Siquidem beatus ille Martyr id privilegii genus Ecclesiæ & unitati Ecclesiæ, & Romanæ ut hujus unitatis principio, consignat, non Romano Pontifici, à quo tam vehementer dissensit, in iis, quæ ad hæreticorum baptisma pertinent. Et sanè qui ex Cypriano probare vellet, Romanum Pontificem errare non posse, omnium se ludibrio exponeret, & nescire se, qui & qualis Cyprianus fuerit, luculenter ostenderet.

Ad me quod attinet, optarem ego, ut Tapperus nec secum, nec cum Lovaniensis Academiæ traditione pugnaret. Sed cum eo qui Tapperum utroque modo pugnare secum, nec ita constanter differere contendet, non repugnabo.

Tappero succedit Joannes Hesselius à Lovanio, qui tractatum *de cathedræ Petri perpetua protectione & firmitate,* anno MDLXIV. edidit Lovanii. Ex tractatu pauca nobis delibanda sunt, ut videamus tandem num Lovaniensis Academiæ suæ traditionem deserat, vel sequatur.

Ex capite IV. ubi post laudatos Patres Irenæum, Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Prosperum, sic laudat Augustinum in epistola CLXV. *Si ordo Episcoporum,* inquit, *sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam?* Ad hunc Augustini locum utpote clariorem omni luce revocari debent cætera patrum testimonia, quæ hoc in capite Hesselius adducit: 64
Si renuas hoc mihi concedere, pugnabis secum auctor.

Igitur

Igitur videris. Si non pugnet secum, noster est & antiquorum Lovaniensium, si verò pugnet secum, nullius est.

Iterum ex capite VII. *Cùm verò ad primum Pastorem aliqua controversia circa dogma religionis prolata fuerit, non pro sui capitis phantasia statim pronuntiare, sed & aliorum Pastorum judicium audire debet, sive eos simul convocando, sive unoquoque eorum in loco suo manente, eorum sententias literis transmissas cognoscendo, præcipuéque ad præcessores suos attendere, quid illi vel tradiderint, vel de exorta quæstione definierint. Quinimo unitatis fiducia sit, ut si in aliquo ipse primus Pastor, ut homo erraverit circa fidei doctrinam, ab aliis Pastoribus arguatur, errórque monstretur, quomodo Paulus Apostolum Petrum, dum reprehensibilis esset, redarguit. Sicque fit, ut error hominis illius, qui Petri cathedram tenet, promissione eidem cathedra præstita emendetur. Sit in cathedra impius, sit infidelis, sicut erant in Moysi cathedra ipsi Moysi non credentes: Cælestis magister Christus in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis.* Sic nec Petro nec Petri successoribus, sed Petri cathedræ indeficientis judicii privilegium attribuit. Sed præ cæteris notanda sunt duo hæc. Unum est: *Quinimo unitatis fiducia sit, ut si in aliquo ipse primus Pastor ut homo erraverit, circa fidei doctrinam, ab aliis Pastoribus arguatur.* Quod exemplo beati Pauli confirmat. Alterum, *Cælestis magister Christus in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis.*

65 Rursus ex capite VIII. *Imò tanta est Ecclesiæ fiducia in hac Domini gratia, qua se promisit per Petrum fideles confirmaturum, ut etiam Sede Apostolica, ubi rectissimè definierit aliquid ab omnibus suscipiendum, toleret eos, qui suæ definitioni, vel nondum intellectæ, aut nondum ut legitimæ patefactæ per carnalem caliginem (more sancti martyris Cypriani) probabilibus causis citra pertinaciam & absque sentientium condemnationem adversantur: Quia novit Christi promissum esse stabile, & tales oppositiones proficere ad majorem veritatis elucidationem. Ac cùm tot modis veritas alicujus dogmatis à tota Ecclesia fide suscepti fuerit patefacta, ut clareat Diabolica induratum esse malitia, qui resistere elegerit: Tunc tanquam hæreticum ejicit foras: tunc tanquam qui subversus est periturus, devitat; non tam pro ejus correctione laborans, quàm ne ejus contagio infitiantur cæteri.* Quibus verbis videtur innuere, promissionem Petro factam ad ipsam referri Ecclesiam, quæ Sedis Apostolicæ definitionem susceptura est, si tamen sedes illa rectissimè definierit: *Ubi*, inquit, *rectissimè definierit aliquid ab omnibus suscipiendum.* In suscipiendo ab Ecclesia dogmate potiùs, quàm in definiendo promissum à Christo non errandi privilegium constituit. Quod post alia sic confirmat auctor:

Audi & longè posteriorem (Leone I.) *Pontificem Alexandrum III. sic scribentem. Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infrà: *Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare*
66 *adimplere non possis rationabilem causam prætendas. Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. Cap si quando. de Rescriptis lib. I. decretalium.* Alexander ex definitionis suæ susceptione, non ex ipsa definitione rem esse bene definitam colligit. Quò spectat Hesselius, atque ex præmissis spectare debet.

Tum ex cap. X. ubi objectionibus respondet: *Dum antiquam erronea consultatio in Ecclesiam Christi pervagatur, tam per successorem ejusdem cathedræ* (Petri) *corrigit, ut ad Ecclesiam priùs perveniat erroris correctio, quàm ipse error Pontificis. Si quidem haud necesse est ex Christi promisso docere personam Pontificis non posse in religione errare* (*ut & suprà dictum est*) *aut dum, ut privata persona, vel particularis diœcesis Episcopus agit, sive quandiu ejus sententia veluti privata persona est occulta, nihil falsi posse aliis tradere: Sed hoc habet Christi promissio, quòd Petri sive successoris ejus fides nunquam ita deficiat, quin semper sit Ecclesiam, dum à portis inferi oppugnatur, firmaturus, ne illæ prævaleant. Quando ergo Pontifex toti Ecclesiæ Christi aliquid præscribit credendum, tunc propriè officio Petri fungitur, tunc fides ejus non solùm non deficit, sed etiam firmat Ecclesiam. Hoc verò tunc propriè facit, cùm controversiæ exurgunt, & fideles ab eo pabulum postulant, alioqui dum nihil quæstionis est circa doctrinam fidei exortum, Pontificis est priùs definita diligenter custodire, non novi aliquid pro suo libitu definiendum comminisci.* Cùm auctor in objectionibus solvendis tenet medium quoddam iter, implicare seipsum videtur. Hinc enim non errandi privilegium Romano Pontifici adimit, & Romanæ cathe- 67
dræ tribuit, hinc idem privilegium Romano Pontifici tribuit, cùm toti Ecclesiæ credendum aliquid præscribit. Quo in casu Romanam cathedram cum Romano Pontifice, & Sedem cum sedente conjungit, atque ita Christi orationem, quæ Lucæ cap. XXII. habetur, varias in partes convertit, & oranti versatile ingenium affingit. Quod certè ab honesto & vero abhorret, maximè, cùm propositio his concepta verbis: *cùm Pontifex toti Ecclesiæ credendum aliquid præscribit*, apud veteres Theologos inusitata sit, & exemplo nullo communiatur. In re autem tanti ponderis communiri aliquo debuit. Novum ideo quæstionis Theologicæ statum finxit, quo faciliùs proposita ab Hadriano & Theologis aliis argumenta solveret. Sed revera non solvit, eludit potiùs, cùm ait, hunc vel illum Pontificem non errasse ut Pontificem, quia cùm erravit, quid credendum vel agendum esset, Ecclesiæ toti non præscribebat. Verùm auctor nec adfert nec adferre potest quicquam, quo lemma suum novum confirmet. Quis unquam vel in scripturis, vel apud Patres, Concilia, vetustiores Theologos vidit propositionem hanc, Romanus Pontifex errare non potest cùm quid credendum vel agendum sit toti præscribit Ecclesiæ? Si ex Scriptura, vel Patrum, Conciliorum, aut vetustiorum Theologorum dictis ratiocinandum sit, Hesselius per fallaciam accidentis ratiocinabitur; à non distributo ad distributum procedet, & hoc modo gignetur error, non scientia. Quæ cùm ita sint, negari non potest, quin subobscurè scripserit Hesselius. Sed quidquid est hoc in capite caliginis dissipatur, tum ex iis, quæ præcesserunt, tum etiam ex iis, quæ 68
subsequuntur.

Denique ex cap. XI. quo *summatim*, ut fert titulus, *repetitur explicatio promissionis factæ cathedræ Petri.*

Quò igitur paucis complectamur ea, quæ hactenus dicta sunt circa Christi promissionem, qua promisit per Petrum ejúsque successores custodire doctrinam fidei, arbitramur non pertinere hanc promissionem necessariò ad privatam Pontificis, quam in corde coram Deo habet fidem, quasi ea deficere nequeat, neque ad ea, quæ aliis in occulto tradit, vel privatim consultus respondet aut docet, vel nulla in Ecclesia quæstione exorta, aut contra apertè priùs definita, aut fratrum Pastorum, Doctorúmque Ecclesiæ consilio non adhibito definire tentat, aut docet. In his enim, aut ut alius quilibet fidelis, aut ut alius Ecclesiæ particularis Pastor, aut ut impius, vel temerarius est habendus, nec petræ Ecclesiæ officio fungitur: Sed cùm in Ecclesia quæstio aliqua religionem Christianam concernens exoritur, & ad eum à fidelibus ea refertur, illéque consideratis priùs definitis, adhibitóque Pastorum inferiorum concilio præscribit, & præcipit toti Ecclesiæ, quid fide sequatur, tunc locum habet Christi promissio de fide ejus non defectura, sed fratres omnes confirmatura: sic enim semper Petri successores immaculatam fidem custodisse legimus, quanquam & in privatis consultationibus, in quibus aliis particularibus Episcopis similes sunt, longè excellentiores misericordia divina Petri successores fecerit: Etiam hoc modo plerumque fideles confirmans.

Deni-

Denique hoc divina misericordia providit per ipsam
69 *Sedem beati Petri, ut privatos errores sive imperitia & verum inexperientia, sive malitia Petri successoribus subrepentes (cujus tamen certum exemplum non habemus) statim per eandem Sedem aboleret, ut Ecclesia non nocumentum, sed tutelam in fide, à Petri Sede semper susceperit, omnibúsque modis firma sit Christi vera promissio. Hæc est (inquit Agatho, præmissa fidei confessione ad ipsum Imperatorem scribens) vera fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii, Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: Sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est. Petre, Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus Sedes est, qui Sedem Petri non defecturam promisit, confirmare enim fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum, quorum & pusillitas mea licèt impar & minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere.* Hic auctor Petrum & Petri successores à Petri cathedra distinguit, ut antea distinxit,
70 & illis ita distinctis & sejunctis Pontifici non errandi privilegium abjudicat, sed cathedræ adjudicandum esse censet, & id Agathonis Papæ testimonio confirmat. Quo modo à majoribus suis non dissentit.

Deinde cùm Petrum & Petri successores cathedræ conjungit, eis non errandi privilegium uno tantùm in casu attribuit: Nimirum ubi quid fide credendum sit, toti præscriberent Ecclesiæ; Ac proinde si quid fide credendum esset, Occidentali, vel Romanæ, cujus veri sunt Episcopi ac sponsi, Ecclesiæ præscriberent, errare possent, quia tunc non errandi privilegio carerent. Quinetiam in Hesselii systemate cùm Petrus, vel Petri successor Linus Romanos Idololatras dedocuit, & ad Christianam religionem informavit, errare potuit, quia illud: *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua,* eo usque non pertinet. Hic affirmare non auderem Hesselium ad systema suum satis diligenter attendisse.

Tum ille casum unum hunc, qui, quibus verbis proponitur, ab antiquioribus Theologis propositus non est, iis circumscribit conditionibus, quæ si omitterentur, Pontifex incassum definire tentaret, ac doceret: *Cùm in Ecclesia,* inquit, *quæstio aliqua religionem Christianam concernens exoritur, & ad eum à fidelibus ea refertur, illéque consideratis priùs definitis, adhibitóque Pastorum inferiorum concilio præscribit, & præcipit toti Ecclesiæ, quid fide sequatur: Tunc locum habet Christi promissio de fide ejus non defectura, sed fratres omnes confirmatura.*

Hæc habui, quæ de Joanne Hesselio observarem, & in quibus Lovaniensis Academiæ suæ traditionem sequi-
71 tur, nec Bellarmino prælucet, ut is sibi prælucere scribit in libri IV. de potestate Romani Pontificis capite XI. quod non malè suspicatus sum, cùm in Epistola ad Christophorum Fauvæum laudatos à Bellarmino auctores pro certo Papæ judicio examinarem. Sed quia tractatum Hesselii reperire nondum potueram, asserere nec potui nec debui. Tu verò ut videndi tractatus nostrum expleres desiderium, exemplar unum accersisti Lovanio, quod Parisiis ubiubi non potuerat inveniri. Ad Bellarminum quod attinet, hic in citando Joanne Hesselio, qui &, à Lovanio, dicitur, ut in plerisque aliis nec castè nec integrè versatus est.

Hactenus nimirum ad annum MDLXIV. quo scribebat Hesselius, antiqua Lovaniensis Academiæ perseveravit traditio. An postea in suis Theologis perseveraverit, videndum est.

Hesselio inter alios Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus successit. Hæc autem in Commentario ad caput XXII. beati Lucæ scribit cùm illa verba Christi: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* à superiori commate, *Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,* periodi partem unam ab altera distrahit, & sic exponit: *Sed quia confirmare fratres, quod sequitur, ad officium Pastoris pertinet, & providè perpetuum esse debet, hinc juxta sensum antiquorum impetravit et aliud privilegium ad successores propagandum, ut videlicet tanquam caput Ecclesiæ nunquam ipse nec successores ejus in docenda vera fide deficerent.* Antiqui Patres quos laudat sunt duo tantùm, Leo I. & sanctus Bernardus: Ille cùm ait: *In Petro omnium fortitudo*
munitur, sed omnium in docenda potius, quàm in 72
credenda vera fide fortitudinem muniri non significat. Quod tamen significandum esset: Hic verò simile quid dicit, sed ad Iansenii, ut apparet, mentem non dicit. Quidquid in causa, Iansenius si indeficientis judicii privilegium, quod ex hac oratione Christi colligit, in Petrum & Petri successores flectit seorsum à Petri cathedra, à majoribus suis Lovaniensibus Theologis discordat; si flectit in cathedram, ab illis quidem non discordat, sed à beato Augustino, quem se toties legisse profitetur. Augustinus locum hunc ad literam interpretatus, non ita flectit. Id ex illius scriptis nunc requirendum est.

Et primò quidem ex Epistola CCLII. ad Joannem Episcopum contra librum Pelagii: *In hoc libro ille Dei gratiam non appellat nisi naturam, qua libero arbitrio conditi sumus.* Et paullo pòst: *Unde quis non videat, cùm eundem librum legerit, quemadmodum oppugnetur gratia Dei, de qua dicit Apostolus, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Dominum nostrum Christum Jesum. Et nullus locus divino adjutorio relinquatur, propter quod orantes dicere debeamus, Ne nos inferas in tentationem: Sine causa etiam Dominus Petro Apostolo dixisse videatur: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua, si hoc totum in nobis nullo auxilio Dei, sed potestate voluntatis impletur.*

Deinde ex libri de correptione & gratia capite VI. *Nam si dixerimus, istam perseverantiam tam laudabilem, tam felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua; quid enim ei rogavit,* 73
nisi perseverantiam usque in finem?

Tum ex ejusdem libri capite VIII. *Si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundùm Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non donante Deo si perseveret, sed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis, Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset: Hoc est si eam usque in finem perseverare noluisset? Quasi Petrus aliud ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset ut vellet. Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, & permansuram, si eadem voluntas maneret, sed quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo Christi non posset esse inanis oratio? Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?*

Quartò ex ejusdem libri capite XII. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur. Et ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas*

hominis

hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non de futuro adjutorio
74 *Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet, fortissimo quippe dimisit ac permisit facere, quod vellet, infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. Dicente ergo Christo, Rogavi pro te ne deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui ædificatur super petram, atque ita homo Dei non solùm, quia misericordiam consecutus est, ut fidelis esset; verumetiam, quia fides ipsa non deficit: Qui gloriatur in Domino, glorietur.*

Quintò ex Commentario in Psalmum CXVIII. concione XV. *Est & alia spes, quæ in humilitate tribulationis plurimum consolatur, quæ sanctis data est in verbo Dei adjutorium gratiæ pollicentis, ne quisque deficiat, de qua spe dicit Apostolus, Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Hanc spem dedit etiam Salvator ore suo, quando ait: Hac nocte postulavit Satanas vexare vos sicut triticum: Et ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua. Hanc spem dedit & in oratione, quam docuit, ubi monuit ut dicamus, Ne nos inferas in tentationem.*

Denique ex libri II. de opere imperfecto contra Julianum capite CCXXVII. *Augustinus respondit. Tu vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam, nisi in dimissione peccatorum, ut jam de cætero per liberum arbitrium ipse homo seipsum fabricet justum, sed non de hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota, quod didicit à magistro bono, Ne nos inferas in tentationem: non hoc dicit, quò dicit: Oramus autem ad Dominum, nequid faciatis*
75 *mali: non hoc dicit, quò dicit, Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua. Isto enim modo gratia, ut non peccemus, facit, non quæ peccavimus diluit: utroque enim modo adjuvat gratia, & dimittendo, quæ malè fecimus, & opitulando, ut declinemus à malo & bona faciamus.*

Hæc Augustinus apertè, frequenter, perseveranter, quæ homo Doctoris tanti placitis addictus recipere, ni fallor, debuit: Idque vel maximè cùm sancti Lucæ testimonium ad literam exponat.

Huc accedunt Concilia duo, Carthaginiense in epistola ad Innocentium I. *Consideret ergo sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quàm sit pestiferum, & exitiale ovibus Christi, quòd istorum sacrilegas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus & Discipulos monuit, & posuit in oratione, quam docuit, aut ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse testatus est. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videt à Domino inaniter peti & fallaciter orari, cùm orando poscuntur, quæ naturæ nostræ jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur? Nec debuisse dicere Dominum Jesum, Vigilate & orate: Sed tantummodo vigilate, ne intretis in tentationem, nec beatissimo Petro primo Apostolorum: Rogavi pro te, sed moneo te, vel impero, ac præcipio ne deficiat fides tua.* Hæc Patres Episcopi sexaginta & octo, qui hoc in Concilium coiverunt. Sed

Innocentius I. Concilii hujus relationem totam approbat in epistola ad idem Concilium: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vin-*
76 *camur. Sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse.* Et sub finem: *Sed satis vestris monitis, & sic satis abundantibus nostræ legis exemplis probatur esse responsum, nec quicquam superesse duximus, quod dicamus, cùm nihil prætermissum à vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati, & penitus cognoscantur esse convicti: Ideóque à nobis testimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio est, & satis constat doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse, nec decet credere vos aliquid, quod ad causam possit proficere, præteriisse.* Sic legitimam ac ratam habet Scripturæ locorum expositionem, quæ à Concilii Patribus tradita est. At inter Scripturæ loca eminet: *Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.*

Milevitanum in epistola ad eundem Innocentium: *Nova quippe hæresis & nimium perniciosa tentat surgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cùm enim Dominus docuerit, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, isti dicunt posse hominem in hac vita præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra: Illud verò quod sequitur, Ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: Sed hoc in nostra esse positum potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis, tanquam frustra Apostolus dixerit: Non volentis neque curren-*
tis, sed miserentis est Dei, & fidelis Deus, qui non per- 77
mittet vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere: Frustra enim Dominus dixerit Apostolo Petro, Rogavi pro te ne deficiat fides tua, &c. Hæc Patres Episcopi sexaginta & unus. Potuerunt loqui ad propositam quæstionem certiùs?

Id confirmat iterum Innocentius in epistola ad Milevitanum Concilium: *Multifariis equidem ad destruendum tale magisterium uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatem vestram ad plenum Scripturas callere divinas, præsertim cùm vestra relatio tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat præsens dogma rescindi.* At si judice Innocentio Milevitani Patres divinas ad plenum callent Scripturas, non potest ambigi, quin germanam Lucæ interpretationem sint assecuti.

Præterea si evangelicæ periodi pars una separanda esset ab altera, & in posteriori privilegium aliud, quàm in priori, ubi personale tantùm intelligitur à Jansenio, intelligendum esset, Augustinus pro more suo, id non ad Petrum duntaxat, vel ejus successores flexisset, sed ad Ecclesiam, cujus Petrus figuram gessisset. Sic enim in enarratione super Psal. CVIII. scribit: *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum quem in Discipulis habuit, sicuti est, Tibi dabo claves regni cælorum, & siqua hujusmodi.* In epistola CLXV. ad Ecclesiam flexit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram,* &c. Ad Ecclesiam verò nusquam flexit, *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos,*
quia personale duntaxat privilegium esse perspexit. 78
Hæc enim præcedentibus in Petro uno jungenda sunt.

Augustinus, Africana & Romana Ecclesia derivatam ab initio istius loci integri veram ac certam intelligentiam concludunt, & inter se de sensu conveniunt, quem Jansenius alteri interpretationi postponit. Atque hoc ipsum est, quod demiramur. Quis enim crederet voluisse Iansenium in expositione loci hujus seorsum ab Augustino, Africana & Romana, adeóque omni retro versus Apostolos Ecclesia sentire? Non id credendum est modò, sed etiam sciendum, quia tangimus & palpamus. Ad Bellarminum, Societatem, & Curiam, tria hæc, accedere voluit, sed ut apparet, valde inutiliter.

Verùm non dubito quin Jansenius hac in re beatum secutus esset Augustinum, si quomodo Alexander VII. Augustini dogmata cùm alia, tum ea maximè, quæ ad gratiam spectant, inconcussa & tutissima esse confirmat, intueri potuisset. Sic autem Pontifex ad Lovanienses Theologos scribit, anno MDCLXII. VII. Idus Sextiles: *De reliquo non dubitamus, quin pro sin-*

*gulari scientia pietatisque studio sanam & incorruptam,
qualem tot Apostolica Sedis declarationes, & sanctorum
Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplex-
uri, & adversus orthodoxa religionis hostes defensuri
sitis, nec non praclarissimorum Ecclesia Catholica Do-
ctorum Augustini, & Thoma Aquinatis,* INCONCUSSA
TOTISSIMAQUE DOGMATA *sequi semper, ut asse-
ritis, & impensè revereri velitis: Quorum profectò
sanctissimorum virorum penes Catholicos universos in-
gentia & omnem laudem supergressa nomina novi pra-
conis commendatione planè non egent.* Quanti quæso fa-
79 ciendum est judicium tale, quod replicatis diligenter
Augustini Commentariis, & iis ad plenum & per-
fectum intellectis pronuntiatur? Adulari me non cre-
das, sed errare potiùs; & si (quod absit) erro, pie-
tatis error est, non adulationis.

Jansenium & in Jansenii causa excipiunt Lovanien-
ses Theologi in libello, qui *Planctus veritatis Augusti-
niana in Belgio patientis* inscribitur. Libellus anno
M. DC. XLIX. editus est Lovanii, in quo hanc fidei
protestationem emittunt: *Nos igitur orthodoxa Ro-
mana & Apostolica Ecclesia filii fidem nostram ac obedi-
entiam subjunctis punctis notam fieri desiderantes, primò
obedientiam fidelem & sinceram, religiosam & efficacem,
Tibi sanctissime Pater, Tua cathedra, Tuis successoribus, ac
universali Romana Ecclesia scripto devovemus & nuncu-
pamus: Secundò fidem, quam Romana, Catholica, Aposto-
lica, ac orthodoxa hactenus tenuit, tenet, & usque ad mundi
finem tenebit Ecclesia, in omnibus & singulis decretis, arti-
culis, propositionibus, definitionibus profitemur & amplecti-
mur, & omni errori & doctrina, dogmati & opinioni illis
contraria abrenuntiamus: Tertiò infallibilitatem Sedis A-
postolica in rebus fidei decernendis agnoscimus & confite-
mur.*

*Et in materia de pradestinatione, de gratia Christi, &
libero arbitrio specialiter infallibilitatem sancta Sedis suf-
picimus.*

Et primò quidem cùm de Romani Pontificis infalli-
bilitate loquantur, nusquam hanc illi tacitè abjudicant,
ut Joannes Driedo, Hadrianus VI. & majores alii ab-
judicarunt.

Deinde cùm nunc de universali Romana Ecclesia,
80 nunc de Sede Apostolica sermonem instituant, univer-
salem Romanam Ecclesiam & Sedem Apostolicam vi-
dentur perinde habere: Quomodo ut Romanæ Ec-
clesiæ, sic & Sedis Apostolicæ nomine universalem Ec-
clesiam intelligerent, minùs quidem propriè, sed tamen
intelligerent, ut Parisienses in tractatu contra Joan-
nem Montesonum edito intellexerunt: *Et istud,* in-
quiunt, *declaratur 1. supponendo quod sit Sedes Aposto-
lica. Nam ipsa est vel universalis Ecclesia, vel aliquod
generale Collegium universalem repræsentans Ecclesiam, vel
particularis Ecclesia Romana,* &c. Hoc autem in casu
Lovanienses illi revolverentur ad Academiæ suæ ori-
ginem, quæ sub initium explicata est, & meliùs con-
sulti ad Parisienses nostros accederent, qui nonnisi Ec-
clesiæ & repræsentanti Ecclesiam Concilio non er-
randi in fide & moribus privilegium attribuunt.
Quis enim crederet, Lovanienses illos Romano Pon-
tifici infallibilitatem velle seorsim ab Apostolica Se-
de, quocunque tandem sumatur modo, tribuere? Quis
putaret eosdem velle à Joannis Driedonis, Hadri-
ani VI. & majorum doctrina & traditione defle-
ctere? Nonne Hadrianus unus, qui Lovaniensis A-
cademiæ decus & ornamentum fuit, ad illius Theo-
logos in eadem doctrina & traditione continendos
sufficeret?

Postremò in omnem eventum spectare possunt
Sedis Apostolicæ judicium, quale olim cùm de præ-
destinatione & de gratia Dei agebatur inveniunt,
& quale Romanus Pontifex Agatho describit in e-
pistola ad Constantinum & Imperatores alios. Ver-
ba sunt: *His itaque mansuetissimi rerum Domini di-
vatibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de
profundis angoribus alleviatus, ursus jam meliori re-* 81
*fectus confidentia, paulatim iis, qua per mansuetissima
fortitudinis vestra sacram dudum pracepta sunt, effica-
citer promptam obsequentiam exhibere, ut personas, qua-
les secundum temporis hujus defectum, ac servilis pro-
vincia qualitatem poterant inveniri pro obedientia satis-
factione inquirerem, & cum consilio confamulorum meo-
rum Episcoporum tam de propinqua hujus Apostolica Se-
dis Synodo, quàm de familiari Clero amatores Christiani
Imperii & sequenter de religiosis servos Dei, ut ad pis-
sima tranquillitatis vestra vestigia properarent, hortarer.*
Hic familiaris Cleri nomine Romanam designat Ec-
clesiam, quæ & Sedes Apostolica dicitur, sed propin-
quorum antistitum Synodo communita. Quamobrem
Agathonis epistola Synodica sic inscribitur: *Piissimis
Dominis,* &c. *Constantino, Heraclio,* &c. *Agatho E-
piscopus servus servorum Dei, cum universis Synodis sub-
jacentibus Concilio Apostolica Sedis.* Sic beatus Ber-
nardus Sedem spectabat Apostolicam, cum in e-
pistola CXC. ad Innocentium II. scribit: *Oportet ad
vestrum referre Apostolatum pericula quæque & scandala
regni Dei, & ea præsertim, qua de fide contingunt. Dig-
num namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei,
ubi non possit fides sentire defectum. Hac quippe hujus
prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum
est: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua? Hac,*
inquit, *hujus prærogativa Sedis.* Non sedentis, quem
tamen à Sede non separat, sed ei de more adjungit
Romanæ provinciæ antistites, quos nunc Curiæ, nunc
de Curia Episcopos appellat. In epistola CLXVIII.
scribit: *Ad Episcopos Curia.* In epistola CLXXXVIII. 82
scribit: *Dominis & Patribus reverendis Episcopis & Car-
dinalibus, qui sunt de Curia.* In epistola CCXIX. scri-
bit: *Ad quatuor Episcopos Curia, Albericum Ostiensem,
Stephanum Pranestinum, Igmarum Tusculanum, & Ge-
rardum Cancellarium.* In epistola CCXXXV. scri-
bit: *Dominis Patribus reverendis Episcopis & Cardina-
libus Curia;* ubi & hæc traduntur: *Non ignoratis pro-
latam esse sententiam à Domino Papa bona memoria In-
nocentio, cum vestro & Romana Curia generali assen-
su.* In epistola CCXXXVI. scribit: *Dominis & Pa-
tribus reverendis Cardinalibus, & Episcopis omnibus qui
sunt de Curia.* Cùm igitur ait: *Hac hujus præroga-
tiva Sedis,* Concilium Sedis Apostolicæ ab Apostolica
Sede non abjungit.

Sic Innocentius II. non suam, sed Sedis prærroga-
tivam intelligit in epistola, quam ad Senonense Con-
cilium rescribit: *Verùm in hoc maximè consolamur, &
omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus ve-
stris pro patribus tales filios suscitavit, & tempore A-
postolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit
esse Pastores, qui novi hæretici calumniis studeant ob-
viare, & immaculatam Sponsam uni viro Virginem ca-
stam exhibere Christo. Nos itaque, qui in beati Pe-
tri cathedra, (cui à Deo dictum est, Et tu aliquando
conversus confirma fratres tuos) licèt indigni resi-
dere conspicimur, communicato fratrum nostrorum E-
piscoporum & Cardinalium consilio, destinata nobis à
vestra discretione capitula, & universa ipsius* (A-
bælardi) *perversa dogmata sanctorum canonum au-
ctoritate cum suo auctore damnavimus.* Ecce tibi Se- 83
des Apostolica, quam suum ipsius circundat Conci-
lium!

Ad extremum Lovaniensibus Theologis Roma-
nus Pontifex non idem est quod Sedes Apostoli-
ca, nec esse omnino potest, cùm Romanus Ponti-
fex Sedi Apostolicæ præsideat, ut ipsi Romani
Pontifices agnoscunt. Itaque qui affirmaret, illis
idem esse, his injuriam faceret ac veritati. Quis
quæso cùm Romanus Pontifex laboraret morbo,
Sedem quoque Apostolicam laborare morbo di-
ceret? Et quis cùm Joannes XII. miserabiliter
periit, Sedem pariter Apostolicam miserabili-
ter periisse reciperet? Absit, absit, inquam,
ut

ut cogitatio tam stulta cuiquam, nedum Lovaniensibus Theologis in mentem veniat. Non tenebo te pluribus. Ad finem usque perduxi, quæ indaganda & discutienda susceperam. In ortu Lovaniensis Academiæ comperta & plana omnia reperi, incompertum & asperum nihil. In progressu offendi Hadrianum VI. cujus virtus, doctrina, & dignitas summa ejusdem Academiæ placita vehementer illustrant, & sarta tectáque ab omni detrimento conservant. Hadrianum sequuntur Driedo, Latomus, Facultas sacra in suis articulis, Tapperus articulorum intèrpres & confirmator, Hesselius & recentiores alii, quorum unusquisque pro captu suo & pro variis temporibus, quam nactus fuerat, spartam adornavit, & sicubi à majorum tramite nonnihil deflexit, id vel commoda expositione molliendum, vel in privata, non publica vel Academica opinione ponendum erit. Id tandem fiet, quod tu vir sincero animo præditus, optimarum artium ac disciplinarum cultor, & antiquorum Lovaniensis Academiæ tuæ placitorum studiosus, & amans faciendum esse judicave-
84 ris. Sed cum primis memineris, antiqua Lovaniensis Academiæ placita cohærere cum Romanæ Ecclesiæ traditione, quam in epistolis ad Raimundum Formentinum, Joannem Gerbasium, & Christophorum Fauvæum Parisienses Theologos omnes exposuimus. Interim oro te atque obtestor, ut de meliori nota commendes me veteri & contubernali amico meo, Roberto Franckevillæ, patruo tuo, virtutis totius exemplari, qui aliquanto postquam primum in Theologia gradum consecutus est Parisiis, mundanarum rerum fugitans, ut desertissimæ, sic & asperrimæ, sed degentibus cælestem vitam hominibus oppletæ apud Cularonenses solitudinis antra subire instituit. Deinde consecratus religiosa professione ascetes ab iis, quorum refert, judicatus est idoneus, qui Carthusienses ἀσκητήρια regeret nonnullas, & Lugdunensem hodie magna cum integritatis & prudentiæ laude regit. Hic,

Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur;
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat:

Mutuari mihi liceat hos versus ab eo, qui etiamsi Christianus non esset, Christianæ tamen Monastices summam descripsit; quo in loco illam suggillare voluit. Veritatem de manibus inimicorum extorquemus, & beatum Paulum sequimur monentem: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Vale. Lutetiæ Paris. IX. Calend. Decembres MDCLXV.

Joannes Launoius

RAIMUNDO FORMENTINO

Parisiensi Theologo, *Aurelianensi* Canonico.

1 MIRARIS, cur valde asseveranter tecum locutus dixerim, Romanos Inquisitores in Congregationis suæ decreto, quod VIII. Calend. Octobris anni MDCLXV. Romæ editum est, confirmavisse censoriæ severitatis notam, qua Facultas Theologiæ Parisiensis affecit Amadæi Guimenii propositiones has omnes, quæ eundem scopum feriunt: *Ideò etiam ad fidem pertinet inhærere determinationi Summi Pontificis in his, quæ sunt fidei, imò etiam in his, quæ spectant ad bonos mores, quia in hujusmodi etiam Ecclesia errare potest, & consequenter nec caput ejus, &c.* Iterum: *De fide esse non posse Pontificem errare, &c. Ita ut approbet tanquam consentaneum Evangelicæ perfectioni, quod consentaneum non sit.* Et infernis: *Tam certa est conclusio, ut oppositum non dubitem esse hæreticum.* Censura verò est hæc: *Doctrina his propositionibus contenta & illata, falsa est & temeraria.* Porro autem mirandi causa tibi fuit, quòd tecum plerique alii putent Alexandrum VII. cùm propter alia, tum propter hoc maximè Facultatis nostræ censuram præsumptionis, temeritatis, & scandali damnasse. Ex Alexandri Bulla, quæ VII. Calend. Julii ann. MDCLXV. confecta est, verba hæc objicis: *In quibus libris* (sic duorum librorum censuras duas libros ap-
2 pellare placuit) *censura præsumptuosa notantur aliquæ propositiones, eæque præsertim, quæ ad Romani Pont. & sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritatem ....pertinent ....& cùm fieri non possit sine publico Catholicæ religionis detrimento, ut prædicta censura in commemoratis libris sine debita Ecclesiæ animadversione & damnatione remaneant, nos pro Apostolico munere, quo licèt immeriti fungimur, ut gravissimo scandalo, quod inde Catholicis accidere posset, occurramus, habitis priùs doctissimorum ac insignium in sacra Theologia Magistrorum ac Professorum, ac sacrarum Sedis Apostolicæ congregationum qualificatorum, quos adhuc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei gravitas videbatur postulare, necnon auditis suffragiis venerabilium fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium in tota Rep. Christiana generalium Inquisitorum, motu proprio & ex certa scientia, déque Apostolicæ potestatis plenitudine præfatas censuras uti præsumptuosas, temerarias, atque scandalosas auctoritate Apostolica damnamus.*

Audio quidem & perspiclo Alexandri VII. verba, quæ proponis ut causam, cur de asseveratione mea tam vehementer mireris, sed mirari desines, cum decretum Inquisitorum perlegendo substiteris in propositione XXVII. quæ talis est: *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

Propositio hæc cum cæteris aliis ita damnatur: *Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura & studium impenditur, interea idem sanctissimus re maturè considerata statuit & decrevit prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum ut minimùm scandalosas* 3 *esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: Ita ut quicunque illas, aut conjunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.*

Nunc veniendum est ad rem ipsam, quæ per seipsam jam satis splendescit: Nempe Romanos Inquisitores censuram confirmasse, quam Parisienses Theologi in relatas Guimenii propositiones tulerunt. A-

madæus Guimenius, seu Theophilus Raynaudus scriptor est junior, & primus auctor damnatarum propositionum. Ante ipsum Theologorum nemo est, qui, quas propositiones ad fidem pertinere, vel de fide esse omnino recipit, receperit; qui, quam conclusionem adeò certam esse prorsus asserit, ut oppositum non dubitet hæreticum esse, similiter asseruerit. In summa, qui conclusiones illas divina fide credendas esse proposuerit. Quo fit, ut Guimenii propositiones duplici de causa probabiles non sint. Primùm, quòd Romani Inquisitores ita decernunt probante Alexandro VII. cùm assertionem hanc; *Si liber sit alicujus junioris & moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem*, UT MINIMUM SCANDALOSAM repudiant. Quinetiam cùm assertionem hanc repudiant, *ut*
4 *minimùm scandalosam*, haud obscurè significant, minori nota non posse affici, posse verò majori. Id videtur extra controversiam. Joannes Major Parisiensis Theologus, qui ante annos centum & quadraginta claruit, in tertium sent. dist. XXXVII. quæst. XXVI. scitè scribit in hanc rem: *Non est minùs hæresis asserere aliquid esse de fide, quod nullatenus est de fide, quàm negare aliquid de fide, quod est de fide.* Quidquid id sit, Romani censores damnatæ à se propositioni non modò probabilitatem detrahunt, sed etiam illam *ut minimùm scandalosam* pronuntiant, & pronuntiando, per illud, *ut minimùm scandalosam*, Parisiensis censuræ notas duas, *falsam* & *temerariam*, & fortè graviores alias appellant. Sic tantùm abest, ut Romani censores Parisiensium infirment censuram, ut validissimè confirment.

Deinde Guimenii propositiones non sunt probabiles, quòd auctor ille ad illarum probationem argumento fallaci utitur, quo non opinio, sed error gignitur. Argumentum hoc est, *Ecclesia errare non potest, & consequenter nec caput ejus.* Nonne aperta fraus & fallacia est, cùm à conjunctis ad divisa disseritur? Sic Guimenius hoc in argumento disserit. Quæ fraus, quæ fallacia prodetur adhuc magis, si, *esse caput Ecclesiæ*, quid sit, Gregorio Magno interprete discamus: Sic autem in libri IV. epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum interpretatur: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite* (Christo) *omnes sunt membra Ecclesiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis adstringam, sancti*
5 *ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti, & tamen nemo se unquam universalem appellare voluit.* Igitur ut ex antecedente hoc, *Ecclesia errare non potest*, Guimenius colligit, *& consequenter nec caput ejus*, id est nec primum membrum ejus; sic & pari disputandi modo colligeret, & consequenter nec secundum, nec tertium membrum ejus. At quis est tam hebes in plebecula qui fallaces illas conclusiunculas non deprehendat? Quis deprehensas animo æquo sustineat?

Romani Pontifices beatum Petrum Apostolorum primum appellant: Innocentius I. in epistola ad Alexandrum Antiochenum Episcopum: *Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quod prima primi Apostoli Sedes esse monstretur.*

Leo I. in sermone I. de Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii.*

Deinde in sermone II. de eodem Natali: *Christus ad insinuanda nobis dispensationis & divinitatis mysteria Apostolici ordinis primum beatum Petrum huic civitati dignatus est prærogare.*

Tum in sermone I. de Anniversario Assumptionis suæ: *Quid habeat sensus discipulorum exigitur: Primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate.*

Denique in epistolæ LXXV. ad Leonem Augustum capite II. *Cùm ergo universalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationem facta sit petra, & primus Apostolorum beatissimus Petrus voce Domini audierit, Tu es Petrus*, &c.

Felix III. in epistola V. ad Zenonem Imperatorem: 6
Ejus unigenitus in confessione primi Apostolorum fundavit, &c.

Gelasius I. in tomo de Anathematis vinculo: *Sanctus Petrus primus Apostolorum sic existimans novi Testamenti gratiam prædicandam, ut à legis veteris non recederet institutis.*

Joannes II. in epistola ad Justinianum Imp. *Charitatis studio edocti Ecclesiasticis disciplinis Romanæ Sedi reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est, Apostolorum primum Domino loquente præceptum est, Pasce oves.*

Vigilius in epistola VII. ad Auxanium Arelatensem Episcopum: *Et sicut, idem Apostolorum primus saluberrima admonitione præcipiens, Pascite, qui in vobis est gregem, consequenti adhortatione subjungit, forma facti gregis.*

Deinde in epistola X. ad universam Ecclesiam: *Quæ* (confessio) *doctrina Sedis primi Apostolorum per omnia probatur adsimilis.*

Tum in epistola XI. ad Episcopos Galliæ: *Unde quantùm nobis Christus Deus Dominus & Salvator noster primi Apostolorum locum pro ineffabili pietatis suæ genere largitate concessit.*

Gregorius I. in libri XVII. super Job capite XIX. *Scimus, quòd ille Apostolorum, id est, cælorum, primus amo acceptam hujus Spiritus gratiam, quoties dum mori timuit, vitam negavit.*

Deinde in libri II. super Ezechielem homilia XVIII. *Idem verò Apostolorum primus, cùm multa discipulos admoneret*, &c.

Hadrianus I. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, quam Francofordiensis Synodus approbavit: *Quid præ-* 7
stabilius, quidve clarius, & omni religione devotius, quàm beati Petri primi Pastoris Ecclesiæ felici confessione prolata fidei tenere fundamentum?

At *primum Ecclesiæ membrum*, & *primus Apostolorum*, inter se non discrepant, aut si discrepent, non multùm discrepant. Nunc autem quis ita philosopharetur? Apostolorum Collegium, quod repræsentat Ecclesiam, errare non potest: Igitur nec primus Apostolorum, aut primi Apostolorum successor. Et qui sic philosopharetur, impedire non posset, quominus ex antecedente tali similis deduceretur conclusio hæc: Igitur nec secundus Apostolorum aut secundi Apostolorum successor. Disparem philosophandi rationem nemo assignabit unquam. Utraque philosophandi ratio vitiosa cum sit, quia à conjunctis ad divisa procedit, deductis conclusionibus errorem inferre poterit, probabilitatem nullam conciliare poterit. Veritas hæc argumenta non quærit.

Sed redeo ad beatum Gregorium, qui semel, iterum, & tertiò contra Guimenium argumentabitur. Semel quidem in libri IV. epistola XXXII. ad Mauritium Augustum, ubi Joannem Constantinopolitanum Episcopum refellit: *Universa ergò Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando qui appellatur universalis, cadit.* Iterum in ejusdem libri epistola XXXVI. ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum, ubi de facto Joannis Constantinopolitani disputat: *Si hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur: & cùm fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, nullus jam remansisse Episcopus in sta-* 8
tu veritatis invenitur.

Tertiò, in libri VI. epistola XXIV. ad Anastasium Antiochenum, ubi Joannem eundem Constantinopolitanum

tantum adoritur: *Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit: sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus meis.*

Nonne Gregorius ut Joannem Constantinopolitanum, sic & Amadæum Guimenium impetit? Nonne utrumque armis paribus ferit? Itane scripsisset Gregorius, si quæ ubi sumit Guimenius, sumpsisset sibi? Ex Episcoporum numero exemisset Romanum, si Romæ & in Ecclesia Dei persuasum fuisset, Romanum antistitem id habere privilegii, quod illi Guimenius tanta cum asseveratione tribuit. Sic tandem comparatur tota Gregorii ratiocinatio, ut ea plane concidat sit necesse, si verum esset, errare non posse Pontificem, ad fidei dogmata pertinere, & illum judicandum esse hæreticum, qui contrarium affirmaret: quæ sunt nova & retro inusitata junioris unius hominis placita, & ex eo capite ab Romanis censoribus damnata, *ut minimùm scandalosa.* Quippe quæ publicam in Ecclesia Dei offensionem concitare possint, & Christianarum mentium ruinam importare: ut sileatur interim nota gravior, quæ per istud, *ut minimùm,* infertur.

Ulteriùs progredior, & præ me fero, Guimenium placitorum suorum novitate Romanam Ecclesiam non solum relinquere, sed etiam hostibus prodere, nimi-
9 rum iis, qui seorsum à Catholicis per religionem sentiunt. Nefarium facinus sic explico, quod alias facile prævideri ac prospici potest.

Leo X. cùm anno MDXXI. vita functus est mense Decembri, Sedes mensem integrum vacavit. Romana tunc Ecclesia in Pontificem elegit Hadrianum VI. qui juxta Guimenii seu Raynaudi opinionem hæretico dogmate jamdudum imbutus & omnino persuasus erat. Siquidem Hadrianus ille, cum esset Lovaniensis Theologus & Cancellarius hæreticum dogma istud tradiderat, & conatu omni probaverat in Commentario ad quartum sent. ubi de ministro Confirmationis de industria, atque ex professo tractat: Verba sunt: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico 1. quod si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta Pontifex,* CERTUM EST, *quòd possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. Item & novissimè fertur de Joanne XXII. quod publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd anima purgata ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei, & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa matrimonium; De quo in cap. Licèt. De sponf. duorum. Item patet hoc de errore, quem ediderat Cælestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim, cujus error olim*
10 *habebatur in alia compilatione. In cap. Laudabilem de convers. conjug. ut refert Ostiensis in cap. Quantò de divortiis: non tamen dico Gregorium hic errare, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.* Hæc ille in publicis Lovaniensium scholis tradidit, quæ, ut Cardinalis fieret, revocavit nunquam; quæ Cardinalis factus, ut Romanus optaretur Pontifex, revocavit nunquam: quæ optatus & creatus Pontifex, ut malè & contra fidem tradita, revocavit nunquam.

Romana igitur Ecclesia cùm Hadrianum elegit in Pontificem suum, doctrinæ huic juxta Guimenii sententiam hæreticæ tripliciter consensit.

Et primò quidem secundùm axiomata duo, quæ recepta sunt in jure. Unum, *Error cui non resistitur, approbatur, & veritas cùm non defensatur, opprimitur.* dist. LXXXIII. cap. *error.* Alterum, *Facere dicitur, qui cùm posset, non prohibet.* L. adigere, in princ. ubi glos. de jure Patron. Sic Romana Ecclesia electi & creati Pontificis sui doctrinam approbat, cui non resistit. Et quia doctrina hæc Guimenii judicio hæretica est, hæreticam doctrinam ejusdem judicio approbat. Deinde secundum Romanos Pontifices, quorum testimonia productum imus.

Cælestinus Papa I. in epistola ad Galliarum Episcopos: *Quid illic spei est, ubi magistris tacentibus hi loquuntur, qui si ita est, eorum discipuli non fuerunt? Timeo ne connivere sit hoc tacere; timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori.*

Leo I. in epistolæ XCIII. ad Turribium Asturicensem Episcopum capite XV. *Qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.* 11

Felix III. in epistola 1. ad Acacium Constantinopolitanum: *Negligere quippe cùm possis, deturbare perversos, nihil est aliud, quàm fovere: Non caret scrupulo societatis occultæ, qui evidenter facinori desinit obviare.*

Gregorius Magnus in libri VII. Indict. II. epistola VI. ad Eusebium Thessalonicensem Archiepiscopum: *Qui non corrigit resecanda, committit.* Deinde in ejusdem & libri & Indict. epistola CXV. ad Brunichildam Francorum Reginam: *Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare, commisit.*

Leo II. Honorii Papæ in defendenda fide negligentiam hæreseos instar habet, cum pro Synodi VI. confirmatione ad Constantinum IV. scribit: *Pariter anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitarum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ subsessores magis, quàm Præsules, nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permisit.* Baronius hanc epistolam certis quibusdam nebulis aspergere voluit, sed illas Franciscus Combefius ex Ordine Prædicatorum Theologus levi manu dispulit in Vindiciis, quas pro actis Synodi VI. diligenter & sincerè repetiit, obiter vàtque eidem fere tradi in vetere Romanæ Ecclesiæ Diurno, quod Romæ editum est studio & opera Lucæ Holsthenii, sed ibi à Romanæ Curiæ adulatoribus cap- 12
tivum detinetur. Referenda sunt verba è fidei professione, quæ antistiti novo emittenda sic præscribitur:

Ill. Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ reverendissimis fratribus & dilectissimis filiis, seu universæ plebi Dei. Infrà versus finem: *Inter hæc veneranda universalia quinque Concilia, etiam sextum Concilium universale centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, quod favente Deo & votum piæ memoriæ magni Principis nostri Domni Constantini clementer implente in urbe regia eo præsidente celebratum est.* Et quibusdam interjectis: *Ita quoque & duas naturales habere voluntates, duásque naturales operationes secundùm sanctorum Patrum doctrinam decreverunt. Auctores verò novi & hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos unà cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, pariterque Theodorum Pharanitanum, & Cyrum Alexandrinum cum eorum imitatoribus, simulque & hos, qui hæreticorum dogmata veritate fidei Synodaliter declarata atque prædicata pertinaciter defenderint, pessimum & Deo odibilem Macarium, cum ejus Discipulo & Magistro impietatis, & Polychronium delirum senem, novum Simonem cum omnibus hæreticis scriptis, aliísque sequacibus nexu perpetui anathematis devinxerunt.*

Gregorius VII. in libri II. epistola V. ad Manassem, Remensem, Richerium Senonensem, Richardum Bituricensem Archiepiscopos & alios Episcopos: *Vos fratres in culpa estis, qui dum perditissimus factus ejus* Sacer-

13 *Sacerdotali vigore non restitis, proculdubio nequitiam consentiendo fovetis.*

Deinde in libri IV. epistola I. ad Episcopos, &c. *Melius est nobis debitam mortem carnis per tyrannos si oportuerit, subire, quàm nostra silentio, timore, vel commodo Christianæ legis destructioni consentire. SS. quippe Patres nostros dixisse scimus: Qui pravis hominibus sua consideratione officii non contradicit, consentit, & qui resecanda non aufert, committit.*

Urbanus II. in epistola ad Remensem Archiepiscopum, & comprovinciales Episcopos: *Peccanti, cùm possis, non contradicere, consentire est.*

Hi sunt magni nominis Pontifices Romani, quorum testimoniis efficitur, ut Romana Ecclesia electi & creati antistitis sui doctrinæ, quæ Guimenio tradente hæretica est, consenserit, & consentiendo suam reddiderit.

Denique est & alius consentiendi modus, qui in Romana Commentariorum Hadriani super quartum sent. editione liquidò patuit. Nam statim atque Hadrianus in Romanum ascitus est Episcopum, Hadriani Commentarii, de quibus agitur, Romanis typis anno MDXXII. apud Marcellum mandati, & ii cum auctore suo virorum illustrium cumulati sunt elogiis. Quo approbationis genere nullum fere dari potest luculentius. Sed ne quis putet me fucum facere, hæc elogia refero, & illud inprimis, quod F. Minitius Calvus Novocomensis scripsit ad Joannem Ruffum Consentinum Archiepiscopum.

Ubi etiam cùm inter convivales (ut fit) sermones mentio incidisset de præclarissimis sæculi nostri viris, præsertim iis, quibuscum tibi in Hispaniis agenti con-
14 *suetudo & benevolentia intercessissem, Hadrianum tunc Dertusensem Cardinalem, qui pro Cæsare Hispanias moderabatur, abs te eam primis celebratum, innumerisque laudibus ornatum fuisse memoria repeto; quippe qui si literas inspiceres, summus esset Theologus, eximius philosophus, & maximus Cæsarei Pontificiique juris consultus; si virtutes animi, quæ plurius etiam, quàm doctrina omnes æstimanda sunt, ita in eo excellerent omnes, ut quænam magis eminerent, haud facile dignosci posset. Quæ quidem & si pro tui testimonii gravitate vera proculdubio credebantur, verissima tamen fuisse, illud comprobavit, quòd defuncto Leone X. Pont. Max. Hadrianus ipse Christianæ reipublicæ Princeps designatus est: Idque divino potiùs, quàm humano consilio evenisse, omnium est consensus; cùm is longissimè gentium absens, nihil minùs cogitans, tot amplissimorum Patrum communi judicio & suffragio, in summo rerum fastigio collocatus sit. Quare eam tam illustris & divini viri præclara animi ornamenta ex verbis tuis jam cum cœpissem admirari, & eum deinde orbi Christiano divinitus profectum viderem, operæ pretium facere mihi visus sum, si quantulacunque industria mea est, elegantissimis typis accuratiùsque scribenda curarem ejus monumenta, quæ dum in minoribus (ut aiunt) existens Lovanii sacræ Theologiæ studia magna cum laude profiteretur, elucubravit, propterea quòd Gallicam editionem plurimis mendis scatere non ignorarem. Atque huic rei mea sponte jam satis incumbebam, quando Protonotarii Apostolici duo Guillelmus Enchuort summa fide, prudentia, integritate, forensisque gloria præstantia celeberri-*
15 *mus, & Franciscus Cheregatus, vir & facundia & juris utriusque peritia clarus, ambo Hadriani ipsius studiosissimi ad id me plurimùm adhortati sunt, ea potissimum ratione, ut Roma, universa Italia, & literati denique Christiani omnes sanctissimi Pontificis saluberrima doctrina faciliùs erudirentur: eruditi autem pro tam immortali à Deo Opt. Max. in genus humanum demisso cœlitus beneficio sibi gauderent & congratularentur: Ipsiúsque beneficii auctori (ut par est) gratias perpetuò agerent, quàm maximas possent. Quo namque liberaliori dono populum suum Deus afficere potuit, quàm cùm illi eum Pontificem constituit, qui Christianæ pietatis opera, Christi ipsius exemplo, priùs facere, deinde docere exactissimè scias & possis? Cui autem sacrosancta Ecclesia mysteria committi potuerunt, qui ea sanctiùs tractaret? Cui Ecclesiastica dignitates, & majora minoráque sacerdotia, qui justiùs & fideliùs eorum curam demandaret? Cui denique justitia æquiùs cunctis administranda, & summa respublica meliùs gubernanda, quàm ei, qui sacramentorum dignitatem & majestatem ex divinis literis adamussim noverit; qui Sacerdotiorum institutionem, ad eáque pertinentia ex sacris Canonum & Theologiæ auctoribus plenissimè didiceris? qui de his doctissimè scripseris? quique per omnem ejus anteactam vitam, omnes virtutes adeò constanter excolueris, ut eam eo ætate & adulto sint ei perpetuæ comites futuræ? Cùm itaque mecum animo volverem, quo pacto inofficiosi notam, quam mihi apud te subiisse videbar, eluere possem, commodissimè accidit, ut Hadriani Pontificis, illius inquam, cui tu*
semper lingua & animo tantopere favisti, Commentaria 16
hæc seu quæstiones jamjam essem editurus: quæ statui sub tuo nomine in publicum dare, tum ut essent meæ erga te voluntatis quasi pignus quoddam, cum quòd nemini id aptiùs deberi potuit, quàm tibi, qui cùm literarum & literatorum omnium sis fautor & cultor, Hadrianum tamen Pontificem incredibili semper observantia prosecutus sis, illius Christianam & verè dignam Pontifice doctrinam nunquam non admiratus, eundémque veluti numen tuum in terris majorem in modum veneratus.

Accipe igitur, humanissime antistes, interim dum quædam alia cudimus, quibus proprius labor magis commendari possit, lubens ac læta fronte Calvi tui munus, quod & si quantum in eo meum est, per-exiguum sit, tibi gratissimum omnino fore confido, tum auctoris excellentia, tum materiæ operis nobilitate, quæ de Ecclesiasticis est Sacramentis, quorum cognitio, ut tu probè nosti, Christianis omnibus & Episcopis imprimis, ad quos pertinet alios instituendi munus, est maximè necessaria: Adhæc adeò planè & perspicuè in iis Commentariis pertractata, ut quæ alii ad ingenii fortè ostentationem, syllogismis & sophismatis dum explicare conati sunt, magis involverunt, Hadrianus ad populi Christiani institutionem natus clarissimis rationibus, sacrarúmque literarum auctoritatibus, reddat omnibus apertissima. In hac F. Minitii Calvi oratione tres sunt, qui singulare Hadriani VI. elogium conscribunt, Joannes Ruffus Consentinus Archiepiscopus, Guillelmus Enchuort, qui postea Cardinalis fuit Enckennuvoertius, & Franciscus Cheregatus, qui Legationem obiit in Germania.

Hieronymus Delius Alexandrinus Romanus Epi- 17
grammate in libros Hadriani VI.

O magnis meritis, magnis virtutibus aucte,
Adriane, æterni maxima cura Dei!
Nec tua laudari sat sacra volumina possunt;
Sint licèt & nullo non celebrata satis.
Nec tam confidens animi me audacia cepit
Ut rear ornari versibus illa meis.
Hoc dicam, nemo etsi scripserit hactenus, essent
Christi ad tutandam sat tua scripta fidem.

Deinde ejusdem Epigrammate II. in eosdem Hadriani libros:

Vita libros, libri sic vitam, Hadriane, imitantur
Sexte, tui, ut facias ante, quod inde doces.
Discite mortales vitam integramque, piámque,
Nam locus hoc vitiis principe nullus erit.

Petrus Cursius Epigrammate in eosdem Hadriani libros:

Magnum opus, Adriane, est, fateor tam scribere sanctè,
Sic tamen ut scribis vivere majus opus.

P. Franciscus Centelles alio Epigrammate, quod est ejusmodi:

Jura

Jura Deûm, ritúsque Patrum sanctissime Pastor
Debent & scriptis numina cuncta tuis,
Nec minùs ingenui mores, probitásque, fidésque,
Virtúsque, & veræ religionis honor.
Nos quoque ut his studiis multùm debemus honestis,
Debemus vitæ plus tamen usque tuæ.
Namque ita vivendo fecisti secula nobis
Aurea, quæ sanctam restituère fidem.
Inde ita scribendo fecisti vivere nostrum
Felix, ô Princeps inde probus, inde Deus.
18 *Hoc est pascere oves Christi, Pater optime, & hoc est*
Claves cælestis semper habere fori.

Guillelmus Enckenuvoertius Cardinalis in Epitaphio, quod Hadriano posuit: *Hadriano VI. Pontifici maximo ex Trajecto insigni inferioris Germaniæ urbe, qui dum rerum humanarum maximè aversatur splendorem, ultro à proceribus ob incomparabilem sacrarum disciplinarum scientiam, ac propè divinam castissimi animi moderationem Carolo V. Cæsari Augusto præceptor, Ecclesiæ Dertusiensi antistes, sacri Senatus Patribus collega, Hispaniarum regiis Præses, Reipublicæ denique Christianæ divinitus Pontifex absens adscitus, vixit annos* 63. *menses* 6. *dies* 13. *decessit* 18. *Calend. Octobris anno à partu Virginis* 1523. *Pontificatûs sui anno secundo. Guillelmus Enckenvoert illius benignitate & auspiciis tit. Sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis Dertusiensis faciendum curavit.*

Hæc pauca de multis, quibus palam & apertè constat Hadriani Commentaria non solùm edita esse Romæ, quod instituto nostro sufficeret, sed etiam à præstantibus virtute & doctrina viris sic laudata, ut vix possint studio majore laudari: Quod ad institutum nostrum, ut cumulus accedit. Quocirca dubium nullum est, quin certissimus sit consentieddi modus ille, quem erga Hadriani doctrinam Romanæ Ecclesiæ attribuimus. Sed inter elogia singularem id habet ad-
mirationem, quod de Hadriano in Pontificem coopta-
to legitur: *Defuncto Leone X. Hadrianus ipse Chri-*
stianæ Reipublicæ princeps designatus est, idque divino po-
tiùs, quàm humano consilio evenisse, unus omnium est con-
19 *sensus, cùm longissimè gentium absens*, (Cæsaraugustæ
versabatur) *nihil minus cogitans tot amplissimorum Pa-*
trum communi judicio & suffragio in summo rerum fa-
stigio collocatus sit. Profectò si res diligenter pensetur
ex seipsa, ab Innocentii III. ætate usque ad nostram
nullus reperietur Pontifex, cui quæ omnia de Hadri-
ano VI. simul recitantur in his elogiis, veriùs conve-
niant.

Hic autem triplex consentiendi modus, quem fideliter sumus executi, est veluti funiculus triplex, qui difficilè rumpetur. Arctior est nodo, quem Ausonius suis ad Paulinum versibus describit:

Ocyus illa jugi fatalis solvere lora
Pellæum potuisse Ducem reor, abdita opertis
Principiis, & utroque caput celantia nodo.

Superest modò ut velis nolis concedas Romanam Ecclesiam scientem & prudentem in Episcopum suum elegisse Hadrianum illius magistrum dogmatis, cujus contrarium hæreticum esse Guimenius contendit. Nam postquam hic auctor sibi sumpsit, *ad fidem pertinere*, quòd Romanus Pontifex errare nequeat, subnectit: *Tam certa est conclusio, ut oppositum non dubitem esse hæreticum.*

Verum hîc non sisto adhuc, nec pedem figo. Hadrianus cùm esset Pontifex, in tradita jampridem à se doctrina constantissime perseveravit. Cujus rei indicia certa sunt duo: Et primùm quidem cùm ad Fredericum Saxoniæ Ducem scripsit, ut eum à defendendo Luthero deterreret. Nam in epistola, quæ satis prolixa est, & ubi Lutherum acerbè persequitur, eidem tamen editam à Leone X. constitutionem non
objicit. Cur ita quæso, nisi quia Hadrianus persuasus
erat constitutionem editam non esse auctoritate, quæ 20
falli nequiret? Observatio hæc eò videbitur ponde-
rosior, & ad rei decisionem utilior, quo magis ac ma-
gis considerabitur.

Hadriani decessor proximus Leo Lutheri errores gravissimè condemnat: Lutherus ad Saxoniæ Ducem confugit, illiúsque præsidium implorat. Hadrianus Ducem compellat literis, ut Luthero homini factioso, & rerum novarum cupido auxilium omne deneget, & interea Lutheri errores à Leone condemnatos in præteritis relinquit. Nonne affectatum est in Hadriano silentium? Quod illuc spectat quò spectare jam monuimus.

Deinde, cùm in mandatis, quæ Francisco Cheregato in Germaniam eunti dedit, hæc scribit: *Et certè*
fatemur Luthero, (qui se inauditum à Leone condem-
natum esse querebatur) *defensionem negari non debere*
in his, quæ sunt facti, hoc est, utrum dixerit, necne, utrum
prædicaverit, vel scripserit, necne? Super divino verò
jure & materiâ Sacramentorum standum auctoritati san-
ctorum & Ecclesiæ. Adde quòd ferè omnia, in quibus
Lutherus ab aliis dissentit, sint per diversa Concilia prius
reprobata. Non debet autem revocari in dubium, quod
per generalia Concilia & universam Ecclesiam constat
esse approbatum, tanquam fide tenendum. Injuriam namque
fecit Ecclesiæ Synodo, qui semel rectè disposita nititur in
dubium revocare. Quid enim unquam certi esse poterit
inter homines, vel quis dubitationum contentionúmque finis
erit, si præsumptuoso & perverso cuique libertas seu licentia
erit recedendi ab his, quæ non unius aut paucorum, sed tot
seculorum & tot sapientissimorum hominum consensu, &
Catholicæ Ecclesiæ, quam Deus in his, quæ sunt fidei, nun- 21
quam errare permittit, determinatione sancita sunt. Ge-
neralibus Conciliis & Catholicæ Ecclesiæ non erran-
di privilegium attribuit, præterea nemini. Quo modo
in pristina sententia persistit. Et pergit: *Scimus in hac*
sancta Sede jam aliquot annis multa abominanda fuisse,
abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia de-
nique in perversum mutata. Nec mirum, si ægritudo à
capite in membra, à Summis Pontificibus in alios inferiores
Prælatos descenderit. Et quibusdam interpositis: *Qua in*
re quod ad nos attinet, pollicebeis nos omnem operam ad-
hibituros, ut primùm Curia hæc, unde fortè omne hoc ma-
lum processit, reformetur, ut sicut inde corruptio in omnes
inferiores manaverit, ita etiam ab eadem sanitas & refor-
matio omnium emanet.

Nunc in complexionem certam inferendum est, quod inferre statuimus ab initio, & quod jam non semel intulimus; Romanam Ecclesiam, in Pontificem suum elegisse Hadrianum, Theologum Guimenio judice hæretica pravitate imbutum, & omnino persuasum, & eandem Ecclesiam eidem hæreticæ pravitati consensisse: Nisi quis eò deveniat temeritatis & insaniæ, ut neget apud eruditos & cordatos homines ea recipi indicia, quibus Romanam Ecclesiam consensisse probavimus.

Hæc autem & alia Facultas Theologiæ Parisiensis
cùm perspiceret, relatas Guimenii assertiones con-
fixit, falsas ac temerarias judicavit. Quod judicium
Romani censores validissimè confirmant; qua parte
propositionem hanc, [*Si liber sit alicujus junioris &*
moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet,
rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem:] 22
Ut minimùm scandalosam condemnant. Quinetiam,
quod fortassis paradoxum tibi videbitur, argumenta
sunt duo, quibus non malè conficitur, Parisienses à
Censoribus tacitè coargui, quòd relatas Guimenii as-
sertiones nota minùs gravi affecerint. Et primùm
quidem Inquisitores cùm junioris & recentissimi au-
ctoris lemma, *ut minimùm scandalosum*, rejiciunt, non
obscurè significant, graviorem illi notam inuri meritò
posse, eam scilicet, quæ falsitatis & temeritatis notam
severitate sua vinceret. Deinde cùm maturè decer-
nunt,

nunt, hominem eum, quisquis tandem ille fuerit, qui damnatum lemma publicè vel clam assereret, ipso facto incursurum in excommunicationem, à qua non poterit (præterquam in articulo mortis) nisi ab Romano Pontifice absolvi. Hæc pœna, quæ spiritualium omnium maxima est, non imponeretur Theologo, qui falsam & temerariam duntaxat propositionem publicè vel clam doceret. Ut culpæ sunt variæ, sic & variæ sunt pœnæ, quibus qui rei sunt, castigantur, & qui minùs rei sunt, pœnis maximis affici non possent absque injuria.

Hæc autem cùm ita sint, necessariò dicendum est, fraudulenter obreptum esse Alexandro VII. si quæ ex illius Bulla retulimus, in damnatas à nostris Parisiensibus Guimenii assertiones flectantur. Vellem ego flecti non posse, ne Pontifex videretur idem quod Guimenius, sentire, & cum eodem Guimenio ad damnandum hæreticæ pravitatis Hadrianum VI. & Romanam Ecclesiam, quæ Hadrianum cooptavit in Pontificem, conspirare. Quidquid id est, & missis, quæ re 23 non satis comperta diversas in partes agitarentur, piè credendum esse sic statuo. Alexander VII. intelligens suis auribus, non oculis impositum esse, *eùm ad aures*, inquit, *nostras pervenit*, Inquisitionis decretum approbat cùm in aliis, tum in eo maximè, quod ad propositionem XXVII. mox relatam attinet. Nam approbata propositionis hujus censura, quam sub epistolæ initium ex illius Bulla retulimus, tacitè seipsum correxit, quia *melius est seipsum corrigere, quàm ab alio corrigi* §. 1. in auth. de nup. auth. ut frat. fil. in princip. Ubi gloss.

Id etiam ità faciendum esse didicerat ex Gregorio VII. qui in libri IX. epistolâ XXXI. ad Haganonem Episcopum scitè & appositè scribit de se: *Noverit itaque prudentia tua, quia multa tanquam à nobis deferuntur, & dicta & scripta nobis nescientibus. Multa etiam subripi possunt nimis ad singula intentis, ut pote divisis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur. Unde in hac causa, quod profectò minimè recordamur, si quid fortè subreptum fuit, optat magis animus corrigere, quàm ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.* Quin autem Alexandro mens fuerit eadem, quæ Gregorio VII. Alexandri exaggerata in administrandis rebus divinis atque Ecclesiasticis prudentia dubitare non sinit. Quod Leo I. dixit, *Manere Petri privilegium, ubicunque ex ipsius æquitate fertur judicium.* Alexander VII. diceret, & hoc habet tantùm supra Alexandrum Leo, quod hic primus dictum istud occupaverit. Neque verò Alexander VII. negaret se posse id de præsenti negotio scribere, quod aliquando scripsit Alexander III. in cap. Si quando 24 de Rescriptis: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infrà: *Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Atque hæc sunt, quæ de Alexandri VII. facto & Bulla piè credenda esse statuo, ut quæ antè incommoda proposui maxima, & Romanæ Ecclesiæ injuriosissima, vitentur.

Sed quoniam dissimulandum est nihil, ex amicorum Romæ manentium literis intellexi, certos quosdam esse Curiales Magistros, qui in eodem mecum pietatis sensu non conveniunt: Fraudulenter obreptum non esse Pontifici contendunt, & rem aliter accipiunt.

Alexander, inquiunt, Guimenii opinioni probabilitatem restituit, quam Parisienses Theologi censoria severitate detraxerant. Et sanè posset hoc dici, si Guimenius diceret, *Probabile est, ad fidem pertinere determinationi Pontificis Summi inhærere in his quæ sunt fidei*, &c. Item si diceret, *probabile est, de fide esse, non posse Pontificem errare*, & ita exaratas propositiones falsitatis & temeritatis à Parisiensibus Theologis notari. Sed Guimenius id neutiquam dicit: Simpliciter & absolutè & asseveranter scribit: *Ad fidem pertinet inhærere determinationi Pontificis Summi in his quæ sunt fidei, imò etiam in his quæ spectant ad bonos mores, quia in hujusmodi etiam Ecclesia errare non potest, & consequenter* 25 *nec caput ejus.* Argumentum hoc: *Ecclesia errare non potest*, ex quo infert, *nec caput ejus*, omnimodam certitudinem importat. Nam dicere, *Probabile est, Ecclesiam errare non posse*, nefas esset: Quia è contrà dici quoque posset, *probabile est, Ecclesiam errare posse.* Siquidem unius opinionis probabilitas alterius opinionis probabilitatem minimè tollit, ut apud philosophos omnes in confesso est.

Deinde non dicit: *Probabile est, oppositum esse hæreticum*; sed simpliciter, absolute, & asseveranter dicit: *Tam certa est conclusio, ut oppositum non dubitem esse hæreticum.*

Curiales igitur Theologi difficultate rei præpediti sortiuntur, quid loquantur, & incidunt in reprehensionem Hadriani VI. qui de ministro Confirmationis scribens ait: *Hoc non probam, & ita divinare videntur, quod periculosum est in his, quæ fidem concernunt & bonos mores.* Ad pronuntiatum istud Pontificis Curialibus Magistris quid quæso fiet? Hi fucum facere volunt, sed non possunt. Res per seipsa patet, & in bono lumine collocata est. Evidentissima producimus, quæ distorquere non poterunt, & probatissima, quæ respuere non audebunt, nisi fortè Guimenii librum typis iterum mandari & interpolari curent, ut tandem in editione secunda reperiant, quod in prima desideratur.

Sed interea dum hoc exequentur, demus contigisse, quæcunque in somnio viderunt. Similes sint Pastori cuidam, qui apud Theocritum in Ecloga nona canit:

Possideo quæcunque solent sub nocte videri,
In somnis, vim magnam ovium, multásque capellas. 26

Examinandum est tantisper, quid profuturum esset somnium, in quo dixisset Guimenius: *Probabile est, ad fidem pertinere, de fide esse, Romanum Pontificem errare non posse in iis, quæ sunt fidei & morum: Probabile est contrariam huic opinionem hæreticam esse.* Nunc præ me fero propositiones istas ferendas non esse, utpote dignas, quæ multis de causis censoria notentur.

Prima quæritur ex Cardinali Petro Alliaco in tractatus de auctoritate Ecclesiæ capite 11. *Sextò ex præmissis sequi videtur secundùm aliquos. quòd falsa est quorundam Juristarum opinio dicentium, quòd in Concilio generali Papa duntaxat judicat & diffinit; Et si eo præsente ibi aliqua statuerentur, Concilium nihil statuit, sed suadet & consulit; Nec Papa tenetur sequi deliberationem vel suasionem Concilii, sed quòd standum videretur sententia Papæ, si contradiceret Ecclesia vel concilio. Patet quia universalis Ecclesia à Christo & non à Papa hoc privilegium auctoritatis habet, quòd in fide errare non potest, & hanc etiam auctoritatem secundùm aliquos habet Concilium universalem Ecclesiam repræsentans. Sed talem auctoritatem non habet Papa, cùm errare possit in fide: Ergo in hoc major est auctoritas Concilii vel Ecclesiæ, quàm Papæ: Unde oppositum dicere, multis esset hæreticum, & ex juribus malè intellectis erroneè conclusum.* Hoc in loco dicere Romanum Pontificem errare non posse in fide, id hæreticum multis videtur. Et contrarium quo pacto videretur probabile?

Deinde in sermone 11. quem idem Cardinalis in Adventu coram Patribus Constantiensis Concilii habuit anno MCCCCXVII. *In antiquis Conciliis & maximè ap-* 27 *probatis hujusmodi verba leguntur: Placuit sancto Concilio, vel sanctum Concilium definivit, vel statuit sanctum Concilium: Papa etiam quandoque dicit; Auctoritate Concilii vel consensu definitum est.* Et adducto Apostolici Concilii exemplo subdit: *Ex quibus patet, quòd auctoritas decernendi & definiendi non est attribuenda soli Pontifici, sed toti Concilio generali. Unde manifestè reprobatur* ERROR QUORUNDAM PERNICIOSISSIMUS, *qui adulando potestati Papali ita detrahunt auctoritati sacri Concilii, ut dicere præsumant, quòd*

Papa non potest necessariò sequi deliberationem Concilii, imò standum esse sententiæ Papæ, si Ecclesia, vel generali Concilio contradicat. Cardinalis vir doctus & pius cùm errorem perniciosissimum esse statuat id, quod adulatores quidam sibi sumunt, Pontificem nimirum errare non posse, probabilem hac in re opinionem procul abjicit, tantum abest, ut admittat. Hic sermo ut habitus, ita & auditus est repugnante nemine: Consentientibus Concilii Patribus, & cum primis Martino V. qui III. Idus Novembris in Romanum Pontificem ascitus fuerat. Quæ Cardinalis in sermone suo prædicat, Concilio toti & Martino Papæ certiùs tribuerentur & veriùs, quàm à Cardinali Bellarmino in libri I. de Conciliis capite XIII. tribuuntur sextæ Synodo, quæ, qui actione XVIII. Imperatori gratulationem fecit, ita narrat: *Arius divisor atque partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus, & Silvester laudabilis magnam atque*
28 *insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Certiùs tribuerentur & veriùs: Nam, ut alibi jam observavi, annus à Nicæna Synodo trecentesimus, quinquagesimus quintus agebatur, cùm primùm dici cœpit, Silvestrum Nicænam Synodum congregasse. Nicæna Synodus hæc, quæ ni fallor noverat, à quo congregata fuerat, se in Epistola ad Alexandrinos congregatam à Constantino fuisse dicit, sed se à Silvestro congregatam fuisse non dicit, dictura sine dubio, si verè dici, & indictionis monumentum edi potuisset. Id quoque non dicunt auctores æquales vel suppares.

Secunda objicitur à Gersone in tractatu de doctrinarum examinatione, Consid. II. *Examinator juridicus doctrinarum fidem tangentium Papa supremus est in terris post generale Concilium, vel cum ipso deducitur auctoritate canonum cum ratione morali præsupposita fide. Quoniam supremus in omni politia jus habet dubia circa politiam emergentia determinare vel interpretari, vel declarare cum appositione pœnarum in rebelles. Hoc autem est judicium auctoritativum. Diceret aliquis: Non oportet ita fieri, cùm Papa sit deviabilis. Non enim est magis confirmatus, quàm Petrus erat: Unde reprehensus est à Paulo, eo quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii. Confirmat hæc objectio considerationem præcedentem, sed plus infert, quàm oportet. Neque enim potest assiduè Concilium generale haberi præsentialiter pro decisione dubiorum. Nec expediret passim ita fieri. Supremus autem in Ecclesia facilius auditur, qui si nollet omninò pertinaciter ea, quæ sunt fidei declarare, vel erraret declarando, superest judicium Concilii. Porro non sequitur, Papa potest definiendo fallere vel*
29 *falli: Igitur non est judex idoneus: Sicut in aliis patet instantia. Concluditur tamen ex hac radice duplex veritas: Prima, quòd determinatio solius Papæ in his, quæ sunt fidei, non obligat ut præcisè est talis, ad credendum, alioqui staret in casu, quòd quis obligaretur ad contradictoria, vel ad fidem contra fidem: Secunda veritas, quòd sententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, nisi per illos aut apud illos, qui manifestum contra fidem deprehendunt errorem, & scandalum grande fidei suo silentio fieri, si non opponerent se, cognoscunt. Quòd si fieret prosecutio sententiarum & pœnarum contra eos, sciant beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Superest quoque remedium Concilii generalis, cujus finalis, auctoritativa, judicialisque potestas fundata est indestructibiliter in illo verbo Christi de correctione fraterna: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Cui legi haud dubiè subest Papa, licèt hactenus multis hæc veritas non placuerit propter inordinatum favorem ad Summum Pontificem, vel scripta ejus malè suscepta, plusquam ad Christum & Evangelia. Nunc autem opposita falsitas, est hæresis expressè damnata per Concilium Constantiense, cum aliis multis in utilitatem totius Christianæ religionis.* Si negare Romanum Pontificem subesse Concilio, Gersone judice, hæresis est, non potest quoque eodem judice non esse hæresis, negare eundem Pontificem in fide & moribus falli posse. Nimirum ratio cur subest Concilio, ex eo tota repetitur, quòd in fide & moribus errare possit. Hoc ita constituto probabile nunquam erit de fide esse, quòd Pontifex errare non possit.

Tertia petitur ex Eugenii IV. Bulla tertia, quæ in 30
actione XVI. Basileensis Concilii refertur: *Si Papa,* inquit, *vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, & contrà Concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus Legati personam Summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa, nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Hæc Eugenius, Cardinalis Alliaci sermone persuasus. Sermonis auditor & appobator fuit, cùm esset Gabriel Condulmerius Cardinalis. Dissentientibus in causa fidei Concilio & Papa, Concilii potius attendendam esse sententiam non dixisset Eugenius si contrarium probabiliter dici potuisset. Unusquisque enim in probabili materia suffragari sibi potius, quam alii consuevit. Porro autem Eugenius cùm revocat Bullam hanc ex eo, quòd ibi Papam super omnia Concilia habere potestatem asseruerat, cætera, quæ retulimus, confirmat: Hæc nempe, *nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel non si fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potius attendenda.* Quibus verbis contrariæ sententiæ probabilitatem esse ab Eugenio exclusam recipimus, idque maximè, si Romanorum Pontificum consuetudo sibi suffragandi in materia probabili consideretur.

Quarta habetur ex Cardinali Joanne Turrecremata, dum ita disserit in libri III. de Ecclesia capite LXIV. *In materia fidei jam definita per Apostolicam Sedem* [illegible] *standum est judicio Papæ, quàm Patrum Concil*[illegible] *beatum Hieronymum in cap. hæc est fides: In materi*[illegible] *nondum ab Ecclesia definita magis regulariter standum foret judicio Patrum totius Concilii, quàm judicio Romani Pontificis. Colligitur ex capite Anastasius.* Hic propositiones sunt duæ, quarum alteram non ita enunciaret vir Pontificiæ dignitatis amplificator vehementissimus, si pnbabile esse censeret, de fide esse Romanum Pontificem in his, quæ sunt fidei & morum, errare non posse. Litigiosus esset homo, qui contradiceret. In cumulum accedit, quod ille tradit in libri IV. capite XVI. de modis viginti, quibus aliquis præsumitur pertinaciter errare contra fidem: *Decimusseptimus modus convincendi specialiter Papam de pertinaciâ in hæretica pravitate est, si errorem definit solemniter & à Christianis asserit tanquam Catholicum esse tenendum.*

Quinta manifestè colligitur ex Cartusiensi Jacobo Paradisio, cùm in Collecto seu Collectorio de auctoritate Ecclesiæ hæc scribit: *Si singulis membris medicina est parata, cur capiti denegatur, cùm hoc magis indigeat sanatione, quàm alia, quia eo ægrotante omnia membra ægrotare videntur, nisi fortè quis insaniùs ad hunc errorem prorumperet, quòd diceret Papam impeccabilem & indeviabilem: Quasi jam extra terminum viatorum volentes eum collocare, non recusent Petrum primum Papam reprehensum fuisse à Paulo uno singulari & sibi inferiore ad Galatas II. & Ecclesiastica historia, & Speculum historiale, & certa ac indubitata experientia manifestat, necnon in fide & in moribus similem esse posse cæteris peccatorem ex vertibilitate liberi arbitrii nondum* 32
confirmati: Auferre igitur à Papa correctionem, imò potestatem deponendi est maxima impietatis, & ipsum statuere in plena audacia peccandi, & per consequens furioso gladium dare, ut seipsum sine resistentia interimat. Hæc ille & cætera, in quibus & animo & lingua & calamo longè abest ab iis, qui dicerent, quòd probabile sit, Romanum Pontificem in fide & moribus errare non posse.

Sexta ducitur ex Hadriano VI, qui hæc scribit in

quartum sententiarum art. III. de Sacramento Confirmationis: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico primò, quòd si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex,* CLATUM EST, *quòd possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo.* At qui dicit, certum est, probabilem opinionem procul amandat, & amandandum esse judicat, quod postea luculenter corroborat, cùm ait: *Non tamen dico, Gregorium hic errasse, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt.* Hæc sciens & prudens auctor scribit & inculcat, ratus opinionem contrariam posse detrimenta multa Ecclesiæ importare. Sic probabilitati locum nullum relinquit.

Septima comparatur ex Frederico Nausea Viennensi Archiepiscopo, qui magna cum eruditionis laude Tridentino Concilio interfuit. Hic in libri V. rerum Conciliarium capite III. cujus argumentum est: *Patribus in Concilio à Papa vel ejus Legato dissentientibus, cujus judicio standum sit,* ita disputat: *Nec enim prima fronte videtur accedendum uni solique Papæ, præsertim in causa fidei, cùm satis periculosum videatur, fidem nostram unius hominis arbitrio committi:
33 Nec usque adeò superbum esse Papam credimus, quòd ipse solus & unus homo toti congregationi suum judicium præferat, perinde atque ipse Spiritum Sanctum habeat, maximè, quòd major urbe sit orbis. Ne itaque navigandum sit inter Scyllam & Charybdim, plerique omnes Doctores arbitrantur, sententiæ Papæ prorsus esse standum in negotio fidei priùs per Apostolicam Sedem definito, quòd ipsi Patres Concilii vellent, aut refutare, aut immutare. In ipso verò fidei negotio nondum definito, sed per Concilium definiendo standum esse potiùs judicio Patrum totius Concilii.* Non sic abscisse loqueretur, si Romanum Pontificem in fide & moribus errare non posse probabile esse crederet. Veritas hæc ratiocinatione ulteriori non indiget.

Octava depromitur ex Cardinali Clemente Moniliano, qui in eandem cum Joanne Turrecremata sententiam discedit, dum in Compendii Theologicarum institutionum capite XXXIII. ait: *Sequendo Cardinalem de Turrecremata in Summa lib. III. de Ecclesia cap LXIV. qui docet: Dissentientibus Papa & Concilio in his, quæ sunt fidei, standum est judicio Papæ in materiis à Sede Apostolica definita, sed in materiis noviter per Concilium definienda regulariter magis standum est judicio Patrum totius Concilii, quàm Papæ,* quasi verò Cardinalis hoc ita Romæ scriberet, si probabile esset, de fide esse, quòd Romanus Pontifex in fide & moribus errare non possit.

Nona subministratur à Cardinali Michaele Alexandrino, qui pro sacri Palatii Magistro Clementis Mo-
34 niliani librum approbavit, & approbando suum fecit: Nec approbstionem ut fieret Pontifex, sive postquam factus est, Pius V. revocavit unquam.

Decima suggeritur à Joanne Bagotio è Societate Jesu Theologo dum quæstionem hanc tractat in libri IV. de institutionibus Theologicis disput. III. cap. I. sect. I. *Quidquid sit, quantum ego possum colligere, Romanus Episcopus, quoties de negotio fidei, aut aliis ad Ecclesiam spectantibus tractat, Concilium habet, & saltem Clerum Romanum ex Episcopis suæ provinciæ Presbyteris & Diaconis Cardinalibus compositum, in Synodo congregatum audit, nec unquam quidquam de fide definit, nisi in Concilio. Nec verò aliter videretur prudenter agere, & consequenter legitimè & infallibiliter. Deus enim ut superiùs insinuavi, agens de potentia ordinaria, & concursum suum ordinarium præstans, requirit secundarum causarum cooperationem, & in tantum infallibilitatem dat Summo Pontifici, in quantum hunc nonnihil agentem, aut dormientem illuminat, sed humano etiam modo, & secundum naturalem rationem agentem ipse dirigit. Pontifex igitur debet agere prudenter, & omnem diligentiam pro veritate fidei indaganda, inveniendáque adhibere, & cùm Deus non faciat jam pro fidei doctrina novas revelationes, nec novos Prophetas, aut Evangelistas suscitet, in tantum dat scientiam veritatis Ecclesiæ, in quantum Summum Pontificem adjuvat, ut ex fidei articulis jam traditis & notis conclusiones inferat per ratiocinationem. Debet ergo Pontifex ratiocinari & prudenter agere. Quod ut faciat, debet peritos & doctos consulere, & iis auditis cum suo Concilio judicare & definire, quid statuendum sit. Sed de hoc postea magis in particulari agam.*

Nunc tantùm habeo duo dicere: Primò quidem Sum- 35
mum Pontificem quæstionem de doctrina fidei semper cum Concilio, aut provinciali, aut universali tractare. Secundò in controversiis facilioribus provincialia, seu particularia sufficere. In gravioribus verò nonnullis quæstionibus necesse est audire generalia Concilia, ut ut sine illis eas controversias cum summa auctoritate non dirimat.

Deinde in sectionis III. fine quidquid suprà disseruit, per Pontificis è Cathedra definientis notionem ita concludit: *Ex quibus omnibus concludo Summum Pontificem, ut definiat aliquid infallibiliter, Concilium aliquod seu Synodum audire oportere, nec malè dici tunc, ex sancti Petri cathedra eum loqui, seu pronuntiare sententiam, cùm audito Concilio pronuntiat.* Hic auctor, ut apparet, nunquam probabile judicabit, de fide esse, quod Romanus Pontifex seorsum à Concilio errare in rebus fidei non possit, sed istud potiùs ut maximè improbabile repudiaret, quinetiam acerrimè damnaret.

Bagotii testimonio incredibile accedit robur ex Provincialis & doctorum hominum Ordinis approbatione, quæ talis est: *Ego Joannes Fillæus Præpositus Provincialis Societatis Jesu in provincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali ejusdem Societatis facultatem concedo, ut Apologeticus fidei à Patre Joanne Bagot compositus, & ejusdem Societatis nostræ doctorum hominum judicio approbatus typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus Rotomagi die undecimo Maii anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti,* JOANNSS FILLÆUS. 36
Approbatio hæc argumentum, quod ex Bagotii doctrina repetimus, firmissimum efficit, quo qui utetur, cum Magistris Curialibus pugnabit non minus feliciter, quàm olim apud Gellium Lucius Sicinius, Romanus Achilles ideo dictus, quod centum & viginti præliis cum hoste pugnasset, nec ullam haberet cicatricem aversam. Quare non mirum est, si argumentum ad Apologeticum fidei pertineat.

Undecima sumitur ex probabilium definitione, quæ ab Aristotele traditur in libro I. Topicorum: *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his aut omnibus, aut plurimis, aut maximè notis & illustribus.* At definitionem hanc propositioni huic, De fide est, Romanum Pontificem errare non posse, in rebus fidei & morum convenire quis probaret? Ubinam omnes, ubinam plurimi, ubinam sapientes omnes, aut certè plurimi vel inter antiquos Patres, vel inter illustriores e schola Theologos constituunt, *De fide est Pontificem errare non posse?* Bellarminus cùm statum quæstionis, *sitne certum Papæ judicium,* proposuit, ne unum quidem adducit Theologum, apud quem legatur, tantum abest ut apud plurimos legi possit. Quod tamen necessarium esset, ut probabilium definitioni satisfieret. Quò fit, ut si dixisset Guimenius, quod non dixit, non esset probabile, quod probabile dixisset.

Cæterùm quæ de probabilium definitione animadvertimus, transferri facilè possunt ad simplicis, vel compositæ inhærentiæ problema. Sunt artis verba, quæ mutare non licet. Intelligunt, qui philosophantur. Ad graviora rerum momenta progrediamur.

Duodecima trahitur ex Romanæ Ecclesiæ seu Sedis 37
Apostolicæ traditione, qua duabus in Epistolis docuimus Romanum Pontificem seorsum à Concilio errare posse: Una est ad te, altera ad Joannem Gerbasium Parisiensem Theo-

Theologum. Hæc autem traditio probabilitatem opinioni qua de agitur, omoem detrahit. Quot quæso mala & incommoda io Romanam redundarent Ecclesiam, si semel liceret adversus exploratas illius traditiones probabiliter opinari?

Ultima deducitur ex duabus epistolis, uoa ad Joaunem Gerbasium, altera ad Christophorum Fauvæum, ubi Curialium Theologorum referuntur testimonia, quibus asseritur Coocilia ab Romano Pontifice confirmata errare non posse, idque Catholica fide tenendum esse. In his igitur epistolis perspicuè ostenditur, Eugeninm IV. Basileeosem approbasse Syoodum, qua parte Romaous Poutifex Concilio subjicitur, & docetur CARTON ASSA, quòd Romanus Pootifex in fide & moribus errare possit. Hoc unum ibi recepi, iterúmque recipio, monumenta, quibus Eugenium Basileense Concilium approbasse constat, noo modò evidentia & certa esse, sed & multò evidentiora & certiora iis, quibus Bellarmious & Curiales Magistri omnes tradunt, vel Silvestrum Nicænam Synodum, vel Damasum Constantinopolitanam Synodum primam approbasse. Quamobrem si Catholica fide tenendum est, Basileensem Syoodum noo errasse, cùm & Romanum Episcopum Concilio subjici definivit, & certum esse docuit, quòd is errare possit in fide & moribus, probabile esse nunquam poterit, de fide esse, quod Ro-
38 manus Pontifex in fide & moribus errare uon possit.

Nuuc in viam, de qua, ut exerrantes homines & sua nobis narrantes somnia sequeremur, recessimus, revertendum est, & deioceps, quod olim vir sapiens dixit, tibi dictum puta: *Somnia ne cures.* Dissipata sunt omnino, & auctoribus suis obesse quidem possunt, prodesse verò oon possunt.

Dissipatis igitur versipellium è Curia Magistrorum somnlis, & tibi & mihi penitus constare debent duo: Primùm, quòd Romani Inquisitores Parisiensium censuram qua de agitur, reipsa confirmarunt, cùm in decreto suo propositionem XXVII. *ut minimum scandalosam* notarunt. Id exopinatò, nec exopinatò considerata, vel oon considerata re fecerint, nihilominus tamen fecerunt. Quidquid in causa, Sibylliois utimur oraculis, quæ ab ignaris rerum virginibus fusa esse creduntur.

Deinde, quòd Alexander VII. eandem Parisiensium censuram approbavit cùm sciens & prudens Inquisitioois decretum approbavit, & unamquamque decreti propositionem *ut minimùm scandalosam*, Pontificali ritu judicavit, iisque, qui clam vel publicè docereot, pœnam gravissimam imposuit. Exiode mioimo oegotio iotelliges, quod Gregorio VII. Alexandro III. & prudentissimo cuique Poutifici nooounquam accidit, Alexandro VII. accidisse, seu cùm Bullam edidit (si Bullæ verba in memoratam Parisiensium censuram convertantur) seu cùm Inquisitionis decretum ratum habuit. Alterutrum nisi me fallit animus, dicatur necesse est, quia Poutificem humani à se alienum oihil putare mihi persuadeo. In edenda Bulla illi obreptum esse potiùs, quàm in assereodo Inquisitionis decre- 39
to crederem, quòd cogitatioues secundæ primis anteferri soleant. Porro autem cùm Inquisitionis decreto utor, ad Inquisitores, nimirum ad hominem disputo. Noo me latet scriptori Gallo utendum non esse simpliciter Inquisitionis decretis, quæ in auctoritatem Gallicana oon admittit Ecclesia. Nonnullas rationes, easque idoneas attigi sub finem epistolæ ad Michaelem Marollium. Has noo repeto, quia sine horrore repeti non possunt. Vale. Lutetiæ Parisiorum Idib. Decembris anni MDCLXV.

Joannes Launoius

HENRICO BARRILLONIO

Parisiensi Theologo.

1 QUAM Andreas Eudæmonjoannes super Dissertatione politica Leidhresseri ad amicum Gallum scribit epistolam, legisti, & te legisse indignaris. Scilicet cùm ille propoluit, *in dijudicandis fidei causis ac moribus toti Ecclesia præscribendis summum Pontificem, nec falli posse, nec fallere,* subjungit, *hoc esse commune Catholicarum Academiarum dogma,* & io earum oumero Parisiensem pooere non veretur. Adscribis verba: *Academia Parisiensis, quam ab ea sententia abhorrere nonnulli existimant, idem disertè docet. Extat in calce libri Sententiarum tractatus quidam contra errores Joannis de Montesono, ut in ejus præfatione scribitur, ex deliberatione Universitatis studii Parisiensis, & specialiter Doctorum & Baccalaureorum Facultatis Theologiæ compositus, cujus ea est prima propositio: Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire.* Et primùm quidem legisse te lemma, quod gratis & sine ratione statuitur, indignaris, & meritò. Quia res tanti pooderis illustri majorum testimonio carere nou debet. Qua igitur facilitate asseritur, eadem & negatur. Dico amplius. Eudæmonjoannes veteribus Academiis, quæ Christianam religionem coluerunt sanctissimè, imponit. Et hoc certò probari potest. In medium adducendæ sunt Academiæ, quæ quid de proposito lemmate seotiant, 2
exponent.

Parisiensis, Andegavensis, Aurelianensis, Tolosana, & Bononiensis Academia

IN conspectum simul veniunt per acta Pisani Concilii, quod anno MCCCCIX. celebratum est. Sic autem se res habet in sessione XIII. *Die Mercurii* XXIX. *dicti mensis Maii adveniente servatis solemnitatibus & ceremoniis ut suprà, quidam valentissimus Magister in Theologia, vocatus Magister Petrus Plaoul ascendit pulpitum, & proposuit verbum Dei, videlicet: Congregabuntur filii Juda & filii Israel; & ponent sibi caput unum. Osea 1. in fine: Et deduxit pulchrè exaltando Ecclesiam & asserendo eam esse supra Papam: Quod deduxit pluribus rationibus eam ex parte materia scilicet animarum, quàm ex parte forma, qua est Spiritus Sanctus, quàm etiam ex parte causa efficientis, qua est ipse Christus, quàm etiam ex parte finis, qua est ipse Deus in Ecclesia triumphanti. Et postmodum posuit opinionem Universitatis Parisiensis, videlicet, quòd Petrus de Luna est schismaticus, pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæ-*

resim propriè & strictè, præcisúsque ab Ecclesia Dei, ejectus à jure Papatus & privatus, ac per Concilium de facto tanquam talis ejiciendus & privandus, & hæc declaravit pluribus rationibus, & subjunxit, quòd de eadem opinione erant Universitates Andegavensis, Aurelianensis, & Tolosana. Ipso autem descendente de cathedra ascen-
3 *dit quidam Episcopus Italicus, qui opinionem 150 Magistrorum in Theologia, & plurium Licentiatorum & Baccalariorum formatorum, ac Universitatis Bononiensis in quadam schedula publicavit, quæ est conformis opinioni Universitatis Parisiensis.*

In oratione hac brevi sunt multa, quæ diligenter ac curiosè observentur.

I. Quòd Parisiensis ille Theologus, qui disputationem instituit, Ecclesiam supra Romanum Pontificem esse omnino asseruit, idque ex quadruplici causarum genere confirmavit. Quo probandi modo, si natura rerum spectetur, nullum dari potest efficacius, & ad persuadendum aptius.

II. Quòd inter dubium & certum Pontificem non distinguit. Imò de Pontifice, ut apparet, loquitur, qui certus & indubitatus sit, nec si apposite loqui voluit, aliter loqui potuit, quia unusquisque Pontifex se certum atque indubitatum esse credebat & venditabat, & quæ gerebat, hæc ut à legitimo Pontifice gesta esse decernebat. Præterea unusquisque in sua obedientia ut legitimus agnoscebatur Pontifex, ac si unus tantùm fuisset.

III. Quòd Parisiensis, Andegavensis, Aurelianensis, Tolosana, & Bononiensis Academia in eandem conveniunt conspirántque sententiam, atque istud cùm in Concilio judicatum sit, dubitationem & difficultatem nullam habet.

IV. Quòd Petrus de Luna nuncupatus Benedictus XIII. schismaticus atque hæreticus est. Idque pluribus rationum momentis confirmatum fuit. Nec mirum est, Benedictum Pontificem judicari hæreticum, aut saltem judicari posse, quandoquidem Ecclesiæ, ac proinde
4 Concilio Ecclesiam repræsentanti subjicitur. Nam si Pontifex nec in fide nec in moribus errare posset, tali non subjiceretur Concilio. Hæc se mutuò demonstrant. Si Pontifex Concilio subjicitur, errare in fide & moribus potest, sicut è contrà: Si Pontifex in fide & moribus errare potest, Concilio subjicitur.

V. Postremò quòd commodum accidit, ut certa quædam machina, quam Bellarminus & illius sectatores circa schismatis tempus adhibent, in suas partes dissuatur. Cùm illis Pisani & Constantiensis Concilii auctoritas opponitur, ut probetur, Romanum Pontificem Ecclesiæ & Concilio subjici, respondent statim, Concilii utriusque auctoritatem valere, cùm plures sunt Pontifices dubii & incerti, non valere verò, cùm certus unus, atque indubitatus est Pontifex. Hæc est una pars machinæ: Altera est ejusmodi, cùm Romanorum Pontificum catalogum conficiunt. Tunc Pontifices, qui post Gregorium XI. usque ad Martinum V. sederunt, non sunt ampliùs dubii & incerti. Nam in illo catalogo Gregorio XI. succedit Urbanus VI. Urbano Bonifacius IX. Bonifacio Innocentius VII. Innocentio Gregorius XII. Gregorio Alexander V. Alexandro Joannes XXIII. Joanni Martinus V. Clemente VII. Benedicto XIII. rejectis ut falsis Pontificibus. Et rejecto quoque post Pisanum Concilium Gregorio XII. qui ad Benedicti XIII. exemplum nec Alexandro V. nec Joanni XXIII. cessit, atque ita Clementem VII. Benedictum XIII. & depositum à Pisano Concilio Gregorium XII. in falsorum Pontificum numero ponunt. Urbanum verò VI. Bonifacium IX. In-
5 nocentium VII. Gregorium XII. usque ad Pisanum Concilium, Alexandrum V. & Joannem XXIII. veris & legitimis Pontificibus accensent Itali auctores omnes, multique alii qui Romanorum Pontificum seriem, vel in annalibus, vel in historiis, vel in vitis Pontificum texuerunt. At si, ut Bellarminus objectæ sibi Pisani & Constantiensis Concilii auctoritati respondet, illi scriberent, hoc modo scribere deberent: Gregorio XI. succedunt dubii & incerti Pontifices Urbanus VI. Clemens VII. Urbano & Clementi Bonifacius IX. & Benedictus XIII. & sic de cæteris: Non ita scribunt. Alteram machinæ partem adornant Bellarminus & Bellarmini sectatores, cùm partem quoque suam alteram parant & instruunt. Artificium totum eò redit. Cùm agitur de Pisani & Constantiensis Concilii auctoritate supra Pontificem, Gregorio XI. dubii & incerti Pontifices usque ad Martinum V. succedunt. Alexander V. vix excipitur, & cùm excipitur, ad breve tempus excipitur, quia sedit mensibus tantum undecim. Cùm verò agitur de Pontificum successione in Chronicis, in Annalibus Ecclesiasticis, in vitis Pontificum, Gregorio XI. succedunt certi & indubitati Pontifices Urbanus VI. Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. quia Clemens VII. & Benedictus XIII. pro schismaticis & falsis Pontificibus traduntur. Hæ sunt partes duæ, in quas prout scribendarum rerum opportunitas exigit, machina convertitur, sed frustra & incassum convertitur, postquam fraus & fallacia deprehensa est.

Cæterum qui Chronica, vel Annales Ecclesiasticos,
vel Historias, vel Pontificum vitas scribunt, Bellar- 6
mino longè sinceriores mihi videntur. Crediderunt Gregorio XI. vere illos successisse ac legitimè, vel in quorum obedientia vixerunt, vel quos pro veris ac legitimis Gregorii successoribus duxerunt. Ut in observatione II. jam notatum & confirmatum est. Quo pacto ad Bellarmini tergiversationem aditus omnis intercluditur. Præterea Pisanum & Constantiense Concilium non ad Cajetani & Bellarmini, quos illa non vidit ætas, mentem loquuntur, sed ad Scripturæ auctoritatem & Catholicæ Ecclesiæ traditionem, qua manifestum est, Romanum antistitem Ecclesiæ, Conciliis, & sacris canonibus subjectum esse: Sive Romana Ecclesia schismate laboret, sive non laboret.

Viennensis Academia.

IN opere, quo Electorum Imperii consultationi respondit. *Quantum ad secundum scilicet, an sacrum Basileense Concilium ad instituendum & assequendum processum contra olim Eugenium, quoad ejus suspensionem & depositionem, & alterius institutionem plenariam habuerit potestatem, Respondeo: Quòd Spiritus Sanctus per organum sacri Concilii Constantiensis declaravit apertè, talem potestatem habere Ecclesiam & Concilium eam repræsentans super omnem hominem, etiamsi Papalis existat dignitatis. Nam Synodus Constantiensis in tertia sua sessione super hoc definivit, statuit, decrevit, & declaravit in hunc modum: Quòd sancta Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cujuscumque*
status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire te- 7
netur in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem hæresis, schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Ex quo manifestè habetur Papam subesse Concilio in casibus expressis in decreto allegato. Et quibusdam interpositis: *Si autem in Spiritu Sancto Concilia sacra congregata sunt, consequens est, ut in nomine Jesu sint etiam congregata: Qui veraciter de se promisit, Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum, Matthæi 18. Unde consequens est Spiritum Sanctum ibi esse, sed non est ibi ut subditus, sed ut supremus præsidens, à quo nulli licet fideliter appellare, & per consequens nec à Concilio in his articulis, in quibus certum est ipsum Concilium ab eo gubernari, & illi speciali gratia & illustratione præsidere, scilicet in his, quæ fidei sunt, extirpatione schismatum, & reformatione morum tam in capite, quàm in membris: Quomodo enim non est apertè divinæ majestatis contemptus,*

&

& quasi idololatriæ scelus in talibus causis appellare à sacro Concilio ad Papam? Quid hoc aliud est, quam à Deo, qui noscitur in sacro Concilio in hac re præsidere, ad purum hominem appellare, & judiciariam potestatem à Deo creatore auferre, & in hominem transferre? Quid est hoc aliud, quàm hominem Deo tanquam justiorem judicem præferre? Hæc & alia id genus Viennensis Academia, quam Fredericus II. circa annum MCCXXXVII. instituit. In his autem manifestè constant duo, & Romanum Pontificem subesse Ecclesiæ & Concilio, & eum errare posse. Quæ duo inter se connexa sunt, ita ut si
8 Pontifex errare possit in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, is non possit Concilio non subesse; & vice versa, si Concilio subsit, errare potest, quandoquidem à Concilio emendatur & corrigitur.

Cracoviensis Academia

IN tractatu de auctoritate sacrorum Conciliorum Ecclesiam universalem repræsentantium, quem anno MCCCCXLI. edidit ad Uladislaum Poloniæ & Hungariæ Regem: *Et quoniam universalis Ecclesia & Concilium generale ipsam repræsentans potestatem habet immediatè à Christo ex conclusione præcedenti, & ideo ut cognitum sit, quæ & qualis sit ista potestas Ecclesiæ universalis & Concilii generalis ipsam repræsentantis, sit hæc conclusio* IV.

Potestas Ecclesiæ universalis, & etiam cujuslibet Concilii generalis legitimè congregati ipsam repræsentantis superior est potestate Papæ. Et post pauca: *Ista conclusio est fundamentum totius hujus negotii: Et ideo circa probationem ejus erit diutiùs immorandum, & antequam accedatur ad probationem ejus hoc priùs præmittendum est: Quòd sicut Deus cuilibet creaturæ dedit certam periodum, qua determinatur ad durandum in suo esse, & propriam virtutem innatam & intrinsecam, qua possit corrumpentibus se resistere, & se conservare in esse, ita & Ecclesiæ suæ, quam voluit durare usque in finem sæculi, dedit & potestatem, qua possit se servare in suo esse, regere, & tueri, & conantibus ad sui destructionem resistere.* Et paullo pòst: *In prima probatione,* relatis quibusdam Augustini verbis, subnectitur: *Ecclesia à Christo claves accepit*
9 *propriè: Petrus autem figurativè.* Et paullo pòst: *Ad idem est auctoritas manifesta in Cap. de Summa Trinitate & fide Catholica, ubi ponitur fides nostra, pro qua si necesse est, moriendum est: Ubi patet, quòd sacramentum Eucharistiæ nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundùm claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Jesus. Dicit Ecclesiæ claves, non Petri, & eas concessas Apostolis & eorum successoribus, non soli Petro. Ex quibus auctoribus* (qui antea citati sunt) *constat, quòd Ecclesia claves accepit principaliter ex commissione Christi. Cùm ergo quæri oporteat, ubi de hac commissione legatur in Evangelio, nec alius locus aptior, quàm ut dictum est Matth.* 18. *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c. sequitur, quòd potestas clavium sit principaliter data Ecclesiæ in personis Apostolorum: Quod satis videtur probari ex dicto textu Evangelii Matthæi* 18. *attenta maximè historiæ narratione. Nam Matthæi* 16. *Christus dixerat Petro verba promissiva: Tu es Petrus, & tibi dabo claves regni cælorum. Deinde in capitulo* 17. *in fine mandavit Petro solvere staterem pro eo & se. Unde quia ex eis videbatur eum constituere capitaneum super alios, ut dicit glossa super eodem verbo: Ideo statim continuativè subditur in. cap.* 18. *in principio. In illa hora accesserant ad Jesum Discipuli dicentes, Quis putas est major in regno cælorum, seu in Ecclesia, quia glossa ibi exponit, id est, in Collegio Justorum. Unde patet, quia propriè Evangelista loquitur de superioritate, & tunc quibusdam interpositis Christus volens solvere hujusmodi quæstionem de superioritate,*
10 *de qua quærebatur, Apostoli subjunxerunt in eodem capite: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos. Et infrà: Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ecce dicit judicium Ecclesiæ esse superius judicio Petri, & consequenter ut ostendat, quale sit judicium Ecclesiæ, & quæ sit ejus potestas, statim subnectit: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c. Ecce loquitur Apostolis collectivè & eorum successoribus, non soli Petro.* Infrà: *Quartò notatur ex dictis, quòd Christus voluit judicium esse majus & supremum in terris, & huic judicio Ecclesiæ etiam ipsum Petrum, sive Papam debere acquiescere & obedire patet. Nam verba prædicta, Si peccaverit, &c. Christus dicebat ad Petrum. Si ergo Petrum instituit ad judicium Ecclesiæ recurrere in hoc quod ei dixit, Dic Ecclesiæ, sequitur, judicium Ecclesiæ esse superius. Si enim judicium Petri esset superius judicio Ecclesiæ, peccator post judicium Ecclesiæ, non deberet reputari tanquam publicanus. Restaret enim judicium Petri, qui tanquam superior, examinare deberet judicium Ecclesiæ. Cùm ergo dicitur Petro, quòd incorrigibilitatem fratris debeat referre ad judicium Ecclesiæ, & non Ecclesia ad Petrum, sequitur, quòd judicium Ecclesiæ, sit majus, supremum, & finale, itàque Papam includi sub judicio Ecclesiæ, ex eo probatur, quòd à fraterna correctione nemo fidelium excipitur. Cùm enim quemlibet liceat fraternè corrigere, & si non audiat, debet juxta doctrinam prædictum deferri Ecclesiæ; Ita etiamsi Papa nolit fraternæ* 11
correctioni acquiescere, debet deferri ad judicium Ecclesiæ. Frustrà autem deferretur, si Ecclesia non haberet potestatem in eum ferendi judicium. Ex Manuscripto Cod. Navarrici Collegii Parisiensis, & Bibliothecæ sancti Victoris. Ecce quomodo Cracoviensis Academia Romanum Pontificem Concilio subjicit, nec opinor subjiceret, si eum in sanciendo fidei dogmate, & præscribendis toti Ecclesiæ moribus errare non posse crederet. Res hæc argumenta non quærit, vel oscitantibus sese objicit.

Herfordiensis Academia

IN tractatu, quem super unione & neutralitate Principum Electorum composuit, post allatum Constantiensis Concilii decretum, quo Romanus Pontifex Concilio & Concilii sanctionibus declaratur obnoxius, subjungit: *Generale Concilium subsistens & firmum, majus & superius est Papa in his, quæ pertinent ad fidem, schismatum extirpationem, & generalem morum reformationem. Nullus Catholicus intelligere volens potest dubitare. Hoc enim universalis Ecclesiæ auctoritas in sacro Constantiensi Concilio declaravit, & Basileensis Synodus innovavit in hæc verba,* &c. *Quæ quidem universalis Ecclesiæ declaratio, quamvis sola sufficeret ad probandum summam in terris sacrorum Conciliorum auctoritatem, pro majori tamen istius confirmatione, quod dictum est residuum Ecclesiæ corpus non computato Papa, si contrarius esset, auctoritatem hanc habere, potest adduci ratio, experientia, & auctoritas. Ratio primò dictat hoc. Nam quòd Papa possit errare, residuum corpus Ecclesiæ Synoda-* 12
liter congregatæ errare non possit in his, quæ fidei sunt & reformationis morum, & in pertinentibus ad ea, & in talibus à Spiritu Sancto regatur, ut colligitur Actorum 15. Infrà: *Experientia demonstrat hoc idem: Sæpius enim compertum est, Papam errasse, residuo Ecclesiæ corpore rectè sentiente, Papa autem non rectè sentiente, residuum totum Ecclesiæ corpus errasse nunquam est compertum. Quapropter & corpus Ecclesiæ nonnunquam caput suum, Papam videlicet correxit, deposuit, & condemnavit. Nunquam verò Papa residuum Ecclesiæ corpus correxit, aut condemnavit. Auctoritas sacra confirmat hoc idem: Nam Christus cùm dicit, Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ.* Et post alia: *Unde Ecclesiæ universalis auctoritas in Concilio Constantiensi declaravit;*

ravit, quòd peccata Summorum Pontificum circa fidem, schisma vel mores dici possunt Ecclesiæ, cujus præceptis & ordinationibus, si non obedire præsumpserint, condigna pœna subjiciantur, & ad aliqua juris remedia, si opus sit recurrendo. Præterea quamvis Christus uni dixerit homini, Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, ut secundùm Doctores sanctos unitatem Ecclesiæ designaret, in his tamen verbis Ecclesia ligandi & solvendi potestatem à Christo suscepit, imò immediatè ut sancta Synodus declaravit, ut suprà. Nam Petrus quando claves in verbis istis accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Et paullo pòst :

Cum istis autem sanctorum Patrum auctoritatibus stant bene canones sonantes Papam omnes judicare, & à nullo judicari. Nullus enim homo particularis est ordinarius
13 *judex Papæ judicio coarctivo & compulsorio. Sacrum verò Concilium potest ipsum tali judicio judicare, cùm repræsentativum sit totius corporis Ecclesiæ, cujus Papa est pars, etsi caput, minor tamen est corpore. Omne enim totum majus est sua parte, ut est communis hominum conceptio: Cùm igitur omnia generalia Concilia fundata sint tanta auctoritate, ut ipsis pro fide & generali morum reformatione & pertinentibus ad ea congregatis, quilibet homo à minimo usque ad maximum teneatur obedire, ac etiam ipsa non possunt errare.* Observanda quoque sunt hìc duo, quæ suprà jam observavimus.

Coloniensis Academia

IN tractatu de potestate Concilii & Papæ, ad Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum : *Super hac requisitione respondendum est. Prima propositio: Ecclesia Synodaliter congregata habet supremam jurisdictionem in terris cui omne membrum Ecclesiæ cujuscumque dignitatis fuerit, etiam Papalis, obedire tenetur, quam nemo sine ipsius consensu Synodali dissolvere vel transferre potest. Patet ex decreto Concilii Constantiensis & Basileensis : Ac prima pars est fundata in Evangelio Matthæi* 18. *Dic Ecclesiæ, ubi, ut patet ex litera sequenti, innititur potestas jurisdictioni data Ecclesiæ Synodaliter congregatæ.* Et paullo pòst : *Secunda pars patet, quia filius, servus, & discipulus tenetur obedire suæ matri, dominæ, & magistræ, sed Ecclesia est omnium Christi fidelium mater, domina, & magistra, de quorum numero est Papa, licèt sit filius*
14 *primogenitus & capitalis servus, scribens se non ficta humilitate, sed Catholica veritate servum servorum Christi, & inter alios fidei Discipulos præcipuus, & per Christum Ecclesiæ sponsum, & Christi fidelium Patrem, dominum ac magistrum, in Christi semper mysticè & spiritualiter præsentia corporali absentia aliorum Christi fidelium rector, pastor, & doctor constitutus auctoritate Christi & Ecclesiæ suæ conjugis & sponsæ.* Et paullo pòst : *Ex quibus faciliter ostenditur eandem Ecclesiam Synodaliter congregatam esse consistorium judiciale & supremum super omnes Christi fideles. Et denique liquet certa pars conclusionis, quia nemo judicabilis, habet ad libitum suum transferre aut disponere tribunal judicis. Si enim hoc posset, Papa esset supra, non infra Ecclesiam, non utens duntaxat vicaria potestate Apostolicarum clavium, sed libero principatu propriæ jurisdictionis, nec esset tantùm pastor & dispensator ovium & agnorum Christi, sed Rex & Pastor ovium propriarum, contra illud Joannis ultimo, Pasce oves meas, non dixit, tuas.* Ex Manuscripto Cod. sancti Victoris. Quæ hìc à Coloniensibus de Romano Pontifice disputantur, non ita disputarentur, si persuasum illi haberent, eum indeficientis judicii privilegio gaudere. Immò quæ sic à Coloniensibus disputantur, ita disputantur, quia pro comperto tenent, Romanum Pontificem indeficientis judicii privilegio frui nullo.

Lovaniensis Academia

COloniensis Academiæ filia, matrem sequitur. Æneas Silvius id testatur in libro 1. de gestis Basileensis Concilii : *Atque,* inquit, *ut de re ipsa dicere in-* 15
cipiam, conclusiones Theologorum tanquam disputationis fundamenta, ipso in exordio ponam, nec ego iisdem utar verbis, quibus illi. Sententiam retulisse sat erit : Conclusiones hujusmodi fuerunt.

I *Veritas est Catholicæ fidei, sacrum generale Concilium supra Papam potestatem habere.*

II. *Generale Concilium legitimè congregatum sine ipsius consensu nec dissolvere, nec transferre, nec prorogare ad tempus ex auctoritate sua potest Romanus Pontifex, idque veritatis ejusdem est.*

III. *Qui pertinaciter his veritatibus se opponit, hæreticus est censendus.*

Et post alias propositiones quinque, quas in epistola ad Joannem Baptistam Franckevillam Lovaniensem Theologum retuli, subdit : *Nec nos fugit Ludovicum Protonotarium has veritates Lovanii ac Coloniæ prædicasse, easque illinc Universalis studii auctoritate firmatas reportasse.*

Quidquid id est, Hadrianus VI. qui Lovaniensis Academiæ Cancellarius fuit, manifestissimè confirmat, & in quartum sententiarum consignat : Ubi de ministro sacramenti Confirmationis disputat. Verba sunt : *Ad secundum principale de facto Gregorii dico* 1. *Quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius puta Pontifex, certum est, quòd possit errare in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. Item & novissimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd anima purgata ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei, & Universi-* 16
tatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa matrimonium : De quo in Cap. Licèt, de spons. duorum. Item patet hoc de errore, quem ediderat Celestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim. Cujus error olim habebatur in alia compilatione in Cap. Laudabilem. De convers. conjug. ut refert Ostiensis in Cap. Quamò. de divortiis : Non tamen dico Gregorium hìc errare, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt. Hæc est Lovaniensis Academiæ traditio, hæc sententia, quam Hadrianus exponit ; & Romana postea Commentariorum in quartum sententiarum editione communiendam esse censuit, ad perpetuam rei memoriam. Sic quam à majoribus doctrinam acceperat, non revocavit, ut in Cardinalium Collegium ascisceretur : Cardinalis ascitus cùm esset, non revocavit, ut Pontifex crearetur. Creatus Pontifex, non revocavit, ut recentibus adulatricis Curiæ placitis faveret.

Nunc ex occasione notanda sunt mihi duo adversus Bellarminum, qui Hadriani doctrinam *omnino erroneam & hæresi proximam* judicat in libri IV. de potestate Summi Pontificis capite 11.

Et primò quidem Bellarminus injuriam non mediocrem facit Romanæ Ecclesiæ, quæ, si ei credatur, hominem doctrina omnino erronea & hæresi proxima imbutum in Romanum Pontificem elegit, nec ut eam priùs ejuraret, coegit, atque ita negari non po- 17
test, quin Romana Ecclesia in hoc doctrinæ genere Pontifici suo consenserit. Hoc non aliter quàm ex Romanis ipsis Pontificibus suadeo.

Celestinus I. scribit in epistola ad Galliarum Episcopos: *Timeo ne connivere sit hoc tacere, timeo ne magis ipsi*

loquantium, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quin occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò namque nos causa respicit, si silentio faveamus errori.

Leo I. in epistolæ XCIII. ad Turribium Asturicensem Episcopum capite XV. *Qui alium ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.*

Felix III. in epistola I. ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum: *Negligere quippe cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere. Non caret scrupulo societatis occultæ, qui evidenter facinori desinit obviare.*

Gregorius I. in libri VII. Indict. II. epistola VI. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum: *Qui non corrigit resecanda, committit.*

Gregorius VII. in libri II. epistola V. ad Manassem Remensem, Richerium Senonensem, &c. *Vos fratres in culpa estis, qui dum perditissimis factis sacerdotali vigore non resistitis, procul dubio nequitiam illius consentiendo fovetis.*

Dubium igitur nullum est, quin Romana Ecclesia Hadriani doctrinæ, quæ judice Bellarmino erronea est omnino & hæresi proxima, consenserit.

Deinde Bellarminus secum dimicat, in propositio-
18 ne II. qua statuit, *Romanam particularem Ecclesiam errare non posse in fide.* Quod nonnullis Cypriani, Hieronymi, Martini V. & aliorum testimoniis probare conatur. At Romana Ecclesia erravit graviter, cùm Hadrianum sententiâ omnino erroneâ & hæresi proximâ imbutum elegit in Pontificem, & tali sententiæ consensit ab initio certe anni MDXXII. quo Hadrianus creatus est Pontifex, usque ad annum MDXXIII. quo decessit XVIII. Calend. Octobris.

His ita constitutis, Bellarminus destruit, quod ædificare nititur. Destructâ verò propositione II. stare prima non poterit. Quis Bellarmini solertiam non miretur? Ad hominem disputamus. Hadrianus, & Lovaniensis Theologus, & Cardinalis factus, & Pontifex creatus semper orthodoxus fuit, & Romana cum eo Ecclesia coluit ὀρθοδοξίαν.

Papiensis Academia

NON differt à cæteris Academiis, quæ quo tempore Martinus V. Concilium indixit Papiæ, sentiebant idem, nempe Romanum antistitem errare posse & Concilio subjici. Jacobus Cardinalis Papiensis, qui aliquanto pòst claruit, id non obscurè significat in epistola CLXXXI. ad Paulum II. Insignis est epistola, quæ sic se habet: *Paulo Pontifici maximo. Quid est hoc, Paule? Tenebræ enim mihi sunt. Quid agis? Aut quo hæc tentas consilio? Mutata repente sunt omnia. Nihil pristinum video. Pro charitate in nos tua successit durities, pro blandimentis asperitas, pro læto nuncio tristis successus. Vovisti Cardinalis, vovisti & Pontifex, servaturum te leges, quæ in conclavi sunt editæ ad salutem*
19 *publicam utiles. Voti tui duobus in libellis chirographum extat. Dixisti cùm scriberes, etiam sine voto servaturum te eas fuisse. Sic quoque scripsisti cupidè, ut vindex non servantium viderere futurus. Sperabamus respiraturam Ecclesiam, futurum Pontificatum qualem à Petro non vidimus. Quid nunc dicam, aut quid non potiùs dicam? Commutasti tu eas in leges inanes, mille effugiis plenas, quibus in hanc præfari nos cogis, quia priores bonæ non erant, improbamus, quod egimus. Præsentes autem probamus. Vocas nunc intra cubiculum sigillatim omnes, rogas unumquemque, ut membrana tua subscribat, renitentes urges, perseverantes dimittis vexatos contumeliis: Si qui subscribunt, non tamen earum priùs legendarum potestatem accipiunt. Cognosci illas vetas, quin & inter subscribendum, ne legi possint, scripturam totam manu contegis. Me quia tibi in hac re ignota non annui, torquet jam multos dies. Idem fatis de reliquis, quos ducere in sententiam nequis. Lamentatus est mecum Cardinalis Tusculanus, vir gravis & innocens, se nuper egredientem cubiculum tuum, ut colluctationes tuas effugeret, manu reprehensum esse, & ostio clauso exire prohibitum: Jussum porro sub gravi anathemate rebus non inspectis subscribere. O bone Jesu, quæ præcipitatio hæc est? Et quæ intemperies mentis? Talem de te præbes spem, Paule? Atque hoc initio præsulatum instituis? Quæ expectatio erit fidelibus bonorum operum, quando excutere te jugum salutis intelligent? Quod exemplum modestiæ, quando ita vehementer actum cum fratribus noscent? Nobis verò quem esse animum credis? videntibus nostra dignitati illudi, & vim simul inferri? Hoccine erat, quod repromittebas de te, cùm Pontificatum quære-* 20
bas? Cùm te insinuabas nobis, cùm dolebas Nicolaum, Calistum, & Pium parvi pendisse Collegium nostrum. Ecce quod damnabas in aliis, primus tu facis. Quod illi agebant modestiùs, tu intemperantiùs agis: Nemo eorum subscribendum Cardinali dedit, quod non ante vidisset. Nemo in cubiculum clausit, nemo anathema imposuit. Non dispute, num voto illo tenearis, an non? Alterius loci & temporis sit inquisitio. Tantùm dico, paucis exceptis, quod sublatis legibus faciliorem sibi ad Cardinalatum viam intelligunt, reliquos tam Pontificii, quàm divini juris interpretes, totum quoque Collegium teneri te existimare. Hoc verò lamentor, hoc doleo, quòd filios tuos de te optimè meritos indignè fatigas, insignémque levitatis notam, sine causa eis imponis. Etenim tenearis, vel non tenearis, quid nos nostris subscriptionibus possumus? Quid annuendo operamur? Si non teneris, rem supervacuam facimus: Si teneris, utique inutilem. Utrumlibet malis, nullus est fructus. Potestatem non habemus nos tollendorum votorum, nec redimendi quod oblatum est: cum his tibi res est, quos appellas in voto, cum Petro, & cum Paulo, & cum Christo Deo tuo. Cogens nos comminationibus tuis, illos non cogis. Factus à nobis liber, non utique libertatem ab illis consequeris. Audi Prophetam dicentem: Vovete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu affertis munera, terribili & ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes reges terræ. Reddi videlicet, admonet vota, non reddentibus unam pœnam denuntiat. Verùm ista omitto. Convertor ad preces, beatissime Paule, atque advolutus pedibus tuis pro omnibus hanc veniam deprecor, sint libera consilia nostra. Ad opus, quod malum credimus, non coga- 21
mur inviti. Filiorum apud te, non mancipiorum inveniamus locum: Liceat præstari Deo, quod sentiunt spiritus nostri; si erramus, doceamur à te. Si docti non emendamur, pro meritis tunc corrigamur. Adhuc quod non tenearis voto non docuisti, quod teneri nolis, sumus experti. Ex ratione, non ex tua voluntate patere sententias dici. Attende quoque ignominiam fratrum, & illorum consule nomini. Habuisti eos honoris tui non minùs studiosos, quàm voluntarios. Nota sint ubique terrarum hæ leges, cogitata per nos, discussæ inter nos, jurata ac vota à nobis. Opus nostrum illud esse nemo ignorat, consentiens unanime ex veteri exemplo ad salutem publicam innovatum. Vix dum, ut est in proverbio, siccata sunt atramenta, cùm cogimur delere, quod scripsimus? Quid aliud hoc est, quàm non sanæ mentis Senatum cum arguere, quem tu quotidie anteferendum regibus prædicas? Non omnes coactionem tuam intelligent. Factum nostrum intuebuntur, & exitum voluntatis, putantes quod est necessitatis. Nec eris tu quidem ab his querelis immunis, pariter nobiscum damnabere. Atque eò damnabere graviùs, quòd ad mutationem propositi contemptum etiam voti & cupiditatem, non sanioris, sed liberioris vitæ adjunctam videbunt. Porro quæ imprudentia leges conditas dicent, eisdem te electum contendent. Nihil in hac abrogatione vel tibi vel nobis est honorificum. Vertuntur omnia in commune opprobrium. Quare omitte quæso importunum consilium: Iracundè ne agas nobiscum. Valere leges has sinito. Servavit eas Pius, serva & tu. Non propterea minuitur tua potestas. Ad bonum opus sunt traditæ claves, si bona sunt leges. Cognatam 22

rum

rem habet clavibus tuis. Si aliquando ex tempore, ex loco, ex re, ex quapiam causa fiunt inutiles, est semper dispensatio tua. Non idem anni tempore dictat: Sed idem spectat primæ Sedis potestas. Hoc autem amplius operatur hoc votum, ut quod aliquando voluntate esses facturus, promisso etiam perseverantius agas. Puto implere me officium filii, & suadere quæ sunt salutaria. Hanc ob rem hæc scribo; si erro, non recuso corrigi emendatus. Vale. 1464.

Multa hic observatione digna sunt: Sed tria tantùm observo, Jacobum Papiensem non dubitare, quin Romanus Pontifex generalibus subjiciatur Conciliis & sacris Canonibus, qui ab illis editi sunt, cùm velit Paulum II. Consistorii, seu Collegii Cardinalium legibus subjectum esse: Deinde non dubitare quoque, quin indeficientis judicii privilegio careat: Tum demum eundem significare paucos esse admodum, qui dissentiant: *Non disputo nunc voto illo tenearis an non. Alterius loci & temporis sit inquisitio. Tantùm dico, paucis exceptis, quod sublatis legibus faciliorem sibi ad Cardinalatum viam intelligunt, reliquos tam Pontificii, quàm Divini juris interpretes, totum quoque Collegium teneri te existimare:* Itaque si Jacobus Papiensis, si Pontificii & Divini juris interpretes existimant Paulum II. teneri sancitis à Collegio Cardinalium legibus, quas servaturum se promiserat, non possunt non existimare, eundem Paulum aliósque Pontifices teneri editis à Concilio legibus, quas recèns electi Pontifices servaturos se esse pollicentur in Romanæ Ecclesiæ Diurno, cujus verba sunt: *Diligentiùs autem*
23 *& vivaciùs omnia decreta prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæque vel Synodaliter probata sunt, confirmare & indiminutè servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quoscunque condemnaverunt, vel abdicarunt, simili auctoritatis sententia condemnare, disciplinam & ritum Ecclesiæ sicut inveni & à sanctis prædecessoribus meis traditum reperi, illibatum custodire, & indiminutas res Ecclesiæ conservare, & ut indiminutè custodiantur, operam dare, nihil de traditione eorum, quæ à probatissimis prædecessoribus meis servata reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem inducere, sed ferventer, ut verè eorum discipulus & sequipeda totis mentibus meis & conatibus, quæ tradita sunt, conservare ac venerari: Si quæ verò emerserint contra disciplinam canonicam emendare, sacrósque canones, constituta Pontificum nostrorum, ut Divina & cœlestia mandata custodire, utpote sibi me redditurum sciens de omnibus quæ profiteor, districtam in Divino judicio rationem, cujus locum Divina dignatione perago, & vicem intercessionibus tuis adjutus impleo, si præter hæc aliquid agere præsumpsero, vel ut præsumatur, permisero.*

Ad indeficientis verò judicii privilegium quod attinet, Jacobus Papiensis sese adhuc interpretatur clariùs in sequenti ad N. Cardinalem Theanensem epistola, quæ talis est:

Non precibus, non ratione, non obsecrationibus ullis adduci potuit Paulus, ut servandas sibi putaret leges
24 *votas atque juratas: Tanquam Leo plagas, sic ille sancta vincula abrupit. Scripsit novas à prioribus multùm dissimiles, quarum virginei sunt vultus, fœdissima ventris proluvies. Præferunt speciem boni, sed intenti interiùs patent postica innumera, ex quibus cùm vult, effugere potest ad libertatem quæsitam. Subscripsimus omnes partim cupiditate assequendorum, quæ volumus, partim metu, ne quotidiana indagationis suæ sustineamus flagella. Fatemur, molles fuimus, delicati, ac nostrimet nimium cupidi. Respeximus, non quæ Dei sunt, sed quæ carnis & sæculi sunt. Nemo tamen probavit. Solus Joannes Carvagial genere Hispanus, ætate grandævus, meritis magnus, constantiæ laudem invenit. Turpitudinem hanc est deprecatus, nec ullis tentamentis ingeniosi postulantis proposito dimoveri est passus. Ad singulas colluctationes sic excusavit: Quod juvenis non commisi, non committam senex, ut me recti pœniteat. Tibi propter has leges molestus non ero. Tantùm finito dignitatis & conscientiæ me rationem habere. Vir profectò dignus, non qui nobiscum sedeat, sed qui præsideat ad consilium Sedis Romæ. Dolendum aliud audi: Quanquam in his ipsis inanibus legibus dicas se usurum suo chirographo, ac juraturum, nihil tamen vel juravit vel vovit. Tantùm subscriptionibus nostris extortis membranam in suas arculas condidit. Nec ut consuetum est, exemplum nobis reliquit servandum inspiciendúmque, si quando ex illis sumenda essent consilia. Abiit, elapsus est, factus est totus, quod voluit, suo tamen non nostro judicio, vincula dirupisse se credit. Nos eum teneri putamus.*

Eluctata canis, inquit Persius, *nondum arripit: attamen illi,*
Cùm fugit, à collo trahitur pars magna catenæ.

Judicis nostri supremum tribunal admonebit illum er- 25
roris. Si falli potuimus & cogi, non falletur ille, neque cogetur: Rectum est enim judicium ejus, & potentiæ suæ non est qui resistat. Doleo tamen tanti ac tam expediti boni occasionem sublatam, nos derisos, notatum levitatis Collegium: Quodque non sine ingenti gemitu refero, vexandæ, lacerandæ, & scindendæ Ecclesiæ materiam præbitam. Qui viderit legum sententiam, magnitudinem jurisjurandi ac voti, vim decreti, in extrema pagina positi, hoc mecum suspirabit & gemet. Simus ergo posthac, Pater, ad eligendum cautiores: Acriùs expendamus naturam cujusque. Non credamus fronti, non verbis. Fallunt sæpissimè vani filii hominum juxta Prophetam. Mendaces filii hominum, ut decipiant ipsi de vanitate sua in id ipsum. Recurramus unice ad disciplinam domesticam, introspiciamus secreta cubiculi: Ex institutione vitæ privatæ judicium faciamus de publica. Siquis, inquit Apostolus, domi suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Odoremus, tentemus, excutiamus omnia. Ansæ hinc erunt semper ad probandos improbandósque homines. Solertia nulla in tanta re nimia esse potest. Si in perquirenda vita Pauli usi fuissemus hac cura, non decepisset nos exterior species. Multa ad meliùs consulendum se obtulissent. Sed & nos parum acres ad videndum: Ipse ad celandum semper intentissimus fuit. Artificium quærendi Pontificatus ex Cardinalatu est sumptum. Nec Pontifex mutavit mores, sed tectos detexit Cardinalis Avinionensis festivi pater ingenii, ridens, jocánsque cum illo: Rectè, ait, Paule, annos viginti quatuor adhibuisti studium, ut semel nos falleres. Quæ vox etsi ridente, approbante 26
tamen Collegio est intellecta. Iterum dico. Si erratum est semel, mi Theanensis, non erretur secundò. Majoribus detrimentis nec peccari nec errari ullibi potest. Vale. Epistolam totam retuli quia egregia est, & illius pars prior eò spectat, ut indeficientis judicii privilegium Paulo abjudicet.

Sed præcipuas leges quas servaturum se Paulus promiserat, referre operæ pretium esse duxi. Jacobus Papiensis eas omnes in libro II. Commentariorum refert. Præcipuæ sunt hæ: *Jurabat vovebátque Deo, sanctisque Apostolis Petro & Paulo, quisquis Patrum ad Pontificatum esset assumptus, inchoatam expeditionem in Turcos, quantum Romanæ Ecclesiæ paterentur opes, continuare; proventúmque aluminis ad eam rem integrum adhibere: Lapsos etiam Curialium nostrorum mores ad Patrum disciplinam restringere: Curiam porro ipsam de provincia in provinciam sine plurium ex Patribus intra Italiam, extra Italiam, sine omnium assensu, quæ subscriptionibus pateret, non transferre: Concilium generale Christianorum intra triennium cogere, in quo & principes sæculi ad tuendam religionis causam accenderentur, ægræque partes Ecclesiæ communi medicamento sanitatem reciperent* (Hoc est reformare Ecclesiam in capite & in membris;) *Cardinales non antè creare, quàm ii, qui creati jam haberentur, intra viginti quatuor essent reducti, majoréque hoc numero non pati in*

Ecclesia

Ecclesia esse: Neminem quoque assumere, qui non trigesimum annum excederet, quique professus non esset vel Pontificium jus vel civile, vel literas sacràs: Nec nisi u-
27 *num, cùmque hujus generis hominem de cognatione sua eligere: In omnibus autem eligendis sententias Patrum non tacitas in aurem, ut antè, sed ex subselliis ad declinandos errores palam accipere: De majoribus insuper committendis sacerdotiis non nisi in Consistorio sententiis auditis decernere: Jus ad ea nominandorum nulli omnino permittere: Diplomata etiam non dare, quibus ad alienum arbitrium eadem se collaturum permitteret: Sique essent anteà data, uno edicto adimere: Non destituere Sede sua Episcopum quemquam, Abbatemve, postulatione ulla Principum, nisi & talionem ex juris forma in se antè reciperent, auditique rei solemni judicio essent: Non Cardinalem revive suam apprehendere, nisi ex Patrum sententiis: Non damnare etiam, nisi ex Synodali constitutione: Cujus est initium: SS. Præsul. SS. Nihil ro ex omni Ecclesia patrimonio, quod paulò insignius esset, in quemquam distrahere, aut ejus censum minuere, nisi & assenserint Patres, & consensioni subscripserint.* Et post alia: *Nihil in diplomatibus factum dicere ex fratrum consilio, quod ad verum consulentibus eis decretum non esset: Demum primo quoque mensium omnium Consistorio imperare has leges ad innovandam memoriam ex scripto præsente se recitari: Additum & his est, ut bis quotannis per Calendas Decembres Maiásque Patres seorsum à Pontifice convenientes cognoscerent inter se, an servata illa judicarentur. Id si minùs factum intelligerent, charitate, qua à filiis in parentes est debita usque ad tertia rememorationis officia, transgressionis & perjurii illum monerent, ad servandumque precarentur. Has leges cùm antè Cardinalis, ut di-*
28 *ctum est, móxque Pontifex factus, subscriptionibus duabus jurejurando votóque firmasset, delere nihilominus post paulò aggressus est, aliena magis instigatione quàm suo proposito. Erant inter ministros ejus domesticos Præsules duo Cardinalatum maximè ambientes, Stephanus Ecclesiæ Mediolanensis antistes, & Theodorus Tarvisinus Episcopus, qui videntes desideria sua his legibus impediri, quòd numerus Cardinalium justo major nonnisi longa expectatione rediturus ad legitimum videretur, simulato in Pontificem affectu agere cum eo de his abrogandis cœperunt:* INDIGNUM AIENTES VICARIAM CHRISTI POTESTATEM HUMANIS CONDITIONIBUS SUBDI; *ipsum non tam sui arbitrii, quàm alienæ moderationis ministrum videri; quærendam libertatem esse, idque agendum, ut auctoritatem Ecclesiæ apud se, non Cardinales, esse omnes agnoscerent. Tarvisinus summi ingenii vir, summaque doctrina, qui multos jam annos ad tribunal Rotæ exercuisset judicia, fidémque veritatis haberet, facilè insinuationibus hisce rem Paulo persuadet, cùm literis non multùm imbuto, tum sui juris admodum retinenti. Itaque ex amborum sententia novæ quædam leges quasi ex persona Patrum scribuntur, quarum erat obtentus, quòd priores illæ cognoscebantur, induxisse eos has novas, quibus tantùm obnoxium esse Pontificem vellent: Libellum quoque, in quo erant digestæ sigillatim cuique ad secundam subscriptionem offerre cœperunt, Imperiosiùs totam rem jam contendentes. Inventi inter eos nonnulli sunt, qui gratia magis, quàm animo obsecuti manus statim requirentibus dederint. Qui verò & jurisjurandi magnitudinem & voti sanctius expendebant, san-*
29 *ctùmque Ecclesiæ ministerium cupiebant, eam inconstantiam à Pontifice deprecabantur, nec dicto erant audientes, pudendam rem aientes, earum legum damnatores eos, mutatorésque videri, quarum nuper summo consensu constitutarum vixdum essent atramenta siccata. Quo loco commotior jam animo ille factus, atque ad pervincendum firmato agere in dies severiùs cum Patribus cœpit, nunc pollicens multa, nunc vexans, nunc lacerans maledictis, nunc etiam liberiùs minitans. Nec ullum erat tentandæ mentis tormentum, quod ad oppugnandum horis omnibus non adhiberet. Nicænum Cardinalem prima sententia Patrem fatigatum diu intra cubiculum móxque insuperatum egredientem manu imus retraxit, foribusque occlusis eo angustiarum adduxit, ut anathema illum pronunciaret, si non statim subscriberet. Quin & poscentibus quibusdam ut perlegendi semel libelli antè acciperent potestatem, gravatè admodum indulgebat, manu nonnunquam inter subscribendum scripturam contegens totam, ne scriptorum vanitas appareret, quæ callidi artificii formata ingenio plena erant verborum effugiis. His atque hujusmodi molestiarum assiduis machinis debilitati Patres tandem cesserunt, atque ad unum omnes non sine gemitu subscripsere Joanne Carvagial tantùm excepto, qui Portuensis Ecclesiæ antistes, annósque jam septuagima natus, quod juvenem se non fecisse meminerat, ut nulla de causa mutaret sententiam, id jam ætatis non commissurum respondit. Libellum quoque, cui nil Pontifex ad conventorum fidem subscripsit, in suas arculas condens, nec protulit postmodum nec cuiquam esse ejus exemplum est passus, ut palam omnibus fieret, irrisui habitum collegium esse, & nec tam moderandarum, quam* 30
tollendarum omnino legum occasionem quæsitam. Si quod in eis rogandis Cardinalium peccatum sint, veniam erroris det conscius infirmitatis nostræ Deus, sanctam tamen administrationem quisque in proposito habuit. Sin in eisdem abrogandis divina est pietas ostensa, etiam memor miserationum suarum, quæ sunt super omnia opera ejus, non ad Pastoris factum, sed ad fidem Ecclesiæ benignè aspiciat, gressúsque suos in semitam statuat, qua sequentem gregem non fallat. Ultionis tamen in auctores mali argumenta statim manifesta prævidimus. Mediolanensis spe Cardinalatus sæpe frustratus abstinere etiam Curia necessariò coactus est, & Theodorus Tarvisinus Cardinalis secretè factus, in languorem miserrimum incidens, hora suprema vitæ ad levandam vim morbi, indicanto Pontifice, quod factum erat, agnovit, eóque excessit acerbiùs, quòd dignitatem tanto peccato, tantáque anxietate quæsitam, auditam tantùm & nec visam se intellexit dimittere. Ex hac autem narratione, quæ à pio, erudito, & oculato teste facta est, multa colliguntur scitu dignissima.

Et primùm quidem sanctissimæ & ad publicam salutem utiles fuerunt leges, quas Cardinalium Collegium vel condidit vel instauravit.

Deinde Cardinalis unusquisque, & cum primis Paulus & Cardinalis & Pontifex his sanctissimis subscripsit legibus, & eas servaturum se jurejurando pollicitus est.

Tum Episcopi duo Mediolanensis & Tarvisinus, quò faciliorem ad Cardinalatum viam sibi munirent, Paulo II. malis persuaserunt artibus, ut leges illas ab- 31
rogaret: Quippe quæ vicariam Christi potestatem humanis conditionibus subderent, efficerentque, ne Pontifex seorsum à Cardinalium consilio & assensu Ecclesiam gubernaret.

Deinde ambitio, Cardinalitiæ dignitatis cupiditas, & turpis Curialium adulatio fundamenta sunt opinionis, quæ Romanum Pontificem ab observatione sacrorum Canonum & universalium Conciliorum obedientia eximit, quæ Pontificem supra Concilia & Ecclesiam statuit. Quare cùm opinio hæc ad originem suam reducitur, hoc ipso pessundatur, funditùs evertitur. Quid enim ex impuris & lutulentis fontibus præter aquam turbidam & coinquinatam hauriri potest?

Hinc Paulus istis blanditiis & assentationibus delinitus leges illas fabricavit, sed cùm voluit, ut Cardinales illis subscriberent, & ad subscribendum vi, metu, & machinis aliis coegit, luculenter ostendit, quod ostendere noluit: Nempe Romanæ Ecclesiæ traditionem ferre, ut Pontifex illius Cardinalium consilio ad regendam Ecclesiam uteretur. Quorsum enim illos ad suis legibus subscribendum adigeret? Nonne ut leges solus sine Cardinalium consilio & assensu fabricaverat, sic & solus sine Cardinalium consilio & assensu poterat Ecclesiæ negotia gravissima quæque gerere?

Præterea quanta potest ratione Cardinales excusat, quòd novitiis legibus subscripserint, nec omnes potuerint esse Cardinali Carvagiali similes, qui adduci nunquam potuit, ut subscriberet. Protestatur insuper Cardinales cæteros qui subscripserunt, subscribendo in votis aliud habuisse nihil, quàm ut sanctè gubernaretur Ecclesia.

32 Ad extremum rerum omnium præpotens Deus, & scelerum ultor justissimus non permisit, ut qui Paulum nefariis artibus circumvenerant, optata sua consequerentur. Spe frustratus alter necessariò recessit à Curia. Secretò consecutus alter, quod palam consequi debuerat, vitam statim deposuit. Nec consecutus id videtur, nisi ut cum majore molestia, & graviore fruendi desiderio relinqueret.

Senensis Academia

DOctrinam aliam non habuit, quàm quæ in Senensi Concilio declarata est anno MCCCCXXIII. Huc spectat Pius II. in Bulla Retractationis suæ: *Nos qui ex patria juvenes, non ex urbe* (Roma) *illuc* (Basileam) *migraveramus, & nova tum primùm avis ex Senensi Gymnasio evolaveramus, rudes & inexpertò vera esse arbitrabamur, quæcunque dicebantur.* Jacobus Middendorpius in libro IV. de Academiis tradit, Abbatem Siculum, & Philippum Decium hac in Senensi floruisse Academia. Quare nemini mirum videri debet, quòd illi Romano Pontifici non errandi privilegium abrogaverint: Siculus in Cap. significasti de electione: *In his*, ait, *quæ non pendent à plena potestate Papæ non est simpliciter dicendum, quòd Concilium est supra Papam. Unde non potest Papa disponere contra dispositum per Concilium. vide 60. text. & gloss. in cap. Anastasius. Hinc est quòd Concilium potest condemnare Papam de hæresi. ut in cap. Si Papa 40. dist. Ubi dicitur, quòd Papa potest esse hæreticus, & de hæresi judicari. Et dicunt Doctores in cap. in fidei favorem de hæresi lib. 6. Quòd Concilium est judex.* Et paullo pòst:
33 *In concernentibus fidem dictum unius privati esset præferendum dicto Papæ, si ille moveretur melioribus rationibus novi & veteris testamenti, quàm Papa.* Hæc ille, quem impensè laudat Pius II. in Bulla Retractationis suæ: *Adiverunt per id temporis duo viri ex Italia Basileense Concilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiscopus, & Ludovicus Romanus Apostolicæ Sedis Notarius, Alfonsi magni Regis Oratores, qui velut duo orbis sydera, seu Pontificii juris & totius civilis sapientiæ duo præcipua lumina, & clarissima censebantur.*

Decius verò in Consilio suo de auctoritate Ecclesiæ: *Sed supradictis non obstantibus & similibus, quæ adduci possent in contrarium, de jure esse arbitror, saltem in aliquibus casibus, in quibus communiter Doctores tenent, quòd Papa ab alio judicari possit. Primus est in hæresi, in quo omnes Doctores conveniunt, quòd accusari possit, ut expressè dicitur in dicto Cap. si Papa. Ibi à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius. Et meritò, quia nullum peccatum gravius est hæresi, 22. quæst. 2. can. primum in principio 32. quæst. 7. can. quod in omnibus. Et quia admodum periculosum est, si vera fides, quæ in toto populo Christiano requiritur, in capite non reperiatur, ut dicitur 61. dist. can. miramur. Et ideò Papa hæreticus est minor quolibet Christiano, ut dicit glossa in can. Acacius 24. quæst. 1. in verbo in hæresim.*

Hæc autem cùm ita sint, nemo potest ambigere, quin Senensis Academia Romano Pontifici indeficientis judicii privilegium abrogaverit.

Hispanienses Academiæ

34 NON aliter ac Occidentales reliquæ sentiunt. Nam si sentirent aliter, Antonius Cordubensis ex Ordine Minorum Theologus illustris non id anno MDLXXI. scripsisset, quod in quæstionum Theologicarum libro IV. quæst. 1. scripsit: In propositione VIIII. *Igitur, sicut tota Ecclesia Catholica errare non potest, quia & Divinam illustrationem habet: Ita & de Concilio generali tenendum est, & hoc adeò verum est, quod ipse etiam Papa stare tenetur definitioni ipsius Concilii legitimè congregati in fide & moribus, maximè si totius Concilii ea definitio sit, ut ait Soto in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. in responsione ad secundum.* Et paullo pòst: *Modò teneatur, quòd Concilium sit supra Papam, modò non, sed quòd est supra Concilium quoad potestatem jurisdictionis, tamen ut diximus, Papa tenetur stare definitioni Concilii. Immo & Victoria in tertia relectione de potestate Papæ & Concilii proposit. 11. Turrecremata in decret. dist. 4. §. Ideò art. 1. expressè dicit, quòd potiùs est standum definitioni Concilii, quàm Papæ in fide & moribus.* Et paullo pòst: *Ratio hujus mihi videtur, quia nobis certius est Concilium legitimum facere quod in se est ut à Deo illuminetur, quàm Papam, ut inferius habetur.*

Neque verò Cordubensis imponit Hispanis genere Theologis, quos laudat. Nam Dominicus Sotus loco citato hæc scribit: *Qui à parte Concilii pugnant, dicunt Papam à Concilio recipere potestatem: Cardinales verò citati Turrecremata & Cajetanus è converso,*
quòd Concilium illam recipit à Papa: Sed certè utrum- 35
que (ut sub correctione Ecclesiæ & peritiorum dixerim) falsum apparet. Prior enim opinio satis est oppugnata, sed nec posterior censetur vera: Quoniam Episcopi, & qui legitima sunt persona Concilii legitimè congregati præsidente Papa aut ejus Legatis, eo ipso, quòd sunt Episcopi, per se habent, dum publica auctoritate congregantur, auctoritatem Ecclesiæ, sicut Senatores in Senatu, quia nulla alia indigent Papæ auctoritate, nisi quòd ipse sit præses tanquam caput, non quòd ipsi Episcopi sint tanquam Procuratores totius Ecclesiæ recipientes auctoritatem à toto populo, sed per auctoritatem Episcopalem, quam à Christo susceperunt, dum publico nomine congregantur, habent auctoritatem: Quibus Spiritus Sanctus ut errare nequeant, assistit. Et quibusdam interpositis: *Non ergo Concilium habet auctoritatem à Summo Pontifice, quàm quòd Episcopi creantur ab ipso, & è contrario si aliqua ratione Concilium est supra Papam, non est, quòd ipse à Concilio ullam recipiat auctoritatem, sed quia omne membrum, etiam caput, est pars totius, & ideo tenetur stare decreto & sententia totius.*

Deinde Franciscus Victoria laudato quoque loco hæc scribit: *Si Concilium declarat aliquid de fide, aut de Jure Divino, Papa in hoc nihil potest declarare aut immutare, maximè si tale jus spectet ad fidem vel ad mores Ecclesiæ universalis. Probatur, quia in illis Concilium errare non potest juxta promissum Lucæ 22. Ego rogavi pro te, &c. & Matth. 18. Ubicunque fuerint duo vel tres, &c. Et non minùs est Spiritus Sanctus in quocunque Concilio generali, quàm in Concilio Apostolorum,*
ubi Spiritus Sanctus assistebat. Actuum 15. Visum est 36
Spiritui Sancto, &c. Confirmatur, quia si in illis Concilium errare posset, & Papa errare posset, standum esset potiùs Concilio: Ergo postquam determinatum fuit in Concilio Apostolorum, quòd legalia erant extincta, non potuit Petrus aliter definire. Ita in quocunque Concilio generali. Et patet quia si errare posset, non esset Ecclesia fundata supra firmam petram. Hæc ille qui Salmanticæ Theologiam professus est.

Dominicus Bannes, qui post Victoriam & Sotum & Cordubensem scripsit, mirum quantum aberravit, cùm in secundam secundæ quæst. 1. art. X. Commentaria edidit, & in Conclusione IV. sic statuit: *In publico fidei judicio non potest Summus Pontifex errare. Hanc conclusionem asserit D. Thomas hîc & infrà quæst. 2. art. 2. ad 3. & lib. 4. contra gentes cap. 76. & Opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 13. & cap. 65. usque ad 70. Thomas Waldensis lib. 2. Doctrinalis antiqua fidei cap. 47. & 48. & Turrecremata lib. 2. Summæ à cap. 107. usque ad 112. & Albertus Pighius lib. 4. Ecclesiastica*

Hierar-

Hierarchia à cap. 2. usque 8. & Joannes Ekius in Enchiridio de primatu Petri, & Cajetanus ubi suprà, maximè in Opusculo de primatu Romana cap. 12. & 13. & 14. & magister Cano de locis libro 6. per totum, præcipuè à cap. 3. usque ad 7. Qui omnes auctores plurima testimonia recitant Pontificum & sanctorum Patrum & antiquorum Conciliorum, hanc veritatem asserentium. Quocirca arbitror, hanc conclusionem tamquam Apostolicam traditionem esse tenendam. Et quidem, ut talis haberetur ab omnibus fidelibus, nisi à tempore Concilii
37 *Constantiensis in agro Domini inimicus homo, id est, Diabolus zizaniam superseminasset. Etenim usque ad illa tempora soli Græci errabant in hac parte.*

Hæc ab auctoritate probatio, quæ facti quæstionem attinet, tot errores contiuet, quot pene commata.

I. Beatus Thomas iu libri IV. contra Gentes capite LXXVI. nou disputat an Pontifex in publico vel privato fidei judicio errare possit, uecue. Ibi de hac quæstione ne gry quidem. B. Thomæ imponit. De laudatis in Opusculo contra Græcorum errores Patribus quid sentiendum sit, explico duabus iu epistolis, quas habet pars prima epistolarum nostrarum, una est ad Antonium Faurum, altera ad Paulum Ratuynum.

II. Beatum Doctorem, Thomam Valdeusem, Turrecrematam, Ekium iu ea uou esse sententia jam contra Bellarminum ostendimus in epistola VII. quam in epistolarum nostrarum parte III. ad Christophorum Fauvæum exaravimus.

III. Ibidem etiam planum fecimus Cajetanum & Canum supposititiis Patrum testimoniis & parologismis uti, quibus nihil præter errorem asseritur.

IV. Apostolicam traditiouem appellat, quæ Apostolica traditio non est, cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd adversetur Sedis Apostolicæ, seu Romanæ Ecclesiæ traditioni, quam duabus in epistolis, una ad Raimundum Formeutinum in epistolarum uostrarum parte I. altera ad Joannem Gerbasium in epistolarum nostrarum parte III. perspicuè declaramus.

V. Bannes perperam sibi sumit opinionem suæ con-
48 trariam Constantiensi Concilio posteriorem esse, qua in re suam iu Theologicæ quæstionis hujus cognitione ἀνεπιστημοσύνας prodit. Ut in citata mox ad Fauvæum epistola videre est.

VI. Græcis errorem tribuit quem nullus unquam iis verè tribuerat, nec tribueudum mox docebimus. Ubique patet Ecclesiasticæ historiæ ignorantia, quæ veritati uocere nou potest.

VII. Lectoribus suis illudit, cùm in propositione Summi tantum Poutificis mentionem faciat, & in probatione II. Summum Pontificem cum majori Ecclesiæ parte confundat. Verba sunt: *Quin potiùs existimaverim, quòd jam est definitu à Leone X. in Bulla contra Lutherum art. 28. in quo Lutherus aiebat, quòd etiamsi Papa & major Ecclesia pars aliquid sentiret, non esset peccatum, neque hæresis oppositum tenere, etiamsi talis sententia definiretur tenenda tanquam de fide Catholica.* Sic in Bannis sensu Summus Pontifex, Papa, & major Ecclesiæ pars sunt idem. Referre hoc confutare est, & demonstrare auctorem vel fucum pati vel facere. Sic quocunque me verto, uonnisi fraudes & fallacias invenio. Quasi verò veritas hominum indigeret mendaciis, aut Bannes ut tot errorum & malæ fidei reus, ab hujus quæstionis decisioue repellendus non esset.

Academiæ, Loca, & Populi omnes apud Latinos, Rom. Pontifex

Eudæmonjoanui publicè reclamant. Id Pius II. testatur in Bulla Retractationis suæ ad Coloniense Studium: *Aderant Legati Parisiensis scholæ, cujus est fama percelebris: Affuerunt & aliquando vestri* (Coloniensis) *& aliorum Studiorum Germanicæ nationis Orato-*
59 *res, & uno cuncti ore Concilii generalis auctoritatem ad cœlum efferebant. De potestate Romani Pontificis pauci erant, qui loqui præsumerent, omnes, qui publicè loquebantur, prurientes auribus multitudini applaudebant.* Et paullo post: *Julianus* (Cardinalis) *nobis & Nicolaus* (Panormitanus) *& Ludovicus* (Pontanus) *& alii complures fuere magistri: Schola Basileensis Conventus, in quo rarò aliquis Eugenii causam defendit. Adversùs Concilii dignitatem mutire aliquid crimen hæresis fuit. Una omnium vox Concilium Eugenio præferebat. De Sedis Apostolicæ præcellentia aut silentium, aut contemptus. Concilium, Concilium cuncta sonabant.* Quinetiam Pius paullo antè notat Eugenium priora Concilii acta simpliciter approbasse: *Accessit*, inquit, *& ipsius Eugenii consensus, qui dissolutionem Concilii à se factam revocavit, & progressum ejus approbavit, cùm reconciliata Synodo Eugenio videretur & pax Ecclesiæ data.* Quomodo Eugenius coufirmat acta sessiouis II. cui Juliauus Card. Legatus præfuerat. Sessiouis verba sunt: *Et ne de ejus sacræ Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur, duas ipsa eadem Synodus declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti sessione aliis suis decretis editis seu edendis inferendas ordinat & decernit: Quarum quidem declarationum tenor primæ sequitur, & est talis.*

Et primò quidem declarat, quòd ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habere, cui quilibet cujuscunque status & dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schis- 40
matis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris.

Alterius verò tenor sequitur in hæc verba. Item declarat, quòd quicunque cujuscunque status vel dignitatis etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacræ Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Præmissis igitur & nonnullis aliis Constantiensis Concilii & præsertim Capituli, quod incipit Frequens, in priori hujus sacræ Synodi Basileensis sessione recitati decretis attentis, prælibata Synodus Basileensis decernit & declarat, quòd ipsa pro hæresum extirpatione, ac morum generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, nec non pace inter Christianos procuranda, ut præmittitur, in Spiritu Sancto legitimè congregata, per nullum quavis auctoritate etiamsi Papali dignitate præfulgeret, dissolvi, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet, aut potest, debebit aut poterit in futurum absque ejusdem Synodi Basileensis declaratione & consensu. Sic decernente Coucilio & approbante Eugenio Romauus Poutifex Concilio subjicitur in iis, quæ ad fidem, hæresum extirpatiouem, & geueralem reformationem Ecclesiæ iu capite & in membris pertinent: Quomodo ei indeficientis judicii privilegium abrogatur, sicut & disertè abrogatum legitur in Synodali sessionis VI. responsioue, quam periude atque
acta præcedentia confirmavit. Adscribo verba: *Re-* 41
liquum totum corpus (Ecclesiæ) *etiam non computato Papa, secundùm legem communem errare non potest in iis, quæ sunt fidei, alioquin si errare posset,* CÙM CERTUM SIT PAPAM ERRARE POSSE, *tunc & Papa & reliquo toto corpore errantibus tota erraret Ecclesia, quod esse non potest.* Id etiam veritati cedens Eugenius fatetur iu Bulla, quam sessioue XVI. ex eo revocat, quòd super omnia Concilia potestatem habere Papa diceretur: *Si Papa*, inquit, *vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, & contra Concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus Legati personam Summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia potestatem habeat Papa,* NISI FORTE QUÆ STATUERNDA FORENT, CATHOLI-

CAM EIDEM RESPICERENT, VEL SI NON FIERENT, STATUM UNIVERSALIS ECCLESIÆ PRINCIPALITER PERTURBARENT, QUIA TUNC CONCILII SENTENTIA ESSET POTIUS ATTENDENDA.

* Jam alibi monui, rursúsque moneo, Eugenium, cùm revocanda fuit Bulla hæc, dixisse illam nesciente se editam fuisse, sed istud non impediit, quo minus Bullam revocaverit, seu quia Concilium Eugenio ea super re fidem nullam habuit, seu quia in omnem eventum & ad majorem cautelam Eugenius revocandam esse censuit: Quò facilius pax inter illum & Concilii Patres redintegraretur. Quidquid in causa, certum est Eugenium revocasse Bullam perinde, ac si sciente ipso edita fuisset, & suam revocando fecisse, & eam ob causam quidquid ex ea colligimus, & rectè colligi &
42 appositè. Pudebat Eugenium Bullæ, in qua cùm se super omnia Concilia potestatem habere pronuntiaret, non obscurè significabat se potuisse, Concilium sine Patrum assensu Bononiam transferre, contrà quàm Basileensis Synodus in primis sessionibus consentiente Legato decreverat. Et hæc erat causa dissidii, quod tunc componebatur, & ut citiùs componeretur, Pontifex qui variis premebatur angustiis, nesciente se Bullam editam fuisse dixit, & illam perinde ac suam continuò revocavit. Qui rem aliter intelligunt, vitiligatores agunt, & nodum in scirpo quærunt. Dandum est aliquid Pontifici, cui cùm Bononiam transferre voluit Concilium, fraudulenter obreptum fuerat. Hæc & similia cùm ei morituro veniret in mentem, is lamentabili voce deplorans seipsum, dixit: *O Gabriel, quantò magis conduxisset animæ tuæ saluti, ut nunquam Cardinalatum, nec Pontificatum obtinuisses, sed in tuo monasterio religiosam disciplinam coluisses!* Apud Odoricum Rainaldum in Annalibus Ecclesiasticis.

Igitur Academiæ, loca, populi omnes apud Latinos, Concilium ab Eugenio IV. confirmatum, atque adeò ipse Eugenius, negant Romano Pontifici id genus inesse privilegii, quod Eudæmonjoannes illi per errorem & adulationem summam attribuit.

Orientales Academiæ

OCcurrunt mihi nullæ, sed in earum locum succedit Orientalis Ecclesia, quæ in Florentinam Synodum confluxit & conjuncta est. Cùm habita est nona sessio, Bessarion Orientalis Ecclesiæ sententiam
43 sic exponit: *De potestate Occidentalis Ecclesiæ multa dicenda suppeterent, nisi aliud nobis esset propositum. Et scimus quidem quæ sint jura & prærogativæ Romanæ Ecclesiæ, nihilominus scimus etiam, quos terminos habeant. Nosse tamen volumus reverentiam vestram à nobis facultatem hanc* (addendi Symbolo) *negari universæ Ecclesiæ, & Synodo vel etiam œcumenicæ, non tantùm Romanæ Ecclesiæ. Quoniam igitur quantacunque facultate polleat Romana Ecclesia, minus tamen pollet Synodo œcumenica & universali Ecclesia, si nos id universali negamus Ecclesiæ, multo magis negabimus Romanæ.* At si Orientalibus arbitris Romana potestatis minus habeat, quam universalis Ecclesia vel œcumenica Synodus, indeficientis judicii privilegio nullo frui debet. Quia si tali frueretur privilegio, nisi potestatis plus haberet, certè tantundem haberet. Quod illi, ut apparet, pernegant.

Orientales sequebantur traditionem majorum, qui Honorium I. Papam hæreseos in Synodo VI. damnaverant. Id præter Synodi acta Hadrianus II. testatur in epistola, quæ in octavæ Synodi actione VII. & lecta & approbata est: *Licèt Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super hæresi accusatus fuerat, propter quam solùm licitum est minoribus majorum motibus resistere, vel pravos sensus liberè respuere. Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas.*

Hoc ipsum invictè confirmat Agatho Diaconus in Actorum sextæ Synodi peroratione, quæ sic incipit: 44
Peccator ego ac omnium minimus Agatho, indignus Diaconus, ac sanctissimæ hujus magnæ Dei Ecclesiæ Scriniorum Thesaurarius, venerabilisque Patriarchalis Secreti Protonotarius, ac secundus Cancellarius, ante triginta duos plus minus annos, juvenilis adhuc ætate Lectorum ordini accensus, ac inutilis notarius agens, sanctæ huic & universali sextæ Synodo operam commodavi, universa in ea mota, quæsitáque ordine assectatus, unà cum sancto Paulo, hujusce deinceps urbis Archiepiscopo & Patriarcha, hactenus laico & Imperatori à secretis, ac aliis quibusdam. Omnes porro tomos Actorum præfatæ Synodi, mundo codice, propria ipse manu Ecclesiasticis literis consignavi, qui & sub signaculis unà cum fidei definitione, quam sancta eadem Synodus palam edidisset, Patrum subscriptione munita, in Imperatoris palatio fuerunt repositi, ac tutò servati. Quin & quoque Patriarchalibus Sedibus tradita, definitionis ejusdem eadem Patrum subscriptione munita exemplaria eodem conscripsi modo, ita jubente piæ recordationis Imperatore Constantino ac sic fieri præcipiente, quò fides orthodoxæ sinceritas atque veritas nullis pateret insidiis. Et paullo pòst de tyranno Bardane: *Is, mero placito, Philippici nomine assumpto, cùm inde improvisus, regiæ huic urbi, unà cum eum secuta classe, nec non comite armato exercitu, à quo fuerat creatus Imperator, repente ingruisset, olim animo insitam, nedum habens paternæ doctrina, ac traditione, uti dicebat ipse, acceptam, sed prava institutione ascitam, execrabilem omnino sacræ huic ac œcumenicæ sextæ Synodo contrariam hæresim, ut qui à puero, ubi tulisset occasio, discipulum egisset Stephani Abbatis, qui ipse discipulus fuit Macarii:* 45
Is inquam, statim ac nulla mora, Imperiali potestate ac auctoritate usus, ante suum ipsius ingressum, sanctæ ejusdem Synodi sextæ imaginem ab annis jam aliquot propè ac inter quartam sextámque scholam, in Imperialis palatii vestibulo expositam dejici jussit, alioquin inquiens, non sustinens ingredi in regiam non suam, nisi ita priùs res habuisset: Id propterea auctoritate decernens, ut Sergii HONORIIque *& cæterorum pariter, ab eadem sancta ac œcumenica Synodo ejectorum, ac anathemati subjectorum nomina in sacra sanctissimarum Ecclesiarum Diptycha præconio publico referrentur, eorúmque per loca imagines erigerentur.* Damnatus igitur sine dubio fuit à Synodo VI. Honorius, & illius nomen è sacris Ecclesiarum Diptychis & imago è templis sublata est, cùm Philippicus Bardanes hæresi Monothelitarum imbutus Honorii nomen in sacra Ecclesiarum Diptycha referri & imaginem rursus in templis apponi curavit. Porro ad Agathonis testimonium si benè percipitur, Baronii & Bellarmini, & utrinsque exscriptorum, qui acta sextæ Synodi vitiata esse pugnant, conjecturæ non possunt non extabescere. Baronius & Bellarminus excusandi videntur, quòd Agathonis peroratio edita illorum tempore non erat. Jam annus tantùm agitur decimus octavus postquam Agathonis opusculum Franciscus Combefius ex Ordine Prædicatorum Theologus in lucem emisit.

Quinta Synodus damnavit tria Capitula, quæ Vigilius Papa in suo ad Justinianum Imperatorem consti- 46
tuto auctoritate sua tota defenderat. In iis Capitulis quæstiones erant duæ, quæ doctrinam attinebant; hæreticorum post mortem damnatio, & Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam epistola. Pugnabat Vigilius Theodori Mopsuesteni Episcopi hæresim damnari posse, & eam ipse damnabat; sed auctorem, quia dudum mortuus erat, damnari non posse, ratus Ecclesiæ potestatem supra mortuos non extendi: Quod auctoritate Gelasii Papæ confirmat. Deinde Ibæ epistolam orthodoxam esse judicabat.

Nam postquam Vigilius multa pro defendenda Ibæ

epist. congessit, ita concludit: *Et quia nobis de Ezechielis Prophetæ verbis objicitur illud, quod ad Sacerdotes Jerusalem malum à bono non discernentes ex persona Domini dicebat: Sacerdotes ejus spernentes legem meam coinquinaverunt sancta mea, inter sanctum & pollutum non secernebant, debet vestra pietas pariter nobiscum & universorum corda fidelium, ex his verbis advertere: Ideo nos non audere Calchedonensis Synodi retractare judicium, ne ibidem considentibus Sacerdotibus ista, quod absit, ab hæreticorum infidiis macula inuratur, ut eos inter sanctum & pollutum, & inter mundum mundi & immundi non potuisse discernere criminentur, si nos modò causas ejusdem sanctæ Synodi cum consensu Sedis Apostolicæ judicio terminatas, sub qualibet occasione viderent retractare. Propterea ergo discretionem atque judicium sanctorum Patrum nos in omnibus conservantes, & rerum omnium dispositionem secundùm eam, quam reddimus rationem ex Calchedonensi Synodi judicio declaratam, cùm*
47 *satis apertissima luceat veritate, ex verbis epistolæ viri venerabilis Ibæ rectissimo & piissimo intellectu perspectus, & ex gestis apud Photium & Eustathium habitis, & ex ipsius Ibæ Episcopi præsentis à præsentibus intentione discussa, Patres nostros in Calchedone residentes justissimè orthodoxam ejusdem viri venerabilis Ibæ Episcopi pronuntiasse fidem, & reprehensionem beati Cyrilli, quam hujusmodi per errorem intelligentiæ evenisse cognoverant, congrua satisfactione purgatam, præsentis sententiæ nostræ auctoritate statuimus atque decernimus, cùm in omnibus, tum etiam in sæpiùs memorata venerabilis Ibæ epistola intemeratum Patrum in Calchedone residentium manere judicium. Nec quemquam ad ordines & dignitates Ecclesiasticas pertinentem hoc nostro constituto permittimus aliquando præsumere, vel super ejusdem epistolæ negotium, vel aliis in Chalchedonensi Concilio consensu Vicariorum Sedis Apostolicæ judicatis, ordinatis, definitis atque dispositis tanquam imperfectis & reprehensibilibus, sive per additamentum, sive per diminutionem, sive per immutationem, vel quoquo modo aliquid temerariæ novitatis inferre.*

Orientales in Synodo V. Theodorum mortuum damnarunt, & ei anathema dixerunt, arbitrati claves Ecclesiæ ad mortuos usque pertinere: *Siquis* (inquiunt in Collationis VIII. capite XII.) *defendit prædictum impium Theodorum, & impia ejus conscripta, in quibus tam prædictas quàm alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum & Salvatorem Jesum Christum, & non anathematizat eum, &c. talis anathema sit.*

Tum Ibæ epistolam ut hæreticam abjicerunt: *Siquis* (capite XIV.) *defendit epistolam, quam dicitur*
48 *Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum Verbum de sancta Dei genitrice semper Virgine Maria incarnatum hominem factum esse; Dicit autem purum hominem ex ipsa natum esse, quem templum vocat, ut alius sit Deus Verbum, & alius homo, & sanctum Cyrillum, qui rectam Christianorum fidem prædicavit, tanquam hæreticum, & similiter Apollinario impiè scripsisse criminatur, & inculpat primam Ephesinam Synodum, tanquam sine examinatione & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim Capitula sancti Cyrilli impia & contraria rectæ fidei vocat eadem impia epistola, & defendit Theodorum & Nestorium, & impia eorum dogmata & conscripta: Siquis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam & defensores ejus & eos, qui dicunt eam rectam esse vel partem ejus, & eos qui scripserunt vel scribunt pro ea, vel pro impietate quæ in ea continetur, & præsumunt eam defendere, vel infertam ei impietatem nomine sanctorum Patrum vel sancti Calchedonensis Concilii, & in his usque ad mortem permanent, talis anathema sit.* Quo modo & quibus verbis omne Vigilio indeficientis judicii & non errandi privilegium detrahunt. Quis negare auderet? Pelagius II. & Gregorius I. & alii postea Pontifices consenserunt Orientalibus, cùm in Synodum V. jurare cœperunt.

Dionysius Alexandrinus ad Sixtum Papam Stephani successorem & ad Philemonem Romanum Presbyterum scribit, sed in iis, quæ apud Eusebium in libri VII. historiæ capite IV. & VI. scribit, haud significat, Romanum Episcopum non errandi privilegio gaudere. Sic autem in priori loco scribit: *Stephanus an-* 49
tea scripserat epistolam de Helene, de Firmiliane, de omnibus Episcopis, qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ; quòd neque cum illis quidem ob eam causam omnino communicare vellet. Nam illi, inquit, hæreticos rebaptizant. Rei igitur magnitudinem attenta cogitatione complectere: Decreta enim in maximis Episcoporum Conciliis, sicut audio, facta fuerunt, ubi qui ab hæresi impietate recedunt, debeant primùm in fide instrui. Deinde veteris & impuri fermenti eluvie & sordibus ablui, purgarique, atque ut pro his omnibus Episcopis illum deprecarer, epistolam scripsi. In posteriori vero sic: *Hoc tamen didici, quòd non Episcopi in Africa solùm istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis jam invexerunt. Verumetiam longe tempore antè Episcoporum memoria, qui antegressi sunt, in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis fratrum tum Iconii, tum Synadis, tum aliis multis in locis convocatis, istud decretum fuit: Quorum judicia & sententias condemnare, irritásque facere non audeo, sicque illos in odium & invidiam conjicere. Terminos, ut est apud Salomonem, ac fines proximi tui non commutabis, quos patres tui præstituerunt.* Hæc opinor non ita scripsisset Dionysius, si Stephanum indeficienti judicio fecisse, quod sic fecisse dicitur, existimasset. Iis quos Stephanus à communione sua sejunxerat, apertè favet, & Stephani factum coarguit his verbis: *Quorum* (Episcoporum & Synodorum) *judicia & sententias condemnare, irritásque facere non audeo, sicque illos in odium & invidiam conjicere. Terminos, ut est apud Sa-* 50
lomonem, ac fines proximi tui non commutabis, quos patres tui præstituerunt. Dionysium Alexandrinum ad Cypriani sententiam accessisse testatur Hieronymus in libri de Viris illustribus capite LXXVIII. *Hic in Cypriani & Africanæ Synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas, quæ usque hodie extant.* Res hæc per se ipsa manifesta est.

Asianorum præsulum cum Victore Papa contentio perspicuè demonstrat tunc maximè ignotum fuisse in Romano Pontifice indeficientis judicii privilegium. Contentionis hujus monumenta suppeditat Hieronymus, cum in libri de viris illustribus cap. LIV. de Polycrate sic scribit: *Polycrates Ephesiorum Episcopus cum cæteris Episcopis Asiæ, qui juxta quandam veterem consuetudinem cum Judæis decima quarta Luna Pascha celebrabant, scripsit adversus Victorem Episcopum Romanum epistolam Synodicam, in qua docet se Apostoli Joannis & veterum auctoritatem sequi: De qua hæc pauca excerpsimus. Nos igitur inviolabilem celebramus diem, neque addentes aliquid, neque demenses. Etenim in Asia elementa maxima dormierunt, quæ resurgent in die Domini, quando venturus est de cœlis in Majestate sua, & suscitaturus omnes sanctos. Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormivit Hierapoli, & duas filias ejus, quæ virgines senuerunt, & aliam ejus filiam, quæ Spiritu Sancto plena in Ephese occubuit. Sed & Joannes, qui super pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus, auream laminam in fronte portans, martyr & doctor in Ephese dormivit. Et Polycarpus Episcopus & martyr Smir-* 51
næ cubat. Thraseas quoque & martyr de Eumenia in eadem Smirna requiescit. Quid necesse est Sagaris Episcopi & martyris recordari, qui in Laodicea soporatur, & Papyrii beati & Melitonis in Sancto Spiritu Eunuchi, qui semper Domino serviens, positus est in Sardis, & exspectat in adventu ejus resurrectionem? Hi omnes observaverunt Paschæ diem decimaquarta Luna, ab Evangelica traditione in nullam partem declinantes, & Ecclesiasticum se-

quentes canonem. Ego quoque minimus omnium vestrum Polycrates secundùm doctrinam propinquorum meorum, quos & secutus sum (septem quidem fuerunt propinqui mei Episcopi & ego octavus) semper Pascha celebravi, quando populus Judæorum azyma faciebat. Itaque fratres sexaginta quinque annos ætatis meæ natus in Domino, & à multis ex toto orbe fratribus eruditus, peragrata omni Scriptura, non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerunt enim majores mei: Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus. Hæc propterea posui, ut ingenium & auctoritatem viri ex parvo opusculo demonstrarem. Quid est hoc, *non formidabo eos qui nobis minantur?* Nonne verba hæc innuunt Polycratem & alios Asiæ Sacerdotes nullum agnoscere in Victore non errandi privilegium? Quid est hoc: *Dixerunt majores mei: Obedire Deo magis oportet, quàm hominibus?* Nonne verba hæc ostendunt Polycratem & alios Asiæ præsules Victori nullam indeficientis judicii prærogativam deferre? Cæterùm Hieronymus cùm Polycratis factum non improbat, probare videtur.

Ad Asianos accedit Asianus genere, sed Ecclesiasti-
52 ca dignitate Gallus Irenæus, ut apud Eusebium in libri V. historiæ capite XXIV. narratur: *His rebus adductus Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei & opinionis simul omnes (ut complectar brevi) à communi unitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per literas graviter invehitur: Atque adeò omnes fratres eam incolentes regionem prorsus à communione secludendos edicit. Verùm ista cæteris omnibus parum placebant Episcopis: Illum igitur contrà magnopere adhortabantur, ut pacis, concordiæ, & charitatis erga proximos diligentem curam haberet. Quorum verba utpotè Victorem acriùs & acerbiùs coarguentium scriptis prodita adhuc extant. Inter quos Irenæus quanquam per literas scriptas ex persona fratrum in Gallia, quibus præerat, tradit mysterium resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc videlicet, ne tam multas Ecclesias omnino propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatæ observationem à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputet, cùm pleraque alia, tum ista quæ sequuntur, appositè & convenienter admonet, his ferè verbis: Non enim de die Paschatis tantùm, sed etiam de jejunii ratione & modo est ista constituta controversia. Quidam namque unum diem se jejunare oportere existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta, atque diurnis nocturnísque horis omnibus numeratis diem suam metiuntur, ac statuunt. Atque ejusmodi eorum, qui hæc observabant jejunia, varietas ac discrepantia, non jam nostra ætate cœpta est, verumetiam*
53 *longè antè apud majores nostros, qui ut conjectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata auctoritate aliquid in posterum tempus statuissent, observaverunt. Atque nihilominus, cùm isti inter se pacem tranquillam retinuerunt, tum nos etiam inter nos retinemus. Sicque varia ac discrepans jejunii ratio concordiam fidei plurimum commendat. His verò historiam quandam adjungit, quam hoc loco opportunè explicabo: Sic autem se habet. Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui tu jam præes, præficiebantur, Anicetum dico Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licèt neque ipsi hoc festum eo die, quo Episcopi Asiæ observarent, neque aliis post se ita observare permitterent, nihilominus tamen cum Episcopis illarum Ecclesiarum, in quibus ita observabatur, ad se accedentibus (Ac quid quæso magis repugnat, quàm ut hi hoc, illi illo modo observent?) pacem & concordiam inter se perpetuò retinuerunt, ac nunquam propter istum varium illius festi observandi modum fuere ulli aliquando ab Ecclesia ejecti: Sed Presbyteri illi, qui te anteiverunt ætate, tametsi minimè illud ita observabant; his tamen Episcopis, qui in aliis Ecclesiis idem sic observabant, Eucharistiam miserunt. Atque cùm beatus Polycarpus Aniceto Episcopatum administrante Romam adventaret, cúmque ille & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax fuit inter eos conciliata. Quin pro hoc festo observando, quod controversiæ caput videbatur, charitatis vincula nequaquam ruperunt. Neque tamen Anicetus Polycarpo poterat persuadere, ut suum observandi morem (quippe qui cum Joanne discipulo Domini nostri &* 54
cum reliquis Apostolis quibusdam multum versatus fuisset, eundem semper ad illum modum observasset) deponeret: Neque contrà Polycarpus Aniceto persuasit, ut consuetudinem Asiaticam (quippe qui morem presbyterorum, qui illum erant antegressi, debere sedulò retinere assereret) ullo modo observaret. Quæ cùm ita essent constituta, communicabant inter se mutuò, & in Ecclesia Anicetus, ritus qui in Eucharistia peragi solent, Polycarpo ob reverentiam videlicet, quam erga illum habebat, obeundi potestatem concessit, atque tandem cum pace alter decessit ab altero: Et omnes Ecclesiæ tum eorum, qui decimo quarto die festum Paschatis observabant, tum eorum, qui secus, placida pace & tranquilla inter ipsas fruebantur. Hieronymus Eusebium excipit in libri de viris illustribus capite XLIV. *Feruntur ejus* (Irenæi) *& aliæ ad Victorem Episcopum Romanum de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus commonet eum facile debere unitatem collegii scindere. Siquidem Victor multos Asiæ & Orientis Episcopos, qui decimaquarta Luna cum Judæis Pascha celebrabant, damnandos crediderat. In quam sententiam hi qui discrepabant ab illis, Victori non dederunt manus.* Hæc paullo longiora descripsi, quò meliùs pateret, Irenæum & alios Ecclesiarum præsides cùm Victoris factum sic improbant, non credere, Romanum Pontificem in decernendo talem esse, cui concessum sit non errandi privilegium. Quo nihil est certius. Orientales igitur vel Græci antistites, cujuscumque ætatis fuerint primæ, mediæ, postremæ, Romano Pontifici indeficientis judicii in fide & moribus privilegium abjudicarunt, cúmque in errores labi posse certò crediderunt. Quod Eudæmonjoannes & ipse Græ- 55
cus homo planè dissimulat.

Porro autem hìc unum mihi sumo, quod est certo certius, Irenæum, Polycratem, cæterósque Asiæ Sacerdotes, Dionysium Alexandrinum, Græcos Synodi V. & VI. Patres adferri nunquam posse, ut Eudæmonjoannis probetur de Romani Pontificis privilegio, non errandi sententia: Adferri verò legitimè posse, ut improbetur. Atque inde accidit, ut Theologi hujus placitum Orientalis Ecclesiæ suffragio careat.

Nunc tandem repetenda est ea, de qua sub initium sermo incidit,

Parisiensis Academia,

ET apertam in lucem prodenda, & diluenda est calumnia, quam hic auctor illi perperam impingit, & impingunt alii, quos subobscurè significat. Quam ergo propositionem adferunt, hæc est: *Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire.*

Et primò quidem scire te convenit, tractatum de quo excerpta est propositio hæc, anno MCCCLXXXVII. editum esse, quo Joannes Montesonus à Theologicæ Facultatis & Parisiensis Episcopi judicio provocavit ad Romanum Pontificem, Clementem VII. quem Gallia ut legitimum Gregorii XI. successorem habebat.

Deinde tractatum hunc causæ totius esse veluti conjectionem, in qua judicandi modus triplex statui-
tur; unus, qui Sedem Apostolicam; alter, qui Epis- 56
copos; tertius, qui Theologos respicit. In unoquoque judicandi modo proprium unicuique jus asseritur & probatur.

Tum demum Parisiensem Academiam in tractatu suo Romanum Pontificem ab Apostolica Sede, vel breviùs Sedentem à Sede distinguere, ut ipsa tractatus præfatio testatur: *Apostolicis verbis edocti, parati*

semper

semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est fide, ad tuitionem ejus, quam profitemur orthodoxiæ, & ut rationabilis quorundam errorum condemnatio Parisius nuper facta, & justificatio exorta super hoc causa, & adversantium omnium quæcumque fuit injusta, irrationabilisque conquestio, oblocutio, atque vexatio singulis innotescat, præsentem tractatum sub Apostolica Petri Sedis, & Sedentis in ea Summi Pontificis correctione duximus compilandum. Parisiensis igitur Academia Sedentem à Sede distinguit: Sed cùm agitur de judicandi forma, plus Sedi, quàm Sedenti tribuit, ut ex allata propositione liquet.

Nunc conveniendus est Eudæmonjoannes, qui plus Sedenti, quàm Sedi tribuit. Sic enim scribit: *Pontifex Summus in dijudicandis fidei causis ac moribus toti Ecclesia præscribendis nec falli potest, nec fallere.* Et tamen Parisiensem Academiam in suum sensum pertrahere conatur. Qua in re bonæ fidei requiro nonnihil.

Deinde fucum facit, aut patitur, cùm allatam propositionem non satis expendit. In ea judicialis auctoritas suprema, quæ Sedi Apostolicæ tribuitur, suprema quidem est respectu Episcoporum, non respectu
57 generalis Concilii, quod Parisienses supra Romanum Pontificem, & Sedem Apostolicam statuunt. Judicialis auctoritas illa suprema est comparatè, non simpliciter. Quamobrem ibi dicitur, *judicialiter definire*, non *infallibiliter definire*. Hæc omnia advolabunt ad oculos, si propositio prima hæc; *Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire*, cum ista propositione secunda; *Ad Episcopos Catholicos pertinet auctoritate inferiori & subordinata circa ea, quæ sunt fidei, judicialiter definire*, contendatur. Sedis Apostolicæ auctoritas judicialis suprema Episcoporum auctoritati inferiori & subordinatæ opponitur, non verò generalium Conciliorum auctoritati, quæ à Parisiensibus inferior & subordinata nec diceretur, nec dicta est unquam. Cùm autem in utraque propositione reperiantur verba duo hæc, *judicialiter definire*, hinc luculenter ostenditur, *judicialiter definire*, non esse, *infallibiliter definire*. Alioquin Episcopi seorsum à Concilio infallibiliter definirent.

Præterea Eudæmonjoannes, si tractatum quem laudat, legisset integrum, Parisiensem Academiam in præteritis reliquisset. Legere quidem non potuit, quia necdum editus est. In eo cùm alia, tùm maximè duo sunt loca, ex quibus quod mox animadverti, compertum redditur. Alter est in articulo 1. Conclusionis VI. ubi sermo de Facultate Theologiæ & Joanne XXII. instituitur: *Item prædicta Facultas hoc licitè potuit contra Summum Pontificem. Igitur à fortiori contra suum subditum & inferiorem* (qualis est Joannes Montesonus, cujus assertiones Facultas Theologiæ damnaverat.) *As-*
58 *sumptum patuit Joannis XXII. tempore: Quia sicut refert magister Nicolaus de Lira in tractatu suo de Visione beatifica ferè quadraginta dicta Facultatis magistri concorditer determinarunt contrariam illius, quod Papa publicè asserebat. Et simile fecit dictus magister. Et similiter pulchrè contra eum scripsit magister Guillelmus Okam, ut patet in ejus Dialogo: Quæ omnia quoad hoc fuerunt reputata licitè facta, sicut apparuit tempore Benedicti XII. illius successoris.*

Alter verò habetur, cùm post alia Montesoni errores recensentur: *Tertiò dicendum est, quòd illud, quod dictus frater ad sua appellationis fundamentum principaliter assumit, scilicet, quòd solius Sedis Apostolica est declarare, damnare & reprobare; Et iterum, quòd eorum, quæ tangunt fidem, ad solum Summum Pontificem pertinet examinatio & decisio: Hoc, inquam continet manifestam hæresim, & est dictum sibi ipsi repugnans & contrarium: Et ideo propter hoc solum, si nihil aliud erroneum dixisset, Romana Ecclesia ipsum deberet cogere ad revocandum.*

PRIMA RATIO.

Et istud declaratur 1. Supponendo, quid sit Sedes Apostolica. Nam ipsa vel est universalis Ecclesia, vel aliquod generale Collegium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia Romana, in qua scilicet Ecclesia sedet, id est, cui præsidet Summus Pontifex, & ideo ipse & Sedes Apostolica non sunt idem: Sicut non sunt idem Sedes & Sedens. Ex quibus clarè patet, si ad solam Sedem Apostolicam pertinet circa fidem declarare, vel reprobare, quòd ad solum Summum Pontificem hoc non pertinet, & contrà si ad solum Summum Ponti- 59
ficem pertinet eorum quæ sunt fidei examinatio & decisio, hoc ad solam Sedem Apostolicam non pertinet, quòd in illo dicto est manifesta repugnantia.

SECUNDA RATIO.

Item hoc tertium dictum manifestè repugnat primo dicto, ubi asseris, quòd Stephanus Episcopus Parisiensis & Facultas Theologiæ approbarunt doctrinam sancti Thomæ. Ex quo sequitur, quod nec ad solam Sedem Apostolicam, nec ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ sunt fidei, declaratio, decisio, vel approbatio.

TERTIA RATIO.

Item secunda pars illius dicti, scilicet, quòd ad solum Summum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio & decisio, continet manifestam hæresim, imò multas hæreses.

PRIMA HÆRESIS.

Primò, quia per illam exclusionem excluditur universalis Ecclesia, & generale Concilium eam repræsentans, quod est hæreticum, quia in causis fidei à Summo Pontifice appellari potest ad Concilium, sicut patet 19. dist. capite Anastasius. Et manifestum est, quòd ad ipsum pertinet Concilium in causis fidei definire, sicut patet ex auctoritate Gregorii 15. dist. Capitulo sicut.

SECUNDA HÆRESIS.

Secundò per illud excluditur Sedes Apostolica, ut dictum est, quod est contra ipsum & est manifestè hæreticum.

TERTIA HÆRESIS.

Tertiò excluduntur Episcopi Catholici ab omnimoda 60
cognitione, examinatione, & decisione eorum, quæ sunt fidei, quod est contra jus tam Divinum, quàm humanum, sicut clarè patet secunda Conclusione: Quæ ante omnia hæc sic se habet:

Ad Episcopos Catholicos (seorsum à Concilio) *pertinet auctoritate inferiori & subordinata circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire. Et hoc probatur: Quia ad eos pertinet auctoritate judiciali inferiori & subordinata in fide definire, ad quos pertinet consimili auctoritate Ecclesiam regere, sed ad Episcopos Catholicos pertinet secundum, ergo & primum. Major patet, quia Ecclesiæ regimen maximè concernit fidem, & ideo cui jure divino committitur Ecclesiam regere, ei eodem jure committitur de fide cognoscere & judicare. Sed minor probatur auctoritate Pauli Actorum 20. cap. ubi dicit: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, &c. Unde patet, quòd jure divino & auctoritate Spiritûs Sancti Episcopi positi sunt ad regimen Ecclesiæ Dei. Regimen autem importat judicialem auctoritatem. Ergo sequitur quòd ad eos pertinet auctoritate judiciali inferiori subordinata, id est, supremæ auctoritati subjecta Ecclesiam regere, & per consequens de fide cognoscere, & in ea definire. Unde quòd de tali regimine ad fidem pertinente loquatur Apostolus, ex hoc patet, quòd ibi hortatur Episcopos adversus hæreticorum fidem subvertentium nequitiam vigilare: Nam immediatè sequitur: Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, & exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos*

post

post se, propter quod vigilate. Et ideo exemplo Pauli
61 *Summus Pontifex & Concilium generale sub gravium commonitione pœnarum ad vigilem hæreticæ pravitatis expurgationem alios hortantur Episcopos. Unde extra de hæreticis Cap. Excommunicamus, in fine, sic concluditur: Si quis enim Episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius, alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere pravitatem. Hæc autem facere non posset Episcopus, nisi haberet hac in parte judiciariam auctoritatem, & ideo ibidem præmittitur, quod Episcopus debeat hæreticos ad suam præsentiam convocare & canonicè punire.* Et paullo post:

Ex quibus omnibus satis patet, quòd tam jure divino quam humano ad Episcopos pertinet hæreticos & pravitatem hæreticam judicare, & per consequens assertiones hæreticas condemnare judicialiter, & auctoritate judiciaria veritates Catholicas definire. Ex Manuscripto Cod. Navarrici Collegii in Parisiensi Academia.

Hæc si vidisset omnia Eudæmonjoannes, intellexisset facilè, quo modo capienda sit illa Parisiensis Academiæ propositio, quam pravum in sensum interpretatur. Quod igitur illa omnia non viderit, nec forsan videre potuerit, excusandus esse mihi videtur: Sed quòd non legerit, quid Petrus Alliacus laudati à se tractatus auctor præcipuus hac de re senserit, excusari vix potest. Legere debuit quæ ille in tractatu de auctoritate Ecclesiæ semel, iterum, & tertiò hac de re scripsit. Semel quidem in tertiæ partis capite 1 *Confirmatio in fide, de qua dicitur, quod Ecclesia non potest*
62 *errare juxta illud: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, illa non est in Papa, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, cùm ipse erraverit, sed de fide Ecclesiæ, de qua dicitur, Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, scilicet Ecclesiam. Non enim dictum est adversus te, scilicet Petrum. Igitur speciale privilegium est, & singularis auctoritas Ecclesiæ, quod non potest errare in fide.*

Iterum in cap. 11. *Sextò ex præmissis sequi videtur secundùm aliquos, quòd falsa est quorundam Juristarum opinio dicentium, quòd in Concilio generali Papa duntaxat judicat & diffinit, & si eo præsente ibi aliqua statuerentur, Concilium nihil statuit, sed suadet, & consulit, nec Papa tenetur sequi deliberationem vel suasionem Concilii; Sed quòd standum videretur sententiæ Papæ, si contradiceret Ecclesiæ vel Concilio: Patet, quia universalis Ecclesia à Christo, & non à Papa hoc privilegium auctoritatis habet, quòd in fide errare non potest. Et hanc etiam auctoritatem secundùm aliquos habet Concilium universalem Ecclesiam repræsentans: Sed talem auctoritatem non habet Papa, cùm errare possit in fide: Ergo in hoc major est auctoritas Concilii vel Ecclesiæ, quàm Papæ: Unde oppositum dicere, multis esset hæreticum, & ex juribus malè intellectis erroneè conclusum.*

Tertiò in cap. IV. *Tertiò hanc auctoritatem habet universalis Ecclesia, ut dictum est, quòd in fide errare non potest: Et hoc nec mediatè nec immediatè à Papa dependet, quia id non habet.*

Deinde legere debuit sermonem 11. quem de Adventu Domini coram Constantiensi Concilio habuit
63 anno MCCCCXVII. *In antiquis Conciliis & maximè approbatis hujusmodi verba leguntur: Placuit sancto Concilio, vel sanctum Concilium diffinivit, vel statuit sanctum Concilium: Papa etiam quandoque dicit, Auctoritate Concilii diffinitum est.* Et relato Apostolorum Concilio Actor. XV. subjicit: *Ex quibus patet, quòd auctoritas decernendi & diffiniendi non est attribuenda soli Pontifici, sed toti Concilio generali: Unde manifestè reprobatur error quorundam perniciosissimus & toti Ecclesiæ periculosissimus, qui adulando potestati Papali ita detrahunt auctoritati sacri Concilii, ut dicere præsumant, quòd Papa non potest necessariò sequi deliberationem Concilii, imò standum esse sententiæ Papæ, si Ecclesiæ vel generali Concilio contradicat.*

In his autem locis omnibus evidenter apparet Cardinalem hunc virum & doctum & probum in ea esse sententia ut certò credat Romanum Pontificem in fide errare posse.

At si Eudæmonjoannes causetur ad manum non habuisse se Cardinalis hujusce Commentarios aut sermones, quod semel editi sint, & ideo inveniantur rariùs, id causari neutiquam potest de Gersonis operibus, quæ sæpius typis mandata sunt. Gersonem verò Alliaci discipulum fuisse nemo nescit, & eam ob causam tractatui quo de agitur, cùm ederetur, interesse potuit.

Rem igitur Gerso sic explicat & secundum Facultatis nostræ traditionem decidit in opusculo, quod *de doctrinarum examinatione* inscribit, ubi doctrinarum examinatores varios exequitur, & consideratione prima generale Concilium ita ponit.

Examinator authenticus & finalis Judex doctrinarum 64
fidem tangentium est generale Concilium. Deducitur hæc consideratio primitus auctoritate generalis Concilii Constantiensis, cui fortè par in duratione nullum fuit. Forma decreti sui satis habetur, & posita est in tractatu de potestate Ecclesiastica, & in opusculo, an liceat appellare à Papa. Sumitur insuper ab Evangelio cum ratione talis confirmatio. Christus fuit supremus & optimus institutor Ecclesiæ non deficiens in necessariis, qui & dixit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Oportuit igitur in Ecclesia relinquere regulam infallibilem pro fide servanda, & dubiis emergentibus terminandis. Non autem reperitur in terris altera talis infallibilis regula, nisi generale Concilium legitimè congregatum. Nam persona qualibet singularis de Ecclesia, cujuscunque dignitatis etiam Papalis, circundata est infirmitate, & deviabilis est, ut fallere possit & falli. Propterea non imparem posuit Augustinus auctoritatem in Ecclesia & in Evangelio, dicens: Non crederem Evangelio, nisi auctoritas Ecclesiæ me commoveret.

Deinde consideratione secunda: *Examinator juridicus doctrinarum fidem tangentium Papa supremus est in terris post generale Concilium, vel cum ipso. Deducitur auctoritate canonum cum ratione morali præsupposita fide. Quoniam supremus in omni politia jus habet dubia circa politiam emergentia determinare: Vel interpretari, vel declarare cum oppositione pœnarum in rebelles. Hoc autem est judicium auctoritativum: Diceret aliquis, Non oportet ità fieri, cùm Papa sit deviabilis. Non enim est magis confirmatus, quàm Petrus erat. Unde*
reprehensus est à Paulo, eo quòd non rectè ambularet ad 65
veritatem Evangelii. Confirmat hæc objectio considerationem præcedentem, sed plus infert, quàm oportet. Neque enim potest assiduè Concilium generale haberi præsentialiter pro decisione dubiorum. Nec expediret passim ita fieri. Supremus autem in Ecclesia faciliter aditur, qui si nollet omnino pertinaciter ea, quæ sunt fidei declarare, vel erraret declarando, superest judicium Concilii. Porro non sequitur: Papa potest definiendo fallere vel falli; Igitur non est judex idoneus, sicut in aliis patet instantiis. Concluditur tamen ex hac radice duplex veritas: Prima, quòd determinatio solius Papæ in his, quæ sunt fidei, non obligat, ut præcisè est talis, ad credendum, alioqui staret in casu, quòd quis obligaretur ad contradictoria, vel ad fidem contra fidem: Secunda veritas, quòd sententia Papæ ligat omnes fideles ad non dogmatizandum contrarium, nisi per illos vel apud illos, qui manifestum contra fidem deprehendunt errorem, & scandalum grande fidei suo silentio fieri, si non opponerent se, cognoscunt. Quod si fieret prosecutio sententiarum & pœnarum contra eos, sciant beatos esse, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Superest quoque remedium Concilii generalis, cujus finalis, auctoritativa, judicialisque potestas fundata est indestructibiliter in illo verbo Christi de correctione fraterna: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Cui legi haud dubiè subest Papa, licèt hactenus multis hæ veritates non placeat propter inordinatum favorem ad Sum. Pontificem,

vel scripta ejus malè suscepta, plusquam ad Christum & Evangelia. NUNC AUTEM OPPOSITA FALSITAS EST
66 HÆRESIS *expressè damnata per Concil. Constantiense cum aliis multis in utilitatem totius Christianæ religionis.*

In his duabus considerationibus continetur verborum, quæ minùs rectè intellecta Eudæmonjoannem & alios fefellerunt, explicatio. Hæc verba sunt in propositione, quam Eudæmonjoannes adducit: *Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate suprema judicialiter circa ea, quæ sunt fidei judicialiter definire.* Hoc ipsum Gerson asserit in Consid. 11. *Examinator juridicus doctrinarum fidem tangentium Papa supremus est in terris.* Et quamvis hoc asserat, non desinit tamen Papæ non errandi privilegium abjudicare. Præterea Gerso dicit, *Examinator juridicus supremus,* sed non dicit, *finalis,* ut nec Facultas quoque dicit in propositione, quæ mox relata est. Per verbum hoc, *finalis,* inter Papam & generale Concilium discrimen statuitur. Generale Concilium doctrinarum fidem tangentium examinator seu judex est supremus & finalis vel ultimus. Romanus Pontifex doctrinarum fidem tangentium examinator seu judex est supremus, sed non finalis vel ultimus; ac proinde falli potest. Atque hic est Facultatis Theologiæ Parisiensis sensus, quem Eudæmonjoannes percipere noluit, aut certè non percepit. Quod autem auctor iste Facultatis sensum non perceperit, aut noluerit percipere, Facultatis parum interest: Quòd verò Facultati peregrinum & alienum sensum affinxerit, Facultatis multum interest, cùm ea rei veritate, quam illa tuetur, tum quòd in tuenda veritate illa Romanæ Ecclesiæ traditioni consentit, & à pravis Romanæ Curiæ magistris abjungitur. Non ignoras receptum Facultatis no-
67 stræ sensum, quem exhibui, anno ab excessu Cardinalis Alliaci quarto, & ante Gersonis obitum mensibus tribus & diebus tredecim, publicis iterum monumentis consignatum & assertum fuisse. Res hæc sic se habet. Joannes Sarracenus ex Ordine Prædicatorum designatus in Theologia magister, errorem illum, quem Cardinalis Alliacus Constantiæ coram frequentissimo Ecclesiæ totius Senatu extinxerat, revocare atque excitare voluit. Quod ut assequeretur, in actu Vesperiarum, quemadmodum loqui mos est noster, lemma hoc, *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis in solo summo residet Pontifice,* ad defendendum proposuit. Facultas Theologiæ cùm id prospiceret, nefario Sarraceni consilio vehementer obstitit, & eum ad meliorem frugem reduxit. Sarracenus culpæ convictus lemma suum anno MCCCCXXIX. III. Calend. April. ejuravit, & contrariam illi veritatem sic asseruit: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis residet non in solo Summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto & Ecclesia Catholica.* Facultatis Decanus tunc erat Petrus Dierreius, vir prudentiæ singularis, Petri Alliaci quondam in Theologicis auditor, Gersonis condiscipulus & contubernalis qui intra sacratæ vetustatis castissimos limites perniciosæ curiositatis libidinem compressit, & explosa novitate traditam à majoribus doctrinam posteris consignandam esse censuit.

Hæc, quæ mox animadvertimus, unicuique Theologo facile fuit animadvertere, si duo præstanda sibi
68 esse duxisset: Primum quidem, sepositis non affectibus modò, sed opinionum etiam præjudiciis, ad intelligendam conclusionem, qua de agitur, accedere. Nam vir opinionum præjudiciis occupatus sibi omnia concinere ut cupit, ita & retur: Deinde cùm ita vacuus & liber fuerit, scriptores rei gestæ æquales vel suppares consulere, à quibus quod forsan obscurum est, illustrabitur. Apage Doctores illos, qui volaticis distinctionibus assueti certas quærendi & inveniendi veri leges negligunt, ut incommodis sibi auctoribus quem volunt sensum impertiant!

Porro autem quæ de variis Academiis copiosè retulimus & observavimus, demonstrant, Eudæmonjoannem, qui celebris est è Societate Jesu Theologus, neglexisse prorsus leges historiæ, cùm id dogma Catholicis Academiis omnibus & Parisiensi quoque tribuit, quod minime tribuendum fuit. Si per ignorantiam, ut plerique alii, tribuit, excusandus nonnihil; Si per malitiam, accusandus graviter; Si per assentationem, fœdum crimen servitutis damnandus est, ut occultus Sedis Apostolicæ inimicus. Nam Sedis hujus dignitas in solius veritatis professione consistit, non in adulatione vel mendaciis, quæ dignitatem illam deturparent.

Hoc Eudæmonjoannes dissimulat, de quo Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum monuerat Paulum III. cùm anno MDXXXVIII. illum his verbis alloquitur: *Beatissime Pater, tantùm abest, ut verbis explicare possimus, quàm magnas gratias Respublica Christiana Deo optimo maximo agere debeat, quod te Pontificem hisce temporibus ac Pastorem gregi suo præfecerit, eámque, quam habes mentem dederit, ut minimè speremus cogitatione* 69
eas, quas Deo gratias debet, consequi posse. Nam Spiritus ille Dei, quo virtus cœlorum firmata est, (ut ait Propheta) labantem, imò ferè collapsam in præceps Ecclesiam Christi per te restaurare, & huic ruinæ manum, ut videmus, supponere decrevit, eámque erigere ad pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere, certissimam Divinæ hujus sententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, UT NULLIUS, AUT COMMODI TUI, AUT CUJUSPIAM ALTERIUS HABITA RATIONE, *tibi significaremus abusus illos, gravissimos videlicet morbos quibus jampridem Ecclesia Dei laborat,* AC PRÆSERTIM HÆC ROMANA CURIA, *quibus effectum propè est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis, magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas tua Spiritu Dei erudita, (qui, ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu) probè noverat,* PRINCIPIUM HORUM MALORUM INDE FLUXISSE, *quòd nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt* SIBI MAGISTROS *ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio,* QUA LICERET ID, QUOD LIBERET: *Inde effectum est, præterquam quòd principatum omnem sequitur* ADULATIO, *ut umbra corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veritatis ad aures principum, quòd confestim prodirent Doctores, qui docerent, Pontificem esse dominum beneficiorum omnium, ac ideo cùm dominus jure vendat id, quod suum est, necessariò sequi, in Pontificem non posse ca-* 70
dere simoniam. Ita quod VOLUNTAS PONTIFICIS *qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: Ex quo proculdubio effici,* UT QUIDQUID LIBEAT, ID ETIAM LICEAT.

EX HOC FONTE, *Sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus, eam ad desperationem ferè salutis laborasse, & manasse harum rerum famam* AD INFIDELES USQUE. *Credat sanctitas vestra* SCIENTIBUS, *qui ob hanc præcipuè causam Christianam religionem derident, adeò ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur* INTER GENTES. *Tu verò Sanctissime Pater, & verè sanctissime, edoctus à Spiritu Dei, præter veterem illam tuam prudentiam, cùm totus in hanc curam incubueris, ut* SANATIS ÆGRITUDINIBUS *Christi Ecclesia tuæ curæ commissa bonam valetudinem recuperares, vidisti ac probè vidisti,* INDE INCIPIENDAM MEDICATIONEM, *unde primùm ortus est morbus, secutúsque doctrinam Pauli Apostoli vis esse dispensator, non dominus, & fidelis inveniri à Domino: Imitatus etiam servum illum, quem in Evan. Dominus præfecit familiæ suæ, ut det illis in tempore tritici mensuram. Ac propterea* DECREVISTI NOLLE *quod non liceat, nec vis posse, quod non debes. Idcóque nos ad te accersivisti, imperitos quidem, ac tam magno negotio impares, non parum tamen affectos cùm honori & gloriæ sanctitatis tuæ, tum præcipuè instaurationi Ecclesiæ Christi, ac gravissimis verbis injunxisti, ut omnes hos abusus colligeremus, tibíq; illos significaremus, obtestatus nos reddituros esse rationem hujus* 71

negotii nobis demandati Deo optimo, si negligenter ac infideliter ageremus. Atque ut omnia liberiùs inter nos tractari possent, tibique à nobis explicari, jurejurando nos destrinxisti; addita etiam excommunicationis pœna, ne cuipiam aliquid hujus nostri muneris proderemus. En malum execrandum & detestabile, quod nonnullorum magistrorum Curialium, Eudæmonjoanni similium adulatio, in Ecclesiam intulit, & quod non sine gemitibus & lacrymis legi potest! Sed hodierni Inquisitores aliquid faciunt, quod adnlationem illam superat: Sub excommunicationis pœna legi prohibent, quod Paulus III sub excommunicationis pœna fieri voluit. Proh nefas! Nam ut prohibitorio Indici liber adscribatur, omnino satis est, si in eo Concilium delectorum Cardinalium laudetur, quod tamen Paulus III. gratum ratúmque habuit, nec aliter habere potuit, cùm tam severè jusserit, ut Concilium fieret. Cui subscribunt viri omni exceptione majores: Gaspar Card. Contarenus, Joann. Petrus Card. Theatinus, Jacobus Card. Sadoletus, Reginaldus Card. Anglicus, Fredericus Arch. Salernitanus, Hieronymus Arch. Brundusinus, Joann. Matthæus Episc. Veronensis, Gregorius Abbas sancti Georgii Venet. Frater Thomas Magister sacri Palatii.

Et sanè si quod Eugenius IV. in Florentinæ Synodi proœmio sic affirmat, *Ubi ego sum cum Imperatore & Patriarcha, ibi est universa Christianorum Synodus, præsertim cùm adsunt Patriarchæ omnes & Cardinales nostri*, verum esset, præsules hi novem ob pietatem & eruditionem summam, qua pollebant, universale celebrassent Concilium. Car-
72 dinales quatuor Gaspar Contarenus, Joannes Petrus, Jacobus Sadoletus, Reginaldus Polus multa egregiè scripserunt. Fredericus Salernitanus & Hieronymus Brundusinus ambo Cardinales facti, egregiis operibus illustre nomen posteritati reliquerunt. Joannes Matthæus Constitutiones edidit, & Veronensem ita rexit Ecclesiam ut aliorum Episcoporum forma evaserit: an Abbas Gregorius, & Magister sacri Palatii aliquid elucubrati fuerint, necne, me præterit.

Quidquid sit de Eugenii IV. paradoxo Joannes Petrus Cardinalis Theatinus cùm Romanæ Ecclesiæ creatus est Pontifex, non mutavit sententiam: Immo verò cùm ad annum Christi MDLVII. Romæ disceptaretur, utrum ille posset solvere matrimonium, quod per verba de præsenti inter Franciscum Mommorantium & Joannam Halluynam Piennæam contractum fuerat, ingenuè fateri veritus non est, quòd ipse & decessores sui errare aliquando potuerant. *Non dubito*, inquit, *quin ego & decessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus.* Historiam perscribo in epistola ad Joannem Gerbasium, quæ est prima epistolarum nostrarum partis tertiæ.

Nunc fortasse dicet aliquis, Academias omnes, vel certè nonnullas mutasse sententiam. Si monumentis id certis non probaret, mentiretur: si verò probaret,

I. Opponendum illi esset, quod Tertullianus in libri de præscriptione hæreticorum capite XXXI. scribit: *Ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum & verum,*
73 *quod sit priùs traditum: Id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem.* Regulæ huic addenda est alia similis, quam in libri IV. contra Marcionem capite IV. tradit: *Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* Hæc palam loquuntur & perversi dogmatis convincerent, vel Academias, vel Academicos homines, qui sententiam mutassent.

II. Opponendum illi esset, quod beatus Hilarius in libro VI. de Trinitate scribit: *Tardè mihi hos pessimos, quantum ego arbitror, Doctores ætas nunc hujus sæculi protulit. Serò hos habuit fides mea quam tu erudisti, magistros.* Ut Hilarius Doctores & Magistros, de quibus loquitur, ob recentem ætatem respuit, sic & respuerentur Academiarum Doctores, qui à majoribus degenerarent, & ἀ-ψηφιδες accusarentur.

III. Opponendum illi esset, quod sanctus Basilius in epistola LXI. ad Antiochenam scribit Ecclesiam: *Fidem porrò nos neque ab aliis scriptam nobis recentiorem suscepimus, neque ipsi mentis nostræ sobolem tradere audemus, ut ne humana arbitrentur pietatis verba; sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annunciamus.* Sic antiqua Ecclesiæ placita recentiorum adinventionibus anteponit.

IV. Opponendum illi esset, quod beatus Ambrosius in libri ad Gratianum tertii capite VII. scribit: *Servemus igitur præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausi* 74
rudi temeritate violemus. His paucis vetustatem doctrinæ commendat, & profanæ novitatis conterit audaciam, & sugillat eos Academicos, qui doctrinam majorum deserrerent.

V. Opponendum illi esset, quod sanctus Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanum scribit: *Quisquis assertor novorum dogmatum quæso te ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est: cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescivimus?* Videntur hæc eo fine dicta, ut objiciantur iis, qui nunc aliter docerent in Academia sua, quàm majores docuerint. Nec prætermittendum est id, quod tradit in libro contra Luciferianos extremo: *Ex hoc ipso, quòd postea instituti sunt* (Marcionitæ, Valentiniani, Montenses, Campates) *eos esse judicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, cùm & Diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, & Scriptura non in legendo consistant, sed in intelligendo. Alioqui si literam sequimur, possumus nos quoque novum nobis dogma componere.* Sic qui in Academiis traditam à majoribus doctrinam abjicerent, eos utique redargueremus: Sic occurreremus rationum momentis, quæ de Scriptura fortasse depromerent, sed eam malè intelligerent, ut omnes malè intelligunt, qui novitates & hæreses in Ecclesiam inducunt.

VI. Opponendum illi esset, quod Bonifacius Papa I. scribit ad Rufum Thessalonicensem Episcopum in Romana Synodo, quæ anno MDCLXII. prodiit Romæ in
Collectione Romana bipartita: *Non est eorum ceden-* 75
dum studiis, quos novitas rerum, & indebita desiderium dignitatis accendit. Pontifex Curiales Magistros omnes hudiernos, & Bellarminum maximè percellit.

VII. Opponendum illi esset, quod sanctus Augustinus in libri II. de moribus Manichæorum capite X. scribit de appetitione novitatis: *Videtisne quomodo novitatis appetitio comite errore in magnas deducatur angustias?* Hoc objiceretur viris Academicis, qui à majorum traditione deflecterent.

VIII. Opponendum illi esset, quod beatus Capreolus Carthaginiensis Episcopus ad Ephesinæ Synodi Patres scribit: *Quibuscunque erroribus novis resistatis, ne hos, quos pridem impugnavit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes, Apostolica Sedis auctoritas, Sacerdotúmque in unam consonans sententia oppressit, secunda disputationis prætextu, vox jamdudum ablata revocare videatur.* Et paullo pòst: *Siquis ea, quæ jam olim dijudicata sunt, denuo in disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censetur, quàm de fide, quæ hactenus valuit, ipsemet dubitare.* Capreolus nihil intendit aliud, nisi ut rejecta novitate retineatur antiquitas, nisi ut quod erat olim traditum, servetur, & quod est adinventum nuper, explodatur, ut exploderetur, quod Academici quidam magistri contra majores tentarent.

IX. Opponendum illi esset, quod Celestinus Papa I. scribit ad Episcopos Galliæ: *Meritò causa nos respicit, si silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi. Non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res est, incessere novitas vetustatem.* A-
pud illos Academicos vetustatem novitas incesseret, si 76

relicta

relicta doctrinæ vetustate doctrinam novam amplecterentur; atque ita in hujus Pontificis reprehensionem incurrerent.

X. Opponendum illi esset, quod Celestini successor Sixtus III. ad Joannem scribit Antiochenum Episcopum: *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* In Sixtum peccarent Academici homines, qui novis opinionibus studerent, & majorum fidem & credulitatem abjicerent, & sese aliqua cœni permixtione, alienis nimirum dogmatibus polluerent.

XI. Opponendum illi esset, quod Vincentius Lirinensis adversus profanas hæreseon novationes scribit in Commonitorii I. capite III. *Antiquitatem sequemur, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est.* Iterum in capite IV. *Quid igitur faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptóque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.* Hæc cùm opponerentur Academiis, quæ à majorum sensibus recessissent, illæ penitus obmutescerent, & pudore suffunderentur.

XII. Opponendum illi esset, quod Facundus Hermianensis Episcopus in libri VII. capite VI. scribit:
77 *Nam & reipsa multum roboris ad auctoritatem addit antiquitas:* Nempe adversus illos, qui opiniones novas
inducerent.

XIII. Opponendum illi esset, quod Cassiodorus Senator in libri I. de Divinis nominibus capite XI. scribit: *Sanctissimi Patres injuriam recta fides non ferentes, regulas quoque Ecclesiasticas iidem statuere maluerunt, & inventores novarum hæresum pertinaces divino gladio perculerunt; Decernentes nullum alterum debere novas inventre quæstiones, sed probatorum veterum auctoritate contentos, sine dolo & perfidia decretis salubribus obedire. Sunt enim nonnulli, qui putant esse laudabile, si quid contra antiquos sapiant, & aliquid novi unde periti videantur, inveniant.* Postremis verbis describuntur optimè, qui contra majores suos aliquid saperent novi.

XIV. Opponendum illi esset, quod Toletana Synodus XII. capite ultimo constituit: *Majorum traditionibus contraire, & sanctorum Patrum decreta convellere, quid aliud est, quàm vinculum societatis Christi abrumpere, & usurpata præsumptionis licentia statum totius Ecclesiæ dissipare?* Hoc omnino facerent, qui quod in Academiis à majoribus sancitum est, mutarent, & opiniones novas in auctoritatem admitterent.

XV. Opponendum illi esset, quod Jonas Aurelianensis Episcopus scribit in libro I. de Imaginibus
contra Claudium Taurinensem Episcopum: *Noli transgredi terminos, quos posuerunt patres tui, ne forsan, qui
humilia eorum despiciens, ad alta tibi volare videris, quò
altiùs apud temetipsum sublevaris, eò profundiùs à dam-
78 natore superbientium in ima tartari demergaris.* Hæc
quoque adversus eos flecterentur, qui in Academia sua
majorum terminos transgredi non vererentur.

XVI. Opponendum illi esset, quod Radulfus Flaviacensis scribit in Matthæi caput VII. *Respicienda est majorum auctoritas, & quod illi credendum, sive agendum docuerint, hoc semper tenendum.* Hic nihil nisi perversum quid ab iis respondebitur, qui à Patrum suorum sententia discessissent.

XVII. Opponendum illi esset, quod S. Bernardus epistola CLXXIV. scribit ad Lugdunenses Canonicos: *Nunquid patribus doctiores & devotiores sumus? Periculosè præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale est, quod nisi præferendum fuerit, patrum quiverit omnino diligentiam præterisse.* Bernardus arguere videtur illos Academicos, qui majorum doctrinæ & placitis nuntium remisissent.

XVIII. Opponendum illi esset, quod Bellarminus & alii, qui notas Ecclesiæ disquirunt, sibi vindicant, iis scilicet annumerandam esse doctrinæ antiquitatem, quæ in Ecclesia novitati semper præponenda est.

XIX. Verumenimverò Deuteronomii auctoritas sufficeret, quæ quid in re simili faciendum sit, in cap. XXXII.
præstituit: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi,
majores suos & dicent tibi.* Sic auctoritate Scripturæ
nullo negotio constringerentur Academiæ, vel Academici homines, qui defixos à patribus suis terminos con-
vellerent, qui saperent aliter vel docerent, quam ma-
jores sapuerint aut docuerint. Hic temperare mihi non
possum, quin observem, Eudæmonjoannem Bellarmini
vestigiis insistentem mala tria intulisse in Ecclesiam. 79

Et primò quidem cùm Catholicis Academiis omnibus tribuit, quod minimè tribuendum fuit. Id enim nonnisi temere vel consilio fieri potuit. Hoc pertinet,
quod beatus Augustinus in libri I. de Genesi ad literam capite XIX. ita scribit: *Turpe autem est nimis, & perniciosum, ac maximè cavendum, ut Christianum de his rebus, quasi secundùm Christianas literas loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, ut (quemadmodum dicitur) toto cælo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quòd errans homo deridetur, sed quòd auctores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur, & cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cùm enim quemquam de numero Christianorum in ea re, quam optimè norunt, errare deprehenderint, & vanam sententiam suam de nostris libris asserere, quo pacto illis libris credituri sunt de resurrectione mortuorum, & de spe æternæ vitæ, regnóque cælorum, quando de his rebus, quas jam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? Quid enim molestiæ tristitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarii præsumptores, satis dici non potest, cùm si quando de prava & falsa opinione sua reprehendi, & convinci cœperint ab eis, qui nostrorum librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id, quod levissima temeritate & apertissima falsitate dixerunt, eosdem libros sanctos, unde id probent,
proferre conantur, vel etiam memoriter, quæ ad testimoni-
um valere arbitrantur, multa inde verba pronuntiant, non
intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affir- 80
mant.* Temerarii præsumptores sunt Eudæmonjoannes,
& qui eandem cum illo disputandi viam inire non dubitant, & in unius, vel alterius opinionis novæ patrocinio, Novatorum omnium, me vide, causam adjuvant.

Deinde, cùm ea rationum momenta suppeditant quibus Catholici Doctores adversus hæreticos pugnantes exarmentur. Scilicet doctrinam novam inducunt periculosissimam, & inducendo nova hæreticorum dogmata sustentant. Qua enim fronte & fide qui doctrinam in religione novam tradit, doctrinam aliam in religione novam oppugnabit? Et tamen hominum genus hoc inclamat perpetuò: Novatores hæretici! novatores hæretici! profanas vocum novitates devita. Optimè verò: sed devita tu ipse, qui devitandas illas esse denuncias. Meram esse cum illis collusionem dicere non audeo, sed rem collusioni similem esse, dicere non reformido.

Denique, cùm Sedem Apostolicam bonis omnibus odiosam perinde reddunt, ac si hæc dogmatibus novis hujusmodi reipsa faveret, & ea foveret.

Id autem cùm tu rectè perspiceres, non miror, cur dedignatus fueris Eudæmonjoannis consilium & assertionem; cùm ex re, quæ hoc per se ipsa postulat, tum ex eo quoque, quòd tu ejus sis nominis & gentis, in qua mores antiqui, ut maximè probantur, ita & maximè coluntur: Quod est certissimum & virtutis & scientiæ argumentum. Vale. Lutetiæ Parisiorum pridie Calend. Febr. ann. MDCLXVI.

Joannes Launoius,

EIDEM

HENRICO BARRILLONIO.

1 CUM nuper de Hadriano VI. Pontifice colloquebamur, variam admodum fuisse illius fortunam observabas. Res sic se habet. Multiplex scientia, Philosophia, Theologia, Juris utriusque cognitio, & omni virtutum genere cumulata natura fecerunt, ut Hadrianus absens, nihil minùs cogitans, in Pontificem optaretur. Communi Patrum consensu optatus est. Atque hoc ϑαῦμα τῷ visum quamplurimis. Optatus Sedi Apostolicæ bonorum applausu magno præfuit, perfectum atque expletum suis numeris & partibus Episcopatum gessit, & in eo omnibus præterquam malis se probavit, satisfecit. Hinc postquam ex hominum colluvione discessit, succedentium paulatim temporum iniquitatem experiri ac sentire cœpit. In Episcopalis officii non bene gesti suspicionem venit apud eos, qui sæculari potiùs quàm religiosa prudentia regendam esse Ecclesiam præ se ferunt. Sforza Cardinalis Pallavicinus obtrectatorum Hadriani calumnias in se recepit, & historiæ Tridentini Concilii intulit. Hadrianum quidem Pontificem esse egregiis moribus ornatum, sed ad gubernandam Ecclesiam minùs aptum, non idoneum, qui munus sustineret rerum, & qui publicis Sacerdotiis præsideret. Mihi crede, inquiebas, Pallavicini verba sunt hæc in libri II de Tridentini Concilii historia capite
2 IX. *Fu Ecclesiastico ottimo, Pontefice in verità mediocre; Clericus fuit optimus, Pontifex reipsa mediocris.*

Cur autem Curiales magistri, qui tempori serviendum esse putant, & cuncta suis metiuntur commodis, sic de Hadriano detrahunt, in causa fuerunt tria: Et primùm quidem Hadrianus vivere instituit, ut docuerat. Lovaniensis Theologus docuerat, Clerico de bonis Ecclesiæ nihil præter victum & vestitum sibi sumendum esse: Romanus verò Pontifex de bonis Ecclesiæ nihil præter victum & vestitum sibi sumpsit, ut cæteris exemplum præberet, forma gregis factus. Sed quoniam in quartum sent. ubi de restitutionis materia disputat, quæstionem hanc accuratè tractat ac diligenter, eam referre penè totam, operæ pretium esse duxi.

Quæro, inquit, *an Ecclesiasticus ultra victûs decentem necessitatem consumens de bonis Ecclesiæ teneatur ad restitutionem.* Et quibusdam interpositis: *Pro responsione ad quæstionem pono aliquas conclusiones. Prima est: Decima & cætera temporalia dantur ministris Ecclesiæ, ut aliorum ministeriis sustentati soli Deo, & ejus verbo vacare possint, & efficaciùs apud Deum populi peccata supportent. Patet Numerorum XVIII. Filiis Levi dedi omnes decimas pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis, ut alii ad illud non accedant, solis ipsis mihi ibi servientibus & supportantibus peccata populi, & II. Paralipom. XXXI. dentur, ut possint vacare legi Dei. Et glossa Josue XIII. lex Dei commissa est Sacerdotibus & Levitis, ut huic soli operam tribuant, & verbo Dei absque ulla sollicitudine vacent, laicorum ministeriis*
3 *sustentati. Item oblationes & quæcunque oblata Ecclesiæ dicuntur vota fidelium & probra peccatorum. XII. quæst. 2. Videntes. Et Oseæ IV. peccata populi, quæ Sacerdotes comedunt, quia pro peccato oblata: Qui quidem peccata comedere dicuntur, quia precibus suis ea delent atque consumunt. 1. quæst. 1. ipsi Sacerdotes. Ex qua conclusione sequitur, quòd Clericus perditè vivens, & Deum continuò pravis moribus stimulans, aut officium debitum prætermittens tenetur restituere, quidquid de fructibus Ecclesiasticis expenderit. Patet, quia suscipiens aliquid ad causam, quam præstare non curat, tenetur perceptum restituere, ut patet ff. de condit. cau. datâ. Et non se, per totum. Et ergo quemadmodum pauper suscipiens eleemosynam ut oret, si non oraverit obligatur & tenetur restituere, ita in proposito. Et hæc est ratio, quare curam suscipiens, ut ad annum fructibus gaudeat, non intendens ad sacerdotium promoveri, postea illam dimissurus, tenetur illos restituere, quia fraudulenter perceptos, ut habetur in ca. Commissâ de electione libri VI. nisi intentione mutata: &c. Ut ibidem dicitur. Et eadem est ratio de aliis beneficiis, cùm non intendit suo tempore debitum servitium impendere. Ex quo patet error glossæ de recipientibus distributiones quotidianas non interessendo Divinis: Nisi consuetudo illa ratione nixa fuerit, quia hoc interesse Divinis per absentes in melius commutabatur, puta in orationes devotas, &c. aut saltem æquè bonum, quia sic tacitus præsumeretur fundatorum consensus. Sed de hoc glossa non meminit. Veruntamen sicut pauper non tenetur illi reddere, à quo accepit, cùm ille jam dederit Deo, sed debet reddere Ecclesiæ vel pauperi, ita est de fructibus* 4
beneficiorum. Et pro illo est cap. Verùm de condit. appos. quia simpliciter donatio facta Ecclesiæ sub modo non revocatur, nisi cautum fuerit. Cujus rationem dat Panormitanus, quia modus adjectus non præsumitur esse causa finalis. Item Hieronymus tractans illud Esaiæ III. Popule mi, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Raptores, inquit, sunt qui capiunt temporalia & non seminant spiritualia, ut Apostolus prima ad Timotheum quinto. Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis, &c. Hujus dat aliud simile Alexander de Hales III. part. quæst. XXXVI. membro & art. dicto. Si agricolæ detur pecunia, ut in agro laboret, & ipse acciperet & non laboraret, raptor est & fur. Similiter videtur de istis, qui bona Ecclesiæ in necessariis expendunt, sed non deserviunt.

Secunda Conclusio est sententia Sanctorum. Qui superflua retinet, & pauperibus non elargitur, sive Ecclesiastica, sive sæcularia fuerint bona, raptor & invasor & fur dicitur, sed ad restitutionem minimè obligatur. Prima pars patet. Primò ex verbo Hieronymi: Aliena, inquit, rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur, XLII. distinct. in principio: Secundò Ambros. proprium nemo dicat quod commune, plusquam sufficeret sumptum, violenter obtentum est. Et infrà: Tantarum te fecit bona invadere, quantum possis præstare quod velis, XLVII. distinct. sicut II. Tertiò verbo August. sermone CCXIX, de tempore. De novem partibus studeat eleemosynam dare pauperibus. Ita tamen, ut quidquid excepto victu mediocri & vestitu rationabili superfuerit, 5
non luxuria reservetur, sed in thesauro cœlesti per eleemosynam pauperum reponatur. Quidquid nobis Deus plusquam opus est dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmisit, quod si non dederimus, res alienas invasimus. Et idem. Nonne omnes qui sibi videntur gaudere conquisitis, eisque uti nesciunt, alienum possidere convincimus? Omne enim quod malè possidetur

alienum

alienum est, malè autem possidet, qui malè utitur, XIII. *quæst.* III. *quod dicam. Item Isidorus in libro Etymologiarum, ut patet extra de verborum significatione. Jus dictum est.* Et secunda pars Conclusionis patet: *Quia proprietas vera apud illos deteriores residet. Etiam in vestitutione non solvitur obligatio, seu extinguitur ex mutatione conditionis in alios, sed si priùs sint pauperes egentes, pro nunc censeri occupare aliena, post cùm comperint non egere, possum licitè de meis pro arbitrio disponere.*

Tertia Conclusio: non licet Sacerdoti aut alteri præbendato de bonis Ecclesiæ ultra victum sobrium & decentem sibi usurpare, vel ex eisdem cognatos divites facere. Prima pars patet, primò per illud Hieronymi: De altario tibi ô Sacerdos vivere licet, non luxuriari. Luxuriatur autem quicunque præter statum decentem necessitatem plus debito expendit in cibis aut vestibus. Luxus namque & luxuria enim abundantia dicitur. Quo significatè prohibetur, ne Clericus sinat cornam luxuriari. Idem probat verbum Bernardi in epistola XLII. *priùs allegatum, & aliud ad quendam Canonicum, quod inter epistolas ejus nondum reperi. Item Augustinus sermone ad Sacerdotes, qui ponitur* XXXVII. *inter sermones ad Fratres in eremo. Memento, inquit, quòd pauperem vitam*
6 *Sacerdos gerere debet, & ideo si superbiam habet, si magno gaudet beneficio præter victum & vestitum, quod superest, pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. Verbum autem illud, quod negare non debet fidelis, Qui altari servit, de altari vivat, omnino verum est, quia non licet Sacerdotibus manibus operari, legumnare, ferrum fabricare, & similia. Hoc autem propter reverentiam, & tanti Sacramenti dignitatem magis ad sæculares, quàm Sacerdotes pertinet. Ne ipsi Sacerdotes Dei fame pereant, vel nuditate. Ideo dignum est, ut qui altari, &c. Secunda pars patet auctoritate ejusdem eodem sermone præmisso, quemadmodum sæculari potentia procurantes præbendas cum Giezi & Juda damnati sunt; Subjungit: Divites rarè vel nunquam pauperibus Sacerdotibus præbendas procurant, & si procurant, non Dei timore procurant, sed ut cum uxore & familia de bonis Ecclesiæ gaudere valeant. Et ideo sciat Sacerdos, qui timore vel amore defraudari se à divite permittit, quòd impunitus non remanebit, & si non in præsenti, saltem in futuro igne æterno non carebit. Item Prosper: Ecclesiæ Pastor, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quandoquidem nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere. Nec illi, qui suadentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.* I. *quæst.* II. *Pastor. Ergo non licet de bonis Ecclesiæ divitibus dare, & per consequens minùs cognatos, seu consanguineos proprios ex eisdem ditare. Et Ambrosius primo de officiis cap.* III. *Melius est, ut ipse tuos subvenias, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, non*
7 *tamen ut illi ditiores fieri velint ex eo quod tu auferre potes in opibus. Neque enim propterea te Deo dedicasti, ut illos divites facias. Sed ut tibi vitam perpetuam fructum boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata tua redimas. Putant se parum poscere, pretium quærunt tuum, contra accusant, quod eos divites non feceris, cùm te velint illi parentes æternæ vitæ fraudare mercede. Item* XXXVII. *Canon Apostolorum. Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & ea velut Deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex iis aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt condonare. Quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, ne eorum occasione Ecclesiæ deprædentur. Allegatur* I. *Cap. quisquis,* XII. *quæst.* II. *& Hieronymus. Præter victum & vestitum, & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panes canes comedant,* XVI. *quæst.* I. *si cupis. Et est ratio, quia quidquid habent Clerici, pauperum esse debet, ut dicit Hieronymus ad Damasum Papam,* XVI. *quæst.* I. *quoniam ubi & eos Clericos absque sacrilegio de bonis Ecclesiæ sustentari posse negat, qui parentum sustentari possunt opibus, cujus veritatem in sequentibus pertractabo. Defrauderentur ergo pauperes, & cætera.*

Quarta Conclusio: quemadmodum mobilium & immobilium Monasterio Conventus habent proprietatem & dominium, & non singuli monachi, itu in sæculari Ecclesia omnes & non singuli Canonici sunt domini; & proprietatem habent bonorum, quæ spectant ad mensam Capitularem, sed singuli sunt domini portionis fructuum, quam annuè levant, ut stipendium. Prima pars patet auctoritate Hieronymi concludentis, quia quidquid habent Clerici & cæ- 8
tera, liberum est Monachis & spiritualibus viris decimas & oblationes cunctáque remedia concedere, & de jure suo in dominium illorum & usum transferre. XVI. *quæst.* I. *Præterea si proprietas omnium bonorum Ecclesiæ resideret apud Christum, vel universitatem Cleri aut Ecclesiæ, ut volunt communes opiniones Juristarum, quas gloss. tangit in cap. Expedit.* XII. *quæst.* I. *non posset Summus Pontifex specialiter in se, vel Sedem Apostolicam quorumcunque proprietatem suscipere contra C. exiit qui seminat, de verb. signif. lib.* VI. *& exivi de Paradiso. Eodem tit. Cle. æquè enim illa quæ offeruntur minoribus Christo dantur, vel Ecclesiæ, aut universitati Clericorum, sicut quæ offeruntur quibuscunque aliis Conventualibus vel Sæcularibus Ecclesiis. Neque essent dominia illorum in incerto, quanquam donantes absolutè transferant, non servantes sibi rerum concessarum proprietatem, quod innuitur manifestè dicto cap. exiit. Neque obstant motiva pro contrario C. Qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, &c. Et cap. qui abstulerit,* XII. *quæst.* I. *& C. cùm ex eo de Cle. lib.* VI. *Cui ut solidiori fundamento Panorm. innititur in cap. Cùm esse, quia de Clericis quibusdam ibi dicitur quòd fuerint patrimonio Christi sublimati, quia æquè omnium immobilium quæ Minores occupant, diceretur Christus vel Ecclesia dominus, quorum tamen Sedes Apostolica habet proprietatem: Diceretur ergo Christi patrimonium bona Ecclesiæ, quia in suis membris Christo donata. Secundam partem probo, quia non sunt quoad proprietatem sortiendam deterioris conditionis Clerici, quam alii pauperes, sed si portio alicujus Canonici, tota* 9
donetur pauperi, aut certè militi pro redemptione captivi, nullus ambigeret in illum proprietatem transferri, ergo: Pro eodem est cap. unicum de Ele. non resig. suprà allegata. Præterea nisi sic, non deberet passim creditoribus satisfieri de fructibus beneficiorum. Refert autem collectarius in cap. Odoardus. de solu. se vidisse in Curia, quòd Clericus nihil habens de patrimonio admissus fuit ad cedendum fructibus beneficii, deductum quantum sufficit pro administratione Divinorum. Et quanquam Doctores aliqui velint, hoc solùm procedere, cùm pro sustentatione sua Clericus debitum contraxerit, videtur divinatiò ad Cap. Olim II. *de restit. spo. ubi neque dicitur, quòd debita post pulsionem de Episcopatu contraxerit, ut sic intelligatur pro sui sustentatione contraxisse, ut vult Panor. neque pro sua sustentatione, sed potiùs antequam pulsus esset, etiam partem alienæ diœcesis occupaverit, quam cum fructibus perceptis restituere compelli jussus erat. Et hujus opinionis est Hostiensis, & Dominus Antoninus in Cap. pervenit. Faciunt etiam superiùs allegata.*

Ex quibus infero corollarium responsivum ad quæsitum. Ecclesiasticus de bonis Ecclesiæ prodigè & inutiliter exponens, juxta sententiam Sanctorum rapinam committit, & sacrilegium, sed restituere non tenetur. Prima pars patet ex verbo Bernardi ad quendam Canonicum, prout allegatum ab Alexandro de Hales suprà posui. Item per glossam Hieronymi super verbo Domini Esaiæ III. *Vos enim depasti estis, &c. Reor hoc fuisse inter senes & principes veteris populi, quod inter Episcopos & Presbyteros nostri temporis. Nostri quoque principes cùm pauperes delinquentes publicè arguant & confundant, divitibus pe-* 10
jora peccantibus, nec nutum faciunt, in quorum domibus rapina pauperum, dum Ecclesiæ opes sibi thesaurisant, & in delicias abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiam suas vel suorum divitias faciunt. I-

tem quòd decimas non solvit, vel oblationes defunctorum
Ecclesiis reddere demoratur, dicitur pauperum necator &
sacrilegium committere per cap. Decima, XVI. quæst. 1.
& cap. Qui oblationes defunctorum, XIII. quæst. II.
Ergo ubi res Sacerdos inutiliter expenderit, & pauperibus
delegatas non dederit, eodem crimine irretietur, rapinæ
videlicet, furti, & sacrilegii. Idem probatur suprà de
quibuscunque, qui aliis fame laborantibus superflua re-
tinent, & certè quod crimen minus non sit, cùm in deliciis
abutitur & in pompis expendit. Ambrosius firmat ser-
mone LXXXII. Quis, inquit, tam injustus, tam avidus,
tam avarus, quam qui multorum alimenta non suum u-
sum, sed abundantiam & delicias facit. Neque enim
minus est criminis, quàm habenti tollere, &c. Et infrà:
Si dicas bona sunt verba, sed melius est aurum, nil mi-
ram. Nam & siquis cum impudicis de pudicitia loqua-
tur, & scorta vituperet & exprobret, ii animi quibus
libido dominatur, ex ipsa commotione ad impudicitiam
multò acriùs incenduntur, & cætera, & suprà eo serm.
LXXXII. dicit, & quod mihi videtur hæc passio (a-
varitiæ scilicet) similis esse iis, qui tantum gulæ in-
dulgent, ut disrumpi magis nimio cibo eligant, quàm
alicui indulgere reliquias egenti. Sed recordare, ô ho-
11 mo, quis est, qui largitus est tibi; te ipsum, quis sis,
in memoria revoca, servus es Dei, & dispensatio tibi
commissa est Dominicæ facultatis. Recordare ergo quis
est, qui tibi injunxit officium dispensandi familiam su-
am. Et infrà: Nec existimes, quòd omnia ventri &
deliciis tuis terra producat, quæ in manibus habes, commissa
tibi magis quàm concessa cognosce. Et idem in sermone
VI. Vides ergo, qui pecuniam appetit, fidem perdit, qui
aurum redigit, gratiam prodigit. Quid igitur censeri
debet de Sacerdotibus, qui Christi sanguinem & pre-
tia peccatorum prodigunt, atque in deliciis abutuntur,
contra quos Salvator noster Christus Jesus exclamare in-
telligitur: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo
in corruptionem? Ps. XXIX. Quid enim prodest ob Chri-
sti Passionem hæc oblata esse, si peccato cesserint, & quam
placare debuerant Dei iram, abundantiùs provocent?

Secundam partem videlicet, quòd prodigè consumpta
vel donata restituere non teneantur, probo. Pauper in
deliciis abutens eleemosynis, vel prodigè eas donans aliis,
non obligatur ex hoc tantumdem restituere, nisi aliud
intervenerit, putà vel non oraverit, aut aliud perficere
omiserit propter quod finaliter ipsi data est eleemosyna.
Præterea ex abusu, & dilapidatione talium bonorum,
quorum ipse proprietatem & dominium sortitus est, so-
li Deo obligatur: Ergo non tenetur restituere. Conse-
quentia tenet, quia obligatio restitutionis est ad aliquod
determinatè reddendum, non autem obligatio, qua tene-
mur ipsi Deo ex peccato. Ut si avarus in necessitate
pauperibus scilicet fame cruciatis, aut penuria pereunti-
bus projiciat magnum auri pondus in mare, aut gemmam
12 confringat, unde eisdem succurrere potuit, soli Deo ex
hoc ad pœnam obligatus est, & nihil tenetur restituere.
Antecedens probatur persimile: Si Petro contemplatione
Principis vel ad Principis requestam & preces, donata
fuerint mille, dispensanda tamen, & expendenda ad
Principis gloriam, vel ejus utilitatem; hoc casu, si Pe-
trus totum vel partem contra Principis honorem expende-
rit, soli Principi ex hoc, certum est, obligabitur: Ergo
similiter de fructibus beneficii, seu præbendæ, quæ Canoni-
co dantur, ut ad Dei laudem, gloriam, & voluntatem illos
expendat, ergo non obligatur ad restitutionem.

Et confirmatur, quia omnem hominem, quem ditat
Deus, dispensatorem constituit Dominicæ facultatis, &
commissas magis habet divitias, quàm concessas, ut patet
ex superioribus, nihilominus dum contra Dei voluntatem
facultates commissas prodigè sparserit, aut in deliciis
abusus fuerit, ad restitutionem non obligatur, ergo nec
Ecclesiasticus dum bona Ecclesiæ, &c. Consequentia te-
net, quia licèt præbendatus duplici vinculo obligetur,
commissa bona rectè dispensare pro Dei gloria, & ad e-
jus voluntatem, ubi laicus unico ad hoc vinculo astringi-
tur, quia tamen utrumque ad idem penitus stringit, ubi
unius transgressio obligationem, seu necessitatem non in-
ducit restituendi, neque utriusque transgressio hoc ipsum
operatur. Quòd si bona donata essent, ut in usus pau-
perum pro Dei gloria expenderentur, prout de bonis ho-
spitalium esse constat, tunc certè dispensator inutiliter ea
expendens, non soli Deo obligaretur sua culpa, quoniam
etiam pauperes fraudat, & hoc voluit beatus Thomas
quodlibeto VI. art. XII. & sic debet intelligi Gerson, 13
cum dicit in conclusionibus: Si præbendatus certa bona
habeat pro pauperibus instituta, & illa consumit ad alios
usus, ipse restituere obligatur: Secùs si totum sit com-
missum fidei suæ, ubi etsi peccet graviter & sacrilegè,
quandoque abutendo bonis illis luxuriosè, tamen restitu-
ere non tenetur, quando videlicet totum fit fidei ejus
committitur, quod ad specialem usum non arctetur. Sed
doces: Suscipiens sub fide commisso centum aut mille
ea conditione seu modo, ut deducto quantum sibi pro vi-
ctu mediocri fuerit necessarium, residuum det Petro, ta-
lis quantam prodigè expenderit, tenetur Petro restituere.
Sed Ecclesiæ donata sunt prædia, item decimæ ac a-
lia, ut deducta necessitate ministrorum, residuum in u-
sus pauperum recondatur: Ergo quidquid in malos u-
sus vel prodigè, &c. cætera. Respondeo ad minorem,
quòd bona Ecclesiæ non ita sunt specialiter ad pauperum
sustentationem delegata, sed ad ministrorum sustentatio-
nem, & alium quemlibet usum pium, eodemque speciali-
ter ad Dei honorem. Unde possunt licitè expendi in
luminaria Ecclesiæ, in libros Divinæ legis explanatio-
nem continentes, & sic de aliis, nullius desuper requisita
auctoritate vel assensu; quod minimè liceret, si speci-
aliter usui pauperum deductis necessitatibus ministrorum
essent delegata. Juxta Clement. quia contingit. de reli.
domi. Ubi dicitur, cùm ea quæ ad certum usum largitio-
ne sunt destinata fidelium, ad illum debeant non ali-
um salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate converti.
Nec obstat, quòd à sanctis omnia Ecclesiæ bona dicun-
tur Pauperum, quia dicuntur eorum, non quia jure pro-
prietario ad eos spectent, vel specialiter eorum usui desti- 14
nata, immo similiter dicunt superflua, quæ divites reti-
nent, pauperum esse, & per eos aliena occupari, quorum
proprietas, certum est, apud divites residet. Et liceret in
usum magis pium si occurrat, expendere, quàm in paupe-
rum alimoniam, putà in tuitionem fidei pro stipendiis
militum, ubi necessitas urgeret, & sic de similibus: Sed
dicuntur eorum, quia eis in necessitate debita, magis vel
æquè pio usu non occurrente.

Hæc Hadrianus Theologus docuit, hæc Hadrianus
Pontifex observavit, ditandis consanguineis, cumu-
landis opibus, aut extruendis ad pompam ædificiis non
vacavit. Exinde factum est, ut Hadriano exprobrari
non potuerit; quod Jacobus Cardinalis Papiensis Paulo
II. sic exprobrat in epistola CCLXXIII. Pontifex Paule
est tibi ut video magna æternitatis cupido: Prædicare te
optat sequentia sæcula. Numismata eam ob causam tuæ
imaginis non cudis modò, sed fundamentis ædificiorum,
parietibúsque admisces, ut illis vetustate ruentibus exili-
ant post mille annos monumenta nominis Pauli. Titulos
etiam operibus jubes incidi, quæ vel publica sunt, vel
usum domesticum habent. Æmulator quoque vanitatis
antiquæ sæculares ludos, & epulum Romano populo ex-
hibes. Similia his moliris, multa illuc uno affecta ten-
dentia, ut Pontificatus tuus post te non sileatur. Ignosce
Paule. Veram laudem ista non habent. Sacerdotalis non
putantur officii. Vanitas est his intendisse. Sapiens nemo
numismata, & titulos, & lasciva plebis delinimenta
probavit, peccatum etenim continent. Videntes ea, pru-
dentésque posteri sectatorem quendam inanis gloriæ te
fuisse conjicient: Ita quod minimè quæris, ignomi-
niam pro laude invenies. Gloria nostra hæc est, ait 15
Apostolus, testimonium conscientiæ. Quare ergo ut con-
scientiæ tuæ satisfacias Deo, & in illum respicias:
parabis tibi gloriam permansuram, quam nunc quæ-
rens non invenis. Opera autem æternitatis in Pontifice
sunt,

sunt, vitam immaculatam præstare, lapsam Ecclesiæ disciplinam erigere, restituendæ libertati Clericorum intendere, sic justitiæ cultorem esse, ut tamen misericordiæ sit recordatio, in bonis causis intrepidum se præstare, non vultus non minùs potentum timere, potiorem vitæ conscientiam ducere, in specula credita excubare, ad publicam gregis salutem oculos semper intendere, nihil suum credere, quod Christi non sit. Meditari jugiter de miseris Christianis, qui proximi infidelibus sunt, præsidia his mittere, incitare Principes ad capessenda pro fide arma, ducatum si opus sit, illis præstare, thesauros in piam hanc causam effundere, parcitate non impediri, missione Legatorum, profectione etiam propria, si expediat, pacare regna, nullibi ob causam privatam dissensiones optare, conari, ut ministerium Sedis ubique sit salutare, domi bene compositum esse, non iracundum, non impatientem, non malè de ministris, qui probati sunt, æstimare, partiri noctem & diem ad opus vicissim & quietem, naturam non invertere, velle, ut suo potius incommodo omnium consulatur commodis, quàm ut unius quies aliorum pareatur inquietudine, meminisse Gregoriani verbi, quod litteræ Apostolicæ præferunt; Servus servorum Dei. Si quando à curis vacet, lectionem sacram assumere, identidem scribere, colligere, quæ memoratu sunt digna, labo-
16 *rare ad præsentem pariter & futuram utilitatem. His titulis, numismatibus, & ludis, & epulis paratur solida & perennis gloria. Illa sæcularia ut inania sunt, ita evanescunt quamprimum, nec fructum acceptabilem habent. Qui gloriatur, inquit Jeremias Propheta, in Domino glorietur. Et Apostolus Paulus: Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hos audi, Paule, & in quærenda laude ante oculos pone: Suadebunt saniùs, quàm vana gentilitas. Vale.* Hadrianus noster Jeremiam & Paulum audit, & ad illorum præcepta vitam composuit.

Deinde Hadrianus Pontifex secutus est eam de Apostolicis dispensationibus doctrinam, quam Lovaniensis Theologus in scholis tradiderat, ut quæstionem hanc, *Utrum omnis dispensatio Apostolica super pluralitate beneficiorum tutum faciat hominem & securum in foro conscientiæ,* solverit.

Ideò pro veritatis, inquit, *decisione hanc pono conclusionem secundam. Dispensatus per Papam ad plura beneficia, si subest Ecclesiæ necessitas vel communis utilitas, tutus est, si non, apud Ecclesiam militantem habet exceptionem, apud Deum autem nequaquam veram excusationem. Hanc conclusionem probo aperta sententia Bernardi de consideratione ad Eugenium libro* III. *capitulo sexto deducentis, Papæ illicitum esse, ut sic Episcopum ab obedientia Archiepiscopi, Monasteria & Capitula ab obedientia Episcopi eximat. Spiritualis, inquit, homo, qui omnia dijudicat, & ipse à nemine judicatur, omne opus suum terna quadam considerati one præveniet. Primùm quidem, an liceat, deinde an de-*
17 *ceat, postremò an & expediat. Nam etsi constet in Christiana utique philosophia non decere, nisi quod liceat, non expedire nisi quod decet & licet, non continuò tamen omne quod licet, & decere & expedire consequens erit. Ago aptemus, si possumus, ista tria operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti? Et quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Tune major Domino tuo, qui ait, Non veni facere voluntatem meam? Nolo autem prætendas mihi fructus emancipationis ipsius. Nullus est enim nisi, quòd inde Episcopi insolentiores, monachi etiam dissolutiores fiunt, quid quòd & pauperiores. Inspice diligentiùs talium ubique libertorum facultates & vitas: Si non pudenda admodum tenuitas in iis, & illis sæcularitas invenitur, matris noxiæ libertatis gemina soboles. Hæc ille, & infrà sibi objiciens: Quid, inquit, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur: ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria. Nam cùm horum nihil est, non planè fidelis dispensatio est, sed crudelissima dissipatio. Item* I. *ad Corinth.* XIII. *Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Et infrà: Ideo enim hæc absens scribo, ut non duriùs agam secundùm potestatem, quam mihi Deus dedit in ædificationem, non in destructionem. Sed plus posuivi, & minus justitiæ naturalis est in tali subordinatione hujus ad illum vel alterum, quàm de proportione stipendii dati de publico ad proportionem servitii,*
& utilitatis impensæ publico, seu communi: ergo nisi neces- 18
sitas urget, ut suaserit utilitas communis, in hac pluralitate beneficiorum non censebitur dispensatio, sed dissipatio, & quæ hominem non tuetur. Etiam conclusio Bernardi videtur generalis maximè in iis, quæ non sunt merè positivi juris. Idem expressè & in terminis vult Bernardus in epistola ad Theobaldum Comitem, ut suprà dixi. Etiam in epistola ad Robertum nepotem suum, qui de licentia Sedis Apostolicæ transtulerat se ex Ordine Cisterciensi ad Cluniacensem, quæ quidem epistola propter miraculum, quòd in pluvia sine imbre servata est, prima in ordine haberi dicitur. Dicit: Quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cujus conscientiam divina tenet sententia obligatam? Nemo, inquiens, manum mittens ad aratrum & respiciens retro, &c. Et eum remittit ad conscientiam suam, & an se transtulerit ad arctiùs vivendum, an indulgentiùs. Et ex hoc judicat, an retrospexeris, &c. Et epistola ad Adam monachum, quæ est VII. *in ordine. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquus Papa conceptui præbuisset assensum. Nunquid ideo aut malum esse desiit, aut minoratum est, quia Papa concessit? Quis vero malum esse neget assensum præbere malo? Quod tamen Summum Pontificem nequaquam fecisse crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum. Et in solis mediis vult dispensari posse, non in iis, quæ pura bona sunt, aut pura mala. Præceptis namque nequit obviare humana prohibitio, & divini ac naturalis juris prohibitionibus nequit detrahere humana licentia, sed purum & secundùm se malum est occupare stipendia publica ultra proportionem servitii & utili-* 19
tatis impensæ, ergo &c. Idem libro de dispensatione, & præcepto. Noverat fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantùm usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem. Hoc quippe quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, & eadem fortassis fidelitas à subditis requiritur in obtemperando, quæ à præpositis in dispensando. Et necessarium à voluntario separans in tria subdistinguit, videlicet in stabile, inviolabile, & incommutabile. Stabile, quod ita necessarium est, quod non cuilibet homini mutare illud fas sit, nisi solis dispensatoribus ministeriorum Dei, id est, præpositis. Quo genere dicit comprehendi canonica instituta, ubi sanè qui hoc legis attendas, me non decere ea posse, vel ab istis leviter pro voluntate mutari; Sed ex ratione fideliter dispensari. Ideo autem hanc mutationem ipsam taliter & à talibus recipere possunt, quoniam non naturaliter, nec per se bona sunt. Et infrà: *Quandiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutari quædam non omnino, nec ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt.* Et infrà: *Tenent ergo firmam fixámque immobilitatem etiam apud Prælatos, quæ ex stabili necessario sunt, sed quatenus charitati deserviunt. Nunquid autem hæc solus sentio, vel hæc solus primus dico? An non hoc Papa Gelasius sensit? Ait siquidem: Ubi necessitas non est, incommutabilia maneant sanctorum Patrum instituta. Leo quoque Papa: Ubi, inquit, necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum constituta. Et infert: Ubi*
ergo necessitas fuerit ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem 20
habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit mutatio legis. Similiter dicit Gratianus XXXV. *quæst.* I. *cap. Ideo solvens: Quomodo Summus Pontifex possit contra legem canonum alicui privilegia concedere, dicit finaliter, quod ea potestate indulgere, considerata tamen rationis æquitate, ut quæ mater justitiæ est, in nullo videatur ab ea dissentire. Idem autem videtur in dispensatione saltem de qua nunc agimus, scilicet pluralitatis in beneficiis. Item gloss. in ca. Non est. de vo. & vo. redemp. Si absque causa in voto dispenset,*

dispenset, exceptionem habet apud Ecclesiam, sed apud Deum non valebit allegatio. Ubi judicabitur eo teste, quo judice, IX. quæst. III. Aliorum X. quæst. III. audi. facit glos. in cap. Requiritur I. quæst. VII.

Contra ista instatur primò sic: Ad peccatum Papæ pertinet si dispenset super pluralitate absque causa sufficiente. Ergo dispensatus apud Deum tutus est. Consequentia patet: Sic enim arguit Augustinus ex verbo Domini Numeror. XXX. De voto abstinentiæ per uxorem emisso, ubi statim ut audivit, tacuit, in ulterum diem differens sententiam, & si post contradicit, cùm restituit, portabit iniquitatem ejus, quia lex dicit, ad peccatum viri pertinet, infert uxorem esse à transgressione voti liberam, XXXIII. quæst. V. maritum ergo similiter in proposito & confirmatur valde apparenter: Si dispensator eleemosynarum, utpote executor excesserit in distribuendo uni eleemosynas, & non alteri æquè vel magis egenti, nihilominus, qui eleemosynam accipit, fit rerum acceptarum dominus, & non obligatur restituere. Ergo similiter in dispensatione super pluralitate 21 *beneficiorum, &c. Præterea nisi sic, Papa non haberet plenam & liberam dispositionem in beneficiis contra C. suprà inductam. Item contra hoc, quod dictum est, dispensationem solùm valere propter necessitatem Ecclesiæ, vel utilitatem communem: Contra: Præter Ecclesiæ necessitatem, vel communem utilitatem etiam evidens prærogativa meritorum est causa dispensandi I. quæst. VII. Tali conjugio. Et cap. de multa, de præben. dicetur, quòd circa sublimes personas & literatas, quæ majoribus beneficiis sunt honorandæ, cùm ratio postulaverit, poterit per Sedem Apostolicam dispensari, ergo prærogativa meritorum, &c. Respondeo ad primum ut bene dicit de Palu. XXXVIII. dist. IV. quæst. art. II. Aliud est de irritatione, aliud de dispensatione: Irritatio enim non requirit causam, sed dispensatio requirit: In casu argumenti fit irritatio. Item text. ille dicit virum portare iniquitatem mulieris, & ita eam liberam, secùs cùm Papa vel Episcopus sine causa sufficienti dispensat. Etiam licèt consequentia admitti possit, & debeat in jure positivo, quod etiam Papa sine causa temerarè non licet, nequaquam tamen in iis, quæ sunt naturalis juris vel divini, quæ sicut non constant humana voluntate, ita nec sine causa à parte dispensandi, quoquomodo possunt relaxari, in illis enim Papa minimè legibus solutus est, sed ut cæteri, subjectus reperitur, XXV. quæst I. sunt quidam. Ad confirmationem si recipiens sufficientem causam habent, tutus est, & aliàs non. Pone exemplum. Si dives ab executore sumat relictum pauperibus; tunc enim contra justitiam excedere non tantùm conferens, sed etiam recipiens, & obligatur restituere: Sic in proposito. De hoc* 22 *latiùs tetigi suprà in materia collationis beneficiorum. Ad secundam confirmationem dico: Liberam & plenam dispositionem habet quoad homines, quia de ejus judicio disceptari non licet, XV. quæst. IV. siquis suadente. Sed Deus servat eum suo judicio servandum. IX. quæst. III. Aliorum, sed ut in eo cap. Aliorum, dicitur, habet necessariò inquisitionis formidinem, licèt eum Deus suo servaverit examini, quia non habet apud illum rem de allegationis mitore subsidium, quando ipsorum factorum utitur eo teste, quo judice. Et certè text. illius Clem. solùm prætendit ad Summum Pontificem spectare plenam & liberam dispositionem beneficiorum libertate opposita subjectioni ad jus humanum, puta canonicum. Ipse namque, quia Princeps, legibus illius solutus est, I. Princeps. ff. de leg. Sed Dei & naturæ legibus astringitur, & eas servare tenetur, non in dispensatione tantùm beneficiorum, sed in vita & opere. Unde dicit de Pal. XXXVIII. IV. quæst. art. IV. in tertia Conclusione de causa dispensationis agens, quia in positivis sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas, quia quod Principi placuit, legis habet vigorem. ff. de Const. Princip. & sicut lex quanquam dura ab omnibus servanda est. XIX. dist. in memoriam, quamvis contradicat Isidorus, quia lex erit, quod ratione constiterit: Sed in iis, quæ sunt juris divini secus, ut notatur in cap. Non est, de vo. & vo. redemp. & debent considerari illa, an licet, decet, & expedit. Cap. Magna, eodem tit. reprehendens propterea Hostiensem, qui dicit Papam super pluralitate pro libito posse dispensare: Unde dicit, sicut Episcopus, quia non est supra jus positivum, non potest super iis, quæ sunt juris positivi, nisi ex causa legitima dispensare; ita nec Papa* 23 *super pluralitate beneficiorum, cùm innitatur juri naturali & intentioni fundatorum, qui potuerunt in traditione sui modum ac legem imponere, per quam plures & non pauciores Deo servirent. Et ergo periculosius est habere plures præbendas minùs pingues, quàm paucas pinguiores, quia præjudicat pluribus melioribus, qui fortè nec unum habent. Subdit, quòd debet esse talis causa, quòd melius sit recedere à jure communi, quàm tenere, & non sufficit esse æquè bonam; aliàs erit dissipatio, & non dispensatio, & peccat uterque, scilicet, dispensans etiam Papa, & dispensatus si sciat: Pro quo allegat Hostiensis in dispensatione super voto. Hoc dictum suum limito nisi fiat in merè positivis, quia tunc dispensans quia malè sua potestate utitur peccat, non dispensatus, quia positivi juris vinculum per dispensationem est sublatum, & nulla alia lege ad factum illud tenebatur.* Et paulo pòst: *Et concludit finaliter, quòd is, cum quo super pluralitate beneficiorum etiam per Papam utilitate tantùm privata suadente dispensatur, quoad Deum tutus minimè existit.*

Ad aliud de prærogativa meritorum dico, quòd nunquam est justa causa dispensandi in statutis sive constitutionibus communibus, nisi cedat in communem utilitatem. Quæ enim ad bonum commune præfixa sunt, ob privatum commodum mutari non debent. XXV. quæst. I. quæ ad perpetuam. Et plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati præferenda est. VII. quæst. I. scias. Nec certè sufficit eminentia seu prærogativa meritorum, nisi ad causam faciat illam, in quo dispensandum. Non enim statim vir bonus, bonus civis est. V. Ethic. & III. Politicorum. Quod 24 *autem specialiter exprimitur, ea ratione factum credo, ut sciatur, quod etsi de propinquo utilitas non speretur, ponit tamen ob personæ dignitatem, &c. Quia expedit Ecclesiæ columnas fortes, viros, scilicet probatos habere, qui hæreticis & aliis scindentibus Ecclesiam resistere possint.*

Ex his omnibus patet, quòd neque per dispensationem, neque sine dispensatione licet alicui immoderatum stipendium ex beneficiis suscipere, sed moderatum ex simplicibus sine dispensatione, vel aliis cum dispensatione.

His adde, quæ habet de sacramento Confessionis, ubi quæritur: *An Papa possit dispensare de tempore confessionis: Cùm probabile dubium est an Papa super aliquo dispensare potest, an non, nisi pertingi possit via discussionis ad veritatis decisionem Papa dispensans peccat, & is qui hoc casu utitur dispensatione, quia uterque committit se discrimini: Et ita cùm amat periculum peribit in illo, juxta sententiam Sapientis Ecclesiast. III. Verùm excusabitur inferior, si bene præsumens de superiore credat Papam hoc non tentare ante veritatis inventionem, quia ignorantia talis pro invincibili habetur. Et sic procedit verbum August. in cap. quid culpatur XXIII. quæst. I. Nam si Papa dicatur posse dispensare, quoties probabile dubium fuerit, an possit, nullum esset probabile dubium, an Papa super aliquo dispensare possit, quia dubium probabile inferret eum pro certo & indubiè posse.*

Quòd autem Hadrianus sese in distribuendis sacerdotiis ad suam doctrinam composuerit, illustri confirmari potest exemplo: Id Odoricus Rainaldus in tom. XX. Annalium Ecclesiasticorum refert his verbis: *Testatur Hieronymus Niger, Hadrianum* 25 *voluntatum suarum maximè in iis, quæ ad religionem spectant, tenacissimum fuisse, tantâque prudentum integritate, ut cùm in nepotem sacerdotium annui census septuaginta Ducalium aureorum contulisset, illéque paulo post aliud pinguius, quod ad centum aureos ascendebat, postulasset, illum acerbissimis verbis corripuisse, præcepisséque, ut cupiditatis modum poneret: Prius enim sacerdotium illi sustentando sufficere: Ac demum multorum precibus permotum assensisse, ut posterius sacerdotium opulentius consequeretur ea lege,*

ut

ut priore se abdicaret: Neque enim pati velle, ut quisquam duo sacerdotia, quibus animarum cura demandata est, conjuncta gerat, sæpiúsque id adagium repetere consuevisse, Ecclesias Sacerdotibus non Sacerdotes Ecclesiis se ornare velle: Cæterum corruptos aulicorum mores adeò repentinam mutationem non laturos addidit Niger ipse exaratis Romæ XV. Aprilis MDXXII. literis.

Est ne mediocris reipsa Pontifex, qui præ se fert, ornandas esse Sacerdotibus Ecclesias, non vero ornandos esse Ecclesiis Sacerdotes? Nonne Hadrianus in axiomate hoc tanquam in brevi quadam tabella comprehendit, quidquid Paulus in Epistolis ad Titum & Timotheum, quidquid Gregorius in Pastorali suo, quidquid sacri Canones de instituendis Ecclesiæ ministris tradiderunt? Nonne hoc pacto Romanam emendabit Curiam, & Sedi Apostolicæ pristinum splendorem asseret? Pallavicinus id genus consilii & remedii Pontifici mediocri tribuet, & summo abjudicabit.

26 Hæc est Hadriani optimi Theologi doctrina, hæc disciplina, quam Hadrianus Pontifex optimus in auctoritatem admisit, cui se in exercendo munere suo dedit.

Ad tertium venio, idque omnium maximum ac gravissimum, in quo sanctissimus Pontifex Romanæ Curiæ vitia & abusus emendare statuit. Religiosum Hadriani consilium luculenter exponitur in mandatis, quæ Francisco Cheregato Oratori suo in Germaniam eunti dedit. Sic autem illud se habet apud Odoricum Raynaldum, in Annalium Ecclesiasticorum tom xx. *Instructio pro te Francisco Cheregato, de quibusdam, quæ Prælatis, Principibus, & civitatum Germanicarum Oratoribus dicere poteris, viva voce, ubi & quando opportunum judicaveris.*

Inprimis declarabis eis maximum dolorem, quo affligimur ex prosperatione sectæ Lutheranæ, ob id potissimum, quod videmus innumerabiles animas Christi sanguine redemptas, & curæ nostræ pastorali commissas illius occasione à vera fide ac religione averti, & in perditionem ire, idque in natione, ex qua nobis secundùm carnem origo est, quæ ab initio, ex quo ad Christum conversa fuit, usque ad istos proximos annos semper extitit fidelissima ac religiosissima: Ac propterea nobis vehementissimum desiderium esse, ut huic pesti celeriùs occurratur, priusquam Germaniæ ipsi contingat, quod Bohemiæ olim contigit; nósque paratissimos esse ad faciendum omnia in hunc effectum, quæ ex parte nostra exspectari poterunt, ac summopere desiderare, ut etiam unusquisque eorum hoc ipsum pro viribus facere studeat: Utque id faciant, nos quantum possumus, unumquemque eorum hortari & rogare;
27 *Debebunt autem eos ad hoc movere sequentia.*

Primò & ante omnia honor Dei omnibus rebus præferendus, qui per istas hæreses graviter læditur, ejúsque cultus consuetus non solùm diminuitur, sed potiùs ex toto corrumpitur. Item charitas erga proximos, quæ unusquisque pro viribus studere debet proximos errantes ab errore revocare: Quod nisi fecerit, Deus eos qui sua negligentia pereunt, de manu ejus requiret.

Secundò movere eos debet infamia nationis suæ, quæ cùm semper præ cæteris nationibus Christianissima sit habita, nunc propter eos, qui sectam Lutheranam insequuntur, apud omnes pessimè audit.

Tertiò moveat eos respectus honoris eorum proprii, qui maximè læditur, si ipsi, qui apud nationem Germanicam auctoritate & potentia pollent, hæreses istas non totis viribus expellere laborant. Tum quia degenerabunt à progenitoribus suis viris Christianissimis, qui in Constantiensi Concilio ex magna parte interfuerunt condemnationi Joannis Huss, & aliorum hæreticorum, quorum aliqui ipsum Joannem Huss propriis manibus ad ignem duxisse dicuntur, tum quia ipsi vel major eorum pars edictum Imperiale in executione sententiæ Apostolicæ contra Martinum Lutherum & suos latæ factum approbarunt, eique auctoritatem suam adhibuerunt, & propterea nisi illud pro viribus executi fuerint, vel inconstantes judicabuntur, vel etiam favere reputabuntur, cùm manifestum sit eos, ubi efficaciter velint, illum exterminare facilè posse.

Quartò moveat eos injuria, quæ per Lutherum eis &
eorum parentibus ac progenitoribus infertur: Cùm enim
ipsorum parentes & progenitores & ipsimet semper tenu- 28
erunt fidem, quam Ecclesia Romana atque Catholica approbat, & Lutherus, suique sectatores longè diversam fidem teneant, asserendo multa non esse de fide, quæ tamen illi tenuerint esse de fide, manifestum est illos à Luthero condemnari pro infidelibus & hæreticis, & per consequens secundùm Lutherum omnes eorum majores, qui in fide nostra decesserunt, sunt in inferno, cùm error in fide homines damnationis reos faciat.

Quintò attendant finem, ad quem Lutherani tendunt, ut scilicet sub colore libertatis Evangelicæ, quam hominibus proponunt, omnis potestas superioritatis tollatur. Nam licèt ab initio prius se tulerint Ecclesiasticam potestatem tanquam tyrannicè & contra Evangelium occupatam annihilare seu reprimere velle, tamen cùm eorum fundamentum, scilicet libertas, quam prædicant, æquè vel plus militet contra potestatem sæcularem, quòd scilicet illa nullis præceptis, quantumvis justis & rationabilibus obligare possit homines ad parendum sub pœna peccati mortalis, manifestum est, eos etiam illam evertere velle, quamvis astutè fecerint illam salvando, ut scilicet Principibus sæcularibus credentibus machinationem non hanc contra se, sed duntaxat contra Ecclesiasticos (quibus laici communiter infensi sunt) dirigi ac propterea partim in eorum favorem tractis, partim dissimulantibus seu non contradicentibus ipsi faciliùs Ecclesiasticos everterent. Quo facto dubium non est quin populi idem contra sæculares Principes tentaturi essent.

Sextò moveant eos maxima scandala, turbationes, di-
reptiones bonorum, homicidia, lites, dissensiones, quas
secta hæc pessima excitavit & quotidie excitat per to- 29
tum Germaniam, item, blasphemiæ, maledicta, scurrilitates, & amaritudines, quæ istis semper in ore sunt, quæ nisi ipsi sedare curaverint, verendum est, ne ira Dei desolatio veniat super Germaniam in se tam divisam, immo super ipsosmet Principes, qui cùm potestatem & gladium à Domino acceperint ad vindictam malorum, talia in subditis suis fieri permittant. Maledictus, inquit Propheta, qui facit opus Dei negligenter, & prohibet gladium suum à sanguine iniquorum.

Septimò considerent Lutherum propè consimili via ad seducendum populum Christianum uti, qua Mahometus ille spurcissimus usus tot animarum millia decepit, permittendo videlicet ea, ad quæ homines carnales inclinantur: Et exinde eximendo eos ab his, quæ in lege nostra graviora videntur: Nisi quòd Lutherus paulò modestiùs agere videtur, ut eò efficaciùs decipiat. Mahometus plures uxores habendi & eas pro arbitrio repellendi, aliásque ducendi licentiam concessit: Iste ut Monachorum & Deo dicatarum Virginum ac Sacerdotum lasciviâ carnis gestientium sibi favores conciliet, prædicat vota perpetuæ continentiæ etiam illicita esse, nedum non obligatoria, proptereáque licere illis per Evangelicam libertatem nubere: Immemor verbi Apostoli, cùm dicit de viduis adolescentioribus, quòd cùm luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Quibus per te expositis & aliis pluribus, quæ in hanc
sententiam, partim ex literarum nostrarum exemplis colli-
gere, partim ex tua prudentia excogitare poteris, horta-
beris nostro nomine dictos Principes, Prælatos, populos, ut 30
tandem expergiscantur, & excitentur ad obviandum & tam grandi injuriæ, quam Lutherani Deo & sacræ religioni ejus, & maxima ignominia, quam toti nationi vestræ Germanicæ ipsi, quam & Principibus, & maxima opprobria atque contumelias, quam & majoribus eorum, quos ut diximus, in effectu ad gehennam condemnant, inferre noscuntur, & ad executionem sententiæ Apostolicæ, ac Imperialis edicti salis omnino procedant. Detur venia his, qui

*resipiscere, & errores suos abjurare voluerint, semperque
proniores sint ad miserandum, quam ad vindicandum,
exemplo Dei nostri, qui non vult mortem peccatorum, sed
magis ut convertantur & vivant. At qui in errore per-
tinaces permanserint, districtionis virga juxta sacrorum
Canonum & legum decreta sic puniantur, ut cæteri eorum
exemplo vel in fide recta permaneant, vel lapsi in rectam
viam redeant.*

*Quòd si quis fortè dixerit, Lutherum inauditum &
indefensum fuisse per Sedem Apostolicam condemnatum,
propterea audiri omnino debere, nec antequam convictus
sit, condemnandum esse: Respondeo, quòd illa, quæ fidei
sunt, propter Divinam auctoritatem credenda sunt,
non probanda. Aufer, inquit Ambrosius, argumenta, ubi
fides quæritur; piscatoribus creditur, non Dialecticis. Et
certè fatemur, ei defensionem negari non debere in his,
quæ sunt facti: Hoc est, utrum dixerit, necne? U-
trum prædicaverit, vel scripserit, necne? Super Divi-
no jure verò, & materia Sacramentorum standum aucto-
ritati Sanctorum & Ecclesiæ. Adde quòd ferè omnia,
31 in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa
Concilia penitus reprobata: Non debet autem revocari
in dubium, quod per Concilia generalia & universam
Ecclesiam constat esse approbatum tanquam fide tenen-
dum: Injuriam namque facit Ecclesiæ Synodo, qui se-
mel rectè disposita nititur in dubium revocare. Quid e-
nim unquam certi esse poterit inter homines? Vel quis
contentionum disputationúmque finis erit, si præsumptuosè
& perversè cuique libertas seu licentia erit recedendi ab
his, quæ non unius neque paucorum, sed tot sæculorum
& sapientissimorum hominum consensu, & Catholicæ
Ecclesiæ (quam Deus in his, quæ sunt fidei, nunquam
errare permittit) determinatione sancita sunt, cùm tamen
unaquæque civitas leges suas inviolabiliter observari exi-
gat? Quomodo non omnia turbationibus & scandalis
& confusione plena erunt, nisi ea, quæ semel, immo
sæpius maturo judicio constituta, ab omnibus inconcussè
observentur? Cùm igitur Lutherus & sui Concilia
Sanctorum Patrum condemnent, sacros canones combu-
rant, & cuncta pro arbitrio suo confundant, ac totum
mundum perturbent, manifestum est, eos tanquam publicæ
pacis inimicos & perturbatores ab omnibus ejusdem pa-
cis amatoribus exterminandos esse.*

*Item dices, nos ingenuè fateri, quòd Deus hanc per-
secutionem Ecclesiæ suæ inferri permittit, propter peccata
hominum, maximè Sacerdotum, & Ecclesiæ Prælato-
rum: Certum enim est non esse abbreviatam manum Do-
mini, ut salvare nequeat, sed peccata dividere inter
nos & ipsum, & abscondere faciem suam à nobis, ne
non exaudiat. Clamant Scripturæ, peccata populi de-
32 rivari à peccatis Sacerdotum, proptereáque, ut ait Chry-
sostomus, Salvator noster curaturus infirmam civitatem
Jerusalem, ingressus est priùs templum, ut peccata Sacer-
dotum primò castigaret, instar boni medici qui morbum
à radice curat. Scimus* IN HAC SANCTA SEDE A-
LIQUOT JAM ANNIS MULTA ABOMINANDA FU-
ISSE, ABUSUS IN SPIRITUALIBUS, EXCESSUS IN
MANDATIS, ET OMNIA DENIQUE IN PERVER-
SUM MUTATA. *(indicat hic optimus Pontifex ea, quæ
nos in Alexandro VI. deploravimus:) nec mirum si æ-
gritudo à capite in membra, à summis Pontificibus in a-
lios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos (id est
Prælati) & Ecclesiastici declinavimus, unusquisque in vias
suas, nec fuit jam diu, qui faceret bonum, non fuit usque
ad unum: Quamobrem necesse est, ut omnes demus gloriam
Deo, & humiliemus animas nostras ei, videátque unusquis-
que nostrûm unde ceciderit, & se potiùs quilibet judicet,
quàm à Deo in virga furoris sui judicari velit. Qua in
re, quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam
adhibituros, ut primùm* CURIA HÆC, *unde fortè omne
hoc malum processit, reformetur; Ut sicut inde corruptio
in omnes inferiores emanavit, ita etiam ab eadem sanitas
& reformatio omnium emanet. Ad quod procurandum nos
tantò arctiùs obligatos reputamus, quantò universum mun-
dum hujusmodi reformationem avidiùs desiderare videmus.
Nos, uti aliàs tibi dixisse credimus, Pontificatum hunc
nunquam ambivimus, immo quantùm in nobis fuit, longè
maluissemus privatam vitam agere, & in sancto otio Deo
servire. Et profectò Pontificatum ipsum planè recusasse-
mus, nisi Dei timor & sinceritas electionis nostri modus,* 33
*necnon schismatis ex recusatione nostra imminentis metus
nos acceptare illum coëgisset. Subjecimus igitur colla sum-
mæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad di-
tandos propinquos nostros, sed ad Divinæ voluntati paren-
dum, ad deformatam ejus sponsam Ecclesiam Catholicam
reformandam, ad subveniendum oppressis, & doctos &
virtute præditos, qui multo jam tempore neglecti jacuerunt,
erigendum & ornandum, & denique ad omnia alia agen-
dum, quæ bonum Pontificem, & legitimum beati Petri
successorem agere oportet: Quanquam nemo mirari de-
bebit, si non statim omnia errata & abusus omnes per
nos emendatos viderit: Inveteratus nimium morbus est,
nec simplex, sed varius & multiplex; pedetentim in ejus
cura procedendum est, & priùs gravioribus, magisque
periculosis occurrendum, ne omnia pariter reformari vo-
lentes, omnia perturbemus. Omnes subitæ mutationes, in-
quit Aristoteles, in republica periculosæ sunt, & qui ni-
mis emungit, elicit sanguinem.*

*Quod autem ultimis literis tuis scribis questos fuisse
tecum Principes istos, quòd concordatis eorum per hanc
Sedem derogatum sit, dices nos de his, quæ ante nos
facta fuere, culpari nec posse nec debere, nobisque ejus-
modi derogationes, etiam dum in minoribus essemus, sem-
per displicuisse. Proinde nobis certissimam sententiam esse,
etiamsi ipsi non requirerent, illis nostri Pontificatus tem-
pore penitus abstinere, partim ut unicuique jus suum ser-
vemus, partim quia æquitas & humanitas exposcit, ut
inclytam nationem nostram non solùm non offenda-
mus, sed etiam peculiares ei favores impendamus. De* 34
*processibus verò, quos à Rota avocari & ad partes re-
mitti postulant, dices nos cupere eis in hoc gratificari,
quantùm honestè possimus: Sed propter absentiam Au-
ditorum ab urbe pestis gratia, non posse nos de qualitate
& habitudine ipsorum processuum ad præsens informari:
Reversis verò illis, quod peste jam decrescente brevi
futurum speramus, facturos in gratiam dictorum Prin-
cipum, quidquid rationabiliter poterimus. Item solicita-
bis diligenter responsa literarum nostrarum, & requires
eos, ad quos scribimus, ut nos literis suis informent,
quibus mediis eorum judicio videatur hæc pessima secta
commodiùs obviari posse, ut ea, quæ per nos providenda
fuerint, celeriùs provideri possint; & super hoc ipso etiam
tute diligentissimè informabis, & nobis plenè perscribes.*

*Item quia intelleximus in Germania esse multos bonos
& doctos viros pauperes, aliqua etiam præclara inge-
nia, quæ ex indignitate Apostolicarum provisionum hist-
rionibus & stabulariis potius, quàm viris doctis fieri
solitarum, à Sedis hujus devotione aversa, cupimus, ut
inquiras, quinam illi sint, eorúmque nomina ad nos
transmittas, ut occurrente beneficiorum Germanicorum
vacatione illos proprio motu providere possimus: Scimus
enim quantum Dei honori & animarum saluti ac ædifi-
cationi obfuerit, quòd jamdiu Ecclesiastica beneficia, maxi-
mè curam & regimen animarum habentia, data fue-
runt hominibus indignis. De subsidio procurando pro
Hungaris non damus aliam informationem, quàm disce-
denti tibi dedimus, excepto quòd te hortamur, ut rem
illam summo studio, (ut facis) cures: nos etiam a-
pud Principes & Respublicas Italicas missis oratoribus* 35
*solicitabimus, ut pro viribus quisque subveniat. Hadria-
nus Papa VI.*

Hactenus sincerè tibi descripsi momenta rerum tria,
quæ, ut par est credere, fecerunt, cur Magistri Curi-
ales & eorum fautores de Hadriani VI. laude & fama
detraxerint. O mira rerum conversio! Quæ decus
& ornamentum adferre debuerunt Pontifici, reprehen-
sionem & calumniam accerserunt. In summa vitio
datum est, quod dandum fuit gloriæ. Hinc excusari
vix

vix potest Cardinalis Pallavicinus, qui antiquæ probitatis & prisci moris Pontificem contumeliosè prosecutus est, ut Curiæ blandiretur. Macula & labes insignis est, qua initium historiæ suæ fœdavit, & hujus auctoritatem imminuit. Id genus mali accidisset nusquam, si Pallavicinus Hadrianum, & quæ Hadriani sunt, omnia circumspectasset. Tunc Hadrianum laudasset in tantum, in quantum virtus & digna Romano Pontifice scientia laudari possunt.

Et sanè si primum ex tribus memoratis antè capitibus attendatur, quò illud quæso tendit? Nonne ut universus Clerus ad Apostolicæ vitæ normam & priorum Ecclesiæ sæculorum moderationem revocetur? Nonne his temporibus ille verè dives habebatur, qui pauper esset Evangelicus? Nonne Magister Ecclesiarum Hieronymus Anastasium Romanum Pontificem appellat, *Virum ditissimæ paupertatis?* Nonne virtutibus magis, quàm divitiis defenditur Ecclesia? Christianam religionem auxit sanguis Martyrum, non potentia Christianorum. E vinculis Petrum eripuit, non armis dimicans sed orans, sine ulla intermissione, Ecclesia. Petrus Alexandrinus cùm subiturus esset martyrium, non
36 Christianorum manu, sed suis precibus à Deo pacem Ecclesiæ obtinuit. Jacobus ille magnus Nisibenus Episcopus obsidentes urbem suam Persas non opibus, sed virtutibus removit. Sic Leo Romanus antistes urbem in Genserici direptione ab incendio & cæde liberavit. Sic Anianus Aurelianensis Episcopus Atilam vicit & fugavit è Gallia. Sulpitius Severus absolvit omnia, cùm in libro II. Historiæ sacræ, qua in re Christianorum major sita sit victoria, his verbis designat: *Neque majore unquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus.* Ex quibusdam interpositis: *Hoc temporum tractu mirum est quantum invaluerit Christiana religio.* Id profectò non effecerunt Christianorum divitiæ, sed virtutes. Ad extremum, quæ in Ecclesia superessent opes, has ad Ecclesiam ab ipsius hostibus defendendam insumendas esse statuit. Hoc autem cùm apprimè calleret Hadrianus, ut Theologus scripsit, quod ab eo scriptum retulimus, & ut Pontifex exemplo suo asseruit & confirmavit. Qua re nulla major est assertio vel confirmatio.

Ad secundum caput quod attinet, Hadrianus in eo ut Theologus effusissimam, non tam Apostolicarum, quàm Curialium dispensationum licentiam cohibuit, & certum quendam modum statuit, quem Pontifex diligenter & summa cum religione servavit. Licentia hæc labentis & inclinatæ Curiæ vitium est, non Sedis Apostolicæ; quippe quæ nihil prius, nihil carius, nihil antiquius observatione sacrorum Canonum habuit. Id profitentur optimi quique ac sanctissimi Hadriani decessores, quorum testimonia subjecturi imus.

37 Primus mihi erit Gregorius IX. in epistola ad Lundensem Archiepiscopum: *Metropolitanus in coronatione Regis, benedictionibus Abbatum, seu regalium nuptiarum in Missarum celebratione eo die, non aliter quàm in Ecclesia suæ privilegio sit expressum, nequaquam pallio uti debet: Verumtamen fraternitati tuæ, vel si forsan Regem coronari contingat, eo die pallio uti possis, præsentibus indulgemus, dum tamen evidens utilitas vel necessitas id exposcit.* Huc spectat Hadrianus VI.

Secundus Innocentius III. in libri I. Epistola ad Faventinum Episcopum: *In talibus evidens utilitas & urgens necessitas secundùm instituta canonum solent & debent attendi.* En Hadriani VI. meta, quæ Romanis Aulicis incommodat quamplurimùm!

Deinde in libri II. Epistola ad Patriarcham Aquileiensem & Ferrariensem Episcopum: *Utilitas & necessitas dispensationem inducunt, & repentini casus, etsi non nova, non tamen usitata remedia nos excogitare compellit.* Quibus nihil est ad propositum Hadriani conducibilius.

Tum in ejusdem libri Epistola ad Cantuariensem Archiepiscopum: *Quæ in derogationem sanctorum canonum attentantur, tantò potiùs infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.* Sic auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præesse se dicit Innocentius, non postulat, ut sacris canonibus deroget, sed postulat, ut quæ in sacrorum canonum derogationem attentantur, funditus evertat.

Denique in Lateranensis Concilii, cui præfuit, capite I. *Non debet reprehensibile judicari, si secundùm 38
varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex iis, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.* Hic quanta debet esse in remittenda sacrorum canonum disciplina & severitate circumspectio, demonstrat, cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas, quæ id postulat, exemplo Dei ipsius confirmetur.

Tertius Lucius III. in Epistola ad Rainaldum Noviomensem Episcopum: *Ex suscepto tenemur administrationis officio ea, quæ juri & rationi obviemant, prohibere, ne fiant, & si temeritate aliqua admissa fuerint, salubri consilio revocare, ut Apostolici moderaminis auctoritate quassemus, quæ contra statuta juris Canonici attentata noscuntur. Sanè multiplici conquestione didicimus, quod Decanus & Canonici Ecclesiæ tuæ hanc à te licentiam impetrarunt, ut malefactores suos quos vellent, sine tuo assensu, vinculo anathematis innodarent. Adjectum est insuper, quòd quoties eis aliqua injuria, vel per te, vel per Castellanum, vestrósque ministros seu communia inferretur, propria possent voluntate cessare, & totam civitatem subjicere interdicto: Ita quod & Abbatiæ & parochiales omnes Ecclesiæ eidem sententiæ subjacerent. Quia verò memorata licentia est sacris adversa canonibus, & in gravamen innocentium introducta dignoscitur, & in ipsius Dei redundat injuriam, à cujus laudibus hac occasione cessatur, multùmque detrimentum animabus fidelium probatur afferre, eam viribus carere decernimus, & Apostolica auctoritate cassamus, cùm ipsi Canonici in præsen- 39
tia nostra, vel Metropolitani, vel tui ipsius, aut judicis delegati à nobis, suam valeant justitiam obtinere. Alienum quippe ab Ecclesiastica gravitate videtur, & Canonicis obviat institutis, ut excommunicandi potestas, quæ de judicio pendet antistitum, in multitudinis ponatur arbitrio, quæ ad hoc aliquoties animositate potiùs, quàm ratione movetur. Nulli ergo hominum, &c. Datum Veronæ Nonis Martii.* Ex Tabulario Laudunensis Episcopi. Illius ergo, qui Sedi Apostolicæ præsidet, partes hæ sunt, ut quæ juri & rationi adversantur, salubri consilio revocet, & ut quæ contra statuta Juris Canonici attentata invenit, Apostolici moderaminis auctoritate comprimat. Cum talis in Apostolica Sede viget disciplina, nullus datur locus iis dispensationibus, contra quas Hadrianus tam sanctè ac tam religiose scripsit.

Quartus Alexander III. in certo quodam privilegio, quod Præmonstratensium Ordini concessit: *In Apostolicæ Sedis specula, quanquam immeriti providentia Domino constituti, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, & ea sincerè tenemur amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, & ad virtutum spectant ornatum.* Dispensationum illarum abusus, de quo Hadrianus disputat, nec ad religionis incrementum pertinent, nec ad virtutum spectant ornatum. Quinetiam vitiosis dispensationibus, quæ ab Hadriano reprehenduntur, debitus religioni veræ honor subtrahitur, & virtutum ornatus inobscuratur.

Quintus Eugenius III. in epistola VIII. ad Germaniæ Episcopos: *Cùm translationes Episcoporum sine ma- 40
nifestæ utilitatis & necessitatis judicio divinæ legis oraculum fieri non permittat, cùm etiam multò amplior, quàm in aliis electionibus Cleri & Populi eas debeat prævenire concordia, in faciendâ translatione fratre nostro Guiemanno Cicensi Episcopo nihil horum est, sed solus favor*

Principis exspectatur, &c. *Nos enim sic, quod de supradicto fratre nostro facere nititur, videremus ratione fulciri, nec voluntati ejus, nec postulationi vestræ duceremus aliquatenus obviandum. Contra Deum autem, & sacrorum canonum sanctiones nulli omnino petitioni possumus præbere consensum.* Dispensationes sunt raræ admodum, quando ea fiunt ratione, quam Eugenius proponit, & Hadrianus sequitur.

Sextus Paschalis II. in Responsionibus ad beati Anselmi interrogationes: *Dispensationis modus, sicut beatus Cyrillus in Epistola Ephesinæ Synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuit. Novimus enim sanctos Patres nostros & ipsos Apostolos pro temporum articulis, & qualitatibus personarum dispensationibus usos. Quamobrem nos de religione & sapientia tua diu longéque spectata, nihil penitus ambigentes tua deliberationi committimus, ut juxta datam tibi divinitus intellectum, cùm Ecclesia, cujus præpositus es, tanta necessitas expetit, sanctorum canonum decretorúmque difficultate opportuna & rationabili valeas temperare.* In faciendis dispensationibus Hadriani mens eadem est, quæ Paschalis.

Septimus Urbanus II. in Romano Concilio III. cui præfuit: *Quamvis autem misericordia intuitu, magnáque necessitate hanc in sacris ordinibus* (quos schismatici
41 vel simoniaci dederant) *dispensationem constituimus, nullum tamen præjudicium sacris canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate illud quoque cesset quod factum est pro necessitate.* En regula, quam sequitur & sequendam esse vult Hadrianus!

Octavus Gregorius VII. in libri II. epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Et quia venerandi canones ad Sacerdotii dignitatem tales* (spurios) *provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quicquam à nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes pleráque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere.* Hæc est Sedis Apostolicæ in observatione sacrorum canonum traditio, quæ Hadriano præluxit.

Deinde in libri VI. epistola II. ad Manassem Remensem Episcopum: *Privilegia siquidem non debent sanctorum Patrum auctoritatem infringere, sed utilitati sanctæ Ecclesiæ prospicere. Ad id autem quod de privilegio dicitis, breviter interim respondemus, quòd possunt quædam in privilegiis pro re, pro persona, pro tempore, pro loco concedi, quæ interim pro eisdem, si necessitas vel utilitas major exegerit, licenter valent commutari.*

Tum in libri IX. Epistola V. ad Hugonem Diensem Episcopum: *Præterea innotuit nobis, quod multos milites, qui priùs ad Presbyteros fornicarios, & simoniacos coercendos favorem & auxilium vobis impenderent, propterea quòd decimas dimittere nolebant, excommunicando turbaveritis, quales aut adhuc anathematis vinculis alli-*
42 *gare Synodali judicio discretionem distulimus. Super his igitur consulimus, atque hortamur, ut nunc pro tempore canonicum rigorem vestra sapientia temperet, atque hac turbationis tempestate, quædam parcendo, nonnulla dissimulando ita studeat moderari, ut non ex severitate justitiæ deteriorandi occasionem sumant: Sed suspensa nunc judicio spatium recognoscendi, æquitatem habentes, postmodum faciliùs agnoscant, ut demum in eos tranquillitatis tempore, quod Deo annuente citò futurum speramus, id quod nunc Apostolicæ Sedis discretio patienter differt, justitia dirimens ad statum suum restauraret.*

Denique in Epistola IX. inter Epistolas, quæ referuntur in tomo VI. hist. Francorum: *Quia consuetudo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore licèt indigni deservimus, est quædam tolerare, quædam etiam dissimulare, discretionis temperantiam potiùs, quàm rigorem canonum sequentes, causas Episcoporum Franciæ atque Burgundiæ, qui suspensi, seu damnati à Legato nostro Hugone Diensi Episcopo fuerunt, non sine gravi labore discussimus.* Præsules de quibus fit mentio, suspensi propter simoniam damnatique fuerant. Moderatio hæc, qua sedes Apostolica utitur erga eos, qui violarunt canones, ostendit, eandem Sedem in largiendis dispensationibus parcissimam esse. Cui rei Hadrianus facile consentit, idque ita faciendum esse verbo atque exemplo docet.

Nonus Nicolaus II. in Romano Concilio cui præfuit: *Tanta*, inquit, *talium* (simoniacorum præsulum) *multitudo est, ut dum rigorem canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensatiuè ad pia condescensionis studium nostros animos ad* 43
præsens inclinemus, ita tamen auctoritate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi vel alicui assumat, vel præfigat, quia hoc non antiquitas Patrum jubendo aut concedendo, promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit. Venia, de qua loquitur Nicolaus, non tam infringendi, quàm infracti canonis est, quam ab illo necessitas summa extorsit. Hadrianus id sentit, quod Nicolaus senserat.

Decimus Clemens II. in Epistola ad Joannem Salernitanum Episcopum: *Quoties ita contingit, ut exigente necessitate, vel maxima utilitate transmutandus est quisquam Episcopus de propria Sede ad aliam, diligentissimè perquirenda est persona, utrum necessariò sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, si major Sedes assumatur.* En vera relaxandorum canonum regula; maxima vel necessitas, vel utilitas, ad quam respectum habet Hadrianus!

Undecimus Joannes VIII. in Epistola XIV. ad Episcopos Bituricensis provinciæ: *Prioribus itaque manentibus regulis, quas ubi nec rerum, nec temporum urget necessitas, jure convenit observari.*

Deinde in Epistola XXXIV. ad Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum: *Moderatio Sedis Apostolicæ, & universalis Ecclesiæ dispositio in hoc periculoso tempore penè cuncta dispensatoriè moderanda compellit. Quamvis autem præsenti sit exuli consulendum, nihil tamen est non extante ulla necessitate contra Patrum canones agendum.*

Tum in Epistola CXCIX. ad Basilium, Constantinum, & Alexandrum Impp. *Nos statutis Apostolicis præjudicantes, nec beatorum Patrum regulas resolventes,* 44
quin potiùs eorum auctoritate freti, qui Nicæni Concilii cap. 2. apertissimè dicunt: Quoniam plura per necessitatem, aut aliàs cogentibus hominibus adversus Ecclesiasticam facta sunt regulam: Hinc & Gelasius Papa dicit, quod ubi nulla perurget necessitas, constituta Patrum inviolata serventur. Et sanctus Leo eodem spiritu præcipit omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Inde & Felix præsul decessor noster in sua decretali Epistola voce consona dicit; Aliter tractandam esse necessitatis rationem, & aliter voluntatis. Inde sanctum Concilium apud Africam gestum cap. 35. Ut Clerici Donatistarum in Ecclesia propter Ecclesiæ pacem & utilitatem, si correcto consilio ad Catholicam unitatem transire voluerint, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis suscipiantur honoribus. Hæc est præscriptio, ad quam Hadrianus & suas & Sedis Apostolicæ actiones dirigit, & dirigendas esse censet.

Duodecimus Hadrianus II. in Epistola XXVII. ad Episcopos Duziacensis Synodi: *Nonnullos Episcopos sicut tripartita historiæ series prodit, legimus pro temporis necessitate de una Ecclesia fuisse mutatos in aliam, quia aliter tractanda est necessitatis ratio, aliter voluntatis. Unde sancti Patres Nicæni Capitulo II. dicunt, quoniam plura, aut per necessitatem, aut aliàs cogentibus hominibus adversus Ecclesiasticum facta sunt regulam, & sanctus Papa Leo cap. 44. decretalium suorum dicit, omittendum esse, & inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.* Sedis Apostolicæ traditionem & Nicæni Concilii

45 auctoritate & Leonis Papæ testimonio confirmat: Et sic Hadriani VI. factum asserit.

Decimustertius Nicolaus I. in Epistola I. ad Michaelem Imperatorem: *Quoniam sicut dictum est, distare convenit inter personam divino cultui dedicatam, & de laicorum conversatione venientem, quæ tamen eatenus indulgenda credimus, ut illis Ecclesiis, quibus infestatione bellorum, vel nulla penitus, vel exigua remanserunt, quatenus hæ Deo propitio restituta, in Ecclesiasticis gradibus subrogandis paternorum canonum vetus forma servetur, ne contra vos ulla ratione prævaleat, quod pro accidentis defectus remedio providetur. Non adversus sicuta majorum nova lex proponitur, cæteris Ecclesiis ab hac occasione cessantibus; quas non simili clade vastatas pristinam in faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam. Quo magis hac opportunitate communitis observantiam venerandorum canonum propensius delegavit.* En temperandorum canonum lex, urgens necessitas & evidens utilitas!

Deinde in Epistola VI, ad Photium: *Et ideò licet contra Patrum decreta, atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in auctoritate tenendum est, sed ne iterum talis proveniat necessitas, magis magisque cavendum.* Nicolaus Sedis Apostolicæ traditioni insistit, cui Hadrianus insistere voluit, & quoad vixit, institit.

Decimusquartus Zacharias in Epistola XII. ad Bonifacium Episcopum, ubi variis illius consultationibus respondet: *Inquisisti etiam & hoc, si ante trigesimum annum liceat Sacerdotem ordinari? Bonum & congruum, charissime frater, si fieri & inveniri potest, ut provectæ æ-*
46 *tatis & boni viri testimonii juxta sacrorum canonum instituta ordinentur Sacerdotes: Si autem minimè reperiantur & necessitas exposcit, à viginti quinque annis & suprà Levitæ & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur.* Non aliud, quàm necessitas sola, vel utilitas in causa est, cur aliquando sacrorum canonum observatio relaxetur. Hoc ipsum sibi vindicat Hadrianus, qui & aliunde noverat opinor eundem Zachariam in Epistolæ I. ad eundem Bonifacium capite V. scripsisse: *De illo namque, qui viduam avunculi sui, quæ & ipsa fuit uxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, à beatæ memoriæ prædecessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut eam in pernicioso matrimonio assumere debuisset. Absit, ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum, sive canonum institutis invenirentur.*

Decimusquintus Martinus I. in Epistola V. ad Joannem Philadelphiæ Episcopum: *Defensores divinorum canonum & custodes sumus, non prævaricatores, quandoquidem prævaricationibus conjuncta manifestè retributiones sunt.* Et paullo post: *Novit canon afflictorum temporum persecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præcessit, prævaricationem redarguens, sed angustia magis, & penuria, quæ propter necessitatem & misericordiam cogit multam diligentiam prætermittere.* Huc noster spectat Hadrianus.

Decimussextus Gregorius primus, isque magnus Pontifex in libri I. Epistola III. ad Joannem Surrentinum
47 Episcopum: *Religiosis desideriis facile est præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum.* Tunc id exposcit & necessitas vel certè utilitas, & id quoque noverat Hadrianus, cùm dispensationes illas, quibus contradicit, nec religiosas esse, nec iis fidelem devotionem posse celerem effectum sortiri perspiceret.

Deinde in libri XI. Epistola V. ad Adeodatum servum Dei: *Effectum justa postulantibus indulgere & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas non relinquit.* Hadrianus petentium voluntatem aliquando pietate non adjuvari luculenter docuit, cùm NEPOTI SUO Sacerdotia duo petenti impertire noluit. Adde quòd qui petit Sacerdotia duo, si pinguia sint maxime & opima, eum fere semper veritas relinquat.

Neque verò Gregorius poterat aliter loqui, postquam sibi sumpsit Ecclesiæ pacem in diligenti observatione sacrorum canonum consistere: Sic enim in ejusdem libri Epistola XLIV scribit ad Joannem Panormitanum Episcopum: *Illud autem admonemus, ut Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria, & canonum manet incolumis, atque immerata semper auctoritas.*

Decimusseptimus Symmachus in Epistola ad Eonium Arelatensem Episcopum: *Huc accedit, quod ne sit sententiarum varietas ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere, cujus potestas omnis infringitur, nisi universa quæ à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint; quod aliàs contingere non poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem,* 48
& roborando quæ gesta sunt faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim Vicarius beatissimi Petri Apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in Sacerdotibus præcipimus eisdem transeuntibus dissolvamur? Quam accuratam sacrorum canonum observationem postulat, hæc necessitatem summam aut utilitatem maximam non excludit, sed admittit, ut decessores & successores admiserunt. Symmachus hic tantum occurrit sacrorum canonum relaxationi, quæ non satis considerate fieret.

Quod sic explicat in Epistola ad Avitum: *Attamen si ea quæ fecit* (Anastasius Papa) *rationabiliter fecisse fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum: Quia quod fit præter regulam, modò sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis à Patribus statuta diligenti observatione, & observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset; & sæpè crudele esset insistere legi, cùm observantia ejus esse præjudicabilis Ecclesiæ videtur, quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant.* In tomo V. Spicilegii Lucæ Dacherii. Et hæc est Hadriani suis in libris mens & intentio.

Decimusoctavus Gelasius I. in Epistolæ IX. ad omnes Episcopos capite I. *Necessaria rerum dispositione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine sic paternorum canonum decreta librare, & retrò Præsulum decessorúmque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit,* 49
adhibita consideratione diligenti quantùm fieri potest, temperemus, quo nec in totum formam videamur excedere regularum. Iterum in capite II. *Prisca pro sui reverentia constituta, ubi nulla rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri.* Hadrianus Gelasium proposuisse sibi visus est ad imitandum.

Decimusnonus Felix III. in Epistola ad Episcopos per diversas provincias constitutos: *Sciens quod se decipiat ipse qui fallit, nihilque per nostram facultatem tribunalis excelso judicio derogari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt, & aliter necessitas, aliter tractanda est ratio voluntatis.* Hæc est Apostolicæ Sedis norma & præscriptio, qua ductus Hadrianus noluit, ut NEPOS sacerdotiis duobus frueretur, cùm NEPOS ILLA frui vel maxime concupisceret.

Vigesimus, Hilarius in Epistolæ VIII. capite I. *Quod utique non aliter poterit præcaveri, nisi statuta venerandorum canonum in faciendis conventibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas, exequamur: In quibus possint pro emergentium necessitate causarum ad Ecclesiastica observantiam disciplinæ, & ea quæ secus facta fuerint, corrigi, & sequenda constitui.* Sic necessitas in causa est, cur canonum remittatur observatio; atque ita sublata necessitate canones diligenter observandi sunt: Et hoc ipsum Hadrianus VI. verbo & exemplo docet.

Vigesimus-

Vigesimus primus Leo I. in Epistolæ LXXIX. ad Ni-
cetam Aquileiensem Episcopum capite III. *Omitten-*
50 *dum est & incalpabile judicandum, quod necessitas intu-*
lit. Sic non peccatur contra canones, cum id quod
fit, ut fiat, necessitas summa, vel utilitas maxima de-
poscit. Neque verò Leo dissentit à seipso cùm in
Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episco-
pum capite IV. scribit: *Universa pacis tranqaillitas*
non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia
intemerata servetur. Hæc enim necessitati summæ, vel
utilitati maximæ locum relinquunt, & unà demon-
strant remittendam esse quàm ratò canonum discipli-
nam, in qua universæ pacis tranquillitas consistit. Hæc
est tota Hadriani philosophia, quæ in illius quæstioni-
bus repræsentatur.

Vigesimussecundus Innocentius I. in Epistolæ ad
Rufum, Eusebium, & alios Macedoniæ Episcopos ca-
pite V. *Jam ergo quod pro remedio ac necessitate tempo-*
ris statutam est, constat primitus non fuisse, ac fuisse re-
gulas veteres, quas ab Apostolis, aut Apostolicis viris tra-
ditas Ecclesia Romana custodit, custodiendásque mandat
his, qui eam audire consueverunt, sed necessitas tempora
id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro
remedio reperit, cessante necessitate debet utique cessare
pariter, quod urgebat, quia alius est ordo legitimus, alia
usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. In
Ecclesiasticis dispensationibus plura necessitate fiunt,
quæ citra necessitatem fieri nequeunt. Quod Hadri-
anus VI. cum intelligeret, in faciendis dispensatio-
nibus parcissimum se præbuit, quia sic agendum esse
docuerat.

Hæc est Apostolicæ Sedis traditio, quam per illius
præsides à Gregorio IX. ad originem reduximus, &
51 quam Hadrianus sequi & instaurare voluit: Instaurare
quidem, quod ante se adulatricis Curiæ vitio neglecta
fuerat; ait enim: *Scimus in hac sancta Sede aliquot jam*
annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus,
excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mu-
tata.

Id traditur in tertio capite, quod sincerum Pontifi-
cis animum, consilium sanctum, fortitudinem, pietatem,
religionem perspicue demonstrat. Dolenter quidem,
sed libenter de Curiæ vitiis agnoscere, quod Hadria-
nus in mandatis Cheregato datis agnoscit, quid magis
ingenuum & Christiano pectore dignius? Emendare
& purgare velle Curiam, cum hoc in labore Hercules
vix sufficeret, quid fortius? Quid Romano Pontifici
qualis Hadrianus extitit, honorificentius, & ad præ-
bendum cæteris exemplum augustius? Ab Romano
Clero reliqui Cleri emendationem inchoare, quid pru-
dentius? Quid efficacius? Quid tum demum sanctius?
Sacerdotia distribuere, ut sacri canones & recta ratio
præscribunt, quid justius? Ecclesiasticis bonis adjuva-
re tenuioris fortunæ homines, qui bonis artibus &
disciplinis Ecclesiam ædificent, quid religiosius? Quid
ad tuendam Pontificii nominis dignitatem aptius?
Denique in Lutheri negotio factum & divinum jus
distinguere, quò faciliùs Lutheri transigatur negotium,
& Lutherus reducatur in Ecclesiam, & vera sanciatur
concordia, quid sapientius? Quid Ecclesiasticæ tradi-
tioni convenientius? Quid veri nominis Theologo lau-
dabilius? Quid ut scitu ita & factu magis necessarium?
Hadrianus in mandatis Cheregato datis omnia hæc,
quæ in Pontificem reipsa mediocrem transcribuntur,
52 ad plenum & perfectum executus est, eúmque execu-
tum esse non difficilè judicabis.

Expositum hactenus Hadriani consilium firmissimè
sustentant, quæ anno post illius obitum XV. Romæ
gesta sunt Paulus III. Concilium ex delectis Cardi-
nalibus & Præsulibus aliis fieri voluit, ut illius opera
certa quædam emendandæ Ecclesiæ ratio inveniretur.
In eo notati sunt præcipui abusus, qui corrigendi e-
rant. Sed Concilii Patres primam mali labem in
Curiam transferunt, ut Hadrianus antè transtulerat.
Verba sunt: *Beatissime Pater, tantum abest, ut verbis*
explicare possimus, quàm magnas gratias Respublica Chri-
stiana Deo optimo maximo agere debeat, quod te Ponti-
ficem hisce temporibus ac Pastorem gregi suo præfecerit,
eámque quam habes mentem dederit, ut minimè speremus
cogitatione eas, quas Deo gratias debet, consequi posse.
Nam spiritus ille Dei, de quo virtus calorum firmata est,
ut ait Propheta, labantem, imò ferè collapsam in praceps
Ecclesiam Christi per te restaurare, & huic ruina ma-
num ut videmus, supponere decrevit, eámque erigere ad
pristinam sublimitatem, decorique pristino restituere, cer-
tissimam Divina hujus sententia conjecturam nos facere
valemus, quibus sanctitas tua ad se vocatis mandavit, ut
nullius aut commodi tui, aut cujusquam alterius habita
ratione, TIBI SIGNIFICAREMUS ABUSUS ILLOS,
GRAVISSIMOS VIDELICET MORBOS, QUIBUS
JAMPRIDEM ECCLESIA DEI LABORAT, AC PRÆ-
SERTIM HÆC ROMANA CURIA, *quibus effectum*
propè est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestife-
ris his morbis, magnam hanc ruinam traxerit, quam vi-
demus. Et quoniam sanctitas tua spiritu Dei erudita, qui 53
(ut inquit Augustinus) loquitur in cordibus nullo ver-
borum strepitu, probè noverat, PRINCIPIUM HORUM
MALORUM INDE FUISSE, QUÒD NONNULLI
PONTIFICES TUI PRÆDECESSORES PRURIENTES
AURIBUS, UT INQUIT APOSTOLUS PAULUS, CO-
ACERVAVERUNT SIBI MAGISTROS AD DESIDE-
RIA SUA, NON UT AB EIS DISCERENT, QUID
FACERE DEBERENT, SED UT EORUM STUDIO
ET CALLIDITATE INVENIRETUR RATIO QUA
ID LICERET, QUOD LIBERET: *Inde effectum est,*
præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio,
ut umbra corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veri-
tatis ad aures Principum, QUÒD CONFESTIM PRO-
DIRENT DOCTORES, QUI DOCERENT PONTIFI-
CEM *esse dominum beneficiorum omnium: Ac ideò cùm*
dominus jure vendat id quod suum est, necessariò sequi,
in Pontificem non posse cadere simoniam: Ita quod volun-
tas Pontificis qualiscunque ea fuerit, sit regula, qua ejus
operationes & actiones dirigantur: Ex quo proculdubio
effici, ut quidquid liceat, id etiam libeat.

EX HOC FONTE, Sancte Pater, TANQUAM EX
EQUO TROJANO *irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus,*
& tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad
desperationem ferè salutis laborasse, & manasse harum re-
rum famam ad infideles usque. Credat sanctitas vestra
scientibus, qui ob hanc præcipuè causam Christianam reli-
gionem derident, adeò ut per nos, per nos inquimus, no-
men Christi blasphemetur inter gentes. Tu verò, Sanctissi-
me Pater & verè sanctissime, edoctus à spiritu Dei, præ-
ter veterem illam tuam prudentiam, cùm totus in hanc rem 54
incubueris, ut sanatis ægritudinibus Christi Ecclesia cura
tua commissa bonam valetudinem recuperaret, vidisti ac
probè vidisti, INDE INCIPIENDAM MEDICATIO-
NEM, UNDE PRIMÙM ORTUS EST MORBUS, *secu-*
tásque doctrinam Apostoli Pauli vis esse dispensator, non
dominus, & fidelis inveniri à Domino: Imitatus etiam
servum illum, quem in Evangelio Dominus præfecit familia
sua, ut det illis in tempore tritici mensuram, ac propterea
decrevisti nolle, quod non liceat, nec vis posse quod non
debes. Et quibusdam interjectis:

Illud verò ante omnia, Beatissime Pater, putamus sta-
tuendum esse, ut dicit Aristoteles in Politicis, sicut in
unaquaque Republica, ita & in hac Ecclesiastica guber-
natione Ecclesia Christi hanc præ omnibus legem haben-
dam, ut quantum fieri potest, leges serventur. NEC PU-
TEMUS NOBIS LICERE DISPENSARE IN LEGI-
BUS, NISI URGENTI DE CAUSA ET NECESSARIA.
Nulla namque consuetudo perniciosior in quavis republica
induci potest, quàm hæc legum inobservantia: Quas san-
ctas majores nostri esse voluerunt, earúmque potestatem
venerandam & divinam appellarunt.

Deinde in abusu quarto, qui ad beneficiorum collatio-
nem pertinet: *Videat sanctitas tua,* QUO PROCESSIT
ASIEN-

ASSENTATORIA ILLA DOCTRINA, QUA TANDEM EFFECTUM EST, UT ID LICEAT, QUOD LIBEAT.

Porro autem quos abusus Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Præsulum recenset, & ad liquidum confessúmque deducit, hos omnes Hadrianus paucis comprehenderat: *Scimus in hac sancta Sede a-*
55 *liquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata.*

Hinc Marcellus II. qui Paulo III. fuerat ab Epistolis, & consiliorum illius particeps, cùm aliquando hæc & alia perspiceret, id asseruit, quod tacere non possum. Res ita narratur ab Onuphrio qui vitam illius scripsit: *Ea simplicitate, qua privatus cùm esset, edebat, habebátque sive publicè, sive privatim conviváretur, Anagnostem in mensa, qui sacros libros, aut sanctorum Patrum scripta legeret. Post longum in prandio silentium recordatus aliquando ea Hadriani IV. Papæ verba: Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione ejus nulla miserior. Totius enim vitæ lætitia & felicitas amaritudo est: Cathedra Romani Pontificis est spinosa, ut undique consertum aculeis, pondus tanti molis, ut robustissimos premat & confringat humeros: Manu mensam percutiens dixit:* NON VIDEO, QUOMODO QUI LOCUM HUNC ALTISSIMUM TENENT, SALVARI POSSINT. Ad hoc Marcelli effatum eruditis ad nimiam assentationem Doctoribus quid fiet? Pontifex circumspectione magna præditus non videt, quomodo qui Romanæ Ecclesiæ cathedram tenent, salvari possint? ipsi viderint. Hadrianus ad Romanum Pontificem accommodate definiit, quod beatus Augustinus tum Presbyter de Episcopi, Presbyteri, & Diaconi officio pronunciaverat in Epistola CXLVIII. ad Valerium Episcopum: *Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur, sed nihil apud Deum miserius, & tri-* 56
stius, & damnabilius: Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Sed Marcellus II. cum Episcopale officium suum in editiori loco positum aspiceret, id affirmare non est veritus, quod iterare animus refugit ac reformidat.

Quorsum hæc? nisi ut primùm intelligas, Hadrianum VI. non sine causa, eáque maxima in Apostolica Sede fecisse, quod in scholis docuerat, vixisse Pontificem, ut cuicunque Clerico vivendum esse tradiderat, & Scripturæ sacræ auctoritate & sanctorum Patrum testimoniis confirmaverat? Deinde ut observes diligentiùs, nos verè retulisse præcipua capita, quibus politici, non tam Christiani, quàm philosophi colligunt, Hadrianum Pontificem fuisse reipsa mediocrem, id est, ad regendam Sedem Apostolicam minus idoneum. Sed quanta cum iniquitate & contumelia colligant, sit tuum & tui similium egregiè videlicet cordatorum hominum arbitrium. Interim, quæ politici Hadriano objiciunt, hæc tanquam frigida & inania respuo & despicio. Hadrianum ut prioris ævi Pontificem colo & veneror, ut qui lapsos Curialium mores erigere studuit, ut qui contra cupidos & avaros antistites patrimonia pauperum vindicare voluit, & consanguineos egenorum sumptibus locupletare noluit, ut qui sacros canones sine urgenti & necessaria causa relaxare instituit, & Ecclesiam ad eorundem canonum institutum regendam suscepit. Vale. Lutet. Paris. Idibus Febr. ann. MDCLXVI.

Joannes Launoius

CAROLO MAURITIO TELLERIO,

Parisiensi Theologo, *& Regiæ Capellæ Præfecto.*

1 EXTREMUS est in Facultate nostra Theologiæ actus, qui recepta nomenclatione prisca Vespetiarum dicitur. Hunc more tuo, id est, egregio cùm celebrabas nuper, de pluribus disputatum est acriter, & cùm primis de historica fide auctorum, qui mulierem Sedi Apostolicæ præfuisse inter Leonem IV. & Benedictum III. scripserunt. Et sanè ut qui affirmabat, nihil prætermisit, quod aliqua probabilitatis specie posset objici: Sic & tu qui negabas, nihil quoque prætermisisti, quod objectis verissime responderetur. Frequens præter consuetudinem illustrium virorum numerus utrique applausit: Objicienti quidem, à quo si possent Pergama hæc defendi, defensum iri certum erat, id est, historicam fidem auctorum, quos edebat in medium, ac proferebat: Respondenti verò tibi, à quo fabulosa narratio apertam in lucem prodita, & veritas rei totius ad liquidum confessúmque deducta est. Verùm ut libere dicam, quod sentio, fabula hæc excidi potuit breviùs, quàm annis abhinc octoginta plus minus excisa est. Comparatæ sunt dissertationes multæ & magnæ, quibus demonstraretur, quod sola electionis Benedicti III. demonstrat historia. Hanc fideliter persequitur Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, qui Leonis IV. mortem & Benedicti electionem propriis oculis usurpatam enarrat in ejusdem Benedicti 2
vita. Sed adscribenda sunt Anastasii verba: *Celeberrima quidem cùm de eo fama pervulgaretur, in Lateranense Patriarchium perducitur, Cleróque locatur.* Et paullo pòst: *Cùm eum intueretur Papa Gregorius peritum doctrinis atque proficuum, in sancta illum constituit Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum. In quo ordine plura sacræ conversationis certamina habuit. Nam carnem vicit, ac mundi Principem, & omnia ejus argumenta nequissima. Obiit deinde Gregorius Præsul, migravitque ad Dominum. Sergius autem gubernacula suscepit antistes Ecclesiæ, eóque defuncto Apostolicam Leo Papa Sedem suscepit. Oppido qui illum pro felicissimis actibus diligens superno compunctus nutu cœlestis eum titulo ingens Presbyterum consecravit.* Et paullo pòst: *Leo quidem (IV.) ubi hac luce subtractus Præsul occubuit, mox omnis Clerus istius Romanæ præcelsæ Sedis, universique proceres, cunctúsque Senatus ac populus congregati sunt, Domini clementiam exorantes, ut beatificum illis omnibus demonstraro dignaretur Pastorem, qui culmen Apostolatus regere valuisset tranquillè. Divinitus ergo æthereo tunc lumine inflam-*

inflammati, uno consensu, unóque cum conamine Benedictum pro tantis, quibus pollebat, sacris operibus Pontificem promulgaverant eligere. Illico verò alacri universa studio plebs, & populi cœtus cœlesti titulo properantes, Deo illum omnipotenti, ut solitus fuerat, invenerunt fundentem orationem. Surgens autem & populi densissima cernens agmina rem cognovit, & mente concepit. Interea multis cum lacrymis, genua flecteas flebili voce omnes de-
3 *precabatur, taliter dicens: Non me à mea deducatis Ecclesia, rogo: Quia tanti culminis non sufficio sustinere, nec bajulare gravamen. Hi verò nullatenus acquieverunt. Sed virtutibus eum ex eodem titulo abstrahentes, cum hymnis & canticis spiritualibus ampla exultatione, & ineffabili gaudio in Patriarchium Lateranense perducentes, Pontificali solio, ut mos est Pontificum, candque consuetudo demonstrat, posuerunt.* Et paullo pòst: *His itaque peractis Clerus & cuncti proceres decretum componentes, propriis manibus roboraverant. Et consuetudo prisca ut poscit, invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis. Ipsum autem qui deducebant Legati decretum, fuerunt hi, Nicolaus videlicet Anagnina antistes Ecelesiæ, & Mercurius Magister militum, Arsenio Eugubino Episcopo obviantes ad invicem confabulari cœperunt, qui callidis eos sermonibus liniens corda eorum mollire cœpit, beatique fidelitatem jam fati declinaverunt electi: Cum quibus etiam consilium studuit confirmare, ut depositum, anathematizatúmque Anastasium, quod divina nullatenus permittebat clementia, Pontificatus infula perornarent. Euntes itaque Hlodowico decretum benignissimo Cæsari dantes duplici, quam mentibus gerebant, intentione Romam reversi sunt, adventúmque missorum nunciantes Imperialium Epistolas eidem insigni obtulerunt electo, quibus Augusti continebantur responsa. Qui omnes Clero ac Reipublicæ cœtibus diris machinationibus, consilium, quod Eugubii, ut prætulimus, cum Arsenio statuerunt, adimplere capientes dicebant: Omnes in obviam Imperialibus simul nobiscum exire studete Legatis, quatenus Augusti jussionibus obedientes existere valeatis.*

4 *Post aliquot quoque dies ipsi, quos prænunciaverunt, missi Hortam, quæ quadragesimo milliario à Roma distat, properaverunt. Ex quibus in eam Adelbertus, Bernardúsque ingressi Comites, eidem olim damnato, Arsenio cogente Episcopo, se junxerunt, Presbytero nomine Anastasio, qui in sancta Synodo beatæ præsidente Leone memoriæ præsule rite secundùm sacrorum promulgationes canonum excommunicatus, depositus, & anathemate vinctus fuerat: Non habentes Deum præ oculis, ipsiúsque præcepta confundere, ut tyranni, capientes evidenter meditabantur, qualiter eundem ejectum anathematizatúmque Anastasium Apostolico culmine sublevarent contra traditionem, omniúmque sanctiones Pontificum virorúmque aliorum. Missi quoque, quos jam suprà meminimus, qui Imperatori* NOSTRUM DECRETUM *benignissimi de electione Benedicti porrexerant: Id est, Nicolaus Episcopus, & Mercurius Magister militum, mentibus cognitum conceptum habentes consilium, cum aliis quibusdam Romam egressi nobilium, id est, Gregorio. Christophoróque Magistris militum, obviam quasi Imperatoris Legatis profecti sunt, Hortámque properantibus urbem, fidelitatis sacramentum, quod fecerant almifico Benedicto parvipendentes, obliviscentésque electo damnato se conjunxerunt, depositóque Presbytero, hac sub occasione multi concedentes ab urbe similiter peregerunt, cogitantes consilium juxta illud Prophetæ elogium, quod non potuerunt stabilire. Urbe deinde exeuntes ab Horta juxta Basilicam beati Leucii Martyris pervenerunt, insultantes & gloriantes in*
5 *sua virtute, cum quibus Radvaldus Portuensis Episcopus, Tudertinæque urbis Agatho antistes aderant, qui clam Roma discesserant urbe, & eidem anathematizato tetra iniritis caligine se junxerant, obscurati sensu, mente, & anima.*

Hoc ipse Dei famulus audiens Benedictus electus G.G. Majonémque venerabiles, prudentésque, & omni scientia plenos Episcopos ipsis Imperialibus missis cum alloquiis litteris studuit, quos apprehendentes Arsio anathematizato monente Presbytero vinxerunt, & custodibus tradiderunt: Quod nec barbari gentiles in Legatis perfecisse audiuntur. Postmodum autem sæpius dictus Christi minister Benedictus electus Hadrianum insignem secundicerium sanctæ Sedis Apostolicæ illis atque Gregorium Ducem obviam direxit.

Altera autem die, missione fungentes, omni Clero, cunctóque Senatui, & universo populo mandaverunt, ut obviam illis trans Milvium Pontem Imperatoris jussionibus irent. Tunc omnes dolum nescientes Romani, neque fallaciam, acquieverunt, Milviúmque trans pontem urbem egressi unanimiter perrexerunt. Properantibus quidem ad Martyris jam fati basilicam, ipsi de quibus jam suprà Legati meminimus, eidem deposito, anathematizatóque Presbytero Episcopo, Clerus Romanæ plebis, ac proceres obviaverunt: Cum quibus pariter equitantes per Neronis campum urbium jam mœnia properabant. Hadrianum quoque Secundicerium, de quo suprà retulimus, vallatum custodibus deducebant. Gratianum verò sacri Superistum Patriarchii, atque Theodorum Scriniarium apprehendentes reclusos lanceis retinebant, & astrictos, quod nullatenus Augustorum jussione præceperant, nec eorum voluntate dictaverant. Sed hoc infelix depositi præ- 6
sumptio agebat Presbyteri, qui viribus Leoninam cum ipsis Cæsaris Legatis ingrediens urbem Apostolorum repente, quam non debuerat, Principis introire basilicam, Dei parvipendens judicium, audacter invasit, tantáque ac talia infausta operationis mala peregit, qualia nec Saracena in ea perficere manus præsumpsit, vel arbitrata est. Imagines enim confregit, ignique concremavit, & Synodum, quam supra sanctuarii januas beatæ memoriæ Leo pingi Papa jusserat, destruxit, Domínique Jesu Christi, ejúsque semper Virginis genitricis iconam bipenni, quod non debuerat, ad ima dejecit, pro quo detestabili opere orthodoxæ cuncti cultores fidei, lacrymas fundentes ingemiscebant, & tristitia replebantur, ac mœrere.

His itaque peractis hostili virtute ipse Romam depositus ingreditur Presbyter, celeritérque ad Lateranense properavit cum iniquissimis ejus sequacibus, & sæculari potentia Patriarchium, multisque scelerum generibus januas ejus aperiens tyrannus veluti crudelis eas introivit, solióque, quod nec manibus debuerat contrectare, resedit, & cuidam Balneoregiensi Episcopo, qui vocitabatur nominis Romanus, tantum, cùm non opere ferinis obumbratus mentibus cerneretur, præcepit, ut beatissimum Benedictum, quem omnis Romana, ut prætulimus, plebs elegerat, Pontificali quo residebat, ejiceret solio. Qui etiam vestimenta Pontificalia, quibus indutus erat, ut barbarus, tulit atque expoliavit, multisque eum injuriis, verberibúsque replevit.

Tunc ipse depositus Anastasius eundem benignissimum Benedictum electum humana, non Dei virtute, custodi- 7
bus, qui arctiùs eum constringerent, tradere studuit, Joanni scilicet Hadrianóque dudum Presbyteris, qui à Leone Præsule pro illorum criminibus damnati fuerant, atque depositi ex omni sacerdotali officio. Mox universa urbs ululatu, amplisque repleta est fletibus, & gravi murmure quassata jacebat. Illico quidem omnes Episcopi, Clerúsque, ac Dei populus sancta sanctorum ingressi tundentes pectora sua profusis lacrymis intra vestibulum, & altare, solo prostrati jacebant, Dei orantes majestatem, ut tanti erroris caligine sua eos victrice dextra liberaret. Septima tum feria cursus peragebatur.

Altera verò die prædicti Episcopi cum universo Clero ac populo Æmiliano titulo convenerunt, in quo etiam Augusti sæpius dicti Legati frementes, magnaque tumentes superbia pervenerunt, & impetu facto absidam in qua Episcopi psallentes residebant cum Clero, leones veluti ferocissimi conscenderunt, erectisque jaculis eos conabantur elidere, ensibúsque punire dicentes: Adquiescite, & vestro consensu Pontificali Anastasius culmine subrogetur. Illi

verò

verò sancto repleti Spiritu affirmabant dicentes: Nunquam in depositum & anathemate a sancto Præsule, beatáque Synodo vinctum consentimus; sed modis omnibus abjicimus, & à Dei cœtibus segregamus. Ipsi denique furibundi verberibus, tormentisque dicebant se velle eos punire. Sed beatissimus, Deique omnipotentis antistes, & qui cum ipsis aderant, terrores vel minas eorum parvipendentes, immobiles persisterunt. Quorum constantiam jam dicti Franci cernentes, ab eis ira discesserunt repleti, & in quod-
8 *dam cubiculum ipsius basilicæ sunt ingressi, diversaque consilia meditabantur: In quod etiam Ostiæ & Albani antistites coactos introduxerant, quos molliori sermone, blandisque reducere adulationibus decertabant, & postmodum asperis promissionibus circumdabant: Quibus stridula etiam voce dicebant: Nullatenus vitam possidere poteritis, sed capitali subjacebitis sanctioni, nisi consecrationis Anastasio gratiam dederitis. Illi autem antè se morti tradere præferebant, membratimque se laniari, quam deposito, anathemate damnato consecrationis tribuerent benedictionem. Arguebant autem eosdem missos, & universas demonstrabant sacra responsione scripturas, qualiter nullatenus eundem depositum, in ordine, quem poscebat, constituere valuissent. Protinus verò secretiùs, linguam eorum confabulantes furor, qui in eis exuberabat, minuit, mentibúsque eorum videbatur expulsus.*

Tertia verò feria lucescente omnes Episcopi cum Clero ac populo in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, congregati sunt. In qua omnis plebs ac populi multitudo excensa voce clamavit; Benedictum beatissimum Papam volumus, ipsúmq; desideramus. Quod jam fati audientes Legati, mirabantur. Videntes itaque, quia in Anastasium Christi unitas, almáque concordia nullo flectebatur ingenio, in quodam Patriarchii cubiculo Episcopos convocaverunt, atque alios Sacerdotes cum Clero. Cum quibus amplum agitare studuerunt conflictum: Sed tam probabilibus missorum audaciam superaverunt sermonibus atque doctrinis; ita ut infausta illorum mentis cogitatio contemplaretur contrita atque confusa. Hoc cernentes missi venerabilibus dixerunt
9 *Episcopis: Accipite vestrum electum, & in quam vultis basilicam eum deducite. Et modò Anastasium, quem depositum dicitis, ab hoc Patriarchio ejicimus, tréſque per dies jejunium cum orationibus celebremus, & postmodum quicquid superna clementia demonstraverit, impleatur. Almifici verò Episcopi clamaverunt, Ejiciatur nostra præsentia invasor atque depositus Anastasius, & ab hoc expellatur Patriarchio, & tunc faciemus, quod hortamini.*

Illico prædictus Anastasius magna cum turpitudine de Patriarchio ejectus atque expulsus est, ut omnes multimodas orthodoxæ cultores fidei Domino nostro Jesu Christo persolverent grates.

Episcopi quidem cum universo Clero ac populo beatissimum accipientes Benedictum ejectum de basilica, in qua Clerici commorantur, deduxerunt, quia ibidem custodibus à sævissimo fuerat Anastasio collocatus, qui cum omni alacritate atque exaltatione cum ipso in basilicam Salvatoris, quæ Constantiniana dicitur, descenderant. De qua exeuntes eum super equum ovantes, in quo Leo præsul sedere consueverat, posuerunt. Quem etiam magna populi præcedente caterva in basilicam Dei genitricis, quæ ad præsepe dicitur, deduxerunt, in qua jejuniis & orationibus tribus diebus, noctibúsque vacantes summam majestatem Domini multis cum lacrymis exorabant, expletóque jejunio omnes, qui se anathematizato depositóque conjunxerant, divino compuncti amore, Deique inflammati favore jam fatam basilicam, in qua beatissimus, ut prætulimus, Benedictus erat, unanimes convenerunt, & procedentes vestigia ipsius osculari cœperunt, qui & dicebant:
10 *Erravimus, & lubrico à te pede discessimus: Sed Pastor veluti sanctissimus ovium suscipe agmina, per nemus errantia, fessóque sua agnicolos collige, tuisque nos obumbra sub alis. Protinus ipse à Deo protectus Benedictus extensis brachiis, puris mentibus, cordeque benigno omnes amplecti studebat, & osculis perornabat: Quibus etiam dicebat. Gaudete, inquit, dilectissimi, & magis exultate, quia Ecclesiam, quæ scissa fuerat, Christus Dei filius sua unire virtute dignatus est.*

Hæc dicens & his similia prædicans, etiam ipsi Imperiales ibidem convenerunt Legati, qui salubribus verbis ac mollioribus cum eo secretiùs electo confabulabantur.

Subitò verò omnes Episcopi, universúsque Clerus, atque innumera Romani populi multitudo, ex eadem eum deducentes basilica cum hymnis & canticis spiritualibus in Patriarchium Lateranense introduxerunt, & in Pontificali solio, de quo ejectus fuerat, posuerunt. Denique universa congratulabatur Ecclesia, & omnis populus amplis vocibus resultabat. Præterea Dominico die diluculo in basilicam beati Petri Apostoli ab Episcopis, Clero, proceribus deductus est, & in conspectu omnium Imperialibus missis cernentibus in Apostolica Sede, ut mos est & antiqua traditio dictat, consecratus, ordinatúsque est Pontifex. Portuensis verò Episcopus prohibitus ab Ecclesia, ordinationem, quam debuerat, super eum nullatenus fecit, quòd anathematizato sese junxerat, ac in perjurii voraginem ceciderat, atque manebat.

Post sacra autem tunc missarum solemnia celebrata in Patriarchii Lateranensis Pontifex ordinatus, reversus est Ecclesiam. Erat enim mitissimus, & omnibus sacris decoratur operibus, vultu pulcher & mente clarus, dulcis verbo, 11
doctrina benevolus.

Sed quia cuncta non sufficimus per ordinem enarrare, ad ea, quæ diversis Sanctorum locis obtulit, extendere calamum studeamus. Et cætera, quæ ad res in tranquillo Pontificatu gestas pertinent.

Hic non priùs ad institutum meum accedo, quàm diligenter observari velim, auctorem nostrum, sive tunc Sedis Apostolicæ Bibliothecarius fuerit, sive non fuerit, in Benedicti III. electione interfuisse. Id omnino significant verba hæc: *Missi quoque, quos jam suprà meminimus, qui Imperatoris nostrûm decretum de benignissimi electione Benedicti porrexerant*, &c. Sed quoniam auctor præsens aderat, is nonnisi perspecta & animadversa literis mandavit.

Et primò quidem cùm memorat Benedictum varios sub variis Episcopis Ecclesiæ gradus & honores suscepisse, non obscurè ostendit Apostolicæ Sedis consuetudinem, qua quis in Romanum Pontificem evadit. Consuetudo hæc si bene capitur, mulierem illam, quæ epistolæ nostræ argumentum est, ab Romanæ Ecclesiæ gubernaculis longè ac latè propulsat. Nemo heic neque retro ad Petrum versus fit Romanus antistes, quin Romanæ civitatis Clero adscriptus fuerit, & Subdiaconi vel Diaconi vel Presbyteri munus laudabiliter gesserit. Id desideratur in femina, quæ sexum mentita Pontificatum obtinuit. Quo ex capite fabula configitur. Sed expendamus illam prout à suis auctoribus sic apud Platinam Onuphrii confecta est: *Joannes Anglicus ex Moguntiaco oriundus malis artibus, ut aiunt, Pontificatum adeptus est. Mentitus enim sexum cùm fe-* 12
mina esset, adolescens admodum Athenas cum amatore viro docto proficiscitur, ibique præceptores bonarum artium audiendo tantum profecit, ut Romam veniens, paucos admodum etiam in sacris literis pares haberet, nedum superiores. Legendo autem & disputando doctè & acutè, tantam benevolentia & auctoritatis sibi comparavit, ut mortuo Leone in ejus locum (ut Martinus ait) omnium consensu Pontifex crearetur. Mentita sexum femina nec Romanæ urbis Clero accensetur, nec ullo vel Subdiaconi vel Diaconi, vel Presbyteri officio, ut par est defungitur, & tamen in Leonis mortui locum sufficitur omnium consensu. Athenis igitur Romam venit, & quasi fungini esset generis, una veluti nocte exoritur, ut apparet. Moritur Leo, & ei subrogatur, etiamsi nullum in Romana Ecclesia gradum obtineret, aut nullus esset in ea Diaconus vel Presbyter idoneus, qui Leoni subrogari posset. Quod quantùm à veritate & Romanæ Ecclesiæ moribus abhorret, relata vitæ Benedicti verba satis superque demonstrant. Hæc observare omnia, fabulosæ narrationis partes singulas confixisse est.

Deinde narrat, quomodo Leone IV. vita functo mox Clerus, Senatus, populúsque Romanus ad eligendum

Pontificem se accinxit. Tunc omnium consensu electus est Benedictus. At si electus est Benedictus, electa non est mulier, quæ Joanna vocaretur. Quid manifestius? Quid ab omni mora & tergiversatione remotius?

Tum, Benedictus electionem à se deprecatur, oblatum Pontificatum recusat, sed vi suscipere cogitur, & ad
13 Lateranense Patriarchium deducitur. Urbs palam exultat lætitia, & gaudio triumphat Ecclesia. Ubinam Joanna, quæ Leoni IV. successura deducatur ad Lateranense Patriarchium?

Quarto, Clerus & proceres cuncti decretum de electo Pontifice Benedicto conficiunt, & ab omnibus subsignatum ad Imperatores Lotharium & Ludovicum perferunt, ut consuetudo prisca poscebat. Ubinam de electa antistite Joanna decretum, quod à Clero & proceribus universis obsignatum ad Imperatores Lotharium & Ludovicum perferatur? Quis decretum tale vidit unquam? Consuetudo-ne prisca interrupta est in electæ antistitis Joannæ gratiam? Quis præs aut sponsor interruptæ consuetudinis? Quasi verò Lotharius & Ludovicus de jure suo nonnihil remiserint, ut optatæ contra divinos & Ecclesiasticos canones mulieri gratificarentur? Quis inquam decretum tale vidit, etiam ex iis omnibus, qui exstruendam mulieri Sedem Romæ sibi sumpserunt? Quis eos nominat, qui decretum illud ad Imperatores detulerunt? Anastasius Nicolaum Anagninum antistitem, & Mercurium Magistrum militum nominat, à quibus decretum de electo Pontifice Benedicto ad Imperatores delatum fuit. Sed assertores Pontificatus feminæ non nominant eos, à quibus decretum de electa Pontifice Joanna ad Imperatores delatum fuit. Heic fabulatores nullo negotio constringuntur. Heic fabula dissipatur.

Quintò, quod de electo Pontifice Benedicto decretum ad Imperatorem Lotharium defertur, nec delatum esset, nec deferri potuisset, si post Leonem IV. sedisset mulier annis II. mensibus V. diebus IV. ut opi-
14 fices fabulæ illam sedisse volunt. Quid ita? Lotharius filiis divisit Imperium suum, & in Prumiensi cœnobio factus est monachus anno Christi DCCCLV. qui mulieris primus esset. Id veteres Germaniæ & alii historici constantissimè testantur.

Regino Prumiensis Monachus in libro II. Chronicorùm: *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCLV. *Lotharius convocatis primoribus regni Imperium filiis suis divisit, Ludovico Italiam tradidit, cùmque Imperatorem appellari fecit. Æquivoco verò idem Lothario, regnum, quod ex suo nomine vocatur, concessit. Carolo autem, qui junior natu erat, Provincia regnum largitus est. Dispositis itaque atque ordinatis regni negotiis, valedicens suis, mundum reliquit, atque in Prumiam Monasterium veniens comam capitis deposuit, habitùque sanctæ conversationis suscepto, in religionis professione diem clausit extremum* III. *Calendas Octobris.* Hæc ille, qui ad annum DCCCCVI. scribendi finem fecit.

Lambertus Schafnaburgensis in Chronico de rebus Germanicis ad annum DCCCLV. *Luitharius etiam Rex tonsuram & Monachicum habitum suscepit moriturus in Prumia.*

Annales Fuldenses: *Anno* DCCCLV. *Lotharius Imperator renuncians omnibus, quæ habuit, Prumiense Monasterium ingressus, effectúsque ibi Monachus* VI. *Calend. Octob. mortalem hominem exuit.*

Annales Bertiniani: Anno DCCCLV. *Lotharius Imperator morbo correptus vitámque desperans, Monasterium Pruniæ in Arduenna constitutum adiit, sæculóque & regno penitus abrenuntians tonsus est, vitam habitúmque Monachi*
15 *humiliter sumens, dispositóque inter filios ejus, qui secum morabantur, regno, ita ut Lotharius cognomen ejus Franciam, Karlus verò provinciam obtineret, inter sex dies vitæ decessit* IV. *Calendarum Octobrium, atque in eodem Monasterio sepulturam, ut desideraverat, consecutus est.*

Marianus Scotus Fuldensis Monachus in Chronic lib. III. ætat. VI. *Anno* DCCCLV. *Lotharius Imperator convocatis primoribus regni, Imperium inter filios suos divisit. Ludovico quidem Italiam tradidit, cùmque Imperatorem nomine suo appellare fecit. Lothario verò regnum, quod ex suo nomine vocatum est, concessit. Carolo autem juniori ipsorum Provinciam mandavit. Qui ita disponens sæculum reliquit, & in Prumiam Monasterium venit, postquam habitum sanctæ conversationis accepit Monachorum eodem anno* III. *Calend. Octobris obiit.* Marianus Bibliothecario junctus hic invictam rationem suppeditat, qua quidquid anno superiori de Joanna statuit, evertatur.

Sigebertus Gemblacensis Monachus in Chronographia: *Anno* DCCCLV. *Lotharius Imperator partito inter filios regno abrenunciat sæculo, & in Prumia Monasterio habitu Monachi suscepto, non multò post dormivit in Domino.*

His historicis adjicio Chronica duo, unum Aquitanum: *Anno* DCCCLV. *Lotharius Imperator Monachus effectus in Prumia Monasterio moritur.*

Alterum Leodiense: *Anno* DCCCLV. *obiit Lotharius Imperator & Monachus.*

In summa certum est apud omnes, Lotharium regnasse annos tantùm XV. ac proinde cum an. DCCCXL. regnare cœperit, anno DCCCLV. regnare desiit. 16

Ex hac autem temporum serie Pontificatus mulieris falsitas ad liquidum exploratur. Nam si mulier proximè successisset Leoni IV. & sedisset, uti sedisse dicunt, annis duobus, mensibus V. & diebus IV. anno Christi octingentesimo quinquagesimo sesquioctavo, annis ferè post Lotharii excessum duobus migrasset, & postea mulieri Benedictus III. successisset. Hoc ita posito, quod de electo Pontifice Benedicto decretum Anastasius ad Lotharium Imp. perlatum esse tradit, perlatum non esset; Tunc Lotharius jam ante annos circiter duos vitam deposuerat. Sed quoniam oculatus scriptor & rerum in electione Benedicti particeps absciseè scribit, decretum de electo Pontifice Benedicto perlatum esse ad Lotharium, quin ad eum perlatum fuerit, dubitari non potest. Atque ita dubitari quoque non potest, quin mulieris Pontificatus inter Leonem & Benedictum medius fictis fabulis adscribi debeat. En ratio pertinens ad id genus, quod Græcè ἀνατρεπτικὸν nominatur!

Sextò, statim atque facta est Benedicti electio, in Romana Ecclesia conflatum est schisma. Occurrit enim Anastasius Cardinalis Presbyter, quem Leo IV. in Synodo abdicaverat, & fidelium communione privaverat. Hic cùm restitui se non posse meliùs animadverteret, quàm si Romanus crearetur Pontifex, à nonnullis in Romanum Pontificem optatus est, curante id maximè Arsenio Eugubii Episcopo. Quod schismatis genus in vita Benedicti accuratè describitur. Sed tandem post altercationes multas & graves Benedictus admittitur & Anastasius pellitur. At sive dum ardet schisma, sive dum extinguitur, quis mulieris Pontificatui locus dabitur? Res hæc per se ipsa loquitur, & mulierem intru- 17
dentibus in Romanam Sedem auctoribus silentium imponit, & arguit mendacii.

Septimo, ne longiùs abeam, Anastasii Cardinalis expresbyteri (ut Gregorii Papæ I. verbo utar) consilium placet adhuc inspicere. Anastasius cùm injustè depositum se excommunicatúmque crederet, de modo, quo in pristinum restitueretur honorem cogitabat assiduè, & tempus actioni opportunum perpetuò disquirebat. Opportunitas verò ad restituendum Anastasium nulla magis idonea fuit, quàm si hoc confestim tentaret post mortem Leonis, & antequam alter Pontifex novus eligeretur. Hinc simulatque electus est Anastasius, (quæ gloriosissima & magnificentissima fuit pristini honoris restitutio) & in urbem intravit, nihil prius habuit, quàm ut Synodus, in qua Sacerdotio nudatus fuerat, supra Sanctuarii januas jussu Leonis depicta induceretur, & omnino deleretur. Quis quæso sibi persuaderet unquam, voluisse Anastasium, ut negotium hoc totum perageret, usque exspectare, dum Leonis successor alius, Joannes seu Joanna fuerit, Pontificatu defunctus esset? Sciebat-ne successoris Pontificatum ad annos duos menses

menses v. & dies iv. duraturum, & se superstitem futurum esse? Profectò Anastasius ut rerum suarum prudenter satageret, Leoni proximè succedere velle debuit, & quia succedere non potuit, Benedictus III. non Joannes vel Joanna successit.

Observatio hæc ita confirmatur, ut præsidio majore confirmari non possit. In Annalibus Bertinianis referuntur acta Synodi, in qua Leo IV. Anastasium Car-
18 dinalem Presbyterum deposuit, & anathemate percussit, ac mox subjicitur: *Post mortem verò jam dicti Leonis digna memoria præsulis, ipse anathematizatus atque depositus Anastasius, seculari potentia rediens ab abditis, quibus sicut fur latitaverat, locis, Diabolica fraude seductus, irretitúsque caligine, latronum more hanc quam non debuerat introire, Ecclesiam invasit, velut ethnicus atque barbarus, ad perditionem suæ animæ atque periculum, hujus venerandæ Synodi cum suis nequissimis consentaneis atque sequacibus picturam destruxit, omnique dejecit; Quam beatissimus Papa Benedictus atque egregius restauravit, & lucifluis coloribus decoravit.* Hæc cum sic se habeant, quibus machinis, arietibus, & tormentis inter Leonem IV. & Benedictum III. Joannis vel Joannæ Pontificatus interponetur? Anastasii expresbyteri molitiones machinarum, & arietum retardabunt impetum, & tormenta omnia procul repellent.

En alia ratio, quæ mulieris Pontificatum fictum palam & in omnium oculis defigit!

Porro autem quidquid hactenus disserui suppeditat electionis Benedicti historia, quam Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius sincere conscripsit. Exinde rationum momenta erui septem, quorum unumquodque apud cordatos homines sufficeret ad fabulosæ narrationis excidium. Quid si adjungantur omnia? Sic auctor unus æqualis, qui malæ fidei accusari non potest, cæteris qui deinceps vel invexerunt fabulam, vel narrarunt invectam, ut murus aheneus pro conservanda veritate opponitur. Hæc lex est, quam Tertullianus vir acris judicii fixit in libri de præscriptione Hæreticorum capite xxxi. *Ex ipso ordine manifesta-*
19 *tur id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum: Id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem.* Iterum in libri iv. contra Marcionem cap. iv. *Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* Quæ lex ad propugnanda fidei dogmata utilis, & valet quamplurimum, ad tuendum istud Ecclesiasticæ historiæ caput non potest non esse utilis, & non valere quamplurimum. Utrobique veritas asseritur, & asserta proponitur ad credendum, sed diversimode: Religionis dogma divinâ fide: Historiæ punctum, quale est nostrum humanâ. Qui prius non credit, pro hæretico dicitur; qui posterius non credit, negligendus est; si credit oppositum, ut homo stolidè credulus habendus est.

Nunc supersunt tria, quæ à me animadverti oportet, ne improperandæ dissimulationi locus ullus relinquatur.

Primùm, quòd nonnulli sunt Anastasii Bibliothecarii codices manu exarati, in quibus Joannæ Papissæ historia refertur. Sunt quidem, sed recenti manu scripti, eo nimirum tempore, quo fabula hæc pene omnium mentes occupaverat. Tunc semidocti librarii describendo librum Anastasii supplebant, quod ab illo prætermissum esse suspicabantur: nec advertebant ulterius, supplementum illud cum iis, quæ ex Anastasio de vita Benedicti Papæ retulimus, stare non
20 posse. Quæ repugnantia sufficit, ut quæ præpostera librariorum sedulitate Anastasii libro succreverint, succrevisse dignoscantur. Huc accedit, quòd manuscriptus ante annos quingentos Anastasii codex, in quo de Joanna Papissa sermo fiat, hactenus inventus sit nullus. Sed profectò ingenuè fatendum est recentiores extare codices, in quibus Papissæ fabula legatur. Hoc maximè dico propter eos, qui abscisè negarent. Ego exemplar unum vidi & legi, sed recenter scriptum, circa tempus illud, quo habitum est Constantiense Concilium, posteriores Anastasio vitas Pontificum usque ad Martinum V. continebat: Sed necesse est meminisse nos semper, in instrumentis fidem de temporibus asserendam esse, ut Tertullianus monet in Apologetici capite xix.

Deinde, quòd secula fuere duo vel tria, in quibus de feminæ Pontificatu, nec Romæ, nec fortassis uspiam dubitaretur. Tempore Constantiensis Concilii dubitatum non est, cùm illud certas quasdam Joannis Hussi propositiones censoria gravitate suffixit. Delecti ad legendum Hussi librum de Ecclesia, & ad propositiones inde excerpendas judices seu Episcopi, seu Theologi, tangere non sunt ausi, quæ auctor de femina Pontifice semel atque iterum notavit.

Semel quidem in capite vii. *Quæro ergo de qua Ecclesia intelligat, quod non possit errare? Sed certum est quòd Papa errare potest, ut 19. dist. Anastasius, & 40. dist. si Papa. Ideo nec ipse nec ejus familia est illa Ecclesia, de qua hic* (decret. 24. quæst. 1. A recta) *dicitur quod errare non potest. Unde dicit glossa. ipsa congregatio fidelium dicitur hæc Ecclesia. Et sic etiam intelligitur dictum beati Hieronymi positum 25. quæst.* 21
1. hæc est fides. Sancta, inquit, est Ecclesia Romana, quæ semper immaculata permansit, providente Domino, & beato Petro Apostolo opem ferente, in futurum manebit sine ulla hæreticorum insultatione, atque firma & immobilis omni tempore persistet. Hic non potest intelligi quilibet Papa cum suo Collegio Cardinalium. Illi enim sunt sæpius maculati deceptione prava, & peccato, ut tempore Joannis Papæ Anglicæ mulieris, quæ Hagna dicebatur. Quomodo ergo illa Romana Ecclesia, illa Agnes Joannes Papa cum Collegio semper immaculata permansit, quæ peperit? Par est ratio de aliis Papis, qui fuerunt hæretici, & propter multiplices enormitates depositi.

Iterum in capite xiii. *De femella patet in Agnete, quæ vocata est Joannes Anglicus, de qua scribit Cestrensis lib. 5. cap. 3 Quædam femina sedit in Papatu duobus annis & mensibus quinque post Leonem: Hæc dicitur fuisse puella Agnes vocata, natione Moguntina, à suo amasio Athenis in habitu virili adducta, & Joannes Anglicus nominata, quæ in diversis scientiis sic profecit, quod Romam veniens magnos magistros habuit auditores, Trivium legit: Demum in Papam electa per suum amasium impregnatur. Et dum Lateranensem Ecclesiam ab Ecclesia Petri pergeret, angustiata pariendi doloribus inter Colloseum & sanctum Clementem peperit, & postmodum ibi fuit mortua, & sepulta. Et hinc dicitur Papam hanc viam communiter devitare. Unde non ponitur in Catalogo Paparum.* Ut ex aliis libri capitibus, sic & ex his quoque propositiones excerptæ sunt, quas Constantiensis Synodus condemnavit. Sed intacta sunt relicta, quæ ad fabulosam de femina Pontifi- 22
ce narrationem pertinent, quid ita? Jam ab annis pluribus ut ex Cestrensi liquet, ea de re non ambigebatur.

Quo tempore Romanam Pius II. administrabat Ecclesiam, Senensis basilica major ornata est laquearibus, in quorum parte inferiori Romanorum Pontificum, qui sibi invicem succedunt usque ad Pium II. statuæ umbilico tenus eminentes aspectantur; ubi Joannes seu Joanna inter Leonem IV. & Benedictum III. collocatur, quod est certum inveteratæ persuasionis indicium. Ita ut Æneas Silvius vir acrioris cæteroquin ingenii ausus non sit ab illa persuasione omnino recedere in Epistola cxxx. quam scribit ad Joannem Carvaial Cardinalem; & est Dialogus contra Bohemos & Taboritas de communione sub una specie: Verba sunt: *Quam Romana Sedes feminam pro mare coluit, & in Apostolatus apice collocavit. Æneas Istic*

neque fidei, neque juris error, sed ignorantia facti fuit. Neque certa est historia. Hæc in Basileensi editione postrema, quam & in aliis meis Epistolis ut emendatiorem sequor.

Platina licèt non minùs emunctæ naris in notandis erroribus, Æneam tamen imitatur. Nam relatis quæ Martinus Polonus, & hic paullo antè Cestrensis memoriæ tradiderunt, subjicit: *Hæc quæ dixi, vulgò feruntur, incertis tamen & obscuris auctoribus, quæ ideò ponere breviter & nudè institui, ne obstinatè nimium & pertinaciter omisisse videar, quod ferè omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat, quæ dixi, ex his esse quæ fieri posse creduntur.* Ad-
23 ductus in hanc vulgi opinionem Æneas respondet objectioni, quæ ut mera fabula, procul abjicienda erat.

Pio II. & Platina e medio sublatis, vetus sine hæsitatione ulla perseveravit opinio, ut nos docent Germani scriptores duo, quorum unus est Anonymus in Chronologica Compilatione, quæ in annum MCCCCLXXIV. desinit: *Fuit,* inquit, *& alius Pseudopapa, cujus nomen & anni ignorantur. Nam mulier erat, ut fatentur Romani, & elegantis forma, magnæ scientiæ, & in hypocrisi magnæ vitæ. Hæc sub virili habitu latuit, quousque in Papam eligitur, & hæc in Papatu concepit: Et cùm esset gravida, dæmon in Consistorio publicè coram omnibus prodit factum, clamans ad Papam hunc versum:*

Papa Pater Patrum Papissa pandito partum.

Alter Wernerus Rolewinkius ex Cartusianorum Ordine in Fasciculo temporum, ætate VI. *Iste Joannes Anglicus cognomine, natione Moguntinus, circa hæc tempora dicitur fuisse, & erat femina habitu vestita virili. Sic in divina sapientia profecerat, ut par ei non inveniretur, & in Papam eligitur. Sed pòst impregnata cùm publicè in processione pergeret, peperit & moritur. Et hic sextus videtur fuisse Papa, qui nomen sanctitatis sine re habuit usque huc: Et similiter sunt alii. A Deo plagatus fuit. Nec ponitur in Catalogo Pontificum. Nugantur aliqui hac de causa, nullum Almanum in Papam eligi. Quod falsum esse constat.*

Quod observat feminam non poni in Catalogo Pontificum, jam Cestrensis observaverat, & Gotfridus Viterbiensis Presbyter in parte XX. Chronicorum, quæ sub nomine Urbani III. apparere voluit, id expressè
24 scribit: *Leo quartus Papa sedit annis octo, mensibus quinque, Papissa Joanna non numeratur. Benedictus Papa sedit annis duobus.*

Ex his autem omnibus manifestum est, neminem vel certè paucos dubitasse, quin femina Romanam Sedem occuparit.

Denique, quòd quamvis res ita se habeat, non tamen consequens est, id reipsa fuisse, quod reipsa non fuit, et quod reipsa non fuisse, invictis rationibus convicimus. Inveterata persuasio, quam mox exhibuimus, non veritatem, sed imbecillitatem hominum demonstrat. Fabula est primùm in vulgus sparsa, quæ inter annorum vices, detrimenta temporum, & labentium seculorum insolentiam obtinuit, cùm quid Romæ post Leonis IV. mortem gestum fuerit, planè nesciretur, vel, quod vix crediderim, nefariè dissimularetur. Nam post annos ab obitu Leonis IV. ducentos & eo amplius in vulgus spargi cœpit. Neque vero istud est observatu valde necessarium. Non enim tantum de posteriori tempore hoc præscribo contra fabulosam narrationem, sed de insulsitate ipsa fabulosæ narrationis, quæ non antè per seipsam tota revolvitur, ac perpenditur, quam in suas comminuta partes dissolvatur, & in vagum pulverem fatiscat. Justus Lipsius vir gravis dixit alias fabellam esse haud procul ab audacia & ineptiis Poëtarum. Et rectè quidem dixit, nisi fortè quòd nulla sit Poetarum audacia, nullæ ineptiæ, quas fabella illa omnium auribus & animis absona rerum complexione non superet, ac digniùs quàm par sit excipiatur, si Poetarum audaciæ & ineptiis comparetur. Poetarum audacia & ineptiæ oblectationem adferunt,
fabella verò tam male consuta est ut indignationem 25
accersat. Exinde factum est, ut ego mirer, cur Æneas Silvius & Platina tam citò manus vulgo dederint, & ad Dialecticorum argutias perinde confugerint, quasi res ipsa penitus constaret.

Æneas quidem cùm ait: *Istic neque fidei, neque juris, sed ignorantia facti fuit.* Et cùm subjicit, *neque certa est historia,* omnino gratis subjicit, quia non continuò docet, cur incerta sit historia.

Platina verò multum se torquet, ut & viæ, qua itur ad Lateranensem Ecclesiam supplicationis gratia, & perforatæ sedi, cui novus Pontifex imponitur, honestum & à Fabulatorum proposito diversum finem attribuat. Sed quis nescit, eum qui fabulam finxit, aut jam fictæ fabulæ assertores, non protinus finxisse, quæ fabulæ fidem aliquam conciliarent? Nonne Philosophorum axioma vulgare est, *Qui dat esse, dat consequentia ad esse?* Fabulam ipsam everte, statim & uno ictu evertis, quæ ad fabulæ ædificium consequuntur. Et quamvis quæ non contemnendus auctor excogitavit, satis sint apposita, huc nihilominus tamen se recipit: *Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quamquam appareat, quæ dixi, ex his esse, quæ fieri posse creduntur.* Quasi verò commenta omnia refelli non debeant, quia sunt ex iis nonnulla, quæ fieri posse creduntur.

Siccine confutarent fabulam, quæ annis abhinc quingentis & viginti de Cyriaco Papa Martyre sic decantata est?

I. Robertus Autissiodorensis Monachus in Chroni-
co, cui ad annum MCC. finem imposuit: *Veruntamen* 26
de beato Collegio, ac sacro Martyrio undecim millium Virginum aliter sentiendum, venerabilis sanctimonialis Elisabeth nomine in sua revelatione dignissimè manifestat, quæ jam in nostro sæculo, anno videlicet incarnati Verbi 1156. divinitus mirabiliter meruit edoceri: Non solùm quo tempore prædicta passa sint Virgines, verùm etiam quis pater Ursulæ, quæ cognatio ejus, quantis religiosis personis tam laicis, quàm Ecclesiasticis, Collegium Virginum fretum fuerit, & qui & quomodo etiam ipsi pro Christo cum sacris Virginibus Martyrium pertulerunt. Dicit enim quòd quidam Papa urbis Romæ Quiriacus nomine 19. post Petrum, cum illis passus sit. Fuit siquidem Pontiani Papæ successor & rexit Ecclesiam anno 1. & mensibus 10. & sic in loco suo virum sanctum, qui Anteros dictus est, ordinavit, & cum 11. millibus Virginum discedens Sedem suam reliquit. Nam & ipse de Britannia natus plures consanguineas in Sanctarum numero puellarum asseritur habuisse. Et quia Sedem Apostolicam invito Clero reliquit, nomen ipsius de Catalogo Romanorum Pontificum idem Clerus erasit. Ipso tamen se, certè hoc fecit, quia divinitus fuerat revelatum, cum eisdem Virginibus martyrii palmam se percepturum. Passum est autem sanctum Virginum Collegium juxta præfatam narrationem circa annum Incarnati Verbi 237. Quod Robertus narrat martyrium, convenientiùs refertur ad annum CCXXXVII. in quo Romani Principes ethnica superstitione detinebantur, & Christianos vexabant, quàm ad Gratiani vel Martiani tempus, in quo Romani Pontifices hi fidem Christi susceperant,
& Christianos non solùm vexare desierant, sed etiam 27
honoribus augebant.

II. Albericus Monasterii trium Fontium Abbas in Chronici anno CCXXXVII. *Romæ post Pontianum Papam successit Cyriacus ille de majore Britannia anno uno & per undecim hebdomadas, anno CCXXXVIII. Romæ Cyriaco successit Antherus Papa natione Græcus, ab ipso Cyriaco institutus, à beato Petro vicesimus.*

III. Martinus Polonus Innocentii Papæ IV. Pœnitentiarius, in Chronico: *Pontiano dicitur successisse Cyriacus Papa, & sedisse anno uno & tribus mensibus.*

Sed

Sed quia contra voluntatem Cleri cessit de Papatu, An-
therum substituendo, & cum undecim millibus virginum,
quas Roma baptizaverat, Coloniam Agrippinam tendendo,
non est positus in Catalogo Pontificum. Credebant enim
plerique eum non propter devotionem, sed propter oblecta-
menta Virginum Papatum dimisisse: Cùm tamen ipse Vir-
go existens cum Virginibus martyrio fuit coronatus, sicut
habetur in Legenda Virginum. Sic prima Virginum
acta Cyriacum Papam repræsentant.

IV. Vincentius Bellovacensis ex Ordine Prædicato-
rum Theologus, in libri XX. Speculi historialis capite
XL. *Quarum* (undecim mille Virginum) *adventu Pa-*
pa Cyriacus valde lætatus est, & eas cum honore suscepit.
Et cætera, quæ Robertus Autissiodorensis ex sanctæ
Elizabeth historia recenset.

V. Thomas Cantipratanus ex Ordine Prædicatorum
Theologus, in libri II. de Apibus capite LIII. part.
VI. *Sancta Coloniensis Ecclesia ab illo glorioso virginali*
28 *Collegio, cujus numerum solius Dei scientia comprehendit,*
sanctificata noscitur. Et quibusdam interjectis: *Unde*
quidam Cyriacus Papa, & multi Episcopi, Reges & Re-
ginæ, quorum nomina cum corporibus lapidibus inscripta
inter tumulos sacrarum Virginum reperta sunt, cum eisdem
palmam martyrii adepti sunt.

VI. Jacobus Genuensis ex Ordine Prædicatorum Ar-
chiepiscopus in Legenda Sanctorum XXI. Octob. *Ad qua-*
rum (undecim mille Virginum) *adventum Papa Cyri-*
acus valde gavisus, cum omni Clero ipsas cum honore sus-
cepit.

VII. Augustinus de Ancona celebris ex Ordine E-
remitarum beati Augustini Theologus & Jurisperitus,
in Summa quæst. IV. art. VIII. de Renunciatione Pon-
tificatus: *Respondeo dicendum, quòd Canones & gesta*
Pontificum quatuor Summos Pontifices narrant renunciasse
Pontificatui, Clementem, Cyriacum, Marcellinum, & Cele-
stinum. Et post pauca: *Cyriacus verò resignavit propter*
martyrii coronationem. Nam sicut notatur in Legenda XI.
millium Virginum, quod cùm sancta Ursula cum aliis
XI. M. Virginibus Romam venit, tunc Cyriacus urbis Ro-
mæ Episcopus Angelica visione monitus, quòd cum illis
Virginibus deberet simul esse coronam martyris recepturus,
statim congregatis Cardinalibus et reclamantibus Papatui
renunciavit.

VIII. Albericus de Rosate Bergomensis in Dictio-
nario; verbo *Renunciatio. An Papa possit renuncia-*
re? Dic quòd sic, eodem titulo (de Renunciat. In sex-
to) cum ibi notatis: Et adde unum, qui miraculosè
renunciavit, sanctum Cyriacum Papam, de cujus mira-
bili renunciatione nota in Legenda undecem millium Vir-
ginum.

29 IX. Joannes Andreas in paucis Canonici juris ante-
cessoribus nominatissimus, in Novella VI. *Datur cer-*
tum exemplum de Cyriaco Papa: De quo legitur, quòd cùm
Ursula & undecim mille Virginibus martyrizatus est.

X. Dominicus à Sancto Geminiano Jurisconsultus
eximius in receptam VI. Decret. glossam ita scribit:
Ultra exempla hic posita datur aliud exemplum de Cyri-
aco Papa, qui martyrizatus est cum Ursula & undecim
mille Virginibus, de quo scribitur, cùm nocte quadam sibi
fuisset revelatum, quod esset recepturus palmam martyrii
cum illis Virginibus, tunc congregato Clero & Cardina-
libus, omnibus invitis coram ipsis renunciavit.

XI. Sanctus Antoninus ex ordine Prædicatorum Flo-
rentinus Archiepiscopus part. III. tit. XXXIII. cap.
IV. *Quas omnes* (undecim mille Virgines) *Papa Cy-*
riacus & Clerus cum lætitia & honore suscepit. Et au-
tem revelatum est, quòd martyrii palmam cum eis esset
consecuturus.

XII. Joannes Turrecremata ex Ordine Prædicato-
rum Cardinalis, in cap. *Quàm periculosum: Respon-*
deo, quod Papa possit renunciare. Ista conclusio ostendi-
tur vera tripliciter: Scilicet, auctoritate, exemplis, & ra-
tionibus. Exemplis patet. Nam leguntur Summi Pon-
tifices renunciasse, sicut beatus Clemens: Item beatus
Cyriacus, sicut patet in Legenda undecim millium Vir-
ginum.

XIII. Petrus Equilensis Episcopus in libri IX. de
Sanctis capite LXXXVIII. *Quas* (Virgines Basilea Ro-
mam venientes) *Papa Cyriacus gaudenter suscepit, quia*
de terra earum erat, & multas ibi consanguineas habebat,
plurimásque ex ipsis nondum baptizatas sacro fonte pro- 30
fudit, qui divinam revelationem in somnis accepit, ut cum
ipsis relicto Pontificatu discederet, & coronam martyrii
cum ipsis acciperet. Et cum anno uno & mensibus duo-
bus & diebus XX. Ecclesiam rexisset, invitis Cardinalibus
& clero Romano Papatum resignavit, & cum Vincentio
Presbytero Cardinali & multis aliis Virginum Collegio se
sociavit; & quia invitis omnibus Pontificatum reliquit,
nomen ejus de Catalogo Romanorum Pontificum Clerus
abrasit.

XIV. Auctor anonymus Chronologicæ Compilatio-
nis, quæ ex variis Chronicis excerpta, & Germanico-
rum scriptorum corpori inserta est, ad annum CCXXXI.
Post ipsum Pontianum Papam sedit Cyriacus Papa anno
uno. Sed non est in Catalogo Romanorum Pontificum quia
recessit à Sede.

XV. Jacobus Philippus Bergomensis ex Ordine E-
remitarum sancti Augustini scriptor illustris, in sup-
plemento Chronicorum: *Cyriacum Papam Pontiano huic*
successisse multi ferunt: Sed quia contra Patrum volun-
tatem Papatu cessit, atque cum undecim Virginum milli-
bus, quas ferè omnes baptizaverat, Agrippinam urbem con-
cessit, in Pontificum Catalogo positus non est, cùm tamen
& ipse Virgo existens, cum Virginibus illis martyrio sit
coronatus.

XVI. Joannes Nauclerus Tubingensis Academiæ
Cancellarius in volum. II. Chronographiæ generat.
VIII. *Cyriacus Papa Pontiano subjicitur, qui uno anno*
& tribus mensibus fertur sedisse, ab Hunnis Agrippinam
unà cum undecim millibus Virginum profectus martyrio
consumptus est.

XVII. Joannes Thwrochius in Chronicis Hungaro- 31
rum cap. XVII. *Qui* (Attila) *dum ejusdem civitatis*
(Coloniensis) *vacaret in obsidione, & cœtus ille undecim*
millium Virginum præclarissimus, nullum sibi à seculorum
primordio habens similem, duce sancta Ursula Britanno-
norum Regis filia, simul cum illustri Duce Etherc An-
glorum Regis nato, sponso suo, ac Cyriaco Papa, multis-
que aliis spiritualium & secularium dignitatum personis
navigii officio Rheni fluminis alta secantes, illuc advenis-
set, cùm dictus Præfectus quorundam Romanorum ductu
in gentilitatis errore infectorum consilio simul cum Hun-
nis obsidioni dictæ civitatis insistentibus ingenti cum cla-
more, & feritatis austeritate, in tam sacrum Virginum
Collegium truculentus velut bestia irruit, omnésque usque
ad internecionem delevit. Quam alii historiam Maxi-
mini Imperio consignant, hanc Thrwochius Martiani
Imperio consignat: Ita ut qui Pontifex Cyriacus sub
Maximino claruit, hic sub Martiano adhuc clareat.
Maximinus anno Christi CCXXXVII. regnare cœpit,
& anno CCXL. periit. Martianus anno CCCCL. regnare
cœpit, & anno sequenti Attila Gallias devastat.

XVIII. Antonius Bonfinius in libro V. Decadis I.
rerum Hungaricarum, ubi de Ursulæ & Sodalium e-
jus adventu in urbem loquitur: *Quod ubi Cyriaco Pon-*
tifici maximo significatum est, cum universo Collegio Sa-
cerdotum ex urbe Roma prodiens mirificè exultavit, &
quàm honestissimo potuit apparatu adventantes virgines ex-
cepit. Et post alia: *Cùm abeundi tempus instaret, Pon-*
tifex divino jussus numine, advocato Sacerdotum Collegio,
quid facere vellet, aperuit, sèque Pontificatu, cùm post
Pontianum Pontificem anno uno ac mensibus circiter duo- 32
bus Romanæ Ecclesiæ præfuisset, sponte cunctis reclaman-
tibus abdicavit. Cardinales eum delirare putabant, quòd
in senio mulierculas non sine sui ridiculo sequeretur: Ne-
que cœlestis eum interprete admonitum intelligebant, qui
cum unà cum Virginibus in Gallia martyrium subiturum
esse nunciarat. Contempta tandem omnium refragatione
sancti

sancti propositi tenacissimus Anterum mira sanctitate præditum sibi suffecit.

XIX. Martyrologium Coloniæ post Lombardicam historiam editum circa annum MCCCCXC. XII. Calend. Novembris: *Apud Coloniam Agrippinam passio sanctæ Ursulæ & sodalium ejus undecim millium Virginum & martyrum, quarum sancta Ursula Virgo, & filia regis Britonum domina & regina extitit. Hæc cùm esset desponsata Etherio filio Regis Angliæ, has sacras Virgines ad dedicationem & conservationem virginitatis suæ elegit: Cum quibus peregrinavit Romam, de Roma usque ad Coloniam pervenit. His sacris Virginibus associati fuerunt, sanctus Cyriacus Papa, & Innocentius Presbyter Cardinalis, Pantalus Basileensis Episcopus, & sanctus Marculus Episcopus, multique Episcopi & Sacerdotes, proceres & nobiles huic sanctæ societati adhæserunt, & cum iisdem Virginibus una die sub una fide Sanctissimæ Trinitatis super litus Rheni præfactæ civitatis unà cùm beata Gerasina regina Siciliæ, ac filiabus ejus Babilla, Juliana, Victoria, Aurea, ac parvulo suo Adriano, & beatis Virginibus Cleomatia, Thermatia, Christaintia, Pinnosa, Thensta, Thamaria regina, & Officia ab Hunnis barbaris tempore Martiani Imp. circa annum Domini 450. crudeli examinatione trucidatæ sunt.*

33 XX. Joannes Capgravius ex Ordine Eremitarum sancti Augustini Theologus in legenda Sanctorum Angliæ, quæ Londini prodiit anno MDXVII. in martyrio undecim mille Virginum: *Tres in visu apparuerunt Cyriaco Papæ eum exhortantes, ut relicto Pontificatu ad coronam martyrii properaret: Sed quia contra voluntatem Cardinalium, Romanique Senatus consilium discessit, nomen illius è Catalogo Pontificum deletum est.*

XXI. Silvester Prieras Generalis Prædicatorum Magister, in Summa, verbo *Papa. Quæritur, utrum Papa renunciare possit? Respondeo, quòd sic: Unde quatuor renunciasse legimus: Scilicet, Clementem, Cyriacum, Marcellinum, & Celestinum, licèt non ex iisdem causis.*

XXII. Liber sextus Decretalium juxta Lugdunensem editionem anni MDXX. MDL. & MDLIII. in cap. Renunciat. *Datur autem certum exemplum de Cyriaco Papa, de quo legitur, quòd cum Ursula & undecim millibus Virginum martyrizatus est. Scribitur enim de ipso, quòd sibi quondam revelatum est, quòd esset cum illis virginibus palmam martyrii recepturus. Tunc congregatis Clero & Cardinalibus coram ipsis renunciavit dignitati & officio. Sed iste Cyriacus in Catalogo Romanorum Pontificum non denominatur; quia creditum fuit per Cardinales, quòd non propter devotionem, sed propter oblectamenta virginum Papatum dimisisset.* Diversorum annorum editionem suprà notavi, quia quæ retulimus, è posterioribus editionibus sublata sunt.

XXIII. Romanum Breviarium, quod anno MDL. editum est, in lect. IV. & V. Festi undecim mille Vir-
34 ginum: *Quas Papa Cyriacus & Clerus cum lætitia & honore suscepit. Qui & ipse de Britannia erat, & consanguineas inter illas nonnullas habebat. Hinc cùm & ipse virgo existeret, huic revelatum fuit, quòd martyrii palmam cum iis esset consecuturus, & demum manifestans voluntatem suam coram omni Clero Papatui renunciavit, cùm anno uno rexisset Ecclesiam & mensibus circiter tribus nonusdecimus post Petrum Apostolum.* Hæc non ampliùs leguntur in Romano Breviario.

XXIV. Antonius Cucchus in lib. II. Pand. cap. II. *Desinit quis Pontificatu fungi morte & renunciatione: Neque desunt exempla eorum, qui sponte se à Pontificatu abdicarunt, Cyriacus, &c.*

XXV. Bartholomæus Fumus in Armilla, verbo *Papa: Papa renunciare potest papatui, etiamsi jurasset non renunciare, cùm adest causa rationabilis, sicut fecit Papa Cyriacus, & multi alii.* Hæc pauca de Canonici juris antecessoribus, qui omnes vel penè omnes in cap. *Renunciat.* Cyriaci Papæ exemplo utuntur.

XXVI. Lælius Zecchius in libro de Rep. Ecclesiastica num. XXXV. de Papa: *Clarum est, Papam posse renunciare Papatui.* Et paullo post: *Sic Clemens, Cyriacus, Marcellinus, & Celestinus renunciarunt.*

XXVII. Nicolaus Olahus Strigoniensis Archiepiscopus in historia Attilæ: *Ursula Basileam revertitur, Cyriaco Papa eam summo honore semper prosequente.* In hujus auctoris opinione Cyriacus Papa vivebat tempore Attilæ, qui & ipse vivebat Theodosio juniore & Marciano Imperatoribus.

XXVIII. Hermannus Scombachus è Societate Jesu Presbyter in tomo I. de Ursula vindicata lib. I. cap.
XXXI. ex Gerlaco Tuitiensi Abbate Sepulcralem titu- 35
lum hunc saxo incisum refert. *S. Cyriacus Papa Romanus, qui cum gaudio suscepit sacras Virgines, & cum iisdem reversus martyrium suscepit.* Scombachus adjicit: *Vix erutus è terra titulus iste fuit, quin statim ejus festum Coloniæ, Tuitii, variisque in locis, quò sacræ sancti Cyriaci reliquiæ sunt deportatæ, fuerit solemniter celebratum.*

Quis nunc istam de Cyriaco Papa narrationem, etiamsi non paucioribus quàm relata de Joanna Papissa testimoniis confirmetur, veram esse crederet, quia Cyriacus Papa, qui nunquam fuit, aliquando esse potuit? Si extitisset, quo tempore extitisse relati auctores memorant, cur in libri VI. historiæ capite XXII. prætermisisset Eusebius, cùm ita scribit: *Simulatque Pontianus Ecclesiæ Romanæ Pontificatum per sex annos gesserat, in ejus locum Anteros surrogatus est?*

Cur qui Pontifex ab Eusebio fuisset omissus, hunc non supplevisset Optatus Milevitanus Episcopus, cùm in libro II. contra Parmenianum Romanorum Præsulum successionem ita exequitur: *Ergo cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus. Cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus.* Et paullo pòst: *Urbano Pontianus, Pontiano Antherus, &c.*

Cur Augustinus, cùm in Epistola CLXV. ad Generosum Romanos Pontifices à Petro usque ad Anastasium recenset, ex illorum numero Cyriacum sustulisset? *Petro,* inquit, *successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus.* Et quibusdam interpositis: *Urbano Pontianus, Pontiano Antherus.* Et quemadmodum recensione facta Augustinus dicit: *In hoc ordine succes-
sionis nullus Donatista Episcopus invenitur:* Sic & dici 36
quoque posset: *In hoc ordine successionis nullus Cyriacus Episcopus invenitur.*

Augustinus risisset impudentiam hominis, qui respondisset, in hoc ordine successionis nullum Donatistam Episcopum inveniri, quia ex eo successionis ordine N. Donatistæ Episcopi nomen deletum est. Tu rideres quoque impudentiam hominis, qui diceret, ex eodem successionis ordine Cyriacum esse sublatum, eámque ob causam nullum ibi Cyriacum inveniri.

Cur Prosper Aquitanus Chronico suo, quod nunc integrum publici juris factum est, non adscripsisset Cyriacum Papam, cùm hinc inde Romanorum Pontificum seriem notat? *Romæ,* inquit, XVII. *Episcopatum suscepit Pontianus annis quinque, & post annos quinque Romæ* XVIII. *fit Episcopus Anterus.*

Prætermitto cæteros, Anastasium Bibliothecarium, Reginonem, Hermannum Contractum, Marianum Scotum, Gotfridum Viterbiensem, qui traditionem Ecclesiæ secuti, Cyriacum inter Pontianum & Anterum neutiquam interponunt.

Sed prætermittere non possum auctores duos, qui quod mireris, etsi in fæce, ut ita dicam, temporum scripserint, narrationem hanc ex rebus fictis commentitiisque formatam esse deprehenderunt, eámque oppugnarunt, Gobelinus Persona Officialis Paderbonensis, & Wernerus Rolewinckius: Hic in Fasciculo ætate VI. *Nota,* inquit, *quòd in quibusdam historiis habetur, quòd Cyriacus Papa successit Pontiano immediatè, & Papatum dimisit, ut cum virginibus martyrio coronaretur:
Sed ratio temporis hoc non permittit, ut patet in Legen-* 37
da undecim millium Virginum.

Ille

Ille in Cosmodromii ætate VI. cap. XIV. *Sed quidam nescio quibus fabulis, intenti dicunt ei* (Pontiano) *successisse quendam Cyriacum nomine, & nomen illius esse deletum de Catalogo Romanorum Pontificum, propterea quòd cum undecim millibus Virginum, ab urbe Roma discedens Papatum reliquerit, Cardinalibus & Clero invitis, & deinde apud Coloniam Agrippinam cum eisdem virginibus martyrium pertulerit.* Et cætera, quæ quamvis rectè notentur, ea ut ab instituto nostro nonnihil aliena prætereo.

Persona floruit circa Constantiensis Concilii tempus, & Rolewinckius, ad annum MCCCCLXXIV. finem scribendi fecit.

Præcipitans cum ingenti recentium auctorum numero fabula pervenit ad ætatem Baronii, qui impetum illius reprimere ac sistere voluit, oppositis molibus, & repagulis, quæ cùm ex aliis, tum maximè ex pertinaci sæculorum plurium silentio comparantur. Stephanus Scombachus ante annos non multos oppositas moles disturbare, & defixa repagula resigere, afflictam & jacentem suppositititii Pontificis fabulam erigere, & instaurare aggressus est: Sed misero & infelici conatu. Nam illustri exemplo docuit, verum esse, quòd, ut nulla est sine amatore fœditas, sic nulla sit quoque sine patrono fatuitas. In relatis auctoribus, qui ficto perinde ac vero Pontifici dederunt testimonium, humana imbecillitas attendi potest, & debet, quæ propter temporum miseriam & negligentiam excusa-
38 tionis habet aliquid; sed in Scombacho nihil attendendum præter audaciam, & crassam affectatámque inveniendi afferendique veri ignorantiam, quæ magno crimini vertenda est.

Deinde quibus modis asserit, Pontianum inter & Anterum fuisse Pontificem Cyriacum, qui nusquam fuit; iisdem & asseret, Leonem IV. inter & Benedictum III. fuisse Pontificem feminam quæ nunquam fuit. Hæc est Incredibilis ἀκρισία, qua Scombachus de ficto Papa Cyriaco & falsis illius reliquiis adversus Gobelinum Personam & Baronium disputans laborat; atque ob id nihil aliud nisi hominis ridiculè docti famam meretur.

Dico ampliùs, quod quia de veritate agitur, dissimulare non possum: Si sola spectetur temporum ratio, quæ his in rebus ut falsitatum emendatrix, & fabularum deletrix spectari maximè debet, Joanna Leonem IV. inter & Benedictum III. longè faciliùs, quàm Cyriacus, Pontianum inter & Anterum retinebitur. Nam à Leone IV. cui Joannem successisse fabulantur, usque ad Marianum Scotum, qui anno MLXXXVI. migravit, interceduat anni tantùm ducenti triginta & unus. Sed Pontiano cui Cyriacum successisse ferunt, usque ad Elizabetham Schonangiæ Abbatissam, quæ anno MCLXV. humanæ conditionis sortem explevit, intercedunt anni nongenti & viginti octo. Siquidem religiosæ virgini huic divinitus patefactum volunt esse, quidquid ad Cyriacum ipsum, Cyriaci Pontificatum & martyrium pertinet. De Cyriaco Papa, qui medius inter Pontianum & Anterum fuerit, omnis retro versus Pontianum ætas silet contumaciter. Tot annorum elinguium mole oppressus existere, atque emergere quis posset? Sic luculenter apparet, Cyriacum ab Scombacho defendi non 39
posse, quin via sibi aliisque sui similibus ad tuendam Joannam Papissam & quaslibet aniles fabulas muniatur. O improvidam & intolerabilem scriptoris novi audaciam! Corruptis recentiorum sæculorum ætatibus, & ad eas accedente hominum imbecillitate cùm tam prælicenter utitur, imbecillum ac vituperabilem se potiùs, quàm generosum & commendabilem hominem præbet. Qua fronte & fide post Scombachi factum ab illius Sociis tam acriter redarguuntur heterodoxi scriptores, qui non suorum, sed Catholicorum auctoritate utuntur, ut feminam in Apostolica Sede collocent? Hos nec laudo nec probo: Ego hoc in argumenti genere adversor omnibus, sed æqualiter,

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo.

Sua unicuique servanda est æquitas, nec in uno cùm par suppetit causa, dissimulare convenit, quod in altero culpatur.

Utinam ille expendisset priùs, quæ infeliciter oppugnatus à se Baronius ad annum CIX. de juribus veritatis tradit: *Jura veritatis sunt ampliora omni antiquitate: Quippe quæ nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.* Quæ acta & testimonia hic rejicit, sunt multò vetustiora iis, quibus vel Pontifex Cyriacus inter Pontianum & Anterum, vel Pontifex Joannes aut Joanna inter Leonem IV. & Benedictum III. interjicitur. Veritati non præscribitur; hæc non subest tempori, quod omnia vel transmutat vel con- 40
sumit: sempiterna res est. Ad illam non attinet ignobile par fabularum, quæ expositione sua refelluntur & contabescunt. Unam alteri subjunximus, ut tu qui mente præpolles vegetiori & sagaciori, hoc interim spatio perspiceres, innumerabili testium, qui rei gestæ æquales non sunt aut suppares, multitudine anilia commenta sustentari nunquam. Hoc tibi de ficto Papa Cyriaco præclarè constare debet, atque ubi constiterit, subdititius feminæ Pontificatus ad oculos advolabit faciliùs: Scio tamen exemplo hujusmodi non indigere te, qui uniuscujusque rei naturam, per seipsam, pro eo quantum illa postulat contemplaris. Ad dignoscendum feminæ antistitis inventum tibi satis superque erant illa rationum momenta septem, quæ Anastasius Bibliothecarius locuples testis & idoneus in vita Benedicti III. nobis suppeditat. Ædificata semel veritate oppositum illico mendacium destruitur; & in errorem lapsos esse, qui contrà vel dixerunt vel scripserunt, dicere non est reformidandum. Agitur de iis qui cùm homines sint, humani à se nihil alienum putare debent, nec tum demum ab inertia & segnitie vindicari ac liberari possunt. Vale Lutetiæ Parisiorum III. Calend. Aprilis anno MDCLXVI.

JOAN-

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS, Epistolarum:

PARS QUINTA.

Joannes Launoius CAROLO MAGISTRO

Parisiensi Theologo.

1 DE supremo vel ultimo Controversiarum religionis judicio, cùm inter nos ageremus nuper, ex agendi occasione illa mihi sumpsi, beatum Augustinum in tot tantisque Commentariis, quos de rebus fidei edidit, Romanum Pontificem fecisse nusquam supremum vel ultimum judicem, sed Episcoporum Concilium. Hoc ut probarem optâsti, ratus tractationis genus istud gratum & acceptum futurum esse, nedum perutile. Siquidem Augustinus, cùm in Ecclesia auctoritatis sit magnæ, eos qui fortassis sentirent aliter, & à veritate deflecterent, revocabit ab errore, & in rectè sentiendi finibus continebit. Sed nequid à me peccetur rationis & ordinis perturbatione, initium pono iis in libris, quos præstantissimus Ecclesiarum magister adversus Donatistas conscripsit. Notum est, Donatistas suo schismati addidisse errores multos, & eum inprimis, qui ad iterandum baptismum pertinet.

I. Augustinus igitur in libris contra Donatistas editis iterandi baptismi controversiam pertractat copiosissimè, & hujus decisionem Romano Pontifici ut supremo vel ultimo judici non transscribit, cùm transscribendi se offert occasio. Hæc autem non potest non se offerre, ubi sæpissimè de non iterando baptismo sermonem instituit.

2 II. Augustinus nec Stephani Papæ Epistolam quæ ad Africanos missa est, refert, nec Epistolæ fragmentum ullum, quod Donatistis tanquam disciplinæ certæ firmamentum objiciat; objecturus sine dubio, si Romano antistiti indeficientis judicii privilegium inesse censuisset. Quis enim Augustino ingenii minus & prudentiæ, quàm cuicunque ex umbraculis scholarum attribueret?

III. Augustinus in libro de Baptismo contra Donatistas sexto & septimo singulas eorum, qui Carthaginiensi Concilio interfuerunt, sententias expendit, discutit, & confutat. Sed ubique altum est de Stephano Papa silentium: tantum abest, ut Stephani Epistolam ut decretorio stilo exaratam aut illi Concilio, aut uni è Patribus Concilii opponat. Et hoc certum est indicium, ab Augustino habitum non fuisse Stephani decretum tale, quale ad terminandam citra erroris periculum quæstionem sufficeret. Quis alioqui Doctoris sapientissimi in tractanda quæstione consilium probaret? Aut eum negligentiæ nomine non accusaret?

IV Augustini loca sunt duo, quæ si contendantur inter se, & cum iis, quæ Cyprianus de Marcionis baptismo contra Stephanum scribit, Stephano apud Augustinum non errandi privilegium detrahunt.

Locus prior est in libri de unico Baptismo capite XIV. *Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginiensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti: Quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat.*

Posterior in libri II. de Baptismo contra Donatistas 3
capite XIV. & XV. *Quapropter manifestum est, fieri posse, ut fide non integra integrum in quoquam maneat baptismi Sacramentum, & ideo illa, quæ de diversorum hæreticorum varietate dicuntur, ad istam quæstionem non pertinent. Illud enim in unoquoque corrigendum est, quod ille per quem corrigitur, pravum esse perspexerit. Illud sanandum est, quod ægrotat, illud dandum est quod non habetur, & maximè caritas pacis, sine qua cætera prodesse non possunt, sed tamen cùm adsunt, non quasi desint, tradenda sunt; sed ut fructuosè habeantur, & non perniciosè habeantur, per ipsum vinculum pacis, & eminentiam caritatis, agendum est. Quamobrem si Evangelicis verbis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Marcion*

baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.

Augustinus in priori loco cùm ait, *Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat*, non fallitur. Idipsum conceptis verbis in fragmento Epistolæ Stephani traditur apud Cyprianum in Epistola LXXIV. ad Pompeium: *Siquis ergo*, inquit Stephanus, *à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi* (fortè in id) *quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.*

Hoc Eusebius confirmat in libri VII. hist. capite II. *Ad hunc Stephanum Dionysius* (Alexandrinus) *primam ex illis Epistolis de baptismate compositis scripsit, propterea*
4 *quòd erat id temporis non exigua quæstio, & controversia concitata, utrum oporteret eos,* QUASI A QUOCUNQUE HÆRESIS GENERE REVOCASSENT, *lavacro baptismatis repurgare, cùm ex consuetudine ab antiquis ducta temporibus in ejusmodi hominibus in Ecclesiam recipiendis sola preces cum manuum impositione adhiberi solerent.* Certum ergo atque indubitatum est id, quod de Stephano beatus Augustinus observat, Stephanum in nullo eorum qui ab hæreticis baptizati fuerant, iterandum esse baptismum censuisse.

Augustinus in posteriori loco significat collatum à Marcione baptismum valere, *si verbis evangelicis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* consecretur; non valere, si non consecretur. Sic Augustini judicio erravit Stephanus Marcionis baptismum recipiens, si verbis illis evangelicis non consecrabatur. Num igitur consecrabatur, quærendum est de Cypriano, qui Stephani Epistolam vidit, & confutavit duabus in Epistolis, una ad Jubaianum, altera ad Pompeium. Sic autem ad Jubaianum scribit: *Planè quoniam inveni in Epistola, cujus exemplum ad me transmisisti, scriptum esse, quòd quærendum non sit, quis baptizaverit, quando is, qui baptizatus sit, accipere peccatorum remissam potuerit secundùm quod credidit: Prætereundum hunc locum non putavi, maximè cùm in eadem Epistola animadverterim, etiam* MARCIONIS FIERI MENTIONEM, UT NEC AB IPSO VENIENTES DICAT BAPTIZARI OPORTERE, *quòd jam in nomine Jesu Christi baptizati esse videantur. Considerare itaque debemus fidem eorum, qui foris credunt, an secundùm eandem fidem possint aliquid gratiæ consequi. Nam si fides una est nobis & hæreticis, potest esse & gra-*
5 *tia una. Si eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum, eandem Ecclesiam confitentur nobiscum Patripassiani, Anthropiani, Valentiniani, Appellatiani, Ophitæ, Marcionitæ, & cætera hæreticorum pestes, & gladiis ac venenis subvertentes veritatem, potest illic & baptisma unum esse, si est & fides una: Ac ne longum sit, per hæreses universas decurrere, & singulorum vel ineptias, vel insanias recensere, qui nec delectat id dicere, quod aut horret, aut pudet nosse:* DE MARCIONE INTERIM SOLO, CUJUS MENTIO IN EPISTOLA A TE AD NOS TRANSMISSA FACTA EST, *examinemus*, AN POSSIT BAPTISMATIS EJUS RATIO CONSTARE. *Dominus enim post resurrectionem Discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent, instituit & docuit dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Ite ergo & docete gentes omnes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, insinuat Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Nunquid eundem asserit, quem & nos Patrem creatorem? Nunquid eundem novit filium Christum, de Maria Virgine natum?* Et paullo pòst: *Longè alia est apud Marcionem, sed & apud cæteros hæreticos fides: Immo nihil est apud illos nisi perfidia, & blasphemia, & contentio sanctitatis & veritatis inimica.* Et paullo pòst: *Alia fuit Judæorum sub Apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi quia jam legis & Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi, secundùm quod in Actis Apostolorum Petrus ad eos loquitur & dicit: Pœnitemini & baptizetur unusquisque* 6
vestrûm in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum; & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim est promissio & filiis vestris, & omnibus deinceps quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem à Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, immo & contra Ecclesiam, modò in nomine Jesu Christi ubicunque, & quomodocunque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?

Hic ex Stephani Epistola, quam Cyprianus citat, manifestè colliguntur duo: Primùm, quòd Marcion non baptizabat in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, sed in nomine Jesu Christi. Deinde, quòd Stephanus collatum sic à Marcione baptismum recipiebat. Cyprianus contrà pugnat duo, rejiciendum esse collatum in nomine Jesu Christi baptismum, nisi qui susceperit Judæus fuerit, & baptizandos esse in plena & adunata Trinitate gentiles; In nomine scilicet Patris & Filii & Spiritus Sancti: *Alia fuit*, inquit, *Judæorum sub Apostolis ratio, alia est gentilium conditio.* Hinc graviter insectatur Marcionem, quòd Trinitatem non teneat, cujus Sacramento gentes baptizentur.

Sic verò scribit in Epistola ad Pompeium: *Ut nemo infamare Apostolos debeat, quasi illi hæreticorum baptismata probaverint, ut eis sine Ecclesia baptismo communicaverint, quando talia de hæreticis Apo-* 7.
stoli scripserunt, & hoc cùm nondum hæreticæ pestes acriores prorupissent, necdum quoque Marcion de Ponto emersisset, cujus magister Cerdon sub Hygino tunc E- 8
piscopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion secutus additis ad crimen augmentis impudentiùs cæteris, & abruptiùs in Deum Patrem creatorem blasphemare instituit. Et quibusdam interpositis: *Cùm verò nulla omnino hæresis, sed neque aliquod schisma habere salutaris baptismi sanctificationem foris possit, cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit, ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini & Apelletis & cæterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat, filios Deo nasci, & illic in nomine Jesu Christi dicit remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in Deum Patrem & in Dominum Deum Christum.* Cyprianus iterum reprehendit Stephanum, quòd collatum à Marcione in nomine Jesu Christi baptismum admiserit. Et cùm ita reprehendit, etiam iterum animadverti possunt duo illa, quæ suprà jam animadvertimus: Marcionem in nomine Jesu Christi, non verò in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizasse, & baptismum istiusmodi ab Stephano probatum esse.

Hoc autem cùm ita sit, planum efficitur, Marcionem verbis evangelicis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptismum, quem dabat, minimè consecrasse, & Augustinum, baptismum hunc indefensum relinquere, quem tamen Stephanus admiserat. Quapropter nemini mirum videri debet, Doctorem sanctum Romano Pontifici indeficientis judicii pri- 8
vilegium nusquam adscribere, nec illum pro supremo vel ultimo controversiarum fidei judice habere. Quippe judex talis nusquam errare debet, ut Stephanum hac in re errasse Augustinus significat, consentiens baptismum, qui *verbis evangelicis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non consecratur*, cassum & irritum esse, contrà quàm Stephanus in Epistola ad Africanos decreverat.

Nunc

Nunc veniendum est ad Concilia, quæ apud Augustinum excitatis de religione controversiis finem imponunt. Notabo loca præcipua, in quibus de his Conciliis agit.

I. In libri I. de Baptismo contra Donatistas capite VII. *Jam ne videar humanis argumentis agere, quoniam quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros, & magna caritate præditos, Patres Episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Hic non Epistolæ Stephani, sed plenario totius orbis Concilio decretorium judicium adscribit.

II. In ejusdem libri capite XVIII. *De Baptismi ergo quæstione jam quantum arbitror, satis disserui, & quia hoc manifestissimum schisma est, quod Donatistarum nomine nuncupatur, restat, ut hoc de baptismo piè credamus, quod universa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit, in qua tamen si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista quæstione salva pace sentirent, donec universali Concilio*
9 *unum aliquid eliquatum sincerúmque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret caritas unitatis.* Hic non Epistola Stephani, sed universale Concilium est, quod tum demum controversiam dirimit, cum illi unum aliquid eliquatum sincerúmque placuit.

III. In libri II. contra eosdem Donatistas capite I. *Si quisquam nunc cogat circumcidi aliquem more Judaico, & sic baptizari, multò ampliùs detestetur hoc genus humanum, quàm si aliquis cogatur rebaptizari. Quapropter cùm Petrus illud faciens, à Paulo posteriore corrigitur, & pacis atque unitatis vinculo custoditus, ad martyrium provehitur, quantò faciliùs & fortiùs, quod per universa Ecclesiæ statuta firmatum est, vel unius Episcopi auctoritati, vel unius provinciæ Concilio præferendum est?* Cùm Augustinus sic loquitur, nobis objicit duo: Primùm, quòd rei decisionem non Stephani decreto, sed universæ Ecclesiæ statutis, tribuit: Deinde, quòd unius Episcopi sententiæ, vel auctoritati, aut unius provinciæ Concilio, universæ Ecclesiæ decretum præferendum sit. Et hoc in loco Episcopum nullum excipit, ne Romanum quidem.

IV. In ejusdem libri cap. III. *Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere.* Inter singulas regiones & provincias, in quibus Concilia fierent, Romanam, ut apparet, provinciam non excipit. Hinc quæ in ea provincia fierent Concilia, hæc plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ ex universo orbe Christiano colligerentur, sine ullis ambagibus cede-
10 rent, aut cedere deberent, quia his non illis Conciliis quæstio finiretur.

V. In ejusdem libri capite IV. *Sanctus Cyprianus satis ostendit, facillimè se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret baptismum Christi sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent: Unde multa jam diximus, nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui & ipse* (Cyprianus) *sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat, ab uno posteriore collega patienter concorditérque correctum, quantò citiùs ipse eam Concilio provinciæ suæ universi orbis auctoritati patefacta veritate cessisset?* Et post pauca: *Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illustrationem, confirmationémque perduci, nisi primo diutiùs per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret?* Hic quot sunt commata, tot pronunciata, quibus celebris Ecclesiarum magister suam de supremo vel ultimo controversiarum religionis judice, Concilio nimirum, mentem aperit & confirmat. Et primò quidem dicit, non audere se asserere id quod asserit, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmaretur. Sed non dicit, audere se asserere id quod asserit, etiamsi Stephani Papæ auctoritate firmaretur. Aliud est, universæ Ecclesiæ concordissima auctoritas, quæ falli non potest, aliud Stephani auctoritas, quæ falli potest. Nam si falli non posset, id as- 11
sererese quod asserit, perinde auderet, ac si universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmaretur.

Deinde Augustino idem est universæ Ecclesiæ concordissima auctoritas, & plenarium Concilium, cui beatus Cyprianus cessisset, si Cypriani ætate rei, de qua inter eum & Stephanum disceptabatur, veritas ad liquidum fuisset explorata. Et sic Augustinus sibi sumit Stephanum decreto suo non id fecisse, quod fecit plenarium Concilium. Uno verbo quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata per Stephanum non ita solidata est, ut illi Cyprianus cedere debuerit.

Tum Augustinus non diffitetur Petrum à Paulo collega posteriore correctum fuisse. Quo fit, ut Petrus nisi errasset, à Paulo correctus non fuisset, & sic Petri successor cùm melioris conditionis non sit, quàm Petrus ipse, fraternæ correctioni obnoxius est. Et hoc pacto non errandi privilegium excluditur.

Præterea cùm Augustinus scribit hoc: *Quantò citiùs ipse* (Petrus) *eam Concilio provinciæ suæ universi orbis auctoritati patefacta veritate cessisset*, significat, hinc universi orbis auctoritatem majorem esse auctoritate provincialis Concilii, cui Romanus Pontifex præesset; inde universi orbis Concilium patefacere veritatem posse, quam non posset provinciale Concilium, cui Romanus idem Pontifex præesset.

Denique in extrema periodo exponit, quàm difficile fuerit, varios agitatæ Stephanum inter & Cyprianum quæstionis recessus apertam in lucem prodere, &
rem ad plenarii Concilii luculentam illustrationem 12
confirmationémque deducere; & quid antè faciendum fuit, quàm deduceretur. Diutiùs per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractanda fuit, & pertractata constare debuit. Stephanum suo decreto nihil, aut certè parum profecisse ad veritatis assertionem, doceri non potuit evidentiùs, si periodus hæc, ut par est, expendatur. Id per seipsum patet, nec observatione ulla mea indiget, si vel leviter attendas, quò istud pertineat, *Quomodo enim potuit?*

VI. In ejusdem libri capite VII. *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum enim erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata.* Et paullo pòst: *Sic diligentiùs inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta est.* Si in Epistola, quam Stephanus ad Africanos misit, diligenter pertractata esset baptismi quæstio, Augustinus opinor non diceret: *Nondum erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata*; nec diligentiùs inquisitam veritatem ad plenarium Concilium remitteret. Sic diligentius inquirendæ veritatis jus plenario Concilio, non Romano Pontifici transscribit.

VII. In ejusdem libri capite VIII. *Sed quia tunc non extiterant, nisi qui ei* (Cypriano) *consuetudinem opponerent* (Stephanus imprimis:) *Defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent, quibus illa talis anima moveretur, noluit vir gravissimus rationes suas, etsi non veras,* (*quod eum latebat*) *sed tamen non vi-* 13
ctas, veraci quidem, sed tamen nondum asserta consuetudini cedere. Quam tamen consuetudinem nisi prior antè Agrippinus, & nonnulli per Africam coepiscopi ejus etiam per Concilii sententias deserere tentavissent, non auderet iste saltem ratiocinari adversus eum: Sed in tam

obscura quæstione turbatus, & ubique intuens universalem robustámque consuetudinem, coarctaret se potiùs & prece, & intentione mentis ad Deum, ut quod postea plenario Concilio visum est, id verum esse perspiceret, & doceret. Augustinus firmatæ Stephani decreto consuetudini nihil tribuit, quia Stephanus defensiones consuetudinis tales non attulerat, quibus Cyprianus moveri posset. Et sic ille nondum assertæ consuetudini cessit. Hinc subjicit: *Ut quod postea plenario Concilio*, non Romano Pontifici, *visum est, id verum esse perspiceret & doceret.* Plenarium igitur Concilium, Ecclesiæ tribunal est ultimum, cui Doctor sanctissimus quæstionis decisionem adjudicat.

VIII. In ejusdem libri capite IX. *Cyprianus hac attestatione satis ostendit, multò magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non solùm inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem robúrque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus. Hanc autem* 14 *fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus perspecta veritate plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur.* Ubique tacito Stephani decreto, cui Cyprianus restitit, commendat auctoritatem plenarii Concilii, quod quæsitam atque inventam veritatem asseruit.

IX. In ejusdem libri capite XV. *Fuit aliquando de baptismo dubitatio: Qui diversa senserunt, in unitate manserunt. Ea dubitatio procedente tempore perspecta veritate sublata est. Quæstio, quæ nondum finita Cyprianum non deterruit, ut recederet, vos finita, ut redeatis, invitat.* Augustinus bis in verbis respectum habet ad tempora duo, quorum unum Cypriani passionem antecedit, alterum illam subsequitur: In priori tempore perspecta non erat veritas quæstionis, quæ Stephanum & Cyprianum inter se commissos acerrimè tenuit. Stephanus Cyprianum non deterruit, nec Cyprianus à sententia recessit. In posteriori tempore recessisset, quia per plenarium Concilium dubitatio sublata est & pespecta veritas. Hic Stephani decreto quid fiet?

X. In lib. IV. cap. VI. *Nec invenio, cur istam consuetudinem, quæ post Cyprianum plenario etiam totius orbis Concilio confirmata est, tam robustam, & antea idem Cyprianus invenerit, ut cùm ejus mutandæ auctoritatem, quam sequeretur vir tanta scientia præditus quæreret, nonnisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini Concilium reperiret. Quod cùm sibi adversus totius orbis morem non sufficere cerneret, has rationes arripuit, quas modò nos antiquitate ipsius consuetudinis, & plenarii postea Concilii auctoritate firmati diligentiùs considerantes, verisimiles potiùs, quàm veras esse invenimus:* 15 *Quæ illi vera visa sunt in obscurissima quæstione laboranti, & de remissione peccatorum fluctuanti, utrum in baptismo Christi possit non fieri, & utrum possit apud hæreticos fieri: Ubi si minus ei aliquid revelatum est, ut magnitudo charitatis ejus, quâ unitatem non deseruit, probaretur, non ideo quisquam tantis ejus firmamentis, meritisque virtutum, & tanta copia gratiarum debet se audere præponere, quia universalis Concilii admonitus firmitate videt aliquid, quod ille non vidit, quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ecclesia.* Augustinus Stephani decretum universali & plenario Concilio postponit, & cùm dicit: *Quisquam universalis Concilii admonitus firmitate videt aliquid, quod ille* (Cyprianus) *non vidit*, planè innuit, Stephani seu decretum seu Epistolam illius non fuisse auctoritatis, quæ Cyprianum ad mutandam sententiam pertraheret: Sed plenarium requiri Concilium, *quod nondum habebat Ecclesia.*

XI. In libri V. de Baptismo contra Donatistas capite IV. *Quisquis autem & de præterita Ecclesiæ consuetudine, & de posteriore robore plenarii Concilii, & tot tantisque sanctarum Scripturarum testimoniis, & ipsius Cypriani multis documentis, & perspicuis rationibus veritatis, intelligit Christi baptismum verbis evangelicis consecratum non fieri cujuslibet hominis perversitate perversum.* Non dicit: *Quisquis autem & de præterita Ecclesiæ consuetudine, & de posteriore robore decreti, seu Epistola Stephani Romani Pontificis:* Sed dicit: *Quisquis autem & de præterita Ecclesiæ consuetudine, & de posteriore robore plenarii Concilii:* Ut inde cognoscas Augustinum in plenario Ecclesiæ Concilio, non in 16 Romani antistitis decreto certum agitatæ quæstionis judicium constituere. Quod se ultro vel dormitantium oculis ingerit.

XII. In ejusdem libri capite XVII. *Major quippe in eo* (Cypriano) *robur virtutis eminuit, cùm ista quæstio nondum discussa nutaret, quòd aliter sentiens, quàm multi collegæ tantam moderationem obtinuit, ut Ecclesiæ Dei sanctam societatem nulla schismatis labe truncaret, quàm si omnia non solùm veraciter, sed etiam pariter sine ista virtute sentirent.* Et paullo pòst: *O quàm gaudet Cyprianus! Quanto serenius in illa luce contuetur, pro quanta salute humani generis factum sit, ut inveniatur aliquid, quod meritò reprehendi possit, quamvis in Christianis & piis literis ornatorum, & non inveniatur in literis piscatorum? De hoc ergo gaudio sanctæ illius animæ omnino securus, neque ullo modo meas literas, ab omni errato liberas audeo vel putare vel dicere; neque illius huic sententiæ, in qua ei visum est aliter suscipiendos ab hæreticis venientes, quàm vel in præteritum suscipiebantur, sicut ipse testatur, vel nunc suscipiuntur, sicut totius orbis Christiani plenario Concilio rationabilis consuetudo firmata est, meam præpono sententiam, sed Ecclesia sancta Catholica, quam sic ille dilexit & diligit, in qua tam uberem cum tolerantia fructum attulit, cujus universitas ipse non fuit, sed in ejus universitate permansit.* Non accusat Cyprianum, quòd Stephani decreto non paruerit, sed potiùs illum laudat, quòd in priori sententia permanserit, nempe quia quæstio nondum discussa tunc nutabat. Deinde non dicit, Stephani decreto rationabilis consuetudo firmata est: *Sed totius orbis Christiani plenario Concilio* 17 *rationabilis consuetudo firmata est.* Et revera dicere potuit, Stephani decreto rationabilem consuetudinem firmatam esse, sed non dixit: Quia Stephani decreto rationabilis consuetudo sic firmata non est, ut illi Cyprianus obtemperare debuerit, quemadmodum obtemperare debuisset, si totius orbis Christiani plenario Concil. rationabilis consuetudo firmata tunc fuisset.

XIII. In libri VI. de Baptismo contra Donatistas capite I. *Sed convertentibus oculos ad interiorem paleæ multitudinem, cùm & hi, qui in ipsa unitate perversi sunt, & perditè vivunt, appareant remissionem peccatorum nec dare posse, nec habere: Quia non malignis, sed bonis filiis dictum est: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cui tenueritis tenebuntur, habere tamen & dare & accipere baptismi Sacramentum, satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est.* Non utique per Epistolam, quæ à Stephano ad Africanos missa est. Huic enim Epistolæ Augustinus nihil expressi, nihil eminentis tribuit: Plenario Concilio tribuit omnia.

XIV. In ejusdem libri capite II. *Quapropter reddens debitam reverentiam, dignúmque honorem, quantum valeo persolvens pacifico Episcopo & glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de schismaticis vel hæreticis baptizandis, quàm postea veritas prodidit, non ex mea, sed ex universæ Ecclesiæ sententia, plenarii Concilii auctoritate roborata atque firmata.* Non dicit: *Ex universæ Ecclesiæ sententia, Romani Pontificis Stephani auctoritate roborata atque firmata:* Sed dicit,

18 dicit, *Ex universæ Ecclesiæ sententia, plenarii Concilii auctoritate roborata atque firmata.* Nimirum Augustinus plenarii Concilii auctoritatem Romani Pontificis auctoritati præponit: Huic indeficientis judicii vim non tribuit, illi verò tribuit.

XV. In ejusdem libri capite VII. *Quibus illius* (Cypriani) *sermonibus satis apparet, illo tempore ab eis* (Carthaginiensis Concilii præsulibus) *ista esse tractata, quæ nondum declarata sine ambagine hauriebantur, sed adhuc clausa magno molimine quærebantur. Nos ergo jam de baptismi simplicitate ubique agnoscendam consuetudinem universæ Ecclesiæ, etiam Conciliis universalibus roboratam tenemus, accepta quoque ex verbis Cypriani majore fiducia, per quæ mihi etiam tunc liceret salvo nimirum jure communionis diversa sentire, unitate quidem prælata atque laudata.* Quæ Augustinus de tempore Cypriani scribit, non scriberet, si transmisse ab Stephano ad Africanos Epistolæ auctoritatem tribueret, cui Cyprianus obtemperare deberet & cui jus ultimum decidendi adsignaret. Id universalibus Conciliis adsignat, quæ universæ Ecclesiæ consuetudinem ad liquidum & confessum deduxerunt & corroborarunt.

XVI. In ejusdem libri capite VIII. *Unde etiam ostenditur, illos tunc vera sensisse, qui non recesserunt à pristina consuetudine, quæ postea Concilii universitate firmata est.* Augustinus debuisset dicere, *quæ Stephani Papæ auctoritate firmata est*, si credidisset Stephanum à Christo non errandi privilegium habuisse. Augustinus dicit: *Quæ postea Concilii universitate firmata est*, quia universali Concilio non errandi privilegium adscisit.

19 XVII. In ejusdem libri capite XIII. *Januarius à Lambesce dixit: Secundùm Scripturarum sanctarum auctoritatem decerno, omnes hæreticos baptizandos & sic in Ecclesiam sanctam admittendos. Huic respondetur: Secundùm Scripturarum sanctarum auctoritatem decrevit Concilium Catholicum orbis terrarum, etiam in hæreticis inventum Christi baptismum non esse improbandum.* Augustinus non dicit: *Huic respondetur: Secundùm Scripturarum sanctarum auctoritatem decrevit Stephanus Papa, etiam in hæreticis inventum Christi baptismum non esse improbandum.* Cur ita? Stephano id auctoritatis non tribuit: Sed Concilio Catholico orbis terrarum.

XVIII. In ejusdem libri capite XXXV. *Castus à Sicca dixit: Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia instruitur. Iste si convinceret eos, qui diversa sentiebant, & hoc tenebant, quod etiam totus orbis postea Christiano Concilio confirmatus obtinuit.* Non dicit, quod totus orbis Stephani Papæ decreto confirmatus obtinuit. Dixisset verò, si verè dici posse credidisset: Igitur dicit, quod verè dici posse judicat: *Quod totus orbis postea Christiano Concilio confirmatus obtinuit.*

XIX. In libri VII. de Baptismo contra Donatistas capite I. *Non simus molesti legentibus, si eadem variè ac sæpe disserimus. Quanquam enim Ecclesia Catholica sancta in omnibus gentibus adversus ea, quæ in ista quæstione de baptismo, utrum & apud hæreticos vel schismaticos idem*
20 *possit esse qui est in Catholica, nonnullam caliginem offundunt, prisca consuetudinis & plenarii Concilii auctoritate munita sit: Tamen quia non contemnendis viris, & maximè Cypriano in ipsa unitate aliquando aliter visum est, cujus nisi adversus nos auctoritate conantur, qui longè ab ejus charitate remoti sunt: Propterea cogimur ex opportunitate tractandi & considerandi omnia, quæ in ejus Concilio de hac re literisque comperimus, hanc eandem quæstionem aliquantò diutius, tanquam in manibus versare & ostendere, quantò veriùs universitati Ecclesiæ Catholicæ placuerit, ut hæretici vel schismatici, qui jam Christi baptismum illic unde veniunt, acceperunt.* Ne verbum quidem de Stephani decreto, priscam consuetudinem firmante, quod Cypriani Concilio & literis opponatur, sed apponitur plenarii Concilii auctoritas, & Catholicæ Ecclesiæ universitas, quæ priscam firmet consuetudinem.

XX. In libri I. contra Cresconium cap. XXXII. *Verùm nos multa ostendimus, etiam ad legem Dei pertinentia esse apud eos, qui non sunt in Ecclesia, quæ nemo vestrûm audet negare, sed cur tale aliquid solum esse & baptismum, omnino non video, nec vos posse demonstrare confido. Sequimur sanè nos in hac re etiam canonicarum auctoritatem certissimam Scripturarum. Neque enim parvi momenti habendum est, quòd olim inter Episcopos anterioris ætatis, quàm esse inciperet pars Donati, ista quæstio fluctuaret, & varias haberet inter se collegarum salva unitate sententias; hoc per universam Catholicam, quæ toto orbe diffunditur, observari placuit, quod tenemus.* Sic Stephanus Papa non impediit, quo minus quæstio fluctuaret, & varias haberet inter se collega- 21
rum salva unitate sententias: Sed postea quæstio fluctuare desiit, nec habuit varias inter se collegarum sententias, cùm per universam Catholicam, quæ toto orbe diffunditur, observari placuit, quod Augustini tempore tenebatur.

XXI. In ejusdem libri capite XXXIII. *Proinde quamvis hujus rei certè de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, hujus obscuritate quæstionis eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* Augustinus immunitatem ab errore transscribit Ecclesiæ, quæ in plenario Concilio agitatam inter Stephanum & Africanos controversiam diremit: Non transscribit Epistolæ, quam Stephanus ad Africanos misit.

XXII. In libri II. capite XXXIII. *Hæc simplicitas* (non rebaptizandi) *magis quam duplicitas Ecclesiæ placuit universæ toto terrarum orbe diffusæ. Cui Cyprianus ipse quale testimonium perhibeat, audi ex Epistola, quam de unitate conscripsit: Avelle, inquit, radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit, à fonte præcide rivum, præcisus arescit.* Hæc, ait, simplicitas Ecclesiæ placuit universæ, quæ in plenario Concilio hæreticorum baptismum admisit. De Stephano & de Stephani decreto altum silentium.

XXIII. In libri II. contra Gaudentium capite VIII. 22
De sententiis verò Cypriani vel collegarum ejus, quibus tunc placuit, venientes ab hæreticis baptizare oportere, longum est, ut pro merito disputem. Sed statim tu mihi si potes, brevem solve quæstionem, quando rebaptizabat Cyprianus ab hæreticis venientes, Ecclesiæ Carthaginiensis Episcopus, tunc Romanæ Ecclesiæ Stephanus Episcopus in eodem baptismo quem foris acceperant suscipiebat hæreticos, & ambo hæc diversa facientes, in unitate Catholica permanebant. Quibus verbis Augustinus majorem non tribuit Stephano, quàm Cypriano auctoritatem, & sic Cypriano non vertit crimini, quòd Stephani sententiam abjecerit. Non collocabat penès Stephanum certam & ultimam quæstionis decisionem.

Hactenus de libris, quos sanctus Doctor adversus Donatistas conscripsit, & ubi iterandum non esse baptismum docuit. Nunc venio ad illius opera, quibus Cæcilianum Carthaginensem Episcopum adversus eosdem Donatistas defendit.

XXIV. Objicit se nobis Epistola CLXII. ad Glorium, Eleusium, & alios fratres, ubi plenarium Concilium Ecclesiasticarum controversiarum tribunal supremum constituit. Res igitur ibi sic se habet: *Deinde diximus aliquanto post Majorini ordinationem, quem* (Donatistæ) *contra Cæcilianum nefario scelere levaverunt, erigentes altare contra altare, & unitatem Christi discordiis*

discordiis furialibus dissipantes, eos petiisse à Constantino tunc Imperatore judices Episcopos, qui de suis quæstionibus, quæ in Africa exortæ pacis vinculum dirimebant, arbitro
23 *medio judicarent. Quod posteaquam factum est, præsente Cæciliano & illis, qui adversus eum navigaverant judicante Melchiade tunc Romanæ urbis Episcopo, cum collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuisse, ac per hoc illo in Episcopatu confirmato Donatum, qui adversus eum tunc aderat, improbatum. Quibus peractis rebus, cùm illi omnes in pertinacia sceleratissimi schismatis permanerent, post apud Arelatum memoratum Imperatorem eandem causam diligentiùs examinandam terminandámque curasse.* Et post alia: *Sed posteaquam ipsis rebus experti sunt cum Cæciliano permanere communionem orbis terrarum, & ad eum à transmarinis Ecclesiis communicatorias literas mitti, non ad illum, quem sibi sceleratè ordinaverant, puduit eos semper tacere, quia posset eis objici, cur paterentur ignarum per tot gentes Ecclesiam communicare damnatis: Et cur se ipsi ab innocentiæ orbis terrarum communione præciderent, cùm tacendo sinerent Episcopo, quem Carthaginensibus ordinassent, à toto orbe non communicari, elegerunt, sicut dicitur, ad duas fraudes agere causam cum Cæciliano apud Ecclesias transmarinas, parati ad utrumque, ut si eum potuissent quacunque versutia falsæ criminationis evincere, satiarent plenissimè cupiditatem suam, si autem non possent, in eadem quidem perversitate durarent, sed jam tamen quasi haberent quod dicerent, malos judices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cùm fuerint etiam manifestissima veritate superati, quasi non eis ad hoc dici posset, & justissimè dici: Ecce putemus, illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse: Restabat adhuc plenarium Eccle-*
24 *siæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.*

Augustinus his in verbis Conciliorum duorum meminit, unius, quod factum fuerat, alterius, quod faciendum supererat. Concilium quod factum fuerat, Optatus Milevitanus describit in libro I. contra Parmenianum: *Dati sunt* (à Constantino) *Judices, Maternus ex Agrippina civitate, Rheticius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ad urbem Romam ventum est ab his tribus Gallis & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano Constantino III. & Licinio III. Coss. VI. Non. Octob. die sexta feria. Cùm consedissent Miltiades Episcopus urbis Romæ, & Rheticius & Maternus & Marinus Episcopi Gallicani, & Merocles à Mediolano, Florianus à Cusena, Zotinus à Quintiano, Stennius ab Arimino, Fœlix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Faventia, Proterius à Capua, Theophilus à Benevento, Savinus à Terracina, Secundus à Præneste, Felix à tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, Donatianus à Foro Claudii. His decem & novem considentibus Episcopis causa Donati & Cæciliani in medium missa est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ, Quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti à Donato confessi sunt se non habere, quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium suprà memoratorum sententiis innocens est pronunciatus, etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est his verbis: Cùm constite-*
25 *rit, Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec à Donato convictum esse in aliqua parte constiterit, sua communioni Ecclesiastica integro statu retinendum meritò esse censeo. Sufficit ergo & Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum, & tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit.*

Alterum Concilium, quod faciendum supererat, plenarium erat universæ Ecclesiæ Concilium. Hoc autem sive tunc necessarium fuerit, sive non fuerit, Augustino judice, celebrandum restabat: Celebrandum restitisset neutiquam, ni fuisset tribunal supremum vel ultimum, ad quod Ecclesiasticas causas deferri oporteret.

Augustinus utrumque Concilium ita perstringit in Epistola CLXVI. ad Donatistas: *Scitote quòd primi majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc à nobis, probemus vobis, & si non probaverimus, facite de nobis, quidquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegavit. Quod & factum est in urbe Roma præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis. Qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciassent, & Donatum, qui schisma Carthagini fecerat, sententia percussissent, iterum vestri ad Imperatorem venerunt, & de judicio Episcoporum, in quo victi fuerant, murmuraverunt. Quomodo enim potest malus litigator laudare judices, quibus judicantibus victus est? Iterum tamen clementissimus Imperator alios judices Episcopos dedit apud Arelatum Galliæ civitatem.* Et ii habuerunt Con- 26
cilium, quod Augustino, ut jam diximus, judice restabat.

Concilio huic interfuisse *transmarinos Episcopos omnes* testatur Augustinus ipse in Epistola CLXVII. ad Festum: *Nunc autem quia ipsi superati sunt, qui ea, quæ intendebant probare minimè potuerunt, si quid pro sua iniquitate patiuntur, persecutionem vocant, nec tantùm furorem perditum minimè reprimunt, verumetiam honorem martyrum quærunt: Quasi vero Christiani catholici Imperatores adversus eorum pertinacissimam iniquitatem aliud sequantur, quàm Constantini judicium, apud quem ultro Cæciliani accusatores fuerunt, cujus auctoritatem* OMNIBUS TRANSMARINIS EPISCOPIS *prætulerunt, ut non ad illos, sed ad illum Ecclesiæ causam deferrent, ut ab eo datum in urbe Roma Episcopale judicium, in quo primùm victi sunt, rursus apud illum accusarent, ut ab altero apud Arelatum dato Episcopali judicio ad illum appellarent, apud quem tamen novissimè superati in sua perversitate permanserunt.* Sic transmarini omnes Episcopi Africani conjuncti fecerant plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, quod Augustinus restare dicit: Et cùm hoc dicit, observatum à se Scripturæ morem sequitur. De quo ita semel atque iterum scribit: semel in Epistola LIX. ad Paulinum: *Scripturæ mos est ita loqui de parte, tanquam de toto.* Deinde in libri II. de animæ origine ad Petrum Presbyterum capite XIV. *A parte totum, sicut etiam à toto partem plerumque Scriptura significat.* Quidquid id est, Eusebius in libri X. hist. cap. V. plurimos antistites ex diversis & propè infinitis locis in Arelatensem urbem convenisse tradit: *Proinde quo-* 27
niam plurimos Episcopos ex diversis & prope infinitis locis ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων, *in urbem Arelatensem ad Calendas Augusti convenire mandavimus, tibi etiam per literas significandum putavimus.* Falleretur, qui ex Epistola Synodica tres tantùm & triginta Sacerdotes Arelatensi Concilio interfuisse affirmaret, quia non plures in illa Epistola leguntur. Res hæc apertam in lucem proditur, duobus inter se collatis. Primum est, Synodicæ Epistolæ ad Silvestrum Papam inscriptio, quæ triginta tres præ se fert tam primi quàm secundi ordinis Sacerdotes: Alterum, quæ canonibus subjunguntur *nomina Episcoporum cum Clericis suis, quinam & ex quibus provinciis ad Arelatensem Synodum convenerint.*

Inter nomina Episcoporum reperiuntur Episcopi septem *Chrestus, Oresius, Lampadius, Mamertinus, Eborius, Restitutus, & Anastasius*, quos Synodica non habet Epistola.

Inter nomina Episcoporum leguntur *Victores Episcopi duo*, & *unus* tantùm in Synodica Epistola legitur.

Inter nomina Episcoporum nonnisi *unus* notatur *Gregorius Episcopus*, sed Gregorii Episcopi duo in Synodica Epistola notantur.

Inter nomina Episcoporum non repræsentantur Episcopi,

scopi, seu Presbyteri duo, *Hibernius & Aristasius*, quos Synodica Epistola repræsentat.

Deinde in Presbyteris res vario modo deprehenditur.

Synodica Epistola continet Presbyteros quatuor, *Na-*
28 *talem, Faustinum, Probatium, & Termatium*, qui & inter nomina Episcoporum cum Clericis suis recensentur.

Ubi & visuntur alii Presbyteri quinque, *Claudianus & Vitus à Silvestro missi, Sabinus, Clementius, & Romanus*, de quibus altum est in Synodica Epistola silentium.

Præterea, *Crescens* in hac Epistola memoratur, qui inter nomina Episcoporum cum Clericis suis vocatur Diaconus, & *Pardo Episcopo* adjungitur.

Hæc autem cùm ita sint, dubitari jure non potest quin Synodica Epistola sit manca & imperfecta, & quin plures seu Episcopi, seu Presbyteri interfuerint Arelatensi Concilio, quàm in illa Epistola numerentur.

Sed quoniam in eadem Epistola nonnulli seu primi seu secundi ordinis offenduntur antistites, qui inter nomina Episcoporum cum suis Clericis desiderantur, certum quoque redditur, non omnes, qui adfuerunt Synodo, his nominibus, id est, notitiæ huic adscribi.

Et sanè antistitum numerus non potuit non esse maximus. Nimirum antistites Eusebio teste *pene innumerabiles*, & Arelatensi Concilio II. judice, *Ex omnibus mundi partibus & præcipuè Gallicanis* convenerunt. Ad hæc *transmarini omnes Episcopi* quos Augustinus in Epistola CLXVII. ad Festum convenisse ait, recensitos, seu in Synodica Epistola, seu inter nomina Episcoporum cum suis Clericis, non possunt non excedere; tametsi non dubitem quin Pater sanctissimus rhetorico more potiùs, quàm arithmetico locutus fuerit. Quis enim sibi persuaderet unquam, transmarinos Episcopos in Synodum coivisse omnes ad unum? Legitima
29 causa, vel morbo, vel senio domi detentum fuisse illorum neminem?

Augustini libris contra Donatistas editis succedunt alii, quos adversus Pelagianos composuit. In his æquè atque in illis Augustinus non Rom. tantùm Pontificem supremum controversiarum religionis constituit judicem, sed Episcoporum Concilium.

I. In libri II. contra Pelagium & Celestium de peccato Originali capite XVII. *Quæ cùm ita sint, profectò sentitis in tam nefandi erroris auctores, Episcopalia Concilia, & Apostolicam Sedem, universámque Romanam Ecclesiam, Romanúmque Imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissimè fuisse commotum, donec resipiscant de Diaboli laqueis.* Et paullo post: *Quomodo autem Pelagius obrepere tentaverit ad fallendum etiam Apostolica Sedis Episcopale judicium in hac ipsa quæstione de Baptismate parvulorum, diligenter attendite.* En primùm Episcopalia Concilia: Deinde Sedes Apostolica: Tum Romana Ecclesia: Præterea Episcopale Sedis Apostolicæ judicium, quod scilicet à provinciæ Romanæ Episcopis, quibus Romanus antistes præfuit, pronunciatum est.

Qui putarent Augustinum verba facere de Romanæ Ecclesiæ judicio, cui præsideret Pontifex, non de judicio, cui intersint Episcopi plures, cavillarentur, & se in Augustini operum lectione parum versatos ostenderent. Augustino enim Episcopale judicium illud est, quod in Episcoporum plurium cœtu pronuntiatur.

In breviculo collationum cum Donatistis, & in collationis tertii diei capite XII. *Atque inde*, inquit, *ex ordine legi cœpit etiam Episcopale judicium Melchiadis*
30 *Romani Episcopi, & aliorum cum illo Gallorum & Italorum Episcoporum in eadem urbe Roma factum.*

In libri I. de peccato Originali capite VIII. *Fefellit judicium Palæstinum*, quod scilicet ab Episcopis pluribus latum est.

In libri II. Retractationum capite XXXIII. *Celestius verò discipulus ejus, jam propter tales assertiones apud Carthaginem in Episcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat.* Quis verò diceret Episcopale judicium, de quo beatus Augustinus loquitur, fuisse illud tantùm quod Carthaginiensis Episcopus tulerit?

Mitto sexcenta Augustini loca, in quibus & Transmarinum judicium & Arelatense judicium dicitur, non utique quod unus, sed quod plures Episcopi fecerint.

Sic ergo Episcopale Sedis Apostolicæ judicium Augustino illud est, quod Romanus & plures alii Sacerdotes dederint.

Romana verò Ecclesia universa est, quæ Romanæ civitatis Clerum repræsentat, de quo Cyprianus in Epistola LV. ad Cornelium ita scribit: *Et quanquam sciam, frater charissime, pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem nobis,* FLORENTISSIMO ILLIC CLERO TECUM PRÆSIDENTI, *& sanctissima atque amplissima plebi legere te semper literas nostras, tamen nunc & admoneo & peto, ut quod aliàs sponte atque honorificè facis, etiam petente me facias, ut hac Epistola mea lecta si quod illic contagium venenati sermonis & pestiferæ seminationis irrepserat, id omne de fratrum auribus & pectoribus exuatur, & bonorum integra & sincera dilectio ab omnibus hæretica detractionis* 31
sordibus repurgetur.

Cyprianum sequitur Felix III. in epistola IV. ad Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum: *Firma sit hæc tua depositio à me, & ab his, qui unà mecum Apostolicum thronum regunt.* Huc quoquo modo spectat in Epistola IV. ad Zenonem Imperatorem, quæ extat in Appendice Jacobi Sirmondi, ad Codicem Theodosianum: *Quæ*, inquit, *cum debito honore legerentur, qualiter mecum totus ordo Romani Presbyterii, vitam vobis prosperitatémque continuam promptus exorans repetitis assiduè vocibus acclamavit.* Augustinus ergo Romanam ubi dicit Ecclesiam, præsidentem cum Episcopo Clerum, & Romani Presbyterii ordinem totum cum antistite suo complectitur.

II. In libri I. contra Julianum capite IV. *Puto tibi eam partem orbis sufficere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?* Sic in decisione rei Africanis Conciliis & Sedem Apostolicam & Romanam Ecclesiam conjungit.

III. In libri II. ad Bonifacium capite III. *Quin etiam Romanos Clericos, scribentes eos jussionis terrore perculsos non erubuisse prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem sententiam suam, qua gestis Catholico dogmati affuerant, postea pronuntiarent, malum hominum esse naturam. Imò verò Pelagiani spe falsa putaverant,* 32
novum & exsecrabile dogma Pelagianum, vel Celestianum persuaderi quorundam Romanorum Catholicis mentibus posse, quando illa ingenia, quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia, cùm studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquantò leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt. Tot enim & tantis inter Apostolicam Sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, etiam gestis de hac causa apud illam Sedem, Celestio præsente & respondente confectis, quænam tandem Epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit. Sed cùm hoc Celestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholi-

cus

cus dictus est, quia & hoc Catholica mentis est: Si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed decocta ac demonstrata respuere. Non enim hereticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait: Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelabit. Hoc in illo factum esse putabatur, quando se literis beata memoria Papa Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit. Et hoc ut plenius & manifestius
33 *in illo fieret, expectabatur venturis ex Africa literis, in qua provincia ejus aliquanto callidtas evidentiùs innotuerat. Quæ Romam litera posteaquam venerunt, id continentes, non sufficere hominibus tardioribus & sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi literis consentire fatebatur, sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat, ne si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apostolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum esse Catholicum, quàm emendata, propter illud, quòd se Papa Innocentii literis consentire ipse responderat. Tunc ergo cùm ejus præsentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus, vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit & negavit examini. Nec differendum jam fuerat, sicut factum est, quod aliis prodesset, si nimium perversorum pertinacia dementiaque non posset. Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis, Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciarentur, ex hoc potiùs esset prævaricationis nota Romanis Clericis inurenda. Nunc verò tùm primitus beatissimi Papa Innocentii litera Episcoporum literis respondentes Afrorum pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverunt: Successor quoque ejus sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentirent, nunquam dixerit, nunquam scripserit; Insuper etiam Celestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis Sedis Apostolica*
34 *literis crebra interlocutione constrinxerit, profectò quidquid interea leniùs actum est cum Celestio, servata duntaxat antiquissima & robustissima fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quòd ab eodem Sacerdote postea Celestius & Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissa, jam necessariò proferenda ratio severitatis fuit, non prævaricatio priùs cognita, vel nova cognitio veritatis.* Operæ pretium fuit integrum caput referre; quod si quis accuratè inspiciat, Augustinum Zosimo & Romanis Clericis certum & ab errore liberum & immune judicium neutiquam tribuere facilè judicabit. Beatus Doctor Zosimum & Romanos Clericos pro eo ac potest, excusat, nec obscurè significat, illos tali egere excusatione, quali quibus indeficientis judicii concessum est privilegium, non egent. Deinde ad ea se recipit, quæ Africana Concilia, Innocentius & Zosimus simul judicaverant. Hinc Pelagii & Celestii dogmata reprobaverant: Hinc contrariam illis fidem approbaverant, & firmiter tenendam esse decreverant.

IV. In libri IV. ad eundem Bonifacium cap. XII. *Quid est ergo, quod dicunt de simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est? Nunquid beatissimis & in fide Catholica excellentissimis viris Cypriano & Ambrosio ante istos, adversus istos extorta subscriptio est, quæ eorum impia dogmata tanta manifestatione subvertunt, ut quæ contra eos manifestiora dicamus, vix nos invenire possimus: Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: Cùm potiùs rarissima*
35 *inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multóque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitanda innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potiùs in liberò arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cùm potiùs vigilantia & diligentia pastorali, post factum illis competens, sufficiénsque judicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.*

Et primùm quidem statuo Augustinum constare sibi, cùm ea quæ retulimus dicit, & cùm in libri II. de Baptismo contra Donatistas capite IV. scribit: *Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illustrationem confirmationémque perduci, nisi primò diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus & collationibus pertractata constaret?* Augustinus in libri II. de Baptismo capite IV. simpliciter & absolutè loquitur de Concilio, quod sive ex Orientis & Occidentis antistitibus congregetur, sive non congregetur: Sed in hujus libri IV. ad Bonifacium capite XII. loquitur tantùm de Concilio, quod ex Orientis & Occidentis antistitibus congregetur. Quem sensum verba hæc objiciunt: *Quasi nulla heresis ali-* 36
quando nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissima inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extitit, &c. Arrii hæresis damnata est in Nicæna Synodo, quæ ex Orientis & Occidentis Episcopis congregata fuit. Eunomii & Macedonii hæresis damnata est in Constantinopolitana Synodo prima, quæ ex Orientis tantùm Episcopis CL. congregata fuit.

Præterea ne Augustinus videatur pugnare secum, verba hæc impediunt: *Propter quas damnandas (hæreses) necessitas talis extiterit.*

Deinde Augustinus hoc in loco ad damnandas hæreses requirit Synodum, etiamsi ex Orientis & Occidentis Sacerdotibus non congregetur. Quod sufficit, ut ostendatur, illum id sentire, quod observandum suscepimus.

Tum Pelagiana hæresis damnata est ab Africanis Conciliis, quibus & Romana Ecclesia & Episcopale Sedis Apostolicæ judicium accessit: Et Concilia hujusmodi Occidentalis Ecclesiæ Concilia vocari possunt. Quibus non pauciores interfuerunt Episcopi, quàm ex Oriente Constantinopolitano Concilio primo interfuerint.

V. In sermonis II. de verbis Domini capite X. *Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: Inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, error utinam aliquando finiatur! Causa*, inquit, *finita est*, quia causæ Concilia duo, & Sedis Apostolicæ rescripta finem dederunt.

VI. In libri II. Retractationum capite L. *Postea-*
quam Pelagiana heresis cum suis auctoribus ab Episcopis 37
Ecclesiæ Romanæ priùs Innocentio, deinde Zosimo cooperantibus Africanorum Conciliorum literis convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos. Serram eandem reciprocat, & certam Pelagianæ hæreseos condemnationem in Africanis Conciliis, quibus accessit Sedes Apostolica, constituit.

VII. In libri II. contra Parmenianum capite XIII. *Et hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab iis, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: Nec aliquid temerè inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Augustinus hoc in loco juris quæstionem proponit, cujus decisionem non ad Romanum Pontificem, sed ad Concilium deferendam esse judicat: *Nec*, inquit, *aliquid affirmandum sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.* Quis secundùm ista de Augustini mente dubitaret? aut illum in sententiam contrariam detorquere vellet?

Quæstionem hanc revolvit adhuc in libri VII. de

Baptismo

Baptismo contra Donatistas capite XIII. *Solet etiam quæri, utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, si fortè curiositate aliqua didicit, quemadmodum dandum sit.* Et post alia: *Sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt: Id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Difficilem quæstionem tribus, Regionali Con-
38 cilio, plenario Concilio, & universalis Ecclesiæ consensioni solvendam assignat, sed Romano Pontifici non assignat. Hinc forsan accidit, ut in libri I. contra Julianum capite IV. Romano Pontifici consultationibus respondenti fidem hoc nexu præstruat: *Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tum periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* QUOD NON POTUIT VIR ILLE SANCTIS AFRICANIS RESPONDERE CONCILIIS, NISI QUOD ANTIQUITUS APOSTOLICA SEDES, ET ROMANA CUM CÆTERIS TENET PERSEVERANTER ECCLESIA. *Non potuit*, inquit, quia non debuit, nisi exerrare vellet.

VIII. In libri contra Epistolam Manichæi capite V. *Nostis me statuisse, nihil à vobis prolatum temere credere. Quæro ergo, quis sit ille Manichæus? Respondebitis, Apostolus Christi. Non credo. Jam quid dicas, aut facias non habebis: Promittebas enim scientiam veritatis, & nunc quod nescio, cogis ut credam. Evangelium fortè mihi lecturus es, & inde Manichæi personam tentabis asserere. Si ergo invenires aliquem, qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, Non credo? Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Non dicit, nisi me Romani Pontificis commoveret auctoritas: Non dicit, nisi me primi membri sanctæ & universalis Ecclesiæ commoveret auctoritas: Sed dicit, *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Nempe credebat eam esse Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem,
39 quæ nec fallere nec falli posset. Non credebat verò eam esse Romani Pontificis seu primi membri sanctæ & universalis Ecclesiæ auctoritatem, quæ nec fallere nec falli posset.

IX. In libri de unico Baptismo contra Petilianum capite XVI. *Quid ergo jam opus est, ut Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Silvester traditionis divinorum Codicum & Thurificationis ab eo crimine arguuntur: Sed nunquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: Ego innocentes fuisse respondeo.* Et post alia: *Non sanè parva est, parùmque gloriosa consolatio, cujuscunque nostrûm, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur: Ejus tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus qualescunque fuerint Marcellinus, Marcellus, Silvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt pro sua defensione quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt, in area Catholica tritura tanquam grana mundati sunt, si mali fuerunt, in area Catholica tritura tanquam stipula comminuti sunt.* Hic ne quidem à Cavillatore negari potest, quin Doctori sancto commoda se obtulerit occasio tractandi de non errandi privilegio, si quod tunc temporis in Ecclesia Romano Pontifici tributum fuisset. Augustinus non dixisset sine distinctione ulla: *Ecclesiæ defensio,*
40 *in Marcellini, Marcelli, Melchiadis, Silvestri defensione non consistit.* Romanos Pontifices divisisset in privatos doctores, qui errare possunt, & in publicos, qui errare non possunt; vel in eos qui totam docent Ecclesiam, & in eos, qui non docent; in eos qui pronunciant ex cathedra, & in eos qui non pronunciant. Hæc non dicit Augustinus, quia quo in sensu nunc dicuntur, tunc neutiquam dicebantur, & si tunc fuissent dicta, Augustinus in omnem eventum dixisset, Marcellinum, Marcellum, Melchiadem, & Silvestrum ea si fecissent, quorum accusantur, ut privatos tantùm Doctores, non instruendo totam Ecclesiam, non pronunciando ex cathedra fecisse: Sed pergit, & aliter in omnem eventum dicit: *Prorsus qualescunque fuerint, Marcellinus, Marcellus, Melchiades, Silvester, nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ,* quid est hoc *prorsus qualescunque fuerint?* Nisi quòd illorum lapsus quocunque modo contigerit, nihil præjudicet Ecclesiæ?

Et sane siquis post tot tantorúmque sancti Doctoris testimoniorum expositionem moras necteret, aut tergiversaretur, ei non vererer objicere, quod Marcianus Imperator dicit adversus eos, qui res in Calchedonensi Concilio discussas & judicatas retractare vellent: *Verè impius & sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit.* EXTREMÆ QUIPPE DEMENTIÆ EST IN MEDIO ET PERSPICUO DIE COMMENTITIUM LUMEN INQUIRERE. QUISQUIS POST VERITATEM REPERTAM ALIQUID ULTERIUS DISCUTIT, MENDACIUM QUÆRIT.

Porro alienum non est subjicere, Augustiuum non 41
interpretari tria Scripturæ loca, ut Bellarminus interpretatur, cùm in libri IV. de Rom. Pont. capite III. proponit, *Summum Pontificem cùm Ecclesiam totam docet, in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse.*

Primus Scripturæ locus est Lucæ XXII. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* quem Augustiuus variis in scriptis sic exponit.

Et primò quidem in epistola CCLII. ad Joannem Episcopum contra librum Pelagii: *In hoc libro ille Dei gratiam non appellat nisi naturam, quâ libero arbitrio conditi sumus.* Et paullo pòst: *Unde quis non videat, cùm eundem librum legerit, quemadmodum oppugnetur gratia Dei, de qua dicit Apostolus: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum, & nullus locus divino adjutorio relinquatur, propter quod orantes dicere debeamus; Ne nos inferas in tentationem: Sine causa etiam Dominus Apostolo Petro dixisse videatur: Rogavi pro te ne deficiat fides tua, si hoc totum in nobis nullo auxilio Dei, sed potestate voluntatis impletur?*

Deinde in libri de correptione & gratia capite VI. *Nam si dixerimus, istam perseverantiam tam laudabilem, tam felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro, Rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid enim ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem?*

Tum in ejusdem libri capite VIII. *Si ad liberum ar-* 42
bitrium hominis, quod non secundùm Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret, non Deo donante si perseverat, sed humana voluntate faciente, quid molituris es contra verba dicentis, Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset: Hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset: Quasi Petrus aliud ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset ut vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne ejus fides deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?

Quartò in ejusdem libri capite XII. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur. Et ideo quam-*

vis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla, in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet, fortissimo quippe dimisit atque permisit
43 *facere, quod vellet, infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere, invictissimè nollent. Dicente ergo Christo, Rogavi pro te, ne deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui ædificatur super Petram; atque ita homo Dei non solùm, quia misericordiam consecutus est, ut fidelis esset: Verumetiam quia fides ipsa non deficit. Qui gloriatur in Domino glorietur.*

Quintò in Commentario super Psalmum CXVIII. Concione XIII. *Non igitur usque valde (vel sicut quidam codices habent) non usquequaque, hoc est, non omnimodo ex ore Petri, in quo erat typus Ecclesiæ, verbum veritatis ablatum est, qui etsi ad horam negavit, timore turbatus, tamen flendo est reparatus, & confitendo est postea coronatus. Totum itaque corpus Christi loquitur, id est, Ecclesia sancta universitas. In quo toto corpore, sive quia negantibus plurimis remanserunt fortes, qui usque ad mortem pro veritate certarent, sive quia & ex iis qui negaverunt, multi reparati sunt, non est ablatum ex ore ejus verbum veritatis usque valde. Quod autem ait, ne auferas, intelligendum est, ne auferri sinas. Propter quod orando dicimus, ne nos inferas in tentationem. Et ait ipse Dominus ad Petrum: Rogavi, inquit, pro te, ne deficiat fides tua, hoc est, ne auferatur de ore vestro verbum veritatis usque valde.*

Sextò ibidem Conc. XV. *Est & alia spes, quæ in humilitate tribulationis plurimùm consolatur, quam sanctus datum est in Verbo Dei adjutorium gratiæ pollicentis, ne quisque deficiat: De qua spe dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui*
44 *non permittet vos tentari super id quod potestis: Sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Hanc spem dedit etiam Salvator ore suo, quando ait: Hac nocte postulavit Satanas vexare vos, sicut triticum: Et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Hanc spem dedit & in oratione, quam docuit, ubi monuit ut dicamus, Ne nos inferas in tentationem.* Huc, ni fallor, pertinet, quod suprà in Psalmum CVIII. ait: *Cùm itaque dixisset, Genua mea infirmata sunt à jejunio, ubi significatum esse arbitror, eos, qui in membris ejus fortes videbantur, tanquam præsentia panis quo sustentabantur, abstracta, in ejus passione defecisse usque ad negationem, quæ apparuit in Petro, tanquam ad eos confirmandos, ne succumbendo penitus caderent.* Respectum habet ad illa verba: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Septimò in libri II. de opere secundo contra Julianum capite CCXXVII. *Augustinus respondit. Tu vestro more, qui de vestro descendis errore, non agnoscis gratiam, nisi in dimissione peccatorum, ut jam de cætero per liberum arbitrium ipse homo seipsum fabricet justum: Sed non de hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota, quod didicit à magistro bono, Ne nos inferas in tentationem: Non hoc dicit, qui dicit: Oramus autem ad Dominum, nequid faciatis mali: Non hoc dicit, qui dicit: Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Iste enim modo gratia, ut non peccemus facit, non quæ peccavimus diluit: Utroque enim modo adjuvat gratia, & dimittendo, quæ malè fecimus, & opitulando ut declinemus à malis, & bona faciamus.*

45 Octavò, In duobus Conciliis, Carthaginiensi & Milevitano, quibus Augustinus interfuit, & ubi doctrinæ principatum tenuit. In prioris Concilii epistola ad Innocentium I. *Consideret ergo sanctitas tua, & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quàm sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, quod Dominus & Discipulis monuit, & posuit in oratione, quam docuit; aut ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse testatus est. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat à Domino inaniter peti & fallaciter orari, cùm orando poscuntur, quæ natura nostra jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur? Nec debuisse dicere Dominum Jesum, vigilate & orate, sed tantummodo vigilate, ne intretis in tentationem: Nec beatissimo Petro primo Apostolorum: Rogavi pro te, sed moneo te, vel impero, ac præcipio, ne deficiat fides tua.* In posterioris epistola ad eundem Innocentium: *Nova quippe hæresis & nimium perniciosa tentat surgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre: Cùm enim Dominus docuerit, ut dicamus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, isti docent posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis ad eandem perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra: Illud verò, quod sequitur, ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum tanquam Divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus.* 46
Sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis, tanquam frustra Apostolus dixerit: Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, & fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Frustra enim Dominus dixerit Apostolo Petro, rogavi pro te ne deficiat fides tua.

Hæc ex duabus epistolis, quas Augustinus sub Carthaginiensis & Milevitani Concilii nomine perscripsit ad Innocentium, & quas utrumque Concilium approbavit.

Innocentius Carthaginiensis Concilii epistolæ sic respondet: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur, sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse.* Sic non potest non confirmare Scripturarum expositionem, quæ antè relata est. Deinde sub finem: *Sed satis vestris monitis, & sic satis abundantibus nostræ legis exemplis probatur esse responsum, nec quicquam superesse duximus, quod dicamus, cùm nihil prætermissum à vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati, & penitus cognoscantur esse convicti: Ideóque à nobis testimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio est, & satis constat doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse, nec decet credatis vos aliquid, quod ad causam possit proficere, præterisse.* Iterum Scripturæ locorum expositionem, quæ ab Augustino & Carthaginiensi Concilio tradita est, confirmat.

Deinde, idem Pontifex Milevitani Concilii epistolæ sic respondet: *Multifariis equidem ad destruendum tale* 47
magisterium uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatem vestram ad plenum Scripturas ac allere divinas, præsertim cùm vestra relatio tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat præsens dogma rescindi. Ex his autem nullo negotio concluditur, Milevitanos Patres veram loci hujus, *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua,* intelligentiam assecutos esse.

Hoc autem ita constituto, ut non potest non constitui, Augustinus, Carthaginiensis & Milevitani Concilii Patres, & Innocentius primus impediunt, quo minus ex illis Christi apud Lucam verbis: *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua,* Romano Pontifici attribuatur non errandi in fide & moribus privilegium.

Nunc videndum est, quomodo B. Augustinus secundum Scripturæ locum, qui apud Matthæum talis est, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* interpretetur, & num interpretando id colligat, quod Bellarminus in lib. IV. de Rom. Pont. cap. III. colligit. Illustris est Augustini locus, quem epistola CLXV. ad Generosum, Fortunatum, & Alipium suppeditat: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, &c.* Si Petrus figuram Ecclesiæ totius gerebat, cùm ei à Christo dictum est *super hanc Petram,* &c.

Ecclesiæ

Ecclesiæ toti dictum est, quod Petro dictum Evangelista narrat. Atqui non errandi privilegium universæ
48 Ecclesiæ, non Petro vel Petri successoribus promissum esset in Augustini sententia.

Quidquid autem hic scribit Augustinus, in Psalmo contra partem Donati sic contrahit:

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede,
Et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte;
Ipsa est Petra, quam non vincunt superba inferorum portæ.

Versiculum hunc ultimum in libri 1. de Symbolo capite VI. explicat & flectit ad Ecclesiam: *Sequitur post sanctæ Trinitatis commendationem, sanctam Ecclesiam. Demonstratus est Deus, & templum ipsius. Templum enim Dei sanctum est, ait Apostolus, quod estis vos; ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica: contra omnes hæreses pugnemus; pugnari potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua: portæ inferorum non vincent eam.*

Augustinus omnia sic absolvit in libri 1. Retractationum capite XXI. *In hoc libro* (contra Epistolam Donati) *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia: Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait, hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hunc intelligatur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cœ-*
49 *lorum. Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed Tu es Petrus: Petra autem erat Christus, quem confessus Simon sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* At sive per *hanc petram* intelligatur Petrus, qui personam Ecclesiæ figuraret, sive intelligatur Petra Christus, quem confessus est Simon, & in cujus confessione fundata sit Ecclesia, indeficientis ex eo judicii privilegium nullum aut Petro aut Petri successoribus convenit. Quod manifestum est.

Posteriorem expositionem tradit maximè in tractatu CXXIV. super Evangelium Joannis: *Ecclesia fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro Petra, Sed Petrus à Petra: Sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi: Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.*

Superest tertius Scripturæ locus, in quo Christus apud Joannem Petro dicit, *Pasce oves meas.* Hunc Augustinus ita interpretatur.

Et primò quidem in libri de Agone Christiano capite XXX. *Non enim sine causa inter omnes Apostolos hujus Ecclesiæ Catholicæ personam sustinuit Petrus. Huic*
50 *enim Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oves meas.*

Deinde in tractatus de Pastoribus capite XIII. *Multi erant Apostoli, & uni dicitur, pasce oves meas.* Et quibusdam interpositis: *Idem ergo ipse pascit cùm ipsi pascunt, & dicit, ego pasco, quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam & ipse Petrum, cui commendavit oves, quasi alter alteri, unum secum facere volebat, ut sic ei oves commendaret, ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est, Ecclesiæ.*

Tum in sermonis CVI. de Diversis capite X. *Ergo commendavit nobis Dominus oves suas, quia Petro commendavit, si tamen ex aliqua parte, vel extrema digni sumus, pulverem vestigiorum Petri calcare. Commendavit nobis oves Dominus, oves ipsius estis, vobiscum oves sumus.*

Præterea in sermonis CVIII. de Diversis capite IV. *Meritò etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter Discipulos suos solus meruit pascere Dominicas oves. Sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petro primitus, quia in Apostolis Petrus est primus.*

Denique in Psalmum CVIII. *Sed si de illo uno homine omnia, quæ hic in malo dicta sunt, intelligere conemur, expositionis ratio non omni modo, aut vix valebit occurrere. Sic enim de tali genere hominum malorum, id est, inimicorum Christi, ingratorúmque Judæorum omnia mihi videntur posse clarius aperiri. Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in Dis-* 51
cipulis habuit: Sicut est, tibi dabo claves regni cœlorum, & siqua hujusmodi, ut sine dubio est illud, *pasce oves meas.* In his nihil pro non errandi privilegio.

Imperfectum opus esset, quod aggressus sum, nisi recenserem varia beati Augustini loca, in quibus Augustinus Petrum à Paulo reprehensum esse disputat. Quis enim majus Petri successoribus, quàm Petro non errandi privilegium concedet?

Primus locus est in libro de expositione Epistolæ ad Galatas: *Petrus cùm venisset Antiochiam, objurgatus est à Paulo, non quia servabat consuetudinem Judæorum, in qua natus atque educatus erat, quanquam apud gentes eam non servaret; sed objurgatus est, quia gentibus volebat eam imponere. Cùm vidisset quosdam venisse ab Jacobo, id est à Judæa. Nam Ecclesiæ Hierosolymitanæ Jacobus præfuit. Timens ergo eos qui adhuc putabant in illis observationibus salutem constitutam, segregabat se à gentibus, & simulatè illis consentiebat ad imponenda gentibus illa onera servitutis, quod in ipsius objurgatione verbis satis apparet. Non enim ait: Si tu cùm Judæus sis, gentiliter, & non judaicè vivis, quemadmodum rursus ad consuetudinem Judæorum reverteris? Sed quemadmodum, inquit, gentes cogis judaizare. Quod autem hoc ei coram omnibus dixit, necessitas coëgit, ut omnes illius objurgatione sanarentur. Non enim utile erat, errorem, qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit quòd firmitas & charitas Petri, cui ter à Domino dictum est, amas me, pasce oves meas, objurgationem talem posterioris Pastoris pro salute gregis libentissimè sustinebat.*

Secundus locus est in Epistolæ XIX. ad Hierony- 52
mum capite II. *Si autem verum scripsit Paulus, verum est, quod Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Id ergo faciebat, quod facere non debebat, & si tale aliquid Paulus ipse jam fecerat, correctum potiùs ipsum credam, coapostoli sui correctionem non potuisse negligere, quàm mendaciter aliquid in sua Epistola posuisse: Et si hoc non in epistola qualibet, quanto magis in illa, in qua prælocutus ait: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Ego quidem illud Petrum sic egisse credo, ut gentes cogeret judaizare. Hoc enim lego scripsisse Paulum, quem mentitum esse non credo; & ideo non rectè agebat hoc Petrus. Erat enim contra Evangelii veritatem, ut putarent, qui credebant in Christum, sine illis veteribus Sacramentis salvos esse non posse. Hoc enim contendebant Antiochiæ, qui ex circumcisione crediderant, contra quos Paulus perseveranter acritérque confligit.* Et post alia sub finem capitis: *Fidelis igitur dispensator Apostolus Paulus proculdubio nobis exhibet in scribendo fidem: Quia veritatis*

dispensator erat, non falsitatis. Ac per hoc verum scripsit, vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii, eique in faciem restitisse, quòd gentes cogeret judaizare. Ipse verò Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: Atque ita rarius & sanctius exemplum posteris prebuit, quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam 53 *minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, salva fraterna charitate resistere. Nam cùm satius multò sit, à tenendo itinere nullo, quàm in aliquo declinare, multò est tamen mirabilius & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem. Est laus itaque justa libertatis in Paulo, & sancta humilitatis in Petro; quæ quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adversus calumniantem Porphyrium defendenda, quàm ut ei daretur obtrectandi major occasio: Quia multò mordaciùs criminaretur Christianos fallaciter vel literas suas scribere, vel Dei sui Sacramenta tractare.*

Tertius locus est in libri II. de Baptismo contra Donatistas capite I. *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas postulabat, de circumcisione agere solitum, à posteriore Apostolo Paulo esse correctum. Si ergo potuit Petrus non rectè in aliquo ingredi ad veritatem Evangelii, ita ut gentes cogeret judaizare, quod Paulus in ea scribit Epistola, in qua Deum non se mentiri testatus est: Ait enim: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior: Et post hanc tam sanctam atque terribilem attestationem Dei, narravit hæc omnia: In quibus cùm vidissem, quia non rectè ingrediuntur ad veritatem Evangelii, dixi Petro coram omnibus: Si tu cùm Judæus sis, gentiliter, & non judaicè vivis, quemadmodum cogis gentes judaizare? Si potuit, inquam, Petrus contra veritatis regulam quam postea Ecclesia tenuit, cogere gentes judaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam postea tota Ecclesia tenuit, cogere hæreticos vel schismaticos* 54 *denuò baptizari?*

Quartus locus est in libri VI. de Baptismo contra Donatistas capite II. *Neque enim Pharisæi cæci quamvis dicentes aliquando, quod fieri debebat, comparandi erant Apostolo Petro, quamvis DICENTI aliquando, quod fieri non debebat. Non solùm autem istorum ariditas illius viriditati conferenda non est, sed nec aliorum fructus illius ubertati adæquandus est. Gentes enim nemo judaizare nunc cogit, nec ideo tamen quisquam nunc in Ecclesia quantumlibet profecerit, Petri Apostolatui conferendus est. Quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem quantum valeo, persolvens pacifico Episcopo & glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de schismaticis vel hæreticis baptizandis, quàm postea veritas prodidit, non ex mea, sed ex universa Ecclesiæ sententia, plenarii Concilii auctoritate roborata atque firmata: Sicut veneratus posui meritò Petrum primum Apostolorum, & eminentissimum martyrum, audeo tamen dicere non eum rectè fecisse, ut gentes judaizare cogeret etiam, hoc enim dico non ex mea, sed ex Apostoli Pauli salutari doctrina per Ecclesiam universam retenta, atque servata.*

Quintus locus est in libri II. contra Cresconium capite XXXII. *Relinque ergo scripta Cypriani, & ea ipsa legalia documenta, quibus eum dicis usum esse, commemora: Si ea non demonstravero nostram causam adjuvare, vicisti. Quapropter ita hoc Cypriani non accipio, quamvis inferior incomparabiliter Cypriano, sicut illud Apostoli Petri, quod gentes judaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamvis inferior incomparabiliter Petro.*

Quæ primùm Augustinus in locum Epistolæ ad Ga- 55 latas dicit simpliciter, & quæ deinceps comparatè, id est, facta Petrum inter & Cyprianum contentione observat, & sibi sumit, ea Romano Pontifici non possunt non abjudicare non errandi privilegium, cùm illud vel ipsi Petro abjudicent. Id unusquisque per se locus, quinque simul loca homini leviter meditanti objiciunt. Persuasum istud omnino habuit illustris Ecclesiarum magister, cujus mentem addensatis in eundem titulum sententiis disquirimus & asserimus.

Augustinum excipit Pelagius II. cùm in Epistola ad Istriæ Episcopos tertia, B. Pauli locum explicans cap. VII. sic disputat: *Rursum per Epistolam vestram dicitur, à Sede Apostolica vos doctos atque ab scrinio sanctæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei, quæ sub pia memoria Justiniano Principe gesta est, consentire debeatis, atque hanc epistolationem excusationi vestræ adjungitis dicentes, quòd in causæ principio & Sedes Apostolica per Vigilium Papam, & omnes Latinarum provinciarum principes damnationi trium capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res quæ provocare ad consensum debuit, à consensu vos ipsa divellit. Latini quippe homines & græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem facilè cognoverunt, & tanto eis celeriùs credi debuit, quanto eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quievit: Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad injurias usque certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sunt, cognovissent. Quid enim Divini consilii fuisse cre-* 56 *dimus, fratres, quòd diu Saulum omnipotens Deus repugnatorem suæ fidei esse permisit, & sic eum suæ fidei prædicatorem fecit, nisi ut cunctis, quibus fuerat per illum prædicaturus, ostenderet, quia valde verum est Dei Evangelium, quod & tanta duritia inclinata prædicaret, ut dum ea auditores ejus, quæ ab illo contra fideles gesta recolerent, repente eum ad fidem versum non sine evidenti ratione sentirent?* Et post alia de beato Paulo disputata subjicit: *Ecce fratres charissimi, Paulus egregius Doctor, quia diu veritati restitit, inde ad confirmanda corda audientium in ejusdem prædicatione veritatis adjutorium sumpsit, ostendit profectò, quia fidem, cui tanto plus labore restiterat, postmodum sine magna rationis certitudine non tenebat. Debet ergo perpendere vestra dilectio, quia prædecessorum nostrorum in hac causa consensus tantò post inanis non fuit, quantò priùs duris contradictionum laboribus insudavit. Sed his insuper factum Petri, qui & Paulum superat, vestra fraternitas ad memoriam reducat: Diu quippe restitit, ne ad fidem gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet, diu se à conversarum gentium communione subtraxit: Paulo attestante, qui ait: Cùm venissem Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: Prius enim quàm venirent quidam ab Jacobo, cum gentibus edebat. Cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant.* Et paullo post: *Et cùm vidissem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, dixi Petro coram omnibus: Si tu cùm Judæus sis, gentiliter & non judaicè vivis, quomodo gentes cogis judaizare? Qui ta-* 57 *men ab eodem Paulo postmodum ratione susceptâ dum quosdam conspiceret, qui gentiles ad Ecclesiam venientes pondere servandæ circumcisionis onerarent, dicit: Cur tentatis Deum imponentes jugum cervicibus discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Nunquid, fratres dilectissimi, Petro Apostolorum Principi sibi dissimilia docenti debuit adhuc responderi? Hæc quæ dicis, audire non possumus, quia aliud antè prædicasti: Si igitur in trium Capitulorum negotio aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inventa veritate dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quæ à cuncta Ecclesia in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permaneat, quid obstat, si ignorantiam suam deserens verba permutet?* Sic Pelagius Apostoli locum exponit,

exponit, ut Augustinus pridem exposuerat, & Petrum cum Augustino errasse confirmat: Atque inde Vigilio indeficientis judicii privilegium negare non dubitat. Sed primùm notatos, deinde correctos Pauli & Petri errores ad mutandæ in melius sententiæ argumentum traducit, eóque pacto Istriæ Episcopis persuadere nititur, ut rejecto Vigilii constituto, & deserta priori Sedis Apostolicæ sententia eandem imitentur Sedem, quæ rectiùs consulta Concilium V. & damnata ab illo tria Capitula jam pridem susceperat.

Augustinum & Pelagium II. excipiunt Parisienses Theologi majores nostri, quos Pauli locum insumpsisse nôsti, ut confirment Romanum Pontificem non er-
58 randi in fide & moribus decidendis privilegio carere.
Et cùm id faciunt, eam confirmant sententiam, quam per Sedis Apostolicæ traditionem acceperant.

In cumulum accedunt res quatuor, quibus antecedentia quæcumque concluduntur.

Prima est in Africani Concilii, cujus pars magna Augustinus fuit, ad Celestinum Papam Epistola, quam habet codex Canonum & Romanæ & Africanæ Ecclesiæ. Sic inscribitur: *Domino dilectissimo & honorabili fratri Celestino Aurelius, Palatinus, Antonius, Totus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celticius, Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus & cæteri, qui in universali Africano Concilio Carthagini affuimus.* Et paullo pòst: *Esset profectò & nostra & vestra alacritas certior, nec præpropera videretur, qua adhuc de audiendo* (Apiario Presbytero) *quàm de audito præcesserat. Advenients sanè ad nos sancto fratre, & coepiscopo nostro Faustino Concilium congregavimus, & credidimus ideo cum illo missum, quoniam sicut per ipsius operam Presbytero antea redditus fuerat, ita nunc posset de tantis criminibus à Tabracenis objectis eo laborante purgari, cujus tanta ac tam immania flagitia decursum nostri Concilii examen invenit, ut & memorati patrocinium potiùs, quàm judicium, ac defensoris magis opera, quàm disceptatoris justitiam superarent. Nam primùm, quantùm obstiterit omni congregationi diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia, & volens eum à nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderat. Quod minimè tamen licuit, quod*
59 *etiam gestorum meliùs lectione cognosces.* Et expositis
Apiarii criminibus subdit: *Præfato itaque debita salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos, in communionem ultrà velitis excipere, quia hoc etiam Niceno Concilio definitum facilè advertet venerabilitas tua. Nam & si de inferioribus Clericis vel de laicis videtur ibi præcaveri, quantò magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia à communione suspensi à tua sanctitate præproperè, vel indebitè videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ: Et decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim justissiméque viderunt quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt, finienda, nec unicuique provinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam: Qua æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur: Maximè quod unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare. Nisi fortè quisquam est, qui credat unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare judicium, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare, aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poterunt?*
60 *Nam ut aliqui tanquam à tua sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem coepiscopum nostrum Faustinum tanquam ex parte Niceni Concilii exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur Niceni à sancto Cyrillo coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano antistite, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo decessori vestro à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam Clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere. Nam de fratre nostro Faustino (amoto jam pro sua nefanda nequitia de Christi Ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quòd cum probitate ac moderatione tua sanctitatis salva fraterna charitate ulteriùs Africa minimè patiatur.*

Hæc paullo longiora describere placuit, quò faciliùs nobis objicerentur illa, quæ ab initio Epistolæ proposuimus: Nimirum nec Augustinum, nec Africanos Patres Romanum habuisse Pontificem ut supremum vel ultimum controversiarum religionis judicem, qui falli nequiret, quod in relatis verbis meridiana luce clariùs apparet. Exinde Scripturæ loca tria, Lucæ XXII. *Oravi pro te Petre*, &c. Matthæi XVI. *super hanc*, &c. Et Joannis XXI. *pasce oves meas*, ex quibus Bellarminus & Curiales alii magistri 61
non errandi privilegium Romano Pontifici attribuunt, Augustinus longè aliter atque illi, interpretatur, ut supra vidimus. Deinde Augustinus & Africani Patres Romanum Pontificem Conciliis & cum primis Niceno subjiciunt.

Porro autem cùm dicunt: *Nam ut aliqui tanquam à tua sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum*, significant, Sardicensium canonum exemplaria in Africa nondum visa esse, & quid in iis decerneretur, se penitus ignorare. Sed si quidquid id est, constituisset aliqua Patrum Synodus, Africani Patres detulissent Patrum Synodo, quod Romano Pontifici deferre recusarunt: Quid ita? Majorem in Patrum Synodo, quàm in uno Romano Pontifice auctoritatem agnoscebant. Et hoc est certo certius, nec tunc Romæ aliter credebatur. Hinc quod jus in Ecclesiasticis appellationibus repetebant Innocentius, Bonifacius, Celestinus Romani Pontifices, id non Scripturis sacris, sed Niceni Concilii canonibus acceptum ferebant. Quæstio hæc non Curialium Sophistarum argutiis, quas cum Novatoribus cunctis communes habent, sed lectione sola, oculorum intuitu solo deciditur.

Altera est in libri II. de Baptismo contra Donatistas capite IX. & sic se habet: *Si auctoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in unitate servanda, quàm in Ecclesiæ consuetudine commutanda. Si autem Concilium ejus attenditur, huic est universæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum, cujus se membrum esse gaudebat, & se in totius corporis compage retinenda cæteri imitarentur, sæpiùs admonebat. Nam &* 62
Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur; ET UNIVERSUM PARTIBUS SEMPER JURE OPTIMO PRÆPONITUR. Extrema verba hæc invictam rationem exhibent, qua Romanum Pontificem Ecclesiæ & repræsentanti Ecclesiam Concilio subjici demonstratur. Ecclesia, vel repræsentans Ecclesiam Concilium, universum & totum quid est, cujus partem & membrum primum, puta caput se esse Romanus Pontifex negare non potest. Et quia hoc negare non potest, negare quoque non potest, quin Ecclesia vel repræsentans Ecclesiam Concilium illi semper jure optimo præponatur. Atque eo pacto hinc Ecclesiæ vel figuranti Ecclesiam Concilio subjicitur, hinc Romani

Pon-

Pontificis auctoritate major est Ecclesiæ vel Concilii in dirimendis fidei & morum controversiis auctoritas. Quæ omnia cùm naturali lumine sint nota, hæc apud omnes in confessum venire debent: Et si quis iret inficias homo ridiculè insanus esset.

Tertia est in Enchiridii ad Laurentium capite LVI. *Cùm autem de Jesu Christo filio Dei unico Domino nostro, quod ad brevitatem confessionis pertinet diximus, adjungimus sic credere nos & in Spiritum Sanctum, ut illa Trinitas compleatur, quæ Deus est: Deinde sancta commemoratur Ecclesia. Unde datur intelligi rationalem creaturam ad Hierusalem liberam pertinentem, post commemorationem creatoris, id est, summæ illius Trinitatis fuisse subdendam. Quoniam quidquid de homine Christo dictum est, ad unitatem personæ unigeniti pertinet. Rectus itaque confessionis ordo poscebat, ut Tri-* 63 *nitati subjungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua. Quæ tota hìc accipienda est, non solùm ex parte, quæ peregrinatur in terris à solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, & post vetustatis captivitatem cantans Canticum novum; verumetiam ex illa, quæ in cælis semper ex quo condita est, cohæsit Deo, nec ullum sui casus malum experta est. Hæc in sanctis Angelis beata persistit & suæ parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur: Quia utraque una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum unum Deum. Unde nec tota, nec ulla pars ejus vult se coli pro Deo, nec cuiquam esse Deus pertinenti ad templum Dei, quod ædificatur ex diis, quos facit non factus Deus. Ac per hoc Spiritus Sanctus, si creatura, non creator esset, profectò creatura rationalis esset, Ipse enim esset summa creatura, & ideo in regula fidei, non poneretur ante Ecclesiam, quia & ipse ad Ecclesiam pertineret, in illa ejus parte, quæ in cælis est.* Augustini quæso ratiocinationem expende. Hæc pluribus declarata verbis eò spectat tota, ut si Spiritus Sanctus creatura, non creator esset, in regula fidei, quod est Symbolum, ante Ecclesiam non poneretur, etiamsi creatura esset summa. In eadem fidei regula post Ecclesiam poneretur, quia ad Ecclesiam illam pertineret. Scilicet pars esset illius Ecclesiæ, sive quæ in terris, sive quæ in cælis versaretur. Nonne Romanus Pontifex ad Ecclesiam pertinet? Nonne pars illius est, quæ degit in terris? Prima quidem pars est & summa, sed semper pars est, & partis nomen retinet, nec potest non retinere. Quis igitur Romanum Pontificem ponet 64 ante Ecclesiam, nisi velit illum ex homine Deum facere, & personarum Trinitatis numerum augere? Doctorem sanctum ratiocinantem sequimur, & profligantem novos Curiæ magistros, qui non dubitant in fidei regulam, in cæleste Chirographum involare.

Hi porro magistri, si Episcopi, si Presbyteri, si Diaconi funguntur officio, seipsos coarguunt sacrilegii, cùm in sacris ritibus Deum pro Romano Pontifice precantur. Et primo quidem dum Missæ canon recitatur hoc modo: *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris, toto orbe terrarum, unà cum famulo tuo Papa nostro N. & antistite nostro N. & Rege nostro N. & omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Deinde cùm feria VI. in Parasceve Domini, decantata Passione, pro omni omnino hominum genere sic oratur: *Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus & Dominus noster, pacificare, adunare, & custodire dignetur, toto orbe terrarum subjiciens ei principatus & potestates, detque nobis quietam & tranquillam vitam degentibus glorificare Deum Patrem Omnipotentem. Oremus, Flectamus genua, levate. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam suam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret per Dominum. Oremus & pro beatissimo Papa* 65 *nostro N. ut Deus & Dominus noster, qui elegit eum in ordinem Episcopatus, salvum & incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum populum sanctum Dei.* Hìc orationes sunt pro Ecclesia duæ, quæ unicam pro Papa orationem antecedunt.

Tum cùm in communi litania vetusto precationum genere Deus ita rogatur: *Ut Ecclesiam tuam sanctam regere & conservare digneris, te rogamus. Ut Dominum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rog.*

Præterea quo in loco orationes in Dominicis & feriis recitandæ præscribuntur, oratio pro Ecclesia, orationem pro Papa præcedit, & si quando una ex his duabus orationibus omittenda est, ea quæ pro Papa recitanda esset, omittitur, & ea tantùm, quæ est pro Ecclesia, recitatur. Ego utor Missali Romano, quod à Paulo III. reformatum & approbatum est anno MDXLIX. & MDL. Lugduni typis mandatum.

Quarta & ultima est in libri I. contra Cresconium capite XXXIII. *Hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sacra Scriptura demonstrat.* Agitur de iterandi baptismatis quæstione, in qua consulendam ab eo, qui obscuritate quæstionis falli metuit, Ecclesiam proponit. Cur verò proponat, ratio hæc est: Quia Ecclesiam commendat auctoritas Scripturæ, quæ fallere non potest: Quia Ecclesiam Scriptura sine ulla ambigui- 66 tate demonstrat. Sed consulendum ab eo, qui obscuritate quæstionis falli metuit, Romanum non proponit Pontificem, quem ut supremum judicem non errandi privilegio dotatum Scripturæ commendet auctoritas, quem talem Scriptura sine ulla ambiguitate demonstret.

In his autem verbis, quæ connexa sunt inter se duo, Romanum Pontificem errare in fide & moribus posse, & subjici Ecclesiæ vel Concilio figuranti Ecclesiam, comprehenduntur, & cùm in libri II. de Baptismo contra Donatistas, capite I. dicit: *Quis nescit illum* (Petrum ac proinde Petri successorem) *Apostolatus Principatu cuilibet Episcopatui præferendum?* Apertè significat universo Episcopatui præferendum non esse, Petrus, vel Petri successor Episcopatui singillatim & καθ' ἕκαστον accepto præfertur: Episcopatui conjunctim & καθ' ὅλον accepto non præfertur, sed postponitur. In uno Petri & illius successorum primatus supra singulos Antistites eminet: In altero supra Petrum & illius successores Ecclesiæ potestas.

Postremò cùm Romanus Pontifex in fidei regula poni cœpit, (cœpit autem paulo tardiùs) ibidem Ecclesiæ postpositus est. Sic enim in regula Tridentinæ fidei legitur. *Credo*, & aliquanto pòst: *Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filióque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas, & unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Et pòst alia: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto.* 67 Et pòst alia: *Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanóque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo.* Hìc Romanus Pontifex, non solùm Catholicæ Ecclesiæ, sed etiam Romanæ quæ pars est Catholicæ, subjicitur.

Cæterùm dum ista persequor, ab Augustino non digredior: Quippe qui in libris contra Pelagianos editis ad asserendum originis peccatum & baptismi necessitatem Ecclesiæ preces & ritus insumat. Et sic Augustini

doctrina

doctrina his in locis contenta mansit ad posteros, & ab universa hodieque vindicatur Ecclesia.

Expedita nunc tibi suppetunt præcipua capita, quibus apertè probatur, Augustino non esse Romanum Pontificem, sed Episcoporum cœtum, qui exortis de religione controversiis extremam manum & legem imponat. Epistolas & libros percurrimus, quos primum contra Donatistas, deinde contra Pelagianos edidit. Tum Augustini expositionem in Scripturæ auctoritates numero tres protulimus, & prolata expositione ad opinionem illam, quæ his auctoritatibus non errandi privilegium Romano Pontifici tribuit, aditus omnis intercluditur. Postremò quæ ad locum Epistolæ Pauli ad Galatas de reprehensione Petri hinc inde scribit, subjunximus, ut apud sanctum Doctorem restaret nihil, quod circa hoc argumenti genus omitteretur. At nullus est locus, in quo ille Romanum Pontificem seorsum à Synodo controversiarum judicem supremum vel ultimum constituat, eúmque inde-
68 ficientis judicii privilegio impertiat. Si quis tamen
excidisset mihi in quo aliter sentiret, ego quoque cum illo aliter sentirem. Hoc me cupio doceri à te, quem in operum beati Augustini lectione exercitatissimum esse teneo. Interim memineris subobscurum locum, siquis occurreret à clariori lucem accipere debere, nec clariori de subobscuri conditione accommodandum esse. Sic agere convenit, dum quæritur veritas, ne inter altercationes & futiles argutias, dispereat. Sunt qui hanc tractandi legem negligant, sed Catholicos se esse non meminerunt: imitantur hæreticos, quorum ingenium Facundus Hermianensis sic notat in libri 12. capite v. *Quemadmodum calumniantium hæreticorum est, ex dubiis & obscuris, quæ certa & manifesta sunt, malè interpretari: Ita solitum est prudentiæ ac pietatis Catholicæ ex indubitatis atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare.*

Porro autem in hoc labore qualicunque nostro, me vide, Romanam Ecclesiam cum Africana connexam reperies. Hæc magna & invicta est contra Bellarminum & alios novarum opinionum artifices præscriptio.

Hinc accidit, ut à referendis elogiis, quæ Celestinus I. Hormisda & Joannes II. ad beati Augustini doctrinam addiderunt, modò supersedeam, sed supersedere non possum a referendo elogio, quod paucos ante annos addendum esse censuit Alexander VII. cum ad Lovanienses Theologos rescriberet. *Dilecti filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Literas vestras die xx. Martii datas accepimus.* Et quibusdam interpositis: *De re-
liquo non dubitamus, quin pro singulari scientia pietatis- 69
que studio sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes & sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxæ religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimáque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis: Quorum profectò sanctissimorum virorum penes Catholicos universos ingentia & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione planè non egent.* Hoc elogium, in quo *Augustini dogmata* judicantur *inconcussa & tutissima*, permagni non potest non æstimari, cùm post accuratam scriptorum Augustini lectionem, & suis absolutam numeris intelligentiam exaratum esse constat: Ac proinde elogio hujusmodi, qui refragaretur, totis theatris explodendus esset. Itaque cùm Alexander VII. Augustini dogmata tam præclare & tam magnificè probando sua faciat, & ut sobolem adoptet, Alexandro tribuere, quod tribuimus, ne reformides, supremum nempe vel ultimum controversiarum fidei judicem esse Concilium, & Romanum Pontificem seorsum à Concilio nusquam: Deinde Romanum eundem Pontificem Concilio subjectum esse. Ad me quod attinet, tribuere non reformido. Quippe is est Pontifex, quem ab Augustino Sedis Apostolicæ traditionum assertore Curialis magister nullus, quem adulator, Gallus, Italus, Hispanus-ve fuerit, nullus unquam sejunget. Ita credo, ita spero. Tu quoque ne desinas bene sperare, & bono animo esse. Quidquid id est, desperemus ni-
hil: Spem nostram esse ab Alexandro consecratam 70
putemus. Interim vale. Lutetiæ Parisiorum ann. MDCLXVI. Calend. Martii.

Joannes Launoius
ANTONIO VARILLAO.

1 DUBITAS & rectè omnino, num omnia
Romanorum Pontificum & Patrum testimonia, quæ Bellarminus in libri IV. de Rom. Pont. capite III. adducit, ut probet Romanum Pontificem in fide & moribus errare non posse, Bellarmini proposito respondeant. Si nullum respondere tibi dixero, id quod res est, dictum invenies, dummodo auctoris hujus lemma cum singulis Romanorum Pontificum & Patrum testimoniis contendatur. Lemma sic se habet: *Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem & mores pertinent, nullo casu errare potest.* Per verba hæc, *cùm totam docet Ecclesiam*, non obscurè significat, Summum Pontificem errare posse, si mediam tantùm Ecclesiæ partem, Occidentalem videlicet, aut Romanam tantùm Ecclesiam, cui præsidet, doceret, quæ ad fidem & mores pertinerent. Quod igitur indeficientis judicii privilegium Bellarminus Pontifici tribuit, hoc universæ Ecclesiæ solius terminatione concluditur. Nunc singula Pontificum & Patrum referenda sunt testimonia, cum quibus supra expositum lemma contendatur.

Lucii I. Papæ testimonium.

REfertur ex Epistola ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ: *Ecclesia Romana Apostolica est, & ma-
ter omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolicæ tra- 2
ditionis nunquam errasse probatur. Nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, secundùm ipsius Domini pollicitationem, dicentis: Ego rogavi pro te, &c.*

Et primùm quidem Bellarminus hoc loco spontè obliviscitur, se in libri II. capite XIV. de Pontificum, qui sederunt usque ad annum CCC. Epistolis ita pronuntiasse: *At quamvis aliquos errores in eas irrepsisse non negaverim, nec indubitatas esse affirmare audeam, certè tamen antiquissimas esse nihil dubito.* Quia ab Isidoro Hispalensi collectas esse putat, sed falsò putat, & falsum dicit, cùm Isidorum annis ducentis Carolo Magno antiquiorem esse tradit. Isidorus florebat anno

anno DCXXX. & anno DCCXXVI. rebus humanis excessit: Carolus verò regnare cœpit anno DCCLXIX. qui & ætatis annum agebat XXIV. Sic ab Isidori excessu usque ad natalem Caroli diem anni tantum intercedunt centum & decem.

Deinde falsa est nota Consularis, qua Epistola hæc consignatur: *Data Calend. Aprilis Gallo & Volusiano viris clarissimis Coss.* In Annalibus Ecclesiæ Gallus & Volusianus semel atque iterum Consules fuerunt, semel anno CCLIV. qui erat annus Papæ Cornelii primus. Iterum anno CCLV. qui annus erat ejusdem Cornelii secundus: Hoc anno martyrium fecit Cornelius XVIII. Calend. Octobris. Vacavit Sedes diebus XXXV. Cornelio successit Lucius XIV. Calend. Novembris, qui mense Aprili, id est, dimidio ante creationem suam anno laudatam à Bellarmino Epistolam scribere non potuit.

3 Tum argumentum Epistolæ, & tempus, quo sedit Lucius, suppositionem evidenter ostendunt. Quo tempore hic Papa propter fidem exulat, & quo tempore non Romana solùm, sed etiam dispersa utcunque per orbem Ecclesia sub tyrannorum ictu est, Occidentales Episcopi, omnes & cum primis Gallicani & Hispanienses forensibus sese disceptationibus fatigant, & de Metropolitanorum & comprovincialium judiciis, ac de facultatum Ecclesiasticarum direptoribus Apostolicam Sedem consulunt: Ac de his omnibus & singulis perinde respondet Lucius, quasi tunc quæ ubique patiebatur Ecclesia, ubique triumpharet. Non mentior. Sic Lucius scribit:

Dilectissimis fratribus omnibus in partibus Occidentalibus, tàm in Galliis, quàm in Hispaniis, consistentibus, Lucius Episcopus in Domino salutem. Literas dilectionis vestræ quas ad beati Petri Apostoli Sedem pro vestri causa negotii misistis, libenter suscepimus, sed de vestris afflictionibus non modicè contristati sumus. Significastis enim vos tam à quibusdam non rectam fidem tenentibus, quàm & ab aliis eos imitantibus persequi & infamari, atque vestras Ecclesias suis dotibus & fidelium oblationibus spoliari, vestrósque ministros nimis vexari. Et ideo multos à vobis & à recta fide discedere, quoniam eis non potestis defensionem impendere, nec ea, quæ sunt necessaria, ministrare. Quod igitur in Ecclesiæ pace, qualis Theodosiorum, Marciani, Leonis temporibus viguit, Occidentalium regionum Episcopi, & cum primis Gallicani & Hispanienses unà fecerunt nunquam, id fecerunt grassantibus in Ecclesiam, Decio, Gallo & Volu-
4 siano, Valeriano & Gallieno. Quis præter Bellarminum hoc in se reciperet? Et post alia:

Unde placuit, ut à quibuscunque judicibus Ecclesiasticis ad alios judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, si fuerit provocatum, audientia non negetur. Item constituimus, sicut & à sanctis Apostolis, eorúmque successoribus decretum reperimus: Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod solummodo ad propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum extrà aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Sed quidquid de comprovincialium coepiscoporum causis, eorúmque Ecclesiarum & Clericorum atque secularium necessitatibus, aut de quibuscunque communibus agere aut disponere necesse fuerit; Hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed concordi & humillima administratione. Hæc est secura per omnes Occidentis regiones & provincias Episcopalis fori constitutio, hæc publica Ecclesiasticorum judiciorum libertas, cùm disturbantur Clerici, verberantur Levitæ, aguntur in exilium Sacerdotes, opplentur Christianis ergastula, carceres, metalla, quorum plerique interdictis urbibus protrusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti contriti & tabefacti sunt. Et post alia:

Res verò Ecclesiarum vestrarum & oblationes fidelium, quas significastis à quibusdam irruentibus vexari, vobisque & Ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum peccatum. Et paullo post: *Unde & Judas, qui pecuniam fraudavit, quæ usibus Ecclesiæ, id est, pauperibus, quos Ecclesia pascere debet, distribuebatur jussu Salvatoris, cujus vicem Episcopi tenent, non solùm fur, sed* 5
fur & sacrilegus factus est. De talibus enim id est, qui facultates Ecclesiæ rapiunt, fraudant, vel auferunt, Dominus comminans omnibus per Prophetam loquitur dicens. Et paullo pòst: *Hæc fieri Propheta, hæc Apostoli, hæc successores eorum & omnium Catholicorum Patrum vetant decreta, & tales præsumptiones sacrilegium esse dijudicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores & Ecclesiæ raptores atque suarum facultatum alienatores unà vobiscum à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus.* Hæc quæ ad Lucii ætatem, quam mox descripsimus, quid attinent? Habebátne tunc Ecclesia facultates, tot & tantas, quæ diriperentur? Ubinam Catholicorum Patrum, qui Lucium præcesserant, decreta? Ubinam exempla illa, quæ Lucius sequi se pronuntiat? Et sanè Bellarminus & qui relata à Bellarmino testimonia exscribunt, vel pristinam Ecclesiæ faciem prorsus ignorant, vel mala fide agunt, cùm his testimoniis utuntur.

Quartò, ne sint ista, quibus Lucii Epistola falsitatis convincitur, & inter merces Isidori adulteria reponitur, relata Epistolæ verbà privilegium non continent, quod Romanæ Ecclesiæ proprium tunc fuerit. Nonne Pontifice Lucio vel de Alexandrina, vel de Antiochena, vel de Hierosolymitana Ecclesia affirmari potuit: *Hæc Ecclesia per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit?* Quid certius? Hæc est facti, non juris quæstio, quam Lucius exponit.

Quintò, Lucius de Romana & Apostolica Ecclesia 6
loquitur, non de Romano Pontifice seorsum ab Ecclesia, ut Bellarminus loquitur.

Sextò, Lucius loquitur de privilegio, quod Romanæ Ecclesiæ in credendo, non in docendo conveniat.

Postremò, etiamsi ponamus, Lucium de Romano Pontifice seorsum ab Romana Ecclesia loqui; Is tamen quod rei caput est, ad Bellarmini propositum minimè loquitur: Nempe Pontificem errare non posse, cùm totam docet Ecclesiam. Qua de re nihil apud Lucium comparet: Atque ita si Bellarmini lemma cum Lucii testimonio contenditur, hoc testimonium fugit ut invalidum.

Felicis I. testimonium

REfertur ex Epistola ad Benignum de Romana Ecclesia: *Ut in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata manet juxta illud, Ego rogavi pro te, &c.* Verba hæc ex Lucii Epistola transcripta sunt, quæ sic se habet.

Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus manet secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam discipulorum suorum Principi in suis fatus est Evangeliis: Petre, inquiens, Ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Et post alia: *Sanctam Catholicam &* 7
Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanóque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo. Hic Romanus Pontifex, non solum Catholicæ Ecclesiæ, sed etiam Romanæ quæ pars est Catholicæ, subjicitur.

Cæterum dum ista prosequor, ab Augustino non digredior: Quippe qui in libris contra Pelagianos editis ad asserendum originis peccatum & baptismi necessitatem Ecclesiæ preces & ritus insumat. Et sic Augustini doctrina

Deinde annus Christi ducentesimus septuagesimus secundus, quo martyrium subiit Dionysius Felicis [...]cessor, Consules habuit Aurelianum Augustum & Bassum. Et annus Christi ducentesimus septuagesimus quintus quo Felix III. Calend. Junii martyr effectus est, Consules habuit Aurelianum Augustum secundùm & Julium Capitolinum. Quis secundum ista subjectam esse Felici Epistolam non videt? Accedit transscriptio quadraginta ampliùs versuum Epistolæ, quam Isidorus Lucio attribuit.

Hic supervacaneum esset repetere, quæ suprà num. IV, V, VI, VII. ad eadem Epistolæ verba observavimus.

Leonis I. Testimonium

REfertur ex sermone III. de assumptione ad Pontificatum: *Specialis*, inquit, *cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divina gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum*
8 *Apostolis cæteris conferatur.* Bellarminus: *Ubi Leo u-*
trunque privilegium agnoscit; illud primum cùm ait, si mens Principis victa non fuerit. Illud secundum cùm subjungit, firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris conferatur. Non enim confertur aliis firmitas, nisi veram fidem exponendo. Privilegium primum Bellarminus antè sic explicat: *Ut Petrus non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo.* Secundum vero ita: *Ut Petrus tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in ejus Sede nunquam inveniretur qui doceret contra veram fidem.* Quis autem illud ex Leonis verbis: *Ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur*, eliciet unquam? Bellarminus expositi à se privilegii secundi oblitus ne quidem elicit, cùm verba Leonis sic interpretatur: *Non enim confertur aliis firmitas, nisi veram fidem exponendo.* At vera fides duobus modis exponitur & exponi potest: In privato & publico judicio. In publico (ad hominem loquor) dum Pontifex quid credendum vel agendum sit, toti Ecclesiæ præscribit: In privato, dum Pontifex quid credendum vel agendum sit, non toti præscribit Ecclesiæ, sed alicui tantùm illius parti. Quò non spectat apud Bellarminum indeficientis judicii privilegium. De quonam autem judicio sermonem Leo instituat, Bellarminus in incompertum relinquit. Quo pacto Leonem ad sententiæ suæ confirmationem laudat inutiliter.

Præterea Bellarminus, dum Leonis verba repetit, ut secundum privilegium astruat, nomen, *Apostolis*, sup-
9 primit. Attende ad hoc: *Illud secundum, cùm subjun-*
git: Firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum cæteris conferatur: Non enim confertur aliis firmitas, nisi veram fidem exponendo. Leo dicit: *Ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur.* Quæ igitur firmitas apud Leonem Apostolis cæteris per Petrum confertur, apud Bellarminum cæteris per Petrum confertur, ut ille significet cæterorum nomine fideles reliquos omnes intelligi. Atque ita mala fide agit, ut secundum astruat privilegium.

Ad rem verò quod attinet, ut in verbis Christi, sic & in verbis Leonis sermo tantùm est de uno & eodem privilegio, quod ad Petri personam instante Domini Passione refertur, ut Leo ipse declarat: *Instante autem Passione sua Dominus, quæ discipulorum turbatura erat constantiam, Simon inquit, Simon, ecce Satanas expostulavit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, ut non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebat. Quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur.* Sic cùm integra Leonis exhi-
betur auctoritas, Bellarmini fides mala in illius usu 10
proditur. Quis enim præter Bellarminum, vel Bellarmini exscriptores ex auctoritate illa, quæ tota in antecedente aliquo poneretur, sine accidentis fallacia colligeret: Igitur *Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest?* Hæc est propria Bellarmini propositio, quam ex Leonis auctoritate confirmandam suscepit. Sed illam confirmaturus non est unquam, nisi differendo à non distributo ad distributum procedat: Et sic propositionem infirmaret potius, quàm confirmaret. Scilicet fallaci argumento error gignitur, veritas nulla vindicatur.

Hic à proposito non abhorreret ostendere, Leonem Indeficientis judicii privilegium sibi non tribuere: Sed illud in Epistola ad Jacobum Malatestam Parisiensem Theologum ostendi, cùm ex Leone Conciliorum necessitatem asserui. Epistola hæc est in tertia parte Epistolarum nostrarum.

Agathonis Testimonium

REfertur ex ejus Epistola, quæ in Synodo VI. lecta est actione IV. & postea actione VIII. probata ab omnibus: *Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, aut hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit: Quia dictum est Petro: Simon ecce Satanas, &c. Ego autem rogavi pro te, &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit. Quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse cunctis est agnitum.*

I. Aliud est Apostolica Christi Ecclesia, quæ *à tra-* 11
mite Apostolicæ traditionis nusquam errasse probatur, aut hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit: Aliud Romanus Pontifex, qui *à tramite Apostolicæ traditionis nusquam errasse probatur.* Hæc enim duo, Apostolica Christi Ecclesia, & Romanus Pontifex non convertuntur. Quis enim nisi grammaticæ & dialecticæ imperitus collectivum nomen cum distributivo & simplici nomine commutaret? Et utriq; nomini significatum eundem adscriberet? Sic vitiosè philosophatur Bellarminus, cùm Romano Pontifici id tribuit, quod Agatho Romanæ Ecclesiæ tribuit. Accidentis fallaciam committit, qua Romanum Pontificem egere nisi putet, efficit, ut alii putent.

II. Agatho quæstionem facti non juris tractat, cùm ait: *Apostolica Christi Ecclesia*, id est, Romana, *à tramite Apostolicæ traditionis nusquam errasse probatur, aut hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit.* At Bellarminus fallit & fallitur, cùm ex quæstione facti, quæstionem juris infert. Quo tempore scribebat Agatho, nempe ad annum Christi DCLXXX. infinitæ florebant in orbe Christiano Ecclesiæ, de quibus singillatim id affirmari poterat, quod ille Pontifex affirmat de Romana. Exempli causa, nonne de Viennensi, de Lugdunensi, de Rotomagensi, de Turonensi Ecclesia, &c. dici poterat? Viennensis, Lugdunensis, Rotomagensis, Turonensis Ecclesia *à tramite Apostolicæ traditionis nusquam errasse probatur, aut hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit.* Sed inde non sequitur, quod à tramite Apostolicæ traditionis aberrare non
potuerint antea, aut postea aberrare non possint. Vi- 12
tiosè igitur argumentatur Bellarminus, ut ex Agathone probet id quod probandum sibi sumpsit: Videli-

cet, *Summum Pontificem cùm totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse.*

III. Agatho indefinitè scribit: *Apostolicos Pontifices prædecessores confirmasse fratres suos:* Sed definite non scribit: *Apostolicos Pontifices prædecessores* OMNES *confirmasse fratres suos.* Id inquam non scribit definitè, nec scribere poterat: Quia Agathonis decessores suos fratres omnes in fide neutiquam confirmaverunt. Honorius Sergium Constantinopolitanum Episcopum non confirmavit in fide, cùm duas ad illum misit Epistolas, quæ post accuratam lectionem hæreseos accusatæ sunt in sexta Synodo & damnatæ. Et sane non memini legere me ullum veterem Theologum, qui ex Honorii epistolis veram fidem adversus Monothelitas assereret: Sed probè memini duarum Leonis II. Epistolarum, unius ad Constantinum Imperatorem, alterius ad Ervigium Regem, in quibus Leo de Honorio conqueritur, quòd nunc *Apostolicam* (Romanam) *Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustraverit, sed profana traditione immaculatam fidem maculari permiserit,* nunc *immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis acceperat, maculari consenserit.*

Deinde omnino memini veteris Romanæ Ecclesiæ Diurni, in quo, qui Romani creantur Pontifices, ut Cyro, Sergio, Pyrrho, sic & Honorio dicunt anathema. Verba sunt: *Auctores verò novi & hæretici dogmatis, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constanti-*
13 *nopolitanos unà cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, pariterque Theodorum Pharanitanum & Cyrum Alexandrinum* . . . *nexu perpetui anathematis devinxerunt* Synodi VI. Patres.

Vigilius Agathonis decessor est, qui non confirmavit fratres suos Istriæ Episcopos, cùm illius constitutum in causa fuerit, cur ab reliquæ Ecclesiæ communione sejuncti tandiu vixerint. Pelagius II. rem ita narrat in Epistola VII. quæ est tertia ad eosdem Episcopos cap. I. *Virtutum mater caritas, quæ Redemptoris sui lucris serviens, quæ nunquam ea, quæ sua sunt, quærit, desiderio anhelanti me impulit dudum fraternitati vestræ plena dulcedinis scripta transmittere, quæ disjuncta diu possint suo corpori Christi membra sociare, in quibus plus precibus, quàm monitis, loquens affectu, quo valui, exhortari curavi, ut quos aptos discutiendæ rationi prævideris, huc dilectio vestra dirigeret, quatenus in trium Capitulorum negotio, vel quæque aperta sunt cognoscerent, vel quæque forsan obscura viderentur, hæc eis collatio pacifica intentionis aperiret: Tandem dilectionis vestræ scripta suscepi, quæ non rationis causas quærerent, sed deliberata apud vos judicii sententia imperarent. Hoc autem, quod apud vos audire de vestra sapientia video, fateor, dolens mirer, & quidem per Epistolarum exempla (ut puto) ostendi humilitatis, & amoris specimen præbui: Sed dum nihil apud vos reperi, admonitionis meæ verba proficere, flens, geménsque cum Propheta cogor exclamare: Curavimus Babylonem, & non est sanata. Ignem quantum valui, caritatis accendi, & tanta scissionis rubiginem exuere volui: Sed implevisse Prophetæ sententiam, peccatis exi-*
14 *gentibus inveni: Qui ait, frustra conflavit conflator; Scoria ejus non sunt consumpta: Nulla in rescriptis flamma caritatis aspicitur, nullam vel post exemplum dulcedinem redolet in cunctis suis sermonibus, nihil quod ad pacem perveniat sentit.*

Deinde in cap. VII. *Rursum per Epistolam vestram dicitur,* A SEDE APOSTOLICA VOS DOCTOS, ATQUE AB SCRINIO SANCTÆ ECCLESIÆ, CUI DEO AUCTORE PRÆSUMUS, CONFIRMATOS, *ne huic rei, quæ sub pia memoria Justiniano Principe gesta est, consentire debeatis, atque hanc opitulationem excusationi vestræ adjungitis, dicentes, quod in causa principio & Sedes Apostolica per Vigilium Papam & omnes Latinarum provinciarum principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quòd res, quæ provocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa divellit. Latini quippe homines & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognoverunt, & tantò ei celeriùs credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, a certamine non quievit. Quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab iis laboratum est, & longo tempore ad injurias usque certatum, hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sint, agnovissent. Quid enim divini consilii fuisse credimus, fratres, quòd diu Saulum omnipotens Deus repugnatorem suæ fidei esse permisit, & sic eum fidei suæ prædicatorem fecit, nisi ut cunctis, quibus illum fuerat prædicaturus, ostenderet, quia valde verum est Dei Evangelium, quod & tanta duritia incli-* 15
nata prædicaret, ut dum ea auditores ejus, quæ ab illo contra fideles gesta recolerent, repentè eum ad fidem versum non sine evidenti ratione sentirent. Unde ipse quoque dum prædicationem suam debere facilè ab infidelibus recipi Domino diceret, ait, Domine, sciunt, quia ego eram concludens in carcere, & cædens per Synagogas eos qui credebant in te. Et cùm Galatas, relicta Evangelii regula, in Judaismi conspiceret errorem declinasse, suam eis priorem contra Evangelium duritiam retulit, & ab intentione perfidiæ eorum mentes retorsit, dicens: Audistis conversationem meam aliquando, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam, & expugnabam illam, & proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cùm autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut Evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni & sanguini: Ecce fratres charissimi Paulus egregius Doctor, quia diu veritati restitit, inde ad confirmanda corda credentium, in ejusdem prædicatione veritatis adjutorium sumpsit: Ostendens profectò, quia fidem, cui tantæ priùs labore restiterat, postmodum sine magna rationis certitudine non tenebat. Debet ergo perpendere vestra dilectio, quia prædecessorum nostrorum in hac causa consensus tantò post inanis non fuit, quantò priùs duris contradictionum laboribus insudavit. Sed his insuper factum Petri, qui & Paulum superat, vestra fraternitas ad memoriam reducat. Diu quippe restitit, ne ad fidem gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet, diu 16
se à conversarum gentium communione subtraxit, Paulo attestante, qui ait, cùm venissem Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et paullo pòst: *Et cùm vidissem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Evangelii, dixit Petro coram omnibus. Si tu cùm Judæus sis, gentiliter & non Judaicè vivis, quomodo gentes cogis judaizare? Qui tamen ab eodem Paulo postmodum ratione suscepta, dum quosdam conspiceret, qui gentiles ad Ecclesiam venientes pondere servandæ circumcisionis onerarunt, dicit: Cur tentatis Deum imponentes jugum cervicibus discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Nunquid, fratres dilectissimi, Petro Apostolorum Principi sibi dissimilia docenti debuit ad hæc verba responderi? Hæc quæ dicis audire non possumus, quia aliud ante prædicasti. Si igitur in trium Capitulorum negotio aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inventa veritate dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quæ à cuncta Ecclesia humiliter in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permaneat, quid obstat, si ignorantiam suam deserens verba permutet?*

Et primùm quidem Pelagius II. qui anno DLXXVII. creatus est Romanus Pontifex, modis omnibus conatur Istriæ Episcopos ad trium Capitulorum damnationem pertrahere. Sed frustra.

Deinde non dissimulat inutilem ex eo fuisse conatum,

17 tum, quòd Istrienses Vigilii constituto annis abhinc plus minus viginti sex edito immobiliter adhærerent. Atque ita si verum fateri licet, Vigilii constitutum, quo severè prohibetur trium Capitulorum damnatio, in causa fuit, cur Istrienses tamdiu in schismate permanserint. Vigilius igitur fratres suos non confirmavit, sicut oportuit.

Tum Pelagius ut Istriensibus respondeat, & eos à Vigilii constituto deterreat, exponit multa, quæ cum indeficientis judicii privilegio non concordant. I. Sedem Apostolicam, quæ Vigilii constitutum amplexa fuerat, mutasse sententiam. II. Erroris in Vigilio & Apostolica Sede causam fuisse sermonis Græci ignorantiam. III. A Latinis Patribus, ac proinde potissimùm à Sede Apostolica & temporis & laboris multum esse insumptum, ut quæreretur, inveniretur, & assereretur veritas, quæ Istriensibus sequenda proponebatur. IV. Paulum restitisse Petro, quòd ad veritatem Evangelii non rectè ambularet, sic & nunc resisti posse Vigilio, quòd in constituto suo veritatem non asseruerit, & prohibuerit trium Capitulorum damnationem, quæ prohibenda non fuit.

Liberius Agathonis decessor est, qui tamen Orientales Episcopos fratres suos non bene confirmavit, cùm illis ita scripsit in epistola VII. *Dilectissimis fratribus & Episcopis Orientalibus salutem.* Et paullo pòst: *Ego Athanasium non defendi: Sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius decessor meus, verebar ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, justè vos illum condemnasse, mox consensum meum com-*
18 *modavi sententiis vestris, literásque super nomine ejus* (id est, de condemnatione ipsius) *per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio à communione omnium, cujus nec epistolæ à me suscipiendæ sunt, dico me cum omnibus vobis, & universis Episcopis Orientalibus, seu per diversas provincias pacem & unanimitatem habere. Nam ut verius sciatis, me veram fidem per hanc epistolam meam proloqui, Dominus meus & frater communis Demophilus dignatus est pro sua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, quæ Sirmii à pluribus fratribus & coëpiscopis nostris, tractata & exposita & suscepta est ab omnibus, qui in præsenti fuerunt, hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradicens, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc à me tenetur.* Fortunatianus ille, de quo suis in literis meminit Liberius, sic ab Hieronymo in libro de viris illustribus describitur: *Fortunatianus natione Afer Aquileiensis Episcopus in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.* Liberius ergo Orientales pessimè confirmavit, quia confirmavit aliter ac confirmandi fuerant. In errore confirmavit, tantùm abest, ut in vera fide confirmaret.

His ita positis, apparet ratio certa, cur Agatho decessores suos omnes haud nominaverit. Et cur Bellarminus uti Agathonis auctoritate nequeat, ut probet quod probandum sibi sumpsit, etiam nihil aliud impediret, quo minus uteretur.

19 Doctor Anglorum Beda venerabilis de Honorio Papa tribus in locis sermonem facit. Primùm in libri II. de historia gentis Anglorum capite XVII. XVIII. & XIX. Honorium laudat, ut qui de Anglicana Ecclesia bene meritus fuerit: Deinde in vita sancti Bertulfi Abbatis Honorium appellat venerabilem præsulem, sagacem animo, vigentem consilio, doctrina clarum, dulcedine & humilitate pollentem, & sanctum Papam. Tum in libro de sex ætatibus mundi Honorium recenset inter eos qui à Synodo VI. damnati sunt hæreseos. Sed attende tempora: Quæ hîc contraria videntur, contraria videri desinent. Quæ celebris auctor de Honorio in historia & in vita sancti Bertulfi scribit, hæc Synodum VI. præcesserunt; quæ verò in libro de sex ætatibus tradit, Synodum VI. excipiunt & subsequuntur:

Et fontis varios, quamvis diversa sonarent,
Concordare modos.

Aliud est igitur de rebus omnibus ab Honorio gestis ante Synodum VI. aliud post Synodum VI. scribere. Et hoc Bellarminus dissimulat.

Præterea de duabus epistolis ab Honorio ad Sergium Constantinopolitanum scriptis judicium nullum tulit vel in historia vel alibi. Nec fortasse mirum, quià illas non viderat. Sed cùm illas in actis Synodi VI. vidit, & damnatum cum aliis Honorium legit, id tum demum fecit, quod ab eo factum legimus in libro de sex ætatibus. Affirmare ut Bellarminus affirmat, *Sciolum aliquem addidisse nomen Honorii in libro Bedæ,* prælicenter divinare est: idque maximè, cùm manuscriptus Codex nullus adfertur, in quo nomen Honorii desideretur.

In summa tamen fuerint Joannes Papa IV. Maximus 20
Monachus, & alii fortè qui Honorium ante Synodum VI. ab hæresi defenderint; post illam tamen Synodum nullus fuit vel in Anglia, vel in Gallia, vel in Italia qui Honorium ab hæresi defendendum susceperit, ut Albertus Pighius, Bellarminus, & alii susceperunt. Postquam igitur universalis Synodus, tribunal, quo nullum est in Ecclesia superius aut majus, Honorio denuntiavit anathema,

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Corrupta fuisse à quoquam Synodi hujus acta, antiquorum omnium nemo fuit, qui dicere auderet, ne somniare videretur. Id somnii & commenti genus delent cùm alia multa, tum maximè duo: Agathonis Diaconi peroratio, & contumax Occidentalium & præsertim Sedis Apostolicæ legatorum, qui ab Synodo VI. reversi sunt in propria loca, silentium.

Agatho in peroratione sua sic loquitur: *Peccator ego ac omnium minimus Agatho, indignus Diaconus, ac sanctissimæ hujus magnæ Dei Ecclesiæ Scriniorum Thesaurarius, venerabilisque Patriarchalis Secreti Protonotarius, ac secundus Cancellarius, ante triginta duos plus minus annos, juvenili adhuc ætate, Lectorum ordini accensus, ac inutilis Notarius agens, sanctæ huic ac universali sextæ Synodo operam commodavi, universa in ea mota, quæsitáque, ordine assectatus, unà cum S. Paulo hujusce deinceps urbis Archiepiscopo & Patriarcha, hactenus laico, ac Imperatoris à Secretis. Ac aliis quibusdam interpositis: Omnes porro tomos Actorum præfatæ Synodi mundo codice, propria ipse manu Ecclesiasticis literis consignavi, qui & sub sigillaculis unà cum fidei definitione, quam sancta ea-* 21
dem Synodus palam edidisset, Patrum subscriptione munita, in Imperatoris palatio fuerunt repositi, ac tutò servati, quibus & quinque Patriarchalibus sedibus tradita, definitionis ejusdem eadem Patrum subscriptione munita exemplaria, eodem conscripsi modo, ita jubente piæ recordationis Imperatore Constantino, ac sic fieri præcipiente, quo fidei orthodoxæ sinceritas atque veritas nullis pateret insidiis. Et paullo pòst de tyranno Bardane: *Is mero placito Philippici assumpto nomine, cùm inde improvisus, regiæ huic urbi, unà cum eum secutâ classe, necnon comite armato exercitu, à quo fuerat creatus Imperator, repentè ingruisset, olim animo insitam habens, nedum paterna doctrina ac traditione, uti dicebat ipse, acceptam, sed & prava institutione ascititiam, execrabilem omnino sacræ huic ac œcumenicæ sextæ Synodo contrariam hæresim, ut qui à puero, ubi tulisset occasio, discipulum egisset Stephani Abbatis, qui ipse discipulus fuit Macarii: Is, inquam, statim ac nulla mora Imperiali potestate ac auctoritate usus, ante suum ipsius ingressum, sanctæ ejusdem sextæ Synodi imaginem ab annis jam aliquot, prope ac inter quartam sextámque scholam, in Imperialis palatii vestibulo, expositam dejici jussit, alioquin inquiens, non sustinens ingredi in regiam non suam, nisi ita priùs res habuisset: Id præterea auctoritate decernens, ut Sergii Honoriique ac cæterorum pariter ab eadem sancta & œcumenica Synodo*

ejectorum, ac anathemati subjectorum nomina in sacra sanctissimarum Ecclesiarum Diptycha pracone publico re-
22 *ferrentur, eorúmque per loca imagines erigerentur.* Hinc Agatho diu multúmque post habitam Synodum scribens testatur incorruptos fuisse servatos codices, in quibus & illius Synodi acta & fidei definitio exarabantur. Hinc conqueritur de Philippico Bardane, qui Monothelitarum hæresi depravatus sextam Synodum pro eo ac potuit, evertit, & damnatorum ab illa Sergii, Honorii, & aliorum nomina in sacris Diptychis collocari jussit, eorúmque imagines per loca erigi ac restaurari. Ex quo luculenter apparet, ut Sergium, sic & Honorium à Synodi VI. Patribus perculsum & anathemati subjectum esse.

Quod autem ad Occidentalium, & cum primis Sedis Apostolicæ Legatorum silentium pertinet, hoc Agathonis Diaconi narrationem penitus confirmat. Si quæ enim Synodi acta Legati Constantinopoli Romam detulerunt, ea reperissent corrupta, nonne apud Constantinum Imperatorem optimum de tali flagitio conquesti essent? Nonne petiissent ab eo, ut quæ actis perperam illata essent, obliterarentur? Conformatis (si cælitibus placet) in crucem brachiis inertes mansissent, & injuriosissimum Romanæ Sedi facinus taciturnitate sua comprobassent. Ita dicant necesse est, qui corrupta esse Synodi VI. acta pugnant. Neque hoc tantum. Accusabunt Leonem II. quod corrupta Synodi VI. acta Græca in Latinum sine religione ulla converterit, quòd de corruptione illa querelam nullam habuerit, quòd nullum in corruptores decretum ediderit, quòd tandem Sedis Apostolicæ dignitatem & honorem neglexerit, & scelestissimè prodiderit.

23 Deinde antiquorum omnium nemo fuit, qui auderet dicere, quod Bellarminus in libri IV. de Rom. Pont. capite XI. sic scribit: *Itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis immeritò cum hareticis connumerasse Honorium.* Cur autem nemo ex antiquis omnibus id scripsit, quod videmus Bellarminum scripsisse, in causa est accurata & summa in tractandis rebus Ecclesiasticis circumspectio. Et primùm quidem, Synodi VI. Patres deceptos ex falsis rumoribus, cum hæreticis connumerasse Honorium dici non potest, quin dicatur continuò, Patres illos intolerabilis negligentiæ reos esse, quòd tam leviter Summæ Sedis præsulem hæreticorum albo inscripserint. Hoc verò præter Bellarminum quis reciperet?

Tum Synodi VI. Patres non intellectis Honorii epistolis cum hæreticis connumerasse Honorium, dici quoque non potest, quin continuò Monothelitis aditus ad eludendam fidei definitionem detur. Scilicet Monothelitæ, aut Monothelitarum fautores contendent, ut non intellectis Honorii epistolis Honorium cum hæreticis connumeratum esse, sic & non intellectis Scripturis & sanctorum Patrum testimoniis, quæ producuntur in Synodo, fidei definitionem confectam esse. Quidquid Bellarminus & Bellarmini exscriptores, ut quod sibi sumunt tueantur, respondebunt unquam, id Monothelitæ aut Monothelitarum fautores, ut quod ad Bellarmini exemplum sibi sumunt, pariter tueantur, semper respondebunt. Sic æqualis erit pugnæ nunquam finiendæ successus. Bellarminus quod sibi lemma sumit, vel accipiet
24 vel rejiciet. In uno captus est, in altero nullus, quia vitiosè petendum erit principium. Et hoc est quod in opinione Bellarmini dictu periculosum mihi semper visum est.

Nicolai I. Testimonium

REfertur ex epistola ad Michaelem: *Privilegia,* inquit, *istius Sedis perpetua sunt, divinitus radicata, atque plantata; impingi possunt, transferri non possunt; trahi non possunt, evelli non possunt: qua ante Imperium vestrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebúntque post vos, & quousque Christianum nomen pradicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt.* Et infrà ostendens unde tam liberè ejusmodi prædicaret, ait: *Nam & inter catera ei, per quem nobis pracipuè ista sunt privilegia collata, Tu aliquando conversus, audivit à Domino, confirma fratres tuos.* At quis unquam sine fallacia concludet inde, *Summum Pontificem cùm totam Ecclesiam docet in his qua sunt fidei, nullo casu errare posse?* Et tamen hoc ipsum est lemma, quod Bellarminus ex hoc testimonio probandum suscipit. Et sanè si ex hoc testimonio probari posset, Pontificem in his quæ sunt fidei errare non posse, nimia ac proinde nulla foret probatio. Nam probaretur, Summum Pontificem errare non posse, sive totam Ecclesiam, sive mediam Ecclesiæ partem, sive partem aliquam, eámque exiguam doceat. Quod Bellarminus sibi non sumit.

Deinde verba hæc: *Petrus, & tu aliquando conversus, audivit à Domino, confirma fratres tuos.* Quò pertinent? Non utique ut Romanus Pontifex successor Petri errare nequeat, sive Ecclesiam universam, sive partem ali- 25
quam Ecclesiæ doceat; sed ut Petrus postquam conversus fuerit à peccato, conversione sua, vera scilicet pœnitentia reliquos Apostolos confirmet. Jam vides, opinor, quàm inutilis sit Nicolai Papæ allegatio, ut interim taceam Nicolaum agere de privilegiis quæ Sedi Apostolicæ conveniunt, non quæ Pontifici seorsum à Sede Apostolica, ut Bellarminus in propositione sua contendit.

Verumenimverò ad Bellarminum propiùs accedo, qui opinionis suæ fundamentum in his verbis: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua,* statuit non in istis consequentibus: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ Nicolaus aliter, quàm Bellarminus accipit. Sed ne illud deprehenderetur, multa reticuit & cum primis, quæ relatam ab illo clausulam extremam proximè antecedunt, & quæ ita se habent: *Hac igitur & his similia nos pro cunctis Ecclesiis sollicitos reddunt. Hac etiam de Constantinopolitana Ecclesia impigram curam accipere vehementer hortantur. Hac inquam Ignatium Patriarcham nulla regula, nulloque ordine Ecclesiastico dictante dejectum, tanquam fratrem adjuvare compellunt. Nam & inter catera ei per quem nobis pracipuè ista sunt privilegia collata, tu aliquando conversus, audivit à Domino, confirma fratres tuos. Si quidem & su culpam cecidit, ut sciret qualiter aliorum infirmitatis misereri deberet.* Hinc quò Nicolaus spectet, ipse significat adhuc in epistola IX proxima ad eundem Michaelem: *Quapropter sicut Imperii tui divinitus inspirata, sapientia, nobis, qui cunctarum Christi ovium cura constringimur, cùm gerimus vices illius per abundantiam* 26
calestis gratia, cui specialiter à Deo dicitur, Pasce oves meas, & rursus, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et post alia: *Quamobrem, charissime fili & laudabilis Auguste, quia quasi per nos inventa est Ignatii dejectionis materia, idcirco prater id quod frater debet adjuvari à fratre, prater id etiam quod Petro, cujus in terris licèt indigni vicem gerimus, Christi oraculo peculiariter dicitur, & confirma fratres tuos, etiam hoc specialiter dicitur, cum non solùm adjuvare & confirmare, verumetiam sicut ipsi potestis advertere, totis nos pro illo viribus oportet per omnia disceptare.* Hic semel atque iterum verba hæc, *confirma fratres tuos,* repetit, & in utraque epistola refert ad beatum Ignatium, qui de Sede Constantinopolitana injustè deturbatus fuerat. At Nicolaus, ut Ecclesiasticorum assertor & vindex canonum, Ignatium in propriam Sedem restituere, & restitutum confirmare meditabatur: Atque hoc esse præcipuum Sedis Apostolicæ privilegium sibi vindicat: Quæ omnia Bellarminus dissimulat, quo faciliùs possit Nicolaum in suam sententiam traducere; sed nec Sedes Apostolica, nec veritas his eget offutiis.

Præterea, Nicolaus Bellarmini instituto suam commodare

modare operam non potuit, aut, quod absit, contra Sedis Apostolicæ traditionem commodasset. Nicolai tempore apud Romanos dubium nullum erat, quin Pontifex errare in fide posset. Errasse noverant Honorium I. in duabus Epistolis, quas ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum exaraverat. Noverant has epistolas in Synodo VI. damnatas esse, quòd Mo-
27 nothelitarum hæresim continerent, & quòd Honorius, ut hæreticus ibidem damnatus esset. Præ manibus erant Synodi VI. hujus acta, quæ Leo II. Latinè verterat. Legebant Synodi VII. actionem ultimam, ubi Synodus tota Legatis Sedis Apostolicæ non reclamantibus anathema Honorio, Sergio, Cyro, & Monothelitis reliquis denuntiat. Habebant in Romanæ Ecclesiæ Diurno professionis illius indiculum, cujus fragmentum ante retulimus.

Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, qui tunc floruit, in Epistola ad Joannem Diaconum Romanum: *Qua videlicet*, inquit, *Apologia* (Joannis Papæ IV. pro Honorio) *satis hunc* (Honorium) *ut reor excusabilem reddit, licèt huic sexta Synodus quasi haretico anathema dixerit, & in Dei solius jam judicio positum reprobationis telo confoderit, cùm hareticus non ex erroris tantum deceptione, quantum ex electione non recta & contentiosa pertinacia generetur.* Et cætera, in quibus non tam de hæresi, quàm de legitima hæretici appellatione disputat.

Verùm Anastasius majorem postea Synodo VI. quàm Joanni IV. fidem adhibuit. Cùm enim Romanorum Pontificum vitas literis prodidit, Honorium inter damnatos à Synodo VI. hæreticos sine hæsitatione ulla ponit in vita Leonis II. *Hic*, inquit, *suscepit sanctam sextam Synodum, qua per Dei providentiam nuper in Regia urbe celebrata est, Graco eloquio conscriptum......in qua & condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius & Pyrrhus, Paulus & Petrus, &c.* Bibliothecarius tradit, quod tunc Romæ credebatur ab omnibus: Sic ut Nicolai tempore qui contrarium Romæ scripserit, hactenus inventus sit nemo. Ex quo autem consecratus
28 est Leo secundus & in Romana Ecclesia officium habuit, in nocturno secundo lectiones recitatæ sunt, quæ ex vita Leonis ejusdem ab Anastasio conscripta repetuntur. Res hæc per se ipsa lucet.

NOCTURNI II. LECTIO I.

Hic (Leo) *suscepit sanctam sextam Synodum, qua nuper per Dei providentiam in regia urbe celebrata est, Graco eloquio conscriptam, exequente ac præsidente piissimo ac clementissimo magno Principe Constantino infra regale palatium suum, quod appellatur Trullus, simúlque cum eo residebant Legati Sedis Apostolica, & duo Patriarcha, id est, Constantinopolitanus & Antiochenus, atque centum quinquaginta Episcopi.*

LECTIO II.

In qua Synodo condemnati sunt Cyrus & Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, nec non & Macarius, cum discipulo suo Stephano, sed & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Jesu Christo dixerant vel prædicaverunt, aut quid denuo prædicaturi sint aut defensaverint.

Romanum Breviarium, in quo lectiones istæ reperiuntur, Venetiis editum est anno MCCCCLXXXII. & Parisiis postea ann. MDXLIII. An, quæso te, Romana tunc aliter canebat, & aliter credebat Ecclesia? Pontificem Summum in iis quæ ad fidem errare non posse, haud opinor, credebat, quia non cecinisset id, ex quo errare illum saltem posse manifeste colligitur; facti quæstionem juris quæstione solvisset, ut solvunt Albertus Pighius & recentiores Romanæ Curiæ assentatores, qui ex eo tantùm pugnant, acta Synodi VI.
29 corrupta esse, quia præjudiciis suis occupati docent Summum Pontificem in his quæ sunt fidei, errare non posse, quæ καινῶς notio sponte sua dissilit, & auctores suos inertes & oppidò ridiculos ostendit.

Hadrianus II. Nicolai successor proximus hoc ipsum persuasum habuit, nec persuasum habuisset, si decessores aliter credidissent. Sic enim tradit in Synodica Romani Concilii Epistola, quæ in octavæ Synodi actione VII. & lecta, & approbata est: *Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum prasulibus judicasse legimus; De eo autem quempiam judicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est, quia fuerat super haresi accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus liberè respuere: Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec caterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem prima Sedis Pontificis consensus pracessisset auctoritas.* Hæc est Sedis Apostolicæ traditio, hæc Romanæ Ecclesiæ de Honorio sententia, quæ Nicolai, Hadriani, & decessorum ætate invaluerat.

Porro autem cùm Hadrianus affirmat, dictum Honorio ab Orientalibus fuisse anathema, Occidentales non excludit, quasi Honorio non dixissent anathema. Minimè verò. Ab Orientalibus anathema dictum scribit, quia Synodus VI. apud Orientales habita est, & in Synodo major pars eorum, qui adfuerunt, Orientales erant, quibus Sedis Apostolicæ Legati consenserunt. Ab Orientalibus, inquam, dicit ad eum modum quo Leo I. Calchedonensem Synodum vocat Orientalem Synodum in Epistola XCIV. quam ad Rusti- 30
cum Ravennium & alios Galliarum Episcopos mittit: *Fratres mei, qui vice mea Orientali Synodo prasederunt, qua vota retulere significo.*

In Gallia tunc non fuit alia, quàm Romæ de Honorio sententia. Id nos omnino docent Episcopi duo magni nominis Hincmarus Remensis, & Ado Viennensis.

Ille duobus in locis: Primùm in Opusculo de non trina unitate: *Insuper & Honorium magna Roma Papam, quia contra fidem sensisse & prave sentientibus consensisse detectus & evidentissimè comprobatus est, sicut in sexta Synodo invenitur, etiam post mortem anathematizarant.*

Deinde in Opuscull XXXIII. capite XX. ubi Synodos generales sex enumerat, & in sexta dicit: *Finito autem conflictu Georgius correctus, Macarius verò cum suis sequacibus simul & pracessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizati.*

Hic in Martyrologio MS. quod in Bibliotheca Mazarina vidimus, IV. Calend. Julii, ubi Honorius hæreticis à Synodo VI. proscriptis accensetur. Verba sunt: *Leonis Papa qui sedit Roma menses X. Hic constituit, ut qui Archiepiscopus ordinatus fuerit, nullam consuetudinem pro usu pallii in diversis officiis persolvere debeat. Hic eloquentissimus & Divinis Scripturis sufficienter instructus, Graca Latinâque lingua eruditus, sanctam sextam Synodum, qua in urbe regia celebrata est, ubi damnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Macarius, Stephanus, & Polychronius,
novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Do- 31
mino Jesu Christo pradicabant temporibus Agathonis Papa, de Graco in Latinum transtulit.* Exemplar Martyrologii hujus, quod olim ad sancti Marii Badonensis Abbatis Ecclesiam pertinebat, ejusdem esse ferme cum Adone ætatis videtur. In edito quidem Martyrologio hæc non extant, sed ea sublata esse oportuit, vel à librariis, vel ab iis, qui editionis curam susceperunt.

Rem in Chronico decidit ætate VI. ubi agitur de Synodo, & de iis qui ab ea condemnati sunt: *Finito conflictu Georgius correctus est, Macarius verò cum suis sequacibus simul & pradecessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizatus est.*

Sed redeo ad Hincmarum, qui Gallicanorum antistitum

ſtitum nomine ſic ad Nicolaum I. ſcribit apud Flodoardum in libri III. hiſt. cap. XIII. *Et cùm omnes in iſtis regionibus ſciant, quàm negligens & contemptor ſacrorum canonum* (Rothadus Sueſſion. Epiſcopus) *& quandiu, quàmque patienter atque benigne fueris toleratus, & à quàm multis, quia ſe corrigere noluit ſecundùm ſacras regulas, ſicut eas intelleximus, fuerit judicatus, nullam habere poſſemus verecundiam de reſtitutione illius, ſi foret facta à veſtri Summi Pontificatus pietate, quia omnes ſenes cum junioribus ſcimus noſtras Eccleſias ſubditas eſſe Romanæ Eccleſiæ, & nos Epiſcopos in primatu beati Petri ſubjectos eſſe Romano Pontifici, & ob id* SALVA FIDE, *qua in Eccleſia ſemper viguit, & cooperante florebit, nobis eſt veſtra Apoſtolicæ auctoritati obediendum.* Quorſum Gallicani præſules præ ſe ferrent obediendum eſſe Romano Pontifici, ſed SALVA FIDE,
32 niſi firmiter crederent Romanum Pontificem ea poſſe decernere, quæ fidei repugnarent? Exceptione hac indeficientis judicii privilegium Romano Pontifici abjudicant, & perinde abjudicant, quaſi apud omnes conſtaret exceptio.

Rata ergo fixáque ſint tria: Primùm, quòd Bellarminus Nicolao Papæ imponat: Nicolaus enim beati Lucæ locum integrum nuſquam laudat, quem tamen ab illo laudatum Bellarminus objicit.

Deinde, quòd quam loci partem laudat, Nicolaus eo ſenſu non accipit, quo ille accipiendam putat.

Denique, quòd tunc temporis Romana & Gallicana Eccleſia id perſuaſum habeant, quod impedit, nè beati Lucæ locum intelligamus, quomodo Bellarminus intelligit, atque ita extra ſenſum Romanæ & Gallicanæ Eccleſiæ ſapit: Et ſic ſapere, an ſapere ſit viderint alii.

Leonis Papæ IX. Teſtimonium

REfertur ex Epiſtola V. ad Petrum Antiochenum: *Nimirum ſolus eſt pro quo ne deficeret fides ejus, Dominus & Salvator aſſerit ſe rogaſſe dicens: Rogavi pro te, &c. Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius.* Bellarminus quæ antecedunt & ſubſequuntur, ſupprimit, ſed ad inveniendum & aſſerendum Leonis ſenſum exprimenda ſunt: *Sic omnia veneranda Concilia, ſic leges humanæ promulgant: Sic ipſe Sanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus Dominantium confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis & totius Ec-*
33 *cleſiaſticæ diſciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, ubi ipſe vertex atque cardo Apoſtolorum Petrus carnis ſuæ beatam reſurrectionem in noviſſimo die expectat. Nimirum ſolus ille eſt, pro quo ne deficeret ejus fides, Dominus & Salvator aſſerit ſe rogaſſe, dicens, Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos: Quæ venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus Petri fides non defecerit, nec defectura creditur in throno illius uſque in ſæculum ſæculi: Sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, ſicut uſque nunc confirmare non ceſſavit.*

Et primò quidem locus hic prout à Bellarmino citatur, Bellarmini non ſervit inſtituto. Bellarminus agit de fide nunquam defectura, quæ in docenda tota Eccleſia conſiſtit. Leo verò de fide nunquam defectura, quæ in retinenda Chriſti fide verſatur. Sic Bellarminus Leonis auctoritate per fallaciam abutitur.

Deinde Leo etiamſi de fide nunquam defectura, quæ in docendo ſita eſt, loqueretur, Bellarminus tamen Leonis teſtimonium ad probationem inſumere non poteſt. Si quidem Pontifex non ſignificat ſe loqui potiùs de tota Eccleſia, quàm de aliqua Eccleſiæ parte, quæ de rebus divinis docenda foret. Et ſic Bellarminus à non diſtributo ad diſtributum procedit.

Tum Leo de Romanis Pontificibus ſeorſum ab Sede Apoſtolica ſermonem non inſtituit: At Bellarminus inſtituit, ut habet illius propoſitio: *Summus Pontifex cùm totam Eccleſiam docet in his quæ ad fidem pertinent,* 34
nullo caſu errare poteſt. Quare Bellarminus Leonis auctoritatem adhibere non poteſt, niſi conſueta in diſputando utatur fallacia; ubi Sedentem cum Sede conjungit, quamvis in ſua propoſitione non conjungat. Quin etiam Leo de Sede magis, quàm de Sedente loquitur: *Quæ*, inquit, *venerabilis & efficax oratio obtinuit, quòd Petri fides* (quam ſcilicet Petrus confeſſus eſt) *non defecerit, nec defectura creditur in throno illius.* Non dicit in Petri ſucceſſoribus, ſed *in throno illius.*

Quartò, Bellarminus quæ ſequuntur, *ſed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, ſicut uſque nunc confirmare non ceſſavit*, non ſine cauſa reticuit, quia Liberius corda fratrum confirmare deſtitit; cùm id fecit, quod eum ſuprà feciſſe notavimus: Quia Sedes Apoſtolica per Vigilium Iſtrienſium Epiſcopos non confirmavit, ut ex Pelagio II. diſcimus: Quia Honorius ſuis ad Sergium Conſtantinopolitanum epiſtolis illum minimè confirmavit. Hæc, inquam, Bellarminus reticuit, ne Leo aliquid paſſus humani videretur.

Quintò, ſi ſenſus Epiſtolæ, quam Leo ad Petrum Antiochenum ſcribit, revocetur ad ſenſum epiſtolæ, quam ad Michaëlem Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcribit, Romanæ Sedis nomine, univerſalis intelligetur Eccleſia.

Epiſtolæ hujus verba ſunt: *Taliter ſancta Eccleſia ſuper Petram, id eſt, Chriſtum, & ſuper Petrum vel Cepham filium hominis, qui priùs Simon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, diſputationibus ſcilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret ſuperanda: Sic pollicetur ipſa veritas, per* 35
quam ſunt vera, quæcunque ſunt vera, portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Cujus promiſſionis effectum ſe impetraſſe à patre, idem filius proteſtatur dicendo ad Petrum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Erit ergo quiſquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apoſtolorum, Romana videlicet, tam per eundem Petrum, quam per ſuos ſucceſſores convicta atque expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec uſque in finem deficiet, ſunt confirmata?

Hic obſervanda ſunt duo: Primùm, quòd apud Lucam ſacta Chriſti promiſſio non defecturæ fidei adſcribatur Eccleſiæ, quæ ſuper Chriſtum & ſuper Petrum ædificata eſt; Hæc autem Eccleſia non poteſt non eſſe univerſalis: Deinde, quòd à Petri Sede, Romana videlicet Eccleſia, quæ pars eſt univerſalis Eccleſiæ, *commenta hæreticorum omnium expugnata ſunt.* Prius ad juris quæſtionem, poſterius ad facti quæſtionem pertinet.

Bellarminus in priori depromptam ex Leone probationem amittit, in poſteriori nihil lucratur, quia poſterius veritati non ſatis conſonat.

Joannes Apoſtolus & Evangeliſta Nicolaitas perculit, non Petrus, aut ullus Petri ſucceſſor. Hyginus lo in libri I. de hæreſibus numero IV. *Hos*, inquit, *damnavit ſanctus Joannes Apoſtolus & Evangeliſta, & juſſit, ut quicunque cum eis vel ſermonem colloqui miſcuiſſent, ex hoc ipſo communione privarentur.*

Theodoretus in libri III. de hæreticis fabulis capite 36
I. *Contra hos ſcripſit prædictus Clemens & Irenæus & Origenes & Hippolytus Epiſcopus & martyr.*

Beatus Paulus Apoſtolus Nazarenos perculit, non Petrus. Hyginus in libri I, de hæreſibus numero IX. *Hos docuit beatus Paulus Apoſtolus, debere ſpiritualiter Scripturas advertere, & hos in Eccleſiis Galatiæ deprehendit, atque non conſentientes doctrinæ ſuæ anathemati eſſe conſtituit.*

Theodoretus in libri II. de hæret. fab. cap. II. *Contra*

tra hæreses (Nazarenorum) *scripsit Justinus Philosophus & martyr, & Irenæus successor Apostolorum, & Origenes.*

Beatus Lucas Ebionæos percúlit, non Petrus, aut nllus Petri successor. Hyginus in libri de hæres. numero x. *Hos Lucas Evangelista apud Antiochenam Ecclesiam inventos condemnavit.*

Beatus Paulus Cerinthios perculit, non Petrus. Hyginus in libri I. de hæres. numero VIII. *Hos in Galatia æterno anathemate beatus Apostolus Paulus condemnavit.*

Theodoretus in libri II. de hæret. fab. cap. III. *Contra hunc* (Cerinthum) *scripserunt non ii modò, quos antè diximus, sed cum illis etiam Caius & Dionysius Alexandrinus Episcopus.*

Beatus Zacchæus Cæsariensis Episcopus Ptolomeitas perculit, non ullus Petri successor. Hyginus in libri I. de hæres. numero XIII. *Qui* (Ptolomæus Valentini Discipulus) *eodem tempore à sancto Zacchæo Episcopo Cæsariensi damnatus est.*

Sanctus Euphranon Rhodius Episcopus Severianos
37 perculit, non nllus Petri successor. Hyginus in libri
I. de hæres. numero XXIV. *Hos damnavit sanctus Euphranon Episcopus Rhodius: Apud Rhodum enim eorum superstitio orta est.*

Theodoretus in libri I. de hæret. fab. capite XXI. *Contra quos scribit Musanus veritatis patronus, & Clemens Stromateus, Apollinarius Hierapolitanus in Phrygia Episcopus, & Origenes.*

Theophilus Apameus Episcopus Angelicos perculit, non nllus Petri successor. Hyginus in libri I. de hæres. numero XXXIX. *Hos Epiphanius jam omnino defecisse testatur victos à Theophilo Apameo Episcopo.*

Theocritus in Cappadocia Episcopus Bardesanitas perculit, non ullus Petri successor. Hyginus in libri I. de hæres. numero XXXV. *Hunc* (Bardesanem) *in Cappadocia damnavit Theocritus Episcopus.*

Tranquillus Calchedonensis Episcopus Noetianos perculit, non ullus Petri successor. Hyginus in libri I. de hæres. numero XXXVI. *Hic* (Noëtus) *damnatus est à Tranquillo Episcopo Chalcedoniorum Syria.*

Achaiæ Synodus Valesios perculit, non ullus Petri successor. Hyginus in libri I. de hæres. numero XXXVII. *Hi à Synodo damnati sunt Achaia.*

Antiochena Synodus Paulum Samosatenum perculit, non ullus Petri successor. Eusebius in libri VII. hist. capite XXII. *Et quoniam iste* (Paulus) *abjectum & humilem nimis de Christo contra doctrinam Ecclesiasticam habebat opinionem, nempe, quòd solùm communi natura erat cum homine præditus, Dionysius Alexandrinus rogatus est, ut veniret ad Synodum, qui quanquam se-*
38 *nectutem simul & imbecillitatem corporis causando præsto*
esse renuit, per Epistolam tamen illos, quam habebat de controversia sententiam, facit certiores. Cæteri autem Ecclesiarum Pastores, alius aliunde, contra istum Paulum tanquam pestem & perniciem gregis Christi, itinere cum celeritate confecto, omnes Antiochia in unum convenerunt.

Deinde in capite XXIII. *Omnes igitur Episcopi & Pastores, qui in Concilio suprà commemorato erant convocati, unam communi consensu Epistolam ad Dionysium Episcopum Romanum & Maximum Alexandriæ Ecclesiam procurantem nominatim conscripserunt, cujus exemplaria ad omnes provincias miserunt: In qua quidem Epistola & suum studium, ac diligentiam in ea re positam omnibus declararunt, & perversam Pauli hæresim, argumenta in ea refutanda, quæstiones, quas ei proponebant, omnem præterea hominis vitam & mores dilucidè exposuerunt. Eorum igitur voces ex ea Epistola petitas, in præsentia memoria & posteritatis causa persequi, præclarum fortasse, & commodum videbitur.*

Dionysio, Maximo, & omnibus ubique in orbe terrarum Collegis, Presbyteris, & Diaconis, & universæ ac Catholicæ sub cœlo Ecclesiæ, Helenus & Hymenæus & Theophilus, Theotecnus, & Maximus, Proclus, Nicomas & Ælianus, Paulus, Bolanus, & Protogenes, Hierax & Eutychius, Theodorus Malchion & Lucius, & reliqui omnes Episcopi & Presbyteri & Diaconi, qui civitates & regiones finitimas apud nos incolunt, & Ecclesiæ Dei, quæ apud nos sunt, dilectis fratribus in Domino salutem. Et circa finem hujus Epistolæ: *Istum igitur*
tam Deo adversarium, támque contumacem eramus co- 39
acti Ecclesia & congregatione fidelium ejicere, excluderéque, & alium Episcopum, qui huic Ecclesiæ Catholicæ præesset, in ejus locum substituere: Unde Domnum divina certè ut putamus, providentia designavimus, Demetriani hominis felicis commemorationis (quippe qui hanc Ecclesiam ante hunc præclarè rexisset) filium omni genere virtutum, quæ Episcopum decent, exornatum. Ac vos de illius electione per Epistolam certiores fecimus, ut illi scribatis, & ab eo literas accipiatis communionis.

Constantinopolitana Synodus prima Oecumenica, cui Damasus Petri successor, nec per se nec per Legatos interfuit, Eunomium & alios hæreticos afflixit. Id discimus ex Epistola, quam Constantinopolitani Patres sic inscripserunt: *Dominis honoratissimis & reverendissimis fratribus & collegis, Damaso, Ambrosio, Britoni, Valeriano, Ascholio, Basilio, & reliquis sanctis Episcopis in magna urbe Roma congregatis, Sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum, qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt, in Domino salutem. Multitudinem calamitatum nobis ab Arianorum potentia inflictarum reverentiam vestram velut eas ignorantem docere & enarrare supervacaneum videtur.* Et post aliquammulta: *Nos sive persecutiones, sive cruciatus, sive Imperatorias minas, sive crudelitatem judicum, sive aliam quamcunque tentationem pertulimus, pro Evangelica fide à trecentis decem & octo Patribus apud Nicæam Bithyniæ confirmata sustinuimus. Hanc utique & vobis, & nobis, & omnibus qui veræ fidei verbum non per-*
vertunt, probari convenit, ut quæ antiquissima sit, & 40
baptismati consentanea, docens nos credere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ita nimirum ut credatur divinitas & potentia & substantia Patris, & Filii & Spiritus Sancti, æqualisque dignitas & imperium coæternum in tribus perfectis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis, ut neque Sabellii pestis locum inveniat, quâ hypostases confundantur tollanturque proprietates: Neque Eunomianorum Arianorúmque, & eorum, qui Spiritum Sanctum oppugnant, vires habeat blasphemia, quæ substantiam, seu naturam, & Divinitatem discindit, atque increatæ & consubstantiali & coæternæ Trinitati posteriorem quandam aut creatam, aut diversæ substantiæ naturam inducit. Et post alia: *Quibus tanquam legitimè, & canonicè, apud nos constitutis, vestram quoque reverentiam gratulari συγχαίρειν obsecramus, intercedente spirituali caritate, & Domini timore humanum omnem affectum coërcente, Ecclesiarúmque ædificationem pluris duci faciente, quàm privatam erga unumquemque voluntatem & gratiam.*

Theodoretus, qui Synodicam Epistolam hanc refert in libri v. hist. capite IX. subjicit: *Hæc illi adversus Arii & Aetii & Eunomii dementiam, itémque contra Sabellium & Photinum & Marcellum, Paulúmque Samosatenum & Macedonium conscripsere.* Quæ omnia sic repræsentat Constantinopolitani Concilii canon I. *Fidem non violandam Patrum* CCCXVIII. *qui apud Nicæam Bithyniæ convenerunt: Sed manere eam firmam & stabilem, & anathematizandam omnem hæresim, & specialiter Eunomianorum, vel Anomœanorum & Arianorum*
vel Eudoxianorum & Macedonianorum, vel Spiritui Sancto 41
resistentium, & Sabellianorum & Marcellianorum, & Photinianorum & Apollinarianorum.

Hæc de multis pauca, quæ cum Leonis verbis concordare nequeunt, & à Bellarmini consiliis prorsus abhorrent.

Verùm postquam planum fecimus, Leonem nihil tradere,

dere, quod ad firmandam Bellarmini propositionem conducat, expendenda restant duo: Prius est, num Leo IX. sibi ipsi conciliari valeat? Suo quisque modo conciliet, ego sic concilio: Beati Lucæ auctoritas, quæ in utraque Leonis Epistola laudatur, quadrabit, si in prima intelligatur, cùm de fide universalis Ecclesiæ, tum de fide, quam beatus Petrus interrogante Christo confessus est; & in secunda capiatur de fide, quám idem beatus Petrus confessus est, & quam universalis profitetur Ecclesia. At neque fides universalis Ecclesiæ, neque fides quam B. Petrus interrogante Christo confessus est, unquam deficiet. Qui vero inspectis & collatis inter se duabus Leonis Epistolis Leonem sibi ipsi meliùs conciliare poterit, ei libenter assentiar.

Posterius est argumentum illud, quod Bellarminus ab experimento comparat, & sic se habet: *Plurimas hæreses Romanus Pontifex sine Concilio generali damnavit: Ut Pelagii, Priscilliani, Joviniani, Vigilii aliorumque multorum, quas eo ipso pro veris hæresibus tota Christi Ecclesia habuit, & exhorruit, quòd à Romano Pontifice damnata essent. Ergo signum est Ecclesiam totam sentire, Pontificem Romanum in ejusmodi rebus errare non posse.*

42 Bellarminus ad pauca respicit, & facilè pronunciat, cùm argumentum istud objicit. Nonne plures Episcopi, ut mox vidimus, diversas hæreses sine generali Concilio proscripserunt? Hisne ob id non errandi privilegium concedet? Ad hanc observationem tota Bellarmini extabescit opinio, & depromptum ab experimento argumentum funditus evertitur.

Pauli Samosateni de Christo sententiam pro vera hæresi tota habuit Ecclesia, quòd illam Antiochena Synodus confixerit. Ergo Bellarminus inquiet, signum est Ecclesiam totam sentire Pontifices, qui Antiochenæ Synodo interfuerunt, in ejusmodi rebus errare non posse. Hoc autem si recipiat, captus est; si non recipiat, nullus. Res sic se habet: Damnatam ab Antiochena Synodo Pauli Samosateni hæresim pro vera hæresi bene damnata, universa habuit Ecclesia, cui non errandi privilegium à Deo concessum est. Sic dicendum est de illis hæresibus quas Romani Pontifices sine generali Concilio damnarunt.

Præterea etiamsi Romani Pontifices sine generali Concilio, Pelagii & Priscilliani hæreses damnaverint, non tamen sine Conciliis Episcoporum damnarunt; quod Bellarminus dissimulat.

De Pelagianæ hæreseos damnatione sic Augustinus scribit in lib. II. Retractationum capite L. *Postquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo cooperantibus Africanorum Episcoporum literis convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos.*

Quid verò Africanis Conciliis Innocentius tribuat, semel atque iterum testatur: Semel cùm Carthaginiensis
43 Concilii Epistolæ respondet: *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur, sed possem plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse.* Et idem sub finem Epistolæ repetit: *Ideòque à nobis testimonia nulla ponuntur, quia & hic plena relatio est, & satis constat doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse, nec decet credere, vos aliquid, quod ad causam possit proficere, prætermisisse.*

Iterum cum Milevitani Concilii Epistolæ respondet: *Multifariam equidem ad destruendum tale magisterium uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatem vestram ad plenam Scripturas callere divinas, præsertim cùm vestra relatio, tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat dogma præsens rescindi.* Si Bellarminus vidisset ista, expendissetque, quæ hic scribit de Romano Pontifice, non scripsisset.

De damnata Priscilliani hæresi vel fucum facit, vel patitur. Priscilliani hæresim Cæsaraugustana Synodus, non Romanus Pontifex prostravit. Sulpitius Severus in sacræ hist. lib. II. *Igitur*, inquit, *post multa inter eos, & digna memoratu certamina apud Cæsaraugustam Synodus congregatur, cui tum etiam Aquitani Episcopi interfuere: Verùm hæretici, committere se judicio non ausi, in absentes tum lata sententia, damnatique Instantius & Salvianus, Helpidius & Priscillianus laici. Additum est etiam, ut siquis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eandem sententiam promendam.* Hinc factum est, quod Severus paullo pòst ita narrat: *Hi* (Priscillianus & alii) *ubi Romam pervenere Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum æquè adversantem sibi Ambrosium* 44
repererunt. Disciplinam hanc non capiet Bellarminus, qui Romanum Pontificem ab observatione sacrorum canonum immunem & liberum prædicat. Non aliter tunc à Damaso proscripta est Priscilliani hæresis, quam tamen à Romano Pontifice sine generali Concilio proscriptam esse scribit.

Fortassis respicit ad Leonem I. quo Pontifice Priscillianistarum hæresis cœpit reviviscere, & lacertos movere. Sed frustra respicit. Nam res hæc ab ipso Leone narrata Bellarmini causæ obesse potest, prodesse non potest. Sic ergo narratur in Epistola XCIII. ad Turribium Asturicensem Episcopum: *Quàm laudabiliter pro Catholica fidei veritate movearis, & quàm sollicitè Dominico gregi devotionem officii Pastoralis impendas, tradita nobis per Diaconum tuum fraternitatis tuæ scripta demonstrant, quibus notitiæ nostræ insinuare curasti, qualis in regionibus vestris de antiquis pestilentiæ reliquiis errorum morbus exarserit. Nam Epistolæ sermo, & commonitorii series, libelli tui textus demonstrant, Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sententiam.* Et post alia: *Quia ergo dilectio tua fideli, quantum potuit, diligentia damnatas olim opiniones decem & septem Capitulis comprehendit, nos quoque strictim omnia retractemus, ne aliquid harum blasphemiarum aut tolerabile videatur, aut dubium.*

Tum in capite XVII. *Habeatur ergo inter vos Episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes, ut secundùm ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos,* 45
qui hujus hæreseos contagio polluantur, à communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium sensuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ratione tolerandum est, ut qui prædicandæ fidei suscepit officium, id contra Evangelium Christi, contra Apostolicam doctrinam, contra universalis Ecclesiæ Symbolum audeat disputare. Quales illic erunt discipuli, ubi tales docebunt magistri? Et quibusdam interpositis: *Dedimus itaque literas ad fratres & coepiscopos nostros, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallicos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid (quod absit) obstiterit, quo minus possit celebrari generale Concilium Galliciæ, saltem in unum conveniant Sacerdotes, quibus congregatis fratres nostri Hydacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua, quo citiùs vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus adferatur.* Qui sic loquitur, in damnandis hæresibus Concilii necessitatem publice denunciat, & in iis damnandis sibi non errandi privilegium inesse neutiquam credit.

Jovinianus Conciliis duobus proscriptus est: Romano uno, quod Siricius habuit ut testatur in sua ad Mediolanensem Ecclesiam Epistola, quæ sexta est in libri I. Epistolarum Ambrosii: *Verùm*, inquit, *à fidelibus Christianis, viris genere optimis, religione præclaris ad meam humilitatem subitò scriptura horrifica videntur esse delata, ut Sacerdotali judicio detecti divinæ legi contraria spirituali sententia deleantur. Nos sanè nuptiarum* 46
vota non aspernantes accipimus, quæ velamini interfuimus, sed virginum nuptias Deo devotas majori honorificentia honoramus.

honorantes. Facto igitur Presbyterio constitit doctrina nostra, id est, Christiana legi esse contraria: Unde Apostoli secuti præceptum, quia aliter quàm quod accepimus, annuntiabant, omnium nostrûm tam Presbyterorum, & Diaconorum, quàm totius etiam Cleri una lata fuit sententia, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Prontinus, Martianus, Januarius, & Ingeniosus, qui incentores novæ hæresis & blasphemiæ inventi sunt, divina sententia, & nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.

Mediolanensi altero, quod Ambrosius in libri I. epistola VII. ad Siricium Papam sic exequitur: *Domino dilectissimo fratri Siricio Papæ, Ambrosius Episcopus, Basianus, & cæteri Episcopi. Recognovimus literis sanctitatis vestræ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus, quem oves Domini audiant & sequantur.* Et post alia: *Sed est impietas Manichæorum, quam & clementissimus execratus est Imperator, & omnes, qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt, sicut testes sunt fratres & compresbytero nostri Crescens, Leopardus, & Alexander, sancto ferventes spiritu, qui eos omnium execratione damnatos Mediolanensi ex urbe quasi profugos repulerunt. Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Prontinum, Genialem, Martianum, Januarium, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundùm judi-*
47 cium tuum esse damnatos. Incolumem te & florentissimum Deus noster tueatur omnipotens, Domine dilectissime frater. Subscriptio. Ego Ambrosius Mediolanensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Evantius Episcopus Cenetensis saluto sanctitatem tuam in Domino, & huic Epistolæ subscripsi. Maximus Episcopus Emonensis. Felix Episcopus Jadrensis, Basianus Episcopus Laudensis, Theodorus Octodurensis Episcopus, Constantius Episcopus Arausicanus, Sabinus Episcopus Placentinus, ex jussu domini Episcopi Geminiani, ipso præsente, Aper Presbyter subscripsi. Eustasius Episcopus & omnes ordines subscripserunt.

Quoniam verò Romani Concilii judicium præcesserat, & justè latum fuerat, Ambrosius ex parte Mediolanensis Concilii dicit Siricio: *Scias apud nos quoque secundùm judicium tuum esse damnatos.* Atque ita Romani Concilii judicium Mediolanensis Concilii decreto confirmatum est. At quia neque Romanum, neque Mediolanense Concilium generale fuit, Bellarminus dicit, Jovianum sine Concilio generali damnatum esse, & ex eo colligit, *Summum Pontificem cùm Ecclesiam totam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse.* Quæ & qualis disputandi ratio? quæ & qualis consecutio? Expositione sua concidit,

——Et tenues vanescit in auras.

Porro autem Siricius Papa, qui in argumentum venit, non vindicabit sibi privilegium illud, quod Bellarminus Romano Pontifici ab inventionibus novis vindicandum esse censuit. Siricii mens facillè colligitur ex Epistola, quam Anysio & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis dedit: *Accepi,* inquit, *literas vestras*
48 *de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrûm est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis: Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Deinde sub finem Epistolæ: *Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri nostro & coepiscopo Bosso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestræ normam exspectamus sententiæ.* Cùm Pontifex sincerè fatetur inferiorem se esse Capuensi Concilio, quod œcumenicum Romæ non habetur,
nunquam sibi attribuet indeficientis judicii privilegium, 49
quo supra quodcunque Concilium eveheretur, & ei quam vellet auctoritatem vel detraheret vel impertiret. Consentiunt, qui anno MDCLXII. Romæ edi probarique curarunt Collectionem Romanam bipartitam, in qua Siricii Epistola reperitur, & ut antiquæ traditionis monumentum servatur, ad perpetuam adulatricis Curiæ ignominiam.

Ad Vigilium quod attinet, non memini legere me hæresiarcham extitisse ullum, qui Vigilius appellaretur. Bellarminus fortè Vigilantium dicere voluit. Hieronymi stylo confossus est Vigilantius, & brevi extincta est illius hæresis: Sed Bellarminus solus novit Romanum illum Pontificem, qui decretum adversus Vigilantii hæresim edidit, antiqui scriptores non noverunt, & inter recentiores ne quidem Baronius, qui decreta hujusmodi celare neminem consuevit.

Innocentii III. Testimonium

REfertur *ex Epistola ad Episcopum Arelatensem, & habetur cap. majores, extra. de Baptismo & ejus effectu. Majores, inquit, Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.* Nunc profectò mirari subit, cur Bellarminus hanc Innocentii Epistolam in medium producat, ut suam confirmet sententiam. Hic enim Pontifex de rebus baptismi unicum docet Arelatensem Episcopum, tantùm abest, ut universam doceat Ecclesiam. Quo solum in casu indeficientis judicii privilegium
Romano Pontifici attribuit. Cùm Bellarminus ita scri- 50
bit, lectores suos futuros esse bardos & stolidos putet necesse est, qui tam insincerum disputandi modum minimè perspiciant.

Deinde, Innocentius majores Ecclesiæ causas de quibus agit, ad Sedem Apostolicam referendas esse dicit, non ad Summum Pontificem, ut in Bellarmini sententiam dicendum fuit: Aliud est Sedes Apostolica, aliud Summus Pontifex, ut non semel observavimus.

Tum, Innocentius non dicit id, quod ad Sedem Apostolicam judicandum refertur, ibi certò & sine ullo erroris periculo judicatum iri. Id exemplo constat, quod Cæsarius Cisterciensis Ordinis Monachus Innocentio III. æqualis narrat in lib. III. historiarum memorabilium capite XXXII. *In domo quadam Cisterciensis Ordinis Monachus quidam sine ordine celebravit. Hoc cùm die quadam Abbati suo retulisset in confessione, nec tamen cessare vellet à tanta præsumptione, Abbas dolens ac lacrymans, ut à blasphemia tam magna desisteret, misorum rogavit, monuit, & præcepit. Sed non profecit. Ille verò timens notari, si cessaret, celebravit, ut priùs. In sequenti Capitulo generali Abbas idem proposuit casum eundem, interrogans quid faciendum foret confessori, si fortè tale quid in aliqua domo emergeret. Cùmque Dominus Cisterciensis & cæteri Abbates super hoc nihil auderent definire, casum scripserunt Innocentio Papæ, qui convocans Cardinales viròsque literatos casum eis*

propoſuit, & quid de hoc ſentirent à ſingulis requiſivit. Omnibus pene in hoc ſententibus, quid confeſſio non eſſet prodenda, reſpondit, Ego dico in tali articulo eſſe pro-
51 *dendam, quia talis confeſſio non eſt confeſſio, ſed blaſphemia: Nec debet confeſſor blaſphemiam tantam ac inſaniam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Eccleſiæ. Et placuit ſententia omnibus, ſcripſitque ſequenti anno Capitulo, quod fuerat à ſe determinatum & à Cardinalibus approbatum.* Hæc autem determinatio non placet Andreæ Duvallio, qui libro de Rom. Pont. auctoritate part. II. quæſt. V. illam ſic reprobat: *Innocentii reſponſio ſimpliciter & abſolutè data non ſolùm communi Theologorum doctrinæ adverſatur, ut videre eſt apud Navarrum in Cap. Sacerdos. de pœnit. diſt.* VI. *ſed etiam Lateranenſi Concilio cap.* XXI. *ſub eodem Innocentio celebrato repugnare videtur.* Sed rectiùs & ſeriei temporum convenientiùs diceretur, Lateranenſe Concilium Innocentii & Cardinalium, id eſt, Sedis Apoſtolicæ determinationem reſcidiſſe. Concilii verba ſunt: *Caveat autem Sacerdos ne verbo vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. Sed ſi prudenti conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verumetiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.* Et quamvis Innocentius Concilio huic præfuerit, Concilium tamen Innocentio & ſede Apoſtolica majus, Innocentii conſentientis opinor, & Sedis Apoſtolicæ determinationem reſcidit, & contrarium definivit. Hoc autem cùm ita ſit, tam Innocentius, quàm Concilium beati Lucæ auctoritatem longè aliter ac Bellarminus intelligit,
52 intellexerunt. Quin verò meliùs intellexerint, nemo ſanæ mentis ierit inficias.

Sed ne ſint iſta, quæ mox expoſuimus. Hic Pontifex nec ſibi nec deceſſoribus indeficientis judicii privilegium vindicat. Non ſibi, cùm in ſermone III. de conſecratione Pontificis ſic loquitur: *In tantum mihi fides neceſſaria eſt, ut cùm de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fide committitur, poſſem ab Eccleſia judicari.* Iterum in Epiſtola centeſima quarta, quæ eſt ad Philippum Regem Francorum in libro III. Regeſti XV. *Diligenter auditis & perſpicaciter intellectis, quæ nobis ex parte Regia dilecti filii . . . . . . Abbas de Trappa & I. Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus noſtris ſtudioſo tractatu non occurrit nobis aliqua via, per quam in his, quæ ipſi pro te poſtulaverunt à nobis, tuæ ſecundùm * poſſemus occurrere voluntati, ſub obteſtatione divini judicii proteſtantes, quòd libentiſſimè, ſi poſſemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, à quo deſideras vehementer abſolvi: Sed in carnali commercio inter te ac reginam conjugem tuam adeò eſt proceſſum, quòd ſi etiam illi tantùm confeſſioni vellemus inſiſtere, quam nuper eadem regina feciſſe proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto filio magiſtro Roberto Corzon nunc titulo ſancti Stephani in Celio monte Presbytero Cardinali, non auderemus ſuper hujuſcemodi caſu de noſtro ſenſu pro te aliquid definire, propter illam ſententiam Evangelicam, quam ipſe Chriſtus expreſſit, ut quod Deus conjunxit, homo non ſeparet, cùm abſque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in*
53 *hoc articulo ſuffragentur. Verùm ſi ſuper hoc abſque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offenſam & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis & officii noſtri periculum immineret, cùm contra præmiſſam veritatis ſententiam noſtra non poſſit auctoritas diſpenſare.*

Deinde indeficientis judicii privilegium deceſſoribus non tribuit, cùm Clementis deceſſoris conſtitutionem revocat, quæ bonis Eccleſiæ moribus adverſabatur. Qua de re ſic Robertus Corzon Cardinalis in Summa, quæſt. de imped. matrim. *Non enim uxor gentilis aut Judæi debet eſſe melioris conditionis, ut poſſit liberè tranſire ad ſecunda vota, quàm uxor hæretici converſa ad fidem, quod conceſſit Clemens in illa decretali Laudabilem, nec dicit, hæc ad paria eſſe judicanda: ſed Innocentius, qui modò præſidet, hanc revocavit.* In Cod. MS. ſancti Victoris. Non revocaſſet ſi beatum Lucam intellexiſſet, ut Bellarminus intelligit, & ſi credidiſſet Clementem non errandi privilegio donatum fuiſſe, cùm in Pontificem evaſit.

Atque hi ſunt Romani Pontifices ſeptem, Lucius I. Felix I. Leo I. Agatho, Nicolaus I. Leo XI. & Innocentius III. quos Bellarminus adducit, ut probet, *Summum Pontificem cùm totam Eccleſiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poſſe.* In producendo Lucio & Felice pugnat ſecum, & ita ſibi fidem detrahit. Et quia Lucio & Felici ſubjectæ ſunt Epiſtolæ, quas in probationem inſumit, cauſam debet amittere. Leonem à ſcopo deflectit. Reliqui quæſtionem illam non tractant, quam Bellarminus tractandam ſuſcepit, & ſi tractarent, aliter quàm Bellarminus tractat,
ſine dubio tractarent. Quis enim unquam in animum 54
induceret ſuum, Agathonem, Nicolaum, Leonem, Innocentium, ſi quæſtionem hujuſmodi tractarent, à deceſſorum ſuorum, à Sedis Apoſtolicæ, cui præſidebant, & à Romanæ Eccleſiæ, quam regebant, traditione & ſeipſis aliquando diſceſſuros eſſe?

Theophylacti Teſtimonium

Refertur ex Commentario in caput XXII. Lucæ: Sed referentem audiamus Bellarminum: *Theophylactus in cap. 22. Lucæ apertè docet, dari Petro hoc privilegium, quia ipſe futurus erat princeps & caput aliorum, ac proinde dari omnibus aliis, qui illi in principatu ſuccederent: Quia te habeo, inquit, Principem Diſcipulorum, confirma cæteros. Hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ petra es & fundamentum.*

Hic vehementer mihi ſumo tria: Primùm, quòd Bellarminus Theophylacti locum minimè perlegit: Deinde, quòd Bellarminus neſcit omnino quis & qualis Theophylactus fuerit: Denique, quòd ſuam ſententiam Theophylacto turpiter imponit.

De primo, Theophylacti locus integer ſic ſe habet: *Satanas vos,* inquit, *petivit cribrare, hoc eſt, turbare, nocere, tentare. Sed ego rogavi, ne exiſtimetis,* inquit, *quod veſtrum ſit totum hoc bonum opus. Diabolus enim valde urget ſi poſſit vos ab amore Dei depellere, & oſtendere proditores. Ad Petrum autem verba dirigit, qui reliquis audacior erat. Et probabile eſt ſuperbiiſſe in iis, quæ à Chriſto promiſſa erant. Idcirco & reprimit eum dicens: Satana quidem fuit multum ſtudium contra vos: Ego autem oravi pro te: Hoc humano more dicebat.*
Nam ut Deus, non opus habebat orare aliquem. Rogavi 55
igitur, inquit, ut non deficiat fides tua, quamvis enim brevi tempore concutiendus ſis, habes tamen recondita ſemina fidei, ut etiamſi folia abjecerit ſpiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua. Tu verò converſus confirma fratres tuos. Planus hujus intellectus eſt, quia te habeo ut Principem Diſcipulorum, poſtquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me petra es & firmamentum Eccleſiæ. Intellexerit autem non ſolùm de Apoſtolis dictum, quòd confirmati fuerint à Deo, ſed de omnibus etiam, qui uſque ad conſummationem ſeculi futuri ſunt fideles. Tu Petre converſus ad bonum, exemplum pœnitentiæ eris omnibus, ut nullus credentium in te reſpiciens deſperet.

Bellarminus, ſi Theophylacti locum evolviſſet integrum, hunc non tam, opinor, miſerè truncaſſet, ut truncavit is, à quo relatos ſuprà Theophylacti verſus duos accepit. Neque id alio factum eſt conſilio, niſi ut quid ſibi vellet auctor, occultaretur. Antecedentia & conſequentia auctoris ſenſum objiciunt, qui

Bellar-

Bellarmino minimè favet. Præterea interjectam antecedentibus & consequentibus periodum ipsam relatam mutilavit. Theophylactus sic loquitur: *Quia te habeo ut Principem Discipulorum, postquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me petra es & firmamentum Ecclesiæ.* Bellarminus verò periodum ita refert: *Quia te habeo Principem Discipulorum, confirma cæteros. Hoc*
56 *enim decet te qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum.*
Et primò quidem particulam, *ut*, subtrahit: Deinde verba hæc: *Postquam negato me fleveris & ad pœnitentiam veneris.* Quæ si restituantur omnia, & antecedentibus consequentibúsque jungantur, auctor ille de Dominicæ Passionis tempore locutus facilè intelligetur.

Ad secundum venio, & præ me fero, Bellarminum ignorare prorsus, qui & qualis Theophylactus fuerit. Æqualis & superstes fuit Michaelis Cerularii Constantinopolitani Patriarchæ, qui Latinos Orientalium communione privavit, quòd particulam, *filióque*, addidissent Symbolo, & quòd in sacrificio azymis panibus uterentur. Theophylactus Acridæ in Bulgaria Archiepiscopus à Patriarchæ stetit partibus, & calamum contra Latinos strinxit. Quod uti constet, locus unus è Commentario in cap. III. Joannis sufficiet: *Non intempestivum*, inquit, *fuerit hoc loco dicere, quomodo habeat filius spiritum, & quomodo dicatur spiritus filii. Dicit enim Apostolus: Spiritum filii sui in corda vestra misit clamantem, abba Pater: Et iterum, si autem quis spiritum Christi non habuerit, hic non est ejus. Sanè Latinè malè hæc exponentes, & minùs rectè intelligentes dicunt, quòd filius etiam ex filio procedat. Nos autem hoc quidem primùm dicimus ad eos, quòd aliud sit esse ex quopiam, & aliud esse cujusdam. Ut spiritus est quidem spiritus filii absque dubio & ab omni Scriptura approbatum: Cæterùm esse ex filio nulla Scriptura testatur, ut ne duo principia spiritus introducamus, Patrem & Filium. Profectò inquiunt: Num & in-*
57 *spiravit Discipulis, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum.*
O desipientiam! Infrà: *Crede igitur tu Spiritum à Patre quidem proficisci: Per Filium autem dari creatura. Atque hic tibi sit canon orthodoxæ doctrinæ.* Baronius ad annum MLXXI. ex pluribus Theophylacti literis, quæ in Vaticano asservantur, evincit, auctorem illum tunc temporis floruisse. Quæ omnia perspicuè demonstrant, Bellarminum nescîisse penitus, qui & qualis Theophylactus fuerit.

Tertium se sponte objicit, in quo Bellarminum suam Theophylacto sententiam turpiter imponere contendo. Sic enim ille scribit: *Theophylactus in cap. 22. Lucæ apertè docet dari Petro hoc privilegium, quia ipse futurus erat princeps & caput aliorum, ac proinde dari omnibus aliis, qui illi in principatu succederent.* Privilegium autem de quo Bellarminus loquitur eò spectat, *ut Petri successor cùm totam Ecclesiam docet in iis quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare possit.* At Theophylactus & æquales alii Scriptores Græci pugnant, Latinam ipsam Ecclesiam errare, quòd Spiritum Sanctum ut à Patre sic & à Filio procedere crederet, & quòd in sacrificio azymis panibus uteretur.

Petri Chrysologi Testimonium

Refertur ex *Epistola ad Eutychetem, quæ habetur in tomo I. Conciliorum ante Concilium Calchedonense: Hortamur te,* inquit, *frater honorabilis, ut his, quæ à beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Quamvis enim hic non citet locum Evangelii, Rogavi*
58 *pro te, &c. Tamen eò sine dubio respexit, dum tam*
fidenter affirmat, ex Romana Sede præstari omnibus quærentibus fidei veritatem. Et rectè quidem ex Romana Sede, non ex Romano Pontifice, quia probè noverat, aliud esse Romanam Sedem, aliud Romanum Pontificem. Quæ duo Bellarminus in unum confundit, ut ibi probationem inveniat, ubi nulla inveniri potest.

Deinde beatus Petrus quærentibus fidei veritatem præstat, non extra Concilium, sed in Concilio, ut ex Actorum capite XV. constat: *Convenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna disquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis.* Et cætera, quæ ad clavem scientiæ pertinent: Quæ verò ad potestatis clavem, hæc sunt: *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus, &c.* Iterum: *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam.* Iterum: *Placuit nobis collectis in unum eligere viros & mittere ad vos.* Tum demum: *Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris.* Secundo beatus Petrus quærentibus fidei veritatem præstat, & præstandi reliquit exemplum ut quemadmodum ipse fecerat, sic & alii & maximè successores facerent. Cujus rei rationem reddit Synodus V. cùm in collatione VIII. Actorum caput istud interpretatur, & in auctoritatem summam admittit, ut Vigilium ad se pertrahat, & decretorum suorum participem efficiat.

Beatus Leo, quem nemo de neglectis Romanæ Sedis
opportunitatibus accusavit unquam, quærentibus fidei 59
veritatem præstitit, & præstari voluit, non extra Concilium, sed in Concilio, ut in Epistola XV. ad Ephesinam Synodum II. testatur: *Verùm etiam quia talium non est negligenda curatio, & piè ac religiosè Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut* PLANIORE JUDICIO *omnis possit error aboleri, fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium nostrum Hilarium Diaconem, cúmque his Dulcitium Notarium probatæ nobis fidei misi, qui vice mea sancto conventui vestræ fraternitatis intersint,* COMMUNI VOBISCUM SENTENTIA, *quæ Domino sint placitura, constituant.* Profectò inter Romanos Pontifices, qui ad damnandas hæreses necessariam esse Synodum affirmant, Leo magnus excellit, ut ostendimus in Epistola, quam ea super re ad Jacobum Malatestam Parisiensem Theologum dedimus. Hæc est in parte tertia Epistolarum nostrarum.

Chrysologus & Leo non ignorabant Liberium ad Orientales Episcopos scripsisse, quod scripserat adversus Athanasium, Hieronymum prodidisse literis, Liberium hæresi subscripsisse, Hilarium Liberii æqualem Liberio ut hæretico denunciasse anathema, & ad Constantium scripsisse hæc: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum, & ô te miserum, qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quàm remiseris!* Catholicum relegaverat Episcopum, & hæreticum remiserat.

Tum Bellarminus divinat, cùm Petrum ad locum Evangelii, *Rogavi pro te, &c.* respectum habuisse ait.
Cur enim ad hunc locum Evangelii potiùs, quàm ad 60
alium locum Evangelii, *Pasce oves, & Tu es Petrus,* quo Bellarminus ipse in eundem finem utitur, respectum habuerit? Quidquid in causa, Chrysologi locus Bellarmino inutilis est.

Sancti Bernardi Testimonium

Refertur *Ex Epistola* 190. *ad Innocentium II. Oportet,* inquit, *ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque & scandala regni Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt, Dignum namque arbitror ibi potissimum resarcire damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando, Ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua?*

I. Bernardus instituto Bellarmini servire nequit, quia non significat agere se de Romano Pontifice, qui totam Ecclesiam doceat in iis, quæ ad fidem perti-

pertinênt. Quæ propositio apud Bernardum reperitur nusquam. Atque ita Bellarmino inutilis est Bernardus. Propositio est nova, quam Joannes Hesselius architectatus est, & quam ab illo Bellarminus accepit.

II. Bernardus de Sede beati Petri loquitur, non de Romano Pontifice illius successore, qui seorsim à Sede sua res & causas fidei decernat. Quapropter Sancti hujus auctoritas Bellarmino inservire non potest: Quippe qui in prima propositione sua de Romano Pontifice seorum à Sede Petri & Romana Ecclesia sermonem instituat.

III. Bernardus scribit ad Innocentium, ut confirmet Concilia duo, Suessionense & Senonense, quæ Petri Abaelardi errores jam condemnaverant. Sed non scri-
61 bit, ut errores illos condemnet, quomodo Bellarminus ex beati Lucæ testimonio condemnandos esse à Romano Pontifice proponit. Quinetiam Pontifex condemnatos à duobus Conciliis errores nonnisi coacto Concilio iterum condemnat, ut in Epistola CXCIV. inter Bernardi Epistolas scribit: *Nos itaque qui in beati Petri Cathedra (cui à Domino est dictum, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos) licèt indignè residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio destinata nobis à vestra discretione Capitula & universa ipsius Petri* (Abaelardi) *perversa dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus.*

Hinc Bernardus in Epistola CLXVIII. *ad Episcopos Curiæ* scribit. In Epistola CLXXXVIII. *ad Dominos & Patres reverendos Episcopos & Cardinales, qui sunt de Curia.* In Epistola CCXIX. *ad quatuor Episcopos Curiæ Albericum Ostiensem, Stephanum Prænestinum, Ignatum Tusculanum, & Gerardum Cancellarium.* In Epistola CCXXXV. *ad totam Curiam, ad dominos Patres reverendos Episcopos & Cardinales Curiæ;* Ubi & hæc leguntur: *Non ignoratis prolatam esse sententiam à Domino Papa bonæ memoriæ Innocentio cum vestro & Romanæ Curiæ generali assensu.* In Epistola CCXXXVI. *ad Cardinales & Episcopos Romanæ Curiæ, ad Dominos nempe, & Patres reverendos Cardinales & Episcopos omnes, qui sunt de Curia.* Sic Bernardi ætate Sedes Apostolica, quam Romanam appellat Curiam, Episcoporum & Cardinalium Synodum comprehendit.

IV. Et sane vetus Romanæ Ecclesiæ ferebat traditio, ut Pontifex hæreses & hæreticos convocata Synodo damnaret.

62 Hinc uno post Bernardum sæculo beatus Thomas Scripturæ locum ad Romanam & Italicam Ecclesiam flectit in expositione Symboli: *Inde est, quòd Ecclesia Petri, in cujus partem venit tota Italia, dum Discipuli mitterentur ad prædicandum, semper fuit firma in fide, & cùm in aliis partibus vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus, Ecclesia tamen Petri viget, & ab erroribus munda est: Nec mirum, quia Dominus dixit Petro, Lucæ* XXII. *Ego pro te rogavi, &c.* Hoc perinde observo, quasi Bernardus & Thomas nolint partem pro toto, Romanam seu Apostolicam Sedem pro universali Ecclesia accipere. Nam si acciperent, ut à tempore Gregorii VII. acceperunt nonnulli, Bellarminus lucraretur nihil, & insuper ostenderet, ignorare se quod Tertullianus ait in Apologetici capite XIX. *Instar religionis esse fidem de temporibus afferere.*

Testatur traditionem illam Sozomenus in lib. VI. hist. cap. XXV. *Hanc quidem Apollinaris hæresim apud multos serpere, Damasus Episcopus Romanus & Petrus Episcopus Alexandrinus certiores facti, primi omnium Concilio Romæ convocato eandem alienam esse ab Ecclesia Catholica pronuntiarunt.*

Testatur Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Joan. Antiochenum: *Misit præterea hæc & quosdam quoque suarum exegiscon quaterniones* (Nestorius.) *Quos cùm pussimi Episcopi, qui in magna Romanorum urbe reperti sunt, legissent, multisque consessibus & consultationibus habitis examinassent, illorum auctorem non abs-*
que indignatione exsibilarunt. Et quibusdam interpositis: *Porro autem expositionibus illius Epistolisque lectis, & iis præcipuè, in quibus, quod apertam ipsius sub- 63*
scriptionem præ se ferrent, nullus tergiversandi locus reliquus erat, sancta Romana Synodus disertam statim in illam sententiam tulit. Qua de re ad tuam quoque pietatem perscripsit. Horum proinde decreto modis omnibus parendum est illis, qui à totius Occidentis communione excidere noluerint.

Testatur Felix III. in Epistola III. ad Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum: *Hæc tibi scripsi unà cum præsente Synodo conveniens te coram Deo & sanctis Angelis, ut ea doceas & nobiscum sentias, ut illibata fides nostra permaneat in gloriam Dei.* Exinde Pontificalis liber ait: *Tunc venerabilis Felix Archiepiscopus Sedis Apostolicæ urbis Romæ mittens defensorem cum Concilio Sedis suæ, facto Concilio damnavit Acacium cum Petro.*

Ad disciplinam hanc, quæ Sedis Apostolicæ propria est, Bernardus & Innocentius spectant, & ita spectant, ut Bellarmino incommodent, tantùm abest, ut prodesse possint. Hanc Romanæ Ecclesiæ traditionem fusè persequor in Epistola ad Jacobum Malatestam Parisiensem Theologum.

V. Bernardus à Bellarmini placitis alienum se prodit duobus in locis: Et primum quidem in Epistola CLXXX. ad Innocentium II. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res est plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam Summam Sedem.*

Deinde in libri III. de Consid. ad Eugenium capite IV. *Tunc denique tibi licitum censeas, suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare 64*
terminos, quos posuerunt patres tui? Si justitia est jus cuique servare suum, auferre cuiquam jus justo quomodo poterit convenire? Erras, si ut summam ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas? Si hoc sentis, ab eo dissentis, qui ait: Non est potestas nisi à Deo.

Quæ Bernardus utrobique tam confidenter sibi sumit, non sumeret si Pontificem nec in fide nec in moribus errare posse arbitraretur, & sanè non memini me legere Bellarminum aut Bellarmini sectatores de Romano Pontifice hæc aut similia protulisse unquam: Quid ita; Nisi quòd contrariis præjudiciis ducantur?

VI. Cùm Bernardus dicit: *Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando*, &c. Comparatè loquitur, non absolute. Romanam Sedem componit cum Sedibus aliis, Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, quæ nonnunquam à fide defecerunt. Romana verò Sedes nunquam à fide defecit, etiamsi Pontifices Liberius & Honorius defecerint. Quocirca cùm Bernardus conditiones, nomina, & titulos Romani Pontificis enumerat, in libri II. de Consid. ad Eugenium III. capite VIII. nullam facit mentionem privilegii, quo errare in fide & moribus non possit: *Age,* inquit, *indagemus adhuc diligentiùs, qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Qui es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatione Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus.* Et cætera, in quibus Scripturæ loca citantur multa, sed beati Lucæ locus 65
è cap. XXII. *Ego rogavi pro te, &c.* neutiquam citatur. Hoc autem cùm ita sit, facili conjectura possumus assequi, Bernardum in ea non fuisse sententia, ut Romanum Pontificem haud errandi privilegio gaudere crederet.

In his autem tribus Patribus, quos Bellarminus Pontificibus septem adjungit, suam quoque prodit indiligentiam: Nullus lemmati, quod ille probandum assumpsit,

inservire

inservire potest, quia nullus probando lemmati respondet, quæ magna est in proponendo lemmate ἀκρισία. Nec mirum: Antiquis Patribus, Conciliis, Theologis ignotum est lemma hoc: *Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Id primus omnium fabricavit Joannes Hesselius, quem Bellarminus, cùm doceret Lovanii, videre potuit. Utut sit, eo consilio fabricatum est lemma, ut ab omni oppugnatione liberaretur. Nam statim atque Pontifex aliquis, puta, Liberius, Honorius, Joannes XXII. vel alius objicitur, qui vehementer erraverit, respondent non erravisse, cùm Ecclesiam doceret universam: Sed cùm Occidentalem duntaxat, vel Orientalem, vel nonnullos Episcopos docerent. Porro non errandi privilegium Romano Pontifici nec aliter, nec alio modo commissum esse, nisi cùm totam Ecclesiam doceret. Sed cùm illud ponunt acuti homines, non advertunt, illud se gratis & sine ratione ponere. Quandoquidem quod ita ponunt, omni probatione exuatur. Ut apud Tacitum quidam magis est extra vitia, quàm cum virtutibus; sic & Hesselii & Bellarmini lemma est magis extra oppug-
66 nationes, quàm cum præsidiis. Titulus est sine re, quia nec Lucas, nec laudatorum à Bellarmino Patrum ullus est, qui de docenda tota Ecclesia loquatur. Purus putus fucus est, idôlum cavernæ: Hinc tam facilè negatur, quàm facile asseritur, *Summum Pontificem, cùm totam Ecclesiam docet, in iis quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse.* Et negatio hæc validissimè confirmatur iis auctoritatibus, quas Bellarminus in probationem sui lemmatis adducit, & quas suprà expendimus. Verbo dicam uno, lemma illud ab architectis suis non statuitur, ut ulla asseratur veritas, sed ut eo tanquàm laqueo simplices irretiti teneantur. Mera est decipula, quæ incautos, bucones, & stolidos homines quorum infinitus est numerus, involvat. An inficias iturus est aliquis, cùm viderit allegari à Bellarmino Theophylactum, ut probetur, Romanum Pontificem indeficientis judicii privilegio frui, cùm de rebus fidei & morum decernit: Hoc audax Bellarmini facinus urgeo, in hoc habito.

Superest modò, ut certa quædam alia Bellarmini vitia exponam & configam.

I. In probando lemmate suo à Florentina Synodo planè defecit, quod est crimen insigne. Avertat à nobis malum hoc Deus. Non stat ille conventis, quæ Græcos inter & Latinos in Florentina Synodo edita sunt. Adscribo verba è sessione XXV. antiquæ editionis: *De primatu Papæ fatemur,* inquiunt Græci, *ipsum Summum Pontificem, procuratorem, locum gerentem ac Vicarium Christi, Pastorem & Doctorem omnium Christianorum, regentem & gubernantem Dei Ecclesiam, salvis privilegiis & juribus Patriarcharum Orientis, &*
67 *Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam, deinde Alexandrinum, post hunc esse Antiochenum, postremo Hierosolymitanum. Hæc cùm scripsissemus, statuimus, nihil amplius scribere aut facere: Sed si hoc à Papa, non reciperetur, nihil esse ultrà faciendum.* Et post alia: *Agebat* (Eugenius) *de privilegiis Papæ, ut habeat illa juxta determinationem sacræ Scripturæ, & dicta Sanctorum. Hoc etiam non placuit Imperatori. An siquis, inquit, Sanctorum in Epistola honorat Papam, excipiet hoc pro privilegio? Propterea significavit Papa, ut aut hoc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret.* Et post alia: *Rogamus itaque* (inquit Cardinalis Julianus) *vos, ne diutius in luctatione versetur Ecclesiarum unio, tempúsque frustrà conteratur. Sed admissa allegatione de dictis Sanctorum fiat unio. Hæc & similia cùm dixisset, tacuit. Respondit Imperator* (nomine Græcorum) *spatium sibi dari velle ad consultandum: Statimque egressis Cardinalibus nos consilium inimus, scripsimúsque habenda esse à Papa sua privilegia juxta canones, dicta Sanctorum, sacrámque Scripturam & acta Synodorum. Hæc illis* (Latinis) *ex tempore exarata tradidimus, responderúntque nobis, nihil dicere possumus. Sed accepta hac Scriptura referemus ad dominum nostrum, atque ita crastino die respondebimus.* Quid autem Latini responderint, insertum actis non habetur, sed respondisse, ut juxta canones & acta œcumenicorum Conciliorum Romani Pontificis sanciretur auctoritas, ex ipso decreto quod communi omnium consensu editum est, sic colligitur: *Item definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse be-* 68
ati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur. Ut est apud Blondum Eugenii IV. Notarium in Decadis III. libro X. Sic Græcus quoque textus habet: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται. *Juxta modum qui & in actis Conciliorum œcumenicorum & in sacris canonibus continetur.* Repetita particula, &, &, καὶ, καὶ, regendæ Ecclesiæ rationem definit ac circumscribit, & aliam quamlibet propositam excludit, ut luculenter apparet ex mutuis Græcorum & Latinorum concertationibus, quæ decreti sanctionem antecedunt.

Bellarminus, inquam, his non stat conventis, ab illis recedit, cùm Lucii I. Felicis I. Leonis I. Nicolai I. Leonis IX. Innocentii III. Theophylacti, Petri Chrysologi, & Bernardi testimonia producit, & iis ad probandum lemma suum utitur. Hæc testimonia producenda non erant. Agathonis solius testimonium produci debuit & potuit, quòd in actis Synodi VI. contineatur. Quid autem Bellarmino prosit, jam suo loco vidimus. At quantum vitium sit in Curiali magistro Florentinæ Synodi pacta & conventa violare ac spernere, tacendo melius quàm dicendo exprimitur.

II. Si Florentinæ Synodi pacta & conventa violanda sunt ac spernenda, id profectò utilitatis cujusdam mag- 69
næ gratia tentandum est.

Aude aliquid brevibus gyaris & carcere dignum;
Si vis esse aliquid: probitas laudatur & alget.

Sed Bellarminus relatione testimoniorum, quæ referenda jure non fuerunt, nihil reipsa profecit: Confirmando lemmati nec inserviunt, nec inservire possunt, ut demonstravimus. Quinetiam citata Theophylacti auctoritas Bellarminum eruditorum hominum ludibrio exponit. Hæc prætermissa nonne effugisset pudorem, quem modò effugere non potest?

III. Bellarminus opinionem suam, ut certam anno MDLXXVII. tradit, cujus contrariam, Hadrianus VI. Papa ut certam ante annos quinquaginta quinque tradiderat. Hos annos numero à tempore, quo Hadriani Commentaria Romanis typis commissa sunt, & illustrium virorum elogiis cumulata: Sic autem Hadrianus scribit in quartum sent. de ministro Confirmationis: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico I. quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, putà Pontifex, certum est quod possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo.*

Bellarminus verò in libri IV. de Rom. Pont. cap. II. ait: *Certissima est sententia quæ statuit, Pontificem non posse ullo modo definire aliquid hæreticum.*

Quid igitur ab anno MDXXII. usque ad annum MDLXXVII. gestum est apud Ecclesiam Dei, quod tantam in quæstione tali mutationem importet? Ut quod anno MDXXII. certum judicabatur, anno MDLXXVII. certum judicari desierit, & oppositum à Bellarmino certum judicatum fuerit? Profectò apud 70
Ecclesiam

Ecclesiam Dei nihil est gestum, quod adeò subitæ & repeotinæ mutationis causa fuerit. Io Gallia Theologi Hadriano vita functo docere, quod docebatur antea, non destiteruot.

I. In Facultate Theologiæ Parisiensis anno MDXXV. III. Idus Maias, Petrus Ortisius celebravit actum cui Judocus Clicthoveus præfuit, & ubi conclusione v. sic habetur: *Concilium generale praferendum est Papa in materia fidei. Patet, quia universale Concilium in materia fidei, similiter & morum (nam idem est de utroque judicium) est indeviabile: Papa est deviabilis sententialiter judicando.* In antiqua perseverabat Romanæ Ecclesiæ traditiooe, quam tribus jam in Epistolis exposui. Una est ad Raimuodum Formentionm, & habetur in parte prima Epistolarum nostrarum. Altera est ad Joanoem Gerbasium, & habetur in parte tertia Epistolarum. Tertia est ad Christopborum Fauvæum, & habetur in eâdem parte tertia.

II. Senooense Concilium, quod anno MDXXVIII. celebratum est, indeficientis judicii privilegium nonnisi Ecclesiæ & repræsentanti Ecclesiam Coocilio tribuit, ac proinde Romano Pootifici denegandum esse censet. Iu decreto III. ioter decreta fidei: *Proinde cùm certa sit & infallibilis Ecclesia regula, ne aliquando invisibilitatis pratextu tandem eludi queat, ea profectò sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non potest, qua proximè universalem repraesentant Ecclesiam. His enim Conciliis, si ea decernendi, qua ad sinceritatem fidei & extirpationem haresum, Ecclesia reformationem,*
71 *& morum integritatem pertinent, potestas adimatur,*
NIHIL CERTUM, NIHIL STABILE FUTURUM, NIHIL DENIQUE, QUO HÆRETICUS AB ORTHODOXO POSSIT INTERNOSCI. Quibus postremis verbis Concilium non obscurè significat, non credere se, apud Romanum Pontificem non errandi privilegium residere. Nam si resideret, certum & stabile futurum esset aliquid, quo hæreticus ab orthodoxo posset ioteroosci.

III. Eodem tempore Judocus Clicthoveus Parisieosis Theologus Compendium veritatum ad fidem pertioentium edidit: In quo ad relatum mox Senooensis Concilii decretum animadvertit: *Regula totius Ecclesia directiva non est judicium ipsius Summi Pontificis, cum ipse nequaquam sit in gratia confirmatus, & falli possit, & in errorem labi.*

IV. Joannes Arborens Parisiensis Theologus in lib. IV. Theosophiæ cap. XXXII. *Decretales*, inquit, *epistola non exaquantur canonibus Conciliorum & definitionibus. Hanc facilè suadebo assertionem. Minus auctoritatis habet Summus Pontifex, quàm tota & universalis Ecclesia, quam repraesentat Concilium generale ritè congregatum. Nam Papa in fide errare potest, ut dicit Innocentius hujus nominis quartus in cap. 1. de Summa Trinitate, & tota mihi via aberrare videtur, qui aliter sentit. Et plus veritati tribuendum est quàm amico. Assentantur sanè Romano Pontifici, qui fatiunt eum immunem à peccato, & à lapsu hareseos & schismatis, cùm non sit divino munere confirmatus in gratia. At Concilia generalia ritè congregata non possunt in fide aberrare.* Arboreus suum opus in lucem emisit anno MDXXXI.

72 V. Franciscus Victoria Parisieosis ex Ordine Prædicatorum Theologus, in libri de potestate Papæ & Concilii propositione II. *Si Concilium declarat aliquid de fide, aut de jure divino, Papa in hoc nihil potest declarare, aut immutare, maximè si tale jus spectet ad fidem vel ad mores Ecclesia universalis. Probatur, quia in illa Concilium errare non potest, juxta promissum Luca 22. Ego rogavi pro te, &c. Et Mathei 18. Ubicunque fuerint duo vel tres, &c. Et non minùs est Spiritus Sanctus in quocunque Concilio generali, quàm in Concilio Apostolorum, ubi Spiritus Sanctus assistebat Actuum 15. Visum est Spiritui Sancto, &c. Confirmatur. Quia si in illis Concilium errare posset, & Papa errare posset, standum esset potiùs Concilio. Ergo postquam determinatum est in Concilio Apostolorum, quòd legalia erant extincta, non potuis Petrus aliter definire: Ita in quocunque Concilio generali, & patet, quia si errare posset, non esset Ecclesia fundata super firmam petram.* Hæc ille, qui ad annum MDXL. claruit.

VI. Claudius Sanctesius Parisiensis Theologus, isque celeberrimus, in sua ad Apologiam Theodori Bezæ responsione, quæ Lutetiæ prodiit anno MDLXVII. *Licuit non solis Sorbonicis* (id est Parisiensibus) *sed in omni orbe Christiano Theologis disserere, an Papa si à fide defecerit, privari posset suo gradu, non à quovis, sed ab habentibus aliis legitimam potestatem videndi, ne quid detrimenti Respublica Christiana capiat.*

In Germania Theologi post Hadriani VI. excessum docere, quod docebatur antea, noo destiternot. Cujus rei testes nobis erunt duo, Joannes Cochlæus
hæreticorum malleus, & Fredericus Nausea Vien- 73
nensis Archiepiscopus, qui Tridentioo Concilio interfuit.

Ille in libello, qui *aquitatis discussio super Concilium delectorum Cardinalium*, inscribitur ad Joannem Sturmium: *Nulli*, inquit, *mortalium ita promissus ac datus est Spiritus Sanctus, sicut universali Ecclesia, quam universale Concilium, ut dixi, repraesentat. Cui enim Apostolorum, aut Prophetarum nominatim dictum est: Dabo tibi spiritum veritatis, ut tecum maneat in aeternum? Obstat enim illud Psalmista, Omnis homo mendax. Soli igitur Ecclesia, qua columna & basis est veritatis, verè dictum est: Ego rogabo pro te Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum spiritus veritatis.*

Hic in libri v. rerum Conciliarium capite III. cujus argumentum est: *Patribus in Concilio à Papa vel ejus Legato dissentientibus, cujus judicio standum sit?*

Nec enim prima fronte videtur, accedendum uni soli que Papa, prasertim in causa fidei, cùm satis periculosum videatur, fidem nostram unius hominis arbitrio committi, nec usque adeò superbum esse Papam credimus, quòd ipse solus & unus homo toti congregationi suum judicium praeferat. Perinde atque ipse Spiritum Sanctum habeat, maximè quòd major urbe sit orbis.

Io Belgio satis est nnus Joaooes Driedo, qui post Hadrianum VI. Lovanii docuit, & eminuit. Hic in libri IV. de dogmatibus Ecclesiasticis capite IV. docere, quod docebatur aotea, non destitit. Discipulus magistrum secutus est, & Lovaniensis Academiæ tra-
ditiooem & doctrinam retinuit. *Papa*, ioquit, *in cau-* 74
sis fidei & schismatis personam suam tangentibus atque concernentibus subjicitur judicio universalis Ecclesia. Quamobrem si ipse fieret hareticus, aut schismaticus, aut argumentis probabilibus de his suspectus pertinaciter defendens doctrinam contrariam Evangelio Christi, ipse esset monendus, corripiendus, & si contumax fieret, judicandus. Iterum in libri II. de Christiana libertate capite II. *Sententia Papa circa fidem tanta Concilii moderatione concipi debet, tantáque maturitate patientia decoqui, & tanta deliberationis gravitate, ut omnino recta sit tenenda. Verùm quia Papa quatenus homo talem modum deliberationis circa ea, qua sunt fidei, potest omittere, & inniti proprio sensui propriaque prudentia, idcirco etiam plerumque liceret examinare literas mandatorum Papa definientis aliquid credendum esse, aut fide tenendum.*

In Italia plures suppetunt, qui post Hadriani mortem docere, quod docebatur antea, oon destiterunt.

Primus est Petrus Albinianus Tret.ius, in tractatu de Pontificia potestate ad Clementem VII. contra Lutherum, num. I. *In tuis conclusionibus incusare vel arguere videris Summum Pontificem & ejus Apostolos executores de eorum multis excessibus, quod tibi non licet; quia Papa de nullo crimine accusari potest, nisi de haresi, ut est glossa communiter ab omnibus pro singulari allegata.* Hæc in libro qui Papæ dicatur.

Alter est Petrus è monte Brixiensis Episcopus in tractatu de potestate Pontificis sub initium: *Secunda con-*

clusio

clusio principalis. Si de hæresi Romani Pontificis conten-
75 *datur, generale Concilium de hujusmodi causa potest & de-*
bet cognoscere, & judicare.

Tertius Paulus IV. in frequenti Pontificiæ consultationis consessu, quem anno MDLVII. fieri voluit, ut tractaretur, utrum ille posset solvere matrimonium, quod per verba de præsenti inter Franciscum Mommoranrium, & Joannem Halluynam Piennæam contractum fuerat. Dixit: *Ne quæso vos teneant decessorum meorum facta & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus Scripturæ authoritas & Theologorum rationes vos ad illud agendum inducent. Non dubito quin ego & decessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus.* Et cætera quæ refero in Epistola ad Joannem Gerbasium in parte tertia Epistolarum nostrarum.

Quartus Thomas Campegius Bononiensis, Feltrensis Episcopus, in libri de Concilio capite II. *Dici etiam potest, Pontificem hæreticum fore minorem quocunque Catholico: Imò nec esse Pontificem. Et est is casus, in quo sine consensu Pontificis haberi potest Concilium.*

Quintus Clemens Monilianus ex Ordine Minorum Theologus & Card. in Compendii institutionum Theologic. capite XIX. *Conciliorum*, inquit, *celebratio valet ad quinque*, &c. *Secundò valet ad firmiorem & faciliorem elucidationem in dubiis*, &c. *Quartò valet ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui munus sacrum aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate, aut vita scandalosa confundunt. Hujus rei causa congregatum legitur Concilium Epi-*
76 *scoporum Italiæ per Imperatorem contra Joannem Pa-*
pam XII. qui venator lubricus & publicus erat & incorrigibilis. Ultimò valet ad omnium scandalorum, quæ suscitantur in Ecclesia, extinctionem. Illud est ultimum refugium in omnibus angustiis suis. Unde Romano Pontifici dicitur mysticè illud Esaiæ 16. Ini consilium, scilicet cum sapientibus, coge Concilium, id est congrega, ut exponit Liranus: Quasi diceret Spiritus Sanctus Romano Pontifici: Imminentibus gravissimis periculis in Ecclesiam ini Concilium & coge, id est congrega universale Concilium.

Deinde in capite XXXIII. *Sequendo Cardinalem de Turrecremata lib. III. de Ecclesia cap. LXIV. qui docet dissentientibus Papa & Concilio in his, quæ sunt fidei, standum esse judicio Papæ in his quæ sunt fidei in materia à Sede Apostolica definita, sed in materia noviter per Concilium definienda regulariter magis standum est judicio Patrum totius Concilii.*

Sextus Hieronymus Albanus Cardinalis in tractatu de potestate Papæ in prima parte num. CXXVI. *Quare jam non obscurè probatum arbitror, Papam errantem, non tamen in fide, à Concilio tanquam ab inferiori judicari non posse. Verùm si quispiam objiciat, Papam saltem in casu hæresis judicari per dictum C. si Papa. Dicimus, hoc propositæ conclusioni non repugnare. Cùm enim Pontifex hæreticus extra Ecclesiam sit, Pontifex esse desinit, & Pontificiam potestatem amittit.*

Nunc Bellarmino quid fiet, cùm exploratum sit in Gallia, in Germania, in Belgio, in Italia pro certo traditum esse, quod Hadrianus VI. & Paulus IV. pro certo tradiderant? An Bellarmino adulatricis Curiæ
77 Cardinali credemus, potiùs, quàm Hadriano & Paulo,
qui nec sibi nec Curiæ assentantur? Sincero Papæ utrique credendum est, cui tot ex Gallia, Germania, Belgio & Italia Theologi & Jureconsulti crediderunt. Bellarmino credendum non est, qui Romanis Pontificibus ac tot illustribus viris in eo comperta & explorata contradicit.

IV. Bellarminus Hadriani & Pauli sententiam *erroneam & hæresi proximam* esse judicat, & judicando Romanam sugillat Ecclesiam, quæ Hadrianum *erronea & hæresi proxima opinione* imbutum & in ea obstinatum in Pontificem suum elegit, & Paulum sustinuit. Et hæc res est, cui nigrum theta præfigendum est, tantùm abest, ut bonum factum adscribatur. Nam iis omnibus, qui seorsum à nobis per religionem sentiunt, Romanam Ecclesiam & ejus Pontifices Hadrianum & Paulum deridendos propinat. Dico ampliùs, siquid tamen ampliùs dici possit, Bellarminus propositiones duas omnino destruit, quas omni conatu astruendas in se recepit. Prior est hæc: *Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet in his quæ ad fidem pertinent nullo casu errare potest.* Posterior est hæc: *Non solùm Pontifex Romanus non potest errare in fide, sed neque Romana particularis Ecclesia.* Propositio prior destruitur, cùm Hadrianus *erronea & hæresi proxima opinione* præventus eligitur in Pontificem, & eâ non revocatâ, sed firmiter retentâ, electus Pontifex persistit, & ad illum Paulus accessit. Posterior quoque destruitur, cùm Romana Ecclesia Hadriano tam pravè sentienti ut Bellarminus putat, & Paulo consensit. Hic unum præ me fero, volaticam & adulatricem Academiam, in qua Bellarmi-
nus diu multúmque studuit, effecturam esse nusquam, 78
ut ille sese apud cordatos & eruditos homines honestè & laudabiliter expediat.

V. Bellarminus in Hadriani VI. & Romanam Ecclesiam, qui illum optavit in suum Pontificem, & Paulum IV. contumeliosissimus est, cùm loco jam citato ait, *Tolerantur, qui Hadriani sententiam sequuntur.* Quis patienter audiat verba hæc, toleratur Hadrianus Papa? Toleratur, inquam, Hadrianus Papa vir tantus, & nisi toleraretur, damnandus esset ut qui sententiam *omnino erroneam & hæresi proximam* tradiderat. Toleratur Romana Ecclesia, quia in optati à se Pontificis doctrinam omnino erroneam & hæresi proximam consensit, quia ei non contradixit, & nisi toleraretur, damnanda esset, ut quæ doctrinam omnino erroneam & hæresi proximam foveret. Toleratur Paulus IV. & nisi toleraretur damnandus esset, ut qui sententiam omnino erroneam & hæresi proximam tam ingenua confessione foverit. Toleratur etiam universalis Ecclesia, quæ Romanæ, Hadriano & Paulo Pontificibus communionis sanctæ vinculo copulabatur, & nisi toleraretur, quid tum demum illâ fieret? Scio quidem hæc pias aures offendere, sed è Bellarmini scriptis tollantur, quæ pias aures offendunt, & traducendam hæreticis Ecclesiam objiciunt. Nonne tandem aliquando Bellarmini contumeliis depressa veritas emerget, & innocentis doctrinæ defensio interclusa respirabit? Innocentis aio doctrinæ, quam Romanæ Ecclesiæ traditio confirmat, quam Concilia vindicant, quam clarissimi quique variarum nationum Theologi & Jurisperiti in se recipiunt.

Deinde toleratur ab Ecclesia Parisiensis Theologiæ 79
Facultas, quæ ob Catholicæ fidei defensionem & hæresum extirpationem ab Innocentio VIII. commendatur. Sic enim ad illius Theologos scribit anno MCCCCLXXXVI. VII. Idus Decembris: *Dilecti filii, salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus non sine magna cordis lætitia sinceram animorum vestrorum devotionem, quam ad nos sanctámque Romanam Ecclesiam habetis, cùm omne studium & curam vestram pro ejusdem fidei defensione, & hæreseôn extirpatione, sicut probatissimos quosque Christianos decet, incessanter adhibueritis.* Parisiensis Theologiæ Facultas, de quæstione hac non aliter post Hadriani VI. tempus sentire cœpit, quàm Innocentii VIII. tempore sentiebat. Quippe quæ tunc sentiebat ut Romana sentiebat Ecclesia. Hoc premo, hoc urgeo. Hîc mapalia mihi facio, hîc Parisiensium Theologorum saluti confisus tabernaculum defigo, hîc opinionis novæ præcipitantis cursum & impetum sisto, hîc certam quandam methodum quæro, qua, quæ placita nova Bellarminus inducit, retineantur appositè, & quæ placita nova Lutherus & Calvinus inducunt, appositè dissipentur: Certaminis leges æquales semper esse debere quis negaret? Si Bellarminus negat, injustitiæ totius accusabitur; si non negat,

negat, destruet quod ædificare omni ope conatur. In summa, Bellarminus & qui Bellarminum sequuntur, cùm nova sua vel aliorum dogmata tuentur, causam adjuvant illorum, quos Sectarios & Novatores appellant, nisi fortè tractatu peculiari demonstrent, sibi licere facere quod faciunt, Sectariis & Novatoribus non licere facere quod faciunt. Hic rhodus, hîc saltus.

80 Quàm longè prudentior fuit Bellarmino Cajetanus, quem ille ut opinionis suæ patronum ascivit! Hic cùm in Cardinalium numerum adscriptus esset, non docuit ampliùs, quæ matura nondum ætate contra Parisienses studio partium docuerat. Ad Scripturæ studium se appulit, SS. Patrum libros evolvit, & forsan ex occasione in Hadriani Commentarios incurrit, quorum bonitate sic persuasus est, ut defuncto Leone X. cùm eligendus fuit Pontifex, auctor fuerit præcipuus, cur Hadrianus Dertusiensis tunc Card. dictus, Pontifex eligeretur. Hoc Pallavicinus in libri 11. de Tridentini Concilii historia capite 11. eleganter recenset. Utinam fecisset Deus immortalis, ut Bellarminus Hadriani scripta sic adamasset! Is tam miserabiliter non esset lapsus, quàm miserabiliter lapsum esse mox vidimus. Præterea non citasset Cajetani opera, quibus Cajetanus ipse valedixerat, cùm se in Hadriani scholam contulit: Non coëgisset me nova Cajetani placita refellere, & intextas ab eo in veritatis perniciem fraudes discindere, cùm hinc in Epistolarum nostrarum parte prima ad Raimundum Formentinum, & Felicem Phelippæum Brossam, inde in parte tertia ad Christophorum Fauvæum, tum in parte quarta ad Ludovicum Maresium scriberem. De re tota ut convenit, censebis tu, cui gravissimum est judicium, limatum, & politum è schola variarum nationum, quarum res, rationes, jura, & opportunitates rectè intelligis & fideli memoria repetis, cùm repetendi sese offert occasio. Vale. Lutetiæ Paris. Idibus Martii ann. MDCLXVI.

Joannes Launoius
ANDREÆ BERRUERIO:

Romano.

1 PRÆCLARAM verò gratiam tibi refero, quòd nuper editum x. Calend. April. contra propositiones XVII. decretum ad me miseris. Postquam illud perlegi, magna me fateor cepit lætitia, ut primùm vidi propositionem ultimam, quæ talis est, *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

Sic enim solutam inveni quæstionem, quam olim Parisiensibus nonnullis Theologis circa quosdam Aristotelis libros proposueram. Hi à Provinciali Concilio damnati sunt & probibiti, & prohibitorium edictum à Gregorio IX. confirmatum, usque dum adhibita diligentia corrigerentur. Quæstionem igitur illis proposueram ad solvendum, sed inutiliter proposueram. Solvere vel noluerunt, vel certè rei difficultate præpediti non potuerunt. Res ita se habet.

Michael Quercetanus contubernalis meus philosophiæ Professor vexabatur ab æmulis, quòd expositam à se Galilæi de motu terræ sententiam non confutasset, sed visus esset eam instar problematis habere. Privata erant studia & odia, quæ sub specie religionis exercebantur. Quercetanus ob id accusabatur neglectæ condemnationis, qua Romani Censores Galilæi placitum confixerant. Tunc suppetias amico venire statui, nec statui convenientiùs, quàm hocce modo.

2 *Hic casus conscientiæ proponitur Theologis Parisiensibus, & iis potissimùm, qui Theologiam moralem profitentur.*

Adducitur primò id ex quo natus est animi scrupulus, deinde ipse scrupulus. Ex Rigordo in vita Philippi Augusti ad annum 1209. In diebus illis (quibus Almaricus Carnotensis Clericus vivebat) legebantur Parisius libelli quidam de Aristotele, ut dicebantur, compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de novo à Constantinopoli, & à Græco in Latinum translati, qui quoniam non solùm hæresi (Almarici) sententiis subtilibus occasionem præbebant, imò & aliis nondum inventis præbere poterant, jussi sunt omnes comburi, & sub pœna excommunicationis cautum est in eodem Concilio, ne quis eos de cætero scribere & legere præsumeret, vel quocunque modo habere. Hoc Concilium Lutetiæ celebratum fuit ab Henrico Senonensi Archiepiscopo & aliis comprovincialibus Episcopis, ut est testis Joannes Victorinus in memoriali historiarum, qui & refert ad annum 1204. Almaricum primò ab universitate Magistrorum Parisiensium condemnatum fuisse.

Ex rescripto, seu Diplomate Gregorii IX. ad Magistros Parisienses, quod extat in tabulis Universitatis. Ad hæc jubemus, ut Magistri Artium unam lectionem de Prisciano, & unam post aliam semper legant, & libris illis naturalibus, qui in Concilio provinciali ex certa causa prohibiti fuere Parisius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati. Rursus ante aliquot annos opinio Nicolai Copernici de motu terræ à Galilæo renovata & illustrata, Romæ damnata est à Pontifice & Inquisitoribus. Sed sententia damnationis ad Magistros Parisienses non est adhuc 3
transmissa.

Ex his igitur omnibus scrupulosa quæstio hæc oritur. Utrum condemnationis Galilæi decretum ad philosophiæ Professores in Parisiensi Studio nondum directum Professores eosdem magis obliget, quàm sententia supradicti Concilii & Bulla Pontificis Gregorii IX. ad professores eosdem transmissa.

Responsioni penitus se submittent, ii præsertim, qui sententiam Copernici aut Galilæi recitando magis, quàm asserendo tradiderunt. Præterea responsio erit utilis vel ad temperandum eorum studium, qui Aristotelem nimis avidè legunt, vel ad pacificandam illorum conscientiam, qui fortassis eundem Philosophum nonnisi meticulosè docent, persuasi nondum esse satisfactum Pontificiæ jussioni. Scilicet, *quos Aristoteles de Physico auditu* libros maximè composuit, hi nec examinati sunt, nec ab omni errorum suspicione purgati. Parisiis ista typis mandari curavi anno MDCXXXVI.

Nunc ut jam notavimus, soluta est ab Alexandro VII. & Inquisitoribus Romanis illa quæstio, quam tunc temporis proposueram. Hinc remota difficultate omni & tergiversatione qualibet, in conscientia obligat Gregorii IX. decretum, quo Pontifex provincialis Concilii sententiam moderatus prohibuit, ne damnati ab eo

Concilio Aristotelis Commentarii legerentur, quousque examinati essent, & ab omni errorum suspicione purgati.

Prohibitorium Concilii & Pontificis decretum illud confirmatur testimoniis Bellarmini & Magistrorum aliorum Curiæ placitis addictorum, qui docent Concilia
4 particularia à Pontifice comprobata errare non posse. Hæc paucis accipe.

I. Melchior Canus in libri v. de locis capite IV. *Quinta conclusio : Concilium provinciale Summi Pontificis auctoritate firmatum in fide nequit errare.*

II. Bellarminus in libri II. de Concil. auct. capite V. *Altera propositio : Concilia particularia à Summo Pontifice confirmata in fide & moribus errare non possunt.*

III. Dominicus Bannes in brevioribus in secundam secundæ quæst. I. art. X. Commentariis. dub. III. *Sit jam secunda conclusio : Concilium provinciale auctoritate Pontificis Summi confirmatum errare non potest in definiendis rebus fidei.*

IV. Gregorius Valentia in Analysi Catholicæ fidei lib. VIII. cap. VII. assert. II. *Accedente Romani Pontificis confirmatione quodvis Concilium* (generale vel provinciale) *est infallibile.*

V. Gabriel Vasques in disp. CCXLIX. capite II. *Quamvis negare non possimus Concilia provincialia ante Pontificis confirmationem errare posse, tamen ut id de aliquo affirmare sine temeritate possimus, firmioribus tamen niti debemus fundamentis, quàm Turrianus.* Sic post Romani Pontificis confirmationem provincialia Concilia errare nequeunt.

VI. Thomas Stapletonus de mediis Ecclesiastici judicii Controvers. III. libr. VII. capite X. *Tertium adhuc magisque infallibile hoc Synodorum medium est in judicio, sive provinciales sint, sive etiam generales Synodi, cùm à Romano Pontifice sancti Petri successore confirmata illa fuerint.*

VII. Christophorus Gillius in lib. I. tract. VII. de locis cap. IX. num. VI. *Si verò Concilia* (generalia vel particularia) *sint à Summo Pontifice approbata, in-*
5 *fallibilem habent auctoritatem.*

Hic ergo manifesta sunt tria. Primùm, quòd Gregorius XI. latum à provinciali Concilio adversus certos quosdam Aristotelis libros judicium confirmavit, & ita nihilominus confirmando temperavit, ut non ante libros illos legendos esse statuerit, quàm examinati fuerint & ab omni non errore solùm, sed etiam ab omni erroris suspicione purgati.

Deinde, quòd addicti Curiæ placitis Theologi confirmatum & temperatum à Gregorio IX. provincialis Concilii judicium in auctoritatem summam admittunt, ita ut illi falsum subesse nequeat.

Adhæc non dubito quin Gregorius suum diploma cùm ponderis sit maximi, secundùm veterem Romanæ Ecclesiæ traditionem ediderit. Consulto nimirum Clero, de cujus auctoritate Cyprianus ita loquitur in Epistola LV. ad Cornelium Papam : *Et quanquam sciam, frater charissime, pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem nobis,* FLORENTISSIMO ILLIC CLERO TECUM PRÆSIDENTI, *& sanctissimæ atque amplissimæ plebi, legere te semper literas nostras : Tamen,* &c. Præsidentem cum Cornelio Clerum dicit, nec contradicit Cornelius, qui derivatam ab initio traditionem noverat. Consultis nimirum iis, quorum Felix III. in Epistola IV. ad Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum sic meminit: *Firma sit hæc tua depositio, à me & ab his,* QUI UNA MECUM APOSTOLICUM THRONUM REGUNT.

Joannes VIII. traditionem hanc semel atque iterum appellat & exequitur: Semel quidem in Epistola
CLXIX. ad Gregorium Primicerium : *Atque ipsius Le-* 6
gationis textum & ordinem cognoscentes UNA CUM SEDIS APOST. NOBIS COMMISSÆ ASSENSU, *quantum fas est pro Ecclesia Dei pace Imperiali voluntati favere omnino studebimus.* Iterum in Epistola CCXXV. ad Petrum Episcopum & alios : *Omni sacra communione,* &c. VOS UNA CUM TOTIUS APOSTOLICÆ SEDIS CONSENSU *privavimus, & ab Ecclesia Dei societate separavimus.*

Gregorius VII. in libri IV. epistola XXIII. ad Bernardum S.R.E. diaconum, & Bernardum Massiliensem Abbatem: *Scitis quia* NOSTRI OFFICII ET APOSTOLICÆ SEDIS EST PROVIDENTIÆ *majora Ecclesiarum negotia discutere.*

Mittamus cæteros, Gregorius XI. ipse rem suam & nostram absolvit in tit. IV. de Consuet. cap. V. *Nos igitur, ait, cognito quòd ex tali consuetudine si qua foret, disrumperetur nervus Ecclesiastica disciplina, ipsam* DE CONSENSU FRATRUM NOSTRORUM *duximus irritandam.* Quare etiamsi solus sit Gregorius, qui ad Parisienses magistros scribat, non suam tamen solius sententiam scribit, ut olim Julius I. de se locutus Orientales monebat.

Denique, quòd Alexandri VII. & Romanæ Inquisitionis decreto percellitur assertio hæc : *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

Reliquum est modò ut ad nos perscribas, num decretum hoc circa damnatos & nondum correctos Aristotelis libros Romæ servetur, nec-ne. Si servatur, id fit omnino, quod faciendum esse & convenientissima ratio & loci dignitas exposcunt. Si verò non servatur, A-
lexandri VII. & Romanæ Inquisitionis decretum in 7
contemptionem ultimam adducitur : Idque quo in loco religiosè coli, & ut fusum divinitus oraculum haberi debet. Exempli res esset pessimi, quod Deus Opt. Max. avertat. Nam si quæ Romæ decreta conduntur, Romæ neutiquam custodiuntur, quo jure illorum alibi exigetur custodia ? Quo jure contemptores punientur ? Et sanè Gregorii XI. decretum est istiusmodi, ut vix dari possit ullum, quod ratione majori nitatur. Cur Almaricus tam spurcè & tam impiè docuerat, in causa fuerat Aristoteles. Caritati virtutum omnium nobilissimæ adscribebat, quod divinarum & humanarum legum violationi adscribendum erat. In libro, quem *de varia Aristotelis fortuna* inscripsimus, universi ferè Patres ostendunt, quantum mali Philosophia illius Christianis dogmatibus importaverit, & importare possit. Hæc nosti tu, quem in exquirendo disciplinarum genere omni bellè curiosum esse scio. Sed interim utrum relatum Alexandri VII. & Romanæ Inquisitionis decretum Romæ servetur in gymnasiis, certiores non facias. Hoc non ignorari à nobis, quanti referat, facilè intelligis. Benè vale. Lutetiæ Parisiorum Nonis Maii ann. MDCLXVI.

Joannes Launoius,

EIDEM

ANDREÆ BERRUERIO.

Roman.

1 EXEUNTE Aprili Regulares Clerici cognomento Theatini, in ædibus, ut vocant, Beatæ Annæ Regiæ Scholasticum celebrarunt actum, cui titulus erat, *Theologia Universa assertiones selecta.* Ex programmate hoc nostra Theologiæ Facultas offensionem excepit, & in comitiis, quæ Calendis Maii habuit, selegit magistros, qui assertiones examinarent, & de iis ad Facultatem tempore suo referrent. Programmatis totius specimen capies ex assertionibus quinque, quas tibi subjectum imus.

De DEO TRINO.

ASSERT. XIII.

Ad generandum Verbum divinum absolutè, sufficiens est qualibet cognitio in Patre. Unde si per impossibile cognosceret tantùm unum objectum, puta lilium, adhuc intelligeretur producens Verbum divinum. Sicut etiamsi per impossibile Pater & Filius amarent solum unum objectum, puta rosam, adhuc intelligerentur spirantes Spiritum sanctum.

2 *De DEO INCARNATO.*

ASSERT. III.

Potuisset Verbum divinum assumere quamlibet naturam substantialem etiam inanimatam, sive corruptibilem, sive incorruptibilem. Si autem de facto naturam inanimatam incorruptibilem assumpsisset, talis natura ex vi unionis incorruptibilis evasisset. Unde si assumpsisset naturam ligni, v. g. hoc sine Dei dispensatione comburi ab igne non potuisset.

De DEO SACRAMENTATO.

ASSERT. XV.

Christo non existente per potestatem sacerdotalem præsentem non posset fieri consecratio, nec corporis, nec sanguinis Christi: Posset fieri tamen per aliam potestatem sacerdotalem possibilem.

De HOMINIBUS.

ASSERT. V.

Transeundo ab actibus bonis ad malos & peccaminosos asserere posse dari peccatum aliquod, quod à Deo nequaquam remitti possit, & è contrà peccatum talis natura, ut essentialiter remitti petat. Unde primum evadet absolutè irremissibile, sicut & alterum necessariò remittendum.

3 *De ANGELIS.*

ASSERT. XV.

Pœna dæmonum pene ineffabilis, torquet eos ignis. Sed quomodo, torquet ingenia. Sunt qui putant difficultatem solvere, eos ad ignem alligando. Qui exprimere per qualitatem in ipsis ab igne impressam, & qui falsam dæmonum apprehensionem, veram putant illorum pœnam. Meliùs ergo sentimus, dicendo dictam pœnam oriri ex eo quòd per unionem hypostaticam Diabolus factus sit ignis, & ignis Diabolus.

Assertiones hæ sunt quinque, quæ tibi reliquarum specimen illustre non possunt non præbere. Verùm ad me quod attinet, in programmatis totius assertiones singulas non inquiro, & inquirere negotiosum mihi esset otium. At præ me tamen fero, programma generatim & per aversionem acceptum, seu Universæ Theologiæ assertiones selectas magnam partem defendi non posse. Hoc autem cur præ me feram, docebunt te rationes, quæ sequuntur.

I. Hæc exponendæ in plerisque assertionibus selectis Theologiæ methodus planè repugnat Gregorii Papæ IX. decreto, quod in epist. ad Parisiens. magistros ita sancitur: *Magistri verò & Scholares Theologia in Facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi linguam Hebream cum azotica confundentes: Sed de illis tantùm in Scholis quæstionibus disputent, qua per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Et quibusdam interpositis: *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam* 4 *nostra provisionis, constitutionis, concessionis, prohibitionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateran. Pontificatûs nostri anno v. mense Aprili.* Epistolam seu diploma pene totum describo in libri de varia Aristotelis fortuna cap. VI. Gregorius Theologicorum librorum nomine scripturas sacras intelligit, quibus ut decet sanctorum Patrum tractatus postponit. Quinetiam antiqui Patres præcipua religionis mysteria, & cum primis, Christi Domini Incarnationem appellabant Theologiam. At vero certum est, assertiones esse paucas, quæ scripturis sacris & sanctorum Patrum tractatibus terminari valeant. In exemplum sumantur relatæ suprà assertiones quinque, quarum nec vola nec vestigium in scripturis sacris, vel apud sanctos Patres. Itaque dubium nullum est, quin agonotheta, vel is, qui assertiones composuit, Gregorii IX. decretum in plerisque violaverit: An autem ob id Petri & Pauli indignationem, quam Pontifex inobsequentibus denuntiat, incurrerit, affirmare non audeo. Ipse apud Deum seriò viderit. Quidquid id est, quò magis ac magis facinus tam audax considero, eò magis pro assertionum auctore timendum esse arbitror.

II. Hæc exponendæ in plerisque assertionibus selectis Theologiæ methodus, Christianæ Theologiæ proposito, fini, & scopo penitus repugnat. Christianæ Theologiæ propositum, finis, & scopus est primùm fidem munire, & conservare adversus emergentes hæ- 5 reses, & intra ovilis Dominici caulas Christi oves continere: Qua de re sic Augustinus in Epistola LVI. ad Dioscorum: *Porro illi, qui cùm in unitate & communione Catholica non sint, Christiano tamen nomine gloriantur,*

coguntur

coguntur adversari credentibus, & audent imperitos quasi ratione traducere, quando maximè cum ista medicina Dominus venerit, ut fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, ut dixi, quia jacere se abjectissimè sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate Catholica conferatur. Conantur ergo auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Sed ille fidei imperator clementissimus, & per conventus celeberrimos populorum atque gentium, sedésque ipsas Apostolorum arce auctoritatis munivit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos & verè spirituales viros copiosissimis apparatibus etiam invictissimæ rationis armavit. Verùm illa rectissima disciplina est in arcem fidei quàm maximè recipi infirmos, ut pro eis jam tutissimè positis fortissima ratione pugnetur.

Huc pertinet Vincentius Lirinensis in Commonitorii primi capite I. *Sæpe igitur*, ait, *magno consilio & summa attentione perquirens à quamplurimis sanctitate, & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam & quasi generali ac regulari via Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere: Hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli. Quod sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes*
6 *deprehendere, laqueósque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet: Primò scilicet divinæ legis auctoritate: Tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.*

Deinde Christianæ Theologiæ propositum, finis, & scopus est, fidem verbi toto orbe disseminare, ac diffundere, non quòd ipsa hoc per se sola efficiat, sed tanquam divinæ gratiæ administra. Nam quamvis fides sit donum Dei, tamen *quomodo gentes credent ei, cùm non audierunt, quomodo audient sine prædicante?* Prædicationem credituris necessariam esse Paulus affirmat ad Romanos X. Quare nullus est sine sacra doctrina, seu Christiana Theologia evangelii prædicator aptus, qui sciat parvulis lac potum præbere, non escam, qui adultis solidæ doctrinæ panem apponat. Sic ex proposito, fine, & scopo suo Theologia est verbi Dei administra, & prima divinæ sapientiæ ancilla, quæ gentes vocat ad arcem & domum, quam sibi in mundo æterna Dei sapientia exstruxit; ad mensam, quam apposuit, ut comedant panem ejus, & bibant vinum, quod miscuit.

Postremò ad Christianæ Theologiæ propositum finem ac scopum attinet, ut ex illa certus quidam ornatus redundet in Ecclesiam. Hinc Daniel capite XII. dixit: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, tanquam splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Honorius Papa III. ad Theologos locum hunc accommodat in Cap. super specula. de magistris: *Ad Theologicæ professionis studium aliqui destinentur, qui cùm docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti: Ex quibus postmodum copia*
7 *possit haberi doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad justitiam valeant plurimos erudire.* Honorio Tertullianus præiverat, qui in Apologetici capite V. Danielis verba flectit ad Christianam Theologiam. Allegatur & illud Ecclesiastici cap. XXIV. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Quod igitur splendor firmamento, quod stellæ cælo, hoc veri nominis Theologi sunt Ecclesiæ, quæ illorum sapientiâ ut clarissima luce collucet. At ex relatis assertionibus quinque, insigni specimine luculenter apparet, tradendæ in plerisque assertionibus selectis methodum Christianæ Theologiæ proposito, fini, & scopo penitus adversari; tantum abest, ut ad Christianæ Theologiæ propositum, finem, & scopum impetu toto feratur. Quodnam quæso dogma fidei munitur & defenditur vel assertione XII. quæ est de Deo Trino? vel assertione III. quæ est de Deo Incarnato? vel assertione XV. quæ est de Deo sacramentato? vel assertione V. quæ est de hominibus? vel assertione XV. quæ est de Angelis? Vel tandem plerisque aliis assertionibus, quæ in programmate describuntur? Quænam est quæso Christ. Religionis institutio & notio, ad quam hominum animis consignandam assertiones illæ valere possint? Tum demum quis est splendor, quis ornatus, quem importent Ecclesiæ? Sed fallor ego, dum ista quæro in assertionibus, quæ à Christianæ Theologiæ proposito, fine & scopo in tantum aberrant, in quantum aberrare possunt.

III. Hæc exponendæ in plerisque assertionibus Theologiæ methodus iis, qui seorsum à Catholicis per religionem sentiunt, deridendam Theologiam propinat, utpote quæ circa vanas atque inutiles quæstiones curiosè 8
versetur, & sine ullo pietatis, ac sapientiæ fructu vexet & torqueat sui studiosos, semper discentes, & nunquam ad doctrinam veritatis pervenientes, hærentes in cortice verborum, in disputationum contentione atque æmulatione, quæ medullam ipsam veritatis attingit nunquam; quæ res alioquin obscuras ac difficiles dialecticis technis, atque integumentis fallacibus involvit, quæ ipsam interdum veritatem in aperto loco positam labyrintheis anfractibus includit. Lutherus, Calvinus, Melanchton de Scholastica Theologia sic ferè loquuntur, & eam non modò ut inutilem sed etiam ut perniciosam de medio tollendam esse pugnant. Factiosi & insinceri homines peccarunt in eo maximè, quòd paucorum quæstiones plerisque assertionibus similes docentium culpam in universam Theologiam; vitium artificum in artem transtulerint.

Fuere tunc Theologi graves & sinceri, Parisienses & alii, qui non dissimulata nonnullorum perperam docentium culpa calamum adversus Lutherum, Calvinum, & Melanchtonem strinxerunt, & Theologiam ut studium Ecclesiæ non utile tantùm, sed etiam necessarium retinendum esse scripserunt. Id in nostro de varia Aristotelis fortuna libro legere poteris. Sed, me vide, illorum labor omnis periit, si pleræque assertiones, de quibus agitur, censoriam notam effugiant, si tradendæ hocce modo Theologiæ methodus intacta relinquatur. Catholicorum Theologorum partem deseremus, & hac in re Sectariorum parti consensu tacito adhærebimus. Hic prætermitti non debet, Sectarios Theologiam, quam exagitârunt, per irrisionem ita deformasse. *Scholastica Theologia est ea, quæ à Parisiensium Sorbona* 9
mixtione quadam ex divinis eloquiis, & Philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est. At præ me fero, relatas assertiones quinque, & plures alias sic esse compositas, ut illa definitio ne quidem illis conveniat. In earum enim probationem scriptura nulla, sed philosophicæ rationes duntaxat insumuntur, atque ita per intolerabilem abusum Theologiæ assertiones nuncupantur.

Parisienses Theologi confectæ à Sectariis definitioni definitionem veram opponendam esse censuerunt: Hanc utique: *Scholastica Theologia est Divinarum Scripturarum notitia, recepto, quem Ecclesia approbat, sensu, non spretis orthodoxorum Doctorum interpretationibus & censuris, ac interdum aliarum disciplinarum non contempto suffragio.* Hæc lex est, hæc norma, hæc præscriptio, à qua qui ubi ubi, & apud nos præsertim deficit, in exemplum & auctoritatem statui nec debet nec potest. *Exemplis non est judicandum, sed legibus.* L. nemo. C. de sent. & interlocut. om. jud. *& mala exempla non sunt sequenda.* L. I. in princip. ad Maced. & mala sunt sine dubio exempla, in quibus ab regulis deflectitur: Et hæc tolerantur solùm, cùm ampliùs corrigi non possunt.

Ad institutum nostrum accurrit Vincentius Lirinensis, & in Commonitorii I. capite XI. ita succurrit: *Quis tam sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes, quæ illius auctoritate Concilii* (à Cypriano habiti) *rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum Diabolo? Quod quidem mihi divinitus videtur promulgatum*
esse judicium, propter eorum maximè fraudulentiam, qui 10
cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, capiant plerumque veteris cujuspiam viri scripta, paulò involutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo

quasi congruant: Ut illud nescio quid quodcumque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignum judico: Vel eò, quod hæreseos venenum propinare aliis non pertimescunt: Vel eò etiam quòd sancti cujusque viri memoriam tanquam sopitos jam cineres, profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant, sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noë non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enunciavit. Unde tantam læsa pietatis meruit offensam, ut etiam posteri ipsius, peccati sui maledictu obligarentur: beatis illis fratribus, longéque dissimilibus, qui nuditatem ipsam reverendi patris neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt: Sed aversi, ut scribitur, texerunt eum: Quod est, erratum sancti viri nec adprobasse nec prodidisse: Atque idcirco beata in posteros benedictione donati sunt. Hæc est nervosa quædam oratio, qua (si quid capio) ad moram & tergiversationem quamcunque aditus omnis intercluditur. Ponderibus suis libranda est veritas, & vitanda in dextram, vel in sinistram declinatio.

IV. In relatis assertionibus quinque contra beati Pauli præceptum hoc, *Profanas vocum novitates devita*, gravissimè peccatur. In iis enim voces sunt multæ, quas
11 antiqui Patres de Verbi Divini generatione & incarnatione tractantes usu suo nunquam consecrarunt. Quas illorum successores sacrorum mysteriorum majestatem, & altitudinem reveriti, in Ecclesiam non induxerunt. Hypotheses sunt multæ omnium auribus & animis absonæ, quas Philosophorum schola recentissimè peperit, & in Theologorum scholam invexit prælicenter: Ita ut assertionum fabricator peregrinis, profanis, liberis vocibus atque hypothesibus utatur, nec pertimescit ullo modo, quod beatus Augustinus pertimescendum omnino esse scribit in libri x. de Civitate Dei capite XXIII. cùm Porphyrium, Plotinum, & Philosophos alios redarguit: *Liberis*, inquit, *verbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem* (Christianis Theologis) *ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.* Quapropter novarum vocum & hypotheseôn architectus & machinator fingendi quod finxit, licentiam arripuit potiùs ex Valentino & hujus discipulis, quàm ex Irenæo & Tertulliano, qui impia illorum de Æonibus & Æonum pleromate commenta profligarunt. Observatione dignum est initium libri, quem Tertullianus contra Valentinianos composuit, *Valentiniani frequentissimum planè Collegium inter hæreticos, quia plurimum ex apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplina non terretur.* Dum habebatur disputatio, qui disputationi præerat, disciplina nulla terrebatur. Fuit unus, qui ratiocinando assertionem hypotheticam examinare vo-
12 luit, sed præses ille occupando dixit: Si admittis hypothesim, bene est, si rejicis, *Bacia le mani a vostra Signoria*: Non Latino sed Italico sale persudit assertionem, quæ jam fœtebat,

Sævámque exhalabat opaca mephitim.

Non Latino sale, ut dixi, quia Latinus sermo nihil habet, quo locutionis hujus vis & notio exprimatur. Fuit alter, qui nubem Patrum opposuit, sed eam in Sanctorum Litaniam facetè convertit, & subridens exclamavit, *Orate pro nobis.*

De remittendo vel non remittendo certo peccati genere, ut ponitur, assertio lectores suos novitate perturbat; offensionem parit, errorem objicit: Sed ne cernatur id, quod verba præ se ferunt & sonant, ab assertore futilium quarumdam distinctiuncularum fuco illinitur, & tum demum omnia in miseras, & inanes argutias fatiscunt. Sine machinis & præstigiis occurrit pene nihil. Apparatissimum præbitum esse spectaculum affirmares, in quo nostra Theologia luderetur. Sed

Quænam perversi rabies tam stulta cerebri!
Sic nimia bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophontæis sollicitudinibus.

Cum iis ita agendum est, qui sanctissimum beati Pauli præceptum contemnunt.

V. Cum ex Scriptura sacra præsidium quæsiit, quo hypostaticam Diaboli cum igne unionem defenderet, in latam à Tridentino Concilio sessione IV. legem impetu toto incurrit. Lex ita se habet: *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit* (S. Synodus) *ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit & 13
tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure statutis puniantur.*

Assertionum defensor in medium adduxit Psalmi CXXXIX. versum hunc: *Cadent super eos carbones, & in ignem dejicies eos, & in miseriis non subsistent*, quo suum de hypostatica unione Diaboli cum igne lemma stabiliret. Et hoc ipsum est, in Tridentinæ Synodi legem impingere, aut certè impingetur nunquam. Homo enim suæ prudentiæ innixus Scripturæ sacræ locum contorquet ad eum sensum, quem nec tenuit nec tenet sancta mater Ecclesia, quem Patrum nullus, Theologorum nullus, interpretum nullus celebravit. Sic audax est facinus, quod pœnis à jure statutis castigatum oporteret. Nam hæresim ex Scriptura perperam intellecta nasci, Patres antiquissimi tradiderunt.

Irenæus in libri I. adversus hæreses præfatione: *Interpretatores mali eorum, quæ bene dicta sunt, effecti, & multos evertunt attrahentes eos sub occasione agnitionis ab eo, qui hanc universitatem constituit.*

Tertullianus in libri de præscriptione hæreticorum capite XXXIX. *Nec periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materias subministrarent, cùm legam, Oportet hæreses esse, quæ 14
sine Scripturis esse non possunt. Sequitur: A quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? A Diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem.*

Origenes in libri III. de Principiis capite II. *Horum*, inquit, *omnium falsæ intelligentiæ causa his, de quibus suprà diximus, non alia extitit, nisi quòd sancta Scriptura ab his non secundùm spiritualem sensum, sed secundùm literæ sonum intelligitur.*

Hilarius in libro II. de Trinitate: *De intelligentia hæresis, non de Scriptura est, & sensus, non sermo, fit crimen.*

Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: *Nunquam igitur nos terreant, aut sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis sibi videantur affirmare, quod dicunt: Cùm & Diabolus de Scriptura aliqua sit locutus, & Scriptura non in legendo consistant, sed in intelligendo.*

Augustinus in tractatu XVIII. super Evangelium Joannis: *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè; & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.*

Vigilius Afer in libro II. contra Eutychem: *Origo cunctarum impietatum hæc est, dum cælestium dictorum virtus, vitio malæ intelligentiæ temerata, non secundùm qualitatem sui sensus perpenditur sed in alias res pro arbitrio legentis, secus quàm rei ratio postulat, derivatur.*

Isidorus Hispalensis in libri VIII. Originum capite V. *Quicunque aliter Scripturam sacram intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti flagitat, à quo conscripta est, licèt de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus potest appellari.*

Epipha-

15 Epiphanius Diaconus in Synodi VII. actione VI. *Cùm aliqui rectè secundùm quod sibi videtur, dogmata conantur pervertere, nemo miretur, si Scripturæ verbis utuntur. Nam & omnes hæresiarchæ de divinitus inspirata Scriptura erroris sui colligunt occasiones, quæ per Spiritum Sanctum rectè dicta sunt, malignis sensibus adulterantes.*

Hæc & id genus alia cùm Tridentini Patres perspicerent, decreverunt quod ab iis decretum retulimus.

Porro hæc est ἀνακεφαλαίωσις sermonis nostri summa. In prima ratione proponitur constituta à Gregorio IX. docendæ Theologiæ lex, quæ infringitur. Ex ea lege censui adhibendam esse rationem, quæ mutari non potest, quia melius nihil est, in quod mutetur, & aliunde vetatur omnis in pejus mutatio.

In secunda prodit se docendæ Theologiæ finis & scopus, à quo mirum quantum deflectitur, & sublato fine Theologiæ, Theologia non est, quæ docetur, sed Theologiæ corruptio.

In tertia commemoratis, quæ hinc Lutherus, Calvinus, & Melanchton scholasticæ Theologiæ opponunt, & quæ inde Parisienses, & alii Theologi respondent, manifestum redditur, selectarum assertionum Patronum objectioni vim & robur addere, responsioni vero vim & robur detrahere. Quæ est linea ultima imprudentiæ. Hoc enim pacto assertionum Patronus noster non est, qui noster esse deberet, sed adversariorum.

In quarta continetur Apostolici præcepti violatio, quæ errores & hæreses semper importavit Ecclesiæ, nec importare cessabit unquam, nisi statim compri-
16 matur. Et siquis consuetudinem objicit, is nonnisi pravissimam consuetudinis regulam objiciet, & seipsum condemnabit.

In quinta Tridentinum Concilium anathema iis denuntiat, qui Scripturis sacris abutuntur, & earum testimonia ad sensus receptæ Patrum traditioni contrarios, novos & peregrinos confidentissimè detorquent. Quæ res à SS Patribus origo hæresum omnium censetur.

Ad defensorem assertionum quod attinet, hic stat mole gravitatis suæ, & securitate mira gaudet: ἀυθεντίαν ut sibi propriam vindicat. De magnitudine & pompa urbis æternæ, in qua docuit olim, & idem ad disputandum proposuit, de auctoritate summa præsidum loci, quos *Soles* appellat, de accurata circumspectione audientium, de publicorum Censorum dignitate, de omnium silentio approbationis indice adversus reprehensores suos præscribit. Sed universis injuriam facit, quanta fieri potest maxima. Hanc stupefactus intueor, exhorresco, nec explico latiùs. Quasi verò adversus ea, quæ in rationibus quinque non tam argumentatus sum, quàm recensui, præscripserit, si tamen vir sanæ mentis & legum peritus præscribi posse judicet.

Cæterùm quid inspecto selectarum assertionum specimine, & expensis rationibus nostris de re tota sentient eruditi homines, quibus uteris familiariter, rescripturum te mihi spero. Quæ fata erunt Epistolæ, hæc more tuo, id est, simpliciter & candidè renuntiabis. Interim qualecunque interpono judicium, habes in antecessum. De his verò, quæ Theologiæ Facultas mater & emendatrix nostra judicaverit, te faciam mense proximo certiorem. Bene vale. Lutetiæ Paris. Idibus Maiis ann. MDCLXVI.

Joannes Launoius

FELICI PHELIPPÆO BROSSÆ

Parisiensi Theologo.

1 QUOD de Augustino jam observavimus, petis ut id de Hieronymo nunc observemus. Affirmas, & ego scio nonnullos esse, qui cùm intus sibi canunt, certa quædam Hieronymi verba in sensum alienum detorquent. Hæc reperiunt ex Epistola ad Damasum quinquagesima septima, quæ sic se habet: *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Ideo mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: Inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interjacens longitudo terrarum, me à pretiosa margarita potuit inquisitione prohibere. Ubicunque fuerit corpus, illuc congregantur aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas, ibi cespite terra fœcundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert. Hic obruta sulcis frumenta in lolium avenásque degenerant. Nunc in Occidente Sol justitiæ oritur: In Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sidera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos*
aurea vasa & argentea; hîc testacea vasa vel lignea, vir- 2
gam ferream, & æternum operiuntur incendium. Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovis flagito. Facessat invidia. Romani culminis recedat ambitio: Cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. EGO NULLUM PRIMUM NISI CHRISTUM SEQUENS, BEATITUDINI TUÆ, ID EST, CATHEDRÆ PETRI COMMUNIONE CONSOCIOR, SUPER ILLAM PETRAM ÆDIFICATAM ECCLESIAM SCIO. *Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine disterminat: Nec possum sanctum Domini tot interjacentibus spatiis à sanctimonia tua semper expetere:* IDEO HIC COLLEGAS TUOS ÆGYPTIOS CONFESSORES SEQUOR, *& sub onerariis navibus parva navicula delitesco. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Nunc igitur proh dolor, post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum*

præsule & Campensibus, novellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso ista Apostoli prodidere? Quis novus magister gentium Paulus hæc docuit? Interrogemus quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes aiunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, siquis tres hy-
3 *postases, aut tria enypostata, hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non edisceimus, hæretici judicamur. Siquis autem hypostasim usiam intelligens, non tribus personis unam hypostasim dicit, alienus à Christo est, & sub hac confessione vobiscum pariter cauterio unionis inurimur.* DISCERNITE SI PLACET ORATIO, NON TIMEBO TRES HYPOSTASES DICERE, SI JUBETIS: *Condatur nova post Nicænam fides, & similibus verbis, cum Arianis confiteamur orthodoxi. Tota secularium literarum schola, nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit. Et quis rogo ore sacrilego tres substantias prædicabit? Una est Dei & sola natura, quæ verè est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cætera, quæ creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt. Et potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus, qui æternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Idcirco & ad Moysem de rubo loquitur: Ego sum qui sum. Et rursum: Qui est, me misit. Erant utique tunc Angeli, cælum, terra, maria: Et quomodo commune nomen essentiæ propriè sibi vindicat Deus? Sed quia ille sola natura est perfecta, & in tribus personis Deitas una subsistit, quæ est verè, & una natura est, quisquis tria esse, hoc est, tres esse hypostases, id est, usias dicit, sub nomine pietatis, tres naturas conatur asserere. Et si ita est, cur ab Ario parietibus separamur perfidia copulati? Jungatur, tum beatitudine tua Ursicinus, cum Ambrosio societur Auxentius. Absit hoc à Romana fide sacrilegium tantum: Religiosa populorum corda non hauriant.*
4 *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur. Non bonæ suspicionis est, cùm in eodem sensu verba dissentiunt. Sufficiat nobis memorata credulitas. Aut si rectum putatis tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus. Sed mihi credite, venenum sub melle latet. Transfiguravit se Angelus satanæ in Angelum lucis. Bene interpretantur hypostasim, & cùm id quod ipsi exponunt, habere me dicam, hæreticus judicor. Quid tam anxiè unum verbum tenent? Quid sub ambiguo sermone latitant? Si sic credunt, ut interpretantur, non damno quod retinent. Si sic credo, ut ipsi sentire se simulant; Permittant & mihi meis verbis suum sensum loqui. Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. Et ne fortè obscuritas loci, in quo dego, te fallat, per bajulos literarum ad Evagrium presbyterum, quem optimè nosti, dignare scripta transmittere, simul etiam cui apud Antiochiam debeam communicare significes, quia Campenses cum Tharsensibus hæreticis copulati nihil aliud ambiunt, quàm ut auctoritate communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo sensu prædicent.*

Hieronymus in hac Epistola cùm suspectæ fidei apud Orientales habitus esset ob hypostasis nomen, ea super re Damasum Papam consulit, qui Hieronymo cùm responderet nihil, Hieronymus iterum ad eundem Pontificem scribit hoc modo: *Impor-*
5 *tuna in Evangelio mulier tandem meruit audiri, & clauso cum servis ostio, media licèt nocte ab amico panes amicus accepit. Deus ipse qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur. Ninive civitas, quæ peccato periit, fletibus stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio? Videlicet ut parvum magnus aspicias, ut dives Pastor morbidam non contemnas ovem. Christus in paradisum de Cruce latronem intulit. Et nequis aliquando seram conversionem putaret, fecit homicidii pœna martyrium. Christus, inquam, prodigum filium revertentem lætus amplectitur, & nonaginta novem pecudibus derelictis una ovicula, quæ remanserat, humeris boni Pastoris advehitur. Paulus ex persecutore fit prædicator, oculis carnalibus excæcatur, ut mente plus videat: Et qui vinctos Christi famulos ducebat ad Concilium Judæorum, ipse postea etiam de Christi vinculis gloriatur. Ego igitur, ut antè jam scripsi, Christi vestem in Romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor. Et ne putes alterius hanc de me fuisse sententiam, quid mererer, ipse constitui. Verùm ut ait gentilis Poeta:*

Cælum non animum mutat, qui trans mare currit.

Ita me incessabilis inimicus post tergum secutus est, ut majora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim præsidiis fulta mundi Ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. EGO INTERIM CLAMITO: SIQUIS CATHEDRÆ PETRI JUNGITUR MEUS EST. *Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt. Possem credere, si hoc unus assereret, nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor beatitudi-* 6
nem tuam per crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per Passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito. Ita in solio cum duodecim judicaturus sedeas, ita te alius senem cum Petro cingat: Ita municipatum cæli cum Paulo consequaris, ut mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes. Noli despicere animam pro qua Christus mortuus est.

Operæ pretium fuit integras Hieronymi referre Epistolas, quò facilius appareret, illum privatam causam, quæ oratoribus hypothesis, non generalem, quæ thesis dicitur, tractare.

Privata causa seu hypothesis est, quæ in tacendarum vel dicendarum hypostaseon auctoritate definitur. Hic est scopus, ad quem Hieronymi rationum momenta pene omnia diriguntur. De tacendis enim tantùm & dicendis tribus hypostasibus quæstio est. De qua cùm in adversariam apud Orientales suspicionem venisset Hieronymus, ad Petri cathedram ut ad communionis suæ portum tutissimum confugit.

Primùm, Hieronymus Romæ sacro Baptismi ritu initiatus est: *Inde*, inquit in Epistola priori, *mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.* Iterum in posteriori: *Ego igitur, ut antè jam scripsi, Christi vestem in Romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriæ limite teneor.*

Deinde, Orientem inter & Occidentem comparatione facta, reperit in Occidente fidem inviolatam servari. Sic in priori Epistola: *Quoniam vetusto O-*
riens inter se populorum furore collisus indiscissam Do- 7
mini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit. Et paullo pòst: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregantur aquilæ. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas.* Apud vos solos nimirum Occidentales, seu Occidentalem Ecclesiam, cujus Romam caput esse nemo nescit. Id paullo post significatur apertiùs: *Nunc in Occidente sol justitiæ oritur, in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ: Vos aurea vasa & argentea.*

Tum, quia Hieronymus Romæ baptisatus fuerat, ob id civem se Romanum esse credebat. Exinde ad Damasum urbis Episcopum merito recurrit: *A Pastore præsidium ovis flagito. Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio; cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor.*

Quartò, Occidentem qui à Petri cathedra, ut à parte nobiliori totum innuitur, cum Ægypto conjungit: *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione, consocior.* Et paullo

paullo post: *Nec possum sanctum Domini tot interjacentibus spatiis à sanctimonia tua semper expetere; Ideo hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor.* Huc pertinent, quæ scribit in Epistola ad Marcum Celedensem presbyterum: *Hæreticus vocor homousion prædicans Trinitatem: Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes, veras, integras, perfectasque personas indefessa voce pronuncians: Si ab Arianis meritò, si ab orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desierunt: Aut si*
8 *eis placet hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto; Hoc est cum Damaso Petróque condemnent.* Ex hac autem Occidentis cum Ægypto, Damasi Papæ cum Petro Alexandrino conjunctione manifestum redditur, Hieronymum in privata causa & hypothesi, quæ præ manibus est, vehementer obstare, quo minus hinc nllum Damaso soli vindicetur non errandi privilegium, quale Bellarminus & Curiales magistri reliqui vindicant.

Quimtò, collata inter se commata hæc duo: *Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas*; &, *hic collegas tuos Ægyptios confessores sequor*: Ex commatibus his addita; quæ ex Epistola ad Marcum Celedensem recensuimus, difficultatem nonnullam objiciunt, si comma prius simpliciter & absolutè sumatur. Nam hocce modo sumptum, cum posteriore commate, & cum iis, quæ in Epistola ad Marcum illum traduntur, stare penitus non potest. Sed non sic est sumendum; sed comparatè, ita ut apud Occidentalem Ecclesiam servaretur incorrupta Patrum fides, cùm Oriens, in quo versabatur Hieronymus, variis erroribus dissideret. Igitur verba hæc, *apud vos solos*, præ cæteris tantùm, non exclusis aliis omnibus ad unum intelligenda sunt.

Mitto, quæ Hieronymus postea de Liberio & Felice observabit. Nam hæc corruptam in duobus istis Episcopis potiùs, quàm incorruptam Patrum hæreditatem exhibent. In summa, facti non juris quæstio est, quam sanctus Doctor exponit. Hoc notandum fuit propter nonnullos, qui quæ circumspicienda sunt, non circumspiciunt. Relato commate abutuntur, & Doctori sancto alienas ab ejus mente & ætate opiniones affingunt.

9 Sextò hæc verba: *Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio*, non referri ad Petrum solum, post annos à consulto Damaso XVIII. in libro I. contra Jovinianum docuit: *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Similis est & locus alius in Psalmum LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus sanctis. Quos non possumus dicere fundamenta? Apostolos. In illis erant fundamenta. Ibi primùm posita est fides Ecclesiæ, & ibi fundamenta sunt posita.* Et post alia: *Legamus Apocalypsim Joannis, legamus & Esaiam: Ubi ædificatur civitas Jerusalem, & duodecim portæ ipsius dicuntur esse de lapidibus pretiosis constructæ. Et ipsa civitas de cœlo descendit: Et dicuntur muri ejus aurei, & dicuntur plateæ ejus stratæ esse smaragdo, & dicuntur singulæ portæ ex singulis lapidibus pretiosis. Hæ sunt totæ Domini divitiæ, & hoc diligit Dominus, quod & homines? Prohibet nos ab avaritia, & ipse de avaritia extruit civitatem? Ergo diligit Dominus portas Sion; Illas portas duodecim Sion: Manifestum est, quod de Apostolis scripsit.* Explicatus per seipsum Hieronymus, Bellarmino & Sectatoribus argumentum nullum præbet. Immo nocere potest, prodesse nunquam potest: Nisi à se ipso dividatur, & mutilatus in Bellarmini libros ducatur. Sic in Hieronymi opinione fundata est super omnes Apostolos Ecclesia. Hoc Bellarminus in libri IV. de Rom. Pontif. capite
10 III. dissimulat, quò securiùs ex Hieronymo argumentetur, & inferat: *Super Pontificem Ecclesiam esse fundatam, nec fieri posse ut Ecclesiæ fundamentum cadat:* *Ac proinde errare non posse eundem Pontificem, cùm doceat totam Ecclesiam in his, quæ ad fidem & mores pertinent.* Quod lemma eum ex Hieronymo probandum sibi sumit, fallaciter disputat, vel certè luculenter ostendit, se Doctoris sancti Commentarios ut oportet, perlegisse nusquam. Sed neutrum veritati nocere debet.

Septimò, privatam causam suggerunt verba hæc prioris Epistolæ: *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum*, & hæc posteriora: *Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt; possem credere si hoc unus assereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Antiocheni sunt Episcopi tres, quos in trium hypostaseon negotio Hieronymus favere sibi non credebat.

Octavò, Nicænum Concilium hac in re supremum agnoscit judicem. Quo ut tali agnito superiorem alium nullum, ne Damasum quidem, id est, Romanum Pontificem agnoscit: *Nunc igitur proh dolor post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum præsule & Campensibus novellum à me homine Romano nomen exigitur.* Infrà: *Condatur nova post Nicænam fides, & similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi.*

Nonò, Hieronymus ea dicit, quibus non obscurè significat, Damasum posse à vera fide deflectere. Perpendamus: *Et si ita est, cur ab Ario parietibus separamur, perfidia copulati. Jungatur cum beatitudine tua Ursicinus, cum Ambrosio societur Auxentius. Absit hoc à Romana* 11
fide. His verbis, *absit à Romana fide*, non deprecaretur malum tam grande, nisi reipsa timendum esset, & posset accidere.

Decimò, postulat duntaxat Occidentalium & cum primis Damasi Papæ super tacendis vel dicendis tribus hypostasibus auctoritatem, qua se ab Orientalium impetitionibus defendat. Id cum ex aliis quærit anxiè, tum ex eo quoque quòd Romanus homo esset: *Trium*, inquit, *hypostaseon ab Arianorum præsule & Campensibus novellum à me homine Romano nomen exigitur.* Hæc est vexatio, quam Hieronymus opera Damasi removere à se tentat, ubi opus non erat ulla fidei definitione nova, cui falsum subesse non potest.

Quidquid id est, Damasum Hieronymo respondisse non invenio, sive quia Hieronymus victis per ejus scripta Campensibus, vexari desiit, sive quia continuò vexatus solitudinem illam, in quam commigraverat, deseruit & Hierosolymam petiit, unde post aliquod tempus Romam apud Damasum se recepit, sive tandem quia Damasus sine Synodo respondere se non posse credidit, nec tunc habere Synodum potuit.

Hæc est igitur privata causa & hypothesis, in cujus tractatione Hieronymus Romano Pontifici per Damasum indeficientis judicii privilegium non attribuit, ut eum attribuisse falsò putant, qui Hieronymi Epistolas momentis suis non expendunt. Aliud est, divulsa ab reliquo contextu certa quædam Epistolarum verba jactare, torquere, & circumrodere, & in iis deinceps antecaptum animo sensum affingere: Quod omnino faciunt, qui decipi volunt vel decipere. Aliud verò 12
integras Epistolas attentè legere & perlegere, ut quò spectet auctor, verè deprehendatur: Sed quia si deprehenderetur, incommodaret, deprehensioni locus vix ullus datur.

Nunc ad generalem causam seu thesim venio, quæ in eo sita est, utrum Hieronymus in Romano Pontifice non errandi privilegium absolutè & simpliciter agnoscat. Id autem difficultatis apud Hieronymum habet nihil: Privilegium nullum agnoscit.

Primùm, quia in privata causa & hypothesi jam observata sunt multa, quibus thesis concutitur & labefactatur. Nempe *in omni jure per speciem derogatur.* L. sanctio legum. de pen. L. in omni. de reg. jur.

Deinde quia Hieronymus semel atque iterum notat, Liberium Papam hæresi subscripsisse, semel quidem in

cap.

cap. CVI. libri de viris illustribus: *Fortunatianus natione Afer Aquileiensis Episcopus imperante Constantino in Evangelia titulis ordinatis brevi & rustico sermone scripsit Commentarios, & in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.*

Iterum in Chronico: *Romanæ Ecclesiæ 34. ordinatur Episcopus Liberius, quo in exilio ob fidem truso, omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verùm cùm Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi perjuraverunt, & post annum cum Felice ejecti sunt. Quia Liberius tædio victus exilii, & in hæretica pravitate subscribens Romam quasi victor intraverat.*

13 Præterea Felicem, quem ab Arianis in Liberii locum fuisse substitutum ait, Arianum fuisse Episcopum scribit, in capite CVII. libri ejusdem de viris illustribus: *Acacius, quem quia luscus erat, μονόφθαλμον nuncupabant, Cæsariensis Ecclesiæ in Palæstina Episcopus, elaboravit in Ecclesiasten decem & septem volumina, & Συμμίκτων ζητημάτων sex, & multos præterea diversósque tractatus: In tantum autem sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Episcopum constitueret.* Scio quidem in Sophronii versione Græca, *Arianum*, non haberi. Sed Hieronymus Latinè non Græcè scripsit. Adde quòd textus Archetypus non per versionem Græcam, sed Græca potiùs versio per textum archetypum corrigenda est.

Optatus Milevitanus Episcopus, qui tunc floruit, in libro II. de schismate Donatistarum adversus Parmenianum, & beatus Augustinus qui Liberio & Felici tempore proximus fuit, in Epistola CLXV. ad Generosum Episcopum, Felicem in Catalogo Romanorum Pontificum non collocant, & cur non collocent, alia causa nulla mihi suppetit, nisi quia illum pro hæretico duxerint.

Beatus Athanasius Felici æqualis in Epistola ad Solitarios Felicem habet instar Antichristi: *Nihil est, quod ille* (Epictetus Episcopus) *gravetur facere, modò Imperatori placeat. Hoc ministro mens incredibile facinus designavit, & quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi & jure comitiorum tres Eunuchos præsentes esse jusserit, trésque item κατασκόπους, hoc est, exploratores (non enim eos Episcopos dixeris.)*
14 *Ut ipsi Felicem quendam Episcopum in palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum pravitate, non permisere eos Ecclesiam intrare, procùlque ab iis recesserunt. Quid igitur hic, quod Antichristi non sit, omisit? aut quid ille ubi venerit plus committere poterit?*

His autem ita constitutis omni luce clarius est, Hieronymum in ea esse sententia ut credat Romanum Pontificem errare in fide posse, tantum abest, ut illum non errandi in fide privilegio impertiat. Hieronymus opinor non iret inficias, Romanæ urbis Episcopum posse in fide errare, postquam Liberium hæreticæ pravitati subscripsisse semel atque iterum tradit. Hoc nisi concoquant, devorent necesse est, qui certis quibusdam Epistolarum Hieronymi verbis non tam utuntur, quàm abutuntur, ut probent, Romanum Pontificem errare in fide non posse, cùm *docet totam Ecclesiam.* Nec illud probare possunt, nisi multiplices fallacias adhibeant, quibus vera Romani antistitis potestas non indiget.

Cæterùm quæ de Liberio & Felice scribit Hieronymus, hæc nonnisi certa atque explorata sunt. Commoratus est Romæ per triennium, & Damasum Liberii successorem in conscribendis ad varias consultationes responsionibus adjuvit; ut ipsemet testatur in Epistola ad Gerontiam seu Ageruchiam: *Ante annos plurimos cùm in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, & Orientis ac Occidentis Synodicis consultationibus responderem, vidi,* &c. Perspecta igitur &
animadversa Romæ tunc erant, quæ de Liberio & 15
Felice monumentis consignat suis. Epistolam viderat, quam Liberius ad Orientales Episcopos scripserat. Hæc ita se habet: *Dilectissimis fratribus & Episcopis Orientalibus salutem.* Et aliquanto pòst: *Ego Athanasium non defendi, sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius decessor meus, verebar, ne ab aliquo fortè prævaricator judicarer: At ubi cognovi, quando Deo placuit, justè vos illum condemnasse, mox consensum meum commodavi sententiis vestris, literásque super nomine ejus* (id est de condemnatione) *per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio à communione omnium, cujus nec Epistolia à me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Orientalibus, seu per diversas provincias pacem & unanimitatem habere. Num ut veriùs sciatis, me veram fidem per hanc Epistolam loqui, Dominus meus & frater communis Demophylus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram & Catholicum exponere, quæ Sirmii à pluribus fratribus & coepiscopis nostris tractata & exposita & suscepta est ab omnibus, qui in præsenti fuerunt: Hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc à me tenetur.* Huc spectat Hilarius cùm Imperatorem Constantium his compellat verbis: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum: Eripuisti illinc Episcopum* (Liberium) *sed ô te miserum! qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quàm remiseris.* Catholicum relegaverat Episcopum, hæreticum remiserat Episcopum. Quo pacto
Hilarius anathema Liberio non semel denuntiavit. Nec 16
denunciatum illi ab Hilario anathema priùs, ut falsum quid repudiabitur, quàm scriptus ab Hilario adversus Constantium liber eidem abjudicetur.

Hæc habui, quæ ut morem gererem studio ac cupiditati tuæ, de duabus beati Hieronymi Epistolis dissererem. Necesse fuit eas recensere integras, & quidquid in iis continetur, vel ex iis colligitur, ad hypothesim vel ad thesim revocare, ut auctoris mens circa propositum tuum & meum apertiorem in lucem ederetur. Atque eo modo patefactum est artificium Sophistarum, qui quod Hieronymus scribit in Epistolis, ab illius vero sensu & repetita ex aliis operibus doctrina, perperam deflectunt.

Sed quidquid in duabus ad Damasum Epistolis existit vel potest existere difficultatis, per Epistolam ad Marcum Celedensem Presbyterum removetur. Nam Hieronymus hac in Epistola in Occidentis & Ægypti Ecclesiam, ut in proponentem regulam, quæ sub Damasi Romani & Petri Alexandrini nomine exprimitur, fidem suam ultimùm resolvit. Hoc autem cùm ita sit, Bellarminus Doctoris tanti auctoritate abutitur, & fucum facit, quo Romana non eget Ecclesia, & sit anathema, qui eam fuco tali egere affirmaret.

Verum enimvero derogare non est animus, sed obedire potiùs Florentinæ Synodo, in qua cùm de sanciendа Romani Pontificis dignitate per DICTA SANCTORUM ageretur, Græci Latinis restiterunt, sed post habitas ultro citróque collationes, tum demum
in hanc sententiam, & in hoc temperamenti genus 17
itum est ab universis Patribus. Quod cùm ita sit, conciliariter, crasso & soloce adverbio factum magistri quidam asserunt. Florentinæ Synodi adscribo verba è sessione XXV. antiquæ editionis, quæ approbante Clemente VII. in lucem prodiit: *Interim Papa bellariis, & sacchare vinóque nos refecit, nihil tamen factum, quod esset ex re, nisi quod Imperatoria domum profecti post consultationem pari consensu ita scripsimus: De primatu Papæ fatemur ipsum Summum Pontificem esse procuratorem, locum-tenentem ac Vicarium Christi, Pastorem & Doctorem omnium Christianorum, regentem ac gubernantem Dei Ecclesiam salvis privilegiis, & juribus Patriarcharum Orientis: Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam: Deinde Alexandrinum, & post hunc*

esse

esse Antiochenum, postremò Hierosolymitanum. Hæc cùm
scripsimus, statuimus nihil amplius scribere, aut facere,
sed si hoc à Papa non reciperetur, nihil ultra esse facien-
dum. Itaque misso hoc feria VI. *vesperi novimus li-*
benter fuisse receptum, & acquievimus. Et post alia:
Venerunt ergo cùm advesperasceret nomine Papæ, Creten-
sis, Rhodius, & Coronensis præsules, dixerúntque Impera-
tori, consultationem esse habitam & unionem admissam,
atque postridie fieret tomus definitionis Latinè & Græcè,
& omnes subscriberent, qui si confectus esset feria secun-
da, die festo sanctorum Apostolorum celebraretur missa,
& fieret unio.

Venerunt igitur mane constituti ex Latinis assum-
ptisque nostris, contulerunt se in templum sancti Fran-
cisci, & cùm sedissent, conscripsere decretum unionis, quod
18 *deinde allatum Imperatori legerunt, statimque ipse in ex-*
ordio nota illud confixit: Dicebat enim in principio: Eu-
genius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei
memoriam. At verò Imperator non ita: Sed volebat, aut
omnino ejus nomen reticeri, aut scribi quidem, sed non Papa
solius, verùm hoc addito, consensu serenissimi Imperatoris
& Patriarchæ Constantinopolitani, cæterorúmque Patriar-
charum.

Agebat præterea de privilegiis Papæ, ut habeat illa
juxta determinationem sacræ Scripturæ ET DICTA
SANCTORUM. *Hoc etiam non placuit Imperatori. An*
SIQUIS, *inquit,* SANCTORUM IN EPISTOLA HO-
NORET PAPAM, EXCIPIET HOC PRO PRIVILE-
GIO? *Propter hoc significavit Papa: Aut hoc corrigeret,*
aut de reditu ejus cogitaret. Quod audiens Papa tur-
batus est, & respondit eis: Qua Imperator affectus mo-
lestia hoc dixerit, Valde miror. Verumtamen missis ad
Imperatorem Cardinalibus, primum quidem correxerunt,
ut videlicet scriberent, consensu serenissimi Imperatoris &
Patriarcharum: Alterum verò noluerunt, sed aiebant,
Unde meliùs possumus habere primatum, QUAM EX
SCRIPTIS SANCTORUM? *At verò Imperator cogebat*
ibi aliquid apponi. Dicebat enim, ut adderetur, juxta
tenorem canonum, ET NON SECUNDUM DICTA SAN-
CTORUM: *Nec ulla ratione consenserunt, sed abiere Car-*
dinales. Itaque feria III. *manè convenimus omnes. Et*
requirentes alter ab altero utrique altercabamur: Et hi
quidem dicebant, Latinos esse causam moræ: Illi verò Im-
peratorem. Cúmque hæc dicerentur, affligebamur. Ad
vesperum Imperator cogit præsules (GRÆCOS) *dixitque*
eis: Cardinales venerunt ad me, dixerúntque de proposita
19 *quæstione planè multa: Ego verè illis respondi, quoad ejus*
fieri potuit.

Videntes igitur mihi non potuisse persuaderi, rogave-
runt, ut vos convocarem: Loqui enim volunt coram vo-
bis. Idcirco sanctitatem vestram ut huc veniret, admo-
nui. Quò venientes & illi inveniant vos, dicántque quid-
quid voluerint. Dum hæc dicerentur, En Cardinales &
cum ipsis Archiepiscopi, multique viri docti! Cùm ergo
sedissent, Julianus eorum consilio sic orsus est dicere:
Serenissime Imperator, vósque simul venerandi præsules,
ex duabus, quæ sunt inter nos, controversiis; De præ-
notatione nominis Papæ, DEQUE SANCTORUM
DICTIS: *Alteram utcunque sedavit ipse beatissimus*
Pater, appositúmque est in prænotatione nomen serenissimi
Imperatoris & Patriarcharum, cùm neque necessarium
esset, neque his temporibus congruens. DE DICTIS
VERÒ SANCTORUM, *quo pacto illa velimus in de-*
finitione allegari, nihil ambigimus, cùm DICTA SAN-
CTORUM *sint, & per ea symbolum quoque fidei com-*
positum sit, & sacrificium & quidquid canonibus conti-
netur, ac sine DICTIS SANCTORUM *nihil sit factum.*
Quapropter sperabamus vos nullam controversiam factu-
ros. Nunc igitur audito mane de his multo sermone se-
renissimi Imperatoris, opera pretium nobis est visum, vos
quoque, qui Ecclesiastici Doctores estis, hoc habere cogni-
tum, an æquum sit, opus Dei impedire PROPTER DI-
CTA SANCTORUM.

Rogamus itaque vos, ne diutius in tentatione versetur
Ecclesiarum unio, tempúsque frustra conteratur, sed ad-
missa allegatione DE DICTIS SANCTORUM *fiat unio.*
Hæc & similia cùm dixisset, tacuit. Respondit Impera- 20
tor spatium sibi velle dari ad consultandum, statimque
egressis Cardinalibus nos consilium iniimus, scripsimúsque,
habenda esse à Papa sua privilegia juxta canones ET
DICTA SANCTORUM, *sacrámque Scripturam & acta*
Synodorum. Hæc illis ex tempore exarata tradidimus,
responderúntque nobis. Soli nos nihil dicere possumus,
sed accepta hæc Scriptura referemus omnia ad Dominum
nostrum, atque ita crastina die respondebimus. Postridie
igitur, quarta videlicet feria profecti sunt Cardinales
ad Imperatorem, dixerúntque ei: Pater sanctus duas
accepit scripturas, jussitque de duabus alteram eligere.
Legatur ergo tomus, examinetúrque, ut res ad finem per-
ducatur.

Lectus est tomus & placuit. Jussit ergo Imperator po-
stera die ex utraque parte convenire sex, ut definitio &
tomus unionis Græcè & Latinè scribatur in Diptychis:
A parte quidem dextera Latinè ut Latini subscriberent,
& appenderent Bullam Papæ, ab altera verò parte Græ-
cè, ut Græci subscriberent, & apponeretur aurea bulla
Imperatoris.

His ita ordinatis feria V. *mane contulerunt se in*
templum sancti Francisci, & conscripserunt definitionem,
& ad Imperatorem detulerunt: Postquam verò confecta
sunt omnia, quid facit malignus? Scriptum erat in de-
finitione, salvis juribus & privilegiis quatuor Patriar-
charum. Repertum ergo est fuisse additum, OMNI-
BUS. *Quod audientes Latini, quasi magnum quid es-*
set, vertigine correpti sunt, statimque postularunt, ut
non omnibus privilegiis, sed tantùm privilegiis, dicere-
tur. Atque id fuit causæ, cur feria V. *&* VI. *tomus*
non fieret. Quarta verò die Julii Sabbato convenerunt
constituti in dictum templum, & composuerunt defini- 21
tionem addentes, cum omnibus privilegiis, & juribus
eorum videlicet Patriarcharum, & die illa subscrip-
simus.

Feria verò secunda sexta die Julii facta est unio Ec-
clesiarum, & lecta est definitio post celebrationem mis-
sæ: Venit enim beatissimus Papa in magnam Ecclesiam,
cui nomen sanctæ Mariæ liberata, & nos ei assistebamus,
sacro induti habitu, missámque celebravit, & sacro peracto
post litanias decantatas, recitata est definitio Latinè &
Græcè, Latinè quidem à Cardinali sanctæ Sabinæ Juliano,
Græcè verò à Bessarione Archiepiscopo Nicæno. In hæc
verba:

Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam
rei memoriam, consentiente ad infrà scripta charissimo in
Christo filio Joanne Palæologo Romæorum imperatore il-
lustri, & loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum
Patriarcharum & cæteris Orientalem Ecclesiam repræsen-
tantibus: Lætentur cæli, exultet terra. Et post alia:
Item diffinimus sanctam Apostolicam Sedem & Roma-
num Pontificem in universum orbem tenere primatum,
& ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati
Petri Principis Apostolorum, & Verum Vicarium Jesu
Christi, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christiano-
rum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Pe-
tro, pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Eccle-
siam à Domino Jesu Christo plenam potestatem tradi-
tam esse, quemadmodum & in gestis Oecumenicorum Con-
ciliorum, & in sacris canonibus continetur, Καθ' ὃν τρόπον
καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς
ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.

Flavius Blondus Eugenii Papæ scriba id ita gestum 22
esse testatur in libro x. Decadis III. *Ubi* (Florentiæ)
sexto postquam applicuerat mense, post multas pertinacissi-
másque Patrum dissertationes ad eam deventum est conclu-
sionem, qua serie enarrata facillimum intellectu erit, qua-
lia fuerunt, quæ tot præstantes utriusque partis viros per-
petua mensium quindecim disputatione distinuerunt. Eam
verò ex decreti, quod summo partium consensu statu-
tum est, Latinis pariter & Græcis scriptum literis per

universum

universum orbem misimus, verbis referemus. Item diffinimus, &c. Ut suprà ex eodem Blondo recensuimus.

Disputationes igitur, collationes, & conventa illa sunt, quibus tandem Latinos inter & Græcos effectum est, ut unionis decretum ea ratione conderetur, qua descriptum Latinè apud Blondum & Græcè in Græcis Florentinæ Synodi editionibus legitur.

Hinc primò quidem animadvertendum est istud, *secundùm dicta Sanctorum*, habitis Latinos inter & Græcos concertationibus, summo omnium consensu à fidei decreto remotum esse: *An siquis*, inquit Imperator, *Sanctorum in Epistola honoret Papam, excipies hoc pro privilegio?*

Deinde sepositis à sancienda Papæ auctoritate *Sanctorum dictis*, Synodus ad *Oecumenicorum Conciliorum gesta & sacros canones* se duntaxat recipit, ex quibus illa comprobetur & sanciatur Papæ auctoritas, ut jam pluribus in locis monui, & cum primis in Caillocianæ responsionis Censura, quæ sub illustrissimi viri Achillis Harlæi nomine apparuit.

23 Tum Florentina Synodus cùm Synodum octavam se inscribat, & sub inscriptione tali prodiit in lucem cum Clementis VII. Medicæi privilegio, respectum habet ad primas Synodos VII. dum Romani Pontificis auctoritatem ad Oecumenicorum Conciliorum gesta, & sacros canones ut ad certam regulam expendendam esse statuit.

Tu verò, qui conscientia ductus Synodorum decretis obsequi soles, miraris, cur Bellarminus & illius asseclæ Florentino non obsequantur Concilio? Cur ab Hieronymi & aliorum Sanctorum dictis non abstineant, & ad Oecumenicorum Conciliorum gesta, & sacros canones, de quibus Synodus illa loquitur, non se tantùm recipiant, cùm legitimam Romani Pontificis dignitatem asserere volunt? Mirari desine: Gens adulationi dedita, religione nulla ducitur, præscriptum modum tenere nescit.

Non hoc perinde dico, quasi Hieronymus consiliis assentatorum Curiæ inserviat. Non inservit, nec inservire potest, quemadmodum ostendimus. Sed hoc solùm dico, ut sua veritati constet ratio, ut id quod res est, diligenter observetur, & Florentini Concilii regula valeat. Sic de antiquis Conciliis antiqui Patres & Pontifices loquuntur. Verùm absit ut tuum velim aucupari judicium, etiamsi illud permagni faciam. Tu censebis aliter, si ut censeas res ipsa postulet, & tunc à te non dissentiam, & gaudebo maximè, quòd mihi fautor emendatórque scriptionis, & ideò fautor, quia emendator, contigerit. Vale. Lutetiæ Parisiorum x. Calend. Junii ann. MDCLXVI.

Joannes Launoius

JACOBO BEVILAQUÆ,

Parisiensi Theologo.

1 CUM in argumenta è Scripturis deprompta, quibus Bellarminus Romano Pontifici non errandi in fide & moribus privilegium tribuit, nuper inspiceres, dubitabas merito, num ille in usu Scripturarum fecerit, quod Tridentina Synodus faciendum esse præscripsit. Dubitandi ratio fuit, fieri non posse, ut ad Synodi hujus præscriptum ea probaretur opinio, quæ Romanæ Ecclesiæ traditioni repugnaret. Hinc tibi veniebat in mentem traditio hæc, quam duabus in Epistolis, una ad Raimundum Formentinum, altera ad Joannem Gerbasium per ipsorummet Pontificum monumenta prodidi: Hinc probe noveras, ut lumen lumini, sic & verum vero contrarium non esse. Sed quamvis ista satis inter se cohæreant, & incurrant in communem hominum intelligentiam, nihilominus tamen optasti, ut Bellarmini rationem à verbis Lucæ, *Oravi pro te, Petre, &c.* quæsitam cum Tridentini Concilii decreto & fidei professione componerem. Ut tum demum appareat, Bellarminum in formanda ratione sua nec decreto huic parere, nec professionem fidei servare, propono decretum, quod fidei professio excipiet, ex sessione IV. *Sacrosancta Synodus ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, & ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinen-*
2 *tium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure statutis puniantur.* Hoc ipsum in forma juramenti professionis fidei, quam Pius IV. edidit, paucioribus verbis ita repetitur: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.*

Nunc igitur præstanda sunt mihi duo: Primùm, referenda Patrum & tractatorum Ecclesiasticorum testimonia, quibus illi locum beati Lucæ: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, exponunt: Deinde perpendendum, num Bellarminus Tridentinæ Synodi decreto paruerit, & fidei professionem servaverit, cùm illa beati Lucæ auctoritate probare voluit; *Romanum Pontificem, cùm totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse.*

Quoniam verò Patrum & tractatorum Ecclesiasticorum expositio una non est, nequid perturbatè, nequid contortè fiat, illorum testimonia varias in classes distribuam.

Prima Classis Patrum & tractatorum Ecclesiasticorum, qui tradunt orasse Christum, ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur à Diabolo, sed in ea & gratia Dei tum demum perseveraret.

I. TErtullianus in libri de fuga in persecutione cap. II. *Nihil Satanæ in servos Dei vivi licebit, nisi permiserit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum*

*electorum in tentatione victricem, aut homines ejus fuisse
traducat, qui defecerunt ad illum. Habes exemplum Job,
cui Diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à
Deo accepisset potestatem, nec in substantia quidem ejus,
nisi Dominus dixisset, Omnia, quæ sunt ei in manu tua
trado: In ipsum autem ne extenderis manum. Denique
nec extendit, nisi postquam & hoc postulante Domino,
ecce, dixisset, trado tibi illum, tantùm animam ejus cu-
stodi. Sic & in Apostolos facultatem tentationis postula-
vit, non habens, nisi ex permissu: Siquidem Dominus in
Evangelio ad Petrum; Ecce, inquit, postulavit Satanas,
ut cerneret vos velut frumentum. Verùm ego rogavi pro
te, ne deficeret fides tua, ne tantum Diabolo permitteretur,
ut fides periclitaretur. Quo ostenditur, utrumque
apud Deum esse, & confessionem fidei, & protectionem,
cùm utrumque à Deo petitur, concussio à Diabolo, & pro-
tectio à fide. Et utique cùm filius Dei protectionem fi-
dei habet in sua potestate, quam à Patre postulat, à quo
omnem accepit potestatem in cælis & in terris, quale est,
ut concussionem fidei Diabolum in manu sua habeat.*

4 II. Beatus Cyprianus in Epistola VIII. ad Presby-
teros & Diaconos: *Oremus instanter & assiduis pre-
cibus ingemiscamus. Nam & hoc nobis non olim per vi-
sionem, fratres carissimi, exprobratum sciatis, quod dor-
mitemus in precibus, nec vigilanter oremus: Et Deus
utique, qui quem corrigit, diligit, quando corripit, ad
hoc corripit, ut emendet: Ad hoc emendat, ut servet.
Excutiamus itaque, & abrumpamus somni vincula, &
instanter ac vigilanter oremus, sicut Paulus Apostolus præ-
cipit dicens: Instate orationi vigilantes in ea. Nam &
Apostoli orare diebus ac noctibus non destiterunt: Et Do-
minus quoque disciplinæ magister, & exempli nostri via
frequenter & vigilanter oravit, sicut in Evangelio legi-
mus: Exiit in montem orare, & fuit pernoctans in ora-
tione Dei, & utique quod orabat, orabat ille pro nobis,
cùm peccator ipse non esset, sed nostra peccata portaret.
Adeò autem pro nobis ille deprecabatur, ut legamus alio
loco: Dixit autem Dominus ad Petrum: Ecce Satanas
postulavit, ut vos vexaret quomodo triticum: Ego autem
rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quòd si pro nobis ac
pro delictis nostris ille & laborat, & vigilat & precatur,
quantò nos magis insistere precibus & orare, & primò ip-
sum Dominum rogare, tum deinde per ipsum Deo Patri
satisfacere debemus?*

Deinde in libro de oratione Dominica: *Quòd si
ille orabat, qui sine peccato erat, quantò magis peccato-
res oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vi-
gilans continuis precibus orabat, quantò magis nos in fre-
quentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem
Dominus & rogabat non pro se. Quid enim pro se in-
5 nocens precaretur, sed pro delictis nostris? Sicut & ipse
declarat, cùm dicit ad Petrum: Ecce Satanas expetivit,
ut vos vexaret quomodo triticum: Ego autem rogavi ne
deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus Patrem de-
precatur dicens: Non pro his autem rogo solis, sed & pro
illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut om-
nes unum sint.*

III. Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus in libro
I. de Trinitate: *O miseri stultitia furor impius, non in-
telligens, beatu senectutis fideique martyrem, & martyrem
Petrum, pro quo Pater rogatus est ne fides ejus in tenta-
tione deficeret, qui iteratu à se dilectionis in Deum postu-
latu professione tentari se adhuc tanquam ambiguum & in-
certum tertiu interrogatione ingemuit.*

Deinde in libro X. *Idcirco autem transferri eum* (ca-
licem passionis) *si possibile esset, à se precatus est, quia
cùm impossibile Deo nihil sit, sicut ipse ait, Pater possibi-
lia tibi omnia sunt, impossibile tamen est homini passio-
nis terrere non vinci, nec possit nisi per probationem fides
nosci. Atque ideo & pro hominibus, ut homo vult
calicem transire; & ut Dei ex Deo voluntas effectui
paternæ voluntatis uniatur. Id autem quod ait, si possi-
bile est, transeat, manifestè in eo docuit, quod ait Pe-
tro: Ecce satanas expetivit, ut vos cerneret sicut tri-
ticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fi-
des tua: Per hunc enim calicem Dominicæ passionis ten-
tandi omnes erant: Et etiam pro Petro Pater rogatur, ne
deficiat fides ejus, ut negantis infirmitati, vel dolor sal-
tem pœnitentiæ non abesset, quia fides in eo non deficeret,
quod pœniteret.* Et paullo pòst: *Sed intelligentiam no-
bis Lucas adhortationis istius* (dormite jam & requi-
escite) *tribuisse existimatur, qui cùm dixisset, Sata-
nam expetisse, ut Apostolos modo tritici cerneret, &
Dominum pro fide Petri ne deficeret, orasse, subjecit
post multam Domini precem, Angelum adstitisse confor-
tantem eum, quo assistente orare prolixiùs cœperit, ita
ut guttis sanguinum corporis sudor efflueret. Misso
enim ad custodiam Apostolorum Angelo, & per eum
confortato Domino, ne pro his tristis esset, jam sine tri-
stitia metu existens ait: Dormite jam & requiescite.*
Et paullo pòst: *Effectum autem impetratæ orationis &
adhortatæ dormitionis securitatem jam in ipso opere passi-
onis Evangelista demonstrat, cum Apostolis omnibus
de persecutorum manibus elapsuris ait, ut adimpleretur
verbum quod dixerat: Quoniam quos dedisti mihi,
perdidi ex eis neminem. Impletur enim per se oratio-
nis precatio, & salvi omnes sunt: Sed oratur Pater,
ut salvatos per se nunc in nomine suo salvet ipse, &
adeo salvat, ut Petri fides pœnitentia subsequente non
deficiat, licèt territa.* Hæc ille, quem beatus Augu-
stinus in libri I. contra Julianum capite III. Ecclesiæ
Catholicæ adversus hæreticos acerrimum defensorem
appellat.

IV. Sanctus Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episco-
pus in homilia XXII. de humilitate: *Verùm quoniam
arrogantiùs dixerat, etiamsi omnes scandalum patiantur
in te, ego tamen nunquam scandalum patiar, humanæ
traditus est infirmitati, & prolapsus in negationem, lap-
su institutus ad pietatem, & edoctus etiam aliis infir-
mis parcere, ubi suam ipsius cognovit imbecillitatem, &
conspicuè didicit, quòd quemadmodum in pelago merge-
retur, dextera Christi relevatus est, ita & in scandalo-
rum fluctibus, cùm propter incredulitatem periculum ip-
si perditionis immineret, Christi virtute servatus est:
Qui etiam ipsi quod postea contigit, prædixerat: Simon,
Simon, inquiens, ecce Satanas expetivit vos, ut cribra-
ret instar tritici, & ego pro te rogavi, ne deficiat fides 6
tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Pe-
trus ergo ad hunc modum reprehensus, meritò opem Do-
mini adeptus est, ut arrogantiam rejiceret, & infirmis
parcere institueretur.*

V. Beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, in
Lucæ caput XXII. *Si Petrus aliquando convertitur, qui
ad primam Domini secutus est vocem, quis potest dicere
citò esse conversum? Cave ergo jactantiam, cave sæculum:
Ille enim confirmare jubetur fratres suos, qui dixit: Om-
nia dimisimus, & secuti sumus te?*

Deinde in Psalmum XLIII. *Sicut triticum si venti-
latur, & à paleis separatur, mundum est: Si autem
ventilatum non fuerit, mundum esse non poterit: Sed est
paleis concretum, atque permixtum. Ita etiam homo, nisi
tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque veluti pa-
leas à se non poterit separare. Unde etiam ad Petrum
dictum est: Simon, ecce Satanas expostulavit, ut ven-
tilet vos sicut triticum, ego autem rogavi patrem meum,
ut non deficiat fides tua. Vide quid dicit & intellige:
Ventilatur Petrus, ut Christum negare cogatur, incidit in
tentationes, quadam locutus est, quasi plena palearum:
Sed locutus est verbo, ut fundatior esset affectu. De-
nique flevit & paleas suas lavit, & illis tentationibus
meruit, ut pro se Christus interveniret, quanto majus est
patrocinium, quàm perturbationis illius detrimentum, &
ideò plus quàm passus est, acquisivit. Acquisivit enim
Christum sibi patrocinantem. Cogitur autem & adver-
sarius sanctos Domini ad sua damna tentare. Dum enim
tentat, meliores reddit, ut qui tentatur, possit alios insti-
tuere, qui sibi ipse invalidus videbatur. Denique Petrus Ec- 7
clesiæ præpositus, postquam tentatus à Diabolo est: Ideòque*

antè significat Deus, quid sit illud, quod postea cum Pastorem elegit dominici gregis. Nam huic dixit: Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Conversus est ergo sanctus Apostolus Petrus ad bonam frugem, & ventilatus est, sicut triticum, ut esset ipse cum sanctus Domini unus panis, qui nobis esset alimentum. Dum enim Petri actus legimus, Petri præcepta, fit nobis vita æterna & salutis alimentum. Hæc ille, de quo beatus Augustinus in libri I. contra Julianum capite III. ita scribit: *Beatum loquor Ambrosium, cujus pro Catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus, sive sermonibus, & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus.*

VI. Sanctus Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus antistes in homilia LXIII. *Cùm assertioni suæ fervore quodam non staret Petrus, non quidem impulit ad negandum, sed desertum reliquit, ut suam ipse intelligeret imbecillitatem, dixit se tradendum Jesum: Respondit, absit à te: Reprehensus est, neque emendatus: Sed iterum cùm ipsius pedes Christus lavare vellet, dixit: Non mihi lavabis pedes in æternum. Iterum nunc audiens non posse sequi, & negaturum magistrum suum & posse, & non negaturum profitetur: Ex quo in arrogantiam prolaberetur, & Christo contradiceret, sua admonetur fragilitatis. Hoc Lucas significat, cùm inquit Christus: Et ego pro te rogavi, ne deficeret fides tua. Hoc est, ne in fine pereas, in omnibus eum humilitatem erudiens, & humanam arguens naturam, cùm ex se nihil sit.*

Deinde in homilia de verbis Jeremiæ cap. X. *Hoc*
8 *in mente vestra fixum sit, oportet, fieri non posse ut qui studium adhibeat, & de sua salute sollicitus sit, & omnia, quæ suarum sunt partium, exequatur, si unquam à Deo deseratur. Non audis, quid dicat Petro: Simon, Simon quoties expetivit Satanas, ut cribraret vos sicut triticum? Ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua. Nam cùm viribus omnibus esse majus videretur onus, manum porrigit, & tentationem reddit leviorem.*

Tum demum in homilia LXXXIII. super Matthæum: *Non dixit, non negabis: Sed ut non deficiat fides tua. Cura enim ipsius & fervore factum est, ne omnino Petri fides evanesceret.*

Idem habetur apud Nicetam Episcopum Serrarum in catena super Matthæi caput XXVI. *Propterea igitur Christus, ipsum (Petrum) labi permittit, ut inde doceat, Christo in omnibus esse obsequendum, ac proprio sensu firmiorem esse ducendam illius sententiam: Reliqui verò non parvum ex negatione collegerunt fructum, humanam infirmitatem agnoscentes, Deique veritatem. Cùm enim ipse aliquid prædicit, non ampliùs argumandum est, neque multis repugnandum. Oportebat & Petrum deprecari ac dicere, Adjuva nos, ne separemur, aut dicere: Non te negabo, si à te consecutus fuero favorem. Ipse ait: Etiamsi omnes scandalizati fuerint, ego non scandalizabor: Quod paulatim eum ad temeritatem adduxit: Hanc igitur Christus cùm reprimere vellet negationem permisit. Cùm enim neque se audisset, neque Prophetam, propterea enim Prophetam adduxerat, ne contradicerent; Attamen cùm verbis non inhiberetur, docetur operibus: Propterea enim permisit, ut hoc emendaret: Audi*
9 *quid dicat: Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum, id est, perturbaret, tentaret, vexaret; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Et cur si omnes expetiit, non dixit, quia pro omnibus rogavi? Sed ad Petrum vertit sermonem, ut omnino vehementer ipsum corripiat, ostendátque lapsum illius aliis fuisse pejorem, majorisque egentem auxilii. Duo enim erant crimina, & quòd contradixisset, & quòd aliis sese præposuisset, adeóque & tertium, eo quòd totum sibi attribuisset. At si rogavit Christus, ne fides Petri deficeret, quomodo ille negavit? Non dixit, ne neget, sed ne deficiat fides, ut non omnino pereat. Hoc enim ex illius sollicitudine factum est. Etenim timor omnia disjecit: Immodicus enim erat. Immodicus autem factus est: Eo quòd eum nudum admodum à suo favore Deus reddidisset: Nudum verò admodum eum reddidit, ob vehementem illius temeritatis & contradictionis passionem. Ut igitur à radice hanc tollat, ideo ad hasce eum angustias ita redigi passus est. Unde magnum nobis documentum est, neutiquam sufficere humanam animi promptitudinem, nisi superno potiatur favore, rursúsque nihil omnino nos consequi superno favore, nisi adsit animi promptitudo. Ambo etiam hoc Judas ac Petrus declarant: Ille siquidem cùm magno frueretur auxilio, nullum fructum tulit, quia noluit, nec quidquam de se contulit. Hic autem cùm prompto esset animo, quia nullo fruitus auxilio est, lapsus est: Ex duobus enim hisce virtus constat, superno favore, nostráque animi promptitudine.* Hæc omnia Chrysostomus, quem Augustinus tanti facit, ut in libri I. contra Julianum capite VI. ingenii & industriæ suæ nervos omnes adhibeat, ut ille 10 sibi videatur consentire.

VII. Carthaginiense Concilium in Epistola ad Innocentium Papam: *Consideret ergo sanctitas tua, & Pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quàm sit pestiferum & exitiale ovibus Christi, quod istorum sacrilegas disputationes necessario sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem: Quod Dominus & discipulos monuit, & posuit in oratione, quam docuit, aut ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse testatus est. Si enim possibilitate naturæ, & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cùm orando poscuntur, quæ natura nostra jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur? Nec debuisse dicere Dominum Jesum: Vigilate & orate: Sed tantummodo vigilate, ne intretis in tentationem: Nec beatissimo Petro primo Apostolorum: Rogavi pro te, sed moneo te vel impero ac præcipio, ne deficiat fides tua.* Hæc Patres Episcopi sexaginta octo, qui hoc in Concilium coiverunt.

VIII. Innocentius I. in Epistola ad istud Carthaginiense Concilium: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur: Sed possum plura dicere, nisi vos constaret cuncta dixisse.* Sub finem: *Sed satis vestris monitis, & sic satis abundantibus nostræ legis exemplis probatur esse responsum. Nec quidquam superesse duximus, quod dicamus, cùm nihil prætermissum à vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati, & penitus cognoscantur esse convicti. Ideóque à nobis testimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio est. Et satis constat, doctissimos Sacerdotes cuncta dixisse,* 11 *nec decet credere, vos aliquid quod ad causam possit proficere, præteriisse.* Sic Innocentius Carthaginiensis Concilii relationem totam approbat, ac proinde Scripturæ locorum expositionem, quæ à Concilii Patribus facta est: *Ideo,* inquit, *à nobis testimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio est.*

IX. Milevitanum Concilium in Epistola ad eundem Innocentium: *Nova quippe hæresis & nimium perniciosa tentat surgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conantur auferre. Cùm enim Dominus docuerit, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, isti dicunt posse hominem in hac vita præceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiæ sine adjutorio gratiæ Salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere: Dimitte nobis debita nostra. Illud verò, quod sequitur, ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus; sed hoc in nostra esse positum potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis, tanquam frustrà Apostolus dixerit: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, & fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Frustra etiam Dominus dixerit Apostolo Petro, Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Hæc Patres Episcopi sexaginta & unus. Potuerunt ad propositam quæstionem validiùs? potuerunt certiùs?

X. Inno-

12 X. Innocentius iterum in Epistola ad hoc Milevitanum Concilium: *Inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater & Coepiscopus noster Julius dilectionis vestræ literas, quas ex Milevitano Concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit; Carthaginensis etiam Synodi querelæ paribus scripta subjungens.* Et quibusdam interpositis: *Multifariis equidem ad destruendum tale magisterium* (Celestii & Pelagii) *uti possemus exemplis, nisi sciremus sanctitatem vestram ad plenum Scripturas omnes callere divinas, præsertim cùm vestra relatio tantis ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat præsens dogma rescindi.* At si Romana Ecclesia & Sede Apostolica, quæ per Innocentium loquuntur, judicibus, Milevitani Patres divinas ad plenum callent Scripturas, ambigi non potest, quin germanam Lucæ interpretationem sint assecuti, eámqe nunc Romana Ecclesia & Sedes Apostolica Innocentio scribente confirment.

Ut Romana Ecclesia & Sedes Apostolica hic Milevitano Concilio per Innocentium respondent, sic & Carthaginensi Concilio responderant, etiamsi Innocentius Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ conceptis verbis non meminerit. Notum est illud, quod Julius I. ad Orientales scribit: *Verùm in hoc ipsa justa & rationabilis causa est, dilectissimi, quam vobis intimandam puto. Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi.* Notum
13 quoque est illud, quod Felix III. ad Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum scribit in Epistola IV. *Firma sit hæc tua depositio à me, & ab his, qui mecum Apostolicum thronum regunt.* Hoc rectionis genus ab initio profectum esse non operosè colligitur ex iis, quæ Cyprianus ad Cornelium Papam in Epistola LIV. scribit: *Et quamquam sciam, frater carissime, pro mutua dilectione, quam debemus & exhibemus invicem nobis, florentissimo illic Clero tecum præsidenti, & sanctissimæ atque amplissimæ plebi legere te semper literas nostras, tamen, &c.* Quæ ex Cypriano, Julio, & Felice referimus, eò spectant, ut demonstrent, Innocentium non mutasse Romanæ Ecclesiæ seu Sedis Apostolicæ morem, quo etiamsi Pontifex solus scribat, non suam tamen solius sententiam dicat.

XI. Palladius Joannis Chrysostomi discipulus, Helenopolitanus Episcopus in Dialogo, quem de vita ejusdem Chrysostomi confecit: *Si autem ante quadringentos annos dictum est ab Apostolo, novissimam horam imminere, multo magis nunc. Sed enim ab initio ista contigêre, Deo ad exercendos justos permittente, quando illos examinat Diabolus, ut Salvator ait: Simon, Simon expetivit vos Satanas, ut cribraret velut triticum: Ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua. Neque verè pro solo Petro oravit Jesus, verumetiam pro omnibus Petri habentibus fidem, nihil aliud significante crebrò, quàm mortalem voluptatum & dolorum circulum, plenum foraminibus, per quæ terreni quilibet à vero tramite in infernum cadunt, dum alii per gulæ foramen*
14 *decidunt, quorum Deus venter est; alii per voluptatis, de quibus ait Propheta, spiritu fornicationis seducti sunt, &c.* Sic locum beati Lucæ ad varias refert tentationes, quibus hominis vita est obnoxia, & nisi juvetur à Deo, succumbit. Quomodo ad Dominicæ Passionis tempus respectum habet.

XII. Beatus Augustinus Hipponensis Episcopus in Epistola CCLII. ad Joannem Episcopum contra librum Pelagii: *In hoc libro ille Dei gratiam non appellat, nisi naturam, qua libero arbitrio conditi sumus.* Et quibusdam interpositis: *Unde quis non videat, cùm eundem librum legerit, quemadmodum oppugnetur gratia Dei, de qua dicit Apostolus: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Christum Jesum. Et nullus locus divino adjutorio relinquatur, propter quod orantes dicere debeamus: Ne nos inferas in tentationem: Sine causa etiam Dominus Petro Apostolo dixisse videatur: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua, si hoc totum in nobis nullo auxilio Dei, sed potestate voluntatis impletur.*

Deinde in libri de correptione & gratia capite VI. *Nam si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem tam felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud primitus evacuamus, quod ait Dominus Petro: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quid enim rogavit, nisi perseverantiam usque in finem?*

Tum in ejusdem libri capite VIII. *Si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundùm Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, ut perseve-
ret in bono quisque, vel non perseveret, non donante* 15
Deo si perseveret, sed humana voluntate faciente quid moliturus es contra verba dicentis; Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset: Hoc est si eam usque in finem perseverare voluisset: Quasi Petrus aliud ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, ut vellet? Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret, & permansuram, si eadem voluntas maneret, sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio? Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?

Quartò in ejusdem libri capite XII. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: Et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defecturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet; fortissimo quippe dimisit, ac permisit facere, quod vellet, infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè, quod bonum est, vellent. Dicente ergo Christo, rogavi pro te, ne deficiat fides tua, intelligamus ei dictum,
qui ædificatur super petram, atque ita homo Dei, non* 16
solùm, quia misericordiam consecutus est, ut fidelis esset, verumetiam quia fides ipsa non deficit: qui gloriatur in Domino glorietur.

Quintò in Commentario in Psalmum CVIII. *Et quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, quanquam bene intelligatur etiam pro discipulis suis orasse, quod etiam ante passionem suam dixit, ne deficeret fides eorum.*

Sextò, in eodem Commentario in Psalmum CXVIII. concione XV. *Est & alia spes, quæ in humilitate tribulationis plurimum consolatur, quæ sanctis data est in Verbo Dei adjutorium gratiæ pollicentis, ne quisque deficiat, de qua spe dicit Apostolus, fidelis Deus, qui non permittit vos tentari super id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Hanc spem dedit Salvator ore suo: Quando ait: Hac nocte postulavit Satanas vexare vos sicut triticum. Et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Hanc spem dedit in oratione, quam docuit, ubi monuit ut dicamus, ne nos inferas in tentationem.*

Denique in libri II. de opere olim imperfecto, nunc perfecto contra Julianum capite CCXVII. *Augustinus respondit. Tu vestro more, qui de vestro descendit errore, non agnoscis gratiam, nisi in dimissione peccatorum, ut jam de cætero per liberum arbitrium ipse homo seipsum fabricet justum, sed non de hoc dicit Ecclesia, quæ clamat tota, quod didicit à magistro bono, ne nos inferas in tentationem. Non hoc dicit, qui dicit, oramus*

ad

ad Dominum, ne quid faciatis mali: non hoc dicit, qui dicit: Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua. Isto
17 *enim modo gratia, ut non peccemus, facit, non qua peccavimus doluit. Utroque enim modo adjuvat gratia, & dimittendo, qua malè fecimus, & opitulando, ut declinemus à malis & bona faciamus.*

Hæc est beati Lucæ expositio, quam Augustinus sexies inculcat & infigit, ita ut de illius mente dubitari non possit.

XIII. Auctor quæstionum ex novo Testamento, apud Augustinum quæst. LXXV. *Nam inter cætera dicit Discipulis, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem: Et Petro dicit: Ecce Satanas expostulavit, ut vos ventilet sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quid ambigitur? pro Petro rogabat, pro Jacobo & Joanne non rogabat, ut cæteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur.* Qui & Augustini sensus est in Commentario super Psalmum CVIII. ut suo loco vidimus.

XIV. Beatus Cyrillus Alexandrinus Episcopus, in libro XI. super Joannem: *Igitur paullo ante rogabat seniores suos discipulos in nomine, quod datum est. Hic verò in veritate Patris petitionem impleri vult pro ipsis. Quid ergo varietas illa sermonum sibi vult, nisi ut ostendat unam esse à Patre per ipsum in consecrandis sanctis operationem? Ibi enim in nomine Patris servari oportere inquiens suos Discipulos in gloria & virtute deitatis, liberari ex Diaboli manu eos dicit, qui propter Deum pericula jubemur subire, cujusmodi etiam factum est in ipsis tametsi reticeatur, quod suis discipulis olim revelans dixit, Simon, Simon, Ecce Satanas ex-*
18 *petivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Nam pleraque eorum, quæ ad nos pertinent, occultè dispensantur providente nimirum & uniuscujusque vitam protegente Christo.* Et si minùs explicate loquitur, illuc tamen spectare non desinit quò Patres reliqui antiquiores vel æquales spectant.

XV. Beatus Leo Papa primus in sermone III. de anniversario die assumptionis suæ ad Pontificatum: *Instante autem Passione sua Dominus, quæ Discipulorum erat turbatura constantiam, Simon, inquit, Simon, ecce Satanas expostulavit vos, ut cribraret, sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, ut non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant: Quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum (* scilicet Apostolorum*) status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cùm itaque, dilectissimi, tantum nobis videamus præsidium divinitus institutum, rationabiliter & justè in ducis nostri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno regi redemptori nostro Domino Jesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ Principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus*
19 *rectè per nos agitur, rectèque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est, Et tu conversus confirma fratres tuos: Et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit, Pasce oves meas: Quod nunc quoque proculdubio facit & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis & pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur.*

Deinde in serm. II. de Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Instante autem Passione sua Dominus, quæ discipulorum suorum erat turbatura constantiam, Simon, inquit, Simon, ecce Satanas expostulavit, ut vos cribraret, sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, ne intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant: Quoniam Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro Petri fide propriè supplicatur, tanquam aliorum (*Apostolorum*) status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Nam & post resurrectionem suam Dominus beato Petro Apostolo post regni claves, ad trinam æterni amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit, Pasce oves meas. Quod & nunc proculdubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis non cessans, ut nulla tentatione superemur.*

Pontifex in his duobus locis, quæ sunt eadem, duo 20
exequitur: Et primò quidem seipsum prodit intelligendum de Apostolorum & Petri cum primis fide, quæ instante Domini Passione, in tentationem magnam adducenda erat, & certè adducta est, & pro qua ne deficeret tum demum, Christus oravit. Deinde Scripturæ locum ad ea, quæ Domini Resurrectionem consequuntur accommodate refert: Sed neutrobi à sensu literæ recedit, etiam cùm in sermone priori, vocem *aliquando* è textu subducit; *Ut si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, rectèque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est, Et tu conversus confirma fratres tuos.* Accedit, quòd Leo in Epistolis, quas de sancienda fide ad diversos exaravit, Scripturæ locum hunc nusquam adhibeat, adhibiturus sine dubio, si quid ille sibi, suæque Sedi privilegii præ cæteris importaret.

XVI. Beatus Prosper in Epistola ad Rufinum: *Quoniam ipsius Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo Dominus supplicasset, sicut Evangelista manifestat dicens: Dixit autem Jesus Petro: Simon, Simon, ecce Satanas postulavit, ut vos cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu tandem conversus confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem, & ut magis probaretur, liberum arbitrium nihil posse sine gratia, cui dictum fuerat, confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem: Quique responderat, utique ex libero arbitrio, Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire, eidem prædicitur, quòd priusquam gallus cantet,* 21
ter Dominum negaturus sit, quod quid est aliud, quàm quod in fide defecturus sit? Certè pro eo rogaverat Dominus, ne deficeret fides ipsius, nec utique frustra rogaverat, cujus una erat cum eo, quem rogaverat, operatio. Sed ne libero arbitrio videretur stare, qui de se magna promiserat, permittitur periclitari, ut conturbatum ac deficientem ille respiciat, sine quo nemo persistit.

Deinde in libri contra Collatorem capite XXXV. *Hujus tolerantiæ fortitudo unde descenderet, beatus Petrus & in illo animo Ecclesia veritatis ipsius voce discebat dicentis: Ecce Satanas postulavit, ut vos cerneret, sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, & roga, ne intretis in tentationem.*

XVII. Theodoretus Cyri Episcopus in libri III. de hæreticis fabulis capite V. *Novatus autem Romanæ Ecclesiæ Presbyter erat. Cùm autem gravissima tempestas Ecclesiam invasisset, accidit, ut quidam è pietatis alumnis post varia tormenta defatigarentur, & negationis verba usurparent. Hi redditâ tranquillitate rogarunt, ut pœnitentiæ remedia obtinerent, atque optimis quidem Pastoribus metuenda Domini accusatio videbatur, quâ dicit, ô Pastores, quod confractum erat, non colligastis, & quod aberraverat, non reduxistis, & quod ceciderat, non erexistis, lapsisque manum esse porrigendam, & hos juxta*

Domini

Domini præceptum confirmandos. Dominus enim magno Petro dixit: Simon, Simon, expetivit vos Satanas, ut vos cribraret sicut triticum, & ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: His consiliis Novatus non acquievit, sed palam
22 *contradixit, non oportere dicens salutem illos consequi qui abnegassent, perinde faciens, ut si, qui ægrotos medicamentis uti prohibent. Qui verò remedium adipisci postulabant arguebant eum, quod sæpe rogatus, ut ad ipsos properaret, & verbis eos confirmaret, qui tyrannis machinis pulsabantur, occultans seipse & latere studens, presbyterum etiam se esse negaret.* Scripturæ locum nunc variis calamitatibus accommodat, quibus tunc per Novatiani secessionem Romana premebatur Ecclesia. Ad Dominicæ Passionis tempus alludit, quo tunc Apostoli & potissimùm Petrus in iis versabantur angustiis, quas Evangelistæ describunt. Hinc Dominus oravit, ut iis non succumberent. Quod & in sequenti testimonio planiùs adhuc confirmat. Hoc autem ita se habet in oratione de charitate: *Hunc ejus* (Petri) *timorem videns Dominus, amorémque penitus exploratum habens, prædictione mortis solvit timorem, & charitati testimonium præbet, Petrique confessionem corroborat, & negationis ulcera confessionis pharmacum admovet. Ob id enim arbitror & hanc exegit triplicem, ut paris numeri medicamenta ulceribus imponat, discipulisque qui aderant, charitatis flammam manifestos. Prædictio itaque mortis, & Petrum consolata est, & alios docuit, negationem illam dispensationis fuisse, non mentis, ὡς οἰκονομίας ἦν, ἀλλ' ὃ γνώμης ὃ ἥρπασε. Atque hoc ipse Salvator Dominus noster insinuavit, dicens illi, Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Quemadmodum*
23 *enim ait, ego te fluctuantem non despexi, ita & tu sustentaculum esto fratribus conturbatis: Et quo servatus es auxilio, ipse aliis impartire, neque labascentes impellas, sed erige periclitantes. Idcirco enim & te labare sino, cadere non permitto, stabilitatem per te fluctuantibus procurans. Sic orbem terrarum universum fluctuantem, atque labantem magna hac columna confirmavit, & ut corruerit omnino, non permisit, sed erexit, stabilémque reddidit, oves divinas pascere jussus, & cùm pro ipso afficeretur injuriis, tolerabat, & verberibus cæsus lætabatur, exiitque ex pravo Concilio cum consorte gaudebat, quòd habitus esset dignus pro nomine Domini contumelias pati. Quin & in carceres conjectus, præ gaudio gestiebat. Cùmque à Nerone crucis supplicio propter crucifixum damnatus esset, lictores orabat, ut eodem quo Dominus modo crucifigeretur, sed contrà atque ille suspenderetur, metuens videlicet, ne similitudo passionis æqualem sibi apud ignaros honorem afferret.* Hæc ille Græcorum interpretum doctissimus, qui & Antiochiæ in Orientis capite Theologiam docuerat, hoc est, literas sacras per annos complures exposuerat: Hic sentit, quod Augustinus, cùm dicit suprà: *Christus quid aliud rogavit nisi ut* (Petrus) *haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?*

XVIII. Venerabilis Beda Presbyter Anglorum Doctor in cap. XXII. Lucæ: *Cum verò,* inquit, *pro Petro rogans, non ut tentetur, sed ut non deficiat fides ejus, obsecrat, hoc est, ut post lapsum negationis ad statum pristinum pœnitendo resurgat; Insinuat utile sanctis esse tentationum flammis examinari, vel tentari, ut quia fortes fuerint, appa-*
24 *reat, vel cognita per tentationes sua infirmitate fortiores discant: Et sic cùm probati fuerint, accipiant & ipsi coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Sicut ipse tuam, inquit, fidem, ne Satana tentante deficiat, orando protexi, ita & tu infirmiores quosque fratres exemplo tuæ pœnitentiæ, ne de venia fortè desperent, erigere & confortare memento.* Hæc clara sunt & perspicua.

XIX. Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus in cap. XXII. Lucæ: *Satanas vos,* inquit, *petivit cribrare, hoc est, turbare, nocere, tentare: Sed ego rogavi, ne existimetis, inquit, quod vestrum sit, totum hoc bonum opus. Diabolus enim valde urget, si possit vos ab amore Dei depellere, & ostendere proditores. Ad Petrum autem verba dirigit, qui reliquis audacior erat. Et probabile est superbisse in iis, quæ à Christo promissa erant: Idcirco & reprimit eum dicens: Satana quidem fuit multum studium contra vos: Ego autem oravi pro te: Hoc humano more dicebat. Nam ut Deus non opus habebat orare aliquem: Rogavi igitur, inquit, ut non deficiat fides tua. Quamvis enim brevi tempore concutiendus sis, habeto tamen recondita semina fidei, ut etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua. Tu verò conversus confirma fratres tuos: Planus hujus intellectus est, quia te habeo ut principem discipulorum, postquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc etiam te decet, qui post me Petra es & firmamentum Ecclesiæ. Intellexerit autem non solùm de Apostolis dictum, quòd confirmati fuerint à Deo, sed de omnibus etiam, qui usque ad* 25
consummationem sæculi futuri sunt fideles. Tu Petre conversus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, ut nullus credentium in te respiciens desperet. Quid evidentius & Scripturæ sensui convenientius?

XX. Oecumenius in eundem locum: *Rogavi patrem meum tanquam homo, ne in tempore negationis perdas fidem tuam, quam in me habes, & tu aliquando conversus post negationem videlicet per fletum amarum, hoc est, in pristinum locum denuò restitutus confirma fratres tuos. Fratres autem ejus dicit reliquos Apostolos aut illos, qui per eos erant credituri. Confirma exemplo pœnitentiæ, quam de peccato tuo egisti.* Et hoc nihil est quoque clarius.

XXI. Euthymius Zigabenus in eundem etiam locum: *Dixit autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Illi enim moris est præstantiores expetere ad palæstram sicut Job. Cribrare verò, id est, turbare, movere, concutere.* Et quibusdam interpositis: *Prædicit autem eis de futura tentatione, quando omnes eo relicto fugerunt: Ego verò pro te rogavi, ne deficiat fides tua. Rogavi, inquit, patrem meum tanquam homo, ne perdas fidem tuam, quam in me habes in tempore tentationis, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Conversus post negationem videlicet post fletum amarum: Hoc est, in pristinum locum denuo restitutus. Fratres autem ejus dicit reliquos Apostolos, aut illos, qui per eos erant credituri.* A majorum traditione non recedit.

XXII. Petrus Damianus Ostiensis Episcopus, & Card. in sermone XXVII. de SS. Petro & Paulo: *Etsi impulsus est Petrus ut caderet, non tamen cecidit, quia Dominus suscepit eum: Stupefactus quidem momen-* 26
tum hæsit Apostolus, sed statim in virtute fidei redit, quia respiciente Domino flevit amarè. Etsi ad tempus concussus est, non tamen dejici potuit, quia sententia veritatis cassari non poterat dicens: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.

XXIII. Drogo Ostiensis Episcopus & Cardinalis in libro de sacramento Dominicæ Passionis: *Voluisset quidem Satanas, si licuisset, sanctum Petrum colaphizando cribrare, sicut triticum, donec omnem ab eo fidei medullam excussisset: Sed ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

XXIV. Magister Sententiarum in lib. III. dist. XVII. *Pro hominibus ergo vult transire calicem, per quem omnes discipuli erant tentandi. Et ideo pro Petro rogat, ne deficiat fides ejus.*

XXV. Innocentius III. in sermone I. de sanctis Petro & Paulo: *Sed tu es Christus filius Dei vivi, qui vivens in se vivificat universa, in quo vivimus, movemur, & sumus. Hanc tantùm fidem Dominus nulla passus est tentatione deficere. Unde cùm in Passionis articulo beato Petro dixisset, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, statim adjecit: Sed ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Licèt enim aliquando dubitaverit, propter quod Dominus eum increpavit, Modicæ fidei quare dubitasti? Quia tamen fides in*

sua

sua soliditate convaluit, statim eum de periculo pelagi liberavit. Sic Scripturæ locum de solo Passionis tempore interpretatur.

XXVI. Hugo Cardinalis in caput XXII. Lucæ: *Ego*
27 *autem rogavi, quasi Satanas tentabis me permittente, sed non prævalebis. Et hoc non erit ex vobis, sed ex me, qui hoc rogavi, scilicet, ut non deficiat fides tua. Chrysostomus. Pro omnibus petiit Joannis XXII. Pater sancte, serva eos in nomine tuo. Sed quare hic de solo Petro? Solutio. Ostendens, quòd difficilior est casus ejus, id est, Prælati. Et primò quare non dicit non, sed ut non? Romanorum XVI. Deus autem pacis conterat sub pedibus vestris velociter, ut non deficiat fides tua. Chrysostomus. Qualiter ergo rogavit? Solutio. Non dixit Dominus, ut non neges, sed ut non deficiat fides tua, ut non pereres finaliter. Beda. Non ait, ut non tenteris, sed ne deficiat fides tua, ut post lapsum negationis ad pristinum statum pœnitendo resurgas. Utile enim est sanctis propter duo tentari, ut scilicet aliis appareat fortitudo eorum, & ut agnoscant fortitudinem suam. Ecclesi. XXXIV. Qui non est tentatus, &c. Tobia. Et tu aliquando conversus; in hoc innuit, quod aliquando negaturus; confirma fratres tuos. Argumentum, quòd qui non est conversus, non potest alios confirmare.*

XXVII. Albertus Magnus in eundem locum: *Ego autem, quem Pater in omnibus exaudit Hebræorum* V. *in omnibus exauditus est pro sua reverentia Joan.* 11. *Ego sciebam, quia tu semper me audis: Rogavi pro te, ut non finaliter deficiat fides tua.* Sic ad literam exponit de personali fide Petri.

XXVIII. Beatus Thomas in Catena super cap. XXII Lucæ. *Ait autem Dominus Simon: Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret, sicut triticum. Id est, expetivit vos tentare, velut qui triticum purgat, ventilan-*
28 *do concutero, in quo docet nullius fidem à Diabolo, nisi Deo permittente, tentari. Theophyl. Hæc autem Petro dixit: Eò quòd fortior aliis erat, & superbire poterat in iis, quæ promissa erant à Christo. Cyrillus: Vel ut ostendat, quòd homines nihil existentes, quantum pertinet ad humanam naturam & lubricum mentis nostræ non decet, ut præesse cæteris velint. Et ideo omissis cæteris venit ad Petrum cæteris prælatum. Unde sequitur: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Chrys. homil.* 83. *in Matth. Non autem dixit: Ego permisi, sed oravi. Humiliter enim loquitur tendens ad Passionem, ut humilitatem demonstret. Nam qui non deprecatione, sed imperio dixerat, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum; Quomodo opus habebat oratione, ut concitatam unius hominis animam coërceret? Non enim dixit, rogavi, ut non neges, sed ne deserat fidem. Theophyl. Nam si paululum agitandus sis, habes tamen reconditum semen fidei; quamvis dejecerit folia spiritus tentationibus, viget tamen radix: Petit ergo Satanas se lædere, tanquam invidens sibi de mea dilectione: sed quamvis egemet pro te sum deprecatus, tu tamen delinques. Unde sequitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Quod dicitur: Postquam me negato ploraveris ac pœnitueris, corrobora cæteros, cùm te Principem Apostolorum deputaverim. Hoc enim te decet, qui mecum robur es & petra Ecclesiæ. Hoc autem intelligendum non solùm de Apostolis, qui tunc erant, ut roborarentur à Petro, sed & de omnibus, qui usque in finem mundi futuri sunt, fidelibus, ne scilicet aliquis credentium diffidat. Videns eum qui cùm esset Apostolus, de-*
29 *negavit, ac iterum per pœnitentiam obtinet prærogativam, ut esset antistes mundi. Cyrillus. Admirare igitur exuberantiam divinæ patientiæ, ne diffidere discipulum faceret, nondum patrato crimine largitus est veniam, ac iterum in Apostolorum gradu restituit denuò. Confirma fratres tuos. Beda: Sicut ego tuam fidem, ne deficeat, orando protexi, ita tu infirmiores fratres, ne de venia desperent, confortare memento. Ambros. Cave ergo jactantiam, cave sæculum: Ille jubetur confirmare fratres suos, qui dixit, omnia reliquimus & secuti sumus te.* Hæc est multorum residua in eundem titulum interpretatio, quam sanctus Thomas referendo & probando suam opinor facit.

XXIX. Sanctus Bonaventura in cap. XXII. Lucæ: *Ait Dominus Simoni: Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Specialiter sanctum alloquitur Petrum tanquam principalem inter omnes Apostolos. Nam ei dictum est, beatus es Simon Barjona.* Et paullo post: *Ego dico tibi, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam. Istum ergo tanquam principalem lapidem & fundamentum præmunit, ostendendo periculum pugnæ hostilis.* Et quibusdam interpositis: *Secundò quantum ad ostensionem defensionis adjungit, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hic Dominus rogavit, non ut Petrus non caderet, sed ut non deficeret, quia quamvis ceciderit, resurrexit.* De personali tantùm fide Petri Lucam intelligit.

XXX. Auctor interlinearis glossæ in cap. XXII. Lucæ: *Sicut ergo orando te protexi ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent.* Sic rem paucis exponit.

XXXI. Nicolaus Liranus Parisiensis Theologus in e- 30
undem locum: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, scilicet finaliter. Non enim rogavit, quòd Petrus non caderet, sed ut in peccato non remaneret. Ideo sequitur: Et aliquando conversus scilicet de peccato ad gratiam, confirma: Hoc dicitur ei quia Ecclesia sibi erat committenda. Ex hoc etiam patet fidem non deficere usque ad finem mundi, potissimum in Ecclesia Romana, quæ à Petro post Christum fundata est.*

XXXII. Guillelmus Okamus in libri V. Dialogorum capite III. *Hæc auctoritas* (Lucæ XXII.) *non potest de Papa intelligi, ut Christus rogaverit, ut fides Papæ non deficeret, tum quia Sedes Apostolica sæpe vacat; Et tamen tunc non deficit fides, pro qua Christus rogavit: Tum quia Papa potest renunciare Papatui vel deponi, & postea contra fidem errare, cùm nullo tempore deficiat fides pro qua rogavit Christus: Verba verò prædicta dicit Christus beato Petro pro persona ipsius Petri, quia fides ejus finaliter non defecit, licèt ad tempus defecerit, propter quod sibi dicit Christus: Et tu aliquando conversus, postquam scilicet fides tua defecerit; Ergo tu ad fidem rediens confirma fratres tuos.* Hæc expositio sanctorum Patrum traditioni consentit, & invicta ratione fulcitur.

XXXIII. Dionysius Cartusianus in articulo XLVIII. super Lucam: *Ut non deficiat fides tua, hoc est, ne penitus extirpetur, aut finaliter deficiat, quamvis ad tempus vacillet. Itaque Christus oravit pro te, non, ut non tentaretur, sed ut in tentationis malo non relinqueretur. Nec dubium est, quin pro aliis quoque electis Apostolis Christus idem rogaverit. Sed ideirco hæc specialiter loquitur Petro, quia inter Apo-* 31
stolos principalior, ferventior, atque audacior erat, & quoniam fuerat in tentationem lapsurus, propter quod eum magis præavisare & præmunire dignatus est. Sic ad literam interpretatur.

XXXIV. Thomas Cajetanus Cardinalis ex Ordine Prædicatorum Theologus, in cap. XXII. beati Lucæ: *Ego autem rogavi pro te; non dicit, rogavi pro vobis, (cùm tamen pro eis rogaverit dicendo, Pater sancte serva eos à malo) sed pro te ratione officii, quoniam rogasse pro te redundat in rogasse pro fratribus tuis, quos confirmaturus es. Ego itaque rogavi pro te, non singulariter exclusis aliis, sed præcipuè tanquam aliorum futuro capite, ut non deficiat fides tua; non dicit, ut non deficiat charitas tua; non dicit, ut non deficiat confessio fidei tuæ, sed fides tua, quæ est in Corde: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: Ad Romanos decimo. Defecit siquidem Petri charitas, defecit & confessio fidei, cùm ter Christum negavit. Sed non defecit fides, quoniam timore negavit, non incredulitate.*

Et tu aliquando conversus. Hic manifestè casum Petri prædicit: Nisi enim aversurus se esset, non ei diceretur: Et tu aliquando conversus. Aversus siquidem est, etsi non à fide, tamen à confessione fidei, à caritate Dei, falsum juramentum incurrendo; cùm juravit se non nosse Christum, sed prædicendo aversionem, prædicit quoque conversionem subsecuturam. Utramque autem rei gesta prebavit eventus.

Confirma fratres tuos, officium confirmandi fratres prædicis futurum Petri: Et hinc tollit occasionem recidivæ contentionis. Sed vide, quòd non subditos, sed fratres 32 *vult haberi reliquos à Petro. Vide, quòd officium non dominandi, sed confirmandi in bono fidei, spei, & caritatis prænuntias & mandas.* Hæc clara & aperta sunt, necnon antiquis tractationibus Ecclesiasticis consentanea.

XXXV. Joannes Major Parisiensis Theologus, in caput XXII. Lucæ: *Ego rogavi pro te, Petre, ne undecim Apostoli soli de tot millibus cum Domino in tentationibus permansisse glorientur; Admonet nos crebriter potuisse succumbere, nisi divino subsidio fuissent protecti. Ecce, inquit, Satanas petit cribrare vos more tritici in vanno, cribrò-ve, facultate non obtentâ à Deo nulli obesse valet. Nihilominus ergo pro te rogavi secundùm humanitatem, ut tua fides haud extinguatur. Non enim interpello, ut non cadas, conducibilius est ut tuæ infirmitati relinquaris. Cephas enim supplantatus imbecillitatem suarum virium est expertus, ut aliorum lapsibus ignoscat, & ne severum Pastorem agat, & tu olim resipiscens fratres tuos anima & animatos robora: Lapsis eris exemplar. Tametsi autem Dominum & magistrum socorditer ad mulierculæ insultationem abjurarat, divina clementia ad divinam auctoritatem est evectus. Nemo ergo desperet, sed post recidivum & recrudescentem morbum relevamen anxiè petat: Supremus ille medicus, qui tuam humilitatem ex alto prospicit, te non despiciet; fratribus subinde te monstra, ne de venia desperent.* Hæc manifesta sunt.

XXXVI. Joannes Arboreus Parisiensis Theologus eundem locum explicans: *Ait autem Dominus Simoni: Ecce Satanas expetivit, sive depoposcit, ut vos cribraret ac ventilaret, velut triticum, vosque à fide abduceret:* 33 *Veruntamen ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Si Satanas petierit, ut cribraret ac turbaret Apostolos, eósque à fide ac amore Christi abduceret, manifestum erit, Satanam neminem posse tentare, nullique nocere, nisi permissione divina. Conatus est autem Apostolos cribrare, sicut cribratur triticum: Sed opposito modo. Nam cùm cribratur triticum, quod malum est, excutitur; quod bonum est, remanet. Et cùm Diabolus nos cribrat, quod bonum est, excutit, & quod malum est, reservat. Nam odit granum & amat paleam, quam desiderat igne inextinguibili aduri. Veruntamen Diabolus, capitalis naturæ humanæ hostis, non est omnino assecutus, quod postulabat, licèt deduxerit Petrum ad incredulitatem & infidelitatem. Siquidem Dominus rogavit pro Petro, ut ejus fides non deficeret. Nec solùm rogavit patrem suum pro Petro, sed etiam pro cæteris Apostolis. Nam rogando patrem suum paullo ante supplicium crucis dicebat: Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Specialiter tamen fudit preces pro Petro, quia prævidendo ejus gravissimum peccatum, prævidebat & summam Dei misericordiam, qua indigebat, ut ejus scelus expiaretur: Tum quòd futurus erat Apostolorum vertex, & habiturus curam & regimen universalis Ecclesiæ. Nam Dominus post suam resurrectionem dixit Simoni Petro, Pasce agnos meos, Pasce oves meas. Erasmus in sua paraphrasi enarrans hunc locum, ut non deficiat fides tua, dixit, ut quamvis vacillatura sit fides tua, non deficiat tamen. Scribit & Cajetanus in Lucam: Defecit Petri caritas, defecit & confessio* 34 *fidei, cùm Dominum ter negavit, sed non defecit fides, quoniam timore negavit, non incredulitate.*

Verùm nec hujus nec illius sententiæ accedo, & dico ego cum aliquot doctis interpretibus, quòd defecit fides in Petro, & turpiùs, quàm in cæteris Apostolis. Nam ter Dominum negavit, & certè magnum est infidelitatis argumentum deserere Christum, fugere, & postea eum ter negare. Deinde hic locus, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, planè monstrat Petrum à fide defecisse, licet semina fidei in eo remanserint. Nec hic loquitur Dominus de conversione alia, quàm ab infidelitate, & sensus est: Et tu ab infidelitate conversus, & quidem mea sententia, confirma & corrobora fratres tuos, & exemplo tuæ conversionis fac eos in fide fortes. Adde quòd Dominus prævidens, quòd de ejus virtute & divinitate hæsitarent Apostoli omnes, dixit, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, percutiam pastorem & dispergentur oves gregis. Itaque Petrus videns Dominum suum tolerare, quidquid humana infirmitas tolerare potest, & quod in hujusmodi contumeliis, sputis, flagellis, & pœnis divinam virtutem non exerceret, cùm eum ter negavit, non timore, sed imbecillitate negavit. Cùm autem dixit Dominus, Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, volebat innuere pro te rogavi, ut non remaneret in infidelitate.

XXXVII. Joannes Benedictus Parisiensis Theologus in capite XXII. Lucæ: *Non dixit, permisi; sed rogavi. Humiliter enim loquitur tendens ad Passionem. Nec dixit rogavi ut non neges, sed ne deseras fidem: Chrysostomus.* Hæc in notis suis ad novum Testamentum.

XXXVIII. Joannes Gagnæus Parisiensis Theologus 35
in cap. XXII. Lucæ: *Expostulat vos Satanas ut cribraret, id est, hac illac versaret, & excuteret quomodo triticum solent. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Hic duo notantur, quòd cùm pro solo Petro tantùm se rogasse dicit, specialiter pro eo tanquam pro capite se orasse innuit. Cùm autem dicit, ut non deficiat fides tua, & certum sit, Petrum peccasse, quando timore negavit, ex infirmitate, non ex incredulitate, ostendit contra Lutheranos non per quodlibet peccatum fidem deperdi. Rursus indicat, providentia Dei id accidisse, ut aliquando conversus, lapsúsque proprii conscius fratribus condolescere nosset peccantibus, & eos confirmare.* Hæc omnia Dominicæ Passionis tempore definiuntur.

XXXIX. Dominicus Bannes celebris inter Dominicanos Theologus in fusioribus ad secundam secundæ quæst. I. art. X. Commentariis dubit. IV. concl. III. *Petro aliqua dicta sunt, ut singularis quidem Christianus erat, quædam ut Ecclesiæ caput erat, quædam autem ut à Deo specialibus privilegiis decorabatur.* Et quibusdam interpositis: *Quæ verò speciale Petri privilegium sonant, qualia sunt illa Matthæi XVI. Beatus es Simon Barjona, & illud Lucæ XXII. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, (in quo aliqui* PIE ET CATHOLICE *intelligunt perseverantiam in fide interiori esse promissam) ad successores illius extendere non cogimur.* Non dixisset, *aliqui*, sed, *omnes*, vel *certè tractatorum Ecclesiasticorum pars illustrior*, si quæ omnia retulimus in hanc rem, probè novisset.

XL. Joannes Maldonatus è Societate Jesu Theolo- 36
gus in Lucæ caput XXII. *Ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Ostenderat periculum, ostendit remedium. Docuerat unde timere, docet unde sperare debeat, se eundem, qui Diabolo postulanti potestatem pugnandi concessisset, effecturum, ut expugnare non possit. Ego orabo pro te, ut non deficiat fides tua. Protegam eam maximè partem tui, quam Diabolus maximè petet. Ille fidem caput, ut ait Chrysostomus, Christiani hominis, & te cæterorum caput petet, ego te maximè fidémque tuam protegam. Hæc causa fuit, quamobrem solius fidei mentionem fecerit, cùm credibile sit, hostem humani generis non fidem tantùm, sed cæteras etiam omnes Apostolorum tentasse virtutes: Non dubium quin ad futuram Petri negationem Christus alludat.* Et post alia, in quibus dicit, Petri successores in fide successores confirmaturos esse, nec confirmaturos si in fide errare possent, subjicit: *Quanquam Ambrosii in Psal. XLIII. Theophylacti & Euthymii interpretatio mihi non displicet, qui conversum exponunt à peccato, quo Christum negavit, acta pœnitentia, quasi aliis de suo vulnere fecerit medicinam.* Sic videtur eam revocare aut certè minùs certam habere sententiam. Quia recentiores quidam

istud, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* ita ad Petri successores transferunt, ut per ea verba non dubitent Petri successoribus non errandi privilegium in confirmandis fratribus tribuere.

XLI. Joannes Andreas Coppensteinus Mandalensis ex Ordine Prædicatorum Theologus, in parte III.
37 quadrihoriæ prædicationis de Passione Domini: *Quod si ceciderit, spera, quia & Petrus ore non corde negabat, idque quia Christus rogavit pro eo, ut non deficeret fides ejus.* Hæc prædicatio extat inter Cæsarii Heisterbachensis ex Cisterciensi Ordine Monachi homilias.

XLII. Gabriel à Porta è Societate Jesu Theologus, in suis apud Burdegalense Collegium dictatis Theologicis, quæ anno MDCXXXIV. Lutetiæ prælo commissa sunt. In iis proponit dubium hoc, *an divina traditione planè certum sit, Summum Pontificem non posse ullo modo falli, nec aliis falsum dicere circa veritatem fidei.* Sub finem responsionis, qua Summum Pontificem falli & aliis falsum dicere circa veritatem fidei posse asseruit & exemplis confirmavit: *Contra prædictum quoque responsum nihil facit illud Christi dictum apud Lucam cap. XXII. Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: Etenim inde non potest colligi, quòd Pontifex non possit errare circa materiam fidei, aut non possit loqui contra fidei veritatem. Nam fides propterea non deficit. Deinde probabile est, quamvis Petrus post Christi resurrectionem firmior fuerit in fide, quàm unquam antea, tamen non fuisse Christi illud dictum intelligendum, nisi de fide Petri pro tempore, quo Christus erat futurus absens per mortem, & non pro omni tempore. Nam post adventum Spiritus Sancti, neque Petrus verè conversus est à lapsu negationis: Neque opus fuit, ut fratres suos confirmaret, nempe reliquos Apostolos, de quibus loquebatur Christus Dominus prædicto loco, cùm diceret, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Præterea quamvis nihil egisset contra fidem, aut dixis-*
38 *set, non sequeretur fuisse id commune omnibus Pontificibus. Verumtamen Petrus contra confessionem exteriorem egit dum Christum negavit. Unde si debet quod Petro convenit, esse commune, possunt & alii Pontifices exterius loqui contra fidei veritatem, quod tamen magis est contra officium Pontificis, quàm malè tantùm sentire.* Hæc satis meditata videtur loci hujus expositio & acris per expositionem disputatio. Collegæ quidam, adulatrici Curiæ addicti, non permiserunt, ut quæ omnia hic Theologus origine & doctrina Gallus pro tuenda Romanæ Ecclesiæ traditione contra eosdem magistros scripserat, typis mandarentur. Porrò quod fragmentum anno MDCXXXIII. Lutetiæ editum est, illis magistris nescientibus, & certa & optima de causa editum fuisse memini ego, qui tunc Theologicæ disciplinæ stadium decurrebam.

XLIII. Stephanus Menochius ex eadem Societate Theologus in caput XXII. Lucæ: *Oravi pro te, pro omnibus quidem, sed singulariter pro te, quem caput cæterorum discipulorum meorum esse volo. Fides tua, qua me credis esse filium Dei, & doctrina à me tradita adhæres. Et tu igitur aliquando conversus, scilicet à peccato negationis, confirma in fide orthodoxa & reliquis ad salutem ducentibus, fratres tuos, non Apostolos tantùm, sed omnes etiam fideles.* Menochii interpretatio Petrum duntaxat respicit, cùm propter alia, tum maximè propter verba hæc: *Et tu aliquando conversus*: Scilicet, *à peccato negationis.*

XLIV. Alexander VII. classi huic finem imponet in Epistola, quam ad Lovanienses Theologos scripsit an-
39 no MDCLXII. Ubi doctrinam beati Augustini probando suam facit: *De reliquo non dubitamus, quin pro singulari scientia pietatisque studio sacram & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxæ religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimáque dogmata sequi semper ac impensè revereri velitis, quorum profectò sanctissimorum virorum penes Catholicos universos ingenia, & omnem laudem supergressa nomina novi præconis commendatione planè non egent.* Quod igitur de beato Augustino dogma retulimus, inconcussum & tutissimum decernente Pontifice haberi debet. Præterea facilè credendum non esset Alexandrum VII. repudiare velle derivatam ab initio Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ traditionem, quam Innocentius I. Carthaginiensi & Milevitano Conciliis respondens circa veram beati Lucæ intelligentiam conclusit. Hìc Bellarminus & illius sectatores si Alexandro VII. concordent, capti sunt; si ab Alexandro VII. discordent, nulli.

Hæc est prima classis Patrum & Ecclesiasticorum tractatorum, qui beati Lucæ testimonium ad Dominicæ Passionis tempus, & perseverantissimam in fide & in gratia Dei voluntatem referunt.

Secunda Classis Patrum & Ecclesiasticorum Tra- 40
ctatorum, qui tradunt orasse Christum, ut Romana Ecclesia per Petrum fundata a fide nusquam deficiat.

IN hac Classe Romanorum Pontificum duorum Epistolas duas omitto; Lucii I. Epistolam I. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ, & Felicis I. Epistolam ad Benignum. Omissionis causa est illarum suppositio, quam in superiori ad Antonium Varillanum Epistola demonstravimus.

I. Familiam igitur ducet Agatho Romanus Pontifex Epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ refertur in Synodi VI. actione IV. ubi post expositam à se fidei doctrinam subjungit: *Hæc est vera fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit & defendit hæc spiritualis mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit. Sed ut ab exordio fidei Christianæ normam percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata fine tenus permanet secundùm ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam principi suorum Discipulorum Christus in suis Evangeliis fatus est: Petre, Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Consideret itaque tranquilla clementia vestra, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit,* 41
confirmare eum fratres admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum, quorum & pusillitas mea licèt impar & minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio pedissequa cupit existere.

II. Petrus Damianus in sermone XXIII. de Nativitate sancti Joannis Baptistæ: *Illa mater & magistra Ecclesiarum omnium Ecclesia Romana, cui dictum est: Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua, in honore sancti Joannis Baptistæ post Salvatoris nomen consecrata est & signata.*

III. Gregorius VII. in libri VIII. Epistola I. ad Simandensem Archiepiscopum, locutus de Romana Ecclesia: *Quæ per beatum Petrum quasi quodam privilegio ab ipsis fidei primordiis a sanctis Patribus omnium mater Ecclesiarum adstruitur, & ita usque in finem semper habebitur, in qua nullus unquam hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum præsertim Domino promittente confidimus. Ait enim Dominus Jesus: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

IV. Jacobus Cardinalis Vitriacus in Orientalis historiæ capite LXXV. *Deus Romanam civitatem totius*

mundi

mundi metropolim & capitaneam sicut in temporalibus omnibus praeerat, ita & in spiritualibus, universis fidelibus voluit præfuisse. Cephas enim, quæ simpliciter caput interpretatur, id est, Petrus totius mundi caput, à Domino est constitutus, dicente Domino absque aliorum exceptione, Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis. Et iterum, Pasce oves meas, non
42 *dixit tantùm Latinos vel Occidentales, sed simpliciter oves meas; ut esset unum ovile & unus pastor. Patet ergo cùm super hanc Petram, pro qua Dominus rogavit, ut non deficiat fides ejus, post Christum ædificata sit & fundata Christi Ecclesia, quòd omnes, qui à Romana Ecclesia recedunt, qui absque fundamento ædificans in vanum laborantes, & ab eo, qui à Domino Cephas vocatur, separati, acephali, & monstrosi homines moribus sunt reputandi.*

V. Sanctus Thomas in expositione Symboli: *Inde est quòd Ecclesia Petri, in cujus partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad prædicandum, semper fuit firma in fide: Et cùm in aliis partibus, vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus; Ecclesia tamen Petri & fide viget & ab erroribus munda est: Nec mirum, quia Dominus dixit Petro Lucæ* XXII. *Ego pro te rogavi*, &c.

VI. Joannes XXII. in diplomate, quo beatum Thomam in Sanctorum ordinem retulit, §. VII. allata beati Lucæ auctoritate: *Et ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, subjicit, *Dúmque pro Petro Christus rogat, pro Ejus Ecclesia intercedit.* Hîc tamen animadverto, verba hæc, *pro ejus*, præ se ferre rem ambiguam. Si enim pronomen *ejus*, Christum indicet, Joannes XXII. de universali loquetur Ecclesia: Si verò pronomen, *ejus*, Petrum demonstret, Joannes XXII. loqui potuerit de universali Ecclesia, & de Romana, quæ universalis Ecclesiæ pars est eminentissima.

VII. Pius II. in Epistola CCCXCVI. ad Mahometam Turcorum Principem: *Ad Petrum Vicarium suum in-*
43 *quit Salvator, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Et iterum, rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Prævaluissent portæ inferi, & defecisset fides Petri, si falsum esset Evangelium, quod sequimur: Sed manet fides magni Pastoris in Ecclesia Romana quæ nunquam inventa est errasse, neque errabit in æternum.* De Romana Ecclesia particulari intelligendus est Pius, nisi Romanæ Ecclesiæ nomine universalem significet: Ut nonnulli in posterioribus sæculis significaverunt.

Atque hi sunt maximè, qui Scripturæ locum hunc de Romana Ecclesia videntur intelligere. Observandum tamen est, beatum Thomam sub Romanæ Ecclesiæ nomine Italiam totam complecti.

Tertia Classis Patrum & tractatorum Ecclesiasticorum, qui tradunt orasse Christum, ut Sedes Petri, seu Apostolica Sedes à fide nusquam deficiat.

I. INcipimus à Leone IX. in Epistol. v. ad Petrum Antioch. Episc. *Sic omnia*, inquit, *veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant: Sic ipse Sanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus Dominantium confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis & totius Ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat & præcellat, ubi ipse vertex atque cardo Apostolorum Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in novissimo die expectat. Nimirum solus ille, pro quo ne deficeret ejus fides, Dominus & Salvator asserit se rogasse, dicens: Simon, Simon, ecce Satanas*
44 *expetrivit vos ut cibraret sicut triticum, Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quòd hactenus Petri fides non defecerit, nec defectura creditur in Throno illius usque in sæculum sæculi; Sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.*

II. Leonem sequitur Gregorius VII. quem in libri II. Epistola XXXI. ad Henricum Regem ita scribentem invenio: *Illud etiam ad hoc opus permaximè instigat, quòd Constantinopolitana Ecclesia de Sancto Spiritu à nobis dissidens, concordiam Apostolicæ Sedis exspectat. Armeni etiam ferè omnes à Catholica fide aberrant, & pene universi Orientales præstolantur, quid fides Apostolica Petri inter diversas opiniones eorum decernat. Instat enim nostro tempore, ut impleatur, quod pius redemptor speciali gratia dignatus est Apostolorum Principi indicare ac præcipere dicens: Ego pro te rogavi, Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, & quia patres nostri, quorum vestigia licèt indigni sequi optamus, partes illas pro fide Catholica confirmanda sæpe adierunt, nos adjuti precibus omnium Christianorum, si Christo duce via patuerit, quia non est via hominis in manu hominis & à Domino gressus hominis diriguntur, illuc transire pro eadem fide & Christianorum defensione compellimur.*

Deinde in libri III. Epistola XVIII. ad Simeonem Hispanorum Episcopum: *Apostolica Sedes, cui quamvis immeriti Deo auctore præsidemus, ipso gubernante, firma permansit ab ipsis primordiis, eóque juvante illibata perpetuò* 45
permanebit, testante eodem Domino: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

III. Sanctus Bernardus Gregorium VII. excipit in Epistola CXC. ad Innocentium II. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt, dignúmque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, ergo quod sequitur à Petri successore exigitur, & tu aliquando confirma fratres tuos?* Cùm ait: *Cui enim alteri aliquando dictum est*, Sedem intelligit, non tantum Pontificem in ea sedentem, ut id cum antecedentibus quadret & iis respondeat: *Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri* (Sedi) *aliquando dictum est*, respectum habet ad Sedes alias Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, in quibus aliquando fides defecit.

Præterea seipsum interpretatur, cùm recepto tunc more pluribus in Epistolis sic scribit: In Epistola CLXVIII. *Ad Episcopos Curiæ:* In Epistola CLXXXVIII. *Dominis & Patribus reverendis Episcopis Cardinalibus, qui sunt de Curia.* In Epistola CCXIX. *Ad quatuor Episcopos Curiæ Albericum Ostiensem, Stephanum Prænestinum, Igmarum Tusculanum, & Gerardum Cancellarium.* In Epistola CCXXXV. *Dominis Patribus reverendis Episcopis & Cardinalibus Curiæ.* Ubi & hæc leguntur: *Non ignoratis prolatam esse sententiam à Do-* 46
mino Papa bonæ memoriæ Innocentio cum vestro & Romanæ Curiæ generali assensu. In Epistola CCXXXVI. *Dominis & Patribus reverendis Cardinalibus & Episcopis omnibus, qui sunt de Curia.* Quamobrem cùm dicit, *Hæc hujus prærogativa Sedis*, à Sede sedentem non separat, sed conjungit.

IV. Innocentius II. Idem, quod Bernardus, sentit in Epistola, quam ad Senonense Concilium rescribit: *Verùm in hoc maximè consolamur, & omnipotenti Deo gratias agimus, qui in partibus vestris pro patribus tales filios suscitavit, & tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse Pastores, qui novi hæretici calumniis studeant obviare, & immaculatam sponsam uni viro Virginem castam exhibere Christo. Nos itaque, qui in beati Petri cathedra (cui à Deo dictum est, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos) licèt indigni residere conspicimur, communicato fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium consilio, destinata nobis*

à vestra discretione capitula, & universa ipsius (Abaelardi) *perversa dogmata sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnavimus.* Concilium Sedis Apostolicæ cum Pontifice conjungit.

V. Innocentius III. In Epistola ad Arelatensem Episcopum: & id habetur in Cap. Majores, de Baptismo & illius effectu: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelliget, qui eum quærenti Domino, quem discipuli dicerent, ipsum esse respondisse notabit: Tu es Christus filius Dei vivi, & pro eo Dominum exorasse, ne deficeret fides ejus.*

47 Deinde in sermone II. de consecratione Romani Pontificis: *Sine fide impossibile est placere Deo, quia quidquid non est ex fide peccatum est: Nisi enim solidatus essem in fide, quomodo possem alios firmare in fide? Quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere Domino protestante: Ego, inquit, pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Rogavit & impetravit, quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia. Et ideò fides Apostolicæ Sedis, in nulla unquam turbatione defecit; Sed integra semper & illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum. In tantum enim fides mihi necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis solum Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari. Nam qui non credit, jam judicatus est. Credo quidem & certissimè credo, quòd Catholicè credam confidens, quòd fides mea debeat me salvare juxta promissionem dicentis: Fides tua te salvum fecit. Vade & noli ampliùs peccare. Porro fides sine operibus mortua est. Vivit autem fides quæ per dilectionem operatur.*

Tum in sermone III. de consecratione ejusdem Pont. postquam probavit, certum quoddam esse inter Episcopum & illius Ecclesiam conjugium, subnectit: *Propter causam verò fornicationis Romana Ecclesia posses dimissere Romanum Pontificem: Fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale, sed spirituale conjugium, id est, propter infidelitatis errorem: Quoniam qui non credit, jam est judicatus. Et in hoc articulo intelligitur, quod legitur in Evange-*
48 *lio, quod audistis: Vos estis sal terræ, quòd si sal evanuerit, in quo salietur? Ego tamen facilè non crediderim, ut Deus permitteret, Romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo specialiter oravit in Petro: Ego, inquit, pro te rogavi, &c.* In hac periodo ultima, ex propria mente & affectu loquitur, non ex ulla majorum traditione, qua constet locum hunc Petri successoribus sic attributum esse, ut Innocentius attribui posse vellet. Id præ se ferunt verba hæc: *Ego tamen facilè non crediderim, ut Deus permitteret, Romanum Pontificem contra fidem errare;* quæ non sine hæsitatione dicit. Sed in periodo prima sine hæsitatione ulla dicit: *Propter causam fornicationis Romana Ecclesia posset dimittere Romanum Pontificem.*

Cæterùm testimonio huic, in quo Innocentius certo quodam erga se & Romanum Pontificem affectu, & sibi & Romano Pontifici de beati Lucæ sensu accommodat, relata superiùs plura testimonia præponderant, in quibus & ad Romanum Pontificem & ad ejus Sedem beati Lucæ locum flectit, ut quidam antè flexerant.

VI. Albertus Magnus in cap. XXII. Lucæ: *Ego autem, &c. hoc argumentum efficax est pro Sede Petri & successore ejus, quod fides ejus non finaliter deficiat.*

Atque hi sunt maximè, qui locum illum Lucæ de Sede Apostolica interpretantur. Et quamvis fortè juxta eos omnes, vel eorum certè plerosque, qui in hac & superiori classe laudantur, eadem sit Sedes Apostolica, quæ Romana Ecclesia, nihilominus tamen Romanam Ecclesiam ab Apostolica Sede distinguendam esse censui.

49 Et primò quidem quia Innocentius I. distinguit in Epistola, quam ad Milevitanam Synodum scribit: *Inter cæteras,* inquit, *Romanæ Ecclesiæ curas & Apostolicæ Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli ac medica disceptatione tractamus, frater & coepiscopus noster Julius dilectionis vestræ literas, quas ex Milevitano Concilio cura fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit.*

Deinde, quia Romanus præsul Agatho eandem retinet distinctionem in Epistola, quam ad Constantinum & Imperatores alios scribit: *His itaque, mansuetissimi rerum domini, divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus, orsus jam meliori refectus confidentia, paulatim ut, quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas, quales secundùm temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poterant inveniri, pro obedientiæ satisfactione inquirerem, & cum consilio confamulorum meorum Episcoporum tam de propinqua hujus Apostolicæ Sedis Synodo, quàm de familiari Clero Amatores Christiani Imperii, & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissima tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortarer.* Sic Romanum Clerum, Romanam nimirum Ecclesiam ab Apostolica Sede distinguit, cui vicinorum Episcoporum Synodum adjungit.

Tum Gregorius VII. in juramento, quod sibi à Roberto Duce fieri voluit: *Ego Robertus Dei gratia, & sancti Petri, Apuliæ & Calabriæ & Siciliæ Dux, ab hac hora & deinceps ero fidelis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & tibi Domino meo Gregorio.*

Quartò in abjurationis formula, quam Petrus Car- 50
dinalis Cameracensis Hieronymo Pragensi obtulit sess. XIX. Constantiensis Concilii: *Consentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & huic sacro Concilio.* Et paulò pòst: *Prout ipsa Romana Ecclesia & Apostolica Sedes, & hoc sacrum Concilium profitentur.*

Quintò Sixtus IV. in constitutione, quæ *Grave nimis* incipit: *Item motu, scientia, & auctoritate similibus simili pœna ac censura subjicientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.*

Sextò Pius IV. in Bulla, quam super residentia Prælatorum habentium curam animarum edidit: *In recompensam laborum & obsequiorum nobis, & Ecclesiæ Romanæ, dictæque Sedi* (Apostolicæ) *impensorum.*

Denique, ut quidquid est rei, magis appareret, & omnis fucata disputandi ratio tolleretur:

Quarta Classis Patrum & tractatorum Ecclesiasticorum, qui tradunt, orasse Christum, ut universalis Ecclesia, vel etiam universale Concilium à fide nunquam deficiat.

QUI tertiæ classis caput fuit, is & quartæ classis hujus caput erit, Leo IX. in Epistola IX. ad Michaelem Constantinopolitanum Episcopum: *Taliter sancta Ecclesia super petram, id est, Christum, &* 51
super Petrum vel Cepham filium hominis, qui priùs Simon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, disputationibus scilicet hæreticorum, quæ vanos ad interitum introducunt, nullatenus foret superanda. Sic pollicetur ipsa veritas, per quam sunt vera, quæcunque sunt vera, Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Cujus promissionis effectum se impetrasse à patre idem filius protestatur, dicendo ad Petrum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quàm

per

per suos successores convicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, qua hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?

Hic observanda sunt tria. Primùm, quòd facta apud Lucam Christi promissio adscribatur Ecclesiæ; quam super Christum ædificatam esse Leo dicit. Hæc autem Ecclesia non potest non esse universalis. Deinde, quòd à Petri Sede, quæ pars est universalis Ecclesiæ, commenta hæreticorum omnium expugnata sunt. Sed illud commodè accipiendum est. Nam multa sunt hæreticorum commenta, quæ Petri Sedes non expugnavit, & sanè non expugnavit Pauli Samosateni hæresim, sed Synodus, quæ Antiochiæ habita est, & cui nullus ex parte Romani Pontificis interfuit. Hanc rem latiùs pertracto in Epistola, quam ad Antonium Varillaum dedi. Postremò, quòd fides Petri defectura
52 est nunquam. Id certum est si agatur de fide, quam beatus Petrus confessus est, & in cujus confessione fundara est Ecclesia, ut multi Patres & Romani Pontifices loquuntur. Si verò agatur de fide successorum Petri, fuere, qui post Leonem hunc errarunt. Sed de hac fide non agere Leonem Leo ipse satis demonstrat.

II. Hildebertus Cenomanorum Episcopus in Epistola quam scribit, ut Ecclesiæ calamitatem in Paschalis II. captivitate lamentetur: *Jesu bone, ubi est promissionis tuæ veritas, si cum Ecclesia tua non permanseris in æternum, aut quid prodest oratio tua, si fides Petri deficiat? Confirma, Christe, confirma fidem Ecclesiæ, pro qua rogasti.* In tom. IV. Spicilegii Lucæ Dacherii.

III. Goffridus Viterbiensis Presbyter Chronicorum parte XVI. in Constantino Magno: *Quòd Ecclesia nullo errore decipi possit, inde credendum est, quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Quòd autem fides ejus manet in æternum, inde credendum est, quia Christus dixit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.*

IV. B. Thomas in secunda secundæ quæst. II. art. VI. *Ad tertium dicendum, quòd minores non habent fidem implicitam in fide majorum, nisi quatenus majores adhærent doctrinæ divinæ: Unde & Apostolus dicit prima ad Corinthios, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: Unde humana cognitio non fit regula fidei, sed veritas divina, à qua si aliqui majorum deficiant, non præjudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra universalis Ecclesiæ fidem, quæ non potest deficere, Domino dicente Lucæ XXII. Ego pro te rogavi,*
53 *Petre, ut non deficiat fides tua.*

Deinde in quæst. XXV. art. I. Supplem. in argumento sed contrà: *Præterea universalis Ecclesia non potest errare, quia ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro, super cujus confessione fundata est Ecclesia, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, Lucæ XXII. Sed Ecclesia universalis indulgentias approbat & facit, ergo indulgentiæ aliquid valent.* Hic syllogismus, aut vitiosus est, & plures continet fallacias, aut sanctus Doctor arbitratur, Dominum non pro Petro separatim ab reliqua Ecclesia rogasse, ut ejus fides non deficeret, sed pro universali Ecclesia, cujus personam gerebat Petrus, ut Augustinus loquitur, aut cujus membrum primum erat, ut Gregorius I. ait. Hoc autem secundum confirmatur, cùm ex eo quòd noluisset vir sanctus fallacias adhibere sophisticas, tum ex his ipsismet verbis, in quibus dicitur, super confessione Petri fundatam esse Ecclesiam.

V. S. Bonaventura in cap. XXII. Lucæ: *Vel potest referri ad Ecclesiam Petri, pro cujus fide rogavit Dominus secundum illud: Non pro eis tantùm rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Et hæc Ecclesia, quæ designatur per Petri naviculam, licèt concutiatur, tamen non naufragatur. Hoc enim posuit Deus in Ecclesia ad confirmationem aliarum, & ideò addit: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, quia sicut dicitur, debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere. Et hoc ordinatum est secundùm illud, frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma. Ex quo apparet quòd Christus ipse orando & interpellando confirmat principalia Ecclesiæ membra.* De universali 54
Ecclesia loquitur, non de Romana tantùm, quæ pars universalis Ecclesiæ est.

VI. Goillelmus Okamus in libri V. Dialogorum capite III. *Eadem verba, Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, dicit Christus Petro pro congregatione fidelium absque interruptione usque ad consummationem sæculi duratura: Nam fides, quam beatus Petrus tenuit, prædicavit, & docuit, nunquam deficiet, sed in aliquibus Christianis Clericis vel laicis, viris vel mulieribus usque in finem sæculi remanebit.*

VII. Thomas Valdensis in tomo I. Doctrinalis fidei antiquæ lib. II. art. II. cap. XIX. *Hæc est Ecclesia Symbolica & Apostolica mater credentium populorum, quæ fidem habet indefectibilem secundùm promissam Christi ad Petrum, qui tunc figuram gessit Ecclesiæ: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Non est ergo specialis Ecclesia, non Africana, ut Donatus dixit, nec aliqua particularis illa Romana, sed universalis Ecclesia, non quidem in generali Synodo congregata, quam aliquoties errasse percepimus, velut illa Ariminensis congregata sub Tauro præfecto, & illa Constantinopolitana sub Justiniano minore tempore Sergii Papæ secundùm Bedam, & quædam alia. Sed est Ecclesia Christi Catholica per totum mundum dispersa.*

Martinus V. Thomæ Valdensis approbavit Commentarios in Epistola, quam ad illum ea super re scripsit: *Dilecto fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Placuit primò nobis opus, quod edideras contra Hussitas hæreticos, idque fuimus hortati, ut id, quod restabat in materia de Sacramentis simili perficeres modo & diligentia,* 55
quod fecisse gaudemus, & tuum studium utile & salutare Ecclesiæ commendamus, &c. *Datum Romæ apud sanctos Apostolos sub annulo Piscatoris VIII. die Augusti, Pontificatus nostri anno X.*

Cæterùm Martinus non antè Valdensis approbavit Commentarios, quàm eos per viros doctos & Theologos diligenter axaminari curaverit. Quo fit ut Martinus & alii Commentarios approbando suos fecerint. Et sanè non memini legisse me antiquum Ecclesiasticum tractatorem ullum, quem Romanus Pontifex simili cura & studio probaverit & commendaverit.

VIII. Petrus Alliacus Cardinalis & Cameracensis Episcopus in parte III. libri de auctoritate Ecclesiæ, capite I. *Confirmatio in fide, de qua dicitur, quòd Ecclesia non potest errare juxta illud, Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, illa non est in Papa, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, sed de fide Ecclesiæ, de qua dicitur, Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, scilicet Ecclesiam.*

Deinde in capite IV. *Et hinc trahitur secundùm aliquos, quòd generale Concilium non potest errare in his, quæ sunt fidei. Quod etiam probatur ex illo verbo Christi: Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, cùm ipse erraverit, sed de fide universalis Ecclesiæ, quæ repræsentatur in Concilio generali.*

IX. Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius in tractatu de potestate Ecclesiastica, conclusione 4. *Et fundatur prædicta potestas Ecclesiastica jurisdictionis in unitate vel unione tali, quemadmodum notasse videtur e-* 56
levatus Augustinus, quòd claves Ecclesiæ datæ sunt unitati: Veruntamen hoc non impedit, quia datæ sunt Petro tanquam Monarchæ, legitimisque successoribus suis, principaliùs tamen Ecclesiæ, I. ratione indeviabilitatis, quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam, nec deficiet fides ejus, non sic de Papa, &c. Ad sancti Lucæ locum alludit, & illum satis exprimit.

X. Joannes Breviconx Parisiensis Episcopus & prop-

sui

ter Burgundionum factionem ad Gebennensem Ecclesiam translatus, in tractatu de potestate Ecclesiæ & Conciliorum: *Dico apparenter ex promisso Christi, cùm dixit Petro, Petre, rogavi pro te, &c. concludi, quòd fides Catholica manebit usque in finem sæculi, & quòd Concilium generale non possit errare.* Hæc ex Cod. MS. Monasterii sancti Victoris.

XI. Beatus Vincentius Ferrerius in sermone unico de feria VI. post Lætare: *Decima de universalis Ecclesiæ auctoritate, quam oportet credere, quia universalis Ecclesia errare non potest in his, quæ sunt fidei, dicente Christo Petro: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Hoc Christus non dixit Petro, in quantùm persona erat particularis, sed in quantùm erat persona communis ibi.* Quia nimirum universalem repræsentabat Ecclesiam.

XII. Nicolaus Clamengius in tractatûs de corrupto Ecclesiæ statu capite XXV. *Nolo autem ut quis existimet per ea, quæ de moribus Ecclesiasticorum præmissa sunt, me omnes prorsus Ecclesiasticos nullo excepto comprehendere velle: Scio illum non mentitum esse, nec mentiri*
57 *posse qui dixit, Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Nec sum nescius in singulis quibusque statibus aliquos & fortè plurimos bonos, justos, innocentes esse, illisque maleficiis, quæ suprà memorata sunt, separatos. Sed tanta est improborum in singulis professionibus exuberantia, ut vix inter mille unus reperiatur, qui id quod sua professio exigit, finaliter faciat.* Hæc ille, quem Claudius Sanctesius in libri de Eucharistia repetit. X. cap. IV. *inter Constantiensis Concilii Doctores quasi lumen emicuisse* dicit. Quem Gilbertus Genebrardus eam ob causam virorum illustrium numero adscribit in Chronologia sua, quod librum de corrupto Ecclesiæ statu ediderit.

XIII. Nicolaus Tudescus, qui ex Abbate Siculo factus est Panormitanus Archiepiscopus & Cardinalis, in Cap. significasti. de electione: *Nec obstat si dicatur quòd Concilium non potest errare, quia Christus oravit pro Ecclesia sua, ut non deficeret, ut in Cap. Majores. de Baptismo.* Ubi Lucæ auctoritas refertur.

XIV. Jacobus Almainus in Opusculi de auctoritate Ecclesiæ capite X. *Sequitur tertiò, quòd non pro persona Petri sola aut successoribus oravit Christus, ne deficeret fides ejus, sed pro universali Ecclesia per Petrum repræsentata.*

XV. Cyprianus Benetus ex Ordine Prædicatorum Parisiensis Theologus, in tractatu de non mutando Paschate fundam. XIII. *Quòd semper est aliqua Ecclesia, quæ per rectam fidem regulatur, & confirmetur intelligendo semper à tempore Christi usque ad consummationem sæculi. Sed ex ea non convincitur hoc convenire alicui particulari Ecclesiæ, intelligendo per particularem*
58 *Ecclesiam quamcunque ab Ecclesia universali distinctam. Igitur ex sufficienti divisione convincitur hoc convenire Ecclesiæ universali, & toti congregationi fidelium. Consequentia patet. Sed minor ratione probatur: Illud quod in sacra Scriptura promittitur toti Ecclesiæ, & non parti, non debet attribui alicui parti. Sed semper rectam fidem habere, aut nunquam contra veram fidem errare, in sacra Scriptura à Christo promittitur toti & soli fidelium congregationi, ut patebit ex probatione majoris, igitur. Major autem principalis rationis probatur primò ex illo verbo Christi Lucæ XXII. Petre, pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Neque dubitandum est, ipsum in hoc non fuisse exauditum, quia secundùm Apostolum ad Hebræos exauditus est pro sua reverentia. Constat ergo, quod Christus promisit Petro, quòd non deficeret fides sua non intelligens de illius personali, sed de generali Ecclesia Dei committenda regimini Petri, & cùm non loquatur de aliqua Ecclesia particulari, sequitur, quòd intendit de Ecclesia totali:* Et paullo pòst: *Non igitur pro personali fide Petri rogavit Christus, quæ defecit tunc, sed pro generali, igitur.*

XV. Supremus Franciscanorum Minister in mandatis, quæ Sodalibus suis ad prædicandum Arabibus, Persis, & Indis Evangelium proficiscentibus dedit anno MDXXXII. *Ego, inquit Christus, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Si Christus suis precibus obtinuit, quo minus fides Ecclesiæ non deficeret, mentiuntur hæretici Ruteni, Hussitæ, Wiclefistæ, Lutherani horum soboles, qui audent obgannire, trecentis annis Evangelium perperam prædicatum. Verùm stat veritas pro nobis, stat pro Ec-* 59
clesiæ defensione; Non inquit Christus, deficiet fides tua. Perinde atque diceret, maxima incrementa sumet. Dilatabitur enim, & sese usque ad ultimum maris Oceani propagabit. Apud Odoricum Raynaldum in tom. X. Ann. Eccles.

XVII. Joannes Driedo in libro IV. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. IV. part. III. *Ad intelligendum igitur verba Salvatoris dicentis ad Ecclesiam in Collegio Apostolorum designatam: Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et ad Pastores universalis Ecclesiæ designatos in Petro: Simon Satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum: Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et iterum, Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Opera pretium est considerare, quod ex hujusmodi Scripturis firmiter tenendum est, & nullatenus dubitandum, Christum & fidem Petri nunquam deficere ab Ecclesia Petri, ab Episcopatu Petri, à cathedra Petri, usque ad consummationem sæculi.*

XVIII. Franciscus Victoria ex Ordine Prædicatorum Parisiensis Theologus, in libro de potestate Papæ & Concilii: *Secunda propositio. Si Concilium declarat aliquid esse de fide, aut de jure divino, Papa in hoc nihil potest declarare, aut immutare, maximè si tale jus spectet ad fidem aut ad mores Ecclesiæ universalis. Probatur: In illa Concilium errare non potest, juxta promissum Lucæ XXII.*

XIX. Antonius Cordubensis ex Ordine Minorum Theologus, in Theologicarum quæstionum libro IV. quæst. I. *Propositio III. Semper fuit & erit semper usque ad finem mundi hæc unica Catholica Ecclesia & ca-* 60
put Christi mysticum, & vera fides in ea. Et quibusdam interpositis: *Hoc specialiter à Christo promissum est Matth. 16. & Lucæ 22. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua in Ecclesia & sede tua.* Iterum:

Propositio IV. Ecclesia Catholica non potest errare in fide & moribus. Et paullo pòst: *Christus id promisit Matth. 16. & 18. & Lucæ 22.*

Denique in quæst. III. de potestate Papæ in responsione ad tertiam probationem: *Ideo alio modo consonè ad suprà dicta atque dicenda melius respondeo, quod ibi Lucæ 22. Christus pro Petro & successoribus ejus per se sumptis, & etiam pro Ecclesia, & pro Concilio generali eam repræsentante etiam absente Papa oravit ne deficeret, aut errare posset in fide, si faceret, quod in se est. Et ita pro te rogavi, Petre, ut fides tua nec in te, nec in Sede tua, nec in Ecclesia, nec in Concilio illam repræsentante deficiat.* Hæc ad annum MDLXXI. In quibus observandum est auctorem dixisse quidem Christum orasse pro Petro & successoribus per se sumptis, sed non addidisse, absente Concilio, quemadmodum dicit Christum pro Concilio Ecclesiam repræsentante etiam absente Papa, ne deficeret aut in fide errare posset, orasse.

Hactenus recensui sanctorum Patrum & Ecclesiasticorum tractatorum expositiones quatuor, quibus illi beati Lucæ locum hunc, *Oravi pro te, Petre, &c.* donarunt.

Nunc Bellarminum convenio & pedetentim ac gradatim sequor, & primùm ostendo eum expositiones, quas indicat, perversa fide tractare, deinde Tridentini
Concilii decreto neutiquam parere, & allatum suprà 61
professionis fidei articulum omnino negligere.

Sic ergo in libri IV. de Rom. Pont. capite III. scribit, ubi beati Lucæ locum proposuit: *Quia locus tribus modis exponi solet. Prima expositio est quorundam Parisiensium suprà citatorum, quòd Dominus hic oraverit*

pro

pro Ecclesia universali, sive pro Petro ut totius Ecclesia figuram gerebat, & hoc impetrasse, ut fides Ecclesia Catholica nunquam deficiat. Quam expositionem falsam esse continuò pugnat.

Parisienses quidam suprà citati sunt tantùm duo, Joannes Gerson, & Jacobus Almainus. At in classe quarta, ubi refertur expositio hæc, præter Gersonem & Almainum, Parisienses alii Theologi comparent octo: Sanctus Thomas, sanctus Bonaventura, Thomas, Valdensis à Martino V. approbatus, Petrus Alliacus, Joannes Brevicoxa, Nicolaus Clamengius, Cyprianus Benetus, & Franciscus Victoria. His intermiscentur alii octo, Leo IX. Goffridus Viterbiensis, Guillelmus Okamus, beatus Vincentius Ferrerius, Nicolaus Tudescus dictus Panormitanus, supremus Franciscanorum Minister, Joannes Driedo, Antonius Cordobensis. Jam perspicis quantùm in expositionis hujus historia Bellarminus erraverit, & quantæ ψεύδους reus peragi possit.

Pergit: *Altera expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent Dominum orasse hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia Dei usque ad finem.* Quam expositionem refellit. Sed dissimulat expositionem hanc esse antiquorum Patrum Ecclesiæ, eámque
62 per traditionem venisse ad illud usque tempus, quo scribebat. Id luculenter demonstrat prima nostra classis, quæ præter Concilia duo, Carthaginiense & Milevitanum, Patres atque Ecclesiasticos tractatores XXXVII. complectitur, Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Basilium, Ambrosium, Chrysostomum, Palladium, Innocentium I. Augustinum, Auctorem anonymum apud eundem Augustinum, Cyrillum, Leonem, Prosperum, Theodoretum, Bedam, Theophylactum, Oecumenium, Euthymium, Damianum, Drogonem, Magistrum Sententiarum, Innocentium III. Hugonem Cardinalem, Albertum Magnum, Thomam, Bonaventuram, auctorem glossæ interlinearis, Liranum, Okamum, Cartusianum, Cajetanum, Majorem, Arboreum, Benedictum, Gagnæum, Bannem, Maldonatum Bellarmini æqualem & socium. Nescio an pejori fide tractari potuerit expositio hæc altera, quàm à Bellarmino tractatur. Æqualibus suis Theologis quibusdam expositionem tribuit, quæ per ætates singulas celebrata fuerat, & post Bellarmini scriptionem celebrata est. Antiquorum enim Patrum atque Ecclesiasticorum tractatorum expositionem secuti sunt Andreas Coppensteinus, Gabriel à Porta, & Stephanus Menochius: primus est Germanus, secundus Gallus, tertius Italus.

His ut Augustinianæ doctrinæ vindicem & assertorem addidimus Alexandrum VII. qui Romanæ Ecclesiæ modò præsidet.

Pergit: *Est igitur tertia expositio vera, quòd Dominus duo privilegia Petro impetraverit. Unum, ut ipse non posset unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à*
63 *Diabolo, id quod est amplius, quàm donum perseverantia: Dicitur enim perseverare usque in finem, quem qui licèt interdum cadat, tamen resurgit, & in fine fidelis invenitur. At Petro Dominus impetravit, ut non posset unquam cadere, quod ad fidem attinet.*

Alterum privilegium est, ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in Sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem. Ex quibus privilegiis primum fortasse non manavit ad posteros, secundum sine dubio manavit ad posteros sive successores.

Et primò quidem expositionem hanc tertiam, in qua Dominus duo privilegia Petro impetravit, auctori nulli tribuit. Ex quo rectè colligitur, expositionem esse novam, eámque alium sui à Bellarmino architectum non habere.

Deinde expositionem, quæ nova est, Bellarminus veram esse dicit, cæteras, quæ antiquiores sunt, ut falsas repudiat. Quæ docendæ Theologiæ ratio? quæ methodus? quis eam crederet nisi palparet, & propriis oculis usurparet?

Tum expositionis hujus tertiæ pars prior est secunda expositio, quam suprà ex eodem Bellarmino retulimus, eámque ille nonnullis tribuit, qui suo tempore vivebant. Sed cùm expositionis tertiæ partem priorem ex Augustino, Chrysostomo, Theophylacto, & Prospero asserit, vel pugnat secum, vel credit Augustinum, Chrysostomum, & Theophylactum suo tempore vixisse. Mihi non crede: Sic enim scribit: *De primo privilegio habemus expressa veterum testimonia: Augustinus libro de correptione & gratia. cap. 8. Quando rogavit, ut non deficeret fides ejus, rogavit ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam* 64
voluntatem. Chrysostomus homilia 83. in Matthaum. Non dixit, inquit, non negabis, sed ut non deficiat fides tua. Cura enim ipsius & favore factum est, ne omnino Petri fides evanesceret: Theophylactus in cap. 22. Luca: Quamvis, inquit, brevi concutiendus sis, habes recondita semina fidei, etiamsi folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua. Prosperi testimonium indicat tantùm in lib. 1. de vocatione gentium cap ult. non refert. Nos referimus in classe prima. At privilegium primum hoc est illud ipsum, quod in expositione secunda suis æqualibus attribuit: *Altera,* inquit, *expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent Dominum orasse hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratiam Dei usque ad finem.* Jam vides, opinor, Bellarminum proposito dilemmate concludi, & quocunque se vertat, ferre incommodum: Nempe dextro vel sinistro cornu feriri.

Quartò in relata expositione secunda dolus malus est, quem detegere ac dissuere oportet. Et sane constat extitisse, qui Bellarmini tempore, beati Lucæ locum ita interpretati sunt, ut interpretatos esse refert, sed illos interpretationem suam veterum Patrum Chrysostomi & Augustini testimoniis communivisse. Quod Bellarminus reticet. Atque hoc *dolus malus est, cùm aliud agitur, aliud simulatur,* ut Cicero tradit in Topicis.

Dominicus Bannes celebris ex Ordine Prædicatorum Theologus in secundam secundæ in fusioribus ad quæstionis primæ articulum X. Commentariis, fidem nostram semel atque iterum liberat. Semel in dub. 1. 65
Illud Luca 22. Ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua, explicatur multipliciter: Primò ut non intelligatur de fide personali Petri, sed de fide, quam primus omnium explicitè confessus est, quando dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Itaque secundùm istam explicationem, qua est Abulensis ubi suprà. Sensus est, Ego rogavi ut fides, quam tu primùm confessus es, nunquam deficiat. Et post alia sat multa:

Secunda explicatio est ut non deficiat fides tua finaliter: Ita explicat Chrysostomus hom. 10. in Joannem. Cum hoc autem non pugnat, quòd fides ejus aliquando defecerit. Neque hac explicatio singularis videri debet. Nam secundùm eam explicantur multa loca, qua aliàs falsa viderentur. v. g. dicit Augustinus super Psal. 103. serm. 1. Christus est fons proprius, & singularis bonorum, cui non communicat alienus, & subdit: Alieni autem sunt omnes illi, qui audituri sunt; Non novi vos. Hic locus explicatur à Magistro Sententiarum in tert. dist. 31. Quòd non communicat alienus, finaliter, aliàs falsum diceret. Multi enim prasciti habuerunt caritatem, & ipsemet Augustinus in libro de correp. & gratia cap. 9. (cujus verba referuntur de pœnitentia dist. 4. Cap. si ex bono) illud Joannis: Ex nobis exierunt sed non erant ex nobis, exponit: Non erant ex nobis finaliter. Aliàs enim ex nobis erant, si habuerunt fidem, &c.

Iterum in dub. IV. concl. III. *Petro aliqua dicta sunt, ut singularis quidam Christianus erat; quadam ut Ecclesia caput erat; quadam autem ut à Deo specialibus prarogativis decorabatur.* Et paullo pòst: *Qua verò speciale Petri privilegium sonant, qualia sunt illa* 66
Mat. 16. Beatus es Simon Barjona, &c. & illud Luca 22.

Ego

Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (in quo aliqui piè & Catholicè intelligunt, perseverantiam in fide interiori Petro esse promissam) ad successores ejus extendere non cogimur. Quam Bannes piam & Catholicam expositionem nominat & admittit, hanc Bellarminus falsam appellat & rejicit.

Quintò Bellarminus expositionem suam tertiam sic ex duobus adornat privilegiis, quasi Patres, quorum testimonia recenset, inter se de industria convenerint, ut alii verba Lucæ de priori privilegio, alii de posteriori intelligerent. Sic enim loquitur: *Cæterum isti Patres,* (Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, & Prosper) *licèt in his locis non meminerint alterius privilegii, tamen illud non negant.* Egregium verò inventum, cujus opera Bellarminus, memoratos patres cujuscunque alterius verborum Lucæ interpretationis fautores, & adstipulatores reddere non veretur. Sic autem ex Patrum testimoniis mapalia facere, quàm absurdum in Theologicis & periculosum esse quis non videt?

Sextò pergit: *Non negant, neque negare possent, nisi velint plurimis aliis Patribus contradicere.* Bellarminus hæc perinde scribit, ac si plures alii Patres verba Lucæ exposuissent de secundo privilegio, quod ita componit: *Ut Petrus tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in Sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem.* Sed ante Chrysostomum & Augustinum nullus reperitur tractator Ecclesiasticus, qui verba Lucæ de tali
67 privilegio intellexerit. Bellarminus ne unum quidem adfert vel adferre potest, qui intellexerit: Tantùm abest ut plurimos alios Patres adferre possit, quibus Chrysostomus & Augustinus velint contradicere. Producit quidem Epistolas duorum Romanorum Pontificum, qui Chrysostomum & Augustinum præcesserunt, unam Lucii I. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ, alteram Felicis I. ad Benignum: Sed in Epistola ad Antonium Varillaum ostendimus utramque Epistolam Bellarmino ipso judice incertam esse, & certis aliunde observationibus suppositam: Deinde Lucius & Felix de Romana loquuntur Ecclesia, non de Romano tantùm Pontifice, ut Bellarminus loqui videtur.

Præterea, non loquuntur de Romana Ecclesia vel de Romano Pontifice, qui doceat totam Ecclesiam in his, quæ ad fidem & mores pertinent. Sed loquuntur de Romana Ecclesia, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam aberraverat, nec hæreticis novitatibus depravata succubuerat. Quod tunc Romanæ soli non conveniebat Ecclesiæ, ut vel ipsi Ecclesiasticæ historiæ rudes ac tyrones norunt.

Postremò de fide credentis, non de fide docentis loquuntur: Quæ duo etiamsi diversa sint inter se, Bellarminus tamen in unum confundit, & ita fucum facere conatur. Hæc de Patribus qui Chrysostomum & Augustinum præcesserunt.

At si Bellarminus reciperet, Chrysostomum & Augustinum, voluisse scripturis post se Patribus contradicere, ridiculus fieret. Divinassent illi priùs futuros esse Patres, qui verba Lucæ de secundo privilegio
68 intelligerent: Profectò male divinassent. Nam è Patrum nube tota nullus est, qui verba Lucæ eo modo interpretetur, quo Bellarminus interpretatur. Ergo vide quibus ineptiis ille suas implet paginas?

Septimò Bellarminus lemma suum aliter proponit, aliter secundum privilegium. Lemma sic proponit: *Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Secundum verò privilegium sic: *Alterum privilegium est, ut Petrus tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra fidem, sive ut in Sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram fidem.* In proposito lemmate tunc tantùm errare non potest, *cùm Ecclesiam totam docet in his quæ ad fidem pertinent.* Quo pacto errare posset, salvo non errandi privilegio, cùm vel Orientalem, vel Occidentalem tantùm, vel Romanam tantum Ecclesiam, cujus proprius est Episcopus, doceret. In proposito privilegio reticetur illud, *cùm Ecclesiam totam docet,* atque ita longè minùs definitum est privilegium, quàm lemma, nisi per verba hæc, *ut ipse tanquam Pontifex,* velit æqualiter definiri. Quasi verò Petrus vel Petri successor non ageret tanquam Pontifex, cùm Occidentalem, vel Orientalem, vel Romanam suam Ecclesiam doceret? Et tunc tantùm ageret tanquam Pontifex, cum Ecclesiam totam doceret? Quorsum Bellarminus hæc? Ut adducenda nonnullorum Pontificum & Patrum testimonia quæ proposito clare lemmati nullatenus respondent, proposito minùs clare privilegio saltem responderent in speciem, & incautus Lector circumveniretur, & probationes quæ non sunt idoneæ, & fallaciam accidentis inclu- 69
dunt, admitteret faciliùs.

Octavò, artificium planiùs detegitur: Subscribens hæreticæ pravitati Liberius ad propositum lemma non pertinet, cùm Orientalem tantùm doceat Ecclesiam. Nempe propositum lemma locum habet duntaxat, cùm Pontifex Ecclesiam totam docet, ut Bellarminus disertè tradit: Subscribens verò hæreticæ pravitati Liberius ad propositum spectat privilegium, quia in Epistola ad Orientales aliquid contra fidem docet. Sed quia bimembre est privilegium, subterfugiet caussatus, Liberium tunc in sua Sede non fuisse. Scilicet in eo est privilegium, *ut in Sede Petri nunquam inveniatur, qui doceat contra veram fidem.* Hæ sunt machinæ, hæ præstigiæ, quibus homo egregiè cordatus utitur in tractanda quæstione, quæ eminentissimam simplicitatem exigit.

Nonò, Bellarminus cæco impetu in seipsum incurrit, cùm verborum Lucæ expositionem, quam nonnullis Parisiensibus tribuit, & quam latiùs in classe quarta deduximus, refellit hoc modo: *Dominus pro illo rogat, cui ait, & tu aliquando conversus. At hoc certè non potest Ecclesiæ toti convenire, nisi dicamus totam Ecclesiam aliquando esse pervertendam, ut postea iterum convertatur.* Res autem ita se habet: Ut ille secundum confirmet privilegium, adducit Lucium I. Felicem I. Agathonem, Nicolaum I. Leonem IX. Innocentium III. Bernardum: Qui omnes vel de Romana Ecclesia vel de Sede Petri loquuntur, ut in Epistola ad Antonium Varillaum, & in secunda & tertia classe vidimus. Hoc ita posito, Bellarmini verba in Bellarminum retorquemus. Dominus pro illo rogat, cui ait, Et tu aliquando 70
conversus. At hoc certè non potest Romanæ Ecclesiæ vel Sedi Apostolicæ convenire, nisi dicamus Romanam Ecclesiam vel Sedem Apostolicam aliquando esse pervertendam, ut postea iterum convertatur. Ut ergo putat absurdum esse, verba hæc, *& tu aliquando conversus,* in Ecclesiam totam flectere, sic & absurdum esse ni fallor putabit, si eadem verba in Romanam Ecclesiam vel in Sedem Apostolicam flecterentur. Assertum igitur à Bellarmino privilegium Bellarmini manu concidit. O improvidam & negligentem disputandi rationem!

Decimò superest, ut tandem quod initio proposuimus, exequamur. Itaque nunc videndum est, utrum Bellarminus in exponendis Lucæ verbis Tridentinæ Synodi decreto paruerit. Hoc facilè videre poteris, si præstes duo. Unum est, si classes illas quatuor, in quas Patrum & tractatorum Ecclesiasticorum expositiones varias congerimus, & animo & oculis retexas: Alterum, si Bellarmini expositionem cum illis classibus quatuor contendas; tunc reperies, Bellarminum in lemmate, quod sibi fumit, ad classem se nullam accommodare. Et primò quidem non se accommodat ad quartam, quæ pugnantes pro effusa ad Deum Christi prece in gratiam fidei universalis vel Ecclesiæ vel Concilii, Patres & tractatores Ecclesiasticos repræsentat. Quinetiam illos, absona ut credit complexione refellit.

Deinde non se accommodat ad tertiam, continentem Patres & tractatores Ecclesiasticos, qui dicunt orasse Christum,

71 Christum, ut Petri Sedes, seu Apostolica Sedes à fide nusquam deficiat. Nam ut accommodaret se ad tertiam, sic lemma suum proponere deberet: *Apostolica Sedes cùm totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Non sic proponit ut suprà vidimus. Præterea qua ratione confutaret eos, qui tradunt orasse Christum ut universalis Ecclesia vel Synodus nunquam à fide deficiat, eàdem & confutaret eos, qui scribunt orasse Christum, ut Apostolica Sedes à fide nunquam deficeret. Neque vero Bellarminus asserat unum & idem sonare Summum Pontificem & Sedem Apostolicam: Non sonant unum & idem: Alioqui Summus Pontifex Sedi Apostolicæ præsidere non diceretur: A Summis ipsis Pontificibus dicitur: Summo Pontifice mortuo, Apostolica Sedes vacare non diceretur. Immò pereunte Summo Pontifice Apostolicam Sedem perire diceretur: Quis verò nisi stultus diceret? Apud antiquos Sedes Apostolica Romanâ nunquam sonat quid minus Ecclesiâ; sed aliquando sonat quid majus. Hoc discimus ex Agathone Papa, quem Bellarminus laudat: *His itaque, mansuetissimi rerum domini, divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus, orsus jam meliori refectus confidentia, paulatim ire, quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas, quales secundùm temporis hunc defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poterant inveniri, pro obedientiæ satisfactione inquirerem, & cum consilio confamulorum meorum Episcoporum tam de propinqua hujus Apostolicæ Sedis Syno-*
72 *do, quàm de familiari Clero amatores Christiani Imperii & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissima tranquillitatis vestræ vestigia properarent, hortarer.* Agatho loquitur de familiari Clero, qui cum illo Romanam componit Ecclesiam; loquitur & de Sede Apostolica, quam Synodus propinquorum antistitum circundat. Exinde factum est, ut Pontifex Synodicam epistolam sic inscripserit: *Piissimis Dominis,* &c. *Constantino, Heraclio,* &c. *Agatho Episcopus servus servorum Dei, cum universis Synodis subjacentibus Concilio Apostolicæ Sedis.* Quæ ad annum DCLXXXI. de Romana Ecclesia & de Sede Apostolica scribit Agatho, fungino genere non erant. Tunc opinor, nec dici cœperunt, nec dici desierunt.

Tum non se accommodat ad secundam exhibentem Patres & tractatores Ecclesiasticos, qui volunt orasse Christum, ut Romana Ecclesia per Petrum fundata à fide nunquam deficiat. Nam ut accommodaret se ad secundam, lemma suum sic proponere deberet: *Romana Ecclesia cùm totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Non sic proponit ut suprà vidimus. Præterea quo pacto eos rejicit, qui scribunt orasse Christum, ut universalis Ecclesia, vel repræsentans Ecclesiam Concilium à fide nunquam deficiat, eodem & illos rejiceret, qui affirmant rogasse Christum, ut Romana Ecclesia per Petrum fundata à fide nunquam deficeret. Non memini legere me, qui Romanum Episcopum & Romanam Ecclesiam unum & idem significare dixerit: Quis enim Pastorem gregis & gregem, rectorem populi & populum, collectivum,
73 & distributivum nomen unum & idem esse diceret? Sed memini legere me fuisse Thomam Cajetanum, qui disputando ineptè & fraudulenter intulerit, Papam & universalem Ecclesiam unum & idem esse, quod est aliquid omnium animis & auribus multò adhuc absurdius. Sic enim in Opusculo de potestate Papæ & Concilii adversus Parisienses nostros capite IX. ἀδιαλογίζει: *Impossibile est universalem Ecclesiam errare in fide, ergo impossibile est Papam in judicio diffinitivo auctoritativè errare in fide.* Hoc sophisma laudanti Cajetanum pro sua sententia Bellarmino non displicet. Sed illud vehementer probat & adhibet petulans & audax iste moralis apud Christianos disciplinæ irrisor & in plerisque eversor, Amadæus Guimenius, qui multiplicis ac varii coloris larva indutus multiplicis ac variæ doctrinæ corruptionem, ubi ubi sunt homines, importat.

Postremò non se accommodat ad primam classem complectentem Patres & tractatores Ecclesiasticos, qui affirmant rogasse Christum, ut Petrus veram fidem nunquam amitteret, quantumvis tentaretur a Diabolo, sed in ea & gratia Dei, ad finem usq; perseveraret. Hæc classis licèt sit omnium maxima & in perpetua traditione posita, Bellarmino tamen parum nota fuit, nisi fortassis solem in meridie lucentem dissimulaverit. Quidquid id est, aperte liquet post annum MDLXXVII. quo Bellarminus Romæ docere instituit, verborum Lucæ expositionem, quam habet classis prima, conservatam à multis ac retentam esse. Unde fit, ut expositio hæc, expositionibus cæteris, quæ in tribus aliis recensentur classibus, Scripturæ sensu ad literam expressiori, vetustate, Con- 74
ciliorum auctoritate, Patrum & tractatorum Ecclesiasticorum dignitate, scientia, & numero longe antecellat. Hoc unum mihi videor posse sumere, tametsi mihi non sumam retulisse Patres & tractatores Ecclesiasticos omnes, qui ad unamquamque classem pertinerent. Quis sibi sumeret, præsertim, si spectentur auctores, qui annis abhinc quadringentis scripserunt? Verùm ut Tridentinæ Synodi decreto satisfiat, maximè spectandi sunt ii, ad quos Tridentina Synodus respectum habet. Ad eos præsertim respectum habet, qui prioribus Ecclesiæ sæculis claruerunt.

Itaque cùm Bellarminus ad primam classem hanc non se accommodat, Tridentinæ Synodo contradicit, allatum initio decretum spernit. Jam vides, qui tot & tanta vides tam perspicaciter, quàm detestabile sit Bellarmini argumentum, in quo formando Tridentinæ Synodo contradicitur, allatum initio decretum spernitur, & à Pio IV. edita fidei professio violatur. Nos autem contrà Tridentinæ Synodo morem geramus, allatum initio decretum veneremur, & editam à Pio IV. fidei professionem servemus, ne quas in pœnas à Concilio latas Bellarminus incidit, justo Dei judicio incidamus.

Hic finitur epistola in iis, quæ Bellarminum attinent. Nam antè planum fecimus, quid de Patribus & Ecclesiasticis tractatoribus, qui in secunda, tertia, & quarta classe recensentur, sentiat. Sed quid de iis ego sentiam, breviter expono, nihil ut supersit, quod à me desideretur. Et primò quidem de Lucii I. Felicis I. Leonis I. Agathonis, Nicolai I. Leonis IX. Innocentii III. Chry- 75
sologi, & Bernardi testimoniis, quæ partim in secunda, partim in tertia classe refero, nihil aliud sentiendum arbitror, quàm quod in epistola ad Antonium Varillaum sensi, dum Bellarmini consilium expendi necesse fuit. Sed ex Tostato Abulensi Episcopo unum adiicio, quod huic loco proprium est. Hic celebris auctor in lib. I. Regum cap. VIII. quæstionem CCIII. Ita proponit: *An in definitionibus negotiorum & expositione sanctarum Scripturarum præponatur auctoritas Pontificum omnibus sanctis Doctoribus Ecclesiæ, vel è contrà? Et in hoc non recedimus à determinationibus, scilicet Sanctorum. Est enim doctrina Gratiani & Juristarum XIX. dist. Cap. Decretales. Itaque quòd in definitionibus negotiorum præponatur auctoritas Pontificum in omnibus sanctis Doctoribus: In expositione sanctarum Scripturarum, & consequenter in inquisitione quarumcunque aliarum veritatum, tractatores sacræ Scripturæ, ut Hieronymus & Augustinus, & cæteri præponendi Pontificibus. Et hoc innuitur, dist. XX. Cap. de Libellis.* Neque verò hoc notamus, quia Romani Pontifices cuncti verba Lucæ aliter ac Patres alii explicaverint. Nam certum est fuisse nonnullos, qui verba Lucæ, ut beatus Augustinus, explicaverint. Innocentium I. in exemplum statuo. Hic enim Pontifex cùm explicata à Carthaginiensis & Milevitani Concilii Patribus verba Lucæ probavit, probando explicationem illam, suam fecit.

Deinde plerique auctores expositionis quartæ in intelligendis Scripturis exercitatiores sunt, ac paratiores auctoribus expositionis secundæ aut tertiæ, quorum

76 alii epistolas tantùm fecerunt. Ubi sæpè si maximè sint Romani Pontifices, mysticus, anagogicus, allegoricus, non literalis sensus attenditur. Ex sensu autem mystico, anagogico, allegorico argumentum firmum nullum depromitur, nisi Spiritus Sanctus illum sensum intenderit, & intendisse demonstretur. Intendisse Spiritum Sanctum dicere, non probare, lectoribus fucum facere est, non veritatem quærere vel asserere.

Tum expositio quarta arridet pluribus, quàm secunda, vel tertia.

Hinc Leo IX. qui modò secundæ, modò tertiæ expositioni favet, ad quartam revocatur faciliùs, quàm ad secundam.

Præterea beatus Thomas ab expositione IV. stat constantiùs, quàm à secunda. Ubi & dicit singulariter, in Ecclesiæ Petri partem venire totam Italiam. Quod apud auctorem alium reperire me non memini.

Deinde expositionis IV. auctores fortiùs ratiocinantur & convenientiùs, quàm auctores secundæ vel tertiæ.

Tum inter Rom. Pontifices, quibus secunda vel tertia expositio consignatur, Innocentius III. graviores fidei causas ad generale Concilium tanquam ad ultimum Ecclesiæ tribunal remittit. Testis est epistola CIV. quæ est ad Philippum Regem Francorum in libro III. Regesti XV. *Diligenter auditis & perspicaciter intellectis, quæ nobis ex parte Regis dilecti filii ∴∴∴. Abbas de Trappa & Joannes Clericus tuus proponere curaverunt, & habito cum fratribus nostris studioso tractatu, non occurrit nobis aliqua via, per quam in his quæ pro te postulaverunt à nobis, tuæ secundùm*
77 * *possemus occurrere Voluntati, sub obtestatione Divini judicii protestantes, quòd libentissimè si possemus cum Deo, ab illo te curaremus vinculo expedire, à quo desideras vehementer absolvi: Sed in carnali commercio inter te ac reginam conjugem tuam adeò est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto filio Magistro Roberto Corçeon nunc titulo sancti Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio nec Sanctorum exempla nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nobis periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* Hæc est libera atque ingenua Innocentii professio, qua se generali inferiorem esse Concilio, nec gaudere privilegio non errandi in fide & moribus significat. Quo etiam pacto innuit, expositionem IV. sibi magis, quàm secundam vel tertiam arridere.

Præterea apud omnes in confesso est, expositionem IV. spectare bonum Ecclesiæ majus, acceptius, congruentius, universalius, quàm expositio secunda vel tertia. Quo ex capite expositio quarta duabus aliis non potest non præponi.

Hinc expositio secunda & tertia difficultates susti-
78 nent gravissimas, nec stare possunt, ut in epistola ad Varillanum ostendimus. Sed quarta difficultates nullas, aut certè pauciores sustinet. Quamobrem expositio IV. secundæ & tertiæ prudentiùs anteponitur, & ultrà perimit argumentum, quod ex secunda & tertia expositione ducitur.

Postremò, quia Parisienses Theologi non omnes in expositionem quartam consentiunt, sed quibusdam prima expositio probatur, liberum mihi puto esse atque integrum, vel primam vel quartam expositionem amplecti. Amplector primam, quòd in ea Scripturæ sensus ad literam exprimatur. Huic conveniunt interpretandarum Scripturarum leges, quas præcellentissimi Ecclesiarum magistri duo, Joannes Chrysostomus & Cyrillus Alexandrinus tradiderunt: Hic quidem in Thesauri assertione XX. *Primùm quidem,* inquit, *oportet eum, qui ad investigationem Scripturarum sacrarum accedit, observare tempus, quo aliquid dicitur, & personam à qua dicitur, propter quid & de quo dicitur. Ita enim qui rectè sentire volent, citra ullum errorem quæ scripta sunt, intelligent:* Ille verò in hom. de verb. Hieremiæ cap. X. *Non enim hunc locum tantùm excutiemus, non est in homine via ejus: Sed & contextus omnem seriem, & pro quibus dicta sint omnia, & à quo, vel ad quem, quam ob causam, quando, & quomodo. Non enim dicere sufficit aliquid in Scriptura scriptum reperiri, neque temerè avulsa ac discerpta divinitus inspiratæ Scripturæ membra nuda, & à reliquo textu serièque sermonis sejuncta sumere, ac nimia licentia confidentiáque ipsis illudere. Sic enim prava dogmata in nostram hanc ætatem invecta sunt, dum negligentioribus persuasit Diabolus, ut obliquè distorta testimonia Scri-* 79
ptura proferrent, vel additis subtractisque nonnullis tenebras veritati offunderent.

Chrysostomus & Cyrillus in expositione beati Lucæ id fecerunt, quod ab aliis faciendum esse præscribunt. Id antè Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, & post Concilia duo, Carthaginiense & Milevitanum, Innocentius Papa I. semel atque iterum, & Augustinus fecerant. Id post Chrysostomum & Cyrillum, Prosper, Leo I. Theodoretus, Beda, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius, recensiti in classe prima cæteri fecerunt. Et sanè beati Lucæ periodus tota & periodi partes singulæ expositionem primam per sese obiiciunt, si seorsum ab omni præjudicio considerentur. Denique & quod rei caput est, in expositione prima longè meliùs quàm in quarta servatur Tridentinæ Synodi decretum, & fidei professio, quam Bellarminus exemplo non imitabili neglexit. Exemplo inquam non imitabili: Nam qui Bellarmini factum exequeretur, id est, qui accersitum è Tridentini Concilii sessione IV. decretum & fidei professionem tam apertè negligeret, hinc negligendi cætera ejusdem Concilii decreta exemplum daret, hinc ineptum se redderet, qui sancitam ab eo Concilio fidem aliis persuadere posset. Et cùm illi diceretur, *Medice cura teipsum,* incassum nobis persuadere tentas ea decreta, quibus te persuasum esse non ostendi; his quod reponeret, ne verbum quidem haberet ullum. Occurrit Poëta Lyricus:

Siquis ad illa Deus subitò te agat, usque recuses,
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse;
Aut quia non firmus rectum defendis, & hæres; 80
Nequicquam cœno cupiens evellere plantam:

Sed ad malum istud tam detestabile, adulatricis Curiæ Doctores, qui suis omnia metiuntur commodis, nec mentem nec aures erigunt: Et sic per studia privata bonum publicum evertunt.

Hæc habui, quæ de quatuor verborum Lucæ expositionibus tum inter sese, tum etiam cum prima collatis tibi dissererem. Sed de his & cæteris quæ tractantur in epistola, sit tuum judicium & tui similium, quorum manus emendatrix lucubrationes alienas perficit & commendat. Vale. Lutetiæ Paris. Idibus Aprilis ann. MDCLXVI.

Joan-

Joannes Launoius GULIELMO VOELLO,

Parisiensi Theologo.

1 CUM inspiceres scriptam à me Jacobo Bevilaquæ Parisiensi Theologo Epistolam, miratus es, Bellarminum S. Lucæ verba hæc, *Oravi pro te, Petre,* &c. tam mala fide tractasse, ut à scopo deflexerit, qui ex Tridentinæ Synodi decreto & fidei professione spectandus est. Quæ causa fuit, cur de me contareris, num Bellarminus pari modo tractasset beati Matthæi verba hæc alia: *Super hanc petram,* &c. Ex quibus non errandi privilegium Romano Pontifici asserere conatur. Respondeo pejori adhuc fide tractasse, & tractando Tridentinæ Synodi decretum & fidei professionem magis neglexisse. Id sine negotio ullo demonstratum imus.

Bellarminus igitur cùm de loco beati Lucæ argumentatur, trium illius expositionum mentionem facit, etiamsi negligenter admodum faciat. Sed cùm de loco beati Matthæi suam in sententiam disputat, is disputat perinde ac si Patres omnes illum uno atque eodem modo interpretarentur. Quod à vero planè abhorret. Rem tibi ordine prosequor. Et primum quidem quidquid Bellarminus de verbis Matthæi disserit, simpliciter refero. Deinde quatuor verborum Matthæi expositiones subnectam, & inter se committam. Tum ad Tridentini Concilii decretum, & fidei professionem expendam. Postremò quantum Bellarminus disserendo peccaverit, ostendam.

2 Sic ergo in libri IV. de Rom. Pont. capite III. inscripto. *De infallibili judicio Summi Pontificis,* disseruit: *Secundò probatur eadem Conclusio ex illa promissione facta Petro Matthæi* 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Nam ut ostendimus lib.* 1. *cap.* 10. *Ad literam petra & fundamentum Ecclesiæ dicitur Petrus, ut summus rector Ecclesiæ: Et proinde quilibet ejus successor similiter est Petra, & fundamentum Ecclesiæ: Ex quo duplex sumitur argumentum.*

Primum ex nomine petræ: Quare enim Pontifex dicitur petra, nisi ratione constantiæ & soliditatis? Certè si petra est, non frangetur, nec circumferetur omni vento doctrinæ, id est, errabit in fide, saltem quatenus petra, id est, quatenus Pontifex est.

Secundum ex ratione fundamenti sustentantis ædificium, quod nullo modo ruere potest: Nam si tale est ædificium, ut non possit ruere, certe nec ejus fundamentum ruere potest. Non enim intelligi potest, quomodo fundamentum destruatur, & domus non cadat. Immo verò majore ratione fundamentum non potest destrui, si domus non potest cadere. Non enim fundamentum à domo, sed domus à fundamento accipit firmitatem, & hoc modo exposuerunt Patres omnes, & hinc deduxerunt, Petrum & consequenter alios Pontifices non posse errare.

Origenes in hunc locum: Manifestum est, inquit, etsi non exprimatur, quòd nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum. Nam si prævalerent adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent.

3 *Chrysostomus in hunc locum dicit, solum Deum potuisse hoc facere, ut Ecclesia super unum piscatorem & ignobilem virum fundata non caderet, tot irruentibus tempestatibus.*

Cyrillus apud Thomam in catena hujus loci: Secundùm, inquit, hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri, ab omni seductione & hæretica circumventione manet immaculata, &c.

Theodoretus in Epistola ad Renatum Presbyterum Romanum. Tenet, inquit, sancta ista Sedes gubernacula regendarum cunctis orbis Ecclesiarum, cùm propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers permansit. Ubi Theodoretus videtur sic argumentari: Regimen totius Ecclesiæ debet esse illius Sedis, quæ non potest deficere in fide: Videmus autem solam Romanam Sedem expertem esse & fuisse omnis hæreticæ pravitatis: Ergo manifestum est illam esse, cui datum est regimen Ecclesiarum.

Hieronymus in Epistola ad Damasum de nomine hypostasis, postquam dixerat: Super istam Petram ædificatam Ecclesiam scio, subjungit: Obsecro mihi literis tuis sive tacendarum sive dicendarum trium hypostaseon detur auctoritas, non timebo tres hypostases dicere si jubetis. Ubi asserit, se tutè secuturum sententiam Pontificis, quia novit super illum Ecclesiam esse fundatam, nec posse fieri, ut Ecclesiæ fundamentum cadat.

S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati sic ait: Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri, in ordine illo Patrum quis cui successerit, videte, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

Gelasius in Epistola ad Anastasium Imperatorem: Hoc,
inquit, est, quod Apostolica Sedes magnopere cavet, ut 4
quoniam mundi radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si, quod Deus avertat, & quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? Ubi Gelasius docet non posse Apostolicam Sedem errare: Quia cùm ejus prædicatio & confessio sit radix mundi, si ipsa erraret, totus mundus erraret.

S. Gregorius libri quarti Epistola 32. *ad Mauritium demonstrat non posse fieri, ut Episcopus Constantinopolitanus sit Episcopus universalis, & proinde caput totius Ecclesiæ, quia multi Episcopi Constantinopolitani fuerunt publicè hæretici, immo & hæresiarchæ, ut Macedonius & Nestorius. Videtur enim sequi ut tota corruat Ecclesia, si is corruit qui est universalis. Item lib.* 6. *epist.* 37. *ad Eulogium. Quis, inquit, nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam? Cui dictum est, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et rursum, & tu aliquando confirma fratres tuos. Ubi Gregorius apertè docet, firmitatem Ecclesiæ ex Petri firmitate pendere, & proinde minùs posse Petrum errare, quàm ipsam Ecclesiam.*

Hactenus Bellarmini probatio. Nunc quatuor in locum Matt. expositiones Patrum recensendæ sunt.

Prima Classis Patrum & Ecclesiasticorum tractatorum, qui docent, Ecclesiam super Petrum ædificatam esse.

I. TErtullianus in libri de præscriptione hæreticorum capite XXII. *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum claves regni cœlorum con-* 5
secutum, & solvendi & alligandi in cœlis & in terris potestatem.

Deinde in libri de Monogamia capite VII. *Petrum solum invenio maritum, per socrum monogamum præsumo, per Ecclesiam, quæ super illum ædificata omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura.*

II. Origenes homilia V. in Exodum: *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modicæ, inquit, fidei, quare dubitasti?*

Deinde in cap. XVII. Matthæi: *Contraria ergo adhuc sibi erant in Petro veritas & mendacium: Et de veritate quidem dicebat: Tu es Christus filius Dei vivi: In quo & beatificatus est, & per promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentum.*

Tum lib. V. in Epistolam ad Romanos: *Et Petro cùm summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum, velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius nisi charitas exigitur.*

Denique apud Eusebium in libri VI. hist. capite XIX. de Scripturis sacris ex Origine: *Porro in quinto libro explanationum in Evangelium Joannis de Epistolis Apostolorum, idem auctor ista loquitur.* Et paullo pòst: *Petrus, super quem Christi Ecclesia, contra quam inferorùm portæ non prævalebunt, ædificata est, unam Epistolam omnium asseveratione approbatam reliquit.*

III. Cyprianus in Epistola LXX. ad Januarium & cæteros Numidiæ Episcopos: *Quando & Baptismum unum sit, & Spiritus Sanctus unus, & una Ecclesia à* 6 *Christo Domino super petram origine unitatis & ratione fundata.*

Deinde in Epistola LXXIII. ad Jubaianum: *Manifestum est autem, ubi & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in Baptismo scilicet datur. Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis, quod ille solvisset in terris.* Et post alia: *Quò venturus est, qui sitit? utrumne ad hæreticos, ubi fons & fluvius aquæ vitalis omnino non est, an ad Ecclesiam, quæ una est & super Petrum, qui & claves ejus accepit, Domini voce fundata est?*

Tum in lib. de unitate Ecclesiæ: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ecce tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas, super illum unum ædificat Ecclesiam suam.*

IV. Firmilianus in Epistola ad Cyprianum: *Qualis verò error sit, & quanta cæcitas ejus, qui remissionem peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel à Christo supra petram solidata est, hinc intelligi potest, quòd soli Petro Christus dixerit: Quæcunque ligaveris super terram.*

V. Hilarius can. XVI. in Matthæum: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignáque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret.*

Deinde in Psalmum CXXXI. *Cui* (Petro) *superiùs* 7 *claves regni cælorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat.*

VI. Basilius in caput II. Esaiæ: *Videte quomodo oporteat vos conversari in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei viventis, cujus fundamenta in montibus sanctis. Est enim ædificata in Apostolis & Prophetis, qui ejus fundamenta jecerant; quorum unus erat Petrus, supra quam petram pollicitus fuerat, suam se ædificaturam Ecclesiam.*

VII. Ambrosius in serm. XLVIII. *Primum ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si ergo petra est Petrus, supra quam ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.*

VIII. Epiphanius in Ancorato: *Ipse autem Dominus constituit eum primum Apostolorum petram firmam, supra quam ædificata est Dei Ecclesia.*

IX. Gregorius Nazianzenus in orat. XXVI. *Vides quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis utique omnibus & excelsis atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in suam fidem accipiat.*

X. Hieronymus in caput XVI. ejusdem Matthæi: *Sicut & ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellarentur, cæteráque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei, Ædificabo Ecclesiam meam super te.*

Tum demum in Epistola LVII. ad Damasum: *Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior,* 8 *super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.*

Denique in Epistola ad Marcellam adversus Montanum: *Si igitur Apostolus Petrus, super quem Dominus fundavit Ecclesiam, & Prophetiam & promissionem Domini illo tempore completam memoravit, quomodo possumus nobis aliud tempus vindicare?*

XI. Augustinus in libro I. Retractationum pro seipso & Ambrosio sic loquitur capite XXI. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo: Hoc ipso petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, ut super hanc petram intelligeretur, quem confessus est Petrus. Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.*

XII. Cyrillus Alexandrinus in libri II. super Joannem capite XII. *Nec Simon fore jam nomen sibi, sed Petrus, prædicit, vocabulo ipso commodè significans quòd in eo tanquam in petra lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.*

XIII. Leo primus in Epistola LXXV. ad Leonem Augustum: *Cùm ergo universalis Ecclesia per illius principalis petræ ædificationem facta sit petra, & primus Apostolorum beatissimus Petrus, voce Domini audierit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quis est nisi Antichristus vel Diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem veritatem?*

XIV. Maximus Taurinensis homilia I. in Natali Pe- 9
tri & Pauli: *Hic est Petrus, cui Dominus communionem sui nominis libenter indulsit: Ut enim sicut Apostolus Paulus edocuit, petra erat Christus, itaque per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nam sicut in deserto, dominico sitienti populo aqua fluxit è petra, ita universo mundo perfidiæ ariditate lassato de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit.*

XV. Psellus in cap. V. Canticorum ad illud: *Crura ejus sicut columnæ marmoreæ. Per crura Petrum intelligo Apostolorum Principem, super quem Dominus, in Evangelio, se Ecclesiam suam ædificaturum promisit.*

XVI. Theophylactus in cap. XVI. Matthæi: *Remuneratur Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quòd supra eum ædificavit Ecclesiam.*

XVII. Euthymius in idem cap. Matthæi: *Te ponam fundamentum credentium, ædificabo super te Ecclesiam meam.*

Cæterùm hac in expositione lubens prætermitto Athanasium, quem Bellarminus in libri I. de Romano Pontifice capite X. sic laudat: *Athanasius in Epistola ad Felicem, quam scripsit nomine suo & Synodi Alexandrinæ. Tu es, inquit, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, sunt confirmata, &c. Eleganter Athanasius Petrum facit fundamentum,*

quo

quo nituntur Episcopi; Super quos ut columnas totum ædificium collocatur. Sed Epistola manifestè subjecta est Athanasio. Imperitus malleator Epistolæ nescit A-
10 thanasium pro legitimo Pontifice non habuisse Felicem hunc, ut in suis ad solitarios literis declarat: *Hoc Ministro* (Epicteto homine neophyto) *utens* (Constantius) *incredibile facinus designavit, & quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi & jure Comitiorum tres Eunuchos præsentes esse jusserit, trésque item* κακοήθεις κατασκόπους, *malis artibus imbutos exploratores: (Non enim eos Episcopos dixeris) ut ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum pravitate non permisere, eos Ecclesiam intrare, procúlque ab iis recesserunt. Quid igitur hic quod Antichristi non sit, omisit?* Athanasii quoque vita per incertum auctorem edita, & Codex CCLVIII. Bibliothecæ Photii constitutum ab hæreticis Felicem Episcopum & miseranda morte periisse tradunt. Quis autem nisi fortè Bellarminus, crederet voluisse Athanasium cum Pontifice tali communicare?

Baronius ad annum CCCLVII. Epistolam hanc ut subdititiam ita repudiat: *Quæ fertur Athanasii nomine ad Felicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina scripta ab Episcopis Ægypti, Thebaïdis, & Libyæ haud æquè probatur. Quippe quod qualis fuerit status Ecclesiæ Alexandrinæ ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix sedere cœpit, jam satis superiùs est demonstratum, ut nullus planè locus vel tempus cogendæ Synodi potuerit esse, Athanasio fuga lapso & in eremo latitante, atque aliis Episcopis pariter exturbatis. Sunt præter hæc multa alia, quæ ibi posita minùs arrident, ut cùm de ipsius Felicis*
11 *ordinatione Athanasius eundem Felicem reddit certiorem. At ipse suas merces mercator emat. De reliquis autem alii judicent.*

Suppositionem hanc duabus in Epistolis latiùs persequor. Una est ad Ludovicum Maræsium, in prima parte nostrarum Epistolarum; altera est ad Joannem Baptistam Franckevillam, in tertia parte earundem Epistolarum.

Porro cùm Bellarminus testimonio tam evidenter supposito utitur, Pontificiæ dignitati non mediocrem facit injuriam. Significat enim illam hominum mendacio egere ad sui probationem. Scio quidem vetustiores esse Bellarmino scriptores, qui Athanasii Epistolam ut veram acceperint; Sed Bellarminus eos habet culpæ socios, non vindices ac liberatores. Si quidem *veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum.* Tertullianus in libri de Velandis Virginibus capite I.

Hæc est prima Patrum, & Ecclesiasticorum tractatorum, qui dicunt ædificatam esse super Petrum Ecclesiam, expositio. Nunc ad secundam veniendum est.

Expositio Secunda Patrum & Ecclesiasticorum tractatorum dicentium super Apostolos vel eorum successores ædificatam esse Ecclesiam.

I. ORigenes in tractatu I. super caput XVI. Matthæi: *Tu es Petrus,* &c. *Petra est enim quisquis Christi Discipulus, ex quo biberunt de spirituali consequenti petra, & super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundùm hanc vita institutio.*
12 *In unoquoque enim perfecto habente congregationem eorum, quæ complent beatitudinem verborum, factorum, & sensuum est quæ à Deo ædificatur Ecclesia. Quod si super illum unum Petrum tantùm existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Joanne filio tonitrui & Apostolorum unoquoque? Quin aliòqui num audebimus dicere, quod adversus Petrum unum non prævalituræ sint portæ inferorum, ac non potiùs in omnibus ac singulis eorum de quibus dictum est, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Item illud, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. An verò soli Petro dantur à Christo claves regni cælorum, nec alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si dictum est, tibi dabo claves regni cælorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia, quæ & priùs dicta sunt & quæ sequuntur, velut ad unum Petrum dicta sunt omnium communia?*

II. Cyprianus in Epistola XXVII. de Lapsis: *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris super terram erunt soluta & in cælis, inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur: Cùm hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, quando Ecclesia* 13
in Episcopo & Clero, & in omnibus stantibus sit constituta.

III. Hieronymus in libro I. contra Jovinianum: *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt idipsum in alio super omnes Apostolos fiat, cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto tollatur schismatis occasio.*

Deinde in Psalmum LXXXVI. *Fundamenta in montibus sanctis. Quos nos possumus dicere fundamenta? Apostolos: In illis erant fundamenta: Ibi primùm posita est fides Ecclesiæ, & ibi fundamenta sunt posita.* Et post alia: *Legamus & Apocalypsim Joannis: Legamus & Esaiam, ubi ædificatur civitas Jerusalem, & duodecim portæ ipsius dicuntur esse de lapidibus pretiosis constructæ, & ipsa civitas de cælo descendit. Et dicuntur muri ejus aurei, & dicuntur plateæ ejus stratæ esse smaragdo, & dicuntur singulæ portæ ex singulis lapidibus pretiosis: Hæ sunt totæ Domini divitiæ, & hoc diligit Dominus, quod & homines. Prohibet nos ab avaritia, extruit civitatem? Ergo diligit Dominus portas Sion: Illas portas duodecim manifestum est, quòd de Apostolis scripsit.*

IV. Augustinus in concione II. super Psalmum XXX. locutus de Ecclesia: *Cujus personam gerebat Petrus, quando ei de cælo submissus est discus, plenus omnibus animalibus quadrupedibus, reptilibus, & volatilibus: Quibus generibus omnes gentes significantur. Præfigurabat Dominus Ecclesiam, quòd erat omnes gentes transvoratura, & in corpus suum conversura, & ait Petro: Macta & manduca. O Ecclesia, hoc est Petre, quia su-* 14
per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Macta & manduca. Priùs macta & sic manduca. Occide quod sunt, & fac quod tu es.

Deinde in Psal. LXXXVI. *Sed quid est, fundamenta ejus in montibus sanctis? Qui sunt montes sancti, super quos fundata est ista civitas? Alter quidam civis planiùs hoc dixit. Apostolus Paulus. Civis inde Propheta, civis inde Apostolus. Et hi propterea loquebantur, ut cæteros cives exhortarentur. Sed hi, id est, Prophetæ & Apostoli, quomodo cives? Fortasse ita ut etiam ipsi montes, super quos fundamenta sunt hujus civitatis, cujus portas diligit Dominus. Dicat ergo alius civis hoc apertè, ne nos hoc suspicari videamur, loquens ad gentes, & commemorans, ut redirent, & quasi construerentur in fabricam sanctam: Superædificati, inquit, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Et quia nec ipsi Apostoli aut Prophetæ, in quibus fundamentum est civitatis, se tenerent in se; secutus ibi ait: Ipso summo existente lapide angulari Christo Jesu.* Et paullo pòst: *Habes constructionem tantæ civitatis. Sed omnis ista compages ubi innititur? Ubi incumbit, ut nusquam cadat? Ipso, inquit, summo angulari lapide existente Christo Jesu.*

Dicet

Dicet fortasse aliquis: Si angularis lapis est Christus Jesus, in illo quidem duo parietes compaginantur. Neque enim angulum faciunt, nisi duo parietes in unum de diverso venientes. Sic & populi duo ex circumcisione, & praeputio, ad pacem Christianam sibimet connexi in una fide, una spe, una charitate. Sed si angulus summus Christus Jesus, quasi videntur priora fundamenta, & posterior
15 *lapis angularis. Potest ergo aliquis dicere, quia magis Christus super Prophetas & Apostolos incumbit, non illi super illum, si illi sunt in fundamento, ipse in angulo. Sed cogitet qui hoc dicit, angulum & in fundamento esse. Neque enim ibi est tantum angulus, ubi videtur ut surgat in apicem: A fundamento enim incipit. Num ut noveritis, quia fundamentum Christus & primum & maximum; Fundamentum, inquit Apostolus, nemo potest ponere prater id quod positum est, Christus Jesus. Quomodo ergo fundamenta, Propheta & Apostoli? Et quomodo fundamentum Christus Jesus, quo ulterius nihil est? Quomodo putamus, nisi quemadmodum apertè dicitur, Sanctus Sanctorum: Sic & figurate fundamentum fundamentorum? Si ergo Sacramenta cogites, Christus Sanctus Sanctorum; si gregem subditum cogites, Christus Pastor Pastorum; si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum. In adificiis istis non potest idem lapis esse in imo & in summo. Si fuerit in imo, in summo non erit, si in summo fuerit, in imo non erit. Angustias enim omnia penè corpora patiuntur, nec ubique esse possunt, nec semper. Divinitas autem, qua ubique prasto est, undique ad eam potest duci similitudo, & totum potest esse in similitudinibus, quia nihil eorum est in proprietatibus.* Et post pauca: *Ergo fundamentum & lapis angularis ipse est ab imo surgens, si tamen ab imo. Etenim origo fundamenti hujus summitatem tenet, & quemadmodum fundamentum corporea fabrica in imo est: Sic & fundamentum spiritualis fabrica in summo est. Si ad terram adificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum. Quia calestis fabrica est, & ad*
16 *calos processit fundamentum nostrum. Ipse ergo angularis lapis, montésque Apostoli, Propheta magni, portantes fabricam civitatis facium vivum quoddam adificium.* Et post pauca: *Ad nos directa vox est, Ergo sequamur de civitate. Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion. Jam ideo pralocutus sum ne putetis alia esse fundamenta, alias portas. Quare sunt fundamenta Apostoli & Propheta, quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt porta? Quia per ipsos intramus ad regnum Dei. Pradicant enim nobis. Et cùm per ipsos intramus, per Christum intramus. Ipse est enim janua. Et cùm dicuntur duodecim porta Jerusalem, & una porta Christus & XII. porta Christus, quia in XII. portis Christus.*

Huc etiam maximè pertinet, quod Augustinus in Epistola CLXV. ad Generosum Episcopum tradit: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certius, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesia figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam,* &c.

V. Theodoretus in Psalmum LXXXVI. *Fundamenta pietatis, divina sunt documenta. Montes verò sancti, supra quos hac fundamenta jecit, Salvatoris nostri sunt Apostoli. De his enim beatus Paulus dixit, Superadificati estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cùm esset ejus lapis angularis Christus Jesus. Et rursus, Petrus & Jacobus & Joannes, qui videbantur columna esse, & Dominus Petro post veram & divinam illam confessionem: Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non*
17 *pravalebunt adversus eam. Et rursus, vos estis lux mundi, & non potest civitas abscondi supra montem posita. Supra hos sanctos montes Dominus Christus pietatis fundamenta jecit.*

Deinde in caput XLIII. Ezechielis: *Atque hic numerus cubitorum cum sacris Apostolis consensit, qui bases & crepidines Divina gratia fuerunt, & Ecclesia fundamentum & crepido. Tu enim es Petrus, inquit, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam.*

VI. Ambrosius Anspertus lib. III. In Apocalypsim: *Hinc Petro typum Ecclesia gerenti Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, ac si diceret, supra me adificabo te.*

Deinde libro IV. in eandem Apocalypsim: *Hinc Petro typum Ecclesia gerenti dicit: Quodcunque ligaveris super terram.*

Tum libro V. in eandem Apocalypsim: *Quod verò Petro dicitur, tibi dabo claves regni calorum, & quodcunque ligaveris super terram, &c. Illud quod simili locutione ad duodecim Apostolos profertur, quacunque alligaveritis super terram, &c. Specialiter illi & generaliter omnibus recta fides, rectaque operationis Doctoribus aptantur.*

Denique libro VII. in eandem Apocalypsim: *Hinc Petro hujus Ecclesia typum gerenti dicitur, tibi dabo claves regni calorum.*

VII. Etherius & Beatus in libro I. Contra Elipandum Toletanum Episcopum: *Quod Petro dixit, super petram adificabo Ecclesiam meam, non solo Petro, sed nobis omnibus dixit. Non revelavit tibi istud caro & sanguis, sed Pater meus, qui in calis est, non solùm Petro sed & nobis, qui sic credimus, ut Petrus.*

VIII. Paschasius Radbertus Corbeiensis Abbas libro 18
IV. in Matthæum: *Et notandum, quòd tantùm petra est unusquisque fidelium, imitator Christi, & tantum lux, quantum illuminatus à luce. Ac per hoc tantùm Ecclesia Christi super eos, quantum & ipsi firmantur à Christo. Unde non super unum Petrum, verùm super omnes Apostolos Apostolorúmque successores Ecclesia Dei adificatur. Unde David fundamenta ejus in montibus sanctis, sed ipsi montes super Christum adificantur prius.*

Hæc est Patrum, & Ecclesiasticorum tractatorum qui dicunt ædificatam super Apostolos ut minimum, & eorum successores Ecclesiam, interpretatio. Nunc ad tertiam Patrum expositionem accedendum est.

Expositio Tertia Patrum & Ecclesiasticorum tractatorum, qui dicunt, super petram, id est, super illam fidem, quam confessus est Petrus, adificatam esse Ecclesiam.

I. Eusebius Alexandrinus Laodicensis Episcopus in homilia de Resurrectione, ubi colloquentem cum Petro filium Dei facit: *Ne timeas, quod promisi impleo; super fidem tuam, qua fit petra, adificabo Ecclesiam meam.* Hæc apud Judocum Coccium, in libri de Summo Pontifice articulo III. Auctorem hunc alibi videre mihi non licuit.

II. Hilarius in libro VI. de Trinitate: *Et Pater dicendo, hic est filius meus, Petro revelavit, ut diceret: Tu es filius Dei vivi, quia in eo quod dicitur, hic est, revelantis indicium est. In eo verò quod respondetur, tu* 19
es, confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesia adificatio est. Sed sensus carnis & sanguinis confessionis hujus intelligentiam non revelat. Hoc est divina revelationis sacramentum, Christum Dei filium non solùm nuncupare, sed credere. Aut nunquid nuncupatio potiùs, quàm natura Petro revelata est? Si nuncupatio, jam hanc à Domino frequenter audierat, se esse Dei filium confitente. In quo ergo revelationis est gratia, natura scilicet, non nominis, cùm frequentata nominis professio jam fuisset. Hac fides Ecclesia est fundamentum. Per hanc fidem infirma adversus eam sunt porta inferorum. Hac fides regni calestis habet claves. Et post alia: *Hac revelatio Patris est, hoc Ecclesia fundamentum est, hac securitas aternitatis est. Hinc regni calorum habet clavem; hinc terrena ejus judicia calestia sunt.*

III. Gregorius Nyssenus in opere de Adventu Domini: *Petra verò fidei tanquam fundamentum, ut ipse Dominus ait ad Principem Apostolorum: Tu es Petrus,*

&

& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, super confessionem videlicet Christi, quia dixerat, tu es Christus filius Dei viventis.

IV. Ambrosius in libri VI. super Lucam capite IX. *Etiam Discipulo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut ipse sit Petrus, qui de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem.* Et post alia: *Fundamentum Ecclesiæ fides est.*

Deinde in cap. II. Epist. ad Ephesios: *Apostoli fundamenta jecerunt. Unde dicit Dominus ad Petrum: Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam. Hoc est, in Catholicæ fidei confessione statuam fideles ad vitam.*

20 V. Chrysostomus in homilia LV. super Matthæum: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, fidem atque confessionem.*

Deinde in homilia LXXXIII. super eundem Matthæum: *Nam qui super confessionem ejus Ecclesiam ita fundavit & munivit, ut nullum periculum, neque mors ipsa possit eam superare.*

Tum in cap. I. Epist. ad Galatas: *Itaque cùm Petro dixisset: Beatus es Simon Barjona, promisissetque futurum, ut Ecclesiæ fundamenta super illius confessionem jaceret, haud multò pòst dicit eidem,* &c.

VI. Augustinus in tractatu VII. in Joannem: *Mutavit ei nomen & fecit de Simone Petrum: Petrus autem à petra. Petra verò Ecclesia. Ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia, & quis securus, nisi qui ædificat super petram?* Et post alia de Nathanaele: *Talem vocem protulit, tu es filius Dei, tu es Rex Israël, qualem tantò pòst Petrus, quando ei Dominus ait: Beatus es Simon Barjona, quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus, qui est in cælis, & ibi nominavit petram, & laudavit fundamentum Ecclesiæ in ista fide.*

Deinde in tractatu CXXIII. in eundem Joannem: *Dedit eleemosynarum salutaria remedia, quibus eorum adjuvaretur oratio. Ubi eos dicere docuit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa, cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia, unus idémque pri-*
21 *mus Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis, universam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra: Sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus. Super quod fundamentum ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra. Qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia, quam significabat Petrus, quandiu degit in malis, amando & sequendo Christum liberatur à malis.*

Deinde in serm. XIII. de verbis Domini super Evangelium Matthæi cap. I. *Evangelium, quod recentissimè recitatum est de Domino Christo, qui super aquas maris ambulavit, & de Apostolo Petro, qui ambulans timendo titubavit, & diffidendo mersus, confitendo rursus emersit, admonet nos intelligere mare præsens sæculum esse: Petrum verò Apostolum Ecclesiæ unicæ typum: Ipse enim*
22 *Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpè unus respondit pro omnibus. Ipse denique Domino Jesu Christo requirente, quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum Discipulis respondentibus, rursúsque Domino interrogante & dicente: Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Petrus, Tu es Christus filius Dei vivi, unus pro multis dedit responsum, unitas in multis. Tunc ei Dominus ait: Beatus es Simon Barjona, quia non revelavit tibi caro & sanguis, sed pater meus, qui est in cælis. Deinde addidit: Et ego dico tibi, tanquam diceret: Quia tu dixisti mihi: Tu es Christus filius Dei vivi: Et ego dico tibi: Tu es Petrus. Simon quippe antea vocabatur. Hoc autem nomen ei ut Petrus appellaretur, à Domino impositum est, & hoc ut ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est. Ideò Petrus à petra, non petra à Petro. Quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam: id est, super meipsum filium Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ipse est Petrus & alii, qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram. Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, ubi cognovit se eligi, & Christum contemni, divisus est, inquit, Christus? Num-*
quid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pau- 23
li baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sed nec in Petri, sed in nomine Christi, ut Petrus ædificaretur super petram, non petra super Petrum. Idem ergo Petrus à petra cognominatus beatus, Ecclesiæ figuram portans, Apostolatus principatum tenens, continuò post paululum jam audito, quòd beatus esset, jam audito, quòd Petrus esset, jam audito, quòd supra petram ædificandus esset, posteaquam audivit futuram Domini Passionem quia prædixerat, eam citò futuram Discipulis suis, displicuit ei.

VII. Acacius Melitenes Episcopus in homilia apud Ephesinum Concilium habita, cap. VII. partis III. ejusdem Concilii: *Hæc est fides nostra: Super hoc fundamentum Ecclesia ædificata est, adversus quam ne portæ quidem inferi prævalebunt.* Ephesina Synodus hoc consensu tacito probavit.

VIII. Cyrillus Alexandrinus libro IV. in Esaiam Orat. II. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, petram opinor vocans immotam fidem Discipuli.*

Deinde in libro IV. de Trinitate locum hunc explicans: *Petram,* inquit, *opinor, nihil aliud, quàm inconcussam & firmissimam fidem vocans, supra quam etiam citra cujus periculum formata est, & fundata Christi Ecclesia.*

IX. Juvenalis Hierosolymorum Episcopus in literis Synodicis ad Presbyteros & Archimandritas: *Cùm summus & primus Apostolorum dixisset, Tu es Christus filius Dei vivi, Dominus intulit dicens: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram, & super hanc confessionem*
roborata est Ecclesia Dei & fidem, quam sancti nobis 24
tradiderunt Apostoli, hanc Ecclesia custodivit.

X. Leo Papa primus in sermone II. de anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum: *De cujus principali æternóque præsidio & Apostolici operis munimen accepimus, quod utique ab opere non vacat, & firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiæ superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassescit. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est, & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Cùm enim, sicut Evangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus Discipulos, quem ipsum (multis diversa opinantibus) crederent, respondissétque beatus Petrus dicens:*

cens: Tu es Christus filius Dei vivi: Dominus ait: Beatus Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit.

Denique in serm. III. de anniversario ejusdem assumptionis: *Quia tu es Petrus, id est, cùm ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis qui facit utraque unum: Ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere: Tamen tu quoque petra es, qui mea virtute solidaris,* 25 *ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista vox vitæ est.*

Tum in serm. de Transfiguratione Domini: *Ad confirmandam ergo hujus fidei saluberrimam cognitionem interrogaverat discipulos suos Dominus, inter diversas aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent: Ubi Petrus Apostolus per revelationem summi Patris corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis filium Dei vivi, & confessus est gloriam Deitatis, quia non ad solam respexit substantiam carnis, & sanguinis. Tantùmque in hac fidei sublimitate complacuit ut beatitudinis felicitate donatus sacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem, supra quam fundata Ecclesia portis inferi & mortis legibus prævaleret.*

Denique in serm. II. de Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Evangelica referente historia, omnes Apostolos Dominus quid de se homines opinentur, interrogat. Et eatenus sermo respondentium communis est, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At ubi quid habeat discipulorum sensus, exigitur, ille primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate. Qui cùm dixisset, Tu es Christus filius Dei vivi: Respondit ei Jesus, Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis* 26 *est. Ideo beatus es, quia Pater meus te docuit.* Et paullo post: *Quia tu es Petrus, id est, cùm ego sum inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, & Ecclesiæ meæ cælo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista, vox vitæ est, & sicut confessores suos in cælestia provehit, ita negatores ad inferna demergit.*

X. Petrus Chrysologus in serm. LIII. de Stephano Protomartyre: *Petrus à petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare.*

Deinde in serm. LXXIV. *Ponebat Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

XI Theodoretus in Epistola LXXVII. ad Eulalium Episcopum Persicæ Armeniæ: *Quin hac etiam de causa Christus Dominus noster Apostolorum Principem, cujus confessionem veluti basim quandam & fundamentum Ecclesiæ defixerat, fluctuare ac errare permisit, duo eadem opera docens, nec fidere seipsis, & fluctuantes firmare.*

Deinde in Epistola CXLVII. ad Joannem Oeconomum: *Nemo igitur alium quempiam stultè putet Christum esse, quàm filium unigenitum: Neque nos sapientiores spiritus gratia existimemus esse, sed magnum Petrum au-* 27 *diat clamantem: Tu es Christus filius Dei vivi. Audiamus & Christum Dominum confessionem hanc confirmantem: Super hanc enim petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Idcirco sapientissimus Paulus Ecclesiarum præstantissimus architectus non aliud, sed hoc ipsum defixit fundamentum. Ego enim, inquit, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Quomodo ergo aliud excogitare fundamentum, qui non ponere fundamentum, sed super positum fundamentum ædificare jussi sum? At divinus ille vir Christum agnovit fundamentum, & hoc nomine se ostentat.*

XII. Anonymus scriptor in Catena Nicetæ Episcopi Serratum super Matthæum: *Petram fidei confessionem vocavit. Cùm autem supra hanc ædificari nunciatur, inde ostendit, multos jam futuros, qui in eum credent.*

XIII. Eucherius Lugdunensis Episcopus, seu alius quivis in homilia de Natali sancti Petri: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, &c. Tu dicis & verum dicis, quia ego sum Christus filius Dei vivi. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, fide fortior, & doctrina stabilior. Nisi enim in hoc nomine fortitudinem & stabilitatem Christus intellexisset, quare ea quæ sequuntur, protinus addidisset dicens, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Si Petrum non intelligis petram, respice: Petra autem erat Christus. Sic igitur à petra Petrus, sic à Christo Christianus: Videamus itaque quid sit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc petram,* 28 *quam tu modò docuisti dicens: Tu es Christus filius Dei vivi: Super hanc petram & super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam. Huic enim sententiæ Apostolus concordans ait: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus. Ac si dicat non est aliud fundamentum nisi illa petra, quam Petrus posuit in fundamentum cùm diceret: Tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc petram ædificatur Ecclesia Dei.*

XIV. Felix Papa III. in Epistola V. ad Zenonem Imperatorem: *Cùm ipse* (Petrus) *dixisset ad Dominum: Tu es Christus filius Dei vivi, ab ipso audire meruit: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est, & super ista confessione ædificabo Ecclesiam meam.*

XV. Hormisda Romanus Pontifex in Commonitorio, quod Ennodio & Fortunato Præsulibus Constantinopolim ablegatis dedit: *Sancti Patres, qui ista constituerunt beati Petri Apostoli fidem secuti sunt, per quam ædificata est Ecclesia Christi.* Quibus verbis alludit ad locum Matthæi.

XVI. Anastasius Patriarcha Antioch. in lib. II. Anagogicarum contemplationum: *Nonnulli autem hoc etiam referunt ad duos populos, & ad eos qui stantes, qui firmi sunt ac stabiles super Petri fundamentum & illius fidei immobilem constantiam.*

XVII. Gregorius I. in libri III. epistola XXXIII. ad Theodelindam Reginam: *In vera fide persistite, & vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est, in confessione beati Petri Apostolorum Principis solidate.*

XVIII. Isidorus Hispalensis in libri VII. Originum 29 capite IX. *Petrus à petra, hoc est à Christo super quam fundata est Ecclesia.* Et paullo pòst: *Ideo ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei vivi: Deinde ei Dominus, super hanc petram, quam confessus es, ædificabo, inquit, Ecclesiam meam.*

XIX. Venerabilis Beda in quæstionum super Exodum capite XLII. in recapitulatione: *Nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscit:*

De

De qua soliditate Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Deinde in homilia de sancto Petro: *Petra autem erat Christus, & supra hanc petram, id est, super Dominum Salvatorem, qui fideli suo cognitori, amatori, confessori participium sui nominis donavit, ut videlicet à petra Petrus vocaretur, supra quam ædificatur Ecclesia.*

Tum in homilia de feria III. Palmarum: *Tu es Petrus, & super hanc petram, à qua tu nomen accepisti, id est, super meipsum ædificabo Ecclesiam meam: Super hanc fidei perfectionem, quam tu confessus es, ædificabo Ecclesiam meam, à cujus societate confessionis quisquis deviaverit, quamvis sibi magnus videatur, ad ædificium Ecclesiæ non pertinet.*

Denique in cap. XXI. Joan. *Sed quoniam ei dictum est: Tibi dabo claves regni cœlorum: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis, universam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus & tentationibus,*
30 *quibus concutitur, non cadit, quoniam fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à Petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei vivi: Super hanc petram ergo, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.*

XX. Joannes Damascenus in oratione de Transfiguratione Domini: *At Petrus ardenti quodam zelo inflammatus, ac Sancto Spiritu instinctus; Tu, inquit, es Christus filius Dei vivi. O beatum os, ô prorsus beata labia, ô Theologam animam, ô Deo afflatam mentem, ac dignam, quæ divinitus doceretur.* Et quibusdam interpositis: *Hæc est firma illa & immota fides, super quam tanquam petram Ecclesia fundata est, cujus tu meritò cognomentum geris.*

XXI. Hadrianus I. in Epistola, quæ actione II. septimæ Synodi lecta & probata est: *Iste* (Petrus) *tam præcelse prælatus honore promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia Christi.* Hæc doctrina cùm à Synodo admittatur, pro Synodi doctrina haberi meritò potest & debet. Qui enim probat, suum facit, quod probat.

Deinde in Epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Hujus* (Christi) *fundamenti immobilis soliditatem beatus Petrus non carne & sanguine, sed Patre revelante de cœlo confitendam declaravit, cùm refmatis quorundam opinio-*
31 *nibus, quid in Discipulorum animis fides operaretur, cunctorum cognitor exploraret. Solus pro se & pro omnibus, & pro unitate unus testimonium fidei perhibuit dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, qui mox confessionis præmium nulla interveniente mora adeptus, & cœli janitor & ligandi solvendique arbiter factus est animarum, statimque Dominus: Et ego dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Super hanc, inquit, petram, quam confessus es, & à quo vocabulo sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei ædificabo Ecclesiam meam, & idcirco portæ inferi, id est, hæretici, non prævalebunt adversus eam.*

XXII. Forojuliense Concilium, quod Paulinus Aquileiensis Episcopus habuit: *Ecclesia super eam persistit petram, quam beatus Petrus non carne vel sanguine, sed patre, qui in cœlis est, revelante, sibi confessus est, & illius fide regitur & gubernatur omnis Ecclesia.*

XXIII. Christianus Drutmarus in expositione Matthæi cap. XXXV. *Super hanc firmitatem fidei, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam, & super me ædificabo te cum omni Ecclesia mea.*

XXIV. Jonas Aurelianensis Episcopus in libro III. de cultu Imaginum: *Multi namque & pene omnes petram, super quam ædificatur Ecclesia, fidem intelligunt beati Petri, quæ communis est sanctæ totius Ecclesiæ, videlicet eam, quæ paullo ante promissionem hanc præcesserat, id est, Tu es Christus filius Dei vivi, & hanc petra superædificandam Ecclesiam suam Dominum promisisse.*

XXV. Hincmarus Remensis Archiepiscopus in Opusculi XXXIII. contra Hincmarum Laudunensem Epis- 32
copum cap. V. *Cui* (Petro) *ob robur solidissimæ fidei, Christus petra à se nomen Petri indidit, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram, scilicet rectæ fidei, quam Patre tibi revelante confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.*

Deinde in cap. XLV. *Petro Dominus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram, id est, super hanc firmam & solidam fidei confessionem, quam tu es confessus, ædificabo Ecclesiam meam.*

Tum demum apud Flodoardum in libri III. hist. Rem. capite XIII. ad Nicolaum I. *Vos videbitis, quid inde facto melius erit, & nobis in judicio vestro videndum est, quid Deus velit: Quoniam injusta esse non poterunt divina judicia, quæ à soliditate confessionis Apostolicæ petra adversus quam inferi portæ, id est, suggestiones vel operationes pravæ non prævalebunt, dictante justitia proferentur.*

XXVI. Nicolaus I. in Epistola II. ad Michaelem Imp. *Principatum itaque Divinæ potestatis, quem omnium conditor electis Apostolis suis largitus est, super solidam fidem Apostolorum Principis* (Petri videlicet) *soliditatem constituens, ejus egregiam, imò primam Sedem deliberavit. Nam voce Dominica ipsi dictum fuerat: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petrus denique à firmitate petræ, quæ Christus est, structuram universalis Ecclesiæ inconcussam, & robore fidei solidatam, ita precibus suis munire non cessat, ut errantium vesaniam rectæ fidei norma reformare festinet.*

Deinde in Epistola VI. ad Photium: *Christus supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundùm illius veridicam vocem dicentis: Amen* 33
dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

XXVII. Joannes VIII. in Epistola LXXVI. ad Petrum Comitem: *Super quam etiam solidam confessionis petram suam Dominus fabricavit Ecclesiam.*

XXVIII. Theophanes Cerameus Archiepiscopus Tauromenii in homilia XLV. *Tu,* inquit, *qui petra es, petra fies fidei verbi, & constituendæ Ecclesiæ fundamentum, & spiritualis ædificii primus aditus. In hac enim confessione, qua me hominem eundem & Deum esse confessus es, in qua, inquam, stabilietur Ecclesiæ fundamentum; Hac, inquam, basi supposita reliqua etiam dogmata tutè superstruuntur.*

XXIX. Theodorus Abucara, seu Cariæ Episcopus in Epistola orthodoxa: *Et hæc confessio, est illa confessio Petri, adversus quam non prævalebunt portæ inferi:* Ac proinde super quam fundatur Ecclesia.

XXX. Stephanus Papa VI. in Epistola II. quæ sic inscribitur: *Stephanus Episcopus servus servorum Dei, universis Episcopis & Clericis, &c. Catholica Christi, & Dei nostri Ecclesia fundata super firmam petram, Apostoli videlicet Petri confessionem, licèt plurimis tempestatibus & fluctibus agitetur, nihilominus confirmatur & augetur.*

XXXI. Trosleianum Concilium in can. XV. locutum de Ecclesia: *Quæ cùm generaliter ab ipso suo capite super petram, id est, super confessionem Petri sit ædificata,* &c.

XXXII. Odo Cluniacensis Abbas in serm. de cathedra Petri: *Quia tu es Petrus, id est, cùm ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque u-* 34
num, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere: Tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; Super hanc, inquit, fortitudinem æternum instruam templum, & Ecclesia mea cœlo

inferenda sublimitas ex hujus fidei firmitate consurget. Hanc confessionem porta inferi non tenebunt, vincula mortis non ligabunt. Sic facilè apparet Odonem in ea fuisse sententia, ut crederet Ecclesiam super confessionem fidei, quam Petrus de Christo ediderat, fundatam esse.

XXXIII. Rupertus Tuitiensis Abbas in libro III. super Matthæum: *Orbis quem super hujusmodi afflictos Dominus posuit, Ecclesia ipsius est, quam illis regendam commisit. Hinc est illud, quod huic Simoni Petro dixit, Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Super petram fidei, quam confessus est Petrus, eámque suam ædificavit, eámque regendam illi cæterisque Apostolis, eorúmque similibus commisit.*

Deinde in libro XII. super Apocalypsim: *Fidem Apostoli, qui porta civitatis hujus & fundamenta sunt. Nam super fidem illorum fundata est Ecclesia Dei. Veruntamen ita ut fundamenta ipsorum Christus sit.*

XXXIV. Innocentius II. in Epistola ad Episcopos Senonensis Concilii, quod contra errores Abaelardi celebratum est: *Testante Apostolo sicut unus Dominus, ita una fides esse dignoscitur, in qua tanquam in immobili*
35 *fundamento, præter quod nemo potest aliud ponere, firmitus Ecclesia Catholica inviolata consistit. Inde est, quod beatus Petrus Apostolorum Princeps pro eximia hujus fidei confessione à Domino ac Salvatore nostro audire meruit, Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; petram utique firmitatem fidei, & Catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans.*

XXXV. Hadrianus IV. in Epistola ad Fredericum Imp. *Personam tuam sicut charissimi & specialis filii nostri & Principis Christianissimi, quem in Apostolica confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus charitate.*

XXXVI. Urbanus III. in Epistola ad Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates: *Cælestis altitudo consilii firmam retinens in sui dispositione censuram, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ad cujus regimen sumus licèt insufficientes assumpti, supra petram fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens Apostolicæ confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec prævalere possit spiritus tempestatis.*

XXXVII. Cæsarius Cisterciensis Ordinis Monachus in homilia de Cathedra sancti Petri: *Super hanc petram, id est, super fidei tuæ firmitatem à qua cognominaris, ædificabo Ecclesiam meam.*

XXXVIII. Sanctus Thomas in supplem. quæst. XXV. art. I. in argumentis Sed contrà: *Præterea Ecclesia universalis non potest errare, quia ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro, super cujus confessione Ecclesia fundata est, ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua, Lucæ 22.*

36 XXXIX. Stephanus Parisiensis Episcopus & Facultas Theologiæ in literis, quas in gratiam doctrinæ sancti Thomæ apud Gentiliacum scripserunt anno Christi MCCCXXV. Initium est hujusmodi, quod ad rem facit: *Universis præsentes literas inspecturis. Stephanus permissione divina Parisiensis Episcopus salutem in Domino omnium Salvatore.* Et paullo pòst: *Nos attendentes cum eis* (sacræ Theologiæ Doctoribus) *quòd sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium, & magistra fidei & veritatis in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata,* &c. ad petram quam confessus est Petrus attendunt.

XL. Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus in cap. XVI. Matthæi, quæst. LXVII. *Quæritur, cur Christus dixit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam quæ sit ista petra. Aliqui dicunt, quòd sit Petrus.* Et istud dictum pluribus refellit, & subdit: *Alii dicunt & meliùs, quòd petra, super quam fundatur Ecclesia, est Christus scilicet, super hanc petram, id est, super petram, quam confessus est, ædificabitur Ecclesia.* Et paullo pòst: *Alii dicunt & adhuc meliùs, quòd petra non accipitur hic pro Petro, nec pro Christo, sed pro confessione fidei, quam Petrus facit. Ecclesia enim in fide fundatur. Fides vocatur petra, quia solida manet. Nam postquam cœpit fides, semper mansit, hoc, quia Christus oravit, ut nunquam deficeret fides Ecclesiæ: Et ita Christus dixit Petro: Super hanc petram, id est, super hanc petram confessionis, quia tu dixisti: Tu es filius Dei vivi, tu es Christus, & ista fides semper mansit in Ecclesia, & super eam fundatur Ecclesia.*

XLI. Judocus Clicthoveus Parisiensis Theologus in 37
Compendio veritatum ad fidem pertinentium contra erroneas Lutheranorum assertiones, cap. I. *Beatus Petrus postquam Dominum nostrum confessus est filium Dei vivi, non carnis non sanguinis revelatione, sed Dei Patris interna inspiratione hoc à Christo accepit responsum: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram (soliditatem scilicet & firmitatem confessionis à te prolatæ) ædificabo Ecclesiam meam.*

XLII. Joannes Ekius celebris inter Germanos Theologus in libri I. de primatu Petri contra Lutherum cap. XIII. *Quod addit adversarius supra fidem Petri ædificatam Ecclesiam: Quis ei in hoc repugnat? quis negat? quis inficiatur? ille prodeat, nominet quem hujus dissenserem.*

XLIII. Renatus Benedictus Parisiensis Theologus in sua Catholicorum adversus novas hæreses Panoplia, quam Gregorio XIII. dicavit: *Sunt igitur diligenter expendenda verba illa Christi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Quibus docemur, quòd in compensationem, quia beatus Petrus fecit illam confessionem divinitatis & humanitatis Christi, in qua confessione fundatur religio Christiana & Ecclesia, is accepit eam à Christo potestatem atque dignitatem, quòd primus inter eos est habitus, qui eam confessionem ad fundandam Ecclesiam prædicarunt; ideo enim dicitur Petrus, & super talem petram Ecclesia ab ipso fundata est, ut videlicet præcipuus & primus esset promulgator ejus confessionis, quæ ei primò à Deo revelata est.*

XLIV. Romana Ecclesia in oratione, quam in festo
beati Leonis II. recitandam præscribit: *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolica confessionis petra solidasti.* Postrema verba hæc eò spectant, quò suprà nonnullos Pontifices Romanos spectare vidimus: Nempe in fide quam confessus est beatus Petrus fundatam ac constitutam esse Ecclesiam. 38

Hæc est Patrum & Ecclesiasticorum tractatorum qui docent Ecclesiam supra fidem, quam confessus est Petrus, ædificatam esse, expositio: Nunc ad quartam veniendum est.

Expositio Quarta Patrum & Ecclesiasticorum Tractatorum, qui scribunt ædificatam esse super petram Christum Ecclesiam.

I. Beatus Hieronymus inter primos expositionis hujus auctores collocandus est, cùm in cap. VII. Matth. scribit ad verba hæc: *Fundata enim erat supra petram: Supra hanc petram Dominus fundavit Ecclesiam, ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen.* Et quibusdam interpositis: *Fundamentum, quod Apostolus architectus posuit, unus est Dominus noster Jesus Christus, super hoc fundamentum stabile & firmum & per se robusta mole fundatum ædificatur Christi Ecclesia.*

II. Augustinus multis in locis, & maximè in libro I. Retractationum cap. XXI. *In hoc libro* (contra Epistolam Donati) *dixi in quodam loco de Apostolo Petro,*
quòd in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia. Qui 39
sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii: Ubi de gallo gallinaceo ait, hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quòd à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hunc intelligatur, quam confessus est Petrus dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, ac si Petrus

ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cælorum. Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Augustinus sententiam seu expositionem secundam ut probabiliorem elegit in tractatu CXXIV. super Evangelium Joannis: *Ecclesia fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra; Sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur: Ideo quippe, ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus: Super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro: Id est, potestatem ligandi solvendique peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ec-*
40 *clesia, hoc est, per significationem petra in petra. Qua significatione intelligitur Christus in petra, Petrus in Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia, quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, amando & sequendo Christum liberatur à malis.* Tractatus in Evangelium Joannis editos esse post librorum retractationem, ex eo conjectura est non levis, quòd Augustinus tractatuum in Evangelium Joannis editorum, nec in primo, nec in secundo retractationum libro meminerit.

Hic propter conjecturam eandem adjungo sermonem XIII. de verbis Domini in Matthæi cap. I. & II. *Deinde addidit: Et ego dico tibi: Tanquam diceret: Quia tu dixisti mihi: Tu es Christus filius Dei vivi: Et ego dico tibi: Tu es Petrus, Simon quippe antea vocabatur. Hoc autem nomen ei, ut Petrus appellaretur, à Domino impositum est: Et hoc, ut ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus (petra enim principale nomen est) Ideo Petrus à petra, non petra à Petro, quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti, dicens, Tu es Christus filius Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant; Ego quidem sum Pauli: Ego autem Apollo, ego verò Cephæ: Ipse est Petrus. Et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram: Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, ubi cognovit se eligi, & Christum contemni, Di-*
41 *visus est, inquit, Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli, sic nec in Petri, sed in Christi nomine, ut Petrus ædificaretur super petram, non petra super Petram.*

III. Theodoretus in caput III. epistolæ I. ad Corinthios: *Oportebat superædificare, non fundamenta jacere. Neque enim aliud potest jacere fundamentum, qui vult sapienter ædificare. Hoc fundamentum jecit beatus Petrus, vel potiùs ipse Dominus: Cùm enim dixisset Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi, dixit Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ne vos ergo denominate ab hominibus. Christus enim est fundamentum.*

IV. Venerabilis Beda in caput XVI. Matthæi: *Metaphoricè ei dicitur: Super hanc petram, id est, Salvatorem, quem confessus est, nominis participium donavit.*

V. Paulinus Aquileiensis Episcopus in libro I. contra Felicem Urgellitanum Episcopum: *Quatenus ipsius Principis Apostolorum, primique Pastoris Ecclesiæ, Petri scilicet Apostoli fidei soliditatem avellere niteris, quam super firmam petram, quæ Christus est, firmiter & fideliter non ambigitur fundasse.*

VI. Dungalus Diaconus in libro contra Claudium Taurinensem Episcopum: *Non enim à Petro petra: Sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur: Ideò quippe ait Dominus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi: Super hanc ergo petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.*

VII. Rabanus Moguntinensis Episcopus in libri IV.
de Universo capite I. *Petrus à petra nomen accepit:* 42
hoc est à Christo, super quem est fundata Ecclesia: Non à Petro petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideóque ait Dominus: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi: Deinde ei, Super hanc petram inquit, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.

VIII. Anselmus Cantuariensis Episcopus in cap. XVI. Matthæi: *Super hanc petram, id est, super me ædificabo Ecclesiam meam. Quasi dicat: Tu es Petrus à me petra, ut tamen mihi reservetur fundamenti dignitas.*

IX. Magister Sententiarum in cap. II. epistolæ ad Ephesios: *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, id est, super Christum, qui est fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere. Dicuntur tamen Apostoli & Prophetæ fundamentum. Unde ait Propheta in Psal. LXXXVI. Fundamenta ejus in montibus sanctis. Sed Christus est primum & maximum fundamentum, qui sicut apertè dicitur Sanctus Sanctorum, sic figuratè fundamentum fundamentorum. Si ergo sacramenta cogites, Christus est Sanctus Sanctorum: Si gregem subditum cogites, Christus est Pastor Pastorum. Si fabricam cogites, Christus est fundamentum fundamentorum. Vel, super fundamentum, id est, doctrinam Apostolorum & Prophetarum, id est, super novum Testamentum: Et verè quia quod Apostoli prædicaverunt, Prophetæ futurum prædixerunt. Et ne Apostoli vel Prophetæ, in quibus fundata est civitas Dei, tenerent se in se, subdit: Ipso summo angulari existente*
Christo Jesu. In Christo enim totum innititur primo funda- 43
mento, in quo omnis ista compages incumbit, ut nusquam cadat. Hæc ferè non possunt uno ita dici, nisi habito respectu ad verba Christi apud Matthæum cap. XVI. loquentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram.*

X. Joannes Saresberiensis Carnutensium Episcopus in epistola CLXVI. ad Cantuariensem Episcopum: *Nec hoc dixerim, quòd Ecclesiam Romanam spei nostræ fundamentum arbitror statuendum, sed ipsum solum super quo illa fundata est, & in quo qualibet opera fideliter radicata convalescit, & consummatur in gloria.*

XI. Goffridus Viterbiensis Presbyter Chronicorum parte XVI. in Constantino Magno: *Assentio autem matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, quæ fundata est super petram, id est, Christum.*

XII. Cœlestinus III. in epistola XIV. ad Lincolniensem Episcopum: *Cùm sacrosancta Romana Ecclesia super immobile fundamentum, lapidem scilicet angularem & verum perpetua stabilitate fundata sit, de seipsa veritate dicente: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

XIII. Innocentius III. in sermone II. de consecrat. Pont. *Tu es, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Cùm enim idem sit ipse fundator & fundamentum Ecclesiæ, profectò portæ inferi non prævalebunt adversus eam, quia fundamentum immobile perseverat, de quo dixit Apostolus, Fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus.* Et paullo pòst: *Fundata erat supra petram, super illam videlicet, de qua dicit Apostolus: Petra autem erat Christus.*

XIV. Cæsarius Cisterciensis Ordinis Monachus in 44
homilia de cathedra sancti Petri: *Sed quæ est hæc petra, fratres, à qua Simon Petrus vocatur, & super cujus firmitatem Christi ædificatur Ecclesia? Puto quòd Christus sit hæc petra.*

XV. Beatus Thomas in supplem. quæst. VI. art. VI. *Potestas Ecclesiæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.* Ad Matthæum & Paulum alludit.

Deinde in caput IV. epistolæ I. ad Corinthios ad ista

verba: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus. Sed contrà videtur esse, quod dicitur Apocal. 21. Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum. Non ergo solus Christus est fundamentum. Dicendum est autem quòd duplex est fundamentum, unum quidem, quod per se habet soliditatem, sicut rupes aliqua supra quam ædificium construitur. Et huic fundamento Christus comparatur. Ipse enim est petra, de qua dicitur Matthæi* VII. *Fundamentum enim erat supra firmam petram. Aliud est fundamentum, quod habet soliditatem non ex se, sed ex alio solido subjecto, sicut lapides, qui primò supponuntur petræ solidæ. Et hoc modo dicuntur Apostoli fundamentum Ecclesiæ, quia ipsi primò superædificati sunt Christo per fidem & charitatem. Unde dicitur Ephes.* II. *superædificati supra fundamentum Apostolorum.*

XVI. Pius II. in libro 1. de gestis Basileensis Concilii, cùm explicat quid sit sancta Ecclesia: *Ad hoc etiam tendit quod dicitur apud Paulum, caput Ecclesiæ fore Christum. Nam si Ecclesia peccaret tota, nequaquam capiti conveniret*
45 *Christo, qui nullo ex parte corruptus existit. Hoc iisdem apud Matthæum significare voluit Christus, cùm domum illam collaudat, quæ fuerat supra firmam petram ædificata, cui nec venti potuerunt efficere, nec pluvia. In domo Dei, inquit Apostolus, quæ est Ecclesia ædificata super firmam petram, quæ sicut idem Apostolus prædicat, erat Christus. Ecclesiam ergo supra Christum fundatam, quis est tam demens, aut tam sui oblitus, ut peccato subditam esse velit?*

Porro autem cùm Doctores sanctissimi Augustinus & Thomas in expositione seu classe tertia & quarta emineant, nunc referendum est elogium quo Alexander VII. condecorandos illos esse censuit, cùm ad Lovanienses Theologos anno MDCLX. VII. Idus Augusti scripsit: *De reliquo non dubitamus, quin singulari scientia pietatisque studio sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes & sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri & adversus orthodoxæ religionis hostes defensuri sitis, necnon præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimáque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis: Quorum profectò sanctissimorum virorum penes Catholicos universos ingentia & omnem laudem supergressa nomina novi præconiis commendatione planè non egent.* Habendum est oraculi instar elogium hoc, quod ubi causa cognita, nimirum evolutis & probè intellectis Augustini & Thomæ libris omnibus profertur, dubitandi locum nullum relinquit. Interim Alexander ut expositionis tertiæ & quartæ fautor & approbator existimandus est donec saltem ipse aliter statuerit.

46 Hæc est Patrum & Ecclesiasticorum tractatorum, qui tradunt ædificatam esse super petram Christum Ecclesiam, expositio.

Hactenus testimonii Matthæi expositiones quatuor, quæ nunc inter se componendæ sunt, & quoad fieri licet conciliandæ. Quoad fieri licet dico, quia jura veritatis integra manere semper debent. Nefas enim esset efficere, ut quis aliquid dixerit quod eum dixisse repugnaret.

Et primò quidem nonnulli Patres in expositione seu classe prima & secunda comparent Origenes, Cyprianus, & Hieronymus, qui & in quarta. Alii in expositione seu classe prima & tertia, ut Hilarius, Ambrosius, Cyrillus, & Leo. Quidam in expositione seu classe secunda & quarta, ut Theodoretus. Alii in expositione seu classe tertia & quarta, ut Beda. Sed Augustinus in singulis expositionibus prima, secunda, tertia, & quarta.

Deinde expositionis primæ & secundæ Patres sibi ipsis conciliantur facilè. Origenes in expositione prima secundam non excludit. Cyprianus in expositione prima secundam videtur excludere, sed revera non excludit, si scopus operis attendatur. In prima super unum Petrum ædificatam esse scribit Ecclesiam, ut adversus emergentes Christianorum in religione discordias, unitatem Ecclesiæ commendet. In secunda constitutam esse super Episcopos dicit Ecclesiam, ut quam Ecclesiæ unitatem in uno Petro commendaverat, eandem in pluribus Apostolorum successoribus commendaret: Quasi diceret, sive sit unus Apostolus, sive sint plures Apostoli, super quos ædificetur
Ecclesia, una tantum, non multiplex ædificatur Eccle- 47
sia. Quapropter in expositione prima disputat adversus eos, qui scindere volebant Ecclesiam. In secunda lapsos redarguit, qui & ipsi Cypriano de usurpata pace per Paulum martyrem data scripserant: Hócque pacto scindebant Ecclesiam, quæ, ut ait, *Stantium est, non lapsorum. Absit enim, nec Domini misericordia & potestas ejus patiatur, ut Ecclesia esse dicatur lapsorum numerus, cùm scriptum sit: Deus non est mortuorum, sed vivorum. Omnes quidem vivificari optamus, & ut in pristinum statum restituantur, precibus nostris & gemitibus oramus. Si autem quidam lapsi Ecclesiam se volunt esse, & si apud illos atque in illis est Ecclesia, quid superest, quàm ut ipsi rogentur à nobis, ut nos ad Ecclesiam dignentur admittere?* Igitur Cùm Cyprianus in utraque expositione unam statuat Ecclesiam, & illius unitati consulat, sibi ipsi non est contrarius. Id magis magísque confirmatur ex rebaptizandorum controversia. In qua Cyprianus etiamsi seorsum à Romano Pontifice sentiret, in eadem tamen cum Romano Pontifice Ecclesia manere volebat, dissentiendo unitatem Ecclesiæ servavit, non fregit. Qua de re sic loquitur in epistola LXXI. ad Quintum: *Et idcirco quia nihil potest esse commune mendacio & veritati, morti & immortalitati, Antichristo & Christo, per omnia debemus Ecclesiæ Catholicæ unitatem tenere, nec in aliquo fidei & veritatis hostibus cedere. Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de circumcisione postmodum*
disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arro- 48
ganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs oportere: Nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ priùs persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit: Documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus.

Tum Hieronymus non secum etiam pugnat. Nam in expositione secunda declarat, quomodo intelligendus sit in prima. Hieronymus enim primò dicit super Christum, qui verè petra erat, fundatam esse Ecclesiam, deinde super Petrum & reliquos Apostolos, quorum tamen caput sit primus, ut vitetur schismatis occasio. Quid verò capitis nomen importet, docent nos Romani Pontifices numero tres, Sixtus III. Gregorius I. & Nicolaus I.

Sixtus quidem in epistola ad Episcopos per Illyricum constitutos: *Nullum corpus est, quod capite non regatur. Estis quidem membra, ut novimus, sancta, sed vestrum caput respicere & honorare vos condecet: Quoniam honor capitis ad spem totius proficit sanctitatis, & suum corpus sollicitis tuetur oculis, quod sibi aptum & dignis videatur ad unamquamque rem officiis convenire. Sed ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput nisi suo corpore sustineretur, firmitatem & vigorem suam perdit, & non tenet, quam habuerat dignitatem.*

Gregorius in libri IV. epistola XXXVIII. ad Joan-
nem Constantinopolitanum Episcopum: *Certè Petrus* 49
Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita? Et tamen sub uno capite (Christo) *omnes sunt membra Ecclesiæ: Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti.*

Nicolaus

Nicolaus in Epistola X. ad Metropolitas & Episcopos Constantinopolitanæ sedi subjacentes: *Si juxta Apostolum quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, quantò magis compatiendum est illi, quod inter cætera membra præcipuum tenuisse locum dignoscitur.* Explicatum ac desormatum hocce modo caput Ecclesiæ non id omne per seipsum perficit, quod ab eo Bellarminus & reliqui Curiæ Doctores perfici fallaciter contendunt.

Quartò, Hilarius non minùs sibi consentit, quàm Hieronymus. Nam in expositione prima dicit, super Petrum ædificatam esse Ecclesiam, & in tertia, qua ratione super Petrum ædificetur Ecclesia, interpretatur.

Quintò, Ambrosius expositionem primam suam ipse in tertiam adducit.

Sexto, quod de Hilario & Hieronymo notamus, idem quoque de Cyrillo & Leone notandum esse cogit mutua testimoniorum Ambr. Cyril & Leonis contentio. Quod enim obscurum est testimonium, per id quod est clarius, intelligi debet. Obscurum porro est testimonium, quod variis modis intelligi potest, clarius verò, quod uno tantùm modo intelligitur, & sensum duntaxat unum meditanti objicit. At certum est, Patrum aucto-
50 ritates, quæ in expositione prima recensentur, varias facere posse interpretum sententias, quæ verò in secunda, non posse, vel saltem non tam facilè posse. Quod eruditis & cordatis hominibus sufficit ad dirimendam, quæ inde nasceretur, controversiam.

Egregius est in eam rem Facundus Hermianensis Episcopus in libri IX. cap X. *Quemadmodum calumniantium hæreticorum est ex dubiis & obscuris, quæ certa & manifesta sunt, malè interpretari: Ita solitum est prudentiæ & pietatis Catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare.* Igitur qui Catholico nomine censetur, in exponendis vel conciliandis inter se Patribus Catholicorum morem sequi debet, & contrà pravum fugere disputandi modum, quo hæretici, ut Patres exponant, utuntur.

Septimò, Augustinus cum expositionum singularum auctoribus versatur, ita tamen ut ab auctoribus primæ recedat nonnihil, & aliis recedendi copiam faciat, & ad auctores secundæ, tertiæ, & quartæ familiarius accedat. In expositione secunda cùm hæreret, verbis quibusdam suis iter sibi ad tertiam & quartam munivit: In quibus se proprio lumine continet & obscuritatem omnem dispellit.

Octavò, qui supersunt in expositione prima tractatores Ecclesiastici ex aliorum, quibuscum vixerunt, communione in alias expositiones traduci possunt: *Non ex levi sono verborum, sed ex intentione dicentis æstimanda sunt, quæ dicuntur. Dicentis autem intentio, cùm jam persona defuncta est, ex communione religiosius æstimatur.* Facundus Hermianensis Episcopus in libri X. cap. V.

51 Nonò, expositionis quartæ auctores cum auctoribus expositionis tertiæ sine difficultate ulla conciliari possunt, ut ex illorum verbis colligitur. Nam pene sunt idem super Christum, & super Christi confessionem à Petro editam fundari Ecclesiam. Quidquid id est, ad unam Christi personam refertur.

Decimò in summa postquam expositionis primæ auctores, qui cum aliarum expositionum auctoribus conciliari postulant, conciliati sunt, auctores expositionis secundæ, nisi auctores primæ numero superent, in æqualitatem cum illis veniunt, & ab auctoribus expositionis tertiæ & quartæ, quæ nihil aut parum inter se differunt, omnino vincuntur. Quod cùm ex aliis, tum ex tribus quoque potissimum colligitur.

Primùm, si auctores illi omnes inter se componantur, ut antea componi facilè possunt.

Deinde ad annum DCCCXXV. Joannes Aurelianensis Episcopus expositionem tertiam tractatoribus Ecclesiæ pene omnibus tribuit.

Postremò, ad annum MDXXV. Joannes Ekius eam à nemine negari pugnat. Quo tempore si unquam dissimulanda sit veritas, hanc dissimulari oportuit, cum Lutherus expositionem tertiam in se reciperet, atque ex ea contra Romanum Pontificem ineptissime disputaret. Noverat Christianus ille Doctor veritatem ab ethnico scriptore vocatam esse *indissimulabilem, & cum indissimulabili veritate disserendum esse.* Quo nomine Aulus Gellius in lib. X. Atticarum noctium cap. XXII. Platonem laudavit.

Decimo, Bellarminus in libri I. de Romano Pontifice capite X. ut expositionem tertiam hanc reddat odiosam, factioni Lutheranorum addicit, etiamsi veterum Patrum testimoniis confirmari posse fateatur. Ver- 52
ba sunt: *Quarta restat sententia, quæ omnium ferè Lutheranorum communis est, & veterum Patrum testimoniis confirmari posse videtur.* E tanta illa nube Patrum & Magistrorum, quos expositio tertia repræsentat, quatuor adducit duntaxat, Hilarium, Ambrosium, Chrysostomum, & Cyrillum. Prætermittit cæteros quos in medium adduximus, ne confirmata ad nos usque videatur expositionis tertiæ traditio. Sed Bellarmini res est, cui non potest adscribi bonum factum. Lutherani hac in parte laudandi sunt, quòd ab antiquorum Ecclesiæ Magistrorum sensibus non recesserint. Accusandi vero, quòd legitimam secuti traditionem ab Ecclesia nihilominus defecerint.

Et sanè negari non potest quin scribens contra Lutherum Ekius Bellarmino Christiana simplicitate antecelluerit. Lutherus ædificatam supra Petri confessionem Ecclesiam perinde Catholicis, ac si negassent, opponebat. Luthero respondebat Ekius, id à nemine Catholicorum negari, hoc est à Docturibus penè cunctis admitti, seu neminem esse, qui aperte recusaverit. Bellarminus contrà in loco mox citato, ut expositionem tertiam elevet, illiúsque traditionem & auctoritatem deterat, hanc Lutheranis adscribit, quasi qui Lutheri partes sequuntur, ab illorum ore & calamo nulla unquam vera fluxisset oratio. Et certè Bellarminus hîc negligere non debuit Apostoli sententiam, quæ ad Doctoris & Magistri munus pertinet: *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Quam Lutheranis sententiam Bellarminus tribuit, hæc nec nova nec profana est. Non est quidem nova, quia antiquitas illi prælucet. Non est quoque profana, quia 53
sanctorum Patrum & Romanorum Pontificum Leonis I. Felicis III. Hormisdæ, Hadriani I. Nicolai I. Innocentii II. Hadriani IV. Urbani III. auctoritatibus consecratur. Ab illorum Pontificum sensu minime recedit Philippus Presbyter & Sedis Apostolicæ Legatus, cùm in Calchedonensis Concilii actione III. Petrum appellat *Fidei columnam & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum.* Respectum habet ad Petri confessionem, quam laudati Pontifices Ecclesiæ fundamentum esse asserunt.

Porro autem ex his, quæ huc usque disseruimus, & ad testimonii beati Matthæi expositiones quatuor animadvertimus, colliguntur tria, in quibus ratiocinationis nostræ totius præsidium constituitur.

Primum, quod tertia & quarta expositio, quæ reipsa conveniunt, & eundem ferè scopum feriunt, expositioni primæ, etiamsi per seipsa & sine conciliatione ulla sumatur, longè præponderant.

Deinde, quòd si quis est in exponendo beati Matthæi testimonio unanimis consensus Patrum, hunc expositio tertia sibi vindicat, & titulo adhuc majori vindicat, si expositio quarta conjungatur tertiæ, ut revera conjungi debet.

Denique, quòd Bellarminus in conficiendâ ratione sua nec Tridentini Concilii decreto paruit, nec fidei professionem servavit. Decretum illud in professionis fidei partem ita venit: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem*

mem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Inva-
54 lida est igitur Bellarmini ratio, in qua formanda Tridentini Concilii decretum negligitur, & violatur fidei professio.

Sed præter generale peccatum hoc, sunt & alia multa peculiaria, quæ ille commisit.

I. Dum formavit argumentum, quod initio retulimus, varias loci Scripturæ, *super hanc petram*, &c. Expositiones non meminit: Quorsum hoc, nisi ut lectori suo persuaderet loci hujus expositionem unam esse duntaxat, atque ob id firmam inde ad probandum rationem comparari: Ignorantia hoc non ita fecit, sed malitia. Nam in libri I. de Romano Pontifice capite X. notat Scripturæ locum vario modo exponi. Qua in re etiam fucum facit, cùm sic scribit: *Erasmus in hunc locum Matthei miratur aliquos fuisse, qui hunc locum ad Romanum Ecclesiam detorserint, utrùmque excusare Cyprianum & Hieronymum, quòd dixerint, super Petrum fundatum esse Ecclesiam, quasi hoc sit paradoxum, cùm tamen omnes Patres id doceant.* Et sanè nisi auctor iste mentietur ἀμυεία τῆς ἀνθίλκως, nemo mentietur unquam. Vide si placet expositionem secundam, & Patres ibi multos invenies, qui fundatam esse super Apostolos, non super unum tantùm Petrum Ecclesiam tradiderunt. Vide si placet expositionem tertiam, & Patres ibi longè adhuc plures occurrent, qui supra fidem, quam confessus est Petrus, ædificatam esse Ecclesiam affirmarunt. Vide si placet expositionem quartam, & Patres ibi quoque se sistent egregii, à quibus memoriæ proditum est ædificatam esse super petram Christum Ecclesiam.

55 Et hanc expositionem quartam Calvino tribuit, ut de Sectarii hujus nomine suspecta reddatur. Sic in Calvino crimen fuit eam explicationem amplecti, quam Augustinus, Theodoretus, Beda, Dungalus, Rabanus, Anselmus, Joannes Saresberiensis, Celestinus III. Goffridus Presbyter Viterbiensis, Innocentius III. & Cæsarius Cisterciensis Ordinis Monachus amplexi sunt.

Prætcrea expositionem tertiam, in qua plures comparent Romani Pontifices, Lutheranis tribuit: *Quæ omnium*, inquit, *ferè Lutheranorum communis est.* O fucatam & perversam tractandi methodum, in qua damnatur, quod laudandum esset; Lutheranos nempe illam Scripturæ expositionem recipere & amplecti, quam tot antiqui Patres & Romani Pontifices suis monimentis consignarunt! Si Lutherani Novatores sunt, qua parte sanctorum Patrum traditionem sequuntur, Novatores opinor non erunt, quando illam deserent. Scilicet Novatores non erunt, cum reipsa Novatores erunt. In has necessariò deveniendum est ineptias, cùm à Christiana disputandi simplicitate deflectimus.

Et hæc sunt peccata præcipua, quæ in libri I. de Rom. Pont. capite X. commisit. Revertor ad ea, quæ in libri IV. de eodem Rom. Pont. capite III. notanda suscepi.

II. Bellarminus argumentum suum ab Origenis auctoritate repetit, atque ut repetat, eam auctoritatem Origeni subjicit, aut ab alio subjectam insumit. Nam verborum series hæc: *Manifestum est, etsi non exprimatur, quòd nec adversus Petrum nec adversus Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum. Nam si prævalerent*
56 *adversus petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent*, apud Origenem comparet nusquam. Siccine Pindari consilium ille sequitur? ἀρχομένου δὲ ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές, cum in primo aditu vestibulóque probationis subjectum Origeni testimonium adhibetur?

III. Bellarminus laudans Joannem Chrysostomum, in cap. XVI. Matthæi expositionem hanc, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est fidem atque confessionem*, dissimulat, & quæ paullo pòst Chrysostomus dicit, contracta refert, ut sub initium Epistolæ retuli. Sed sancti Patris verba propria sunt hæc: *Animadvertis quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & seipsum his duabus pollicitationibus filium esse Dei revelat & ostendit. Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus pastor & piscator homo atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet. Hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.* Nonne Bellarminus lectores suos ludificatur, cùm ex his verbis probare vult, Romanum Pontificem cùm totam docet Ecclesiam in iis quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse?

IV. De Cyrilli testimonio, quod continenter subjicit, non te morabor diutius. Fictitium est testimonium, quod Cyrillo apud sanctum Thomam in Catena super Matthæum atribuitur. Argumentum est secundæ ad Antonium Faurum Parisiensem Theologum Epistolæ: In qua testimonium hoc perpenditur, & ut subditi-
tium pluribus rationum momentis rejicitur. Epistola 57
reperitur in prima parte nostrarum Epistolarum. Præterea omitti non debet, Bellarminum in adulterino testimonio etiam fucum facere, cùm ibi fiat sermo de Apostolica Ecclesia Petri, non de Romano tantùm Pontifice, cui Bellarminus non errandi privilegium appingit. Sed aliud est Romana Ecclesia, aliud Romanus Pontifex. Nam pereunte Romano Pontifice, Romana non perit Ecclesia.

V. Bellarminus Theodoretum producit ut qui Matthæi locum hunc *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, interpretetur. At non magis illum, quàm alium quemlibet interpretatur. Quo ex capite Bellarminus vel fallere vult, vel fallitur. Nam hac in Epistola ne verbum quidem ullum est de beati Matthæi Evangelio.

Ad rem quod attinet, Theodoretus in expositione II. Apostolos omnes fundamenta facit Ecclesiæ, in expositione III. ædificatam esse super Petri fidem & confessionem Ecclesiam statuit, in expositione IV. Christum Ecclesiæ fundamentum esse dicit. Bellarminus Theodoretum minimè perlegerat: Per subministratos indices sapiebat.

Theodoretus in sua ad Renatum Presbyterum Epistola quæstionem facti tractat, quam Bellarminus insigni fallacia in quæstionem juris convertit. Theodoretus ait: *Sancta Sedes semper hæretici fœtoris expers permansit*, & hæc est facti quæstio, quæ ad præteritum tempus attinet. Bellarminus ait: *Theodoretus videtur sic argumentari: Regimen totius Ecclesiæ debet esse illius Sedis, quæ non possit deficere in fide.* Et hæc est juris quæstio quam Bellarminus Theodoreto nihil mi-
nùs cogitanti affingit, & ad lemmatis sui probationem 58
inutiliter affingit, quia Theodoretus hocce modo argumentatus non exprimit, quod in Bellarmini sententia exprimendum est: Nempe Summum Pontificem, cùm totam Ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare posse. Deinde Theodoretus de sancta Sede loquitur, Bellarminus verò de Sedente: Aliud est sancta Sedes, aliud is qui sanctæ Sedi præsidet. De Felice III. qui Theodoretum videre per ætatem potuit, nos docet, Sedem Apostolicam in Romano tantùm Pontifice non consistere. Cùm ad Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum ita scribit in Epistola IV. *Firma sit hæc tua depositio à me & ab iis, qui unà mecum Apostolicum thronum regunt.* Denique Theodoretus apud Bellarminum dicit quidem, Romanam Sedem in fide non posse deficere, sed non dicit in docendo potiùs, quàm in credendo: Quod tamen dicendum fuit, ut causæ serviatur: Bellarminus igitur Theodoretum inutiliter argumentantem facit.

Adhæc Theodoreti versione parum consentanea utitur. Sic enim ille scribit: Ἔχει γὰρ ὁ πανάγιος θρόνος ἐκεῖνος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησιῶν ἡγεμονίαν, διὰ πολλὰ μὲν καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων, ὅτι αἱρετικῆς μεμένηκε δυσωδίας ἀμύητος. Sirmondus ita vertit: *Habet sanctissima illa*

Sedes

Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quòd ab hæretica tabe immunis mansit. Aliud est Ecclesiarum regimen, aliud principatus, ut per se patet. Sic multiplex est fallacia, qua Bellarminus circa Theodoretum utitur.

VI. Bellarminus Hieronymum producit scribentem
59 ad Damasum de nomine hypostaseos, & docentem supra petram ædificatam esse Ecclesiam: Sed ille dissimulat, quæ Hieronymus in expositione II. de fundata super Apostolos, & in expositione IV. de fundata super Christum Ecclesia tradit. Tum dissimulat, quæ idem Hieronymus de Liberio Pontifice in hæresim lapso semel atque iterum notat. Semel in Chronico, iterum in libro de viris illustribus. Id antè totum fusè persequor in Epistola ad Felicem Phelippæum Brossam Parisiensem Theologum. Ubi & observabis quod necessariò observandum est, Bellarminum Hieronymo imponere, cùm illum hoc modo loquentem inducit: *Asserit se tutè sequuturum sententiam Pontificis, quia novit super illum Ecclesiam esse fundatam, nec fieri posse, ut Ecclesiæ fundamentum cadat.* Quasi Ecclesiæ fundamentum quod cadere non potest, Romanus sit Pontifex, qui moritur; non verò Christus, qui non moritur.

Præterea cùm Romanus Pontifex credendo, vel docendo cadere possit, utrum sit in Hieronymi sententia, hoc an illud, dubium & incertum relinquit, quò facilius incautos circumveniat qui facilè credent, quod ab illis credendum esse proponit.

Deinde cùm Romanus Pontifex Ecclesiam totam, vel aliquam Ecclesiæ partem docere possit, utrum sit in Hieronymi sententia, hoc ad illud, dubium quoque & incertum relinquit, ut ille si erret, habeat, quò elabatur. Nam si Pontifex docendo erraret, Bellarminus diceret erravisse quidem illum, cùm aliquam tantum Ecclesiæ partem doceret. Nam in Bellarmini opinione Pontifex errare non potest duntaxat, cùm totam docet Ecclesiam.

60 VII. Bellarminus Augustinum producit scribentem in Psalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte: Ipsa est petra, quam non vincunt superba inferorum portæ.* Producit quidem ille locum hunc: Sed eorum lubens obliviscitur, quæ in libri I. de Rom. Pont. capite X. ex libri I. Retractationum capite XXI. retulerat, & nos in expositione I. & IV. retulimus.

Deinde ea dissimulat, quæ Augustinus in expositione II. & III. dicit.

Tum Augustinus in Psalmo contra partem Donati de Sede Petri, non de Petro vel de Petri successore loquitur, cùm illam *petram* nominat, *quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Bellarminus verò de Petro vel Petri successore, non de Sede loquitur, ut illius docet propositio hæc: *Summus Pontifex cùm totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Augustinum igitur de Sede loquentem ad Augustinum de Sedente loquentem detorquet. At inter Sedem & Sedentem distinguendum esse Leo, qui Augustinum videre potuit, semel atque iterum scribit: Semel in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite V. *Aliud sunt Sedes, aliud præsidentes.* Iterum in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite III. *Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen jura permanent sedium.*

Postremò verba hæc, *quam non vincunt superbæ inferorum portæ*, multò faciliùs ad Sedem, quæ credat, quàm ad Sedem, quæ totam doceat Ecclesiam, flectuntur. Sed ut cum Dialecticis loquar, suppositiones sunt
61 duæ, quas Bellarminus ut causæ serviat, in unam fallaciter confundit. De Augustini mente circa non errandi privilegium latiùs pertracto in Epistola, quam ad Carolum Magistrum Parisiensem Theologum exaravi.

VIII. Bellarminus Gelasium producit ad Anastasium Imperatorem ea scribentem, quæ sub initium Epistolæ hujus commemorata sunt. Sed inutiliter producit, & uti solet, fallaciter. Nam Gelasius Matthæi caput XVI. non laudat, & proinde verba hæc, *super hanc petram*, non interpretatur, ut convenienter instituto Bellarmini, *super Petrum*, deberet interpretari. Hoc notare argumentum esset diluere, si quid aliunde virium haberet. Ineptè disputat, qui à proposito digreditur. Quinetiam auctor digressus à proposito rationem contra se objicit. Nam Gelasius loquitur de gloriosa Apostoli Petri confessione, supra quam ædificatam esse Ecclesiam credere potuit, ut proximus decessor Felix crediderat & scripserat. Respectum sine dubio habet ad verba illa, *Tu es Christus filius Dei vivi:* Quod Bellarminus cùm neutiquam animadverteret, Apostoli confessionem pro Sedis Apostolicæ confessione accipit, quæ sit radix mundi, ac proinde, si Sedes Apostolica erraret, totus mundus erraret. Quasi vero Sedes Apostolica esset Apostoli confessio. Quæ eam ob causam radix mundi dicitur à Gelasio, quòd sit Ecclesiæ fundamentum, quòd ei superstruatur Ecclesia. Bellarminus in subobscuris & à reliquo contextu avulsis verbis quibusdam ludit & μονολογίζει.

Deinde Pontifex de Apostolica Sede sermonem instituit, non de Apostolico duntaxat Præsule, ut Bellarminus, qui Sedis Apostolicæ notionem vel igno- 62
rat, vel dissimulat. Is ad beatum attendere debuit Cyprianum, qui præsidentem cum Cornelio Papa Clerum dicit in Epistola LV. ad eundem Cornelium: *Et quamquam sciam, frater charissime, pro mutua dilectione quam debemus & exhibemus invicem nobis florentissimo illic* CLERO TECUM PRÆSIDENTI, *& sanctissimæ atque amplissimæ plebi legere te semper literas nostras, tamen, &c.* Non solus ergo Cornelius Romæ præsidet, sed etiam Clerus, quem florentissimum appellat, cum Cornelio præsidet. Cornelius qui Romanæ Ecclesiæ traditionem probè noverat, Cypriano causam dederat dicendi quod ille dicit, cùm ad eundem Cyprianum ita scribit: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur. Et ut motum omnium & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestram proferri, quas & subjectas leges.* Hæc in Epistola XLVI. apud Cyprianum.

Is attendere debuit ad Felicem III. qui in Epistola IV. ad Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum ita scribit: *Firma sit hæc tua depositio & à me, & ab his, qui unà mecum Apostolicum thronum regunt.* Sunt igitur præter Felicem alii, qui cum Felice Apostolicum thronum vel Apostolicam Sedem regunt. Hæc est Sedis Apostolicæ notio, per Cornelii, Cypriani, & Felicis traditionem accepta, quam Gelasius noverat, & quam Bellarminus, ut jam dixi, vel ignorat vel dissimulat.

Deinde Bellarminus à Gelasii proposito egreditur, 63
ut apud Gelasium inveniat, quod inveniri nequit. Gelasius non agit de non errandi privilegio quod Bellarminus quærit, sed agit de exequendis adversus Acacium decretis, quæ Calchedonensis Synodus contra hæreticos sanxit. Quæ antecedunt & subsequuntur, id manifestè declarant: *Tum certè legibus Imperator paternis nihil parere, Romano nomini nullum admittis ingeri detrimentum.* Et paullo pòst: *Nec ulla causa jam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum, januàmque pandamus. Qui enim in uno offenderit, omnium reus est, & qui minima spernit, paulatim decidit. Hoc est quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam (si quod Deus avertat) quod fieri non posse confidimus, tale aliquid proveniret, unde cuiquam*

quam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus? Et post alia: *Proinde cùm Calchedonense Concilium pro fidei Catholicæ, atque Apostolicæ veritate communionéque celebratum damnaverit Eutychem, detestandi furoris auctorem, non satis habuit, nisi ut pariter ejus quoque consortem Dioscorum caterósque percelleret. Hoc igitur modo sicut in unaquaque heresi, vel factum semper vel fieri non habetur ambiguum, successores eorum Timotheum, Petrum, atque alteram Antiochenum Petrum non viritim propter singulos quosque rursus facto Concilio, sed synodi semel acta regula consequenter elisit. Quemadmodum ergo non evidenter apparet, etiam cunctos simili tenore constringi, & qui eorum communi-*
64 *catores & complices extiterunt, atque omnes omnino à Catholica atque Apostolica meritò communione discerni: Hinc Acacium quoque jure dicimus à nostro consortio submovendum, qui maluit in fortem transire perfidiæ quàm in Catholica, atque Apostolica communionis sinceritate constare, cùm fere per triennium ne id veniret in Apostolica Sedis epistolis doceatur competenter instructus.* Hæc eadem in Epistola ix. ad Orientales Episcopos persequitur adhuc fusiùs cùm ita propter Acacium scribit: *Cur eis Synodus necessaria fuisse videatur, qui se contra Calchedonensem Synodum venire cognoscunt, qua Eutychianus error cum auctoribus generali Ecclesiæ voce damnatus est? Nec dubium, quod sicut in unaquaque heresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pars forte censentur. Idéoque fit consequens, ut sicut Timotheus, atque Petrus talium sectatores secundùm illius tenorem Synodi, nulla recenti factæ Pontificum congregatione damnati sunt: Sic & qui Petro communicavit Acacius, ut criminis particeps, ita consors fit factus & pœna.* Sic ex argumento Epistolæ, quam Gelasius ad Imperatorem scribit, penitus apparet, Gelasium non agere de indeficientis judicii privilegio, quod Bellarminus ex auctoritate Gelasii vult Romano Pontifici attribuere.

IX. Bellarminus ultimò producit Gregorium I. sed ab illo mala prorsus fide produci demonstrandum est. Si sinceré produxisset Gregorii verba, non philosopharetur uti philosophantem sub initium Epistolæ vidimus. Sed ut Bellarmini fides mala prodatur, Grego-
65 rii textum refero. Ex libri iv. Epistola xxxii. quam indicat: *Utinam vel sine aliorum imminutione unus sit, qui vocari appetit universalis. Et certè multos Constantinopolitana Ecclesia in hæreseos voraginem incidisse novimus Sacerdotes, & non solùm hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum Jesum Christum duas esse personas existimans, quia Deum fieri hominem potuisse non credidit, usque ad Judaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio Spiritum Sanctum Deum esse denegavit. Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium judicium fuit: Universa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is qui appellatur universalis cadit. Sed absit à Cordibus Christianorum nomen illud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.* Adjicio simile quid ex libri vi. Epistola xxiv. ad Anastasium Antiochenum Episcopum: *Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit.*

Et primò quidem Bellarminus cùm laudat priorem Gregorii Epistolam, vel fucum facit vel patitur. Nam Gregorius nec caput xvi. Matthæi citat, nec verba hæc, *super petram*, interpretatur, *super Petrum.* Ex quo tamen repetiturum se rationem proposuerat.

Deinde quis præter Bellarminum sibi persuaderet, Gregorium, cùm ad Mauritium Imp. & ad Anastasium Antiochenum scripsit, ita scripsisse, ut ex scriptione
sua sibi non errandi privilegium, quale Bellarminus 66
statuit, adjudicari posset? Nonne Bellarminus otio abutitur & literis? Nonne similis est ei, qui universas naves ad Piræum accedentes suas esse venditabat?

Tum quæsitam ex libri vi. Epistola xxxvii. ad Eulogium auctoritatem interpolavit & corrupit: Id mutua te docebit contentio. Sic igitur Bellarminus Gregorium laudat: *Item lib. 6. Epistola 37. Quis, inquit, nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, cui dictum est, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et rursum: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Sic verò scribit Gregorius: *Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam. qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum: Cui rursus dicitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* Bellarminus interpolatis & corruptis Gregorii verbis complexionem hanc inædificat: *Ubi Gregorius apertè docet firmitatem Ecclesiæ ex Petri firmitate pendere, & proinde minùs posse Petrum errare, quàm ipsam Ecclesiam.* Gregorius, inquam, qui in libri iii. Epistola xxxiii. ad Theodelindam Reginam ait: *In vera fide persistite, & vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione beati Apostolorum Principis solidate.* Si firmitas Ecclesiæ ex Petri firmitate pendet, si Petrus minùs potest errare quàm ipsa Ecclesia, (quod horribile dictu est)

Cur beatus Paulus de se locutus ait in capite ii. Epistolæ ad Galatas? *Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*

Cur Gregorius in libri ii. Indict. x. Epistola xxxvii. 67
ad Natalem ita scribit Salonitanum Episcopum? *Ecce fraternitas tua ægrè tulit se de conviviis à me esse reprehensam, cùm ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim.*

Cur Gregorius in libri iv. Epistola xxxvii. ad Joannem ita scribit Constantinopolitanum Episcopum? *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, & Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita, & tamen sub uno capite* (Christo) *omnes membra sunt Ecclesiæ? Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti.* Dum Pontifex hoc modo disserit, non significat opinor Ecclesiæ firmitatem ex Petri firmitate pendere, & Petrum vel ejus successorem minùs errare posse, quàm ipsam Ecclesiam. Sed Bellarminus de Rom. Pont. loquitur, quemadmodum Gregorius in libri iv. Epistola xxxviii. de Christo: *Ut quid Christo universalis Ecclesiæ capiti in extremi judicii es dicturus examine.*

Deinde in libri vii. Indict. ii. Epistola cxii. ad Siagrium, &c. *Caput nostrum quod Christus est, ad hoc sua esse membra nos voluit, ut &c.*

Cur sub fin. Epistol. illius xxxviii. ita scribit? *Considerare vos convenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinentur multi. Quod tamen si considerare negligimus, contra tanta elationis tumorem judicia superna vigilabunt. Et nos quidem quos talis tantáque per ausum nefarium culpa com-* 68
mittitur, servamus, quod veritas præcepit dicens: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Ecclesia peccatur,

corripere

corripere studui, nunc per meipsum scribo. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione deficior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere. Verba non sunt hæc Poutificis, qui credat *Ecclesiæ firmitatem ex sua firmitate pendere, & seipsum minùs errare posse, quàm ipsam Ecclesiam.*

Præterea si firmitas Ecclesiæ ex Petri vel successoris firmitate pendet, si Petrus vel Petri successor minùs potest errare, quàm ipsa Ecclesia, cur Bellarminus ipse, qui hoc audet statuere, in libri II: de Conciliis capite II. ita scribit? *Ecclesia non potest errare neque in credendo neque in docendo,* quandoquidem in libri IV. de Rom. Pont. capite VII. recipiat Pontificem errare posse credendo, errare posse errore personali, non judiciali. Nonne vir dogmatum suorum oblitus secum pugnat? Cur tandem in libri II. de Rom. Pont. capite XXX. quæstionem tractat, *An Papa hæreticus deponi possit?* Et allatis opinionibus quinque, ultimam anteponit cæteris? *Papam* nempe *hæreticum manifestum per se desinere esse Papam & caput, sicut per se desinit esse Christianus, & membrum corporis Ecclesiæ.*

69 Cur, inquam, hæc omnia, si firmitas Ecclesiæ ex Papæ firmitate pendet, si Papa minùs potest errare, quàm ipsa Ecclesia? Potiori jure quæstionem tractaret, an Ecclesia hæretica fieri possit: Et concluderet Ecclesiam in casu hæresis per se desinere Christianam esse, sponsam, & corpus Christi. In tales angustias & ἀντιλογίας, facilè compellitur, qui ab antiqua Romanæ Ecclesiæ traditione & Christiana simplicitate degenerat.

Ad extremum quis præter unum Bellarminum diceret, firmitatem Ecclesiæ ex Joannis Papæ XII. firmitate pendere, & Joannem Papam XII. minùs posse errare, quàm ipsam Ecclesiam? Quàm autem extra modum absona & absurda sit propositio hæc, docere te poterit Joannis istius historia, quam in epistola ad Ludovicum Maræsium Parisiensem Theologum confecimus. Hæc epistola prima est in quarta parte Epistolarum nostrarum.

Cæterum statuere propositionem hanc, in qua quæ Christi Ecclesiæ propria sunt, Romano Pontifici primo membro universalis Ecclesiæ tribuuntur, incredibilis deliratio est: Gregorio I. affingere insolentissima est insania, ut ex Gregorii verbis nunquam satis laudatis manifestè colligitur: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita, & tamen sub uno capite* (Christo) *omnes membra sunt Ecclesiæ? Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.*

70 Fuit, qui ante paucos dies damnanda novitate scripserit, ædificatam esse *super potestatem Petri* Ecclesiam. Sed spes est auctorem ex oratione sua id expuncturum, quod & per se errorem objicit, & ex quo perniciosa dogmata progerminarent. Melius est corrigere seipsum quàm ab alio corrigi.

Superest modò ut unde orsa est, in eodem nostra terminetur epistola. Bellarminum nempe nec Tridentini Concilii decreto paruisse, nec servasse fidei professionem, quæ Pio IV. jubente ex variis ejusdem Concilii decretis collecta & præscripta est. Non audito Concilii decreto, & spreta fidei professione Bellarminus eandem fidei professionem & cæteras Concilii definitiones quomodo persuadebit iis, qui seorsum à nobis per religionem sentiunt? En adulatricis Curiæ malum inevitabile! Qui evitandi viam aperiet, omnino mens erit.

Deinde crimini huic adjecit malam fidem in laudandis Patribus, quos in probationis suæ vades ac sponsores appellat.

Originem & Cyrillum falsò laudat, quia non scripserunt, quod ab illis scriptum refert.

Chrysostomo Scripturæ expositionem affingit, & quæ postea Chrysostomus Deo soli tribuit, Romano Pontifici tribuit, & ne videatur tribuere, propria Chrysostomi verba non recenset.

Theodoretum laudat ut scripturæ qua de agitur interpretem, quo in loco scripturam nullam interpretatur, & quæ refert ex Theodoreti epistola in alienum ab auctoris mente & ætate sensum detorquet.

Hieronymum & Augustinum verè quidem citat, sed quæ certa fuerit illorum mens & intentio, in variis, 71
quos ediderunt, commentariis non disquirit. Fortassis veretur, ne inveniat, quod cæteris omnibus occultum esse vellet.

Gelasium adducit ut Scripturæ explicatorem, etiamsi Scripturam non explicet, & quæ ex eo commemorat, assertioni probandæ sunt inutilia, & ibi consueta fraude Sedem Apostolicam cum Apostolico Præsule confundit.

Gregorium allegat ut explanatorem Scripturæ, quam non explanat. Deinde Gregorii textum corrumpit, ut videatur dicere, quod non dicit.

Hæc sunt crimina quibus Bellarminus sese obstrinxit. Sed tamen in iis non sistit, ultèriùs progreditur. Nam ille non contentus tot flagitiis suam inædificasse sententiam, contrariam quæ verissima est, & Romanæ Ecclesiæ traditioni maximè consentanea, *erroneam & ut hæresi proximam* traducit. Quod peccati genus est tantum & tam detestabile, ut acriori nota castigandum esset: Idque maximè, cùm sententia Bellarmini sententiæ contraria ex ejusdem Bellarmini principiis indubitata & certa credi possit & debeat. Consulenda est ea super re epistola, quam ad Christophorum Fauvæum Parisiensem Theologum scripsimus in tertia parte Epistolarum nostrarum. Quidquid id est, ego nolo tuum occupare judicium, cui propter æquitatem summa cum eruditione conjunctam stare volo. Vale. Lutetiæ Paris. pridie Calend. Julii ann. MDCLXVI.

Joannes Launoius
RAIMUNDO FORMENTINO
Parisiensi Theologo, *Aurelianensi Canonico.*

Fonbellaquaeum.

1 BELLARMINUS ut Tridentinæ Synodi regulam de interpretandis juxta unanimem consensum Patrum scripturis negligit, cùm ex his verbis, *Pasce oves meas*, Romanum Pontificem superiorem esse Concilio probare nititur: Sic & eandem regulam pergit negligere, cùm ex iisdem verbis eundem Pontificem errare non posse docendo Ecclesiam totam confirmare aggreditur. Sic ille humanis rationibus Scripturam contorquet ad eum sensum, quem nec tenet nec tenuit sancta mater Ec-

clesia. Vidisti tu neglectam à Bellarmino Tridentinæ Synodi regulam, cùm auctoris hujus rationem ex Scriptura illa pro Romani Pontificis potestate supra Concilium quæsitam diluerem in Epistola, quam ad te dedimus in parte secunda Epistolarum nostrarum; nunc videbis commissum idem facinus, cùm in libri IV. de Rom. Pont. capite III. sic disputat: *Tertiò probatur, ex illo Joannis ult. Pasce oves Meas. Nam quòd his verbis Pontifex sit institutus Pastor & Doctor totius Ecclesiæ suprà demonstratum est, lib. I. cap. 14. 15. 16. Hinc igitur est tale argumentum: Pontifex est Doctor & Pastor totius Ecclesiæ, ergo tota Ecclesia illum audire & sequi tenetur, ergo si ille erret, tota Ecclesia errabit.*

2 Et primùm quidem fallax est consecutio hæc, quæ in toties damnatum à Gregorio I. errorem inducit. Significat unum esse in Ecclesia tota Episcopum, quo cadente tota cadat Ecclesia. Quo argumenti genere utitur Gregorius, ut errorem istum profliget, eodem & Bellarminus utitur, ut non errandi privilegium Romano Pontifici asserat. Quasi verò res tam diversæ & oppositæ ratione una confici possint. Sed semel, iterum, & tertiò audiamus Gregorium: Semel in libri IV. Epistola XXXII. ad Mauritium Augustum: *Universa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando qui appellatur universalis, cadit.*

Iterum in ejusdem libri Epistola XXXVI. ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum: *Si hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur, & cùm fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, nullus jam Episcopus remansisse in statu veritatis invenitur.*

Tertiò in libri VI. Epistola XXIV. ad Anastasium Antiochenum: *Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus meis.* Audisti Gregorium, qui Bellarmini rationem rejicit & ratiocinantem longè ac latè propulsat. Utinam legisset libri IV. Epistolam XXXVI. ad eosdem Episcopos, ubi quid in Petro sit, esse caput Ecclesiæ, describit: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita, & tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ? Atque ut cuncta brevi cingulo*
3 *locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.* Gravius adhuc instat in libri VII. Indict. I. Epistola XXX. ad Eulogium Alexandrinum: *Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens: Sicut jussistis. Quod verbum jussionis peto à meo auditu removete: Quia scio quis sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem, hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi: Nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, & ecce in præfatione Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ appellationis verbum universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plus, quàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est universalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum, sed absit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant & charitatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalchedonensi Synodo, atque pòst à subsequentibus*
Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas 4
novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.

Utinam, inquam, Bellarminus hæc & illa perlegisset, & momentis expendisset suis. Nam si fecisset, quod veri nominis Theologo faciendum fuit, in argumento non intulisset quod intulit, ab illo sibi cavisset errore, in quem, ut jam notavimus, incurrit. Fortassis, inquies, hæc & illa perlegit, & prævidit, cùm in libri II. de Rom. Pont. capite XXXI. nominis *universalis* expositiones duas adfert, ut Heterodoxorum objectionibus respondeat. Adscribo verba: *Respondeo duobus modis posse intelligi nomen universalis Episcopi: Uno modo, ut ille qui dicitur universalis, intelligatur esse solus Episcopus omnium urbium Christianarum, ita ut cæteri non sint Episcopi, sed Vicarii tantùm illius, qui dicitur universalis Episcopus, & hoc modo nomen hoc est verè profanum, sacrilegum, & Antichristianum, & de hac significatione loquitur Gregorius, ut patet ex ratione, quam reddit: Sic enim ait lib. IV. Epist. XXXIV. ad Constantiam: Triste valde est, ut patienter feramus, quatenus despectis omnibus prædictus frater & coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Et lib. IV. Epist. XXXVI. ad Eulogium: Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Et lib. VII. Epist. LXX. ad Eusebium: Si unus universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis. Altero modo dici potest Episcopus universalis, qui habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem, ita ut non excludat particulares Episcopos:*
Et hoc modo nomen hoc posse tribui Romano Pontifici 5
ex mente Gregorii probatur, quia fatetur Gregorius tributum nomen universalis Episcopi Romano Pontifici à Concilio Calchedonensi: Existimavit igitur B. Gregorius in aliquo sensu hoc nomen Romano Pontifici convenire.

At si posteriori modo intelligatur nomen universalis Episcopi dum Romano Episcopo tribuitur, vitiosa erit consecutio, quam Bellarminus ex antecedente suo deducit. Ponatur igitur sic antecedens: *Romanus Pontifex habet curam totius Ecclesiæ, sed generalem, ita ut non excludat particulares Episcopos: Ergo tota Ecclesia illum audire & sequi tenetur, ergo si ille erret, tota Ecclesia errabit.* Quis deductas ex antecedente tali consecutiones istas non rideat, etiamsi propositum à Bellarmino enthymema fraudem tam perspicuè non exhibeat, quàm syllogismus integer perspicuè exhiberet? Syllogismum dico integrum, quia enthymema truncatus syllogismus appellatur. In eo intelligeretur vel peteretur principium, hoc est pro certo sumeretur, quod in quæstione versatur, vel à non distributo ad distributum disputaretur.

Verùm si priori modo intelligatur nomen *universalis Episcopi*, & sic Romano tribuatur Episcopo, propositi à Bellarmino enthymematis vitiosa non erit consecutio. Sed cùm antecedens à Bellarmino ut profanum rejicitur, rejicienda erit quoque ut profana consecutio. Et sanè Bellarmini argumentum stare non potest, nisi reipsa sibi sumat illud antecedens, quod verbo tenus amandat. Nam uno in loco præter Romanum Pontificem singulares ponit Episcopos, qui commissum sibi à Deo populum & fide & bonis moribus pascant, in altero non 6
ponit. Romanum Pontificem Ecclesiæ totius Pastorem & Doctorem perinde facit, ac si nullus alius Pastor & Doctor in tota foret Ecclesia. Ut enim singularis Ecclesiæ puta Eugubinæ Pastor, Episcopus, & Doctor, Pastorem, Episcopum, & Doctorem alium ab singulari Ecclesia puta Eugubina excludit; Sic & Ecclesiæ totius Pastor, Episcopus, & Doctor, Pastorem, Episcopum, & Doctorem alium ab Ecclesia tota excludit. Vulgatum est axioma Philosophorum: *Ut se habet secundùm quid ad secundùm quid, sic se habet simpliciter ad simpliciter.* Itaque cum Bellarminus secum loquatur pugnantia, hac in re fides illi nulla adhibenda est.

Deinde

Deinde cùm Gelasius in epistola IV. seu in Commonitorio ad Faustum scribit, Sedi Apostolicæ parendum esse, non quocunque modo, *sed sana rectáque suadenti* parendum esse dicit. Quæ notabilis est exceptio. Bellarminus nihil excipit, abscisse dicit, *ergo tota Ecclesia illum audire & sequi tenetur*, & præscriptum à Gelasio modum excedit. Gelasius noverat, Liberium, nec audiendum, nec sequendum fuisse, cùm ad Orientales adversus Athanasium scripsit, cùm teste Hieronymo hæresi subscripsit. At in Bellarmini opinione si tota tunc Ecclesia Liberium audire & sequi tenebatur, tota Ecclesia tenebatur id sentire, quod Liberius in epistola ad Orientales sentiebat adversus Athanasium, & hæresi subscribere. Quæ & qualis [illegible];

Bellarmini propositione quid fiet, si ex auctoritate Patrum minores majoribus, inferiores superioribus nonnunquam possunt meritò resistere?

7 Paulus Apostolus in capite II. epistolæ ad Galatas: *Cùm autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum gentilibus edebat. Cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus, Si tu cùm Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo cogis gentes Judaizare?*

Tertullianus in libri V. contra Marcionem capite III. *Sed Paulus reprehendit Petrum non rectè pede incedentem ad Evangelii veritatem. Planè reprehendit, non ob aliud, quàm ob inconstantiam victus, quem prò qualitate personarum variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione, non ob aliquam divinitatis perversitatem, de qua & aliis in faciem restitisset, qui de minore causa conversationis ambigua Petro ipsi non pepercit.*

Cyprianus in epistola LXXI. ad Quintum: *Non est autem consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de resurrectione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arrogantèr assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs oportere. Nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ priùs persecutor fuisset: Sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè consensit: Docu-*
8 *mentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus.*

Augustinus in epistolæ XIX. ad Hieronymum capite II. *Ipse verò Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sancta ac benigna pietate humilitatis accepit: Atque ita rarius & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quò confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate, salva fraterna caritate resistere. Nam cùm satius multò sit, à tenendo itinere nullo, quàm in aliquo declinare: Multo est tamen mirabilius, & laudabilius, libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem. Est laus itaque justæ libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro.* Deinde in capite IV. *Propter solam ergo παλινῳδίαν, si aliquid scripserimus, quod scripto posteriore destruere debeamus, imitandam, non propter Stesichori cæcitatem, quam cordi tuo nec tribui nec timui, attingendam illud existimavi: Atque identidem rogo, ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quanquam enim secundùm honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licèt etiam à minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio.*

Facundus Hermianensis Episcopus in libri VIII. capite VI. *Laudatur Pauli minimi Apostolorum sana ra-* 9
tio atque libertas, quòd Petrum Apostolorum primum adductum in hypocrisim, & non rectâ via incedentem ad veritatem Evangelii, fideliter improbans in faciem ei restitit, cúmque coram omnibus objurgavit.

Gregorius Magnus in libri II. epistola XXXVII. ad Natalem Salonitanum Episcopum: *Hæc itaque si vos in conviviis vestris agitis, abstinentium fateor magistri estis: Quod ergo Pauli testimonium ad me posuistis, in quo ait: Qui non manducat, non manducantem non judicet, omnino existimo incongruum fuisse: Quia neque ego non comedo, neque ad hoc à Paulo dictum est, ut membra Christi, quæ in ejus corpore, id est, in Ecclesia invicem sibi caritatis compage connexa sunt, nullam de se ullo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, jure tacere compellerer, ut eum non reprehenderem, quem emendare non possem. Hæc ergo sententia solummodo propter eos dicta est, qui illos judicare student, quorum sibi cura commissa non est. At postquam nos Deo auctore unam sumus, si ea quæ nobis corrigenda sunt, tacemus, valde delinquimus. Ecce fraternitas tua ægrè tulit se de conviviis à me esse reprehensam, cùm ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim, & hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam ante apparitionem districti judicis mea maculas mundo tergo.*

Isidorus Hispalensis in libri III. de Officiis capite XXXIX. *Rectores itaque à Deo judicandi sunt, à suis autem subditis nequaquam sunt judicandi.* Et paullo pòst:
Quod si à fide exorbitaverit Rector, tunc erit arguendus 10
à subditis, pro moribus verò reprobis, tolerandus magis, quàm distringendus à plebe est.

Hadrianus II. in Synodica Romani Concilii epistola, quæ in octavæ Synodi actione VII. & lecta & approbata est: *Siquidem Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum præsulibus judicasse legimus, de eo autem quempiam judicasse non legimus. Licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerit super hæresi accusatus, propter quam solùm licitum est minoribus majorum suorum moribus resistere, vel pravos sensus respuere.*

Petrus Damianus Cardinalis in epistola XII. ad Alexandrum II. *Si igitur iste* (beatus Petrus) *cùm à discipulis culparetur, auctoritatem, quam in sancta fuerat sortitus Ecclesia, voluisset obtendere, respondere potuerat, ut Pastorem suum oves, quæ sibi commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium potestatis suæ titulum objecisset, Doctor profectò mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos privilegii sui auctoritate repressit, sed humili potiùs satisfactione placavit, & tanquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret, etiam testes adhibuit. Veniant, inquit, mecum & sex fratres isti. Discat ergo cùm de suis actibus Episcopus convenitur, rationem humiliter reddere, non de sui primatus eminentia superbire, nec fieri sibi credat injuriam, cùm à minori corripitur. Sed consulentem potiùs vel medicum sui vulneris arbitretur. Nunquid Nathan Propheta cùm David tam austera severitatis invectione corripuit, indignationem regii mo-*
tus incurrit? Nunquid ille regulis excellentiæ culmen 11
opposuit, ac velut illatam à subdito suo contumeliam propulsavit? Sed mox ut se agnovit ægrotum, suscepit libenter antidotum, detexit vulnus, & sectionis suæ non exhorruit ferramentum. Et post alia: *Petrum planè in faciem resistens Paulus objurgat, & coram omnibus reprehensibilem judicat, quod ille non in accusationis tulit injuriam, sed benignè & patienter accepit, quod non ex livore, sed ex caritate procedere perspicuè recognovit. Sed ecce dicitur: Ego sum Episcopus, ego sum Pastor Ecclesiæ, non debeo à commissis ovibus accusationum patere molestiis: Etenim in causa fidei dignus sum etiam in pravis moribus æquanimiter ferri. Sed dic mihi quisquis es, nunquid legisti, quod in Evangelio scriptum est: Si peccaverit in te frater tuus,*

vade & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiæ ergo referenda est causa quorumlibet fratrum, quomodo non etiam Sacerdotum? Porrò si Sacerdos quis in Ecclesiam peccat, dedignatur in Ecclesia discuti, quis jam ferat Ecclesiam se legibus coerceri?

Goffridus Vindocinensis Abbas in Opusculo de ordinatione Episcoporum, & de investitura laicorum: *Petrus etiamsi aliquando aliter egit, Paulus licèt in conversatione novitius ei in faciem resistere minimè timuit. Petrus verò sui junioris increpationem libenter suscipiens, quod plus justo fecerat diligenter correxit. Præterea nulla ratione fieri licet, quod Christus suo exemplo dedocuit.*
12 *Ipse enim legem solvere non venit, sed adimplere. Romana itaque Ecclesia Divinarum Scripturarum legem solvere non debet, sed conservare, & tradita sibi à Christo potestate, non ad suam voluntatem uti, sed secundùm Christi traditionem. Si enim à suo juniore Romano Pontifici suggeritur, ut si aliquando plus justo fecerit, justè corrigat, tanquam Petrus Pauli admonitionem suscepit, & ipse suscipiet, si Petrum imitari desiderat.*

Innocentius III. in sermone III. de consecratione Romani Pontificis, postquam probavit certum quoddam esse inter Episcopum & illius Ecclesiam conjugium, subjungit: *Propter causam verò fornicationis Romana Ecclesia posset dimittere Romanum Pontificem. Fornicationem verò non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale sed spirituale conjugium, id est, propter infidelitatis errorem. Quoniam qui non credit, jam judicatus est.* Quid ita? Quia tunc Romanus Pontifex propter infidelitatem fit Romanâ Ecclesiâ inferior, & minor, Romana Ecclesia fit Romano Pontifice superior & major, ut mox beatus Thomas docebit, & docendo Romanæ Ecclesiæ traditioni ab initio derivatæ consentiet.

Beatus Thomas in quartum dist. XIX. art. II. *Non enim Prælati à subditis coram multitudine, sed humiliter in privato corripiendi sunt, nisi immineret periculum fidei. Tunc enim prælatus minor fieret, si in infidelitatem laberetur, subditus fidelis major.*

Quæ hactenus ex Gelasio, beato Paulo, & Ecclesiasticis tractatoribus relata sunt, Bellarminus non præ-
13 viderat, aut prævisa dissimulaverat, cùm ait: *Respondeo, Ecclesiam debere illum* (Romanum Pontificem) *audire, si rectè doceat, alioqui magis Deum, quàm homines esse audiendos. Contrà: Nam quis judicabit, rectè ne Pontifex doceat, an non? Non enim est ovium judicare, an Pastor erret, necne, præsertim in rebus verè dubiis, nec habent oves Christianæ alium majorem judicem vel Doctorem, ad quem recurrant. Nam ut suprà ostendimus lib. 2. cap. 13. & 14. ex tota Ecclesia ad Pontificem appellari potest, ab illo autem non potest. Necessariè igitur tota Ecclesia errabit, si Pontifex erret. Rursum respondebunt, posse recurri ad generale Concilium. Contrà, nam nos ostendimus in tractatu de Conciliis, Papam esse supra Concilium: Præterea Dominus soli Petro dixit, Pasce oves meas.* Nonne quæ Bellarminus hoc in loco disputat & sibi sumit, Gelasius, beatus Paulus, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Facundus, Gregorius I. Isidorus, Hadrianus II. Damianus, Goffridus, Thomas rejiciunt? Nonne Patrum traditionem pro nihilo ducit, cùm objectioni respondet & occurrit? Nonne perversa est illa disputandi ratio, in qua quod adinventum est nuper, colitur, & quod erat antiquitus traditum, exploditur? Nonne insulsus est adulandi modus, in quo Bellarminus contra Gelasium I. Gregorium I. & Hadrianum II. Romanos Pontifices dicit, quibus adulatur? Ne sint hæc omnia, Cardinalis Damianus Bellarmini ratiocinationem multis antè seculis occupaverat, & illius captiones discusserat. Captionum discussionem Goffridus & Thomas validè confirmat. Sed Bellarminus fraudulentam disputationem conditione hac involvit, *præsertim in rebus verè dubiis*, de quibus nulla movetur quæstio. Vanum 14
est & inutile artificium, quod doctorum vel indoctorum nemo non facile percipit. Quæstionis statum ille mutat, ne quod in quæstione positum est, agnoscant, & lectori miserrimè illudatur, & illusus discat, quod dediscere & oblivisci non illusus deberet.

Ad rem ipsam quod attinet, in Bellarmini opinione peccavit Malchion Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, qui tamen ab Hieronymo laudatur in libro de viris illustribus: *Malchion, inquit, disertissimus Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, quippe qui in eadem urbe Rhetoricam florentissimè docuerat, adversus Paulum Samosatenum, qui Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus dogma Artemonis instaurat, excipientibus notariis disputavit.*

Peccavit Hieronymus, cùm varios Joannis Hierosolymitani errores redarguit, & eum in epistola ad Pammachium sic alloquitur: *Si causa discordiæ non ex dissensione fidei est, sed ex Pauliniani, ut dicis, ordinatione descendit, quæ tanta stultitia est volentibus occasionem dare, nolle respondere? Confitere fidem, sed tamen responde, quod quæreris, ut omnibus luceat, non de fide, sed de ordinatione esse certamen. Quamdiu enim interrogatus de fide tacueris, potest tibi adversarius dicere, Non est ordinationis causa, sed fides. Si ordinationis causa est, stultè facis de fide interrogatus tacere: Si fidei, stultè prætendis ordinationem. Porro quod dicis te petisse, ut subjicerentur Ecclesiæ Dei, & non scinderent eam, neque proprium sibi facerent principatum, de quibus dicis, non satis intelligo. Si de me & Presbytero Innocentio, satis multo*
dormisti tempore, qui post annos tredecim nunc excitatus 15
hæc loqueris. Et paulló pòst: *Num rogavi te ut ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri, tollis mihi propter quod sæculum dereliqui, ego habeo, quod semper habui, nullum dispendium in ordinatione passus es. Ut non scinderent, inquis, eam: Neque proprium sibi facerent principatum. Quis scindit Ecclesiam? Nos quorum omnis domus Bethleem in Ecclesia communicat, an tu qui aut benè credis, & superbè de fide taces, aut malè, & verè scindis Ecclesiam?* Et paulló pòst: *Tibi soli licet Ecclesiæ jura calcare, tu quidquid feceris, norma doctrinæ est, & non erubescis ante tribunal Christi judicandum secum Epiphanium provocare.*

Peccavit Beatus presbyter, qui Elipando Toletanæ Sedis antistiti suo Nestorianam hæresim instauranti restitit, & adversus illum libros edidit, se pro domo Dei murum opposuit. Sic minores majoribus, inferiores superioribus in causa fidei obsistunt, sic oves cùm nocitura sentiunt pascua, declinant, & pastorem fugiunt & aversantur.

At verò quidquid Bellarminus differit ad universalis Episcopi nomen & notionem facilè revolvitur, etiamsi illum cum Gregorio videatur rejicere, quò faciliùs lectori suo illudat. Dico ampliùs. In distinctione sua Gregorio imponit, cùm ait: *Gregorius fatetur tributum nomen universalis Episcopi Romano Pontifici à Concilio Chalcedonensi.* Quod ut appareat, referenda sunt loca, in quibus cùm materiam hanc pertractat Gregorius, Calchedonensis Concilii meminit.

Ex libri IV. epistola XXXII. ad Mauritium Im- 16
peratorem: *Sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur. Certè pro beati Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Calchedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum est.*

Iterum ex ejusdem libri epistola XXXVI. ad Eulogium Alexandrinum: *Sicut veneranda mihi vestra sanctitas novit, mihi per sanctam Calchedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deservio, hoc universitatis nomen oblatum est.*

Iterum ex ejusdem libri Epistola xxxviii. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Nunquid non sicut vestra fraternitas novit, per venerandum Chalcedonense Concilium hujus Apostolicæ Sedis antistites, cui Deo disponente deservio, universales oblato honore vocati sunt?*

Denique in libri vii. Indict. 1. Epistola xxx. ad Eulogium Alexandrinum: *Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo, atque post à subsequentibus Patribus, hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit, & tamen nullus eorum usū hoc unquam vocabulo voluit.*

In his autem locis Gregorius non scribit Leonem I. fuisse à Calchedonensi Concilio vocatum universalem Episcopum, sed scribit illum fuisse per illud Concilium universalem Episcopum appellatum, id est, per id temporis, quo Calchedonense celebratum est Concilium. Sic intelligendus est Gregorius, cùm reipsa Concilium illud Leonem nusquam appellaverit uni-
17 versalem Episcopum, ut videre est in literis omnibus, quas Concilii Patres ad Leonem scripserunt. Quod diligenter curiosèque animadvertendum est. Quamobrem Gregorius in postremo loco insignitè dicit, id in sancta Calchedonensi Synodo factum esse, non à Calchedonensi Synodo, quæ nihil tale fecisse legitur. Res igitur sic se habet. Dum Calchedonensis Synodi celebrabatur actio iii. Theodorus & Ischyrio Alexandrini Diaconi, & Athanasius Alexandrinus Presbyter Leoni & Concilio libellos supplices offerunt, qui hoc modo inscribuntur: *Sanctissimo & beatissimo universali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ universali Chalcedonensi Synodo.* Ad Gregorium verò quod attinet, hic nusquam scripsit, quod ab eo scriptum Bellarminus asserit.

Bellarminum imposuisse Gregorio significant duo, Acta Concilii, & ipse Gregorius, qui in libro vii. ad Eulogium scribens dicit, in sancta Calchedonensi Synodo universalis Patriarchæ nomen decessoribus suis oblatum esse, non à Calchedonensi Synodo, ut Bellarminus tradit, & cùm Gregorius in aliis locis tribus ait, hoc universalis Episcopi seu Patriarchæ nomen per Calchedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum esse, id factum esse intelligendum est per eos dies, cùm Calchedonensis Synodus haberetur. Et sanè particula, *per*, juncta rebus quæ aguntur in tempore, ad significatum particulæ, *in*, quàm ad significatum particulæ *à*, propius accedit: Ita ut apud Gregorium sit idem per Calchedonense Concilium, & in Calchedonensi Concilio. Quinetiam idem esse debeat, cùm in
18 literis, quas Calchedonense Concilium Leoni scripsit, Leonem universalem Patriarcham vel Episcopum non appellet. Exinde accidit, ut si Gregorius dixisset, quod ab eo dictum Bellarminus affirmat, Pontifex falsum dixisset: Nempe à Concilio gestum esse, quod minime gestum est. Sed Bellarminus nisi tribuisset Pontifici, quod tribui meritò nequit, non tam facilè potuisset *nomini universalis Episcopi* commodum & idoneum sensum impertire, quamvis illum hoc in loco negligat, ut antè notavimus.

Nunc argumentationis filum repetendum est, in quo Bellarminus ad rationis confirmationem & subsidium vocat quæstionem aliam, de qua non minor est, quàm de non errandi privilegio controversia; nimirum ex tota Ecclesia provocari ad Romanum Pontificem, & hunc esse Concilio majorem, quæ manifesta est principii petitio, cùm obscurum per obscurius probetur.

Neque verò necesse est hîc me retexere, quæ de utraque materia pluribus in Epistolis disseruimus: De provocatione & provocationis jure latè disseruimus in parte secunda Epistolarum nostrarum: De auctoritate Concilii supra Pontificem vel e contrà: Latè quoque scripsimus ad te, ad Felicem Phelippæum Brossam, & ad Joannem Gerbasium in eadem parte secunda Epistolarum. Hinc spissi & non necessarii laboris foret, nunc illud argumenti genus retractare.

Sed quoniam Bellarminus in argumenti quod proponit, antecedente vim totam statuit, quomodo illud confirmet, modo videndum est: Remittit ad libri i. de Rom. Pont capita xiv. xv. & xvi. in quibus
Patres, *Pasce oves meas*, interpretantur, & in cap. xiv. 19
ita scribit: *Septimò probatur ex Patribus. Nam præter Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum in hunc locum, qui dicunt ei dictum pasce, qui ter negaverat, qui sine dubio solus erat Petrus. Idem habet Ambrosius ult cap. ult. Lucæ. Exponens enim hæc ipsa verba: Ideò inquit, quia solus profitetur, ex omnibus, omnibus antefertur.* Exinde-ne sequitur, quod Bellarminus infert hoc modo: *Ergo tota Ecclesia Romanum Pontificem audire & sequi tenetur: Ergo si erret, tota Ecclesia errabit?* O paralogismum incredibilem!

Ad Ambrosium quod attinet, sic ille, *Pasce oves meas*, explicat in libri de dignitate Sacerdotali capite ii. *Sic certè à Domino ad beatum Petrum dicitur, Petre amas me, & ille, tu scis, quia amo te: Et cùm tertiò fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est à Domino tertio: Pasce oves meas. Quas & quem gregem non solùm tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.* Ecclesiæ Doctor sine hæsitatione ulla loquitur, & perinde loquitur, ac si dictum illius in sensu & ore versaretur omnium. Hoc Bellarminus vel nescit, vel quia placitis suis incommodat, dissimulandum esse censuit, ratus aut nullos aut paucos fore, qui qua ratione, *Pasce oves meas*, explicaret Ambrosius, disquirerent.

Bellarminus integritate & candore pari sese cum aliis Patribus gerit. Chrysostomus quidem homilia lxxxvii. in Joannem scribit: *Quod autem divinum amorem maximè conciliat, est proximi dilectio, quam à Petro Christus exigit. Nam cùm finem cibis fecissent, dicit
Simoni Petro Christus: Simon, Simon diligis me plus his.* 20
Dicit ei, etiam Domine tu scis, quia amo te: Dicit ei: Pasce agnos meos. Quid tandem aliis omissis de his duntaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum Princeps & vertex Apostolici chori. Propterea & Paulus cum præter alios visurus ascendit, simul ut ei ostenderet jam sibi fiduciam habendum. Tanquam enim negationis oblivisceretur, frustrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat: Tantum dicit, Si amas me, fratrum curam suscipias, & quam in omnibus dilectionem audisti, & qua delector nunc ostende, & animam, quam pro me positurum dixisti, hanc pro ovibus meis trade. Et pòst alia: *Num cùm magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset.* Et pòst alia: *Noli arbitrari, inquit, eodem modo me de vobis disposuisse. Hic autem dixit, ut intempestivum affectum & consuetudinis desiderium tolleret. Cùm enim essent* (Apostoli) *orbis terrarum curam suscepturi, simul amplius esse non oportebat. Magnum enim fuisset mundo detrimentum. Idcirco, inquit, opus suscepisti, id considera, profice, labora, & te certaminibus expone.* His autem omnibus collatis inter se, apparet, Chrysostomum ut Petro, sic & aliis Apostolis Pastoris nomen dedisse. Nam postquam dixit Christum Petro orbis terrarum curam demandasse, paullo pòst subjicit, *Apostolos orbis terrarum curam suscepturos esse.*

Ex quo factum est, ut Chrysostomus hom. lxxix. in Matthæi caput xxiv. *Pasce oves meas*, ad Sacerdotes omnes primi & secundi ordinis extendat: *Amas me, Petre*, inquit, *Pasce oves meas, cùm tertiò ipsum in-
terrogasset, hoc amoris esse argumentum confirmavit, quod* 21
ad Sacerdotes solummodo dictum est, verumetiam ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus esse videtur. Nec enim quia minimus est, negligi debet. Pater namque meus complacuit in ipsis, habet unusquisque ovem, ad pinguia eam pascua ducat.

Deinde in libro ii. de Sacerdotio interloquenti Basilio cuidam persuadere volens ut Episcopatum suscipiat, huic de Joannis loco, *Pasce oves meas*, sic

accom-

accomodat: *Ostensurum* ait *illum suam dilectionem in Christum, si pascat ejus gregem, cùm scriptum sit: Si diligis me, pasce oves meas.*

Deoique cùm homiliam de sancto Philogonio Episcopo habuit, id a Christo dictum, quod Christus Petro dixerat, in se recipit: *Quantum autem*, inquit, *sit pietatis argumentum, quòd Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi, Christus excitatus à mortuis quid dicat Petro, Petre amas me, isque respondisset, tu Domine scis, quòd amo te; Si diligis me, pasce oves meas.*

Cyrillus io caput xxi. Joannis, ad illud, *Pasce oves. Advenientem itaque Christus eum acriùs urget, utrum se plus iis diligeret, idque tertiò. Annuit verò Petrus ac diligere se fatetur, sui amoris testem eum citans. In singulis autem confessionibus multifariam audit rationales oves sibi curæ esse debere. Ego verò arbitror (nam abstrusum horum verborum sensum investigandum quoque aio) frustra hæc scripta non esse, sed arcani quiddam ac reconditi in se omnino habere. Nunquid enim meritò quærit aliquis, quam ob causam Simonem duntaxat interrogat, aut quid sibi velit istud Pasce oves meas, &*
22 *similia? Respondemus igitur, Divinum Petrum unà cum aliis Discipulis jam electum fuisse ad Divinum Apostolatum. Ipse quippe Dominus noster Jesus Christus eos nominavit Apostolos, ut scriptum est. Sed quia interea dum procederet Judæorum facinus, nonnihil lapsus est, (ingenti quippe formidine captus divinus ille Petrus ter Dominum negarat) ægrum nunc sanat, & ternam confessionem loco trinæ illius negationis flagitat, hanc illi quodammodo opponens, & delicta correctione compensans.* Et quibusdam interpositis: *Quapropter per triplicem beati Petri confessionem triplici abnegatione contractum peccatum abrogatur. Ex eo verò quod Dominus dicit, Pasce agnos meos, traditi jam ei Apostolatus renovatio quædam esse censetur, quæ delictorum subinde solvit infamiam, & infirmitatis humanæ delet angustias.*

Augustinus in tractatu xlvii. super Joannis Evangelium: *Quomodo ipse animam suam pro nobis posuit: sic & nos debemus ad ædificandam plebem, ad asserendam fidem animas pro fratribus ponere: Ideò Petro, quem facere volebat pastorem bonum non in ipso Petro, sed in corpore suo ait: Petre amas me: Pasce oves meas, hoc semel, hoc iterum, hoc tertiò usque ad ejus tristitiam: Et cùm tantùm interrogasset Dominus, quantum interrogandum esse judicavit, ut ter confiteretur, qui ter negaverat, & ei suas oves pascendas tertiò commendasset, ait illi, cùm junior esses, cingebas te, & ambulabas ubi volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Et exposuit Evangelista, quid Dominus dixerit. Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum. Ad hoc ergo*
23 *pertinet, Pasce oves meas, ut ponas animam tuam pro ovibus meis.* Et post alia: *Tenete ergo quomodo Dominus Jesus Christus & ostium sit & Pastor: Ostium pandendo se, Pastor intrando per se. Et quidem, fratres, quod Pastor est, dedit & membris suis. Nam & Petrus Pastor, & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi Pastores.* Et revera Bellarminus oon evolvit locum hunc, quem laudat, & laudat confidentissimè: quis ingenuitatem hominis ac modestiam oon miretur?

Ecclesiarum Magister io libri de agooe Christiano capite xxx. rem paucis ob oculos omoium constituit: *Cùm ei* (Petro) *dicitur, ad omnes dicitur, amas me, pasce oves meas.* Sed in Psalmum cviii. intelligendæ Scripturæ, quæ ad Petrum pertinet, legem figit hoc modo: *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in Discipulis habuit: Sicut est, tibi dabo claves regni cælorum, & si quæ hujusmodi: Ita Judas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Judæorum, qui & tunc oderant Christum, & nunc per successionem perseverante genere ipsius impietatis oderunt. Ut ergo Petrus, quando ei dictum, tibi dabo claves, in figura personam gestabat Ecclesiæ, sic & quando ei dictum est: Pasce oves meas, Ecclesiæ quoque personam in figura gestabat.*

Ex Joannis autem loco, *Pasce oves meas*, per Chrysostomum, Cyrillum, & Augustinum explicato, quis quæso præter Bellarminom alius id inferet, quod ille 24
sic infert? *Ergo tota Ecclesia Petrum & successorem Petri Romanum Pontificem audire & sequi tenetur: Ergo si ille erret, tota Ecclesia errabit?* Quid lucraturum se sperabat, cùm Chrysostomum, Cyrillum, & Augustinum nomine tenus citavit? Fortasse sperabat suæ in citandis Patribus fidei diffisurum esse neminem, & ei tanquam Attico testi & ex Jovis tabulis recitanti credituros omnes. At confide mihi, sua Bellarminum spes vehementissime fefellit. Quàm exiguæ sit fidei in laudandis auctoribus, satis superque perspectum & animadversum est.

Bellarminus pergit. Item Maximus sermone de SS. Petro & Paulo: *Jam necessarium*, inquit, *reor, ut proprias eorum specialésque virtutes prosequamur. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas, ovésque commendat. Ergo proprium & speciale hoc fuit Petro.* Et primò quidem quæ sunt apud Maximum divisa, Bellarminus conjungit. Nam periodus hæc: *Sed jam necessarium reor ut proprias eorum specialésque virtutes prosequamur*, multis versibus sejuncta est à periodo sequenti: *Hic est Petrus cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oviculas suas, agnósque commendat.* Divisas igitur periodos conjungit, quò faciliùs inferat: *Ergo proprium & speciale hoc fuit Petro.* Quis quæso ex verbis illis Maximi deducet unquam, Petrum ita Doctorem & Pastorem totius Ecclesiæ fuisse, ut tota erratura sit Ecclesia, si Petrus aut Petri successor Pontifex Romanus semel erret? Præsertim si Maximi alia verba hæc adjungantur: *Nos verò Ecclesiarum omnium reverendissimos Patres, Petrum dico & Paulum piissimis studiis honoremus.* Item: *Hic est Paulus qui pro suarum* 25
remuneratione virtutum ultra humana merita tertium raptus ad cælum cælestia secreta cognovit, ut Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quod inter homines prædicaret. Item: *Hi sunt beatissimi Petrus & Paulus, qui sacramentum cælestis regni uno spiritu prædicantes sub unius passione diei doctrinam suam pio sanguine & morte fortissima consecrarunt, qui etiam tanquam Ecclesiarum omnium Principes facti dispensatione cælesti, Romam petentes sacratissima sua corpora in illius urbis arce reconderent, quæ totius orbis obtinuerat principatum, quatenus potentiam virtutis suæ Christus ostendens, ubi mundus caput habebat Imperii, ibi regni sui Principes collocaret.* Item in homilia iv. de iisdem Petro & Paulo: *Beatissimorum Apostolorum passio, fratres, quorum hodie natalem solemniter celebramus, cunctis est honorandæ credentibus, quos pro justitia, pietatisque plenitudine Salvator mundi humano generi & patres esse dedit & judices.* Item sub fioem: *Hi itaque sunt Ecclesiarum columnæ, Petrus & Paulus.* Nunc Bellarminus eat ex his omnibus deductum de Paulo & Pauli successoribus, quod jam de Petro & Petri successoribus deduxit, & postquam deduxerit, coocordet ipse secum, aut Maximum in opus suum malè insumpsisse fateatur.

Bellarmious pergit; Item Leo Epistola 89. ad Episcopos Viennensis provinciæ: *Cui cùm præ cæteris solvendi & ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ovium cura specialiùs mandata est.* Integram refero periodum, quæ sic se habet: *Quam sollicitudo nostra* (ut canones serventur) *non sua quærens, sed quæ sunt Chri-* 26
sti, dignitatem divinitus datam nec Ecclesiis nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat, sed hunc tramitem semper inter majores nostros & benè tantùm & salubriter constitutum, Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit, ita sua vos cupiens subdere potestati, ut se

beato

beato Apostolo Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem, ipsius quoque beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuendo, cui præ cæteris solvendi & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialiùs mandata est. Quot & quantis opus est fallaciis, ut ex hoc Leonis testimonio Bellarminus id colligat quod colligere intendit? Scilicet Romanum Pontificem sic esse Doctorem & Pastorem totius Ecclesiæ, ut tota Ecclesia illum audire & sequi teneatur: Ut si Pontifex erret, totam continuò necesse sit errare Ecclesiam. Quis complexiones istas non rideat aut deploret, usque eò progressa est argumentantia cæcitas?

Bellarminus in ejusdem libri I. de Rom. Pont. capite XIV. quod in argumenti sui probationem oppignoret, nihil adducit, quod ad rem pertineat, philosophicis tantùm & grammaticis animadversionibus verbum *pasce* in varias partes circumagit, & in cap. XVI. rursus laudat Chrysostomum & Ambrosium, quos in capite XIV. laudaverat & quorum mentem antè patefecimus, & Bellarmini consilio perspicuè opposuimus. Theophylactum & Bernardum citat, sed eos ab hac
27 quæstione, quam tractamus, alienos esse docuimus in epistola ad Antonium Varillasum. Si profectò novisset quis & qualis Theophylactus fuerit, & quo tempore floruerit, Theophylacti auctoritate non uteretur, ut ostenderet Romanum Pontificem sic esse Doctorem & Pastorem totius Ecclesiæ, ut tota Ecclesia illum audire & sequi teneatur, & si semel erret ille Pontifex, Ecclesiam totam erraturam esse. Argumento-ne huic favebit qui conflatum à Michaële Cerulario Patriarcha Constantinopolitano schisma pro eo ac potuit, defendit?

Nunc Revertendum est ad libri IV. de Romano Pont. caput III. unde necessaria de causa digressi sumus; & ubi tum demum observamus, Bellarminum contendere beato Petro soli dictum esse, *Pasce oves meas*, & quia soli Petro dictum est, Petrum solum Ecclesiæ totius Pastorem atque Episcopum esse; & sic velit nolit vel nugas agere, vel incurrere in errorem, quem cùm de nomine universalis Episcopi dissereret, explosit.

Verumenimverò cùm pastor sit idem atque Episcopus, & Romanus Pontifex unumquemque Ecclesiæ Episcopum, suum appellet Coepiscopum, meridiana luce clarius erit, Romanum Pontificem non esse solùm Pastorem illum, quem Bellarminus statuit ut non errandi privilegio donatus appareat. Hanc Romanæ Ecclesiæ de *Coepiscopi* nuncupatione traditionem nunc exponimus, prætermissis tamen epistolis, quas Isidorus Mercator primis Romanis antistitibus subjecit. Asserenda nempe est propriis & idoneis monumentis veritas.

I. Stephanus I. in epistola ad Cyprianum, quæ est
28 inter Cypriani epistolas quadragesima sexta: *Sed quoniam multa præcesserunt ab eis designata, quæ tu quoque à* COEPISCOPIS *nostris & literis meis cognovisti, ut non temerè eis fides haberetur, ex ipsorum ore & confessione, ista quæ per legationem mandaverant, placuit audiri.*

Deinde idem in epistola ad Cyprianum, quæ est inter Cypriani epistolas quadragesima octava: *Invigilemus ergo, ut omnibus* COEPISCOPIS *nostris & fratribus innotescat, Nicostratum, &c.*

II. Liberius in epistola ad Eusebium Episcopum in actis ejusdem Eusebii: *Deo procurante frater &* COEPISCOPUS *noster Lucifer de Sardinia supervenit.* Deinde in alia ad eundem epistola ibidem: *Commendo tibi fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Luciferum.* Tum in epistola ad Ursacium, Valentem, & Germinium: *Sola hæc causa fuit, ut cardiùs viderer de nomine ipsius literas ad fratres &* COEPISCOPOS *nostros Orientales dare.* Postremò in epistola ad Constantium Imperatorem: *Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem &* COEPISCOPUM *meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo, & Hilario Diacono placuit proficisci.*

III. Siricius in epistola IV. *Dilectissimis fratribus &* COEPISCOPIS *per Africam Siricius.* Deinde in epistola ad Anysium & cæteros Episcopos per Illyricum constitutos, sub finem: *Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratri nostro &* COEPISCOPO *Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestra normam expectamus sententia.* In Collectione Romana bipartita.

IV. Innocentius I. in epistola VII. ad Rufum, Ge- 29
rontium, & alios Macedoniæ Episcopos: *Mora* COEPISCOPORUM *nostrorum Maximiani & Eumeni, vel potiùs importunitas temporum fecit ut, &c.* Deinde in epistola XI. ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum: *Sententia mea exposui atque edixi tenorem, jam prudentia eris tua, consors mihi frater, cum unanimis &* CONSACERDOTIBUS *nostris hunc ipsam rem in Synodo religiosissima retractare, ut si nihil dispositioni nostra resultat, nobis plenissimè apertéque rescribas* CONSACERDOTIBUS *nostris*, id est, COEPISCOPIS *nostris.* Tum in epistola XIV. ad Atticum Constantinopolitanum Episcopum: *Quemadmodum Antiochenæ Ecclesiæ frater &* COEPISCOPUS *noster Alexander digna legatione prosequutus est, & probavit. Quibus omnibus utique interesse dignatus cognovisti, quemadmodum singillatim omnia scriptorum nostrorum antehac de causa beatissimi Joannis quondam* COEPISCOPI *nostri.* Quartò in epistola XVII. ad Acacium Episcopum: *Adgaudere literis fraternitatem tuam de receptis Paulini vel Evagrii Episcoporum Clericis, populisque & de restitutis Elpidio atque Pappo* COEPISCOPIS *percensuimus, & vel serò recepta pacis gratiam te fovere, postposita omni contentione pervidimus. Unde has ad præstantissimum fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Alexandrum reddendas tuæ transmisimus unanimitati.* Quintò in epistola XIX. ad Martianum Narsitanum Episcopum: *Superiori tempore, si tamen rectè recordor me minimè tam ad dilectionem tuam, quàm ad fratres &* COEPISCOPOS
nostros, Rufum, Eusebium, & cæteros hujusmodi literas 30
de clericis Narsensibus transmisisse. Sextò in epistola XX. ad Rufum, Eusebium, & alios Macedoniæ Episcopos, cap. V. *Anysii fratris, quondam nostri, aliorumque* CONSACERDOTUM *summa deliberatio hæc fuit.* CONSACERDOTUM, id est, COEPISCOPORUM, qui ex auctoritate Capuensis Synodi de Bonoso judicaverunt. Hæc omnia in Codice canonum Romanæ Ecclesiæ. Septimò in epistola ad Carthaginiense Concilium: *Gratulor igitur, fratres charissimi, quòd per fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Julium literas ad nos destinastis.* Octavò in epistola ad Milevitanum Concilium: *Frater &* COEPISCOPUS *noster Julius dilectionis vestræ literas, quas ex Milevitano Concilio curæ fidei propensiore misistis, mihi inopinanter ingessit.* Nonò post alia: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres &* COEPISCOPOS *nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem referre debere.* Hæc epistola est nonagesima tertia inter Augustini epistolas.

V. Zosimus in epistola ad Hesychium Salonitanum Episcopum cap II. *Proinde nos nequid meritis dilectionis tuæ derogemus, ad te potissimùm scripta dereximus; quæ in omnium fratrum &* COEPISCOPORUM *nostrorum facies ire notitiam.* Deinde in epistola ad Aurelium & alios Africanos Præsules: *Vetus Lazaro consuetudo est innocentiam criminandi per multa Concilia in sanctum Bricium* COEPISCOPUM *nostrum Turonicæ civitatis, Diabolicus accusator inventus est.* Tum paullo pòst: *Mirum est, si isti laicum virum ad bonam frugem longa erga Deum serenitate nitentem falsis literis percel-* 31
lere voluerunt, qui in fratres & COEPISCOPOS *tanta machinati sunt.*

VI. Boni-

VI. Bonificacius I. in epistola II. ad Rufum Episcopum: *Quos fraterna charitate complexi tales esse cognoscimus,* COEPISCOPUM *nostrum Adelfium vel fratrem Perigenem, cui beati sermo Concilii jamdudum adstipulator accessit.* Deinde paullo pòst: *Tristis absque dubio* COEPISCOPUS *noster Perigenes fuit.* Tum paullo pòst: *Nolumus* COEPISCOPO *Perigeni nostram paginam destinare.* Quartò in epistola III. ad eundem Rufum: *Ad Synodum, quæ dicitur illicitè congreganda de causa fratris nostri &* COEPISCOPI *Perigenis, cujus scripsimus statum nulla posse penitus ratione turbari, talia scripta direximus.* Quintò in epistola ad Episcopos per Thessaliam constitutos: *Ergo servate honorem debitum capiti, quia nolumus ut inter se membra decertent, aut ut tendatur eorum ad nos usque certamen, dum fratrem & Coepiscopum nostrum Rufum dignum ducitis contemptu.* Sextò sub finem epistolæ: *Episcopos per Illyricum citra conscientiam* COEPISCOPI *nostri Rufi nullus ordinare præsumat.* Septimò in epistola ad Rufum & cæteros Episcopos per Macedoniam, Achaiam, &c constitutos: *Et fiet, quod quidem fieri per regulas omnino non poterit, fratris &* COEPISCOPI *nostri peregrinus honor dubius & incertus.* Octavò post alia: *Nequis volent in nostra communione durare, fratris &* CONSACERDOTII *nostri Perigenis iterum ad discutiendum in medium nomen adducat.* Nonò sub finem epistolæ: COEPISCOPUS
32 *noster Rufus, cui ad vicem nostram cuncta committimus, cum cæteris fratribus, quos ipse delegerit, negotium curabit audire.* Hæc omnia in Collectione Romanâ bipartitâ.

VII. Celestinus in epistolæ ad Episcopos Galliæ capite VIII. recipiens, quod Zosimus ad totius orbis Episcopos scripserat: *Nos autem instinctu Dei omnia bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur, ad fratrum &* COEPISCOPORUM *nostrorum conscientiam universa retulimus.* Deinde in epistola ad Perigenem, Dynatum, Basilium, & alios per Illyricum Episcopos: *Nunc tamen Dyrracena provinciæ causa nos monuit, ubi quorundam accusantium factione frater &* COEPISCOPUS *noster Felix, si non nostra intervenisset diligentia, fuisset oppressus.* Tum paullo pòst: *Quas omnes nos intercessioni fratris* COEPISCOPI *nostri Rufi; cujus experientiam comprobatam esse in causis omnibus & visa actibus liquet, volumus resecari.* In Collectione Romana bipartita. Denique in epistola ad Ephesinam Synodum: *Scimus, quo itinere sanctus frater &* COEPISCOPUS *noster Maximianus, quibus gradatim stipendiis ad Sacerdotale fastigium pervenit.*

VIII. Xistus III. in epistola I. ad Perigenem Episcopum: *Nunc ergo, frater charissime, admonitus nostris epistolis per fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Lucam, qui ad vos sola charitatis gratia provocatus advenit, sancto fratri &* COEPISCOPO *nostro Anastasio, Thessalonicensis urbis antistiti eam servate reverentiam, quam cæteri quoque Pontifices per Illyricum constituti erga prædicti dignitatem reservare non abnuunt.* Deinde in epistola II. ad Episcopos Synodo apud Thessaloni-
33 cam congregandos: *Nos fratri &* COEPISCOPO *nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius à nostris decessoribus attributum.* Tum in epistola III. ad Proclum: *Siquis ad fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Thessalonicensis urbis antistitem harum provinciarum, quæ ad eum pertinent, Sacerdos adveniat, præter ejus conscientiam, si sine ejus epistolis atque formata venire tentaverit, tanquam disciplinæ Ecclesiasticæ despector & contemptor canonum, quos nos temerari ex aliqua parte non patimur, habeatur.* Quartò in epistola IV. ad Episcopos per Illyricum constitutos: *Reservate fratri &* COEPISCOPO *nostro reverentiam, quam debetis.* Hæc omnia in Collectione Romana bipartita. Quintò in epistola ad Cyrillum Alexandrinum: *Non est, sicut fratri &* COEPISCOPO *nostro Maximiano sæpe jam scripsimus.* Sextò in epistola ad Joannem Antiochenum: *Habet probatum nobis virum, fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Constantinopolitana Ecclesia Sacerdotem, divino illic judicio consecratum.*

IX. Leo I. in epistola V. ad Dorum Beneventanum Episcopum: *Exequutionem præceptionum nostrarum fratri &* COEPISCOPO *nostro Julio commisisse nos noveris.* Deinde in epistola VII. ad Theodosium Imperat. *Quid autem in Constantinopolitana Ecclesia perturbationis acciderit, quod ita fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum potuerit commovere?* Tum in epistola XVIII. ad Pulcheriam Augustam: *Unde quia contra integritatem fidei Christianæ, dissensionem quandam in Constantinopolitana Ecclesia, Eutyche auctore generatam, fratris &* COEPISCOPI *mei Flaviani relatione cognovi.* Quartò in 34
epistola XXV. quæ sic inscribitur: *Leo Episcopus & sancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit,* Theodosio: *Ecce ergo, Christianissime & venerabilis Imperator, cum* CONSACERDOTIBUS *meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium,* &c. *Obsecramus:* Cum Consacerdotibus, id est, cùm Coepiscopis. Quintò in epistola XXXIV. ad Faustum Martianum, & alios Presbyteros & Archimandritas: *Ad effectum verò salubrium dispositionum velociùs obtinendum fratres &* COEPISCOPOS *meos Abundium & Asterium, sed & Basilium & Senatorem presbyteros probatissimos viros misi, qui clementiæ vestræ formam fidei, quam secundùm formam venerabilium Patrum prædicamus, offerrent.* Sextò in epistola XXXIX. ad Pulcheriam Aug. *Quosdam sanè Episcopos de his, qui rebus impiis videntur præbuisse consensum, reconciliationem & reposcere, & Catholicorum communionem desiderare tam nostrorum, quàm fratris &* COEPISCOPI *mei Anatolii, cui testimonium ferre dignamini, relatione cognovimus.* Septimò, post pauca: *Quia verò novimus quantùm pia sollicitudinis Catholicis Sacerdotibus mansuetudo vestra dignetur impendere, judicandum esse curavimus, fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Eusebium nobiscum degere.* Octavò, post pauca: *Illud à vestra pietate poscentes, ut tam fratrem &* COEPISCOPUM *meum Julianum, quàm Constantinopolitanos Clericos, qui sanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhæsere, ea, qua debetis, gratia foveatis.* Nonò in epistola XL. ad Anatolium Constantinopolitanum cap. IV. *Fratrem verò*
& COEPISCOPUM *nostrum Julianum & Clericos, qui* 35
sanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhæserunt, dilectioni quoque tuæ volumus adhærere. Decimò, post pauca: *Illud quoque dilectionem tuam nosse volumus fratrem &* COEPISCOPUM *nostrum Eusebium, qui causa fidei multa discrimina laborésque toleravit, nobiscum interim demorari.* Undecimò in epistola XLIV. ad Martianum Imp. *Multam mihi fiduciam scribendi ad clementiam vestram & literæ vestræ, quas veneranter accepi, &* COEPISCOPI *mei revertentes à Constantinopoli præbuerunt.* Duodecimò in epistola XLIX. ad Martianum Aug. *Fratrem &* COEPISCOPUM *meum Paschasinum de ea provincia, quæ videtur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi.* Decimotertiò, post pauca: *Fratrem &* COEPISCOPUM *meum vice mea Synodo convenit præsidere.* Decimoquartò, in epistola LI. ad Pulcheriam: *Adeo tamen non aspernanter accepimus, ut binos de* COEPISCOPIS *meis ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent.* Decimoquintò in epistola LII. ad omnes Episcopos Galliarum: *Sed cùm multa obstacula inopinatam vobis intulerint tarditatem, quamvis seras & diu expectatas epistolas per fratrem, &* COEPISCOPUM *nostrum Ingenuinum gratanter accepimus.* Decimosextò in epistolæ LIII. ad Anatolium capite VI. *Frater autem &* COEPISCOPUS *noster Lucianus & filius noster Basilius Diaconus, quantum in ipsis fuit, studiosè his, quæ eis injunxeras, adfuere.* Decimoseptimò in epistola LIV. ad Martianum Aug. *Sed cùm illi fratres &* COEPISCOPI *mei qui vice mea aderunt, obviarent.* Decimooctavò sub finem episto-
læ: *Frater autem &* COEPISCOPUS *meus Lucianus,* 36
qui cum filio meo Basilio Diacono, clementia vestra ad

me

me scripta portavit, omni devotione partem susceptæ legationis implevit. Decimonono in epistolæ LV. ad Pulcheriam capite II. *Frater & COEPISCOPUS meus Anatolius.* Vigesimò, post pauca: *Cùm tam destruendis mox conatibus contradictio fratrum & COEPISCOPORUM meorum vitem meam agentium fideliter & laudabiliter obviaret.* Vigesimoprimò in ejusdem epistolæ capite IV. *Rogo ut per fratrem & COEPISCOPUM meum Lucianum, qui quantum in ipso est, sollicitudinem susceptæ legationis est fideliter exequutus.* Vigesimosecundò in epistola LX. ad Pulcheriam: *Fratri & COEPISCOPO meo Juliano, cui sollicitudinem meam in causa fidei delegavi, rogo ut eam fiduciam præbere dignemini, qua pietati vestræ possit, quæ universali Ecclesiæ sint profutura, suggerere.* Vigesimotertiò in epistolæ ad Maximum Antiochenum Episcopum capite II. *Et ideo frater charissime oportet dilectionem tuam toto corde perspicere,* CUJUS ECCLESIÆ GUBERNACULIS TE DOMINUS VOLUIT PRÆSIDERE, *& ejus meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus per totum mundum quidem uniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena & Romana urbe fundavit.* At Ecclesiæ gubernaculis præsidere Maximum idem est, ac Leonis Coepiscopum esse, ut in epistola proxima habetur. Vigesimoquartò in epistolæ LXIII. ad Theodoretum capite VI. *De his verò, quæ in supradicto Concilio illicita contra venerabiles Nicænos canones præsumptione tentata*
37 *sunt, ad fratrem & COEPISCOPUM nostrum Antiochenæ Sedis præsulem scripsimus.* Vigesimoquintò sub finem epistolæ: *Quas tamen literas pro utilitate universalis Ecclesiæ per prædictum fratrem & COEPISCOPUM nostrum Maximum ad omnium volumus pervenire notitiam.* Vigesimosextò in epistola LXIX. ad Martianum Aug. *Puritatem fidei Christianæ, qua clementia vestra præfulget, etiam his literis, quas frater & COEPISCOPUS meus Nestorianus detulit,* &c. Vigesimoseptimò in epistolæ LXX. ad eundem Martianum capite II. *Quia verò suggestiones meas pro tranquillitate Catholicæ fidei libenter accepistis, significatum mihi fratris & COEPISCOPI mei Juliani, quem excepistis piissimè, sermone cognoscite.* Vigesimooctavò in epistola LXXIII. ad Leonem Aug. *Talia in Alexandrina Ecclesia perpetrata fratris & COEPISCOPI mei Anatolii relatione cognovi, ut omnis Christiana religio sentiat se impeti atque violari, nisi universali fidei vestra devotione prospiciatur.* Vigesimonono in epistola LXXIV. ad Leonem Aug. *Fratris & COEPISCOPI mei Anatolii sermone cognovi.* Trigesimò in epistolæ LXXXVI. ad Nicetam Aquileiensem Episcopum capite I. *Relatione sancti fratris & COEPISCOPI nostri Septimii, quæ in subditis habetur, agnovimus.* Trigesimoprimò in epistolæ LXXXVII. ad Mauritaniæ Episcopos capite II. *Cùm itaque de omnibus ferè quæ fratris nostri Potentii relatio continebat, plenissimè dilectionem vestram per David fratrem & COEPISCOPUM nostrum, qui & Sacerdotii merito nobis est probatus & moribus, videatis instructum.* Trigesimosecundò
38 in epistolæ LXXXIX. ad Viennensis provinciæ Episcopos capite III. *Redditus est itaque Ecclesiæ suæ, & huic, quam amittere non debuit, dignitati COEPISCOPUS noster Celidonius.* Trigesimotertiò in ejusdem epistolæ capite IV. *Huic negotio sic finita fratris & COEPISCOPI nostri Projecti querela successit.* Trigesimoquartò in ejusdem epistolæ capite VIII. *Et quoniam honoranda semper est antiquitas, fratrem & COEPISCOPUM nostrum Leontium probabilem Sacerdotem hac, si vobis placet, dignitate volumus decorari.* Trigesimoquintò in epistolæ ad Turribium Asturicensem Episcopum capite XVII. *Dedimus itaque literas ad fratres & COEPISCOPOS nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallæcos.* Trigesimosextò in epistola C. ad Gennadium Constantinopolitanum Episcopum: *Dilectionis tuæ literis & fratrum COEPISCOPORUM nostrorum Domitiani & Geminiani, sermone agnovi.* Trigesimoseptimò in epistola CV. ad Julianum Coensem Episcopum: *Mirror talia te per fratrem & COEPISCOPUM nostrum Lucianum dirigere scripta potuisse.* Trigesimooctavò, post pauca: *Frater & COEPISCOPUS noster Anatolius.*

X. Hilarus in epistola ad Ascanium & universos Episcopos Tarraconensis provinciæ: *Præter conscientiam Metropolitani fratris & COEPISCOPI nostri Ascanii nonnullis civitatibus ordinatos claruit Sacerdotes.*

XI. Simplicius in epistola ad Joannem Ravennatem Episcopum: *Maluimus te fratre, & COEPISCOPO nostro Projecto referente cognoscere.* Deinde, post pauca: *Frater & COEPISCOPUS meus Gregorius.*

XII. Felix III. in Romana Synodo, cui præfuit: *Cu-* 39
randum verò maximè, & omni cautela est providendum, nequis fratrum COEPISCOPORUMQUE nostrorum, aut etiam presbyterorum in alterius civitate vel diœcesi præsentem, vel sub manu positum Sacerdotis, aut eum, qui reconciliatum esse se dixerit, sine Episcopi vel presbyteri testimonio & literis, aut in parochia presbyter aut Episcopus in civitate suscipiat.

XIII. Gelasius I. in epistola VII. ad universos per Picenum Episcopos: *Quapropter nimis incusamus fratres & COEPISCOPOS nostros maximè per Piceni provinciam Ecclesiam Domini gubernantes, qui non solùm ineptissimi senis, abjectaque persona pravum non deterruere colloquium; verùm & suo nutrivere consensu.* Deinde in epistola IX. ad Episcopos Lucaniæ: *Sicut fratris & COEPISCOPI nostri Joannis Ravennatis Ecclesiæ Sacerdotis frequenti relatione comperimus.* Tum in epistola XII. ad Eonium Arelatensem Episcopum: *Sed omni voto dilectionem tuam duximus admonendam, quatenus & vigere apud nos alterna viscera gratiæ fratres & COEPISCOPI nostri per Gallias constituti caritate tua vulgante cognoscerent.*

XIV. Anastasius II. in epistola ad Anastasium Imperatorem: *Quantos verò excessus atque præsumptiones habuerit Acacius clementiæ tuæ suggerere per singula forcasse videatur onerosum, Crescomo vel etiam Germano fratribus & COEPISCOPIS meis, quos misimus ad serenitatem tuam, de singulis causis Acacii qualis fuerit, instructionem plenissimam dedimus.*

XV. Symmachus in epistola II. ad Eonium Are-
latensem Episcopum: *Illud etiam dilectionem tuam facere* 40
debere præcipimus, ut fratrem & COEPISCOPUM nostrum Viennensis urbis antistitem misso nuntio & scriptura commoveat. Deinde in epistola X. ad universos Episcopos Galliæ: *Cæsarius siquidem frater & COEPISCOPUS noster Metropolitanæ Arelatæ civitatis Sacerdos Ecclesiæ beati Petri Apostoli liminibus præsentatus ea, quæ pridem de privilegiis earum constituta sunt, nostris postulavit innovari sermonibus.*

XVI. Hormisda in epistola X. ad Avitum Viennensem Episcopum: *Nam unde est quòd cùm per Ennodium fratrem & COEPISCOPUM nostrum Sacerdotales viros ad confirmanda ea, quæ Sedes Apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent?* Deinde in epistola XI. ad Anastasium Imperatorem: *Ad hæc nostris lacrymis, nostris precibus allegando, Ennodium atque Peregrinum fratres & COEPISCOPOS nostros vice nostra pro exhibenda etiam honorifica salutatione direximus.* Tum in epistola XIX. ad eundem Anastasium: *Joannes frater & COEPISCOPUS Nicopolitanæ civitatis antistes, prædecessoris sui sanctæ recordationis Alcisonis sequutus exemplum.* Tum in epistola XXII. ad Dorotheum Thessalonicensem Episcopum: *Joannes frater & COEPISCOPUS meus Nicopolitanæ urbis antistes cum Synodo sua variis se concussionibus atque dispendiis graviter causatur affligi.* Quartò in epistola LI. ad universos Hispaniæ Episcopos: *Inter ea, quæ notitia nostra Joannes frater & COEPISCOPUS noster studio Ecclesiasticæ utilitatis ingessit,* &c. Quintò in epistola LIII. ad Dioscorum Diaconum: *Thomæ quoque & Nicostrati fratrum & COEPISCOPORUM no-* 41
strorum observatio nos longa contristat. Id in epistola LIV. ad eundem repetit. Sextò in epistola LV. ad Thomam & Nicostratum: *Ad Joannem fratrem & COEPISCOPUM*

nostrum scripta direximus. Septimò in epistola LVI. ad Joannem & Dioscorum Legatos: *Reperimus Thomatem & Nicostratum fratres & COEPISCOPOS nostros Constantinopolim non ita susceptos, sicut nostra fuere desideria.* Octavò sub finem istius epistolæ: *Quæ ei dicuntur invasa à fratre & COEPISCOPO nostro Joanne.* Nono in epistola LVII. ad Justinum Imper. *Verùm inter hæc pietatis vestræ beneficia, una nos quæ etiam vehementer afficit cura, non deserit, quòd Helsam, Thomatem, atque Nicostratum fratres & COEPISCOPOS meos, qui primi Ecclesiasticam festina secuti sunt devotione concordiam, non solùm magna frustratur palma principii, verùm etiam mali miseria comitatur exempli.* Decimo in epistola LVIII. ad Euphemiam Aug. *Quæsumus namque ut tandem de venerabilibus fratribus & COEPISCOPIS nostris Helsa, Thomate, atque Nicostrato, quod sacratissimorum canonum dictat auctoritas, vobis decernentibus impleatur.* Undecimò in epistola LIX. ad Justinianum: *Helia, Thomati, atque Nicostrato fratribus & COEPISCOPIS nostris.* Duodecimò in epistola LX. ad Germanum virum illustrem: *Præcipuè tamen Heliæ, Thomæ, atque Nicostrati fratrum & COEPISCOPORUM nostrorum causa nos commovet.* Decimotertiò in epistola LXII. ad Germanum & Joannem Episcopos: *Itaque perlatum est, fratrem & COEPISCOPUM nostrum Joan-
42 nem, dum ad Thessalonicam pro suscipiendis tunc libellis, qui promittebantur, accederet, ita plebis intractabili seditione concussum, &c.* Decimoquartò in epistola LXIII. ad Joannem & Germanum Episcopos: *Pro Thomæ & Nicostrati fratrum & COEPISCOPORUM nostrorum personis intentio dilectionis vestræ vehementer debet incumbere.* Decimoquintò in epistola LXIV. ad Joannem Melicitanum Episcopum: *Libelli Joannis fratris & CONSACERDOTIS nostri Episcopi Constantinopolitani.* Decimosextò in epistola LXV. ad Episcopos Hispaniæ: *Ad Salustium fratrem & COEPISCOPUM nostrum sub hac parte rescripsimus.* Decimoseptimò in epistola LXXVI. ad Epiphanium Constantinopolitanum: *Oportuerat quidem fraternitatem tuam divini contemplatione judicii, atque caritatis nostræ respectu Eliam, Thomam, atque Nicostratum fratres & COEPISCOPOS nostros, postquam in consortium communionis nostræ recepimus, ad divina tecum mysteria incunctanter admittere.* Decimooctavò in epistola LXXV. ad Synodum Constantinopolitanam: *Fratrem & COEPISCOPUM nostrum Epiphanium apud felicissimam Deo favente Constantinopolim, ad officium muneris Sacerdotalis assumptum pervenisse ad nos.* Decimonono sub finem epistolæ: *Quam* (ordinationem) *insinuandam Sedi Apostolicæ per Joannem fratrem & COEPISCOPUM nostrum, &c. religiosè credidistis.*

XVII. Agapetus I. in epistola II. ad Africanos Episcopos: *Quæ cùm ita sint, redeuntibus Caio & Petro fratribus & COEPISCOPIS nostris, atque Liberato Diacono filio nostro proferimus sinceritatem. Concilii vestri
43 charitatem.* Deinde in epistola III. ad Reparatum Carthaginiensem Episcopum: *Præterea ad ea, quæ Caius atque Petrus fratres & COEPISCOPI nostri, sed & Liberatus Diaconus filius noster, ut apud nos agerent verbo à fraternitate tua sibi injuncta, dixerunt, congruum putavimus verbo dare responsum.*

XVIII. Vigilius in epistola IV. ad Justinianum: *Absit ergo à nobis, ut quod omnibus fratribus & COEPISCOPIS nostris generare gaudium profitemur, &c.* Deinde paullo pòst in eadem epistola: *In his verò, in quibus Mennam fratrem & COEPISCOPUM nostrum memoratum libelli tui, quem prædecessori nostro beatæ memoriæ Agapeto ordinationis suæ tempore vestra clementia porrexerat .:.:. anathema dixisse pietas vestra mandavit.* Tum in epistola VI. ad Auxanium Arelatensem Episcopum: *Si qua ergo inter fratres & COEPISCOPOS in locis charitatis vestræ præsenti auctoritate commissi, seminante illo auctore ex iniquitate zizania dissensiones emerserint, adhibitis vobiscum Sacerdotibus numero competenti, causas canonicæ & Apostolicæ auctoritate discutite.* Quartò in epistola IX. ad Episcopos Galliæ: *Quapropter Auxanio & COEPISCOPO nostro Arelatensis civitatis antistiti vices nostras caritas vestra nos dedisse cognoscat, ut si aliqua (quod absit) fortassis emerserit contentio, congregatis sibi fratribus & COEPISCOPIS nostris causas canonica & Apostolica auctoritate discutiens, Deo placita æquitate diffiniat.* Quintò sub finem istius epistolæ: *Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam sine prædicti fratris & COEPISCOPI nostri formata ad longinquiora loca audeat proficisci.* Sextò in epistola XII. ad Valen-
tinianum Episcopum: *Credimus Catholicæ Ecclesiæ filios* 44
ea, quæ tunc ad fratrem & COEPISCOPUM nostrum Mennam scripsimus & abunde posse sufficere. Septimò in literis, quibus Theodorum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum condemnavit: *Ideòque ex persona & auctoritate beati Petri Apostoli, cujus (licèt exigui) nos locum gerimus, cum Dacio Mediolanensi, Joanne Marsicano, Zacchæo Scyllacæno, &c. Fratribus & COEPISCOPIS nostris hunc Theodorum Cæsareæ Cappadociæ civitatis quondam Episcopum sententia promulgatione tam Sacerdotali honore & communione Catholica, quàm vel omni officio Episcopali seu potestate spoliatum decernimus.*

XIX. Pelagius I. in epistola III. ad Childebertum Regem: *Excellentiæ vestræ literas post illas quas Legati vestri detulerunt, etiam per eos, quos frater & COEPISCOPUS noster Sapaudus ad nos direxit, venerenter accepimus.* Deinde in epistola XI ad eundem Regem: *Passi estis subripi vobis Sapaudum fratrem & COEPISCOPUM nostrum Arelatensis civitatis antistitem.* Tum in epistola XII. ad eundem Regem: *Hæc breviter secundùm admonitionem præfati magnifici viri Ruffini ad satiandum animum vestrum vel omnium fratrum, & COEPISCOPORUM nostrorum in Galliæ regionibus consistentium faciendum esse perspeximus.*

XX. Pelagius II. in epistola III. ad Gregorium Diaconum: *Omnia quidem, quæ necessaria fuerant per Honoratum notarium tibi curavimus indicare, quem cum fratre & COEPISCOPO Sebastiano ad dilectionem tuam direximus.*

XXI. Gregorius I. in libri II. Indict. X. episto-
la XX. ad Joannem Episcopum: *Quoniam Paulo fra-* 45
tri & COEPISCOPO nostro Neapolitanæ Ecclesiæ visitationis operam injunximus. Et paullo pòst: *Donec igitur, quid de persona prædicti fratris & COEPISCOPI nostri agendum sit, deliberare possimus.* Deinde in ejusdem & libri & Indict. epistola XXII. ad Joannem Ravennatem Episcopum: *Quorum memor fraternitas vestra competenti sibi more Castorium fratrem COEPISCOPUMQUE nostrum & priùs compassione habita studuit visitare.* Tum in ejusdem libri & Indict. X. epistola XXIII. ad Justinum presbyterum: *Quoniam igitur quædam contra Sacerdotale propositum de Leone fratre & COEPISCOPO nostro sinister rumor sparsit.* Quartò in ejusdem libri & Indict. epistola XXVII. ad Clerum & populum Crotonensem: *Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri & COEPISCOPO nostro Joanni solemniter delegare.* Quintò in ejusdem libri & Indict. epistola XXXII. ad Joannem Episcopum Ravennæ: *De fratre autem & COEPISCOPO nostro Natali valde contristabar.* Sextò in ejusdem libri Indict. XI. epistola IX. ad Antoninum Subdiaconum: *Convocato Episcoporum Concilio, si hæc in quibus accusatus est, fuerint approbata, præfati Natalis fratris & COEPISCOPI nostri volumus in eum proprium robur obtinere sententiam.* Septimò in ejusdem libri & Indict. epistola XI. ad ordinem & plebem Albanensem: *Fratrem & COEPISCOPUM nostrum hominem bonum vobis ordinavimus Sacerdotem.* Octavò in ejusdem libri & Indict. epistola XIV. ad Clerum & popu-
lum Taracinensem: *Agnellum fratrem & COEPIS-* 46
COPUM nostrum probatum jam meritis Cardinalem vobis constitui deprecamini Sacerdotem. Nonò in ejusdem libri

libri & Indict. epistola XXII. ad Antoninum Subdia-
conum: *Natalem Salonitanæ Ecclesiæ fratrem &* CO-
EPISCOPUM *nostrum obiisse discurrens in partibus istis*
fama vulgavit. Decimò in epistola XXIV. ad Leon-
tium Episcopum Urbinatem: *Castorium fratrem & Co-*
EPISCOPUM *nostrum hîc pro corporis sui molestia reti-*
nemus. Undecimò in ejusdem libri & Indict. episto-
la XXV. ad Ariminenses: *Ecclesiæ vestræ necessariò*
providimus Leontium fratrem, & COEPISCOPUM *no-*
strum visitatorem per omnia deputare. Duodecimò in
ejusdem libri & Indict. epistola XXVI. ad Magnum
presbyterum: *Comperimus siquidem, quòd Laurentius*
quondam frater & COEPISCOPUS *noster nullis te cul-*
pis exigentibus communione privaverit. Decimotertiò
in ejusdem libri & Indict. epistola XXVII. ad Mari-
nianum Abbatem: *Pro qua re Victori fratri &* COE-
PISCOPO *nostro injunximus.* Decimoquartò paullo
pòst: *Quia ergo nullus sine cognitione damnandus est,*
eidem fratri & COEPISCOPO *nostro scripsimus.* Deci-
moquintò in ejusdem libri & Indict. epistola XXXV.
ad Petrum Subdiaconum: *Sapius à vobis Paulus frater*
& COEPISCOPUS *noster expetiit, ut* &c. Decimosex-
tò in ejusdem libri & Indict. epistola XXXVI. ad Sa-
binum defensorem: *Januarium fratrem &* COEPIS-
COPUM *nostrum summa hunc exhibere instantia non o-*
mittas. Decimoseptimò in ejusdem libri & Indict. e-
pistola XL. ad Pantaleonem Notarium: *Felici fratri*
47 *&* COEPISCOPO *nostro te imminere præcipimus.* De-
cimooctavò in ejusdem libri & Indict. epistola XLV.
ad Joannem Episcopum Galipolitanum: *Ex gestis,*
quæ ad nos fraternitas tua direxit, inventum est, Andre-
am fratrem & COEPISCOPUM *nostrum habuisse sine*
dubio concubinam. Decimononò in ejusdem libri & In-
dict. epistola XLVI. ad Clerum Salonitanum: *Cui etiam*
de persona Malchi fratris & COEPISCOPI *nostri, quid*
oporteat fieri jampridem injunximus. Vigesimò in ejus-
dem libri & Indict. epistola XLVIII. ad Adeodatum
Episcopum: *Præ omnibus autem Columbam fratrem &*
COEPISCOPUM *nostrum in cunctis adhibere vos conve-*
nit. Vigesimoprimò in libri III. epistola IV. ad The-
odelindam Reginam: *Decet ergo gloriam vestram ad re-*
verendissimum fratrem & COEPISCOPUM *meum Con-*
stantium, cujus & fides & vita benè olim approbata est,
sub omni celeritate transmittere. Vigesimosecundò in e-
jusdem libri epistola XXII. ad Constantium Mediola-
nensem Episcopum: *Præsentium latorem Venantium fra-*
trem & COEPISCOPUM *nostrum, ut instanter emen-*
daretur, admonui. Vigesimotertiò in ejusdem libri
epistola XXV. ad Zabardam Ducem Sardiniæ: *Scriptis*
fratris & COEPISCOPI *mei Felicis & Cyriaci servi*
Dei gloriæ vestræ bona cognovimus. Vigesimoquartò in
epistola XXXIII. ad Theodelindam Reginam: *Decet*
ergo gloriam vestram ad reverendissimum fratrem & Co-
EPISCOPUM *nostrum, cujus & fides & vita olim mihi*
bene est approbata, sub omni celeritate transmittere. Vi-
gesimoquinto in libri IV. epistola XXXIV. ad Constan-
tinam Augustam: *Triste valdè est, ut patienter feratur,*
48 *quatenus despectis omnibus frater &* COEPISCOPUS *me-*
us solus conetur appellari Episcopus. Vigesimò sexto in li-
bri V. epistola XXIV. ad Marinianum Episcopum: *Nun-*
quid non ipse nosti, quia in causa, quæ à Joanne pres-
bytero contra Joannem Constantinopolitanum fratrem &
COEPISCOPUM *nostrum orta est, secundùm canones ad*
Sedem Apostolicam recurrit? Vicesimoseptimò in ejus-
dem libri epistola LV. ad Protasium Episcopum Aquen-
sem: *Virgilio fratri &* COEPISCOPO *nostro dicite.*
Vigesimooctavò in libri VI. epistola XIX. ad Cypria-
num Diaconum: *Novit dilectio tua hanc olim consue-*
tudinem tenuisse, ut fratres & COEPISCOPI *nostri Ro-*
mam semel in triennio de Sicilia convenirent. Vigesi-
mononò in libri VII. Indict. II. epistola II. ad Ja-
nuarium Episcopum: *De fratre autem &* COEPIS-
COPO *nostro Mariniano dum pax cum prædicto Agilulpho*
perfectè fuerit confirmata, erit cognitio. Trigesimo in
ejusdem libri & Indict. epistola XLVI. ad Sabinum
Diaconum: *Et ideo medius sacrosanctis Evangeliis expe-*
rientia tua unà cum Paulino, Proculo, Palumbo, vel Ve-
nerio, atque Martiano reverendissimis fratribus COEPIS-
COPIS QUE *nostris,* &c. Trigesimoprimò in ejusdem
libri & Indict. epistola XCII. ad Clerum & plebem
Ausinensem: *Curæ nobis fuit, Ecclesiæ vestræ visitatio-*
nem fratri & COEPISCOPO *nostro Severo Ancensanæ*
civitatis Episcopo solemniter delegare. Trigesimosecundò
in ejusdem libri & Indict. epistola CXIX. ad Siagrium
Augustodunensem Episcopum: *Quia igitur in prædi-*
cationis opere quamdiu cogitans Anglorum genti per Au-
gustinum quondam Monasterii mei præpositum hunc fra-
trem & COEPISCOPUM *nostrum impendere studui.* Tri- 49
gesimotertiò in libri VIII. epistola XXVI. ad Anthe-
mium Subdiaconum: *Præcipimus ut unà cum reveren-*
dissimo fratre nostro Fortunato COEPISCOPO, &c. Tri-
gesimoquartò in ejusdem libri epistola XXXIII. ad
Secundinum Episcopum: *Præcipuè dum eandem causam*
jam temporibus reverendæ memoriæ Maximiani Episcopi
vos atque fratrem & COEPISCOPUM *nostrum Kassi-*
num ex ejus deputatione accessisse, audisse, ac decidisse
testemini. Trigesimoquintò in libri IX. epistola LIII.
ad Theodoricum Regem: *Quanta præterea bona reve-*
rendissimo fratri & COEPISCOPO *nostro Augustino ad*
Anglorum gentem proficiscenti excellentia vestra præbue-
rit. Trigesimosextò in libri X. epistola XVI. ad Ro-
manum defensorem: *Ad gloriosissimam Leontium unà*
cum reverendissimo fratre & COEPISCOPO *nostro Jo-*
anne te ire necesse est. Trigesimo septimò in ejusdem
libri epistola XXII. ad Joannem Subdiaconum: *Si e-*
jus vita ad locum regiminis digna est, à reverendissimo
fratre & COEPISCOPO *nostro Mariniano hunc Abba-*
tem ordinari facias. Trigesimooctavò in ejusdem libri
epistola XXXI. ad Columbum Numidiæ Episcopum:
Victori fratri & COEPISCOPO *nostro, qui primatus*
inter vos locum tenet, curavimus scribendum. Trigesi-
mononò in libri XI. epistola IV. ad Adeodatum Ab-
batem: *Sed dum huic rei frater &* COEPISCOPUS
noster Basilius Capuanæ Ecclesiæ præsens fuisset inventus,
extitit valdè contrarius. Quadragesimò, paullò pòst:
Quibus renuntiantibus manifesta ratione comperimus, fra-
trem & COEPISCOPUM *nostrum Basilium nullum in* 50
prædicto Cratereasi Monasterio jus habere. Quadragesi-
moprimò in ejusdem libri epistola LIX. ad Vitalem
defensorem: *De hoc igitur, quod scripsisti fratrem &*
COEPISCOPUM *nostrum Januarium tempore quo sa-*
crificium celebrat, tantam pati frequenter angustiam, ut,
&c. Quadragesimosecundò, paullo pòst: *Ab experien-*
tia tua & à reverendissimo fratre & COEPISCOPO *no-*
stro Januario injustè sublata, &c. Quadragesimotertiò in
libri XII. epistola XVIII. ad Bacaudam & Agnellum
Episcopos: *Scripsimus fratri &* COEPISCOPO *nostro*
Petro. Quadragesimoquartò, paullo pòst: *Itaque fra-*
ternitas vestra cum suprascripto fratre & COEPISCO-
PO *nostro locum ipsum diligenter inspiciat.*

XXII. Martinus I. in epistola V. ad Joannem Epi-
scopum Philadelphiæ: *Fidelis sermo & omni exceptio-*
ne dignus, quem de te accepimus, dilecte frater, & ex iis,
quæ ad nos à te scripta sunt, & ab iis, qui experimen-
tum jam cœperunt spiritualis tuæ secundùm Deum conver-
sationis, Stephano nempe dilecto Coepiscopo nostro &c. De-
inde, post alia: *Hoc & prius Apostolica hæc Sedes fi-*
eri præcepit per memoratum Stephanum dilectum COE-
PISCOPUM *nostrum.* Tum in epistola X. ad Petrum
virum illustrem: *Adjuvans vestra Christi amans clari-*
tudo per præfatum dilectum nostrum COEPISCOPUM
propria matris, nempe Catholicæ viscera reficiet.

XXIII. Gregorius II. in epistola IV. quæ sic inscri-
bitur: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, univer-*
sis reverendissimis & sanctissimis fratribus COEPISCO-
PIS, *religiosis presbyteris, seu Diaconibus.* Deinde in
epistola ad Clerum & populum: *Probabilibus deside-* 51
riis nihil tarditatis præstantes fratrem jam & COEPIS-

COPUM nostrum Bonifacium vobis ordinavimus Sacerdotem. Tum in epistola VIII. ad universum populum provinciæ Altasaxonum: Ministrum quoque & conservum in Domino, quem misi ad vos Bonifacium ac COEPISCOPUM meum adhuc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt. Denique in epistola XIV. ad Bonifacium sic inscripta: Reverendissimo ac sanctissimo fratri Bonifacio COEPISCOPO Gregorius servus servorum Dei.

XXIV. Gregorius III. in epistola II. ad Bonifacium sic inscripta: Reverendissimo ac sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo.·.·.·.·.·. Gregorius servus servorum Dei.

XXV. Zacharias in epistola IX. ad Bonifacium sic inscripta: Reverendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio COEPISCOPO Zacharias servus servorum Dei. Deinde in epistola XII. ad eundem sic inscripta: Sanctissimo & reverendissimo fratri Bonifacio COEPISCOPO Zacharias Episcopus servus servorum Dei.

XXVI. Gregorius IV. in epistola I. sic inscripta: Dilectissimis fratribus universis COEPISCOPIS per Galliam, Germaniam, Europam, & per universas provincias constitutis, Gregorius Episcopus servus servorum Dei. Deinde in epistola II. sic quoque inscripta: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, reverendissimis in Christo sanctissimisque fratribus COEPISCOPIS, &c.

XXVII. Leo IV. in Romano Concilio, quod in causa Anastasii Cardinalis Presbyteri habuit: Fratres &
52 COEPISCOPI, Sacerdotes, Clerici, & universi, qui ad sacrum hodie nobiscum celebrandum Concilium promittente Domino convenistis.

XXVIII. Nicolaus I. in epistola X. ad Metropolitas & Episcopos Constantinopolitanæ Sedi subjacentes: Igitur postquam audivimus, quòd quidam vestrûm invidiæ facibus accensi, & superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum contra Pastorem & magistrum suum, COMMINISTRUM nostrum Ignatium Ecclesiæ præfatæ Patriarcham insurrexerunt. Hic comminister idem est ac Coepiscopus, & Consacerdos, ut paullo pòst dicitur: Adversus jam factum CONSACERDOTEM nostrum Ignatium. Deinde in epistola XIII. sic inscripta: Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, reverendissimo ac sanctissimo fratri, & COMMINISTRO nostro Ignatio Patriarchæ Constantinopolitano, Comministro, id est, Coepiscopo, Consacerdoti

XXIX. Hadrianus II. in epistola II. sic inscripta: Hadrianus Episcopus servus servorum Dei, honorabilissimo fratri, & CONSACERDOTI nostro Ignatio sanctissimo Patriarchæ Constantinopolitano: Consacerdoti, id est, Coepiscopo. Deinde in epistola VI. ad Synodum Tricassinam: Innocentia quippe jam nunc fratris & COEPISCOPI nostri Wlfadi & Collegarum ejus, &c. Tum in epistola VII. Reverendissimis & sanctissimis confratribus, & COEPISCOPIS nostris, qui præterito anno apud Suessionicam urbem convenerunt. Tum in epistola XXI. sic inscripta: Hadrianus Episcopus servus servorum Dei, reverendissimis & sanctissimis fratribus, & COEPISCOPIS nostris in regno Caroli gloriosi Regis Ecclesiam Domini gubernantibus.

53 XXX. Joannes VIII. in epistola VIII. ad Carolum Imp. Nos & religiosam petitionem vestram complevimus, & suggestionibus fratrum COEPISCOPORUMQUE nostrorum manus porreximus. Deinde in epistola XIV. ad Bituricensis provinciæ Episcopos: Vacante Sede Fretarium fratrem & COEPISCOPUM nostrum in Sede Bituricensi præficiendum ordinavimus Sacerdotem. Tum in epistola XVII. ad Ursum Ducem Venetiarum: Idem frater & COEPISCOPUS noster more majorum Sedem Apostolicam appellavit. Quartò in epistola LVI. ad Petrum & Leonem Episcopos Venetiæ: Quidquid inter fratrem & COEPISCOPUM nostrum, Petrum videlicet Metropolitanum, & prædictos, controversiæ vertitur, canonicum finem accipiat. Quintò in epistola LVII. ad Archiepiscopum Ravennæ: Quapropter tam pro Ecclesiasticis quibusdam necessitatibus, quàm pro statu & correctione Reipublicæ auctoritate Apostolica decrevimus, reverendorum fratrum, & COEPISCOPORUM nostrorum Italici regni, id est, totius provinciæ advocare Concilium. Sextò, post pauca: Fratres & COEPISCOPOS, qui sub beatitudine vestra degunt, ad eandem universalem Synodum hortatu sanctitatis vestræ venire præcipimus. Septimò in epistola LX. ad eundem Archiepiscopum: Synodum nos cum Confratribus & COEPISCOPIS nostris instituisse fore modis omnibus celebrandam. Octavò in epistola C. ad Archiepiscopum Teutranum: Innotescimus denique, quia venerabilis frater & COEPISCOPUS noster Bernarius nostram nuper adiens præsentiam, reclamavit, &c. Nonò in epistola CIII. ad Archiepiscopum Arelatensem: Quia omnipotentis Dei miseratione universalem Synodum 54 sumus celebraturi in proximo, te, omnésque tuos COEPISCOPOS suffraganeos volumus, auctoritate Apostolica admonemus, expresséque mandamus ad hanc omni postposita occasione quantocyùs præsentare. Decimò in epist. CIV. ad Bituric. Episcop. Hortamur interim dilectionem tuam patienter sufferre, & ad Trecas cum fratrum COEPISCOPORUMQUE nostrorum Collegio diœceseos tuæ ad Synodum Domino cooperante celebrandam quantocyùs properare. Undecimò in epistola CCXXI. ad Clerum populúmque Mediolanensem: Sanè reverendissimos fratres & COEPISCOPOS nostros Joannem Ticinensem & Veltonem Ariminensem illuc vice nostra dirigimus. Duodecimò in epistola CCXXVII. ad Theodoricum Theatinum & alios Episcopos: Cujus professionem coram COEPISCOPIS & fratribus nostris conferentes inquisivimus, &c.

XXXI. Joannes XX. seu Benedictus IX. in actis Lemovicensis Concilii II. quod apud Baronium anno MXXXIV. refertur: Profiteor quippe omnibus CONSACERDOTIBUS meis ubique terrarum adjutorem me & consolatorem potiùs esse quam contradictorem. Absit enim schisma à me & à COEPISCOPIS meis.

XXXII. Leo IX. in epistola III. ad Thomam Africanum sic inscripta: Leo Episcopus servus servorum Dei Thomæ CONFRATRI charissimo & COEPISCOPO salutem. Deinde in ipsa epistola: Unde charissimi confratres nostri & COEPISCOPI Petrus & Joannes rectè sentiunt de Carthaginensis Ecclesiæ dignitate. Tum in epistola VI. ad Petrum Episcopum sic inscripta: Leo Episcopus servus servorum Dei, dilecto fratri & COEPISCOPO Petro.

XXXIII. Nicolaus II. in tabulario Sistaricensis Ecclesiæ in tom. III. Galliæ Christianæ: Nicolaus servus 55 servorum Dei, Clero, ordini, plebi consistentibus in civitate Sistaricensi salutem & Apostolicam benedictionem, si obedierint. Cùm nostri sit officii universalis Ecclesiæ curam gerere, oportet nos studere omnibus, ubique prodesse. Unde pro vestra salute fratrem etiam & COEPISCOPUM nostrum, vobis ordinavimus Sacerdotem, à religiosis viris in partibus Galliæ habitantibus electum.

XXXIV. Gregorius VII. in libri I. epistola LXVI. ad omnes monachos, & laicos Monasterii S. Quirici: Notum vobis fieri volumus, quòd Monasterium sancti Quirici juris Ecclesiæ sancti Petri confratri nostro Rainerio & COEPISCOPO Reatino dedimus. Deinde in libri II. epistola LV. ad Laudensis Ecclesiæ filios: Gaudemus quoque super fratre COEPISCOPO nostro vestro Pastore Opizone. Tum in libri III. epistola XI. sic inscripta: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Arnaldo fratri & COEPISCOPO Acheruntino. Quartò in ejusdem libri epistola XII. sic inscripta: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, fratribus & COEPISCOPIS Udoni Trevirensi, Theoderico Virdunensi, & Hermanno Metensi. Quintò in libri IV. epistola III. sic inscripta: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, omnibus dilectis in Christo fratribus & COEPISCOPIS, &c. Sextò in libri VI. epistola XXXV. sic inscripta: Gregorius Episcopus servus servorum Dei, fratribus & COEPISCOPIS Rotomagensi, Turonensi, & Senonensi.

Senonensi. Septimò, in ejusdem libri epistola XXXVIII. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Henrico charissimo in Christo fratri, & Coepiscopo*
56 *Aquilegiensi.* Octavò in libri VII. epistola IX. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, fratribus & Coepiscopis Astensi, Taurinensi, & Electo Aquensi.* Nonò in ejusdem libri epistola XXVIII. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, fratri & Coepiscopo Beneventano R.* Decimò in libri VIII. epistola V. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus, & Coepiscopis per Principatum & Apuliam & Calabriam constitutis.* Undecimò in ejusdem libri epistola VI. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, fratribus & Coepiscopis in Apulia & Calabria commorantibus.* Duodecimò in ejusdem libri epistola VII. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, fratribus & Coepiscopis Christianam religionem defendentibus.* Decimotertiò in ejusdem libri epistola VIII. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, & fratri & Coepiscopo Salernitano Alphano.* Decimoquartò in libri IX. epistola III. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri & Coepiscopo Pataviensi A.* Decimoquintò in ejusdem libri epistola XVIII. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Va. dilecto in Christo fratri & Coepiscopo.* Decimosextò in ejusdem libri epistola XXXI. sic inscripta: *Gregorius Episcopus servus servorum Dei, dilectissimo fratri & Coepiscopo H.*

XXXV. Victor III. in Beneventano Concilio cui præfuit, & ubi Episcopos sic alloquitur: *Novit vestra dilectio, charissimi fratres Coepiscopi.*

XXXVI. Urbanus II. in sermone, quem in Claro-
57 montano Concilio habuit, & ubi sic Episcopos affatur: *Vos fratres & Coepiscopi & Consacerdotes & cohæredes Christi per Ecclesias vobis commissas idipsum annunciate.*

XXXVII. Pascalis II. in epistola III. sic inscripta: *Pascalis Episcopus servus servorum Dei, Anselmo Cantuariensi venerabili fratri & Coepiscopo.* Deinde in epistola XXVIII. sic inscripta: *Pascalis Episcopus servus servorum Dei, Coepiscopo Bernardo Antiocheno Patriarchæ:* Tum in epistola XXX. ad Episcopos Angliæ: *Et quidam gravibus infirmitatum molestiis impediti iidem fratres & Coepiscopi pervenire ad nostram præsentiam minimè valuerunt.*

XXXVIII. Alexander III. in epistola LII. ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum: *Etsi teneamur omnibus & fratribus Coepiscopis nostris ex administratione suscepti regiminis Apostolicum patrocinium exhibere, his tamen,* &c. Deinde in titulo de privilegiis & privilegiatorum excessibus cap. IX. *Fratrum autem & Coepiscoporum nostrorum conquestione comperimus.*

XXXIX. Gregorius VIII. in epistola III. ad omnes Ecclesiæ Prælatos: *Quoniam ad Episcoporum maximè spectat officium, afflictis & laborantibus subvenire, unúmque illorum* (Episcoporum) *licèt deficientibus meritis me esse voluit, prospicere tenemur,* &c. Cùm ingenuè fatetur unum Episcoporum se esse, idem est, ac si diceret, Episcopos alios suos esse Coepiscopos. Et illuc spectat oratio, quæ feria VI. in parasceve Domini cantatur: *Oremus & pro beatissimo Papa nostro N. ut Deus & Dominus noster,*
58 *qui elegit eum in* ORDINEM EPISCOPATUS, *salvum atque incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum populum sanctum Dei.*

XL. Innocentius III. in libri I. epistola ad Aversanum Episcopum: *Fratribus & Coepiscopis nostris in iis, quæ rationabiliter & honestè requirunt Apostolicum libenter impertimus assensum.* Deinde in ejusdem libri epistola ad Gradensem Patriarcham: *Si quando à fratribus & Coepiscopis nostris requiritur, quod à tramite rationis non deviet, eorum postulationi facilem nos convenit præbere consensum.* Tum in ejusdem libri epistola ad Ambianensem Episcopum: *His quæ à fratribus & Coepiscopis nostris in favorem religionis postulantur à nobis, libenter annuimus.* Quartò in ejusdem libri epistola ad Pampilonensem Episcopum: *Fratribus & Coepiscopis nostris specialem volumus gratiam exhibere.* Quintò in ejusdem libri epistola ad Abbatem & Monachos Burgulienses: *Ea quæ à fratribus & Coepiscopis nostris, qui in partem sollicitudinis nostræ sunt vocati, auctoritate Apostolica Sedis ratione prævia statuuntur, ne per alicujus insolentiam, seu temeritatem immutentur, vel infringantur, aut in dubium revocentur, Apostolico debent munimine roborari.* Sextò in ejusdem libri epistola ad Absalonem Laudensem Episcopum: *Fratres & Coepiscopos nostros tam propinquos, quàm longè positos sincera tenemur caritate diligere.* Septimò in ejusdem libri epistola ad Petrum Colimbriensem Episcopum, *Fratrum & Coepiscoporum nostrorum justitiæ consulere debemus.* Octavò in ejusdem libri epistola ad Dunelmensem Episcopum: *Ut ad ampliandum* 59
cultum divini nominis in locis Deo dicatis à fratribus & Coepiscopis statuuntur, &c.

Hîc in Innocentio III. qui anno MCCXVI. excessit è vita, Romanæ Ecclesiæ circa usurpatum *Coepiscopi* nomen traditionem seco & finio. Hæc jam inde ab heroicis primùm sæculis, cùm ducatur usque ad tempus Innocentii, unicuique perito & cordato homini sufficit, aut certè debet sufficere. Cui enim asserta per Pontifices XL. & per illorum auctoritates ducentas plus minus viginti traditio non erit satis, nulla unquam satis esse poterit traditio, cùm alia vix esse potuerit testatior.

Sed nunc videndum est, quo deprompcum ex nostra traditione argumentum pertineat. Romanus Episcopus, putà Leo primus cùm alium Episcopum appellat Coepiscopum, Coepiscopatum necessariò ponit, & sibi ante oculos statuit Cyprianum & Optatum: illum qui derivatam ab Apostolis traditionem secutus in epistola LII. ad Antonianum scribit: *Cùm sit à Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa.* Item, *Episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Quod & in libro de unitate Ecclesiæ repetit: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Hunc verò cùm in libro II. ait: *Unam esse Episcopalem cathedram, ut unitas ab omnibus servaretur.* Et paullo pòst: *Et ut ipsa unitas repræsentatis omnibus membris corpus Ecclesiæ coagularet?*

Ad Cyprianum & Optatum accedit præstantissimus Ecclesiarum Magister Hieronymus, quem Leo per ætatem videre potuit. Cypriano & Optato consenta- 60
nea perscribit in epistola ad Evagrium: *Ubicunque,* inquit, *fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem est meriti, ejusdem & Sacerdotii:* Nempe quia unum ubique Sacerdotium.

Quod Symmachus Papa antè laudatus, adeò singulari comparatione explicat, ut nihil suprà esse possit. Verba sunt ex epistola I. ad Æonium Arelatensem Episcopum: *Ad Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, unum est per diversos antistites Sacerdotium.* Sic per diversos antistites divisum est Sacerdotium, ut tamen unum ad Trinitatis instar, atque individuum remaneat. Sic Episcopatus, cujus à singulis pars in solidum tenetur, unus tamen perseverat. Quo fit, ut à Coepiscopo Coepiscopatus, & à Consacerdote Consacerdotium dicatur.

Præterea Coepiscopus idem est ac compastor, si ut compasco Latinè dicitur, compastor Latinè quoque diceretur. Hinc beatus Petrus in epistolæ capite V. ait: *Seniores ergo, qui in vobis sunt obsecro consenior* πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος. *& testis Christi Passionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator, pascite, qui in vobis est, gregem.*

Romanus Clerus & Cyprianus rem illustrant. Ille in epistola

epistola ad Carthaginiensem Clerum: *Denique & ipse Dominus implens, quæ erant scripta in lege & Prophetis docet, dicens: Ego sum Pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis. Mercenarius autem, & cujus non sunt oves propriæ, cùm viderit lupum venientem, relinquens effu-*
61 *git, & lupus dispergit oves. Sed & Simoni sic dicit: Diligis me? respondit, Diligo. Ait ei: Pasce oves meas, hoc verbum factum ex actu ipso quo cessit, cognoscimus & cæteri Discipuli similiter fecerunt. Nolumus ergo, fratres dilectissimi, vos mercenarios inveniri, Sed bonos Pastores, cùm sciatis, tum non minimum periculum incumbere, si non hortati fueritis fratres nostros stare in fide immobiles, ne præceps jam ad idololatriam funditus eradicetur fraternitas.*

Hic in libro de unitate Ecclesiæ: *Et Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Et hoc ipsum canit Ecclesia in præfatione Festi Apostolorum: *Te Domine suppliciter exorare, ut gregem tuum Pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos continua protectione custodias, ut eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præesse Pastores*, non unicum Pastorem universalem.

Quidquid id est, epistolæ nostræ argumentum absolvit, non Cyprianus, quanquam & ipse posset in epistola LII. ad Antonianum, ubi Cornelium Romanum Pontificem COEPISCOPUM suum appellat: Sed absolvunt Ephesinæ Synodi acta, in quibus & Celestinus Papa Cyrillum nominat COEPISCOPUM suum, & Cyrillus ac Synodus ipsa Celestinum nominant & suum COMMINISTRUM & COEPISCOPUM.

Cœlestinus quidem in epistola ad Nestorium: *Sancti fratris & COEPISCOPI mei Cyrilli probatissimi Sacerdotis per filium meum Possidonium Diaconum talia de te scripta suscepimus.* Deinde in epistola ad Clerum & po-
62 pulum Constantinopolitanum: *Sicut relatio sancti fratris & COEPISCOPI mei Cyrilli per filium meum Possidonium Diaconum missa patefacit.*

Cyrillus verò & Synodus ex Ægypti provinciâ congregata in epistolæ ad Nestorium capite II. *Quod sanè nisi juxta tempus in literis Celestini sacratissimi reverendissimique fratris & COMMINISTRI nostri Romanorum Episcopi expressum præfinitúmque præstiteris, certò scias, nullam tibi deinceps cum Episcopis & Sacerdotibus Dei sortem, nullam tui rationem, nullum denique inter eos locum futurum esse.* Et paulo pòst: *Nam & hujus quoque exauctorationis in epistola, quam ad magnum Romæ sanctissimum fratrem & COEPISCOPUM* [illegible] *nostrum Celestinum scripsisti, fit mentio.* Tum in epist. ad Juvenalem Hierosolymorum Episcopum: *Nestorius scripsit ad Romanæ Ecclesiæ Episcopum Celestinum Dominum fratrem & comministrum* [illegible] *meum.*

Postremò Ephesina Synodus in actione III. *Coacti per sacros canones & epistolam sanctissimi Patris nostri & COMMINISTRI Celestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi lacrymis subinde perfusi ad lugubrem hanc contra eum* (Nestorium) *sententiam necessario venimus.* Et rectè quidem: Nam Cyrillus in Apologetico ad Theodosium Imp. scribit de Episcopis; *Quòd sint constituti à Deo speculatores, ut populorum curam gerant.*

Sunt igitur Celestinus, Cyrillus, Juvenalis Episcopi, cæteri Comministri, Coepiscopi, & Compastores omnes. Ita ut qui nuper scripsit, *Petrum*, ac proinde Petri successorem Rom. Pont. *à Christo constitutum fuisse*
63 *unicum Pastorem universalem*, assertæ per Romanos Pontifices XL. per Patres, per Ephesinam Synodum traditioni adversetur, & inciderit in errorem illum gravissimum, quem Gregorius duodecies, nimirum in libri IV. epist. XXXII. ad Mauritium Aug. in ejusdem libri epist. XXXIV. in ejusdem libri epist. XXXVI. ad Eulogium Alexand. & Anastasium Antioch. in ejusdem libri epist. XXXVIII. ad Joannem Constantinop. in libri VI. epist. IV. ad Cyriacum Constantinop. in ejusdem libri epist. XXII. ad Anastasium Antioch. in ejusdem libri epist. XXVIII. ad Cyriacum Constantinop. in ejusdem lib. epist. XXX. ad Mauritium Aug. in ejusdem libri epist. XXXI. ad Eulogium Alexand. & Anast. Antioch. in libri VII. Indict. I. epist. XXX. ad Eulogium Alexand. in ejusdem libri Indict. II. epist. LXX. ad Eusebium Thessalonicensem, & in libri XI. epist. XLVII. ad Cyriacum Constantinop. profligavit & profligatum agnoverunt successores Gregorii tres, Hadrianus I. in epistola ad Constantinum & Irenem, quæ actione IV. Synodi VII. & lecta & approbata est, Nicolaus I. in epist. ad Hincmarum & alios Archiepiscopos & Episcopos Galliæ, Leo IX. in epist. I. ad Michaelem Constantinop. Episcopum.

Prætermitti verò nequit, nuperi scriptoris errorem esse manifestiorem eo, quem Gregorius. Hadrianus, Nicolaus, & Leo tam acriter damnarunt. Constantinopolitanus enim Episcopus non inscribebat se unum vel unicum universalem Episcopum, sed ex eo, quòd inscriberet se universalem Episcopum, Gregorius inferebat, illum futurum esse unum Episcopum: Quo pacto cæterorum Episcoporum potestatem funditus eversum iri magnopere pugnabat.

Sed nuperus scriptor Petrum, ob idque Petri succes- 64
sorem conceptis verbis, *Unicum Pastorem universalem* appellat: Et sic ille majori quàm Joannes Constantinop. Episcopus reprehensione dignus. Mox cùm novam & inauditam omni retro tempore propositionem Christi verbis apud Joannem, *ut fiat unum ovile & unus Pastor*, corroborat, incurrit in Tridentinæ fidei professionem, qua tenemur Scripturam sacram juxta unanimem consensum Patrum interpretari & accipere. Non interpretatur, non accipit. Profectò mirum est, Theologum tam Lyncæum in tanta luce tantum offendisse, necdum è tantis tenebris emersisse, & sese, ut spes erat, correxisse.

Hæc autem omnia cùm ita sint, manifestè liquet, relatum initio Bellarmini argumentum cum explorata Romanæ Ecclesiæ, Patrum & Ephesini Concilii traditione dimicare, & eam ob causam vitiosissimum esse: Deinde auctorem illum in formando argumento Tridentini Concilii decretum sprevisse, cùm Scripturæ locum, *Pasce oves meas*, juxta unanimem consensum Patrum neutiquam exposuerit: Tum eundem auctorem, ut Curiæ placeret, irritam fecisse fidei professionem, qua sese ad exponendam eo modo Scripturam obstrinxerat. Non repeto insidias, quæ animis in argumento tenduntur: has suprà deteximus & apertam in lucem ita prodidimus, ut nemini officere & incommodare possint. Bellarmini argumentum probare potest, collectis in Synodum ovium Christi Pastoribus non errandi privilegium convenire, sed uni seorsum ab illis convenire, tametsi primus sit ac præcipuus, probare non potest.

Tu verò quem natura tam acutum & perspicacem 65
reddidit, animadvertis, quæ & qualia commissa sint peccata, ut nova opinio, quam turpis adulatio peperit, adversus Romanæ Ecclesiæ traditionem & Patrum sententiam inducatur. Romanæ Ecclesiæ traditioni & Patrum sententiæ adhæreamus irrevocabili consilio, & eminentissimam in tanta nube Pontificum, qui alios Episcopos toties appellant suos COEPISCOPOS, simplicitatem, Curialium nugarum expultricem, & assentationis cujuscumque deletricem, omni studio colamus & observemus. Petrum Cambutum Aurelianensem Episcopum, honestatis totius exemplar ex me saluta. Vale. Lutetiæ Parisiorum VII. Idus Augusti MDCLXVI.

Joan-

Joannes Launoius THOMÆ FORTINO,

Parisiensi Theologo, *& Harcuriani Collegii Provisori.*

1 PRODIIT nuper in lucem certa quædam Fratris Vincentii Baronis, Dominicani, farrago, quæ sic inscribitur: *Libri quinque Apologetici pro Religione, utraque Theologia, moribus, ac juribus ordinis Prædicatorum, adversus Theophili Raynaudi tres, totidem Petri de Alva libros, aliquot Epistolas Joannis Launoii, expostulationes Curterii, aliósque.* Cùm & mei & veritatis amici in inscriptionem hanc conjecerunt oculos, immanem hominis istius mirati sunt audaciam. Nempe probè noverant in Epistolis meis scripsisse me nihil, quod ad religionem, utramque Theologiam, mores, ac jura Ordinis Prædicatorum attineret: Tantum abest, ut in epistolis meis religionem, utramque Theologiam, mores, ac jura Ordinis Prædicatorum læderem. Quinetiam nonnulli sciebant è contrario, me aliàs cujusdam Theologicæ quæstionis confecisse historiam, in qua honor debitus & Beato Thomæ & universo Prædicatorum Ordini asseritur, & vindicatur. Hæc edita non est, quia edendi tempus nondum venit: Veniet, quando rerum omnium arbiter præpotens Deus voluerit.

Senserunt uni, spernendum esse scriptorem, qui calumniari sibi tantùm proposuit, qui quem rationibus
2 non potest, convitiis lacerat; calumnias & convitia esse arma illorum, non qui vincunt, sed qui vincuntur: Victores, lixis, calonibus, invalidisque militibus id solatii tribuere, quod illi fugiendo contra eos impune declamitent & debacchentur.

Senserunt alii, Baronem invectione sua demonstrasse, nihil esse tam certum, cui futiles quædam rationes opponi non possint; absurdo & perridiculo examine suo nostras non infirmasse epistolas, sed confirmasse potiùs; objectionem ex imbelli telo vires acquirere, & eam ob causam Baroni gratias agi posse.

Senserunt quidam hominem vanum debitis cætero quin abusurum esse gratiis, quæ agerentur. Adduxerunt initium operis, quod sanctus Hieronymus contra Helvidium composuit: *Nuper*, inquit Ecclesiæ Doctor, *rogatus à fratribus, ut adversus libellum cujusdam Helvidii responderem: Facere distuli, non quòd difficile fuerit hominem rusticanum, & vix primis quoque imbutum literis super veri assertione convincere, sed ne respondendo dignus fieret, qui vinceretur.* Hieronymi verba hæc temperarunt ita, ut rejectis, quæ Helvidii doctrinam respiciunt, attenderint duntaxat, quæ personam, & personæ dotes literarias. In libris enim quos de morali Christianorum disciplina adversus corruptores illius edidit, sacra eruditio nulla, Ecclesiastica eruditio nulla comparet. In rebus quas decidit, Scripturarum auctoritati, Conciliorum Canonibus, Pontificum Decretis, Sanctorum Patrum testimoniis, Ecclesiasticæ traditioni nihil tribuit, sed omnia humanis &
3 Philosophicis subjicit rationibus, quæ quia conjecturas oppositas non superant, legem nullam imponunt agendi sic, vel aliter agendi licentiam dant & impunitatem. Moralem Christianorum disciplinam ita tractare, prodidisse est. Nullam ille pæne sert differentiam, qua secerni à Judæorum & gentilium ethica, & internosci possit, etiam adhibita diligentia.

Tu verò variis doctorum & cordatorum amicorum sententiis cùm expenderes, iniisti consilium, quod mihi satis arrisit. Scilicet maledicta reddenda non esse pro maledictis, quia Christiana prohibet religio; Baroni illam sufficere malitiam; non esse agendas ob frivolum Epistolarum nostrarum examen gratias, ne frater ventosissimus & gloriæ cupidus inflétur ampliùs; non esse quoque respondendum, quia auctor re & nomine Baro solidi nihil, eminentis nihil, expressi nihil tradit, quod responsionem exigat. Sic removebitur victoria, quam victus de seipso referret. Temperatis igitur, quæ relatæ sunt opinionibus indiculum variorum Baronis errorum texendum esse censes. Censeo & ego tecum. Baronem pedetentim sequar, in Epistolarum nostrarum examine, quod ille sine ulla regularum Ecclesiasticæ criticæs notitia suscepit.

CAPUT I.

De mea erga Beatum Thomam observantia.

VAriorum Baronis errorum indiculo, quem texere aggredior, præstruenda mihi est observantia, 4
qua Beatum Thomam ego semper prosecutus sum, etiamsi Parisienses Theologi in Doctoris hujus placita non jurent, aut illius dictis commodam expositionem impertiri debeant. Cùm anno M. DC. LIII. de varia Aristotelis fortuna scriberem, & in libri nostri capite VI. fortunam illius tertiam exequerer, necesse mihi fuit meminisse decreti, quo Gregorius IX. ad annum M. CC. XXXI. Parisiensibus Magistris legem hanc imposuit: *Adhuc jubemus, ut Magistri artium unam lectionem de Prisciano, & unam post aliam ordinariè semper legant, & libris illis naturalibus, qui in Concilio Provinciali ex certa scientia prohibiti fuere Parisius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati.*

In capite VII. necesse quoque mihi fuit, ne [illegible] argueret, notare, sanctum Thomam in vetitos & nondum expurgatos Aristotelis libros commentaria edidisse. Sed tunc Doctorem sanctum excusavi hocce modo: "Illud Thomæ factum accipiant alii, quomodo voluerint: Omnino meus erit, qui benigniùs "accipiet. Ego interim hanc in partem sic interpre"tor; vel quòd Thomas alibi, quàm Lutetiæ Com"mentaria hæc scripserit, seque à Provincialis Con"cilii decreto, & ab imposita per Gregorium IX. Pa"risiensi Academiæ lege immunem esse crediderit; "vel quòd cùm Lutetiæ commentaretur, Concilii "decretum, Gregoriique legem penitus ignoraverit. "Adjicio: De reliquo rationes meas, quibus purgan"dus mihi visus est Thomas, eatenus præsto, quate"nus ab aliis plausibiliores exponantur. Exspectabam 5
in dies, ut Baro noster, vel alius quivis, quod mihi deesse potest, liberaliter suppleret. Mea me fefellit exspectatio. Supplevit ille nihil, quod pro modulo meo feci, dissimulandum esse duxit, ne mihi gratias ageret.

Verumenimverò si quid ego Thomæ simile fecissem,

non excusaret me vir bonus: Sed undique conquireret convitiorum plaustra, quæ in me conjiceret, ut se Romæ commendabilem, & ingenti mercede dignum efficeret, quippe qui Pontificiam legem egregiè tutatus esset, & illius violatorem in schismaticorum numerum amandasset. In summa, quidquid est in exemplo malo criminis, id mihi pro ingenio suo impingere veritus non esset.

In explicata Beati Thomæ purgatione mea non sistit observantia. Progreditur ulterius in priori ad Antonium Faurum, epistola, quam habet pars prima Epistolarum nostrarum, de excerptis ex quart. sent. dist. XXIV. quæst. III. art. 10. ex libro contra impugnantes religionem, ex Opusculo contra Græcorum errores, testimoniis, quæ Cyrillo Alexandrino subjecta esse pugno, sanctum Thomam sic excuso.

"Beatus Thomas ætatis annum agens XXV. qui "Christi annus est M. CCXLVIII. Magistri sententias interpretari cœpit & commentariis illustrare. "Hinc sub Alexandro IV. qui anno M. CCLXI. excessit a vita, librum contra impugnantes religionem "composuit. Tunc in Parisiensi Academia exarsit in-
6 "gens illa contentio, quæ ut Thomam ita & Bonaventuram ad scribendum impulit. Mox sub Urbano "IV. qui anno M. CCLXIV. mortem oppetiit, ad confutandos Græcorum errores aggressus est, & tractatum "suum huic Pontifici nuncupavit. Sic Doctor sanctus "cùm esset junior Theologus, imponi sibi passus est "ab eo, qui relata testimonia Cyrillo Alexandrino "supposuit. Verumenimverò cùm ad maturiorem pervenit ætatem factus doctior & cautior, testimonia "hæc pro derelicto habuit, & silentio deprehensæ, "vel saltem olfactæ falsitatis indice suppressit. Deinde recensitis quæstionibus, ubi Thomas Cyrilli testimonia adhibere debuerat, si tum credidisset vera esse, prætermisit tamen; subjicio: "Prætermissionis "causa, quæ? Nisi quòd Thomas factus consultior "falsitatem subolfecit, quam minùs consultus olim "subolfacere non potuerat. Et hoc ipsum est, quod "respondetur objicientibus fuisse tempus quo Thomas "Virginem Mariam ab omni originali & actuali peccato liberam & immunem extitisse scripsit. Sed frater Baro nunc mihi culpæ vertit, quod Ordinis sui Theologorum factum executus in alia materia fuerim. O imprudentem hominem, qui Ordinis sui Theologos per latus meum ferit. Immo & Paulum IV. Romanum Pontificem, qui mihi facem prætulerat, cùm aliquando tractaret, utrum ipse posset matrimonium solvere, quod per verba de præsenti inter Franciscum Mommorantium, & Joannam Hallynam Piennæam contractum fuerat. Sic autem in illo tractatu se res habet: *Consentiunt opinando excepto E-*
7 *piscopus nomine Antoniellus, vir admodum senex & veneratione dignus, qui contrariam in sententiam discessit, & paucis decidit, Pontificem matrimonium istiusmodi posse dissolvere: Cui Pontifex respondit, se pro attributa sibi potestate tanta gratias nullas agere: Sed quia Episcopus hic nonnullis sancti Thomæ testimoniis usus fuerat, subjunxit Pontifex, beatum Thomam potuisse, cùm esset junior multa dicere, quæ factus cum ætate doctior, revocaverat: Beatum insuper Paulum dicentem induxit: Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: Quando autem factus sum vir, evacuavi ea, quæ erant parvuli: Deinde addidit: Ego non sine causa vos hac de re moneo: Sed ut ex illis qui deliberaturi sunt, nullus fundamentum in iis rebus, quas sanctus Thomas, cùm esset junior, docuerit, constituat.* Hæc describo longiùs in epistola ad Joannem Gerbasium, quæ est in parte tertia Epistolarum nostrarum. Non ego solus igitur à Barone verberor, sed mecum omnes Dominicanæ familiæ Theologi, & Paulus IV. Verberati nos omnes vestigia Baronianæ ostendimus sævitiæ.

Persequor certiora meæ erga sanctum Thomam observantiæ indicia: Sic paullo post mediam ad Faurum epistolam: "Mihi non est animus mortalium ulli dicam malæ fidei scribere; Absit, ut in [illegible] "jura invadam, historicè loquor & dissero. Amicus "quidem Plato, sed veritas amicior. In posteriori ad Christophorum Fauvæum epistola, quam habet pars tertia Epistolarum nostrarum, ea scribo quæ sancti Thomæ discipulorum nullus meritò rejiciet. "Hic
"(Thomas) etsi aliquando vetera novè tractaret, o- 8
"pinionis tamen novæ auctor sponte non erat, in iis "potissimùm quæ receptam Ecclesiæ rectionem attinerent. Quò fit, ut si quid in Thomæ dictis extra "sui temporis traditionem & fidem decurreret, comprimendum & ad illam revocandum esset, ne fieret "auctor opinionis, cujus auctor esse sciens & prudens "nollet.

"Deinde in secunda ad eundem Faurum epistola "sub finem: Utinam pronunciare mihi liceret, subjectum, quo de agimus, Cyrillo testimonium, ab alio, quàm à sancto Thoma Catenæ Patrum inditum "esse.

"Tum in media vel ferè media ad Paulum Ratuynum Epistola: Hactenus expensæ sunt duodecim testimonia, quæ insincerus aliquis homo Thomæ suppeditavit. Non enim credimus Doctorem sanctum "mala fide tractasse quæstionem, quam tractandam "susceperat.

His solemne adjicio sacramentum, quo religiosè juro in beati Thomæ doctrinam omnem, quam convenienter definitæ sic à se Theologiæ Scholasticæ tradidit: Primùm quidem in prima parte quæst. I. art. II. *Sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet scientia est Dei & beatorum. Unde sicut Musica credit principia sibi tradita ab Arithmetico: Ita doctrina sacra credit principia sibi revelata à Deo.* Deinde in art. VII. ad secundum: *Sacra doctrina utitur auctoritatibus canonicæ scripturæ propriè ex necessitate argumentando, auctoritatibus verò aliorum Doctorum Ecclesiæ quasi argu-* 9
mentando ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, siqua fuit aliis Doctoribus facta. Hæc est methodus tradendæ Theologiæ Scholasticæ, in quam juro, & propter sancti Thomæ honorem non juro in aliam, quæ ab illa dissentiret.

Si frater Baro sancti Thomæ methodum hanc recipiat, captus est, quia velit nolit concordabit mecum: Si rejiciat, nullius & pretii nullius sunt opera, quæ hactenus in lucem emisit: Siquidem in iis omnibus & Scripturæ sacræ & sanctorum Ecclesiæ Doctorum auctoritates desiderantur, & desiderabuntur tamdiu, quamdiu extra veræ Theologiæ principia scribere, quomodo scripsit hucusque, & extra caulas illas balare persistet.

Quidquid id est, præstitum à me sacramentum, & relata mox meæ erga sanctum Thomam observantiæ testimonia sunt mihi instar amuleti, quo me meáque defenderem, etiamsi oppugnarer ab illo spiritu nefario, cui calumniatoris nomen in Scripturis impositum est.

CAPUT II.

Baronis titulus librorum Apologeticorum, & exordium ab impacta mihi calumnia.

IN titulo me illorum, qui religionem, utramque Theologiam, mores, ac jura Ordinis Prædicatorum impugnant, numero adscribit, & in libri I. sect. 10
II. paragrapho III. cui titulus est: *Vindicatur Divus Thomas à calumnia falsi contra Joannem Launoium:* Et paullo pòst, *Launoius falsò ex inscitia aut mala fide*

nostra

nostra familia summum decus & quintum Ecclesia Doctorem traducit, literatiùs scriberet, accusat. Hic crimen duplex est, quod frater Baro mihi impingit: Sed quia illud, nec probat nec probare potest, merus calumniator habendus est. Adhæc innocentia mea vehementer confirmatur ex eo disputandi modo, quem cùm de beati Thomæ rebus agitur, servandum esse censui, ut superiori capite visum est. Atque ita semel atque iterum cecidit Cantherius in porta. Semel quidem, cùm in librorum quinque Apologeticorum inscriptione nomen meum apparere voluit: Iterum verò, cùm Epistolarum nostrarum examine ab insigni mendacio exorditur. De utraque calumnia Theophilum Raynaudum, & Amadæum Guimenium amicos suos Baro consulet, cùm apud ipsos confessione sacra universæ vitæ noxas expiare decreverit.

CAPUT III.

In una periodo sat longa multiplex error Baronis, & consilium pessimum.

HÆc est hujusmodi in eodem paragrapho 111. *Moderatissimè de scriptis contra Divum Thomam Epistolis in auctoris gratiam pronunciaverim, si illius generis scriptionibus accenseam, à quibus nisi nimium sua adamaret, aut penes se esset, scripturiendi cacoe-*
11 *tom*, scribendi debuit cacoethem, *cohibere, præstitisset supersedere, aut inter amicos pati, ut tantùm legerentur, quia magis promptum & justius erat, Divum Thomam ob tanti nominis & maximorum in Ecclesiam meritorum reverentiam defendere, quàm illi quidquam impingere præter maximi Theologi officium, aut Theologorum principis dignitatem fuisse admissum.* Et primò quidem non obscurè significat, beatum Thomam, extra communem Ecclesiasticorum tractatorum sortem positum esse, ita ut examinari non debeant, quæ scripsit. Hoc in loco ignorat vel dissimulat, quæ Augustinus opportunè sapienterque juxtà tradit in Epistolæ XIX. ad Hieronymum capite 1. *Ego fateor Charitati tuæ, solis eis scripturarum libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. At si aliquid in eis offendero literis quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel minimè intellexisse non ambigam: Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt: Sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quòd à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate & veraci de temetipso cogitatione, qua nisi esses præditus, non utique*
12 *diceres, Utinam mereremur amplexus tuos, & collatione mutua vel doceremus aliquid, vel disceremus.* At frater Baro inscite nugatur, si contendat, id à me debuisse erga sanctum Thomam fieri, quod sanctus Augustinus erga canonicorum librorum auctores faciendum sibi esse duxit. Quis istud animo æquo ferat? Ego tamen ut ex superiori capite liquet, nonnihil feci, quod ad sancti Augustini dictum & factum accedit, & nihilominus à Barone vapulo. Quia putat, me sancti Thomæ libris eum non deferre honorem ac reverentiam, quam Augustinus canonicorum librorum auctoribus deferendam esse censet.

Deinde calumniatur turpiter, cùm ait, me contra sanctum Thomam Epistolas scripsisse. Calumniam hanc ante oculos statuunt duo: Unum est caput primum, in quo meam erga Doctorem sanctum observantiam expono: Alterum est nostrarum Epistolarum, in quibus de beato Thoma tractatur, lectio. In iis de beato Thoma nunquam conqueror, sed de illis tantùm, qui Cyrillo subjecerunt testimonia, & subjecta Thomæ tunc juniori Theologo suppeditaverunt.

Adhæc calumnia Baronis ex eo confirmatur ampliùs, quòd spectata scribendi ratione mea, contra Thomam scribere non potuerim. Nam præ me fero Doctorem sanctum, cùm factus eruditior Theologiæ summam adornaret, laudatorum à se, cùm esset iunior, Cyrilli testimoniorum falsitatem deprehendisse, aut certe subolfecisse, nec ob id illis usum esse, quando vel maximè uti debuit. Igitur frater Baro calumniator est.

Porro autem cur Epistolas hac de re conscripse- 13
rim, in causa fuit Jacobus Vernantius, cujus errores Facultas Theologiæ Parisiensis confixit. Hic auctor non semel obtrudit relata apud sanctum Thomam Cyrilli testimonia, quibus innixus in Ecclesiasticam Hierarchiam invasit, & primi ac secundi ordinis Sacerdotum munera, dignitatem & jura pessum dedit, & damnatos olim à facultate Theologiæ errores instauravit. Quinetiam in literarum mearum exorsu moneo, me ante annos tres de laudatis à sancto Thoma Cyrilli testimoniis judicium tulisse, scilicet cùm in tertia parte operis, quod *Assertio inquisitionis in Samedardensis Monasterii privilegium* inscribitur, Brunonis Chassagnii librum de Regularium omnium ab Episcopis exemptione refellerem. Hæc omnia versipellis frater Baro dissimulat, quò faciliùs calumnietur, & apud homines impuniùs, apud homines dico. Nam apud Deum Guimenianæ probabilitatis jure utetur, experieturque.

Tum maxima beati Thomæ in Ecclesiam merita vir inconsultus oppignerat in defensionem relatorum à beato Thoma Cyrilli testimoniorum, quorum ipse Thomas falsitatem progressu temporis odoratus est, & rejecit tacitus, cùm ad Pontificiæ dignitatis probationem vel maxime insumenda erant, ut in priori ad Antonium Faurum Epistola planum facio.

Quartò frater oblivisscitur, maxima beati Thomæ in Ecclesiam merita non effecisse unquam ut illius auctoritas sola admitteretur ab omnibus, vel illius placita pro certis dogmatibus haberentur.

Durandus ex Ordine Prædicatorum Parisiensis The- 14
ologus, & apud Avenionem sacri Palatii Magister Thomæ libros discussit, & plerisque in locis acriter refellit. Sed audienda est illius in Magistrum sententiarum præfatio: *Modus loquendi aut scribendi in cæteris, quæ fidem non tangunt, est, ut magis innitamur rationi, quàm auctoritati cujuscunque doctoris, quantumcunque celebris vel solemnis, & parvipendatur omnis humana auctoritas, quando per rationem etiam elucescat contraria veritas. Quamvis enim captivandus sit intellectus noster in obsequium Christi, ut in his quæ tangunt fidem, plus acquiescere debeamus auctoritati sacræ Scripturæ, quàm cuicumque rationi humanæ, quia divina notitia, quam exprimit sacra Scriptura, plus excedit humanam notitiam, quàm humana notitia bestiales: Tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in insipientiam bestialem: Comparatus fit jumentis insipientibus.*

Durandum sequitur Facultas Theologiæ Parisiensis, cùm ad annum M. CCC. LXXXVII. contra Joannem Montesonum tractatum, seu causæ suæ conjectionem edidit, in qua Thomam de multis erroribus accusat. Tractatus, seu conjectionis huius excerpta Magistri sententiis attexuntur, & ibi commodè legi possunt. Sed legatur duntaxat unum hoc: *Sextum exemplum potest poni de quibusdam doctoribus, qui non sunt sancti canonizati, sicut venerabilis Anselmus Cantuariensis Episcopus, Hugo de sancto Victore,*

& quidam alii, quorum dicta, vel scripta in aliquibus
15 *reperiuntur erronea, & tamen eorum doctrina non minus videtur esse authentica, quàm doctrina sancti Thomæ, cùm ipsi communiter in actibus Scholasticis à scientificis allegantur auctoritativè, nec solent negari; Sed eorum dicta reverenter glossari & exponi: Quod tamen Scholastici nondum consueverunt facere de dictis sancti Thomæ, & ideo præsumptuosum videtur ejus doctrinam super ipsos & alios doctores sic extollere, quòd non liceat credere, aut asserere ipsum in fide errasse, sicut & alii errarunt.*

Facultatem Theologiæ sequitur Judocus Clichtoveus Parisiensis Theologus in Epistola nuncupatoria, quæ libro Jacobi Fabri Stapulensis de Magdalena præfigitur: *Adde*, inquit, *aliquos esse, qui nonnisi suo credunt consilio, & quod semel asseruerunt, volunt oraculo solidiùs haberi. Alii auctoritatulæ unà, aut unius scribentis dicto, ut equus capistro retinentur, & cæteros aspernantur, qui ea de re aut scripserunt, aut dixerunt, aliàmque spernunt rationis indaginem, & hi admodum probandi non sunt.*

Huc spectat Joannes Major Parisiensis quoque Theologos, cùm in Commentariis ad librum II. sent. dist. XXX. quæst. IV. anno M. DX. editis sic loquitur: *De Doctoribus pudet loqui; multi eorum magis sunt doctrinæ vel dictis potiùs suorum doctorum addicti, quàm famatissimis sanctis Patribus pariter ac eruditissimis: Dummodo manu teneant suos, non est iis curæ quid senserit Augustinus, &c.* Deinde in quart. sent. dist. XV. quæst. XXXVIII. *Thomistas omnes non supputo præter solum beatum Thomam. Ratio: Erant addicti jurare in verba magistri.*

16 Ne sint omnia hæc, videtur ignorare frater Baro, quod nullus ignorat, sancti Thomæ auctoritatem in scholis Minorum Scoti auctoritati postponi, & Thomæ ejusdem placita & rationes discuti, & sæpissime confutari. At ego licèt Durando, Facultati Theologiæ, Clicthoveo, Majori, Scoti discipulis simile nihil fecerim, dixerim, aut scripserim, perinde tamen à Barone excipior, quasi simile quid fecerim, dixerim, aut scripserim. O hominis iniquitatem!

Sed patefaciendum est modò pessimum illud consilium, quod his verbis, *magis promptum & justum erat, Divum Thomam (quintum Ecclesiæ Doctorem) ob tanti nominis, & maximorum in Ecclesiam meritorum reverentiam defendere, quàm illi quidquam impingere*, concepit. Universam Thomæ doctrinam ita commendat, ut non liceat cuiquam quæstionis hujus vel illius articulum hunc vel illum rejicere. Quo pacto volt frater nos cogere ad recipienda placita, quæ Thomas duabus in quæstionibus tradit. Prior est in secunda secundæ num. decima, ubi art. X. quærit. *Utrum infideles possint habere prælationem seu dominium supra fideles:* Posterior est in eadem secunda secundæ num. duodecima, ubi art. II. quærit, *utrum princeps propter apostasiam à fide amittat dominium in subditos, ita quòd ei obedire non teneantur.* Instaurare conatur frater Baro, quod ante annos sat multos frater Biarotus instaurare non potuit, sed quia voluit, à Theologiæ Facultate, cujus erat Baccalarius, cum infamia pulsus est. Sic patefactum est
17 nefarium Baronis consilium, à quo purgari nunquam poterit, nisi doctrinam traditæ in duobus illis articulis doctrinæ contrariam scripto profiteri velit. Qua de re viderint, quorum est prospicere, ne quid respublica detrimenti ex Baronis consilio capiat. Ad me quod attinet, traditam his in articulis doctrinam rejicio, quia illi non convenit Theologiæ definitio, quam in cap. I. ex beato Thoma retulimus. Hoc autem notandum fuit maximè, ne viderer à sacramenti mei lege recedere. Non recedo, nec Deo bene juvante recedam.

CAPUT IV.

Dissimulat frater Baro prioris nostræ ad Faurum Epistolæ seriem, quò calumnietur confidentiùs. Hinc de beati Thomæ scientia detrahit.

Illius verba sunt, quæ præcedentia consequuntur. *Nam si veris agere liceat, nec causa malignè invertatur, aliud nihil potuit illi vitio imputari, quàm quòd Urbano IV. jussa, id est, examen aliquot ex Patribus Græcis testimoniorum præcipiente sincerissimè paruerit, semoverit ab illis locis, quæ aliquam erroris aut vocis insolentis auribus Romanis speciem præferrent, nec quasi falsa proscripserit, quæ falsi convincere non poterat, nec aliqua similitudine carebant, sed sua passus probabilitate frui, neque in majus à se aucta partium studio, nec nimia morositate (qualem ubique affectat adversarius) imminuta.*

Et primùm ego in priori ad Faurum Epistola, 18
quod necessariò observandum est, observo, beatum Thomam magnificentiora Cyrilli testimonia laudasse multò priùs, quàm Urbanus IV. Sedi Apostolicæ præsideret: Id suprà demonstravi in cap. I. quasi verò Urbanus IV. fuisset tunc Romanus Pontifex, cùm Thomas in quartum sent. Commentarios edidit, & librum contra impugnantes religionem scripsit. Quidquid id est, frater inclementioris manus & styli dissimulat, quod apud æquos rerum æstimatores minimè dissimulandum fuit. Dissimulat verò, quò calumniæ locus detur liberior. Et quamvis Cyrilli testimonia, quæ Thomas in quart. sent. & in Opusculo contra impugnantes religionem adducit, in Opusculo contra Græcorum errores, quod Urbano IV. inscribit rursus adducat, inde tamen non sequitur scribendum sic esse, ut Baro scribit, quasi jam tum primùm sanctus Doctor Cyrilli testimonia laudaverit, cùm in Opusculo contra Græcorum errores præcipienti Urbano paruit. Sed vir bonus & maledicendi peritus eo modo scribere voluit, qui ad impingendam mihi calumniam, ut mox dixi, esset commodior, & ad mentiendum in beati Thomæ gratiam aptior. Qua in re frater religione nulla, conscientia nulla, scrupulo nullo ducitur. Probabilitate nititur, contra quam ipse scripsit, homo ad exterminandam hypocrisim genitus.

Deinde beatus Augustinus ab illa morositate, cujus reum me facit Baro, me liberat in libri de Mendacio ad Consentium capite I. *In qua* (indagine) *si*
ullus error est, cùm ab omni errore veritas liberet, atque in 19
omni errore falsitas implicet, nunquam errari tutiùs existimo, quàm cùm in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falsitatis erratur. Qui enim severè reprehendunt, hoc nimium dicunt esse: Ipsa autem veritas fortasse adhuc dicit, nondum est satis.

Tum Baro pro circumspectione sua de beati Thomæ scientia & prudentia detrahit: De scientia quidem, cùm ait, *nec quasi falsa proscripserit, quæ falsi convincere non poterat.* De prudentia verò, cùm subjicit, *sed sua passus sit probabilitate frui, neque in majus à se aucta partium studio, nec nimia morositate imminuta.* Prudentis non fuisset Theologi, in iis, quæ ad fidem pertinent, recentioribus Græcis schisma suum ita foventibus connivere. Dogmata, quæ Thomas adversus Græcos illos confirmanda suscipit, prodidisset, siquidem passus esset, ut veterum Patrum Græcorum testimonia, quibus recentiores Græci ad constabiliendos errores suos abutebantur, probabilitate sua fruerentur, id est, in utramque partem aientem & negantem flecterentur, ne studia partium augeret, & morositatem morositati nostræ similem affectaret: O disputatorem egregium, qui Dominicanæ familiæ decus summum & quintum Ecclesiæ Doctorem facit proditorem dogmatum,

quæ

quæ in Opusculo contra Græcorum errores, pertractat. Et sanè Baro luculentius ostendere non potuit, beati Thomæ Opusculum contra Græcorum errores nec legisse se totum, nec si totum legerit, momentis suis expendisse, vel intellexisse. Præfationis par-
20 tem mediam legit, & quò pertineat, vir pluribus intentus non attendit. Verebatur, ne morositatem in examinando Thomæ Opusculo affectare judicaretur.

CAPUT V.

Frater Baro nonnihil à scopo digreditur, ut aliunde, id est, ab impugnatu à me Monasteriorum exemptionibus calumniandi ansam accipiat.

IN paragrapho III. impactas mihi calumnias persequitur, & eam ob rem inter Thomam & me comparationem instituit, & me ab eo dissimilem facit, asserens, *Thomam Monasteriorum plura à juribus longa nedum annorum, sed etiam sæculorum serie confirmatis non depulsurum, quia habebat meliora scribenda, & subodoratus etiam, ut erat emunctæ naris, aliquid incerti, aut minus verisimilis, ex medicorum præcepto malum benè positum, noluisset primus movere, atque ista traditione rata & firma, quæ nihil obsunt fidei, prosunt autem pietati, in disputationem revocare.* Calumnia vix alia fingi potest luculentior, postquam in Assertione Inquisitionis in Sammedardensis Monasterii privilegium part. III. Variorum cap. II. me & opus meum adversus maledicos ita præmunivi.

“Quoniam verò invidiosum argumenti genus tra-
“cto, operæ pretium esse duxi, mentem in eo meam
“sic aperire, ut ad faciendam mihi calumniam adi-
“tus omnis intercludatur. Imprimis protestor recipe-
21 “re me privilegia omnia, & immunitatum tabulas
“omnes, quæ canonica auctoritate fulciuntur, quæ
“utilitati Ecclesiæ prospiciunt, quæ de Ecclesiasti-
“cis Ordinibus & Canonum disciplinis promulgan-
“tur. Hæc de Leone I. & Gregorio VII. depromuntur.

“Deinde protestor penitus rejicere me privilegia “& immunitates omnes, quæ suppositæ sunt, aut in “quibus dandis subreptio vel obreptio intervenit. In “hac rejectione mecum exempti consentiunt omnes, “& necessariò consentire debent. Scilicet exemptorum nullus est, qui supposita vel fraudulenter impe“trata privilegia, & immunitates defendere ac tue“ri vellet. Ad explorandum subreptionis vel obrep“tionis vitium iis utor legibus, quibus Romani Pon“tifices utuntur, & cum primis Innocentius III. cu“jus verba paulo ante recensentur. In summa quid“quid ad explorandum subreptionis vel obreptionis “vitium usurpo, id totum ex Romanorum Pontifi“cum rescriptis derivatur. Accedunt Patres, Conci“lia, Theologi, qui Romanæ Ecclesiæ traditionem “ac disciplinam sequuntur. Quare qui methodum “istam negliget, Romanos Pontifices, Sedem Aposto“licam, Patres, Concilia, Theologos negligat, & se“orsum à Catholica communione sapiat, necesse est. “Quo ex capite nisi schismaticum se, profectò teme“rarium comprobabit.

In secunda parte Assertionis ejusdem Romanos Pontifices octoginta sex laudo, & pene innumerabiles auctoritates, quæ ex illorum scriptis colliguntur. Integrum, & sincerum rei exemplum præbeo in Gallico
22 examine privilegiorum & immunitatum, quas Monachi Monasterii sancti Germani Parisiensis objiciunt, ut se ab Archiepiscopi Parisiensis jurisdictione & obedientia subducant. In hoc enim opere non aliam Jurisprudentiam sequor, quàm quæ vel ab Romana Curia, vel ab Apostolica Sede præscribitur. Hoc pacto inobsequentes & nominibus falsis exempti constringuntur, nec viam qua in ordinem coguntur, declinare possunt, nisi conflato schismate Apostolicæ Sedi nuncium remittant.

Deinde ad hoc studii genus impulsus sum auctoritate Romanorum Pontificum, qui ex sacrorum canonum observatione totam Ecclesiæ pacem & concordiam pendere affirmant.

Romani Pontifices sunt Leo I. & Gregorius I. Ille quidem in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite IV. *Universa pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur.* Hic verò in libri XI. Epistola XLIV. ad Joannem Panormitanum Episcopum: *Illud autem admonemus, ut Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria, & canonum manet incolumis atque intemerata semper auctoritas.*

Tum impulsus sum testimonio Romanorum Pontificum, qui suas partes in eo sitas esse asserunt, ut quidquid adversus sacros Canones attentatur, funditus evertant.

Romani Pontifices illi sunt inter alios Lucius III.
& Innocentius III. Ille quidem in epistola ad Rai- 23
naldum Noviomensem Episcopum: *Ex suscepto tenemur administrationis officio ea, quæ juri & rationi obviant, prohibere, ne fiant, & si temeritate aliqua admissa fuerint, salubri consilio revocare, ut Apostolici moderaminis auctoritate quassentur, quæ contra statuta juris Canonici attentata noscuntur.* Hic verò in libri II. Epistola ad Cantuariensem Archiepiscopum: *Quæ in derogationem sanctorum Canonum attentantur, tantò potiùs infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.*

Quartò impulsus sum responsis Romanorum Pontificum, qui Sedem Apostolicam à sacrorum Canonum observatione nunquam in suis decretis recedere profitentur.

Romani Pontifices illi sunt Zacharias & Gregorius VII. Ille quidem in Epistolæ I. ad Bonifacium Archiepiscopum capite V. *De illo namque, qui viduam avunculi sui, quæ & ipsa fuit uxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, & à beatæ memoriæ prædecessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut eam in pernicioso matrimonio assumere debuisset: Absit ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive canonum institutis inveniuntur.*

Hic verò in libri II. Epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Solet sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis
decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditio- 24
nis discedere.*

Quintò impulsus Romanorum Pontificum decretis, quibus prohibent fieri ullam in Ecclesiastica disciplina mutationem, nisi quæ fiat in melius, non in deterius. Romani Pontifices sunt Bonifacius VIII. & Martinus V. Ille extra. de sent. excomm. *Alma mater Ecclesia nonnulla rationabiliter ordinat & consultè, quæ suadente subditorum utilitate postmodum revocat & in melius commutat.*

Hic verò in diplomate edito de statutis, quæ ab auditoribus Rotæ observari debent: *Romani Pontificis providentia circumspecta nonnunquam gesta per eum rationabilibus & honestis suadentibus causis moderatur, & commutat in melius, prout in Domino conspicit salubriter expedire.*

Hic autem recipio, aquam cum igne faciliùs posse consistere, quàm exemptiones plenas & perpetuas, plenas inquam & perpetuas, cum iis quæ Leo I. & Gregorius I. Lucius III. & Innocentius III. Zacharias & Gregorius VII. Bonifacius VIII. & Martinus V. tanta cum asseveratione pronunciarunt.

Denique impulsus sum exemplo sanctorum virorum Roberti Molismensis, Bernardi Claraevallensis Abbatis, & Francisci Salesii Gebennensis Episcopi, qui ab omnibus, sed praecipuè à Monachis coluntur.

Beatus Robertus, qui Cisterciensis Ordinis fundamenta jecit, apud Ordericum Vitalem sic loquitur in libro VIII. Ecclesiasticae Historiae: *Ibi* (in Burgundia) *tempore Philippi Regis Francorum venerabilis Ro-*
25 *bertus Abbas cœnobium condidit, & inspirante Spiritus sancti gratia discipulos magnae religionis aggregavit, studióque virtutum in sancta paupertate juxta usum aliorum Cœnobiorum competenter instruxit. Post aliquot annos, sancti Benedicti Regulam diligenter perscrutatus est, aliorúmque sanctorum documentis Patrum perspectis, fratres sic affatus est: Fratres carissimi, secundùm normam patris sancti Benedicti professionem facimus, sed ut mihi videtur, non eam ex integro tenemus. Multa, quae ibi reperiuntur, non observamus, ut sanctos patres fecisse legimus, si mihi creditis, ô amici! legite gesta sanctorum Antonii, Macarii, Pacomii, & ante alios omnes Doctoris gentium Pauli Apostoli: Abundantem victum & vestitum ex decimis & oblationibus Ecclesiarum habemus, & ea, quae competunt Presbyteris, ingenio, seu violentia subtrahimus. Sic nimirum sanguine hominum vescimur, & peccatis participamus. Laudo igitur, ut omnino Regulam sancti Benedicti teneamus, caventes, ne ad dexteram, vel ad sinistram ab ea deviemus, victum & vestitum labore manuum nostrarum vendicemus, à femoralibus vel staminis, pelliciisque secundùm regulam abstineamus, decimas & oblationes Clericis, qui Dioecesi famulantur, relinquamus, & sic per vestigia patrum post Christum currere ferventer insudemus.* Hinc in novo, seu Cisterciensi Ordine quicumque Abbas Episcopis sic praestat obedientiam: *Ego N. Abbas Cisterciensis Ordinis subjectionem & reverentiam & obedientiam à sanctis Patribus constitutam, secundùm regulam sancti Benedicti, tibi, Domine Episcope, tuisque successoribus ca-*
26 *nonicè constituendis, & sanctae Sedi Apostolicae, salvo ordine meo perpetuò me habiturum promitto.* Cap. ne Dei Ecclesiam. de simonia.

Beatus Bernardus in Epistola XLII. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Miror quosdam in nostro ordine Monasteriorum Abbates humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, quod pejus est, habitu & tonsura tam superbè sapere, ut cùm unum quidem verbulum de suis imperiis subditos praetergredi vix patiantur, ipsi propriis obedire contemnant Episcopis. Spoliant Ecclesias, ut emancipentur, redimunt se, ne obediant. Non ita Christus. Ille siquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, quam isti ut careant, totum ferè suum suorúmque victum expendunt. Quid est hoc praesumptionis ô Monachi!* Et quibusdam interpositis. *Certus sum ego Monachus, & Monachorum qualiscumque Abbas, si mei quandoque Pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quòd satanae mox tyrannidi meipsum subjicio. Advertens nimirum cruenta illa bestia, quae circuit quaerens quem devoret, elongatam custodiam, heu statim insilit in praesumptorem.*

Iterum in libri III. de Consid. ad Eugenium capite IV. *Nolo autem praetendas mihi fructum emancipationis ipsius? Nullus est enim, nisi quod inde Monachi dissolutiores fiunt.* Et paullo pòst: *Quae demum utilitas in sanguine isto? Vereor, ne illa quam in Propheta comminatus est Deus: Ille, inquiens, in iniquitate sua morietur: Sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si enim extollitur, qui subtrahitur, & cui*
27 *subtrahitur, uritur, qui subtrahit, quomodo innocens? parum est, involvimus ignem. Audi apertiùs. Si is, qui murmurat secundùm animam mortuus est, qui instigat quomodo vivit? Quomodo verè non reus mortis amborum & sua pariter, qui gladium dedit, unde ambo morerentur? Hoc est, quod dixeram: Occidisti & possedisti: Adde quòd qui audiunt, scandalizantur, indignantur, detrahunt, & blasphemant: Hoc est, vulnerantur usque ad mortem. Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia, quódque magis dolendum, inter Ecclesias inimicitias graves, perpetuásque discordias.*

Beatus Franciscus Salesius Gebennensis Episcopus, in libri I. Epistola XXX. ad Bellicensem Episcopum: Gallica verba sic Latina facio: *Et ego sanè causam obtinuisse te laetor. Quidquid enim alii dicant, vel adferant: Id erit Deo gloriosum maximè, ut Episcopalis ordo noster pro eo, quomodo institutus est, ac valet, agnoscatur, ut exemptionum muscus ex arbore Ecclesiae avellatur, ut exemptiones, quae corpori adhaerescunt Ecclesiae, putentur, atque comburantur. Notum est omnibus, quantum importarunt mali, ut sacrum Concilium Tridentinum rectissimè animadvertit.* Vir sanctus respectum habet potissimè ad sessionem XXIV. ubi cap. XI. *Privilegia & exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur.* Ex Moderato Junio Columella discimus, quàm egregia & efficax sit inter muscum 28
atque exemptiones comparatio. Sic enim ille scribit in libri IV. de re rustica capite XIV. *Jam verò muscum, qui more compedis crura vitium devincta comprimit, situque ex veterno macerat, ferro distringendus & eradendus est.* Quò autem spectaret exemptionum muscus, cùm intelligerent homines quidam Baroni similes, insusurrarunt Pontifici, Sanctorum numero adscribendum non esse, qui Monachorum exemptiones tam acriter reprehendisset, & condemnasset. Scilicet exemptionum reprehensor & condemnator in Pontificiam auctoritatem invadit. Accusationem hanc sprevit Alexander VII. & sprevisse se ultrò dixit Carolo Suessionensium Episcopo, qui rem memoratu dignam, ut mihi confirmavit, sic & aliis confirmare potest.

His tribus Sanctis adjicio Umbertum quintum Ordinis Praedicatorum Magistrum Generalem, qui haec appositè scribit in prima parte sermonum, sermone XVIII. ad Monachos nigros: *Aliud est exaltatio Ecclesiae, quae eos* (Monachos) *in dignitatibus Abbatum & privilegiis multis excellenter exaltavit, & ideo decepta est & confunditur Ecclesia ex eorum inhonestate.*

Haec pauca de multis, quae Baro nisi possit concoquere, devoret necesse est. Sed advertat insuper calumnias, quibus me lacessit, in Romanos Pontifices Leonem I. & Gregorium I. Lucium III. & Innocentium III. Zachariam & Gregorium VII. addo & Alexandrum VII. deinde in Robertum Molismensem Abbatem, Bernardum Claraevallensem, Franciscum Gebennensem Episcopum, & Umbertum Ordinis
Praedicatorum Magistrum Generalem penitus redun- 29
dare. Vide nunc ac circumspice, quot Pontifices summos, quot Sanctos frater inclementioris manus & styli pupugit, cùm unum me pungere voluit.

Sed non antè tollam manum de tabula quin observaverim, Baronem cùm ex aliis, tum ex eo maximè pugnare pro privilegiis & exemptionibus hujusmodi, quòd continenter oppugnet fundamenta duo libertatum regni & Gallicanae Ecclesiae. Prius est in commonitorio, quod apud Tridentinam Synodum Carolus Cardinalis Lotharingius, Legati Regis, Regni antistites, & Parisienses Theologi communi omnium consilio scripserunt, & quod Cardinalis ille Romam misit ad Britonem Secretarium & Procuratorem suum. Commonitorii verba sunt Gallica, quae Latinè sic verto. *Ego verè,* inquit Cardinalis, *negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiae alumnus, in qua Romanum Pontificem Concilio subesse tenetur, & qui docent ibi contrarium, is tanquam haeretici notantur.* Et paullo postquam dictum est, Gallos de vita

potiùs,

potiùs, quàm de sententia sua decessuros esse, subjicitur: *Privilegia, seu libertates regni in hac veritate posita sunt universa.*

Posterius est, Romanum Pontificem non posse regis subditos à fidelitatis sacramento absolvere. At qui contendunt, Pontificem illum posse privilegia & exemptiones, de quibus frater Baro disserit concedere, id ex eo tantum probant, quòd Pontifex Reges regno privare & illorum subditos fidelitatis sacra-
30 mento liberare possit. Sic Henricus Henriquez in libro VII. Moralis Theologiæ cap. XXIV. *Exemptio quædam persona, ut summi Pontificis à potestate sæculari, est de jure divino, quia neminem in terris habet superiorem: At personæ Ecclesiasticæ, ut regulares & clerici jure divino non sunt exempti in persona, seu causa criminali, cùm subjiciantur foro civili in quibusdam: Sed Pontifex jure suo potuit eos eximere, & in multis exemit, & fecit sibi & delegatis suis speciali ratione subjectos: Determinatio verò causarum, in quibus eximuntur, pertinet ad eundem Pontificem: Sic potuit Pontifex regulares omnes facere omnino liberos ab Episcoporum lege Diœcesana. In probatione consentiunt omnes ferè Catholici, qui tractant de potestate Papæ: Et hinc saltem indirectè habet potestatem temporalem supra omnes principes Christianos, & ex causa privat eos regno & imperio, ut probat Bellarminus libro v. de Romano Pontifice à capite VI.* Huc tota spectat auctoris ratiocinatio. Romanus Pontifex Christianos Principes regno & imperio privat ex causa, & illorum obedientiæ populares & cives subducit. Igitur Romanus Pontifex Presbyteros, Clericos, & Monachos Episcoporum jurisdictioni & obedientiæ, quam promiserunt in consecratione sua potest subducere. Bellarminus cùm ratiocinationis hujus antecedens triplici capite asseruit, de consequente dubitari non potest. Quidquid in causa, mihi & omnibus certum esse debet, Presbyteros, Clericos, & Monachos canonicæ Episcoporum potestati, jurisdictioni spirituali, & confirmatæ sacra-
35 mento obedientiæ subtrahi non posse, quin vel supra Concilium Romanus extollatur Pontifex, vel dicatur, Pontificem eundem posse cives & populares universos Regum potestati, jurisdictioni temporali, & confirmatæ sacramento obedientiæ subducere. Hac autem in re cum moræ & tergiversationi locus sit nullus, tandiu credemus meritò, Baronem velle fundamenta duo libertatum regni & Gallicanæ Ecclesiæ convellere, quandiu insigni quodam opere fundamenta duo illa libertatum regni, & Gallicanæ Ecclesiæ non tutabitur: Utinam libertatum istarum defensor sit publicus, qui occultus in hodiernum usque diem insidiator fuit! Utinam frater Baro exequeretur quod opto, & falli me crederem! Tunc error meus compensaretur illius scriptione de qua desperare me non posse vellem.

II. Porro autem medicorum præceptum hoc, *malum benè positum noluisset Thomas primum movere,* Ecclesiam graviter offendit. In corpus humanum quod interitui obnoxium est, transferri potest: in Ecclesiam verò, quæ corpus Christi est, & quæ similiter interitui non est obnoxia, transferri non potest. Quis enim præter improvidum & Ecclesiasticæ disciplinæ rudem hominem diceret, malum, id est, incerta vel falsa monumenta in Ecclesia benè poni? Nonne Ecclesia indefessum & summum adhibuit semper studium, ne dubii aut falsi Martyres vel Confessores colerentur, ne incertæ reliquiæ fidelium venerationi exponerentur, & ut omnis falsitas à divinis removeretur officiis? Id luculenter ostendimus in peculiari
32 quodam libello, qui *de cura Ecclesiæ pro Sanctis, Sanctorum reliquiis, ac sacris officiis ab omni falsitate vindicandis* inscribitur.

Heu mirum quantum abest frater Baro ab Augustini sententia, qui de vera religione cùm scriberet, non dubitavit asserere in cap. LV. *Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecumque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi potest. Melior est vera stipula, quàm lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata.* Dominicus Bannes ejusdem cum Barone Ordinis sapienter dixit in secund. secundæ quæst. 5. art. 55. dub. 11. *Nihil esse pium, nisi quod idem verum est.* Hoc vir prudens non dixisset, si ut Baro majoris vel minoris probabilitatis opinionum tricis innutritus fuisset. Ignorat frater, Tertullianum aliquando dixisse: *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex iis enim ferè consuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur.* Et paullo pòst: *Cæterum suo vitio quis quid ignorat: Quod autem ignoratur, tam requirendum, quàm recipiendum, quod agnoscitur.*

Tertulliano concinit illustris Ecclesiasticorum Annalium conditor Baronius, cùm ad annum CIX. sect. 21. pronunciat: *Jura veritatis sunt ampliora omni antiquitate, quippe quæ nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.*

Rem adversus Baronem absolvit Gregorius Magnus 33
in Homilia VII. super Ezechielem: *Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm ut veritas relinquatur.*

Baronis Magister S. Thomas in secunda secundæ, quæst. XLIII. art. VII. ad secundum, *Propter nullum,* inquit, *scandalum, quod sequi videatur, debet homo prætermissa veritate falsitatem docere.*

Verùm neque Augustini, neque Tertulliani, neque Baronii, neque Gregorii, neque Thomæ (nescio an Ecclesiæ) discipulus est, qui medicorum præceptum illud in Christianorum religionem inducit, & beato Thomæ transcribit. Et sanè Baro neque sibi, neque fidei suæ satis benè consulit, dum in iis, quæ ad religionem pertinent, præcepta medicorum sua facit, sed convitiis suis, ut mea faciam, nunquam efficiet. De Baronis consilio in adhibendo medicorum dogmate non pronuntio, nisi quòd egisset prudentiùs, si non adhibuisset. Causam non adfero. Siquidem ad uniuscujusque vel leviter cogitantis pectus advolat, & ne advolaret, impedire me posse vellem.

CAPUT VI.

Subdola & calumniosa fratris Baronis inquisitio.

SIC se habet in paragrapho IV. *Velim demonstret Launoius quid divus Thomas Pontifici* (Urbano
IV.) *obsecutus peccaverit contra legitimi Theologi offici-* 34
um, sive ex inscitia, sive ex mala fide, aut negligentia culpam natam esse velit.

Et primò quidem Epistolarum nostrarum, in quibus de subjectis quibusdam Cyrillo testimoniis agitur, scopus non est, S. Thomam vel inscitiæ, vel malæ fidei, vel negligentiæ nomine accusare. Scopus est tantùm ostendere, testimonia, quæ Thomas ex Cyrillo repetit, Cyrilli non esse, & Thomæ fraudulenter obreptum, non ab Urbano IV. sed ab incognito homine, qui doctori sancto, cùm esset junior Theologus, afficta Cyrillo testimonia subministravit. Hic homo Thomæ illusit, ut frater Baro hoc in loco suis lectoribus illudit, significans, Thomam jam tum primùm adhibuisse subjecta Cyrillo testimonia, cùm opusculum adversus Græcorum errores composuit. Hoc autem ex iis, quæ suprà cap. 5. retulimus, manifestè falsum esse constat. Beatus enim Thomas multò ante Urbani Pontificatum subjectis Cyrillo testimoniis usus est semel, atque iterum: Semel cùm in Magistri sententias commentarios lucubraret: Iterum, cùm Opusculum contra impugnantes religionem ederet.

Tertul-

Tertullianus cùm in Apologetici capite XIX. de instrumentis quibusdam ageret, dixit: *Religionis est instar fidem de temporibus asserere:* Sed frater Baro religione hac ut apparet destituitur. Destitui voluit, ut litigaret, & calumniaretur impuniùs. Cominùs accedo. Nunc si quis scribenti Baroni, quod de Thoma & Urbano scribit (Thomam videlicet jam tum primùm usurpasse subjecta Cyrillo testimonia, cùm se-
35 debat Urbanus) fidem baberet, erraret quidem, sed innocenter erraret, eminentissima Baronis simplicitate & bonitate confisus. Quid quæso responderet mihi frater, si vestigiis illius & verbis insistens dicerem? Velim demonstret Baro, quid ille Theologus, qui se Baroni præberet credulum, peccaverit contra legitimi Theologi officium, sive ex inscitia, sive ex mala fide, sive ex negligentia culpam natam esse velit. Interea dum respondebit frater, responderem ego, Theologum illum, qui se Baroni præbuisset credulum, contra legitimi Theologi officium nihil peccasse, sed Baronem duntaxat, quem Theologus ille eruditum & minimè fallacem essn Monachum credebat.

Hìc coactus fui Baronis verba repetere, quæ non satis intelligo. Quid sit legitimum Theologi officium capio: Quid verò sit legitimus Theologus non capio. Sed Baro, qui sublimioris est ingenii, benè capit. Quod mihi hac in re sufficit.

Deinde in libello, quem Urbanus Thomæ ad examinandum dedit, fuisse illa omnia Cyrilli testimonia, quæ sunt in Opusculo contra Græcorum errores, Baro tam facilè pronuntiat, ac si libellum vidisset aliquando, & perlegisset. Opusculum contra Græcorum errores duas in partes tribuitur: Prior continet capita XXXII. Quorum unicuique præfigitur: *Quomodo intelligatur* hoc vel istud alicujus Græci Patris dictum: Posterior habet capita XXXVI. in quorum titulo, *quomodo intelligatur* boc vel illud alicujus Græci
36 Patris dictum, non ponitur ampliùs, sed simplex argumentum rei, quæ deinceps tractanda est. Ex quo pars posterior non ita videtur pertinere ad priorem, in qua libellus Thomæ ab Urbano IV. datus expenditur. Quidquid in causa, alia est in priori, alia in posteriori parte docendi ratio. Nec præterea id liquet, de quo pronuntiat frater assuetus placitis Aristotelicæ scholæ, ubi nemo suum judicium suspendit: Omnes de re qualibet intrepidè pronuntiant, ne illis aqua hærere videatur.

Ad Baronis votum redeo, & dico demonstrasse me, qnod in Epistolis demonstrandum susceperam, commentitia nimirum esse testimonia, quæ apud Thomam in quart. sent. in Opusculo contra impugnantes religionem, & in Opusculo contra Græcorum errores Cyrillo affinguntur. Hoc inquam demonstravi apud cordatos & eruditos homines, qui antiquitatis Ecclesiasticæ gustum habent; non demonstravi forsan apud Baronem & alios illi similes. Sed istud me nec angit nec sollicitat. De Doctore sancto cum ea, quæ decet, reverentia locutus sum, & me Parisiensis Theologi jure privavi, nec facti pœnitet. Modestissimo doctori subreptionem vel obreptionem non abjudico, quam sibi Romani Pontifices ipsi non abjudicant.

Gregorius VII. qui & qualis Pontifex in libri IX. epistola XXX. ad Haganonem Episcopum: *Noverit itaque prudentia tua, quia multa tanquam à nobis deferuntur & dicta & scripta, nobis nescientibus. Multa etiam subripi possunt, minùs ad singula intentis,*
37 *utpote divisis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur. Unde in hac causa, quod profectò minimè recordamur, siquid fortè subreptum fuit, optat magis animus corrigere, quàm ab æquitate, & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.*

Alexander III. de Rescriptis cap. LXXXI. *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infrà: *Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.*

Innocentius III. in libri primi epistola ad Lugdunensem Archiepiscopum, & Abbatem Athanacensem: *Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si prædictas confirmationis literas per veri suppressionem & falsi suggestionem, ut suprà dictum est, vobis constiterit impetratas, nullatenus permittatis, quòd G. ex his fructum aliquem consequatur.*

De Sedis ipsius Apostolicæ more elegans est B. Bernardi locus in Epistola CLXXX. ad Innocentium II. *Iterum supplicatio, iterum preces, & decies repetita non desinent. Non desistimus, quia non diffidimus. Bonam causam habemus, & æquum judicem, qui non cunctabitur evacuare, quod surreptum est. Tantum apparebit, quod verum est, nec poterit inde ridere, qui voluit irridere, sed ut scriptum est, mentita est iniquitas sibi. Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elici- 38
tum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem.*

Hæc est subreptio vel obreptio, cui cùm Romanus Pontifex & ipsa Sedes Apostolica sit obnoxia, Thomam eidem obnoxium fuisse, dicere non reformidavi. Quinetiam Thomas id fecit, quod Gregorius VII. faciendum sibi esse scribit: Seipsum tacitus correxit, cùm in libris posterioribus, quæ quondam Cyrilli testimonia usurpaverat, non usurpat, etiamsi vel maximè & convenientissimè usurpanda essent. Nimirum illorum falsitatem deprehenderat, ut in Epistolis nostris docuimus. Hic moras nectit, & tergiversatur frater Baro, & me aliter scripsisse quàm scripsi, fabulatur, & quæ injuria Romano Pontifici, vel Sedi Apostolicæ non infertur, cùm illi obreptum esse dicitur, eam beato Doctori à me factam esse pugnat, & turpiter calumniatur.

CAPUT VII.

Instaurat frater Baro certum quoddam criticæ genus, in quo & seipsum prodit, & Thomam offendit, & calumniari pergit.

BAronis istius verba sunt in fine paragraphi IV. *Unum superioribus addam, quò expeditior sit nostræ disputationis progressus: Triplex testimoniorum genus distingui oportere: Quædam certa, alia falsa & 39
commentitia, postremi ordinis & medii dubia & probabilia. Launoius quæ ex Cyrillo aliisque Patribus Græcis ad secundam classem apertè falsorum revocat, nos probabilibus & dubiis accensemus. Hoc unum suscipio propugnandum contra Launoii Epistolas tres, quas brevi refellam.* Deinde in paragrapho V. *Launoius igitur quæ ex Cyrillo pro primatu Petri ejúsque successorum refert testimonia divus Thomas, non solùm incerta quod ultro concedimus, aut suspecta, sed omnino falsi comperta probat.*

Hìc non satis erat, triplex testimoniorum genus proponere, ut proponitur, sed necesse erat, solida & expressa designare indicia, qnibus quæ certa esse putet testimonia, hæc certa; quæ falsa & commentitia, hæc falsa & commentitia; quæ dubia & probabilia, incerta & suspecta; bæc dubia & probabilia, incerta & suspecta dignoscantur. Fortassis arcanum est privatæ hominis criticæ, necessaria reticere indicia, ut certa, falsa, & dubia ad arbitrium libidinémque suam decernat. Sic cùm aliquid voluerit esse certum, vel falsum, vel dubium, illud certum, vel falsum, vel dubium erit. Criticæ hujus futilitas

ex

ex eo luculenter apparet, quòd quæ Cyrilli testimonia, dubia & probabilia, incerta, & suspecta esse pronunciat, eadem certa vel falsa esse pronunciare possit. Scilicet rationem nullam adfert, cur Cyrilli testimonia, incerta, dubia, & suspecta esse potiùs, quàm certa vel falsa pronunciet: auctoritatis, doctrinæ, & judicii se credit esse hujusmodi, ut ei velut
40 ex tripode pronuncianti assensus præbeatur ab omnibus. Quæ fratris arrogantia! Si dicat se id esse consecutum ex lectione Epistolarum nostrarum, in quibus quæ Cyrilli testimoniis oppono, evincunt quidem illa esse dubia, incerta, & suspecta, sed falsa & commentitia esse non evincunt. Hoc autem si ita est, frater Baro pessimè meretur de benefactore suo, quem tot conviciis & dictis petulantibus proscindit: Ingratus est,

Et dixeris maledicta cuncta, cùm ingratum hominem dixeris.

At si temerè, nec adhibito studio scripsit, Cyrilli testimonia, quæ beatus Thomas refert tribus in locis, dubia, incerta, & suspecta esse, nullas mihi gratias agere debet, quia de meis Epistolis profecit nihil. Si huc se recipiat, oppidò quàm ridiculus efficitur; Ut allata à Doctore suo Cyrilli testimonia defendat. Quid mihi & meis rationibus respondeat sortitur, nec alterius, quàm volaticæ Academiæ alumnum se esse docet. Bona-ne est methodus hæc libros veros excernendi à suppositiis? Qua in schola discitur ars tam utilis ad quærendam & asserendam veritatem?

Deinde cùm frater ultro concedit, Cyrilli testimonia, quæ sanctus Thomas laudat, dubia, incerta, & suspecta esse, debet quoque ultro concedere, Doctorem illum Petri primatum nonnisi dubiis, incertis, & suspectis Cyrilli testimoniis confirmasse: Sic Thomas cùm Barone arbitro primatum Petri & successorum ita confirmat, insidiosè confirmat, quia destruere est potius, quàm confirmare.

41 Præterea si Thomas Cyrilli testimonia, dubia, incerta, & suspecta esse noverat, his testimoniis primatum Petri asserendo tam graviter peccavit, ut excusari nequeat. Siquidem horribili ruinæ primatum Petri exposuit, cùm illum dubiis, incertis, & suspectis, fundamentis niti demonstrat: Si vero Thomas Cyrilli testimonia, dubia, incerta, & suspecta esse ignorabat, & ea pro certis habebat, Barone judice per inscitiam erravit. In uno Thomas malæ fidei, in altero reus est inscitiæ.

Hæc est egregia & palmaris pro Doctore sancto contra Launoium, Cyrilli testimoniorum quæ ab eo laudantur, defensio; in qua vir locuples, & acri præditus judicio nihil ab hæreticis accepit, sed illis pro innata sibi ingenuitate & liberalitate tribuit multa; quibus & irrideatur Thomas, & assertus ab eo Petri primatus concutiatur & labefactetur.

CAPUT VIII.

Baro ineruditum se calumniatorem ostendit, & in Sanctorum Patrum lectione peregrinum & hospitem.

LEmma hoc paragraphi v. periodus una vel altera manifestissimè demonstrat. Est autem hujusmodi: *Non puto mihi fraudi fore, si de Primatu Petri & Ecclesia Romana magis cum Bernardo, Perronio, Coeffetæo, tribus immortalibus ornamentis Ecclesiæ Gallicanæ, & cum*
42 *Græcis in Florentino Concilio schisma ejurantibus, quàm cum iisdem post Synodum in schisma delapsis, quàm cum Marco-Antonio de Dominis, cum Philippo Mornæo, & Blondello, quos ubique sequitur adversarius, assentiar. Quæcunque enim habet argumenta, ex his Ecclesiæ Romanæ hostibus deprompsit: Nos contrà adversùs illius & sociorum impetus præsidia ex nominatis viris clarissimis exiruemus.*

Dum frater Baro hæc jecit in suos commentarios, vel cerebro caruit, vel si non caruit, illud nimio calore turbatum fuisse oportet. Quod ita planum facio.

Et primò quidem in duabus ad Antonium Faurum Epistolis, quarum confutationem aggreditur, de primatu Petri non agitur, sed de laudatis à beato Thoma Cyrilli testimoniis, quæ Cyrillo subjecta esse probo iis legibus, quas viri graves & docti solent ad excernenda scripta subdititia usurpare. Mirum est hoc: Frater Baro Criticum agit & Criticæ leges ignorat; scribendi facilitate nescio qua & formalibus argutiis omnia metitur, & omnia dijudicare se posse credit: Quæ vanitas! Quæ ἀκρισία!

Deinde confutationi duarum ad Faurum Epistolarum quid inservire possunt Bernardus, Perronius, Coeffetæus, qui numquam examinarunt, num laudata à Doctore sancto Cyrilli testimonia, sint vel vera, vel falsa, vel dubia, incerta, & suspecta? Ubinam Bernardus, ubinam Perronius, ubinam Coeffetæus, ut Petri primatum asserant, Cyrilli testimonia, quæ recenset Thomas, in medium adducunt? O portentum malæ fidei & [illegible] in Barone!

Quinetiam, quod frater iste dissimulat, sub finem 43
prioris ad Faurum Epistolæ Perronii auctoritate utor, ut illa Cyrilli testimonia supposita esse confirmem. "Sic enim scribo: Baronius quem nemo nescit, opportunitatum Sedis hujus (Apostolicæ) assertorem esse cupidissimum, & ubicumque & quomodocumque corrogare, quæ illius amplitudini, commodis, honori inserviunt, de relatis testimoniis omnibus silet: Contempsit illa potiùs, quàm non vidit. Atque istud cùm observo, etiamsi nihil observarem aliud, testimoniorum vanitatem mihi viderer demonstrasse. Jacobo Cardinali Perronio in responsione ad Regem Britanniæ occasio non defuit faciendi quod non fecit Baronius: Sed vir prudens & attentus id facere quoque neglexit, cùm de retinenda & ornanda Pontificis summi dignitate vel maximè cogitaret. Et revera ex universis Patribus, quos in opere suo Cardinalis adducit, nullus est, qui plura, qui eminentiora, qui expressiora Romano Pontifici tribuat, quàm citatus à beato Thoma Cyrillus. Sed à referendis Cyrilli testimoniis; quæ falsa esse censebat, sibi temperavit. Argumentum istud, quod à contumaci Baronii & Perronii silentio repetimus, eloquentissimum & disertissimum est. Si cum suis spectetur adjunctis omnibus, rem non solùm apud eruditos homines, sed etiam apud Barones ipsos omnes, excepto uno, demonstrat.

Tum imprudenter allegat Florentinam Synodum, quæ ab asserendo Romani Antistitis Primatu Bernardum, Perronium, & Coeffetæum removit, etiamsi Perronius & Coeffetæus, ut Bernardus, in Sanctorum 44
numerum relati essent. Adscribo Synodi verba, quæ frater Baro nusquam legit, aut si legit, quod non credo, haud intellexit: *Agebat præterea* (Eugenius) *de privilegiis Papæ, ut habeat illa juxta determinationem Sacræ Scripturæ & DICTA SANCTORUM. Hoc etiam non placuit Imperatori. An SIQUIS, inquit, SANCTORUM in Epistola honoret Papam, excipiet hoc pro privilegio? Propter hoc significavit Papa, aut hoc corrigeret, aut de ejus reditu cogitaret.* Et post habitas plures inter Græcos & Latinos *de dictis Sanctorum* collationes, itum est eam in sententiam, ut definitio, quæ ad Primatum Romani Antistitis pertinet, conficeretur, injecta nulla *de dictis Sanctorum* mentione. Confecta sic est: *Item diffinimus, sanctam & Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Vicarium Jesu Christi, totiúsque Ecclesiæ caput; & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino Jesu Christo*

plenam

plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in
gestis Conciliorum Oecumenicorum, & in sacris Canoni-
bus continetur. Sic refert Flavius Blondus Eugenii
Papæ scriba io libro x. Decadis III. Editionem
hanc confirmant Marcus Vigerius Cardinalis in De-
cachordo chorda x. Joannes Roffensis in art. xxv.
contra Lutheranas Assertiooes, Joannes Eckius in
libri II. de Primatu Petri capite xxv. Albertus
45 Pighius in libri IV. de Ecclesiastica Hierarchia capite
oltimo: Qui omnes decretum referunt, ut habet
Blondus. Idem Græcè traditur: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν
τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς
κανόσι διαλαμβάνεται. *Juxta eum modum, qui & in actis*
Conciliorum Oecumenicorum, & in sacris Canonibus con-
tinetur. Latina & Græca definitionis hujus editio in-
ter se conveniunt adversus Abrahamum Cretensem,
qui primus Florentinam Synodum typis mandari cu-
ravit in editione sua, quæ ex Græci exemplaris ver-
sione facta est, sic cootra fidem exemplaris illius ha-
bet: *Quemadmodum etiam in actis Conciliorum Oecu-*
menicorum, & in sacris Canonibus continetur. Cum
verò Græcum & Latinum exemplar inter se con-
veniant, Abrahamus Cretensis excusari noo potest,
& perversæ versionis reus peragi meritò potest.
Sic concordantibus Græcis & Latinis inter se statu-
untur duo: Primum est, ut in asserendo & vindican-
do Romani antistitis primatu nulla *de dictis Sanctorum*
fiat mentio; alterum, ut Romani antistitis primatus
retineatur talis, qualis & in actis Conciliorum Oecu-
menicorum, & in Canonibus sacris assertus reperitur.
Florentini Patres Oecumenicas Synodos septem prio-
res intelligunt, cùm Florentina Synodus hæc octavam
Synodum se ioscribat, quando primùm ab Abrahamo
Cretensi edita est, & Clementis VII. Medicæi pri-
vilegio munita.

Imprudeoter igitur frater Baro Florentinam Syoo-
dum allegat & subjicit: *Nos contrà adversus illius &*
sociorum impetus præsidia ex memoratis viris clarissimis
46 *extruemus.* Extruere quidem poterit, quia multa face-
re potest homo audacissimus, sed contra Florentinæ
Synodi gesta & definitionem extruet, cùm in asseren-
do Romani Episcopi primatu Bernardum, Perronium,
& Coeffetæum adhibere non dubitat: Et sic ab ho-
mine schismatico non multùm distat.

Quartò Florentinam Synodum mihi adhuc impru-
deotiùs opponit. 1. quia ego rebus in Florentina Sy-
nodo gestis utor, ut quæ Thomas Cyrilli laudat testi-
monia, hæc Cyrillo abjudicem. Sic igitur in priori
ad Faurum Epistola dissero: "Præterea, quæ gesta
"sunt in Florentina Synodo, testimoniorum supposi-
"tionem validissimè confirmant. In Sessione VII.
"fuit qui palam dixerit: Habemus, Patres optimi,
"multas alias hac de re sententias, sed longè ante
"omnes Cyrilli in thesauris: Elucet enim præcipuè
"Romani Pontificis auctoritas in scriptis Cyrilli. Sed
"homo iste in Sessiooe xxv. obmutuit, cùm loqui
"debuit etiam Stentore clamosior. Cyrilli thesauros
"non aperuit, cùm aperiendi occasio sese obtulit.
"Nonne tunc vehemens & pugnax concertatio Ro-
"manos & Græcos diu tenuit, cùm faciendum fuit
"decretum fidei circa Romani Pontificis dignitatem?
"Cur quæso Romani Græcis non objecerunt Cyril-
"lum, summæ apud eos auctoritatis Episcopum, qui
"plura Petro, & in Petro Petri successoribus, quàm
"Romani peterent, concedit? Cur Romani Græcis
"non objecerunt relata testimonia, quæ Græcis ad mo-
"ram & tergiversationem aditum intercludunt om-
"nem? Cur in præstandis illis testimoniis non oppig-
47 "nerarunt Thomæ fidem? Oppignerare non sunt ausi.
"Et primùm quidem Græci Græca postulassent Cyrilli
"exemplaria: Quis dedisset? Et quis etiamnum ea da-
"ret, in quibus quæ Thomas habet, reperirentur? In-
"tegrum thesaurorum opus in lucem prodit, ubi nec
"vola nec vestigium testimoniorum, quæ exhibuimus.
"Græci à Latinis sciscitati essent, quis relata testimo-
"nia e Græco vertisset in Latinum? An Thomas vel a-
"lius? Nemo affirmasset vertisse Thomam, qui Græcè
"non intelligebat: Si alius, quæsiissent, quo tempore
"claruerat? An totum thesauri opus verterat, an eas
"tantùm partes, quas beatus Thomas in suos jecit com-
"mentarios? Cur vertendo periodum imperfectam &
"mutilam reddiderat? *Ut membra maneamus.* Certa
"quædam verba præcedentia cum insequentibus jun-
"genda utique fuerant, ne Cyrillus vastè & hiulcè loqui
"videretur. Quæsiissent quoque, quos Cyrillus alloqua-
"tur per illud: *Ut membra maneamus in capite nostro A-*
"*postolico throno Romanorum Pontificum?* Vel per illud:
"*Itaque fratres si Christum imitamur, ut ipsius oves vocem*
"*ejus audiamus manentes in Ecclesia Petri.* An alloqua-
"tur Ægypti, Orientis vel Occidentis Episcopos? Qua-
"re sic alloquatur? Quare in Thesaurorum opere res
"tam alienas tractet? Quare Thomas non omnia, quæ
"ex Thesauris arcessit, unicuique Thesaurorum seu li-
"bro, seu capiti, seu assertioni non consignet? Quare
"hac in parte Synodum IV. non imitetur? Quarè in
"Thesauris extent, quæ Synodus VI. laudat, non extent,
"quæ Thomas? Huic argumento, quod rem videtur
decernere, sic Baro respondet in paragrapho VI. *Cur* 48
nomen illius Græci tacet, qui sess. VII. *referebat sic Patres*
Concilij allocutum: Habemus multas alias hac de re senten-
tias, sed longè ante omnes Cyrilli in Thesauro. Is fuit An-
dreas Collocensis Episcopus, cui Græcorum nullus intercessit:
Sed cùm ista dicit, ne hilum quidem proficit, cùm An-
dreas ille in sess. xxv. pisce mutior fuerit, & Cyrilli
Thesaurum suo silentio involuerit, & occultaverit.
Nugari & respondere Baroni sunt unum & idem.

Nonne Florentinam Synodum mihi oppooit impru-
dentissime, cùm ex ea depromam argumentum, quod
tot rebus circumstantibus adornatum expugnari noo
potest. Hoc autem cùm decretorium sentiret Baro,
nec solidam responsionem inveniret ullam, certum
quoddam ex illo membrum avulsit, & avulsum cre-
pundiorum loco habuit, ut otium suum pueriliter ob-
lectaret in paragrapho V.

II. Florentini Concilii definitionem, quæ antè re-
lata est, semper adhibeo, cùm de sancienda Romani
Pontificis auctoritate agitur. Noto loca præcipua:
In parte III. Assertionis, qua io Sammedardensis
Monasterii privilegium inquiro, cap. v. In Censura
Responsionis Caillocianæ; in Epistola ad Christopho-
rum Fauvæum, quam habet pars prima Epistolarum
nostrarum; in Epistola ad Thomam Rullandum, quam
habet pars tertia; in Epistola ad Joannem Molendi-
num, quam habet pars quarta & in Epistola ad Feli-
cem Phelippæum Brossam suprà.

Quintò frater externis potiùs quàm nostris mori- 49
bus imbutus per verba hæc, *magis cum Græcis in Flo-*
rentino Concilio schisma ejurantibus, quàm cum iisdem
post Synodum in schisma delapsis, Gallicanam Eccle-
siam & Parisiensem Academiam perstringere voluit;
quæ in Commonitorio suprà in cap. v. laudato
Cardinalis Lotharingii ore sic loquuntur: *Nunc su-*
perest titulorum ultimus è Florentina Synodo deprom-
tus, quem beatissimo patri nostro tribuere volunt. Ego
verò negare non possum, quin Gallus sim, & Parisien-
sis Academia alumnus, in qua Romanum Pontificem sub-
esse Concilio tenetur: Et qui docent ibi contrarium, ii
tanquam hæretici notantur. Apud Gallos Constantiense
Concilium in omnibus suis partibus generale habetur. Ba-
sileense in auctoritatem admittitur. Florentinum perinde
ac nec legitimum, nec generale repudiatur. Atque idcirco
Galli de vita potiùs, quàm de sententia decederent. Hæc
autem omnia cùm ita sint, me ad sanctitatis suæ pedes pro-
jicio, & eo per viscera misericordiæ Dei nostri supplico, ut
inpræsentiarum verba hujusmodi & concertationes istæ mit-
tantur. Afflicto regno non est danda afflictio. Hæretici
jam satis offensi sunt, Catholici reguntur, ac ducuntur
omnes à Theologis, qui clamores usque in cœlum tollens.

Privilegia

Privilegia seu libertates in hac veritate posita sunt universa: Et eam ob causam disputatio hujusmodi, si fiat, tota ad subversionem gaudentium convertetur. Regnum separabitur & distrahetur: Quod erit commune ac summum illius exitium. Nam credere, futurum esse vel unum antistitem, qui his consentiat, insanum esset. Ex Gallico sermone quem alibi Latinum fecimus. Sermonem hunc
50 Tridentina Synodus audiit, nec respuit. Quinetiam illum sic excepit, ut facere destiterit, quod facere instituerat, ut Cardinalis Pallavicinus in historia Tridentinæ Synodi observat. At frater Baro sermonem rejicit, & illius auctores schismatis insimulat. Et quoniam sua est Baronibus astutia & calliditas, si Baro noster negaret id quod aio, credendum illi non esset, nisi quod in Commonitorio Gallicana Ecclesia & Parisiensis Academia tunc senserunt, sentire se publico instrumento testaretur.

Sextò ineruditum, ut solet, calumniatorem agit scribens, me quæcumque habeo argumenta, hæc ex Marco Antonio Spalatensi, Mornæo, & Blondello Ecclesiæ Romanæ hostibus deprompsisse. Hi tres scriptores non examinarunt, quod sciam, utrum quæ Thomas laudat omnia Cyrilli testimonia, subdititia sint, necne. Tum non potuerunt censere de Cyrilli testimoniis, ut ego censui, non quia non mihi præstent ingenio, sed quia quo tempore vivebant, Mornæus præsertim & Marcus Antonius, Cyrilli opera omnia mandata typis non erant Græcè & Latine, uti nunc mandata sunt.

Deinde quò faciliùs suam frater occultet calumniam, Marci Antonii, Mornæi, & Blondelli loca non indicat, in quibus affictum mihi plagium deprehendatur. Simia semper erit simia: Calumniator semper erit Baro, & frater Baro semper erit Baro.

Tum si fratri nos ita criminari liceat, nunquam poterimus commissum à fratre Jacobo Clemente col-
51 lega quondam suo parricidium dicis atque execrationibus insectari, quod illud ante nos Philippus Mornæus, David Blondellus, vel alii de heterodoxorum grege insectati fuerint. Tunc frater Baro statim occurreret & sibi sumeret, nos diras atque execrationes illas omnes ex immanissimis Romanæ Ecclesiæ hostibus deprompsisse: *Hæc sunt*, inquiet, *protrita ex Mornæi & Blondelli promptuariis precariò emendicata: Hæc sunt ex præjudicatis opinionibus, quæ omnino Mornæo & Blondello consentiunt: Hæc Marci Antonii, Mornæi, & Blondelli officinam resipiunt.* Hac disputandi methodo frater fratris sui facinus detestabile vindicaret, & me, quia execrarer, quod Mornæus, Blondellus, & alii ante me execrati essent, inter hæreticos relegaret, quippe qui argumentum contra fratrem Jacobum Clementem nullum haberem, quod ex immanissimis Romanæ Ecclesiæ hostibus non deprompsissem. Atque ita, qui atroces Baronis timebit calumnias, parricidam revereri & fratri Jacobo Clementi benedicere cogetur. Quæ certa erit ineundæ cum Barone nostro familiaritatis & amicitiæ ratio,

Quartò sit ita, me id fecisse quod mendaciter objicitur: Me id fecisse dico Apostoli Pauli secutus consilium: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Synodus illa, quæ canonicos libros secrevit ab apocryphis, consilium idem tribuit. Hoc posito, cur id mihi non liceret, quod beatus Thomas sibi licere credidit? Hic Doctor argumenta passim & liberè depromit ex operibus Aristotelis, quem antiqui Patres hæreticorum Patriarcham nominant, & tanquam ca-
52 pitalissimum Christianæ Religionis hostem abjiciunt, ut in libri de varia Aristotelis fortuna capite 11. latè demonstravi. Sic Baro per latus meum Thomam quintum Ecclesiæ Doctorem feriit, & sursum conjecit tela, quæ in illius caput reciderunt: O ingratum Thomæ discipulum, & ineptum jaculatorem! si tamen vis, sit tibi

Enceladus jaculator audax.

Quintò tam vehementes sunt Baronis calumniæ, ut ad Stephanum Papam Martyrem, ad Augustinum, ad Hieronymum, & Theodoretum, ad Synodum VI ad Pium V. usque pertineant.

Ad Stephanum quidem, cùm apud Cyprianum in Epistola LXXIV. ad Pompeium ita decernit: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* Quàm egregiè vapulasset à Barone Stephanus, qui non modò hæreticorum omnium baptismum recipit, sed etiam recipiendi argumentum ex hæreticorum ipsorum disciplina requirit!

Ad Augustinum, qui traditas à Ticonio Donatista exponendarum Scripturarum regulas docuit, sublatis, vel additis, quæ tollenda vel addenda judicavit. Qua verborum acerbitate invasit in me Baro, eadem & in Augustinum invasisset?

Ad Hieronymum & Theodoretum, qui in interpretandis Scripturis sacris Aquilam, Symmachum, &
Theodotionem aliquando sequuntur, etiamsi Aquila, 53
Symmachus, & Theodotion à Christiana Religione defecissent. Baro omnem moveret lapidem, ut Hieronymi & Theodoreti fides suspecta redderetur.

Ad Synodum VI. quæ fidei definitionem non priùs exaravit, quam consentanea Orthodoxis Patribus Heterodoxorum testimonia adjecisset. Quod facti genus frater Synodi VI. Patribus exprobraret detestaretur & amandaret in Morboniam.

Ad Pium V. qui contendentibus in Gallia & potissimum Lutetiæ plerisque iterum baptizandos esse, qui à Calvinianæ sectæ ministris baptizabantur, silentium imposuit & legem, ne quis illorum iterum baptizaretur. Si tunc vixisset Baro, non minùs quàm ego, tulisset impunè. Calumniatricis Theologiæ suæ principiis Pium Calvinianæ sectæ fautorem appellasset.

His adjicio Baronem eo comparatum esse animo, ut à suscipienda Religione Christiana deterreret ethnicum, quem argumentis è libro Mornæi de veritate illius depromptis persuasum iri perspiceret: Ut vehementer obsisteret, nequis Joannæ Papissæ fabulam edito contra illam Blondelli tractatu dedoceretur. Et tamen certo est certius, Baronem ex illo Mornæi libro depromptarum esse multa, si de veritate Christianæ Religionis librum scriberet, vel librum non satis bonum scripturum esse: Deinde Joannæ Papissæ fabulam confutaturum non esse validiùs, quàm Blondellus confutavit.

CAPUT XI. 54

In superioris capitis argumento detegitur alia Baronis calumnia extra quàm insipida, & in Baronium & Bellarminum derivatur.

CAlumnia hæc est, me primatum Petri impugnasse, cùm illa Cyrilli testimonia, quæ tribus in locis sanctus Thomas retulit, Cyrillo abjudicanda esse censui: Sed qua ratione, me de impugnato Romani antistitis primatu accusat, eadem & Baronium & Bellarminum accusaret. Rem in luce atque in omnium oculis defigo.

Beatus Thomas Romani antistitis primatum confirmat nonnullis Cyrilli testimoniis, quæ Cyrillo subjecta esse pluribus ostendi. Hinc frater Baro dicendi ansam arripuit, me Romani antistitis primatum impugnare, & ille statim, quæ de Romani Pontificis primatu sanctus Bernardus, Cardinalis Perronius, & Nicolaus Coeffetæus scribunt, mihi perinde objicit, ac si primatum illum, quem passim vindico, negarem. Et hæc

est calumnia extra quàm insipida, quæ in Baronium & Bellarminum facile derivatur.

Leo X. in Lateranensis Concilii Sessione XI. constitutionem edidit, in qua Synodus Alexandrina, & Athanasius laudantur, ut Romani Pontificis auctoritas & primatus in congregandis Conciliis asseratur. *In Alexandrina*, inquit, *Synodo, Athanasio ibidem existente Felici Romano Pontifice, ab eadem Synodo scriptum*
55 *fuisse legimus, Nicænam Synodum statuisse, non debere absque Romano Pontifice Concilia celebrari.*

Leonem sequuntur Albertus Pighius in libri IV. de Hierarchia Ecclesiastica capite IV. & in libri VI. capite VII. Ruardus Tapperus in oratione contra Philippum Melancthonem, Melchior Canus in libri VI. de locis capite IV. Bellarminus in libri II. de Rom. Pont. capite XV. & in libri I. de Conciliis capite XXI. qui omnes pro asserendo Romani antistitis primatu Alexandrinam Synodum & Athanasium in medium adducunt.

Sed Baronius ad annum CCCLVII. Synodum hanc ut suppostitiam rejicit: *Quæ fertur*, inquit, *Athanasii nomine ad Felicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina scripta ab Episcopis Ægypti, Thebaidis, & Libyæ, haud æquè probatur. Quippe quòd talis fuerit status Ecclesiæ Alexandrinæ ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix sedere cœpit, jam satis superiùs est demonstratum, ut nullus planè locus cogendæ Synodi potuerit esse, Athanasio fugâ lapso, & in eremo latitante, atque aliis Episcopis pariter exturbatis. Sunt præter hæc multa alia, quæ ibi posita minùs arrident: Ut cùm de ipsius Felicis ordinatione Athanasius eundem Felicem reddit certiorem. At ipse suas merces mercator emat.*

Accedat nunc frater Baro, & qua præditus est æquitate oppugnati primatus Papæ Baronium insimulet: Quid ita? Illustris Ecclesiasticorum Annalium conditor demonstravit, suppostitiam esse Alexandrinam Synodum, qua Leo X. Pighius, Tapperus, Ca-
56 nus, Bellarminus, & alii primatum Romani Pontificis confirmant. Hæc de Baronio, nunc ad Bellarminum venio.

Albertus Pighius in libri VI. de Monarchia Ecclesiastic. capite VI. proponit sibi primatum Romani Pontificis asserere ex testimoniis Romanorum Pontificum, qui Nicænam Synodum præcesserunt. Exinde Anacleti, Evaristi, Alexandri, Aniceti, Eleutherii, Victoris, Zephirini, Marcelli, & Melchiadis testimonia producit.

Pighium sequitur Melchior Canus, qui ut Romani antistitis primatum & primatus dignitatem corroboret, ad Anacletum, Evaristum, Alexandrum, Sixtum, Pium, Victorem, Zephirinum, Marcellum, Eusebium, Melchiadem, Marcum, & Julium confugit.

Canum sequitur vulgus Theologorum vel aliorum auctorum, quibus satis est aliquid esse typis mandatum, ut id verum esse credant. Adde quòd antiqua instituta Ecclesiæ metiantur recentioribus. Quæ certa est errorum complurium origo.

At Bellarminus in libri II. de Romano Pontifice capite XIV. fatetur Pontificum illorum Epistolas indubitatas non esse. Sic enim scribit: *Primùm igitur disertè asserunt primatum hi sancti Pontifices, Clemens Epistola I. Anacletus epistola III. Evaristus Epistola I. Alexander epistola I. Pius epistola I. & II. Anicetus epistola I. Victor epistola I. Zephirinus epistola I. Calixtus epist. II. Lucius epist. I. Marcellus epist. I. Eusebius epist. III. Melchiades epist. I. Marcus epist. I.*

Ad hæc testimonia (Magdeburgenses & Calvinus)
57 *nihil respondent, nisi esse recentia & suppostitia. At quamvis aliquos errores in eas irrepsisse non negaverim, nec indubitatas esse affirmare audeam, certè tamen antiquissimas esse nihil dubito.* Et sanè nihil prodest antiquissimas esse Epistolas, si non sint Pontificum, quibus inscribuntur; si in eas errores irrepserint, qui per vetustiora exemplaria non dignoscantur, & auctoribus non attribuantur, sed librariis; si tum demum indubitatæ non existant. Huc frater Baro confestim advolat, & pro ea qua valet æquitate & judicii acrimonia Bellarminum aggreditur, eumque labefactati primatus Papæ insimulat. Quid causæ? Bellarminus Calvino & Magdeburgensibus favet, cùm in Pontificum illorum Epistolas errores aliquos irrepsisse non negat, eas indubitatas esse affirmare non audet. Ad insipidam Baronis calumniam ut cumulus accedent sanctus Bernardus, Perronius, & Coeffetæus, quos frater truculentiori stilo instructus, ut mihi, sic & Baronio ac Bellarmino objiciet.

CAPUT X.

Baro pro ingenii sui dexteritate communem parat locum, quo quidquid Cyrillo vel aliis Patribus affingetur, ut verum retineri poterit.

SIC igitur scribit in paragrapho V. *Cæterum ut* (Launoius) *falsa convincat testimonia, probandum est illi ex opere Cyrilli inscripto, Thesaurus, nullam desiderari partem. Quod hactenus ne quidem tentavit,* 58
nec illi contigisse, quod commentariis in Joannem ejusdem Cyrilli (ne longiùs exempla conquiram) quæ quatuordecim libris continebantur & supersunt octo. Nam reliquos Clicktoveus ausus est supplere. Quis nisi temerè certum asserat, nihil ex Thesauro amissum, cùm de illius operibus sit maxima dissensio? Quidam unum tantùm conficiunt librum in 35 assertiones partitum: Alii in quatuordecim dividunt: Alii duos tantùm numerant, & hoc verisimilius puto, quorum primus qui superest 35 assertiones habet, unde deprompta puto testimonia, eundem passus est casum cum quatuor libris in Joannem, qui desiderantur. Ariolatione simili diceret, Thesauri librum, qui assertiones habet XXXV. assertiones habuisse centum & triginta quinque, quarum centum eundem passæ sunt casum cum quatuor libris in Joannem qui desiderantur, & in centesima trigesima quinta fuisse illa omnia testimonia, quæ beatus Thomas Cyrillo tribuit.

Deinde in paragrapho VI. *Loco perfugii, quod illi à se præclusum putat, locum tutissimum paravimus divisione Thesauri in duos libros, quorum primo continentur triginta quinque assertiones: Alter apud nos desideratur, unde probabilius est, deprompta esse testimonia, quæ apud divum Thomam extant.* Gratuita non est, ut apparet, divisio, solida illius ratio comparatur ex libro, quem sanctus Thomas contra impugnatores religionem edidit. Nam in eo sic loquitur: *Unde dicit Cyrillus Alexandrinus Episcopus in libro II. Thesaurorum:* Et si scripsisset Thomas; Unde dicit Cyrillus Alexandrinus Episcopus in libro XXXV. Thesauro- 59
rum, Thesauros seu Thesaurum Baro divisisset in libros XXXV. qui omnes præter primum desiderentur: Unde probabilius est ex libro XXXV. deprompta esse testimonia, quæ apud divum Thomam extant. O virum natum ad illustrandas optimas quasque artes, & ad tollendas per admirabile probabilis opinionis arcanum difficultates omnes, quæ vel in scientiis, vel in excernendis veterum auctorum commentariis, vel in numerandis illorum operibus occurrunt! Sed hic oblitus est, ingeniosum illud totius Critices suæ fundamentum, in quo triplex testimoniorum genus ponit, quædam vera esse, alia falsa, alia dubia, incerta & suspecta, & hujus esse generis, quæ beatus Thomas Cyrillo tribuit. Nam si Cyrilli testimonia, quæ laudat B. Thomas, sunt in Cyrilli libro qui desideratur, testimonia hæc non sunt ampliùs dubia, incerta & suspecta, sed vera & certa. Sic vir acutus & sagax pugnat secum, nisi fortean succurrat probabilitas, quæ omnia complanet, & in tuto constituat.

Tum

Tum in eodem paragrapho: *Sed cùm inde probat adversarius, falsum esse hoc testimonium, & volumen unde sumitur, supposititium, perinde arguatur, ac siquis neget Tullium de Republica scripsisse, aut Livium pluribus Decadibus totam historiam Romanam complexam fuisse, quòd nonnisi fragmenta supersint eorum, qui censentur periisse, librorum, ac si hujusmodi auctorum fragmenta indubitata non sint operam, quæ desiderantur, monumenta.* O varias & miseras temporum vices! Cyrilli liber se-
60 cundus Thesauri diligenter conservatus fuerat usque ad annum M. CCXLVII. vel MCCXLVIII. quo beatus Thomas Lutetiæ In Magistri Sententias commentarios edidit, & eos Cyrilli testimoniis illustravit. Hic liber extabat adhuc Alexandro IV. Pontifice, qui anno M. CCLXI. demigravit ab hominibus, cùm Thomas librum contra impugnantes Religionem Lutetiæ composuit, in quo liber ille II. Thesauri laudatur. Sub Urbano IV. Alexandri successore opusculum contra Græcorum errores scripsit, in quo cùm Cyrilli referantur auctoritates, liber ille extare adhuc debuit. Et si opusculum hoc scripsit in Italia, ut puto, libri illius II. erant exemplaria duo, Parisiense & Italicum, quæ postea perierunt vel incendio vel alio casu rei literariæ funestissimo. Siquidem ab eo tempore repertus est nemo, qui vel Parisiense. vel Italicum exemplar viderit, legerit, excerpserit. Unus habuit, unus vidit Thomas.

Tullium scripsisse librum de Republica, qui desideratur, Livium scripsisse Decades, quæ desiderantur, memoriæ proditum est, apud antiquos scriptores nihil est notius, nihil certius. Sed Cyrillum scripsisse Thesaurum, qui duos in libros divideretur, ut à Barone dividitur, nemo ante annum M. DC. LXVI. dixit unquam. Baroni divisionis hujus relicta erat gloria, quæ eo major est, quòd divisionis ratio tota sit auctoritas & potentia dividentis. At unum est, quod in divisione tam bella desideratur. Baro quidem numerat, quot assertiones Thesauri liber primus conti-
61 neat: Sed quot assertiones Thesauri liber secundus complectatur, numerare oblitus est; cùm tamen tam facile sit dicere quot assertiones Thesauri liber secundus habeat, quàm facile est Thesaurum in libros duos partiri.

Revertamur ad communem Baronis locum & de eo beato Thomæ accommodemus, ut omnia, quemadmodum decet, ad Baronis mentem pacifice componantur.

I. Beatus Thomas in quart. sent. dist. XXIV. quæst. III. art. II. *Utrum supra Episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia.* Infrà: *Sed contra est, quod legitur in Concilio Constantinopolitano: Veneramur secundùm Scripturas, & secundùm Canonum statuta & definitiones sanctissimum antiquæ Romæ Episcopum, & primum esse & maximum Episcopum, & post ipsum Constantinopolitanum Episcopum.* Baronis loco communi instructus dicet, maximam esse in numerandis Concilii hujus canonibus dissensionem. Alii numerant tres, alii septem, alii novem: Quis nisi temerè certum asserat, ex Constantinopolitano Concilio amissum esse nihil? Amissus est ille canon, qui à beato Thoma refertur. Ecquis est tam hebes in plebecula, qui ignoret, amissum esse librum, quem Tullius de Republica composuit? Et deperditas esse nonnullas Titi Livii Decades?

II. Beatus Thomas in Opusculo contra Græcorum errores dicit: *Legitur in Calchedonensi Concilio, quòd tota Synodus clamavit Leoni Papæ: Leo sanctissimus Apostolicus & Icumenycos: id est universalis Patriarcha, per multos annos vivat.* Legebatur hoc quidem olim
62 in Concilio, cùm sanctus Doctor scribebat Opusculum contra Græcorum errores: Sed nunc dierum minimè legitur, quia acta in quibus legit Thomas, interciderunt, ut nonnulla Cyrilli in Joannem commentaria, & Tullii liber de Republica, & quædam Titi Livii Decades.

III. Beatus Thomas in eodem Opusculo adducit Calchedonensis Concilii canonem hunc: *Siquis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi beatissimum Episcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum patrem refugii: Et ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi Episcopi criminati infamiam secundùm claves à Domino sibi datas.* Et infrà: *Et omnia ab eo definita, ab eo teneantur, tanquam à Vicario Apostolici Throni.* Et primò quidem de numero canonum Calchedonensis Concilii non conveniunt auctores. Sunt qui numerent XXVII. sunt etiam qui numerent XXVIII. quidni adhuc fuere plures, quam XXVIII. quorum in ordine laudatus à Thoma canon minimè legitur? Sed legebatur inter eos, qui numerum canonum XXVIII. excedebant, & hoc ita esse necessariò dicendum est, quia Thomas quintus Ecclesiæ Doctor decipi non potuit. Deinde ut Cyrilli Thesaurus in duos libros dividitur, quorum unus assertiones XXXV. continet, alter verò continebat ea Cyrilli testimonia, quæ apud Sanctum Thomam extant: Sic & Calchedonensium Canonum libri erant duo, quorum primus habet canones XXVII. aut XXVIII. alter verò habebat canonem, qui à beato Thoma laudatur. Hic autem liber II. Calchedonensium Cano- 63
num periit, ut Thesauri liber ille II. Tullii liber de Republica, & nonnullæ Livii Decades perierunt.

IV. Beatus Thomas sub finem Opusculi contra Græcorum errores, ut azymorum usum assereret, hanc Gregorii Papæ auctoritatem insumit: *Dicit Gregorius Papa in Registro: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quòd Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem: Sed cæteræ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quod verbum Patris indutum est carne, & est verus Deus & verus homo.* Si de Registro (melius Regesto diceretur) Gregorii Papæ I. agitur, Epistola illa, ubi tam illustre testimonium exarabatur, periit, & quidem certò periit, quia in Epistolarum Gregorii Papæ primi Registro, quod editum est Romæ, non habetur. Nec mirari quis debet, Registri hujus Epistolam unam periisse, postquam Cyrilli liber secundus Thesauri totus, & Tullii opus egregium de Republica, & multæ Livii decades miserabiliter perierunt. Cæterùm ut quis (Launoius sit, vel quicumque alius) falsi convincat Gregorii Papæ testimonium, probandum est illi, ex opere Gregorii inscripto, *Registrum Epistolarum,* nullam desiderari, *quod hactenus ac quidem tentavit, nec illi contigisse, quod commentariis in Joannem ejusdem Cyrilli, qui quatuordecim libris continebantur, & supersunt octo.*

Si de Registro Gregorii VII. agitur, dicendum est, Epistolam, in qua scriptum erat relatum suprà testimonium, ibi non extare, sed extare cum Cyrilli libro II. Thesauri, qui post beati Thomæ ætatem cùm 64
Alexandriâ in transmarinas regiones exportabatur, naufragium passus est. Hoc ita dicendum est, cùm exemplaria, quæ Thomas Lutetiæ & In Italia viderat, jam interciderant, & sic brevi, ut æqualis nemo videre potuerit. Non vidit Albertus Magnus Thoma vetustior & illius superstes, non vidit Alexander Alensis, non vidit Bonaventura, non viderunt æquales cæteri.

Dubium igitur nullum est, quin Gregorii Epistolâ sittybæ, qua Cyrilli liber secundus Thesauri tegebatur, agglutinata esset, & nisi hoc etiam apud Sagram affirmaveris, expedies te numquam ex libri VIII. Epistola II. ad Synnadensem Archiepiscopum, ubi Gregorius VII. id de azymo tradit, quod relato suprà testimonio neutiquam consentit: *De reliquo,* inquit, *quia cognovimus Ecclesiam vestram azyma sacrificare, & ob hoc à Græcis dumtaxat imperitis quasi de hæresi reprehendi, volumus vos de temeraria garrulitate illorum nullum mirari: Sed nec ab instituto desistere scientes, eorum procacitatem non modò vobis hanc velut calumniam objicere: Verumetiam simili de causa, graviori au-*

tem injuria hucusque contra Romanam Ecclesiam insurgere. Et post alia : *Et illi quidem suum fermentatum commendantes reprehensionis in nos levissima verba contumaciter jaculari non desinunt. Nos verò azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec vituperamus, nec reprobamus.*

V. Beatus Thomas in tert. part. quæst. LXXIV. art.
65 IV. quærit : *Utrum in Eucharistia permixtio aquæ sit de necessitate sacramenti.* Infrà : *Sed contrà est quod Cyprianus dicit : Siquis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non observavit, ut scilicet aquam vino misceret in sacramento, potest simplicitati ejus venia concedi.* Cyprianus aliter loquitur in Epistola LXIII. ad Cæcilium : *Siquis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non observavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi : Nobis verò non potest ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus, ut calicem Dominicum vino mixtum, secundùm quod obtulit, offeramus.* In hoc posteriori loco Cyprianus loquitur de vino, quod aquæ misceatur in sacrificio, contra eos, qui aquam solam offerrent, & consecrarent : In priore loco Cyprianus apud Thomam loquitur de aqua quæ vino misceatur : Priorem igitur locum periisse oportet, cùm apud Cyprianum non habeatur. Quidni Cypriani Epistola, ex qua Thomas auctoritatem illam decerpsit, perire potuerit, cùm Cyrilli liber secundus Thesauri perierit ? Cùm Tullii liber de Republica perierit, cùm multæ Livii Decades perierint ?

VI. Beatus Thomas in supplemen. quæst. II. art. II. *Prætereà*, inquit, *peccatum aggravatur ex consequenti effectu. Unde Hieronymus dicit, quòd pœna Arrii nondum est determinata, quia est possibile aliquos per ejus hæresim corruere : Quibus corruentibus pœna augetur.* Et cùm ad secundum respondet, sub finem responsionis ait : *Et sic loquitur Hieronymus* ; in libris
66 utique, qui jacturam passi sunt, non in libris sat pluribus, qui extant. Cur quæso non potuissent quidam Hieronymi codices jacturam pati, cùm Cyrilli plures codices, & imprimis codex II. Thesauri, & multæ Livii decades eandem passæ sint jacturam ?

VII. Beatus Thomas in quæst. IV. art. II. *Sed contrà est quod Augustinus dicit* (in libro de vera & falsa pœnitentia) *semper doleat pœnitens & de dolore gaudeat* (cap. XIII.) Sed liber ille Augustini non est, sed alterius, qui ab Augustino nominatim dissentit in capite XVII. *Scriptum est enim, sine charitate neminem salvum esse. Non itaque in solo timore vivat homo. Quem ergo serò pœnitet, oportet non solùm timere Deum judicem, sed & justum diligere. Non timeatur pro pœna, sed ametur pro gloria : Debet enim dolere de crimine, & de omni ejus prædicta varietate. Quod quoniam vix licet, de ejus salute Augustinus potuit dubitare. Credo quidem illi, qui dixit : Quacunque horâ peccator ingemuerit, & conversus fuerit, vitâ vivet.* Quis modò crederet, beatum Thomam, quem frater Baro in paragrapho III. *emunctæ naris Doctorem* nominat, nec ego, ut apparet, diffiteor, sed Augustini nomine citasse librum illum, qui tam manifeste Augustini non est ? Verba hæc, *semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat*, extabant in alio Augustini de vera & falsa pœnitentia libro, qui ab ætate sancti Doctoris periit ? Nonne periit Cyrilli liber secundus Thesauri, in quo quæ Cyrilli testimonia beatus Thomas recenset, antiqui Patres legerant, sed horum adhuc perierunt com-
67 mentarii. In summa, tam perfrictæ frontis nemo est, qui negare possit Ciceronis librum de Republica, & multas Livii Decades intercidisse.

VIII. Beatus Thomas in quæst. IX. art. II. in corpore artic. *Et similiter est in peccatis, quia unum aggravatur ex adjunctione alterius, & illud, quod esset uni peccato conveniens medicina, alteri incentivum præstaret, cùm quandòque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastorali docet.* In Pastorali scilicet, quod deperditum est à Doctoris sancti tempore, non in Pastorali, quod extat. Nam ut Cyrillus composuit Thesauri libros duos, quorum primus extat, secundus, in quo laudata à sancto Doctore Cyrilli testimonia perfecte describuntur, ab annis plus minus quadringentis extare desiit : Sic & Gregorius composuit Pastoralia duo, magnum unum, quo fruimur, parvum alterum citatam à Thoma auctoritatem continens, quo frui non possumus. Quid quæso prohibet ? Nonne hac in materia valet argumentum, quod à comparatione tali ducitur ?

IX. Beatus Thomas in quæst. XV. art. III. *Sicut dicit Hieronymus : Jejunio sanantur pestes corporis, oratione pestes animæ.* Hoc non comparet in editis Hieronymi libris ; Sed in aliis, qui vel nondum editi sunt, vel certè evanuerunt ab eo tempore, quo Thomas scribebat in Magistri sententias. Quid mirum, si etiam perierit Ciceronis liber de Republica, si etiam perierint Livii Decades quamplurimæ ?

X. Beatus Thomas in quæst. XL. art. VII. ad
octavum : *Dicendum quòd Romanus Pontifex non utitur* 68
baculo, quia Petrus misit ipsum ad suscitandum quemdam discipulum suum, qui postea factus est Treverensis Episcopus, & ideò in Diœcesi Treverensi Papa baculum portat, & non in aliis locis. Hoc tam præclarum Ecclesiasticæ antiquitatis monumentum conjunctum erat cum Cyrilli lib. II. Thesauri, qui jamdudum periit. Utendum est fragmentis, quæ supersunt, quemadmodum utimur Livii Decadibus, quæ naufragium effugerunt. Quidquid id est, in ordine Romano Pastoralis baculi benedictio præscribitur, & benedictus ita porrigitur : *Accipe baculum sacri regiminis, &c.* Porro an monumentum illud quod Thomas sortitus est, ordinem Romanum præverterit, necne, frater Baro explicabit.

XI. Beatus Thomas in quæst. LXVI. art. III. *Sed contrà est quod Gregorius dicit : Præcipimus, ne unquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum, aut qui Virginem non est sortitus uxorem, aut ignorantem literas, aut habentem quamlibet partem corporis vitiatam, vel pœnitentiæ, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere.* Hæc autem quamvis non reperiantur apud Gregorium, Gregorii tamen esse non desinunt. Nam ut non habemus omnes Cyrilli libros, sic non habemus omnes Gregorii libros & eos cum primis, ex quibus quæ relata sunt, Thomas decerpsit : quasi verò Ciceronis liber de Republica, & multæ Livii Decades non sint deperditæ !

XII. Beatus Thomas in secunda secundæ, quæst. I. art. IX. in responsione ad quintum : *Dicendum est,*
quòd si dicatur in sanctam Ecclesiam Catholicam, hoc 69
est intelligendum secundùm quod fides nostra refertur ad Spiritum sanctum, qui sanctificat Ecclesiam, ut sit sensus : Credo in Spiritum sanctum sanctificantem Ecclesiam : Sed melius est, & secundùm communiorem usum, ut non ponatur ibi, in, sed simpliciter dicatur, sanctam Ecclesiam Catholicam : Sicut etiam Leo Papa dicit. At Leo tribus in locis Apostolorum Symboli meminit : In sermone XI. de passione, in sermone, seu tractatu contra hæresim Eutychetis, & in Epistola XIII. ad Pulcheriam : Sed nullibi quæstionem istam attingit. Quare necesse est periisse sermonem, tractatum, seu epistolam, in qua sanctus Thomas vidit, quod vidisse scribit : Et certè meminimus periisse librum quem Tullius de Republica conscripsit, & nonnullas Decades, quibus Livius Romanam Historiam commendavit.

XIII. Beatus Thomas in eadem secunda secundæ, quæst. XXV. art. IX. *Dicit Gregorius in homilia Pentecostes, quòd amor Dei non potest esse otiosus. Magna enim operatur, si est : Si desinit operari, non est amor.*

Et

Et revera verba hæc non leguntur in hac homilia: Hæc tantùm leguntur: *Otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet incentivum amoris.* Hic difficile non est Thomæ fidem in allegatione hac liberare. Excidit homilia, in qua quæ Thomas refert, ad verbum extabant. Quid dictu facilius? Quid confirmatu quoque facilius, si recordemur Cyrilli librum 11. Thesauri, scriptum à Tullio de Republica librum, & multas Livii de Romana Historia Decades intercidisse?

70 Hæc pauca de pluribus, de pluribus dico ad specimen, ut appareat subtilem & ingeniosam fratris Baronis Criticem asserendæ veritati mirum quantum inservire, & cùm aliis auctoribus, tum maxime beato Thomæ perutilem esse. Nam illius in citandis auctoribus fides vacillaret nonnihil, nisi exquisita & facili juxtà fratris Baronis arte sustentaretur.

CAPUT XI.

Oblitus artis suæ frater Baro beatum Thomam intricat, quem facilè potuit extricare: Nos artis memores extricamus.

IN epistola ad Antonium Faurum scripseram: "Audebitne aliquis Chrysostomo tribuere, quæ Thomas "illi in opusculo contra Græcorum errores tribuit? "Verba sunt: Chrysostomus ad consulta Bulgarorum "ex persona Christi loquens: Ter te interrogo, an a"mes, an ames, an diligas, quia ter me trepidus & "timidus negasti. Nunc autem reductus, ne credant "te fratres gratiam & clavium auctoritatem amisisse, "quia amas me coram ipsis, id tibi jam confirmo, quod "meum est plenum. Hoc non urgeo, ne videar Tho"mæ facinus tam absurdum imponere. Cùm Bulgari "Christianam susceperunt fidem, annus volvebatur "octingentesimus quinquagesimus quartus, qui erat ab "excessu Chrysostomi quadringentesimus trigesimus "octavus.

Frater Baro extricare Thomam ita conatur in para-
71 grapho v. *Sed, inquit, non potuerunt nisi per summam ineptiam Chrysostomo tribui consulta ad Bulgaros 438. annis post obitum Chrysostomi Christianos. Si quod adversarius adhibet ingenii acumen in pungendis & lacerandis viris sapientissimis perinde ad defendendos admoveret, commoda occurrisset hæc excusatio. Theophylactum & Euthymium Græcorum scriptorum, uti Boetium & Symmachum, hominum Romanorum ultimos, fuisse Chrysostomi studiosissimos, & interdum illius breviatores potius, quàm auctores agere solitos, & cùm Theophylactus fuerit Bulgarorum Archiepiscopus, credibile est, eo quòd à Divo Thoma citatur, opere Chrysostomum induxisse loquentem, & testimoniorum collectorum potius in Chrysostomum quasi auctorem, quàm in breviatorem Theophylactum retulisse.* Hæc revera sunt fratris Baronis, & non alterius.

Profectò sanctus Thomas excusatione indiguisset nulla, si ad probabilis opinionis, qua historicas res omnes tam subtiliter expendit, & tam callidè dijudicat, mysterium advertisset. Hic Baronem acumen suum deseruit. Nam probabilius est, Bulgaros ætate Chrysostomi Christianam suscepisse religionem & consuluisse Chrysostomum, qui & ad eorum consulta respondit: Beatus Thomas responsa Chrysostomi ad consulta Bulgarorum vidit, & ex iis quæ laudat in Opusculo, excerpsit. Porrò autem quærendus non est horum responsorum codex, quia statim atque Thomas eo usus est, intercidit: Quæ magna est Ecclesiasticæ antiquitatis jactura. Ne mireris! Hoc est fatum librorum plurium, ex quibus Thomas testimonium aliquod
72 deprompsit. Nonne periit liber, unde tot illustres pro Romano Pontifice auctoritates comparaverat? Nonne perierunt alii libri, quos in superiori capite notavimus?

Deinde probabilius est, Bulgaros non multò post obitum Chrysostomi desertâ Christi fide ad superstitionem pristinam revertisse, & fidem illam Dei beneficio ac misericordia circa annum DCCCLV. resumpsisse, & tandem anno DCCCLVI. Nicolaus I. Bulgarorum consultationibus respondit. Unde habentur responsa ad consulta Bulgarorum. Hæc per mysterium probabilis opinionis, cui illustrandæ frater Baro vitæ suæ tempus omne transmisit, expeditiora sunt & faciliora, quàm quæ nobis obtrudit.

Et primò quidem lapsus est in limine, cùm ait, *Sed, inquit, non potuerunt, nisi per summam ineptiam Chrysostomo tribui consulta ad Bulgaros 438. annis post obitum Chrysostomi Christianos*: Calumniatur more suo, quia nusquam dixi, per *summam ineptiam*; Nec præterea Baronis latinitate usus essem. Quid enim hoc sibi vult, *consulta ad Bulgaros?* Verba sunt hominis in transversum acti; Deinde cùm frater excusatione Thomam indigere significat, Thomam errasse significat. Notum est illud Imperatoris: *Qui liberat, damnat.* Quid ergo tam anxie & tam sollicite se gerit, ut excusationem quærat? Sed quærit commodam, benè est; sed sive commodam quærat, sive non, excusatione liberandus semper erit Thomas, & damnandus, quia liberandus. Commoda excusatio videtur hæc mihi, Thomam fu- 73
isse hominem & eum humani à se nihil putasse. Commodiorem Baro quæret, nec inveniet. Quam invenit, eo exponit modo, qui non solum miserabilis, sed etiam irridendus est.

Initium facit à comparatione, quam inter Theophylactum & Euthymium scriptores Græcos ex una parte, & Boetium ac Symmachum Romanos homines ex altera instituit: Quo consilio? Ad excusationem Boetius & Symmachus quid conducunt, etiamsi sint Romanorum ultimi? Quid prodest Euthymii cum Theophylacto societas? Cur potiùs adducitur Euthymius, quàm Oecumenius, qui non minùs quàm Theophylactus, Chrysostomi studiosus fuit?

Quæ hactenus præfatus est Baro, [illegible] esse nemo non videt: Ad Thomæ & Scoti defensionem æquè flecti possunt. Inutilem & ridiculam præfationem sequitur inventum hoc. Theophylactus cùm fuerit Bulgarorum Archiepiscopus, & quasi breviator Chrysostomi tractatum aliquem composuit: Ubi Chrysostomum loquentem inducit. Hinc Chrysostomum potius, quàm seipsum tractatus auctorem esse significat. Quo ita posito beatus Thomas in Opusculo contra Græcorum errores tractatum illum laudat his verbis: *Chrysostomus dicit ad consulta Bulgarorum ex persona Christi loquens*, &c. Ut suprà. Statua dignum inventum, sed plumbea; Sponte sua dissilit, officinam & fabrum opprimit, & indefensum Thomam relinquit; qui & aliàs patronum deteriorem nancisci potuit neminem. Baro imposterum consulat Palamedem Nanplii ex Climene filium, ut cùm aliquid invenire voluerit, 74
id tum demum inveniat, quod nisi spectatores teneat & oblectet, ex iis certe lacrymas non eliciat.

Cæterùm si prudens, si curiosus homo de Barone contetur, ubinam gentium reperiri possit Theophylacti opus illud, quod sanctus Thomas vidit, annotavit, excerpsit? Rejectâ opinione probabili eruditionum suarum omnium parente respondebit totò, oleum & operam perdituros esse illos omnes, qui Theophylacti librum deinceps indagabunt, adeundas non esse nisi frustra Bibliothecas Græcis & Latinis scriptoribus quamlibet refertas, quas habet Gallia, Hispania, Anglia, Germania, Italia, breviùs dicam, Europa, Asia, Africa, & si vultis, America: Theophylacti & Cyrilli codices, in quibus extabant citata à Doctore sancto testimonia perierunt tam miserabiliter, ut ne unum quidem [illegible] in terrarum orbe toto supersit. Tolerabilis quidem est codicum, quos Thomas propriis usurpavit oculis, amissio; sed intolerabilis cæterorum omnium codicum similium,
quos

"Ad hæc autem omnia respectum non habuit, qui "Cyrillo apud sanctum Doctorem relatum subjecit "testimonium. Is, opinor, nisi fidem cum fronte a"misisset, Apostolicam Ecclesiam Petri in fide plenis"sima, & auctoritate Petri stabilitam inquassabiliter "ipsam solam regnare dixisset nunquam. Sic frater Baro respondet in paragrapho VI. *Respondeo Romanam Ecclesiam in fide solam regnasse prærogativa potestatis, qua nulli obnoxia, reliquas infra se positas habet, & quotquot Christi ovium nomine censentur, curæ suæ creditas & auctoritati subjectas, ut ex Bernardo probatum est. Si hoc gradu regnet sola, non video cur falsos dicat Imperatores Gratianum & Valentinianum,*
80 *Hieronymum & Cyrillum, qui potestatis Ecclesiasticæ & communis fidei reliquas orbis Christiani Ecclesias consortes cum Romana volunt, ne sola regnet.* Statua, ut jam dixi, dignum inventum, sed plumbea. Quis non videt nugas esse sophisticas, quibus impedire vult, ne, id quod res est appareat? Sed cur Celestinum prætermisit? Nempe quia sophistica fuligine decolorari non potuit: Potuisset tamen decolorari ut alii. Sed venio ad portentum calumniæ, vel potiùs insaniæ, quod post unam paginam sic se habet: *Nisi velis per summam impietatem falsis Christi pollicitationibus nos deceptos, vel cassas fuisse apud Patrem æternum filii preces, negare non potest in Ecclesia Romana & summo Pontifice servatam auctoritatem, & illi individuam aut incorruptam fidem velut promissionem veritatis, & efficacia orationum Christi testimonium, pignus & monumentum æternum: Quod dum audaciùs arrodis Launoii, totius religionis ruinam imprudentissimè moliris. Quid enim ex Evangelio superesse possit certi, si nedum dubia sed falsa & hæretica esse contendas, quæ de perennitate incorrupta fidei Petri, ejusque successorum, illique astructa Ecclesia, non solùm expressa verba Christi testantur, sed ipse eventus comprobat Christi fidem inconquassabiliter intra Romanam Ecclesiam regnare, & à cæteris Ecclesiis orbis Christiani præcipuis hæresi depulsam periisse: Quam si obtineas, Launoi, quod totis viribus contendis, perinde à Romana atque à cæteris Patriarchalibus exulasse, quid superest, nisi ut promissorum Christi veritatem ejures, aut cum hæreticis ad Ecclesiam invisibilem confugias?*
81 Hæc est fanatici & energemate concitati hominis oratio. Argumenta quærenda non sunt, quibus atrocissima convitia & insaniæ falsæ, ut utar verbo scripturæ, repellantur, sed vincula, quibus hic frater inclementioris vultus styli & manus constringatur, flagella, quibus castigetur usque dum ad se redeat, si tamen redire possit. In quæstione facti versamur, nempe, utrum quod Cyrilli testimonium beatus Thomas laudat in Catena, Cyrilli sit, necne? Contendo non esse, & nisi me fallit animus, id in Epistola 11. ad Antonium Faurum Parisiensem Theologum evinco. Calumniator, vel ut apparet, insanus frater Baro contendit non esse apertè falsum, sed dubium duntaxat, incertum & suspectum, quemadmodum mox vidimus. Si hac in facti quæstione manendum est, uti manendum esse, legitima disputandi ratio postulat, irretitur suis ipse laqueis, quos mihi tanta cum dictionis vehementia paravit. Scilicet Cyrilli testimonium, quod adfert sanctus Doctor in Catena, dubium incertum & suspectum esse frater arbitratur? Hoc autem testimonii genere non probatur, ut par est *Apostolicam Ecclesiam Petri in fide plenissima & auctoritate Petri inconquassabiliter ipsam solam regnasse.*

At verò cùm facti quæstionem, nec sibi, nec suis studiis favere perspiceret, quæstionem juris tractare instituit, quò virulentius, ut ipse putat, in me grassaretur, sed errat graviter, in me non grassatur.

Sed primùm grassatur, in Romanam Ecclesiam,
82 cujus certa est traditio, Romanum Pontificem in fide & moribus errare posse & erravisse. Traditionem hanc duabus in Epistolis expono: Una est ad Raimundum Formentinum, quæ reperitur in parte prima Epistolarum nostrarum: Altera est ad Joannem Gerbaisum, quam repræsentat pars tertia Epistolarum nostrarum. Affirmabit-ne Romanos Pontifices, qui traditionem illam attestantur, *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Hic affirmat.

Deinde aliter in eandem Romanam grassatur Ecclesiam, quæ derivatis ab initio traditionibus & universis Ecclesiæ institutionibus subjici se fatetur, ut in Epistola ad Ludovicum Cotinum visum est; quæ à Romano Pontifice ad universalem Ecclesiam, seu repræsentans universalem Ecclesiam Concilium provocari posse consentit. Id ex propriis illius monumentis probavimus in Epistola ad Nicolaum Parvipedium, quam habet pars secunda Epistolarum nostrarum. Pronunciabit-ne Romanos Pontifices, qui in utraque Epistola memorantur, *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Hic pronunciat.

Tum in eandem Romanam adhuc grassatur Ecclesiam, quæ suum Episcopum universali Ecclesiæ & Concilio subesse non diffitetur. Id pluribus confirmavimus in illis Epistolis, quas ad Hieronymum Sainbeuvium, & Joannem Gerbasium dedimus. Alteram pars prima, alteram vero pars secunda Epistolarum nostrarum exhibet. Asseverabit ne Romanos Pontifices, quos ego in hujus sententiæ confirmationem prufero, *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Hic asseverat.

Quartò in Humbertum grassatur Ordinis Prædica- 83
torum Generalem Magistrum V qui Romanum Pontificem in casu hæresis Ecclesiæ & Concilio subjicit, ut est in Epistola 11. ad Christophorum Fauvæum, quam repræsentat pars altera Epistolarum nostrarum. Grassatur in sanctum Thomam, qui indeficientis judicii privilegium Romano Pontifici soli nusquam atribuit, sed Ecclesiæ duntaxat, vel Concilio, ut legi potest in eadem ad Fauvæum Epistola. Grassatur in Pium V. ex Ordine Prædicatorum assumptum Pontificem, qui cùm esset Michael Cardinalis Alexandrinus, librum Clementis Moniliani Cardinalis probavit, & probando suum fecit. Monliani testimonium pluribus in Epistolis adduco. Indicare sufficit Epistolam ad Martinum Metayerum, quæ est in secunda parte Epistolarum nostrarum. Audebit-ne dicere, Humbertum, Thomam, Pium V. *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Hic velit nolit, audebit dicere.

Quintò in Gallicanam grassatur Ecclesiam, quæ Romanum Pontificem summittit Concilio, & ei non errandi in fide & moribus privilegium abjudicat, sed soli adjudicat Ecclesiæ & Ecclesiam figuranti Concilio. Adseret-ne Gallicanam Ecclesiam, *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?*

Sextò in nostram Parisiensem grassatur Academiam, quæ hoc in argumenti genere nec à Romana, nec à Gallicana dissentit Ecclesia. Id ita notum est, ut pluribus exponere non sit necesse. Hic adduci non
possum ut credam, Jacobum Louvetum & Ludovicum 84
Fremontium Parisienses Theologos Baronis librum approbasse integrum, tametsi prima in pagina dicantur approbasse. Res eorum agitur, non mea: Viderint, ne prævaricatores habeantur. Sed contendetne, Parisiensem Academiam *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Idque eo maximè tempore, quo Parisienses Theologi ab Innocentio VIII. sic laudantur in literis quas ad eos scripsit anno MCCCCLXXXVI. VII. Idus Septembris: *Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem: Intelleximus non sine magna cordis nostri lætitia sinceram animorum vestrorum devotionem, quam ad nos sanctámque Romanam Ecclesiam & fidem Catholicam habetis, cum omne studium & curam vestram pro ejusdem fidei defensione & hæresum extir-*

extirpatione, sicut probatissimos quosque Christianos decet, incessanter adhibuerius. Contendet-ne Innocentium *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri*, dum sic Parisienses laudat Theologos, qui tunc temporis Pontificem subjiciebant Concilio, & ei non errandi privilegium abjudicabant?

Joannes Major Parisiensis Theologus qui per ætatem videre potuit Innocentium, in prioribus ad Matthæi cap. XVIII. commentariis scribit: *Modum tenendi Concilium supra Papam semper Universitas nostra Parisiana à diebus Concilii Constantiensis imitata est. Sic quod in ea, qui prædictam viam tenent* (Papam esse supra Concilium universale) *in campo cogitur eam revocare.* Et post alia: *Nostra Facultas à diebus*
85 *Concilii Constantiensis sic hanc partem fovet,* (Concilium esse supra Papam) *quod nulli licuit asserere oppositum probabile.* Jacobus Almainus Majori æqualis in libri de auctoritate Ecclesiæ capite VIII. in solutione rationum Cajetani: *Papam esse supra Concilium universale, error est totius Ecclesiæ destructivus, & Ecclesiæ sponsa Christi perniciosissimus.* Deinde in cap. X. *Ultima resolutio in his quæ sunt fidei, non spectat ad Summum Pontificem. Non est enim verisimile, quòd homini potenti in his quæ sunt fidei errare, ultimam commiserit Deus decisionem.* Almainus per ætatem Innocentium videre quoque potuit.

Contendet-ne, inquam, Parisiensem Academiam, *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Hîc utique contendit.

Septimò in Ludovicum grassatur Regem Christianissimum XIV. qui publica sanctione edixit, ut antiqua Facultatis Parisiensis Theologiæ hac super re decreta & placita conserventur & retineantur? Audebitne dicere, Ludovicum Regem nostrum, *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Hîc velit nolit, audebit dicere.

Octavò in supremas, medias, infimas regni grassatur Curias, quæ Regis sanctionem illam in acta retulerunt. Pugnabit-ne has Curias omnes, *religionis totius ruinam imprudentissimè moliri?* Hîc velit nolit, pugnabit.

Hæc sunt præsidia, hæ stationes VIII. quas frater Baro quamlibet furiosus debet ante perrumpere ac dividere, quàm me conveniat, & censorii styli sui mucrone lædat, exenteret & confodiat

86 Prælicenter, & fraudulenter juxtà sibi finxit Herculem, quem debellaret, & ut gloriosum militem ageret. Ad populum, id est, indoctum fratrum & Curialium Magistrorum vulgus phaleræ istæ: Exquisita non sunt & solida rationum momenta, quibus apud cordatos atque eruditos homines veritas asseritur & constabilitur.

De reliquo cum Scripturis sic disputat, ut eas controversiæ hujus judices duntaxat constituere velit: Non is solus Baro sic disputat, sed quotquot ab initio Ecclesiæ hæretici. Formidare nihil se putat: Nam

Incedit magna Illorum *stipante caterva.*

Ego verò ea non sum præditus sapientia. Tridentinæ fidei professionem sequor & amplector, ut me ab hæreticis, & à Barone hæretica differendi ratione polluto sejungam in perpetuum, ni fortassis eos facti pœniteat. Exinde Scripturarum loca duo, *Oravi pro te, Petre*, &, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, quibus ille abutitur in Tridentinæ regulæ perniciem, juxta unanimem consensum Patrum, quoad fieri potest, interpretor & accipio, duabus in Epistolis, quarum unam ad Jacobum Bevilaquam Parisiensem Theologum, alteram ad Guillelmum Voellum Parisiensem quoque Theologum scribo, & quidquid in complexionem frater impotens & superbus infert, occupo & dissolvo.

CAPUT XIII.

Frater Baro in Hadrianum VI. & Cajetanum, in Romanam Ecclesiam & in Synodos tres sextam, septimam & octavam contumeliosissimus.

SUB finem paragraphi VI. dum adversarium ita 87
lacessit: *Eò sanè tuis disceptationibus nos deducis, & dum Pontificum vel Liberii ignaviam vel Felicis ambitam honorum, vel Joannis XXII. non solùm quasi privatorum hominum culpas, sed Ecclesiæ Capitum hæreses traducis, nonne promoves Calvinistarum causam, & iter ad perfugium Ecclesiæ invisibilis munis, nisi malis nos in Atheorum voraginem præcipites dare?*

Et primò quidem me non lacessit, sed Hadrianum VI. qui in quartum sententiarum de ministro Confirmationis scribit hæc: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico 1. quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, putà Pontifex, certum est, quòd possit errare in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. Item & novissimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium, non habent stolam, quæ est clara & facialis visio, & Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum Theologiæ adipisci, nisi primitus hunc errorem pestiferum jurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum.*
Item patet hoc de errore quorundam Pontificum circa 88
matrimonium, de quo in Cap. Licèt. de spons. duorum. Item patet hoc de errore, quem edidit Celestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim. Cujus error olim habebatur in alia Compilatione in Cap. Laudabilem. de convers. conjug. ut refert Ostiensis in Cap. Quanto. de divortiis: Non tamen dico Gregorium hîc errare, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi, quam alii asserunt. Sic Hadrianus VI. Barone judice, *Calvinistarum causam promovet, & iter ad perfugium Ecclesiæ invisibilis munis, nisi malit nos in Atheorum voraginem præcipites dare.*

Deinde Romanam lacessit Ecclesiam, quæ Leone X. vita functo Hadrianum in suum Pontificem assumpsit, & illius doctrinæ consensit, quomodo in Epistola ad Raimundum Formentinum ostendi. Hæc Epistola in parte quarta Epistolarum nostrarum extat. Sic Romana Ecclesia Barone judice, *Calvinistarum causam promovet, & iter ad perfugium Ecclesiæ invisibilis munit, nisi malit nos in Atheorum voraginem præcipites dare.*

Tum Cardinalem suum lacessit Thomam Cajetanum, qui maxime in causa fuit, cur Romana Ecclesia Hadrianum in suum Pontificem optaverit. Sic quia *quod est causa causæ est causa causati*, ut aiunt Philosophi, Cajetanus Barone judice, *Calvinistarum causam promovet, iter ad perfugium Ecclesiæ invisibilis munit, nisi malit nos in Atheorum voraginem præcipites dare.*

Quartò Rom. lacessit iterum Ecclesiam, quæ in Bre- 89
viario suo Venetiis, ad annum MCCCCLXXXII. & Parisiis ad annum MDXLIII. edito Honorium Papam Monothelitis quos Synodus VI. damnavit, accenset, dum beati Leonis II. Festum agit III. Calend. Julii. Res ita se habet in nocturni I. lectione II. *In qua Synodo* (VI.) *condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus & Petrus*, &c.

Præterea in sancti Eusebii Confessoris lectione, quæ eodem in Breviario ad XIX. Calend. Septembris legitur, Liberius Arianæ perfidiæ consensisse dicitur: *Beatus Eusebius Presbyter cùm præsente Constantio fidem Catholicam constantissimè defensaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ consensisse, ab irato Constantio*

Constantio Imperatore includitur in quodam cubiculò domus sua, &c. Sic Romana rursus Ecclesia, Barone judice, *Calvinistarum causam promovet, & iter ad perfugium Ecclesia invisibilis munit, nisi malit nos in Atheorum voraginem pracipites dare.*

Quintò œcumenicæ Synodi tres, sexta, septima, & octava, Honorium Papam ut hæreticum condemnant. Sic œcumenicæ Synodi tres, quæ universam repræsentant Ecclesiam, Barone judice, *Calvinistarum causam promovent, & iter ad perfugium Ecclesia invisibilis muniunt, nisi malint nos in Atheorum voraginem pracipites dare.*

Postremò Romani Pontifices electi post Synodum VI. Honorio ut hæretico, vel hæreticorum fautori anathema denuntiant in fidei professione, quam post consecrationem suam edebant: *Auctores, inquiunt, novi & haretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum,*
90 *& Petrum Constantinopolitanos unà cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, pariterque Theodorum Pharanitanum, & Cyrum Alexandrinum ... execramur & condemnamus.* Sic Romani Pontifices quamplurimi Barone judice, tot criminum superstite, *Calvinistarum causam promovent, & iter ad perfugium Ecclesia invisibilis muniunt, nisi malint nos in Atheorum voraginem pracipites dare.*

Nunc, opinor, perspicis, inclementem fratrem priusquam ad me perveniat, Hadrianum VI. Cajetanum suum, Romanam Ecclesiam semel atque iterum, universam Ecclesiam semel in Synodo VI. rursus in Synodo VII. tertiò in Synodo VIII. Romanos Pontifices quamplurimos pugione suo percutere: Sed quia plumbeus est pugio, hic nec Hadriano, nec Cajetano, nec Romanæ, nec universæ Ecclesiæ, nec Romanis Pontificibus anathema Honorio denunciantibus nocet, nec tandem mihi nocere poterit, nisi cæteris omnibus quos modò recensui, percussis antè, & funere elatis.

91

CAPUT XIV.

Frater Baro futurum se spondet Cajetani defensorem, id est, oppugnatorem fundamenti libertatum Gallicana Ecclesia, & Regia sanctionis, qua fundamentum illud firmatur & pramunitur. Cajetani fides mala in citandis auctoribus notatur.

IN paragrapho VII. frater ut sorex suo ipsius periit indicio, dum Cajetani causam adversus Almainum Parisiensem Theologum & me defendit, & repetitum è variis distinctionibus communem locum parat, quo ut sibi videtur Almaini tela & mea declinet, & bene fundatam Parisiensis Academiæ & Gallicanæ Ecclesiæ sententiam de auctoritate Concilii supra Pontificem labefactet. Sed ne quicquam putet me illi affingere, ut mihi ferè semper affingit, quia nusquam mea verba proponit, illius verba propono: *Neque enim aliud apud te lego, nisi convitia in Cajetanum, encomia Almaini, denique Thesin ipsam in probationem assumptam. Aliam insinuat Cajetanus distinctionem legis cogentis, & dirigentis, quas ferunt Concilia, vel ipsi Pontifices, ligare conscientiam directionis vi, non pœna cogentis.* Et post alia similia: *Hos quibus se munit Cajetanus, obices prarumpat oportet adversarius, qua hactenus ne verbo quidem tentavit seu ex inscitia, seu ex conscientia suarum virium, quas his solutionibus refellendis impares esse novit: Et si contrà eniti*
92 *aut eluctari velit, non convitiis, sed argumentis ipsomet Cajetanus sese tutabitur, aut certè sciat non defuturum defensorem, si disputationem revocet ad veras Theologia leges, nec vitilitigationibus agat.*

Et primò quidem non convitiis, sed argumentis Cajetanum persequor, & legitimè persequor. Nam refero textum illius integrum & per partes deinceps tribuo, quibus & argumenta & responsionem subjicio: Quod frater Baro quamvis audacissimus sit, controversiarum fitienrissimus nusquam facit. Utrum ex inscitia vel conscientia suarum virium, quas huic negotio impares esse novit, ipse viderit. Viderint & alii qui illius & mea scripta perlegent, & inter se contendent.

Deinde Cajetani distinctionem rejicio, contortis in eum rationibus, quas ex illius dictis conficio, & hanc disputandi methodum optimam esse agnoscunt, qui disputare sciunt.

Tum necesse non erat me laudare Cajetanum, qui Parisiensis Academiæ matris meæ, & Gallicanæ Ecclesiæ doctrinam oppugnaverat. Laudavi Almainum, quia laudare potui & debui Theologum, qui oppugnatam à Cajetano adulatricis curiæ Doctore, Parisiensis Academiæ, & Gallicanæ Ecclesiæ doctrinam defenderat.

Quartò thesim ipsam in probationem non assumpsi, sed thesim confirmavi rationum momentis, quæ vel ex Concilio, vel ex Patribus, vel ex Sedis Apostolicæ traditione depromuntur, ut ostendam Parisiensis Academiæ, & Gallicanæ Ecclesiæ sententiam de auctoritate Concilii supra Pontificem, & de negato illi in-
deficientis judicii privilegio ad ipsam Romanam & u- 93
niversam Ecclesiam pertinere, & continuò falli eos, qui putant hanc sententiam uni Paris. Academiæ & Gallicanæ Ecclesiæ propriam esse. Atque hoc ipsum est, quod non solùm in illis Epistolis, quas frater non tam impugnat, quàm indicat, sed etiam in aliis omnibus pugnacissimè defendo; & quod frater animo execratur, prospiciens adulationis suæ fundum penitus interire & dissipari.

Quintò jam visum est in cap. V. & VIII. libertatum Gallicanæ Ecclesiæ fundamentum positum esse totum in ea sententia, quæ Concilium supra Romanum Pontificem statuit, quæ Romanum Pontificem Concilio ut membrum Ecclesiæ subjicit lege tam dirigentis, quàm cogentis. Cajetanus hanc oppugnavit sententiam, & frater Baro se futurum esse spondet Cajetani defensorem, si contra Cajetanum disputare pergam: Sic Baro apertus & domesticus est libertatum Gallicanæ Ecclesiæ adversarius, & quia domesticus, ut proditor haberi, & proditoris pœnas luere debet.

Sextò cùm frater Baro futurus est Cajetani defensor, futurus est quoque oppugnator Regiæ sanctionis, qua fundamentum libertatum Gallicanæ Ecclesiæ firmatum est ac præmunitum anno M. DC. LXIII. pridie Nonas Sextiles. Qui verò relatæ in acta publica sanctioni contraveniet, ut frater contravenire jam ausus est, exempli statuendi gratiâ castigabitur. Sancitum est ita.

Septimo oppidò quàm festivus & lepidus est frater,
cùm disputationem meam ad veras Theologiæ leges 94
revocat, quas ipse nunquam observat, & ego semper observo. Theologiæ leges veras mihi non figo, ab aliis fixas accipio & sequor. Vincentius Lirinensis & suo & cordatorum eruditorúmque hominum nomine hanc legem fixit in Commonitorii I. capite I. *Sape igitur magno studio & summa attentione perquirens à quamplurimis sanctitate & doctrina prastantibus viris, quonam modo possim certa quadam, & quasi generali ac regulari via Catholica fidei veritatem ab haretica pravitatis falsitate discernere: Hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: Quòd sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hareticorum fraudes deprehendere, laqueósque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante deberet: Primò scilicet divina legis auctoritate, tum deinde Catholica Ecclesia traditione.*

Gregorius IX. in rescripto ad Parisienses Magistros

legem hanc fixit non dissimilem : *Magistri verò & Scholares Theologiæ in Facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum azotica confundentes, sed de illis tantùm quæstionibus disputent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.*

Beatus Thomas in prima parte, quæst. 1. art. VII. ad secundum, hanc pariter legem fixit, non dissimilem : *Sacra doctrina*, id est Theologia, *utitur auctoritatibus canonicæ scripturæ propriè ex necessitate argumen-*
95 *tando: Auctoritatibus verò aliorum doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter.*

At hæ sunt veræ Theologiæ leges quas observo, & quas frater observat unnquam, vel quia ignorat, vel quia dissimulat. Non alias Theologiæ leges colit, quàm quæ in Aristotelicis & humanis ratiocinationibus consistunt. Quinetiam, plerisque Baronis lucubrationibus non convenit Scholasticæ Theologiæ definitio, quam Lutherus per irrisionem tradit hoc modo: *Theologia Scholastica est ea, quæ à Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis & Philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est.* Scripturâ sacrâ non utitur, aut si utitur, raro. Aristotelicas, & humanas tantum ratiocinationes adhibet, & sic de quæstionibus Scripturæ sacræ auctoritate & Catholicæ Ecclesiæ traditione munitis triumphare se putat. Id dolenter animadvertet, qui siquid habet perituri temporis, commentarios Baronis evolvere & legendo percurrere voluerit.

Octavò priusquam ad defendenda Cajetani contra Parisienses dogmata se accingat, illius fidem liberet in citandis auctoribus, quos cap. XIV. & ultimo opusculi de divina institutione Pontificatus adducit.

I. *Et à Græcis incipiendo Chrysost. Homil. 55. super Matthæum exponens illud, Super hanc petram, dicit, Petrum Ecclesiæ futuræ pastorem constituit.* At Chrysostomus hoc non dicit. Cajetanus de suo prodit. Chrysostomus dicit tantùm : *Pastorem facit multis modis,*
96 postquam *super hanc petram*, exposuit, *id est fidem atque confessionem.*

II. *Theophilus quoque Lucæ 22. tractans illud, Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, ait : Postquam me negato ploraveris ac pœnitueris, corrobora cæteros, cùm te principem Apostolorum deputaverim: Hoc enim decet te, qui mecum robur es & petra Ecclesiæ.* Non ibi est, *mecum*, sed *post me*, quæ duo inter se maximè discrepant. Cajetanus Theophylactum dicere debuit, non Theophilum qui nullos in Scripturam edidit commentarios. Deinde Cajetanus continuò adjicit : *Et infrà : Cùm esset Apostolus denegavit, ac iterum per pœnitentiam obtinuit prærogativam, ut esset antistes mundi :* Quæ non habentur in Theophylacti commentariis.

III. *Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in lib. Thesau. Sicut Christus accepit à patre sceptrum Ecclesiæ gentium dux ex Israel egrediens super omnem principatum, & potestatem super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur : Sic & Petro & ejus successoribus, plenissimè commisit, & nulli alii, quàm Petro, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit, & rursus pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota Trinitas plenissimam dedit potestatem.* At si locus iste conferatur cum eodem loco, quem beatus Thomas in opusculo contra Græcorum errores retulit, constabit Cajetanum in eo referendo semel atque iterum & tertio peccasse. Semel quidem cùm Cajetanus scribit : *Sicut Christus accepit à patre sceptrum Ecclesiæ gentium dux ex Israel egrediens :* Thomas verò ita scribit : *Sicut Christus accepit ducatum & sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israel egredi-*
97 *ens :* Iterum cùm Cajetanus verba duo hæc, *plenissimam potestatem*, sustulit, quæ Thomas habet. Cajetanus igitur scribit : *Sicut Christus accepit à patre sceptrum Ecclesiæ gentium dux ex Israel egrediens super omnem principatum, & potestatem super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur : Sic & Petro, &c.* Thomas verò scribit : *Sicut Christus accepit à patre ducatum & sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israel egrediens super omnem principatum & potestatem, super omne quodcumque est, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem : Sic & Petro.* Tertiò, cùm Cajetanus scribit : *Pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota Trinitas plenissimam dedit potestatem.* Thomas verò scribit, *pedes Christi humanitas est, scilicet ipse homo, cui tota æternitas plenissimam dedit potestatem.* Hic Cajetani fides liberari non potest, nisi frater Baro recipiat, & demonstret, uti demonstrare par est, Cajetanum aliud Cyrilli exemplar, Thomam aliud quoque Cyrilli exemplar nactum esse ; sed usquedum frater hoc fecerit, Cajetani fides in citandis auctoribus vacillabit.

Porro autem hic de testimonii veritate quæstio nulla instituitur. Nam in priori ad Antonium Faurum Epistola ex diversis Cyrilli operibus diversa excerpsimus testimonia, ex quibus manifestum redditur, relata apud Thomam & Cajetanum Cyrilli testimonia, ab ejusdem Cyrilli stylo & scribendi ratione plurimum abhorrere.

IV. *Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus ex persona Christi loquens dicit Petro : Tu cum fine, & ego sine* 98
fine cum omnibus, quos loco tui ponam, planè & perfectè sacramento & auctoritate ero, sicut sum & tecum. At hoc non legitur in operibus Cyrilli Hierosolymitani : Dicere verò & probare hoc in Cyrilli Hierosolymitani operibus lectum esse, quo tempore Cajetanus vivebat, Cajetani fides vindicaretur ; sed dicere & non probare, Cajetani fides minimè liberaretur.

V. *Concilium Chalcedonense, ut in ejus gestis legitur, tempore sancti Leonis & Martiani Imperatoris acclamavit Leoni Papæ, Leo sanctissimus Apostolicus & universalis.* Acclamatio hæc in Calchedonensis Concilii gestis non legitur.

VI. *Augustinus in 2. libro de doctrina Christiana, non longè versus principium, decretales Epistolas Apostolicæ Sedis inter canonicas habendas scripturas censet, dicens : In canonicis scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium, divinarum scripturarum solertissimus indagator auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sint, quas Apostolica Sedes habere, & ab ea alii meruerunt accipere Epistolas.* Augustinus hoc non dicit. Sed dicit : *In canonicis autem scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurimum auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt.* Quæ & qualis apud Cajetanum Augustiniani textus corruptio & interpolatio! Si frater adferat, Cajetanum ab incorrecto Gratiani decreto fuisse deceptum, ille divinabit. Cajetanus sequi se Gratianum minimè significat. Ne morosi simus, frater per nos obtineat quod sibi sumet, tunc pro Cajetano aliquid, sed contra se obtinebit : Nam secutus 99
incorrecta Pii II. opera me ingenti criminatione maculare valuit, quòd correcta Pii II. opera in quibusdam Epistolis meis secutus fuerim, ut suo postea loco videbitur.

VII. *In gestis Concilii Constantiensis inter damnatos articulos Joannis Wiclif & Joannis Hus reperiuntur hi duo, scilicet : Petrus non est, nec fuit caput sancta Ecclesiæ Catholicæ : Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias : & subditur : Error est pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* Supprimit quæ ad rem maximè pertinent : Res igitur est hujusmodi : *Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares :* Mediam articuli partem supprimit, *si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem, aut Concilium generale.*

VIII. *In*

VIII. *In Concilio quoque universali Florentia sub Eugenio IV. habentur hæc verba, Diffinimus, &c. quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Cajetanus, *etiam*, contra Latini & Græci exemplaris fidem posuit. Nam in Latino exemplari, quod Flavius Blondus, Eugenii Papæ IV. amanuensis, exaravit, & refert in Decadis III. libro X. sic legitur: *Quemadmodum & in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris canonibus continetur.* Et sic laudatur ab auctoribus Cajetano vetustioribus & æqualibus; à Marco Vigerio Card. in Deca-
100 chordo chorda X. à Joanne Roffensi in art. XXV. contra Lutheranas assertiones, à Joanne Ekio in libri II. de Primatu Petri capite XXV. ab Alberto Pighio in libri IV. de Hierarch. Eccles. capite ultimo. Deinde in Græco exemplari sic habetur, *καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.* Corruptio hæc magni est ponderis. Nam particula *etiam* usum Pontificiæ auctoritatis ultra sacros canones & gesta Oecumenicarum Synodorum dilatat & extendit: Particula verò &, &, καὶ, καὶ, repetita usum Pontificiæ auctoritatis intra sacros canones & Oecumenicarum Synodorum gesta circumscribit & coercet.

Non sum nescius Cajetanum potuisse lectionem hanc à sancto Antonino & Cardinali Turrecremata accipere: Sed ea super re dico duo. Primum est, idque certum, lectionem illam Florentinæ Synodi Græcis & Latinis exemplaribus non respondere. Alterum, idque mihi dubium & incertum, an Synodi decretum quod referunt, sit rei faciendæ vel factæ species, necne? Si sit ut ego credo rei faciendæ species, excusari possunt; si sit rei gestæ species, excusari non possunt, quia res gesta sic non est, ut illi referunt: Immo rei gestæ nimirum definitioni, vis infertur, cùm particula &, καὶ, in particulam *etiam* mutetur.

Hæc autem omnia cùm ita sint, à Barone liberanda est priùs Cajetani fides, quàm aggrediatur ad tuenda illius placita, quæ Scholæ Parisiensis & Gallicanæ Ecclesiæ placitis adversantur.

CAPUT XV.

101 *Frater Baro & suis & Cajetani distinctionibus Romana illudit Ecclesia, insulsum se Curiæ adulatorem exhibet, & Gallicanæ Ecclesiæ libertates oppugnare pergit.*

IN Paragrapho VIII. scribit quæ sequuntur: *Triplici distinctione Cajetani legum, juris divini & Ecclesiastici, quæ directione in auctores, coactione in subditos agant, & valdè suscepta, illicita efficiunt: His, inquam responsionibus convulsa sunt & deleta, quæ longissimis epistolis ad Hieronymum Sambœuvium & Ludovicum Cusinum scriptis congerit.* O ventosissimum Monachum! Convulsa, si superis placet, & deleta sunt, quæ tamen referre non est ausus, ne tam apertum mendacium detegeretur. Quasi verò verbis tribus aut quatuor convelli ac deleri possent Romanæ Ecclesiæ monumenta omnium ætatum, quibus qui Ecclesiæ huic præfuerunt, Conciliis, sacris Canonibus & Apostolicis traditionibus se verè subjici fatentur. In his traditionibus eam pono, quam in epistola ad Ludovicum Cusinum explico, & ferè nullam esse testatiorem ostendo. Excommunicatus à parente suo Episcopo Marcion Romam se contulit ad annum CLVIII. & in fidelium communionem irrepere & admitti voluit. Sed Pius Pontifex & Clerus, quibus res nota erat, sive Ecclesiasticis literis, sive Marcionis relatione, dixerunt illi: *Nos injussu venerandi patris tui facere illud non possumus, una siquidem fides est & animorum una consensio. Neque contra*
102 *spectatissimum collegam patrem tuum quicquam moliri possumus.* Dixissent-ne hoc viri pii & martyrio tunc coronandi pæne omnes, si non potuisset verè affirmatéque dici? Si quam tulit repulsam Marcion, ut eam meritò ferret, non præcepisset recèns derivata à Petro & Paulo Romanæ Ecclesiæ fundatoribus traditio?

Dilucidè ac breviter respondebit Baro, Romanæ Ecclesiæ traditiones se, qui ab illius architectis mille sexcentorum & eò ampliùs annorum spatio distat, meliùs novisse & certius, quàm Pius & Clerus noverant, qui centum plus minus annorum spatio tantùm distabant. Hæc, inquam, respondebit breviter, quia λανθανόμενος imitatur. Respondet argumentis, quæ sibi ut par est, non proponit. Mox procul rejiciet, quod Sulpitius Severus de Damaso & Ambrosio narrat in historiæ sacræ libro II. *Igitur post multa inter eos & digna memoratu certamina apud Cæsaraugustum Synodus congregatur, cui tum etiam Aquitani Episcopi interfuere. Verùm heretici committere se judicio non ausi, in absentes tum lata sententia, damnatique Instantius & Salvianus, & Helpidius & Priscillianus Laici. Additum est, ut siquis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eandem sententiam promendam. Atque id Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, ut decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret.* Et quibusdam interpositis: *At tum Instantius, Salvianus & Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum urbis ea tempestate Episcopum, objecta purgarent.* Et quibusdam interpositis: *Hi ubi Romam pervenere, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. Regressi Mediolanum, æquè adversantem sibi Ambrosium* 103
repererunt. Tum vertere consilia, ut quia duobus Episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent. Damasus id erga Instantium, Salvianum, & Priscillianum fecit: Quod Pius Pontifex & Clerus erga Marcionem, ex Petri & Pauli traditione faciendum esse acceperant. Ambrosius Damasi factum executus est, nec poterat non exequi: Quippe qui sciret disciplinam hanc esse Apostolicam & eam Romæ diligenter observari & Nicæno canone firmatam esse. Tunc temporis non erant Cajetani, non erant Barones, qui Romæ Apostolicam traditionem & disciplinam futili distinctione solverent, qui Pontifices munus suum docerent, & supra apostolicam traditionem & Nicænam Synodum extollerent. Tunc errabatur istorum hominum judicio, nec in orbe toto suppetebat ullus, qui deprimeret eminentissimam illam Christianæ religionis simplicitatem, quæ Romæ vigebat, & à Pontificibus magnopere colebatur. Heu Romam infelicem! Desiderabatur unus frater Baro, in beatæ simplicitatis illius locum sæcularem fastum inducturus. Effecisset omnino, ut qui Pontifex Pius, Damasus, alius exlegem se esse non credebat, exlegem se esse credidisset: Ille citra proprii Episcopi consensum Marcionem communione donasset sua: Hic Instantii, Salviani & Priscilliani purgationem audisset, auditam probasset, auctoritatem suam cæterorum antistitum potestate majorem ostensurus. Hoc unum Baro spectat, non publicam Ecclesiæ utilitatem, quæ bene nusquam
eminet, nisi dum sacri canones & pristinæ traditiones 104
ab omnibus accuratè servantur. Scilicet dum id præstatur, quod Pius & Romanus Clerus, Damasus & Ambrosius & Sacerdotes reliqui præstiterunt; dum Baronis adulatione proscripta nemo se putat legibus solutum esse.

In epistola ad Hieronymum Sambœuvium non sunt mea, quæ scribo, sed Siricii Papæ, & plurimorum Pontificum, quorum una fides est, & una animorum consensio. Sed quia dicta illorum mea facio, & in bono lumine colloco, sic excandescit frater, ut pressus energemate videatur. Itàne verò? Tantùm iræ, tantum furoris? Siricius antiqua Sedis suæ traditione succinctus, Baroni & aliis Curiæ assentatoribus solemnes exorcismos intentat. Exorcismorum codex est Collectio Romana bipartita, ubi Pontifex Anysio & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis respondet: *Accepi,*

inquit, *literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis, judicium ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus: Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus*, & cætera, quæ in memorata ad Sambœnvium Epistola describo.

His autem verbis ut sacris obtestationibus cùm ur-
105 getur Baro & circumsidetur, torquet se miserandum in modum, clamores in cælum usque tollit, & per latus meum ferit Siricium, eique exprobrat, quòd nescierit se supra Capuense Concilium esse, datis ab eo Macedonibus Episcopis de Bonoso mandatis non teneri, & Capuensi Synodo, seu integrâ seu non integrâ, judicandi formam sibi competere. Præterea frater in calumniando vehemens & incensus Siricio & aliis ejusdem sententiæ Pontificibus, quos nostra in Epistola refero, hinc objicit Bernardum, Perronium, & Coeffetæum, à quibus dissentit; inde objicit Marcum Antonium Spalatensem, Mornæum & Blondellum, quibus consentit. In summa nisi Siricius & Pontifices alii veterem Sedis Apostolicæ traditionem deserant, & in Baronis sententiam discedant, Christiana concidet religio, πάντα ἰσχύει. Insulsus adulator eousque progreditur, ut nihil illius, nisi ipsa insulsitas rideatur.

Verùm ne videatur sibi sapiens, expendenda est illa distinctio, qua fretus & armatus de Siricio, & Pontificibus aliis in Epistola ad Sambœuvium relatis amplissime triumphat. Triumphi causa est, distinctionis, quam ut Pythium magis, quàm Evangelicum oraculum insumit Baro ad rerum omnium solutionem, ignorantia. Ignorarunt igitur legem legis auctorem dirigere, non cogere. Dirigendi vim auctorem respicere, vim cogendi subditos, Pontifices verò subditos non esse. Quod quia nec probat nec probare potest, manifestè petit principium. Et hoc est vitiosissimè disputare, Curiæ adulatoribus maximè propriam. Id dum observo, Baronis machinas omnes funditus everto.

106 Deinde legis divisio in dirigentem & cogentem à regulis deficit, cùm rei divisæ membra inter se non opponantur, opponi debent. Qui lege cogitur, eadem non potest non dirigi. Cogente lege nemo plectitur, nisi & qui ante dirigenti legi parere noluerit. Quid quæso roboris importat lex, quæ dirigit & non cogit? Vis dirigendi quæ secum vim cogendi non habet, inefficax est & talis à sapientibus censetur. Quod Aristoteles Baronis præceptor amantissimus, in Eth. lib. x. cap. ult. & usus & experientia rerum magistra confirmant. Quid Ecclesiæ, quid Romano profuisset Concilio, Joan. XII. Pont. post homines natos sceleratissimum ad virtutem dirigere, nisi potuisset eum cogere, ac in vitiis publicisque offensionibus contumaciter & arroganter perseverantem de prima Sede dejicere?

Hac de re judicium sit penes Dominicani Ordinis Theologos numero quatuor, Vincentium Bellovacensem, Joannem Turrecrematam, Franciscum Victoriam, Michaëlem Cardinalem Alexandrinum, qui postea in Romanum optatus est Episcopum, & dictus Pius V. Audiendi sunt igitur. Et primùm quidem Vincentius prodeat in Historialis Speculi libro XXIV. cap. LXXXVI. ubi legitimam Joannis abdicationem sic agnoscit: *Joannes ex Papa se cum uxore cujusdam oblectans à Diabolo in tempore percutitur, & sine Viatico Dominico moritur.*

Deinde Turrecremata in libri III. de Summa Ecclesiæ, capite cui titulus est, *Universalium Conciliorum celebratio maximè valet ad sex. Quintò celebratio Conciliorum est utilis ad refrænandum exorbitantias*
107 *quorundam Pontificum, qui Pontificatum suum, aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vita scandalosa confundunt. Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator, & lubricus publicus & incorrigibilis erat. Ut enim ait Hormisda Papa in Epistola decretali ad Episcopos per Hispaniam constitutos, difficile est, ut cujusquam cor sic pravis cogitationibus induretur, ut in se patiatur culpandus fieri, cum noverit se judicium subeundum Concilii.*

Tum Victoria in libri de potestate Papæ & Concilii propositione XXIII. *Propter injustas dispensationes vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procedunt, posse convocari & congregari Concilium contra voluntatem Papæ, ut si resisteret, obviaret ejus insolentia. Hoc expressè tenet Silvester in verbo Papa. §. 4. Quòd si Papa suis moribus destruit Ecclesiam, potest convocari Concilium contra ejus voluntatem, ut per illud Papa moneatur, & Deus invocetur, & resistendo in malis remedium apponatur. Hoc expressè tenet Turrecremata assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis libro 3. cap. 10. Celebratio, inquit, Conciliorum utilis est ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum*, & cætera ut suprà.

Denique Michael Cardinalis Alexandrinus Clementis Moniliani Cardinalis librum, qui *Theologicarum institutionum Compendium* inscribitur, approbavit, & approbando suum fecit. Monilianus in capite XIX. de Conciliorum utilitate tractat, & quæ Turrecremata scripserat, sic transscribit: *Quartò valet ad re-* 108
frænandum exorbitantias quorundam Pontificum, & cætera, ut suprà apud Turrecrematam. Cardinalis Alexandrinus approbationem revocavit nusquam, sive ut viam sibi ad Pontificatum sterneret, sive postquam Pontificatum illum adeptus est, ut in eo pacificè maneret.

Ex his quatuor Ordinis prædicatorum scriptoribus primus est magnus Philosophus, Theologus & Historicus. Secundus Cardinalis & vehementissimus (Victoria judice) Pontificiæ dignitatis assertor. Tertius cùm ex aliis, tum ex eo quoque commendatur, quòd factus Parisiensis Theologus Theologiam Hispaniæ importaverit, excellentésque viros Melchiorem Canum, Sotum utrumque Dominicum & Petrum, & alios erudierit. Quartus apotheosim suam cotidiè præstolatur.

Occurret frater Baro, & sibi semper similis ad Bernardum, Perronium & Coeffetæum, ut ad sacram anchoram confugiet: Deinde cum licentia & permissu sumet in manus, Spalatensem, Mornæum, Blondellum immanissimos Romanæ Ecclesiæ hostes qui Vincentium, Turrecrematam, Victoriam, Pium V. vel corruperint, vel secuti fuerint, & quia secutos esse probabile est, exinde Vincentius, Turrecremata, Victoria & Pius V. falsi convincuntur, & in Spalatensis, Mornæi & Blondelli fautores miserrimos evadunt. Baronem sequor: *Quocunque ierit, aut pariter in luto hærebimus, aut pariter expediemur.* Hieronymi verba sunt in Dialogo contra Luciferianos, quæ meos in usus derivanda esse censui.

Superest aliquid, quod nefas esset intactum relin-
quere, ne de prætermissione Baro juveniliter exultaret: 109
Divini, inquit, & Ecclesiastici juris leges directione in auctores, coactione in subditos agunt. Divini juris auctor est Deus, auctor est Christus, qui non statutis à se legibus, sed sua bonitate & justitia, divini juris leges omnes antevertente dirigitur. Baronis propositionem hanc non noto, quia graviter notandum se omnibus exhibet. Calefacto cerebro & inconsideratè scribit, ut veritatem occultet, non ut patefaciat, ne patefacta suis & Curiæ cui servit, placitis repugnet.

Veniendum est ad Ecclesiastici juris leges, in quibus Baro fortasse ratiocinationis & responsionis suæ totius arcem constituit. Sed valde malè constituit: *Hæ leges, inquit, directione in auctores, coactione in subditos agunt, vel dirigendi vim exercent in auctores, cogendi in subditos.*

subditus. Apophthegmata sunt non Plutarchi aut Lycosthenis, sed fratris Baronis, cui non tantum fidei, quantum Plutarcho, vel Lycostheni debemus, ut jam planum fecimus in iis, quæ ad divisionem in vim dirigendi & vim cogendi pertinent. Restat ut quid sibi velit per illud *in subditos* expendamus. Id unum in scriptis suis sibi vult, Romanum Pontificem Ecclesiasticis legibus cogi non posse, quia illis subditus non est. At ego contrà præ me fero Ecclesiasticis legibus cogi posse, quia illis subditus est.

Et primò quidem Romanus Pontifex membrum est universalis Ecclesiæ, ac proinde Concilii, quod universalem Ecclesiam repræsentat, & quamvis membrum Ecclesiæ sit primum, ex eo tamen membrum esse non definit, aut totum esse incipit. Beatus Thomas in expositione Symboli: *Unde Ecclesia sancta Catholica in-*
110 *dem est, quod congregatio fidelium, & quilibet Christianus est sicut membrum ipsius Ecclesiæ.* Si Christianus quilibet judice quinto Ecclesiæ Doctore membrum est Ecclesiæ, Romanus Pontifex Ecclesiæ membrum erit, alioqui Christianus non esset. Non credo Baronem eo venturum esse dementiæ, ut Romanum Pontificem Christianum esse ierit inficias. Cum autem universalis Ecclesia, & repræsentans eam Concilium sit totum, & Romanus Pontifex sit Ecclesiæ vel Concilii pars tantùm, necessariò consequitur, Romanum Pontificem Ecclesia & Concilio minorem esse, & eam ob causam subditum. Siquidem totum majus esse qualibet sui parte, & communis hominum sensus declarat, & inter Patres Athanasius, Hieronymus & Augustinus confirmant: Primus in Epistola ad Africanos: *Tanto major est Nicæna Synodus particularibus Conciliis, quantum totum sui aliqua parte.* Secundus in Epistola ad Evagrium: *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe.* Tertius in libri II. de Baptismo capite I. *Quanto facilius & fortius, quod per universa Ecclesia statuta firmatum est vel unius Episcopi* (neminem excipit) *auctoritati, vel unius provinciæ Concilio præferendum est.* Iterum in cap. III. *Et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere.* Denique in cap. IX. *Si autem Concilium ejus* (Cypriani) *attenditur, huic est universæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum, cujus se membrum esse gaudebat. Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur. Et universum partibus*
111 *semper optimo jure præponitur.* Frater Alexandrino, Antiocheno, Carthaginiensi Episcopo, rationem partis vel membri in Ecclesia & Concilio asserere & retinere non poterit, cùm illam Rom. Pont. detrahet, ne Ecclesiæ & Concilio subjici videatur. Si nobis ille non credat, Gregorio I. credat scribenti in libri IV. Epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium sunt plebium capita, & tamen sub uno capite* (Christo) *omnes sunt membra Ecclesiæ? Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.* Quicunque igitur in Ecclesia Dei & in figurante Ecclesiam Concilio rationem partis vel membri sive primi, sive alterius nominis, Ecclesia & figurante Ecclesiam Concilio minor est, ei inferior & subditus.

Deinde Metropolitanum Episcopum provinciæ suæ caput esse antiqui Scriptores & Concilia tradiderunt. Apollinaris Sidonius Arvernorum Episcopus in libri IV. Epistola ultima ad Domnulum: *Fecit & Patiens* (Lugdunensis Archiepiscopus) *vir quamlibet magnis par tamen laudibus, quod factu decuit personam, quæ caput est civitati nostræ per Sacerdotium, provinciæ vestræ per civitatem.* Tum in libri VII. epistola V. ad Agræcium Episcopum: *Nec te quanquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia subtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum: Nec nimmium refert, quod nobis est in habitatione divisa provincia, quando in religione causa con-* 112
jungitur.

Emeritense Concilium, quod anno DCLXVI. celebratum est, in præfatione sua: *Congregatis nobis omnibus provinciæ Lusitaniæ Episcopis in nomine Domini residentibus in Hierusalem, quæ in Emeritensi urbe (quæ caput hujus provinciæ noscitur esse, & sub principali nomine manet dedicata) juxta ordinem priorum canonum nostrorum juvamine captum est initium.*

Gregorius II. in Epistola ad Ursum Venetiarum Ducem: *Quia peccato favente Ravennatum civitas, quæ multarum caput Ecclesiarum extat, à nefanda gente Langobardorum capta est.* Apud Petrum Justinianum in libro I. historiæ Venetæ.

Joannes VIII. in Epistola XVIII. ad Felicem & Petrum Episcopos Mandanaucensem & Equilensem: *A capite tam Apostolica Sede, quàm Metropolitano vestro dividamini.* Capitis nomen & Apostolicæ Sedi & Metropolitano Episcopo impertitur.

Concilium, quod Valfredus Cantuariensis Archiepiscopus habuit apud Celichyth. cap. XI. *Ut nulli Episcoporum liceat alterius parochiam invadere, vel etiam aliquid alterius ministerii ad se pertrahere in aliqua consecratione Ecclesiarum, vel Presbyterorum, & Diaconorum, nisi solus Archiepiscopus, qui est caput suorum Episcoporum.* At quamvis Metropolitanus provinciæ caput, multarum Ecclesiarum, & Episcoporum caput censeatur, & provinciali Concilio præsideat, & canonum in illo ad sanciendam Ecclesiarum provinciæ disciplinam editorum auctor primus sit, ac præcipuus, his tamen canonibus subjicitur, & ad eos servandos cogi potest, & nisi servet puniri. Cur ergo ratio- 113
ne pari Romanus Pontifex non subiiceretur canonibus Concilii, cujus caput esset, cui præsideret? Et quorum canonum auctor primus ac præcipuus extitisset?

Quinetiam Ipsosmet Pontifices suorum provincialium Conciliorum decretis obnoxios esse reperimus. In Romana Synodo quam Symmachus Papa de bonis Eccles. non alienandis habuit, Rom. Pontifex obligatur can. IV. *Hic ergo perpensis mansuro cum Dei nostri consideratione decreto sancimus, ut nulli Apostolicæ Sedis præsuli à præsenti die, donec disponente Domino Catholica fides manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum quantæcunque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione, ad cujuslibet jura transferre, nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu.* Synodus vim dirigendi à vi cogendi non separat, nec separabit unquam, qui Pontificem non sui, sed Ecclesiæ gratia creari noverit. Adulatores Baro & alii norunt id quidem, sed si dicerent, quod norunt, fœdo servitutis crimine utilitatibus suis non studerent.

Tum in can. VI. *Pari etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ civitatis titulos, qui sunt Presbyteri, vel quicunque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia nefas dictu est obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus Pontifex, ea hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri.* Sic homo secundi in Ecclesia ordinis, nimirum Presbyter obligatione seu lege tenetur eadem, qua summus Pontifex, id est homo primi in Ecclesia ordinis. Quis modò nisi mente captus dice- 114
cet, Presbyterum exposito decreto dirigi quidem posse, sed cogi non posse? Si Presbyter hoc decreto dirigi & cogi potest, eodem & Pontifex dirigetur & cogetur: *Quia nefas dictu esset, obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus Pontifex, ea hominem secundi in Ecclesia ordinis non teneri:* Scilicet uterque, & summus Pontifex & Presbyter, eadem obligatione & lege vinciuntur. Quæ enim Christi charitas in causa fuerat, cur summus Pontifex se latæ à

provinciali Synodo legi submiserat, eadem & in causa esse debebat, cur Presbyter eidem legi se submitteret. Libere statuitur lex, sed statutæ legi obtemperare necessarium est. Alioqui luenda est pœna, quæ non obtemperantibus decernitur. Nonne qui rationi obsequantur, eos lege coercendos aliquando esse prudentissimi quique semper existimarunt?

Agapetus Papa, qui per ætatem Romanæ Synodo hnic interesse potuit, decretum ab ea editum vim dirigendi & cogendi se continere testatur in Epistola I. quam ad Cæsarium Arelatensem Episcopum scribit: *Tanta est Deo propitio, & ad ea libentissimè concedenda quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa tua fraternitatis affectum nostra devotio, ut onerosum nobis nullatenus esse judicemus, quod animi vestris desideriis postulatis. Sed revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus specialiter prohibemur, prædia juris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena jura transferre. Quæ in re*
115 *vestra quoque sapientia credimus esse gratissimum, quòd in nullo contra prisca definitionis constituta, vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscunque personæ respectu venire præsumimus. Nec tenacitatis studio, aut sæcularis utilitatis causa hoc facere nos credatis, sed divini consideratione judicii necesse nobis est, quidquid sancta Synodalia decreverit auctoritas inviolabiliter custodire.* Subjungit postea Romanæ Synodi decretum, quod antè retulimus. Nunc Deus immortalis, turpissima Baronis adulatione, & tam insolenter quam inutiliter jactata distinctione quid fiet? Vel illa distinctio pereat, vel Agapetus erret necesse est. Si Agapetus errat, Baro singulari pudore suffunditur: Si non errat, Baro cum sua distinctione suffocatur.

Rem pro nobis & contra Baronem conficit Romani Pontificis electi professio fidei, quam olim Romanus idem electus Pontifex emittebat. Verba sunt: *Diligentiùs autem & vivaciùs omnia decreta prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæque vel Synodaliter probata sunt, confirmare & indiminutè servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire, quæque vel quosque condemnarunt, vel abdicarunt, simili auctoritatis sententia, condemnare, disciplinam & ritum Ecclesiæ, sicut inveni, & à sanctis prædecessoribus meis traditum reperi, illibatum custodire & indiminutas res Ecclesiæ conservare, & ut indiminutè custodiantur operam dare.* Hæc ex veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno, quibus vinculum vinculo adjicitur. Vinculum pri-
116 us est Romanæ Synodi decretum, quo Pontifex & Presbyteri obligantur. Vinculum posterius est jusjurandum, quo novus Pontifex ad ea quæ Romæ Synodaliter decreta sunt, observanda constringitur. Utinam sperare mihi liceret, futurum, ut Baro sese corrigeret, antiquam Romanæ Ecclesiæ traditionem agnosceret, & adeò turpiter assentari desisteret! Desistet utique dum incipiet sua sorte contentus esse, nec vetera Ecclesiæ instituta futilibus quorundam recentiorum distinctiunculis metietur ampliùs.

Tum antistites, qui generalibus intersunt Conciliis & auctores sunt canonum, qui ad sanciendam uniuscujusque Ecclesiæ disciplinam decernuntur, iisdem sunt canonibus obnoxii, ut nemo dubitat: Obnoxii tamen non essent, si Baro cum sua distinctione audiretur. *Ecclesiastici juris leges directione in auctores, coactione in subditos agunt.* Ii tantùm canonum auctoritate cogi possent, qui Conciliis non interfuissent, & illorum canonum auctores non extitissent. Quis incredibilem Baronis sagacitatem non miretur, qui dum sacrorum canonum observandorum necessitati & legum coactui Romanum unum Pontificem conatur subducere, Pontifices cæteros, qui Conciliis intersunt, & edendis canonibus suam navant operam ac studium, eidem necessitati & coactui subducit? Distinctionem suam, qua simul & semel devorare duas è meis Epistolis sat longas sibi videbatur, reformet ac recoquat, ita ut verè dici queat,

Spiculáque extenso Pæan Pythone recoxit.

Præterea jactatæ distinctionis in hac materia vanitas colligitur ex Tridentino Concilio, quod in Sessionis 117
x. capite v. sic loquitur, cùm doctrinam confessionis exponit: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, &c.* Et primò quidem Ecclesia per Lateranense concilium statuens, ea est quam Lateranense Concilium repræsentabat. Deinde repræsentata per Lateranense Concilium Ecclesia non est ipsum Concilium, quia nihil seipsum repræsentat, sed est Ecclesia per orbem Christianum dispersa quæ ab hoc Concilio post Nicolaum I. *Catholicorum seu fidelium congregatio* definitur.

His ita positis, ut necessariò poni debent, Ecclesia, quæ per Lateranense Concilium statuit id quo de agitur, est Catholicorum seu fidelium congregatio per illud Concilium repræsentata. Quapropter hæc fidelium congregatio per Lateranense Concilium repræsentata annuæ confessionis auctor est; & quia auctor lege, quam de annua confessione tulit, fideles dirigi quidem possunt, cogi non possunt. En omnium animis & auribus absona complexio, in quam bella illa Baronis distinctio infertur, ut velut Jovis fulmine percussa concidit.

Sublatâ igitur atque extinctâ futili distinctione, quomodo sese res habeat, videndum est. Collecta in Synodum Ecclesia seipsâ per orbem dispersâ major, & ad decernendum aptior omnibus & singulis Christiano nomine censitis præscribit, quid credendum vel non credendum, quid agendum vel non agendum sit,
ut piè laudabiliterque vivant, & tum demum salutem 118
consequantur. Hinc ut Synodo, quæ universam repræsentet Ecclesiam, sic & Synodi constitutionibus ob memoratum finem præscriptis, & earum legitimæ directioni & coactioni Christianus nemo subtrahitur aut subtrahi potest.

Denique revertor ad primam sedem, à qua nemo me divellet unquam: Gelasius I. magnus ille Pontifex quæstionem absolvet in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Quibus*, inquit, *ex paterna traditione perpensis confidimus, quòd nullus jam veraciter ignoret Christianus uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam.* Quid frater respondebit Gelasio Curialium magistrorum hosti capitalissimo? Qua sophistica fuligine decolorabit tantum Pontificem, ne dignoscatur assertum ab eo primæ sedis officium? Qua tandem arte illi de sua futili distinctione accommodabit unquam? Inter primam sedem & sedes alias comparationem instituit, qua Baronis & reliquorum adulatorum moræ, tergiversationes, cavilli dispelluntur, longè & latè dissipantur, & in pulverem vagum abeunt.

Fortasse Baro Curiæ gratificaturus & retinendæ distinctionis suæ supra modum cupidus eò se recipiet, ut dicat Alexandrinam sedem, Antiochenam sedem, Engubinam, si vis, sedem in exequendis Synodorum decretis, quæ universalis Ecclesiæ probavit assensus, lege dirigente tantùm, non lege cogentis teneri, & eam ob causam mirum non esse, si prima sedes lege cogentis teneri non possit. Si dicat hoc, quia aliud,
nisi nobis consentiant, dicere non poterit, semel at- 119
que iterum versipellis homo captus est: semel quidem, quia quod privilegii genus uni tantum Sedi vult asserere, omnibus per summam imprudentiam asseret; iterum verò, quia licèt id quod sibi sumeret, veritate aliqua niteretur; in primam Sedem transferri non posset. Quid ita? Gelasii verba si valeas, intellige: *Uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* Si *magis*
hoc

hoc capi nequit, nisi prima Sedes & lege dirigente & lege cogente teneatur exequi uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus.

Verùm relicto sibi cum adulatrice Curia Barone semper adhæreamus primæ Sedi, quæ per Gelasium locuta est, atque expendamus tantisper, cur sic locutus est? *Non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam.* Hilarus Papa, quem Gelasius videre potuit, id nos docet in Romana Synodo cui præfuit: *Si placet*, inquit, *fratres, ea, quæ ad ordinationum tenorem pertinent, juxta divinæ legis præcepta, & Nicænorum canonum constituta ita adjuvante Domino in omne ævum mansura solidemus, ut nulli fas sit, sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare, quia nos, qui potissimi Sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inventi, quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentia Sacerdotum, siquidem reatu
120 *majore delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.*

Symmachus qui & Gelasium videre potuit, Hilari pronuntiatum in Romana Synodo VI. repetit, & repetendo suum facit: *Sanè*, inquit, *reatu majore delinquit, qui potiori honore perfruitur, & graviora facit vitia peccaminum, sublimitas dignitatum.*

Innocentius III. Sedis Apostolicæ traditionem edoctus idem sibi sumit, cum ad Philippum Augustum, uxorem repudiare volentem ita scribit in lib. III. Regesti XV. epist. CIV. *Sed in carnali commercio inter te ac Reginam conjugem tuam adeò est processum, quod si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto filio Magistro Roberto Corzon, nunc titulo S. Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid diffinire, propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus,* PRÆTER DIVINAM OFFENSAM ET MUNDANAM INFAMIAM, QUAM EX EO POSSEMUS INCURRERE, FORSAN ORDINIS ET OFFICII NOBIS PERICULUM IMMINERET, *cùm contra prætermissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* Itane quæso scriberet, ut in postrema periodo scribit, si cogentis Ecclesiæ legem nullam agnosceret? Si
121 Ecclesiæ subditum se non crederet? Ubinam nisi apud Ecclesiam ordinis & officii periculum immineret? Adulatores Baroni similes, qui pulvillum omni magnatum cubito assuunt, in Curiam nondum induxerant, alterum legis munus, quod est cogere, in Romanos Pontifices exerceri non posse. Quasi verò tunc potuisset intelligi, peccantes corrigere iis negatum esse, quibus datum est alios dirigere ne peccent. Derisi sunt à Patribus Novatiani, qui peccatores illigabant in pœnis, quas solvere se non posse affirmabant.

Expositam per suos auctores Sedis Apostolicæ traditionem amplectitur beatus Thomas, cùm in secunda secundæ quæst. C. art. I. ad septimum ita respondet: *Dicendum, quòd Papa potest incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo. Peccatum enim tantò in aliqua persona est gravius, quantò majorem obtinet locum.* Et primò quidem fieri potest, ut aliquis homo putà Paulus simoniæ peccatum commiserit levissimum, quod non commisisset, nisi committendi occasionem Pontifex exemplo suo dedisset. Deinde fieri quoque potest, ut Pontifex aliquis putà Joan. XII. simoniæ peccatum commiserit gravissimum & indies committere non desistat. Postremò peccatum hoc gravissimum esse poterit, tum ex parte rei, cùm Sacerdotium grandi pecunia venditur, tum etiam ex parte personæ, cum ut ait Thomas, *peccatum tantò in aliqua persona est gravius, quantò majorem obtinet locum.* Tunc sedente pro tribunali Barone munus legis cogentis in Paulum exercebitur, in Joannem XII. non exercebitur, sed tantùm munus legis dirigentis, quam audiet si voluerit, & ea audita in vitio perseverabit impunè. Hoc est egregium Baronis judicium, sed cujus assessores non sunt Ge- 122
lasius I. Hilarus, Symmachus, Innocentius III. beatus Thomas, quos interim, ut æquiores judices appellamus, & unà Baroni litem intendimus, quam contestari non auderet, & cum tot Pontificibus & quinto Ecclesiæ Doctore Thoma disceptare. O detestabile & à bonis omnibus declinandum fratris Baronis tribunal! in quo qui magis peccat, minùs corrigi potest, & ideò in majus discrimen adducitur, quia illius saluti minùs providetur. Hæc habui, quibus assertam Romanæ Ecclesiæ traditionem duabus in Epistolis, una ad Sambœuvium, altera ad Cusinum, non tam defenderem, quàm confirmarem.

CAPUT XVI.

Repellitur quæsita ex Pii II. ad Carolum VII. Galliæ Regem literis calumnia.

BAro calumniam hanc impingit mihi duobus in locis. Et primùm quidem in eodem paragrapho VIII. *Tacere non possum, ejusdem quod epistola pagina 23. habet plagium epistolæ Pii II. ad Carolum VII. Regem Galliæ, quæ sic eum monet: Unum à te petimus, charissime fili, ut detractoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas. At Launoius ex crassa inscitia, vel ex cæca ad detrahendum libidine locum corrupit & interpolavit, voci detractorum suffecto Doctorum vocabulo.* Deinde in paragrapho XI. *Dico me non mirari epistola VII. pagina 23. interpolata Pii II. ad Carolum VII. epistolæ verba, & loca detractorum Sedis Apostolicæ, ut mens auctoris & genuina lectio habet, ab* 123
adversario suffectum τὸ Doctoribus vocabulum.

Hæc autem geminata calumnia diluitur ex Pii II. operibus, quæ Basileæ prodierunt apud Henricum Petrum anno MDLXXI. in hujus enim editionis Epistola CCCLXXIV. ad Carolum VII. Regem Galliæ verba sunt ipsamet, quæ sine corruptione & interpolatione ulla laudavi: *Unum à te petimus, charissime fili, ut doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas.* Tunc editionem hanc, quæ ex officina Henrici-Petrina prodierat, conferre non curavi cum editionibus primis, in quibus legitur, *detractoribus*, non *doctoribus*. Et primùm quidem me ab hoc labore deterruit inscriptio hæc: *Æneæ Silvii, seu Pii II. opera, quæ extant, omnia, nunc demum post corruptissimas editiones, summa diligentia castigata & in unum corpus redacta.* Accedit Marci Hopperi præfatio, quæ inscriptioni fidem facit certissimam: Enumeratis enim singillatim Pii libris, subjicitur: *Hi ergo libri sunt, ex quibus volumen hoc compositum est, digni omnes, qui in manus studiosorum veniant: In quibus conquirendis, ut honoris ergo eos nominem, suam quoque operam nobis præstitere eximii viri D. Bonifacius Amorbachius Juris utriusque Doctor, urbis nostræ Syndicus, & Academiæ tum temporis M. Rector, D. Joannes Spyractes Juris utriusque licentiatus, ordinarius apud nos legum Professor, affinis noster charissimus, nec non D. Conradus Lycosthenes Rubeaquensis liberalium Artium magister, qui sententias quoque, quarum hic auctor refertissimus est, à se inter legendum observatas, ut fuit vir diligentissimus ac verè studiosus, nobis communicavit: Quarum farraginem adje-* 124
ctam hic vides.

Ex his autem omnibus luculenter apparet, operum Pii II. editionem, qua usus sum, cæterarum omnium quæ præcesserant, emendatissimam esse. Unius instar

sunt

sunt editiones cæteræ, quæ præcesserant. Nam omnes sunt similes primæ, nec ulla in iis intervenit correctio, ut mutua omnium demonstrat contentio, & sic de numero priorum editionum jus supra Henricipetrinam editionem nullum acquiritur. Itaque Henricipetrina editio primæ anteponitur, quia prima incorrecta est, postrema, quæ est Henricipetrina, correctior.

Deinde si Henricipetrinam editionem contulissem cum prioribus, quæ corruptissimæ sunt, fecissem imprudentiùs, si editiones primas Henricipetrinæ prætulissem. Quis unquam vidit sapientes atque eruditos homines, qui correctiorem libri alicujus editionem considerata re neglexerint, ut incorrectam sequerentur? Hic est scopulus, in quam falsi nominis Criticorum jurgia & contentiones impingunt, & ita pereunt ut sævitiæ vestigium relinquant nullum.

Cæterùm operæpretium est hic animadvertere, quid vir literatissimus & acerrimi judicii de primis librorum editionibus scripsit in opere, quod inscribitur: Marini Statilei responsio ad dissertationes de Traguriensi Petronii Fragmento: *Enimverò si ista objectio valet, vix ullum erit, vetusti auctoris scriptum, quod non impostura suspectum esse debeat. Cujus enim Scriptoris non primæ editiones mendis propè infinitis scatent? Varronis Fragmentum de lingua Latina, prout est editum ab*
125 *Antonio Augustino, consideret, & pudebit eum suæ istius*
objectionis. Multo enim plura ibi verborum portenta reperiet, quàm in hoc Petronii Fragmento. Quid alia referam veterum auctorum monumenta, Plauti, Catulli, Tibulli, Propertii, Plinii, quàm fœdis ubique maculis contaminata essent, priusquam in doctorum hominum manus venirent!

Tum demum rei in Epistolà tractatæ series Henricipetrinæ editionis lectionem exigere probabilius videtur. Referenda est Epistola, quo lectionis bonitas attendatur facilius.

Pius Episcopus servus servorum Dei, Charissimo in Christo filio Carolo Regi Franciæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem. Quæ ad nos de conditionibus Tornacensis civitatis tua serenitas scripsit, non diffitemur ita esse, ut scribis. Abundans enim multitudo populi est in regni tui confinibus, & quæ mansit in tua & progenitorum omnium sæculis multis, præbetque tibi opportunitate loci commoda permulta & magna. Quòd verò adjungis, Ecclesiam ipsam promissam tibi in personam Cardinalis Constantiensis fuisse, in eo vel tua Majestas informata verè non erat, vel qui de ea nos compellarunt, responsa nostra interpretati bene non sunt. Viventium beneficia cuiquam promittere mos noster non est, nec fuisse in hunc diem adjutore Deo meminimus. Recordamur oratoribus dixisse, cùm vacare illam contingeret, rem facturos, de qua contentari meritò posses: Daturos autem, cui velles eam Ecclesiam, nec diximus unquam, nec cogitavimus. Adveniente tamen obitu translati Episcopi, facere Majestati tuæ rem gratam in animo gessimus. Per obitum non vacavit.
126 *Senex grandævus incommoda multa perferre in ea civi-*
tate non valens, precatus est illuc robustiorem transferri. Fuit justa & pia ejus petitio. Raræ vel nullæ supplicationes hujusmodi à Sede Apostolica solent repelli. Si doles hominem Duci Burgundiæ subditum illic esse præpositum, minor culpa hæc nostra est, quàm fuerit prædecessorum nostrorum, qui plures Burgundos illic statuerunt. Nos rem novam non fecimus, veterem & usitatam sumus secuti. Hoc quoque ad transferendum Tullensem promiores nos facit, quòd sicut serenitas tua intelligit, Tornacensis diœcesis sub dominatu est Burgundorum, nec putamus videri inconveniens posse, si ex dominio illo daretur Episcopus, infra cujus limites major est & amplior Jurisdictionis illius pars. Nam quod tua serenitas queritur, & hus & aliis rebus se cernere commoda regni tui & consanguineorum tuorum, nobis parum cordi esse, in hoc credimus evenire tibi, quod nobis. Ut enim tu complaceri tibi à nobis sæpe non putas: Sic nos sæpe exaudiri à te vota nostra non cernimus. Non tamen propterea de tua in nos voluntate sinistrum aliquid credimus, cogitamus semper causas tibi aliquas esse, propter quas non fortasse posses, quæ volumus. Accusamus necessitatem, mente, & animo æquissimi sumus. Par officium à te requirimus, charissime fili, nec vellemus quotiens tibi obtemperatum non est, toties de animo nostro judicium faceres. Meminimus in gratiam tuam multa fecisse, honore tuo multa multis dedisse. Si semper non dedimus, non semper esse Apostolica Sedes potest ut vult. Multa illam circumspicere oportet, multa metiri: Ita semper actiones suas dirigere, ut reddere illarum rationem Deo & hominibus possit. Postremò quod 127
nobis denuncias, te permissurum non esse, ut idem Tullensis Tornacensi Ecclesiæ præsit, nihil in hoc aliud respondemus, nisi Majestatem tuam sanè intelligere, quod Regem Catholicum decent. Et nos constanter sperare te, si factum nostrum diligentiùs considerare volueris, nihil dissimile à claris progenitoribus tuis esse facturum, quos non minùs veneratio in Ecclesiam Dei, & obedientiâ in sanctam Sedem Apostolicam, quàm cætera gloriosa facta, illustrarunt. Ipsam autem translationem cùm facta solemniter sit, mutare sine reprehensione non possumus. Unum à te petimus, charissime fili, ut doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas: Pro certo habeas nos serenitatem tuam amare, illi cùm possimus, obsequi cupere, nec prætermissuros unquam occasionem aliquam esse, in qua tuæ bonitati placere cum Deo possemus. Quod si in aliquo præjudicatum tuis juribus putas, parati sumus tuæ celsitudini justitiam cum omni benignitate administrare. Datum Romæ IX. *Decembris, anno* LX. *Pontificatus nostri anno tertio.*

Cogitanti sæpè, & Pontificiæ Epistolæ, qua respondetur Regi, contextum perpendenti facilè venit in mentem, Doctores, qui tunc Sedis Apostolicæ consultationibus intererant, Cardinali Constantiensi potiùs, quàm Tullensi Episcopo favisse. Duplex poterat esse causa: Primùm, quòd Constantiensis Cardinalis ad Sedem pertinebat Apostolicam, Tullensis Episcopus non pertinebat: Et ob id Cardinalis gratificatione visus dignior, quàm Episcopus: Deinde quòd Rex Carolus præ se ferebat, promissum id sibi esse, quod Pius solerti quadam scribendi ratione promissum esse 128
diffitetur. Exinde Sedis Apostolicæ doctores, ut Cardinali res ex animo succederet, & Pontificis voluntas inclinaretur, & à proposito retraheretur, Regem vel monuerant, vel monendum esse censuerant, eum posse meritò impedire, quominùs Tollensis Episcopus, si Tornacensem in Ecclesiam transferretur, dominio suo frueretur. Pontifex consilium hoc regis postquam studuit verbis removere blandioribus, & rationem momentis plausibilioribus, in illorum complementum adjicit: *Unum à te petimus, charissime fili, ut doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas.* Quia scilicet Sedis Apostolicæ doctores, qui rem planè noverant, à partibus Regis Caroli & Constantiensis Cardinalis steterant, non à partibus Tullensis. Optabat contrà Pius ut illis fides non haberetur, sed quidquid egerant in hoc negotio, humanis affectibus tribueretur: Atque ita hac in re locus nullus dandus est priori lectioni huic: *Unum à te petimus, charissime fili, ut detractoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas.* Quocirca lectio hæc prior probè correcta est in editione quæ Basileæ anno MDLXXI. ex officina Henrici Petrina prodiit.

Deinde, quis sciens & prudens Pontifici sententiosum & argutum dicendi & scribendi genus sortito propositionem tribueret, quæ sensum incongruentem importat? Nempe detractoribus aliquando credi posse, si detractoribus semper non credatur: Posse quoque detractorum passionibus nihil tribui, si multa tantùm, & non omnia detractorum passionibus tribuantur. 129
Spissi & non necessarii laboris foret, ad formales argutias confugere, ut inculta & absurda per sese Pio vindicetur propositio. Hæc observatio apud cordatos

datos & literatè peritos homines lectionis prioris correctionem exigeret, tametsi viri graves & docti, à quibus Henrici Petrina curata est editio, maoufcripta non coosuluissent exemplaria, quæ illos consuluisse par est credere.

Tum quid profuisset mihi Epistolam Pii corrumpere vel interpolare: Nimirum id mali geous committere, quod ab omnibus facilè deprehenderetur, & me culpæ, quam & summoperè & semper odi, reum ageret, & in certissimam sublestæ fidei vituperationem adduceret? Taceo illud & homine Theologo, & cum literis nonnibil habente commercli prorsus indignom esse. Sed frater Baro impingendæ mihi quomodocumque calumniæ avidus, & qui cum ipso conspirarunt, huc animom advertere vel noluerunt, vel, quæ mentis cæcitas, festinatio, vehementia, & immaturitas fuit, non quiverunt.

Deoique gratuitò sibi persuadebit nemo, noluisse Pontificem id de Sedis Apostolicæ Doctoribus scribere, quod ab eo in castigatiori operum lectione legitur. Cur non scripsisset, si verè scribi potuit? Fortasse, inqoies, majorem doctorum illorum curam habuit, quam ut aliquid tale de illis scriberet? An majorem quæso te famæ Doctorum Sedis Apostolicæ curam habuit, quàm sacri Collegii? Parvipendebat Collegium & illud parvipendisse Jacobus Cardin. Papiensis
130 testatur in Epistola CLXXXI. ad Paulum II. *Nobis verò, ait, quem esse amicum credis, videntibus nostra dignitati illudi: Hocce erat, quod repromittebas de te, cùm pontificatum quærebas; cùm te insinuabas nobis, cùm dolebas Nicolaum, Calistum, Pium parvipendisse Collegium nostrum.*

His ita constitutis primùm frater Baro inclementioris manus & styli vir perspectæ atque exploratæ calumoiæ convincitur, cùm scribit me Pii II. Epistolam corrupisse & interpolasse, atque vocem *doctoribus*, io locum *detractoribus* suffecisse. Hoc autem cùm ita sit, doabus Baronis Philippicis quid fiet? Philippicæ nostræ, (inquiet frater, sempiterni odii providus,) nisi remanere potuerint ad vulnus adversarii, remanebunt ad cicatricem. Non valebunt quidem ad asserendam veritatem, sed valebont ad corroborandam iofamiæ notam, quæ inuretur adversario, & illius scriptis fidem detrahet.

Deinde ejusdem criminis sunt rei homioes illi, à quibus accepisse se dicit, quod hac de re scripsit, oisi fortasse scribendo quod scripsit, aliis imponat & meotitus sit: Negotium est, qood inter Baronem & auctores seu relatores suos transigi debet.

Tum relatio, quæ fictis fabulis adscribenda est, calumniarum & mendaciorum Baronis uumerum auget.

Præterea Baro ex affectata vel malitia, vel ignorantia calumniari me semel atque iterum voluit, cùm in quibusdam meis Epistolis, & maximè in ea, quam ad Thomam Rullandum Parisiensem Theologom, mensibus abhioc quindecim exaravi; Laudatis tribus Pii II. Epistolis subjnnxi: *Hac ex Basileensi editione anni*
131 M.DLXXXI. *quam ut correctiorem & hic sequor, & in alus meis epistolis secutus sum.* Tertullianus in libri de velandis virginibus cap. I. *Caterum suo vitio quis quid ignorat? Quod autem ignorat, fuit tam requirendum, quàm recipiendum quod agnoscitur.*

Denique ut mea in citandis auctoribus liberetur fides, per summam Dei gratiam non indigeo Baronis loco communi, quem tamen suprà cap. X. in bono lumine collocavi.

CAPUT XVII.

Baro cùm assertum à Cardinali Perronio Romani antistitis primatum passim objicit, calumniatur & lectoribus suis illudit.

RES sic se habet: Jacobus Cardinalis Perrooius in responsione ad Regem Angliæ Romaoi antistitis primatum asserit. Sed non aliter asserit, quàm Parisienses Theologi asserunt. Primatum asserit, quo Pontifex oec supra universam Ecclesiam, nec supra Concilia extollitur, & cui indeficientis judicii privilegium non attexitur. Nam si primatum cum his dotibus, quarum una Christo soli debetur, altera Ecclesiæ & figuranti Ecclesiam Concilio soli à Christo datur, tribuisset Pontifici, pugnasset secum & pugnando secum, egregiis scriptis auctoritatem detraxisset omnem. Cùm io provinciali Concilio librum de Ecclesiastica & politica potestate damoavit, anno M.DC.XII. III. Idus Martii, tam Regis & Gallicanæ Ecclesiæ jura, quàm illius libertates excipiendas esse censuit. Damnavit *sans toucher neantmoins aux droits du Roy & de la Couronne de France, droits, immunitez, & libertez de l'Eglise Gallicane,* Joribus tamen Regis & 132
regni, juribus, immunitatibus, & libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ per nos minimè tactis. Vir doctus & prudens id probè noverat, quod anno M. D. LXIII. mense Januario Carolus Cardinalis Lotharingius Tridento Romam scripserat, in Commooitorio ad Secretarium suum, eùmque in Romana Curia procuratorem: Verba sunt Gallica quæ alibi Latina sic feci: *Nunc superest titulorum ultimus è Florentina Synodo depromptus, quem beatissimo patri nostro tribuere volunt. Ego verò negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academia alumnus, in qua Romanum Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui docens sibi contrarium, ii tanquam haretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus suis partibus generale habetur. Basileense in auctoritatem admittitur. Florentinum perinde ac nec legitimum nec generale habetur, atque idcirco Galli de vita potiùs quàm de sua sententia decederent. Hac autem omnia cùm ita sint, me ad sanctitatis sua pedes projicio, & ei per viscera misericordia Dei nostri supplico, ut impræsentiarum verba hujusmodi omnia, & concertationes hujusmodi mittantur: Afflicto regno non est danda afflictio. Haretici jam satis offensi sunt. Catholici reguntur ac ducuntur omnes à Theologis, qui clamores usque in cælum tollent.* PRIVILEGIA ET LIBERTATES REGNI IN HAC VERITATE POSITÆ SUNT UNIVERSÆ, *& eam ob causam disputatio hujusmodi si fiat, tota ad subversionem audientium convertetur. Regnum separabitur & distrahetur; quod erit commune ac summum illius exitium.* NAM CREDERE FUTURUM ESSE VEL UNUM ANTISTITEM QUI NIS CONSENTIAT, INSANUM ESSET. Hæc sunt igitur Re- 133
gis & regni jura, hæ Gallic. Ecclesiæ libertates, quas Perróoius ut sibi constet, tacitus excipit, cùm in Responsione ad Regem Angliæ Romani antistitis primatum adstruit, nec potest non excipere, cùm perpetua Romanæ Ecclesiæ traditio suffragetur, ut pluribus in epistolis demonstravimus. Sed frater Baro, qui in assentatorum Curiæ turba dux est ac signifer, primatu tali contentus uoo est. Instaurare vult, quod Conciliom delectorum Cardinalium & aliorum prælatorum tantopere vituperavit, quando Paulus III. de emendaoda Ecclesia seriò cogitavit: Eum sic alloquitur: *Et quoniam sanctitas tua spiritu Dei erudita, (qui, ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu) probè noverat principium horum malorum inde fuisse, quòd nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet: Inde effectum est, præterquam principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veritatis ad aures principum, quòd confestim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem esse dominum beneficiorum omnium: Ac ideò cùm dominus jure vendat id quod suum est, necessariò sequi, in Pontificem non posse cadere simoniam. Ita quòd voluntas Ponti-*

ficis, qualiscumque ea fuerit, sit regula qua ejus operationes, & actiones dirigantur: Ex quo proculdubio efficitur, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam tot
134 *abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque. Credat sanctitas tua scientibus, qui ob hanc præcipuè causam Christianam religionem derident, adeo ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes.* Ecce tibi Romani antistitis primatum, quem frater iste tueri ac fovere nititur, atque ut in statu hujusmodi perseveret, Romanum antistitem supra universam Ecclesiam, & quodcumque Concilium attollit, eique non errandi privilegium appingit. Ut quidquid usquam fecerit, nec universa Ecclesia, nec generale Concilium ei possit dicere; *cur ita facis*? Neque hoc Baroni satis erit, nisi Romano tribuatur Pontifici, quod illi beatus Thomas in secunda secundæ quæst. x. art. x. in quæst. xii. art. 18. tribuit, idque sine veræ Theologiæ principiis duobus, Scripturæ sacræ auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione. Quas quæstiones cùm ibi tractandas suscipit, has ea ratione non terminat, qua terminandas esse Theologiæ quæstiones Gregorius IX. præscribit in rescripto ad Parisienses magistros: *Magistri verò & Scholares Theologia in Facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebraam cum azotica confundentes, sed de illis tantùm in Scholis quæstionibus disputent, qua per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Hic Theologici libri sunt Scriptura sacra, cui sanctorum Patrum tractatus postponuntur & conjungun-
135 tur. Quinetiam id juris, quo de agit Thomas, Pontifici vindicare non potest ullus Scripturæ locus, juxta unanimem consensum sanctorum Patrum acceptus, quemadmodum accipiendum esse Tridentinæ fidei regula præscribit. Hic fixo pede Baronem opperior: Ita nihilominus ut tandem aliquando desinat veterem magistrum Aristotelem sequi, & piscatorum scholam frequentare incipiat, ne beatus Hieronymus Theologo id generis dicat: *Disputatio tua non ex fontibus veritatis & Christiana simplicitate, sed ex Philosophorum minutiis, & arte descendit.*

Revertor ad Perronium, qui noster est, non adversarii: Noster est inquam: Primò, qui in asserendo Pontificis primato magnifica & decretoria Cyrilli testimonia omnia, quæ sanctus Doctor in quartum sent. in opusculo contra impugnantes religionem, & in opusculo contra Græcorum errores refert, adhibito studio neglexit. Adhibito certè studio: Quid enim aliud exspectari potest ab eo scriptore, quem Baro Achillem suum constituit? Deinde quia prudenter censuit, in asserendo Pontificis primatu usurpanda sibi non esse falsa, vel certè dubia, incerta, & suspecta testimonia, ne primatus causam prodere videretur. Appositè scripsit aliàs Joannes Roffensis Episcopus: *Qui rationes invalidas & inefficaces adfert, perinde est ac si nullus attulisset.* Item: *qui suam opinionem rationibus munit, qua palam sunt invalida, nulliusque extant roboris, profectò prodit seipsum hallucinatum fuisse, atque fallacibus inductum rationibus ut ita opinaretur.* Tum quia Perronius falsa vel incerta veris ac certis miscere noluit, ne quod elucubrabatur opus, bonis &
136 malis artibus mixtum videretur, ac suspectum totum redderetur. Quis enim nescit, vitio disputantis asserendam primatus veritatem periclitari posse?

Ad extremum, quia in asserendo primatu ultramemoratos libertatum Gallicanæ Ecclesiæ limites progressus non est, sed intra eos se fortiter continuit. Si Baro negaret, injuriam ei faceret, quem passim observare & colere instituit, quia dicere cogeretur, Perronium contentione facta inter provincialem Synodum cui præfuit, & responsionem ad Regem Angliæ pugnantia locutum esse. Hoc non cogor ego dicere, quia mihi persuasum est, consentientem illum sibi per omnia mansisse in finibus & terminis, quos Martinus V. sacro approbante Concilio Constantiensi in ultima Sessione constituit, cùm Joannis Wiclefi articulorum condemnatio repetita & confirmata est. Articulus xli. est hic: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* En Papæ primatum, quem Facultas nostra Parisiensis Theologiæ, & quem Gallicana Ecclesia reverenter agnoscunt, & quem Perronius pro virili asseruit! Sed definita hoc in articulo veritas à Barone impugnatur, cùm supra universalem Ecclesiam & Concilium generale Romanum Pontificem attollit, & unà Martino V. ac Constantiensi Concilio, capiti nempe juncto corpori Ecclesiæ non errandi privilegium abjudicat; quod capiti seorsum à corpore Ecclesiæ at- 137
tribuere non dubitat: Quæ hominis insulsitas! Extra Baronum caulas non reperiuntur, qui balare ita velint.

Cæterùm quam exposuimus Perronianam tractandi methodum, hæc exorcismi instar erit, quo pressus frater Baro varia distortione, vultu, statu, & motu totus deformabitur.

CAPUT XVIII.

Diluitur calumnia, quam Baro impingit mihi ob confutatum acriter Bellarminum, & calumniator ipse fert incommodum.

HIC bonus frater probaturus intentatum nihil relinquere se ut me calumnietur, ad Bellarminum in paragrapho vi. viii. & ix. digreditur, & iis in locis mihi magno vertit crimini, quòd Bellarminum paullo duriùs exceperim. O fratrem Prædicatorem egregium! Quam ipse in disputando non servat moderationem, eam ab aliis servatam non esse conqueritur.

Turpe est doctori, quem culpa redarguit ipsum.

Quæ servanda fuit in epistolis meis moderatio, hanc ubique servavi, sed rationes mihi sunt multæ ac justæ cur Bellarminum paullo acriùs confutaverim.

I. Bellarminus Parisienses Theologos inopinantes violenter aggressus est, ut eos de antiqua doctrinæ suæ possessione per Concilia tria, Pisanum, Constantiense, & Basileense, & totidem Romanos Pontifices, Alexandrum V. Martinum V. & Eugenium IV. confirmatâ deturbare tentaret. Ut autem avita & paterna retineretur possessio, conferenda cum hoste manus 138
fuit, qui & forsan vulnus accipere potuit: Et hæc est certaminum infelicitas. Quis præterea nescit commisso prælio vacare dignitatum nomina? Ut ait beatus Hieronymus.

Tros Rutulus-ve fuat, nullo discrimine habebo.

II. Bellarminus Parisiensium doctrinam notis severioribus affecit. Nam in libri iv. de Romano Pontifice cap. 11. postquam de quæstione hac, utrum *certum sit Papa judicium*, tres retulit sententias, subjungit: *Sententia, qua dicit Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hareticum & docere heresim, si absque generali Concilio definiat, non est quidem haretica, sed est omnino erronea & heresi proxima.* Hæc autem est Parisiensium sententia, & eam Bellarminus illis tribuit & verè tribuit. In eo tamen fallitur, quòd paucis Theologis Parisiensibus tribuit, quod omnibus, quod Theologiæ Facultati, quod antiquissimæ Academiæ tribuendum fuit.

Deinde

Deinde Bellarminus in libri II. de Conciliis capite XVII. proponit, *Summum Pontificem simpliciter & absolutè esse supra Ecclesiam universam, & supra generale Concilium, ita ut nullum in terris supra se judicium cognoscat: Hæc propositio est ferè de fide.* Atque ita Parisiensis Academia, & Galli, qui contrariam tuentur sententiam, sunt ferè hæretici.

Ad propulsandam utramque injuriam initum est à me certamen, in quo ad Tridentinæ Synodi legem de interpretandis Scripturis exactæ sunt probationes, quas ex Scriptura repetit; & continuò apparuit, Bel-
139 larminum nec legem illam, nec fidei professionem servasse, sed omnino neglexisse. Adde quòd nullum producat privilegium, quo & Tridentinæ legi & professioni fidei derogare potuerit. Non eo inficias, quin omnia hæc Bellarmino multum importent dedecoris: sed *quare fecisti sic.*

III. Quæstionis prioris, quæ ad Papæ judicium spectat, statum non proponit sincerè, ut qui Romano Pontifici non errandi privilegium abjudicant, odiosiores reddantur. Tunc necesse fuit Bellarmino malæ fidei dicam scribere, & quod negotiosum non erat ostendere, innumerabiles & Theologos, & Jurisperitos in ea versari sententia, quam Theologis duntaxat quinque, Nilo, Thessalonicensi Episcopo, Joanni Gersoni, Jacobo Almaino, Hadriano VI. & Alfonso Castrensi tribuit. In numerandis igitur opinionis hujusce assertoribus errat, ut qui maximè errare potest. Hoc non antè perpenditur & examinatur, quàm fide Bellarmini detrahatur quamplurimum. Inventum enim est, opinionem, quam *communissimam esse omnium ferè Catholicorum* affirmat, unius tantùm esse vel alterius, qui & solida ratione nulla ducitur, & multis imponi sententiam, quam minime docuerant.

IV. Bellarminus opiniones novas ac proinde suspectas antiquis & bene fundatis opinionibus, cujusmodi sunt Parisiensium, anteponit. Qua in re pugnat secum, ubi doctrinæ antiquitatem in notis Ecclesiæ constituit, lib. IV. de notis Ecclesiæ cap. V. Sic inconsequenter locutus suis ipse scriptis fidem detrahit & auctoritatem. Quinetiam ἀνακόλουθος ille disputandi
140 modus eò processit, ut ex Bellarmini principiis semel atque iterum demonstraverim, Parisiensium placita, de quibus nunc agitur, divina fide credi posse, tantum abest ut condemnentur. Hoc quamquam Bellarmino probrosum, omitti tamen non potuit, nisi Parisiensium majorum nostrorum defensio negligeretur.

V. Bellarminus Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditionem, qua Parisiensium dogmata sustentantur, vel dissimulat, vel ignorat. In uno κρυφίως, in alterô ἀναφανδόν, incusatur, & convincitur. At neutrum silentio involvi potuit, nisi Parisiensium causa & veritas ipsa proderetur. Et hæc Parisiensium nostrorum laus est præcipua, quòd illorum adversus Bellarminum defensio, in asserta per literas nostras Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditione tota consistat.

VI. Bellarminus Parisiensium placita, cùm refellit, ut magis populariter refellat, & ab iis lectores suos deterreat, hæreticis adscribit, quasi illorum error in eo tantùm consisteret. Factiosum esse, gravi honestóque viro indignum disputandi genus, dum se tulit occasio, demonstravi. Sed divina factum est aliquando providentia, ut in sententiam transierit, quam hæreticis attribuerat. In libri I. de Romano Pontifice cap. XII. statuit, claves datas esse Petro, non toti Ecclesiæ, ut Parisienses, & alii penè omnes, qui Pontificem Concilio subjiciunt, affirmant. Sed in lib. II. de Conciliis cap. II. Parisiensium & aliorum, de quibus mox meminimus, sententiam ut certissimam ita supponit: *Concilium generale repræsentat Ecclesiam universam, ac proinde*
141 *consensum habet Ecclesiæ universalis. Quare si Ecclesia non potest errare, neque Concilium œcumenicum legitimum & approbatum errare potest.* Sic non errandi in fide & moribus privilegium datum est priùs toti Ecclesiæ, quàm Concilio repræsentanti totam Ecclesiam, siquidem privilegium illud ab Ecclesia in Concilium derivatur. Hoc autem nihil aliud est, quàm claves priùs datas esse toti Ecclesiæ in sensu Parisiensium, quàm Petro. At Parisienses loquuntur in sensu Patrum, & sancti Augustini præcipuè, qui quæ Bellarminus in loco priori Petro simpliciter tribuit, Petro ut Ecclesiæ personam gerenti sine hæsitatione ulla tribuit. Hoc prætermitti non potuit, quia Bellarminus pugnantia locutus, suam destruit sententiam & adversariorum sententiam adstruit. Porro autem frater in Bellarmini orthodoxa Parisiensium placita hæreticis adscribentis schola diu multúmque studuit, & in ea calumniatricis licentiæ locum primum jure merito consecutus est.

VII. Bellarminus illam de potestate Summi Pontificis doctrinam tradidit, qua imbutus frater Jacobus Clemens ejusdem cum Barone & Ordinis & disciplinæ id fecit, quod nemo ignorat, & quod referre horresco. At Parisiense Senatusconsultum, quo perculsa illa doctrina fuit, me vehementer ad pugnam accendit. Et hoc ipsum esse, quod Baronem maximè pupugit, contendam semper, donec ille Senatusconsultum ab Romanæ Inquisitionis censura defenderit.

His septem rationibus, quæ septemplicis clypei sunt instar, accedit, quòd defensori plura, quàm aggressori legibus permittantur. Bellarminus Parisienses Theologos, immo & Gallicanam Ecclesiam injuriosè aggressus 142
est. Ego & Parisienses Theologos & Gallicanam Ecclesiam defendi: Idque pro modulo meo. Nam pæne nullus est Parisiensis Theologus, qui hac in defensione palmam mihi præripere non possit, ut frater in paragrapho IX. rectè advertit, & rectè advertisse libenter recipio. Nemini invideo, hac in re adstipulabor semper fratri, refragabor nunquam. Bellarminus servare noluit Homeri præceptum hoc:

Αἰδεῖσθαι ἀλλήλους κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

Et quia servare noluit, ego servare non potui, etiamsi maximè voluerim: Scilicet vis vi repellenda fuit.

Præsidia hæc mea, quæ modò exposita sunt & quæ æquis rerum æstimatoribus sufficient, Baroni non sufficient, quia Bellarmini de Rom. Pont. placita omnia complexus est animo, & adorat. Non mentior: Baronis verba sunt hæc in paragrap. VI. de me locuti: *Bellarminum fidei Catholicæ invictum pugilem nunquam desinit lacessere.* Nimirum in certis quibusdam literis, quas ad amicos scripsi. Bellarminum igitur nominat invictum fidei Catholicæ pugilem in libris, ubi Romano Pontifici non errandi privilegium attribuit, ubi Romanum Pontificem supra universam Ecclesiam & generale Concilium statuit, ubi tum demum Romano Pontifici jus destituendi reges asserere conatur.

Hæc me privatim non attinent, sed eos quorum est videre, ne quid ex Bellarmini doctrina (quam Baro vindicat in futili examine nostrarum Epistolarum) detrimenti respublica capiat. Hominem istum vehementer suspectum esse debere, cùm alia omnia significant, tum illud quoque, quod suprà capite III. extremo disseruimus.

Porro ille ab hac suspicione vehementi ac justa libe- 143
rare se non potest, nisi dogmata illa nova Ecclesiæ cùm Romanæ, tùm universæ, & Regum & regnorum juribus contraria esse & verbo & scripto testetur. Est enim versipellis Monachus, atque exotica doctrina inquinatus, qui si de aliis controversiarum capitibus, quas ego non attigi, locutum se esse dixerit, mentietur. Nec se mentiri credet, quia probabilis opinionis à Gnimenio inductæ, quam refutavit in speciem, mysterio ad arbitrium utitur. Hic scripto ut equus capistro retinendus est, non quòd retineri possit ob naturæ inconstantiam ἀλλοπρόσαλλος homo, sed quòd alia illum retinendi via nulla, si unam excipias, supersit.

Verumenimverò fingamus, Baronem dictum suum de

de aliis controversiarum capitibus intelligere; intelligat, fictione juris consentimus. Homo quamlibet lubricus & incomprehensibilis comprehendetur. Bellarminus in libri 1. de Rom. Pont. cap. XXV. scribit: *Cyrillus Alexandrinus in Thesauro, (si beato Thomæ credimus in Opusculo contra Græcos) Sicut Christus, inquit, accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium Dux Israel, egrediens, super omnem principatum & potestatem, & super omne quodcunque est, ut ei cuncta curventur; Sic & Petro & ejus successoribus plenissimè commisit, & nulli alii, quàm Petro Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Bellarminus per verba hæc quatuor (*Si B. Thomæ credimus*) cùm Thomam laudati testimonii sponsorem ac vadem ita faciat, illi longè plus officit, quàm ego, qui suggestum Thomæ testimonium impostori transcribo.

144 Deinde Bellarminus *invictus fidei Catholicæ pugil*, in libri 1. de gratia & libero arbitrio capite XII. de Baronis & aliorum sancti Thomæ Discipulorum gratia efficaci hoc modo: *Sequitur altera quæstio, unde sumatur efficacia gratiæ: De qua re tres opiniones invenio, duas extremas & unam mediam.* Et quibusdam interpositis: *Est igitur alia sententia in alio extremo aliorum, qui docent, gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum. Et quia non potest fieri, ut Deus physicè determinet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur, & velit id ad quod determinatur, ideo fieri non potest ut gratia ista non habeat effectum infallibilem. Hæc opinio videtur mihi, aut esse omnino eadem cum errore Calvini & Lutheranorum, aut parum ab illo distare.* Hæc est de physica prædeterminatione sententia, quam *invictus fidei Catholicæ pugil* Bellarminus eandem cum errore Calvini & Lutheranorum facit. Si frater Baro Bellarmini placitum accipiat, captus est, si rejiciat, nullus: Et tergiversanti occurram & dicam: Si quæ tu mihi de Blondello & Mornæo objicis, veritate niterentur aliqua, nunc responderem hoc modo. Ex Mornæo & Blondello historicæ eruditionis nonnihil meos in usus derivare minùs malum est, quàm commune cum Calvino & Lutheranis dogma proponere & asserere. At Thomistæ, in quibus est Baro, proponunt & asserunt. Quo judice? Bellarmino, à cujus tribunali provocare non licet, quia Baroni nostro, & Baronibus aliis, *invictus est fidei Catholicæ pugil.*

CAPUT XIX. *Ad Saturam.*

145 IN hoc capite varia rerum momenta perstringam, sive quia unumquodque per sese legitimum caput efficere non potest, sive quia brevitati hoc modo consuletur.

I. In omni disputatione justa & splendida qui alteri respondet, illius rationes sanas atque integras referre debet, ut hinc quanta rationum, seu objectionum, inde quanta responsionum vis sit ac robur, appareat, eruditusque lector id dijudicare possit. In epistolis, quas ad Raimundum Formentinum & Felicem Phelippæum Brossam Parisienses Theologos, de Cajetani & Almaini controversia perscripsi, quid Cajetanus Almaini dictis respondet, totum sine ulla commatis ullius prætermissione repræsento, ut cùm postea Cajetani responsionem expendo, Lector videat, num aliquid, quod sit ponderis alicujus dissimulem. At frater Baro, ut mecum in nullo convenire velle ostenderet, contrariam disputandi rationem iniit, cùm ad examinandas epistolas meas aggreditur: Perinde ac si quod non refertur sincerè posset examinari, Probationes meas, quas vel ex auctoritate Romanorum Pontificum, vel ex Sedis Apostolicæ traditione, vel ex Patrum & Conciliorum testimoniis arcesso, nec sanas nec integras exhibet, sed mutilas tantùm & laceras. Aliud est non dissectum, aliud dissectum corpus, quod in conspectum omnium committitur. Corpus, quod dissectum non est, nisi multùm placere possit, certè displicere multùm nequit: Dissectum verò corpus non potest nisi horrorem incutere. Probationes nostræ apud fratrem dissecti ac dilaniati corporis speciem referunt:

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. 146

Hic est sincerus animus, quo reformatioris vitæ Monachus Baro scribere ac disputare instituit. Hæc est fraus perpetua in examine aliquot epistolarum nostrarum. Disputat sola infuscandæ materiæ & contradicendi cupidine; non quærendæ & asserendæ veritatis gratiâ.

In summa si quando (quod rarum) nonnullæ examinis paginæ imposturis, fraudibus, & contumeliis vacant, ibi nihil premit κατὰ πόδα, nihil insequitur. Hinc inde saltitat, ita ut eum camelum saltitantem appellares. Ex epistolarum nostrarum serie & contextu certas quasdam plagulas distrahit, detorquet, vellicat, criminatur quæ non intelligit, & conatur ex claro lumine tenebras efficere. Nam Curiæ assentator nihil habet prius vel antiquius, quàm ut abscondatur Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ traditio, qua confossus ac disruptus miserè interiret. Perversitati huic affine est & illud, quòd recentibus placitis, antiqua & prudentissima Romanorum Pontificum instituta æstimet & corrumpat. Observare duo hæc, Baronis in examinandis nostris epistolis consilium omne patefecisse, ac dissolvisse est. Hic frater manu tenet sacculum inerudito Theologorum pulvere, Aristotelicæ Philosophiæ ramentis, subrancidis quibusdam distinctiunculis, communibus locis omni materiæ ac proinde nulli convenientibus semiplenum, eóque aerem tantùm & umbras diverberat. Nimirum de tali supellectile Romanis Pontificibus, Conciliis, Patribus, quos non vidit unquam, accommodare se posse putat, opinione hac occupatus magnificè se jactat, exercitatissimo cuique athletæ 147
tabellam provocationis dare aut dirigere paratus. Sed interea dum athletam offenderit, is velut rusticus rubiginoso quodam ense accinctus suam ipsius fraternitatem circumspicit, contemplatur attentiùs, & revera in vanam ac falsam gloriam dissipatur.

II. Quod ille frater de tribus tantùm adversarii sui epistolis oppugnandis cepit consilium, id postea mutavit. Mutati consilii ratio disquiritur & asseritur. Consilium prius ita proponit in fine paragraphi IV. *Launoius, quæ divus Thomas ex Cyrillo aliisque Patribus Græcis refert, ad secundam classem apertè falsorum revocat: Nos probabilibus & dubiis accensemus.* HOC UNUM *suscipio propugnandum contra Launoii* EPISTOLAS TRES, *quas brevi refellam.* Consilium posterius elucet in paragrapho VIII. IX. X & XI. ubi plures alias epistolas perturbato illarum ordine & desultoria levitate impugnare nititur, & iis accommodare de pluribus argutiis & distinctiunculis, quas volatica peperit Academia, non Romanæ, non Gallicanæ, non universæ Ecclesiæ traditio, quam ignorat, vel per summum scelus dissimulat. Ego Ecclesiæ, & cum primis Romanæ traditionem ab initio derivatam expono: Qua luculenter apparet, Romanum Pontificem Ecclesiæ & Conciliis subjici, & Gallicanam Ecclesiam hac in re non aliter sentire, quàm Romana sentiat Ecclesia. Sed frater Baro, genere quidem Gallus, externis verò & pravis moribus imbutus, ut Romanæ Curiæ gratiam sibi conciliet in libertatum Gallicanæ Ecclesiæ perniciem, recepta in se Cajetani & recentium quorundam falsi nominis Theologorum opinione, Romanum Pontificem su- 148
pra Ecclesiam, supra Concilia, supra sacros canones attollit, & tacitus errasse Hadrianum VI. contendit, cùm ille Pontifex in mandatis, quæ dedit Francisco Cheregato suo in Germaniam eunti, scribit: *Scimus in hac S. Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia denique in perversum mutata.*

III. Frater de adversarii sui, quia adversarium eum esse voluit, latinitate constanter, ut & de cæteris loquitur in paragrapho VI. *Latinam, ait, Minervam non admodum excoluit.* Sed in paragrapho VII. hæc alia tribuit adversario: *In confutatione Cajetani Almaini causa, selecta verba lego, elegantem orationis circuitum, mallem Theologum*

gum egisset, quam oratorem. Infrà: *Diserta ubique habes.* Deinde in paragrapho x. *Hic Launoio Rhetorica opus est ad purgandum quod Synodo factum imputas.* Nunc circa idem me vituperat, vel laudat, prout id, quod scribendum sibi sumit, exigere videtur. Sed quoniam pugnantia loquitur, mendacio liberari non potest. Non mentietur tamen me idoneo judice, cùm ait, adversarium *Latinam Minervam non admodum excoluisse.* Nec inde miror, me apud antiquos Scriptores Minervam Latinam aut Græcam minime legisse, tametsi fuisse legerim, quem Minerva artes omnes edocuerit.

IV. Frater in paragrapho VI. ferè extremo Romanos Pontifices, Liberium, Felicem, Joannem XXII. ingeniosè, ut putat, in privatos & publicos homines partitur. Ut privati sunt homines, in hæresim labi possunt & labuntur; ut publici sunt homines, nec la-
149 buntur, nec labi possunt. Quasi verò qui privatus est homo, minùs homo sit, quàm qui publicus est homo. Et contrà, qui publicus est homo, minùs homo sit, quàm qui privatus est homo. Et sanè Paulus, sive homo sit publicus aut privatus, nec magis nec minùs homo est. In utroque statu Paulus homo est æqualiter, qui proinde errare, labi & deficere potest, non quia privatus est aut publicus, sed quia homo est simpliciter. Aliud est distinctionem, vel divisionem, istiusmodi projicere in medium, quæ sola distinguentis aut dividentis auctoritate nitatur; aliud distinctionem vel divisionem istiusmodi adferre, quæ duobus veræ Theologiæ principiis, Scriptura & traditione suffulciatur. Ad hoc frater advertit nusquam, quia Theologiam aliter tractat, quàm Gregorius IX. tractandam præscripsit. Itaque negotio huic inutilis est prorsus illa partitio Romani Pontificis in privatum & publicum hominem; & siquid probaret, nimium probaret, & quia nimium, nihil. Unusquisque Episcopus, Ostiensis puta, in privatum & publicum hominem dividi potest: In privatum, qui scilicet privatam personam gerit in hac vel illa re: In publicum, qui publicam personam sustinet. Hæresis vel error, quemadmodum Romano Pontifici ut privato; non ut publico homini transscribitur: Sic & Ostiensi Episcopo ut privato, non ut publico homini transscribetur.

Verumenimverò Baroni demus, ut inventis fruatur alienis vel suis, fruetur quidem, & ne nihilum proficiet. Romanus Pontifex in hæresim cadat ut privatus homo, eámque ut privatus homo contumaciter defendat. Sed postquam vel declaratus ab Ecclesia hære-
150 ticus, vel ut hæreticus damnatus fuerit, & igni hæreticorum pœnæ traditus: Romano Pontifice, ut publico homine quid fiet? Si Romanus Pontifex, ut publicus homo sibi ut privato homini jam concremato superesse posset, unusquisque facilè intelligeret, Romanum Pontificem, in statu tali nusquam errare posse, quidquid vel in fide, vel in moribus decerneret. At quibus machinis & artibus efficietur unquam, ut Romanus Pontifex in quantum est publicus homo, sibi ut privato homini jam concremato supervivat? Jam sentit opinor, frater Baro, se in suis evanuisse cogitationibus, & Monachi caput in vapores resolutum esse, ut in Chymicorum schola loqui mos est.

V. Imprudenter & perversa scribendi ratione ibidem suppeditat argumentum, quo relatum à Thoma in Catena testimonium Cyrilli omnino suppositum ostenditur, & suppositionis tempus indicatur. Verba sunt: *Periere quotquot in Oriente floruerunt Ecclesiæ Patriarchales: Una in Occidente, Romana stat victrix sæculorum & hæresum. Eventus pollicitationes Christi confirmat, & hanc post ista ægerrimè fers inquassabiliter regnare solam, cùm reliqua occiderint.* Nempe cum in Oriente Patriarchales perierunt Ecclesiæ & in Occidente Romana supererat sola eo vivente, qui relatum à Thoma in Catena Cyrilli testimonium Cyrillo supposuit. Suppostor recentibus institutis antiqua metiens, quod Cyrillo adjudicare voluit, abjudicat, & fraudem suam cum inscitia omnibus conspicuum reddidit. Hoc Baronis verba ante oculos constituunt & vere constituunt, & falsitatis rationem novam objiciunt. Sic ab impru-
denti & perverso disputatore veritas extorquetur. Per- 151
versum disputatorem appello, cùm ait, *me ferre ægerrimè Romanam Ecclesiam regnare solam inquassabiliter, postquam in Oriente Patriarchales perierunt Ecclesiæ:* Quæ stolida est fratris calumnia, ut Epistolam meam, quam examinare se dicit, legenti liquidò patebit. Quasi verò cùm relatum à Thoma in Catena Cyrilli testimonium examinare, an verum sit, necne, instituerim, necessarium fuerit, ut facerem, quod fecisse me inclementioris vultus, styli & manus frater asserit. Sed istud calumniæ genus cùm ex aliis, tum ex eo quoque patienter fero, quòd unà falsitatis ratio subministretur dignissima, quæ nostris adjungatur.

VI. In paragrapho VIII. Epistolarum, quas ad Hieronymum Sambœuvium & Ludovicum Cusinum amicos & familiares meos exaravi, longitudinem conqueritur. Crimen meum est, quòd Epistola prior ad paginas LV. posterior ad paginas LVIII. extendatur. Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditionem, quam in illis Epistolis fideliter exequor, in pauca conferri vellet, & imitari me morem calculonum, qui ingentes summas æris brevioribus exprimunt. Quorsum hoc? Ne scilicet traditio suis absoluta numeris tam perspicuè videretur: Et sanè facere potui, quod optare se significat, sed fecissem inutiliter. Nam si posteaquam permulta & varia Pontificum testimonia, quæ unicuique ætati consignantur, Pontifices ipsosmet sacris canonibus & Conciliis verè subjici à me probatum est, frater detrectat fidem mihi: Detrectaret longè magis,
si tantùm dicerem; Pontifices sacris canonibus & Con- 152
ciliis verè subjici, Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ traditio est. Quis igitur non facilè perspicit frivolam de me Baronis importunissimi traditionis hujusce hostis conquestionem esse? Porro autem ut cuja sit veritas, appareat, si Monachus derivatam ab initio per paginas centum aut mille Romanæ Ecclesiæ traditionem exhibeat, qua Pontifices sacrorum canonum & sancitæ ab universalibus Conciliis disciplinæ observationi subducantur, & prohibitum sit Ecclesiæ, quo minus Pontifici huic vel alii, putà Joanni XII. aut Benedicto IX dicat, *cur ita facis*, tunc sermonis longitudinem non conquerar. Libenter cedam. In opus tale jucundum sibi futurum incumbat, & curialibus magistris monumentum tam necessarium perinde ac patrimonium fortunet. Verùm ut dicam quod sentio, is mallet Aristotelicæ Philosophiæ ramentorum, distinctiuncularum, & communium locorum ordinem ac seriem disponere, ut per eam Joannis XII. & Benedicti IX. res in tuto collocaret, & antiquam Sedis Apostolicæ traditionem inobscuraret. Baronis indoles hoc opus ut viribus accommodatum postulat & spectat. Quam quisquis igitur norit artem in hac se exerceat.

VII. Sub finem paragraphi VIII. frater effatur solemnia hæc verba: *Ad summam Romanorum Pontificum laudem pertinet, quòd solo æquitatis respectu, nullo pœnarum metu se hujusmodi canonum observantissimos & vindices acerrimos præbuerint, ac proinde dignissimos, quibus summam auctoritatem Deus permit-
teret, cui ex pari æquitate moderabantur,* quæ ut prin- 153
cipium disputandi primum statuit nec probat: Quia primum ipse statuit, & ita notum esse credit, ut illius notitia Pontificum sic se gerentium enumeratione sola constare possit. Id de Joanne XII. Ordinis Prædicatorum scriptores, quos breviter relaturus sum, nos docebunt.

I. Vincentius Bellovacensis in Historialis Speculi libro XXIV. cap. LXXXVI. *Anno sequenti collecto à tota Italia Episcoporum Concilio, Joannes Papa de nefariis causis diffamatus, qui tertiò evocatus, dum se excusatum*

venire

venire cunctatur, post multa tandem eo à cunctis præjudicato, Leo adhuc laicus electione omnium & consensu Imperatoris Papa substituitur. Et post alia: *Joannes ex Papa se cùm uxore cujusdam oblectans, à diabolo in tempore percutitur, & sine viatico Dominico moritur.* Sic Joannes XI. si Baroni creditur, solo æquitatis respectu sacros canones observabat.

II. Martinus Polonus in Chronico de vitis Pontificum de Joanne XII. *Hic erat venator & totus lubricus, adeóque publicè fœminas etiam tenebat, propter quod quidam Cardinalium & Romanorum scripserant Ottoni principi Saxonum occultè, ut scandalo Ecclesiæ compatiens, sine mora Romam properaret. Hic Papa Joanni Diacono tanquam hujus facti consiliario nasum, & alteri Joanni Subdiacono, qui literas scripserat, manum amputari fecit. Hic cùm frequenter per Imperatorem & Clerum de sua correctione fuisset monitus, præsente Imperatore; de Papatu destitutus communi voto Leo Papa eligitur.* Et paullo pòst in vita Bene-
154 dicti V. *Joannes verò oblectatus adulterio sine pœnitentia subitò moritur.* Sic Joannes XII. si Baroni creditur, nullo pœnarum metu sacrorum canonum vindicem acerrimum se præbuit.

III. Sanctus Antoninus in secundæ partis historialis titulo XV. cap. III. §. 11. *Sed cùm esset sceleratus hic Papa* (Joannes XII) *& Imperatorem, & omnes scandalizaret propter nefariam vitam suam, anno XXVI. ipsius Ottonis collecto à tota Italia Concilio Episcoporum, cùm tertiò esset vocatus ad respondendum de omnibus sibi objectis, & fugiens è Roma venire contemneret, eo à multis præjudicato, Leo electione omnium & consensu Imperatoris Papa substituitur.* Et paullo pòst: *Miserrimè etiam vitam finivit & impudicissimè.* Sic Joannes XII. si Baroni creditur, dignissimum se præbuit, cui summam auctoritatem Deus permitteret, & qui aliunde vitam ita finiret.

IV. Joannes Turrecremata Cardinalis in libri III. de summa Ecclesiæ capite X. de universalium Conciliorum utilitate: *Quintò celebratio Conciliorum est utilis ad refrænandum exorbitantias quorumdam Pontificum, qui pontificatum suum aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vita scandalosa confundunt. Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator & lubricus publicus & incorrigibilis erat.* Sic Joannes XII. si Baroni creditur, Ecclesiam ex æquitate summa moderabatur, forma factus gregis.

V. Franciscus Victoria in libri de potestate Papæ
155 & Concilii propositione XXIIS. *Propter injustas dispensationes, vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procedunt, posset convocari & congregari Concilium contra voluntatem Papæ, ut si resisteret, obviaret ejus insolentiæ. Hoc expressè tenet Silvester in verbo Papa §. 4. quòd si Papa suis moribus destruit Ecclesiam, potest convocari Concilium contra ejus voluntatem, ut per illud Papa moneatur, Deus invocetur, & resistendo in malis remedium apponatur. Hoc expressè tenet Turrecremata assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis lib. 3. cap. 10. Celebratio, inquit, Conciliorum utilis est ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui suum Pontificatum aut extra SS. Patrum regulas pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vita scandalosa confundunt: Hac de causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator publicus & incorrigibilis erat. Quod factum laudat & approbat Turrecremata, & hoc est valde utile.* Sic Joannes XII. dignus est effato, quod frater tanta cum prudentia & judicii maturitate suprà pronunciavit.

VI. Michael Cardinalis Alexandrinus, Pius V. postea, cùm Clementis Moniliani Cardin. librum de Theologicis institutionibus, in quo Turrecrematæ verba sincerè repetuntur, approbavit & approbando suum fecit, quod Monilianus & Turrecremata sibi sumunt.

Sic Joannes XII. si Baroni creditur, dignissimum se reddidit, cui summam auctoritatem Deus permitteret.

VII His addimus fratrem Thomam sacri Palatii 156
magistrum, qui Concilio delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia interfuit, & cum aliis Paulum III. sic alloquitur: *Et quoniam sanctitas tua spiritu Dei erudita* (*qui, ut inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu*) *probè noverat principium horum malorum inde fuisse, quòd nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros* (Baroni similes) *ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet: Inde effectum est præterquam quòd principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veritatis ad aures principum, quòd confestim prodirent Doctores* (Baroni pares) *qui docerent, Pontificem esse dominum beneficiorum omnium: Ac ideo cùm dominus vendat id quod suum est, necessariò sequi, in Pontificem non posse cadere simoniam. Ita quòd voluntas Pontificis qualiscumque ea fuerit, sit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur: Ex quo proculdubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque. Credat sanctitas tua scientibus, qui ob hanc præcipuè causam Christianam religionem derident: Adeo ut per nos, per nos inquimus, nomen Christi blasphemetur inter gentes.*
At frater Baro non verebitur Pontificibus illis, de 157
quibus sermo est, suum effatum aptare & dicere, *quòd solo æquitatis respectu, nullo pœnarum metu se canonum observantissimos, & vindices acerrimos præbuerint, ac proinde dignissimos, quibus summam auctoritatem Deus permitteret, cui ex pari æquitate moderabantur.* Hoc est igitur principium Baronis nostri primum, sed idem cum illo, quod Concilii hujus Patres ita detestantur: *Sanctitas tua probè noverat principium horum malorum unde fuisse, &c.* Hoc est certè principium, quod frater impio sed vano conatu instaurat contra veterem Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam per suos assertores duabus in Epistolis repræsentavi. Persistet, & illam nulla usquam falsi nominis Theologorum eversura est adulatio. Hoc est Baronis principium, seu locus communis, quo quis nixus docere poterit, antistites cæteros *solo æquitatis respectu, nullo pœnarum metu* sacros canones observare. Quid ita? Romani Episcopi alios Episcopos suos nominant coepiscopos: Idque *apertè, frequenter, perseveranter*, ut in superiori Epistola ad Raimundum Formentinum ostendi: Atque ita Baronis locus communis, quia singulis Episcopis convenit, nulli convenit. Qua quæso ratione unum Episcopum, tametsi primus sit ac præcipuus, ab reliquorum numero sejunget, ita ut verum sit dicere: Hic solo æquitatis respectu, nullo pœnarum metu canones spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos observat; Cæteri non solo tantùm æquitatis respectu, sed etiam aliquo pœnarum metu canones illos observant: Qua inquam ratione 158
id efficiet, si ratio ut oportet ex duobus veræ Theologiæ fundamentis, Scripturæ sacræ auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione ducatur?

VIII. Cùm Baro nostram ad Claudium Santeulium percurrit Epistolam, obstupuit visu, & in paragrapho X. miratus est Pontificum adulator eripi sibi argumentum, quod apud Bellarminum legerat in his verbis: *Sedis Apostolicæ præsulem nunquam minorum subjacuisse judicio.* Quæ tamen non audet apertè referre,

sed

sed Ennodium & Avitum in vades appellat. In argumento, quod ex verbis perperam intellectis ducitur, recolendo tamdiu indormierat, quamdiu de nostra Epistola nihil inaudiverat. De argumento securi erat animi, & in illius arce adulationis suæ præsidia constituerat, & perlucidum Joanni XII. & illis Pontificibus, quos Baronius ad annum DCCCXCVII. homines monstro similes nuncupat, pulvinum subjicerat. Non obstupuisset visu Baro, & desiisset mirari, si quomodo intelligenda sint Scripturæ, addo & Patrum testimonia, ex Chrysostomo & Cyrillo didicisset. (Ex Cyrillo quidem, non quem sanctus Thomas solus vidit, sed quem omnes videre possumus) *Oportet*, inquiunt, *observare tempus, quo aliquid dicitur, & personam, à qua dicitur, propter quid, & de quo dicitur.* Id ego in epistola feci, & à me factum dissimulat, quò calumnietur facilius, & in jura Regis, regni, & Gallicanæ Ecclesiæ libertates invadat atrocius. Hoc, *Sedis Apostolicæ præsulem minorum nunquam subjacuisse judicio*,
159 non est dictum de Romana Synodo, quæ Symmachum sede sua pulsum eidem sedi restituit, sed de iis, qui propter crimina seu falsa seu vera, sed non probata, Symmachum sede sua pepulerant, & apud Theodoricum Regem effecerant, ut in Symmachi locum Visitator daretur Petrus Altinensis Episcopus: Datus est, & eam ob rem convocata est à Theodorico Synodus, ut Symmachi causa pleniore judicio disceptaretur ac finiretur. Porro autem illi, quorum factione id patratum fuerat, minores erant, clerus, senatus, populus magnam partem: Et sic verè affirmatéque pronuntiatur, *Sedis Apostolicæ præsulem minorum* (hujusmodi) *nunquam subjacuisse judicio.* Sic præteritum appellatur tempus, quo quidquid in expellendo sede sua Symmacho, & sufficiendo in ejus locum Visitatore actum fuerat, determinatur. Omnia hæc frater Baro negligit, & propositionem hanc, *Sedis Apostolicæ præsulem nunquam minorum subjacuisse judicio*, nihili pendit, cùm inficialibus quibusdam argumentis meis vim omnem passim adimere conatur ipse, qui & non raró iisdem utitur. Vir est si quisquam fuit desultoriæ levitatis & scientiæ. In argumentum quodcumque incurrit. Romana Synodus quidquid juris in causa Symmachi exerceri potuit, exercuit, ut in Epistola sigillatim ostendi. Ennodius & Avitus non alió spectant, aut spectare profectò debent, quàm quò Symmachi causa postulat: Et siquid in eorum scriptis extra metam videatur egredi, ad eam statim revocandum esse monui, & id recta ratio declarat. Hoc Baroni displicet, qui ubique locorum sive opportunum sive importu-
160 num sit tempus, jactat Romanum Pontificem, nec Ecclesiæ, nec Concilii subjacere judicio, tametsi argumento istiusmodi privatum se sentiat. Id autem valere in vulgus imperitorum novit, & perinde vociferatur ac cæcus homo, cui per viam eunti baculus aufertur. Convenit & illud Ovidii,

Ecce rudens rauco, Sileni vector Asellus,
Intempestivos edidit ore sonos.

IX. Hic illustre statuo exemplum, quo apud omnes constet perspicuè, Baronem ad maledicendum natum esse hominem, quamvis austerioris vitæ habitum præ se ferat. In paragrapho x. Theodoricum Italiæ Regem, tyrannum semel atque iterum appellat, ut id videatur perquàm meditatè factum. Semel sub initium paragraphi: *Concilii Romani sub Symmacho Papa Episcopi à Theodorico Rege, aut veriùs tyranno Italiæ & Ariano advocati.* Iterum finem versus: *Sed qua ratione*, ait, *Patribus Synodi Avito, Ennodio probatum judicium illud, quod a capite ad calcem damnabat: Quia à Rege, à tyranno, ab Ariano indictum est.* Theodoricum Regem tyrannum nominat, quem Romana Synodus gloriosissimum, clementissimum, serenissimum, piissimum vocat: Piissimum, id est, humanissimum ac benignissimum: Adscribo verba Synodi: *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto* GLORIOSISSIMI *Regis Theodorici ex diversis regionibus in Christi nomine dixit: Cùm ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire Sacerdotes Regia præcepisset auctoritas, ut de his, quæ de venerabili Papa Symmacho Apostolicæ Sedis præsule ab adversariis ipsius dicebantur impingi, sanctum Concilium judicaret.* Infrà: *Respondit præfatus* REX PIISSIMUS *bonæ conversationis affectu, plura ad se de Symmachi Papæ actibus horrenda fuisse perlata, & in Synodo oportere tractari, si vera essent inimicorum ejus objectio, indicatione constaret.* Et post alia, *de evocatione Synodali* CLEMENTISSIMO REGI *gratias retulit.* Et post alia: *decernere tamen aliquid Synodus sine* REGIA NOTITIA *non præsumpsit.* Infrà: *His ita actis & rebus varia confusione turbatis, iterum nos ad justitiam contulimus principalem, scientes divinitatem propriam regere Dominum, quæ ad Italiæ gubernacula ipso provideret, cujus mansuetudini omnia per relationis seriem sicut res poscebat ingessimus.* Et paullo pòst: *Ad hæc* SERENISSIMUS REX *taliter Deo aspirante respondit.* Dum Baro Theodoricum Regem calumniatur, calumniari quoque censendus est Synodum, quæ Theodoricum Regem tam impensè reveretur, & tot laudibus prosequitur. 161

Prætermitto veterum testimonia. Baronius Baroni non suspectus auctor mihi erit instar omnium ad annum CCCC. XCIII. *Quamvis Theodoricus Arianus esset, benè tamen Catholicis usus est, non tantùm nihil negotii illis facessens, sed & indulgens, & omni officiorum genera prosequens.* Deinde ad annum DC. *Schismatici reveriti præsentiam Theodorici Regis omnia ex æquo agentis æstuantes licet furore ab insultibus siluisse noscuntur.* Et paullo pòst: *Ipsum Regem tametsi importunis schismaticorum studiis sollicitatum, reveritum tamen Sedis Apostolicæ culmen, quod admireris in barbaro Gotho & hæretico Ariano, protectorem se potiùs illius, quàm persecutorem exhibuisse.* Apud Spondanum Baronii breviatorem. Secundum omnia hæc Baro non potest 162
non esse calumniator nefarius Theodorici Regis, quem Baronius tot elogiis afficit, & Sedis Apostolicæ defensorem nuncupat. Sed forsan Baroni hæreticus Rex idem est, ac tyrannus. Quid autem ab isto inclemente & inhumano fratre Reges exspectare debeant, ii viderint, quorum est prospicere, nequid Respublica detrimenti ex illius scriptione & doctrina capiat. Nescio an fratris Vincentii Baronis sit eadem super hac re, quæ fuit fratris Jacobi Clementis persuasio. Nolim ego credere: Sed utinam à persuasione tali mirum quantum abhorreat!

X. In priori ad Antonium Faurum Epistola disquiro, quo in usu post beatum Thomam fuerint Cyrilli testimonia, quæ Cyrillo subjecta esse jam antea demonstraveram. Prætermissis, qui primi uti potuerant, ad "Joannem Montesonum venio & dico: Joannem "Montesonum usum esse colligo ex tractatu, quem "Petrus Alliacus tunc Navarrici Collegii magister, "Theolog. Facultatis nomine adversus illum edidit: "Adscribo verba è responsione ad objecta Joan. Montesoni: Tertiò dicendum est, quòd illud, quod di"ctus frater ad suæ appellationis fundamentum prin"cipaliter assumit, scilicet quód solius Sedis Aposto"licæ est declarare, damnare, & reprobare. Et ite"rum: Eorum quæ tangunt fidem ad solum Summum "Pontificem pertinet examinatio & decisio. Hoc, in"quam, continet manifestam hæresim, & est dictum "sibi ipsi repugnans, & contrarium, & ideo propter "hoc solum, si nihil aliud erroneum dixisset Romana "Ecclesia ipsum deberet cogere ad revocandum. Hæc "Petrus Alliacus. Sed aliquantò pòst id quod res est 163
"ita expono. Montesonus anno M. CCC. LXXXVII. "ab Episcopo & Theologis Parisiensibus, ut à judici"bus non legitimis appellavit ad Clementem VII, "quem pro vero Pontifice habebat Gallia. Funda-

"mentum

" mentum appellationis verba sunt ipsa, quæ per Thomam Cyrillo appinguntur. Jam igitur vides supposita testimonia effecisse, ut homo reus Episcopi & Theologorum Parisiensium jurisdictionem declinaverit: Perinde ac si Episcopus & Theologi Parisienses auctoritate caruissent omni. De re ista prætereà nihil.

Sub finem paragraphi v. Baro sic respondere voluit: *Hic evocat Joannes à Montesono longissimas cum Facultate Parisiensi contentiones, de quibus plura, maximè Gersonis lamentationes infrà referam, sed parum sincerè dicam Joannis à Montesono ad Sedem Apostolicam prætextam scribit solis ex Cyrillo testimoniis, quasi cætera jura deficerent, appellationem: Adversario usitatissimum est sophismatis agere, nullis legitimis argumentationibus, & cum fallaciarum loca in numerato habeat, omnium familiarissimum & perpetuum est illi, quod vocant, à non causa, quasi perpetua & unica rei de qua agitur, causa: Sic hoc loco argumentatur à lite Joannis Montesoni, quasi ad summum Pontificem appellandi* INCERTIS *Cyrilli testimoniis, potiora non haberet exempla Athanasii ad Julium, & Chrysostomi ad Innocentium ab Orientalium Episcoporum judiciis confugientium.*

I. Si Baro rerum momenta, quæ illi displicent, &
164 castè & integrè referret, non responderet omnino, aut
si responderet, responderet aliter quàm respondet. Hîc narratoris personam sustineo, non disputatoris, & tamen sic erga me se gerit, quasi neglectis Dialecticæ legibus universis argumentarer. Quæ hominis impotentia! quæ ἀκαισοτεία?

II. In narratione ista quod mihi proposui hoc unum est, Montesonum usum esse Cyrilli testimoniis, ut Parisiensis Episcopi & Theologicæ Facultatis judicium declinaret. Scilicet causabatur ille Parisiensi Episcopo & Theologicæ Facultati de rebus fidei judicandi formam nullam competere, & hanc uni Romano Pontifici reservatam esse. Id præ se ferunt relata Petri Alliaci verba. Cùm autem hinc neque Patres, neque Concilia, neque Pontifices asserere, quod causatur Montesonus, inde laudatum à Thoma Cyrillum asserere, quod idem causatur Montesonus, perspicerem, collegi statim Montesonum laudatis à Thoma Cyrilli testimoniis occupatum fuisse, quando à Parisiensi Episcopo & Theologiæ Facultate vocatus ter quaterque, sistere se noluit, & ab iis tanquam à judicibus non legitimis ad Romanum Pontificem appellavit.

III. Perlatâ Avenionem, ubi Romana erat curia, controversiâ, Theologiæ Facultas litem obtinuit. Montesonus palinodiæ illius, quam Parisiis canere noluerat, damnatus est. Sed Clementis decreto parere noluit, in Arragoniam patriam suam aufugit, & ibi à Clemente, quem antè ut verum Pontificem coluerat, & quem ut unicum & legitimum judicem appellaverat, descivit, & Urbani VI. partes scriptis tutari cœ-
165 pit. In hoc homine deficiendi ratio fuit causæ amissio. Nam si non amisisset causam, in Clementis VII. obedientia perseverasset.

IV. Cùm Baro ait, cætera non defecisse jura, rem qua de agitur non intelligit. Montesonus singularem appellationis suæ causam adferebat, quæ jure nullo sustentatur, nempe, *quòd solius Sedis Apostolicæ est declarare, damnare, & reprobare ea quæ ad fidem pertinent.* Damnatum à nostra Facultate Montesoni errorem Romani censores instaurare voluerunt anno MDCLXX. sed eum cùm Romanæ, tum universalis Ecclesiæ traditione contrivimus in Epistola, quam ad Joannem Molendinum Parisiensem Theologum dedimus. Hæc est in parte IV. Epistolarum nostrarum. Quod autem ad cætera jura spectat, hæc non defecissent, si Montesonus Parisiensis Episcopi & Theologicæ Facultatis judicium subire voluisset: At subire noluit fretus Cyrilli testimoniis, quæ quidquid est in Ecclesia potestatis, Romano Pontifici soli transscribunt.

V. Ineptè sibi fingit monstra quæ debellet, cùm de Athanasii ad Julium & Chrysostomi ad Innocentium ab Orientalium Episcoporum judiciis provocantium sermonem instituit, & quoad Chrysostomum mendaciter instituit, ut mox videbimus. Illotis manibus ad hanc materiam irrumpit. Et illud sibi accersit, quod est in Olympiacorum Ode VI.

> Γνῶναι τ' ἔπειτ' ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλα-
> θέσι λόγοις εἰ φεύγομεν Βοιωτίαν
> ὗν

VI. Disputandi vitium mihi turpiter imponit, & quò id exequatur faciliùs, verba mea reticet, in qui-
bus nihil tale deprehendetur. Vir bonus & clemens 166
sua in disputando crudelitate abutitur. Deblaterandi non erat hic locus, ubi nec argumentor, nec argumentari me necesse est. Uter nostrûm scribat, vel argumentetur sincerius, docere potest mutua eorum quæ diximus, contentio. Hircocervis, chimæris, hippocentauris refertum caput habet, & pectus, atque ita monstrosum quid in chartam non potest non expuere: Et totus in contumelias effunditur.

VII. Hîc ut & alibi Cyrilli testimonia, quæ beatus Thomas laudat, omnia fatetur incerta esse, & tamen pro illis retinendis tanquam pro aris & focis dimicat.

> *Parturient montes, nascetur ridiculus mus.*

Quodnam in tam audaci Theologo judicii genus? Quasi verò incertis testimoniis hujusmodi certi possit aliquid statui. Quænam beati Thomæ (quem emunctæ naris Doctorem nominat) defensio? Nonne tacita potiùs est reprehensio & objurgatio, quòd sibi sumpserit Pontificiam auctoritatem incertis Cyrilli testimoniis asserere? Nonne aperta est Pontificiæ auctoritatis proditio: Idque maximè cùm expressiora, solidiora, & eminentiora aliorum Patrum testimonia non producat? Nonne in Baronis sensu de Thoma sic Pontificiam auctoritatem probante dici potest?

> ——— *innumerosa parabat*
> *Excelsa turris tabulata, unde altior esset*
> *Casus & impulsæ præceps immane ruinæ.*

Siccine beatus Thomas defenditur, cùm graviter accusatur? Nonne qui post Thomam in fide Thomæ, propter eundem cum Thoma finem Cyrilli incertis usi sunt testimoniis in eandem reprehensionem incurrunt, san-
ctus Antoninus, Joannes Turrecremata, & Thomas 167
Cajetanus, Cardinales ambo, Melchior Canus, Dominicus Bannes, Dominicani omnes & innumerabiles alii? Deinde si Baro vellet in lucem edere proferreque rationes, quibus adducitur, ut credat, Cyrilli testimonia incerta esse, iisdem omnino probaretur, & Cyrillo subjecta & falsa esse.

VIII. In paragrapho XI. calumniandi causa fingit me scripsisse, Chrysostomum ad generale Concilium, non ad Innocentium provocasse, ut statim adjungat me Davidi Blondello, qui de Chrysostomi provocatione contra Cardinalem Perronium disputat. Blondello eam ob causam adjungit me, ut rei veritas involvatur, aut infuscetur. Ego verò scripsi tantùm Chrysostomum referre se in Epistola ad Papam Innocentium, quòd à vexatoribus suis Episcopis ad œcumenicam Synodum semel atque iterum provocasset: Et sic tam certum est Chrysostomum ad œcumenicam Synodum, non verò ad Innocentium appellasse, quàm certum est Chrysostomi ad Innocentium epistolam non esse suppositam. Hoc autem ita posito, si Bellarminus, si Perronius, si Barones mille dicerent, Chrysostomum ad Innocentium appellasse, non ad generale Concilium, sine dubio falsum dicerent. Sed illos verum dicere contendet frater, quia Blondellus scriptor in sensu Baronis mentitur semper, quòd hæreticus sit, ut Theodoricus Rex tyrannus est, quia Arrianus, tametsi Rex fuerit piissimus, clementissimus, & à Baronio judicatus Sedis Apostolicæ protector: Et sanè qui facti-
osiùs scriberet & promptiùs ad veritatis excidium, ha- 168
ctenus inventus est nemo.

IX. Cavillator facetus est, cùm in paragrapho XI. à me postulat, ut quam scholastici quidam Theologi quæstionem non tractarunt, eam ab illis tractatam esse demonstrem. Nempe *utra utri præstet duorum* (Papæ & sejuncti ab eo Concilii) *auctoritas.* Tractatam ab ipsis Pontificibus in Epistolis nostris quæstionem invenire potuit, si quæsivisset. dissimulat omnia, ne jacturam faciat temporis, quod impingendis mihi calumniis transmittendum esse jampridem duxit.

Vigilius cùm esset Constantinopoli, Synodo V. quam ibi Justinianus celebrari jussit, ut quæstio de tribus Capitulis dirimeretur, rogatus interesse noluit, quòd Occidentales Episcopi Orientalium numero haud exæquarentur. Occidentales erant pauci, Orientales verò quamplurimi. Invalida erat Vigilii ratio, si Synodo auctoritate præstitisset: quid clarius?

Deinde Vigilius postquam, ne adesset Synodo, recusavit, Constitutum, opus sat grande & spissum edidit, in quo trium capitulorum defensionem suscipit, & Pontificali auctoritate sua tota præcipit, ne tria capitula damnentur. Constantinopolitana Synodus, quæ tunc habebatur, in contrariam ivit sententiam: Tria capitula damnavit & Vigilius, quòd subscribere damnationi noluerit, ab Imperatore mulctatus est exilio. Sed quid tum demum accidit? Vigilii Constitutum
169 summissum est Synodi decreto, & huic palam cesserunt Romani Pontifices Pelagius II. & Gregorius I. cessuri nunquam, si major fuisset Vigilii, quàm Synodi hujus ex Orientalibus duntaxat coilatæ auctoritas. Quid iterum clarius? Sunt qui scripserint Vigilium ipsum (quod non puto) tandem aliquando cessisse. Sit ita: Vigilius in hac sententia Concilii auctoritatem sua majorem esse, & se præterea errasse, non Concilium, tunc agnovit. Adulatores nondum nati erant Baroni similes, qui *primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ*, ut Gregorius Papa loquitur, sanctæ & universali Ecclesiæ anteponerent.

Eugenius IV. in certa quadam bulla, quæ in Basileensis Concilii Sessione XVI. recensetur, quæstionem hoc modo decidit: *Si Papa vel legatus ejusdem nollet dissentire aliqua, & contra Concilium affectaret, Papa sententia vel ejus legati personam summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa, nisi fortè qua statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potius attendenda.* Pontifex libenter agnoscit duo, definitionem fidei, & statum universalis Ecclesiæ collocandum, in quibus si Concilium & Papa non concordent inter se, Concilium Papæ antefertur. Hæc antem bulla est tertia ex iis, quas Eugenius ut Basileensi reconcilietur Synodo, refigit, quod in ea non sine Synodi contemptu Romanum Pontificem super omnia Concilia potestatem habere di-
170 xisset. Et hæc causa fuit, cur Eugenius bullam sicuti te se editam esse negaverit: Sed satis perspexerunt Patres, id Eugenium ἀνεπαισχύντως ὄντως negasse. Sic ad majorem cautelam refixâ quoad hanc partem bullâ, complanantur omnia, & ad antiquam rediguntur traditionem, in qua medius Vigilium inter & Eugenium Leo III. cùm à Caroli Magni legatis rogaretur, ut decantato Romæ Constantinopolitani Concilii Symbolo particulam, *filióque*, adderet, respondit, *videte, quid sentiatis de vobis. Nam & ego me illis* (Constantinopolitani Concilii Patribus) *non dico præferam, sed etiam illud absit mibi, ut coæquare præsumam.* Damasus Constantinopolitanæ Synodo huic nec per se, nec per suos legatos præfuit, nec illam convocavit, aut indixit. Quis enim vidit unquam indictam aut convocatam ab Romano Pontifice Synodum, cui per se, vel per suos legatos non præfuerit? Theologiæ Parisiensis Facultas Baronis quæstionem solvit, cùm ad annum MCCCCXCVII. interrogata à Carolo VIII. Rege, num renuente Pontifice Romano universalis Synodus congregari posset ad reformandam Ecclesiam, respondit posse, nec ita respondisset, si Pontificis auctoritatem Concilii potestate majorem esse, & magis indeficientem autumasset. Verùm frater omnia hæc abjiciet procul, quippe qui stet ab adulatricis Curiæ partibus, & juratus sit antiquarum Romanæ & Gallicanæ Ecclesiæ traditionum, quas exposui, inimicus & hostis; quinetiam & prædo.

Quod autem Theologiæ Facultas respondit Carolo, Joannes Turrecremata Cardinalis jam docuerat, & 171
post Carolum & Turrecrematam, Franciscus Victoria, Clemens Monilianus Cardinalis, & Michael Cardinalis Alexandrinus Moniliani operis approbator docuerunt: Turrecremata, Victoria, Michael, Pius V. postea, ex Ordine Prædicatorum, Monilianus ex Ordine Minorum.

XIII. Est in nostra ad Hieronymum Sambœuvium Epistola nonnihil, quod vehementer exulceravit fratris animum, etiamsi disertè meminisse non sit ausus. Quem stomachum ob id erupisset in me, ob aliud erupit: Sed adscribo verba Epistolæ: " Neque verò doctores illi & inquisitores Curiæ tot & tantas Pontificum auctoritates prætereunt, sed & libros, in quibus pro Sedis Apostolicæ defensione similes auctoritates colliguntur ferè innumeræ, prohibitorio indici assignant, in publicam ejus Sedis offensionem, ut & in publicum Decalogi contemptum assignarunt olim Parisiense Senatusconsultum, quo Joannes Chastellus parricida damnatus est. Hoc antem cùm querelæ justæ formam contineat, Baronem cruentavit, mihique magnam calumniarum illius partem accersiit. Occultus est Romanæ inquisitionis fautor & patronus. Quidquid id sit, fratrem istum pro latæ in Parisiense Senatusconsultum censuræ patrono ac defensore habebo tamdiu, quamdiu adversus nefariam censuram non scripserit. Notum est, quo anno, quo mense, quo die, & quem ob finem, in Parisiense Senatusconsultum ab Inquisitoribus lata censura est. Præteritum & futurum tempus respicit. Hunc frater intelligit, & nunc diversam epochæ rationem non explico ampli- 172
ùs. Igitur exspecto usque dum Baro censuram illam ejuret, & sanguinolentam doctrinam, quæ ex ea deducitur, publica scriptione mecum detestetur. Tunc videbimus, an odium, quo me meáque scripta, ut antè explicatum est, prosequitur, sit ingenuus amore, quo quæ ad Regis salutem & regni tranquillitatem pertinent, prosequi debeat.

CAPUT Ultimum.

In quo Epistola concluditur.

HActenus feci, quod faciendum esse censuisti. Errorum Baronis indiculum contexui, præcipuorum utique, non omnium, quia vix numerari possunt. Contenti fuimus illorum specimen dare idoneum, quod reliquum opus ante oculos facilè constituat. In hoc opere non disputat ex locis Theologicis, quibus Ecclesiastici tractatus omnes comprehendi debent.

Et primò quidem non disputat ex Scripturis sacris, quæ in examine suo non comparent. nec eo comparere possunt modo, qui à Tridentino Concilio semel atque iterum præstituitur, semel in sessione IV. iterum in fidei professione.

Deinde non disputat ex Conciliis, quorum, ut beatus ait Augustinus, *saluberrima est in Ecclesia auctoritas*; tantum abest, ut paratus sit Conciliorum adversus Lutherum & Calvinum auctoritatem defendere.

Tum non disputat ex veteri Romanæ Ecclesiæ traditione & Romanorum Pontificum decretis, quæ nusquam laudat, aut si quando laudat, quid sibi velint, intelligere non vult. Consilii hujusmodi causa est, ne 173
videatur convenire mecum, qui Romanæ Ecclesiæ tra

ditione & illius præsulum testimoniis Epistolas meas non tam impleo quàm obruo: In hac re modum excedere quàm tenere, satius mihi esse duxi. Quod discrimen inter Baronem & me intercedit, sic se habet. Ego & Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditioni agglutinor immortaliter. Sed Baro Romanæ illi firmiter adhærescit Curiæ, quam delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum Concilium graphice depingit.

Quartò non disputat ex sanctis Patribus, quia illos, quantum ex ejus libris colligitur, minimè novit. Audivit fortasse sanctos Patres fuisse Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Optatum, Eusebium, Hilarium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Cyrillum, Leonem, Theodoretum, & alios. Sed eos nusquam invisit. Quinetiam si per loca ubi habitabant, transire contigit, avertebat oculos statim, ne introspiceret, & ne si sederent in porta ut magni veri diribitores, *salvete*, vel *bascio le mani à vostre Signorie*, dicere cogeretur, demisso, ut par est, in terram capite, & rejecto in humeros cucullo, usque eò progreditur hominis civilitas.

Quintò non disputat ex historiis Ecclesiasticis, contentus scire utcunque Cardinales esse duos, Perronium & Baronium, quorum ille Eusebium, Severum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Evagrium diligenter pervolutaverit: Hic verò rerum Ecclesiasticarum monumenta in tomos XII. distribuerit, sed an historias vel Annales confecerit, nondum satis edo-
174 ctus est. Nihil te celare volo. Mallet ille frater disputare ex Ordinis sui historicis. Vincentio Bellovacensi, Martino Polono, Bernardo Guidonis, Antonino Florentino, auctore Sammaximensis Chronici à Silvestro Prierate vulgati, Jacobo Genuensi, & Claudio Rota Legendæ Aureæ Scriptoribus.

Hactenus recensui præcipuos locos, quibus docti atque cordati homines uti solent. Sed quibus frater in hunc usque diem utendum sibi esse non duxit. Est tamen certus quidam locus, quo Dominicani & Franciscani utebantur olim, cùm de Conceptione beatæ Mariæ disputabant. Hoc acceptum refero Joanni Majori in secund. sent. dist. XXX. quæst. III. *Tanta est*, inquit, *controversia inter religiosos in hac quæstione, quod pro loco Dialectico locum non inventum ab Aristotele, nec à Philosophis introductum locum ab injuriis.* Modestus frater Baro locum hunc unum enumeratis à me locis strenue suffecit. In eum locum aliás commentarios edidit, ex quibus contumelias, probra, & mendacia depromit, & iis singulas examinis sui paginas aspergit, oblitus egregiorum operum, quibus contra Amadæum Guimenium Moralem Christianorum disciplinam tuetur: Hinc permultam à Guimenio detractionem rejicit, hinc eam recipit & in auctoritatem & usum admittit. O fratrem ædificandæ religioni Christianæ, & exterminandæ hypocrisi natum! Id exemplo suo faciendum esse docet, quod ab aliis factum improbat. Utinam aliquando legisset Hieronymi Epistolam ad Marcum Celedensem Presbyterum, invenisset se miserum esse, cùm alios tot contumeliis proscindit. *Apud Christianos*, inquit, *non qui patitur,*
175 *Sed qui facit contumeliam miser est.* Igitur Baro se miserum reddidit, me felicem, qui tot ab illo illatas mihi injurias patienter fero, & ad eas ita ferendas Gregorius Magnus me duabus in Epistolis cohortatur: Primò quidem in libri II. Indict. XI. Epistola II. ad Paulum Episcopum: *Hac res constantiam frangere, nec à via debet veritatis avertere. Nam major in sacerdotibus merces est in veritatis tramite, etiam post injurias permanere.* Deinde in libri X. Epistola IX. ad Oportunum Aprutiensem: *Si contra veritatem injuriam pertuleris, lucrum puta, ut hac agens per temporalia, quæ despiciendo pateris, ad cœlestia regna pertingas.* Quas mihi frater injurias intulit, perfacile est animo æquo ferre, quia solus ego non fero. Fert cum primis Rex noster potentissimus, qui vetera Parisiensis Academiæ dogmata post Franciscum I. edicto communiit. Ferunt supremæ & inferiores Curiæ, quæ Regis edictum publicis tabulis inscripserunt. Ferunt veri & legitimi Parisiensis Academiæ filii & alumni. Quinetiam fert Romana Ecclesia, fert Sedes Apostolica, fert Gallicana & universa Ecclesia. Fert Pisanum, fert Constantiense, fert Basileense Concilium, ferunt Pontifices, qui Concilia tria hæc confirmarunt per monumenta certissima, & longè certiora iis, quibus vel à Silvestro Nicænum, vel à Damaso Constantinopolitanum approbatum fuisse frater ostenderet. Vide nunc ac dispice quot, quanti & quales humeri Baronis petulantibus dictis & injuriis supponantur. Vix ullus mihi restat ferendi quicquam locus. Itaque si quando visus sum Baronem paullo insectari asperius, non mei, sed Regis nostri, Gallicanæ Ecclesiæ, Parisiensis Academiæ; immo & Ro-
manæ Ecclesiæ, Sedis Apostolicæ, universæ Ecclesiæ 176
per Pisanum, Constantiense & Basileense Concilium repræsentatæ causa insectatus sum. Aliquando inducenda est ferro sanitas. Hac in Epistola institui tantùm narrare historiam variorum errorum, quos ille commisit, & cùm maledicta, quibus maculare me voluit, refero, non maledico. Sicut non maledicit, qui maledicum graviter reprehendit, ne reprehensionis obliviscatur. Ego semper cavi, ne simul essemus maledici duo, sufficit, ut ille sit unus maledicus, sed revera stolidè maledicus. Exinde [illegible] deferat, si quæ illi inter suos ut maledicat, obtigerit. Tu verò qui generatim & in aversione scribendi designasti materiam, num voto tuo adæquè responderim, videris dum per otium licebit. Si voluisse respondere satis est, respondisse me confido. Si quid præterea requiritur, est cur respondisse me dubitem. Sed non tam mea, quàm tua culpa fuit, qui majora viribus meis exegisti. Quidquid id est, invenies me detexisse hominem Romanæ Inquisitionis [illegible], qui occasione data vel accepta Regis & regni jura, & Gallicanæ Ecclesiæ libertates per latus meum feriret. Quem occultè distringebat gladium, de manibus extorsi. Hoc pergratum tibi erit, qui & Regis & regni jura & Gallicanæ Ecclesiæ libertates & antiqua Parisiensis Academiæ placita, quæ tuitus sum, impensè colis & observas. Sed ex eo impensiùs colere & observare debes, quòd idonea Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditione, Pontificem nempe Ecclesiæ & Concilio verè subjici, & definiendo errare posse, suffulciantur. Vale. Lutetiæ Parisiorum in ante diem tertium Calendarum Septembris an. MDCLXVI.

JOAN-

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS,

Epistolarum

PARS SEXTA.

Joannes Launoius

HENRICO LUDOVICO HABERTO MOMMORIO,

Inter Libellorum supplicum Magistros primo.

Lutetiam.

1 QUIS Nicænam Synodum convocaverit, Constantinus-ne Imperator, an Silvester Romanus Pontifex, cunctaris de me, qui non aliud tibi respondere possum, quàm quod tu mihi responderes, si hoc ipsum de teipso cunctarer. Essemus ambo tunc, ut apparet, in eadem re curiosi. Quod viderit, aut ab iis, qui viderunt, acceperit, respondere neuter potest: Uterque ex scriptis eorum, qui aut viderint, aut acceperint, respondere duntaxat poterit. Nam quidquid à recentiori auctore, sine vetustioris alicujus testimonio proferretur, nihili, aut certè parvi ducendum esset. Res est, de qua nisi mecum statim convenias, postquam tecum ipse reputaveris, convenies, alioquin periculum esset maximum, ne incerta pro certis & falsa prò veris haberentur. Christiano scriptori non tantùm mendacium, sed & ipsa mendacii umbra fugienda est. Hinc beatus Augustinus, in libri de mendacio ad Consentium capite 1. scribit appositè: *Nunquam errari tutius existimo, quàm cùm in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falsitatis erratur.* Verum quia primus tu movisti quæstionem, respondendi onus, quod & animum meum sollicitat, mihi sine dubio incumbit.

2 Respondebo igitur, pro eo quantum in me fuerit virium: Sed antè præmittenda atque expendenda mihi tria videntur.

Et primùm quidem num ex Scriptura sacra convocandarum Synodorum jus & auctoritas cuiquam Romano putà Pontifici, vindicari queat. Vindicari nequit: Siquidem Scripturæ sacræ locus nullus est, qui juxta unanimem consensum Patrum acceptus, uti accipiendum esse Tridentinæ fidei regula præscribit, cuiquam id juris & auctoritatis asserat.

Sunt, qui proferant in medium Scripturæ loca duo, unum ex Matthæi capite XVIII. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Alterum ex Joannis capite XXI. *Pasce oves meas.* Sed inutiliter proferunt. Nam locus prior de Conciliorum genere quovis intelligi potest, & à nonnullis Ecclesiasticis tractatoribus subinde intelligitur, tantùm abest, ut ex eo secundùm Tridentinæ fidei regulam intellectu convocandarum Synodorum generalium jus in Romanum Pontificem transferatur.

Præterea reperio Patres, qui locum illum aliò, quàm ad provinciales aut generales Synodos convertunt.

Cyprianus occurrit in Libro de unitate Ecclesiæ:
*Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini
discordiæ furore ruperunt. Nec se quidam vana inter-
pretatione decipiant, quod dixerit Dominus: Ubicunque
fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis
sum. Corruptores evangelii atque interpretes falsi extre-
ma ponunt, & superiora prætereunt, partis memores &* 3
*partem subdolè comprimentes. Ut ipsi ab Ecclesia scissi
sunt, ita capituli unius sententiam scindunt. Dominus
enim cùm discipulis suis unanimitatem suaderet, & pa-
cem: Dico, inquit, vobis, quoniam si duobus ex vobis
convenerit in terra de omni re, quamcunque petieritis,
continget vobis à patre meo, qui in cælis est. Ubicunque
enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego
cum eis sum, ostendens non multitudini, sed unanimitati
deprecantium plurimum tribui: Si duobus, inquit, ex vo-
bis convenerit in terra, unanimitatem prius posuit, con-*

cordiam pacis antè præmisit, ut convenire nobis fideliter & firmiter docuit. Quando autem potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum universa fraternitate non convenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab ejus evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt.

Tum in libro III. Testimoniorum ad Quirinum, cap. III. *Agapem & dilectionem fraternam religiosè & firmiter exercendam.* Et post alia: *Item illic: Amen dico vobis: Si duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo, qui in cælis: Ubicunque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum.*

Athanasius in homilia de Virginitate: *Si igitur oras, aut psallas, seorsum sede: Nemo audiat, nisi tu sola. Quòd si habeas concordem unam, atque alteram virginem, verba Christi sunt: Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum; abjice muliebrem sensum, & cape fiduciam.*

4 Hilarius in can. XVIII. super Matthæum: *In tantum humanæ pacis studuit concordiæ, ut unitati merito omnia quæ à Deo precanda sint, impetranda esse confirmet; Et ubi duo atque tres pari spiritu ac voluntate collecti sint, ibi se medium eorum polliceatur futurum.*

Chrysostomus in cap. XVIII. Matthæi: *Per mutuam inter nos caritatem, simul nos ad Dei amorem ducit. Deinde de mutua consensione dicit. Non enim omnes, qui quomodocumque consentiunt, continuò laudabiles & Deo grati sunt putandi, sed ii solùm, qui in scopo ac negotio pio & ad animæ salutem utili consentiunt, laudandi prorsus & admiratione dignandi sunt. Qui autem in rerum secularium cura, aut rerum alio modo noxiarum animæ procuratione consensum & cooperationem conferunt, non modò non Deo placent aut probantur, sed omnium in se odia concitant. Porrò in hac consensione duorum in Christi nomine convenientium adumbrata videri possunt spiritus & caro, quorum in medio conspirantium reperitur Christus. Et tres animæ potentiæ, intelligibilis, irascibilis, & concupiscibilis, in quibus etiam inter se congruentibus Christus intervenit. Postremò intelligi quoque potest vetus & novum Testamentum, quorum in medio consentientium Christus reperitur prædicatus ab utroque.* Hæc Nicetas Serrarum Episcopus in catena Græcorum Patrum super Matthæum.

Hieronymus in cap. XVIII. ejusdem Matthæi: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis est, &c. Omnis suprà sermo nos ad con-*
5 *cordiam provocarat. Igitur & præmium pollicetur, ut sollicitiùs festinemus ad pacem, cùm se dicat inter duos & tres medium fore.* Et post pauca: *Possumus & hoc spiritualiter intelligere: Quòd ubi spiritus & anima corpúsque consenserint, & non inter se bellum diversarum habuerint voluntatum, carne concupiscente adversus spiritum, & spiritu adversus carnem, de omni re quam petierint, impetrent à patre. Nullique dubium quin bonarum rerum postulatio sit, ubi corpus ea vult habere quæ spiritus.* Hæc pauca de multis quæ congerere non est opus. Ex his autem idoneè probatur, Matthæi locum ad asserendum cuiquam convocandarum Synodorum generalium jus, inutilem esse.

De posteriori loco, qui Joannis est, pluribus hîc non dissero, quia jam illum duabus in epistolis ad Tridentinæ fidei regulam expendimus. Altera est ad Raimundum Formentinum in parte secunda epistolarum nostrarum, altera verò ad eundem in parte quinta earumdem epistolarum. Expensus ad regulam illam Joannis locus argumentum nullum præbet, quo congregandarum Synodorum generalium auctoritas Romano tantùm Pontifici vindicetur. Et sanè non memini legere me ullum è sanctis Patribus, qui verba hæc, *Pasce oves meas*, de indicenda vel convocanda Synodo generali intellexerit, tantùm abest, ut ea juxta unanimem consensum Patrum intelligi possint.

Operæpretium est duobus Evangeliorum duorum locis adjicere, quæ beatus Lucas de Hierosolymitana
Synodo narrat in Actorum capite XV. *Et quidem de-* 6
scendentes de Judæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ adversus illos statuerunt, ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis ad Apostolos & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicen & Samariam, narrantes conversionem gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cùm autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. Convenerúntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii & credere, & qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Dei Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus di-
cens: Viri fratres, audite me. Simon narravit, quem- 7
admodum primùm Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant verba prophetarum sicut scriptum est: Post hæc revertar & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc; Notum à sæculo est Domino opus suum: Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum & fornicatione & suffocatis & sanguine. Moses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere ex eis & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum Apostoli & seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: Placuit nobis collectis in unum eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba & Paulo hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus ergo Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis
vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato 8
& fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis. Valete. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epistolam. In his autem omnibus cùm alii, tum præsertim Synodi V. Patres in Collatione VIII. celebrandarum Synodorum formam contineri judicarunt, & cùm Hierosolymitana Synodus hæc sit prima omnium, cæteris agendi rationem & ordinem præscribere censenda est. Hoc ipsum dictat communis sapientiom hominum intelligentia. At verò quæ relata sunt omnia cùm diligenter lego & relego ac circumspicio, Simonem Petrum

trum in Synodo primum locutum esse invenio, Synodum convocasse non invenio. Nec ullus nnquam invenit. Beatus Lucas quod notata sibi visum est necessarium, memoriæ prodidit, ratus & personam quæ Synodum convocat, & Synodi convocationem quæ actionem importat, extrinsecus esse aliquid & foris, nec in rei per Synodum definiendæ aut definitæ natura inhærere.

Ad secundum quod attinet, id expedietur breviùs. Nempe utrum apud antiquos Patres offendatur certa quædam legitimæ Synodi notio, quæ in differendi tractandique regulam assumi posset. Hæc apud Gelasium Papam offenditur in epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ. Verba sunt: *Malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota meritò Ecclesia non recepit, & quam præcipuè Sedes Apostolica non probavit.*
9 *Bene gesta Synodus, id est, secundùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas pro fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit.* Pontifex in bene vel malè gestæ Synodi notione personam congregantis Synodum & Synodi congregationem prætermittit, quippe pui patet duo hæc ad malè vel bene gestam Synodnm pertinere pihil, ita ut quicunqne Synodum congregaverit, si contra Scripturas sacras, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas celebrata est, malè celebrata sit: sic & quicunqne Synodum congregaverit, si secnndùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas celebrata est, bene celebrata sit. Porro Ecclesiasticæ regulæ, quarum meminit Gelasius, non sunt aliæ, quàm quæ à Dionysio Exiguo Romæ in Codicem relatæ sunt anno D. XXVII. qui ab excessu Gelasii trigesimus primus est. Atque idcirco Dionysius Gelasium per ætatem videre & alloqui potuit. Has inter regulas nec comparet, nec comparere potest, quod in Marcelli Papæ epistola ad Maxentium sic legitur: *Nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo suo tempore Apostolica, aut regulari auctoritate convocata, super quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel judicetur.* Non comparet quidem, ut Dionysiani Codicis Canonum ostendit lectio: Et hæc est apud cordatos & doctos homines vehemens falsitatis suspicio. Comparere non potest, quia nondum natus erat Mercator ille, qui Marcello Papæ epistolam sub-
10 jecit; nescius, quo in statn res Christianorum tunc essent, cùm Marcellus Marcellino successit. Sic afflicta & prostrata erat Ecclesia, ut vix à metu carcerum & cædis respiraret. *Diocletiano & Maximiano imperantibus acerbissima persecutio exorta, quæ per X. continuos annos plebem Dei depopulata est, qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est*, ut ait Sulpitius Severus in hist. sacræ lib. II. Marcellus ipse à Maxentii cui scribere dicitur, vexationibus liber & immunis non extitit. Jubente Maxentio carceres atque ærumnas complures sustinnit, & tandem ad Ecclesiæ vulnera pervenit. Qua de re sic Usuardus in Martyrologio XVII. Calend. Febr. *Romæ via Salaria natale sancti Marcelli Papæ, qui ob Catholicæ fidei defensionem, jubente Maximiano* (rectiùs Maxentio) *tyranno, primò fustibus cæsus, deinde ad servitium animalium cum custodia publica deputatus, post multos annos ibidem serviendo amictu indutus cilicino defunctus est.* At Marcellus in hac & sua & miserrimorum Ecclesiæ temporum conditione de crebris ad Sedem Apostolicam provocationibus, de publicis Episcoporum judiciis, de Synodis auctoritate Apostolica congregandis, de non recipiendis laicorum contra Episcopos accusationibus ad Maxentium scribit, tractat & decernit. Ecce tibi mangoninm, quo Mercator res suas non tam ornavit, quàm illarum vitia detexit. Profectò difficile est reperire fraudem ullam, quæ sit cognitu facilior.

Superest tertium, in quo quæritur, num adferri possit Synodus, quam Imperator Constantinus ante 11
Nicænum Concilium fieri & congregari præceperit? Adferri potest. Et primum quidem Romana, quam pro Ecclesiarum pace & concordia haberi jussit anno CCCXIII. Eusebius in libri X. Ecclesiasticæ historiæ capite V. convocationis literas sic recenset. *Constantinus Augustus Miltiadi Episcopo Romano & Marco, S. Quoniam ejusmodi literæ complures ab Anulino clarissimo Africæ Proconsule ad me missæ sunt, in quibus constat Cæcilianum Episcopum civitatis Carthaginensium à quibusdam collegis suis in Africa ordinatis Episcopis, multis de rebus in crimen vocari, & illud per mihi molestum videtur, ut in his provinciis, quas divina providentia ultrò ac sua sponte sub meum subjunxerit Imperium, & in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modò multitudo ad deteriora deflectat, & distrahatur dissidiis, sed Episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant: Visum est mihi, ut idem Cæcilianus cum decem Episcopis, qui illum reum facere videantur, & decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaveris, Romam navigio trajiciat, ut ibi coram vobis, & Rheticio etiam & Materno & Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare jusseram, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, uti nostis, postulat. Atque ut de omnibus hisce plenissimam accuratissimamque notitiam possitis habere, exemplaria literarum ad me ab Anulino missarum literis subscripta, ad vestros prædictos collegas misi. Quas cùm vestra gravitas perlegerit, exquisitè ponderabit, quo modo, quave ratione lis illa quam suprà diximus diligentissimè rectissiméque dirimatur & ex juris præscripto* 12
tandem aliquando absolvatur: Quandoquidem illud vestrum studium minimè latet, me tantam reverentiam sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ tribuere, ut velim vos nullum generale schisma, nullam discordiam in ullo loco omnino relinquere. Summa magni Dei majestas vos, honoratissimi viri, multis annis conservet. Quem Romanum Episcopum Constantinus hoc in loco, Eusebins in Chronico, & Optatus in lib I. contra Parmenianum Miltiadem appellant, illum Augustinus in epistola CLXII. & Prosper in Chronico integro Melchiadem vocant.

Quod autem faciendum esse Constantinus jussit, hoc factum fuisse Optatus scribit in libro I. contra Parmenianum: *Sed quia*, inquit, *audio aliquos de societate tua litigandi studio chartas habere nescio quas, quærendum est, quibus sit accommodanda fides: Quæ cum ratione concordent, quæ cum veritate confabulentur. Vestra si sunt aliqua, mendaciis fortè videantur aspersa. Nostras chartas probant & conflictus causarum, & contentiones partium, & exitus judiciorum, & epistola Constantini. Nam quod de nobis dicitis, quid Christianis cum regibus? Aut quid Episcopis cum Palatio? Si nota est nosse reges, vos tota perfundit invidia. Nam majores vestri, Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, & cæteri Imperatorem Constantinum, harum rerum adhuc ignarum his precibus rogaverunt, quarum exemplum infrà scriptum est. Rogavimus te, ô Constantine optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia: Nam in Africa inter nos &* 13
cæteros Episcopos contentiones sunt: Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua. Data à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidentio, & cæteris Episcopis Donati. Quibus lectis, Constantinus pleno livore respondit. In qua responsione & eorum preces prodidit, dum ait: Petitis à me in sæculo judicium, cùm ego ipse Christi judicium expectem. Et tamen dati sunt (à Constantino) *judices, Maternus ex Agrippina civitate, Rheticius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ad urbem Romam ventum est ab iis tribus Gallis, & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino III. & Licinio III. Coss. VI. Nonas Octobris die sexta feria. Cùm consedissent Miltiades Episco-*

pus

pæ urbis Romæ, & Rheticius & Maternus & Marinus Episcopi Gallicani, & Merocles à Mediolano, Florianus à Cæsena, Zoticus à Quimiano, Stemnius ab Arimino, Felix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Faventia, Proterius à Capua, Theophilus à Benevento, Savinus à Terracina, Secundus à Præneste, Felix à tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrius ab Ursino, Donatianus à Foro Claudii: His decem & novem considentibus Episcopis causa Donati & Cæciliani, in medium missa est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ, quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti à Donato confessi sunt se non habere, quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium suprà memoratorum sententiis innocens
14 *est pronuntiatus, etiam Melchiadis sententia, qua judicium clausum est.* Et paullo pòst: *Sufficit ergo & Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum, & tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit. Ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit: O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.*

Constantinus de litis appellatione non judicat per sese, sed Arelatense Concilium, quod convocari jussit. Convocationis literæ sunt hujusmodi, apud Eusebium in loco jam laudato: *Constantinus Augustus Chresto Syracusanorum Episcopo S. Jamdudum cùm nonnulli improbo & perverso animo à sancta religione & cælesti Evangelii doctrina, ac potentia, & à Catholica Ecclesiæ opinione desciscere cœperint, cupiens equidem ejusmodi lites & controversias inter vos ortas dissolvere, ita scripsi, ut missis à Gallia quibusdam Episcopis, quinetiam ex Africa aliis adversarum partium accersitis, qui inter se maxima cum pertinacia, & animorum contentione digladiantur, & Episcopo Romano etiam coram, hoc dissensionis, quidquid videatur, possit illis præsentibus accuratâ dijudicatione in rectam viam reduci. Verùm quoniam (sicut usu venit) quidam tum suæ salutis, tum veri cultus, qui sanctissimæ Christi religioni debetur, penitus obliti adhuc privatas inimicitias exercere, & graves simultates gerere non desinunt, dum nolunt aut Concilii* (Romani) *judicio jam facto acquiescere, dùmque definitè affirmant paucos admodum fuisse, qui suas ipsorum sententias palam*
15 *in Concilio proferebant, itque ipsi cùm omnia, quæ antè quæri debuerant, accuratè quæsita essent, ad judicium dandum properè & valde celeriter festinabant, atque ex his omnibus fieri contigit, ut tum illi ipsi, quos fraternum & concordem animorum consensum inter ipsos retinere oportuerat, turpi, imò nefaria & impia dissensione discordent, tum aliis hominibus, qui mentes à sanctissima religione alienas habent, ansam ludibrii & irrisionis præstent. Idcirco mihi sedulò providendum erat, ut istud, quod post judicium antea pronuntiatum, sua sponte componi & tranquillari debuerat, etiam jam tandem multis præsentibus Episcopis exitum & finem consequatur. Proinde quoniam plurimos Episcopos ex locis diversis & propè infinitis in urbem Arelatensium ad Calendas Augusti convenire mandavimus, tibi etiam per literas significandum putavimus, ut accepta rheda publica à clarissimo viro Latroniano Siciliæ correctore, duobus item aliis Episcopis ex secunda Sede, quos tu ipse tibi maximè deligendos judicaveris, tibi in societatem ascitis; quinetiam tribus famulis, qui vobis inter vias ministrent, assumptis, ad eum diem in loco præscripto aliis occurras: Quo per tuam gravitatem, & consentientem sententiam reliquorum qui eò commeant, hoc dissidium, quod hactenus improbè ob turpes & scelestas concertationes continuatum fuit; Simulatque ea, quæ, ab utraque factione Episcoporum, quos simpliciter adesse mandavimus, audita fuerint, possit licèt serò ad debitam religionem, fidem & fraternam concordiam aliquando revocari. Deus omnipotens in multos annos te nobis servet incolumem.* Quin autem Imperator Arelatense Concilium, quo de agitur,
16 celebrari præceperit, hæ literæ dubitare non sinunt.

Concilium utrumque, Romanum & Arelatense, à Constantino congregatum esse beatus Augustinus agnoscit in epistola CLXII. ad Glorium & Eleusium: *Deinde diximus, aliquantè post Majorini ordinationem, quem contra Cæcilianum nefario scelere, levaverunt erigentes altare contra altare, & unitatem Christi discordiis furialibus dissipantes, eos petisse à Constantino tunc Imperatore judices Episcopos, qui de suis quæstionibus, quæ in Africa exortæ pacis vinculum dirimebant, arbitro medio judicarent. Quod posteaquam factum est, præsente Cæciliano & illis, qui adversus eum navigaverant, judicante Melchiade tunc Romanæ urbis Episcopo cum collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæcilianó nihil probari potuisse, ac per hoc illo in Episcopatu confirmato, Donatum, qui adversus eum tunc aderat improbatum. Quibus peractis rebus, cùm illi omnes in pertinacia scelestissimi schismatis permanerent, pòst apud Arelatum memoratum Imperatorem eandem causam diligentiùs examinandam terminandámque curasse.* Et post alia: *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Melchiades Episcopus cum collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris septuaginta, ubi Primas Tigisitanus præsedit, fuerat terminatum? Quid quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator judices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de tota illa causa, quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus & verbis ipsius Imperatoris: Utraque enim vobis lecta meministis & inspiciendi ac scribendi licentiam nunc* 17
habetis. Et post alia: *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint, probent, nos enim non factum esse facilè probamus, ex eo quod totus orbis non eis communicat; aut si factum est, etiam ibi sunt victi; quod ipsa eorum separatio manifestat. Sed tamen quid postea fecerint, Imperatoris literis sufficientissimè ostenditur. Judices enim Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè judicarint. Dedit ille Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus Imperator, sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret, sed alios, ut dixi, Episcopos dedit, à quibus tamen illi ad ipsum rursus Imperatorem provocare maluerunt.*

Deinde in epistola CLXV. ad Generosum, Fortunatum, Alypium: *Multa sunt alia, quæ illi recites, si non contentiosè agere, sed prudenter audire voluerit preces Donatistarum ad Constantinum: Ut propter ipsam causam inter Afros Episcopos dirimendam, judices ex Gallia Episcopos mitteret. Literas etiam ejusdem Imperatoris, ubi Episcopos misit ad urbem Romam. Gesta quoque in urbe Roma, ubi ab Episcopis, quos ille miserat, causa* 18
cognita atque discussa est. Itemque alias literas, ubi declarat memoratus Imperator eos apud se de collegarum suorum judicio, id est, Episcoporum, quos ad urbem Romam miserat, finisse conquestos, ubi etiam alios Episcopos voluit apud Arelatum judicare: Ubi isti & ab ipsorum judicio ad eundem Imperatorem appellaverunt.

Tum in epistola CLXVI. ad Donatistas: *Scitote, quòd primi majores vestri causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt. Exigite hoc à nobis, probemus vobis, & si non probaverimus, facite de nobis quicquid potueritis. Sed quia Constantinus non est ausus de causa Episcopi judicare, eam discutiendam ac finiendam Episcopis delegavit.* Id est, ni fallor, fieri jussit Episcoporum Concilium, in quo causa illa discuteretur, ac finiretur. Augustinus continenter scribit & pergit: *Quod & factum est in*

urbe Roma, præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis, qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciassent, & Donatum qui schisma Carthagini fecerat, sententia percussissent, iterum vestri ad Imperatorem venerunt, & de judicio Episcoporum, in quo victi fuerant, murmuraverunt. Quomodo enim potest malus litigator laudare judices, quibus judicantibus victus est? Iterum tamen clementissimus Imperator alios judices Episcopos dedit apud Arelatum Galliæ civitatem, & ab ipsis vestri ad ipsum Imperatorem appellarunt, donec etiam ipse causam cognosceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumniosos pronunciaret.

19 Quartò in epistola CLXVII. ad Festum: *Quasi verò Christiani Catholici Impermores adversus eorum pertinacissimam iniquitatem aliud sequantur, quàm Constantini judicium, apud quem ultro Cæciliani accusatores fuerunt, cujus auctoritatem omnibus transmarinis Episcopis prætulerunt, ut non ad illos, sed ad illum Ecclesiæ causam deferrent, ut ab eo datum in urbe Roma Episcopale judicium, in quo primùm victi sunt, rursus apud illum accusarent, ut ab altero apud Arelatum dato Episcopali judicio ad illum appellarent, apud quem tamen novissimè superati in sua perversitate permanserunt.*

Quintò in epistola CLXXI. ad Donatistas: *Posteà literas ad Imperatorem Constantinum, ut inter Afros Episcopi transmarini judicarent, miserunt, datis judicibus, quos postulaverant, & Romæ judicantibus non obtemperaverunt, Episcopos apud Imperatorem, tanquam malè judicaverint, arguerunt. Ab aliis rursus Episcopis ad Arelatum missis ad ipsum Imperatorem appellaverunt.*

Sextò in libri II. contra literas Petiliani capite XCII. *Si autem, quod verum est, petentibus tum majoribus vestris Episcopale judicium, dederat Constantinus & apud Romam & apud Arelatum, quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis.*

Septimò in libri III. contra Cresconium capite XIII. *Sed factum est pro Cæciliano posterius judicium transmarinum vestris, apud Constantinum Imperatorem ut fieret instantibus.*

Postremò, in libri de unitate Ecclesiæ capite XVIII. *Nempe ipsi posteà literas ad Imperatorem Constantinum*
20 *dederunt, datisque ab eo, sicut petiverunt, disceptatoribus Episcopis non consenserunt, eosdémque postmodum apud illos tanquam iniquos judices accusaverunt, & ab aliis sibi ad Arelatum datis, ad ipsum Imperatorem appellaverunt.*

Hic non est opus commentario, ut omnibus manifestum fiat, Constantinum Imperatorem apud Augustinum convocasse Synodos duas, Romanam & Arelatensem, in quibus Cæciliani & Donatistarum causa discussa & finita est. Sufficit Latinæ linguæ cognitio, sufficiunt oculi duntaxat, ut illud intelligatur. Hoc Ecclesiarum magister apertè, frequenter & perseveranter premit, inculcat & infigit.

Nunc veniendum est ad Nicænam Synodum, quam Constantinus Imperator convocavit. Sed non erit inutile, ea referre, quæ convocationem præcesserunt, & quæ ab Eusebio rerum istarum oculato teste literis produntur in libro III. de vita Constantini. In ejusdem igitur libri capite VI. & V. res sic se habet. *Quibus ex rebus ad exitum perductis, licèt non parum ceperit voluptatis, tamen invidiæ flamma, quæ Ecclesiam Alexandrinam graviter conturbabat, & pestiferum schisma, quod inter Thebanos & Ægyptios versabatur, ipsius animum non parùm commovit; quippe in singulis civitatibus Episcopi cum Episcopis dissidere, & populus contra populum tumultus ciere, & impetu quodam repentino instar symplegadum & mutuis pugnis se ipse concidere cœpit, usque eò, uti animis insanis ac desperatis impia scelera aggredi, & Imperatoris imagines contumelia afficere non dubitarent.*
21 *Verùm Imperatorem non tam ad iram, quàm ad immensam animi ægritudinem, qua furiosorum amentiam supra modum deploravit, incitarunt. Morbus porrò alius longè gravissimus istas res antegressus est, qui longo tempore Ecclesiæ multum exhibuisset molestiæ, dissensionem dico de salutari Paschatis festo ortam. Etenim alii Judæorum ritum sequendum asseruerunt: Alii temporis quidem articulum in eo festo celebrando accuratè observandum esse, non tamen imitandam consuetudinem eorum, qui errore cæcati, alieni à gratia evangelica esse viderentur. In hac igitur controversia cum prolixo jam temporis spatio populus ubique admodum dissensisset, divinæque leges & instituta confusione quadam essent permista, ita ut temporis in uno eodémque festo observando varietas & discrepantia maximam discordiam Paschalis solemnitatem celebrantibus excitaret: Quippe eodem tempore alii jejuniis & corporis afflictatione se exercebant, nonnulli se tradebant otio & remissioni animorum, QUANQUAM NEMO CERTE ERAT, QUI HUIC MALO REMEDIUM INVENIRE POTUERIT, præsertim cùm contentio dissidentium animos ex æquo exagitaret: Deo tamen, qui omnia potest, istis rebus mederi erat perfacile. Ex hominibus autem, qui adhuc in terris ætatem degebant, solus restare videbatur Constantinus, qui rectè factis sedulo operam daret: Qui quidem simulatque rerum istarum commemoratarum fama ad ipsius aures permanavit, intellexitque literas ad Alexandrinos à se missas nihil habuisse ponderis, novum consilium animo cœpit agitare, inquiens: Alio prælio contra occultum illum & clandestinum hostem Ecclesiæ statum perturbantem de integro decertandum.*

His præmissis Eusebius in capite VI. Nicænam Sy- 22
nodum à Constantino Imperatore congregatam esse narrat his verbis: *Deinceps igitur Concilium generale tanquam quendam Dei exercitum instruens in unum locum coegit: Et Episcopos undique per literas honorificè scriptas, ut eò maturarent, accivit. Neque mandatum duntaxat ad hanc rem datum, sed in ea peragenda multum attulit subsidii auctoritas Imperatoris ac nutus, qui nonnullis fecit potestatem, equis publicè ad iter celeriter conficiendum dispositis utendi, aliis permagnum jumentorum instratorum, quibus veherentur, numerum suppeditavit. Civitas autem Bithyniæ, quæ Nicæa ἀπὸ τῆς νίκης, id est à victoria nomen traxit, Concilio celebrando admodum idonea, designata fuit. Ubi autem edictum in quaque provincia divulgatum erat, omnes summa cum animarum alacritate tanquam è carceribus ad cursum emissi properè advolarunt.* Ego Constantini edictum cujus hic fit mentio, retulissem, si retulisset Eusebius. Sed non retulit, ratus satis esse, si summam edicti referret.

Nicæna Synodus ipsa narrationem Eusebii sic confirmat in epistola ad Alexandrinam Ecclesiam, ubi & convocationis suæ, & rerum à se definitarum rationem exponit: *Quoniam Dei gratia, Deóque carissimo Principe Constantino, ex diversis provinciis & civitatibus nos convocante,* συναγαγόντος ἡμᾶς, *magna & sancta Synodus Nicææ congregata est.* Tam certum est igitur, Synodum hanc à Constantino congregatam esse, quàm certum est Synodi hujus Patres non ignorasse, à quo congregati fuerant. Veritas hæc argumenta non quærit. Sed persequenda est Imperatoriæ 23
convocationis traditio.

Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus huic fidem facit duobus in locis. Unus est in libri II. contra hæreses capite LXVIII. *Verùm paullò post Alexandri sanctissimi Alexandriæ Episcopi studio & hortatu, beatæ memoriæ Constantinus Synodum in urbe Nicæa congregat, ubi Arrii dogma post ejus mortem damnatum est.* Alter in ejusdem libri capite LXIX. *His ad eum modum gestis, Imperator Ecclesiæ consulens, cùm jam plerisque à se invicem dissidentibus varia essent schismata, œcumenicam Synodum colligit CCCXVIII. Episcoporum.* Hic auctor Nicænæ Synodi ætate suppar non solùm dicit, Synodum à Constantino coactam esse, sed etiam notat illum Episcopum, cujus studio & hortatu coacta est.

Ruffinus Aquileiensis Presbyter Epiphanium sequitur

qnitnr in libri x. hist. capite I. ubi de Arrianæ hæresis ortu, progressu & condemnatione tractat: *Sermo usque ad aures religiosi Principis quippe qui omni studio & diligentia curarat quæ nostra sunt, pervenit. Tum ille ex Sacerdotum sententia apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat, ibique Arrium* CCCXVIII. *Episcopis residentibus adesse jubet, ac de ejus propositionibus & quæstionibus judicari.* Rem eandem narrant Ruffinus & Epiphanius, sed hic tamen distinctiùs loquitnr: Quod enim Concilium Ruffinus ex Sacerdotum sententia indefinitè; id Epiphanius ex Alexandri Alexandrinæ civitatis Episcopi studio & hortatu coactum à Constantino definite prodit, atque exprimit.

24 Socrates in libri I. hist. capite V. *Cùm igitur Imperator videret, his duabus contentionis tempestatibus Ecclesiam vehementer jactari, generale Concilium convocat, atque Episcopos undique per literas accersit, ut Nicæam urbem Bythiniæ se conferant.*

Theodoretns in libri I. hist. capite VI. *Verùm ubi spes eum* (Imperatorem) *fefellerat, celebre illud Nicænum Concilium cogit, & publicos asinos, mulas mulósque & equos utendos indulsit.* Deinde in vita beati Jacobi Nysibensis Episcopi: *Cùm Arrius*, inqnit, *blasphemia in unigenitum & Spiritum sanctum, patet & opifex in eum, qui ipsius crearat linguam movens tumultu & perturbatione implevisset Ægyptum; & Constantinus Maximus Imperator gregis nostri Zorobabel (quippe qui totam pierum, sicut ille, captivitatem reduxit ab exilio, & divina templa solo æquata in altum erexit) Ecclesiarum præsides omnes Nicæam convocasset. Venit cum aliis magnus quoque Jacobus pro veris dogmatibus, ut fortissimus bellator & totius agminis princeps decertaturus.*

Sozomenus in libri I. hist. capite XVI. *Constantinus indicit Concilium Nicææ urbis Bithyniæ, scribitque ad omnes Ecclesiarum præsides, ut ad diem præstitutum adsint.*

Metrophanes & Alexander in actis Nicænæ Synodi apud Photium cod. CCLVI. *Concilium Nicææ in Bithynia Imperator convocat.*

Anonymus scriptor actorum Nicænæ Synodi in causa depositionis Arrii: *Cùm hæc porrò Constantinus non sine dolore audivisset, mittit Alexandriam Hosium re &*
25 *nomine sanctum, quo Episcopo Corduba gloriabatur una Hispaniæ urbium. Tradit verò etiam literas, cùm ad Dei Pontificem Alexandrum, tum ad impietatis parentem Arrium, quà petens ut Alexander clementia in Arrium uteretur, quà jubens, ut is è furore desisteret, & sensum teneret Ecclesiæ: Sed & id hortabatur, ut à mutua lite & contentione discederent: Ut quæ in multis plurium malorum causa extitisset. Postquam autem Arrii morbus nec præclarissimi Osii præsentia & doctrina, neque Imperatoris admonitione curabatur, congregat Imperator Episcoporum Concilium in Bithynia urbe Nicæa, in qua considentibus Episcopis ipse Imperator, stans in medio non aliàs sedere sustinuit, quàm ei sacer chorus annuisset.*

Ephesina Synodns actione I. in relatione ad Imperatores Theodosium & Valentinianum de abdicatione Nestorii: *Fides*, inquit, *à* CCCXVIII. *Patribus in Metropoli Nicæna à sancta memoria Constantino congregatis exposita.*

Gelasius Cyzicenus in præfatione librorum de actis Nicænæ Synodi: *Quam ob causam fidelissimus Imperator Constantinus numerosam illam in urbe Nicæa Synodum congregavit.* Deiude in libri II. capite V. *Cùm videret Imperator perturbatam Ecclesiam generale Concilium convocat, Episcopos undecunque per literas ut Nicæam Bithyniæ occurrerent, exhortans.*

Romanum illod Concilium, qnod Gelasii Papæ I. anctoritate celebratum dicitur, de Canonicis libris ab apocryphis secernendis: *Sancta*, inquit, *Romana Ecclesia post illas veteris vel novi Testamenti, quas regula-*
riter suscepimus etiam has suscipi non prohibet scripturas, 26
id est, sanctam Synodum Nicænam CCCXVIII. *Patrum mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arrius hæreticus condemnatus est.* Hoc refertur apud Juonem parte IV. decreti cap. LXIV. & apud Gratianum dist. XV. *Sancta Romana.*

Jostinianus Imperator in Collatione I. generalis Concilii V. *Quapropter Constantinus congregavit Nicææ ex diversis diœcesibus* CCCXVIII. *sanctos Patres.* Assensum est Imperatori Concilium, quia ex majorum traditione nihil habuit, cur dissentiret, & Constantino adjunctum non esse Silvestrum, qui adjunctus est in actione XVIII. Synodi VI. quereretur. Quidqnid in causa, qnesti non sunt Romani Pontifices Pelagius II. & Gregorius I. & alii, cùm in Synodnm V. jurarunt.

Isidorus Hispalensis in Chronico: *Nicænum quoque*, ait, *Concilium à Constantino ad condemnationem Arrii congregatur.*

Gregnrius Presbyter Cæsariensis oratione in Nicænos Patres: *Verùm cùm impius* (Arrius) *magis efferaretur & effervesceret, evocat Alexander plures futuros periculi socios, dirigitque literas ad Episcopos per ea constitutos loca, ac prodigiosos cordis Arrii fœtus adversus orthodoxorum fidem denunciat.* Et post pauca: *Ubi porro victor ille inclytus* (Constantinus) *hæc rescivisset, tanquam stimulo profana obscurorum, molestáque inopinatorum conditione animo perculsus, divinas protinus literas mittit; per quas & magistratus & eos, qui possent, Episcopos Nicæam Bithyniæ metropolim ad ea examinanda, quæ ad eos spectarent, venire suadet.* Hæc ille, qui circa Im- 27
perium Heraclii vixisse dicitnr.

Mansuetns Mediolanensis Episcopus in epistola Synodica ad Constantinnm IV. *Amplissimus Princeps zelo orthodoxæ fidei animatus* (Constantinus) *congregavit sanctum Concilium* CCCXVIII. *Patrum in Nicæa urbe Bithyniæ.* Hæc in exordio generalis Synodi VI. in cujus actione XVIII. Constantino Silvester Pontifex adjungitur, dum Constantino IV. acclamatur: *Arrius divisor & partitor Trinitatis insurgebat, & continuò Constantinus semper Augustus & Silvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Hæc non à Synodo, sed in Synodo dicta sunt ab eo, qui acclamationem recitavit. Res non est, de qua Synodi Patres singillatim pronnntiaverint: Quare relata verba illius sunt tantùm, qui Constantino Imperatori acclamavit, anno post Nicænam Synodum CCCLV. Quæ de Constantino Nicæoam Synodum congregante dicit, pluribus Conciliorum & Patrnm testimoniis confirmantur: Quæ verò de Silvestro Nicænam Synodnm congregante dicit, nullis Conciliorum & Patrum testimoniis fulciuntur. Hic andiendus est Xistus III. cùm in epistola ad Joannem Antiochennm scribit: *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati.* Novum est, non vetns, quod de Silvestro acclamationi adjicitur, quia post annos CCCLV. adjicitur. Et si quis post tantumdem temporis adjiciendnm esse contenderet, is non posset φιλομύθοις non favere, qui post intercapedinem temporis minorem Leoni IV. & Benedicto
III. mulierem in Romanorum Pontificnm serie inter- 28
ponnnt. *Religionis est instar fidem de temporibus asserere*, ut ait Tertullianns in Apologetici capite XIX. Id minimè receperunt Romani Pontifices in certa quadam fidei professione, quam recèns creati edebant olim, nt ex Romanæ Ecclesiæ Dinrno deprehendi facilè potest. Sic incipit professio hæc: *Ill. Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ reverentissimis fratribus & dilectissimis filiis, seu universæ plebi Dei. Adhuc Apostolicæ Sedis officium.* Et post aliquammulta: *Hujus Apostolicæ traditionis normam inviolabiliter custodiens venerandum Sanctorum* CCCXVIII. *Patrum Concilium, quod in Nicæa sub magno principe Constantino convenit, Dei gratia revelante in redegit symbolum, & consubstantialem Patri filium prædicavit.* Hæc in fidei professione, quæ

statim

statim post Synodum VI. fieri cœpit. Ubi non dicitur, sub Constantino & Silvestro, sed tantùm sub Constantino convenit. Sic exclusa illius qui Constantino IV. [illegible] novitate recenta est antiquitas. Quippe quæ Nicæni, Ephesini, Romani & Mediolanensis Concilii, auctoritate & Justiniani, Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Actorum Nicæni Concilii, Gelasii Cyziceni, Isidori Hispalensis, & Gregorii Presbyteri testimonio consecretur.

Regino Prumiensis Abbas in libro I. Chronicorum,
Martyrologii Adonis pridie Cal. Jan. verba ipsa repetens: *Silvester Papa clarus habetur, cujus industria Sy-*
nodus præclarissima tota orbe terrarum CCCXVIII.
29 *Patrum apud Nicæam urbem celebratur.* Hæc ille ad
annum DCCCCV. qui post Adonem convocandæ Synodi industriam Silvestro tribuit, sed destitutus majorum patrocinio. *Quod autem à recentiori auctore de rebus adeò antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur*, ut Baronius scribit in Apparatu. Et revera contemnendi sunt Ado & Regino, qui Epiphanio tam apertè contradicunt. Id enim Silvestro tribuunt, quod Epiphanius e Nicænis Patribus uni Alexandro Alexandriæ Episcopo tribuerat. Epiphanii verba digna sunt quæ repetantur: *Verùm paullo post Alexandri sanctissimi Alexandriæ Episcopi studio & hortatu beatæ memoriæ Constantinus Synodum in urbe Nicæa congregat, ubi Arrii dogma post ejus mortem damnatum est.* Hæc ille, qui Constantiæ sive Salaminæ primariæ Cypri urbis Episcopus creatus est anno CCCLXX. & post Nicænam Synodum XLV. Igitur Epiphanius per ætatem rei gestæ testis admittitur, & Ado ac Regino per ætatem rejiciuntur.

Posteriores Adone & Reginone scriptores Adonem & Reginonem contempserunt.

Joannes Zonaras tom. III. Annal. in Constantino: *Qua re cognita religiosissimus Imperator provinciarum Episcopos Nicææ in Bithynia urbe convenire præcepit.*

Rupertus Tuitiensis Abbas libro VII. in Apocalypsim: *Tunc utique quando famosissimum in Nicæa Concilium fervor Christiani Principis Constantini excitavit, publicis asinis atque mulis Episcopos & qui cum eis erant, ad Synodum venire præcipiens.*

30 Robertus Antissiodorensis Monachus in Chronologia: *Cùmque homines, quos in errorem seduxerat* (Arrius) *etiam in seditionem excitaret, apud Nicæam urbem Bithyniæ conventus 318. Episcoporum jussa ipsius Constantini factus est.*

Vincentius Bellovacensis in Speculi hist. libro XIII. cap. LXII. *Quod audiens pius princeps coadunari fecit sanctam Synodum apud Nicæam Bithyniæ urbem.*

Nicephorus in libri VIII. hist. cap. XIV. *Itaque Imperator malum id ad summum excrescere cernens, decantatissimam illam in Bithynia Nicenam Synodum promulgat, & literis locorum omnium Episcopos ad constitutam diem eò evocat.*

S. Antoninus in Speculi hist. tit. X. cap. III. *Quod audiens pius princeps coadunari fecit sanctam Synodum, apud Nicæam Bithyniæ civitatem.*

Platina in vita Silvestri Papæ: *Cùm autem Alexander Alexandrinæ urbis Episcopus frustrà revocare Arrium ab errore tentasset, Constantini mandato adhibita etiam impensa munifice quidem apud Nicæam urbem Bithyniæ generale Concilium indicitur.*

Antonius Sabellicus in Enneadis VII. libro VIII, de hæresi Arrii: *Ea res in causa fuit, ut Constantino auctore, sit Concilium in Nicæa indictum, quo trecenti & ampliùs venere antistites.*

Albertus Pighius in libri VI. de Hierarchia Ecclesiæ cap. I. ubi de Nicæna Synodo sermonem instituit:
Quæ (Christi Ecclesia) *nec novam tunc aliquam ac su-*
pernaturalem de celebrandis ejusmodi (universalibus)
Conciliis illuminationem aut revelationem accepit: Sed
Constantini Principis pius religiosúsque zelus prima eo-
31 *rundem causa & origo extitit. Qui cùm videret pacem*
suo beneficio à foris quidem Ecclesiæ redditam, intus verò eandem (*Arrio nova quadam Christo indigna, blasphemáque docente & prædicante de Christo*) *cœpisse turbari multò periculosiùs, & necdum constaret religioso Principi de impietate dogmatis ejusmodi, nec quid de eo teneret fides Catholica per orbem Ecclesiæ, visum est eidem ex toto orbe convocari Sacerdotale Concilium.*

Gabriel Prateolus in Ecclesiasticis Annalibus Gallicè scriptis: *Constantinus Imp. Episcoporum precibus & Alexandri Alexandriæ Episcopi instantia* (*Ruffino teste lib. I. cap. I.*) *Nicææ in urbe Bithyniæ generale Concilium impensis suis fieri decrevit.*

Gilbertus Genebrardus Parisiensis Theologus in Epiphanii, & Nicænæ Synodi, Socratis, &c. sententiam discedit lib. III. Chronologiæ. *Primum universale Concilium pro divinitate Christi contra Arrium jam mortuum, ut vult Epiphanius hæresi* LXVIII. *&* LXIX. *& colligitur ex Epistola Synodica. Socrates lib. I. cap. V. &c.* At Epiphanius, Nicæna Synodus, Socrates, & alii quos laudat & sequitur, Constantini mandato Synodum illam convocatam esse tradunt.

Carolus Sigonius in libro III. de Occidentali Imperio: *Dum hæc ab eo* (Constantino) *aguntur, Episcopi, qui itineris laborem suscipere potuerunt, edicto ejus accepto ad* CCCXVIII. *Nicæam advolarunt.* Et paullo post: *Ipse* (Constantinus) *Nicæam accessit, atque in maxima Palatii aulâ sellas disponi, ac certo die convocari præcepit.* Sigonii opus *Curia Episcopalis & sanctæ Inquisitionis concessa* Bononiæ in lucem prodiit ann. M.D.LXXVIII.

Bellarminus in libri I. de Conciliis capite XIII. 32
cùm de Nicæni Concilii convocatione agit, multa sine dubio peccat, quod uti constet perspicuè, illius verba referenda sunt ad Concilium illud pertinentia. *Superest argumenta solvere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas. Argumenta Calvini & Magdeburgensium sumuntur ex indictionibus primorum Conciliorum, quæ ab Imperatoribus, non à Pontificibus indicta fuere. De Nicæno I. ait Ruffinus lib. I. hist. cap. I. Tum Constantinus, apud urbem Nicænam Episcopale Concilium convocat.* Et post alia: *Ac primùm de Nicæno I. legimus in sexta Synodo actione* XVIII. *Constantinum & Silvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse. Damasus quoque in Pontificali scribit, cum Silvestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium, & Ruffinus lib. 10. hist. cap. I. dicit Constantinum ex sententia Sacerdotum Concilium indixisse. Ex quibus non solùm habemus quod volumus, sed etiam obiter colligimus falsum esse, quod ait Pighius lib.* VI. *cap. I. de Ecclesiastica Hierarchia, Conciliorum generalium convocationem esse inventum Magni Constantini. Non enim hoc ipse per se excogitavit, sed Sacerdotum sententiam secutus est.*

I. Bellarminus in capite superiori nempe XII. quæ-
stionem juris tractat, statuítque, *revera esse Pontificis,*
non Imperatoris congregare Synodum generalem, idque
demonstrari posse ex divinis literis. At gratis & sine
Theologica ratione id dicit; nam suprà notavi-
mus, scripturæ locum nullum adferri posse, qui jux-
ta unanimum consensum Patrum acceptus, prout exi- 33
git Tridentinæ fidei professio, demonstret quod Bel-
larminus demonstrandum suscepit.

II. Ut primum veræ Theologiæ principium, Scripturæ sacræ auctoritas Bellarmino non suppetit, quo probet lemma illud, quod sibi sumpsit, sic & alterum ejusdem veræ Theologiæ principium, Catholicæ Ecclesiæ traditio non eidem suppetit, ut per illud conficiat, quod per alterum conficere non potuit. Nam ex traditione quæ ad Nicænum Concilium pertineat, Concilium hoc Silvestri auctoritate convocatum esse minime confirmat. Sed quidquid id est, humanis & philosophicis rationibus subjicit, quæ nihil prosunt aut parum, ubi desunt veræ Theologiæ principia

duo,

dno, Scripturæ sacræ auctoritas & Catholicæ Ecclesiæ traditio.

III. Bellarminus cum Calvino, qui Ecclesiasticæ historiæ rudis erat & ignarus, disputat, & in rebus seu veris seu falsis ad hominem disputatis præsidium omne constituit: Sed asserenda semper est suis momentis veritas, quæ hominum mendacio nusquam indignit. Calvini vel alterius sectarii cujusvis error veritatem ex se non gignit. In hac materia errare ille potuit; ut & Bellarminus qui contra ipsum congressus est. Sed vix erratur ab eo qui quod asserendum est, ex Scriptura vel traditione asserit. Neque enim Calvinum errare sufficit, sed præterea requiritur, ut Catholici quidam non errent, cùm utrinque errari potest. Huc ni fallor Augustinus spectat, dum in libri XII. Confessionum capite XXV. scribit: *O vita paupe-*
34 *rum Deus meus in cujus sinu non est contradictio. Plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia divini sunt, & in corde famuli tui viderunt, quod dicunt, sed quia superbi sunt. Nec noverunt Moysis sententiam sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est, alioquin & aliam veram pariter amarent. Sicut & ego amo, quod dicunt quando verum dicunt, non quia ipsorum est, sed quia verum est: Si autem ideo amant illud, quia verum est, jam & ipsorum est & meum est, quoniam in commune omnium est veritatis amatorum.*

IV. Bellarminus in capite XIII. dicit, *Superest argumenta solvere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas.* Hoc perinde dicit quasi in superiori capite probasset Nicænum Concilium à Romano Pontifice congregatum fuisse, atque istud confirmatione tantùm egere, quæ ex contrariorum argumentorum solutione peteretur. At in superiori capite ne verbo tenus attingit Nicænum Concilium, adeò non probat, illud à Silvestro Papa coactum esse.

V. Bellarminus dicit: *Argumenta Calvini & Magdeburgensium sumantur ex indictionibus primorum generalium Conciliorum, quæ ab Imperatoribus non à Pontificibus indicta fuere.* Si Calvini & Magdeburgensium argumenta verè sumuntur, audienda sunt, non quia à Calvino & Magdeburgensibus sumuntur, sed quia ab iis verè sumuntur. Siquidem omnium est veritas. Exinde Stephanus Papa primus in sua ad Africanos Epistola dixit: *Siquis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod* (forsan in id) *traditum*
35 *est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cùm ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.* Hic transcribendum esset quidquid Augustinus in variis operibus de recipiendo hæreticorum baptismo contra Donatistas disserit. Bellarminus Augustinum sequitur, & collatum ab hæreticis baptismum acriter defendit. Sed Bellarmino tamen & illius asseclis religio videtur esse quicquam quod Calvinus & Magdeburgenses probent, non improbare.

VI. Bellarminus dicit in persona Calvini & Magdeburgensium: *De Nicæno I. ait Ruffinus lib. 1. hist. cap. 1. Tum Constantinus apud urbem Nicænam Episcopale Concilium convocat.* Si Calvinus & Magdeburgenses id tantùm ex Ruffino retulerunt, quod Bellarminus, Ruffini verbis vim intulerunt. Quare Bellarminus eos meritò redarguit, quòd Ruffinus non ita scripserit. Nam scribit: *Constantinus ex Sacerdotum sententia Episcopale Concilium convocat.* Calvino & Magdeburgensibus flagitium fuit, verba hæc: *Ex Sacerdotum sententia* reticere, si reticuerint. Sed Bellarminus fallitur & contra se disputat, cùm ait, *ex quibus habemus, quod volumus,* si Ruffini stetur testimonio Et primùm quidem Ruffinus non exprimit, quinam fuerint Sacerdotes illi, ex quorum sententia Imperator Episcopale Concilium indixerit. Epiphanius Ruffino antiquior nominat, & dicit inter alios fuisse Alexandrum Alexandriæ Episcopum. Deinde quo in sensu capiendum sit illud Ruffini, *ex Sacerdotum sententia,* Epiphanius non obscure significat, cùm ait, Constantinum Alexandri Alexandriæ Episcopi, *studio & hortatu* 36
Nicænam Synodum congregasse. Præterea locutio hæc *ex sententia* Latinis auctoribus, qualis fuit Ruffinus, non est ex decreto vel lege, quam quis tulerit. Eapropter Nicæna Synodus, quæ sola rem decideret, se Constantini Imperatoris mandato coactam esse simpliciter profitetur. Hinc insuper efficitur, Bellarminum non habere quod vult, nisi velit Nicænam Synodum ex Alexandri Alexandriæ Episcopi, non Silvestri sententia coactam esse.

VII. Bellarminus dicit: *Ac primùm de Nicæno I. legimus in sexta Synodo actione* XVIII. *Constantinum & Silvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse.* Et sanè missis, quæ suprà de hoc testimonio jam dicta sunt & abunde sufficiunt, testimonium hoc Bellarminus contra se producit. Nam in superiori capite non dicit, *Esse Pontificis & Imperatoris congregare generalem Synodum:* Sed dicit, *esse revera Pontificis tantum, non Imperatoris congregare generalem Synodum.* At juxta testimonium hoc dicendum est, esse revera Imperatoris & Pontificis congregare generalem Synodum, quod Bellarminus cùm minimè dicat, testimonium hoc contra se producit. Deinde in eo testimonio Imperator Pontifici anteponitur: *Legimus,* inquit, *in sexta Synodo actione* XVIII. *Constantinum & Silvestrum magnum Synodum apud Nicæam congregasse:* Ubi congregandæ Synodi partes primæ Constantino, non Silvestro adscribuntur. Non Constantinus ad Silvestrum, sed Silvester ad Constantinum accedit. Quomodo Bellarminus ad Synoridem hanc
aptabit Scripturas sacras, quibus Pontificis, non Im- 37
peratoris esse congregare generalem Synodum pugnat? Quomodo aptabit secundam rationem hanc: *Concilium generale ab eo indici debet ex auctoritate, qui potest omnes cogere, at nullus unquam Imperatorum totam Ecclesiam subjectam habuit.* Cur ergo laudat Synodi VI. actionem XVIII. ut ex ea probet Constantinum & Silvestrum Nicænam congregasse Synodum? Quomodo aptabit tertiam rationem hanc: *Concilia provincialia indicuntur à Metropolitano, & Nationalia à Primate vel Patriarcha, ut supra ostendimus, etiam testimonio adversariorum: Igitur Concilia generalia non ab Imperatore, sed à Summo Pontifice indicenda sunt.* Complexio hæc: *Igitur Concilia generalia non ab Imperatore, sed à Summo Pontifice indicenda sunt,* quo argumenti genere quadrabit testimonio, quod Bellarminus ex Synodi VI. actione XVIII. tam diligenter assumit? Ut qui vivit in diem; quid sit futurum cras, non cogitat, sic Bellarminus priore pagina scribens, quid posteriore scripturus sit, non prospicit. Exinde contigit, ut prior & posterior, recta & versa pagina mutuis attritæ vulneribus concidant, & in eandem ruinam miserè trahantur. Neque verò mirum videri debet, complexionem vitiosè inferri cùm inferatur ex antecedente quod veteri disciplina non satis firmatur. At Bellarmino satis est, si Calvinus antecedens ex ignorantia concedat, tunc consequens huic ignorantiæ vitio superstruere non veretur: Quod sua quidem opinione nemo
audebit vocare in dubium, ne Calvini partes fovere 38
dicatur. His artibus non eget Ecclesia, nec veritas, quæ convenienter rebus gestis, habito nullo ad personas respectu semper asserenda est.

VIII. Bellarminus dicit, *Damasus in Pontificali scribit, cum Silvestri consensu habitum esse in Nicæa Concilium:* Quid inde? Fortassis à vero abhorrere quod generales Synodi duæ Nicæna & Ephesina confirmant, Imperatoris mandato Nicænos Patres congregatos fuisse. Siquis diceret cum consensu Alexandri Alexandriæ Episcopi habitum esse in Nicæa Concilium, omnino verum diceret, & tamen non sequeretur Alexandrum Alexandriæ Episcopum Nicænam Synodum convocasse. Dico ampliùs, cum consensu reliquorum antistitum,

tistitum, qui Concilio interfuerunt, habitum est apud Nicæam Concilium (quis dubitat ?) Et tamen nullus illorum indixit Concilium.

IX. Bellarminus igitur assertam per testes omni exceptione majores traditionem, qua Nicænam Synodum à Constantino indictam esse liquet, deserit ut Damasum, Ruffinum, & Panegyrici Constantino IV. dicti auctorem sequatur: Damasum quidem, qui Synodum à Silvestro convocatam esse non testatur, qui quod de Silvestri consensu scribit, in Alexandri Alexandriæ Episcopi & cæterorum qui adfuerunt, præsulum consensum transferri potest: Ruffinum verò, qui de Silvestro ne verbum quidem ullum habet; Panegyrici demum auctorem, qui Bellarmini lemma subruit, qui & aliunde testis non est idoneus, ut suo loco docuimus, & ni fallor demonstravimus. Et hoc ipsum con-
39 firmatur exemplo, quod appositum judicabitur. Tarasius Constantinopolitanus Episcopus in actione 1. Synodi VII. sic interloquitur: *Tarasius sanctissimus dixit: Quid dicitis de Anatolio? Nonne primus ἔξαρχος sanctæ Synodi* (Calchedonensis) *fuit?* Ut Bellarminus ex verbis illius, qui Constantino IV. Imperatori acclamando dixit, Constantinum I. & Silvestrum Nicænam congregasse Synodum, Romani Pontificis, non Imperatoris esse generales Synodos congregare colligit. Sic & ille pariter ex Tarasii verbis colligeret, non Romani esse, sed Constantinopolitani præsulis generalibus Synodis præsidere, aut certè Anatolium Calchedonensi Synodo præsedisse. Quis verò Bellarminum ita philosophantem patienter audiret? Non audirem ego, & neutrum colligerem: Quia & acclamationis opifex contra relatas Nicænæ & Ephesinæ Synodi auctoritates, & Tarasius contra Calchedonensis Concilii acta, in quibus Leo per Legatos suos Synodo huic præfuit, à ferendo de rebus illis testimonio per ætatem prohibentur. Scilicet si Nicænæ vel Calchedonensia Synodi fuissent æquales vel tempore proximi, quæ acclamationis opifex de Silvestro, & quæ Tarasius de Anatolio dixerunt, minimè dixissent.

Bellarminus hoc in loco citat Damasi Pontificale, quod in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Damaso non tribuit, & certè tribuendum non est. Nam si librum scripsisset hujusmodi, non prætermisisset Hieronymus de Damaso scribens in libro de Viris illustri-
40 bus: *Damasus*, inquit, *Romanæ urbis Episcopus elegans in versibus componendis ingenium habuit, multáque & brevia metro edidit & propè octogenarius sub Theodosio principe mortuus est.* Hieronymus Pontificalis rationem nullam injicit, injecturus sine dubio aliquam, si Damasus librum talem edidisset: Nec id ignorasset Damasi hospes & contubernalis, qui ad Gerontiam seu Ageruchiam ita scribit: *Ante annos plurimos cùm in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, & Orientis & Occidentis Synodicis consultationibus responderem, vidi*, &c.

Bellarminus igitur peccat dupliciter, & primò quidem contra propriam conscientiam, cùm Damaso tribuit librum, quem Damasi non esse noverat. Deinde cùm libet ille causam non adjuvat, ut mox vidimus.

Hæc autem omnia oculatiores viri duo ejusdem cum Bellarmino societatis Joannes Mariana & Dionysius Petavius, cùm perspicerent, rejecta Bellarmini opinione nova antiquam traditionem retinuerunt. Ille in libri IV. de rebus Hispaniæ capite XVI. *Hunc* (Arium) *Imperator & Sectatores Nicæam Bithyniæ advocavit, quò salutis anno* CCCXXVI. *ex toto orbe Episcopos* CCCXVIII. *(in numero Patrum discrepant alii) convocandos curarat.*

Hic in lib. V. primæ partis Ration. temp. cap. 11. *Quod incendium* (ab Arrio excitatum) *frustra per literas, pérque Legatum Hosium conatus restinguere Constantinus, Nicænam Synodum haberi jussit anno* CCC XXV. Sic Gallus & Hispanus, Italo intrepidè adversantur.

Cæterùm quidquid de Imperatoria Romanæ, Are- 41
latensis & Nicænæ Synodi convocatione jam disserui, oppidò confirmatur ex disciplina, quæ inter primam & secundam Synodum œcumenicam, in convocandis quibusdam aliis Conciliis observata reperitur.

I. Constantinus Tyriam Synodum convocavit anno CCCXXXV. ut Eusebius testatur in lib. IV. de vita Constantini capite XLI. *Sed virtutis hostis invidia etiam hac in re quasi tenebricosum nebulam clarissimi solis luminibus offundens, per controversias quasdam turbatis denuo Ægypti Ecclesiis instituta hujus celebritatis splendorem obscurare conata est: Sed Imperator omni cogitatione & cura in Deum defixa collegit ex omni Ægypto, Africa, Asia, Europa frequentem Episcoporum cœtum, eumque tanquam Dei exercitum armis contectum objecit huic invido diabolo, mandavitque primùm, ut quàm celeriter renovatæ contentionis finem facerent.*

Deinde in capite XLII. in Epistola ad Synodum Tyri congregatam: *Sed quoniam nonnulli scelerata cujusdam contentionis furore incitati, ac nequid gravius dicam vitam sua professione indignam agentes omnia turbare ac miscere conati sunt. (Quod scelus supra omnem calamitatem mihi sanè positum esse videtur) propterea vos vestra, ut est in proverbio, sponte currentes hortor, ut nulla interposita mora, sed omni qua possitis, celeritate in unum locum confluentes Synodum perficiatis.*

Alexandrina Synodus, quæ ab Athanasio refertur in Apologia secunda: *Cùm nihil*, inquit, *culpæ in com-
ministro nostro Athanasio reperirent, Comésque summa vi 42
imminens plura contra Athanasium moliretur, Episcopus Comitis violentiam fugiens, ad religiosissimum Imperatorem ascendit, deprecans, & iniquitatem hominis, & adversariorum calumnias, postulánsque ut legitima Episcoporum Synodus indiceretur, aut ipse audiret suam defensionem. Imperator rei indignitate motus, scriptis suis accusatores citat, suámque ipsius audientiam promittens, simúlque Synodum indici jubet.* Deinde post alia: *Nos adiio Principe, qui Synodum indixerat, in qua ipsius Comes præsederat, Eusebianorum scelera patefecimus.*

Et quamvis Athanasius Tyriam Synodum veri nominis Synodum esse neget, ex eo tamen veri nominis Synodum esse non negat, quòd eam Constantinus indixerit. Non mihi, sed Athanasio credas, cùm ille Synodum Tyriam impugnat, in Apologia secunda: *Ministri autem & Clerici ita eum imitabantur, ut & animis gaudium conciperent, & illum diem omnium faustissimum arbitrarentur: Nostram autem, qui Episcopi sumus, inenarrabilem lætitiam, quid opus est scribere, cùm jam antea testati sumus, quidquid ei acciderit, nobis videri accidere. Jam cùm ipsi in re confessa certaque, contraria dicant, quam fidem merebitur illorum sive Concilium, sive Synodus, quam pro se tantopere jactitant? Qui invadunt, insultántque actis, quæ nec viderunt, nec judicarunt, nec interfuerunt, tanquam maximè earum rerum conscii, idque scripto protestantur, quomodo ipsi in suis actis, ob quæ se conventus habuisse dicunt, graves veríque haberi poterunt, ut non credas etiam ista ab illis itidem, ut illa per odium simultatémque institu-
ta fuisse? Quis enim ibi conventus Episcoporum, aut 43
confessus veri studiosus? Quis non ex plerisque noster inimicus? Nonne Eusebius, Eusebianique studio Arianismi ad id Concilium perrexerunt, reliquis ejusdem secum sententiæ adductis? Nonne & nos contra eosdem homines eo nomine, quòd Arianicæ opinionis essent, scripta evulgavimus? Nonne Eusebius Cæsariensis de immolatione idolorum à nostris confessoribus accusatus fuit? Nunquid non de Georgio probatum fuit eum ab ordine sui sacerdotii à beato Alexandro rejectum fuisse? Nonne cæteri de aliis atque aliis criminibus notam censurámque passi sunt? Quo jure igitur isti contra nos Synodum ullam constituere potuerunt? Aut qua fronte talem con-*

ventum Synodum appellare audent, cui Comes præsedit? Et ubi speculator apparebat? Et Commentariensis sive Carcerarius pro Diaconis Ecclesiæ adventantes introducebat? Ubi Comes verba faciebat, cæteri præsentes in silentio erant, vel potiùs Comitis obsequium suum accommodabant: Ubi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impediebatur? Ille imperio utebatur, nos à militibus ducebamur, vel potiùs jussis Eusebianorum sententiisque ipse Comes inserviebat. In summa, dilectissimi, quæ species ibi Synodi, ubi vel cædes, vel exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur? In his autem omnibus nulla est de Imperatoria Synodi convocatione vel indictione querimonia. Athanasius nusquam dicit, Imperatorem congregasse Concilium, quod jure congregare non potuerat. Dicendi tamen occasionem fuisse quis attentus & prudens iret inficias? Extra Synodum
44 bene vel malè gestam ponebat Synodi convocationem ut postea Gelasius posuit, Athanasium secutus, ut jam ante notavimus.

Epiphanius in libri II. contra hæreses cap. LXVIII. de Constantino sic loquitur: *Tyri in Phœnice convocari Synodum jubet, eique judicio præesse cum nonnullis aliis Cæsariensem Eusebium, qui omnes in Arianorum dogma propensiores erant.*

Idem scribit Socrates in libri I. hist. capite XX. *Interea loci Imperator judicium, quod de Athanasio coram censore fieret, tali de causa sustulit. Concilium Episcoporum ad Templum, quod Hierosolymis ædificaverat, consecrandum convocat. Episcopis autem, qui erant Tyri coacti, mandatum dedit Imperator, ut judicium de Athanasio obiter exercerent.* Et quibusdam interpositis: *Tyrum Episcopi numero LX. Dionysii viri Consularis accersitu adventaverant.*

Idem quoque Theodoretus memoriæ prodidit in libri I. hist. cap. XXVIII. *Imperator alioqui mansuetissimus eorum* (Athanasii adversariorum) *verbis ad iracundiam provocatus scripsit ad Athanasium Epistolam, qua & bilem suam aperuit, & ei ut Tyrum peteret, mandavit. Etenim quoniam suspicabatur, quemadmodum ego censeo, Athanasium Cæsarea propter illius urbis antistitem minimè velle comparere, idcirco jussit, ut Concilium Tyri cogeretur.*

Ad extremum idem tradit Sozomenus in lib. II. hist. capite XXIV. *Athanasio autem adversarii per insidias de integro facessere molestiam, odium apud Imperatorem ei struere, & magnum accusatorum numerum*
45 *contra eum comparare cœperant. Quorum importuno rogatu impulsus Imperator, Concilium Cæsareæ Palæstinæ cogi mandavit. Ad quod vocatus Athanasius propterea non obtemperavit, quòd fraudulentum judicium tum Eusebii illius urbis Episcopi, tum alterius Eusebii Episcopi Nicomediæ, tum aliorum, quos circa se habebant, veritus est. Quare licèt graviter urgeretur, ut eò temporis eò accederet, tamen circiter menses triginta profectionem distulit. Postea autem cùm vehementiùs impelleretur, venit Tyrum. In qua urbe multi Episcopi Orientis in unum congregati, jubent eum criminibus objectis respondere.*

Historici omnes, Eusebius, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Alexandrinæ Synodi Patres cum Athanasio, cujus interest præ cæteris, Tyriam Synodum à Constantino indictam & coactam affirmant, nec Imperatorem in eo jus alienum usurpasse vel leviter significant, significaturi sine dubio, si usurpatum jus ullum credidissent.

II. Constantius & Constans fratres Sardicensem Synodum indixerunt anno CCCXLVII. Id non semel testatur Athanasius. Et primò quidem in Apologia secunda: *Vobis siquidem sinceris hominibus ratio mea innocentiæ reddenda est: Litigiosis verò sua ipsorum argumenta opponenda sunt, in quibus summa mihi vincendi fiducia est. Nam quod ad nos attinet, judicio nullo opus est. Judicatum est enim non semel, sed sæpius: Primùm quidem in nostra provincia.* Et paullo pòst: *Tertiò iterum in magno Sardico Concilio ad edictum religiosissimorum*
Principum Constantii & Constantis, in quo judicio ita cecidere adversarii, ut habiti pro calumniatoribus depositionem exauctorationémque ordinis sui retulerint. Sic fa- 46
tetur Sardicense Concilium edicto Constantii & Constantis Imperatorum congregatum esse.

Deinde circa mediam Apologiam: *Hæc cùm Romæ Synodus per Julium Romanum Episcopum scripsisset, improbi iterum audacia Eusebiani in Ecclesiis perturbandis insidiisque tendendis usi sunt. Quod cùm rescitum esset, ab religiosissimis Imperatoribus Constantio & Constante jussi sunt Episcopi Orientis & Occidentis Sardicam convenire.*

Tunc non multò pòst Sardicensis ipsa Synodus in Epistola ad omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos & comministros: *Sæpe multúmque in servos Dei rectæ fidei cultores audaciam suam exercuerunt Ariomanitæ, dum spuriam doctrinam subjiciunt, & toti in hoc sunt, ut orthodoxos ejiciant: Tantâ autem vi jam contra fidem insurrexerunt, ut id ne pietatem quidem religiosorum Imperatorum latuerit. Quapropter cooperante Dei gratia religiosissimi Principes nos ex diversis provinciis & civitatibus in unum convocaverunt, cupientes, ut sancta Synodus in Sardorum civitatem conveniret, quò omnis controversia præcideretur, & ejecto quidquid est pravæ fidei, sola in Christum pietas retineretur.* Non ignorabat, opinor, Synodus, à quo congregata esset. Quo fit, ut credendum non sit, eam ab aliis, quàm ab Imperatoribus congregatam fuisse.

Præterea in Epistola ad solitariam vitam agentes: *Interim cùm ista fierent, simul & de Synodo Romana*
Constans Imperator, & quid Alexandriæ, & per univer- 47
sum orbem contra Catholicos gereretur, rescivit. Missæ sunt igitur literæ à Constante ad fratrem suum Constantium, ubique de utrorum sententia placuit, ut Synodus celebraretur, & de cunctis rebus cognitio fieret, ne ulteriùs injuriosè habiti injuriis afficerentur, vel injuriosi ulteriùs pergerent injuriam facere. Conveniunt igitur ab Oriente & Occidente in urbem Sardicam numero plus minùs centum Episcopi.

Postremò in Epistola Hosii ad Constantium, quam idem Athanasius in eadem ad Solitarios Epistola describit: *Desinas igitur istiusmodi scribere, neque sentias cum Ario, neque audias Orientales, neque Ursacio & Valenti fidem habeas: Quæ enim illi dicunt, non ob Athanasium, sed ob suam hæresim dicunt. Mihi crede, qui tibi avus ætate esse possem: Fui ipse in Sardicensi Concilio, cùm tu tuúsque frater beatus Constans nos omnes eò convocabat.*

Athanasius Epistolæ Hosii subjicit: *Hæc Abrahamicus ille senex & verè Hosius, id est, sanctus & sensit & scripsit.*

Sic Alexandrina Synodus, sic Sardicensis, sic Hosius, sic Athanasius, qui dum refert & probat, quæ Alexandrina, quæ Sardicensis Synodus & quæ Hosius dixerunt, sua referendo & probando facit. An autem dari possit testis Athanasio constantior & locupletior, me latet; constantior quidem, quia non semel duntaxat vel iterum, sed quinquies ipse rem eandem asserit, vel ab aliis assertam recipit; locupletior verò, quia testis convocatæ Synodi hujus omni major
est exceptione. Athanasii causa Synodus convenit, & 48
Athanasius Synodo interfuit. Athanasio subscribunt, qui sequuntur.

Incertus auctor vitæ sancti Athanasii: *Hanc confusionem etiam cum damno expertus est magnus in Christo Athanasius & S. Paulus Constantinopolis Ecclesiæ tunc temporis præfectus, qui & ipse Sede sua motus Romam profugerat, socius Athanasii tam pietatis quàm periculorum factus. Itaque Constantem & Julium sibi convenientes, quæcunque passi essent, & quæ contra ipsos & veritatem Eusebii asseclæ perpetraverunt, recensent. Quocirca etiam rex de his statim fratri scribit. Sed cùm nihilo efficeretur magis, Concilium alterum universale Athanasii & Pauli asseclæ petunt cogi condemnationes enim*
suas

ſuas non aliter aiunt poſſe tolerari, quàm ſi ipſa ſana fides ſimul condemnaretur. Itaque ux ſententia amborum regum communis ſimul & univerſalis in Sardica iterum congregatur Synodus.

Sulpitius Severus in libro II. hiſt. ſacræ: *Itaque Imperatorem eò uſque compellunt, ut Athanaſius exulatum in Gallias mitteretur. Mox in Ægypto octuaginta Epiſcopi congregati Athanaſium injuſtè condemnatum eſſe pronunciant. Res ad Conſtantinum refertur. Jubet ex toto orbe apud Sardicum Epiſcopos congregari, atque omne judicium, quo Athanaſius damnatus fuerat, retractari.* Hic in Conſtantino error eſt vel auctoris vel potiùs librariorum, cùm res non ad Conſtantinum, ſed ad Conſtantium relata ſit.

Socrates in libri II. hiſt. cap. XVI. *Cùm Imperator denuo ſcripſiſſet, ut Paulo & Athanaſio ſua ipſorum*
49 *loca & Sedes reſtituerentur, nihilque proficeret (inteſtina*
namque ſeditio multitudinem ſine intermiſſione implacatam tenuit) Paulus & Athanaſius aliud Concilium cogi poſtulant, ut cùm de eorum rebus, tum de fide in Concilio generali cognoſceretur, docéntque ſe abdicatos fuiſſe, quo ipſa penitus labefactaretur fides. Edicitur ergo Concilium generale, ut omnes Sardicam conveniant (eſt autem civitas hæc Illyrii) Idque de ſententiâ duorum Imperatorum, alterius per literas id flagitantis, alterius, qui in Oriente regnabat, alacri & parato animo eiſdem obtemperantis.

Theodoretus in libri II. hiſt. capite V. *Quibus literis* (Conſtantis) *perſuaſus Conſtantius mandatum dedit, ut Epiſcopi tum Orientis, tum Occidentis Sardicam, quæ eſt in Illyria urbs gentis Daciæ primaria, adventarent.*

Sozomenus in libri III. hiſt. capite X. *Cùm autem Conſtans Imperator poſtularet à fratre beneficii loco, ut Athanaſius & reliqui, qui in eadem cauſa erant, ad ſedes proprias reſtituerentur, & propter Arianos, qui contrà nitebantur, literis nihil profecit, & Athanaſius ac Paulus ad eum accedentes peterent, uti Concilium cogeretur, propterea quòd ipſis, quò vera ſanâque doctrina tolleretur, parata fuiſſent inſidiæ: Sententia utriuſque Imperatoris decretum eſt, ut Epiſcopi partis utriuſque ad ſtatum diem Sardicam urbem Illyrii convenirent.*

Simeon Metaphraſtes in vita ſancti Athanaſii: *Cognitis igitur his conſtans, quæ Athanaſio & Paulo facta erant, ſcribit fratri jubens illos recipi: Et quamvis ſcriberet rex Conſtans, ut reſtituerentur Paulus & Athanaſius*
50 *ſuis locis, nihil ampliùs effectum eſt. Aliam Synodum*
conſcribunt, qui cum Athanaſio & Paulo erant, ut quæ ad eos pertinebant & ad fidem, earum tandem finis eſſet litium, docentes ſuam condemnationem facere ad fidei abolitionem. Annunciatur ergo iterum univerſalis Synodus Sardica ex ſententia duorum regum, undecimo anno à morte Patris Auguſtorum.

Nicephorus in libri IX. capite XII. *Ut autem ab Occidentalibus eſt repudiata* (quæ facta fuerat expoſitio) *Conſtans Cæſar unum illud à fratre ſibi dari poſtulavit, ut Paulus & Athanaſius ſedes ſuas reciperent. At cùm literis ſuis nihil effeciſſet, propterea quòd adverſarii contrà niterentur: Et cùm populus ea de cauſa ſeditionem moveret, Paulus & Athanaſius rurſum Conſtantem adiere, & ut univerſalis Synodus cogeretur, petiere, ut de profeſſione fidei, & de eorum cauſis accuratiùs res explorari poſſet. Exauctorationis enim ignominiam ſe propter fidei ſinceritatem ſuſtinere affirmarunt: Quapropter de duorum Imperatorum iſtorum ſententia ſtatutum, ut utriuſque Imperii Epiſcopi ad diem certum Sardicum, quæ Illyrica civitas eſt, convenirent.*

Joannes Grodecius Glogovienſis Decanus in vita Sancti Cyrilli Hieroſolymitani apud Surium: *A quibus etiam Nicephorus id accipiens & catalogum Patrum, qui circiter tempore Sardicenſis Concilii floruerunt, quod de Conſtantis & Conſtantii voluntate inſtitutum erat, longa ſerie recenſens.*

Carolus Sigonius in libro X. de Occidentali Imperio: *Ita aſſentiente Conſtantio paullò poſt utriuſque Imperatoris juſſu Concilium Sardicam indicitur, atque eò ex* 51
Oriente & Occidente Epiſcopi convenire jubentur. Hoc non diſplicuit Inquiſitoribus, qui Sigonii Commentarios probarunt.

Pudet me nunc recentiorum quorundam ſcriptorum, qui auſi ſunt literis prodere, Sardicenſem Synodum à Julio Pontifice indictam & convocatam eſſe. In cæteris fidem ſibi detrahunt, cùm id quod tam apertè falſum eſt, ut verum perſuadere vel certè tradere nituntur. Scripſiſſet igitur falſum Sardicenſis Synodus, cùm ait ſe Imperatorum auctoritate convocatam eſſe: Hiſtoriæ leges neglexiſſent Alexandrina Synodus & Athanaſius, cùm in Sardicenſis Synodi convocatione Julio nihil, ſed quidquid id eſt, Imperatoribus tribuant. Si Julius Sardicenſem Synodum indixiſſe cenſendus eſt, quia forte ut indiceretur à Conſtante & Conſtantio petiit, Paulus Conſtantinopolitanus & Athanaſius Alexandrinus Sardicenſem Synodum indixiſſe cenſendi ſunt, quia ut indiceretur, ab illis Imperatoribus popoſcerunt. Paulum & Athanaſium rogaſſe Imperatores ut univerſale indiceretur Concilium, incertus auctor vitæ Athanaſii, Socrates, Sozomenus, Nicephorus apertè teſtantur: Julium id quoque feciſſe non tam aperte teſtantur: Et quamvis eos tam apertè teſtari poneremus, eadem tamen eſſet Julii, Pauli & Athanaſii quoad Synodi convocationem ratio, par conditio. Quis autem reciperet Pauli & Athanaſii mandato & auctoritate indictam eſſe Sardicenſem Synodum, quia ab Imperatoribus Conſtante & Conſtantio ut indiceretur, expoſtularunt. Inde factum eſt, ut Di-
onyſius Petavius lib. VI. parte I. Rationarii tempo- 52
rum capite IV. cùm Binii & aliorum recentiorum, quorum nomini parcimus, rationes pro Synodo à Julio indicta futiles & vanas eſſe perſpiceret, ſine hæſitatione ulla ſcripſerit; antiquorum traditionem ſecutus: *Gregorius Cappadox ingenti patrata cæde Sedem illam* (Alexandriæ) *occupavit, clam dilapſo Athanaſio, ac Romam profecto. Quò & Paulus Conſtantinopolitanus & alii Catholici Epiſcopi ab Arrianis expulſi tanquam ad aſylum ſeſe receperunt. Horum in cauſa Conſtantis & Conſtantii juſſu Sardicæ generalis habita eſt Synodus anno* CCCXLVII. *à qua Arrianis ſe ſubducentibus reſtitutus eſt Athanaſius, ac cæteri Epiſcopi, & damnatis hæreticis Nicæna fides iterum approbata.* Hìc de Julio Sardicenſem Synodum indicente ne gry quidem, tantum abeſt, ut illi Petavius Sardicenſis Synodi convocationem adſcribat. Profectò minimè negandum eſt niſi temerè, quin Petavius Binio & recentioribus aliis doctrina, eruditione & antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitione & candore antecelluerit.

III. Nunc venio ad Liberium Romanum Pontificem, qui non convocavit Synodum, ſed Conſtantium rogavit, ut Synodum convocare vellet. Hoc autem tam certum eſt, quàm certum id contineri in Epiſtola, quam Liberius ad Imperatorem illum multis de rebus Eccleſiaſticis ſcripſit: Sic igitur loquitur: *Ego, religioſiſſime Imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non ſit verbis compoſita interna diſpoſitione fallacia, ſed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata: Non Athanaſii tantùm negotium, ſed multa alia*
in medium venerant, propter quæ Concilium fieri manſue- 53
tudinem tuam fueram deprecatus. Ut ante omnia, quod ſpecialiter optat mentis tuæ ergà Deum ſincera devotio, cùm fidei cauſa, in qua prima nobis ſpes eſt ad Deum, diligenter fuiſſet tractata.

Deinde in Dialogo, quem cum Imperatore Conſtantio habuiſſe Liberium Theodoretus narrat in libri II. hiſt. capite XIII. *Euſebius. Eunuchus dixit: Imperatorem noſtrum Nebuchodonoſorem facis. Liberius. Haudquaquam, ſed tu non minus temerè hominem condemnas. De quo nullum factum eſt judicium. At ego primùm*

generalem

generalem fieri posco subscriptionem, qua fides apud Nicaam exposita confirmetur: Deinde ut revocatis ab exilio, atque in sedes suas restitutis fratribus nostris, si hi qui nunc turbas cient in Ecclesiis, visi fuerint Apostolica fidei consentire: Tum Alexandriam convenientes omnes, ubi & accusatus & accusatores sunt & defensor eorum, examinata causa sententiam proferamus. Epictetus Episcopus dixit. At cursus publicus non sufficiet ad Episcopos subvehendos. Liberius. Ecclesiastica causa cursu publico non egent, satis habent facultatum Ecclesia, ut Episcopos ad mare usque deducant.

Pontifex in loco priori adeo non indicit Synodum, ut magnas adhibeat preces, quibus Imperator ad indicendam Synodum flectatur. Si Liberii decessores, Silvester Nicænam, Julius Sardicensem Synodum indixissent, cur ipse Liberius non indixisset Synodum, quam à Constantio indici obsecratione tam humili tàmque supplici rogabat? Indixisset u-
54 tique, si quod indicendi habuisset exemplum: Id in Epistola mox laudata significat, cùm de Pontificali creatione sua loquitur: *Ad istud officium, testis est mihi Deus, invitus accessi, in quo cupio quidem sine offensa Dei, quandiu in saculo fuero, permanere, & nunquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata, & custodita perfeci: Secutus morem ordinèmque majorum nihil addi Episcopatui urbis Roma, nihil minui passus sum.* At minui passus esset aliquid, nisi morem ordinèmque majorum secutus indixisset Synodum, quam usque adeò necessariam esse credebat. Et cujus gratia Epistolam ita concludit: *Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo, & Hilario Diacono placuit proficisci, quos credimus de clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare.*

In posteriore loco Liberius tam generosum ac fortem se præbuit, ut quod cupiebat indici Concilium indixisset, si penes se indicendi potestatem esse credidisset. Nec vis, nec violentia, nec minæ Imperatoris ab indicenda Synodo retardassent Pontificem, qui sub finem Dialogi sic interloquitur: *Imperator. Unum est quod queritur. Volo enim te, ubi Ecclesiarum communionem fueris amplexus, mittere iterum Romam. Proinde consule paci, & subscribens Romam redi. Liberius. Roma jam fratribus vale dixi. Potiores enim sunt Ecclesia leges, quàm Romana habitatio. Imperator. Ergo trium dierum spatium habes ad deliberan-*
55 *dum, ut aut subscribendo Romam redeas, aut statuas quem in locum deportari velis. Liberius. Ergo trium dierum spatium mutare mentem non potest. Quare mitte me quò voles. Biduo posthac Imperator examinato Liberio consiliùmque non mutante jussit eum in Berœam Thracia relegari. Digresso Liberio Imperator quingentos aureos ei misit ad expensas. Liberius autem illi, qui attulerat, respondit: Abi & da Imperatori. His enim opus habet ad stipendia militum. Similiter Imperatrix alios pari numero misit. Et Liberius, Redde, inquit, Imperatori. Nam his etiam ad militarem expeditionem opus habet. Quòd si his non eget Imperator, det Auxentio & Epicteto: His enim opus habent. Ut verò ab his non accepit, Eusebius Eunuchus alios ei adfert. Cui Liberius, Tu orbis terra, ait, Ecclesias expilasti, & mihi ut damnato eleemosynam adfers? Vade priùs esto Christianus.* Quis modò attentis Liberii interlocutionibus reciperet, persuasum fuisse Liberium posse se Concilium, quod ad sanciendam Ecclesiæ pacem judicabat necessarium, Indicere, sed Imperatoris metu non indixisse? Quis etiam reciperet, Liberium executum non esse tunc majorum factum, si quod exequi potuisset, vel exequendum novisset?

IV. Constantius Mediolanensem Synodum convocavit anno CCCLV. Id testantur Ecclesiasticæ historiæ scriptores.

Socrates in libri II. capite XXIX. *Per id tempus in Italia non multi ex Episcopis Orientis convenerunt, quandoquidem plerisque illorum ingravescens ætas, & itineris longitudo impedimento fuit, quo minùs illo adven- 56
tarent: Episcopi verò Occidentis accessere, ampliùs trecenti: Exibat edictum Imperatoris, ut Concilium Mediolani cogeretur. Quò cùm Episcopi Orientis venissent, primùm omnium postulabant, uti contra Athanasium communis pronunciaretur sententia. Quo quidem confecto putabant fore, ut reditus Alexandriam illi penitus precluderetur. Postquam intellexere Paulinus Treveris, qua est in Gallia, Episcopus, Dionysius & Eusebius (quorum ille Alba primaria urbis Italia Episcopus fuit, hic Vercellarum civitatis Liguria) Episcopos Orientis omnes nervos contendere ad decretum contra Athanasium faciendum, non alia de causa, quàm ut fides labefactaretur, consurgentes graviter vociferabantur, religionem Christianam per dolosos & fraudulentos illorum conatus expugnatum iri, dicebántque criminationem Athanasio objectam perspicuè falsam esse, illósque eas res excogitasse, uti fidem prorsus everterent. Dum hac isti vociferabantur, Episcoporum Concilium dimissum est.*

Theodoretus in libri II. hist. capite XV. *Quanquam autem ipse Constantius, cùm Magnentius post Constantis mortem Imperio versus Occidentem potitus esset, ad istius tyrannidem expugnandum in Europam cum exercitu profectus est, tamen ne istud quidem grave bellum, quod contra Ecclesias susceptum erat, sedavit. Nam Arriani Constantio, cujus animus tam facilè ad omnia impelli poterat, tum erroris Arriani contagione infectus erat, persuadent, ut Mediolani, quod est oppidum Italia, Concilium convocaret: Ac primùm omnes, qui eò convenirent, abdicationi, qua Tyri ab ini- 57
quis illis judicibus sigillatim adversus quosdam Episcopos facta est, assentiri cogeret. Deinde ut Athanasio Ecclesiis ejecto, aliam fidei doctrinam componerent. Itaque Episcopi literis Imperatoris acceptis convenerant quidem, sed tamen neutram earum rerum fieri permiserunt: Immo verò coràm ipsum apertè coarguerunt Imperatorem, utpote, iniqua & planè impia jubentem: Et propterea fuerunt tum Ecclesiis expulsi, tum ad ultimas orbis terra oras incolendas condemnati.*

Sozomenus in libri IV. capite VIII. *Concilio igitur impulsu Imperatoris Constantii Mediolani convocato, ex Oriente pauci Episcopi illò adventarunt: Propterea quòd alii morbo, ut est verisimile, prapediti, alii itineris longitudine deterriti, eò accedere recusabant. At Episcoporum Occidentis ibi congregati sunt trecenti & ampliùs. Cùm autem Episcopi Orientis postularent, ut Athanasius condemnaretur, atque adeò omnino pelleretur Alexandria: Alii quidem vel metu, vel fraude vel ignoratione rerum gestarum inducti assenserunt. Soli autem Dionysius Episcopus Alba, qua est urbs primaria Italia, & Eusebius Vercellarum, quod est oppidum Liguria, Episcopus, & Paulinus Episcopus Treveris, & Rhodanus & Lucifer, contrà vociferati sunt, testatique non oportere, Athanasium tam temerè condemnare. Nam si illud fieret, malum non in eo loco acquieturum, sed ad insidias, decretis rectè veréque de Deo sancitis struendas, & ad fidem Nicæni Concilii evertendam progressurum, atque ad has res perficiendas, tum Imperatorem, tum Arianos, omni cura & cogitatione incumbere. Atque isti, quia tum liberè in Concilio locuti 58
essent, addicebantur exilio, & Hilarius unà. Causam autem Concilii Mediolani cogendi, quam ipsi memoraram, veram fuisse eventus rerum comprobavit.* Hic ad illustrationem rei primò diligenter observandum est, non reprehendi Constantium, quòd Mediolanensem Synodum convocaverit.

Deinde quòd magni nominis antistites Synodo huic intersint: Non interessent autem, si Constantius convocandæ Synodi jus nullum haberet. Neque enim Synodali convocationi minùs, quàm rebus à Synodo definitis vel definiendis obsisterent, ut eos obsistere videmus.

videmus. Tum Romanæ Ecclesiæ Presbyteri non interfuissent Mediolanensi Concilio, si ejusdem Ecclesiæ postulasset traditio, ut Concilium à Romano Pontifice non ab Imperatore convocaretur. At Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Mediolanensi interfuisse Concilio testatur Ariminense Concilium in epistola, quam ad Constantium dedit: *Hæc autem per id temporis facta sunt, cùm Mediolani Synodus in consessum ibat, præsentibus ibidem Romanæ Ecclesiæ Presbyteris.* Epistola hæc refertur ab Athanasio in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ, à Socrate in libri II. hist. capite XXIX. & aliis.

Denique Patres ubi ubi sint in Synodi convocationem consentiunt, rati Imperatoriam convocationem divinis aut Ecclesiasticis legibus non adversari, sed in Synodi decreta non consentiunt, quippe quæ legibus iisdem vehementissime repugnent. Id Hosius Cordubensis Episcopus confirmat in epistola, quam ad Con-
59 stantium scripsit. Id Lucifer Caralitanus Episcopus in libris, quos vel pro Athanasio ad Constantium, vel de regibus apostaticis, vel de non conveniendo cum hæreticis, vel de non parcendo in Deum delinquentibus, vel de eo quòd moriendum sit pro filio Dei, composuit. Id Hilarius Pictaviensis Episcopus confirmat in libris, quos vel ad Constantium vel adversus Constantium & de Synodis adversus Arianos edidit. Id Athanasius Alexandrinus Episcopus confirmat pluribus in operibus, & in eo maximè, quod de Synodis Arimini & Seleuciæ exaravit. Nam illi antistites quatuor Imperatori convocandarum Synodorum jus nusquam abjudicant, tametsi nonnunquam accusent, quæ in convocatis ab Imperatore Synodis decernuntur. Quæ duo si distinguantur, Ecclesiasticæ historiæ non parum lucis important: Si verò confundantur non parum tenebrarum adferunt, & magnam contentionis materiam iis suppeditant, qui moras nectere & tergiversari volunt.

V. Constantius Sirmiensem Synodum convocari jussit. Socrates in libri II. hist. capite XXIV. *Imperator* (Constantius) *Concilium Episcoporum Sirmii convocari jubet.* Et paullò pòst: *Illi* (tam Orientis quàm Occidentis Episcopi) *post Consulatum Sergii & Nigriani, quo anno propter belli tumultus & seditiones nullus consul consueta consulatus munera obire poterat, Sirmii congregantur.*

Sozomenus in libri IV. hist. capite V. *Etenim à sententia tum eorum, qui fidem in Nicæno Concilio tra-*
60 *ditam cum admiratione amplexabantur, tum eorum, qui approbant Arrii doctrinam omnino discrepare comperiebatur: Imperatori præterea bilem movit, qui eodem tempore Sirmii vitam agens Concilium ideo convocavit.*

Nicephorus in libri IX. capite XXXV. *Ne ipse quidem Imperator mediocriter dissidio est commotus. Quapropter etiam Concilium sibi coëgit.* Inter antiquos auctores de Sirmiensi Synodo multi multa dixerunt, sed factam ab Imperatore convocationem nullus redarguit.

VI. Constantius Ariminense & Seleuciense Concilium convocavit anno CCCLVIII. Qua de re nullum est apud auctores æquales, vel tempore proximos dubium. Athanasius in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ: *Nicæa igitur, quemadmodum statutum erat, nullum Concilium coactum fuit, sed secundum edictum promulgatum est, ut Episcopi Occidentales Arimini, quod est urbs Italiæ, convenirent. Orientales vero Seleuciæ Isauriæ, quæ Aspera cognomine appellatur.* Et post alia: *Omnibus igitur exspectantibus, ut in unum convenirent, quos Imperatoris diplomata evocabant, & unum Concilium haberetur postquam divisio facta esset, aliique Seleuciam cognomento Tracheiam abiissent, alii Ariminum se contulissent.* Et paullo pòst in exemplari Synodalis epistolæ ad Constantium: *Dei jussu tuóque pro edicto olim dogmatibus ita tradita esse, ut tradita sunt, credimus. Nam Ariminum ex omnibus ad Occidentem civitatibus in unum convenimus, ut fides Catholica Ecclesiæ cognosceretur, & qui alterius opinionis essent, manifesti fierent, ubique post longam deliberationem optima visa est ea fides quæ hactenus usque a priscis tem-* 61
poribus perduravit, quam & Prophetæ & Evangelia & Apostoli, per Dominum nostrum Jesum Christum prædicarunt. Et quibusdam interpositis: *Eo enim tempore, quo pro tuo edicto Synodus cogebatur, ipsos fraudis suæ Concilia denudarunt.* Notandum est illud quod ait Ariminense Concilium, *Dei jussu, tuóque pro edicto*, τῷ τῆς σῆς εὐσεβείας προςτάγματι. εὐσέβεια religionem & pietatem in Deum significat. Quamobrem Ecclesiæ Doctor factam ab Imperatore Synodi convocationem non potest non approbare, non approbaret autem ita, cùm illam minimè reprehendit: Sed reprehenderet, siquid in ea convocatione adversus legem Christi & Ecclesiasticam traditionem attentaretur.

Sulpitius Severus in lib. II. hist. sacræ de Constantio: *Igitur apud Ariminum urbem Italiæ Synodum congregari jubet, idque Tauro præfecto imperat ut collectos in unum non antè dimittat, quàm in unam fidem consentirent, promisso eidem consulatu, si rem effectui tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliásque magistris Officialibus acciti, numerative quadringenti & aliquantò ampliùs Occidentales Episcopi Ariminum convenere, quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat.* Et quibusdam interpositis: *Interim in Oriente exemplo Occidentalium, Imperator jubet cunctos ferè Episcopos apud Seleuciam Isauriæ oppidum congregari.* Imperatoris factum sine reprehensione ulla narrat, minimè narraturus, si quid contra Dei & Ecclesiæ leges fecisset. Porro Taurus ille Prætorii præfectus erat, *qui ex jussu regis Synodo ad-*
fuit, ut Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos 62
tradit.

Socrates in libri II. hist. capite XXIX: *Dum hæc isti vociferabantur, Episcoporum Concilium dimissum est* (Mediolanense) *Quod ubi intellexit Imperator, illos actutum in exilium mandat, generaléque Concilium in animo habet, ut cunctis Episcopis Orientis in partes Occidentis accersitis, omnes (si fieri possit) ad concordiam reducat. Ei verò rem istam animo agitanti videbatur perdifficilis ad præstandum propter itineris longitudinem, & ob eam causam Concilium in duas partes dividi jubet, atque Episcopos, qui tum aderant, Arimini, quæ est urbs Italiæ, convenire, Episcopos autem Orientis Nicomediam urbem Bithyniæ petere per literas imperat. Verùm ejus institutum non successit prosperè. Nam neutrum Concilium secum consensit, sed utrumque fuit in duas partes distractum. Etenim neque Episcopi, qui Arimini convenerunt, concordare poterant, & qui in Oriente coacti erant, Seleuciæ urbis Isauriæ novum schisma conflarunt.* Synodi convocationem & convocationis finem ac consilium laudat. Deinde in ejusdem libri I. capite XXXI. *De altero Concilio, quod effigiem Concilii Ariminensis pulchrè expressit, quódque Imperatoris edicto fuit in Oriente convocatum, jam narraturus accedo.* Et paullo pòst: *Episcopi, qui convenerunt, erant numero centum & sexaginta.*

Theodoretus in libri II. hist. cap. XVII. *Fidei igitur propugnatoribus expulsis, illi, qui Imperatoris animum, quò vellent impellere poterant, quoniam fidem sibi*
suaque secta adversariam se perfacilè labefactare posse 63
confidebant, & doctrinam Arii confirmare persuadent Constantio, ut Concilium Episcoporum tum Orientis, tum Occidentis Arimini cogeret. At persuadere Constantio, ut Concilium Episcoporum Arimini cogat, non est cogere Concilium, alioquin illi, qui Imperatoris animum, quò vellent, potuerunt impellere, Ariminense Concilium jure suo coegisse dicerentur, non Imperator; quod tamen à communi scriptorum consensu abhorret.

Deinde in ejusdem libri I. capite XXVII. *Aliquanto temporis spatio interjecto Constantius ab Eudoxii accusatoribus impulsus Seleucia Concilium convocari mandat. Est quidem Seleucia urbs Isauria ad mare sita, qua inter urbes illius facilè primas tenet. Ad hanc urbem Episcopos Orientis, quinetiam Ponticos & Asianos frequentes accedere jubet.* Quis autem affirmaret Eudoxii accusatores Seleuciense indixisse Concilium, quia Constantios ab Eudoxii accusatoribus impulsus indixit & convocavit?

Theodoretus paullò pòst narrat, quomodo antistites nonnulli Imperatorem coarguerint, quòd *Apostolica doctrina insidias tenderet*, non quòd Synodum convocasset. Sic omninò distinguit Synodi convocationem ab iis, quæ in convocata Synodo tractantur ac deciduntur.

Sozomenus in libri IV. hist. cap XVI. *Imperator verò, quoniam persuasum habuit, neque ex usu esse vel Reipublica propter impensas, vel Episcoporum propter longa itinera, ut in unum locum omnes convenirent, Concilium in duas partes distribuit, scribitque Episcopis,*
64 *qui id temporis tum Arimini, tum Seleucia convenerant, ut primùm de his qua in fide ambigua videremur, deciderent. Ad extremum uti lex Ecclesia postulat, causas etiam Episcoporum qui quererentur, se vel injustè abdicatos esse, vel in exilium missos (quorum unus Cyrillus Episcopus Hierosolymorum) disceptarent, déque criminibus quibusdam Episcopis illatis accuratè judicarent. Nam alii alios accusaverant. Ægyptii autem Georgium rapina & contumeliarum insimulabant. Rebúsque omnibus dijudicatis, decem utriusque partis ad aulam accederent, qui qua actu essent, ipsi renunciarent. His mandatis impulsi singuli eum ad locum conveniunt, ad quem convenire imperatum erat: Atque Concilium Arimini prius coactum est, ad quod Concilium congregati sunt ampliùs quadringenti Episcopi.* Hic auctor, ut & alii, seu Ariminensis seu Seleuciensis Concilii convocationem ut ab Imperatore factam non accusat, accusaturus opinor, siquid in ea contra Christi legem & Ecclesiasticos canones peccaretur.

Nicephorus in libri IX. capite XIX. *Vigesimus primus Imperii Constantii annus erat, cùm Synodus Arimini coacta est.* Et paullo pòst: *Eodem tempore Arimini & Seleucia Constantius omnes undequaque Episcopos convenire jussit, opinionem ejusmodi abolituros, ut jam omnibus liquidè pateat, Constantium non ob eam, quam Ariani ementiti sunt, causam, Ariminensem instituisse Synodum, sed propter opinionem, quam Aetius perperam vulgaverat.* Nicephorus Imperatoriam Ariminensis & Seleuciensis Synodi convocationem non
65 arguit, arguturus, ut apparet, si Constantius in convocatione tali Christi legem, aut Ecclesiasticos violasset canones, quibus convocandarum Synodorum jus alteri tributum eo tempore fuisset.

In cumulum accedit Synodica Damasi Episcopi Romæ & Occidentalium Episcoporum ad Illyrici Episcopos de Ariminensi Concilio scripta, ubi de Ariminensis Concilii præsulibus conquerentes, de Imperatoria Concilii convocatione conqueruntur neutiquam, conquesturi sine dubio, si quid in ea convocatione peccatum esset. Adscribo verba, quæ proposito nostro inserviunt: *Quam salutarem definitionem, adorabilémque deliberationem* (Nicæni Concilii) *corrumpere quidam aliis cogitationibus, ac temerare voluerunt. Sed in ipso principio ab his ipsis, qui Arimini novare ac retractare compellebantur, eatenus res correcta est, ut confiterentur sibi alia disputatione subreptum, quòd non intelligerent Patrum sententia apud Nicaam constituta hoc esse contrarium. Neque enim prajudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia expectanda erat sententia, neque Vincentium, qui tot annorum Episcopatum integrè gesserat, neque alios talibus prabuisse consensum, maximè cùm isti ipsi, sicut diximus, qui per fraudem deflexisse visi sunt meliore usi consilio, hac sibi displicere testati sunt.* Synodus antistitum, quorum princeps fuit Damasus Imperatoriæ Concilii convocationi culpam nullam adscribit, ut vel ex eo constet, non fuisse persuasum Damaso & aliis Episcopis numero nonaginta, Constantium in ea convo- 66
catione sumpsisse sibi nonnihil, quod Evangelio, quod sacris canonibus, quod Ecclesiasticæ disciplinæ, quod Sedis Apostolicæ traditioni, quod alieno demum juri repugnaret.

Damaso & Occidentalibus reliquis adjungo Athanasium, ut unde de Imperatoria Ariminensis Concilii convocatione orsa est disceptatio hæc, in eodem terminetur. Sic igitur Athanasius de re tota, de Concilio & convocatione Concilii scribit ad venerabiles in Africa Episcopos: *Sed tamen quia audivimus nonnullos hujus oppugnanda* (Nicænæ) *definitionis cupidos allegare Concilium Ariminense, quod ipsi* (Ariani) *jactitant, auctoritatem obtinuisse, necessariò visum est, ut vos scripto certiores redditos admoneremus, ne istiusmodi homines tolerare velitis. Est enim istud aliud nihil, nisi propago Arianica hareseos.* Et post aliquammulta de Nicæno Concilio: *Eáque fuit causa Nicani Concilii. Concilia autem, qua postea insecuta sunt pro Arrio, contra œcumenicam Synodum instituta fuere. Id cùm ita se habeat, quis ferat eos, qui Ariminensem aut ullam Synodum prater Nicanam in ore habent & jactitant? Aut quis non odio habeat illos, qui qua Patrum sunt, abrogant? Recentiora autem Arimini per vim & contentionem extorta anteponunt? Aut quis cum eis convenire posset, qui ne secum quidem conveniunt, aut sua ipsorum approbant? Quippe qui in suis Conciliis decem scilicet aut pluribus etiam, ut superiùs dixi, aliàs alia scribentes, satis docent, se uniuscujusque Synodi criminatores esse.* Et paullo pòst.
Videntur autem illi, qui Ariminense Concilium in ore ha- 67
bent, ne illa quidem scire qua ibi acta sunt: Quippe qui alioquin obticuissent. Vos contrà dilectissimi, compertum habetis ex iis, qui è vestro numero ad Concilium Ariminense se contulerunt, quomodo Ursacius & Valens illic presto fuere, & unà cum illis Demophilus, eósque ideo depositos, exauctoratos esse; quòd alia, quàm qua in Nicano Concilio decreta essent, conscribere vellent, quo tempore cùm ab illis postularetur, ut Arianam haresim anathemate damnarent, postulata prastare recusarunt, malebántque se potiùs ejus hareseos duces, prafectósque videri. Episcopi contrà legitimi servi Christi & recta fide praditi numero fermè ducenti dicebant sufficere Nicani Concilii dogmata, nec plus, nec minus, aut quarendum aut credendum esse. Hac & Constantio significarunt, cujus jussu Concilium coiverat. Athanasius in his & aliis quæ latiùs disputat, Constantio jus convocandæ Synodi nusquam abjudicat, cùm opportunitas idoneorum ad abjudicandum temporum fuit, & idipsum exegit. Noverat hic Pater sanctissimus & doctissimus Scripturæ sacræ locum esse nullum, Ecclesiæ legem esse nullam, quæ reges & principes ab indicendis & congregandis Synodis prohiberent. Noverat Constantinum Magnum Romanam, Arelatensem, Nicænam & alias Synodos convocasse, & eam ob causam mirum non est, quòd Athanasius Constantium de Synodorum convocatione non accusaverit.

VI. Theodoretus in libri IV. hist. capite VII.
memioit certi cujusdam Concilii, quod Valentini- 68
anus in Illyrico fieri jussit: *Porro autem cùm accepisset, quosdam in Asia & Phrygia de divinis dogmatibus controversari, Synodum haberi jussit in Illyrico, & qua ab Episcopis decreta & sancita fuerant, misit ad illos, qui contendebant. Decreverunt autem, qui eò convenerunt, fidem in urbe Nicana expositam servari oportere.*

VII. Aquileiense Concilium in secunda ad Imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodosium epistola illos precatur, ut Concilium Alexandriæ fieri jubeant propter Timotheum Episcopum, qui nonnullorum

nullorum dissidiis vexabatur. Verba suot: *Ideòque petimus vos, clementissimi & Christiani Principes, & ut Alexandriæ Sacerdotum Catholicorum omnium Concilium fieri censeatis, qui inter se plenius tractent atque definiant quibus impertienda communio, quibus servanda sit.* Hæc ad annum CCCLXXXI. in Appendice Jacobi Sirmondi ad Theodosianum Codicem.

Executus sum forsan plura, quàm postulaveras. Sed judicavi aliter respondere me non posse, nisi exspectatam à te responsionem undequsque communirem. Communivi tum ex iis, quæ Nicænæ Synodi convocationem præcesserunt, tum etiam ex iis, quæ illam subsecuta sunt usque ad tempus, quo generalis Synodus secunda celebrata est. Responsio & Responsionis munimenta Responsioni, quam nostra Theologiæ Parisiensis Facultas consulenti eam Carolo VIII.
regi dedit anno MCCCXCVII. III. Idus Januarias,
roboris adjiciet quamplurimum. Quærebat Rex Christianissimus,
oum invito Romano Pontifice generalis
convocari posset Synodus, quæ afflictæ & laboranti 69
Ecclesiæ provideret: Idque maxime, cùm illa de decennio non celebraretur in decennium, ut Concilia duo, Constantiense & Basileense, definierant, & confirmaverat Martinus V. qui priori Concilio morem gesserat. Quidquid in causa, futurum esse spero, ut Epistolæ longitudinem non conqueraris, & eam meliorem in partem interpreteris. Vale. Launduni ann. M.DC.LXVI. Nonis Decembris.

Joannes Launoius

EIDEM

HENRICO LUDOVICO HABERTO MOMMORIO.

Lutetiam.

71 VERUM quidem esse dicis, Theodosium Im-
peratorem convocâsse Synodum secundam,
quæ Constantinopolitana dicitur, sed illud
minùs facilè probari, quàm probatur, Con-
stantinum Nicænam Synodum primam indixisse ac con-
gregasse. Dum illud minùs facilè probari sumis, ad
mentem Bellarmini & aliorum, qui vetera instituta
metiuntur recentioribus, & Synodi hujus convocatio-
nem volaticis distinctiunculis quibusdam convolvunt,
loqui mihi videris. Quia vero de rei veritate dissen-
tire non vis, mihi crede, unum atque alterum æquè
probari potest; si modò quæ ad Constantinopolita-
nam Synodum pertinent, ex seipsis & adjunctis pen-
sentur, & quæ post eam Synodum consecuta sunt in
Ecclesia Dei, diligenter attendantur. Et primùm qui-
dem Theodoretus Epistolam, quæ à Constantinopoli-
tana Synodo ad Romanam missa est, integram recen-
set, & solus ex antiquis scriptoribus recenset: Dein-
de postquam momentis Epistolam suis expendes, in
ea Synodos reperies duas, quæ intra biennium celé-
bratæ fuerunt. Imperator priorem anno CCCLXXXI.
convocat: posteriorem quis convocaverit, Theodore-
tus non tam apertè meminit. Referenda sunt Theo-
72 doreti verba, quibus illud quodcunque est, apertam in
lucem edatur: Sic autem scribit in lib. V. hist. cap.
VII. *Hanc igitur ob causam solum Imperii sui Episco-
pos Constantinopoli cogi jussit. Quò cùm advenissent cen-
tum numero & quinquaginta, vetuit, ne magnum Mele-
tium sibi quisquam indicaret, ex somnii sui memoria vi-
rum cupiens agnoscere. Cùm ergo in Palatium totus ille
cœtus Episcoporum intrasset, aliis omnibus prætermissis ad
magnum Meletium accurrit, & velut patris amans filius
post longum tempus paterno fruens aspectu, amplexatus
est eum, osculatúsque oculos, labia, pectus, caput, &
dexteram, qua ipsi coronam imposuerat. Visum etiam,
quod oblatum ei fuerat, exposuit. Cæteros quoque omnes
cùm amanter salutasset tanquam Patres, rogavit, ut de re-
bus propositis consultarent.* Pergit in capite VIII. *Eo
tempore degebat ibi, qui Nazianzenam Ecclesiam novissi-
mè rexerat, Arianorum blasphemiis vehementer obsistens,
qui plebem sanctam Evangelicis imbuens doctrinis, ovés-
que extra gregem aberrantes revocans, & à noxio pabu-
lo abducens in gregem illum ex modico magnum fecit.
Hunc cùm vidisset divinus Meletius, & eorum, qui ca-
nonem scripserunt, perspectam mentem haberet, quòd ambi-
tus videlicet materiam præcedentem Episcoporum transla-
tionem prohibuerint, divinissimo Gregorio Constantinopoli-
tanum Episcopatum confirmavit, brevique pòst tempore ad
doloris expertem vitam migravit, omnium qui dicenda
aliquid poterant, funebribus orationibus exornatus. At
Timotheus Alexandrinorum antistes Petri successor, illius,
qui Athanasio in Episcopatu successerat pro admirabili
Gregorio Maximum quendam Cynicum, detonsa subito* 73
*Cynica ejus coma ordinavit, qui frivolis etiam Apollinaris
argutiis animam oppleverat. Itaque tam absurdum faci-
nus non tulere, qui tunc convenerant, suspiciendi planè
viri, divino zelo ac sapientia pleni. In quibus fuit Hel-
ladius magni Basilii successor in Episcopatu, Gregorius i-
tem & Petrus, eodem quo Basilius patre nati, & Amphi-
lochius Lycaonum Pastor, & Optimus Pisidarum, & Ci-
licum Diodorus. Aderant & Pelagius Laodiceæ, &
Eulogius Edessæ, & Acacius & Isidorus noster, & Cy-
rillus Hierosolymorum, & Gelasius Cæsareæ Palæstinæ doc-
trina moribúsque insignis, aliique virtutis athletæ quam-
plurimi. Hi tunc universi seipsos ab Ægyptiis segregantes
cum magno Gregorio conventus celebrabant. At divinus
Gregorius orabat illos, ut qui constituenda concordiæ cau-
sa convenerant, mutuum ipsi consensum unius hominis in-
juria potiorem ducerent. Nam & ego, aiebat, multis
curis liberatus gratam mihi quietem recipiam, & vos
post longum illud & grave bellum optatissima pace frua-
mini. Absurdius profectò nihil fuerit, quàm eos qui ho-
stilia nuper tela evaserint, suis inter se telis figi, & vi-
res suas consumere. Sic enim risum inimicis, lætitiámque
parabimus. Quare virum quærite aliqua laude dignum,
intelligentiáque præditum, qui tot curarum pondus subirè*

ac sustinere rectè possit, atque hunc Episcopum designate. His monitis obsecuti optimi Pastores, Nectarium virum Patricium, generis nobilitate clarum, virtutibúsque omnibus illustrem, maximæ illius urbis Episcopum ordinarunt, 74 *Maximum verò tanquam Apollinaris dementiæ participem Episcopali dignitate spoliatum abdicarunt. Tum canonibus ad rectam administrationem Ecclesiæ editis, Nicænaque exposita fide palam confirmata in suam quisque patriam reversi sunt.* Ecce Constantinopolitani Concilii summam, in qua seu Romani Pontificis, seu Occidentalium mentio nulla injicitur, aut injici potuit, cùm Imperator solius Imperii Orientalis Episcopos congregari præceperit! De sancienda apud eos & fide & disciplina tantùm agebatur. Quod non perspiciunt, qui Concilii hujus convocationem Romano Pontifici transscribendam esse putant.

Alterum Concilium paucis Theodoretus continuò describit: *Sequenti æstate cùm ad eandem urbem* (Constantinopolim) *Ecclesiasticis iterum negotiis evocati plurimi redissent, Synodicam ab Occidentalibus Episcopis Epistolam acceperunt, qua invitabantur, ut Romam ad Synodum, quæ ibi maxima cogebatur, se conferrent. Verùm si longinquam quidem profectionem velut inutilem futuram deprecati sunt. Epistolam autem miserunt, in qua procellam contra Ecclesias excitatam significantes, illorum hac in re negligentiam denotabant. Apostolicæ quoque doctrinæ summam iisdem literis indiderant. Sed scribentium virtutem ac sapientiam litera ipsa apertiùs declarabunt.*

Hinc pergit in capite IX. ubi Synodicam refert Constantinopolitanorum Patrum Epistolam, quæ sic inscribitur: *Dominis honoratissimis & reverendissimis fratribus & Collegis Damaso, Ambrosio, Britoni, Valeriano, Ascholio, Basilio, & reliquis sanctis Episcopis in magna urbe Roma congregatis, sancta Synodus orthodoxo-* 75 *rum Episcoporum, qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt, in Domino salutem.* Et post expositam calamitatem quæ Ecclesiis infertur ab Arianis, subjiciunt Patres: *Nunc verò postquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos caritate vestra, tanquam membra propria, per religiosissimi Imperatoris literas evocastis, ne quia soli tunc ad subeundas ærumnas fuimus addicti, nunc in ista Imperatorum de pietate concordia soli regnetis, sed nos etiam vobiscum, ut ait Apostolus, conregnemus, optabamus, si fieri posset, omnes simul, relictis Ecclesiis, desideria potiùs, quàm utilitati servire. Quis enim nobis dabit pennas sicut columbæ, ut volemus & requiescamus apud vos? Verùm quia hoc erat Ecclesias renovari nuper cœptas, penitus denudare, & rem præstare pars magna non poterat, convenerantus enim Constantinopoli ad literas à vestra reverentia superiori anno post Concilium Aquileiense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hoc solùm iter Constantinopolim usque instructi, & de hac tantùm Synodo Episcoporum, qui in provinciis remanserunt, consensum adferentes, cùm de longioris profectionis onere nec suspicati essemus, nec antè quicquam audissemus, quàm Constantinopolim pervenimus: Cùm præstituti quoque temporis angustia, neque ad longius iter adornandum, neque ad Episcopos communionis nostræ, qui in provinciis erant, commonefaciendos, eorúmque consensus obtinendos satis esset: Quoniam hæc multaque ad hæc alia plurimos venire prohibebant: Quod proximum erat, tum ad res constituendas, tum ad vestram erga nos benevolentiam declaran-* 76 *dam, reverendissimos honoratissimósque fratres & collegas nostros Episcopos, Cyriacum, Eusebium & Priscianum exoravimus, ut proficiscendi ad vos laborem susciperent.* Et post alia: *Quæ igitur ad fidem attinent, quam apertè prædicamus, in summa sunt hujusmodi, de quibus amplius animis vestris satisfacere poteritis, si tomum Synodi Antiochenæ, & eum, qui superiori anno Constantinopoli à Synodo universali est editus* ἐν τῇ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, *inspicere dignamini, ubi & fidei confessionem uberiùs exposuimus.* Et paullo pòst: *Unde & novæ, ut sic vocemus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam nuper ex hæreticorum blasphemia, tanquam ex ore leonis per Dei misericordiam eripuimus, reverendissimum, religiosissimúmque Nectarium in generali Concilio* ἐν τῇ οἰκουμενικῇ συνόδῳ, *communi omnium consensu & præsente religiosissimo Imperatore Theodosio, cleróque universo, & cuncta suffragante civitate Episcopum constituimus.* Et paullo pòst: *Quam quidem legitimam ordinationem* (Flaviani Antiocheni Episcopi) *Synodus quoque universalis* τῇ οἰκουμενικῇ συνόδῳ *comprobavit.*

Et primò quidem certum est, Theodoretum rectissime observasse, Constantinopoli habitas esse Synodos duas, unam anno CCCLXXXI. alteram insequenti anno. Deinde utramque Synodum à Theodosio fuisse convocatam, etiamsi Theodoretus non meminerit expressè, posteriorem ab illo Imperatore convocatam esse. Sed Constantinopolitani Patres hæc in Epistola meminerunt: *Convenerantus Constantinopoli ad literas à reverentia vestra superiore anno post Concilium Aquileiense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas,* 77 *ad hoc solùm iter Constantinopolim usque instructi, & de hac tantùm Synodo Episcoporum, qui in provinciis remanserunt, consensum adferentes, cùm de longioris profectionis onere nec suspicati essemus, nec antè quidquam audissemus, quàm Constantinopolim pervenimus.* Hic, ut apparet, non agitur de Constantinopolitano Concilio priori, quod anno CCCLXXXI coactum est, sed de posteriori, quod post Aquileiense Concilium an. CCCLXXXII. habitum est. Nempe Maximus Cynicus, quem Constantinopolitanum Concilium prius de Constantinopolitana sede ejecerat, ad Damasum, Ambrosium, & Occidentales alios, quorum communionem sortitus fuerat, jam confugerat, ratus causam suam ab iis defensum iri. Nec sua Maximum spes fefellit, ut constat ex quinta Concilii Italiæ ad Theodosium Epistola, cujus argumentum pars est præcipua, ut Nectarius Constantinopoli post Maximum ordinatus, loco cedat, aut Romæ super utriusque ordinatione habeatur Concilium. Sic Epistola inscribitur: *Beatissimo Imperatori & clementissimo Principi Theodosio, Ambrosius, & cæteri Episcopi Italiæ.* Et aliquanto post initium Epistolæ: *In Concilio nuper cùm Maximus Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ communionem manere secum lectis Petri sanctæ memoriæ viri literis prodidisset, ejúsque intra privatas ædes, quia Ariani basilicas adhuc tenebant, secretum esse, mandatoribus Episcopis ordinantibus, diluenda testificatione docuisset, nihil habuimus, beatissime Principum, in quo de Episcopatu ejus dubitare possemus, cùm vim sibi repugnanti, à plerisque etiam de populo & clero testatus esset illatam. Tamen ne absentibus partibus* 78 *præsumptè aliquid definivisse videremur, clementiam tuam datis literis putavimus instruendam, ut rei consuleretur ex usu publicæ pacis atque concordiæ: Quia reverà advertebamus, Gregorium nequaquam secundùm traditionem Patrum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Sacerdotium sibi vindicare. Nos igitur in Synodo ea, quæ totius orbis Episcopi videbatur esse præscripta, nihil temerè statuendum esse censuimus. Adeò ipso tempore qui generale Concilium declinaverunt, Constantinopolique gessisse dicuntur. Nam cùm cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset more & jure majorum, sicut & sanctæ memoriæ Athanasius, & dudum Petrus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi, & Orientalium plerique fecerunt, ut ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ, & totius Occidentis confugisse judicium viderentur. Cùm eum sicut diximus experiri velle adversum eos, qui Episcopatum ejus abnuerant, comperissent, præstolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerunt. Non prærogativam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii. Postremò priùs constare oportuit, utrum huic abrogandum, quàm aliis conferendum sacerdotium videretur. ab his præsertim, à quibus se Maximus, vel destitutum vel appetitum injuria querebatur: Itaque cùm Maxi-*

Maximum Episcopum receperunt in communionem nostra consortia, quoniam eum à Catholicis constituit Episcopis ordinatum, nec ab Episcopatus Constantinopolitani puta-
79 *vimus petitione removendum. Cujus allegationem præsentibus partibus æstimavimus esse pendendam. Nectarium autem, cùm nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere nostram communionem cum Orientalibus partibus non videmus, præsertim, cùm ab iisdem Nectarius dicitur illico sine communionis consortio destitutus, à quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quadam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat: Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certò super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum Orientaliúmque Concilium.* Hæc in Jacobi Sirmondi Appendice ad Codicem Theodosianum: Ex quibus colligere est, hinc depositum à Constantinopolitana Synodo Maximum ad Ecclesiæ Romanæ, Italiæ & totius Occidentis confugisse judicium; inde Synodum, quæ tunc habebatur in Italia, petiisse à Theodosio, ut advocatis à se Romam Orientalibus in Synodo majore de Maximi & Nectarii ordinatione judicaretur; Hinc Occidentales id factum iri sperantes Romæ in Synodum coivisse, ibique Orientales expectasse: Quò Synodicæ Constantinopolitani Concilii Epistolæ verba hæc pertinent: *Nunc verò postquam Synodum Romæ nutu Dei congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos caritate vestra, tanquam membra propria, per religiosissimi Imperatoris literas evocastis.*

Tunc plurimi ex illis antistitibus qui anno superio-
80 ri Constantinopolitanam Synodum habuerant, certis de causis redierant Constantinopolim, & cùm ibi versarentur, Synodicam ab Occidentalibus Episcopis Epistolam acceperunt, qua Romam satagente Theodosio accersebantur. Orientales illi Synodicam, cujus verba antè retulimus, ad Romanam Synodum scripserunt epistolam, in qua rationem reddunt, cur Romam ire non possint. *Conveneramus*, inquiunt, *Constantinopolim ad literas à reverentia vestra superiore anno post Concilium Aquileiense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hoc solùm iter Constantinopolim usque instructi, & de hac tantùm Synodo Episcoporum, qui in provinciis remanserunt, consensum adferentes, cùm de longioris profectionis onere nec suspicati essemus, nec antè quidquam audissemus, quàm Constantinopolim pervenimus.* Sic Orientales cùm alterum Constantinopoli celebrabant Concilium, Occidentalium acceperunt literas, quibus ad Romanam Synodum advocabantur.

His autem ita constitutis, ut ex Theodoreti relatione & Synodica Constantinop. Concilii Epistola constitui debent necessariò, manifestum est, Constantinopolitanam Synodum, quæ anno CCCLXXXI. habita est, insciis Occidentalibus ab Imperatore Theodosio convocatam esse, & Constantinopolitanam Synodum aliam, quæ anno CCCLXXXII. celebrata est, convenisse, priùs, quàm Orientales Synodicam, Damasi, Ambrosii & aliorum Occidentalium Epistolam accepissent. Quò fit, ut Constantinopolitana Synodus utraque Theodosii jussu convocata fuerit. Sed inter
81 utramque Synodum hoc interest discriminis, quòd prior in Synodica Constantinopolitani Concilii Epistola semel iterum & tertiò universalis dicatur: Posterior ne semel quidem universalis dicatur. In priori Synodo centum quinquaginta Episcopi adfuerunt. In posteriori Synodo, quæ synodicas literas ad Romanam Synodum dedit, pauciores; sed quot, nescitur. Nunc referenda & expendenda sunt Bellarmini verba, quibus ille probat, Constantinopolitanum Concilium primum ex mandato Apostolicarum literarum indictum esse. Sic ergo in libri de Conciliis capite XIII. scribit: *De Constantinopolitano I. Theodoretus refert, Theodosium non tam indixisse, quàm literas Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebat, ad Episcopos misisse. Sic enim scribunt Episcopi congregati in illo Concilio ad Damasum Pontificem apud Theodoretum lib. 5. hist. cap. 9. Mandato, inquiunt, literarum superiore anno à vestra reverentia ad sanctissimam Imperatorem Theodosium missarum ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus. Licèt ergo Theodosius indixerat Concilium, tamen indixit ex mandato Apostolicarum literarum. Quare in sexta Synodo actione XVIII. Patres dicunt, Theodosium & Damasum obstitisse Macedonio per secundam Synodum, sicut paullo antè dixerat, Constantinum & Silvestrum coegisse primam Synodum, ut obsisterent Ario.* Profectò si Bellarminus legisset, quæ ex Theodoreto atque ex Synodica Constantinopolitani Concilii Epistola retulimus, non scripsisset, quæ tanto cum errore scripsit.

I. Theodoretus mentionem nullam facit literarum, 82
quibus Damasus Constantinopolitanum Concilium indixerit. Hic auctor in toto Concilii hujus negotio ne Damasum quidem de nomine appellat. Nam in capite VII. dicit de Theodosio: *Hanc igitur ob causam solius Imperii sui Episcopos Constantinopoli cogi jussit.* Tum sub finem capitis VIII. quo quidquid actum est in Concilio, recenset: *Sequenti æstate, cùm ad eandem urbem* (Constantinopolim) *Ecclesiasticis rursum negotiis evocati plurimi rediissent, Synodicam ab Occidentalibus Episcopis epistolam acceperunt, qua invitabantur, ut Romam ad Synodum, quæ ibi maxima cogebatur, se conferrent.* Inter Occidentales Episcopos generatim continetur Damasus, sed speciatim non exprimitur.

II. In Synodicæ Constantinopolitani Concilii Epistolæ titulo legitur quidem Damasus, sed Ambrosio, Brittoni, Valeriano & aliis Episcopis conjunctis legitur: *Dominis honoratissimis & reverendissimis fratribus & collegis Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Basilio & reliquis sanctis Episcopis in magna urbe Roma congregatis, sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum, qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt.* Sic in ipsa Epist. Damasus solus non legitur.

III. Quæ & in synodicæ Constantinopolitani Concilii Epistolæ titulo, & in ipsa Epistola de Romana Synodo dicuntur, hæc Bellarminus unico Pontifici Damaso transscribit, ut videre licet in verbis quæ ex Joannis Christophorsoni versione laudat: *Mandato literarum superiore anno à reverentia vestra ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum,* &c. Constan- 83
tinopolitani Concilii Patres alloquuntur Damasum, Ambrosium, & alios, qui Romæ congregati erant. Quapropter *literæ à vestra reverentia missæ* non sunt unius Damasi, sed & aliorum Episcoporum, qui tunc in Romana Synodo versabantur, quæ & qualis *ἀποσταλεῖσα*. Præterea mandati nomen in Græco textu non haberi. Nempe in eo nihil esse, quod *mandato* respondeat: Qua in re Sirmondus Christophorsoni versionem emendavit.

IV. Damasus, Ambrosius & Occidentales alii ad Orientales non scripserunt, ut Concilium celebrarent Constantinopoli, sed ut Romam venirent cum Occidentalibus Synodum habituri, in qua quæ ad Nectarii & Maximi ordinationem pertinent, dijudicarentur.

V. Quo, si superis placet, fine, quove consilio Damasus Constantinopoli Synodum generalem indiceret, cui nec per se, nec per Legatum ullum interesset, aut præesset? Quis unquam vidit indictum à Romano Pontifice Concilium, cui nec per se, nec per Legatum ullum interesset, aut præesset? Bellarminus oculos ad hoc non adjecit. Et qui adjiciet, is Bellarminum extricabit nunquam.

VI. Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius, cùm Synodi II. definitionem, quæ res fidei

complectitur, edicto munierunt, vel Damasi, vel Romanæ Ecclesiæ, vel etiam Occidentalium mentionem fecerunt nullam; facturi aliquam sine dubio, si vel Damasus, vel Romana, vel Occidentalis Ecclesia, Sy-
84 nodi secundæ, quæ Constantinopoli habita est, quoquo modo participes fuissent. At fuissent maximè participes, si ut Bellarminus scribit, ex *mandato Apostolicarum literarum*, id est, Damasi Constantinopolitana Synodus convenisset. Edictum seu lex Imperatorum sic se habet, in libri XVI. Cod. Theod. tit. III. ad Auxonium Proconsulem Asiæ: *Episcopis tradi omnes Ecclesias mox jubemus, qui unius majestatis atque virtutis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum confitentur, ejusdem gloriæ, claritatis unius, nihil dissonum profana divisione facientes: Sed Trinitatis ordinem, personarum assertionem & divinitatis unitatem, quos constabit communione Nectarii Episcopi Constantinopolitanæ Ecclesiæ, Timothei, necnon intra Ægyptum Alexandrinæ urbis Episcopos esse sociatos. Quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi in Asia, necnon Proconsulari, atque in Asiana diœcesi Amphilochio Episcopo Iconiensi, & Optimo Episcopo Antiocheno in Pontica diœcesi, Helladio Episcopo Cæsariensi, & Otreio Melitено, & Gregorio Episcopo Nysseno, Terennio Episcopo Scythiæ, Marmario Episcopo Marcianopolitano communicare constiterit, hos ad obtinendas Catholicas Ecclesias ex communione & consortio probabilium Sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem, qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fide communionis dissentiunt, ut manifestos hæreticos ab Ecclesiis expelli. Neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum Pontificium, facultatémque permitti, ut vera ac Nicenæ fidei Sacerdotia casta permaneant, nec post evi-
85 dentem præcepti nostri formam malignæ locus detur astutiæ.* Bellarminus nusquam advertit animum ad hanc legem, in qua laudaretur utique Damasus, si ex Damasi mandato, ut ille scribit, Constantinopolitana Synodus indicta & convocata esset. Sic Bellarminiana disputandi ratio tota quanta est, Imperatorum obrueretur silentio, si superiorum observationum mole obruta nondum esset.

VII. Constantinopolitanum Concilium in relatis à Bellarmino verbis non est illud, quod an. CCCLXXXI. celebratum est, & quod generale habetur, sed illud, quod anno CCCLXXXII. celebratum est, nec generale habetur, & cujus nulla supersunt acta præter synodicam, in qua rerum in Constantinopolitano Concilio anni CCCLXXXI. gestarum ratio exponitur, ac redditur. Bellarminus facta esse duo illa Concilia ignorat vel dissimulat.

VIII. Hic auctor intus sibi canit, immo somniatur, dum ait, Theodosium indixisse Concilium ex *mandato Apostolicarum literarum.* Qua loquendi formula non utuntur Romani Pontifices, qui priscis illis temporibus vixerunt & cùm Imperatoribus egerunt. Quasi verò Damasus per literas mandasset Theodosio, ut Constantinopolitanum Concilium indiceret. Hoc qui putat, in summa rerum Ecclesiasticarum illius temporis ignoratione versetur necesse est.

IX. Synodi VI. Patribus id tribuit, quod ei tribuendum est tantum, qui Constantino IV. laudatione publica gratulatus est, ut in Epistola superiori jam observavi, eóque pacto Bellarminus in usu verborum
86 quæ Patribus Synodi VI. tribuit, secum pugnat, & diruit, quod ædificare contendit.

X. In actione XVIII. Synodi VI. non reperiuntur hæc: *Theodosium & Damasum obstitisse Macedonio per secundam Synodum*, sed ista: *Macedonius Spiritus denegabat deitatem, & dominantem conservum prædicabat, sed maximus Theodosius Imperator, & Damasus fidei adamas protinus obstiterunt.* Ubi de Synodi II. convocatione nulla fit mentio. Theodosius Macedonio per secundam Synodum, quæ illius jussu facta est, obstitit, & Damasus per Romanam Synodum, cujus acta Theodoretus libro V. historiæ inseruit in capite XI. *Anathematizamus*, inquit, *Macedonianos, qui ex Arrii radice propagati non impietatem, sed nomen solum mutarunt.*

XI. Demus rem in actione XVIII. Synodi VI. ita se habere, ut Bellarminus narrat, ille à seipso diffidebit, & secum discordabit in capite XII. statuens: *Pontificis esse, non Imperatoris generalem Synodum congregare.* Theodosius enim & Damasus secundam Synodum congregabunt, & ita congregabunt, ut in illius congregatione Theodosius Damasum præcessurus sit. Quæ duo Bellarmini placitis non consonant.

XII. Damasus secundæ Synodo nec per se, nec per Legatum ullum præfuit aut interfuit: Literas de configenda hæresi, quæ in Synodo confixa est, nullas vel ad Synodum vel ad Theodosium dedit. Agatho sextæ Synodo per Legatos suos præfuit, literas de contrita jam Monothelitarum hæresi ad Synodum & ad Imperatorem dedit, & tamen in actis Synodi VI. Con-
stantinus & Agatho Synodum VI. convocasse non di- 87
cuntur. Sic multò minùs dicendi sunt Theodosius & Damasus secundam Synodum congregasse.

XIII. In veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno extat fidei professio, quam recens creatus Pontifex edebat, ubi nulla Damasi habetur mentio, cùm sermo de secunda Synodo instituitur: *Dehinc secundum Constantinopolitanum adæquè sanctum centum quinquaginta Patrum Concilium sub Imperialis memoriæ majore Theodosio in regia urbe concurrens, quod symbolo deesse putabatur, exposuit, & gratia Spiritus Sancti illustrante, Deum esse Spiritum Sanctum, Patri & Filio utpote consubstantialem coadorandum annexuit.* Deinde in fidei professione, quam recens consecratus Episcopus emittebat: *Constantinopolitana Synodus centum quinquaginta Patrum sub pia memoria Theodosio principe seniore facta.* At neutrubi Damasus Theodosio anjungitur: Adjungeretur sanè, si Theodosius & Damasus secundam Synodum congregassent.

Expeditâ Bellarmini causa & scriptione ad vetustiores sextâ Synodo auctores me recipio. Ii hoc ordine sequuntur.

Socrates in libri V. hist. cap. VIII. *Imperator nulla interposita mora Concilium Episcoporum ipsius fidem amplectentium convocat. Quo tum fides Concilii Nicæni corroboraretur, tum Constantinopoli designaretur Episcopus.*

Sozomenus in libri VII. capite VII. *Brevi deinde Concilium Episcoporum sibi consentientium convocavit,
partim ut Nicæni Concilii decreta confirmarentur, partim 88
ut ordinaretur aliquis, qui Constantinop. Sedis Episcopatum administraret.*

Neuter meminit alterius Constantinopolitani Concilii, quod insequenti anno celebratum fit.

Huc percommodè referri possunt Hieronymi contra Ruffinum scribentis verba hæc: *Quis Imperator hanc Synodum* (quam objicis) *jusserit congregari?* Hieronymus enim ad illud tempus, quo Constantinopolitanum habitum est Concilium, Romæ cum Damaso versabatur, & postea cùm se adversus Ruffinum defendit, quid tunc in urbe actum fuerit à Pontifice, quando celebratum est illud Concilium, ignorare non potuit. Ut cætera deessent testimonia, hoc unum sufficere mihi videretur. Hieronymus perinde loquitur, ac si Concilium nullum unquam sine jussu Imperatoris habitum esset & Concilium sic habitum ad legitimi, & veri Concilii notionem pertineret.

In decreto de Apocryphis Scripturis, quod Gelasio Papæ I. tribuitur: *Ad ædificationem nostram eadem sancta Romana Ecclesia post illas veteris vel novi Testamenti, quas regulariter suscepimus, etiam has suscipi non prohibet Scripturas: Id est sanctam Synodum Nicænam trecentorum decem & octo Patrum mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus condemna-*

tus

tus est, sanctam Synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit : Dicitur *mediante Theodosio*, sed non additur, & Damaso, quia Romanæ Ecclesiæ non ferebat traditio, ut adderetur.

89 Vigilius in Epistola encyclica ad universam Ecclesiam: *Sciant igitur universi, nos illam fidem prædicare, tenere & defendere, quam ab Apostolis traditam & per successores inviolabiliter custoditam reverenda Nicæna Synodus* CCCXVIII. *Patrum Sancto Spiritu sibi revelante redegit in Symbolum, ac deinde tres aliæ sanctæ Synodi, id est Constantinopolitana* CL. *Patrum sub piæ memoria Theodosio seniore Principe facta.* Non additur *& Damaso*, quia Vigilius Ecclesiæ suæ traditione instructus noverat verè addi non posse.

Justinianus Imperator in Collatione I. Concilii V. Constantinopolitani rem eandem paucis complectitur: *Semper fuit studium orthodoxis & piis Imperatoribus patribus nostris pro tempore exortas hæreses per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare, & recta fide sincerè prædicata in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire.* Et post alia: *Theodosius* CL. *sanctis Patribus fecit rectam prædicare fidem.*

Isidorus Hispalensis in Chronico: *Synodus Constantinopoli centum quinquaginta Patrum colligitur à Theodosio.* Recentiores Synodo VI. scriptores adjungo. Hi sunt :

Simeon Metaphrastes in vitæ Sancti Pauli Constantinopolitani Episcopi capite XIV. *Congregat itaque pius Imperator Synodum, studens Macedonianos in concordiam redigere cum orthodoxis.*

Joannes Zonaras lib. III. Annalium in Theodosio : *Quamobrem jussu Imperatoris secundum Concilium est indictum,* CL. *divinis Patribus in urbe Imperatoria congregatis.*

90 Robertus Autissidorensis Monachus in Chronologia: *Secunda Synodus universalis* CL. *Patrum jubente Theodosio & annuente Damaso Papa Constantinopoli congregatur.* Melius dixisset nesciente Damaso, quia Theodosius congregavit antè Synodum, quàm Damasus illam congregatam esse sciret. Præterea Damasus annuere potuit, sicut & annuerunt CL. Patres, qui indictæ ab Imperatore Synodo interfuerunt.

Nicephorus in lib. XII. hist. cap. X. *Proinde primo quoque tempore Synodum quoque Episcoporum Imperator in unum locum ex Imperii sui provinciis dumtaxat convenire præcepit ad Nicæna decreta confirmanda.*

Carolus Sigonius in libro VIII. de Occidentali Imperio : *Theodosius Concilio, quod indixerat, operam dedit. Convenere ex Catholicis Episcopis* CL *ex Macedonianis* XXXVI. *mense Maio.* Inquisitores Sigonii libros approbarunt, nec apposuerunt, donec corrigantur.

Dionysius Petavius in libri VI. primæ partis Rationarii temporum cap. IX. *Theodosius ut & professionem Nicænam & Gregorio partam dignitatem assereret, œcumenicam in illa urbe Synodum coëgit Episcoporum* CL. Auctorem hunc Bellarmino, Binio, Coriolano, & recentioribus aliis contra rei gestæ veritatem scribentibus, Damasum indixisse Synodum, hac in re antepono : Quòd iis & eruditione, & æquitate præstet.

Porro quidquid id est, quod jam disserui, oppidò confirmatur ex disciplina, quæ inter secundam Synodum œcumenicam & tertiam in convocandis quibusdam aliis Synodis observata reperitur.

91 I. Theodosius sectarum omnium Concilium indixit anno CCCLXXXIII. quo Arcadius Theodosii filius Augustus declaratus est.

Socrates in libri V. hist. cap. X. *Idemque in aliis* (ab Antiochena) *urbibus dum Arriani ab Ecclesiis exturbabantur, tumultus exorti sunt. In qua re me quidem imprudentiam Imperatoris intuentem permagna capit admiratio. Nam non diu passus est civitatem hic tumultuum procellis agitari : Sed quantùm in ipso situm est, brevi temporis curriculo Concilium omnium sectarum cogere laboravit, ratus ex mutuo Episcoporum inter ipsos colloquio & congressu unam omnibus consentientem de fide opinionem constabilitam fore. Quod quidem Imperatoris institutum causam fuisse arbitror, cur res tam prosperè illi evenirent.* Et paullo pòst: *Imperator igitur Episcopo Nectario accersito sermonem cum eo contulit, qua tandem ratione Christiana religio posset liberari discordiis, & Ecclesia ad concordiam reduci. Dixitque controversiam, quæ Ecclesias diremerat, debere accuratè excuti, uti dissensione penitus sublata, concordia in Ecclesiis constitueretur. Quod cùm Nectarius audivisset, anxio & perplexo animo fuit, atque Agelio, qui tum Novatianorum Episcopus fuit, utpote fide cum ipso consentienti, accito, Imperatoris mentem aperuit. Ille quidem licèt vir in aliis rebus admodum prudens fuerit, tamen quia in disceptandis discutiendisque de religione controversiis non multum potuit, Lectorem suæ Ecclesiæ Sisinnium nomine ad disserendi munus designavit.* Et post alia : *Imperator verò cùm intelligeret multiplicem eorum dissensionem, & quòd non veterum de fide expositione, sed sola disse-* 92
rendi subtilitate confidebant, ad aliud consilium confugit, imperátque, ut singula secta fidei, quam quæque tenebat, declarationem literis proderent. Idcirco qui ex quaque secta, in dicendi facultate erant disertissimi, hi dogma suum scriptis mandarunt. Dies ad hanc rem præstituta fuit. Sectarum Episcopi ad Palatium accersiti convenerunt. Aderant itaque Nectarius & Agelius fidei consubstantialis Episcopi, Arianorum Demophilus, Eunomianorum ipse Eunomius, Macedonianorum Eleusius Cyzicensis. Tum verò Imperator eos qui convenerant, primùm benignè ad se admittit, capit cujusque dogma scriptis proditum, deinde se in locum separatum solum concludit. Precatur obnixè, ut Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet. Postremò dogmate cujusque perlecto, cætera omnia utpote Trinitatis unitatem dirimentia, damnat, lacerat : Solam autem Consubstantialis Fidem laudat approbat. Ex sequenti capite apparet, Concilii hujus locum fuisse urbem Constantinopolim : *Iisdem,* inquit, *temporibus, quibus Concilium Constantinopoli habitum fuit, hæc res in partibus versus Occidentem confectas accepimus.*

Sozomenus in libri VII. capite XII. *Hoc temporis tractu Ecclesia Catholica fautoribus templa recuperantibus, in multis Imperii locis tumultus oborti sunt, quòd Ariani se illis opponerent. Theodosius verò Imperator exiguo post priorem Synodum intermisso tempore, vigentium tunc sectarum antesignanos rursus convocavit, ut aut discerent, aut docerent eorum veritatem, de quibus inter se contendebant : Sperabat enim se omnes effecturum esse concordes, si communem ipsis de controver-* 93
siis doctrinæ disputationem proposuisset. Postquam igitur convenissent, (erat autem hic annus, quo Merobaudes iterum & Saturninus consules erant, & quo Imperator Arcadium filium sibi Imperii consortem assumpsit) Imperator Nectarium accersit, & cum eo de futura Synodo communicat, & quæstiones eas, quæ hæreses peperissent, ut in disceptationem proponerent, injungit : Quò una fieret credentium in Christum Ecclesia, & doctrina consona, quæ religio conformari debeat. Et quibusdam interpositis : *Orta & circa hanc quoque rem inter sectarum principes dissensione, (neque enim consimiliter singuli de veterum libris sentiebant) animadvertit Imperator, quod nudis privatarum opinionum altercationibus nixi definitum aliquid pronunciare detrectarent. Quamobrem damnata hac illorum pervicacia jussit, ut unaquaque secta doctrinæ suæ libellum ipsi porrigeret. Cum itaque huic negotio conficiendo præstitutus dies adesset, convenerunt in Palatium pro iis, qui Consubstantialem Trinitatem profitebantur, Nectarius & Agelius, pro Ariana hæresi Demophilus ejus antistes, pro Eunomianis ipse Eunomius, Eleusius autem Cyzici Episcopus pro iis, qui vocantur Macedoniani. Acceptis autem singulorum libel-*

lis

lis solos eos approbavit, qui Consubstantialem Trinitatem asserebant, reliquos vero ut absurdos disrupit. An autem Constantinopolitanum Concilium istud quod Socrates & Sozomenus describunt, Concilium illud secundum Constantinopolitanum, cujus Theodoretus & Constantinopolitani Concilii Patres in synodica Epi-
94 stola meminerunt, fuerit, incertum mihi videtur. Constantinopolitanum enim Concilium secundum, quod Theodoretus & Patres illi commemorant, anno CCCLXXXII. coactum est: Constantinopolitanum verò Concilium, quod Socrates & Sozomenus exponunt, anno CCCLXXXIII. convenit: Sed quoniam Sozomenus Synodum, quæ anno CCCLXXXI. habita est, priorem nominat, sic nonnihil innuit, Synodum, quæ anno CCCLXXXIII. celebrata est, posteriorem seu secundam esse. Id si dicatur, dicendum erit continuò, Socratem & Sozomenum in epocha Constantinopolitanæ Synodi secundæ erravisse. Quidquid id sit: Theodosius Constantinopolitanam Synodum hanc convocavit.

Nicephorus in libri XII. capite XV. Socratem & Sozomenum pæne transscribit, & unà significat Constantinopolitanam Synodum ab illis expositam secundam illam esse, quam Theodoretus & Concilii Patres anno CCCLXXXII. habitam esse scribunt: *Eodem tempore cùm Ariani ex sacris adibus deturbarentur, & Catholici in possessionem earum vacuam inducerentur, non parva exorta sunt turba. Quapropter Imperator Theodosius exiguo à priore Synodo temporis intervallo, antesignanos vigentium tunc haresium rursus convocavit, ut alterum istorum fieret: Videlicet, ut vel ipsi aliis opinionem suam persuaderent, vel ab aliis persuaderentur, de rebus, qua in controversia essent, in unam eandémque sententiam adductum iri ratus, si in publico auditorio opiniones dubia per disputationem discuterentur.*
95 *Cùm autem universi convenissent, (factum id eo anno, quo filium Arcadium Augustum renunciavit) consilium de Synodo celebranda cum Nectario Constantinopolitano communicavit, cohortatus, ut quastiones, unde hareses oriuntur, omnes in publicam deducerentur disputationem, quò cùm una fieret Ecclesia, atque unum inter omnes consentiens constitueretur dogma, tum universi religionem ita uti decet, colerent, neque quidquam controversia relinqueretur.* Et quibusdam interpositis: *Quandoquidem autem etiam de eo haresium duces dissentiebant (non omnibus enim eadem de veterum opinionibus sententia erat) rem secum ipse perpendens Imperator, intellexit propterea illos propositam sibi conditionem repudiare, quod disputationibus suis confiderent. Quamobrem iniquam sententiam eorum molestè ferens, haresim quamque, libellum opinionem cujusque complectentem, offerre sibi jussit: Atque ubi dies constituta advenit, ex iis, qui Trinitatem ὁμοούσιον Consubstantialem profiterentur Nectarius affuit & Agelius: Ex Arianis autem Demophilus, haresis sua nomine Eunomius, Eleusius autem Cyzicenus Macedonianorum partes propugnans. Porro Imperator opinionibus hareticorum omnibus perlectis, solam admiratus est & veram esse judicavit, qua Trinitatem ὁμοούσιον consubstantialem depradicat, reliquas verò ut veritati repugnantes conscidit.* Et paullo post: *Cùm Synodus Constantinopoli iterum, sicut dictum est, sub Imperatore Theodosio ageretur, ex Occidente litera venerunt, ut ipsi quoque Romam ad Concilium ibi maximum institutum, in quo de rebus etiam Antiochenis inter Paulinum & Flavianum decideretur, venirent. Ca-*
96 *terùm, qui Constantinopoli congregati erant Episcopi, profectionem Romanam ut incommodam detractarunt.* His autem postremis verbis iterum confirmatur, Bellarminum non intellexisse vel noluisse intelligere, quæ ex synodica Constantinopolitani Concilii bujus Epistola in medium adducit, probaturus, Constantinopolitanum Concilium anno CCCLXXXI. celebratum *ex mandato Apostolicarum literarum,* id est, Damasi Papæ congregatum esse.

II. Imperator Arcadius convocato veluti Concilio Joannem Chrysostomum in Constantinopolitanum antistitem eligi curavit. Rem ita narrat Socrates in libri VI. hist. capite II. *Non longo temporis spatio interposito Nectarius Constantinopolitanus Episcopus obiit mortem, Casario & Attico Consulibus quinto Calendas Octobris. Itaque statim de Episcopo deligendo vehementer laboratum est, & cùm alii alium ad id muneris quarerent, déque ea re sape consilium iniretur, tandem visum est, Joannem Antiochia Presbyterum Antiochia accersere. Nam de eo fama percrebuit, quòd & ad docendum aptus, & in dicendi facultate valde peritus erat. Quamobrem haud diu pòst Imperator Arcadius communibus omnium suffragiis, id est, cleri & populi illum accersit. Et quò ejus ordinatio plus haberet auctoritatis, aderant de Imperatoris mandato, cùm alii complures Episcopi, tum Theophilus Alexandria.*

Sozomenus Synodi formam exprimit in libri VIII. capite II. *Cùm igitur* (Joannes) *notis ob experientiam, ignotis ob famam tum eruditionis, tum virtutis per universum Romanorum Imperium clarus esset, dignus* 97
visus est, qui Constantinopolitana Ecclesia Episcopus constitueretur: Postquam itaque in hoc populus & clerus suffragium suum contulissent, etiam Imperator adstipulatus fuit, & qui eum adducerent, emisit. Convocavit etiam Synodum, ut ea ratione favorabiliorem redderet illius ordinationem. Non multò pòst Asterius prafectus Orientis acceptis Imperatoris literis indicavit Joanni, ut ad se veniret, perinde ac si illum aliquid rogare ipse vellet. Qui ubi venisset, confestim unà cum eo conscenso curru Pagras adequitat. Qua statio est ita dicta. Hic eo Legatis Imperatoris tradito reversus est.

Theodoretus hoc ipsum tradit in libri V. capite XXVII. *Constantinopoli autem mortuo Nectario, qui Ecclesiam illam gubernarat, Arcadius, cui Imperii pars illa obvenerat, cùm Joannem magnum lumen orbis terrarum, Antiochia inter Presbyteros cooptatum cognovisset, ad se accersivit & congregatis Episcopis mandavit, ut divinam Episcopatus gratiam ei conferrent, maximeque urbis Pastorem constituerent.* Sic Imperatoris auctoritate congregati Episcopi tanquam habentes Synodum Joannem Chrysostomum in Episcopum consecrarunt.

III. Arcadius Calchedonensem congregavit Synodum, quæ etsi fœdo exitu consummata fuerit, hæc tamen accusata est nusquam, quòd Imperator illam congregasset. De hacce Synodo Socrates loquitur, in libri VI. hist. capite XIV. *Ut primùm Epiphanius abnavigaverat, Joanni* (Chrysostomo) *nuntiatum fuit, Imperatricem Eudoxiam Epiphanium contra illum armasse. Ille utpote natura paullo ardentior, & in dicendo exercitatus & promptus sine mora apud populum concio-* 98
nem, qua omnes mulieres acerbè exagitabat, pro suggestu habuit. Multitudo eam rapit in deteriorem partem, tanquam anigma contra Imperatricem elatum. Concio igitur à malevolis arrepta ad Imperatorem defertur. De qua Augusta quoque certior facta cœpit apud Imperatorem conqueri, se contumelia affectam. Quam contumeliam ad ejus etiam ignominiam recasuram dixit: Proinde per Theophilum parat, ut Concilium contra Joannem cogatur. Sed Joannes ab hoc Concilio nefariè depositus ad generale Concilium provocavit. Ut Socrates paullo pòst scribit his verbis: *Ubi verò Joannes eos, qui eum accersiverant tanquam inimicos à sua causa disceptatione exceperat, & ad generale Concilium provocarat, illi absque mora quater illum accersiverunt.* Et post pauca: *Qua res Constantinopoli sub vesperum nunciata multitudinem ad maximam seditionem concitavit. Atque tota nocte excubantes illum ab Ecclesia abstrahi nequaquam passi sunt, sed sublata voce clamarunt, ejus causam debere in majore Episcoporum Concilio disceptari.*

IV. Imperatrix Eudoxia Constantinopolitanum fieri jussit Concilium, quod non minùs fœdo exitu, quàm Calchedonense absolutum est: Sed Concilii convocationem reprehendit tunc nemo, quasi ab aucto-

ritate

ritate non legitima processisset. Audiendus est Sozomenus in libri VIII. hist. capite XX. *Non multo autem post cùm argenteum simulachrum Imperatricis columnæ impositum purpurea dedicaretur & applausus ob id ac publica saltatorum & histrionum spectacula ibi ede-
99 rentur; Sicut tunc moris erat in regiarum imaginum
dedicatione: Joannes ea, quasi ad Ecclesiæ contumeliam fierent, in concione ad populum habita reprehendit. Quocirca Imperatrix, cùm recens adhuc esset memoria superioris offensæ quasi contumeliam passa rursus ira infremuit, ac Synodum rursus convocari studet.* Ea tunc in Ecclesia consuetudo fuit, ut Imperatores vel Imperatrices convocari Synodos præciperent.

V. Joannes Chrysostomus Imperatorem obsecrat, ut Synodum congregare velit. Illius verba sunt in Epistola I. ad Innocentium Papam: *Ille statim ausugit, eò quòd ingressi mox obsecrabamus religiosissimum Imperatorem, ut Concilium, quo facta hæc punirentur, cogeret. Itaque nos non quievimus, sed in hoc incubuimus, orantes Imperatorem ut haberetur judicium, in quo agere & respondere liceret. Dicebamus enim nos paratos esse ad ostendendum nos non esse reos, sed illos legum extremos transgressores.* Chrysostomus, Christianæ libertatis in principes assertor, non orat Pontificem, cui scribit, sed Imperatorem ut convocet Synodum Episcoporum.

VI. Quinetiam Ipse Innocentius in hac Chrysostomi causa universale Concilium dicit esse necessarium, sed non cogit ipse, cogendum esse ab Honorio Imperatore scribit. Quæ omnia perfectè constant, tum ex Innocentii literis, quas ad clericos Constantinopolitanos dedit, tum etiam ex Palladio, qui Joannis Chrysostomi vitam memoriæ tradidit. Innocentii verba sunt hæc apud Sozomenum in libri VIII. hist. capite XXVI. *Sed quodnam remedium hisce rebus
100 in præsenti adferemus? Necessaria est Synodalis cognitio,
quam etiam multò antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ hujusmodi procellarum impetus retundere potest, quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis hujus committere voluntati magni Dei ac Christi ejus Domini nostri: Illa universa, quæ nunc per invidiam diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dedit. Nihil autem desperare debemus, freti nostra in Deum fide. Ac nos quidem multum deliberamus, quonam modo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam divina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint.* Palladius verò sic loquitur: *Motus his literis* (Innocentii Papæ) *Princeps* (Honorius) *præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cùm in unam sententiam concurrissent, ad se referri. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant, ut scriberet Arcadio fratri suo, ut juberet Thessalonicæ Concilium fieri, quò faciliùs possent utraque partes Orientis Occidentisque concurrere.* Sic Italiæ Episcopi disciplinam attestantur, qua Imperatores convocari Synodos juberent.

VII. Theodosius & Honorius Imperatores in Carthaginiensi collatione id fecerunt, quod convocati à se Concilii locum tenere potest. Res igitur est hujusmodi in præfatione primæ cognitionis, quæ collationi primæ præfigitur: *Dudum vestra sublimitas secundùm* IMPERIALE PRÆCEPTUM *& nos & cæteros, qui tam de sacratissimo comitatu, quàm etiam de Africanis officiis sublimitatis tuæ sunt actibus deputati, ad
101 singulas provincias destinavit, & edicta etiam per uni-
versum Africam direxit, ut tam Catholici, quàm Donatistæ Episcopi intra quartum mensem collationi cuncti adesse deberent, quæ tempora hodierna die videntur impleri: Et quia præsto sunt universi, de omnibus scilicet provinciis Africanis, id est, de provincia proconsulari, de provincia Bizacensi, de Numidia, de Mauritaniis, Sitifensi & Cæsariensi, sed etiam & de Tripolitana provincia, si præcipit nobilitas tua: Adsint iidem venerabiles viri, ut omnia suo ordine peragantur.*

Flavius Marcellinus vir clarissimus tribunus & notarius dixit: Adsint venerabiles viri, quos præsentes esse suggeritis. Et ingressis omnibus Episcopis partis Donati, ingressis etiam Aurelio, Alypio, Augustino, Vincentio, Fortunato, Fortunatiano, & Possidio Episcopis Ecclesiæ Catholicæ, cum Novato, Florentio, Maurentio, Bonifacio, Prisco, Sereniano & Scyllacio Coepiscopis suis, Deuterio, Leone, Astero & Restituto æquè Episcopis & custodibus gestorum, Marcellinus vir clarissimus Tribunus Notarius dixit: Optarem quidem tanta hujus multitudinis sanctitatem, quæ sub unius Christi Dei religione censetur, nulla à se dissensione sejungi, sed quia id quod dudum error antiquo hostis immisit, Deum certum est velle nunc corrigi, ne diutiùs germana religio concertatione sua spectaculum gentibus faciat, licèt supra meritum meum, HOC COGNOSCAM ESSE JUDICIUM: UT INTER EOS VIDEAR JUDICARE, A QUIBUS NE POTIUS DEBUERAT *judicari: Tamen quia certum est, hanc causam spectante Deo & Angelis testibus agitandam, quæ sub fidei cælestis examine, vel
probata præmium afferat, vel læsa judicium, ut tandem 102
præsentium disceptationibus Episcoporum manifestiùs veritas elucescat,* IMPERIALIS PRIMITUS SANCTIO RESCIT(?)ETUR, UT IN QUEM MODUM ET FORMAM SIT SUSCIPIENDA COGNITIO, AB OMNIBUS POSSIT ADVERTI, *licèt eam cunctis innotuisse sat clarum sit. Martialis exceptor recitavit.*

IMPERATORES CÆSARES FLAVIUS HONORIUS ET THEODOSIUS, PII, FELICES, *victores ac triumphatores Augusti, Flavio Marcellino suo S. Inter Imperii nostri maximas curas Catholicæ legis reverentia, aut prima semper aut sola est. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat, ut etiam Donatistas vel terrore vel monitu olim implere convenerant, qui Africam, hoc est, regni nostri maximam partem, & sæcularibus officiis fideliter servientem vano errore & dissensione superflua decolorant. Nos tamen eadem frequentiùs non piget replicare,* QUÆ OMNIUM RETRO PRINCIPUM DEVOTA IN DEUM DEFINIVIT AUCTORITAS, NE TEMPORIBUS NOSTRIS, SI QUID FORTE IN INJURIAM LEGIS CATHOLICÆ FUERIT GENERATUM, JUSTO JUDICIO HOC NOBIS POSSIT IMPUTARE POSTERITAS. *Nec sanè latet conscientiam nostram sermo cælestis oraculi, quem errori suo posse proficere scæva Donatistarum interpretatio profitetur, qui quamvis depravatos animos correctionem mitiùs invisaret, aboleri eum tamen etiam antè jussimus, neque superstitionibus præstaretur occasio. Nunc quoque excludendum subreptionem simili auctoritate censemus, illúdque meritò profitemur, li- 103
benter nos ea, quæ statuta fuerant, submovere, ne in divinum cultum nobis se quisquam auctoribus æstimet posse peccare. Et quamvis una sit omnium & manifesta sententia Catholicæ legis plenam veritatem recto hominum cultu, & cælesti sententia comprobatam, studio pacis & gratia venerabilium virorum Episcoporum legationem libenter admisimus, quæ congregari Donatistas Episcopos ad cœtum celeberrimæ desiderat civitatis, ut electis etiam Sacerdotibus, quos pars utraque delegerit, habitis disputationibus superstitionem ratio manifesta confutet. Quam rem intra quatuor menses* PRÆCIPIMUS *explicari, ut conversos animos populorum etiam clementia nostra, sicut desiderat, celeriùs possit cognoscere. Quod si intra præstitutum tempus studiose Donatistarum Episcopi declinaverint convenire trini edicti vocatione, contumacium tempora concludantur: Quibus emensis atque transactis, si provocati adesse contempserint, cedat cum Ecclesiis populus, qui Doctores suos silentio cognoverint superatos, & victum se aliquando gratuletur, sciatque si non præceptis nostris, vel Catholicæ legis veris imperiis serviendum.* CUI QUIDEM DISPUTATIONI PRINCIPE LOCO TE JUDICEM VOLUMUS RESIDERE. *Quidquid etiam antè in mandatis acceperis plenissimè meministi;*

nisti, omnémque vel in CONGREGANDIS EPISCOPIS, VEL EVOCANDIS *si adesse contempserint, curam te volumus sustinere, ut ea, quæ antè mandata sunt, & quæ nunc statuta cognoscis, probata possis implere solertia. Id ante omnia servaturus, ut ea, quæ circa Catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nost-*
104 *rorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roboravit, novella subreptione submota integra & inviolata custodias.* Et quibusdam interpositis: *Omnia sanè, quæ vel in unum Episcopis congregatis disputatio completa firmaverit, vel desistentibus fortè statuerit circa contumaces lata sententia te referre, conveniet, ut* QUID AD CONFIRMANDAM CATHOLICAM FIDEM PRÆCEPTIO NOSTRA PROFECERIT, *celeriùs possimus agnoscere.*

Marcellinus vir clarissimus tribunus & notarius dixit: Recitata venerabilis lex gestis præsentibus inferatur, cujus definitio evidenter appareat, unde nunc edictorum per ordinem forma recitetur. Martialis exceptor recitavit: Quid clementissimus Princeps Dominus noster Honorius pro Catholicæ fidei confirmatione decreverit, antelatorum apicum tenore monstratur. Legationem siquidem venerabilium Episcoporum libenter accipiens, Africam suo devotam semper Imperio vario religionum genere diutiùs inquietari decolorarique non passus est. Studio namque pacis & fidei tantorum dissidia populorum ex antiqua persuasione venerato veritatis voluit manifestatione sedari, ut quos sedare principalibus à se sanctionibus prærogatis, ac trahi ad unam fidei sententiam non posse pervidit, habita utrarumque partium disceptatione revocaret. Cunctos etenim tam Catholicæ, quàm Donatianæ partis Episcopos in unum voluit congregari, ut lectis ab utraque parte peritioribus viris, certa fidei veritate discussa superstitionem ratio manifesta convincat, quatenus quidquid illud est, quod pro suis partibus æstimat unusquisque
105 *posse competere, proferatur in medium, & sic germana vel verò fidei lux clarescat. Consona siquidem utriusque partis petitio ad hanc principem sententiam provocavit.* Et pòst alia: *Et quoniam tanti mihi negotii summum committere voluit augustissimus Princeps, illud me quoque fateor libenter accipere, ut si de mea persona aliquid cunctationis affertur, alium mecum judicem, quem ipsi delegerint Donatianæ partis & fidei vel superioris vel similis dignitatis residere non abnuam. Sive autem cum alio, sive solus in hoc negotio judicaturus intererò, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinatæ potuerint demonstrare & quod veri invenerit fidei per admirabile mysterium Trinitatis, per Incarnationis Dominicæ Sacramentum, & per salutem memoratorum Principum judicaturum me esse promitto.*

Ex his autem omnibus quæ descripsi paullo latiùs, apparet, Collationem nisi reipsa sit Concilium, à Concilio non parum distare. Profectò quæ ibi gerenda proponuntur, Concilii speciem referunt. Dicebatur Collatio, quæ progressu temporis Africani Concilii secundi nomen accepit. Deinde hac in Collatione, Imperator Honorius & Marcellinus ab Imperatore delegatus judex multa sibi sumunt, quæ Augustinus, qui Collationi interfuit, quæ Innocentius I. non reprehendunt, reprehensuri sine dubio, si quæ sibi sumunt Honorius & Marcellinus Scripturis sacris, Ecclesiæ traditioni, & Sedis Apostolicæ decretis repugnassent. Hæc Augustinus, hæc Catholicæ partis Episcopi præsentia sua confirmarunt, cui Innocentius I. sive Sedes Apostolica suo silentio consensit.

VIII. Theodosius coegit Synodum, à qua Sisin- 106
nius in Constantinopolitanum Episcopum consecraretur. Monumenta rei hujusce Photius Bibliothecæ suæ indidit in Cod. LII. *Sisinnius item Constantinopolitanus, & Theodotus Antiochenus communem Epistolam ad Berinianum & Antiochium, cæterósque in Pamphilia Episcopos scripsere, cujus Epistolæ hæc inscriptio est: Deo carissimis sacrorum Collegis Beriniano & Amphilochio, omnibúsque adeo in Pamphilia Episcopis. Sisinnius atque Theodotus, & universa sancta Synodus, quæ Dei gratia in magna urbe Constantinopolitana coacta est, consecrandi gratia Deo amantissimi Episcopi Sisinnii, jussu & auctoritate pientissimi & Christo cari Imperatoris nostri Theodosii, salutem in Domino.* Hic sistit convocatarum ab Imperatoribus post annum CCCLXXXI. Synodorum traditio, quam indictæ à Theodosio Constantinopolitanæ Synodo generali subjunximus. Quæ ex Nicephoro sub finem num. I. ad confirmandam Imperialem Constantinopolitanæ Synodi convocationem retulimus, ad Imperialem ipsam Synodi hujus convocationem referenda erant. Sed certa de causa, nempe propter Socratis & Sozomeni transcriptionem non retulimus. Difficile fuisset rem aliter exequi. Hac de re te & lectorem nostrum monendos esse censui, nequis Nicephorum à me perperam intellectum objiciat, etiamsi parum utiliter objiceret. Nam quoquo modo referatur Nicephorus, salva semper erit reipsa Imperialis convocatio, quod unicum spectamus.

Jam quæ tua est mentis sagacitas, animadver- 107
tis facilè, Synodos illas omnes mutuam sibi præstare operam in demonstratione veritatis, quam nonnulli partium studiis occupati convolvere & inobscurare conantur. Animadvertis quoque, Facultatem Theologiæ Parisiensis quærenti Regi Carolo VIII. rectè respondisse, generalem Synodum aliquando per Reges & Principes congregari posse. Epistola hæc argumentum præbet, quo illa responsio confirmatur. Vale. Lauduni X. Idus Decembris ann. M. DC. LXVI.

Joannes Launoius,

GUILLELMO VOELLO

Parisiensi Theologo.

Lutetiam.

109 UT Theodosius senior Constantinopolitanam
Synodum primam, sic & Theodosius junior Ephesinam Synodum primam indixit &
convocavit. Tanta & tam varia est convocationis hujns, mihi crede, probatio, ut multitudine laboret sua. Argumenta colliguntur primùm ex
iis, qnæ Synodum antecedunt: Deinde ex iis, quæ in
Synodo fiunt & Synodum comitantur: Tum demum
ex iis, quæ subsequuntur. Singula quæqne ordine suo
complectar. Quæ Synodum antecedunt, sic se habent.

I. Basilius Diaconus & Monachi alii in libello supplici, qnem Theodosio & Valentiniano Imperatoribus
offerunt, illorum jussu Synodum fieri postulant: *Desideramus Christiana fidei firmamentum inconcussum immotúmque persistere. Vestra proinde majestas sacram &
œcumenicum Synodum, primo quoque tempore hunc coire
jubeat, quò hac præsente Christus Dominus sanctissimas
Ecclesias denuò uniat.* Ut convocetur Synodus, Imperatores adeunt, alios adituri, si ut adirent, leges
postulassent Ecclesiæ; secùs si fecissent, non tulissent
impunè.

II. Theodosius Imperator in Epistola, quam ad Cyrillum Alexandrinum de celebranda Synodò scribit:
Cui, ait, *dijudicanda* (doctrinæ Ecclesiasticæ) *præfici*
110 *eos oportet, qui Sacerdotiis ubique præsident, per quos
& nos quoque in veritatis sententia stabilimur.* Et post
alia: *Quamobrem & tuam quoque reverentiam ad tempus, quod aliis literis ad universos Metropolitanos Episcopos missis ediximus, præstò adesse oportebit, neque priùs
nostram amicitiam te recuperaturum confidas, quàm omni
turbatione & animorum ægritudine sedatu ad propositarum quæstionum discussionem ultro accurreris.* Imperator istud non sibi sumpsisset, nisi ut sibi sumeret, receptus Ecclesiæ mos permisisset.

III. Theodosius in alia Epistola, quam ad eundem
Cyrillum & Metropolitanos regionis illius misit, cogendam à se Synodum denuntiat: *Supenumero jam
antè ob ea, quæ acciderunt, religiosam sanctissimorum Episcoporum undiquaque in unum coactorum Synodum necessariam judicavimus,* eam scilicet, quæ Ephesi convenit, ut habetur post pauca: *Quamobrem ne illa,
quæ ad præsentem rerum tantopere utilium inquisitionem
spectant, si negligentiùs curentur, in pejus incrementa
sumant, tua pietas Deo bene propitio operam dabit, ut sacrosancto proximo Paschate elapso sub sacra Pentecostes
diem ad Ephesiorum Asiæ civitatem accurrant, nonnullósque, quos minimum idoneos judicabis provinciæ sua Episcopos, simul eodem secum adducat, ita ut neque necessariis sanctissimis ejusdem provinciæ Ecclesiis desint,
neque ii rursum, qui ad eam rem aptè censebuntur, in
sacra Synodo desiderentur. De indictu autem sanctissimæ Synodo nostra serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos literas scripsit, quo nimi-
111 rum hac tandem ratione turba; quæ ex multis dissidiis &
concertationibus hinc inde enatæ sunt, ritè secundum Ecclesiasticos canones consopiantur. Et illa præterea, quæ
hactenus parum decenter admissa sunt, corrigantur.* His
nec Cyrillus nec Metropolitani præsules obstiterunt,
censati, Imperatoris non esse Synodum convocare,
quam convocabat.

IV. Theodosius iterum in Epistola, quam per Candidianum Comitem direxit: *Cùm magnam*, inquit, *omnium, quæ è republica sunt, curam habeamus, tum verò
maximum illorum, quæ ad pietatem religionémque conservandam pertinere arbitramur; Per ea namque cætera
hominibus suppeditantur: Scripsimus proinde non ita
multo antè de pietatis vestra Synodo apud Ephesiorum
Metropolim congreganda, eáque sacra nostra inseruimus,
quæ instituta rei quàm maximè convenire censebamus.*
Scribere de congregando auctoritate sua Concilio non
pergeret, si monitus esset, Concilii congregationem
ad alium pertinere. Hoc uti credatur, Imperatoris de
Ecclesia bene meriti pietas exigit. Quinetiam Synodus ipsa, quæ rei consensisset non licitæ, errasset gravissime.

Hactenns de iis, quæ Ephesinam Synodum antecedunt: Nunc veniendum est ad ea, quæ in hac Synodo fiunt & Synodum comitantur. Synodus à Theodosio & Valentiniano convocatam se esse testatur tam
sæpe, ut, qui negaret, homo stolide pertinax existimandns esset. Siquidem ex negatione tali consequeretur, Ephesinam Synodum nescisse, quid ipsa gereret, aut scriberet, vel certè quid in ipsa gereretur,
aut scriberetur. Rem igitur exponamus. 112

I. In actione 1. *Synodo congregata in Ephesiorum Metropoli ex decreto religiosissimorum & Christianissimorum
Imperatorum.* Et quibusdam interpositis: *Juvenalis
Hierosolymorum Episcopus dixit: Legatur pium piissimorum Christianissimorúmque nostrorum Imperatorum edictum ad omnes Metropolitanos destinatum rebúsque,
quas tractare incipimus, velut fax quædam præluceat.*
Et quibusdam interpositis: *Cyrillus Alexandria Episcopus di...... proinde chartula illa, quæ ad præsens
institutum faciunt, ordine recitantur: Maximè verò
cùm alterum jam piissimorum Christianissimorúmque Imperatorum nostrorum edictum severè jubeat, ut quæ ad
fidei quæstionem spectant, discutiantur, & citra omnem cunctationem definiantur.* Quid clarius?

Deinde in sententia, qua Nestorius abdicatur:
*Sancta Synodus juxta religiosissimorum & Christianissimorum Imperatorum nostrorum præscriptum in Ephesiorum
Metropoli congregata Nestorio novo Judæ, &c.*

Tum in Epistola ad Clericos Constantinopolitanæ
Ecclesiæ: *Sancta Synodus juxta religiosissimorum piissimorúmque Imperatorum nostrorum decretum Ephesi per
Dei gratiam congregata.*

Quartò in Epistola Cyrilli ad nonnullos è Constantinopolitano Clero: *Terminus quidem sanctæ Synodo à
piissimis Imperatoribus præstitutus erat sacra Pentecostes:
Prima enim illorum literæ, quibus ad Synodum evocabamur, ita jubebant. Neque enim decebat, ut dominorum nostrorum edicta negligeremus.* Hæc ille, qui
Ephesinæ Synodo præfuit, quique à quo convocata
vel convocanda erat Synodus, ignorare certè non 113
potuit.

Postremo in relatione Synodi ad Imperatores de
Nestorii depositione: *Sancta Synodus per Dei gratiam
& vestra majestatis nutu congregata.*

II. In actione 11. *Synodus congregata in Ephesiorum
Metropoli ex decreto religiosissimorum Christianissimorúm-*

que Imperatorum, ac sedentibus in religiosissimi Episcopi Memnonis Episcopali Sede pissimus Episcopis.

Deinde in Epistola, quam Celestinus Pontifex post indictam à Theodosio Synodum ad eundem Imperatorem scripsit: *Huic cœlesti cura vel gloria unusquisque nostrûm pro sacerdotali officio operam nostram in quantum valemus, impendimus, & huic Synodo,* QUAM ESSE JUSSISTIS, *nostrum præsentiam in his, quos misimus, exhibemus, pietatem vestram sub divini obsecrantes obtestatione judicii, nequid turbida novitati licere vestra mansuetudo permittat.* Hæc Pontifex Romanus, quæ quis rejiciet, nisi adferat Celestinum, quæ sui sint juris ignorasse? Sed hoc non prius adferret, quàm totis theatris exploderetur.

III. In actione III. cùm tam Celestini, quàm Occidentalis Concilii Legati verba sic faciunt: *Synodo in Ephesiorum metropoli congregata ex decreto amabilissimorum Deo, & Christi amantium Imperatorum sanctus Papa noster Celestinus Episcopus nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc Synodum misit, quam quidem Synodum convenire jusserunt humanissimi Christianissimique Imperatores.* Et post alia: *Synodum ergo, ut suprà diximus, indixerunt, id unum spectantes & satagentes,*
114 *ut fides Catholica à seculis hactenus conservata, sic perpetuò immota perseveret.* Ingruat quicunque voluerit, Celestinus & Occidentales Episcopi per legatos suos Imperatoriam Ephesinæ Synodi convocationem sustinebunt, ne gradu quidem moti.

IV. In actione IV. *Synodo juxta piissimorum Christianissimorúmque Imperatorum decretum in Ephesiorum metropoli congregata.* Infrà: *Sancta Synodo gratia Dei, pientissimorúmque & Christianissimorum Imperatorum decreto in hac Ephesiorum metropoli congregata Cyrillus Alexandrinorum & Memnonis Ephesiorum Episcopi, pium* (Imperatorum nostrorum) *edictum & nos & vestram sanctitatem in hanc Ephesiorum metropolim ea de causa convenire jussit, ut & rectum Apostolica fidei decretum communi sententia confirmetur, & hæresis à Nestorio recèns invecta discutiatur.*

V. In actione VI. *Synodo in Ephesiorum metropoli congregata juxta sanctionem Dei amantissimorum Principum nostrorum.*

Deinde in Epistola, quam Imperatores ad Synodum miserunt, & quæ inter acta Conciliabuli Joannis Antiocheni reperitur: *Quanto pietatis avitaque fidei zelo assiduè flagremus, id ex pluribus argumentis præteritisque certis indiciis liquidum ut put...s evasit, maximè verò ex eo etiam terrarum orbi patefactum credimus, quod vestram Synodum nuper convocaverimus.* Quis reclamavit?

Tum in Synodi relatione ad Imperatores sic inscrip-
115 ta: *Pissimis Deóque devotissimis, Theodosio & Valentiniano Victoribus, triumphatoribus semper Augustis, Sancta Synodus, qua per Dei gratiam vestraque majestatis nutum in Ephesiorum metropoli convenit.*

Quartò in Episcoporum, qui Constantinopoli inventi sunt, ad commonitorium sanctæ Synodi Rescripto: *Sancta Synodus juxta pissimorum, Christianissimorúmque Imperatorum nostrorum edictum apud Ephesum congregata, ubi comperit,* &c. Sic non inscribitur Synodi relatio ad Celestinum: *Sancta Synodus, qua per Dei gratiam in Ephesiorum metropoli convenit, Celestino Episcopo in Domino salutem*; non additur, *& per vestra sanctitatis nutum,* ut in Synodi relatione ad Imperatores. Quinctiam in ipsa Synodi ad Celestinum relatione ponitur: Episcopos secundùm Imperatorum sanctionem. Verba sunt: *Quia verò necesse est, ut omnia, qua consecuta sunt, sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere, secundùm omnium nostrûm salvatoris Christi voluntatem, pissimorúmque ac Christi amantium Imp. nostrorum sanctionem, ex multis variisque provinciis Episcopos supra ducentos in Ephesiorum metropoli nos convenisse.*

Quintò in inscriptione Epistolæ, quam Constantinopolitanus Clerus ad Synodum misit. Ea autem sic se habet: *Pissimis sanctissimisque Patribus nostris juxta religiosissimorum Imperatorum nostrorum decretum ex universo orbe in Ephesiorum metropoli congregatis.*

Sextò in Synodi relatione ad Imperatores de subscriptione: *Vestra quidem majestas non est passa verum fidem Nestorii doctrina labefactari: Immò verò pietas ve-* 116
stra hujusmodi contra Christum sermones apertè detestata est, ex universo propè orbe ad Ephesiorum metropolim congregari nos jussit.

Septimò in synodica ad Constantinopolitanum Clerum Epistola, quæ sic inscribitur: *Sancta Synodus, qua Dei per gratiam pissimorúmque Imperatorum jussum Ephesi convenit, dilectis comministris Constantinopoli agentibus.*

Denique in libello supplice, quem Clerus Constantinopolitanus Imperatoribus obtulit pro Synodo: *Quamobrem majorum vestrorum erga Ecclesiam amorem ac studium memoria repetentes, ac quemadmodum unusquisque eorum Imperii sui tempore sanctorum Patrum Synodis celebratis paruerit, Patrúmque sanctiones legibus suis muniendo, quum illi deferrent observantiam, satis ostenderunt: Ita & vos quoque parem affectum erga sanctam Synodum, quam modò convenire jussistis, alacriter suscipite.*

VI. In actione VII. *Regia auctoritas ob multas & maximè Ecclesiasticas causas Episcopos pientissimos, ut in Epheso conveniant, divinis, apertis, signatisque literis præcepit.*

Deinde Cyrillus in Apologetico ad Theodosium: *Etenim,* inquit, *cùm sancta Synodus nostra in Ephesiorum metropoli juxta majestatis vestra decretum undique convenisset.* Et post alia: *Qui Antiochena præest Ecclesia, à vestra majestate ad præfinitum diem adesse jussus, à sancta Synodo abfuit.*

Tum demum Theodoretus, qui Concilio interfuit, in Epistola XVI. ad Irenæum Episcopum: *Venerunt,*
inquit, *& qui Synodum convocant, & evocatorias lite-* 117
ras, tum aliis quibusdam Metropolitanis, tum nostro reddiderunt.

Atqui hæc sunt, quæ & à Synodo & in Synodo aguntur & quæ Synodum comitantur, nunc progrediendum est ad ea, quæ Synodum excipiunt.

I. Joannes Antiochenus Episcopus in Epistola, quam ad Sixtum Celestini successorem direxit, idem testatur: *Cùm itaque res ita se habebat, anno proximè lapso sacra Deo dilectissimorum Episcoporum Synodus juxta religiosissimorum Christique amantium Imperatorum nostrorum decretum in Ephesiorum metropoli profliganda Nestoriana hæreseos causa convenit.*

II. Joannes idem in Epistola ad Cyrillum prioribus vestigiis suis ita insistit: *Pissimorum Imperatorum nostrorum edicto religiosissimorum Episcoporum Synodus ad Ephesiorum metropolim, tum Ecclesiasticarum rerum & controversiarum, tum recta quoque fidei causa dudum convenire jussa est.*

III. Ibas Edessenus antistes in Epistola ad Marim Persam, quæ inter acta Calchedonensis Synodi refertur: *Ob hanc contentionem victores & pii triumphatores jusserunt primates Episcoporum in Ephesinam congregari civitatem.* Facundus Hermianensis Epistolæ hujus meminit in libri VI. cap. III.

IV. Socrates in libri VII. hist. cap. XXXIII. *Nam & longo tempore interjecto Imperatoris mandato Episcopi ex locis omnibus Ephesum conveniunt, quò etiam Nestorius cum magna populi multitudine contendit.*

V. Justinianus Imperator in Collatione prima Syno- 118
di V. *Theodosius junior congregavit priorem Ephesinam sanctam Synodum, cui præsidebant Celestinus & Cyrillus sancti Patres.*

VI. Theodosius & Valentinianus in lege, quæ in Collatione V. ejusdem Synodi V. refertur & probatur: *Qua* (Synodus) *per sanctionem Imperialem ex omni orbe terrarum Ephesi congregata est.* Hic recentiores

ores adjungo historicos qui ab antiqua simplicitate non deflexerunt.

Familiam ducit Sigebertus in Chronographia ad annum CCCCXXXIII. *Tertia Synodus universalis Ephesina prima ducentorum Episcoporum jussu Theodosii junioris Augusti edita est.*

Nicephorus in libri XIV. hist. capite XXXIV. *Theodosius Imperialibus literis suis in metropoli Epheso locorum omnium Episcopos convenire jussit, sacrum Pentecostes diem, quo convenirent, constituens.*

Explicata sunt rationum momenta tria omni exceptione majora, quibus liquet, Ephesinam Synodum primam ab Imperatore Theodosio indictam & coactam esse. Et quamvis hac de re non sit facilius, quàm de cæteris in Synodo & à Synodo gestis dubitare, Bellarminus tamen Concilii hujus indictionem & convocationem Imperatoriam obscurare voluit.

Examinanda sunt igitur quæ scribit in libri I. de Conciliis capite XIII. *De Ephesino*, inquit, *Concilio I. Prosper in Chronico indicat Ephesinam Synodum factam esse Cyrilli industria, & Celestini auctoritate. Constat etiam ex Evagrio lib. I. cap. 4. & ex epistola Celestini ad Cyrillum, quæ habetur inter opera Cyrilli, & ex Photio in libro de septem Synodis, Cyrillum profectum esse ad Concilium tanquam Apostolicæ Sedis Legatum, quod
119 est argumentum certum eam Synodum non sine consensu Pontificis coactam esse.*

I. Ad Prosperum quod attinet, illius verba referenda sunt: *Nestorius Constantinopolitanus Episcopus novum Ecclesiis molitur errorem inducere, prædicans, Christum ex Maria hominem tantùm, non etiam Deum natum, eique divinitatem collatam esse pro merito, cujus impietati præcipuè Cyrilli Alexandrini Episcopi industria & Papæ Celestini repugnat auctoritas.* Hæc narrat Prosper Tauro & Felice Consulibus, id est, anno Christi CCCCXXVIII. quo Ephesina Synodus nec indicta nec coacta est. Bellarminus non legit Prosperum, aut si quando legit, quibus Consulibus quod relatum est, narraret, observare neglexit. Hic auctor describit initia Nestorianæ hæreseos, cui primùm Cyrillus, deinde Celestinus, & cum Celestino Occidentales fortiter restiterunt. Sed non loquitur de Ephesina Synodo, quæ Basso & Antiocho Consulibus coacta est, anno videlicet CCCCXXXI. *Congregata*, inquit, *apud Ephesum plus ducentorum Synodo Sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum errori suo juvabant dogma, damnatur.* Ubi à quo congregata sit Synodus, non dicit. Erravit igitur semel atque iterum Bellarminus, cùm in opinionis suæ testem Prosperum adducit.

II. In citando Evagrio non minùs erravit. Nam Evagrii locum citat, in quo de Synodi convocatione non agitur, & omittit locum in quo de Synodi convocatione agitur. Evagrii lectione res ipsa constabit.
120 Sic ergo scribit in libri I. hist. cap. III. *Hæc nefaria Nestorii dogmata cùm Cyrillus Episcopus Alexandriæ vir sanè ipsius famæ celebritate insignis sigillatim per literas refutasset, Nestoriúsque ejus scriptis reluctatus est, neque Cyrillo, neque Celestini antiquæ urbis Romæ Episcopi consiliis obsecundavit, sed suum ipsius virus nihil veritus evomuit in Ecclesiam, postulavitque, ut auctoritate ac nutu Theodosii junioris, qui tum Orientis administravit Imperium, primum Ephesi Concilium cogeretur. Itaque Imperatoris literæ erant ad Cyrillum, & ad alios omnes ubique sanctarum Ecclesiarum præsides missæ, quæ diem Pentecostes, quo die vitalis & sacer spiritus ad nos descendit, conventui præstituerunt.* Deinde in ejusdem libri cap. IV. *Ubi igitur quindecim dies ultra diem præfinitum præterierunt, Episcopi Ephesi convenerunt, quasi jam Episcopi versus Orientem habitantes non essent venturi, aut si fortè venirent, multum dilaberetur temporis, antequam in unum cogerentur; Cyrillo locum Cælestini Episcopatum antiquæ Romæ, ut suprà docui, gerentis obtinente accersunt Nestorium, &c.* Sic Bellarminus Evagrium contra se laudare potuit, sed pro se laudare non potuit.

III. In Celestini ad Cyrillum Epistola nil omnino traditur, quod ad Ephesinæ Synodi convocationem pertineat. Quæ sequuntur verba Celestini, Bellarminus non intellexit, aut intelligere noluit: *Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostráque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris, nempe ut nisi decem dierum intervallo, ab hujus nostræ admonitionis die nume- 121
randorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizat, eúmque de Christi Dei nostri generatione fidem imposterum confessurum se spondeat, quam & Romana & tua sanctitatis Ecclesia, & universa denique religio Christiana prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat. Is verò modis omnibus se à nostro corpore segregatum esse intelligat, ut qui omnem medentium curam aspernatus, necnon instar pestiferi morbi per universum Ecclesiæ corpus, insano modo grassatus, tam seipsum, quàm cæteros omnes sibi commissos in extremum exitium præcipitare studuerit. Eadem hæc & ad sanctos quoque fratres & coepiscopos nostros Joannem, Rufum, Juvenalem & Flavianum perscripsimus, quò nostra, immo verò divini Christi Domini nostri sententia pluribus de eo sit manifesta. Data III. Idus Augusti Theodosio XIII & Valentiniano III. Coss.* qui anno Christi CCCCXXX. respondent. Atque ita graviter hallucinatur Bellarminus, si putat, in his Celestini verbis mentionem fieri ullam Ephesinæ Synodi, quæ anno duntaxat CCCCXXXI. post Consulatum Theodosii XIII. & Valentiniani III. X. Kal. Julii congregata est. Profectò mirum est Bellarminum Ephesinæ Synodi convocationem in ea Celestini Epistola quærere, ubi Celestinus de convocatione hac nec loquitur, nec loqui potest spectata temporum doctrina, & eam Celestini negligere Epistolam, in qua Celestinus de Ephesinæ Synodi convocatione palam loquitur. Sic enim ad Theodosium Imperatorem scribit: *Huic Synodo quam esse jussistis nostram præsentiam in iis, quos misimus, exhibemus.* 122

IV. Photius in libro de septem Synodis dicit quidem Cyrillum profectum esse ad Ephesinum Concilium, *tanquam Sedis Apostolicæ Legatum*, sed non dicit, Ephesinum Concilium Celestini auctoritate indictum & convocatum esse. Ex his duobus primum non quærimus, secundum quærimus, quod non invenimus. Bellarminus hac in re fucum facit, aut patitur.

V. Cùm Bellarminus ita ratiocinatur: *Quod est argumentum certum, eam Synodum non sine consensu Pontificis coactam esse*; Cum larvis dimicat: Quæstio non instituitur, utrum Ephesina Synodus vel citra Pontificis consensum vel cum Pontificis consensu coacta fuerit.

Deinde in hac ratiocinatione oblitus est lemmatis quod in capite XII. sibi sumpsit: *Reverà Pontificis est, non Imperatoris congregare Synodum generalem.* Nam aliud est Pontificem congregare Synodum generalem, aliud, non sine Pontificis consensu congregari Synodum generalem.

Tum jus illud, quod uni Romano Pontifici vult asserere, cum omnibus Episcopis communicat. Nam si Romanus Pontifex universale Concilium censetur indicere, quòd non sine illius consensu universale Concilium ab Imperatore indicatur: Ita Eugubinus & alii Episcopi universale Concilium censebuntur indicere, quòd non sine illorum consensu universale Concilium ab Imperatore indicatur. Quid evidentius? Sic Bellarminus ratiocinando secum pugnat, cùm in capite XII. scribit: *Reverà Pontificis est, non Imperatoris* 123
congregare Synodum generalem.

VI. Si Bellarminus advertisset ad Synodi hujus historiam, quod de illius indictione & congregatione scripsit, scripsisset nusquam. Inchoata jam erat Synodus, & altera celebrabatur actio, cùm Sedis Apostolicæ Legati advenerunt. Estne credibile, Celestinum

sic indixisse & convocasse Ephesinam Synodum, ut illa priusquam Legati advenissent, haberetur? Vir prudens & attentus illud vix crederet, etiamsi per indubitatas Celestini literas constaret. Non constat nec potest constare: Quia quod minimè factum est, id uti factum constare neutiquam potest. Hæc autem observatio, & quæ ex Ephesinæ Synodi actis, atque ex ipsis Celestini & Cyrilli Epistolis retulimus, efficiunt, ut admitti non possit tanquam verum, id quod habet vetus Romanæ Ecclesiæ Diurnum in Romani præsulis recens creati allocutione, ad fratres Episcopos & filios Presbyteros, & universam plebem Dei. *Quibus duobus universalibus, venerandisque Conciliis* (Nicæno & Constantinopolitano) *tertium generale ducentorum sanctorum Patrum accessit Concilium, quod sub Principalis quidem memoria Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Celestini Apostolica Sedis antistitis cum beato Cyrillo Alexandrina Ecclesia præsule.* Et revera qui allocutionem composuit, post Synodum VI. id est, post annos ab Ephesina ducentos plus minùs, historiam Synodi hujus non tam probè tenebat, quàm tenuisset æqualis auctor vel ætate suppar. Decretum
124 & indictum est priùs à Theodosio Ephesinum Concilium, quàm Celestinus decretum & indictum esse cognosceret, & eam ob causam ex Celestini auctoritate decerni atque indici non potuit.

Carolus Sigonius in libro XII. de Occidentali Imperio Diurnum sequitur & errat, dum ait, *Theodosium Celestini auctoritate literas ad omnes metropolitanos misisse, edicendo ut ad proximam Pentecostem Ephesi omnes adessent.* Diurnum quoque sequitur & errat Alphonsus Ciaconius, dum *Celestini auctoritate Ephesinum Concilium congregatum esse* scribit. Diurnum igitur, Sigonius, Ciaconius, & si qui recentiores alii, errant sine dubio; alioqui, quod insanum foret, dicendum esset, Celestinum, Cyrillum atque Ephesinæ Synodi Patres errare, cùm Synodum hanc à Theodosio indictam & coactam esse testantur.

VII. Bellarminus si Ephesinæ Synodi acta legit, contra propriam scripsit conscientiam id quod retulimus. Si quidem acta illa palam & apertè significant, Ephesinam Synodum ab Imperatore Theodosio indictam & coactam esse: Si vero acta non legit, indignum se præbuit, cui ulla in re vix credatur, cùm id scribat quod tam apertè falsum est, & ab omnibus, qui sciunt legere, falsum esse deprehenditur. Apage! Christiano homini placere non potest id præstigiarum & offuciarum genus, quo veritas absconditur, & incautis error objicitur, ut existiment id esse verum quod falsum est.

VII. Hic occurrit Bellarminus in libri 1. de Con-
125 ciliis capite XII. & itidem Sixtum III. proponit in Epistola ad Orientales ita scribentem: *Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum convocavit.* Proponit quidem istud, sed mala fide proponit. Epistolæ verba sunt hujusmodi: *Scitote me criminari à quodam Basso & injustè persequi. Quod ardiens Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum convocari jussit.* Valentinianus apud Bellarminum auctoritate Sixti Synodum convocat: Valentinianus verò apud Sixtum præcipit, ut Sixtus auctoritate sua Synodum convocet, atque ita Sixtus apud seipsum Imperatoris mandata exequitur: Sed apud Bellarminum Valentinianus Sixti mandata perficit. Quæ & qualis verborum Sixti apud Bellarminum corruptio & depravatio! Sanus & integer Sixtus pristinam traditionem retinet, & Imperatori suffragatur, corruptus verò & depravatus sibi quidem suffragatur, sed falsò & inutiliter, quia de particularis, non universalis Synodi convocatione agitur. Hæc ad hominem nempe Bellarminum disputo. Nam Baronio Sixti Epistolam reddenti suspectam facilè consentio. Binius vitiosam existimat, idque rectè: Utriusque rationibus quas supervacaneum esset repetere, adjicio Epistolam hanc penitus abhorrere à stylo & scribendi ratione, qua Sixti epistolæ, sive quæ extant in tomis Conciliorum, sive quæ editæ sunt in Romana Collectione bipartita, exarantur. Styli diversitas tanta est, quanta propemodum esse potest. Diffitebuntur ii soli, à quibus Epistolæ aliæ cum hac ad Orientales Epistola non contendentur.

Deinde falsa reputari potest historia, quæ ea in
Epistola narratur, nempe Sixtum de illato Virgini 126
stupro perperam accusatum esse, eúmque se coram Episcopis Romæ congregatis de tali crimine purgasse. Quæ duo cùm testimonio sui careant apud auctores æquales vel tempore proximos, argumentum est probabilissimum, hæc non accidisse, sed progressu temporis ficta esse. Nonne tam fingi potuerunt, quàm Polychronius Hierosolymorum Episcopus, quem à Sixto propter illatam Sedi Apostolicæ injuriam damnatum esse fictis fabulis prodiderunt? Juvenalis Sedem hanc ab anno CCCCXXIX. usque ad annum CCCCLVII. tenuit, Ephesinæ & Calchedonensi Synodo interfuit & subscripsit: Nihil certius. Et Sixtus ab an. CCCCXXXII. usque ad annum CCCCXXXIX. Romanam administravit Ecclesiam. Leo successit. Meminit quidem impacti Sixto criminis Anastasius Bibliothecarius, sed cùm inter eum & Sixtum anni intercedunt quadringenti & eò amplius, id sine majorum testimonio persuadere non potest. Sixti accusationem falsam, & coactum ob eam Concilium ex incertis, vel rumoribus vel monumentis collegit, & Sixti vitæ intulit: Absque alia disquisitione ulla: & sanè memoratu dignum est, falsò insimulatum esse tam nefarii criminis Romanum Pontificem, & probatam illius in Episcoporum Concilio innocentiam. Quis autem hæc à Prospero & aliis synchronis auctoribus oblivioni tradita esse crederet, si contigissent?

Præterea cur Sixtus ut ad Orientales, sic & ad Oc-
cidentales non scribit? His non minùs, quàm illis Six- 127
ti innocentia perspecta & animadversa esse debuit. Ex quo manifestè colligitur vanissimum & ineptissimum esse illius consilium, qui scriptam ad Orientales Epistolam Sixto III. subjecit.

Quidquid in causa, certa mihi sunt duo: Primùm, Bellarminum vulgatam Sixti ad Orientales epistolam corrupisse, vel certè ab alio corruptam insumpsisse ad lemmatis sui probationem. Quod est insignis [illegible]. Deinde incorruptam Sixti epistolam prodesse nobis, & obesse Bellarmino. Sed id genus commodi rejicimus, quia veritas non indiget patrocinio falsitatis.

Ecce tibi deduximus Ecclesiæ disciplinam, quæ in Ephesina Synodo retenta & observata est, usque ad Synodos illas, quæ de Eutychetis hæresi judicarunt! Verùm hæc Ecclesiæ disciplina confirmat Theologicæ Facultatis nostræ decretum, quo propositæ à Carolo VIII. Rege de convocandis per Principes Conciliis quæstioni respondet anno M. CCCCXCVII. Bene vale, Launoii x. Calend. Jan. an. M. DC. LXVI.

Joan-

Joannes Launoius

JOANNI BRAYERO

Parisiensi Theologo, *Aquensi* Ecclesiastæ.

Lutetiam.

128 QUAS in cogendis adversus Eutychetem Synodis partes Theodosius Imperator obierit, ut referam, hortaris. Hortationi tuæ faciam satis, eóque libentiùs, quod sanctus Leo Papa cogendarum Synodorum potestatem in Theodosio apertè, frequenter ac perseveranter agnoscat. Sic ante omnia perspicies, me ab Romanorum Pontificum doctrina sejungi non posse; & nihil mihi magis in amore ac deliciis esse, quàm Sedis Apostolicæ traditionem, qua vetus Conciliorum disciplina sustentetur. Rem igitur repetimus ab initio, & quæ cùm in Synodorum actis, tùm apud auctores æquales & tempore proximos occurrunt, simpliciter ac sine fuco exponimus.

I. Theodosius præcepit, ut in Eutychetis causa Constantinopolitana Synodus haberetur. Id ex veteribus historicis tradit Evagrius in libri 1. hist. capite IX. *Temporibus Flaviani error impii Eutychis oritur, de quo Concilium provinciale cogitur Constantinopoli, in eóque Eusebius Dorylæensis Episcopus & dicendi facultate pollens, prolatis libellis primus Nestorii blasphemiam coarguit. Ubi verò Eutyches accedit, vocatus, illos errores temere suis ipsius verbis deprehenditur. Nam confiteor,*

129 inquit, *Dominum nostrum antequam divinitas cum humanitate conjungeretur, ex duabus fuisse naturis. At post harum rerum conjunctionem unam solùm naturam extitisse affirmo. Idem etiam corpus Domini non ex eadem substantia cum nostro córpore constare asseruit. Abdicatur igitur sacerdotio, & tamen cùm Theodosium pro seipso oravisset (libellos enim contra ipsum à Flaviano falsò confictos dixit) primum Concilium Constantinopoli ex finitimis Episcopis ad eam rem exquirendam convocatur, à quo in Flavianum, & ab aliis quibusdam Ecclesiarum præsidibus accuratè inquisitum est, ac libellis, quòd veri essent, confirmatis, alterum Ephesi celebratur Concilium.* Hoc in loco Flavianus Constantinopolitanus sacerdotio privat Eutychetem, qui confugit ad Theodosium, & de Flaviano conquestus effecit, ut Imperator aliud in eadem urbe Concilium indiceret & congregaret. En Constantinopolitanum Concilium in causa Eutychetis celebratum, in quo etiamsi Flavianus vicerit, res tamen ad alind Concilium majus Ephesi celebrandum delata est!

II. Leo Papa rogat Theodosium, ut intra Italiam Concilium fieri jubeat in causa Eutychetis. Excitatæ inter Eutychetem & Flavianum controversiæ ab utroque admonitus Leo, ad Eutychetem primùm, deinde ad Theodosium, mox ad Flavianum literas dedit. Præterea rursus ad Theodosium scripsit precatus, ut in Italia Concilium ea super re fieri juberet. Leonis verba sunt ex Epistola IX. *Pro integritate fidei Catholicæ Christianum Principem convenit esse sollicitum, &*

130 *hoc indefessis precibus divinam misericordiam posco, ut cordi vestro, id quod est veritatis inspiret, neque falli vos in aliquo humanarum calliditatum æmulatione patiatur. A me autem, atque ab omnibus Catholicis Sacerdotibus, qua Evangelica fidei pietas defendas, satis plenè ac lucidè literis meis, quas clementiam vestram jamdudum per famulum vestrum Epiphanium tribunum, qui pro hac causa est, arbitror vos accepisse. Ratum est nec ambigi potest, hoc nos purissimè credere, hoc constanter asserere, quod etiam venerandi Patres quondam apud Nicæam congregati secundùm fidem Symboli credendum & confitendum sacratissima auctoritate sanxerint. Nos enim, venerabilis Imperator, sicut Nestorii dogma perversum merito anathematizavimus; ita justè etiam horum impietatem, qui veritatem carnis nostræ negant à Domino Jesu Christo susceptam esse, damnamus. Unde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium, citò (auxiliante Deo) poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari, ut per universum regnum vestrum Catholicæ fidei integritate servata, & pacem Christianam manere, & vestram apud Deum crescere gloriam gaudeamus.* Pontifex Imperatori rationem fidei suæ reddit, eúmque demissè rogat ac suppliciter, ut intra Italiam Episcopale Concilium haberi præcipiat. Sed nullum intra Italiam habitum est, quod Leo non obtinuit, ut postea videbitur, obtenturus tamen facile, si convocandi Concilii jus penes ipsum, non penes Imperatorem fuisset.

III. Theodosius Ephesinam Synodum, quæ infaustum 131
exitum habuit, indixit, & convocari jussit. Inter illos, qui convocationis hujus meminerint, principatum tenet Leo variis in Epistolis; & primùm quidem in duodecima ad Theodosium: *Quantum rebus humanis consulere providentia divina dignetur, sollicitudo clementiæ vestræ spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in Catholica Ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diversum: Quoniam fides, quæ nonnisi una est, in nullo potest sui esse dissimilis. Unde licet Eutyches (quantum gestorum Episcopalium ordo patefecit) imperitè atque imprudenter errare detectus sit, debueritque à sua meritò reprobabili persuasione discedere: Quoniam tamen pietas vestra, quæ in honorem Dei religiosissimè Catholicam diligit veritatem, apud Ephesum constituit Synodale Concilium, ut imperito seni ea, in qua nimis caligat, veritas innotescat, fratres meos Julianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, & filium meum, Hilarium Diaconum misi, qui ad vicem præsentiæ meæ pro negotii qualitate sufficerent.* Postquam Imperatoris studium erga Catholicam Ecclesiam & fidem in tantum commendavit, in quantum commendari potuit, testatur constitutam fuisse ab Imperatore Ephesinum Concilium: *Pietas*, inquit, *vestra, quæ religiosissimè Catholicam diligit veritatem, apud Ephesum constituit Synodale Concilium.*

Deinde in Epistola XIII. ad Pulcheriam Augustam: *Quantum præsidii Dominus Ecclesiæ suæ in vestra clementia præpararit, multis sæpe probavimus documentis. Et quidquid nostris temporibus contra impugnatores Catholicæ veritatis, industria Sacerdotalis obtinet, ad ve-* 132
stram maximè gloriam redundabit, dum sicut Spiritu sancto docente didicistis, illi per omnia potestatem vestram subjicitis, cujus munere & protectione regnatis. Et post alia: *Augustissimus verò & Christianissimus Imperator cupiens,*

capiens, quàm celerrimè turbata componi, Episcopali Concilio, quod Ephesi vult haberi, nimium breve & angustum tempus indixit, diem Calendarum Augustarum præstituendo conventui, cùm à tertio die Iduum Maiarum, quo serenitatis ejus scripta suscepimus, major pars reliqui sit temporis absumenda, ut profectio Sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari. Nam illud, quod pietas ejus etiam me credidit debere interesse Concilio, etiamsi secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam possit impleri, quia rerum præsentium nimis incerta conditio à tanta urbis populo me abesse non sineret, & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ Ecclesiasticæ viderer patriam & Sedem Apostolicam velle deserere. Quia igitur ad publicam hanc utilitatem pertinuisse cognoscetis, ut salva clementia vestra venia caritati me & precibus civium non negarem, in his fratribus meis, quos vice mea misi, me quoque adesse cum cæteris æstimate. Quantùm in sanciendis fidei dogmatibus Principum auctoritas valeat, Leo in aditu Epistolæ demonstrat: mox de brevitate temporis, quod Imp. celebrando apud Ephesum Concilio præfixit, conqueritur: non conquereretur opinor, si prius quæsito Leonis assensu Theodosius Concilium indixisset: De brevitate tem-
133 poris non conquereretur, sed de usurpata Romani Pontificis auctoritate, si quod Imperator fecerat, jure non fecisset. Leonem de neglecta Sedis suæ prærogativa non accusabis, cùm scieris, quis ille, qualisque.

Tum in Epistola XV. ad Ephesinam Synodum secundam: *Religiosa clementissimi Principis fides sciens ad suam gloriam maximè pertinere, si intra Ecclesiam Catholicam nullum erroris germen exurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctæ dispositionis effectum auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet, tanquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quid in ejus confessione laudatum sit, quando docente Domino, Quem dicunt homines esse filium hominis? Varias quidem diversorum opiniones discipuli memorarunt.* Et post pauca: *Verùm quia etiam talium non est negligenda curatio, & piè ac religiosè Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniore judicio omnis possit error aboleri.* Pontifex Ephesini Synodi convocationem Imperatoris voluntati & arbitrio tribuit.

Quartò in Epistola XVI. ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum: *Literas tuæ dilectionis accepi cum gestis, quæ apud vos super fidei quæstione confecta sunt. Et quia clementissimus Imperator pro Ecclesiæ pace sollicitus Synodum voluit congregari, quamvis evidenter appareat rem, de qua agitur, nequaquam Synodali indigere tractatu.*

Quintò in Epistola XVII. ad Theodosium: *Acceptis clementiæ vestræ literis, & multùm universali Ecclesiæ gaudendum esse perspexi, quòd Christianam fidem, qua divinitus honoratur & colitur, in nullo dissimilem,*
134 *in nullo vult esse discordem.* Et quibusdam interpositis: *Unde quamvis ad diem Concilii Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cùm nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem, præsertim cùm tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum: Tamen in quantum Dominus juvare dignatur, meum studium commodavi, ut clementiæ vestræ statutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui amputandis scandalis pro causa æquitate sufficiant, quique præscaitia mea impleant vicem.* Hæc omnia si diligenter attendantur, perspicuè ostendunt, Leonem ab Imperatore de indicenda Synodo consultum non esse.

Sextò in Epistola XVIII. ad Pulcheriam Augustam: *Ne autem piissimi Principis dispositioni, qua Episcopale Concilium voluit congregari, nostra videretur præsentia defuisse, fratres meos Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum misi, qui vicem præsentiæ meæ implere sufficerent.* Sic Leo Papa loquitur: Imperator *Episcopale Concilium voluit congregari.*

Septimò in Epistola XIX. ad Julianum Episcopum: *Et quia clementissimus Imperator pro benevolentia ac pietate animi sui de statu hujus, qui antè honorabilis videbatur, diligentiùs voluit judicari, atque ob hoc indicendum credidit Episcopale Concilium.*

Octavò in Epistola XXV. ad Theodosium quæ sic 135
inscribitur: *Leo & sancta Synodus, quæ in urbe Roma convenit, Theodosio semper Augusto. Literis clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantum fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in causa tam simplici, tamque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret; præsertim, cùm ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerunt, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, ita manifestatione purissimæ fidei, quam divinitus inspiratam & accepimus & tenemus, omnium congressionum strepitus quievisset.* Hic non Leo solùm, sed etiam sancta Synodus unà fatentur præcepisse Theodosium, ut Episcopale apud Ephesum haberetur Concilium. Neque verò id fatentur tantùm, sed & sanctum nominant Concilium quod apud Ephesum haberi cœptum erat.

Porro autem Leo in allatis testimoniis omni luce clarioribus generalium Conciliorum indictionem & convocationem, ut quid primatui suo divinitus annexum minimè vindicat. Respectum habet ad literas, quas Theodosius ad Valentinianum scripserat, de indicta à se Ephesina Synodo: *Propter hanc igitur*, inquit, *causam, quoniam quosdam cognovimus, sanctissimas Ecclesias nocibili novitate turbare, Synodum decrevimus Ephesi fieri.* Non dissimili modo scripserat ad Placidiam: *Ex literis tuæ mansuetudinis nostra cognovit serenitas, quòd Reverendissimus Patriarcha Leo à tua se- 136
renitate poposcerit. His itaque literis indicamus, quoniam de his, quæ dicta sunt à reverendissimo Episcopo, pleniùs atque apertiùs sæpè scriptum est. Ex quibus sine dubitatione manifestum est, nihil nos præter paternam fidem, aut dogmata divina, vel definitiones reverendissimorum Episcoporum, qui tam sub diva memoria Constantino in Nicæa civitate, quàm dudum nostro præcepto in Epheso congregati sunt, desinisse, aut decrevisse, aut intellexisse, sed hoc solùm in Epheso constitui jussimus, ut omnes, qui nocibili læsione Ecclesias sanctas turbaverunt, dignè removeantur.*

Theodosius eandem in actione I. Calchedonensis Concilii serram reciprocat, & primùm quidem in literis, quas ad Barsumam misit: *Quoniam igitur & tua sanctitas pro Catholica fide tantum laborem sustinuit, ut ad nostram perveniret pietatem, justum esse duximus, tuam sanctitatem puritate vitæ & Catholica fide probabilem ad Ephesinam pergere civitatem, & locum tenentem omnium religiosissimorum Archimandritarum Orientalium considere sanctæ Synodo.* Deinde quibusdam interpositis, idem Imperator in Epistola ad Proconsulem Asiæ: *Quoniam igitur nunc & alia dubitatio contra divinam fidem excitata est, secundam hanc in Epheso fieri Synodum sanximus.*

Ad Theodosium & Leonem accedunt, qui de Synodi hujus convocatione verba quoquo modo fecerunt.

Diogenes Cyzici Episcopus, qui Ephesinæ Synodo interfuit. Sic autem ait in actione I. Calchedonensis Concilii, inter acta Ephesi damnata Calchedone: *Diogenes reverendiss. Episcopus Ecclesiæ Cyzici dixit: Quo- 137
niam vos regulas scitis, Ægyptii & qui cum ipsis reverendissimi Episcopi clamaverunt: Petimus, superfluos mitte foras, Imperator Episcopos vocavit, Synodus Episcoporum est: superflui quare clamant?* Imperator vocavit Episcopos, quia Episcopale haberi voluit Concilium.

Anony-

Anonymus auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum in Appendice Jacobi Sirmondi ad Codicem Theodosianum: *Cùm ergo Eutychem istum Presbyterum & Abbatem Constantinopolitana civitatis, Eusebius Dorylitanus Episcopus suadere talia reperisset, zelo fidei, quam etiam cùm Agens in rebus esset, ostendit, (ipse enim Nestorium quoque in tempore reprehendit in Ecclesia res sacrilegas prædicantem) detulit ad Flavianum Episcopum & ad judicium provocavit. Dicta causa est. Cùm partes suas Eutyches videret urgeri, per Chrysaphium spatarium Theodosii præsidium Principis expetivit. Cujus præcepto Florentius vir illustris ex Consule, discussioni Eutychis abesse non potuit. Et jam in præsentia ipsius convincitur Eutyches atque damnatur. Offenditur Imperator, & in Ephesina civitate mandat Synodum congregari.*

Prosper Aquitaous io Chronico integro: *Hoc tempore Eutychiana hæresis exorta est, auctore Eutyche quodam Presbytero, qui apud Constantinopolim monasterio celeberrimo præsidebat, prædicans Jesum Christum Dominum nostrum, beatæ Mariæ Virginis filium nihil maternæ habuisse substantiæ, sed sub specie hominis solam in eo verbi Dei fuisse naturam. Ob quam impietatem, à Flaviano ejusdem urbis*
139 *Episcopo, quia corrigi noluit, condemnatus est, sed fidens amicitiâ regiâ & aulicorum favore ab universali Synodo se poposcit audiri: Annuente Imperatore Theodosio, qui ob hujus causæ retractationem omnes Episcopos jussit Ephesum convenire.* Atque hoc ipsum est Ephesinam Synodum Imperatoris auctoritate coovenisse.

Leontius Byzantinus in libri de Sectis actione IV. *Eutyches autem ab officio remotus Imperatorem adire, crebróque sibi factam à Flaviano injuriam dicere. Quapropter Imperator Theodosius generale Concilium Ephesi coire jubet, in quo cognosceretur, recténe Flavianus Eutychem deposuisset, necne?*

Atqui hæc sunt, quibus citra ollam liquet controversiam, Ephesinum Concilium, quod bene inchoatum fatales exitus habuit, Theodosii Imperatoris jussu & auctoritate iodictum ac coactum esse. Qui verò istud negaverit, inventus est oemo hactenus.

III. Theodosius à Leooe Papa iterùm rogatur, ut in eadem Eutychetis causa Coocilium intra Italiam celebrari jubeat, & quidquid io Ephesina Synodo secunda gestum est, suspeosum usque detineat, dum Synodus major congregetur. Postquam Ephesioa Synodus evasit in prædatoriam, & meruit, ut Ephesina Synodus secunda ooo dicenda diceretur, de instauranda Synodo majore Leo Pontifex cogitare cœpit; Cujus rei testes sunt illius epistolæ complures, in quibus uoiversala Concilium ab Imperatore postulat.

Prima est XXIII. ad Clerum & plebem Constanti-
140 oopolitanæ urbis, in qua tameo non designatur Concilii locus: *Licèt de his, quæ in Concilio Sacerdotum apud Ephesum gesta memorantur, major nos mœror afficiat, eò quòd, sicut consonans fama dispersit, & ipso rerum monstratur effectu, nec justitia illic moderatio, nec fidei est servata religio: De vestra tamen devotionis pietate gaudemus, & in sancta plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla delata sunt, omnium vestrorum probamus affectum, quia & vivit & permanet apud bonos filios optimi patris justa dilectio, & Catholicæ doctrinæ eruditionem in nulla patimini parte corrumpi.* Et sub finem epistolæ: *Et quoniam oportet post divinum auxilium, etiam Catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter ac sapienter exposcite, ut petitioni nostræ, qua plenariam indici Synodum postulamus, clementissimus Imperator dignetur annuere, quo citiùs adjuvante misericordia Dei, & sanis fortitudo augeatur, & morbidis, si curari acquiescant, medicina præstetur.*

Secunda est XXV. ad Theodosium, quæ superiori lucis adfert quamplurimùm: *Dum privatæ causa religionis exercentur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod universam Ecclesiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuncio, sed fidelissimo rerum, quæ gesta sunt, narratore Hilario Diacono nostro (qui vix, ne subscribere per vim cogeretur, effugit) convenisse ad Synodum (Ephesinam) plurimos Sacerdotes, quorum atque frequentia collationi & judicio profuisset, si is, qui sibi locum principem vindicabat, sacerdotalem moderationem custodire voluisset, ut (sicut moris est) omnium sententiis ex li-*
bertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus subveniret. In ipso autem judicio, non omnes, qui convenerant, interfuisse cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti Sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederint, & nocituram statui suo scirent, nisi imperata fecissent, taliúmque ab ipso prolatam esse sententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem Ecclesiam sævire videretur. Quod nostri ab Apostolica Sede directi adeò impiam & Catholicæ fidei contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli, constantérque in eadem Synodo (ut decuit) fuerint protestati, nequaquam id quod constituebatur, Sedem Apostolicam recepturam: Quoniam revera omne christianæ fidei Sacramentum (quod absit) à temporibus vestræ pietatis exscinditur, nisi hoc scelestissimum facinus, quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur. Quia verò diabolica nequitia subtiliter fallit incautos, & ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis illudit, ut pro salubribus persuadeat nocitura, removete quæsumus à vestra pietatis conscientia periculum religionis & fidei, quódque in sæcularibus negotiis legum vestrarum æquitate conceditur, in rerum divinarum pertractatione præstate, ut Christi Evangelio vim non inferat humana præsumptio. Ecce ego, Christianissime & venerabilis Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur; obsecramus coram unius Dei- 142
tatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos gravari, quia (quod necesse est nos dicere) veremur, ne cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam, & communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorúmque martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ divinitatis & veræ humanitatis in Christo. Cui Sacramento, quia impiè nunc à paucis imprudentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant Sacerdotes, quia & nostri fideliter reclamarunt, & ejusdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in caritate divisum. Convenientibus utique Orientalium provinciarum Episcopis, quorum siqui superati minis atque injuriis à veritatis tramite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur, ipsique quorum est causa durior, si consiliis melioribus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant. Leo & Romana Synodus postulant ab Imperatore duo. Primum, ut quæ gesta sunt apud Ephesum sospendantur usque dum major ex orbe toto Synodus habeatur: 143
deinde ut Synodus illa habeatur intra Italiam.

Tertia est XXVI. ad Pulcheriam: *Si epistola, quæ pro fidei causa per nostros Clericos directa sunt, ad vestram pietatem pervenissent, certum est, remedium vos his rebus, quæ contra fidem facta sunt, aspirante Domino præstare potuisse. Quando enim Sacerdotibus, quando Christiana religioni aut fidei defuistis?* Et paollò post: *Quæ enim congregata apud Ephesum Synodo sopienda & sananda pacis remedio credebantur, hæc non solùm in majora*

jora pacis dispendia, sed (quod nimis dolendum est) etiam in ipsius fidei, qua Christiani sumus, excidia processerunt. Et hi quidem, qui missi sunt, quorumque unus vim Alexandrini Episcopi, sibi omnia vindicantis effugiens, rerum gestarum nobis ordinem fideliter nunciavit, reclamarunt in Synodo, sicut oportuit, nullus hominis non tam judicio, quàm furori, protestantes ea, quæ per vim metúmque gererentur, Sacramentis Ecclesiæ, & ipsi Symbolo ab Apostolis instituto, præjudicare non posse, nec se ab ea fide ulla injuria separandos, quam plenissimè expositam atque digestam à Sede beati Petri Apostoli ad sanctam Synodum detulissent. Cujus cùm recitatio possidentibus Episcopis non sit admissa, ut scilicet remota ea fide, quæ Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & Martyres coronavit, generatio Jesu Christi Domini nostri secundùm carnem, & vera mortis ac resurrectionis ejus confessio (quod horremus dicere) solveretur: Scripsimus de hac re (ut potuimus) ad gloriosissimum Principem, & quod maximum est, Christianum; cujus Epistolæ pariter exemplar subjecimus, ut fidem, in qua renatus per Dei gratiam regnat,
144 *nulla sineret novitate corrumpi, quoniam Flavianus Episcopus in nostra omnium communione persistit: Atque hoc quod factum est sine consideratione justitiæ, & contra omnem canonum disciplinam ratum haberi nulla ratio permittit: Et quia dissensionis scandalum non abstulisset Ephesina Synodus, sed auxisset,* De habendo intra Italiam Concilio et locus constituere-tur et tempus, *omnibus querelis & præjudiciis partis utriusque suspensis, quo diligentiùs universa, quæ offensionem generaverant, retractentur, &c. absque vulnere fidei, absque religionis injuria in pacem Christi redeant, qui per impotentiam subscribere coacti sunt Sacerdotes, & soli auferantur errores. Quod ut obtinere mereamur, probatissima nobis fides pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adjuvat, supplicationem nostram apud clementissimum Principem sibi specialiter à B. Petro Apostolo legationem commissam dignetur asserere, ut priusquam civile hoc & exitiale bellum intra Ecclesiam convalescat, redintegrandæ unitatis copia, & modum, Deo auxiliante, concedat, sciens imperii sui viribus profuturum quidquid Catholicæ libertati, benigna ipsius fuerit dispositione collatum.* Quæ per vim metúmque gesta sunt in Ephesina Synodo narrant Leo & Romana Synodus, & mox petunt, ut intra Italiam Concilium ab Imperatore cogatur.

Quarta est XXXIII. ad Theodosium: *Sin verò aliqui à puritate nostræ fidei atque Patrum auctoritate dissentiant, Concilium universale intra Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petit, clementia vestra concedat, ut in unum convenientibus omni-*
145 *bus his, qui aut ignorantia, aut terrore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur.* Leo & Romana Synodus semper idem postulant. Ut nimirum Imperator universale Concilium intra Italiam celebrari præcipiat.

Quinta est XXXV. ad Pulcheriam: *Quibus vigilanter inspectis Constantinopolitanus antistes repudiandum sibi quod ausus est contra puram & singularem fidem imperita insipientia definire, incunctanter agnoscat. Quia & mea & sanctorum Patrum de Incarnatione Domini concors per omnia & una confessio est. Quam siquis existimaverit non sequendam, ipse se à compage Catholicæ unitatis abscindet: Cùm tamen nos ut in integrum omnia revocentur, optemus. Ad effectum verò salubrium dispositionum velociùs obtinendum fratres & Coepiscopos meos Abundium & Asterium, sed & Basilium & Senatorem Presbyteros probatissimos viros misi, qui clementiæ vestræ formam fidei, quam secundùm doctrinam venerabilium Patrum prædicamus, offerrent, & remotis circumlocutionibus, quibus obscurari veritas solet, quid de Incarnatione filii Dei à totius orbis probatis Sacerdotibus definitum fuisset, ostenderent. Quos post divinam gratiam, sanctæ vestræ pietatis auxilio dignum est adjuvari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat contentio, cùm correctione adhibita omnes oportet in unius confessionis redire concordiam, à qua si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam clementia vestra annuente jubeatur, quo remota arte fallendi tandem pateat, quid altiore tractatu aut coerceri debeat, aut sanari.* Sic
Leo sibi semper consentit in agnoscendo cogendarum 146
Synodorum more, quem apud Imperatorem obtinuisse demonstrat.

IV. Valentinianus & Martianus Imperatores œcumenicam Synodum quartam primùm Nicææ, deinde Calchedone fieri jusserunt. Quod ita explicatum imus. Interea dum Leo primus omni precum genere rogabat Theodosium, ut generale inter Italiam Concilium haberi præciperet, hic Imperator diem clausit extremum. In ejus locum sufficitur Marcianus, qui cum Valentiniano Romanum Imperium gubernaret. Quod igitur Concilium, ut celebraretur in Italia, poscebat Leo, in alia regione celebrari Valentinianus & Marcianus decreverunt.

Imperatores id Leoni significant per literas, quæ in capite XXXIII. partis primæ Calchedonensis Concilii recensentur: *Tale propositum*, inquiunt, *& desiderium habemus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.* Verba hæc duo, *te auctore*, ad sanciendam inter Episcopos Catholicæ fidei pacem referuntur, non ad celebrandam Synodum, quæ teste Leone ipso Imperatorum jussu & auctoritate celebrata est, ut suo loco probabitur.

Deinde in capite XXXIV. ejusdem partis extat Marciani ad Leonem epistola, qua & ejusdem consilii meminit, & Pontificem in Orientem advocat: *Superest*, ait, *ut si placuerit beatitudini tuæ in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu digneris, nostris utique desideriis vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni, quæ utilia sunt, decernet. Si verò hoc* 147
onerosum est, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, ut ad quendam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut tua sanctitas secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent.

Hoc ipsum ejusdem partis I. cap. XXXV. repetitur in epistola Pulcheriæ ad Leonem: *Et propterea tua reverentia quocunque modo prospexerit, significare dignetur, ut omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici, sicut etiam nostro Domino piissimo Imperatori meo conjugi placuit, in unam civitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant convenire, & illic facto Concilio, & de Catholica religione & de his Episcopis, qui ante hoc congregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant. Te*, inquit, *auctore decernant* in iis, quæ ad fidem & Christianam pietatem attinent, ex quo luculenter apparet nonnullos verba illa duo de indicenda & convocanda Synodo perperam intelligere.

Non multò pòst Marcianus Concilii locum Nicæam urbem esse voluit, atque omnes ubique Episcopos per literas, ut eò maturarent, accivit. Hæ literæ extant in capite XXXVI. ejusdem partis primæ: Ex illis hæc accipe: *Quia igitur dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ sunt, sicut indicant & literæ sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis, placuit* 148
nobis propriè sanctum Concilium fieri in Nicæa Bithyniæ civitate. Et post alia *Unde tua sanctitas cum quantis approbaverit reverendissimis Episcopis sub suo Sacerdotio constitutis sanctarum Ecclesiarum expertus habentibus divinas Scripturas & in scientia [illegible] in doctrina orthodoxæ fidei præ cunctis eminentibus ad memoratam Nicænam civitatem proximis Calendis Septembribus advenire festinet.*

Et

Et paullo pòst idem traditur in Epistola Valentiniani & Marciani ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum: *Quia igitur dubitationes quædam in orthodoxa religione nostra videntur esse commissa; sicut etiam epistola reverendissimi Episcopi urbis Romæ Leonis testantur, sed specialiter clementiæ nostræ placuit ut venerabilis Synodus in Nicæna civitate provinciæ Bithyniæ celebretur.* Et quibusdam interpositis: *Quare sanctitas tua cum quibus placuerit, reverendissimis Episcopis, quos de Ecclesiis sub sui Sacerdotii cura constitutis idoneos, & instructos orthodoxæ religionis esse probaverit, ad prædictam civitatem Nicænam intra diem Calendarum Septembrium ire deproperet.*

Deinde Valentinianus & Marcianus Synodum, quæ Nicææ convenerat, Calchedonem transtulerunt, ut habetur in capite XLI. & XLII. partis primæ Calchedonensis Concilii: Qua de re ita scribunt ad Synodum Nicææ congregatam: *Imperatores Cæsares Valentinianus & Marcianus victores, triumphatores semper Augusti, sanctæ Synodo, quæ apud Nicæam Dei voluntate & nostro decreto est congregata.* Infra: *Nunc spe-*
149 *cialiter vestram venerationem per has literas nostras sacras adhortamur, quatenus sine ulla dilatione accedatis ad Calchedonensem civitatem.*

Hoc in loco referendum, atque explicandum est Valentiniani testimonium, quo Bellarminus in libri I. de Conciliis capite XII. sic abutitur: *His accedat Valentinianus Imperator, qui cùm ab Episcopis rogaretur, ut permitteret eis Concilium celebrare, respondit, ut refert Sozomenus lib. 6. cap. 7. Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosiùs perscrutari: Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocunque voluerint loco conveniant.* Verùm quia dimidiata & truncata mihi non placent testimonia, quæ hac de re narrat omnia Sozomenus, describo: *Ubi verò decessit Constantinopoli Valentinianus, pérque Thraciam Romam versus iter fecit, Episcopi Hellesponti & Bithyniæ & alii omnes, qui filium Patri consubstantialem asserendum putabant, mittunt ad eum pro se Legatum Hipatianum Heracleæ, quod est oppidum Perinthi, Episcopum ortum, ut sibi de doctrina fidei ritè constituenda in unum conveniendi potestas permitteretur. Qui cùm venisset ad Valentinianum, & Episcoporum postulata ei exposuisset, respondit ille, sibi qui unus è laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere, & ideo, Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicunque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant. Quo responso ad Legationem Hipatiani dato Lampsaci Concilium cogunt.*

150 Et primò quidem testimonium hoc Bellarmini scopo inutile est. Bellarminus enim intendit probare Romani Pontificis non Imperatoris esse generalem Synodum congregare. At hìc de congreganda Synodo generali non agitur: Quæ Synodus Lampsaci convenit generalis seu œcumenica habita est nusquam. Id autem cùm ita sit, Bellarminus Sozomeni testimonium suo inopportunum lemmati perperam usurpat, & ludicra exercitatione lectorem fatigat & decipere conatur. Quod injustum atque inhonestum est.

Deinde integra Sozomeni narratio expositam à nobis traditionem confirmat, tantùm abest ut ei opponatur. Antistites, quorum Sozomenus meminit, palam agnoscunt se non posse unum in cœtum convenire, quin conveniendi potestatem Imperator faciat. Et hoc idem est ac si Concilium Imperator indiceret & congregaret. Quod à Bellarmini consilio penitus alienum est. Nam vult ipse, ut provincialia Concilia à Metropolitano, & nationalia à Primate vel Patriarcha convocentur. Sic antecedentem causam statuit, unde inferat, generalium Synodorum indictionem & congregationem ad Romanum Episcopum pertinere. Hoc unum ille premit & urget, sed ex falsa antecedente causa premit & urget: Atque ita oleum & operam perdit.

Tum Imperator antistitum Legato dixit, sibi cùm esset unus è laicorum numero, de rebus fidei tractare sibi non licere, sed non dixit, sibi non licere Synodos indicere. Non dixit, & si dixisset, contra se, ut antè vidimus, dixisset, & Valentinianus pugnantia locutus Bellarmini quid prodesset consilio?

Postremò quamvis apud Sozomenum de cogenda 151
Synodo universali sermo institueretur, dijudicandum adhuc esset, utrum affirmantibus Episcopis, penes Imperatorem esse, ut generalis Synodus cogatur, minor an major adhibenda sit fides, quàm Valentiniano affirmanti, id sibi non licere. Ea super re sentiant alii quid voluerint, ego sentio majorem Episcopis, quàm Valentiniano fidem adhibendam esse. Quæ enim sunt divini vel Ecclesiastici juris, Sacerdotes summi multò magis, quàm Imperatores scire debent. Et profectò valde miror, quod Bellarminus Imperatoris judicium Episcoporum judicio prætulerit, maximè cùm Imperator, Concilii indictionem & convocationem ad Episcopos, non ad unum Romanum Pontificem remittat. Quod ille tantùm in disputatione sua sibi proposuit, & nihil inde præter vituperationem τῆς ἀσεβείας reportavit.

Nunc ad Leonem venio. In cujus operibus desideratur epistola ad Episcopos Nicææ congregatos. Illius mentionem facit Evagrius in libri II. hist. capite II. *His de causis Concilium Calchedoni coactum est, nunciique ac tabellarii missi, Sacerdotes per literas plenas pietatis undique acciti, ac primò Nicæam: Adeo ut cùm Leo Episcopus Romanus ad eos literas daret, per Paschasinum, Lucentium, & cæteros, quos eò ad suum locum supplendum miserat, eas sic inscriberet: Episcopis Nicææ convocatis.* Quidquid in causa, Leonis epistolæ sunt plures, in quibus de indicenda per Marcianum Imp. Synodo seu Nicæna, seu Calchedonensi Pontifex sermonem instituit.

Prima est XLIL. ad Marcianum Augustum: *Nimis* 152
autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum & ad carnalium disceptationum bella provocemur tanquam reparata disceptatione tractandum sit, utrum Eutyches impiè senserit, & utrum impiè Dioscorus judicaris, qui in sanctæ memoriæ Flaviani condemnatione se perculit, & simpliciores quosque, ut in eandem ruinam provolverentur, impegit: Quorum multis jam ut cognovimus, ad satisfactionis remedia conversis, & veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cujusmodi sit fides tenenda tractandum est; Sed eorum precibus qualiter annuendum. Unde piissimæ sollicitudini vestræ, quam de indicenda Synodo, habere dignamini, per legationem quæ confestim ad clementiam vestram Deo annuente perveniet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere, plenius atque opportunius suggeretur. Sic Marcianus indicendæ Synodi curam suscipit, & Leo, quidquid ad sanciendam fidem pertinet per Legatos suos Marciano indicat.

Secunda est XLIII. ad eundem Marcianum: *Poposceram quidem à gloriosissima clementia vestra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Ecclesiæ pacem, à nobis etiam petitam necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis metus detinet convenirent.* Marcianum non Leonem Synodum indixisse argumentum est certissimum, quòd Leo à Marciano poposcerat, ut Synodi indictionem in aliud tempus differret: Non distulit. Leo verò sic pergit: *Sed quia pro studio hu-* 153
manis negotiis divina præponitis; & rationabiliter ac religiosè regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in Sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Evangelii prædicatione discordia, ego etiam vestris dispositionibus non renitor optans, ut omnium cordibus Catholica fides, quæ non potest nisi una esse, firmetur. Infrà: *Sequens verò in prædicta civitate (Ephesina) non potest vocari Concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agi-*

tatum; quodque vestra clementia amore veritatis Catholicis adfutura aliud statuendo cassabis, gloriosissime Imperator. Unde per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui regni vestri est auctor & rector, obtestor & obsecro clementiam vestram, ut in præsenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubium retractari, & quæ olim majorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari: Illudque potiùs jubeatis ut antiqua Nicænæ Synodi constituta, remotâ hæreticorum interpretatione permaneant. Nec me quoque (ut voluit clementia vestra) ab illo credatis abesse Concilio, cùm in his fratribus, quos direxi, id est, Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, & in fratre meo Juliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit æstimanda præsentia. Quos auxiliante Christo, ita acturos esse confido, ut ea, quæ Domino nostro placeant, decernantur, accedente pietatis vestræ studio, quod & paci prosit religionis & custodia veritatis. Quæ his in omnibus Imperatori Leo tribuit, indictam Nicææ seu Calche-
154 donem ab Imperatore translatam Synodum fuisse confirmant. Deinde quæ tribuit, majoris sunt ponderis, quàm Synodi indictio vel convocatio, quæ ad res in Concilio definiendas aut definitas minimè pervadit: *Quodque vestra clementia amore veritatis Catholicis adfutura, aliud statuendo cassabis.*

Tertia est XLIV. ad eundem Marcianum: *Multam mihi fiduciam scribendi ad clementiam vestram, & literæ vestræ, quas veneranter accepi, & Coepiscopi mei revertentes à Constantinopoli præbuerunt, non solùm assertione verborum, sed ipsis jam operum effectibus demonstrantes, ad defensionem Catholicæ fidei divinum in vobis vigere præsidium. Quo utique non solùm Ecclesiæ status, sed etiam vestri robur munitur Imperii, ut meritò ejus exspectetis protectionem, cujus colitis religionem & veritatem, gloriosissime Imperator.* Pontifex respectum habet ad Synodum, quam Marcianus indixerat, cujus fit postea mentio: *Synodum verò fieri, ut meminit clementia vestra, etiam ipsi poposcimus. Sed Sacerdotes omnium provinciarum congregari præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit: Quoniam illæ provinciæ, de quibus maximè sunt evocandi, inquietante bello ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Unde opportuniori tempori propitiante Domino, cùm firmior fuerit restituta firmitas, jubeat clementia vestra reservari. De qua re pleniùs inter cætera apud pietatem vestram poterunt allegare, quos misi.* Si Leo indicendæ Synodi fuisset auctor & rector, quæ ad Marcianum supra scripsit, neutiquam scripsisset: Indictionem Synodi eò distulisset usque, quò dif-
155 ferenda sibi esse videbatur. In summa id fecisset ipse, quod ab Imperatore fieri voluit, nec factum est, quia Imperator faciendum non esse censuit, quidquid missi ab Leone Legati potuerint adferre.

Quarta est XLVII. quæ sic inscribitur: *Leo Episcopus urbis Romæ sanctæ Synodo apud Calchedonem constitutæ. Optaveram quidem, dilectissimi, pro vestri caritate Collegii, omnes Domini Sacerdotes in una Catholicæ fidei devotione persistere, nec quemquam gratia aut formidine potestatum secularium depravari, ut à via veritatis abscederet. Sed quia multa sæpe, quæ pœnitudinem possint generare, proveniunt, & superat culpas delinquentium misericordia Dei, atque ideo suspenditur ultio, ut possit locum habere correctio, amplectendum est clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus, quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere, nec sejunctam à vobis præsentiam meam consideret, qui nunc in Vicariis meis adsum.* Hîc omninò testatur clementissimi Principis auctoritate factum esse, ut Episcopi Calchedonem convenirent, ibique Concilium celebrarent.

Quinta est XLIX. ad Marcianum Augustum: *Cre-* 156
debamus clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respecta differri ad opportunius tempus Sacerdotalem Synodum juberetis, ut vocatis de cunctis provinciis Sacerdotibus verè posset esse universale Concilium. Sed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem & Coepiscopum meum Paschasinum de ea provincia, quæ videtur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, Bonifacio fratre nostro & compresbytero sociato, & his quos antea miseramus, adjunctis, consortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Episcopum. Non potuit significari manifestiùs, cujus auctoritate Marciani an Leonis Synodus hæc quæ Calchedone convenit, indicta & coacta fuerit? Synodum in tempus opportunius distulisset Leo, si Leonis auctoritate & arbitrio Synodus convenisset.

Sexta est L. ad eundem Marcianum: *Sanctum clementiæ vestræ studium, quo ad reparationem pacis Ecclesiasticæ Synodum haberi voluistis, adeo libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem & aptius exspectari tempus optassem, quò scilicet plurimi possint Episcopi etiam de longinquis provinciis evocari, mox tamen, ut mihi pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de Episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meam sufficienter implerent, datis per eosdem Epistolis ad eos, qui legationem antè susceperunt, ut ipsi quoque prædictis ad implendas partes meæ* 157
præsentiæ jungerentur. Unde quamvis nimis arctus dies Synodo fuerit constitutus, spero tamen adfuturum omnipotentis auxilium, quo omnes valeant ad præfinitum tempus occurrere, & unanimiter cum sancta fraternitatis assensu, quæ universali Ecclesiæ congruant, definire. Sic certo certius est, Marcianum generalem indixisse Synodum, & Leonem indictioni præbuisse assensum, qui subsecutus est indictionem, non antecessit. Subsecutus verò est, cùm Leo efficere non potuit, ut Imperator Synodi convocationem in aliud tempus remitteret. Quæ assentiendi ratio cæteris, qui Synodo interfuerunt, antistitibus communis est: Et quia communis, Bellarmino & Bellarmini exscriptoribus nihil favet.

Septima est LI. ad Pulcheriam: *Religiosam clementiæ vestræ sollicitudinem, quam Catholicæ fidei indesinenter impenditis, per omnia recognosco, & Deo gratias ago, quòd tantam universalis Ecclesiæ curam habere vos video, ut quod justitiæ & benevolentiæ congruere arbitror, confidenter insinuem, quo celeriùs, quæ propitio Christo pietatis vestræ studio irreprehensibiliter hactenus gesta sunt, ad gratulandum perducantur effectum. Quod ergo Synodum Calchedonensem haberi clementia vestra præcepit, cùm à me ut in Italia haberetur, mansuetudo vestra retineat postulatum, ut omnes nostrarum partium convocati antistites, si securitas temporis suppeteret, convenirent: Adeo tamen non aspernanter accepi, ut binos de Coepiscopis meis & Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent, etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas* 158
advocata cognosceret, quam formam servare in hac dijudicatione deberet, ne ulla temeritas aut fidei regulis, aut canonum statutis, aut benignitatis remediis obviaret. Hic postquam dixit non sua, sed aliena potestate congregatam esse Synodum, ea subjungit, quibus Imperatorum verba hæc, *auctore te*, ad plenum & perfectum intelligantur: *Adeo tamen*, inquit, *non aspernanter accepi ut binos de Coepiscopis meis & Compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent, etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus scriptis, quibus*

frater-

fraternitas advocata cognosceret, quam formam servare in hac dijudicatione deberet, ne ulla temeritas, aut fidei regulis, aut canonum statutis, aut benignitatis remediis obviaret. Eruditus Pontifex huc spectare noverat, quæ Valentinianus & Marcianus, & Pulcheria suis. ad eum Epistolis scripserant, & quæ paullo antè retulimus. Et sanè nemo meliùs Imperatorum mentem interpretabitur, quàm Leo, cujus vel unius intererat scire, quid illi sibi vellent.

Octava est LXI. quæ sic inscribitur: *Leo Episcopus sanctæ Synodo apud Calchedonem habita: Omnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitionem sanctæ Synodi, quæ ob confirmationem fidei in Calchedonensi civitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum.* Et quibusdam interpositis: *Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Calchedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres & Coepis-*
159 *copos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus & clementissimus Princeps (sicut poposcit) in notitiam vestram mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur, ut & fraterna universitas & omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium propriam vobiscum unisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpe dicendum est:) Propter quam generale Concilium & ex præcepto Christianissimorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.* Ex Apostolicæ Sedis consensu, qui ut ex superioribus Epistolis liquidò patet, Synodi indictionem non præcessit, sed subsecutus est.

Et quamvis omni luce clariora sint Leonis testimonia, quæ semel atque iterum retuli, Bellarminus tamen in libri I. de Conciliis capite XII. ut generalem congregare Synodum Romani Pontificis, non Imperatoris esse confirmet, in medium adducit testimonia Leonis tria, quæ nunc expendere oportet.

Primum est ex serm. III. de Anniversario suæ assumptionis ad Pontificatum: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Ex hoc testimonio Bellarminus sic disputat: *At quis non videt, ovine conveniat congregare Pastores, an Pastori potiùs congregare oves? Igitur cùm Pontifex Pastor sit, Imperator ovis, non ad Imperatorem sed ad Pontificem spectabit*
160 *munus Concilia Episcopalia convocandi.* Hoc argumenti genus Leoni Papæ contumeliosum est. Nam eo probaretur, Leonem nescisse, quid scriberet, cùm Imperatores Theodosium & Marcianum suis in Epistolis toties rogat, & obtestatur, ut generalia Concilia indicere & congregare velint. Abdicat se Pastoris munere, & illud in Imperatores transfert. In ovium numero se constituit, & Imperatores in Pastorum. Sic Bellarminus ut placitis serviat suis, Leonem miserabiliter traducit: Quippe qui Pastoris inter & ovis officium distinguere non potuerit, & tum demum ovem pro Pastore habuerit. Quis nisi Sedis Apostolicæ inimicus Bellarminum animo æquo ferret?

Deinde Bellarminus in libri I. de Conciliis capite XIII. argumentum suum ut invalidum elidit scribens: *Prima Concilia ab Imperatoribus indicta fuisse, sed ex Pontificum sententia & consensu.* Nimirum oves ex Pastorum sententia & consensu Pastores ipsos congregarunt, Pastorum Concilia indixerunt & convocarunt. Propositionem hanc quis non rideret? Tum si oves ex Pastorum sententia & consensu Pastores congregant, cur Pastores ipsi relictis ovibus non sese congregant, & coeunt in Concilium? Sic ille omitteretur circuitus, qui nescio quid animis & auribus absonum importat. Hæc ad hominem dicta sunt: Nam ad Leonis testimonium aliter dicendum est, & primò quidem in eo nullam fieri de congregandis à Romano Pontifice Conciliis mentionem, ac proinde
ad congreganda Concilia malè detorqueri; Cum præ- 161
sertim Leo ea super re suis in Epistolis tam clarè pronuntiet: Deinde non desinit Pontifex Ecclesiam regere, tametsi non ipse, sed Imperator generale Concilium indicat & convocet. Quis enim affirmare auderet, Leonem non rexisse Ecclesiam, quamvis nec Ephesinam Synodum alteram, nec Calchedonensem indixerit & coegerit, ut antè vidimus?

Secundum testimonium est ex sermone I. de Petro & Paulo: *Per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta* (Roma) *latiùs præsidet religione divina, quàm dominatione terrena. Nunc autem Imperator vix unius provinciæ Episcopos ad Concilium cogere posset. Nec enim Itali, Hispani, Galli, Imperatori subjiciuntur: Sed habent suos proprios Reges vel Principes temporales. Quid si nullus esset Imperator, immo etiam nullus Princeps Christianus, num ideo Concilia fieri non possent?*

Bellarminus Leonis testimonium ab illius tempore, quo Imperator non unam tantum regebat provinciam, ad hocce tempus, quo præter Imperatorem plures sunt in Occidente supremi principes, deflectit. Nonne sophistica est disputandi ratio hæc? Deinde ad metaphysicas hypotheses, quas Bellarminus fingit Leonis testimonium quid pertinet? Itáne scripsit Leo, ut pertineret? Bellarminus intelligendo Leone aut decipitur, aut vult decipere. In Leonis testimonio ne unus quidem apex est de convocatione Synodorum. Aliud est probare, cujus sit Ecclesiæ præsidere; aliud, cujus sit congregare Concilia.
Silvester I. Romanæ præfuit Ecclesiæ; Nec tamen 162
Nicænam Synodum convocavit. Damasus Romanæ præfuit Ecclesiæ, nec tamen Constantinopolitanam Synodum indixit. Celestinus Romanæ præfuit Ecclesiæ, nec tamen Ephesinam Synodum primam coëgit. Leo Romanæ præfuit Ecclesiæ, nec tamen Ephesinam Synodum alteram, nec Calchedonensem congregavit.

Tertium testimonium est in Epistolæ XCIII. ad Turribium capite XVII. *Dedimus literas ad fratres & coepiscopos nostros, eisque Concilium Synodi generalis indiximus.* Verùm ut de quo Synodi genere tractet Leo, faciliùs appareat, integrum referendum est testimonium: *In eo verò quod extremâ familiaris Epistolæ tuæ parte posuisti, miror cujusquam Catholici intelligentiam laborare, tanquam incertum sit, an descendente ad inferna Christo, caro ejus requieverit in sepulchro, quæ sicut verè & mortua est, & sepulta, ita verè est die tertio resuscitata.* Et post alia: *Quod non credere satis impium est, & ad Manichæi, Priscillianique doctrinam pertinere non dubium est. Qui sacrilego sensu ita se Christum simulavit confiteri, ut incarnationis & mortis & resurrectionis auferant veritatem. Habeatur ergo inter vos* (Hispaniarum Episcopos) *Episcopale Concilium, & ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes, ut secundùm ea, quæ ad tua consulta respondimus, plenissimo disquiratur examine, an sint aliqui inter Episcopos, qui hujus hæresis contagio polluantur, à communione sine dubio separandi, si nefandissimam sectam per omnium*
sensuum pravitates damnare noluerint. Nulla enim ra- 163
tione tolerandum est, ut qui prædicandæ fidei suscepit officium, is contra Evangelium Christi, contra Apostolicam doctrinam, contra universalis Ecclesiæ symbolum audeat disputare. Et post alia: *Frustrà autem utuntur Catholico nomine, qui istis impietatibus non resistunt. Dedimus itaque literas ad fratres coepiscopos nostros, Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallicos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Ad tuæ dilectionis solicitudinem pertinebit, ut nostræ ordinationis auctoritas*

ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur. Si autem aliquid, quod absit, obstiterit, quo minus possit celebrari generale Concilium Galliciæ, saltem in unum conveniant Sacerdotes; quibus congregatis fratres nostri Hydacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia sua, quò citiùs vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus adferatur. Hoc autem in loco, ut constat, non agitur de generali Synodo, qualis fuit Ephesina, vel Calchedonensis, sed de generali tantùm Synodo, quæ Hispaniarum ambitu solo contineretur. Sed ne istud liqueret, Bellarminus Leonis testimonium truncavit. Hæc enim verba, *Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallicos*, sustulit: Quibus sublatis de generali Synodo cujusmodi fuerat Nicæna, Leo sermonem habere incautis lectoribus videtur. Sed adhuc frustra. Quis enim unquam œcumenicas Synodos quinque numeravit Leonis tempore? Baronius, qui rem tractat sincerius, ad annum Christi CCCCXLVII. generalem universæ Hispaniæ Synodum à Leone indictam esse scribit.

164 Porro autem si quis integrum Leonis testimonium inspiciat penitiùs, reperiet, Leonem non tam indixisse Concilium (quomodo hac in materia loquendum est) quàm Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos & Gallicos monuisse per Turribium, ut generalem ipsi Synodum facerent. Nam si Leo in Bellarmini sensu generale indixisset Concilium, designasset locum, in quo celebraretur: Deinde misisset Legatos, qui Concilio præfuissent. At Leo neutrum fecit. Quod si Bellarminus animadvertisset, Leonis testimonio abusus non esset, nec perspicuas in præteritis reliquisset tanti Pontificis auctoritates, quibus decisam esse quæstionem suprà ostendimus. Utinam Bellarminus saperet, uti sapiendum esse Catholicis tractatoribus, Facundus Hermianensis Episcopus monet in libri IX. capite X. *Quemadmodum calumniantium hæreticorum est, ex dubiis & obscuris quæ certa & manifesta sunt malè interpretari: Ita solitum est prudentiæ & pietatis Catholicæ ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua & latentia declarare.* Dolenter hoc observo, sed ut observem, cogit veritas, quæ & Bellarmino & Bellarmini offuciis & tergiversationibus præferenda est. Complures Leonis Epistolas, in quibus hic Pontifex de indicenda vel indicta Imperatoris auctoritate Synodo palam apertè & frequenter loquitur, omittit ut divertat ad ea testimonia, in quibus ne verbum quidem ullum de indicenda vel indicta Synodo apparet. Ex quibus insuper nisi per miserabilem accidentis fallaciam con-
165 eluditur. In conclusione distribuitur, quod in argumento neutiquam distribuitur. Dialecticæ tirones id vident, & in viro tanto lamentantur.

Neque verò Valentinianus, Marcianus & Leo solùm testantur Calchedonensem Synodum sic indictam & coactam esse, ut planum fecimus, sed & ipsa etiam Calchedonensis Synodus id in actionibus pene singulis exaratum esse voluit.

Sic autem præ se fert Actio prima: *In Calchedonensi civitate facta est Synodus ex decreto piissimorum & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani.* Et quibusdam interpositis: *Conveniente sancto & universali Concilio secundùm sacram præceptionem in Calchedonensi urbe congregato.* Et post alia: Inter acta Calchedone, *Gloriosissimi judices & amplissimus Senatus dixerunt: Ingrediatur reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & sacratissimus ac piissimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo.* Rursus inter acta Calchedone: *Piissimus & Christianissimus Imperator noster pro aliquibus, quæ emerserunt, jussit hanc congregari Synodum, non ut fidem nostram exponamus, quam exposuerunt jam Patres nostri, sed ut inquiramus, quæ emerserunt, si conveniant sanctorum Patrum nostrorum statutis.*

Hic necesse est observare Bellarminum minimè legisse, quæ mox retulimus & quæ postea referemus. Nam si legisset, in libri I. de Conciliis capite XII. quæ sequuntur, *Calchedonensis Concilii actione I. Dioscorus Alexandrinus jubetur non sedere inter Episcopos, eo quòd Synodum facere ausus fuisset sine auctoritate Apostolicæ Sedis, quod, inquit, nunquam licuit, nunquam factum est*, non adferret, ut Romani Pontificis, non Imperatoris, esse generalem congregare Synodum probaret. Verba illa non pertinent ad convocationem Ephesini Concilii secundi, quod Theodosius indixit. Quò verò pertineant, Leo tradit in Epistola XXV. ad Theodosium: *Literis clementiæ vestræ, quas dudum ad beati Petri Apostoli Sedem pro Catholicæ fidei amore misistis, tantam fiduciam sumpsimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in causa tam simplici, támque munita nihil putaremus posse existere, quod noceret, præsertim cùm ad Episcopale Concilium, quod haberi apud Ephesum præcepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta, quæ vel ad sanctam Synodum, vel ad Flavianum Episcopum detulerant, Episcoporum publicari auribus Alexandrinus permisisset antistes, ita manifestatione purissimæ fidei, quam divinitus inspiratam & accepimus & tenemus, omnium congressionum strepitus quievisset, ut nec imperitia ultrà deciperet, nec occasionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privata causa religionis exercemur obtentu, commissum est impietate paucorum, quod universam Ecclesiam vulneraret.* Dioscorus igitur non permiserat, ut Apostolicæ Sedis scripta, quibus Occidentalium continebatur judicium, in Ephesina Synodo legerentur. Atque istud est, de quo Lucentius Episcopus & Sedis Apostolicæ Vicarius pronunciat: *Synodum ausus est facere sine auctoritate* 167 *Apostolicæ Sedis, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Nunquam enim licuerat, nunquam factum erat, ut quæ scripta Sedes Apostolica ad œcumenicam Synodum miserat, non legerentur. At Synodum Ephesinam primam, Constantinopolitanam & Nicænam Imperatores convocarunt impunè, & Leo Marcianum rogaverat, ut Calchedonensem, cui Lucentius interfuit, congregaret.

Actio secunda: *Conveniente sancto & universali Concilio secundùm sacram sanctionem in Calchedonensi civitate congregato.* Tunc temporis Imperatorum literæ sanctiones sacræ, præceptiones sacræ, vel simpliciter sacræ vocabantur.

Actio tertia: *In Calchedonensi civitate Bithyniæ provinciæ secundùm Dei gratiam, & ex sanctione piissimorum & fidelissimorum Imperatorum congregato universali Concilio.* Et post alia in damnationis sententia, quam Synodus ad Dioscorum misit: *Sancta & magna & universalis Synodus, secundùm constitutam piissimorum & Dei amantissimorum Principum nostrorum collecta est in Calchedonensium civitate Bithyniæ.* Eadem est inscriptio in Dioscori damnationis sententia, quæ ad Clericos Alexandrinos Calchedone consistentes mittitur. Eadem est in edicto, quod Synodus contra Dioscorum proponit. Eadem quoque sic est in Epistola, quam Synodus ad Valentinianum & Marcianum scribit: *Piissimis & fidelissimis & Christianissimis Imperatoribus, victoribus & triumphatoribus, Valentiniano & Marciano, sancta & magna Synodus secundùm Dei gratiam & sanctionem vestræ pietatis congregata in* 168 *Calchedonensi civitate.*

Actio quarta: *Congregato sancto universalique Concilio, quod secundùm divinam sanctionem in Calchedonensium civitate collectum est.* Et quibusdam interjectis in Epistola diversorum Archimandritarum ad Marcianum Imperatorem: *Suggerimus ergo pietati vestræ, ut præcipiat, universalem Synodum fieri, quam vestra pietas providentiam faciens nostrûm omnium saluti jam convenire sancivit.* Et post alia in Archimandritarum Epistola ad Concilium pro Dioscoro: *Piissimus noster.*

noſter Imperator ex quo congregare hanc Synodum conſtituit, pollicitus eſt nobis confirmari tantùm expoſitionem fidei CCCXVIII. *ſanctorum Patrum, & nihil aliud ante hoc moveri vel fieri.*

Actio quinta: *Univerſali Synodo ſecundùm præcepta diviniſſimi & piiſſimi Domini noſtri congregata in Calchedonenſi civitate.*

Actio ſexta: *Univerſali Synodo ſecundùm præcepta diviniſſimi & piiſſimi Domini noſtri congregata in Calchedonenſi civitate.*

Deinde quibuſdam interpoſitis in allocutione Marciani Imperatoris ad Synodum: *Ubi primùm divino judicio ad Imperium ſumus electi, ante alias omnes publicas & ſummè neceſſarias cauſas nihil ſic & conſilio & ſtudio dignum putavimus, niſi ut circa orthodoxam fidem, quæ ſancta & vera eſt, omnes unius eſſent ſententiæ, & nihil de ea dubitabile in animis hominum inſideret. Repertum eſt enim medio tempore, quoſdam partim pecuniarum cupiditatibus, partim pravis ſtudiis diverſa*
169 *ſenſiſſe, & præter ſanctorum Patrum fidem & doctrinæ expoſitionem erroribus plenam multitudini edidiſſe. Huic rei remedium volentes adhibere ſanctam veſtram collegimus Synodum, laboribus, quos ex itinere ſuſcepiſtis, eventum maximè fore credentes, ut vera religio firmaretur.*

Actio ſeptima, octava, nona, decima, undecimá, duodecima, decimatertia, decimaquarta & XVI. eodem modo loquuntur: *Univerſali Synodo ſecundùm præcepta diviniſſimi & piiſſimi Domini noſtri congregata in Calchedonenſi civitate.*

Deinde in ſynodica ad Leonem relatione, quæ ita inſcribitur in cap. II. partis III. Calchedonenſis Concilii: *Sancta & magna & univerſalis Synodus, quæ per Dei gratiam, & ſanctionem piiſſimorum Imperatorum noſtrorum collecta eſt in Calchedonenſium metropoli provincia Bithynia, ſanctiſſimo & beatiſſimo Archiepiſcopo Romanorum Leoni.*

Tum in cap. III. ubi Valentiniani & Marciani refertur edictum, quo Imperatores illi prohibent, ne ulla de fide coram vulgo inſtituatur diſputatio: *E diverſis provinciis religioſiſſimi Sacerdotes Calchedonem venerunt juxta noſtra præcepta, & quid obſervari in religione debeat, perſpicua definitione docuerunt.*

Deinde in cap. XXVI. ejuſdem partis III. Calchedonenſis Cnncilii, ubi refertur Epiſtola Anatolii Conſtantinopolitani ad Leonem Imperatorem: *Illa ſiquidem Deo amabilis ac venerabilis Synodus ex Imperiali tunc ſanctione celebrata,* &c.

Et quanquam humanis modis omnibus, qui certum atque exploratum aliquid poſſunt efficere, certùm at-
170 que exploratum efficitur, Valentiniani atque Marciani Imperatorum juſſu & auctoritate indicta & coacta eſt Calchedonenſis Synodus; Bellarminus tamen in libri II. de Conciliis poſtquam cap. XII. ſibi ſumpſit, eſſe revera Pnntificis, non Imperatoris, congregare Synodum generalem, id cap. XIII. de Calchedonenſi Synodo confirmat. Verba ſunt: *De Calchedonenſi patet ex Epiſtola Marciani Imperatoris ad Leonem Papam, quæ habetur ante Concilium Calchedonenſe, in qua Imperator indicturus Concilium rogat Pontificem, ut ipſe veniat & Concilium faciat, & ſi nolit venire, per literas ſignificet, quid agi velit: Et in fine concludit, ſe ſcripturum ad omnes Epiſcopos, ut ad certum locum conveniant. Et quæ Chriſtianorum, inquit, religioni atque Catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definivit, ſua diſpoſitione declarent. Extat etiam inter Epiſtolas ad Calchedonenſe Concilium pertinentes quædam Epiſtola Epiſcoporum ſecundæ Mœſiæ ad Leonem Imperatorem, ubi ſic aiunt: In Calchedonenſium civitate multi Epiſcopi convenerunt per juſſionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput eſt Epiſcoporum.*

Denique Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ dicit, ſolam Apoſtolicam Sedem, ut Synodus Calchedonenſis fieret, ſua auctoritate decreviſſe. Ubi Magdeburgenſium lapſus notandus eſt, qui Centur: 5. cap. 7. col. 786. non intelligentes, quid illud (ſola) excluderet, putaverunt excludi Imperatorem, & ideo vociferantur, Gelaſium eſſe imprudenter mentitum, ſed Gelaſius per (ſola) non excludit Imperatorem, ſed alias Sedes Epiſcopales. Non enim Sedes Alexandrina, vel Antiochena, vel Hieroſolymitana, aut etiam Conſtantinopolitana, ſed ſola 171
Romana Sedes eam Synodum fieri voluit, & ipſa effecit, quanquam non ſine ope pii Imperatoris Marciani.

I. Hæc omnia Bellarminus perinde ſcribit, ac ſi quæ ex parte I. & II. hoc eſt ex ipſis Synodi actis, atque ex parte III. retulimus falſa & adulterina eſſent, vel ea mortalium nemo legere & intelligere valeret: Et ſi deeſſent illa, unus ſufficeret Leo, quem toties in medium adduximus.

II. Si quam aſſertionem Bellarminus ex Marciani ad Leonem Papam, ex Epiſcoporum ſecundæ Mœſiæ ad Leonem Imperatorem, ex Gelaſii ad Dardaniæ Epiſcopos literis ſtatuit, hæc vera eſt, Leonem Papam & Calchedonenſem Synodum ipſam neſciiſſe oportet, quid ſcriberent, cum quidquid ex iis recenſuimus, ſcripſerunt. Neſciiſſe verò quis in animum induceret ſuum? Si cùm Calchedonenſem Synodum ab Imperatoribus indictam & coactam eſſe tam apertè, tam frequenter & tam perſeveranter ſcripſerunt, quid ſcriberent neſcierunt, quomodo Bellarminus probare poterit, Leonem & Synodum rectè ſciviſſe, quid adverſus Eutychetem definierint? Par eſt utrobique obtendendæ vel ignorantiæ vel ſcientiæ ratio, & nuſquam legitima diſparilitas adferetur. Vide nunc ac circumſpice quas in anguſtias Bellarminus ſe conjecit, nolens id quod res eſt, ſimpliciter agnoſcere. Sic extrema cum illo fortuna confligendum eſt, ut veritas extundatur.

III. Bellarminus mala fide exhibuit, quid Marcianus ad Lennem ſcripſit. Ipſiſſima ſunt verba hæc: 172
Supereſt ut ſi beatitudini ſuæ placuerit in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, noſtris utique deſideriis veſtra ſanctitas ſatisfaciet, & ſacræ religioni quæ utilia ſunt, decernet. Si verò hoc oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias, hoc ipſum nobis propriis literis tua ſanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam & Illyricum ſacra noſtra literæ dirigantur, ut ad quendam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ Chriſtianorum religioni atque Catholicæ fidei proſint, ſicut tua ſanctitas ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent. Marcianus his in verbis determinandi loci, in quo Synodus fiat, jus ſibi tribuit. Hoc autem quid aliud eſt, quàm Synodum indicere? Leoni verò & reliquis antiſtitibus definiendarum rerum, quæ fidem attinent, poteſtatem aſſerit. Quæ omnia Bellarminus permiſcet inter ſe & confundit, ut his permixtis atque confuſis id appareat, quod revera falſum eſt.

VI. Si Mœſiæ ſecundæ præſules verum dicerent, Calchedonenſis ipſa Synodus erraret, cùm paſſim affirmat, ſe Imperatnrum ſanctione & decreto conveniſſe. Erraret Leo ipſe, cui quod non ſibi vindicat, Præſules illi ſibi vindicant. Coacta eſſet Synodus per juſſionem Leonis, qui ſuis apud Marcianum precibus obtinere nnn potuit, ne tam citò cogeretur. Exinde ſumendnm eſt, Mœſiæ ſecundæ Epiſcopos id Leoni tribuere, quod revera Leo ipſe & Synodus & alii bene multi Marciano tribuunt. Quin igitur erraverint, negari nnn poteſt. Id factum putarunt, quod nmnino 173
non eſt factum.

V. Ad Gelaſium quod attinet: Bellarmino non tam laborandum fuit, ut is cum Imperatore, quàm cum ſeipſo conciliaretur. Res hæc ita ſe habet: Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ ſcribit: *Apoſtolica*

lica Sedes pro veritate ut Synodus Calchedonensis fieret, sola decrevit, in quo Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit. Romana Synodus, qua sacri & authentici libri discernuntur ab apocryphis, & cui Gelasius præfuisse dicitur, de Calchedonensi Concilio tradit, quæ sequuntur: *S. Romana Ecclesia post illas veteris vel novi Testamenti quas regulariter suscepimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est sanctam Synodum Nicænam.* Et quibusdam interpositis: *Sanctam Synodum Calchedonensem, mediante Marciano Augusto & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana & Eutychiana hæreses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnata sunt.* Ibi nulla est vel Leonis vel Apostolicæ Sedis mentio. Tantùm abest, ut Gelasius in Romana Synodo id de sola Sede Apostolica pronunciat, quod in epistola ad Episcopos Dardaniæ sine Romana Synodo pronunciat. Bellarminus illa duo, quæ non videntur cohærere inter se, observare debuit, & inter se conciliare, si conciliari possunt. Quinetiam Bellarminus, ut à Magdeburgensibus dissentiat, à Gelasio & Romana Synodo dissentit; qua parte docet, Gelasium per (*sola*) Episcopales Sedes alias, quarum in
174 numero Constantinopolitanam collocat, excludere.

Tum si res ex seipsis pensentur, Gelasius cum Synodo Episcoporum LXX. locutus, Gelasio sine Synodo tali Epistolam scribenti præferendus est. Quis quæso istud in dubium vocare auderet? Quocirca si falleretur Gelasius, cùm in Synodo pronuntiat; falleretur multo magis, cùm sine Synodo pronuntiat. Hoc argumentum eo est fortiùs, quòd Bellarminus Romanam illam Synodum Gelasio tribuat, cùm aliis in locis, tum maximè in libri I. de verbo Dei capite IV. Prætetea quibus rationum momentis Bellarminus probabit, falsa esse, quæ narrat Gelasius in Synodo, iisdem ego vel quis alius probabit, vera non esse, quæ Gelasius sine Synodo scribit in Epistola ad Episcopos Dardaniæ. Hoc unum premo, hoc unum mihi sumo, nec ullæ poterunt unquam extrui machinæ, quæ disputandi genus illud disturbent, & aliò deflectant. Si Bellarminus controversiæ decisionem ad Leonis Epistolas & Calchedonensis Concilii acta revocet, ut Gelasium in Synodo & cum Synodo locutum errasse ostendat, nos quoque illam ad easdam Leonis epistolas & eadem Calchedonensis Concilii acta revocabimus, ut Gelasium sine Synodo in epistola ad Dardaniæ Episcopos locutum errasse demonstremus. Quidquid id est, & quidquid futurum sit, in antecessum dicimus, Gelasium ea in Epistola historiæ leges neglexisse, vel errasse Leonem Papam, cùm in relatis illius Epistolis id scripsit, quod suprà exposuimus. Dicenda sunt cum veritate, quæ veritas ipsa gessit. Et si Bellarminus instituisset eam dicere, Gelasii
175 epistolam ad Episcopos Dardaniæ tractasset aliter, quàm tractavit, & retractandi quæ scripsit, onere nos levasset.

Hactenus, ut apparet, ad hominem, Bellarminum scilicet disserui, Hieronymi Ecclesiarum Doctoris exemplum imitatus: *Sequar te quocunque ieris; aut pariter in luto hærebimus, aut pariter expediemur,* In Dialogo contra Luciferianos. Nunc ad simplicem rei veritatem accedo. Igitur cum ait Gelasius: *Apostolica Sedes pro veritate, ut Synodus Calchedonensis fieret, sola decrevit,* non fingit historiam cujus monumenta fuerint nulla, sed narrat historiam cujus scribendæ materiam Leo & Romana Synodus, nempe Apostolica Sedes objiciunt in Epistola XXV. ad Theodosium, quæ negotio huic lucis adfert plurimum. Hæc suprà jam relata est. Sed nunc repetenda tantùm sunt ea, quæ rem conficiunt: *Ecce ego,* inquit Leo, *christianissime & venerabilis Imperator, cum Consacerdotibus meis,* id est, cum Romana Synodo, *implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiénsque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur. Nec alieno peccato patiamini vos*
gravari, (quia quod necesse est nos dicere) veremur, ne 176
cujus religio dissipatur, indignatio provocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reverenter aspicite beati Petri gloriam, & communes cum ipso omnium Apostolorum coronas, cunctorúmque martyrum palmas, quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio veræ divinitatis & veræ humanitatis in Christo. Cui Sacramento, quia impiè nunc à paucis imprudentibus obviatur, OMNES PARTIUM NOSTRARUM ECCLESIÆ, OMNES MANSUETUDINI VESTRÆ CUM GEMITIBUS ET LACRYMIS SUPPLICANT, UT QUIA ET NOSTRI FIDELITER RECLAMARUNT, ET EJUSDEM LIBELLUM APPELLATIONIS FLAVIANUS EPISCOPUS DEDIT, GENERALEM SYNODUM JUBEATIS INTRA ITALIAM CELEBRARI. Ut generalis Synodus haberetur in Italia, non obtinuerunt Leo & Romana Synodus: Sed in Oriente habita est, Nicææ primum cœpta, deinde translata Calchedonem: Quò spectat Gelasius, cùm ait: *Ut Synodus Calchedonensis fieret, Apostolica Sedes sola decrevit,* etiamsi aliò spectare reapse debuerit. Non enim petierant Leo & Romana Synodus, ut generale Concilium fieret Calchedone, sed intra Italiam. Qua in re benigne interpretandus est Gelasius, qui potiùs ad destinatum ab Imperatore generalis Concilii, quàm ad postulatum à Leone & Romano Synodo locum respicit. Cum verò ait Gelasius, *Apostolica Sedes ut Synodus Calchedonensis fieret, sola decrevit*; hoc ea ratione decrevisse intelligenda est, quam Leo & Romana Synodus in Epistola sua exponunt, Imperatorem nempe rogando simpliciter, ut generale Concilium fieri juberet.

His autem ita explicatis apertè liquet, nec Magde- 177
burgenses nec Bellarminum Gelasii mentem assecutos esse. Occupati suis quique præjudiciis intus sibi cecinerunt, eóque traxerunt Gelasium, quò trahendus non erat. Hic per particulam (*sola*) Imperatorem non excludit, quasi voluerit Pontificis, non Imperatoris esse, generalem Synodum congregare, ut Magdeburgenses falsò putarunt. Deinde per particulam (*sola*) alias quidem Sedes Episcopales excludit, sed non excludit, quomodo excludere Bellarminus judicat. Nam judicat excludere ut significet, Pontificis non Imperatoris esse generalem congregare Synodum, & Pontificem reipsa Calchedonensem Synodum congregasse. Qua de re non agitur apud Gelasium ut ante visum & probatum est. Adhæc Bellarminus Gelasii textum corrumpit scribens: *Gelasius in Epistola ad Episcopos Dardaniæ dicit: Solam Apostolicam Sedem, ut Synodus Calchedonensis fieret, sua auctoritate decrevisse.* Gelasius his verbis (*sua auctoritate*) non utitur: Sic omnino dicit: *Apostolica Sedes pro veritate, ut Synodus Chalchedonensis fieret, sola decrevit,* non addit Gelasius, *sua auctoritate,* sed Bellarminus addit, & Magdeburgensium lapsum corrigendo ipse labitur, & correctione indiget.

Magdeburgenses & Bellarminus debuerunt integram Gelasii ad Episcopos Dardaniæ epistolam perlegere, & observare, ad malè vel benè gestam Synodum non attinere Synodi convocationem. Adscribo verba quæ pluribus in Epistolis jam laudavi: *Malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctri-*
nam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota 178
meritò Ecclesia non recepit, & quam præcipuè Sedes Apostolica non probavit. Bene gesta Synodus, id est, secundùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas pro fide Catholica & communione prolatam,

prolatam, quam cunctà recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit. Sic ad veram, & genuinam Synodi notionem non exigit Synodi ejusdem convocationem, quæ vel à Pontifice vel ab Imperatore fiat. Quod si Magdeburgenses & Bellarminus perspexissent, Gelasii mentem aliter intellexissent.

Cæterùm Valentiniani & Marciani literis, atque edictis, Leonis Papæ epistolis compluribus, Calchedonensis Synodi gestis, & monumentis aliis, quæ Imperatoribus Calchedonensis Synodi indictionem & convocationem vindicant, succedunt historici & auctores, qui ante & post Gelasium claruerunt.

I. Theodoretus, qui Concilio interfuit, in epistola CXXXVIII. ad Anatolium Patricium: *Adhuc Deo dilectorum illorum* (Imperatoris & Augustæ) *sublimitatem obtestamini, ut rectè institutis finem imponant, ut Synodum convocent, non turbulentis iterum & collectitiis hominibus refertam, sed ab iis omnibus disjunctam, eorum, qui divina dijudicent & magni faciant, veritatémque humanis rebus omnibus potiorem habeant.*

Deinde in epistola CXXXIX. ad Asparem Consulem & Patricium: *Adhoc etiam ab eis* (Imperatore & Augusta) *postulandum magnitudo vestra flecti*
179 *se sinat, ut Ecclesiis tempestatis perfectam finem imponant, & Synodum congregari jubeant, non eorum iterum, qui tumultuari soliti turbent Concilium, sed qui cum quiete illorum, qui divinis sunt edocti, & Apostolica dogmata confirment, & spuria atque à veritate aliena rejiciant.*

Denique in epistola CXL. ad Vincomalum Magistrum: *Magnitudinem porro vestram oro, ut gratias meis verbis agatis Christi amanti victorique Imperatori, & religiosissima, Deóque dilectissima Augusta, quòd pio imperio validam radicem dederint pietatem, illorúmque potentiam exoretis, ut firmam Ecclesiis pacem efficiat, & Synodum congregari jubeat, non tumultuantium rursus hominum, qui conventum perturbent, sed veritatis amantium, qui doctrinam Apostolicam stabiliant.* His autem verbis omnibus non obscurè significat auctor, loqui se de ea Synodo, id est, Calchedonensi, quæ Ephesinam Synodum secundam non dicendam excepit.

II. Prosper Aquitanus in Consulari Chronico: *Hujus* (Marciani) *edictis Apostolicæ Sedis auctoritatem secutis Synodus Ephesina damnatur, & apud Calchedonem celebrari Concilium Episcopale decernitur.*

III. Antiquus scriptor Breviculi historiæ Eutychianistarum: *Exempto anno moritur Theodosius Imperator, Chrysaphius punitur, Marcianus Princeps factus est. Læsam fidem graviter ferens indicit Synodum apud Nicæam, in qua & ipse & Pulcheria resedit, & omnis cum eo Senatus & potestates. Quam Synodum postea transtulit Calchedona propter palatii vicinitatem.* In Jacobi Sirmondi Appendice ad Codicem Theodosianum.

180 IV. Anonymus, sed vetus auctor vitæ sancti Auxentii Abbatis: *Videns magnus & orthodoxus Imperator Marcianus Ecclesiam in magna confusione & perturbatione decernit, ut Episcopi totius ferè orbis venirent Calchedonem civitatem Bithyniæ.*

V. Liberatus Afer Diaconus in capite XIII. Breviarii: *Sed eo* (Theodosio) *defuncto, cùm Marcianus Imperii culmen fuisset adeptus, pro illius Papæ & Principum Romanorum petitione universale Concilium in Nicæa congregari jussit. Ubi occurrentibus* DCXXX. *Episcopis, & eis sedentibus Legati Papæ Leonis Marcianum petierunt, ut sui præsentiam præstaret Concilio, alioquin ipso absente ad Concilium non occurrent, & ita jussit Imperator Synodum transferri Calchedonem ut de proximo ad Concilium veniens eorum impleret petitionem.*

VI. Evagrius in libro II. hist. capite II: *Marciano igitur ista in animo habenti accedunt tum illi, qui Leonis antiquioris Romæ Episcopi responsa ad alios perferre solent, docéntque Dioscorum, decisionem Leonis in secundo Ephesino Concilio rectam sanámque præscribentem repudiasse. Tum alii, qui erant à Dioscoro injuriis affecti, orántque ut de ipsorum rebus Concilium dijudicaret. Quod quidem ab Imperatore maximè omnium contendit Eusebius Dorylæensis Episcopus, ostenditque se tum Flavianum fraude & fallaciis Chrysaphii Theodosii satellitis abdicatum fuisse, quod Flavianus Chrysaphio aurum pro ejus ad Episcopatum ordinatione postulanti, sacra Ecclesiæ vasa, quò eum*
pudore suffunderet, misisset, quódque Chrysaphius in 181
simili errore & pravitate cum Eutyche versaretur. Ait præterea Flavianum miserandum in modum à Dioscoro interfectum, per vim ab eo Ecclesia extrusum, & calcibus verberatum. His de causis Concilium Calchedoni coactum est, nunciique ac tabellarii missi, Sacerdotes per literas plenas pietatis undique acciri (per Impp.) *Ac primò Nicæam, adeò ut cùm Leo Episcopus Romanus ad eos literas daret, per Paschasinum, Lucentium & cæteros, quos eò ad suum locum supplendum miserat, eas sic inscriberet: Episcopis Nicææ convocatis S. postea autem Chalcedonem urbem Bithyniæ.*

VII. Justinianus Imperator in Collatione I. Constantinopolitani Concilii V. *Marcianus congregavit Chalcedona sanctos Patres, & magna contentione inter Episcopos facta, non solùm per suos judices, sed etiam per seipsum in Concilium pervenit, & ad concordiam omnes perduxit.*

VIII. Vigilius in epistola X. ad universam Ecclesiam: *Sciant universi nos illam fidem prædicare, tenere atque defendere, quam ab Apostolis traditam & per successores eorum inviolabiliter custoditam reverenda Nicæna Synodus* CCCXVIII. *Patrum sancto Spiritu sibi revelante suscipiens redegit in symbolum: Ac deinde tres aliæ sanctæ Synodi, id est, Constantinopolitana* CL. *Patrum sub pia memoria Theodosio seniore Principe facta, & Ephesina prima, cui beatæ memoriæ Papa Celestinus decessor noster & Cyrillus Alexandrinus Episcopus præsederunt: Sed & Calchedonensis* DCXXX. *Patrum, quæ sub pia memoria Marciano Imperatore convenit, cuique*
sanctæ recordationis decessor noster Papa Leo per Legatos 182
suos Vicariósque præsedit. Cur Vigilius, qui anno post Gelasium XLIV. ad Romanam accessit Ecclesiam, ut Leonem Calchedonensi Concilio præsedisse dicit, sic & illud Concilium indixisse se non dicit, si ut verè diceret, ferebat Sedis Apostolicæ traditio?

IX. Mansuetus Mediolanensis Episcopus in Synodica ad Constantinum IV. epistola: *Tunc*, inquit, *à præstantissimo & Christianæ religionis amatore Marciano Imperatore collecta est sancta Synodus in civitate Chalcedone* DCXXX. *Patrum veneranda cohors.*

X. Romani Pontifices post consecrationem suam olim emittebant fidei professionem, quæ in veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno extat. Et sic incipit: *Ill. Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ reverendissimis fratribus, & dilectissimis filiis, seu universæ plebi Dei.* Et pluribus interpositis: *Pro hujusmodi ergo de Incarnatione Dei Verbi regulis explanandis etiam quartum sanctum sexcentorum triginta patrum sanctorum Concilium sub Augustæ memoriæ Marciano in Calchedone concurrit. Cui Apostolicus Papa Leo per Legatos & Vicarios præfuit.* Hic nec præmittitur, nec additur Leonem Concilium cui præfuit, indixisse: Quinetiam Marcianum indixisse Concilium non obscurè significant verba hæc, *Concilium sub Augustæ memoriæ Marciano in Calchedone concurrit.* Sensum hunc confirmant, quæ postea de Synodo quinta sequuntur: *Hæc igitur sancta atque universalia quatuor Concilia etiam sanctum quintum Concilium venerandum consecutum*
est, & sub pia memoria Justiniano Principe apud Constanti- 183
nopolitanam urbem congregatum. At Justinianum congregasse Synodum quintam quis iret inficias? Qui assereret, Vigilium indixisse Synodum cui interesse noluit, Et à qua per constitutum suum, tam vehementer dissensit? In summa pergere in exilium maluit, quàm consentire. Sub hoc tempus cùm Ado dixit in Chronici ætate VI. *Leonis Papæ industria celebratum esse*

Chalcedonense Concilium, dicere volnit, Leonis diligentia factum esse, ut Imperator Concilium illud haberi præciperet.

XI. Sigebertus in Chronico ad annum CCCCLII. *Instantia Leonis Papæ jubente Imperatore Marciano congregata & habita est quarta universalis Synodus DCXXX. Episcoporum.*

XII. Nicephorus in libri XV. hist. capite II. *Eorum rerum gratia Imperatorum literis locorum omnium Episcopis convocatis Synodus Chalcedone est coacta, quæ quidem primùm Nicææ convenerat: Quò etiam Romanæ urbis Episcopus Leo per Paschasini, Lucentii & aliorum ministerium literas miserat: Sed ea Chalcedonem Bithyniæ est translata, quòd Imperator ei Synodo adesse vellet, magnum Constantinum imitatus, cum quo quàm maximè de gloria concertans, sacram illum conventum duplicavit, pro trecentis decem & octo, sexcentis triginta sex Patribus coactis.*

XIII. Gobelinus Persona Cosmodromii ætate VI. *Hoc tempore acta est Synodus Chalcedonensis ducentorum triginta Episcoporum jussu Marciani Imperatoris.* Pro, sexcentorum, posuit, ducentorum. Typographicus error est, cujus gravitas efficit, ut auctori tribui non possit.

184 XIV. Carolus Sigonius in libro XIII. de Occidentali Imp. *Leo XIV. Calend. Augusti ad Pulcheriam Augustam scripsit, votis se omnibus expetisse, ut Concilium intra Italiam haberetur, quò si securitas suppeteret, Occidentales Episcopi convenirent: Voluntatem tamen Marciani non ita aspernatum, quin Legatos miserit, & rationem habendi Concilii demonstrarit, nequid fieret quod legibus repugnaret. X. inde Calend. Octobris Marcianus cùm esset Heracleæ, ad Episcopos Nicææ convocatos misit, ut Chalcedonem adverterent. Nam se ibi quoque præsto futurum: quod cùm illi impigrè obedienterque fecissent, tum Concilium VIII. Idus Octobris est inchoatum in æde sanctæ Euphemiæ Martyris.*

XV. Joannes Mariana in libri V. de rebus Hispaniæ capite IV. *Per idem tempus Orientis provincias Theodosio juniore defuncto Marcianus Imperio tenebat. Cujus diligentia Synodus Episcoporum Chalcedone habita Patrum Concilii Nicæni numero duplicato, Dioscori & Eutychetis vesanas de Christo opiniones jugulavit.*

Superest modò, ut quæ disciplina in nonnullis Conciliis auctoritate Principum coactis inter quartam & quintam Synodum observata est in Ecclesia Dei, breviter repræsentetur.

I. Imperator Leo præcipit ad annum CCCCLVI. ut Rhodiense Concilium haberetur. Mortalium nemo istud novit meliùs, quàm qui celebrarunt Concilium, & qui ea de re ad Imperatorem Leonem ita scripserunt in capite XLV. partis tertiæ Calchedonensis Concili: *Quæ tamen acta fuerunt apud Consacerdotes in Con-* 185 *cilio apud nos celebrando secundùm sacram vestram & adorabilem sanctionem post non multum temporis vestræ pietati declarabantur.*

II. Idem Leo Synodum Cyzici ad idem tempus fieri voluit, idque ex capite XLVII. ejusdem partis tertiæ Calcedonensis Concilii discimus, ubi Patres suam ad Leonem Imperatorem epistolam sic inscribunt: *Piissimo & Christianissimo, & justè à Deo potestatem totius orbis & dominationem sortito, victori semper Augusto Leoni Concilium humillimum Episcoporum gratia Christi, & nutu vestræ tranquillitatis celebratum.*

III. Theodoricus Rex Italiæ quin anno DII. Romæ Synodum convocaverit in causa Symmachi Papæ, neminem dubitaturum opinor. Convocationem illam Synodus ipsa præ se fert his verbis: *Sancta Synodus apud urbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis Theodorici diversis è regionibus congregata in nomine Christi dixit. Cùm ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire Sacerdotes regia præcepisset auctoritas, ut de his, quæ de venerabili Papa Symmacho Apostolicæ Sedis præsule ab adversariis dicebantur impingi, sanctum Concilium judicaret.* Infrà: *Et dum à venerabili collectione de incipiendo haberetur negotio, prout poscebat causa, tractatum, sanctus Papa Symmachus basilicam Julii, in qua Pontificum erat congregatio, prout habuit cura, celeriter ingressus est, & de evocatione Synodali clementissimo Regi gratias retulit.* Infrà: *Digna res visa est maximo Sacerdotum numero, utque ut mereretur, effectum optabant. Decernere tamen aliquid Synodus sine rege non præsumpsit. Sed suggestio justa per legatorum negligentiam non me-* 186 *ruit secundùm vota responsum. Jussus est regis præceptionibus Papa Symmachus ante patrimonii vel Ecclesiarum quas amiserat, receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere, qui potestatis suæ privilegia, & quæ pro conscientia (quantum justè æstimamus) emendatione submiserat.*

Coovocationi regiæ libenter consensit Ennodius in Apologetico pro Romana Synodo: *Sed redeamus ad gravem & venerabilem non solum ex ala productum, sed mysticam propositionem. Non omnes, inquiunt, Sacerdotes regis ad Concilium adcivit auctoritas, nec omnes in indicatione senserunt. Mancipia Tartari & liquidi Satanæ ministri quoscunque non evocavit scriptum Principis, novis nexibus & actuum vestrorum sprœ cunsu pertraxit.* Hîc nihil est, quod in controversiam veniat.

IV. Alarici Regis permissu factum est anno DVI. ut Agathensis Synodus haberetur. Id Synodi Patres aperte significant in præfatione sua: *Cùm in nomine Domini ex permissu Domini nostri gloriosissimi, magnificentissimi, piissimique regis in civitate Agathensi sancta Synodus convenisset, ibique fixis in terram genibus pro regno ejus, pro longævitate, pro populo Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis permiserat potestatem, regnum ejus Dominus felicitate extenderet.* Hæc de rege & pro rege qui ejusdem cum Synodi Patribus communionis non erat: Quod nisi sub oculos veniret, incredibile propemodum videretur.

V. Clodoveus Galliæ Rex, qui regum nostrorum primus Christianam religionem suscepit, anno DXI. Aurelianense Concilium primum congregari jussit. 187 Duobus id constat modis, primùm quidem ex Concilii præfatione, quæ est hujusmodi: *Cùm auctore Deo ex evocatione gloriosissimi regis Chlotovechi in Aurelianensi urbe fuisset Concilium summorum antistitum congregatum, communi omnibus collatione complacuit, ut quod verbis statuerunt, etiam scripturæ testimonio roborarent.* Deinde ex epistola Synodica ad Clodoveum Regem: *Domino suo Catholicæ Ecclesiæ filio Chlotovecho gloriosissimo regi omnes Sacerdotes, quos ad Concilium venire jussistis. Quia tanta ad religionis Catholicæ cultum gloriosæ fidei cura vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu, Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis, secundùm voluntatis vestræ consultationem, & titulos, quos dedistis, ea, quæ nobis visum est, definitione respondimus: Ita ut si ea quæ nobis statuimus, etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus regis ac Domini majori auctoritate servandum tantorum firmet sententiam Sacerdotum.* Hoc ipsum traditur in vita sancti Melanii Redonensis Episcopi: *Idem Rex in Aurelianensi civitate congregavit Synodum XXXII. Episcoporum, ubi sanctus Melanius Redonensis Episcopus velut quidam strenuus signifer enituit.*

Huc spectat Hincmarus Remensis in vita MS. beati Remigii: *Clodoveus in Aurelianis civitate Episcoporum Synodum convocavit.* Hincmarus convocandæ Synodi consilium Remigio, sed jus Clodoveo assignat. Observamus in Clodoveo, quod aliàs in Constantino observavimus. Eadem in utroque Principe potestas retinetur, & asseritur nullo resistente.

VI. Imperator Anastasius Synodum congregat, & 188 congregandæ Synodi potestatem agnoscit Hormisda Pontifex in epistola V. ad Anastasium, ubi facti quæstio hæc sic dirimitur: *Ergo quia mansuetudo vestra futuram Synodum scriptis sacratissimis indicavit, cui nos interesse debere iisdem paginis, Deo, ut credimus,*

tibi

tibi imperante commonuit. Et post alia: *Verumtamen licèt in hoc nullum sæculi præcedentis extet exemplum, neque senioris facti qualitas, aut commissa libris, aut memoriis inserta teneatur, nihil ad nos, quibus dulce est beneficio Dei, pietate vestra invitante inchoare meliora, & hoc quod non accepimus à parentibus, tam clari operis institutum nobis ipsis imponere, totum pro redintegratione fidei & Ecclesiarum pace facere libenter amplectimur.* Imperator simulaverat velle se œcumenicam fieri Synodum, ad eámque ut apparet, Hormisdam acciverat.

VII. Childebertus Rex & illius fratres anno DXXXIII. præcipiunt, ut in Aurelianensi urbe Synodus fiat. Quod conceptis verbis ipsa Syoodi docet præfatio: *Cùm ex præceptione gloriosissimorum regum in Aurelianensem urbem de observatione legis Catholicæ tractaturi Deo auxiliante convenissemus.* Synndl hujus Patres congregandorum Conciliorum potestatem in regibus agnoscunt.

VIII. Theodebertus Rex anno DXXXV. Arvernense Concilium haberi voluit, & voluisse docet ipsa Concilii præfatio, quæ talis est: *Cùm in nomine Domini, congregante sancto Spiritu, consentiente domno nostro gloriosissimo, piissimóque Rege Theodeberto in Arverna*
189 *urbe, Sancta Synodus convenisset, ibique fixis in terram genibus, pro rege, pro ejus regno, pro longævitate, pro populo Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis tribuerat potestatem, regnum ejus Dominus noster felicitate attolleret, imperio regeret, justitiâ gubernaret, in Ecclesia ex more consedimus.* Hæc est eadem penè contextio verborum, quibus Agathensis Concilii præfatio exaratur.

XI. Childebertus Rex Aurelianense convocavit Concilium quintum, anno DXLIX. idque testatur Concilii ejusdem præfatio: *Ad divinam gratiam referendum est, quando vota Principum concordat animis Sacerdotum, ut dum sit Pontificale Concilium, normam vivendi teneat recapitulatio antiqua canonum, vel ne locus tempúsque est, in quibuscunque titulis veteribus adhærens nova constitutio sanctionum. Igitur cùm clementissimus Princeps, triumphorum titulis invictissimus domnus Childebertus Rex pro amore sacræ fidei, & statu religionis in Aurelianensi urbe congregasset in unum Domini Sacerdotes, cupiens ex ore Patrum audire, quod sacrum est, ut quod pro Ecclesiastico ordine, auctoritate promeretur Pastorali, & venientibus sit norma, & præsentibus disciplina.*

Hic finem accipit derivata ab eo tempore, quo damoari cœpit Eutychiana hæresis, congregandorum ex Principum auctoritate Conciliorum traditio. In qua litigandi & tergiversaodi locus nullos est, cùm illius testes præcipui sint Romaoi Pontifices, Leo cum primis & Romana Synodus, Sedes nimirum Apostolica, & alii Episcopi, quorum erat impedire, quo minus
Principes congregarent Synodos, si talis congregatio 190
scripturis & Apostolicis documentis repugnaret. Hac in re mirus est omnium consensus, & siquis dissentit, magis ex rei gestæ igoorantia, quàm ex certa ratione dissentit. Exinde confirmatum censebis Parisiensium Theologorum decretum, quo ad annum M.CCCCXCVII. propositis à Carolo VIII. Rege, de convocando ex auctoritate Principum generali Concilio responsum est. Vale, Landoni XVIII. Calend. Febr. ann. M. DC. LXVII.

Joannes Launoius

MICHAELI MAROLLIO

Villalupensi Abbati.

Lutetiam.

191 PERDIFFICILE est idoneam rationem tibi reddere, cur Bellarminus de Synndl V. indictione & convocatione nihil scripserit, cur indictam & convocatam esse ab Imperatore Justiniano Synodum V. dissimulaverit. Et revera Nicænam Syoodum à Constantino, Constantinopolitanam à Theodosio seniore, Ephesinam à Theodosio juniore, Calchedonensem à Valentiniano & Marciano indictam & convocatam esse peræque dissimulare potuit; si quæ in superioribus Epistolis perspecta atque exposita sunt, considerentur. Par est ubique dicendi tacendique ratio. Quidquid in causa, eo tibi demonstratum, Synodum V. à Justiniano indictam & coactam esse. Quinetiam Justinianus ipse tradet se disciplinæ novæ auctorem non esse, sed majorum vestigiis insistere. Sic autem in collatione prima Synodi hujus loquitur: *Semper fuit studium orthodoxis & piis Imperatoribus Patribus nostris pro tempore exortas hæreses per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare, & rectâ fide sincerâ prædicatâ in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire.* Et post alia: *Quapropter Constantinus congregavit Nicææ ex diversis diœcesibus* CCCXVIII. *Patres sanctos, Theodosius congregatus* CL. *sanctis Patribus fecit rectam fidem prædicare. Theodosius junior priorem Ephesinam sanctam Sy-*
nodum congregavit, cui præsidebant Cœlestinus & Cy- 193
rillus sancti Patres. Marcianus congregavit Calchedone sanctos Patres, & magna contentione inter Episcopos facta, non solùm per suos judices, sed etiam per seipsum in Concilium pervenit, & ad concordiam omnes perduxit. Et quibusdam interpositis: *Nos igitur sequentes sanctos Patres & volentes rectam fidem sine quadam macula in illis Ecclesiis prædicari, & impiorum conatum resecare, primùm quidem, & in vestris vos degentes Ecclesiis interrogavimus de prædictis impiis tribus Capitulis, & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, per quæ & comprobavimus vos, quod indubitanter & cum alacritate rectam fidem confessi estis, & impiam condemnastis.*

Rem totam Evagrius, qui Syoodi ætate suppar fuit, paucis exequitur in libri IV. hist. capite XXXVII. *Jam verò cùm Vigilius antiqua Roma, & Menas nova primùm, deinde Eutychius, Alexandria autem Apollinarius, & Domninus Antiochiæ Episcopatum gessit, Justinianus quintum Concilium convocavit.*

Romaoi Pontifices recèns creati in professione fidei, quam olim emittebant; *Synodum V. sub pia memoria Justiniano confectam* asserunt & recipiunt.

Mansuetus Mediolanensis Episcopus in Synodica ad Constantinum IV. Imperatorem Epistola, veterem traditionem ita retinet: *Tunc à Justiniano Imperatore in urbe regia Constantinopoli, Concilio congregati sunt* CLX. *venerandi Patres.*

Nicephorus in libri XVII. hist. capite XXVII. *Im-*
193 *perator,* inquit, *Justinianus sanctam quintam œcumenicam Synodum Episcopis Ecclesiarum omnium convocatis coegit.*

Joannes Mariana in libri V. de rebus Hispaniæ capite IX. *Eodem anno Constantinopoli degente Justiniano Imperatore generales Episcoporum conventus habiti, centum sexaginta quinque.*

Dionysius Petavius in libri VII. primæ part. Rationarii temporum capite VII. *Justinianus ut ei controversiæ modum poneret, generale Concilium indixit, quod quintum ordine celebratum est Constantinopoli anno* 553. *reclamante Vigilio, qui trium Capitulorum patrocinium adversus Imperatorem resumpsit. Eadem nihilominus ab quinta Synodo damnata sunt.*

Et quamvis hic, ut apparet, plana sint omnia, & Bellarminus indictam à Vigilio, & coactam Synodum V. non vindicet, nihilominus tamen Pelagium II. qui annis à celebratione Synodi V. triginta novem vel circiter Romanæ Sedi præsidere cœpit, non Justiniano tantùm, sed & Constantino, utrique Theodosio, Valentiniano & Marciano non veretur objicere, quòd ille Pontifex in Epistola 1. ad Orientales ita scripserit: *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi beati Petri singulari privilegio tradita est.* Sed præstat paullo longiora describere: *Relatum est ad Apostolicam Sedem, Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se scribere; vósque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare generalem, cùm generalium Conciliorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi beati Petri singulari privilegio sit tradita.* Et primùm
194 quidem si vera est hæc Epistola, non supposita, cur Bellarminus Justinianum de usurpato Sedis Apostolicæ privilegio in convocanda Synodo V. non accusat? Cur ignorati privilegii hujusce non insimulat Liberium, qui postquam ad Imperatorem Constantium scripsit, *Secutus sum,* inquit, *morem ordinémque majorum: nihil addi Episcopatus urbis Romæ, nihil minui passus sum.* Epistolam suam hoc modo concludit: *Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & Coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio compresbytero meo & Hilario Diacono placuit proficisci, quos credimus de clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse Concilium impetrare.* Si quæ Bellarminus ex Pelagio refert, veritate niterentur ulla, Liberius Episcopatum urbis minui passus esset, cùm ipse non fecit, quod ab Imperatore fieri postulavit. At nemo credet unquam passum esse Liberium, ut urbis Episcopatus hac in parte minueretur. Cur Bellarminus ignorati privilegii hujusce non insimulat Leonem I. qui tot in Epistolis tam suppliciter rogat Imperatores, nunc Theodosium, ut Ephesinam Synodum alteram, nunc Marcianum & Pulcheriam, ut Calchedonensem Synodum congregare velint? Quasi verò Pontifex ille dignitatum Sedis Apostolicæ retinentissimus non vindicasset tale privilegium, si quod à beato Petro Apostolo per traditionem accepisset. Vindicasset autem facilè, cùm apud Theodosium, Marcianum & Pulcheriam gratia valeret quamplurima.

195 Tum Bellarminus opinor, Nicænam Synodum non coarguet, quòd contra Sedis Apostolicæ privilegium se Imperatoris mandato congregatam esse scribat. In summa, si vera esset Pelagii Epistola, negligentiæ damnandi essent Vigilius, Leo, Celestinus, Damasus, Julius, Silvester, quòd celebratas suis temporibus Synodos œcumenicas non indixissent, quòd singulare beati Petri privilegium non vindicassent, quòd insigni quadam incuria atque exemplo pessimo sivissent, ut Imperatores in beati Petri & Sedis Apostolicæ prærogativam involarent?

Hinc perspicua falsitatis nota est in eo, quòd à Pelagio dicitur Joannes Constantinopolitanus generalem Synodum convocasse. Nam Gregorius Pelagii successor scribit quidem Joannem fecisse Synodum, sed eam fuisse generalem minimè scribit. Gregorii locus postea referetur commodiùs. Sic non Pelagius, sed alius auctor est Epistolæ.

Præterea Epistola omnino abhorret à stylo Pelagii, & anno Domini consignatur, qui consignandi modus nondum erat in usu: Qua in re impostor seipsum detexit. Hic tamen certa sunt duo. Primum est, Pelagium II. ad Joannem Constantinopolitanum scripsisse, & assumptum ab eo universalis Episcopi seu Patriarchæ nomen graviter improbasse. Gregorius Pelagii successor id in libri IV. Epistola XXXVI. ad Eulogium Alexandrinum, & Anastasium Antiochenum Episcopum testatur: *Ante hos siquidem annos octo sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii tempore frater & Coepiscopus noster Joannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionem* 196
quærens Synodum fecit, qua se universalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus ut agnovit, directis literis ex auctoritate sancti Petri Apostoli ejusdem Synodi acta cassavit. Quarum videlicet Epistolarum sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. Alterum verò est, periisse exemplaria hæc, & in eorum locum ab Isidoro Mercatore suffectam esse Epistolam, quæ ex sententiis, cùm præcedentium Pontificum Innocentii, Celestini, Leonis, tum subsequentium Gregorii & Martini compingitur, & illam clausulam falsam, & omni retro versus Apostolos testimonio sui atque exemplo carentem includit. Nunc indicanda sunt nonnulla Concilia, quæ inter quintam & sextam Synodum à variis Principibus congregata reperiuntur.

I. A Childeberto Rege Galliæ Parisiense Concilium, quod ea de re sic præfatur: *Cùm in urbem Parisius ad invitationem domini regis gloriosissimi Childeberti venissemus & in unum positi, quæ ad Ecclesiasticum ordinem vel Catholicæ fidei auctoritatem pertinent, Christo adjuvante quæ erant necessaria tractaremus.*

II. Ab Ariamiro Hispaniæ Rege Bracarense Concilium primum, cujus antistites se jussu regis convocatos esse semel atque iterum ita profitentur: *Cùm Gallicia provinciæ Episcopi ex præcepto præfati gloriosissimi Ariamiri regis in metropolitana ejusdem provinciæ Bracarensis Ecclesia convenissent.* Et post alia: *Nunc ergo quoniam optatum nobis hujus congregationis diem gloriosissimus filius noster aspirante sibi Domino regali præcepto concessit, ut semel positi consideremus, priùs si pla-* 197
cet, de statu fidei Catholicæ perquiramus.

III. A Chariberto Rege Galliæ Turonense Concilium secundum, in cujus præfatione sic se res habet. *Ubi insana libertas generat vulnera, sacerdotalis districtio dat medelam. Quapropter Christo auspice in Turonica civitate Concilio concordante juxta conniventiam gloriosissimi domini Chariberti regis annuentis coadunati pro pace & instructione Ecclesiæ.*

IV. A Theodomiro Rege Hispaniæ Lucense Concilium, ubi & Concilii & Principis verba hoc ipsum significant: *Die Calendarum Januarii Theodomirus Princeps idem Suevorum Concilium in civitate Luca fieri præcepit, ad conservandam fidem Catholicam, vel pro diversis Ecclesiæ causis.* Et post alia: *Cupio, sanctissimi Patres, ut provida utilitate decernatis in provincia regni nostri, quia in tota Gallacia regione spatiosa satis diœceses à paucis annis tenentur, ita ut aliquanta Ecclesia per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari. Insuper tanta provincia unus tantummodo metropolitanus Episcopus est, & de extremis quibusque parochiis longum est singulis annis ad Concilium venire.*

V. A Mirone Rege Hispaniæ Bracarense Concili-

um

um secundum, quod de sua ipsius convocatione loquitur hoc modo: *Anno* 11. *Regis Mironis die Calendarum Juniarum, cùm Gallaciæ provinciæ Episcopi tam ex Bracarensi, quàm ex Lucensi Synodo cum suis metropolitanis præcepto præfati regis simul in metropolitana Bracarensi Episcopi convenissent.* Et post alia: *Martinus*
198 *Bracarensis Sedis Episcopus dixit: Inspiratione hoc Dei credimus provenisse, sanctissimi Patres, ut per ordinationem domini gloriosissimi filii nostri regis ex utroque Concilio conveniremus in unum, ut non solùm de visione alterutra gratulemur, sed etiam ea, quæ ad ordinationem & disciplinam Ecclesiasticam pertinent, pariter conloquamur.*

VI. A Gunthramno Rege Burgundiæ Matisconense Concilium primum, cujus verba sunt in præfatione: *Cùm ex evocatione gloriosissimi domini Gunthramni regis tam pro causis publicis, quàm pro necessitatibus pauperum in urbe Matisconensi nostra mediocritas convenisset.*

VII. Ab eodem Rege Gunthramno Lugdunense & Cabilonense Concilium in causa Salonii, & Sagittarii, ut ex Gregorio Turonensi discimus, qui de Lugdunensi sermonem instituit in lib. v. hist. Francorum capite XXI. *Igitur contra Salonium Sagittariúmque Episcopos tumultus exoritur. Hi enim à sancto Nicetio Lugdunensi Episcopo educati Diaconatus officium sunt sortiti. Hujúsque tempore Salonius Ebredunensis urbis, Sagittariúsque Vapigensis Ecclesiæ Sacerdotes statuuntur. Sed assumpto Episcopatu in proprium relati arbitrium cœperunt in persecutionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diversisque in sceleribus insano furore grassari, ita ut quodam tempore celebrante Victore Tricastinorum solemnitatem natalitii sui remissa cohorte, cum gladiis & sagittis irruerent super eum, vestemésque sciderunt vestimenta ejus, ministros ceciderunt, vasa & omnem apparatum prandii auferentes, relinquentes Episcopum in grandi contumelia. Quod cùm Rex Gunthramnus compererisset, congregari Synodum apud urbem Lugdunensem jussit.*
199 *Conjunctique Episcopi cum Patriarcha Nicetio beato, discussis causis invenerunt eos de his sceleribus, quibus accusabantur, valde convictos, præceperúntque ut qui talia commiserant, Episcopatu privarentur. At illi cùm adhuc propitium sibi regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se injustè remotos, sibique tribui licentiam, ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum datis Epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Joanne Papa exponunt, se nullius rationis exigentibus causis dimotos. Ille verò Epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis restitui jubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis implevit. Sed nulla, quod pejus est, fuit emendatio subsecuta.*

Hæc Gregorius de Lugdunensi Concilio. Sed in ejusdem libri capite XXVIII. Cabilonense Concilium sic exequitur: *Anno quoque quarto Childeberti, qui fuit decimus octavus, Gunthramni & Chilperici regum, apud Cavillonum civitatem Synodus acta est ex jussu Principis Gunthramni, discussisque diversis causis contra Salonium & Sagittarium Episcopos, iteratur illa antiqua calamitas. Objiciuntur eis crimina, & non solùm de adulteriis, verumetiam de homicidiis accusantur, sed hæc per pœnitentiam purgari censentes Episcopi, illud est additum quòd essent rei Majestatis & proditores. Qua de causa ab Episcopatu dejecti in basilicam beati Marcelli sub custodia detruduntur.* Sic utrumque Concilium à Gunthramno Rege indictum & coactum est.

200 VIII. Ab eodem Rege Valentinum Concilium secundum, ut Patres ipsi memoriæ prodiderunt: *Cùm in urbe Valentina juxta imperium gloriosissimi Gunthramni regis nostra mediocritas pro diversis pauperum querimoniis convenisset, id primò auctore Deo decrevimus sentiendum, quod pro salute regis & animæ suæ salvatione, vel religionis statu censuimus opportunum.*

IX. Ab eodem Rege Matisconense Concilium secundum, quod ultimo capite decernit, triennio pòst eum in locum congregandas esse antistites, quem Princeps magnificus designabit: *Universæ,* inquit, *fraternitatis deliberatione ac definitione complacuit, ut antiquorum Patrum juribus in omnibus custoditis ad Synodum post triennii tempus omnes conveniant, ut de alterna principaliter sospitate exhilarati causarum exurgentium tam divinæ religionis, quàm humanæ necessitatis discutiant, & omnibus justum æquúmque finem imponant, & hoc adimplere sollicitudinis sit metropolitani Lugdunensis Episcopi unà cum dispositione magnifici Principis nostri priùs diffinientis locum mediterraneum, ad quem omnes Episcopi sine labore alacres congregentur.* En ipsimet antistites, qui jus congregandorum Conciliorum in suis principibus libenter agnoscunt. Et simul enervant pseudographum syllogismum, quem Bellarminus in libri I. de Conciliis capite XII. ita componit: *Concilia provincialia indicuntur à Metropolitano, & nationalia à Primate vel Patriarcha, ut supra ostendimus:* (Hic historiæ leges negligit) *Igitur Concilia generalia non ab Imperatore, sed à Summo Pontifice indicenda sunt.* Pseudographus est syllogismus seu ratiocinatio, quippe quæ ex principiis scientiæ hujus, id est (Ecclesi- 201
asticæ historiæ) perperam intellectis proficiscitur. Nam Theologiæ veræ principiis duobus, Scripturæ sacræ auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione neutiquam fulcitur. Quapropter Bellarminus contra se philosophari pergit, cùm adversarios urgere se putat: *Nam si Imperator,* inquit, *indicere deberet generalia Concilia, deberet Rex aut Dux, aut Magistratus civilis indicere Concilia provincialia vel nationalia. Ut enim se habet Imperator orbis terrarum ad Concilium generale, ita se habet Rex aut Dux unius provinciæ ad Concilium illius provinciæ vel nationis.*

Bellarminus argumentum hoc adversariis suppeditat, qui Ecclesiastica traditione muniti contendent, provincialia Concilia indicenda esse à rege, duce, aut civili quovis magistratu, quia generalia Concilia ab Imperatoribus indicta & coacta fuisse ex ipsismet Conciliis & auctoribus æqualibus vel tempore proximis liquidò constat.

Præterea, Bellarmini argumentum, quia nimis probat, nihil probat omnino. Siquidem probaret & generalia & provincialia seu regionalia Concilia, quæ Christianorum Principum jussu indicta & coacta sunt, contra rationem indicta & coacta esse. Quis argumentum tale patienter sustineret?

At verò redeundum est ad Turonensem Gregorium, qui nisi Matisconense Concilium primum aut secundum in libri VIII. capite XX. intelligat, aliud intelligit dum ita scribit: *Interim dies placiti advenit, & Episcopi ex jussu regis Gunthramni, apud Matiscensem urbem collecti sunt. Faustinianus autem, qui ex jussu* 202
Gundobaldi Aquensis Episcopi Episcopus ordinatus fuerat, ea conditione removetur, ut eum Berthramnus, Orestésque sive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenósque ei aureos annis singulis ministrarent.

X. A Childeberto II. Rege Galliæ incerti loci Concilium, quod Gregorius Turonensis in libri IX. hist. capite XXII. ita describit: *Commotus autem Rex* (*Gunthramnus*) *vias claudi per regnum suum præcepit, ne ullus de Childeberti regno per ejus regni territorium pervium posset habere dicens: Quia per nequitiam ejus, qui cum rege Hispaniæ fœdus iniit, exercitus corruit meus, & ut se non subdant urbes illæ ditioni meæ, ejus hoc immissio facit. Additum est etiam huic causæ aliud amaritudinis incendium, quod Childebertus Rex filium suum seniorem Theodebertum nomine Suessiones dirigere cogitabat. Quæ res suspicionem fecerat Gunthramno Regi dicente eo, quia in hoc filium meum nepos meus Suessionas dirigit, ut Parisius ingredi faciat, regnúmque meum auferre cupiat. Quod numquam Childebertus vel in cogitatione* (*si dici fas est*) *habere potuit. Multa autem & in Brunichildem opprobria jactabat, dicens ejus consilio hæc fieri: Addens etiam, quòd Gundobaldi quon-*

dam filium invitatum conjugio copulare vellet. Unde etiam Synodum Episcoporum in Calendis Novembribus CONGREGARE PRÆCEPIT: *multique de extremis partibus Galliarum ad hunc properantes de via regressi sunt, pro eo quod Brunichildis Regina se ab hoc crimine exat sacramentis, & sic viis iterata reseratis pervium* 203 *patefecit volentibus ad Regem Childebertum accedere.*

XI. A Recaredo Suevorum Rege Narbonense Concilium, cujus Patres hoc ipsum affirmant: *Nos,* inquiunt, *in urbe Narbona secundùm quod sancta Synodus per ordinationem gloriosissimi domini nostri Regis Recaredi in urbe Toletana fuerit die Calendarum Novembrium, Deo auspice in unum convenimus.* De hoc Concilio fortasse loquitur Gregorius Turonensis in libri IX. capite XV. *Igitur eo tempore in Hispania Richaredus Rex compunctus miseratione divina convocatis Episcopis religionis suæ ait,* &c.

XII. A Clotario II. Galliæ Rege Parisiense Concilium V. cujus præfatio rem sic explicat: *Cùm in Dei nomine secundùm priscorum sanctorum Patrum constitutionem in urbe Parisius ex evocatione gloriosissimi Principis domini Chlotocharis regis in Synodali Concilio convenissemus, tam pro revocandis antiquorum canonum statutis, quæ præsentis temporis necessarium facit opportunitas iterari, quàm his, quæ ad surgentes undecumque querelarum materias recentis diffinitionis ordo poposcit institui, tractantes quid Principis, quid saluti populi ulterius competeret, vel quid Ecclesiasticus ordo salubriter observaret.*

XIII. A Sigeberto II. aut III. Galliæ Rege, morem in convocandis Conciliis retentum & ostensum in Epistola, quam ad Desiderium Caturcensem Episcopum exaravit: *Dum fabula,* inquit, *currente à pluribus & fidelibus nostris cognovimus, quasi vocati, ab eodémque Patre nostro Vulfolando Episcopo Synodali Concilio Calendis Septembribus in regno nostro, ignoramus in* 204 *quo loco una cùm reliquos fratres & comprovinciales vestros debeatis conjungere. Licèt nos statuta canonum & Ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt: Ita & nos conservare optamus: Tamen dum ad nostram antea notitiam fuit non perlatum; sic nobis cum nostris proceribus convenit, ut sine nostra scientia Synodale Concilium in regno nostro non agatur, nec ad dictas Calendas Septembris nulla conjunctio Sacerdotum ex his, qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur, fiatur. Postea verò opportuno tempore, si vobis antea denunciatur, utrum pro statu Ecclesiastico, an pro regni utilitate, sive etiam pro qualibet rationabili conditione conventio esse decreverit, non abnuimus. Sic tamen, ut diximus, ut in nostri priùs deferatur cognitionem. Proinde præsentia scripta sanctitati vestra destinare curavimus, per qua petimus ut pro nobis orare digneris, & ad istam conjunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitùs accedere non debeatis, & ut certiùs credatis, hunc indiculum manu propria subter subscripsimus.* Sigebertus his in literis jus seu morem convocandorum Conciliorum sibi adscisit, nec ab ullo unquam æquali scriptore, quod sciam, propter id reprehensus est.

XIV. A Clodoveo II. Galliæ Rege Cabilonense Concilium, ut ipsa fidem facit præfatio: *Priscis canonibus noscitur institutum, ut metropolitam cum eorum comprovincialibus per singulos annos debeant, in Synodali conjungi Deo propitiante Concilio: Sed nunc tam ex communi omnium voluntate, quàm ex evocatione vel ordinatione gloriosi Domini Clodovei Regis, pro zelo religionis, vel orthodoxa fidei dilectione in Cabilonensi urbe in Ec-* 205 *clesia sancti Vincentii pariter conglobati, ipsius sancti martyris intercessionem poscentes, ut longævitatem supradicti Principis suo suffragio mereremur.* Præfationi accedit Synodica ad Theodosium Atrebatensem Epistola, quæ sic se habet: *Domino semper peculiari suo Theodosio cœtus Episcoporum, qui nuper est Cabillono urbe cum Christi gratia adunatus. Omnibus veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignorasse, quòd religiosus dominus Clodoveus Rex in supra scripta urbe Cabillono* VIII. *Calend. Novembris Synodale præcepit esse Concilium.*

XV. A Recisuindo Hispaniæ rege Toletanum Concilium VIII. ubi Rex ipse gratulatur Episcopis, quòd præcepto suo morem gesserint, siqua fides affirmanti Concilio adhibenda est: *Cùm ex more,* inquit, *unusquisque nostrùm ordine suo sedes debitas occupasset, & eventum rei tranquilla intentione exspectatio sustineret, adest serenissimus Princeps pia religione plenissimus, & summo laudum titulo gloriosus, qui sese nostro cœtui reddens acclivem, ut hunc omnipotenti Domino precibus commendaremus, affans dulcissimis hortatus est verbis, grates referens Deo virtutum, quod sua jussionis implentes decretum in unum jussemus adunari Concilium.*

XVI. Ad hanc epocham spectat Proconsulare Concilium, quod in Lateranensi Concilio testatur, Concilia ab Imperatoribus contra hæreses congregata esse. Siquidem Lateranense Concilium, quod Martinus I. habuit adversus Monothelitas, in secretario II. refert antistitum Concilii Proconsularis Epistolam, quæ 206 rem disertis verbis exprimit: *Contra quas* (hæreses antè recensitas) *Concilia venerabilium Pontificum per sacras Christianissimorum Principum jussiones congregata esse noscuntur.* Hæc autem Epistola & lecta & probata est in Lateranensi Concilio. Sic Concilia duo, Proconsulare & Lateranense, assertionem nostram plenissimè confirmant. Et sanè nemo adducetur unquam, ut credat, Martinum Pontificem & Lateranense Concilium ita neglexisse Sedis Apostolicæ jura, ut si ad eam spectarent, quæ à Proconsulari Concilio tam constanter attribuuntur Imperatoribus, neutiquam repugnassent? Ut suo confirmassent silentio, quæ stentorea voce oportuisset rejicere? In summa tacendo consenserunt. Quis diceret Martinum & Concilium errori consensisse, nisi vellet Romanæ Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ plus obesse quàm prodesse?

Porro autem in expositione traditionis, quæ à Synodo V. usque ad sextam decurrit, inter illius testes sistit se tibi Gregorius Turonensis vir fide dignus: Quippe qui perspecta & animadversa literis prodiderit, & aliunde libertatum Ecclesiasticarum assertor & vindex fuit acerrimus. Censebis tu ipse, qui Gregorii historiam ea qua polles singulariter, Gallici sermonis elegantia, & notis exquisitioris literaturæ nobilitandam esse duxisti. Ornamentum hoc genti nostræ deerat, defuissetque ni fallor semper, nisi tu addidisses. Sed ab Epistolæ proposito digredior. Vale. Lauduni XV. Calend. Februarii anno M. DC. LXVII.

Joannes Launoius

JACOBO MALATESTÆ

Parisiensi *Theologo,* & *Regiæ Capellæ* Divionensis *Canonico,*

Divionem.

207 AIS fuisse, qui veterum Synodornm œcumenicarum indictionem & convocationem Romanis Pontificibus attribuant; sed nescire te, utrum in illarum numero Synodum sextam collocent. Ego quidem memini legere me, qui Synodum hânc, ut & priores alias, gratuitò & formatis in Academia volatica ratiocinationibus collocare sint ausi, sed non memini legere me, qui comparatis vel ex ipsius Synodi contextu, vel ex Scriptorum æqualium aut suppariorum testimonio argumentis cnllocaverint. Hi sunt planè loci, quibus instituenda est quæstionis hujusce probatio, non syllogismi, quos ad arbitrium libidinémque tuam finxeris, aut Aristotelis lima expoliveris, aut sæculi minùs integri opportunitatibus aptaveris. Quæstin hæc est, quæ in facti non in juris conditione versatur. Igitur Constantinus IV. Synodum VI. indixit, eámque indixisse idoneis rationibus comprobatur.

Prima sumitur ex literis, quibus Imperator Synodum indixit, ad Donum scribens Romanum Pontificem: *Et licèt,* inquit, *animo dolercmus ultra omnem dolorem tam pro exprobratione, quæ nobis ob hoc ab inimicis inferebatur, & propter ipsam veritatem, quòd Pontifices secundùm vos, & orthodoxus noster populus*
208 *propter quasdam novitates vocum in schisma incidisset, exultatióque ex hoc fieret impiis & hæreticis, attamen Deo nostro commisimus, ipso pro nobis potiora providente, dum ejus benignitas jusserit correctionem hujus rei fieri, tunc nobis condonare opportunitatem temporis ad generalem collectionem faciendam utrarumque sedium, quatenus considerantibus eis definitiones sanctarum quinque Synodorum, & editiones sanctorum probabilium Patrum satisfacerent sibimetipsis, & convenirent in uno ore, unoque corde ad glorificandum honorificum nomen Dei nostri.* Et post alia: *Postquam igitur tempus non recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram paternam beatitudinem per præsentem nostram piam sacram dirigere viros utiles ac modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis ejúsque Concilii, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes, quatenus convenientes cum hic posito sanctissimo ac beatissimo Patriarcha Theopolitanæ civitatis perscrutentur, cum omni mansuetudine & modestia & per gratiam sancti Spiritus veritati insistere & consentire, munitionem habentibus eis, quæ huc advenerint ex parte Sedis vestræ per præsentem nostram piam sacram.* Et post alia: *Personas verò, quæ dirigentur à paterna vestra beatitudine, decernet, ex vestra quidem Ecclesia sancta (si utique videbitur ei) tres personas sufficiant. Quòd si & plures, quanta ei placuerint, dirigat. De Concilio verò usque ad duodecim Metropolitas & Episcopos. De quatuor*
209 *verò monasteriis Byzantinis, ab unoquoque monasterio Monachos quatuor. Nam si reciperet tempus, ut dictum est, & perfectam congregationem studuissemus facere: Sed quoniam tempus non admittit; Deus autem noster proprio consilio protulit, quod nos differebamus in hoc tempore, per omnia volumus vestram paternam beatitudinem minimè effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere.* Constantinus dum Pontificem Donum alloquitur, non modò Synodum indicit, sed & de numero personarum, quæ Synodo intersint, decernit.

Secunda quæritur ex literis, quas Imperator ad Georgium Constantinopolitânum Episcopum direxit: *Necessarium,* inquit, *indicavimus præsenti nostra pia sacra ad vestram paternam beatitudinem uti, per quam adhortantes eam sancimus congregare vestram paternam beatitudinem, omnes, qui ad ejus sanctissimam Sedem pertinent, sanctissimos Metropolitas & Episcopos in hanc à Deo conservandam nostram regiam urbem, quatenus cooperante omnipotente & misericordi Deo nostro diligentissima inquisitio dogmatis fiat.* Et post alia: *Innotesces quoque super hoc & Macario venerabili Archiepiscopo Antiochenæ magnæ civitatis, quatenus & ipse de propria Synodo Deo amabiles Metropolitanos & Episcopos præparatos faciat pro hoc ipso huc congregari. Jam enim super hoc adhortati sumus per nostros pios apices adhuc inter vivos existentem Donum sanctissimum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ præsulem, & illo de hoc sæculo migrante Agatho sanctus nuper ordinatus Papa in Apostolica Sede prædicta antiquæ Romæ hujusmodi nostros pios suscipiens apices destinavit in præsenti, propriam* 210
ejus indutos personam Theodorum & Georgium Deo amabiles Presbyteros & Joannem Diaconum: Ex persona verò totius ejus Concilii, Joannem, & Abundantium, & Joannem venerabiles Episcopos cum cæteris Clericis & Monachis. Imperator ad Georgium scribens Constantinopolitanum Episcopum indicit Synodum, ut ad Donum scribens Romanum Episcopum jam indixerat. Hic ut Bellarminus diceret ab Agathone indictam esse Synodum, quia indictæ à Constantino Synodo consensit, ita & ad Bellarmini imitationem quis diceret, Georgium Constantinopolitanum indixisse Synodum, quia indictæ ab Imperatnre Synodo consensit? Cavillus cavilln repellitur.

Tertia comparatur ex actione I. II. III. & IV. ubi sic habetur: *Conveniente sancta & universali Synodo, quæ secundùm Imperialem sanctionem congregata est.* Estne aliquid verbis exaratum clarioribus? Minimè verò.

Quarta ducitur ex Agathonis Papæ ad Constantinum, Heraclium, & Tiberium Augustos Epistola, quæ actione IV. refertur: *His itaque,* ait, *mansuetissimi rerum Domini divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus, orsus sum meliori refectus confidentia, paulatim ut, quæ per mansuetissimæ fortitudinis vestræ sacram dudum præcepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas quales secundùm temporis hujus defectum, ac servilis provinciæ qualitatem poteram invenire, pro obedientiæ satisfactione inquirerem, & cum consilio confamulorum meorum Episcoporum tam de propinqua hu-* 211
jus Apostolicæ Sedis Synodo, quàm de familiari amatores Christiani Imperii, & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissima tranquillitatis vestræ vestigia properarent,

varent, hortarer. Et post alia: *Ideòque Christianissimi Domini & filii secundùm piissimam jussionem à Deo protegenda mansuetudinis vestra pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum scientia, quos dirigimus, inter famulos nostros Abundantium...... licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus, qua tranquillissimum vestrum Imperium, dum jusserit ejus clementia, similiter satisfaciendi; in quantum eis dumaxat injunctum est.* Et post alia: *Satisfaciendum est nostro exiguo famulatui apud fortissimorum Dominorum nostrorum clementiam pro tarditate missarum ex Concilio nostro personarum, quas dirigi per suam sacram augustissimam vestrum piissimum fastigium jussit.* Et post alia: *Personas autem, quas nostra humilitatis ordine prævidimus dirigere ad vestra à Deo protegenda fortitudinis vestigia, qua omnium nostrâm, id est, universorum per Septentrionales vel Occiduas regiones Episcoporum suggestionem prælibavimus, efferre debeant, suppliciter obsecrantes, ut à Deo coronato vestro Imperio favente hac eadem ab omnibus prædicari, atque apud omnes obtinere jubeatis.* Sic Pontifex Agatho non semel agnoscit, Synodum VI. ab Imperatoribus, quos nominat & impensè reveretur, indictam & congregatam esse, tantùm abest, ut illis indicendæ congregandæque Synodi potestatem abjudicet, & Sedi Apostolicæ reservet, ut reservandum esse facta sub nomine Pelagii II. ad Orienta-
212 les Epistola contendit. Nondum natus erat, qui Pelagio id genus Epistolæ subjiceret. Bellarminus hoc Pelagii testimonio non esset usus in libri 1. de Conciliis capite XII. si ad hanc Agathonis Epistolam oculos adjecisset. Fucatas Isidori merces non oderat, quibus hic officinam suam instruit.

Quinta depromitur ex Actione V. VI. VII. VIII. IX. & X. ubi scribit: *Conveniente sancta & universali Synodo, qua secundùm Imperialem sanctionem congregata est.* Et in actione X. hæc præcise traduntur: *Sancta & universali Synodo, qua per jussionem piissimi & à Deo decreti Domini nostri & magni Victoris Imperatoris Constantini nunc convenit, in hac à Deo conservanda regia urbe Imperiali in Secretario, quod cognominatur Trullus, libellus satisfactionis compositus & porrectus à me Petro indigno Episcopo Nicomedia.*

Sexta colligitur ex actione XI. XII. XIII. XIV. XV. & XVI. ubi traditur: *Conveniente sancta & universali Synodo, qua secundùm Imperialem sanctionem congregata est.* Noverat, opinor, Synodus, à quo ipsa congregata erat.

Septima habetur ex actione XVII. ubi sunt verba hæc: *Sancta magna & universalis Synodus, qua per Dei gratiam, & piam sanctionem Constantini piissimi & fidelissimi magni Imperatoris congregata est in hac à Deo conservanda regia Constantinopoli nova Roma in Secretario Divalis Palatii, quod cognominatur Trullus, decrevit qua habentur in subditis: Unigenitus Dei Patris Filius,* &c.

Octava petitur ex actione XVIII. Ubi quæ modò ex præcedenti actione retulimus, ad verbum iterantur: Deinde ex literis, quas Synodus
213 Agathoni Papæ scripsit: *Sanctum & universale Concilium, quod per Dei gratiam & piam sanctionem piissimi ac fidelissimi Imperatoris Constantini congregatum est in hac regia Constantinopoli nova Roma, sanctissimo & beatissimo Papæ senioris Roma Agathoni in Domino salutem.* Hæc omnia in Romana editione Conciliorum generalium.

Quid ergo Bellarminus, & quid Franciscus Coriolanus suis in summam Conciliorum præludiis, dicturi sint, non satis prævideo. Dicent-ne Agathonem & Synodum nescivisse quid proferrent, quid actis suis insererent? Si non dicant, capti sunt, quia res contra ipsos decernitur: Si dicant, nulli sunt, quia in materia tam perspicua Agatho & Synodus falluntur, & si falluntur, cur in cæteris non fallerentur? Sic non errandi privilegium, quod Concilio proprium est, in ultimum discrimen adduceretur. Si verò dicant spectandum non esse quid à Synodo & in Synodo VI. traditum est, sed quid tradendum fuit, instaurandarum hæreseon, quæ ab antiquis Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Calchedonensi damnatæ sunt, occasionem suggerent. Siquidem pari modo affirmabitur, spectandum non esse, quæ dogmata ab illis Conciliis perculsa fuerint, sed quæ dogmata percelli debuerint: Non quid creditum sit, sed quid credendum fuerit. Hæc sunt omnium auribus atque animis absona, quæ ex perversis Bellarmini & Coriolani disputationibus in complexionem inferuntur, idque necessariò.

Nona ducitur ex veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno, ubi recèns creati Pontifices fidei professionem edunt 214
locuti de Synodo VI. *qua & per decretum Christianissimi ac piissimi à Deo coronati Constantini magni Principis congregata est.* Quot & quanti quæso Pontifices id professi sunt?

Decima quæritur ex variis auctoribus, qui de Synodi VI. convocatione nonnihil monumentis consignarunt suis.

I. Ex Beda in libelli de temporibus capite XXI. *Hic* (Constantinus) *sextam Synodum composuit.*

II. Ex Paulo Aquilegiensi Diacono, in libro XIX. Historiarum: *Quorum* (Monothelitarum) *nequam opiniones idem Christianissimus Imperator Concilio universali Constantinopolim convocato ducentorum octogima novem Patrum Episcoporum damnavit, & dogmata, qua in antecedentibus quinque sanctis universalibus Conciliis fuerant confirmata, roboravit, atque unum duarum voluntatum & operationum promulgari dogma decrevit, per eandem sanctam & subtilissimam universalis Concilii Synodum, cui praerant tam ipse piissimus Imperator, quàm pii Sacerdotes.* Et paullo post subjicit: *Anno duodecimo Imperii Constantini collecta est sancta Synodus & universalis sexta Constantinopolim CCXCIX. sanctorum Patrum præceptione pii Patris Constantini.*

III. Ex Freculpho Lexoviensi Episcopo in Chronicorum tom. II. cap. XXVII. *Sexta Synodus universalis Constantinopoli celebrata, & Græco sermone conscripta temporibus Agathonis Papa: Exequente ac residente piissimo Principe Constantino, intra Palatium suum, simúlque Apostolica Sedis & Episcopis CL. residentibus.*

IV. Ex Hincmaro Remensi Episcopo, in Opusculi 215
XXXIII. capite XX. *Sexta item* (Synodus) *Constantinopoli sub Agathone Papa, qui ex rogatu Constantini, Heraclii & Tiberii Principum piissimorum misit in regiam urbem legatos suos, in quibus erat Joannes tunc Romana Ecclesia Diaconus, non longè pòst Episcopus pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum, qui benignissimè suscepti à reverendissimo fidei Catholica defensore Constantino jussi sunt, remissis disputationibus philosophicis pacificè colloquio de fide vera perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant, libellis.* Hincmarus respectum habet ad Constantini literas, quas ad Donum Romanum Pontificem dedit, & quarum fragmenta huc spectantia hic exhibuimus.

V. Ex Adone Viennensi in Chronic. ætate VI. *Agatho,* inquit, *Pontifex Romana Ecclesia constituitur. Hic rogatu Constantini, Tiberii, Heraclii piissimorum Principum misit in urbem regiam legatos suos, & catera,* quæ hic referuntur ad verbum, ut apud Hincmarum habentur, sive Hincmarus ex Adone, sive Ado ex Hincmaro transcripserit. Et quibusdam interpositis: *Hac est sexta Synodus universalis Constantinopoli celebrata, & Græco sermone conscripta tempore Agathonis Papa, exequente & residente Constantino piissimo Imperatore intra Palatium suum, simúlque Legatis Apostolica Sedis & Episcopis CL. residentibus.* Quæ verba Freculphus suprà sibi vendicat.

VI. Ex Anastasio Sedis Apostolicæ Bibliothecario in 216
vita Agathonis Papæ: *Hic suscepit divalem jussionem piissimorum*

piissimorum Principum Constantini, Heraclij & Tiberii Augustorum per Epiphanium Gloriosum à secretis missam præcessori suo Dono Papa, invitantem atque adhortantem, ut debeat Sacerdotes vel missos suos dirigere in regiam urbem pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum, quod & ordinare non distulit. Iterum in vita Leonis II. *Hic suscepit sanctam sextam Synodum quæ per Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente ac residente piissimo & clementissimo magno Principe Constantino.* Ubi, *præsidente*, tunc habebatur, sed, *residente*, nunc habetur.

VII. Ex Reginone Prumiensi Abbate in libri 1. Chronicorum: *Constantinus Augustus* CL. *Episcopos congregari fecit in urbe regia, inter quos etiam fuerunt Legati sanctæ Romanæ missi ab Agathone Papa, Joannes Diaconus & Joannes Portuensis Episcopus.*

VIII. Ex Lamberto Schafnaburgensi in libro de rebus Germanorum: *Constantinus Constantini filius* (regnavit) *annis* XVII. *Hic sextam Synodum congregavit. Cujus rogatu Agatho Papa misit in regiam urbem legatos suos, in quibus fuit Joannes Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, non longè post Episcopus.*

IX. Ex Georgio Cedreno in Compendio historiarum: *Anno Constantini hujus, qui filium habuit Justinianum, supra decimum tertio, sexta sancta universalis Synodus Constantinopoli fuit, collectis eò* CCLXXIX. *sanctis Patribus.* Et post alia: *Ceterùm illæ* (Synodi)
217 *œcumenicæ fuerunt sic dictæ, quia jussu Imperatorum summi Pontifices, quotquot per Imperium Romanum erant, convocarentur.*

X. Ex Joanne Zonara in libro IV. Annalium: *Cùm autem Constantinus orthodoxus esset, unire studuit Ecclesias ob Monothelitarum hæresim jam indè à proavo suo Heraclio ortam dissidentes. Itaque Concilium Constantinopolitanum indixit, cujus principes fuerunt Agathonis Papæ Romani Legati, Georgius Constantinopolitanus, & Theophanes Antiochenus.*

XI. Ex Gobelino Persona in Cosmodrom. ætate VI. cap. XXXV. *Agatho ex rogatu Constantini Imperatoris misit Legatos suos viros literatos Constantinopolim pro sexta Synodo facienda, & congregati sunt* CL. *Episcopi, & jussit Imperator, ut dimissis philosophicis disputationibus pacifico colloquio vera de fide perquirerent.* Hæc dum scribit, acta Synodi mox relata ante oculos sibi statuit.

XII. Ex Wernero Rulewinkio Cartusiensi in Fasciculo temporum ætat. VI. *Iste Constantinus* (IV.) *fuit Catholicus, & bonus zelosus per omnia contra hæreticos, Ecclesias reparavit, & Græciam Romanæ Ecclesiæ reconciliavit, Synodum sextam congregavit.*

XIII. Ex auctore Compilationis Chronologicæ, quæ in annum MCCCCLXXIV. desinit: *Sub hoc Papa* (Agathone) *Constantinus Imperator sextam Synodum in Constantinopolim congregavit.*

XIV. Ex Hartmanno Schedelio Senensi in ætate VI. mundi: *Synodum sextam universalem apud Constantinopolim Constantinus Imperator celebrari jussit.*

218 XV. Ex Romana Ecclesia in Breviario suo, quod ann. M. CCCCLXXXII. Venetiis & Parisiis an. M. D. XLIII. in lucem prodiit: In Nocturni 1. lectione 1. *Hic* (Leo) *suscepit sanctam sextam Synodum, quæ nuper pro Dei providentia in regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente & præsidente piissimo ac clementissimo magno Principe Constantino intra regale Palatium ejus.* Hæc lectio desumpta est ex Anastasio Bibliothecario.

XVI. Ex Joanne Nauclero volum. II. Chron. generat. XXIII. *Bene etiam tunc usus est pace illa Constantinus, quòd eo, qui secutus est, anno* VI. *curavit Synodum apud Constantinopolim congregari.*

XVII. Ex Dionysio Petavio Societatis Jesu Theologo in lib. VIII. part. primæ Ration. temporum cap. 1. *Constituta reipublicæ tranquillitate ad pacandam Ecclesiam Imperator consilia transtulit. Quam in rem generale sextum Concilium indixit Agathone Romano Pontifice.*

Hactenus de Synodo sexta. Nunc appellandi sunt Principes, qui Constantinum imitati Concilia inter Synodum VI. & VII. convocari jusserunt.

I. Ervigius Rex Hispaniæ Toletanum Concilium XII. fieri voluit, ut Concilii ipsius Patres testantur: *Cùm ex glorioso prædicti* (Ervigii) *Principis jussu in unum fuissemus aggregati conventum, & in Basilica sanctorum Apostolorum debitis in sedibus locaremur, adfuit etiam coram nobis idem clementissimus Princeps.*

II. Rex idem Ervigius Toletanum Concilium XIII.
haberi præcipit. Id confirmat caput XIX. Concilii, 219
cujus verba sunt: *Cujus virtutis admirabili dono ter gloriosi atque religiosissimi Principis nostri divino igne succensum decrevit pariter & elegit, ut in unum cœtum omnes Hispaniæ aggravati Pontifices illa decernerent, quæ gravedines & pressuram removeant, & sublevationis opem dejectis opulenter impendant.*

III. Ægicanus Rex Hispaniæ Cæsaraugustanum Concilium indixit, & hanc indictionem Concilii Pontifices non obscurè demonstrant: *Quia nos divina celsitudo ex jussu excellentissimi Domini nostri Ægicani Principis in hanc Cæsaraugustanam urbem coadunari præcepit.*

IV. Rex idem Ægicanus præcepit Toletanum Concilium XVI. celebrari. Ex ore Pontificum, qui Concilium celebrant, prodit hæc veritas: *Cujus*, inquit, *Ægicani jussa fraternitatis nostræ cœtus adunatus est.*

V. Rex idem Ægicanus Toletanum Concilium XVII. congregari jussit. Hoc Concilii Patres affirmant in actione gratiarum: *Cujus* (Ægicani) *jussu atque imperio ad hunc pacis conventum congregati fuisse dignoscimur.*

VI. Carlomannus Princeps Liptinense coëgit Concilium, & in Concilio ea super re præfatus est ita: *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Carlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini* DCCXLIII. II. *videlicet Calendas Maii cum consilio servorum Dei, & optimatum meorum Episcopos, qui in regno meo sunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregavi, id est, Bonifacium Archiepiscopum, & Burcharaum, & Ragenfridum Wintanum, & Witbaldum & Daddanum & Eddanum, ac* 220
aliquos Episcopos cum Presbyteris eorum, ut mihi consilium darent, quomodo lex Dei & Ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum dissipata corruit, & qualiter populus Christianus ad salutem animæ pervenire possit, & per falsos Sacerdotes deceptus non pereat. Iterum in Can. 1. *Itaquè per consilium Sacerdotum religiosorum & optimatum majorum ordinavimus per civitates Episcopos & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui missus est sancti Petri, statuimusque per annos singulos Synodum congregari, ut nobis præsentibus canonum decreta & Ecclesiæ jura restaurentur.*

VII. Pipinus major domus regiæ Concilium apud Suessiones convocavit; cujus rei fides est penes ipsum Concilium, quod sic incipit: *In Dei nomine & Trinitatis anno* DCCXLIV. *sub die* VI. *Non. Martii Luna* XIV. *in anno* II. *Childerici Regis Francorum. Ego Pipinus Dux & Princeps Francorum, dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine unà cum consensu Episcoporum sive Sacerdotum vel servorum Dei, sive Comitum & optimatum Francorum colloquii; apud Suessionis civitatem Synodum facere decrevimus, quod ita in Dei nomine fecimus.*

VIII. Pipinus cùm Rex esset Vernense congregavit Concilium. Duo sunt, quæ negantem convincerent, exordium & canon IV. Exordium sic se habet: *Ideo gloriosissimus, atque Deo religiosus illuster vir Pipinus Rex Francorum universos pene Galliarum Episcopos aggregari*

gregari fecit ad Concilium verno Palatio publico, recu-
221 *perare aliquantisper cupiens instituta canonica.* Canon
verò est ejusmodi: *Ut bis in anno Synodus fiat, prima Synodus mense primo, quod est, Martii, Calendis, ubicumque domnus Rex jusserit in ejus præsentia,* &c.

IX. Rex idem Pipinus in villâ Gentiliaco Synodum fieri voluit. Hoc traditur in Annalibus Francorum qui ab anno Christi DCCXLI. ad annum DCCCXIV. extenduntur: *Anno* DCCLXVII. *tunc habuit domnus Rex Pipinus in supradicta villa Synodum magnam inter Romanos & Græcos de sancta Trinitate vel Sanctorum imaginibus.*

X. Epocham atque Epistolam absolvet Gregorius II. qui receptum morem convocandæ ab Imperatoribus Synodi generalis attestatur in Epistola ad Leonem I. Isaurum: *Cùm Dominus,* inquit, *Germanus, quique tunc temporis Patriarcha erat Dominus Georgius suggessissent, persuasissentque Constantino Constantis filio, Justinians Patri, ut Romam ad nos scriberet: Sic interposito jurejurando scripsit ad nos, & nobiscum egit, ut ad Synodum universalem congregandam viros utiles mitteremus: Neque cum illis, inquit, tanquam Imperator sedebo, aut imperiosè loquar, sed tanquam unus ex illis & prout statuerint Pontifices, ego exequar & eos, qui rectè loquuntur admittimus.* Cùm ex hac Gregorii Papæ Epistola, tum ex Synodo sexta liquet, quem Imperatores in indicenda & celebranda Synodo œcumenica ordinem servarent. Porro autem tu, qui & Facultatis Theologiæ nostræ placitis constanter, ut virum generosum decet, adhæres, & probè tenes Ecclesiæ historiam & nosti rectè differere, in hac Epistola &
epocha invenies, quidquid requiritur & sufficit, ut 222
argumentationes omnes, quas Bellarminus & Coriolanus vel à calamitosis Christianorum temporibus, vel ab instituta Metropolitanos inter & Romanum Pontificem comparatione repetunt, tanquam invalidæ elidantur. Vale, Lauduni XII. Calend. Februarii ann. M. DC. LXVII.

Joannes Launoius
LUDOVICO HENRICO
FAIO SPESSÆO
Parisiensi *Theologo, & Ecclesiæ beati* Petri Viennensis *Abbati.*

Lutetiam.

223 IN septimæ Synodi, quæ Nicæna II. est, convocatione nihil penitus occurrit, quod illam in alium, quàm in Constantinum & Irenen transscribat.

Et primò quidem Tharasius Constantinopolitanus Patriarcha vir sanctissimus transscribit in Apologetico pro imaginibus: *Petimus,* inquit, *nos fratres, ut reor & vos, quoniam scio vos timorem Dei habere, à piissimis & orthodoxis Imperatoribus nostris Synodum universalem colligi, ut efficiamur nos, qui unius Dei sumus unum.* Imperatores fecerunt, quod Tharasius petiit, & quod petendum esse ex majorum traditione didicerat.

Deinde septima Synodus ipsa transscribit in actione I. *Conveniente sancta & universali Synodo, quæ per Dei gratiam & piam sanctionem Imperatorum congregata est in Nicaensium metropoli.* Et post alia: *Sancta Synodus dixit: Ingrediantur. & ingressi sunt Episcopi, qui prædicti sunt: Cùmque ingressi fuissent, gloriosissimi Principes dixerunt: Domini benigni honorabilem & adorandam sacram jusserunt mittere ad omnem sacratam Synodum vestram. Et audite: Sancta Synodus dixit: Confirmat Deus Imperium bonorum Dominorum nostrorum, delatam in manibus gloriosiss. à secretis Leontiis eandem sacram piam legit.* Sacræ exor-
224 dium hoc est: *Constantinus & Irene fideles Imperatores Romanorum sanctissimis Episcopis, qui in voluntate & gratia Dei, & jussione pii Imperii nostri. convenerunt in Nicæna Synodo.* Et post alia: *Igitur beneplacito & nutu ejus* (Dei) *congregavimus vos sanctos Sacerdotes ipsius, qui dispensastis testamentum ejus super incruenta sacrificia, ut definitionibus Synodorum, quæ rectè dogmatizaverunt, judicium vestrum simile fiat. Adeo quippe confugimus pro veritate, & ad pietatem contendimus, ut Ecclesiastico ordini consulamus, antiquam legislationem confirmare volentes, ut & militaribus consiliis detectis, & Republica curis vacantes primum orbis opus habeamus pacificam observantiam Ecclesia Catholica, & in secundo hoc ponentes ad sacratissimam vestram non fatigemur congregandam Synodum, dantes unicuique licentiam, ut sine subtractione loquatur, quæ sibi visa fuerint, ut districta examinatio fiat.*

Tum Hadrianus Papa primus transscribit in Epistola ad Tharasium, quæ actione II. recenseтur.

Porro post confessionem fidei vestræ notum factum est nobis, quòd vestra venerabilis sanctitas postulaverit ab orthodoxis ac zelatoribus & propugnatoribus veritatis, piissimis videlicet Imperatoribus nostris, qui ad gloriam Dei facti sunt, quò fieret universalis Synodus, & repromiserint coram omni populo Christiano supplicationi vestræ piè annuentes, Synodumque in regia urbe fieri definientes. Nos autem quemadmodum & in ipsa diva continebatur jussione dilectos nobis, & approbatos atque prudentes Sa-
cerdotes pro statu sacrarum imaginum, ut prisco in illis 225
partibus ordine constituantur, cum magno desiderio & maximo gaudio destinavimus: Sed vestra sanctitas iisdem piissimis Imperatoribus alacriter suggerat, ut supremus pseudosyllogismus ille, qui sine Apostolica Auctoritate inordinatè, & insyllogisticè factus est adversus venerabilium Patrum traditionem, contra divinas sacras imagines anathematizatur præsentibus Apocrisiariis nostris.

Quartò septima Synodus transscribit iterum in actione IV. *Quamobrem sancta & universalis hac Synodus beneplacito Dei, & nutu piorum & fidelium Imperatorum nostrorum Irena nova Helena, ac novi Constantini hujus à Deo consecrandi germinis congregata Synodo in hac Nicaensium clara metropoli,* &c.

Quintò

Quintò septima eadem Synodus iterum transscribit in actione VII. ubi fidei definitio exaratur: *Sancta, magna ac universalis Synodus, qua per Dei gratiam & sanctionem piorum & Christianorum Imperatorum Constantini & Irenæ matris ejus, congregata est secundò in Nicaensium clara metropoli.* Et quibusdam interpositis: *Piissimis & Christianissimis Imperatoribus nostris Constantino & Irenæ matri ejus, Tarasius indignus Episcopus regiæ urbis vestræ, & tota Synodus, quæ beneplacito quidem Dei, præceptione verò imperii vestri secundò convenit in hac splendida Nicæorum metropoli.*

Sextò Anastasius Bibliothecarins transscribit in vita Hadriani I. *Hic elegantissimus præsul, atque fortissimus rectæ fidei prædicator, direxit missos videlicet Petrum Presbyterum Romanæ Ecclesiæ, & Petrum religiosum Abbatem venerabilem monasterii sancti Sabæ ad Imperato-
226 rem Constantinum & Irenen, adhortans eos, atque prædicans per suas Apostolicas literas pro sacris imaginibus erectionem, qualiter per testimonia Scripturarum, seu traditionem venerabilium Patrum à priscis temporibus usque hactenus orthodoxi venerantur in sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia; quòd præfati Imperatores eandem venerantes atque amplectentes Apostolicam epistolam Concilium in Nicæa congregari fecerint CCCL. Episcoporum.* In compendium mittit Hadriani Papæ Epistolam, quæ in actione II. refertur & approbatur.

Septimò Poeta Saxonicus transscribit in libro III. Annalium de gestis Caroli ad annum DCCXCIV.

Annis præterea Synodum non pluribus antè
Constantinopoli celebrari fecit in urbe
Græcorum Princeps, qui Constantinus habebat
Nomen, & ejusdem genitrix Hirena vocata,
Et condixerunt, ut septima sea generalis
Appellaretur.

Octavò Paulus Aquilegiensis Diaconus in libro XXIII. Historiarum hac de re scripsit, quæ videre potuit: *Ipsa* (Irene) *iterum mense Maio mittens per omnem locum convocat omnes Episcopos, quò convenirent in Nicensium civitatem ad efficiendum illic Concilium. Et per totum æstivum tempus congregati sunt omnes apud Nicæam. Siquidem eos, qui ex Romanæ Sedis & Orientalium persona venere, non dimiserat, sed secum retentos habebat. Anno octavo Irena & Constantini exivit Tarasius Archiepiscopus Constantinopoleos in Nicensium civitatem, & celebrata est sancta & universalis Synodus
227 Episcoporum.* Infrà: *Et quinto Idus Octobris, undecima indictionis, mense Novembre ingressi sunt omnes regiam urbem, & præsidentibus Imperatoribus unà cum Episcopis in Magnaura lectus est tomus, & subscripsit tam Imperator, quàm mater ejus firmantes pietatem secundùm antiqua dogmata Sacerdotum.*

Nonò Platina in vita Hadriani I. *Leone mortuo, Irene & ejus uxor & filius Constantinus sextus Imperium accipientes Concilio* CCCXXX. *Episcoporum in Nicæna urbe secundo habito, instituêre, ut qui sacras imagines delendas dicerent, perpetuo anathemate notarentur.*

Decimò Hartmannus Schedelius Senensis in ætate VI. mundi: *Irene mater Constantini mulier prudentissima & religiosa statim adepto Imperio Concilium secundum in Nicæna urbe* CCCXXX. *Episcoporum congregavit.*

Undecimò Jacobus Philippus Bergomas in Supplem. Chron. lib. XI. *Quæ* (Irene) *prudentissima & religiosa mulier statim Imperio adepto Concilium secundum in Nicæna urbe* CCCXXX. *Episcoporum congregavit.*

Postremò quidquid jam notavimus confirmatur ex disciplina, quæ inter septimam & octavam Synodum in convocandis quibusdam Conciliis observata est.

I. Carolus Magnus Francofordiense Concilium indixit, idque Concilii Patres, semel, iterum, tertiò & quartò declarant.

In canone I. *Conjungentibus Deo favente, Apostolica auctoritate atque piissimi Domini nostri Caroli Regis jussione, anno* XXVI. *principatus sui, cunctis regni Francorum, seu Italiæ, Aquitaniæ provinciæ Episcopis ac sacer- 228
dotibus Synodali Concilio, inter quos ipse mitissimus sancto interfuit conventui.*

In libello Episcoporum Italiæ contra Elipandum misso ad provincias Hispaniæ: *Sancto incitante Spiritu, ac zelo fidei Catholicæ scintillatim sub pectore fervescente, clementissimi ac tranquillimi, gloriosique Caroli regis Domini terræ Imperii ejus decreto per diversas provincias regni ejus ditioni subjectas, summâ celeritate procurante multitudo antistitum sacris obtemperando præceptis in uno collegio congregata convenit.*

In Synodica ab Episcopis Galliæ & Germaniæ ad præsules Hispaniæ missa: *Congregatis nobis in unum caritatis conventu, præcipiente & præsidente piissimo & gloriosissimo Domino nostro Carolo Rege ad renovandum cum consilio pacificæ unanimitatis sanctæ Dei Ecclesiæ statum, & ad prædicandam orthodoxæ fidei veritatem.*

Denique Carolus ipse in Epistolâ ad Elipandum & cæteros Hispaniæ Episcopos: *Ad impletionem hujus gaudii fraternâ cogente caritate jussimus sanctorum Patrum Synodale ex omnibus undique ditionis nostræ Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta omnium unanimitas firmiter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, & sanctæ Dei universali Ecclesiæ antiquis temporibus inauditis, vos ex scriptis vestris intulisse cognovimus, immo & ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione nostræ devotionis ter quaterque direximus missos scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac voluisset 229
respondere inquisitione, necnon & de Britanniæ partibus aliquos Ecclesiasticæ disciplinæ viros convocavimus, ut ex multùm diligenti consideratione veritas Catholicæ fidei investigaretur, & probatissimis sanctorum Patrum hinc inde roborata testimoniis absque ulla dubitatione teneatur.*

Rem istam versibus quinque sic expressit Poeta Saxonicus in libro III. de gestis Caroli ad annum DCCXCIV.

Dira venenifera conatus semina secta,
Quæ Felix infelici malè sparserat ausu,
Vellere de sacro Domini radicitus agro,
Catholicus Princeps Synodum celebrare vocatos
Undique Pontifices jam dictam fecit ad aulam.

Eginhardus in Annalibus de gestis Caroli Magni ad annum DCCXCIV. *Rex ad condemnandam hæresim Felicianam æstatis initio, quando & generalem populi sui conventum habuit, Concilium Episcoporum ex omnibus regni sui provinciis in eadem villa congregavit.*

II. Idem Carolus magnus Romanum Concilium adversùs Felicem Urgelitanum fieri jussit. Cujus rei testis nullus est locupletior Leone III. qui sic loquitur in eo Concilio: *De peste illa, quæ per miserum Felicem ex Episcopo de nomine adoptionis in Christo Dei filio orta est, Concilium facere atque tractare pariter deberemus. Et olim quidem à prædecessore nostro bonæ memoriæ Domino Hadriano Papa, & ex auctoritate Sedis Apostolicæ, & ejusdem regis magni jussione Synodali tramite, sub anathematis vinculo putabatur esse extincta.*

Deinde in Aquisgranensi Concilio quod anno DCCXCIX. celebratum est, fit sermo de Romana Sy- 230
nodo: *Quæ nuper in Roma hac intentione præcipiente gloriosissimo ac piissimo Domino nostro Carolo congregata est.*

III. Idem Carolus Ratisponense Concilium haberi præcepit, ut in Romani Concilii actione II. traditur: *Inprimis namque in Ratisbonense Concilio, quod per jussionem præfulgidi & orthodoxi filii nostri domini Caroli Magni regis actum est.* En testis omni exceptione major!

IV. Carolus Imperator factus Remense Concilium secundum indixit, idque legitur in præfatione Concilii: *Hic est ordo capitulorum breviter adnotatus, quæ anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXIII. *notata sunt in conventu Metropolitanæ Sedis Remensis,* A DOMINO CAROLO PIISSIMO CÆSARE MORE PRISCORUM IMPERATORUM CONGREGATO, *ordinante Wulfario ejusdem sanctæ Sedis Archiepiscopo.* Hoc tempore Pelagii II. Epistola I. ad Orientales, recens & fallax Isidori Mercatoris opus, nondum eam adepta erat vitii maturitatem, quæ postea Bellarminum & alios in errorem induxit: Maturitas illa posterioribus sæculis reservabatur, in quibus nonnulli verum id esse credunt, quod typis mandatum inveniunt, & suis placitis aptant.

V. Idem Imperator Arelatensem Synodum sextam coegit, quod Patres ita confirmant: *Dum anno* XLVI. *inclyti, orthodoxi Domini & Principis nostri Caroli Imperatoris, sub die* VI. *Idus Maias, æra* DCCLI. *unanimitatis nostræ conventus in Arelatensium urbe in Basilica sancti Stephani martyris primi aggregatus consiste-*
231 *ret, atque unusquisque nostrum ex more secundùm ordinationis nostræ tempus locis debitis resideret, verum omnium Domino primùm devotissima gratiarum jura persolvimus pro eo, quod nos & alternæ visionis contactu solari permisit, & alterna pacis osculo confovendos statuit, diffusis cordibus, simúlque & vocibus precum murmura effundentes, ut sicut nos alternorum osculorum impensione lætificos efficit, ita serenissimum ac religiosissimum prædictum Dominum nostrum Carolum Imperatorem, cujus jussu fraternitatis nostræ cœtus est ordinatus, fides sua conservatione stabiliat.*

VI. Idem Imperator Moguntiacum indixit Concilium, & præfatio Concilii fidem indictioni conciliat hoc pacto: *In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, gloriosissimo & Christianissimo Imperatori Carolo Augusto veræ religionis rectori ac defensori, sancta Dei Ecclesia unà cum prole sua, ejúsque fidelibus vita & salus, honor & benedictio cum victoria sine fine mansura. Almificæ reverentiæ vestræ patefecimus nos humillimi famuli, ac missi vestri Hildebaldus scilicet sacri Palatii Archiepiscopus, Ricolfus & Arno Archiepiscopi, seu Bernharius unà cum reliquis Coepiscopis, atque Abbatibus & cætero Clero, quia venimus secundùm jussionem vestram in civitatem Moguntiam, ibique pariter adunati primitus cum Litaniis triduanum celebravimus jejunium, divinam suppliciter postulantes clementiam, quatenus sancta gratia sua conventum & actionem ipsius Synodi sibi acceptabilem facere dignaretur.*

VII. Idem Imperator convocavit Turonense Concilium tertium, ut ex præfatione constat: *Diffinitum*
232 *itaque est de locis & tempore, quando & ubi coadunari fuerit opus, & quod à tanto Principe nobis injunctum est, ad statuta loca convenimus. Siquidem urbe Turonis congregati Episcopi, Abbates & venerabilis Clerus pro parvitate nostra pauca, quæ ad tantum opus pertinere animadvertimus, & quæ secundùm canonicam regulam emendatione indigent, distinctè per Capitula adnotavimus, serenissimo Imperatori ostendenda.*

VIII. Idem Imperator congregavit Cabilonense Concilium secundum, idque Patres, in præfatione non modò factum ab Imperatore, sed etiam majus adhuc aliquid videntur asserere: *Auxiliante,* inquiunt, *Domino nostro Jesu Christo, & Imperante serenissimo atque inclyto Augusto Carolo convenimus Episcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunensis in urbem Cabilonensem, & de quibusdam rebus, in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quædam capitula quæ subter inserta sunt, eidem Domino Imperatori præsentanda, & ad ejus sanctissimum judicium referenda adnotavimus, quatenus præsenti examine ea rationabiliter decrevimus, confirmentur, sicubi minus aliquid egerimus, illius sapientia suppleatur.*

Porro autem illa omnia quæ mox retulimus, enarrantur in Francorum Annalibus, qui ab anno Christi DCCXLI. usque ad annum DCCCXIII. perducuntur: Hoc anno sic ibi se res habet: *Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt: Quorum unum Mogun-*
tiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabi- 233
lone, quintum Arelati congregatum est. Eadem omnino verba reperiuntur, cùm in vita Caroli per monachum Engolismensem edita, tum in Eginhardi Annalibus.

Apud Monachum illum ad eundem annum: *Concilia quoque jussu Domini Caroli Imperatoris super statum Ecclesiarum corrigendum per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Cabilone, quintum Arelati congregatum est.*

Apud Eginhardum: *Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigenda per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt, quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, tertium Turonis, quartum Caboloni, quintum Arelati congregatum est.*

Annales Bertiniani & Metenses idem eodem anno tradunt: *Concilia quoque jussu ejus super statu Ecclesiarum corrigendo per totam Galliam celebrata sunt,* & cætera ut suprà.

Chronicon vetus Moissiacensis cœnobii ad annum DCCCXIII. *Carolus Imperator decrevit quatuor Concilia fieri, id est, ad Moguntiam civitatem unum, alterum in Remis, tertium Turonis, quartum Arelato civitate: Mandavitque ut quidquid in unamquamque Synodum definivissent, ad placitum constituti Imperatoris renunciassent. Quod & factum est.*

Ado Viennensis in Chronici ætate VI. *Concilia quoque in quinque partibus regni sui ad corrigenda, quæ necessaria forent, fieri constituit, Moguntiaco, Remis, Turonis, Cabilone, Arelate.*

Prætereo Reginonem Abbatem in Chronicorum li- 234
bro II. Sigebertum in Chronographia, Joannem Nauclerum in volum. II. generatione XXVIII. Joannem Tillium in Chronico de regibus Francorum qui rem eandem iisdem fere verbis tradidere. Hæc quæ ut apparet trita sunt admodum & vulgaria, si vidisset Bellarminus, pro argumento non cepisset comparationem, quam inter provincialium, seu regionalium & universalium Synodorum convocationem instituit. In ea comparatione ut certum sibi sumit, quod non incertum modò, sed etiam falsum est.

IX. Ludovicus Pius Aquisgranense coegit Concilium: Sic eadem sub filio, quæ sub patre disciplina viguit in convocandis Conciliis. Id docet exordium Aquisgranensis Synodi, quæ anno DCCCXVI. convenit: *Cùm in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Christianissimus ac gloriosissimus Rex Ludovicus, superno munere victor Augustus anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi* DCCCXVI. *Indict.* X. *anno siquidem Imperii sui tertio Aquisgrani Palatio generalem sanctúmque convocasset conventum,* &c.

Chronicon vetus Moissiacensis cœnobii ad annum DCCCXV. *Ludovicus Imperator habuit Concilium magnum in Aquis, & constituit duos filios Pippinum & Carolum super Bagoaria, & decrevit in ipsa Synodo dominus Imperator Ludovicus, ut in universo regno suo monachi regulariter viverent secundùm regulam & canonici secundùm canonum auctoritatem.*

X. Ludovicus Pius & Lotharius Parisiense Conci-
um sextum fieri jusserunt. In hanc rem egregia est 235
Ludovici Epistola, ex qua quæ instituto serviunt, descriptum imus: *In nomine Domini Dei & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi Ludovicus & Lotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris. Recordari vos credimus, qualiter hoc anno consilio Sacerdotum & aliorum fidelium nostrorum, generale jejunium per totum regnum nostrum celebrare jussimus.* Et post alia: *Sed quia*

tunc

tunc fieri (placitum) *non potuit juxta voluntatem nostram, visum nobis fuit præscas placitum cum aliquibus ex fidelibus nostris habere, & in eo de his quæ propter prædictum impedimentum remanserunt, qualiter ad effectum pervenirent, Domino adjuvante, considerare. Quapropter nosse volumus solertiam vestram, quòd in isto præsenti placito cum fidelibus nostris consideravimus, ut primò omnium Archiepiscopi cum suis suffraganeis in locis congruis tempore opportuno convenirent: Et ibi tam de sua quàm de omnium nostrûm correctione & emendatione secundùm divinam auctoritatem quaerendo invenirent, & nobis atque fidelibus nostris secundùm ministerium sibi commissum annunciarent.* Et post alia: *Quapropter statuimus atque decernimus, cum consulta Sacerdotum, cæterorùmque nostrorum fidelium hujus rei gratia, ob placandum scilicet contra nos nobisque subjectos Domini furorem, conventus eorundem Episcoporum in quatuor Imperii nostri locis congruentissimè fieri. Primò scilicet in Mogantiacensi urbe, conveniant Metropolitani, Autgarius, Adubaldus, Hetto, Berninus cum suffraganeis suis. Secundò quoque in Parisiorum urbe,*
236 *ubi futurus antistes Senonicus & Ebbo, Ragnoardus & Landranus Metropolitani cum suffraganeis suis conveniant. Tertiò verò Lugdunum, ubi Agobardus, Bernardus, Andreas, Benedictus, Agericus cum suis suffraganeis similiter conveniant. Quartò etiam apud Tolosam urbem, quò simul conveniant Notho, Bartholomæus, Adalelmus, Aginlfus cum suffraganeis suis.*

Sed audiamus loquentes in Parisiensi Concilio Episcopos: *His igitur legibus & institutis Propheticis instructi Imperatores non abs re duxerunt super suis populisque sibi subjecti erratibus Sacerdotes legem Domini consuleados. Quapropter statuerunt in quatuor congruentissimis Imperii sui locis conventus Episcoporum uno eodémque tempore fieri debere.* Et post alia: *Eorum itaque gloriosorum & orthodoxorum Principum jussionibus obedientes, imò non solùm nostra, sed etiam ejus, totiúsque populi sibi commissi saluti juxta ministerium nobis col atum consulere cupientes anno Incarnationis Domini* DCCCXIX. *Imperantibus eisdem præcellentissimis ac gloriosissimis Deóque dilectis Augustis Hludovico videlicet, filióque ejus Hlothario, sub die* VIII. *Idaum Juniarum nos indigni Episcopi ex diœcesi scilicet Durocortorum, nec non ex diœcesi Senonica & Turonica atque Rothomagica, apud Parisiorum urbem convenimus, & qualiter de præmissis causis juxta admonitionem eorundem Principum egerimus vel tractaverimus, atque statuerimus, in subsequentibus breviter capitulatim adnotare curavimus.*

XI. Ludovicus Pius Aquisgranense Concilium secundum convocavit; idque antistites significant duobus in
237 locis. Et primò quidem in præfatione Concilii: *In nomine sancta Trinitatis cùm convenimus Episcopi Synodali evocatione convocante nos gloriosissimo & orthodoxo Imperatore Ludovico invictissimo Augusto gratia inspirante divina Aquisgrani Palatii.* Deinde in epistola Synodica ad Pipinum: *Domino Pipino Regi nobilissimo cœtus venerabilium præsulum apud Aquisgranis jussa salutifero & ordine providentissimo orthodoxi genitoris vestri Domini nostri Ludovici Cæsaris eximii.*

XII. Carolus Calvus Rex Galliæ Suessionensem Synodum alteram congregavit, idque omnino credendum est, si qua fides adhibenda sit Episcopis, dum ita scribunt: *Regnante in sempiternum Domino Deo universorum anno regni gloriosi Caroli filii Ludovici religiosissimi Augusti,* XIII. *Episcopis juxta canonem Synodum celebrare volentibus, annuit idem Rex Carolus, eósque apud urbem Suessionum in Monasterio sancti Medardi & sancti Sebastiani* X. *Calendas Maii convenire præcepit.*

XIII. Rex idem Carolus Vermeriense Concilium secundum haberi præcepit; idque semel atque iterum profitentur ipsimet Antistites. Semel quidem in can. I. *Episcopi apud Vermeriam Palatium jussu gloriosi Principis Caroli in nomine Domini Jesu Christi synodaliter congregati.* Iterum in can. II. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Episcopi, qui jussu gloriosissimi Principis Domini nostri Caroli ad Synodum in Vermeriam Palatium,* &c.

XIV. Rex idem Carolus Valentinum Concilium tertium fieri jussit, ut Concilii nos docet præfatio:
Regnante Domino nostro Jesu Christo anno DCCCLV. *ab* 238
Incarnatione ejus, gloriosissimo Lothario Imperatore XV. *Indictione* III. *mense Januario* VI. *Idus ejusdem mensis apud urbem Valentinam in domo basilica sancti Joannis adjacente, cùm propter causam Episcopi civitatis ipsius criminibus diffamati ex jussione præfati Pii Principis reverendissimi trium provinciarum Episcopi in unum collecti resedissent.*

XV. Ad hanc epistolam & epocham spectant Alcuinus & Rothadus Suessionensis Episcopus, quorum ille plures ab Imperatoribus convocatas Synodos fuisse scribit in libro III. contra Elipandum: *Fuerunt etiam & multa post hujus Nicæni auctoritatem Concilii Synodales congregationes per diversas mundi partes Imperialibus Christianorum Principum edictis convocatæ, prout causa vel defensio Catholicæ fidei contra hæreticas impietates flagitabat.* Alcuinum celeberrimi nominis virum fuisse nemo ignorat. Hic verò convocatas esse ab regibus Synodos affirmat in libello proclamationis, quem Nicolao Papæ I. obtulit: *Dum*, inquit, *ad Synodum jussu gloriosi Regis Caroli pro utilitate sancta Dei Ecclesiæ convocatam Episcopi convenissemus.*

His ita, quæ sine fuco retulimus, constitutis, certa sunt tria: Primùm quidem, Bellarminum nec Synodum VII. nec Concilia, quæ inter eam & octavam Synodum habita sunt, perlegisse usquam. Nam adduci non possum, ut credam, illum si quando Concilia hujusmodi perlegisset, instituere voluisse comparationem, quam de convocatione Conciliorum inter Metropolitanos seu primates, & Romanum Pontificem instituit. 239
Deinde comparationem istam sponte sua dissilire: quippe quæ ex insigni Ecclesiasticæ historiæ & Conciliorum ignorantia proficiscatur.

Tum demùm vehementer obreptum esse Hadriano Papæ, vel ei qui sub illius nomine certas quasdam sanctiones Ecclesiasticas in unum corpus collegit, & Angilramo Metensium Episcopo misit. Capitula Angilramo data vocantur, ubi num. III. istud traditur de Romano Pontifice: *Cui jussione Domini & meritis beati Petri Apostoli singularis congregandorum Conciliorum auctoritas & sanctorum canonum ac venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas.* Hæc deprompta sunt ex subjectis ab Isidoro Mercatore veteribus Romanis Pontificibus, & cum primis Pelagio II. epistolis. Præterea Scripturæ sacræ imponitur. Nullus enim est illius locus, in quo Christus id præceperit; quod in istis Capitulis præceptum dicitur: Nullus est locus, qui legitimæ traditioni junctus, id præcepti genus evincat. Nulli sunt Canones Hadriano vetustiores, nulla sanctorum decreta quibus singularis illa congregandorum Conciliorum auctoritas Romano Pontifici reservetur. In summa, sex œcumenicæ Synodi quæ Hadrianum præcesserunt, & septima, quæ illius tempore celebrata est, congregatæ sunt omnes ab Imperatoribus. Quo ita posito Romani Pontifices neglectæ auctoritatis suæ, & sancti Patres qui convocatis Imperatoria potestate Conciliis interfuerunt, contemptæ jussionis Dominicæ accusandi & condemnandi essent. Quis autem facinus tantum vellet admittere? 240

Hæc tria exaggerare tibi supervacaneum esset, qui quæ legis, & legis multa, non populari trutina, sed aurificum statera ponderare soles: Nec auctoribus detrahis vel tribuis quæ detrahi vel tribui ratio justa prohibet.

Nunc mittendæ sunt ratiocinationes illæ, quæ in Academia volatica formantur, & perpoliuntur. Statuendæ

endæ sunt tibi semper disputandi regulæ tres, quarum una ex Tridentinæ fidei professione, altera ex certa Tridentini Concilii historia ducitur, tertia ex fidei decreto, quod in Florentina Synodo confectum est. In prima regula Scriptura sacra nonnisi juxta unanimem consensum debet accipi: *Item Scripturam sacram juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* At nullus est Scripturæ sacræ locus juxta unanimem consensum Patrum acceptus, qui generalium Conciliorum indictionem Romano Pontifici vindicet, & si quis esset Scripturæ locus argumento huic proprius, is esset, vel, *Tu es Petrus, & super hanc petram*, vel, *Oravi pro te Petre*, vel *Pasce oves meas.* At verò nullum ex his tribus locum esse materiæ huic proprium docebunt te tres epistolæ, quarum prima sub Jacobi Bevilaquæ, altera sub Guillelmi Voëlli, tertia sub Raimundi Formentini nomine apparet in parte quinta epistolarum nostrarum.

In secunda regula res facile constabit. Paulus Suavis & Sforza Cardinalis Pallavicinus ambo narrant pa-
241 riter, Sedis Apostolicæ Legatos impedivisse, quo minus
in Tridentini Concilii sessionibus poneretur clausula hæc, *Synodus vel Concilium universalem Ecclesiam repræsentans.* Ex eo verò impediverunt, quod illa clausula in antiquis seu canonibus seu Conciliis non inveniretur. Antiqui canones & Concilia decernunt nusquam, ut universales Synodi ab Romano Pontifice indicantur seu cogantur. Immo in antiquis legitur Conciliis hæc ab Imperatoribus indicta & coacta esse.

In tertia regula res quoque facilè constabit. Florentina Synodus in decreto fidei statuit, regendam esse ab Romano Pontifice Ecclesiam, *quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur. καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.* Hæc regula cùm eadem pæne sit cum secunda, eodem te modo diriget ac gubernabit: Ita ut actis œcumenicorum Conciliorum, de quibus hîc agitur, & sacris canonibus addatur nihil, & nihil similiter detrahatur. Nam *fides*, ut ait Tertullianus, *una est, immobilis & irreformabilis* De quibus agitur dico, quia Florentina Synodus octavam se cùm primùm edita est, inscripsit, idque confirmavit Clemens VII. Medicæus, qui edendæ Synodi privilegium concessit. Acta Synodi sextæ, quæ epistolæ nostræ argumentum præbuit, ad Florentinæ fidei decretum pertinent, & rem secundùm Principes decidunt. His autem constitutis regulis qui refragabuntur tibi, Christiana professione vix censeri poterunt, aut certè quomodo censeri poterunt, non assequor,
ad assequendum tamen paratissimus: Qui verò tibi con- 242
sentient, Christiana professione censebuntur, quia propositis legibus obtemperabunt; Id est, & à Florentini Concilii decreto, & à Tridentinæ fidei professione non deficient. Cæterùm jam satis opinor perspicis, in hac epistola validè confirmari responsum, quod Facultas nostra Parisiensis Theologiæ Carolo Regi VIII. super certa quadam universalis Concilii cogendi ratione dedit anno M. CCCCXCVII. Id unicuique notum est. Vale, Lauduni XII. Calend. Feb. ann. M. DC. LXVII.

Joannes Launoius,

HIERONYMO SAMBOEUVIO.

Lutetiam.

243 ET quamvis ut Synodus haberetur octava, in-
ter se penitus consenserint Basilius Imperator, & Hadrianus Pontifex; tamen Synodus & Hadrianus ipse suam Imperatori convocationem tribuunt. Sic enim Synodus loquitur in actione I. de Basilio: *Qui universalem Synodum congregans, quæ visa sunt Spiritui sancto, piè peregit.*

Deinde, Hadrianus in epistola ad Basilium Imperatorem: *His unum diebus suscitavit cælitus profectum Imperium, per quod Apostolica Sedes ipso auctore captum pro Ecclesia Constantinopolitana pietatis opus consummaret.* Et post alia: *Volumus ergo per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrari Concilium.*

Tum, sanctus Ignatius sequitur actione VII. in sua acclamatione ad Concilium. Illius verba sunt: *Quoniam universali paci consulens piissimus & prudentissimus Imperator noster multam habuit curam & sollicitudinem colligendi sanctissimos Vicarios ex cunctis aliis Patriarchalibus sedibus, & Synodum universalem celebrandi ad exhibitionem & satisfactionem perfectam, veritate sibi cooperante.*

Quartò, Synodus ipsa rem absolvit actione X. in definitione, quam terminum appellat: *Sancta magna & universalis Synodus, quæ per divinam voluntatem & gratiam & sanctionem Imperatorum Basilii & Constantini congregata est in hac regia urbe.* Iterum de Basilio:
Qui per supernum auxilium, & gratiam Ecclesiastici ta-
244 *bernaculi architectos in hanc regiam urbem convocavit.*
Et rursus post alia de eodem Basilio: *Vicarios ex omnibus Patriarchalibus thronis, necnon & omnem Episcoporum catalogum in idipsum collegit, qui videlicet convenientes magnam hanc & universalem celebravimus Synodum.*

Quintò, ad Synodum accedunt historici duo, Georgius Cedrenus & Ioannes Zonaras. Ille in Compendio historiarum de Basilio locutus: *Res etiam Ecclesiasticas correxit, Pontificatu exturbans auctoritate ad hoc congregati Concilii usus Photium, qui in eum se ingesserat, ac tantisper vacare jussit, dum Deus eum reduxit, qui legitimè Patriarcha fuisset creatus, reduxitque in locum Photii Ignatium à Barda injustè pulsum: Itaque Ecclesiis Dei tranquillitatem restituit.* Hic in libro III. Annalium: *Basilius indicto Concilio Photium de Ecclesia expulit, quasi Ignatius contra leges à Barda Cæsare Sede Pontificia dejectus esset.*

Cæterùm antequam ulteriùs progrediar, moneo te, fuisse Græcos & Latinos, qui octavam Synodum è numero generalium Synodorum expunxerint. Non recensebo singulos. Florentina Synodus expunxit. Nam in illius editione prima inscribitur octava Synodus, quam Græci & Latini sine dubio celebraverant. Deinde Clemens VII. in privilegio editionis Florentinam Synodum octavam appellat. Id observatum minimè reperies apud Bellarminum & alios, qui universalium Conciliorum catalogum texuerunt. Rem memoratu dignam faciunt Florentina Synodus, Abraha-
mus Cretensis Florentinæ Synodi editor, & Clemens 245
VII. editionis approbator. Ad hanc autem octavam Syno-

Synodum Constantinopolitanam, cujus indictionem & convocationem exequor, adjungo certa quædam alia Concilia quæ varii reges fieri jusserunt.

I. Ludovicus Rex Germaniæ Coloniense Concilium indixit, & præsto sunt Fuldenses Annales, qui hoc confirment anno DCCCLXX. *Habita autem est & Synodus in civitate Colonia jussu Hludovici Regis* VI. *die Calend. Octobres, præsidentibus Metropolitanis Episcopis provinciarum, Luitberto Moguntiacensium, Bertholpho Treverorum, Vuliberto Agrippinensium, cum cæteris Saxoniæ Episcopis.*

II. Carolus Calvus Duziacense Concilium I. fieri præcepit anno DCCCLXX. Annales Bertiniani: *Hincmarus Laudunensis Episcopus adeò & Regem suum & Archiepiscopum suum ergà se commovit, ut Rex Synodum in mense Augusto apud Duciacum condiceret.*

III. Idem Carolus Duziacense II. convocavit Concilium, ut Synodica Concilii docet Epistola ad Episcopos Aquitaniæ: *Sancta Synodus plurimarum provinciarum nutu divino & sanctione domini Caroli Regis gloriosi apud Duziacum secus municipium Mosomum Remensis Parochiæ in Dei nomine, anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXIV. *Indict.* VII. *Idibus Junii convocata.*

IV. Alfonsus Rex Hispaniæ Legionense convocavit Concilium, & Concilii Patres id asserunt: *Convenimus apud Legionem in ipsa Sede beatæ Mariæ omnes & Abbates & optimates regni Hispaniæ, & jussu ipsius regis talia decreta decrevimus.*

246 V. Ferdinandus Rex Hispaniæ Cojacense congregavit Concilium, idque Patres in præfatione Concilii memoriæ commendarunt. *In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti: Ego Ferdinandus Rex & Sancia Regina ad restaurationem nostræ Christianitatis fecimus Concilium in castro Cojaco in diœcesi Ovetensi cum Episcopis, Abbatibus, & totius regni nostri optimatibus.*

VI. Henricus primus Galliæ Rex Parisiense convocavit Concilium, ut Durandus Troarnensis Abbas tradit in opere, quod de corpore & sanguina Christi adversus Berengarium scripsit: *Cùm autem,* inquit parte IX. *Tanti mali fama crebresceret, & omnium corda fidelium vehementiùs percelleret, pérque multos hujusmodi virus latenter & apertè jam serperet, contigit, ut ad aures etiam regis Francorum Henrici perveniret, qui consultu sui regni Pontificum procerúmque Concilium Parisius cogi* XVII. *Calend. Novembris præcepit, ac præfatum Berengarium, ut aut suæ dicta Patrum auctoritate firmaret, multis sibi obnitentibus, aut si ea defendere nequiret, in Catholicam, cui obviare non posset, fidem transiret, interesse cæterorum cœtui Patrum imperavit.*

VII. Golielmus Rex Angliæ Vintoniense fieri jussit Concilium, & hoc ita esse Concilium ipsum ita declarat: *Concilium magnum in octavis Paschæ Vintoniæ celebratum est jubente & præsente Rege Willelmo, Alexandro Papa consentiente.*

VIII. Isaacius Comnenus Imperator Constantinopolitanam indixit Synodum, ut Anna Comnena scribit in libro V. Alexiados: *Sebastocrator Isaacius in*
247 *magnum Dei Ecclesiam se confert, ibique indicto cœtu sacrorum ministrorum non modica exceptus est admiratione præsulum assessorum Patriarchæ verentium, quorsum hic talis viri adventus spectaret.*

IX. Alexius Comnenus Imperator Synodum quoque cogi voluit, quod eadem Anna tradit in libro X. Alexiados: *Hæc Imperator reputans, & tempus esse statuens expediendæ opis, siquam afferre posset ad tantum discrimen, ruentíque perniciei sistendæ, Ecclesiæ proceres unam in Synodum convocat, ut collatis consiliis atque sententiis de præsenti rerum statu decernerent. Convenit universus Episcoporum cœtus unà cum ipso Patriarcha Nicolao: Sistitur coram illis Nilus cum Armenis.*

X. Otto I. Romanum fieri jussit Concilium, à quo Joannes XII. ob innumera & horrenda dictu facinora depositus est. Id auctores synchroni testantur duo, Flodoardus, & Chronicorum Reginonis Continuator.

Hic ad annum DCCCCLXIII. *Imperator,* inquit, *plurimorum Episcoporum collecta multitudine Synodum coadunavit, & consilio eorum missa legatione canonica auctoritate profugum Apostolicum ad Sedem Pontificalem & Apostolicam revocavit. Illo tamen hoc omnibus modis renuente, plebs Romana Leonem protoscriniarium, virum strenuum & industrium, communi consensu in locum ejus elegit & ordinavit, cui interfuerunt omnes propè Romaniæ & Italiæ Episcopi.*

Ille in Chronico ad annum DCCCCLXV. *Qui* (Otto) *Romæ Octaviano Papa* (Joanne XII.) *à quo fuerat susceptus, & ad Imperii regenda gubernacula benedictus, ab*
urbe digresso, & sæpe illum revocante Imperatore, à quo quia 248
de irreligiositate sua corripiebatur, reverti nolente congregata Synodo Joannem illustrem quendam ejusdem Ecclesiæ Clericum per electionem Romanorum Papam ordinari fecit. Sed eo Papiam ingrediente, Octavianus à Romanis recipitur, nec multò post vitæ decessit. Joanne verò cum Imperatore demorante Papiæ Romani quendam Benedictum ipsius Ecclesiæ scriniarium eligunt, atque Pontificem sibi ordinari faciunt, qui in Joannis electione consenserat, & eidem subjectus extiterat. Imperator Otto Romam reversus, convocata magna Synodo Joanne in Sede sua restituto, Benedictum Episcopum totius Synodi judicio depositum secum abduxit, & in Saxoniam direxit. Hic Joannes pro Leone quater ponitur. Error est auctoris, vel potiùs librarii.

E recentioribus scriptoribus adjicio tres, Adamum Bremensem Canonicum, Joannem Turrecrematam, & Clementem Monilianum Cardd.

Adamum in libri II. hist. Eccles. capite V. *Rex habito Concilio Episcoporum Joannem Papam cui Octavianus cognomentum erat, multis accusatum criminibus deponi fecit.*

Turrecrematam in libri III. de summa Ecclesiæ capite X. *Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem XII. Qui venator & lubricus publicus & incorrigibilis erat.* Hæc in Romana editione quæ Pii IV. diplomate munita est.

Monilianum in Theologicarum institutionum Compendio cap XIX. *Conciliorum celebratio valet ad quinque.* Et post alia: *Quartò valet ad refrænandum exor-*
bitantias quorundam Pontificum, qui munus sacrum, aut 249
spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate, aut vita scandalosa confundunt. Hujus rei causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem, contra Joannem Papam XII.. Qui venator lubricus & publicus erat & incorrigibilis. Hæc ille cujus librum approbavit, & approbando suum fecit Michaël Cardinalis Alexandrinus, qui factus Pontifex Pius V. Approbationem revocavit nusquam. Sic igitur Cardinales duo Turrecremata & Monilianus cùm ab Imperatore convocatam contra Joannem XII. Synodum laudant, & Romani Pontifices duo Pius IV. & Pius V. laudatam à Cardinalibus Synodum approbant, Synodi convocationem asserunt, vindicant; & ab omni recentiorum quorundam auctorum impetitione liberam & immunem efficiunt. Intelligebant viri sapientes, ad supernaturalem prudentiam qua regitur Ecclesia, non pertinere Synodorum convocationem, si hæc uti spectanda est, spectetur seorsùm à divinis, & merè Ecclesiasticis rebus quæ in Synodis tractantur, & deciduntur.

Porro extra ordinem temporis Romanum posui Concilium, quo tum demum ut illustriori Ecclesiasticæ rei monumento nostra concludatur Epistola, & Parisiensium Theologorum responsum Carolo VIII. datum anno M. CCCCXCVII. confirmetur.

Hæc est igitur in convocandis per varios Principes, si non omnibus, in plerisque certè Conciliis disciplina;

250 disciplina, quæ viguit usque ad annum Christi M. LXXXI. quo Alexius Comnenus apud Orientales imperare cœpit. Disciplina verò cuicuimodi sit, abundè sufficit, ut demonstretur, oemini antè disputandum esse, ut Bellarminus disputat, quàm universalium & maximè particnlatium, seu nationalium Conciliorum historiam replicaverit & sincerè examinaverit. Et sanè siquis ad imitationem Bellarmini dissereret, is non litigiosis modò, sed etiam pseudepigraphis argumentationibus se & alios in errotem induceret. Tu ab imitatione tali abstinebis. Beue vale Lauduni v. Calend. Februarii anno M. DC. LXVII.

Joannes Launoius

RAIMUNDO FORMENTINO

Parisiensi *Theologo.*

Lutetiam.

QUIN generalia Cuncilia, quæ ante Floren-
249 tinum habita sunt, cùm Romæ, tum iu Gallia, Lugduni & Viennæ, tum in Germania, Constantiæ & Basileæ, Romani Pontificis auctoritate indicta & convocata fuerint, dubitari meritò nequit. Indictionem & convocationem hujusmodi testantur ipsamet Conciliorum acta, quæ manibus teruntur omnium. Hæc referre spissi & non necessarii laboris foret. Mihi crede, nou minùs damnandum est, quod adversus veram rei gestæ historiam asseritur, quàm quod coutra veram rei gestæ historiam negatur. Utrobique malæ fidei testimonium habetur. Ante Florentiuum dixi Concilium, quia hoc in Coucilio factum est aliquid, quod de vetere generalium Conciliorum disciplina censetur. Nempe decretum, quo Græci cum Latinis iu mutuam reducuntur concordiam, ita inscribitur: *Eugenius Episcopus servus servorum Dei, consentiente ad infra scripta charissimo in Christo filio Joanne Paluologo Romaorum Imperatore illustri, & loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & caeteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus. Laetentur cæli, exultet terra,* &c. Sic inscriptum est concordiæ seu unionis decretum, cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd Florentiuum Con-
250 cilium sine ulla Joannis Palæologi Imperatoris auctoritate vel prævio cousensu congregatum fuerat. Igitur inscriptione tali compensata est disciplina vetus, qua generales Syuodi octo in Oriente Imperatorum jussu celebratæ fueraut. Id observari non poterat in Floreotina Synodo, quæ autè indicta & coacta est, quàm Græci ad eam venirent, vel eam fieri putarent. Quam verò iuscriptionis illius rationem tibi reddimus, libenter & tibi & aliis subjicio, qui meliorem atque opportuuiorem reddent. Et sanè uon est admodum, cur quis de reddenda ratione omnibus accepta sibi facilè gratuletur. Horatius Justiniaous postea Cardinalis cùm rationem idooeam & Curialibus Magistris placentem reddere non posset, unionis decretum aliter iuscriptum sic exhibuit: *Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Laetentur cæli, exultet terra,* &c. Hoc in Florentinæ Synodi actis, Justiuianus ann. M. DC. XXXVIII in lucem edidit. Sed editioni huic & Latina & Græca repugnant exemplaria, quæ ante tempus illud in manibus versabantur omnium. Latina quidem primùm apud Blondum Eugenii Papæ IV. notarium, qui decretum uniouis integrum repræsentat in libro X. Decadis III. deinde apud Abrahamum Cretensem, Aleriensem Episcopum, qui Florentinæ Syuodi acta e Græco in Latinum vertit. Nam utrobique unionis decretum eo iuscribitur modo, quo inscriptum suprà retuli: *Eugenius Episcopus servus servorum Dei, consentiente ad infra scripta charissimo in Christo filio Joanne Palaeologo Romaorum Imperatore illustri, & loca*
tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, 251
& caeteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus. Laetentur cæli, exultet terra, &c. Græca verò, quæ identidem typis mandata sunt. Et sic se habent: Εὐγένιος ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ θεοῦ εἰς ἀΐδιον τοῦ πράγματος μνήμην, συναινοῦντος τοῖς ὑπογεγραμμένοις, καὶ τοῦ ποθεινοτάτου υἱοῦ ἡμῶν Ἰωάννου Παλαιολόγου τοῦ σεβαστοῦ βασιλέως τῶν Ῥωμαίων καὶ τῶν τοποτηρητῶν τῶν σεβασμίων ἀδελφῶν ἡμετέρων τῶν πατριαρχῶν, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν τὴν ἀνατολικὴν ἐκκλησίαν πρεσβευόντων· Εὐφραινέσθωσαν οἱ οὐρανοί, &c.

Fortassis in Synodo fuere, quibus placuit unionis decretum ita exarari, ut à Justiniauo recensetur. Sed non est exaratum, uec in tabulas publicas relatum. Id jam probatum est satis supérque. Justinianus ergo mala fide liberari nou potest, cùm Synodo tribuit, quod nounullis in Synodo aute conscriptum unionis decretum agentibus, & disputautibus tribuendum fuit; quinetiam omittendum. Justiniauus veræ ac germanæ inscriptionis decreti fulgore perstrictus, Synodi decreto vim intulit, & lectoribus suis fucum facere voluit. Sed quod reipsa gestum est, eam ob causam videndum fuit simpliciter. In summa corrupit, quod incorruptè servandum erat, ne Catholici ab hæreticis reprehendantur, & ejus accusentur criminis, quod Catholici hæreticis objiciunt. Quo in casu miserrima esset Catholicorum conditio, quia enm segregibus communis. Vitium quidem est Curialium Magistrorum, qualis Justinianus erat, non Sedis Apostolicæ, quæ eminentissimam simplicitatem & Innocentiam colit. Curiales Magistri quidquid ad usum sui tem-
poris rapere possunt, rapiunt, ne antiquæ Conciliorum 252
disciplinæ veritas aguoscatur. Longè aliter se gerit Sedes Apostolica, quæ ut Gregorius VII. in libri II. Epistola I. scribit ad Saucium Aragouiæ Regem, omnino cavet, *Ne quidquam à se contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur; qua nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedit.* Inquisitores Curialibus magistris suffragantur, nou nobis vel aliis, qui Sedem Apostolicam colunt ac venerantur. Qui seorsum per religionem à nobis sentiunt, advolant & Inquisitorum operà efficiunt, ne Sedis integritatem facilè persuadeamus ob viciniam, quæ Sedem inter & Curiam intercedit. Quàm molestum hoc sit nobis & veritatis amatoribus, tu probè uosti. Vale. Lauduni VI. Calend. Febr. ann. M. DC. LXVII.

Joan-

Joannes Launoius

THOMÆ RULLANDO,

Parisiensi Theologo.

Lutetiam.

253 BELLARMINUS de generalium Conciliorum indictione & convocatione sic disputat, ut quamvis manifestè constet, Tridentinum imprimis Concilium ab Romano Pontifice indictum & congregatum esse, affirmari tamen possit, ab Imperatore & Christianis Principibus indictum & congregatum esse. Res ita se habet: Hic auctor in libri I. de Conciliis capite XII. docet, *esse revera Pontificis, non Imperatoris congregare Synodum generalem.* Deinde in ejusdem libri capite XIII. ut argumenta diluat assertioni huic contraria, hoc sibi sumit: *Dico nullum esse Concilium generale Catholicum à solo Imperatore indictum, id est, sine consensu & auctoritate Romani Pontificis:* sub initium superioris capitis posuerat, *satis esse si Concilii indictionem ab Imperatore factam, Romanus antistes postea ratam habeat & confirmet.* Quo ita constituto in Bellarmini opinione Romani Pontifices censentur Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Calchedonense Concilium indixisse & coegisse, quia Imperatores Concilia hæc quatuor non sine consensu Romanorum Pontificum indixerunt & coegerunt, quia Romani Pontifices Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Calchedonensis Concilii indictionem ab Imperatoribus factam ratam 254 habuerunt & confirmarunt. Quis modo Bellarminianum disputandi modum secutus non diceret, Tridentinum Concilium ab Imperatore & Christianis Principibus indictum & convocatum esse, quia Romanus Pontifex Concilium hoc absque Imperatoris & Christianorum Principum consensu nec indixit, nec convocavit, quia Imperator & Christiani Principes Tridentini Concilii indictionem à Romano Principe factam ratam habuerunt & confirmarunt. Prospicio quidem illum, qui hoc diceret, etiamsi verum diceret, eruditorum & cordatorum hominum ludibrio expositum iri. Sed ludibrii causa in Bellarminum non potest non transferri. Bellarminus ergo ridebitur, quod ea sibi sumat lemmata, quibus quod ille ædificare contendit, funditus evertitur. Si solus Bellarminus rideretur, ferri quidem hoc utcumque posset: Sed in Bellarmino plerique omnes Catholici Scriptores ridentur ab hæreticis. Quippe qui veritatem suis legibus non quærant, & in tractando communes parent locos, qui omni materiæ ac proinde nulli conveniant.

Profectò longè satius esset dicere id quod res est, nempe Concilia, quæ auctoritate Principum indicta & coacta sunt, auctoritate Principum indicta & coacta esse, quàm tali modo, qui ridiculos scriptores efficiat, disputare, quàm universales assertiones ponere, quæ vera uniuscujusque Concilii disciplina & traditione certa comprobari nequeunt.

Quæstionem hanc non ita tractabit, qui se ad Gelasium primum recipiet, & ab eo tractandi de con-255 vocatione generalium Synodorum legem mutuabitur. Romanus hic Pontifex cùm in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ, quæ & qualis sit bene gesta Synodus exponit, & ad mentem & traditionem Sedis suæ exponit, de convocatione vel indictione ne verbum quidem ullum facit, ratus convocandi vel indicendi Concilii actum ad veram & propriam bene gestæ Synodi notionem minimè pertinere. Ex Gelasio igitur refero, quæ satis referri non possunt: *Ubi,* inquit, *etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra regulas Ecclesiasticas, quam tota meritò Ecclesia non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probavit: Per bene gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas, pro fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit.* Itaque sunt apud Gelasium res quinque, quibus bene gesta Synodus circùmscribitur: Scripturæ sanctæ, Patrum traditio, Ecclesiasticæ regulæ, universæ Ecclesiæ consensio, & Sedis Apostolicæ comprobatio. At Scripturæ sanctæ de convocatione & indictione Synodorum nihil præstituunt: Patrum silet traditio, & si quando loquitur, in gratiam Pontificum loquitur, ut de Hieronymo, Augustino, Leone Papa & quibusdam aliis Patribus observare licet: Ecclesiasticæ regulæ nihil definiunt: Siquidem Ecclesiasticorum canonum codex Dionysii, codex canonum universæ Ecclesiæ, & codex canonum Africanæ Ecclesiæ regulam nullam continent, quæ convocandarum & indicendarum Synodorum generali- 256 um jus cuiquam asserat & peculiariter reservet: Universæ Ecclesiæ consensio & Sedis Apostolicæ comprobatio ad rerum definitionem potius, quàm ad indictionem & convocationem Synodorum pertinent.

His accedunt principia numero tria, quibus cùm ad asserendam optimis legibus veritatem, tum ad amoliendam quoque invidiam omnem uti soleo.

Primum est Tridentinæ fidei formula, ubi sic habetur: *Item Scripturam sacram juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* At nullus est Scripturæ sacræ locus, qui juxta unanimem consensum Patrum acceptus Synodorum generalium convocationem uni Romano Pontifici attribuat. Mitto pristinam Ecclesiæ traditionem, quæ principio huic suppetias venit, & quæ in octo literis nostris superioribus latissimè splendescit.

Alterum principium est Sedis Apostolicæ Legatorum apud Tridentinam Synodum interlocutio, qua ne Synodi actis formula, *Sacrosancta Synodus Tridentina universalem Ecclesiam repræsentans,* inferretur, obstiterunt: Scilicet formulam illam nec in sacris canonibus, nec in veteribus Conciliis haberi. At nec sacri canones illi, nec vetera Concilia, eorundem indictionem uni Romano Pontifici vindicant. Porro de mota super formulam hanc controversia Paulus Suavis & Sforza Pallavicinus inter se conveniunt. Et quia 257 inter se conveniunt, rem ita evenisse credendum est. Et sanè vix ulla reperiri potuit occasio, in qua Sedis Aposto-

Apostolicæ Legati Ecclesiasticæ antiquitatis studium majus ostenderent. Noverant omnino Concilia quatuor, Pisanum, Constantiense, Basileense & Lausanense, & tres Romanos Pontifices, Martinum V. Eugenium IV. & Leonem X. formulam illam usu suo consecrasse.

Martinum quidem in diplomate, quo recipiendorum in Ecclesiam hæreticorum modus præscribitur: *Utrum credant, quod illud sacrum Concilium Constantiense universalem Ecclesiam repræsentans approbavit & approbat in favorem fidei & salutem animarum, quòd hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum.*

Eugenium verò in Epistola ad Fredericum Romanorum Principem: *Concilium autem generale Constantiense, sicut & cætera Concilia Catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia suscipimus.*

Leonem denique in Lateranensis Concilii sessione XI. *Unde*, inquit, *præfatus Julius prædecessor noster in præsenti Concilio Lateranensi universalem Ecclesiam repræsentante per eum legitimè indicto*, &c. Igitur Legati quanquam hæc probè tenerent omnia, iis tamen procul abjectis (quæ à Martino revocantur ad professionem fidei) sese receperunt ad antiquos canones & Concilia, ut impedirent, quominus in Tridentini Concilii sessionibus formula hæc, *Synodus seu Concilium universalem Ecclesiam repræsentans*, adhiberetur. Sic post illustrem hanc adeo sinceri animi testificationem
258 in usu principii hujus nobis timendum est nihil. Optimi Rom. Ecclesiæ defensores ad nos non accurrent modò, sed etiam advolabunt, recentia Curialium Magistrorum placita subversuri. Hoc ut piè credi potest, ibit in exemplum.

Tertium principium est Florentinæ Synodi definitio hæc: *Item diffinimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Vicarium Jesu Christi, totiúsque Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* (καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται). Juxta eum videlicet modum, qui & in actis œcumenicarum Synodorum, & in sacris canonibus continetur. Florentina Synodus cùm se ab initio inscripsit octavam Synodum, eámque Inscriptionem Clemens VII. Medicæus in privilegio edendæ seu editæ Synodi confirmet, ad Synodos duntaxat septem, Nicænam I. Constantinopolitanam, Ephesinam, Calchedonensem, Constantinopolitanam II. & III. & Nicænam II. respectum habet. At in sacris canonibus, & in actis œcumenicarum Synodorum illarum VII. de convocandarum Synodorum generalium jure nihil traditur, nihil legitur, quod ad Romanum Pontificem privato jure spectet. Quinetiam in iis a- 259
ctis legitur, Synodos de quibus agitur, indictas ab Imperatoribus & convocatas esse, tantùm abest, ut legatur, ab Romanis Pontificibus indictas & convocatas esse.

Cæterùm in principia hæc tria excurrere placuit, non quod necesse foret, ut Bellarminus suis ipse dictis involveretur, sed ut tutissima haberes præsidia quibus pro Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ dignitate juratissimi veritatis hostes ad deditionem compellerentur. Mansissa est ad eam cum Bellarmino congressionem, in qua illius in disputando methodum secuti docuimus, Imperatorem & Christianos Principes Tridentinum indixisse convocasséque Concilium, quod tamen recepto loquendi modo nec indixerunt nec convocarunt. An autem tali methodo veritas asseratur, ipse tu videris, viderint & alii. Vale. Lauduni, Idibus Februarii ann. M. DC. LXVII.

Joannes Launoius
LUDOVICO CUSINO,
Nummariorum Judicum Præsidi.

261 FUERUNT in Gallia, fuerunt in Germania, qui ex eo recipiendum non esse Tridentinum Concilium scripserint, quòd ab Imperatore indictum minimè fuerit. Sed injustæ causæ defensionem susceperunt.

Primùm, quia Gelasius Pontifex, quem suspectum meritò habere nequeunt, Concilii indictionem seu Imperatoriam, seu Pontificiam bene gestæ Synodi dotibus non accenset. Sic enim in epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ scribit: *Ubi consequenter ostenditur: Quia malè gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra regulas Ecclesiasticas, quam meritò Ecclesia non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probavit: Per bene gestam Synodum, id est, secundùm Scripturas, secundùm traditionem Patrum, secundùm Ecclesiasticas regulas pro fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maximè Sedes Apostolica comprobavit.* Quò modo rejecturi sunt Gelasium, qui uno ante Gregorium Magnum sæculo Romanam administravit Ecclesiam? Hic de Concilii indictione & convocatione nihil decernit, cùm decernendi sese offert occasio. Decerneret, ni fallor, si illam ad bene gestæ Synodi notionem pertinere arbitraretur.

Deinde decisa est quæstio in Collatione, quam 262
Maximus Constantinopolitanus Monachus cum Theodosio Cæsariensi Episcopo quondam habuit: *Maximus. Suscipiant damnationem horum, quæ Romæ Synodicè prolata est per pia dogmata seu regulas, & solvitur medius paries, atque hortatione non indigemus. Et ait Theodosius Episcopus: Non est firmata Synodus, quæ Romæ celebrata est, quoniam sine jussione facta est Imperatoris. Maximus. Si Synodos, quæ factæ sunt, jussiones Imperatorum firmant, & non pia fides, recipe Synodos, quæ contra Homousion factæ sunt. Nam jussione Principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Constantinopoli sub Eudoxio Ariano, quintam in Nice, quæ est in Thrace, sextam in Sirmio, & post hæc multo post septimam in Epheso secundam, cui Dioscorus præfuit. Omnes enim has Imperatorum jussio aggregavit. Attamen omnes damnatæ sunt propter impietatem infidelium dogmatum*

matum

matum ab eis confirmatorum. Quare autem non abjicitis
eam, quæ deposuit Paulum Samosatenum, sub beatis &
sanctis Dionysio Papa Romano, & Dionysio Alexandrino,
atque Gregorio miraculorum patratore, qui eidem præfuit
Synodo, quoniam non est jussione facta Imperatoris? Quis
præterea canon promulgat, solas illas approbandas Syno-
dos, quæ Imperatoris jussione sunt congregatæ? Verùm
etsi omninò jussione Imperatorum Synodos aggregetis, illas
novit sanctas & probabiles Synodos pius Ecclesiæ canon,
quas rectitudo dogmatum approbavit. Sed & hic quem-
admodum novit Dominus meus, & aliàs docet, fieri Sy-
nodos in omni provincia per singulos annos regula sancit,
263 *jussionis Imperialis nullam memoriam faciens ad tuitionem*
salutaris fidei nostræ, & correctionem omnium Capitulo-
rum, quæ divinæ non conveniunt Ecclesiæ legi. Et dixit
Theodosius Episcopus: Ita est, ut asseris, dogmatum
quippe rectitudo Synodos roborat. Hæc ante annos
mille disputata rem nostram conficiunt, & iis qui-
buscum pugnamus ad plenum & perfectum satisfa-
ciunt. Igitur non à Synodorum convocatione, quæ
ab hoc vel illo fiat, sed à recta fide, quæ in Sy-
nodis sancitur, Synodorum auctoritas depromen-
da est.

Hac in re Maximus cum Gelasio scribit concordis-
simè, & cum utroque Georgius Cedrenus in Compen-
dio historiarum: Ubi post sextam Synodum ait, *Fu-*
isse certis in locis Synodos, quarum decreta habemus, ta-
metsi ea in numero sex istorum Conciliorum non extent.
Tale fuit, quod Ancyræ coactum est, item Neocæsareæ,
Gangris, Antiochiæ, Laodiceæ, &c. Hæc enim coacta
sunt ob quæstiones certis locis obortas, neque jussu Impe-
ratorum, neque iis præsentibus: Quinetiam habita sunt,
priusquam Christiani existerent Imperatores. Cæterum
œcumenica fuerunt sic dicta, quia jussu Imperatorum
Summi Pontifices, quotquot per Imperium Romanum erant,
convocarentur. Sic in vera Synodi definitione non
continetur Synodi convocatio, quæ ab eodem non
semper profecta est. Deinde quæ Synodus œcumeni-
ca est, non vocatur œcumenica, quòd Imperatoris cu-
jusdam jussu & auctoritate indicta fuerit, sed quòd
dispersi per Romanum Imperium Sacerdotes summi
264 congregentur. Hæc autem Cedrini placita duo fundi-
tus evertunt, quæ Tridentinæ Synodi oppugnatores sibi
sumunt, ut moras nectant & tergiversentur.

Tum Tridentina Synodus indici cogique non potuit,
qua ratione Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina,
Calchedonensis indicta & coacta est. Romani Impe-
rii status & conditio non est eadem, quæ tunc erat.
Romanum Imperium moderabatur unus Princeps,
qui & ante sæcula non pauca moderari desiit. Hinc
Imperium divisum est duas in partes, Orientalem u-
nam, Occidentalem alteram, quæ nunc plures supre-
mos Principes sortitur. Et qui Imperatoris nomen &
personam sustinet, auctoritate Regibus Galliæ vel
Hispaniæ multò inferior est. Cavillantur ergo, qui
Tridentinum Concilium ex eo rejiciunt quòd illud Im-
perator non convocaverit, ut Imperatores, olim, pri-
ma Concilia universalia convocarunt. Non minus fal-
luntur, qui vetera instituta recentibus, quàm qui re-
centia veteribus æstimanda esse censent.

Postremò quidquid ex vetere disciplina desiderari
potest ab oppugnatoribus Tridentinæ Synodi, alia ra-
tione compensatum est. Imperator, & Christiani Prin-
cipes alii non indixerunt quidem Tridentinam Syno-
dum, sed eam indicenti Romano Pontifici consense-
runt. Qua de re Clemens VII. ad Franciscum I. Gal-
liæ Regem ita scribit anno M. D. XXXIII.

Clemens Papa VII. Charissime in Christo fili noster
salutem & Apostolicam benedictionem. Superiore biennio,
sicut tua Majestas recordari potest, cùm serenissimum
265 *Cæsarem quanquam pro sua inclyta pietate omnia cona-*
tum, tamen in Conventu Augustano nihil remedii ad hæ-
resim Lutheranam in Germania tollendam præ illorum ob-
stinatione afferre potuisse audiremus, solùmque Concilii
generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simi-
li usitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum superesse
videremus, habita super hoc cum venerabilibus fratribus
nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione ad ip-
sius Concilii generalis indictionem in Italia & loco ad
hoc commodiore celebrandi devenire intendentes, id tuæ
Majestati sicut Cæsari & cæteris Principibus significan-
dum communicandúmque duximus, eámque nostris literis
fuimus hortati, ut tam sancto & tam necessario operi,
pro tua pietate & Christianissimi titulo, próque suorum
majorum perpetua consuetudine favere, causámque sanctæ
fidei cum tua, si fieri possit, præsentia, aut saltem orato-
ribus tuis, tuique regni prælatis adjuvare & tueri, & in
hoc te & illos interim præparare pro communi officio vel-
les. Et post alia: *Nunc autem ipsis hostibus Dei benig-*
nitate repulsis, cùm serenissimus Cæsar nobiscum Bononiæ
congressus inter cætera publicè salutaria hoc quoque de
indicendo generali Concilio nobiscum egerit; illúdque non
solùm à Lutheranis, ut antea, sed à cæteris Germaniæ
Principibus & civitatibus in proximo Ratisponensi con-
ventu flagitatum, séque omnem operam suam cùm apud
nos, tum apud Reges & Potentatus cæteros in id pollicitum
fuisse duxerit. Et post alia: *Quamobrem te, fili noster*
in Christo charissime, qui primus ab ipso Cæsare serenissi-
móque fratre ejus affinibus tuis jam in hoc unanimiter
concordibus ad ejusdem Concilii generalis convocationem 266
piè consentire, illúdque cum tua, si fieri possit, præsentia,
aut saltem cum oratoribus tuis & tui regni prælatis, sicut
antea tuæ Majestati scripseramus juvare & tueri, ac te
& illos interim ad hoc præparare, & de tua super hoc
voluntate, quam nonnisi te dignam speramus, ad nos per-
scribere quamprimum velis, ut cum Cæsaris ac tuo & Ro-
manorum regis cæterorúmque Principum ac potentatuum,
ad quos scribimus, & quorum neminem tua Majestate
accedente defecturum confidimus, unanimi voto & consen-
su ad indictionem ipsius Concilii commodiore loco celebran-
di, sicut & tunc tuæ serenitati scripsimus, adjutore Do-
mino devenire possimus.

Clementi Franciscus Rex ita respondet: *Beatissime*
Pater, redditæ sunt nobis tuæ literæ, quibus tuam men-
tem significas in Concilio Christianorum cogendo. Deo
gratias, quòd tam piè tua Sanctitas sit animata, hoc præ-
sertim tempore, cùm palam sit omnibus illud cogi, si un-
quam aliàs, esse necesse. Quod ad nos attinet, non est,
cur magnopere de hac re urgeri, vel tuæ Sanctitati te-
ste, debeamus, cùm jampridem quid haberemus animi,
planè indicaverimus, videri scilicet operæpretium fore,
ut tum ritè, tum etiam de eorum, quorum interest, vo-
luntate, eo loci ejusce rei gratia conveniatur, ubi omis-
sis rebus profanis de causa religionis tractetur, decida-
turque: Nemo ut postea existat, qui iis fidem abro-
get, quæ in eo conventu definita invenientur. Hoc tam
pio instituto nihil est, quod pro singulari nostra in Rem-
publicam Christianam devotione nobis nec prius possit, nec
antiquius videri. Et paullo pòst: *Parisiis die XVII. men-*
sis Feb. M. D. XXXIII.

Ad mutuam Clementis VII. Galliæ Regis, & cæte- 267
rorum Principum consensionem iterum accedit Pau-
lus III. qui cùm indicit Concilium, exquisitas fuisse
Principum eadem super re sententias perscribit: *De-*
inde, inquit, *animo repetentes majores nostros sapientia*
admirabili & sanctitate præditos sæpe in summis Chri-
stianæ reipublicæ periculis remedium optimum atque
opportunissimum œcumenica Concilia, & Episcoporum ge-
nerales conventus adhibuisse: Ipsi quoque animum ad
generale habendum Concilium adjecimus, exquisitisque
Principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis im-
primis & opportuna ad hanc rem esse consensio, cùm eos
tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus,
œcumenicum Concilium & generalem eorum Episcopo-
rum aliorúmque Patrum ad quos pertineret, conventum
in civitate Mantuæ indiximus, anno Incarnationis Domi-
ni M. D. XXXVII. Pontificatus nostri III. ad X. Calend.
Jun. inchoandum.

His autem omnibus, quæ latè disserui, constitutis contentiosum funem non possunt non ducere, qui pugnant ex eo recipiendum non esse Tridentinum Concilium, quòd illud Imperator nec indixerit nec convocaverit. Hic vitandi sunt errores extremi duo: Unus eorum, qui quæ indicta non sunt ab Imperatoribus generalia Concilia, repudiant: Alter eorum, qui generalia Concilia ab Romano Pontifice indicenda cogendáque esse ita sibi sumunt, ut vera ac legitima non sint generalia Concilia, quæ ab Romano Pontifice non indicantur aut congregentur. Hi taci-
268 te non possunt non revocare in dubium, quæ à primis Conciliis generalibus vel de fide vel de moribus Ecclesiæ decreta fuerint: Quodnam genus imprudentiæ & ἀκοινωνίας! Illi posteriorum generalium Conciliorum definitiones elidunt ut invalidas, & celebrandis deinceps generalibus Conciliis viam præcludunt. Conciliorum generalium indictio & convocatio res est disciplinæ, non dogmatis. Dogmata fidei suas non habent vices, sed eam gravitatem, quæ perpetua constantia roboratur. Disciplina verò cujusmodi est Synodorum indictio & convocatio, nonnullis mutationibus obnoxia est. Quod Bellarminus sibi sumit, dum in libri I. de Conciliis cap. XIII. ait: *Posse se opponere consuetudinem consuetudini. Si enim quatuor aut quinque Concilia Imperatores indixerunt, plura quàm duodecim indixerunt Pontifices.* Tu verò, qui acri polles judicio, de utroque illo errore, quem confiximus, censebis. De fortuna generalium Conciliorum omnium agitur, & cùm censueris, id perinde accipiam, quasi veteres illi centumviri judicassent. Vale. Lutetiæ Parisiorum v. Calen. Martii anno M.DC.LXVII.

Joannes Launoius
JACOBO BEVILAQUÆ
Parisiensi *Theologo.*

269 PROPONIS mihi celebrem illum canonem Ecclesiasticum, qui apud Socratem in libri II. hist. capite XIII. & apud Sozomenum in libri III. capite IX. laudatur. Apud Socratem quidem ita: *Porro autem aliæ literæ ab Episcopis Ægypti ad eum missæ sunt, quæ quidem crimina Athanasio objecta, perspicuè falsa esse docuerunt. Itaque Julius literis contrariis ad ipsum missis, Episcopis, qui Antiochiæ convenerunt, per literas respondit. Ac primum docet, quantum molestiæ & acerbitatis eorum Epistola ipsi attulisset: Deinde eos contra Ecclesiæ canones egisse, quòd illum ad Concilium non vocassent: Quippe cùm canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur:* μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. Apud Sozomenum verò sic: *At verò cùm Episcopi Ægypti hæc falsa esse scripsissent, Julius certior factus non tutum esse Athanasio in Ægypto vitam agere, eum ad se accersivit. Ad illos autem, qui Antiochiæ in unum convenerant (nam fortè fortuna id temporis eorum acceperat Epistolam) scripsit atque adeo incusavit, quòd clam contra fidem Concilii Nicæni novas res moliti fuerant, quódque contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocarant. Nam legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat,
270 acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur.*

Proposita ex Socrate & Sozomeno lege hac seu canone quæris, unde illam Socrates & Sozomenus acceperint. Accepisse se non aliunde, quàm ex Julio profitentur. Cùm ergo Julium vadem & sponsorem habent unicum, audiendus est Julius in Epistola, quam ad Orientales scripsit. Epistolæ verba, quæ huc spectant, istiusmodi sunt: *Si ut dicitur, omnino inculpa fuerunt,* (Athanasius & Marcellus) *oportuit secundum canonem, & non isto modo judicium fieri. Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & inprimis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit. Quapropter si istic hujusmodi suspicio in Episcopum concepta erat, id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit.* Hæc, ut apparet, verba sunt, ad quæ Socrates & Sozomenus in historia sua respectum habuere. Sed dum Julii orationem, & Socratis ac Sozomeni narrationem inter se contendo, quæ Socrates & Sozomenus scribunt, expressiora esse, quàm quæ Julius scribit invenio. Id cordatos atque eruditos homines, nullis occupatos præjudiciis mutua docet contentio. Julius scribit: *Oportuit secundùm canonem, & non isto modo judicium fieri; oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justum esset decerneretur.* 271
An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri posset? Hæc autem longè minus expressa sunt, quàm quæ scribunt Socrates & Sozomenus: Ille scribit: *Julius docet eos contra canones Ecclesiæ egisse, quòd illum ad Concilium non vocassent, quippe cùm canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur.* Sozomenus pariter scribit: *Legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem quæ pronuntiant, acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Romani Episcopi constituuntur.*

Deinde canon ille, quem laudat Julius, conditus esse debuit post tempus, quo Paulus Samosatenus ab Antiocheno Concilio damnatus & sede pulsus est. Dionysius quippe Romanus Pontifex ad Antiochenum istud vocatus non est Concilium; Samosatenus absque Romani antistitis sententia damnatus est, & damnationis acta cassa & irrita tunc fuisse nemo unquam literis prodidit. Dionysius non antè scivit damnatum esse Samosatenum, quàm damnationis sententiam accepisset, quæ apud Eusebium in libri VII. hist. capite XXIV. sic inscribitur: *Dionysio, Maximo, & omnibus ubique in orbe terrarum Collegis, Episcopisq; Presbyteris & Diaconis, & universæ ac Catholicæ sub cœlo Ecclesiæ, Helenus & Hymenæus & Theophilus, Theotecnus & Maximus, Proclus, Nicomas & Ælianus, Paulus, Bolanus & Protogenes, Hierax & Eutychius, Theodorus, Malchion & Lucius, & reliqui omnes Episcopi & Presbyteri & Diaconi, qui civitates & regiones finitimas apud nos incolunt, & Ecclesia Dei* 272

quæ

quæ apud nos sunt, dilectis fratribus in Domino salutem. Eusebius ad Dionysium Maximum scriptam fuisse Epistolam, initio capitis testatur: *Omnes igitur, ait, Episcopi & Pastores, qui in Concilio suprà commemorato erant convocati, unam communem confecta Epistolam ad Dionysium Episcopum Romanum, & ad Maximum Alexandriæ Ecclesiam procurantem nominatim conscripserunt.* Notanda verò sunt, quæ sub finem Epistolæ traduntur: *Istum igitur, tam Deo adversarium, támque contumacem, eramus coacti Ecclesia, & congregatione fidelium indicere, excluderéque, & alium Episcopum, qui huic Catholicæ Ecclesiæ præesset, in ejus locum substituere. Unde Dominum divina certè, ut putamus, providentia designavimus, Demetriani hominus felicis commemorationis, (quippe qui hanc Ecclesiam ante hunc præclarè rexisset) filium, omni genere virtutum, quæ Episcopum decent, exornatum. Ac vos de illius electione per Epistolam certiores facimus, ut illi scribatis, & ab eo literas accipiatis communionis.* Hæc omnia si legantur paullo attentiùs, demonstrant, canonem cujus meminit Julius ante Synodum Antiochenam conditum non esse. Ac proinde siquis ea de re canon conditus est, inter Antiochenæ Synodi tempus & Julii Pontificatum conditus esse debuit. Antiochena Synodus, quæ ad Dionysium, Maximum & alios præsules scripsit Epistolam, habita est anno Christi CCLXXII. & anno CCCXXXVII. Julius Romanæ Ecclesiæ Sacerdotium accepit. Hoc au- 273 tem in temporis intervallo quod annos sexaginta quinque continet, Julii canon quærendus est. Quæritur, non invenitur Concilium, in quo canon ille sit conditus. Hunc non exhibet, quem exhibere deberet vetus codex canonum Romanæ Ecclesiæ, non exhibet codex canonum universæ Ecclesiæ, non exhibent celebrata tunc Concilia, non exhibent antiqua rerum Ecclesiasticarum monumenta, quæ hactenus ad nos pervenerint.

Exhibet quidem Epistola, quam Isidorus Mercator sub nomine Marcelli Papæ ad Antiochenæ provinciæ Episcopos scribit. Canonem sic dicit esse Apostolicum: *Simúlque iidem* (Apostoli) *inspirante Domino constituerunt, ut nulla Synodus fieret præter ejus* (Petri) *Sedis auctoritatem.*

Primum Epistolæ falsitatem demonstrant Apostolorum cùm Epistolæ tum acta, in quibus nihil tale reperitur. Accedit pristinæ traditionis silentium, quia præcedentis Antiochenam Synodum ætatis monumenta nulla sunt, quæ canonem hunc Apostolis consignent.

Deinde Antiochena Synodus Apostolicum non violasset canonem, siquis extitisset. Quis quæso sanctos illos qui celebrarunt Synodum anno CCLXVI. & anno CCLXXII. Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ, Gregorium Thaumaturgum Neocæsareæ, Athenodorum Ponti, Helenum Tarsi, Nicomam Iconii, Hymenæum Hierosolymorum, Theotecnum Cæsariensis Palæstinæ, Maximum Bostrorum Episcopos, & alios gloriæ atque immortalitatis candidatos omnes, aut ignorati aut violati canonis accusaret? Et quis accusationem patienter sustineret?

274 Tum nec Dionysius Pontifex nec Romana Ecclesia, cujus res intereat quàm maximè, de contempto Apostolorum canone conquesta non est, conquestura sine dubio, si quis Romæ de tali canone rumor fuisset vel levissimus.

Hinc in toto Epistolæ decursu de causis Ecclesiasticis, de appellationibus & Episcoporum Conciliis sermo perinde instituitur, ac si liberum ubique & palam fuisset Christianæ religionis exercitium. In cryptis & latibulis Christiani quærebantur ad necem, & Marcellus ipse Pontifex variè tortus fecit martyrium.

Postremò data est Epistola Maxentio & Maximo Consulibus, quos nec Eusebii, nec Prosperi, nec Cassiodori Chronicon, nec Fasti Siculi repræsentant: In libro quidem de Romanis Pontificibus annuis, quò Marcellus obiit, adscribitur Consulatui Maxentii quarto & Maximi. Sed huic libro nulla fides aut exigua; cùm sine majorum testimonio loquitur.

Præterea liber hic Maxentii consulatum quartum designat, qui in Epistola non designatur: *Data Calend. Aprilis Maxentio & Maximo viris clariss. Coss.* Anno videlicet CCCIX. At Marcellus jam antè decesserat ad XVII. Calend. Februarii, ut in Usuardi & Adonis, in veteri & hodierno Martyrologio Romano notatur.

Exhibet alia Mercatoris ejusdem Epistola, quam sub nomine Athanasii, & Alexandrinæ Synodi ad Felicem Papam dedit: Ubi sic habetur: *Nam scimus in Nicæna magnâ Synodo trecentorum* XVIII. *Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari.*

Et primò quidem Athanasius de numero Episco- 275 porum Nicæni Concilii aliter loquitur in Epistola de Nicænæ Synodi contra Arianam hæresim decretis: *Episcopi contrà qui convenerant (erant autem illi plus minùs trecenti) placidè & humaniter postulabant.* Deinde in Epistola ad Solitarios: *Patres contrà orbis Concilio coacto, congregatisque plus minùs trecentis Episcopis Arianam hæresim condemnarunt.* Et paullo post: *Synodum plusquam trecentorum Episcoporum abrogat.* Sic non tam disertè numerum Episcoporum Nicæni Concilii subducit. Quod certum est indicium, Athanasium Epistolam non conscripsisse. Deinde Athanasius in Epistola ad Solitarios, Felicem velut Antichristum repudiat. *Hoc*, inquit, *ministro* (Epicteto) *utens* (Constantius) *incredibile facinus designavit, & quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi, & jure Comitiorum tres Eunuchos præsentes esse jusserit, trésque item* [illegible] *malis imbutos moribus exploratores (non enim eos Episcopos dixeris* (οὐ γὰρ ἄν τις ἐπισκόπους εἴποι) *ut ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterum populi omnes cognita hæreticorum pravitate non permisere eos Ecclesiam intrare, procúlque ab iis recesserunt. Quid igitur, quod Antichristi non sit, omisit?*

Tum Baronius ad annum CCCLVII. Epistolam ut adulterinam rejicit: *Quæ fertur sub Athanasii nomine ad Felicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina scripta ab Episcopis Ægypti, Thebaidis & Libyæ,* 270 *haud æquè probatur: Quippe quòd qualis fuerit status Ecclesiæ Alexandrinæ ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix sedere cœpit, jam satis superiùs est demonstratum, ut nullus planè locus vel tempus cogendæ Synodi potuerit esse Athanasio fuga lapso, & in eremo latitante, atque aliis Episcopis pariter exturbatis, sicut præter hæc multa alia, quæ ibi posita minùs arrident, ut cùm de ipsius Felicis ordinatione Athanasius eundem Felicem reddit certiorem. At ipse suas merces Mercator emat.*

Postremò, Latinè non Græcè scripta est Epistola, nisi quis recipiat se aliquando Græcum exemplar ostensurum, quod aliquis Latino Sermone donaverit: Interim Athanasii & Baronii judicio fruemur, illúdque opponemus Bellarmino, qui libri 1. de Conciliis caput XII. expositis suprà Isidori mercibus adornavit. Porro autem his ex causis, quas modò declaravi, adducor ut credam, Julium suo modo, non nostro locutum esse, & canonem ac consuetudinem pro uno & eodem accepisse, ut verborum series ostendit: quod enim in verbis prioribus canoni tribuit, id in posterioribus consuetudini transscribit: *Oportuit secundùm canonem & non isto modo fieri. Oportuit scribere nobis omnibus, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur.* Et paullo post: *An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primùm nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit?* Quærenda non sunt ante Synodum Antiochenam hujus consuetudinis vestigia, quæ impressa nulla uspiam invenies. Et quo minus invenire

277 possis, Synodus hæc, & quæ de Dionysii Romani Pontificis silentio disseruimus, semper impedient. Si quæ inducta fuit consuetudo talis, post Synodi tempus inductam fuisse necesse ast, idque priùs, quàm Julius Pontificatum iniret. Spatium est annorum LXV. quibus consuetudinis initium circumscribitur. Et quamvis credibile sit, extitisse consuetudinem, quam Julius appellat, & Orientalibus opponit, eam tamen pluribus iteratis actibus firmatam tunc fuisse, pronunciare non audeo. Cur non audeam, in causâ sunt duo: Primùm, quòd quæ exempla suppetebant Julio, mihi non suppetant. Exemplum nullum objiciunt incolumia ac salva monumenta veterum, qui inter Antiochenam Synodum & Julium claruerunt. Deinde, quod Julii decessores occasione data consuetudinem, aut canonem in se non receperint. Qua de re postea commodius.

Socrates Julii scripturam paullo aliter convertit, & ei de hoc sensu accommodat: *Julius*, inquit, *docet eos contra Ecclesiæ canones egisse, quòd illum ad Concilium non vocassent, quippe cùm canon Ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur.* Sic Julius conqueritur de Orientalibus, quod illum ad Concilium suum Antiochenum non vocassent, *prohibente canone, ne decreta absque sententia Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur.*

Dionysius Romanus Pontifex conquestus non est de Orientalibus Episcopis Paulum Samosatenum condemnantibus, quòd illum ad Synodum suam Antiochenam non vocassent. Julius de aliis conqueritur Orientalibus Episcopis, quòd illum ad Concilium suum 278 Antiochenum minimè vocassent. Conqueritur verò exigente canone, ut vocaretur. Et hic est canon qui condi debuit in eo temporis intervallo, quod inter Antiochenam Synodum, ubi Paulus Samosatenus est depositus, & Julium intercedit. Jam suprà in illum canonem inquisivimus. Socrates rationem adjicit, cur Julius ad Concilium Antiochenum, in quo Athanasii causa judicata est, vocari debuerit: Nimirum edenda non esse absque sententia Romani Pontificis decreta, quæ ad Ecclesiarum rectionem pertinent. Intelligebat opinor Ecclesias, quæ per Orientem & Occidentem constitutæ sunt.

Sozomenus Julii verba paullo aliter ac Socrates interpretatur. *Julius*, inquit, *Orientales incusavit, quòd contra leges Ecclesiæ ipsum ad Concilium non vocarant. Nam legem Ecclesiæ esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur.* Hæc sunt eò Socraticis expressiora, quòd verbis negantibus reddantur, atque hocce modo nonnulla vis illata est Julii Epistolæ, cui Sozomeni scriptio non adæquè respondet. Sed quoniam veritati non præscribitur, quidquid Socrates & Sozomenus ex Julii Epistola in Græcam transtulerunt linguam, de archetypo, id est, de Julii Epistola censendum est. Profectò ridiculum esset, plura ex Socrate & Sozomeno Latinam Julii Epistolam Græcè vertentibus Romano Pontifici tribuere, quàm Julii Epistola tribuat. Hinc efficitur, ut huc tandem recidant omnia, quidquid in causa censendum esse 279 de archetypo, quod ad quærendi inveniendique veri leges expendimus, Augustino duce præside, cùm in libri 1. de mendacio ad Consentium capite 1. ait: *Nunquam errari tutiùs existimo, quàm cùm in amore nimio veritatis, & rejectione nimia falsitatis erratur. Qui enim severè reprehendunt, hoc nimium esse dicunt. Ipsa autem veritas fortasse adhuc dicat, nondum est satis.* Julius in Epistola sua non scribit id quod Sozomenus à Julio scriptum esse tradit, sive quia ipse Latinum idioma non satis calluerit, sive quia per interpretem minus peritum scripserit.

Cæterùm Socratis & Sozomeni res propriè non est, sed Julii, cujus extat Epistola, qua usi Socrates & Sozomenus id quod retulimus, memoriæ prodiderunt. Arbitratur Julius antiochenum Concilium fecisse duo, quæ sine sententia Romani Pontificis fieri non poterant; unum est, judicasse Athanasii causam, quæ sine sententia Romani Pontificis judicari non poterat.

I. Quia Athanasius ad Julium & Occidentales Episcopos confugerat, & Eusebiani ipsimet Athanasii hostes ad Julium causæ arbitrium detulerant, ut Athanasius in Apologia de fuga sua testatur his verbis: *Quin & Eusebiani ad Julium literas misere, & ut nos terrerent, Synodum jusserunt convocari, & ipsi Julio, si vellet, arbitrium causæ detulerunt.*

II. Quia Athanasius secundæ Sedis erat Episcopus, non tertiæ, ut Paulus Samosatenus, quem Antiochena Synodus deposuerat. Persuasu autem erat difficile, coactum in tertia sede Concilium, quale est id quo de agitur, judicium ferre posse de se- 280 cundæ Sedis Episcopo, quin ea in re sententia Episcopi primæ Sedis interveniret. Congruebat rationi legum omnium animæ, ut consortium esset communis arbitrii.

Alterum est, Antiochenum Concilium sanxisse decreta, quibus Ecclesiæ omnes Orientis & Occidentis gubernarentur. Id autem fieri non posse Julius rectè sentiebat, & opponebat Ecclesiasticum canonem, seu consuetudinem, qua hoc in casu, primas Romano Pontifici vindicabat. Romanum Pontificem intelligo, ut Julius intelligit, cùm in Epistola ad Orientales ait: *Tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium his regionibus Episcoporum scripsi.* An autem Concilii Antiocheni præsules illiusmodi decreta, cujusmodi putabat Julius, sancire voluerint, nescire me fateor. Id ex antiquorum Patrum commentariis deprehendere non potui. Suspicabatur id Julius de Episcopis agentibus contra canonem Ecclesiæ seu consuetudinem, quam illis opponebat. Ecclesiæ canonem iterum dico seu consuetudinem, ratus Julium potuisse unum pro altero accipere, cùm acceptum reperiam apud Eusebium in libri VI. historiæ capite XXXV. ubi refert Cornelii Romani Epistolam ad Fabium Antiochenum de Novati Baptismo: *Gravi morbo affectus ipsóque in lectulo, in quo jacebat ablutus, cætera postquam convaluit adeptus non est, quæ juxta Ecclesiæ canonem* κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα, *suscipienda sunt.* Huc spectat Simeon Metaphrastes in vita sancti Athanasii: *Alexander*, inquit, *cùm staret eminùs, vidit pueros Ecclesiasticum canonem per lusum subeuntes.* ὡς δὲ ὁ παῖδες ἐκκλησιαστικῷ τρόπῳ παίγνια ὑπεκρίνοντο. Hic Ecclesiæ 281 canon idem est ac ritus seu consuetudo Ecclesiæ. Tunc nullus erat Ecclesiæ canon, quem Orientales vel Occidentales Episcopi in Synodo condidissent.

Nunc venio ad Julii successores Damasum, Siricium, Innocentium I. & Leonem I. qui laudatum ab Julio canonem non usurparunt, cùm oblata occasione usurpandus erat. Orientales Constantinopolitanum fecerunt Concilium primum, ad quod nec Damasum nec Occidentales alios vocarunt: Deinde cùm de Macedonio & aliis sancto Spiritui resistentibus hæreticis tulerunt judicium, non priùs ad Damasum scripserant, ut Romæ quod justum esset decerneretur. Tum sine sententia Damasi decreta sanxerunt de Ecclesiis, ut cum Socrate loquar. Sed Damasus Constantinopolitani Concilii Patribus citatum à Julio canonem non opposuit, cùm vel maxime opponendus fuit.

Anysius Thessalonicensis Episcopus & cæteri per Illyricum constituti antistites fecerunt, quod Julius ex canone faciendum esse contendit. Scripserunt ad Siricium, ut ab eo judicii prærogativam obtinerent in causa, quam Capuensis Synodus judicandam illis commiserat. Ex Julii, Socratis, & Sozomeni canone judicii prærogativam obtinere debuerunt, non obtinuerunt. Quinetiam à se deprecatus est Siricius in epistola, quam Anysio, & cæteris per Illyricum constitutis præsulibus dedit: *Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate,*

vel

282 *vel pro modestia vestram sententiam sciscitari voluistis. Sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso, atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent, advertimus, quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi vel elabendi vel accusatoribus, vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonosus Episcopus post judicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi, responsum est ei quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè patienter ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire, statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.* Et post alia quibus suam privato jure exponit sententiam: *Legimus etiam, & omnia percurrimus vel de eo quod fratri nostro & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, unde vestra normam exspectamus sententiæ.* Siricius hanc non scripsisset epistolam, si laudatum à Julio canonem seu consuetudinem ex Sedis Apostolicæ traditione didicisset. Nonne potiùs si Romæ vel levissi-
283 mus de canone increbuisset rumor, illum & Capuensi Concilio & delegatis ab eo judicibus ut murum opposuisset firmissimum? Epistola habetur in Romana collectione bipartita, quæ non populari, sed eminenti approbatione munitur. Franciscus Cardinalis Barberinus de hoc opere sic censet, in epistola nuncupatoria: *Titulum ac munus gero S. R. E. Vicecancellarii, hoc est, tabularii Apostolici custodis, cujus est sanctiones Pontificias è sacris scriniis proferre, cùm opus est, sigillo & cæteris idoneis legitimè ritibus munitas ad fidem authenticæ veritatis. Quæ mea ejus generis cura etsi solet elaborare frequentiùs in recentibus, atque indies emanantibus è suprema Petri cathedra statutis viventium Pontificum, tamen opinor nihil prohibet, quo minus exemplo Evangelici scribæ præter nova, vetera quoque educam ex Apostolico Thesauro, quando præsertim ut nunc, spes ingentis utilitas operæ pretio. Eruditorum, qui hæc viderunt, beatissime Pater, concors opinio est, multa in hac collectione reperiri, quæ orthodoxum dogma sanciant, quæ jura vetera Sedis Apostolicæ illustrent, quæ laxitatem obrepentem hodiernis moribus, cinctu quasi severiori disciplinæ veteris adstringant; Quæ denique plerisque inquieti hujus & factiosi sæculi malis, maximè autem pruriginis novitatum (quæ cæterarum fere pestium fons est) aptissimum remedium esse possunt. Verùm de utilitate ac præstantia horum actorum non aliud requirendum testimonium est, post gravissimum tuæ sapientiæ præjudicium, quo illa tanti habuisti, ut ære tuo in editionis pretium liberaliter effuso publicationem eorum urgendam duxeris. Fortunet utinam factum cæleste numen, &*
284 *quem speravimus fructum vel eruditionis, vel exempli salutaris, tam orthodoxi, tum errantes ex hisce percipiant.* Sic Romana collectio bipartita commendatur tam bene ac tam diligenter, ut nihil possit suprà.

Innocentius primus conquestus non est de perversis Episcopis, qui condemnaverunt Chrysostomum, nec de Africanis antistitibus, qui in Pelagii judicio laudatum à Julio canonem & consuetudinem non sunt executi. Non enim primum scripserunt Innocentio, ut Romæ quod justum esset decerneretur. Cassa & irrita non fuerunt Africanorum decreta, etiamsi Romani Episcopi sententia non præiverit.

Leo primus conquestus non est de Flaviano Constantinupolitano antistite, qui Eutychetem nullo præeunte Romani Episcopi decreto condemnavit: Deinde ubi Calchedonensis Synodus vindicare voluit canonem, quem Constantinopolitani Concilii Patres in gratiam Episcopi novæ Romæ sanxerant, Leo de illis Patribus conquestus non est, quòd ille adversus laudatum à Julio canonem seu consuetudinem sancitus fuerat. Vel nullus unquam vel conquerendi locus fuit, si canonem hunc vel consuetudinem Sedes Apostolica præ se tulisset. Calchedonensium Patrum consiliis opponit Nicænos canones, non opponit canonem, quem Julius Orientalibus opposuerat, & quem à Julio acceptum Socrates & Sozomenus Græcè locuti suis & variis, ut antè visum est, modis interpretantur. Eruntne qui dicturi sint Romæ & apud Latinos turpiter ignoratum id esse, quod auctores Græci duo Leonis æquales bene noverant? Quis credet? Prudens sine dubio & attentus 285
nemo.

Tum ad extremum Romani Pontifices Aurelianensibus, Turonensibus, Gallicanis aliis, & Toletanis, cæterisque Hispaniensibus Conciliis æquales, de illis nunquam conquesti sunt, quòd sine Romani Pontificis sententia condiderint canones, quibus non Italicæ, vel Africanæ, vel Orientales, sed Gallicanæ & Hispanienses Ecclesiæ regerentur.

Hæc autem cùm ita sese habeant omnia, nunc pro ea, qua multum polles, sagacitate & solertia, perspice, quæ laudati à Julio, & explicati à Socrate & Sozomeno canonis origo fuerit, quæ Romæ in originis urbe cognitio, quis ibidem usus. Exinde miraberis, qui factum sit, ut Bellarminus canonem illum epistolæ nostræ argumentum ad Conciliorum generalium convocationem flexerit in libri I. de Conciliis cap. XII. ubi cujus sit congregare Concilia disquirit. Ne fidem mihi detrectes, adscribo Bellarmini verba: *Quartò probatur ex illo antiquissimo canone, quo statuitur præter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari. Hunc enim canonem Apostolicum esse scribit beatus Marcellus Papa in epistola ad Episcopos Antiochenæ provinciæ. Eundem renovavit Concilium Nicænum I. ut testatur Synodus Alexandrina in epistola ad Felicem, & Julius I. in epistola ad Orientales: Cujus meminerunt Socrates lib. 2. cap. 13. Sozomenus lib. 3. cap. 9. Nicephorus lib. 9. cap. 5. Si ergo sine Romani Pontificis consensu non licet Concilia celebrare, sequitur ejus potissimum esse illa convocare.*

I. Marcelli epistolam subdititiam esse certis indiciis jam ostendimus.

II. Bellarminus hoc in loco censoriæ oblitus est 286
animadversionis, qua in libri II. de Rom Pont. capite XIV. primorum Pontificum & nominatim Marcelli epistolas notavit. *At quamvis*, inquit, *aliquos errores in eas irrepsisse non negaverim, certè tamen antiquissimas esse nihil dubito.* Antiquitas hujusmodi Bellarmino nihil prodest, nisi velis per antiquitatem errores tolli posse, & quod antea falsum erat, postea verum esse. Tum gratuitò scribit errores in eas epistolas irrepsisse, cùm nullum exemplar seu editum seu manu exaratum proferri possit, quod ejusmodi careat erroribus. Et tamen aliquod proferri posse significat. Cum illis erroribus primò scriptæ sunt.

III. Alexandrinæ Synodi epistola ad Felicem apertè supposita est, ut antè vidimus.

IV. Quid Julii epistola, quid Socratis & Sozomeni testimonia valeant, quid ferre recusent, explanavimus. Nicephori fides, & auctoritas eadem quæ Socratis & Sozomeni, è quibus quæ jecit in suos Commentarios, desumpsit.

V. Vitiosa est Bellarmini consecutio: Quis enim ante ipsum ex antecedente tali, *præter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari*, collegit penes unum Romanum Episcopum convocandarum Synodorum potestatem esse? Aliud est convocare Synodos, aliud præter Romani Pontificis sententiam Concilia celebrari non posse. Id autem discrimen tam certum est, quàm quod certissimum.

VI. Bel-

VI. Bellarminus consecutionis suæ vitium tegere conatur nonnullis complexionibus, quas ex interpre-
287 tatione Calvini & Magdeburgensium infert. Sed frustrà conatur. Sint illi objectum canonem malè interpretati, desinetne ob id Bellarmini vitiosa esse consecutio? Si Calvinus & Magdeburgenses à vera canonis istius intelligentia aberraverint, ii nunquam efficient, ut fallax non sit, quæ fallax est consecutio. *Calvinus*, inquit ille, *respondet, ex illo canone id solùm effici, debuisse vocari ad Synodum, etiam Romanum Pontificem, quia erat unus ex præcipuis Patriarchis.* Bellarminus facti quæstionem ad juris quæstionem revocans à proposito digreditur. Nam quæstio una per aliam quæstionem minimè solvitur. Calvini tamen responsionem sic refellit: *At si ita esset, tunc etiam potuisset fieri canon, ne præter consensum Episcopi Alexandrini vel Antiocheni cogeretur Concilium.* Quid inde sequitur, nisi quòd debuisset servari talis canon, si talis ab Ecclesia conditus fuisset in Concilio? *Magdeburgenses*, inquit ille, *dicunt, verba Socratis non significare, præter Romani Pontificis sententiam non debere celebrari Concilia, sed non debere Ecclesias dedicari, quia Græcè habetur* ,κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας.

At Bellarminus illos perspicuè falli demonstrat ex subjecta materia, quæ interpretationem istiusmodi non admittit. Perversa quidem est Magdeburgensium, sed non melior Bellarmini interpretatio, cùm Julii, Socratis, Sozòmeni & Nicephori verba transfert ad Conciliorum convocationem, quæ ad Romanum Pontificem pertinent. Quidlibet non fit ex quolibet, & sua constat unicuique rei veritas, quæ à malignis interpretibus obscurari quidem potest, sed everti non potest. Jam
quæ tua est ingenii magnitudo & vis, omnino capies, 288
incelebratum olim fuisse canonem, quem hodie multi celebrem esse putant, & quamvis incelebratus non fuisset, eum tamen non pertinere quò plerique volunt, Sedis Apostolicæ traditione destituti, ut planum fecimus. Magistris illis omnino convenit, quod Joannes Roffensis Episcopus & Martyr prudenter scribit in libro de unica Magdalena: *Qui rationes invalidas & inefficaces adfert, perinde est ac si nullas attulisset, immò longè suisset ei satius nullas adduxisse. Cùm enim quis sententiam aliquam nulla fulcitam ratione producit in medium, simpliciter & nudis eam verbis asserens, dubitare adhuc de illo possumus, num abditum aliquid soliditatis habeat, cui innitatur, quod hactenus non explicuit. Verùm qui suam opinionem rationibus munit, quæ palam sunt invalidæ, nullíusque extant roboris, profectò seipsum prodit hallucinatum fuisse, atque fallacibus inductum rationibus, ut ita opinaretur, suumque ita errorem ipse manifestum facit, quando cunctis apertè liquet, eam omni solida carere basi.* In hanc reprehensionem incurrunt, qui quem Julius, Socrates & Sozomenus laudant canonem, hunc ad asserendum Romano Pontifici convocandarum Synodorum universalium jus insumunt, & tortuosis quibusdam argumentis ultrà porrigunt, quàm Julii decessoribus, Damaso, Siricio, Innocentio, Leone & Sede tandem Apostolica porrectum invenerint. Vale, Lutetiæ Paris. Nonis Martii ann. M. DC. LXVII.

Joannes Launoius,

ANTONIO FAURO

Parisiensi *Theologo.*

289 DE Gregorii Papæ VII. dictatu, qui libri II. epistolæ LV. ad Landensis Ecclesiæ filios, atque epist. LVI. ad Manassem Remensem Episcopum interponitur, sciscitaris quid sentiam: Num Gregorii sit, aut alterius, qui duabus illis epistolis dictatum interposuerit. Gregorii non esse, sed quid adventitium & apocryphum respondeo. Et primùm quidem quibus epistolis dictatus interponitur, gratis & sine ratione interponitur. Tam enim facilè potuit aliis epistolis interponi, quàm memoratis duabus epistolis interponitur. Siquidem in istis epistolis nihil omomnino traditur, quod dictatus interpositionem exigat. Temerè igitur, nec ullo Gregorii consilio interponitur dictatus ab eo, qui illum Gregorii ingenio convenire putavit. Deinde in Gregorii epistolis occurrunt multa, quæ Gregorio dictatum hunc abjudicant.

I. In titulo I. dicitur, quòd *Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.* Id non asseruisset Gregorius, quod in ejus epistolis nullum haberet testimonium sui, quod Romanorum Pontificum & sanctorum Patrum traditioni repugnaret. Hi enim dum se præbet occasio, Romanam Ecclesiam à Petro & Paulo fundatam esse constanter affirmant, & si qui fundatam illam à Domino scribunt, Petri & Pauli ministerium
290 non excludunt, ut hac in propositione luculenter excluditur.

Præterea, si propositio hæc sic intelligeretur, ut Romanæ Ecclesiæ Episcopus à Domino sit tantùm institutus, cæterarum Ecclesiarum Episcopi non item, id Gregorii VII. doctrinæ penitus adversaretur. In libri I. epistola III. ad Guibertum Ravennatem Episcopum: *Neque verò dilectioni vestræ dubitandum est, quin Romanam Ecclesiam, & eam cui Deo auctore præsidetis, ea concordia, & quantùm cum communi utriusque honore poterimus, omnimoda caritate copulare desideremus.* In epistola XXI. ad Guillelmum Papiensem Episcopum: *Quod quidem præ cæteris Longobardorum Episcopis te oportet agere, ut Apostolica & universalis Ecclesia eam, cui Deo volente præesse dinosceris speciali gratia & honore sublimavit ita*, & cætera. In libri IV. epistola XIII. ad Rodulfum Turonensem Archiepiscopum: *Qui nos in ea re Ecclesia, cui Deo volente præesse dinosceris, totius justitiæ locum reservasse cognoscis.* In libri VI. epistola XII. ad Landulfum Pisanum Episcopum: *Unde postulante te frater Landulfe, ut Ecclesiam, cui Deo volente præesse dignosceris, ejúsque bona ab adversariorum impetu & infestatione Apostolicæ Auctoritatis munimine tueremur.* In ejusdem libri epistola XXXIV. ad Gebuinum Lugdunensem Episcopum: *Quapropter, quia dilectissime in Christo frater Gebuine, postulasti à nobis, quatenus dignitatem ab antecessoribus nostris concessam Ecclesiæ, cui Deo auctore præesse dignosceris, confirmaremus.* Sic Deo volente & Deo auctore præesse Ecclesiæ rem eandem significant.
Quibus verbis cùm sermonem de se Gregorius instituit, 291
persæpe utitur: In libri II. epistola LXVII. ad Annonem Coloniensem Archiepiscopum: *Constat Ecclesiam Coloniensem inter cæteras regni Teutonici Ecclesias sanctæ & Apostolicæ Sedi, cui* DEO AUCTORE DESERVIMUS, *ita fide & dilectione atque obsequiis ab annis prioribus esse devinctam.*

decimam. In ejusdem libri Epistola LXXVII. ad Clerum & populum Babombergensem: *Notum est pene omnibus in Teutonicis partibus habitantibus, quòd Babembergensis Ecclesia specialis quodammodo filia adhæret matri suæ Romanæ Ecclesiæ, cui* DEO AUCTORE DESERVIMUS, *licèt indigni.* In Libri III. Epistola XVIII. ad Symeonem Hispanorum Episcopum: *Hæreticæ non debet pravitate minui, quod Apostolicæ constat traditione munitum. Apostolica enim Sedes, cui quamvis immeriti* DEO AUCTORE PRÆSIDEMUS, *ipso gubernante firma permansit ab ipsis primordiis.* In libri VI. Epistola XIII. *Licet ex universali cura sanctæ & Apostolicæ Sedis, cui* DIVINA MISERATIONE PRÆSIDEMUS, DEBITORES SIMUS OMNIBUS, &c. In libri VIII. epistola I. ad Simandensem Archiepiscopum: *Summæ Sedis specula,* CUI DEO AUCTORE LICET INDIGNI PRÆSIDEMUS, *ac universalis Ecclesiæ sollicitudo, quam ipsius disponente providentia gerimus, compellit nos,* &c.

His autem omnibus comparatis inter se apparet, ut Gregorium auctore Deo & miseratione divina Romanæ Ecclesiæ, sic & alios Episcopos auctore & volente Deo suis quemque Ecclesiis præesse. Sed Gregorius in libri I. Epistola XXII. ad Clerum & plebem
292 Carthaginiensem omnia sic absolvit: *Ineffabilis igitur gloriæ spe tam fideli promissore confidenter membra vestra mortificate, mortem Christi cordibus vestris infigite, adversa omnia pro eo pati gaudete, credentes cum Apostolo non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rixas ergo, & contentiones ut venenum vitate. Humilitatis discipuli, humilitatem induite, Christo vicem super vos habenti ex debito obedite: Consilia, admonitiones ejus vero amore amplecti insudate: Scientes cùm sibi, Christo, qui pro vobis passus est, obedieritis: Ejus vero prædicationes, indicia etiam cùm susceperitis, Christi per omnia suscipietis: Ait enim, qui vos suscipit, me suscipit, qui vos spernit, me spernit. Aliter verò si feceritis, in Christum peccatis, Christum spernitis, Christi discipuli esse desinitis: Apostolo resistitis, qui ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Cùm ergo mundanis potestatibus obedire prædicavit Apostolus, quantò magis spiritualibus, & vicem Christi inter Christianos habentibus? Hæc filii carissimi, gemens cogito, flens scribo, dolore cordis intimo vobis mitto: Pervenit quidem ad aures nostras, quosdam vestrûm irreligiosè in legem Christi contra Christum, Cyriacum venerabilem fratrem nostrum, vestrum verò Archiepiscopum & Magistrum, imò verò vestri Christum apud Saracenos sic accusasse, Jurgiis detractionis sic laterasse, ut inter latrones numeraretur, verberibus nudus cæderetur. O exemplum iniquum, vestri & universæ Ecclesiæ dedecoris exemplum!* Itaque si docente Gregorio VII. Carthaginiensis Episcopus ac proinde
293 cæteri, cùm eadem sit cæterorum ratio, Episcopi inter Christianos vicem Christi habeant, sicut ipsemet Christus, institutionem Domino suam acceptam referunt, atque ita Romanæ Ecclesiæ Episcopus à Domino solo institutus non est, & adscribi Gregorio nequit lemma hoc: *Quòd Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.*

II. In titulo II. dicitur: *Quòd solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis,* titulus hic nec est nec esse potest illius Pontificis, qui Gregorium primum ad imitandum sibi proposuit. Gregorius VII. nec imitaretur, nec subsequeretur Gregorium I. si Gregorio I. tam apertè contradiceret. Gregorius I. statuit, ne Romanum quidem Episcopum jure dici posse universalem, Gregorius verò VII. statuit, *solum Romanum Pontificem jure dici posse universalem.* Apud Gregorium I. sunt Epistolæ duodecim, in quibus argumentum istud tractatur, libri I. Epistola XXXII. ad Mauritium Imp. ejusdem libri epistola XXXIV. ad Constantinam Augustam: Ejusdem libri epistola XXXVI. ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum: Ejusdem libri epistola XXXVIII. ad Joannem Constantinopolitanum: Libri VI. Epistola IV. ad Cyriacum Constantinopolitanum: Ejusdem libri epistola XXIV. ad Anastasium Antiochenum: Ejusdem libri epistola XXVIII. ad Cyriacum Constantinopolitanum: Ejusdem libri epistola XXX. ad Mauritium Imp. ejusdem libri epistola XXXI. ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum: libri VII. Indict. I. epistola XXX. ad Eulogium Alexandrinum:
Ejusdem libri Indict. II. epistola LXX. ad Eusebium 294
Thessalonicensem & alios Episcopos: Libri XI. Epistola XLVII. ad Cyriacum Constantinopolitanum. Pauca de his Epistolis profero ad specimen: De Epistola I. *Quis est iste, qui contra statuta Evangelica, contra canonum decreta novum sibi usurpare nomen præsumit? Utinam vel sine aliorum imminutione unus sit, qui vocari appetit universalis.* De Epistola III. *Nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit, quia videlicet si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere in quantulacunque parte videatur.* De Epistola IV. *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud, quàm singularium plebium capita? Et tamen sub uno capite omnes sunt membra Ecclesiæ. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.* De Epistola VI. *Si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus, cadit, sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus meis.* De Epistola VIII. *Ego autem fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antechristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit.* De Epistola X. *Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi lo-* 295
quitur dicens: Sicut jussistis. Quod verbum jussionis, peto, à meo auditu removete: Quia scio, quis sum, qui estis? Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quia utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, & ecce in præfatione Epistolæ, quam ad me, ipsum qui prohibui, direxistis: Superbæ appellationis verbum, universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod, peto, dulcissima mihi sanctitas vestra, ultrà non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est universalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur, universum. Recedant verba, quæ vanitatem inflant & caritatem vulnerant.

Doctrinam hanc à tanto Pontifice consecratam diligenter coluerunt & observarunt successores.

Hadrianus I. in Epistola ad Constantinum & Irenem, quæ in actione VI. Synodi VII. & lecta & approbata est: *Valde mirati sumus, quòd in vestris Imperialibus jussis pro Patriarcha regiæ urbis Tarasio directis,*
universalem ibidem eum reperimus exaratum, sed utrum 296
per imperitiam, aut schisma, vel hæresim iniquorum scriptum est, ignoramus. Sed deinceps suademus vestræ clementissimæ Imperiali potentiæ, ut minimè in suarum exarationum serie universalis describatur, quia contra sanctorum canonum instituta, seu sanctorum Patrum traditionem decreta esse videtur.

Nico-

Nicolaus I. in Epistola LXX. ad Hincmarum & alios Archiepiscopos & Episcopos Galliæ: *Sed quid mirum, si hoc isti prætendunt, cùm etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc & primatum Romanæ Sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, & cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse: Ita ut ejusdem invasor Ecclesiæ Photius etiam ipse se in scriptis suis Archiepiscopum atque universalem Patriarcham appellet. Videte ergo, si hæc Ecclesiæ Christi non præjudicent, videte si tolerabilia valeant æstimari.*

Leo IX. in Epistola I. ad Michaelem Constantinopolitanum: *Successit quoque huic Joannes, cujus superbiam quamvis universus mundus capere nequiverit, angustus tamen cespes post non multum temporis compressit. Hic nimiæ vanitatis novum nomen primus sibi usurpavit. Ubi se à cunctis œcumenicum Patriarcham, id est, universalem & dici & scribi debere decrevit: Pro qua utique præsumptione à beatis Pontificibus Pelagio & Gregorio digna perculsus est excommunicatione. Cujus contagii macula adhuc vobis cum ipsa maledictione sic adhæsit, ut nunc quoque vos ipsos œcumenicos Patriarchas*
297 *appellare & scribere non timeatis. Et certè nomen istud à sanctis Patribus in Chalcedonensi Synodo ob reverentiam sanctæ Romanæ & Apostolicæ Sedis sanctissimo decessori nostro Leoni Papæ & præclarissimo Doctori, successoribúsque ejus fuit oblatum, sed nec ab illo, nec ab ullo successorum ejus consilio hactenus receptum. Et cui post Christum Jesum hoc nomen poterat magis aptari, quàm successoribus Petri? Sed imitanda humilitas reverendorum Pontificum, attendens, quòd ipse Princeps Apostolorum non invenitur dictus universalis Apostolus: Superbum refutavit vocabulum penitus, quo videbatur par dignitas subtrahi cunctis per orbem præsulibus, dum uni ex toto arrogaretur: Tanquam singulis dicerent verbis & factis, quod magister eorum, & primus crucifigendus inquit: Non sum dignus sursum caput ponere, sed declinare vultum in terram. Vestra ergo fraternitas videat, quanta apud se protervia tumeat, quæ nec oblatum sibi à quoquam, nec concessum, sed potiùs denegatum, & sub anathematis interpositione ab Apostolica & prima Sede, & à sanctis & orthodoxis Patribus indictum superstitiosum vocabulum, tanta obstinationis contumacia per quadringentos jam à beatissimo Papa Gregorio & ampliùs annos usurpare non cessas: Et qualiter exemplo Domini nostri Jesu Christi, & suorum parati estis pro fratribus animas ponere, qui per tot tempora noluistis saltem inane nomen & totius Ecclesiæ unitatem sua insolentia scandalizans deponere.* Hæc ille, quem Gregorius VII. per ætatem videre & alloqui potuit. Nam inter Leonis IX. excessum & Gregorii VII. creationem anni tantum in-
298 tercedunt decem & octo. Quis modò prudens & attentus crederet, Gregorium sine ulla Ecclesiasticorum canonum, quos relati Pontifices laudant, & Apostolicæ Romanæque traditionis derogatione, & sine explicatione ulla voluisse sibi sumere, *quòd solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis.* Deinde, si Romanus Pontifex jure dicatur universalis, cur ipsemet Gregorius universalem se suis in Epistolis non inscripsit?

III. In titulo III. dicitur: *Quòd ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare.* Et in titulo XXV. dicitur: *Quòd absque Synodali conventu possit Episcopos deponere & reconciliare.* At nihil fingi vel excogitari potest, quod Gregorii doctrinæ magis adversetur. Ego ausim asserere, nullum unquam fuisse Pontificem, qui Synodales conventus egerit frequentiùs, & amaverit sinceriùs. In Epistolis illius nihil, quod esset alicujus momenti, sine Synodo constituit, multò minùs deposuit Episcopos, quorum depositio ad majores Ecclesiæ causas pertinet. Hic unus ex libri I. epistola XLIII. ad omnes Episcopos Mediol. Provinciæ locus in probationem sufficeret: *Non incognitum vobis esse credimus in Romana Ecclesia jamdudum constitutum esse, ut per singulos annos ad decorem & utilitatem sanctæ Ecclesiæ generale Concilium apud Sedem Apostolicam sit tenendum. Nos itaque hujus celebritatis hoc in tempore causam valde necessariam considerantes in prima hebdomada quadragesimæ Synodum annuente Deo Romæ celebrare disposuimus, ad quam omnes vos & Apostolica auctoritate præsentiam vestram exhibere commonemus atque præcipimus, quatenus unà nobiscum 299
& cum alia frequentia vestri ordinis, officii nostri debitam sollicitudinem in divinis & Ecclesiasticis causis suffragante divina clementia commodè ac reverenter exercere valeamus.* Hæc est Romanæ Ecclesiæ traditio, à qua Gregorius recedebat nusquam, ut ipse docet in libri II. epistola 2. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Solet,* inquit, *sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere.* Sic Episcopum absque Synodali conventu non privasset Sacerdotio, nisi forsan Episcopus in hæresim jam à Concilio damnatam incurrisset. Sed id quicunque alius Episcopus faceret, ut Gelasius Papa scribit in Epistola IV. ad Faustum: *Euphemium verò miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itáne non perspicit, secundùm formam Synodi Chalcedonensis Acacium fuisse damnatum? Nec novit eam, aut se nosse dissimulat, in qua utique per numerosam sententiam Sacerdotum, erroris hujus auctores constat fuisse damnatos: Sicut in unaquaque hæresi à principio Christianæ religionis & factum fuisse & fieri manifesta rerum ratione monstratur, decessorémque meum executorem fuisse veteris constituti, non novæ constitutionis auctorem? Quod non solùm præsuli Apostolico facere licet, sed cuicunque Pontifici, ut quoslibet & quemlibet locum secundùm regulam hæreseos antè damnatæ, & communione Catholica discernant. Acacius quippe non fuit novi, vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scita prodirent, sed alieno 300
facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, ut in eam recideret justa lance sententiam, quam cum suis successoribus per convenientiam Synodalem susceperat auctor erroris.*

Præterea in libris novem Epistolarum ne una quidem est, ubi unus, vel alter titulus repræsentetur, ita ut appareat, Episcopum hæreseos novæ conditorem fuisse ab eo sine Synodali conventu depositum.

IV. In titulo VII. dicitur: *Quòd illi soli* (Rom. Pont.) *licet pro temporis necessitate novas leges condere.* At titulus hic Gregorio penitus repugnat: Sic enim scribit II. epistola LXVII. ad Annonem Coloniensem Archiepiscopum: *Novit fraternitas tua, quia præcepta hæc non de nostro sensu exsculpimus. Sed antiquorum Patrum sanctiones Spiritu sancto prædicante prolatas officii nostri necessitate in medium propalamus, ne pigri servi subeamus periculum, si dominicam pecuniam, quæ cum fœnore reposcitur, sub silentio abscondamus: Quanquam huic sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit, sempérque licebit contra noviter increscentes excessus nova quoque decreta atque remedia procurare, quæ rationis & auctoritatis edita judicio, nulli hominum sit fas, ut irrita refutare.* Nota: *Quanquam huic sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit*: Non addit excludendi particulam: *Huic soli sanctæ Romanæ Ecclesiæ semper licuit.* Deinde non loquitur de Romano Pontifice, tantùm abest, ut loquatur de solo Romano Pontifice, sed loquitur de Romana Ecclesia: Aliud est Romana Ecclesia, aliud Romanus Pontifex: Sicut aliud est caput 301
corporis, aliud corpus. Tum in ejusdem Libri Epistola LXVIII. ad Wezelinum Magdeburgensem Archiepiscopum: *Non nostra,* inquit, *decreta, quanquam licenter si opus esset possemus, vobis proponimus, sed à sanctis Patribus instituta renovamus, ne nostro silentio servi dominicam pecuniam abscondentis sententiam incurramus. Licenter,* inquit, *si opus esset, possemus,* non adjicit, *soli possemus.*

Adhæc

Adhæc quæ decreta edebat Gregorius, in Synodo edebat, ut de libri III. epistola X. ad Henricum Regem observare licet: *Congregata hoc in anno apud Sedem Apostolicam Synodo, cui nos superna dispensatio præsidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum interfuere fidelium, videntes ordinem Christianæ religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas, concussi periculo & manifesta perditione Dominici gregis ad sanctorum Patrum decreta doctrinámque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam relicto errore repetendam & sectandam esse censemus.* In Synodo instaurabat veterum Patrum decreta, tantùm abest ut sibi soli sumeret novas leges & nova decreta condere.

Profectò quæ ad hunc titulum animadvertimus, hæc sufficiunt, ut Gregorio dictatus abjudicetur.

V. In titulo X. dicitur: *Quòd illius solius* (Rom. Pont.) *nomen in Ecclesiis recitetur.* Si Gregorio VII.
302 Pontifice in Ecclesiis recitabatur idem Missæ canon, qui modò recitatur, non solius Romani Pontificis nomen in eo recitabatur. Nam diœcesani quoque Episcopi recitabatur. At quis nunc sine probatione certa crederet, sub Gregorio VII. Romani solius Pontificis nomen recitatum esse in Missæ canone, cui temporis progressu diœcesani antistitis nomen adjunctum esset?

Præterea in orationibus, quæ feria VI. Parasceves dicuntur, cantata Dominica Passione, non diœcesani modò Episcopi, sed etiam Imperatoris nomen apparet. At certum est orationes hujusmodi multò ante Gregorii ætatem dici consuevisse in Occidentali Ecclesia. Hæ ex sua contextione Caroli Magni tempus appellant.

VI. In articulo XI. dicitur: *Quòd unicum est nomen* (Papæ) *in mundo.* Quid articulus hic significet, articuli verba præ se non ferunt: Baronius ad annum Christi CLXXV. putat statuisse Gregorium VII. ut Papæ nomen unius duntaxat Romani Pontificis esset in toto Christiano orbe, nec liceret alicui alii vel seipsum, vel alium ea nuncupatione insignire. At mirum esset id fecisse Gregorium, nec in Epistolis suis meminisse uspiam. Immo Gregorius in libri IV. epistola VI. ad Henricum Leodiensem Episcopum apertè significat se nunquam id decreturum esse, quod eum decrevisse Baronius contendit. Verba sunt: *Quòd de causa Guillelmi Trajectensis Episcopi nos consuluisti, prudentia tua non tam à nobis, quàm à communi sanctorum Patrum sententia indubitanter expressum addiscere & intelligere potest: Quorum statuta sectantes aut*
303 *defendentes, si quando judicium de negotiis Ecclesiasticis fecimus vel facimus, non nova aut nostra proferimus, sed ab eis per Spiritum Sanctum prolata sequimur & exercemus.* Quis quæso sciens & prudens ad hunc Gregorii morem, ingenium & consilium, plerosque Dictatus titulos & eum maximè, quem tractamus, aptaret? Nonne noverat derivatam ab initio Ecclesiæ traditionem, qua Papæ nomen Episcopis omnibus impertiebatur? Nonne noverat traditionis hujus auctorem fuisse Romanum Clerum, qui apud Cyprianum in Epistola III. sic ad Carthaginiensem Clerum scribit? *Didicimus secessisse benedictum Papam Cyprianum à Clementio Subdiacono, qui à vobis ad nos venit.* Deinde in Epistola XXX. Romanus Clerus ad Cyprianum: *Cypriano Papæ Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes.* Tum in Epistola XXXI. ejusdem Cleri ad eundem Cyprianum: *Cypriano Papæ Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes.* Hinc in fine Epistolæ: *Optamus te, beatissime & gloriosissime Papa, in Domino semper bene valere.*

Romani Cleri exemplum sequuntur Confessores, qui in Epistola XVII. ad Cyprianum ita scribunt: *Universi Confessores Cypriano Papæ.* Sequuntur Moyses, Maximus & alii dum in Epistola XXVI. ad Cyprianum eundem scribunt: *Cypriano Papæ Moyses & Maximus Presbyteri,* &c. In fine Epistolæ: *Optamus te, beatissime ac gloriosissime Papa, in Domino semper bene valere.*

Traditio hæc Alexandrinam minimè latebat Ecclesiam. Dionysius siquidem illius antistes in Epistola
ad Philemonem Romanum Presbyterum decessorem 304
suum nomine Heraclam Papam suum appellat: *Istum canonem, istúdque exemplum à beato Papa nostro Heracla,* παρὰ τοῦ μακαρίου πάπα *accepi.*

Romanæ Ecclesiæ traditionem edocti jam erant non Christiani modò, sed etiam ethnici, ut ex beati Cypriani passione colligimus, in qua sic habetur: *Proconsul eum* (Cyprianum) *intuitus ait: Tu es Thascius Cyprianus, qui te Papam sacrilegæ mentis hominibus præbuisti.*

Constantinus illud sciebat, cùm ad Athanasium in Apologia II. scribit: *Victor Constantinus Maximus Augustus Papæ Athanasio,* τῷ πάπᾳ Ἀθανασίῳ.

Presbyteri & Diaconi Alexandrini apud Athanasium in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ sic scribunt Alexandrino Episcopo suo: *Beato Papæ Episcopo Alexandro Presbyteri & Diaconi in Domino salutem. Fides nostra jam usque à majoribus nostris, quam didicimus à beato Papa, hæc est.* Et paulò post: *Quemadmodum & tu beate Papa in media Ecclesia de solio tuo discipulis tuis subinde exposuisti.* Infra: *Quid expostulatis cum Alexandro Papa sermocinante ex Patre esse Filium?*

Romanæ Ecclesiæ traditionem sequuntur Latini Patres.

Rufinus in expositione symboli ad Episcopum quendam nomine Laurentium: *Mihi quidem,* inquit, *fidelissime Papa Laurenti, ad scribendum animus, tam non est cupidus, quàm nec idoneus.*

Prudentius in libro περὶ στεφάνων, hymno IV. in passione sancti Hippolyti martyris ad Valerianum Episcopum: *Rorantes saxorum apices vidi, optime Papa.*

Hieronymus in sex ad Augustinum Epistolis, has 305
sic inscribit: *Domino verè sancto & beatissimo Papæ Augustino Hieronymus in Domino salutem.* Hæ autem sunt inter Augustinianas undecima, decimatertia, decimaseptima, decimaoctava & trigesima: Et in decimaoctava legitur: *Sanctos fratres, qui nobiscum Domino serviunt, affatim te salutant, & sanctos, qui tecum Christi leve trahunt jugum, præcipuè sanctum & suscipiendum Papam Alipium, ut meo obsequio salutes precor: Incolumem te & memorem mei Christus Deus noster tueatur omnipotens, Domine verè sancte & beatissime Papa.*

Augustinus ipse duas ad Aurelium Epistolas LXXVI. & LXXVII. ita inscribit: *Domino beatissimo & debita observantia venerabili, sinceriúsque charissimo fratri & consacerdoti Papæ Aurelio, Augustinus in Domino salutem.*

Sidonius Arvernorum Episcopus in libri IV. Epistola II. Claudiani ad Sidonium Papam, in libri VI. Epistola I. ad dominum Papam Lupum, Epist. II. ad Papam Pragmatium, Epistola III. ad dominum Papam Leontium, Epistola IV. ad dominum Papam Lupum, Epistola V. ad dominum Papam Theoplastum, Epistola VI. ad dominum Papam Eutropium, Epistola VII. ad dominum Papam Fronteium, Epistola VIII. ad dominum Papam Græcum, Epistola IX. ad dominum Papam Lupum, Epistola X. ad dominum Papam Censorium, Epistola XI. ad dominum Papam Eleuterium, Epistola XII. ad dominum Papam Patientem scribit, & unamquamque libri hujus Epistolam sic concludit: *Memor nostri esse dignare domine Papa.*

In libri VII. prioribus Epistolis XI. ad dominum
Papam Mamertum, ad dominum Papam Græcum, 306
ad dominum Papam Megethium, ad dominum Papam Fonteium, ad dominum Papam Agræcium, ad dominum Papam Basilium, ad dominum Papam Græcum, ad dominum Papam Euphronium, ad dominum Papam Perpetuum, ad Papam Auspicium & ad

dominum Papam Græcum ſcribit, & unamquamque Epiſtolam ſic concludit: *Memor noſtri eſſe dignare domine Papa.*

In libri VIII. Epiſtola XIII. res ſic ſe habet: *Sidonius domino Papa Nonnechio S. Multa in te genera virtutum, Papa beatiſſime, munere ſuperno congeſta gaudemus.* Iofrà: *Memor noſtri eſſe dignare domine Papa.* In ejoſdem Libri Epiſt. XIV. *Sidonius domino Papa Principio S. Jam diu nobis Papa venerabilis, etſi necdum veſter vultus aſpectus, tamen actus inſpectus eſt.* Infrà: *Memor noſtri eſſe dignare domino Papa.* In Epiſtola XV. *Sidonius domino Papa Proſpero S.* Infrà: *Memor noſtri eſſe dignare domine Papa.* Mitto Epiſtolas X. quæ in libro IX. parem titulum ad finem habent.

Avitus Viennenſis Epiſcopus in Epiſtola VII. *Conſtantinopolitano Papa*, & in Epiſtola XXXIII. *Hieroſolymitano Papa* ſcribit.

Clodoveus Rex traditione priſca imbutus ſcriptam à ſe poſt bellum Gothicum Epiſtolam hoc modo concludit: *Orate pro me domini ſancti, & Apoſtolica Sede digniſſimi Papa.*

Turonenſe Concilium II. quod anno DLXVII. habitum eſt, in canone XXI. Papam nominat Avitum
307 Viennenſem Epiſcopum. Adſcribo verba canonis XX. *Omnes ſciant, quòd nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis, quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet, ſicut in Epaonenſibus canonibus à Papa Avito, vel omnibus Epiſcopis conſcriptum eſt.* Deinde in can. XXI. *In Epaonenſibus canonibus à Papa Avito, vel reliquis Epiſcopis conſtitutum eſt.* Sic Romanæ Eccleſiæ circa nomen Papæ commune Epiſcopis omnibus traditio confirmatur.

Euphronius Turonenſis Epiſcopus apud Gregorium Turonenſem, in libri IV. hiſtoriæ Francorum capite XXVI. Papa nuncupatur: *Qui veniens Turonis rem geſtam beato Euphronio pandit deprecans, ut hoc conſenſum ſubſcribere dignaretur, quod vir Dei manifeſtè reſpuit. Igitur poſtquam Presbyter Pariſiaca urbis portas ingreſſus regis præſentiam adiit, hæc effatus eſt: Salve Rex glorioſe: Sedes enim Apoſtolica Eminentia tua ſalutem mittit uberrimam: Cui ille, numquid ait? Turonicam adiiſti urbem, ut Papa illius ſalutem nobis deferas.* Hoc in loco Manuſcripti Codices variant, quorum alii cum editis conveniunt, alii non conveniunt: Qui conveniunt, debent vincere, cùm ab antiqua diſciplina & Romanæ Eccleſiæ traditione & loquendi more non diſſentiant.

Fortunatus Pictavienſis Presbyter in libri I. carmine IX.

Promptus amore pio, qua Papa Leontius olim
Condidit eximio conſolidata loco.

In ejuſdem libri carmine XI.

Fundavitque piam dehinc Papa Leontius aulam.

In ejuſdem libri carmine XII.

308 *Qui precibus commiſit opus tibi Papa Leonti.*

In ejuſdem libri carmine XIII.

Quantus amor Domini maneat tibi Papa Leonti.

In ejuſdem libri carmine XV.

Nobilitate potens præcellis Papa Leonti.

In ejuſdem libri carmine XIX.

Nunc revocanda venis Papa mercede Leonti.

Hic Papa Leontius Burdegalenſis eſt Epiſcopus.

In libro III. carminum: *Domino ſancto & meritis Apoſtolico domno & dulci patri Euphronio Papa Fortunatus.*

Ibidem: *Domno ſanctóque mihi in Deo peculiari patrono Euphronio Papa Fortunatus.* Hic Papa Euphronius Turonenſis eſt Epiſcopus.

Ibidem: *Domno ſancto & Apoſtolica Sede digniſſimo domno & Patri Felici Papa Fortunatus.* Hic Papa Felix Nannetenſis Epiſcopus.

Ibidem in carmine XIII. *Domno ſancto & meritis Apoſtolicis prædicando in Chriſto Patri Magnerico Papa Fortunatus.* Hic Papa Magnericus Moguntinenſis eſt Epiſcopus.

Ibidem in carmine XXVI. *Domno ſancto atque Apoſtolicis actibus prædicando domno pio & peculiariter dulci in Chriſto Patri Avito Papa Fortunatus.*

In libro V. carminum: *Domno ſancto & meritis Apoſtolicis præconcando domno & in Chriſto Patri Gregorio Papa Fortunatus.*

Ibidem: *Domno ſancto & Apoſtolica Sede digniſſimo domno Gregorio Papa Fortunatus.* Hic Papa Gregorius Turonenſis eſt Epiſcopus.

Ibidem in carmine XVIII.

Longius hinc veſtro ſub nomine Papa Gregori. 309

qui Turonenſis eſt Epiſcopus.

Denique in opere de vita ſancti Martini, quod Gregorio Toronenſi nuncupat: *Domno ſancto atque Apoſtolico, piiſſimo in Chriſto & peculiari Patri Gregorio Papa Fortunatus.*

Inter Epiſtolas, quæ Tomo I. Hiſtoriæ Francorum adtexuntur.

Num. V. *Domino ſuo Nicetio Papa Florianus ex Monaſterio Romano.*

Num. XI. *Domino ſancto & in Chriſto beatiſſimo fratri Nicetio Papa Mapinius Epiſcopus.*

Num. XV. *Domino ſuo Villico Papa Mapinius Epiſcopus.*

Num. XVII. *Domino ſemper peculiari ſuo Villico Papa Dynamius.*

Num. XXI. *Domino ſemper ſuo & Apoſtolico domino & Papa Nicetio Rufus Epiſcopus.*

Num. XXII. *Domino verè ſancto ac beatiſſimo Domino & Patri Petro Papa Gogus.* Sub finem Epiſtolæ: *Per te, beatiſſime Papa, ſaluto univerſam plebem paſtorali vobis ſollicitudine commendatam.*

Num. LIV. *Domno ſemper ſuo Modoaldo Papa Deſiderius peccator.*

Num. LVI. *Domino ſemper ſuo Abboni Papa Deſiderius peccator.*

Num. LVII. *Sancto ac præferendo Apoſtolico Patri Dadoni Papa Deſiderius ſervus ſervorum Dei.*

Num. LXVI. *Domno ſancto & Apoſtolica Sede digniſſimo domno & Patri Deſiderio Papa Aunulfus peccator.*

Num. LVII. *Domino ſemper nobis proprio & poſt Deum peculiari Patrono Deſiderio Papa Conſtantius & Dado Epiſcopi.* Sic concludunt Epiſtolam: *Annis multis* 310
vobis ſervire mereamur, beatiſſime Papa.

Num. LXIX. *Domno ſuo ſemper atque Apoſtolico Patri Deſiderio Papa Elegius ſervus ſervorum Dei.*

Num. LXX. Quam Ruricius Deſiderio Epiſcopo inſcribit Epiſtolam, ſic eam concludit: *Orate pro nobis, domine ſemper peculiaris atque Apoſtolice Papa.*

Num. LXXII. *Domino ſemper ſuſpiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando domno Deſiderio Papa Sulpitius peccator.* In fine Epiſtolæ: *Annis innumeris vobis ſerviam & proſperis perſeverantibus, polle, beatiſſime Papa.*

Num. LXXIII. *Domino reverendiſſimo, palma triumphali decorato, ac Pontificali nomine adornato, præcellentiſſimo Eccleſiæ ſpeculatori Deſiderio Papa, Paulus peccator.*

Num. LXXIV. *Domino ſemper ſuo Deſiderio Papa Paulus peccator.*

Num. LXXV. *Domino ſemper proprio Deſiderio Apoſtolico Papa Abbo peccator.*

Num. LXXVI. *Domno clementiſſimo, palmata triumphatione decorato, Pontificali officio coronato, domno ſemper meo Deſiderio Papa Chriſtique ſpeculatori Chanulfus veſter.*

Num. LXXVII. *Domino semper nobis proprio Apostolico Patri Desiderio Papa Constantius peccator.*

Num. LXXVIII. *Domino semper suo Desiderio Papa Verus peccator.*

Num. LXXXII. *Domino semper suo & Apostolico Patri Desiderio Papa Gallus peccator.*

311 Num. LXXXIII. *Domino semper praferendo & cum omni veneratione nominando beatissimo Patri Desiderio Papa Felix peccator.* In fine Epillolæ: *In sacrosanctis precibus vestris nostri memoriam admiscere dignemini, domine veriùs & semper suscipiende Papa.*

Marculfus Monachus Formularum libros duos Landerico Papæ sic nuncupat: *Domino sancto & meritis beatissimo, & Apostolico semper honore suscipiendo, omnique praconio laudis celebrando domino ac reverentissimo Papa Landerico, Marculfus ultimus, ac vilissimus omnium Monachorum.*

Deinde in libri II. formula XLIII. de Redemptione ad Episcopum: *Domino sancto meritis Apostolico in Christo desiderabili domino & fratri illo Papa ille peccator Episcopus.* Quæ in formulis præscribuntur, communem & publicum rei usum ostendunt.

Eulogius Presbyter, qui ad annum DCCCL. claruit, in Apologetico sanctorum Martyrum sub finem: *Adest & venerabilis Pontifex felicium stipatus agmine Clericorum votis ardentioribus, talibus interesse festinantes exequiis, qui mox sanctas reliquias adeunt, & inclitus Papa detegit, & oculis sancta membra denudat.*

Tortarius Floriacensis Monachus in versibus, quos de translatione S. Mauri martyris pepigit.

Illius (Benedicti) *& normam juxta deducere vitam,*
Quam me barbarico Papam contradere ludo.

Hæc ante annos plus minùs sexcentos, quæ deriva- 312 tam ab initio usque ad Gregorii VII. ævum traditionem demonstrant. Quis modò expensis rebus omnibus crederet, traditionis hujus lineam decreto abrumpere voluisse Gregorium, qui profitetur se non nova aut sua, sed quæ communi sanctorum Patrum sententia expressa sunt, in lucem edere ac proferre? Qui in libri II. Epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem, ait Sedem Apostolicam *in suis decretis & constitutionibus à canonica traditionis concordia nusquam discedere.*

Præterea si Gregorius fecisset id, quod eum ex dictatu fecisse conteudit Baronius, fecisset quidem, quia nomen Papæ & res hoc nomine significata Episcopis omnibus gratis & sine ratione tributa fuisset hactenus. At illud quis assereret traditione salva, quæ primam sui originem ex Romana traheret Ecclesia? Injuriam crearet Gregorio, quem in sua sævientem viscera repræsentaret. Si fecisset verò, quia nollet Papæ nomen & rem eo nomine significatam Episcopis tribui ampliùs, pugnasset secum, oppressa Romanæ & universæ Ecclesiæ traditione, cujus assertor & patronus esse debet. His adde, quæ in libri I. Epistola XXIV. ad Brunonem scribit Veronensem Episcopum: *Sicut Romana Ecclesia debitum honorem impendo, à cateris Ecclesiis, ita unicuique Ecclesia proprium jus servare desideramus.* Quod in libri IV. Epistola XVI. ad Romanenses Clericos repetit: *Sicut Romana & Apostolica Ecclesia jura & dignitates suas conservare cupimus, ita & membris ejus videlicet cateris Ecclesiis ex hujus providentia & auctoritate oportere & dignissimum* 313 *esse perpendimus.* Concludit omnia, cùm in libri II. Epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem scribit, CAVENDUM SIBI ESSE, *ne quicquam à nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur.*

Quibus ex causis adducimur ut credamus Gregorium Episcopis Papæ nomen, & quicquid eo nomine dignitatis importatur, vindicaturum esse, si adversus Novatores quosdam suo tempore vindicandum fuisset; tantum abest ut vetuerit, ne quod nomen per annos mille & ampliùs tributum fuerat Episcopis, deinceps tribueretur. Sic dictatum Gregorio abjudicandum esse censemus.

VII. In titulo XXIII. dicitur: *Quòd Romanus Pontifex si canonicè fuerit ordinatus, meritis beati Petri efficitur sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi Episcopo, ei multis sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis beati Symmachi Papa continetur.* Et primùm quidem non tam præcisè dicuntur ab Ennodio, quæ hic ex eo laudantur. Ennodii verba sunt in Apologetico pro Synodo: *Non nos beatum Petrum sicut dicitis à Domino cum Sedis privilegiis, vel successores ejus peccandi judicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem cum hareditate innocentia misit ad posteros: Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tanta dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt qua a loci decessore prastantur: Aut enim claros ad hac fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat.* Ennodius de Pontificalis officii sanctitate loquitur potiùs, quàm de vitæ sanctitate, quæ homi- 314 nem Deo gratum, æternæque gloriæ candidatum reddit. At contrà titulus ille de posteriori sanctitate loquitur potius, quàm de priori; atque ita Ennodio vis infertur. Hoc autem Gregorio tribuere non auderem.

Deinde quidquid id est, non legitur in Symmachi Papæ decretis, quæ habet vetus codex canonum Romanæ Ecclesiæ. Qui dictatum asserunt Gregorio, coguntur errorem hunc illi affricare. Non cogor ego, quia ut dictatum, sic & errorem, tanquam ab ingenio Gregorii alienum rejicio.

Postremò nunquam dixisset Gregorius meritis beati Petri sanctos effici nonnullos Formosi Papæ successores, de quibus Baronius ad annum DCCCXCVII. sic loquitur: *Cùm verò hos Romana Ecclesia passa est tyrannos Tuscia Principes dominantes, sive pecuniis sive armis populo Cleróque Romano, per quos intrusi in cathedram Petri, solium Christi, homines monstruosi, vita turpissimi, moribus perditissimi, usquequaque fœdissimi, vestimentis exuta gloria atque latitia, mœrens, dolens ac lugens, sedit in tristitia Domina gentium. Caterum etsi interdum deforme valde, turpéque contigerit apponi Ecclesia caput, tolerandum tamen ipsi fuit.* Quæ illustris annalium Ecclesiasticorum conditor monumentis consignat suis, ita nota erant Gregorii VII. tempore, ut ea ignorare non potuerit. Quemadmodum & probè noverat, quæ Luitprandus in libri VI. de rebus per Europam gestis capite VII. de Joanne XII. tradit; Referens acta Romani Concilii, in quo hic Pontifex abdicatus: *Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter se vidisse illum missam celebrasse, & non* 315 *communicasse testatus est: Joannes Episcopus Narniensis, & Joannes Cardinalis Diaconus, se vidisse illum Diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus sunt professi. Benedictus cum cateris Condiaconis & Presbyteris dixit se scire, quòd ordinationes Episcoporum pretio faceret, & quòd annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinaret. De sacrilegio non esse necesse percontari, dixit, quia plus videndo, quàm audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quod oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Raineri, & Stephanam patris concubinam, & Annam viduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum Palatium lupanar & prostibulum fecisse. Venationem dixerunt publicè exercuisse. Benedictum spiritualem patrem suum lumine privasse, & mox mortuum esse, Joannem Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse; ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam Cleri, quàm laici acclamarunt. In ludo aleæ Jovis, Veneris caterorúmque damonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas ac canonicas horas eum non cele-*

 brasse;

brasse, nec signo crucis se munivisse professi sunt. Deinde in capite x. de morte horribili Joannis ejusdem Papæ XII. *Quadam nocte extra Romam, dum se cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeo à diabolo est percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed Eucharistia viaticum ipsius instincta, qui eum percusserat, non percepit, quem-*
316 *admodum à suis cognatis & familiaribus, qui præsentes erant, persæpe sub attestatione audivimus.* Hæc autem omnia, cùm perfectè teneret Gregorius, is prudens & attentus dixisset unquam Romanos Pontifices meritis beati Petri sanctos effici. Observatio hæc ad abjudicandum Gregorio dictatum sufficeret. Ta non ignorss necesse non esse ut ostendatur, dictatum ab ingenio & moribus Gregorii abhorrere, singulos dictatus articulos Gregorii scriptis non convenire. Abunde est, si nonnulli dissentiant, uti vehementer dissentiunt. Qui dictatum Gregorio subjecit, de Gregorii doctrina nonnullis quidem articulis, sed non omnibus accommodsvit. Quo pacto fraudem suam aliter patefecit. Vale, Lutetiæ Paris. Calend. April. ann. M. DC. LXVII.

Joannes Launoius

LUDOVICO MARÆSIO,

Parisiensi Theologo.

317 SCIS quæ mihi causa sit, cur de fratris Vincentii Baronis exercitatione in postremam nostræ partis quintæ Epistolam ad te scribam. Sed in incipiendi tatione non tenebo te diutiùs. Epistolæ hujus idem erit initium, quod Epistolæ beati Hieronymi ad Marcum Celedensem Presbyterum: *Decreveram quidem*, inquit, *utendum mihi Psalmistæ voce dicentis: Cum consisteret adversum me peccator, obmutui, & humiliatus sum & silui à bonis. Et iterum: Ego verò tanquam surdus non audiebam, & tanquam mutus non aperiens os suum, & factus sum, ut homo non audiens. Sed quia charitas omnia superat & propositum vincit affectus, non tam injuriam facientibus reddo vicem, quàm tibi satisfacio postulanti. Apud Christianos enim non qui patitur, ut ait quidam, sed qui facit contumeliam, miser est.* Baronis exercitationi non respondebo, quia in ea expressi ac solidi nihil est, quod justam responsionem exigat. Plena quidem sunt omnia calumniis, sed eas auctori suo ut propriam illius supellectilem relinquo. Domesticum est instrumentum, quod illi multò minùs, quàm usuta lucis auferretur. Vir disciplinæ apud Monachos severioris, maledicere adversario conscientiæ bonæ signum esse, & causam, quam agit, nonnisi .ver-
318 borum immoderatione defendi posse arbitratur. Monachorum nomine utor, cum eo usum Sixtum V. tempore in sermone, quem in Consistorio IV. Nonas Septembris ann. M. D. LXXX. habuit de Henrici III. morte: *Christianam religionem Baro aliter colit, quàm nos colimus. Colit ille cum novis quibusdam Theologis, nos cum antiquis, de quibus apud Hieronymum mentio injicitur.* Responsionis igitur loco hinc inde seligam certa quædam exercitationis momenta, quæ animadversiones nostras excipient.

ANIMADVERSIO I.

Pauca de pluribus notantur mendacia, cùm ad specimen operis, tum ad indicium opificis.

MEndacium primum est in Præfatione exercitationis pag. 370. *Totis viribus Romani Pontificis primatum ita apertè invasit, ut ausus sit scribere à duobus, aliunde, quàm à liberalitate Constantini, vel à conventione cum Episcopo nescio quo Hierosolymitano, cujus ne quidem nomen extat in historiis, unita repetitum fuisse.* Peccarem in lectores meos, si de Barone Monacho quærerem, quibus in Epistolis, & quibus in lucubrationibus aut commentariis res tam falsas & tam insulsas exaraverim, & Romani Pontificis Primatum ita deformaverim. Calumniator est impudens & stolidus, qui talia de Romani Pontificis primatu vel scripsit vel finxit. Baronem de me finxisse certum est, quia nunquam scripsisse me constat.

Mendacium secundum in articulo I. pag. 372. *Atque at alteri satisfaciam accusationi primis Epistolæ ver-* 319
bis insertæ, sciat Launoius non eo consilio à me fuisse responsum, quasi quæ titulo nostræ Apologiæ præferuntur, omnes fusè aut ullam ex professo partium impugnarit. Impactam mihi calumniam non tam diluit, quàm miserabiliter eludit. Quis quæso cognoscendi consilii, quod frater scribendo iniit, modus est alius, quàm per verba ipsa, quibus scripsit, & consilium illud lectoribus exposuit? Mendacii & calumniæ Baronem sic accusaveram in exordio Epistolæ: *Prodiit nuper in lucem certa quadam fratris Vincentii Baronis Dominicani farrago, quæ sic inscribitur: Libri quinque Apologetici pro religione, utraque Theologia, moribus ac juribus Ordinis Prædicatorum, adversus Theophili Raynaudi tres, totidem Petri de Alva, aliquot Epistolas Joannis Launoii, expostulationésque Carteri, aliósque.* Cùm & mei & veritatis amici in inscriptionem hanc conjecerunt oculos, immanem hominis istius mirati sunt audaciam. Nempe probè noverant in Epistolis meis scripsisse me nihil, quod ad religionem, utramque Theologiam, mores ac jura Ordinis Prædicatorum attineret: Tantùm abest, ut in Epistolis meis religionem, utramque Theologiam, mores ac jura Ordinis Prædicatorum læderem. Quinetiam nonnulli sciebant è contrario, me aliàs cujusdam Theologicæ quæstionis confecisse historiam, in qua honor debitus & beato Thomæ & universo Prædicatorum Ordini asseritur & prædicatur. Nonne in abstergenda calumnia, quam mihi in operis sui titulo impegit, moras nectit? Nonne
manifestè tergiversatur? Cæteris de eodem titulo 320
conquerentibus sic posset satisfacere: Id est, neutiquam satisfaceret. In summa coloravit mendacium, non detexit, nec confessus est ingenuè: usque adeò difficile est, ut homo impingendis calumniis assuetus, calumniari, & ficta crimina imponere desistat.

Mendacium tertium est in articuli I. paragrapho I. qui sic inscribitur pag. 373. *Launoius affectati in re sacra literaria principatus videtur suspicione laborare.* Hoc est tam alienum à mente mea, quàm quod alienissimum. Nec Baro ullum ex meis vel dissertationi.

tionibus vel Epistolis vel alio commentariorum genere producit testimonium, quo impactum mihi crimen asserat. Ubinam quæso de me in re sacra literaria scribo, quæ Dominicani de se in variis rerum Ecclesiasticarum momentis venditant apud Matthæum Parisiensem in historia Angliæ ad annum M. CCXLVI. *His igitur* (Gregorii IX. & Innocentii IV. privilegiis) *lætificati & magnificati Prædicatores varios Ecclesiarum Prælatos, Episcopos, Archidiaconos Synodis sacris præsidentes, ubi multi & magni viri videlicet Decani, Presbyteri, Vicarii, nec non & Ecclesiarum Rectores cum Clericis convenerant, procaciter alloquentes, indulta sibi talia privilegia in propatulo demonstrarunt, erecta cervice ea exigentes recitari, & in Ecclesiis veneranter recipi & commendari, & ad prædicandum populo sine aliqua contradictione, vel in Synodis, vel in Ecclesia parochiali quasi legatos, vel etiam Dei Angelos admitti, & se ingerentes nimis impudenter cogitabant, singulos etiam sæpe viros religiosos, estne confessus? Quibus si responsum fuisset, etiam à quo? Sa-* 321 *cerdote meo? & quis ille idiota? Nunquam Theologiam audivit, nunquam in decretis vigilavit, nunquam unam quæstionem didicit enodare. Cæci sunt & duces cæcorum: Ad nos accedite, qui novimus lepram à lepra distinguere, quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei secreta patuerunt.* Ubinam, Deus immortalis, dixi similia, ut mihi principatum in re sacra literaria compararem? Mendacium est igitur, quod frater Baro scripsit.

Mendacium quartum est in his Paragraphi hujus primi verbis pag. 375. *Et quamvis illi non admodum quoad dogmata cum Divo Thoma conveniat, in cujus summa ut statim dicam, eidem mihi amicissimo testatus est se nihil Christianum reperire præter secundam secundæ ab ejus sensu alienam & illi suppositam.* At istud nunquam vel scripsi vel dixi, immo ne cogitavi quidem. Nec cogitare me sinit religio, qua in E-“pistolæ ad Thomam Fortinum capite I. sic me adstringo: Hic solemne adjicio sacramentum, quo religiosè juro in beati Thomæ doctrinam omnem, quam convenienter definitæ à se Theologiæ Scholasticæ tradidit: Primùm quidem in Prima parte quæst. I. art. II. Sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quia scilicet scientia est Dei & beatorum. Unde sicut Musica credit principia sibi tradita ab Arithmetico: ita doctrina sacra credit principia sibi revelata à Deo. Deinde in art. VII. ad secundum: Sacra doctrina utitur auctoritatibus canonicæ Scripturæ propriè ex necessitate argumentando, auctoritatibus verò aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi ar- 322 gumentando ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta. Hæc est methodus tradendæ Theologiæ Scholasticæ, in quam juro & propter sancti Thomæ honorem non juro in aliam, quæ ab illa dissentiret. Sic apertam in lucem proditur mendacium & impostura confingitur.”

Mendacium quintum est in Paragrapho II. pag. 382. *Scio te inter amicos hoc scommate lusisse, pure Turco, id est, fratri Othomano me Ethicam Scholæ nostræ inscripsisse, quòd tota Turcica sit, & Alcoranum spiret.* Sic fingit sibi mendaciorum monstra, quæ debellet. Hoc ne cogitavi quidem: Tantum abest ut proferrem: Atque ita fictum est à se vel ab alio mendacium.

Mendacium sextum est in eodem Paragrapho pag. 384. *Omnes Monachos proscindis quasi palpatores Romani Pontificis.* Non proscindo, sed laudo Petrum Damianum, cujus testimonium in prima parte Assert. Inquisit. in privilegium Sammedard. profero ex libri I. Epistola XII. ad Alexandrum II. *Præterea duo quædam ad Apostolicam Sedem frequens usus obtinuit, quæ si prudentia vestra judicat, ut nobis videtur, omnino digna sunt corrigi: Unum, quia cunctis ferè decretalibus paginis anathema subjungitur: Alterum, quia cujuslibet Ecclesiæ filius, sive Clericus sit, sive laicus, exponere propriis excessus antistitis prohibetur. Quorum primum quam sit salutis immane periculum & infinitè patens vorago labentium, ac pernicies animarum clementia vestra pietas non ignorat.* Infrà: *Non enim se-* 323 *cundùm Stoicos omnia peccata sunt paria. Atque idcirco indifferenti sunt ultione plectenda.* Infrà: *Quamobrem si sanctæ prudentiæ vestræ placet, hunc morem de cætero à decretalibus paginis amoveri præcipiat.*

Non proscindo, sed laudo Ivonem Carnotensem, cujus testimonium in part. III. Assert. Inquis. in privilegium Sammed. profero ex Epistola CX. ad Paschalem II. *Quoniam pro gratia nobis collata decorem Ecclesiæ Dei diligimus, multa inordinatè in eadem fieri vehementer dolemus. Qui in quibusdam subditis cùm quædam illicita corrigere, vel cùm quosdam ad meliora promovere studemus, ipsi in stercoribus suis computrescere cupientes, literas à Sede Apostolica nescio quibus subreptionibus impetratas nobis deferunt ad palliandam malitiam suam, vel defendendam inobedientiam. Unde fit in Ecclesia mirabilis contemptus mandatorum Dei, & ineffabilis morum corruptela, cùm ibi invenit quorundam perversitas incorrepta confugium, ubi innocentia sola deberet habere præsidium.* Hæc ille, qui ex Abbate sancti Quintini Bellovacensis factus est Carnotensis Episcopus.

Non proscindo, sed laudo Goffridum Vindocinensem Abbatem, cujus testimonium ibidem profero ex tractatu de ordinatione Episcoporum & de investitura laicorum: *Sunt quidam, qui Romana Ecclesia omnia licere putant, & quasi quadam dispensatione aliter, quàm divina Scriptura præcipit, eam facere posse. Quicunque ergo sic sapit, desipit. Nam Romanæ Ecclesiæ post Petrum minimè licet, quod Petro non licuit. Petro quæ liganda erant, ligandi, & quæ solvenda solvendi, est à Christo data potestas, non quæ liganda solvendi, vel quæ erant solvenda, ligandi concessa facultas.* Infrà: *Præterea nulla* 324 *ratione fieri licet, quod Christus suo exemplo non docuit, ipse enim legem solvere non venit, sed adimplere. Romana itaque Ecclesia divinarum Scripturarum legem solvere non debet, sed conservare, & tradita sibi à Christo potestate non ad suam voluntatem uti, sed secundùm Christi dispositionem.*

Non proscindo, sed laudo beatum Bernardum Clarævallensem Abbatem, cujus testimonium ibidem profero ex libri III. de Consid. ad Eugenium III. capite IV. *Miraris quorsum hæc, ignarus usque adhuc quid dicere velim. Non te teneo diutius. Murmur loquor & querimoniam Ecclesiarum. Truncari se clamitant ac demembrari. Vel nulla vel pauca admodum sunt, quæ plagam istam non doleant, aut non timeant. Quæris, quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus? Bona-ne species hæc? Mirum si excusari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia potestis, sed utrum & debeatis, quæstio est. Honorum ac dignitatum gradus & ordines quibusque suos servare positi estis, non invidere.* Infrà: *Tunc denique tibi licitum censeas suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt patres tui? Si justitia est jus cuique servare suum, auferre cuiquam sua justo quomodo poterit convenire? Erras si ut summam, ita & solùm institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait: Non est potestas nisi à Deo.*

Non proscindo, sed laudo Matthæum Parisiensem 325 Monachum, cujus testimonium ibidem profero ex historia Angliæ ad annum M. CCXLVI. de Fratribus Ordinis Prædicatorum: *Impetrato igitur à Gregorio Papa (IX.) qui specialiter eorum fautor erat, paucis evolutis annis, inaudito privilegio, hoc etiam his temporibus*

novum

aovum ad primum roborandum non sine ordinariorum jactura & prajudicio à Domino Papa sunt adepti. Et cætera, quæ Baronem legisse vellem. Horreo illa describere.

Non proscindo, sed lando Albertum Magnum, cujus testimonium in Epistola ad Christophorum Fauvæum parte III. Epistolarum nostrarum profero ex Commentario in quartum dist. XII. art. VII. *Item dicitur quòd hæc quæstio devoluta est ad Sedem Apostolicam, & ibi judicatum, quod spelta esset species hordei. De hordeo autem confici non potest, ergo nec de spelta.* Infrà: *Spelta frumenti genus est, & non species grani, & habet sub se triticum, & speltam, unde spelta frumentum est, & de ipsa potest confici corpus Domini sicut de tritico.* Infrà: *Ad aliud dicendum, quod non puto Curiam ita determinasse, & si ita determinavit, hoc fuit ex ignorantia materia grani spelta.* Hìc Romanam Curiam cum Apostolica Sede ex usu, ni fallor, illius temporis confundit.

Nnn proscindo, sed laudo beatum Thomam, cujus testimonium ut Angelicum In Epistola ad Christophorum Fauvæum, quæ est in parte I. Epistolarum nostrarum, profero ex quarto dist. XXXIV. quæst. III. art. II. *Ad tertium dicendum, quòd potestas Sacerdotis exceditur à potestate Episcopi, quasi à potestate*
326 *alterius generis: Sed potestas Episcopi exceditur à potestate Papa, quasi à potestate ejusdem generis. Unde omnem actum Hierarchicum, quem potest facere Papa in ministratione Sacramentorum, potest facere Episcopus.* Hæc Thomas, qui ut apparet Romani Pontificis primatum apprimè constituit, & ita perspicuè, ut nihil suprà esse possit. Deinde ex secunda secundæ quæst. C. art. I. ad septimum. *Dicendum quod Papa potest incurrere vitium simonia, sicut & quilibet alius homo. Peccatum enim tantò in aliqua persona est gravius, quantò majorem obtinet locum, quamvis enim res Ecclesia sint ejus, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini & possessoris, & ideo si reciperet pro aliqua re spirituali pecuniam de redditibus Ecclesia alicujus, non careret vitio simonia. Et similiter etiam posset simoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico non de bonis Ecclesia.* Quis quæso secundùm ista diceret beatum Thomam Romani Pontificis adulatorem esse?

Non proscindo, sed laudo Augustinum Anconitanum ex Ordine Eremitarum sancti Augustini Theologum, cujus testimonium in Epistola ad Christophorum Fauvæum profero ex Summa quæst. V. art. VI. ad secundum: *Licèt in quæstionibus terminandis auctoritas Papa dum est Papa, sit necessaria, cùm tamen desinit esse Papa per crimen hæresis, auctoritas illa remanet in Ecclesia sicut ipso mortuo.* Hæc Epistola est in part. III. Epistolarum nostrarum.

Non proscindo, sed laudo Alvarum Pelagium ex Ordine Minorum Theologum, & Joannis XXII. pœ-
327 nitentiarium, cujus testimonium ibidem profero ex libri II. de Planctu Ecclesiæ capite X. *In condemnatione Papa ut dictam est, duo* (testes) *sufficiunt, nec in hoc privilegiatus est, imo deterioris conditionis, quia ipse major sine comparatione aliorum est, & ideo sine spe venia condemnandus ut diabolus. De pænit. dist. II. principium.*

Non proscindo, sed laudo Dionysium Cartusianum, cujus testimonium in eadem Epistola profero ex libri I. de auctoritate Papæ & generalis Concilii art. X. *Porrò quòd generale Concilium sit super Papam & amplioris potestatis, seu auctoritatis, quàm ille, hinc apparet necessariò concludendum, quoniam in generali Concilio Constantiensi hoc apertissimè determinatum est. Sed & universitates seu studia quadam privilegiata in suis scriptis hoc videntur concorditer affirmare, quibus contradicere videtur penitus insecurum.*

Non proscindo, sed lando Jacobum Paradisium Cartusianum, cujus testimonium in Epistola ad Raymundum Formentinum parte IV. Epistolarum nostrarum profero ex Collectorio de auctoritate Ecclesiæ: *Si singulis membris medicina est parata, cur capiti denegatur, cùm hoc magis indigeat sanatione, quàm alia: Quia eo ægrotante omnia membra ægrotare videntur? Nisi fortè quis insaniùs ad hunc errorem prorumperet, quòd diceret Papam impeccabilem & indeviabilem, quasi jam extra terminum viatorum volentes eum collocare: Non recensent Petrum primum Papam reprehensum fuisse à Paulo ano singulari, à sibi inferiore, ad Galatas II. Et Ecclesiastica historia & Speculum historiale, & certa ac indubitata experientia manifestat, eum & in fide & moribus similem esse posse cæteris peccatorem ex* 328
vertibilitate liberi arbitrii nondum confirmati. Auferre igitur à Papa correctionem, imò potestatem deponendi, est maxima impietatis, & ipsum statuere in plena audacia peccandi, & per consequens furioso gladium dare ut seipsum sine resistentia interimat.

Non proscindo, sed lando sanctum Antoninum Ordinis Prædicatorum Theologum, cujus testimonium in Epistolæ ad Thomam Fortinum capite XIX. part. V. Epistolarum nostrarum profero ex secunda parte Speculi hist. tit. XV. cap. III. *Sed cùm esset hic sceleratus Papa* (Joannes XII.) *& Imperatorem & omnes scandalizaret propter nefariam vitam suam, anno XXVI. ipsius Ottonis collecto à tota Italia Concilio Episcoporum cùm tertiò esset vocatus ad respondendum de objectis sibi criminibus, & fugiens è Roma venire contemneret, eo à multis præjudicato, Leo electione omnium & consensu Imperatoris Papa substituitur.* Et paullo pòst: *Miserrimè etiam vitam finivit & impudicissimè.*

Non proscindo, sed laudo Joannem Turrecrematam, cujus testimonium ibidem profero ex libri III. de summa Ecclesiæ capite LX. *Quoniàm celebratio Conciliorum est utilis ad refrænandum exorbitantias quorumdam Pontificum, qui Pontificatum suum, aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vita scandalosa confundunt: Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italia Roma per Imperatorem contra Joannem XII. qui venator & lubricus publicus & incorrigibilis erat.*

Non proscindo, sed laudo Hadriannm Galterum 329
Ordinis sancti Benedicti Monachum, & Parisiensem Theologum, cujus testimonium in Epistola ad Christophorum Fauvæum parte I. Epistolarum nostrarum; profero ex tractatu de primatu Petri: *Sic ergo relinquatur temerè dici, veritatique maximè contrarium, quod Summus Pontifex in nullo casu Concilio universali sit inferior, nec minùs item falsum, quòd in nullo casu possit ipse deponi, præterquam in casu hæresis. Nam ipse potest esse criminosus, aut fautor alicujus criminis, vel intolerabilis erroris tam perniciosi Reip. Christiana, quàm perniciosa est hæresis, cui crimini resecando, si non possit remedium adhiberi, nisi per Summi Pontificis destitutionem, verè & realiter destituendus est.*

Non proscindo, sed laudo Thomam Illyricum ex Ordine Minorum Theologum, cujus testimonium ibidem profero ex Clypeo Papali, quem adversus Lutherum edidit & Hadriano VI. nuncupavit: *Casus septem secundùm quosdam, in quibus Summus Pontifex, seu Papa est auferibilis ab Ecclesia de Papatu.* Et quibusdam interpositis: *Secundò auferibilis in casibus dubiis, & hoc per ipsam Ecclesiam, vel per Concilium generale repræsentans eam, vel per aliquos adhoc per eam institutos sive consentiat ipse, sive non consentiat suæ cessioni. Sumitur imprimis argumentum pro hoc casu, ex veritate præcedenti. Nam si Vicarius sponsus potest resignare sponte ipsi Ecclesia, dando ei libellum repudii, cùm sponsus & sponsa non debeant quoad hoc impari jure censeri, poterit similiter repudiare sponsum talem ipsa*
Ecclesia sponsa, dum par ratio vel potior adducitur pro 330
ipsa contra sponsum, vel quia prostituere quærit eam, quantum in se est, vel tyrannide sæva tractare laniando eam, vel placitando bona sua, & dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe

statum,

statum, nullum gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus, nisi in ædificationem suam & utilitatem communem.

Non proscindo, sed laudo Gregorium Abbatem sancti Georgii Venetensis, & fratrem Thomam sacri Palatii Magistrum, qui delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum Concilio interfuerunt. Hi venerunt in partem eorum, quæ Concilium Paulo III. significanda esse censuit. Verba sunt: *Quibus sanctitas sua ad se vocatis mandavit, ut nullius aut commodi tui, aut cujuspiam alterius habitâ ratione tibi significaremus abusus illos, gravissimos videlicet morbos, quibus jampridem Ecclesia Dei laborat, ac præsertim hæc Romana Curia, quibus effectum prope est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit quam videmus. Et quoniam sanctitas tua spiritu Dei erudita probe noverat principium horum malorum inde fuisse, quòd nonnulli Pontifices tui prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, ut non ab eis discerent, quid facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet. Inde effectum est, præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra*
331 *corpus, difficillimúsque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quod confestim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem esse dominum beneficiorum omnium: Ac ideo cùm Dominus jure vendat id, quod suum est, necessariò sequi, in Pontificem non posse cadere simoniam. Ita quòd voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula qua ejus operationes & actiones dirigantur. Ex quo procul dubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque.*

Non proscindo, sed laudo Franciscum Victoriam Parisiensem ex Ordine Prædicatorum Theologum, cujus testimonium in Epistolæ ad Thomam Fortinum capite XIX. profero ex libri de potestate Papæ & Concilii propositione XXIII. *Propter injustas dispensationes, vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procedunt, posset convocari & congregari Concilium contra voluntatem Papæ, ut si resisteret, obviaret ejus insolentiæ,* &c.

Non proscindo, sed laudo Clementem Monilianum ex Ordine Minorum Cardinalem, cujus testimonium in Epistola ad Christophorum Fauvæum parte prima Epistolarum nostrarum, profero ex Compendio Theologicarum institutionum capite XIX. *Conciliorum celebratio valet ad quinque.* Et quibusdam interpositis: *Quartò* (valet) *ad refrænandum exorbitantias quorun-*
332 *dam Pontificum, qui munus sacrum, aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate, aut vitæ scandalosa confundunt. Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem, contra Joannem Papam XII. qui venator & lubricus publicus erat & incorrigibilis.*

Non proscindo, sed laudo Michaelem ex Ordine Prædicatorum Cardinalium Alexandrinum, qui Theologicas Moniliani Institutiones approbavit, & approbando suas fecit, nec approbationem rescidit factus Pontifex Pius V.

Non proscinderem, sed laudarem Michaelem Cæsenatem Ministrum Generalem Ordinis Minorum, qui suis in literis ad Regem Romanorum, & Alemaniæ Principes hæc scribit sub finem: *Ego secundùm formam juris & canonicas functiones ab ipso* (Joanne XXII.) *sicut ab hæretico appellavi legitimè ad sacrosanctam matrem Romanam & universalem Ecclesiam, & generale Concilium, quod in fide & moribus præest Papæ sicut superior, eò quod Papa quicunque errare potest in fide & moribus: Sicut plures Rom. Pontifices exciderunt à fide.*

Non proscinderem, sed laudarem Durandum Parisiensem ex Ordine Prædicatorum Theologum, & sacri Palatii Magistrum, qui in quartum sent. dist. VII. quæst. IV. scribit ad primum sub finem: *Nescio cur dici non possit, quòd Gregorius cum fuerit homo & non Deus, potuerit errare.* Tum dist. XIII. quæst. II. *Quod autem dicitur de Innocentio qui videtur approbasse illam consuetudinem,* (Qua Presbyteri Cardinales circumstant Rom. Pont. & cum eo pariter celebrant) *potest dici, quòd approbat ut Doctor, non ut Papa, nec doctri-* 333
na sua tenetur ab omnibus. Nec Ecclesia Romana tenet illud, quod ipse dicit de Presbyteris Cardinalibus celebrantibus cum Papa: Et si fiebat tempore suo, nunc tamen non fit, quia visum est periculum posse contingere in tali celebratione. Imò vix fieret, quin periculum contingeret, & ideo illa consuetudo abolita est, sicut nobis constat, qui in Curia Romana longo tempore stetimus, & adhuc ibi sumus, & missis Summorum Pontificum interfuimus, in quibus illa consuetudo nunquam fuit observata, & si observaretur, non esset necessarium, quòd bene fieret, quia secundùm Hieronymum non quod fit Romæ, sed quod fieri debet, attendendum est.

Non proscinderem, sed laudarem Paulum Langium Bozawiensem Monachum, qui de Bonifacio IX. scribit hæc in Citizensi Chronico: *Anno Domini* M. CCCCIV. *Bonifacius Summus Pontifex diem clausit extremum, qui primus annatam beneficiis Ecclesiasticis imposuit, ut beneficium adeptus dimidium anni proventus Apostolico solveret fisco, qui permultas fecit pro pecunia exemptiones in perpetuum malum Ecclesiæ, per hujusmodi quippe obedientiæ bonum diruitur, & corpus Ecclesiæ militantis confunditur & dissipatur. Quare sancti tales exemptiones validè reprehendunt. Quemadmodum & beatus ac mellifluus Bernardus in libro de Consid. ad Eugenium Sum. Pontificem alloquens ita inter alia fatur: Audi murmur & querimonias Ecclesiarum.* Et post recitatum beati Bernardi testimonium subjicit: *Hinc liquet, quòd ubi causa sufficiens non est dispensationis, ille cum* 334
quo dispensatur, quantum ad Deum tutus non est, etiamsi Papa dispenset. Ut notatur extrà de voto & voti red. Non est in glossa, si causa subest. Faciliùs ergo & curiosiùs cum sua dispensatione vadit in gehennam secundùm Ostiensem. Quadrat etiam suprà narratis Cancellarius Parisiensis, Gerson videlicet ipse Christianissimus Doctor, in fine libelli Theologicarum conclusionum inquiens: Papa non potest pervertere ordinem Hierarchicum universalis Ecclesiæ. Quin in multis casibus liceret eidem resistere in facie & dicere: Cur ita facis, utpote in exemptionibus manifestè nocivis, & si Prælatos & Ecclesias sibi subditas onerare sumptibus intolerabilibus & libertatibus penitus spoliare vellet.

Non proscinderem, sed laudarem Claudium Sanctesium Parisiensem ex Ord. Canonicorum regularium Theologum, qui in Epistola ad Claudium Espencæum Parisiensem quoque Theologum, sic è Trident. Concilio scribit, ann. M. D. LXIII. XVII. Cal. Julii: *Si Galli huc non venissent, conjectura non levi ducor ad cogitandum, transacta fuisse multa veritati & Ecclesiasticæ antiquitati contraria. Te, Domine, ad me rescribas rogo, num gratum acceptúmque habeas, ut Papa definiatur, appelletúrque Pastor universalis Ecclesiæ, habens plenam potestatem regendi, & pascendi universalem Ecclesiam. Hic novimus Pontifices nonnullos sic locutos esse, idque in bonam partem ac sensum accipi posse. Sed quæstio est, utrum id in tam celebri Concilio quale est istud, determinandum sit, ne inde colligi possit, Papam supra Concilium esse, quod quidam colligi posse contendunt.* Quæ ex Gallico in Latinum vertimus.

335 Hæc habui ex variorum Ordinum, & præsertim beati Dominici Monachis, quæ hinc innocentiam meam demonstrarent, & inde Baronis mendacium in oculis omnium defigerent.

Men-

Mendacium septimum est in paragrapho III. ubi sic scribit pag. 385. *Summo terrore egit at timeretur, & minus temavit, me à suscepto consilio & labore deterrere.* Non modò purum putum est mendacium hoc, sed etiam incredibile. Is enim non sum qui timeri possim, sed Baro timeri potest, quia frater est fratris Bernardi de Montepolitiano, & fratrum aliorum trium, quos ille bene novit, & nos Galli bene novimus omnes, & detestamur.

Octavum & repetitum mendacium est in eodem Paragrapho, ubi scribit: *Non dubitavit mihi amicissimo dicere, nulla silentii fide petita, imò eo consilio, at ad me referret, in Divi Thomæ Summa Theologica nihil exstare Christiani, nisi secundam secundæ, quam hoc nomine quòd aliquid Christiani habeat, in argumentum assumebat, esse opus alienum & alteri inscribendum.* Et hoc fabrefactum est in officina diaboli mendacium, quod supra depulsum est. Præterea beati Thomæ secundam secundæ frequenter laudo in Epistolis meis, nec laudarem, si illius non esse crederem. Scio quidem à Bellarmino & aliis observatum in secunda secundæ reperiri multa, quæ apud Vincentium Bellovacensem reperiuntur: Sed illud meo judicio non obstat, quominus secunda secundæ beato Thomæ rectè adscribatur. Cui rei sufficiunt duo,
336 Thomam Vincentii vel aliorum, commentariis, quos in usus suos derivavit addidisse pleraque, & iis formam dedisse, & de certa docendi discendique methodo accommodasse. Quas Apelles pingebat tabellas, Apellis dicebantur, non Praxitelis, etiamsi Apelles multa cum Praxitele & aliis pictoribus haberet communia, penicillum, telam, colorum materiam, cætera, quæ aliunde quæruntur.

Nunc indico Epistolas in quibus ex secunda secundæ auctoritates repeto: Epistolam priorem ad Antonium Faurum in parte prima Epistolarum nostrarum. Deinde Epistola ad Christophorum Fauvæum in eadem parte prima Epistolarum. Tum Epistolam ad eundem Fauvæum in parte III. Epistolarum nostrarum; Postremò Epistolam ad Jacobum Bevilaquam in parte V. Epistolarum nostrarum. Ex his autem omnibus amuletum conficitur etiam, adversus Satanam potentissimum, quo paragraphus totus extinguitur.

Mendacium nonum est in paragrapho IV. pag. 395. *quæcunque de ficto Dionysio disputavit.* De ficto Dionysio disputavi nusquam. Alium esse Parisiensem Dionysium ab Areopagita disputavi. Hunc Athenarum fuisse Episcopum & ibi martyrium fecisse scripsi, illum imperante Decio Roma venisse in Galliam, & primum Parisiorum antistitum fuisse: De ficto autem Dionysio in scriptis meis nihil cuiquam occurret.

Mendacium decimum est in articulo II. pag. 402. *Primatum Petri passim verbis tenus astruit, factis procul,*
337 *imò totis viribus evertit, quod passim cùm ex aliis argumentis, tum maximè ex ejus silentio licet agnoscere.* Non sileo, sed palam loquor in Epistolæ ad Thomam Fortinum capite XVII. ubi eum Petri seu Papæ primatum recipio & profiteor, quem Constantiense Concilium & Martinus V. contra hæreticos vindicarunt. Deinde non sileo, sed palam in Epistola ad Felicem Phelippæum Brossam, ubi non solùm admitto primatum Romani Pontificis, sed etiam mordicus teneo modum illum, modum planè divinum, quem Florentina Synodus ad dignoscendum Pontificiæ dignitatis usum legitimum præscribit. Hæc autem Epistola est in parte V. Epistolarum nostrarum. At Frater novas Curialium adulatorum opiniones secutus primatui superponis tria; Pontificem in fide & moribus errare non posse, generali Concilio superiorem esse, & Principes ditionibus & regnis suis privare posse; quæ ego Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ traditionem secutus primatui non superpono, & quia non superpono, primatum evertere me dicit. En sincerum Baronis ingenium!

Mendacium undecimum est in eadem pagina & materia, ubi ait me scripsisse, *Syricii epistolam tot habere fulmina, quot verba, quibus Romanus Pontifex à primatu dejiciatur.* Nusquam dixi vel scripsi, quibus à primatu dejiciatur: Sed dixi, quibus evertitur opinio nonnullorum Curialium Magistrorum, qui Romanum Pontificem super Concilium statuunt. Sed quoniam Baro putat primatum illum stare non posse, nisi supra Concilium extollatur Pontifex, nos Pontificem
de primatu dejicere mentitur: Ergo Siricius dejicit, 338
Martinus V. dejicit, & Constantiense Concilium, & Parisiensis nostra Theologiæ Facultas.

Mendacium duodecimum est in articuli II. paragrapho III. pag. 412. *Launoius sic omnia subducit, aut fictilia inclamat, ut non dubitaverit scribere quod semel à me objectum dissimulavit, Leonem nonum & Nicolaum primum, ita omnium præsidiorum, quibus auctoritas Pontificia munitur, ignaros, ut omnis consilii inopes non habuerint, unde hanc suam auctoritatem mendicarent. quàm à Constantini gratia, vel abdicatione Polychronii fictitii Hierosolymorum antistitis.* Tam luculentum est hoc mendacium quàm quod luculentissimum. Exspectanda non est assertionis falsæ probatio, quæ reperietur nusquam. Affirmatè tamen dicit, me non dubitasse illud scribere. Sed scriptionis locus ubinam est, nisi in officina Satanæ, quæ apud Baronem patet?

Mendacium decimumtertium est ibidem pag. 413. *Esto apud Gallos, pleni Concilii auctoritatem non obtineat Florentinum Concilium, quod obtrudit Launoius, ut sibi liceat ab illo dissentire.* Nescio an legi vel audiri possit unquam mendacium vel putidius vel stolidius: Ubicunque & undecunque me recipio ad Florentinum Concilium, sive ut probem Romanum Pontificem inferiorem esse Concilio, sive ut exercendæ Pontificiæ auctoritatis modum legitimum disquiram, & disquisitum asseram. Utrumque penitus liquet ex Epistola ad Christophorum Fauvæum in parte prima Epistolarum nostrarum. Prætereo reliquas Epistolas. Hac de re jam suprà. Sed post mendacia duo superi- 339
ora præ me fero nullum esse seu dictum seu dicendum ab impostore ullo mendacium, quod religiosus frater Baro in suos commentarios jacere non possit.

Mendacium decimumquartum est in ejusdem articuli paragrapho V. pag. 428. *Roge, inquit, lectorem decurrat hæc plagia Cajetano objecta, & præter observatam morositatem Launoii comperiet nihil à Cajetano sanctis Patribus affingi, quod alii vel ipsimet suis libris non scripserint.* Ego plagii Cajetanum neutiquam accuso, sed malæ tantùm fidei in citandis auctoribus, & cum primis Augustino ut cæteros omittam. Cajetanus Augustinum ita citat: *Augustinus in II. libro de doctrina Christiana non longè versus principium decretales Epistolas Apostolicæ Sedis inter canonicas habendas scripturas censet. In canonicis scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium divinarum Scripturarum solertissimus indagator auctoritatem sequatur, inter quas sanè illa sint, quas Apostolica Sedes habere, & ab ea alii meruerunt accipere Epistolas.* Contendit, ut apparet, Frater Baro, id quod Augustino Cajetanus affingit, decretales nempe Sedis Apostolicæ Epistolas inter canonicas habendas esse Scripturas, vel Augustinum ipsummet, vel Patres alios scripsisse. Quæ in mentiendo confidentia? Augustinúsne scribit, quod ab eo scriptum Cajetanus ait? Hoc tantùm dicit Augustinus in libri II. de doctrina Christiana capite VIII. *Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit, notásque habuerit, & si nondum intellectu, jam tamen lectione duntaxat eas, quæ appellantur canonicæ. Nam cæteras secu-* 340
riùs leget fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, & periculosis mendaciis atque phantasmatibus eludentes præjudicent aliquid contra sanam intelligentiam. In canonicis autem scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas

sanè

sanè illa sunt, quæ Apostolicæ Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Id est Sedes illæ seu Ecclesiæ, quæ Apostolorum, & præsertim Petri vel Pauli Epistolas accipere meruerunt. Siccine Augustinus decretales Sedis Apostolicæ epistolas Scripturis canonicis accenset, ut Baro contendit? Deinde audiendus est iterum Augustinus in epistolæ XIX. ad Hieronymum capite 3. *Ego fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. At si quid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quàm mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel minimè non ambigam: Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: Sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Cùm igitur Augustinus tantum inter canonicas Scripturas, & quorumlibet sanctorum hominum libros discriminis constituat, fieri non potest, ut decretales Sedis Apostolicæ Epistolas scripturis canonicis accensuerit. Cæteros appellat Patres Frater, sed nullus reperietur unquam,
341 qui decretales illas inter libros canonicos habendas esse scripserit, ut iste scripsisse dicit. Porro autem mendacium hoc non contra me tantùm est, sed etiam contra Catholicam Ecclesiam, quæ decretales Sedis Apostolicæ Epistolas pro canonicis scripturis non agnoscit.

Mendacium decimumquintum est in ejusdem articuli paragrapho VI. pag. 434. *Launoius non solùm de primatu Petri, sed etiam de controversiis Augustini cum Pelagianis, de Confessionis Sacramento singulares, nec admodum tutas opiniones sectatur.* Si hoc ex meis scriptionibus probari posset, non esset mendacium, sed quia probari non potest, mendacium est, impostura est, à mendaciorum omnium patre derivata.

Mendacium decimumsextum est simile in consequentibus verbis: *Is affectatis opinionibus non desinit gloriari se de tota Ecclesia bene meritum, sibique præ cæteris Theologi titulum deberi.* Mendacium hoc Baroni suggeritur ab eo, qui præcedentia suggessit. Temerariæ assertionis in operibus meis, quia nec vola, nec vestigium, sponsorem prædemque faciet virum quendam sibi amicissimum: Albúsne sit vel ater, Deus scelerum omnium ultor novit; Frater dicturus est nunquam, & nullus coràm affirmaturus est unquam.

Mendacium decimumseptimum est paullo pòst pag. 436. *Me Pontificum auctoritatem sublato omnis juris divini discrimine Curatis & Sacerdotibus quibusque exæquare.* Sed quo in opere, quibus in dissertationibus vel Epistolis, id scribo, nec significat nec signi-
342 ficare potest. Quod à me non est factum, quis ut factum ostenderet. Quinetiam in dissertatione de vera notione plenarii apud Augustinum Concilii, cap. III. recito & amplector, quæ Constantiense Concilium & Martinus V. redeunti ab hæresi damnata credendum hac de re præscribunt: *Item utrum credat, quòd Papa electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso sit successor beati Petri habens supremam potestatem in Ecclesia. Item utrum credat auctoritatem jurisdictionis Papæ, Archiepiscopi & Episcopi in solvendo & ligando esse majorem auctoritate simplicis Sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat.*

Deinde in Epistola ad Christophorum Fauvæum part. III. Epistolarum nostrarum refero & amplector Tridentini Concilii decretum istud: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris, anathema sit.* Nonne Presbyteri discernuntur hic ab Episcopis, quorum nomine Romanus Pontifex in Hierarchiæ definitionem venit, nisi Baro velit Romanum Pontificem ad definitam à Concilio Hierarchiam nihil attinere. Sed velit nolit, captus est.

Mendacium decimumoctavum est in articuli III. pag. 443. ubi sibi sumit operum Pii II. editiones, quæ Henricipetrinam editionem anni M. DLXXI. præcesserunt, *ex Catholicorum officina prodiisse*, quod falsum est. Nam opera Pii Basileæ impressa fuerunt anno M. DLI. in Henricipetrina typographia, ubi nomen *Doctoribus*, non habetur, sed *detractoribus*, etiamsi tunc Basileensis Bibliopola seorsum à Catho- 343
licis per religionem sentiret. Sed nomen *detractoribus*, in editione anni M. DLXXI. sublatum est opera recuperatorum codicum manuscriptorum, & conjecturarum, quæ ex capitibus à me notatis capi potuerint. Mentitur hic egregiè, ut inde calumniandi causam arripiat.

Mendacium decimumnonum est in eodem paragrapho pag. 444. ubi ait, *me in gratiam hæreticorum pugnare:* Nimirum quia objicio Stephani Papæ I. & Pii V. decreta, quibus vetatur Baptismi hæreticorum iteratio.

Mendacium vigesimum est in eodem paragrapho II. pag. 447. *Id*, inquit, *præ te fers Augustinum controversiis de prædestinatione, & auxiliis gratiæ contra Pelagianos à perpetua traditione Ecclesiæ longissimè abductum fuisse.* Hoc nunquam dixi aut scripsi, nec fieri potest, ut à me vel dictum aut scriptum probetur. Non alius præter spiritum nequam Baroni mendacium hoc insusurravit.

Mendacium vigesimumprimum est in paragrapho ultimo pag. 461. *Quis verò excuset in controversia de primatu Petri interpretationes Patrum in verba, quibus ipse Christus spondet, aut tradit Ecclesiæ regimen ad sensum moralem aut allegoricum sensum institutas obtorto collo ad literalem sensum trahere, & pro unico & genuino velle nos habere?* Hoc mendacium in eadem Satanæ reperitur officina, quæ superiora mendacia produxit. Idque ita se habere perspicuè docet Epistolarum nostrarum lectio. Hæc pauca de infinitis mendaciis & convitiis, quibus Baronis exercitatio & exerci- 344
tationis paragraphi singuli non tam implentur, quàm obruuntur.

ANIMADVERSIO II.

In dicendis mendaciis superioribus consilium suum Baro exponit.

CUM in articuli I. paragrapho III. sic scribit: *Non dubito, quin Launoius, & qui illum quasi maximum nostri seculi lumen admirantur, hanc primam nostram impressionem ægerrimè ferant, quasi inculpatæ tutelæ metas excesserim. Fateor si meam tantùm privatam causam agerem, me vix justam damnationem evasurum. Sed sciat lector in me peti Divum Thomam. Nam cùm ejus ethicen sim interpretatus, non possum accusari prodita disciplina Christiana & permixta cum ethnica & Judaica.* In his autem verbis sunt tria, quæ diligenter curiosèque observentur. Primum est, Baronem ob ea mendacia, quæ animadversione superiori retulimus, se justam damnationem vix evasurum, si privata illius causa tantùm ageretur. Alterum, ob ea mendacia, quæ animadversione superiori retulimus, se justam damnationem evasurum, si beati Thomæ causa consideretur. Tertium, se non posse proditæ disciplinæ Christianæ & permixtæ cum ethnica & Judaica accusari, quòd beati Thomæ ethicam sit tantùm interpretatus.

In primo fatentem habemus reum, nec habemus aliter, nisi quia mortalem disciplinam à Christo præscriptam & à beato Paulo inculcatam minime servavit. A
Christo quidem præscriptam apud Matthæum capite 345
V. *Audivistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum,*

& odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. A Paulò verò inculcatam in Epistolæ ad Romanos capite XII. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos defendentes charissimi: Sed date locum iræ: Scriptum est enim, mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

In altero, ut beatus defendatur Thomas, sibi somit Baro, servandam non esse ampliùs moralem disciplinam, quam Christus & Apostolus docent. Sed vide, quas in angustias beati Thomæ redigatur defensio, quem accusatum esse falsò supponit? O quàm misera est Barone arbitro Doctoris sancti causa, si defendi non possit, nisi posthabitis Christi & beati Pauli regulis, & sublata differentia, quæ inter Christianorum, & Gentilium, ac Judæorum Ethicam intercedit! Siccine beatum Paulum audit in Epistolæ ad Ephesios capite IV. scribentem: *Jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris?*

In tertio dum Frater Ethicam suam cum beati Thomæ Ethica conjungit, Doctori sancto non mediocrem facit
346 injuriam. Etenim cùm residuo conscientiæ ductus, & rei veritate impulsus fatetur ob Ethicam, quæ in exercitatione verbo & exemplo traditur, justam se damnationem evadere vix posse, beati Thomæ Ethica justam damnationem evadere vix posset. Quis istud animo æquo sustineat? Cominus accedo. Nonne Moralis illa disciplina, quam beatus Thomas convenienter definitæ à se Theologiæ docet, omnino discrepat ab illa Morali disciplina, quam Frater spreta beati Thomæ definitione Theologiæ docet? Ubinam in Fratris hujus Ethica reperitur usus doctrinæ sacræ, quam beatus Thomas in prima parte quæst. I. art. II. sic definit? *Sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ: Quæ scilicet scientia est Dei & beatorum: Unde sicut Musica credit principia sibi tradita ab Arithmetico: Ita doctrina sacra credit principia sibi revelata à Deo.* Ubinam apparet, quod in art. VIII. ad secundum docet? *Sacra doctrina utitur auctoritatibus canonicæ Scripturæ propriè ex necessitate argumentando, auctoritatibus verò aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, siqua fuit aliis Doctoribus facta.* Sic Thomas, non sic Baro: quia in morali Baronis disciplina ad usum redacta neutiquam reperitur Theologiæ definitio hæc, & eam ob causam manifestè liquet, Baronis Ethicam à beati Thomæ Ethica mirum quantum sejungi & abhorrere. Quod cùm perspicerem, Baronem ea de re mo-
347 nueram in exordio nostræ ad Thomam Fortinum Epistolæ: "In libris quos de morali Christianorum disciplina adversus corruptores illius edidit, sacra eruditio nulla, Ecclesiastica eruditio nulla comparet. "In rebus quas decidit, Scripturarum auctoritati, "Conciliorum canonibus, Pontificum decretis, sanctorum Patrum testimoniis, Ecclesiasticæ traditioni "nihil tribuit: Sed omnia humanis & philosophicis "subjicit rationibus, quæ quia conjecturas oppositas "non superant, legem nullam imponunt agendi sic, "vel aliter agendi licentiam dant, & impunitatem. "Moralem Christianorum disciplinam ita tractare "prodidisse est. Nullam illa præ se fert differentiam, "qua secerni à Judæorum & Gentilium ethica, internosciqae possit, etiam adhibita diligentia. Hoc ipsum viri bonitate doctrinaque præstantes mecum notaverant, & quia Baronis amici, graviter dolebant, ac de opere imperfecto conquerebantur; quippe quod nullam ex objecto suo, scripturis & traditione Patrum repeteret differentiam.

Monueram verò, non quòd starem à corruptorum, quos impugnat partibus, sed ut libros revocaret ad examen privatum, eósque tandem per Scripturas, & sanctorum Patrum traditionem, à Judæorum & Gentilium Ethica distingueret. Moralis enim Christianorum disciplina, si verè Christianorum est, speciem suam ac naturam ex Scripturis, & Patrum traditione totam arcessit. Moralis Judæorum disciplina inimicorum odium & Gentilium vindictam permittit.
Christianorum utrumque prohibet. Ad hæc cùm san- 348
ctus Thomas definiit Theologiam, constituerat sibi ante oculos, opinor, Gregorium IX. qui de tradenda Theologia ad Parisienses Magistros ita scribit: *Magistri verò & Scholares Theologiæ in Facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi linguam Hebræam cum Azotica confundentes; sed de illis tantùm quæstionibus disputare, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Theologicos libros, quorum meminit Gregorius, Scripturam sacram Thomas interpretatur.

Cæterùm si Baro productis è sancto Thoma testimoniis conficiat, Doctorem tantum in ea fuisse sententia, ut crederet, communem seu privatam cujuscunque viri etiam sanctissimi causam ea defendi posse ratione, qua defendendam esse Frater asserit, facile patiar, illius Ethicam cum beati Thomæ Ethica conjungi. In facti hujus quæstione errare me fatebor ingenuè; sin minùs ille fateatur pari modo errare se, dum Ethicam suam cum sancti Thomæ Ethica conjungit. B. Thomas cùm adversus Græcorum errores scripsit, Græcósne probris, dictis petulantibus, contumeliis & nefariis figmentis lacessiit? Publicam tunc causam agebat. Cùm librum contra impugnantes religionem exaravit, hausitne de triviis compotabilibus convitia, quibus religiosorum ordinum inimicos proscinderet? Publicam, ni fallor, causam agebat. Cùm splendidos contra Gentiles commenta-
rios edidit, in eos ne verborum dehonestamenta, tan- 349
quam saxa conjecit? Communem, ut apparet, causam agebat.

Ratum igitur fixúmque maneat, aliam esse Doctoris sancti Ethicam, aliam Baronis, & hanc à Judaica & Gentili Ethica non sejungi, in qua inimicorum odium & vindicta permittantur & exercentur. Utinam aliquando sejungatur. Porro dum ita loquor, ad mentem Fratris Baronis, qui me pro inimico ducit, loquor. Nullam illi causam dedi, cur tam apertas & tam atroces mecum inimicitias gereret. Sed scrutator cordium Deus permisit, ut meum de morali disciplina suo judicium confirmaret, definitam à beato Thoma sacram doctrinam posthaberet, & illius in scribendo contra Græcorum errores, religionis oppugnatores, & Gentiles exemplum abjiceret. Et sic non est dignus præceptore tanto discipulus. Corruptæ inter Christianos moralis disciplinæ principium illud in se recepit, quo licere putant ad famæ conservationem quæcunque crimina fingi posse etiam atrocissima, quæ adversariis imponantur.

Nunc referenda sunt perniciosa moralis disciplinæ dogmata, ex quibus disputandi principium sibi fecit. Illa sunt omnino, quæ nostra Facultas Theologiæ damnavit anno M. DCLXV. III. Nonas Februarii.

*Propositiones excerptæ ex libro Amadæi Guimenii, &c. De homicidio pag. 87. num. 3. Eum, qui imponit falsum testimonium alicui, ut suam justitiam & honorem defendat, non peccare mortaliter. Cur ergo peccabit ex eo, quòd conviciantí dicat, Mentiris, & quidem si
pro defensione honoris licet alterum occidere, cur non 350
& vocare mendacem? pag. 98. Credo quòd per injuriam*

per-

percussus possit statim repercutere, etiamsi invasor non deberet ultrà progredi, sed ad vitandam ignominiam & dedecus posset, qui colaphum accepit, gladio statim repercutere, non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam.

Pag. 94. num. 1. Potest etiam interfici, qui virum aliquem honoratum conviciis & maledictis afficit, nec potest aliter cogi ut taceat. Talis enim est invasor honoris.

Num. 2. Respondeo esse cuipiam licitum prædictum injuriantem & detrahentem notabiliter famam alterius clam occidere, si nulla alia via talis famæ læsionem evitare queat. In praxi tamen difficile est hoc modo defensionis uti, &c.

CENSURA.

Hæ propositiones sunt falsæ, scandalosæ, & respectivè pietati, charitati & justitiæ contrariæ, vindictæ & crudelitati viam aperientes.

Ex his ergo perniciosis dogmatibus tractandi principium sibi sumpsit Baro, ut tot proferret mendacia, quot in superiori animadversione protulit, ut me atrociter calumniaretur, ratus famam & honorem suum, quem læsum esse judicat, non aliter defendi posse. Quo ex capite duntaxat illum inclementioris stili & manus virum appellavi. Sed verba hæc aliter interpretari, & aliò flectere voluit, & fortasse potuit: Quia

Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

Interpretationem illius nec probo nec improbo. Eventus probabit. Sed interim Deum Opt. Max. obsecro
351 & obtestor, ne homo perversis infectus disciplinis id tandem perpetret, quod justè timeri potest. Siquidem perspicimus Baronem damnasse libros, quorum doctrinam scribendo amplectitur. Præterea domestica exempla & dogmata, & Romanæ Inquisitionis censuras, quæ apud illum magni sunt ponderis.

ANIMADVERSIO III.

Frater Baro in Alexandrum VII. R. P. contumeliosus.

SEipsum prodit in exercitationis suæ principio, pag. 369. cùm ita scribit: *Ego quidem quandiu per res nostras & per scholas ac familias nostras ambulos licuit, à scribendo semper abhorrui, & maximam vitæ partem silentio transegi, nec amicorum consiliis, aut etiam majorum monitis eò propelli potuissem, nisi adactus fuissem quadam velut è cœlo delapsa, qui nunc sedet, Summi Pontificis voce. Prodierat in nostros homines liber atrocissimus, eo, ut credituar, auctore, qui Epistola quadam ad amicum gloriatur se exercitatissimum in contundendis bambalionibus. Is verò qui credebatur in eadem officina cusus contra Dominicanos liber, ita optimo Pontifici visus est non iniquè habuisse, ut addiderit omnino ab aliquo è nostris refutandum, quamvis responsio prohibitionis periculo non careret. Ego verò, qui aliis suadentibus ac ferè præcipientibus, libelli examen, morem gerere recusaveram, huic velut oraculo obsistere non potui.* His in verbis animadvertenda sunt duo: Primùm, quid
352 Frater Alexandro VII. tribuat: Deinde id, quod tribuit, quomodo tribuat. Hoc igitur tribuit, refutandum esse librum contra Dominicanos editum, quamvis refutatio, seu, ut ait, responsio prohibitionis periculo caritura non esset. Deinde istud eo modo tribuit, ut Pontificis vox è cœlo delapsa videatur. Sic Alexandri VII. pronuntiatum est, quod è cœlo, quod è Petri cathedra delabitur, Theophili Raynaudi Diatribis respondendum esse, quamvis responsio prohibitionis periculo caritura non esset. Et quoniam pronuntiatum hoc Alexandro VII. injuriosum est, mea me in Romanum Pontificem impellit pietas, ut credam, Baronem pudore omni deposito mentiri. Quis enim unquam in animum induceret suum, Pontificem accuratæ circumspectionis virum, id dedisse consilii, quod tam pravum, támque à Christiana simplicitate alienum est. Hoc est igitur improbi hominis mendacium, quod Frater Alexandro VII. turpiter affingit. Ego, inquit Pontifex apud Baronem, sum auctor & suasor, ut Dominicanorum aliquis libro Theophili Raynaudi respondeat, etiamsi responsio prohibitionis periculo caritura non sit, id est etiamsi ab Romanis Inquisitoribus damnetur.

Tum si dixisse se, quod Baro narrat, Pontifex conveniret, imprudentis & male in Alexandrum VII. affecti Fratris est tam audacter narrasse quod narravit. Etenim narratio hæc, quæ cordatorum atque eruditorum hominum animis & auribus absona est, Pontificem ludibrio & contemptui hæreticorum omnium exponit. Quod Alexander privatim, nec, ut apparet, satis meditate dixit, non ea dixisse mente, ut publicis 353
inferretur commentariis, & tanquam fusum divinitus oraculum posteritati serviret. Et sanè mihi videtur in tantum lædi Pontifex, in quantum lædi potest, aut nisi lædatur, Romanæ Inquisitionis Index egregiè sugillatur: *Quadam velut è cœlo delapsa, qui nunc sedet, Summi Pontificis voce,* Baronis verba sunt, quibus Alexander in altum tollitur, quò lapsu graviore concidat, vel ut Romani censores irrideantur ac spernantur, ut in plerisque profectò irrideri ac sperni merentur. Atque eò merentur magis, quòd Baronis exercitationem non adscribant Indici, saltem usque dum corrigatur.

ANIMADVERSIO IV.

Frater Baro Romanæ Inquisitionis censuras nunc parvi, nunc magni pendit.

EXempla sunt duo, quibus Romanæ Inquisitionis censuras parvipendit. Unum est, quod in superiori animadversione declaratum est. Nam ibi vidimus auctore & suasore Alexandro VII. componi posse librum etiamsi prohibitionis periculo cariturus non sit: *In Theophili Raynaudi officina cusus contra Dominicanos liber ita optimo Pontifici visus est non iniquè habuisse, ut addiderit omnino ab aliquo è nostris refutandam, quamvis responsio prohibitionis periculo non careret.* Romanus Pontifex non consuleret, ut liber talis ederetur, nec illum Frater ederet, si uterque Romanæ Inquisitionis prohibitionem & indicem magno in pretio haberet.

Alterum est in lib. IV. sect. 121. art. 11. Verba sunt Baronis: *P. Combefisium quinto loco aggrederis Theophile, ac per plures paginas verberas acerbissimè ob quædam* 354
verba, in re probabili liberiùs contra Baronium dicta, quorum causam totis viribus versas, quasi de summa Reip. Christianæ ageretur. Verum est in historia Monothelitarum à Combefisio conscripta aliqua duriora contra Cardinalem Baronium. Et quibusdam interpositis: *At in Combefisio nihil desiderari nec diligentiam, nec eruditionem, nec fidem; ob illa in Cardinalem Baronium à Combefisio duriùs dicta jam est prohibita à sacra Congregatione historia Monothelitarum.* Cùm sincerè nobis exponit, quam ob causam Combefisii historia Monothelitarum à sacra Congregatione probibita sit, continuò significat Congregationis sacræ decretum, quo probibetur, parvi faciendum esse. Decreti causa hæc est Barone arbitro: *Combefisius in Baronium nonnulla dixerat duriùs.* In fidem nihil, in veritatem nihil dixerat, in Baronium dixerat aliquid duriùs. Hæc autem causa cùm levissima sit, Congregationis sacræ decretum illud non potest non esse levissimum, ut Baro vult à Lectoribus suis intelligi. Romanæ Inquisitionis censores œcumenicum magistratum gerunt, ex commodo & affectu commentarios quorumcunque auctorum metiuntur, & Curia-

lium Magistrorum rem familiarem acriter defendunt. Hæc autem cùm privata sint tantùm studia, Inquisitionis decretum in Combefisii historiam Monothelitarum factum parvi pendendum esse Baro non obscurè significat. Quinetiam, ni fallor, Congregationem sacram literatorum atque cordatorum hominum ludibrio & contemptui exponit.

355 Nunc veniendum est ad exempla, quibus Baro Romanæ Inquisitionis censuras & decreta magni pendit. Exempla hæc sunt quoque duo. Unum est in exercitationis art. 11. paragr. IV. pag. 423. *Sed non puto*, inquit, *hujusmodi Epistolis Innocentiam dignaturum esse Launoium, cùm ejus libri Roma censuris configantur.* Hi autem libri sunt duo: Unus sic inscribitur: *Inquisitio in privilegia Præmonstratensis Ordinis.* Alter, *Censura Responsionis, qua Frater Norbertus Caillocius sese mendaciis atque erroribus novis irretivit.* In priori libro relata in Præmonstratensi Bibliotheca privilegia per rerum in iis comprehensarum ordinem dispono, & iis quæ dissero, cùm ad Curiæ, tum ad Sedis Apostolicæ Jurisprudentiam expositis, plurima Romanorum antistitum testimonia adjungo. In posteriori propiùs adhuc ad Romanos Pontifices accedo, & Sedis Apostolicæ traditioni, & Florentinæ Synodi decreto fidei pressiùs insisto. Hinc efficitur, ut in his duobus libris nihil sit ferè meum præter chartam & atramentum. Itaque Romani censores decreto suo vel Romanos Pontifices, Sedis Apostolicæ traditionem & Florentinæ Synodi definitionem fidei, vel meam chartam & attramentum, non me confixerunt. Verùm ut id quod res est, liberè dicam, quidquid hac in re fecerunt censores, οἰκονομικῶς ἴσως fecerunt; homines suis servientes commodis, pigneratione, ut fit in bello, uti voluerunt: Prædictos libros adscripserunt Indici, quia Lutetiæ secularis magistratus certum quendam Caillocii librum condemnaverat, quòd propositiones multas juri Regum nostrorum, Gallicanæ Eccle-
356 siæ libertatibus adversas contineret. Quidquid id est, in hoc argumenti genere, quod tracto, libri Romanorum Inquisitorum decretis honorantur potiùs, quàm læduntur. Exinde retentæ ab Ecclesia & Sede Apostolica traditionis confirmatio accedit.

Alterum exemplum est in eo, quòd Frater propositam à me Inquisitorum censuram quandam mecum ejurare noluerit. Res sic se habet in epistolæ ad Thomam Fortinum capite XIX. num. XIII. "Est in nostra ad Hieronymum Sambœuvium epistola nonnihil, quod vehementer exulceravit Fratris animum, etiamsi disertè meminisse non sit ausus. Quem stomachum ob id erupisset in me, ob aliud erupit. Sed adscribo verba epistolæ: Neque vero Doctores illi & Inquisitores Curiæ tot & tantas Pontificum auctoritates, sed & libros, in quibus pro Sedis Apostolicæ defensione similes auctoritates colliguntur ferè innumeræ, prohibitorio Indici assignant, in publicam ejus Sedis offensionem, ut & in publicum Decalogi contemptum assignarunt olim Parisiense Senatusconsultum, quo Joannes Chastellus parricida damnatus est. Hoc autem cùm querelæ justæ formam contineat, Baronem cruentavit, mihique magnam illius calumniarum partem accersiit. Occultus est Romanæ Inquisitionis fautor & patronus. Quidquid id sit, Fratrem istum pro latæ in Parisiense Senatusconsultum censuræ patrono ac defensore habebo tandiu, quandiu adversus nefariam censuram non scripserit. Notum est, quo anno, quo mense, quo die, & quem ob finem in Parisiense Senatuscon-
357 sultum ab Inquisitoribus lata censura est. Præteritum & futurum tempus respicit. Hoc Frater intelligit, & nunc diversam epochæ rationem non explico amplius. Igitur exspecto usque dum Baro censuram illam ejuret, & sanguinolentam doctrinam, quæ ex ea deducitur, publica scriptione mecum detestetur. Tunc videbimus, an odium, quo me meáque scripta, ut antè explicatum est, prosequitur, sit ingentius amore, quo quæ ad Regis salutem & regni tranquillitatem pertinent, prosequi debeat. At Frater in longa exercitatione, qua meam ad Fortinum epistolam vexat, ne verbum quidem ullum est contra censuram, quæ à me illi damnanda proponitur. Fortassis exspectat tempus, quo Parisiense Senatusconsultum Romæ censura confixum esse, dicet. Ut enim mihi decretum Inquisitionis opponit, sic & Parisiensi Senatui opponet.

Explicanda nunc est ratio, propter quam Frater Baro latam in Parisiense Senatusconsultum censuram mecùm ejurare & detestari noluerit. Hoc Senatusconsultum anno M. D. XCIV. IV. Cal. Jan. factum est, & Romæ ab Inquisitoribus intactum usque ad annum M. DC. IX. quo ab illis censura notatum & Indici adscriptum est VII. Idus Septembris, cùm per varias Europæ partes de futura Henrici IV. morte rumor increbresceret. Hinc censuræ consilium se sponte objicit, Inquisitores decreto suo Jacobum Clementem, Joannem Chastellum, Carolum Ridicovium & Petrum Argerum parricidas omnes ab infamia supplicii libe-
rant, & religione solvunt alios, qui vellent vindica- 358
tos & famæ restitutos homines imitari. Proh nefas! non defuit, qui post menses septem & dies XXIV. imitaretur. Sic patefactum est consilium censuræ, quam Baro mecum ejurare & detestari noluit. Baronis moram & tergiversationem auget nova censurarum Inquisitionis collectio, quam novus quoque sacri Palatii Magister curavit, & Alexander VII. addito diplomate confirmavit: Sed ei fraudulenter obreptum esse ostendi in epistola ad Michaelem Marollium, quam habet pars tertia epistolarum nostrarum. In hac autem censurarum collectione Senatusconsultum Parisiense legitur, etiam si sub illud fere tempus plures in Gallia eruditi & cordati viri de censura illa graviter conquesti fuissent. Ecce tibi Romanæ Inquisitionis decreta duo, quæ, ut apparet, Frater Baro magni pendit!

ANIMADVERSIO V.

Insigne exemplum, quo calumniis mactati à Fratre Barone, has patienter ferre debent, levatione quæsita ex Romanis Pontificibus, & aliis præstantibus viris, qui Baronis judicio nos in atheorum voraginem præcipites dederunt.

NE animadversionis titulus quemquam statim commoveat, quasi fucum facerem, Baronis verba subjicio è libri I. Apologetici sect. II. paragr. VI. pag. 139. & 140. *Eò sanè tuis disceptationibus nos de-*
dacis, & dum Pontificum, vel Liberii ignaviam, vel Fe- 359
licis ambitum honorum, vel Joannis XXII. singularem opinionem, non solùm quasi privatorum hominum culpas, sed Ecclesiæ capitum hæreses traducis, non ne promoves Calvinistarum causam, & iter ad perfugium Ecclesiæ invisibilis munis, nisi malis nos in atheorum voraginem præcipites dare? Sic eos omnes, qui Romanum Pontificem in rebus ad fidem pertinentibus errasse, aut quod idem est, errare posse docent vel significant, Baro nos & alios in atheorum voraginem præcipites dare pugnacissimè contendit.

I. Igitur in atheorum voraginem præcipites dedit Christianus Clemens VIII. qui consentiente Romana Ecclesia suppressit edita Sixti V. auctoritate Biblia, & illius diploma Bibliis præfixum, in quo Sixtus Pontificali ritu, non privato tantùm, sed publico etiam jure decernit: *Illud sanè omnibus certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores ac vigilias nunquam eò spectasse, ut nova editio nunquam exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto emendatissima, pristinæque suæ puritati, qualis primùm ab ipsius interpretis manu styloque prodierat, quoad ejus fieri potest,*

potest, restituta imprimatur. At neque Bibliorum editio hæc, neque Sixti diploma suppressa essent, nisi Sixtus graviter errasset in materia, quæ magni est omnino ponderis. Cùm id ergo Clementis auctoritate factum fuerit, Clemens nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

360 II. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Paulus IV. qui anno M. D. LVII. cùm Romæ in deliberationem veniret, utrum ipse contractum per verba de præsenti inter Franciscum Mommorantium & Joannam Halluynam Piennæam matrimonium posset solvere, hæc præfatus est: *Fratres & filii mei, Ego sanè vos congregare volui, ut ex vobis id cognoscam, quod exigui non est momenti ac ponderis: Num videlicet matrimonium per verba de præsente contractum possit auctoritate nostra dissolvi. Et notate diligenter quod ego dico: Hic enim non agitur quæstio de verbis futuri temporis, aut de simplici promissione. Nos quærimus, num matrimonium per verba de præsente contractum, quod est verum matrimonium & verum sacramentum juxta sanctiorum Theologorum sententiam auctoritate nostra dissolvi possit: Intelligo, cùm carnalis nulla intercessit conjunctio. Deinde addidit hoc: Ne quæso vos teneant decessorum meorum facta & exempla, quæ omnino sequi volo, quatenus Scripturæ auctoritas & Theologorum rationes ad illud agendum inducent: Dixit adhuc, quod sequitur:* NON DUBITO QUIN EGO ET DECESSORES MEI ERRARE ALIQUANDO POTUERIMUS, NON SOLUM IN HOC, SED ETIAM IN PLURIBUS *aliis rerum generibus, & tamen condemnandi plane non sumus. Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi certum ad tempus abscondat multa, quæ tum inde patefecit; quod Christus ipse satis innuit, cùm beato Petro dicebat: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea, & in alio loco aiebat: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis* 361 *portare modò: Cùm autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quis igitur scit modò, num quæ reliquis circa indissolubile matrimonii vinculum antè fuerunt incognita, per nos Deus apertam in lucem nunc prodi velit?* Et cætera, quæ & Gallicè & Latinè refero in epistola ad Joannem Gerbasium, quam habet pars tertia epistolarum nostrarum. Cùm Paulus III. sic locutus sit in frequenti Consistorio, & sibi & decessoribus suis non errandi privilegium abjudicat, & continuò in sensu & doctrina Baronis nos in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis tam miseri non exhorrescit?

III. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Hadrianus VI. qui cùm agit de ministro Confirmationis in quartum sententiarum, ita pronunciat: *Ad secundum principale de facto Gregorii dico I. quòd si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta Pontifex; certum est, quòd possit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo: Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici.* Et quibusdam in rei hujus confirmationem interpositis: *Non tamen dico Gregorium hic errare, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi quam alii asserunt.* Hæc in omni operum Hadriani editione, & præsertim in Romana, quæ ingentibus adornata & cumulata est elogiis, ut ostendimus in epistola ad Joannem Baptistam Franckevillam Lovaniensem Theologum. Hæc epistola extat in parte IV. epistolarum nostrarum. At siquis, non 362 dicam, Pontificum, sed mortalium, in sensu & doctrina Baronis nos in atheorum voraginem præcipites dedit, is fuit Hadrianus VI. Quis ad Baronis tam miseri sensum & doctrinam non exhorrescit?

IV. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dederunt Romani Pontifices, qui ante Hadriani tempus in Apotheosi utebantur hac protestationis formula: *Antequam ad pronunciationem veniamus, protestamur publicè apud vos præsentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra fidem, aut Catholicam Ecclesiam, sive honorem Dei.* Christophorus Marcellus Corcyrensis Archiepiscopus in libri I. de Canonizatione Sanctorum lectione VI. protestationis hujusmodi causam sic exequitur: *Tunc procurator causæ petit à Pontifice nomine procuratorio & nomine Principum pronunciari & declarari beatum N. in Sanctorum Catalogo adscribendum, & ut Sanctum venerandum à Christi fidelibus. Sunt tamen aliqui clarissimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam causa, quia Papa tunc cogebatur ad canonizandum quendam contra suam opinionem, & propterea protestabatur. Nunc autem non videri congruam illam protestationem. Sed de hoc statuat Summus Pontifex & sacer Senatus.* Protestatio hæc & protestationis causa non obscurè significant, Romanos Pontifices, qui protestatione usi sunt aliquem in Sanctorum numerum referentes, vel erravisse, vel certè errare posse persuasos fuisse. Id autem cùm ita sit, vide quot Pontifices nos in sensu & doctrina Baronis, in atheorum voraginem præcipites dederint? Quis ad tam miseri Baronis sen- 363 sum & doctrinam non exhorrescit? Cæterùm Marcelli opus de Romanæ Ecclesiæ Ritibus editum est Romæ anno M. D. XVI. & Leoni X. nuncupatum.

V. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Julius II. in diplomate, quo postquam definiit, simoniam veram atque indubitatam hæresim esse, continuò definiit Papam simoniacè electum non hæreticum modò, sed etiam hæresiarcham esse. Res ita se habet apud Odoricum Raynaldum in tomo X. Ecclesiasticorum Annalium: *Ad perpetuam rei memoriam. De fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & unanimi consensu hac nostra perpetuò valitura constitutione, Apostolica auctoritate, & de potestatis nostræ plenitudine statuimus, ordinamus & definimus, quòd si (quod Deus pro sua clementia & ineffabili bonitate avertat) contigerit, postquam nos & successores nostros successivè ipse Deus ab hujusmodi universalis Ecclesiæ regimine absolverit, humani generis inimico procurante, & ambitione vel cupiditate ad hoc inclinante seu impellente electionem Romani Pontificis ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo seu aliquibus de cœtu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per simoniacam hæresim in dando, vel promittendo vel recipiendo pecunias, bona cujuscunque generis, castra, officia, vel beneficia, seu promissiones, vel obligationes commissam per se vel alium, seu alios quomodocunque & qualitercunque etiam duarum partium, vel omnium Cardinalium unanimi concordia, quomodolibet etiam per viam assumptionis unanimiter nemine discrepante etiam sine scrutinio facta celebrari vel fieri, non solùm hujusmodi electio* 364 *vel assumptio de ipso nulla existat, & nulla eidem sic electo vel assumpto administrandi in spiritualibus & temporalibus facultatem tribuat; Sed etiam contra dictum sic electum vel assumptum de simoniaca labe à quocunque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, interponi & excipi possit: Sicut de vera & indubitata hæresi, ita quòd à nullo pro Romano Pontifice habeatur: Quinimo ipso sic electus, à priori suo Cardinalatus & alio quocunque honore, Ecclesiis cathedralibus, etiam Metropolitanis & Patriarchalibus, monasteriis, dignitatibus, & aliis quibuscunque beneficiis & pensionibus, quæ tunc obtinebat in titulum, vel in commendam, aut aliàs quomodocunque eo ipso absque alia declaratione privatus existat, & idem electus non Apostolicus, sed apostaticus, & tanquam simoniacus & hæresiarcha, & ad prædicta omnia & singula perpetuò inhabilis habeatur & sit.* Julius cùm sibi sumat, electum simoniacè Pontificem hæresiarcham esse, nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis tam miseri non exhorrescit? Mitto hic Julium errare, cum definit, simoniam veram atque indubitatam hæresim esse. Si-

monia

monia quidem est certum atque indubitatum peccatum, sed non est certa & indubitata hæresis, nisi cùm adversus Scripturam, & Catholicæ Ecclesiæ traditionem docetur, Simoniam absque peccato committi posse.

VI. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Eugenius IV. cùm de Romano Pontifice
365 sic loquitur in actione XVI. Basileensis Concilii: *Si Papa vel Legatus ejusdem nollet disponere aliqua, & contrà Concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus Legati personam Summi Pontificis repræsentantis, non Concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia Concilia habeat potestatem Papa, nisi fortè quæ statuenda forent, Catholicam fidem respicerent, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii sententia esset potiùs attendenda.* Discordantibus in materia fidei Concilio & Pontifice decernit Eugenius, Concilii potiùs, quàm Pontificis sententiæ standum esse. At cùm illud decernit, Pontificem in materia fidei errare posse non dubitat. Atque ita nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis tam miseri non exhorrescit?

Porro Eugenius, ut cum Basileensi reconciliaretur Synodo, bullam, quæ relata verba continet, revocavit, & revocando dixit illam nesciente se editam esse. Hoc ἀκυρωτικῶς ἔπος dixit propter illud, *cùm super omnia Concilia potestatem habeat Papa*, membrum, quo duobus exceptis casibus potestatem sibi super omnia Concilia tribuit, ac proinde potuisse Basileensem Synodum absque Illius consensu in alium locum transferre quæ res inter Synodum & Eugenium dissidii causa fuerat.

VII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Gregorius XI. cùm testamentum suum ita condidit: *Item volumus, dicimus & protestamur ex nostra certa scientia, quòd si in Consisto-*
366 *rio, aut in Concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis vel privatis, ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata aut præsentia magnatum ad eorum forsan complacentiam, seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo & hominibus, ut tenemur præ cæteris, profitemur, colimus & colere cupimus, seu forsitan adhærendo opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus, illa expressè & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.* Gregorius trium criminum accusat sese: Primùm, quòd in Consistorio vel in Concilio, vel in alio loco erronea contra Catholicam fidem quoquomodo dixerit: Deinde, quòd forsitan contrariis fidei Catholicæ opinionibus scienter adhæserit: Tum demum, quòd dederit favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus. Hoc autem cùm ita sit, in materia fidei erravisse, vel saltem errare se posse, libenter agnoscit: Quo pacto Gregorius nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad Baronis tam miseri sensum & doctrinam non exhorrescit?

VIII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Joannes XXII. qui contra veterem Romanæ Ecclesiæ professionem fidei de beata visione prædicaverat & docuerat, quod prædicandum & docendum non erat; idque vicinus morti revocavit
367 his verbis: *Nequis sinistrè interpretari possit, nos sensisse aliquid aut sentire, quod sacra Scriptura obviet, aut fidei orthodoxæ, dicimus & protestamur expressè, quòd quidquid in quæstione, seu materia visionis animarum, videlicet, an animæ à peccatis & pœnis peccatorum purgatæ videant divinam essentiam illa visione, quam Apostolus vocat facialem, seu in quacunque alia materia in sermonibus & collationibus diximus, allegavimus, seu proposuimus, non intendentes aliquid determinare vel decidere, seu credere, quod esset quovis modo Scripturæ sacræ obvium, vel contrarium fidei orthodoxæ sed illud solum tenere & credere, quod & sacra Scriptura potest & poterat & Catholicæ fidei convenire. Et si forsan in prædictis sermonibus, vel collationibus aliqua, quæ vel Scripturæ sacræ seu fidei orthodoxæ quovis modo essent vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem à nobis fuisse prolata dicimus & asserimus, eáque revocamus expressè, non intendentes illis adhærere, nec ea in præsenti defendere, nec etiam in futurum.* At reprobatum fuisse pridem ab Ecclesia Romana errorem, quem prædicaverat & docuerat, discimus ex fidei professione, quam Clemens IV. ad Palæologum Græcorum Imperatorem scribens eidem misit anno M. CCLXVII. Fidei professio hæc est: *Et quidem credimus sanctam Trinitatem.* Et paullò post: *Hæc est vera fides Catholica, & hanc super dictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia, sed & propter diversos errores à quibusdam ex ignorantia & ab illis ex malitia introductos dicit & prædicat.* Et paullo pòst: *Illorum igitur animas qui post suum baptisma nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas e-* 368
tiam, quæ post peccati maculam contractam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ prout superiùs dictum est, fuerunt purgatæ, mox in cælum recipi. Hæc eadem continentur in literis, quas Joannes Constantinopolitanus Patriarcha dedit ad Joannem XXI. anno M. CCLXXVII. à quo tempore usque ad Joannis XXII. Pontificatum anni tantùm intercedunt quadraginta. Non damnandus, ut quidam falsò putant, sed jam damnatus erat error, quem Joan. XXII. admittens in propositam ab Ecclesia Romana professionem fidei peccaverat, & ita dignum se præstitit, qui nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dederit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis tam miseri non exhorrescit?

IX. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Innocentius III. cùm se bis terve in definiendo obnoxium errori sponte sua fatetur. Semel in serm. II. de consecratione Romani Pontificis: *In tantùm fides mihi necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis solum Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Iterum in serm. III. de consecratione ejusdem Pontificis, ubi postquam probavit certum quoddam esse inter Episcopum & illius Ecclesiam conjugium, subjungit: *Propter causam verò fornicationis Romana Ecclesia posset dimittere Romanum Pontificem, fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale sed spirituale conjugium, id est, propter infidelitatis errorem.* Tertiò in Epistola ad Philippum Francorum Regem, qui volebat Pontificis au- 369
ctoritate cum uxore divortium facere: *Non auderemus*, inquit, *super hujusmodi casu pro te aliquid definire propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio, nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni suæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri nobis periculum imminerit, cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* In hoc negotio cùm agatur de Christi sententia, fatetur erraturum se, si quid absque generali deliberatione Concilii decernere tentaret. Erraturus verò esset si aliter decerneret: *Præter divinam offensam & mundanam infamiam quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri nobis periculum immineret.* Sed Innocentius ingenua confessione id consequitur, ut nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dederit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

X. Igitur

X. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Hadrianus II. cùm scribit ad Synodum VIII. literas, quæ in ejusdem Synodi actione VII. lectæ & approbatæ sunt: *Licèt Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super hæresi accusatus fuerat, propter quam solùm licitum est mi-*
370 *noribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos sensus liberè respuere, quamvis & ibi nec Patriarcharum nec cæterorum antistitum cuipiam de eo fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas.* Synodicæ fuerunt Hadriani literæ, & eam ob causam Romana Synodo consentiente & approbante scriptæ. Atque ita Hadrianus & Episcopi complures nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dederunt. Quis sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XI. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dederunt Romani Pontifices, cùm recèns creati edita fidei professione anathema dixerunt Honorio I. *III. Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ reverendissimis fratribus & dilectissimis filiis, seu universæ plebi.* Infrà sub finem: *Auctores verò novi & hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum & Petrum Constantinopolitanos unà cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, pariterque Theodorum Pharanitanum & Cyrum Alexandrinum ∵∴∵ nexu perpetui anathematis devinxerunt.* In veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno. Sic recèns creati Pontifices, cùm Honorio ut hæretico, vel hæreticorum fautori dixerunt anathema, nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dederunt. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Leo II. Agathonis successor proximus, cùm Synodum VI. ubi hæreseos multoties damnatur
371 Honorius, latinitate donavit, & in epistola ad Constantinum IV. confirmante Synodum VI. de Honorio conqueritur, quòd *hanc* (Romanam) *Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustraverit, sed profana traditione immaculatam fidem maculari permiserit.* Tum in epistola ad Eringium Regem de eodem Honorio adhuc conqueritur, quòd *immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis acceperat, maculari consenserit.* Leo scribit, quod à Synodo Patribus definitum invenerat. Et Franciscus Combesius ex Ordine Prædicatorum Theologus Leonis epistolas à Baronii & aliorum impetitionibus ita defendit, ut de earum veritate dubitare non liceat ampliùs. Quocirca Leo II. nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit? Hæc de Romanis Pontificibus, nunc de sanctis Patribus.

XIII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Hilarius Pictaviensis Episcopus, cùm ad Constantium scribens Liberium hæreseos insimulat: *Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum? Eripuisti illinc Episcopum: Sed ô te miserum! Qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quàm remiseris.* Constantius ex urbe Liberium relegaverat Catholicum Episcopum, sed in urbem Liberium remiserat hæreticum Episcopum. Hinc Hilarius Liberio anathema non semel denuntiat. Sic ille, quem beatus Augustinus Ecclesiæ Catholicæ adversus hæreticos acerrimum defensorem nominat; nos in sensu & do-
372 ctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XIV. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Athanasius Alexandriæ Episcopus, cùm Felicem Liberii successorem, Antichristi instar habet in epistola ad Solitarios: *Hoc ministro usus* (Constantius) *incredibile facinus designavit, quod verè referat imaginem Antichristi, ut qui in locum Ecclesiæ Palatium suum succedere voluerit, & pro conventu populi & jure comitiorum tres eunuchos præsentes esse jusserit, trésque item κατασκόπους, hoc est exploratores (non enim eos Episcopos dixeris) ut ipsi Felicem quendam Episcopum in Palatio crearent, dignum profectò talibus suffragatoribus. Cæterùm populi omnes cognita hæreticorum pravitate non permisere eos intrare Ecclesiam, procùlque ab iis recesserunt. Quid igitur hîc, quod Antichristi non sit, omisit?* Proh nefas! Athanasius cùm ita Felicem excipiat, nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XV. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Hieronymus, cùm Liberium ut hæreticum ducit, primùm in Chronico: *Liberio,* inquit, *in exilium ob fidem truso omnes Clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verùm cùm Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi perjuraverunt, & post annum cum Felice ejecti sunt, quia Liberius tædio victus exilii, & in hæretica pravitate subscribens Romam quasi victor intraverat.* Deinde in libro de viris illustribus: *Fortunatianus natione Afer, Aquileten-*
sis Episcopus, imperante Constantino, in Evangelia titulis 373
ordinatis brevi & rusticò sermone scripsit commentarios, & in hoc habetur detestabilis, quòd Liberium Romanæ urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit. Hieronymus, quia sensit ita de Liberio, nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XVI. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dederunt Optatus lib. II. contra Parmenianum, & Augustinus epistola CLXV. ad Generosum, cùm à Romanorum Pontificum catalogo Felicem abjiciunt. Sic enim Augustinus Optatum secutus Romanos Pontifices numerat: *Petro successit Linus,* & interpositis aliis: *Julio Liberius, Liberio Damasus,* &c. Hoc ita posito Optatus & Augustinus nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dederunt. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XVII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dederunt Orientales Episcopi, cùm referente suprà Hadriano II. anathema Honorio dixerunt. Hæc de sanctis Patribus, nunc de aliis scriptoribus.

XVIII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Auxilius, Formosi Papæ defensor, cum Liberium in hæreticorum numero ponit in libri I. de Ordinationibus capite XXV. *Quis nesciat, quòd Liberius proh dolor! Ariana hæresi subscripserit,*
& per ejus transgressionem nefandissima scelera sunt 374
commissa? Deinde in libri II. capite I. de Liberio: *Qui Ariana heresi subscripsit.* Quo ita constituto, Auxilius nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

Joannes de Parisiis beati Thomæ discipulus & Parisiensis ex Ordine Prædicatorum Theologus in libro de potestate Regia & Papali, postquam docuit R. Pontificem hæreticum fieri posse, & ob hæresim deponi, hæc in capite XXIV. docet: *Nunc verò ostendendum multipliciter, quòd Papa possit renuntiare & invitus deponi.* Et quibusdam interpositis: *Quod ergo dicitur in principali argumento quod Papatus est summa virtus creata, & sic non potest auferri. Respondeo, licèt sit summa virtus in persona, tamen est ei æqualis vel major in Collegio vel in tota Ecclesia: Vel potest dici, quòd potest deponi à Collegio, vel magis à generali Concilio auctoritate divina, cujus consensus supponitur & præsumitur ad eum deponendum, ubi apparet manifestum scandalum & incorrigibilitas ipsius præsidentis.* Sic Joannes de Parisiis beati Thomæ discipulus

pulus nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XIX. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Joannes Turrecremata ex Ordine Prædicatorum Theologus & Cardinalis, cùm in libri IV. de Ecclesia cap. XVI. exponit modos viginti, quibus contra fidem aliquis pertinaciter errare
375 præsumitur; *Decimus septimus modus convincendi specialiter Papam de pertinacia in hæretica pravitate est, si errorem definit solemniter, & à Christianis asserit tanquam Catholicum esse tenendum. Patet, quia talis artans alios ad errorem pertinaciter defendendum est pertinax reputandus.* Hic, ni fallor, respectum ad Joannem XXII. Quidquid illud est, Turrecremata nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XX. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Dionysius Cartusianus, cùm in libri I. de auctoritate Papæ & Concilii capite XXXI. sic docuit: *Cùm Papa possit errare in fide & moribus & cæteris, quæ sunt de necessitate salutis, ejus judicio non videtur ultimatè ac certitudinaliter standum in istis, cùm non sit infallibilis regula, neque indeviabile fundamentum.* Sic Dionysius nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XXI. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Tostatus Abulensis Episcopus, cùm in part. II. defensorii capite XXX. scribit: *Ex quo apparet, quòd jura manifestè supponunt Papam posse effici hæreticum, & confirmatur experientia. Nam Papa Marcellinus fuit hæreticus.* Et quibusdam interpositis: *Item de Papa Joanne XXII. qui tenuit hæresim circa visionem beatificam, & postea coactus fuit publicè illam revocare, ut patet in gestis Summorum Pontificum.* Deinde in præ-
376 fatione ad beati Matthæi Evangelium: *Quilibet homo quantumcunque sanctus & quantacunque potestatis potest errare in fide & effici hæreticus, sicut de multis Summis Pontificibus legimus, ut de Liberio, de Joanne XXII. & aliis quibusdam.* Tostatus, qui & qualis Theologus & antistes, nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XXII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Theologiæ Parisiensis Facultas, cùm anno M. CCCCLXXXII. Joannis Angelii Minoritæ assertionem hanc damnavit: *Quicunque contradicit voluntati Papæ Paganizat, & sententiam excommunicationis incurrit ipso facto, & à nullo Papa reprehendi potest, nisi in materia hæresis. Hæc propositio est falsa, scandalosa, & sapiens hæresim manifestam.* Sic Parisiensis Theologiæ Facultas nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XXIII. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Dominicus Jacobatius Cardinalis, cùm in libri VII. de Conciliis capite VII. ait: *Et licèt* (Rom. Pont.) *per hæresim abscinderetur à corpore Ecclesiæ, eo ipso quoad Deum & Ecclesiam triumphantem, tamen quoad militantem, quæ non judicat de occultis, & humanum requirit declaratorium judicium, ante sententiam toleraretur: Adeo quòd etiam accusatus de hæresi, si ante sententiam spoliaretur, vel ei obedientia subtraheretur, esset restituendus 2. quæst. 7.*
377 *Nos si incompetenter, versiculo item Symmachus: Ad quod Capitulum nonne 8. quæst. quarta. Et sic in tali casu non esset sibi ipsi Papa, nobis sic propter tolerantiam & communem errorem, quo creditur, & teneri debet, ut Papa ante judicium in eum latum per Concilium generale, ad quod pertinet, & in casu illo esset Synodus major Papa, & orbis urbe. 40 dist. & 19. dist. Anastasius.* Et post alia: *Sed quod plus est, licèt in causa fidei Papa superiorem habeat, totam scilicet Ecclesiam, ut superiùs dictum est, tamen convicto Marcellino Papa per propriam confessionem de idololatria, nullus in eum ausus est ferre sententiam, sed eimet remiserunt sententiam.* His ita positis Jacobatius nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dedit. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit?

XXIV. Igitur Christianos in atheorum voraginem præcipites dedit Thomas Campegius Feltrensis Episcopus, cùm in libri de Concil. cap. 36. scribit: *Si Papa ut privata persona immutare vellet, quæ de fide definita sunt, Patribus dissentientibus, præferenda foret sententia Concilii, quæ etiam præferenda foret in his quæ nondum definita forent. Arg. gl. in Cap. Anastasius 19. dist. Quod Papa tenetur requirere consilium Episcoporum, ubi de fide agitur. Quinimo Papa in his quæ determinata sunt, censeretur à fide devius, & Concilium eo majus, C si Papa 40. dist. Quo casu dici posset illud D. Bernardi: Quæ major superbia, quàm quòd unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus haberet spiritum Dei? Propter quod Archid. approbans glossam d. C. Anastasius* 378 *dixit, periculosum foret fidem nostram committere arbitrio unius hominis. Et licèt aliàs causa fidei nondum decisa referantur ad Sedem Apostolicam, & sic ad Papam, C. quo vicesimaquarta quæst. 1. Capitulo sacrosancta, vigesimasecunda dist. C. majores. De Bapt. tanquam ubi esset dubium, quod Papa cum Cardinalibus dubitarent, tunc non deberet sine Concilio decidere, sed vocare Concilium secundùm Cardinalem Alex. in d. C. Anastasius, & in simili casu fuit facta congregatio Hierosolymis super Circumcisione. De qua Act. 15.* Hæc ille qui Tridentino Concilio interfuit. Sic Campegius & alii, quos citat, Archidiaconus, & Cardinalis Alexandrinus nos in sensu & doctrina Baronis in atheorum voraginem præcipites dederunt. Quis ad sensum & doctrinam Baronis non exhorrescit, & homunculum talem cum Bernardo de Montepolitiano, Jacobo Clemente, Carolo Ridicovio, Petro Argero, & eorum sectatoribus non execretur? Hoc autem, amice, postquam perlegeris & diligenter expenderis, paratam in iis consolationem reperies, quæ adversus Baronis contumelias, probra, omnemque muliebris linguæ lasciviam rectè possit adhiberi.

ANIMADVERSIO VI.

Baronis error circa visibilis Ecclesiæ rationem detegitur & configitur.

Visibilis Ecclesiæ rationem Baro constituit in Romano Pontifice, qui errare non possit in fide & moribus, & sic errorem inducit novum, qui heterodoxis omnibus apertè suffragatur. Sed priùs re- 379
ferenda sunt Baronis verba: *Eò sanè tuis disceptationibus nos deducis, & dum Pontificum, vel Liberii ignaviam & Felicis ambitum honorum, vel Joannis XXII. singularem opinionem, non solùm quasi privatorum hominum culpas, sed Ecclesiæ capitum hæreses traducis, nonne promoves Calvinistarum causam, & iter ad perfugium invisibilis Ecclesiæ munis?* Id est, nisi concedatur, Romanum Pontificem non errandi privilegio gaudere, erraréque in fide & moribus non posse, invisibilis evadet Ecclesia, vel certè Ecclesia de visibilitate sua (mollienda sunt tua verba) periclitabitur. Siquidem iter ad perfugium invisibilis Ecclesiæ muniretur. Hæc est nova & perniciosa Baronis doctrina: Nova quidem, quia Theologorum etiam Curialium nullus hoc ante Baronem docuit: Perniciosa verò, quia ut Baro ipse loquitur, Calvinistarum causam adjuvat, & hæreticorum aliorum, qui invisibilem Ecclesiam esse pugnant.

Dominicus

Dominicus Bannes ejusdem cum Barone Ordinis, quòd Ecclesia Christi sit visibilis, proprietatem Ecclesiæ quintam facit in secunda secundæ quæst. 1. art. x. Nunc videndum est, ntrum Baronis errori præiverit, necne? *Hæc*, inquit, *proprietas, quam Catholici Ecclesiæ Christi attribuimus, ab hæreticis odio habetur, atque irridetur. Nos autem Catholici constanter asserimus, Ecclesiam Christò esse visibilem & quasi manibus palpabilem, & hujus oppositum est hæresis Joannis Huss & Wicleff & Catharorum & Donatistarum & Begardorum & Beguinarum. Contra quam hæresim Ca-*
380 *tholici Doctores multa scripserunt variis in locis disputantes, vel de Sacramento Ordinis, vel de sacrificio Missæ, vel de sacrificio in communi, vel de adoratione, vel oratione vocali, vel de legibus positivis & humanis. Videatur D. Augustinus contra Donatistas, & libro de unitate Ecclesiæ, & in Epistol. 48. Vide etiam Divum Thomam in 3. part. quæst. 8. art. 1. ad tertium, ubi ponit differentiam inter Christum Dominum, & Spiritum sanctum, quòd Christus Dominus secundùm naturam visibilem est caput hominum, eo quòd caput debet habere manifestam excellentiam super cætera membra. At verò Spiritus sanctus dicitur cor Ecclesiæ, eò quòd invisibiliter animat & vivificat illam: Quæ in re assimilatur cordi, quod occultè influit in membra corporis. Et confirmatur. Nam gubernatio Ecclesiæ à Christo capite derivata est per membra visibilia, videlicet per ministerium hominum manifestum, juxta illud 2. ad Corinthios 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi.*

Præterea probatur hæc proprietas ex illo Psal. 44. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate, in quibus verbis Ecclesiæ visibilis pulchritudo & ornatus depingitur. Item Matth. 5. comparatur Ecclesia civitati supra montem positæ, quæ abscondi non potest. Similiter & lucernæ ardenti super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

Præterea Matth. 18. Ubi correctionis fraternæ docuit ordinem Christus Dominus, & dixit, Si te non audierit, &c. Dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus. Ex hoc loco sumitur manifestum argumentum, quo convincitur Ecclesiam esse visibilem; alioqui quomodo Ecclesiæ denunciaretur de incorrigibili, &
381 *quomodo Ecclesia hominem doceret, atque admoneret, ut corrigeretur?*

Præterea Joannis 1. dicitur, quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum. Ex quo colligitur, non solùm esse visibile aliquid, quod de Christo prædicatum est, sed etiam quòd ipsi prædicatores Apostolì visibiles fuerint. Siquidem invitabant, ut homines societatem cum illis haberent, unámque Ecclesiam constituerent.

Et confirmatur, quia nova Ecclesia Christi olim visibilis erat à principio, cujus partes erant Apostoli & beata Virgo & cæteri discipuli. Ergo & modò debet esse visibilis. Siquidem eadem Ecclesia semper permansit, si formaliter loquamur, sicut est eadem civitas, quamvis non sint iidem homines, qui antè fuerant illius civitatis cives. Accedit adhoc, quòd Spiritus sanctus olim venerit in linguis igneis & visibilibus, quasi denotans Ecclesiam Christi visibilem esse.

Præterea Baptismus dicitur esse meritò janua Ecclesiæ, & omnium Sacramentorum. Sicut Baptismus est Sacramentum visibile, ergo & Ecclesia Christi visibilis est.

Et denique: Si Ecclesia Christò visibilis non esset, plurima maximáque incommoda sequerentur. Primùm quidem sequeretur Deum non esse colendum exteriori cultu, sed interiori & invisibili tantùm. Probatur sequela, quia cul-
382 *tus & sacrificium maximè pertinent ad unitatem Reipublicæ, ergo si Ecclesia Christi esset omnino invisibilis, superflua essent visibilia sacrificia & sacramenta, frustrà etiam esset visibilia templa ædificare, & vocaliter orare. Sequeretur etiam non esse Prælatos certos in Ecclesia, ad quos sit recurrendum in explicatione fidei & morum correctione. Frustrà essent & leges Ecclesiasticæ, ac proinde omnia in Ecclesia sursum deorsumque versarentur.*

Nunc vide atque expende capita omnia, ex quibus insignis Theologus Ecclesiæ visibilitatem contra hæreticos repetit; non invenies illud, quod Baro tam vehementer premit & urget. Nova est igitur, & perniciosa Ecclesiæ doctrina, quam Frater iste vult inducere. Nova quidem est, & Ecclesiæ perniciosa, quòd Hussitarum, Wiclefistarum, Catharorum, Donatistarum, Begardorum & Beguinarum hæresi faveat, & hodiernis Novatoribus amplissimam irridendæ & traducendæ Ecclesiæ occasionem præbeat.

Bellarminus, quem Baro invictum Catholicæ fidei pugilem appellat, in libri III. de militante Ecclesia capite XII. visibilitatem Ecclesiæ, ex non errandi privilegio, quod insit Romano Pontifici, non repetit: Aliunde repetit & probat hoc modo: *Primùm igitur, quòd vera Ecclesia sit visibilis, probatur primò ex Scripturis omnibus, ubicunque invenitur nomen Ecclesia. Nam semper nomine Ecclesiæ visibilis congregatio significatur, nec unum saltem locum Calvinus proferre potuit, nec protulit, ubi hoc nomen tribueretur congregationi invisibili. Certè cùm dicitur Num. 20. Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem? Ecclesia vo-* 383
catur populus ille notissimus Israël, qui exierat de Ægypto. Sic 3. Reg. 8. De visibili Ecclesia manifestè loquitur Scriptura, cùm dicit: Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel. Omnis enim Ecclesia Israël stabat. Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nomine petræ sive intelligas Christum aut fidei confessionem, ut hæretici volunt, sive Petrum ut nos credimus, semper fundamentum Ecclesiæ est aliquid sensibile, ut patet, ac proinde Ecclesia ipsa est sensibilis, sive visibilis. Nam etsi nunc neque Christum, neque Petrum videamus, tamen tunc uterque sensibus corporeis expositus erat ad videndum, nunc uterque videtur non in se, sed in Vicario, aut successore suo. Sicut regnum Neapolitanum non ideo est invisibile, quia rex abest. Nam Rex videtur in suo prorege. Matth. 18. Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, &c. Certè neutrum servari posset, si esset Ecclesia invisibilis. Actor. 28. Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Quomodo poterunt regere Ecclesiam quam non noverant? Actor. 15. Illi quidem deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem. Et ibidem: Cùm venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia. Et cap. 18. Ascendit Paulus, & salutavit Ecclesiam. Quomodo ista conveniunt Ecclesiæ invisibili? 1. Cor. 15. Galat. 1. & Philip. 3. Paulus dicit se persecutum Ecclesiam Dei. At notum est quos persequebatur ex Actis Apost. cap. 9. Denique 1 Timoth. cap. 3. Hæc tibi scribo fili Timothee, ut scias quomodo te oporteat conversari in domo Dei, quæ est Ec- 384
clesia Dei vivi, &c. At sanè non poterat in ea conversari, nisi sciret, quænam esset.

Secundò probatur ex aliis Scripturis, ubi non nominatur, sed apertè describitur Ecclesia, Psal. 18. In sole posuit tabernaculum suum. Exponit August. tract. 2. in Epistolam Joannis, in manifesto posuit Ecclesiam suam, ut sicut sol non potest omnino latere, ita nec Ecclesia possit abscondi. Item Isaia 2. Daniel. 2. & Michea 4. Comparatur Ecclesia monti magno & conspicuo, qui nullo modo potest latere secundùm communem expositionem Hieronymi in ea loca, & Augustini tract. 1. in Epistolam Joannis. Item illud Matth. 5. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ cap. 14. & alibi passim exponit de Ecclesia: Denique parabolæ Evangelicæ de area, de reti, de ovili, de convivio, &c. Omnes ostendunt Ecclesiam veram, quæ est regnum cælorum, esse visibilem.

Tertiò probatur ex ipso ortu & progressu Ecclesiæ. Nam ut omittamus, statum Testamenti veteris, in quo adeò visibilis erat Ecclesia, ut in ipsa carne portarent visibile signum circumcisionis: In Testamento novo sine dubio Ecclesia Christiana tota erat in principio in Apostolis & Discipulis Christi, qui adeò visibiles erant, ut super illos visibiliter Spiritus sanctus descenderet in die Pentecostes, &c.

Quartò probatur ex ipsa ratione Ecclesiæ. Ecclesia enim est societas quadam non Angelorum, neque animarum, sed hominum. Non autem dici potest societas hominum, nisi in externis & visibilibus signis consistat, &c.

Quintò tempore Christi, ut volunt Philippus & Illyri-
385 *cus, Ecclesia solùm erat in Zacharia, Simeone, Anna, Maria & paucis aliis piis, non autem in Pontificibus & cætera multitudine Judæorum. At constat, quòd Zacharias, Simeon, & cæteri communicabant cum Pontificibus in templo, sacrificiis,* &c.

Sextò probatur ex necessitate. Nam tenemur omnes sub periculo æternæ mortis veræ Ecclesiæ nos adjungere, & in illa perseverare, id est, capiti ejus obedire, & cæteris membris communicare. Ut patet ex Cypriano de simplicitate prælatorum, Hieronymo in Epistola 1. ad Damasum de nomine Hypostasis & Augustino lib. 4. de Baptismo cap. 1. At hoc fieri non potest si est Ecclesia invisibilis.

Septimò ex dictis quæstione superiore: Si enim Ecclesia est congregatio hominum utentium Sacramentis iisdem & fidem Christi profitentium sub regimine legitimorum Pastorum, ut ibi probatum est, sequitur necessariò etiam esse visibilem.

Ultimò testimoniis veterum, Origenis homil. 30. in Matth. Cypriani lib. de unitate Ecclesiæ, Chrysostomi homil. 4. in caput 5. Isaiæ, Augustini lib. 3. contra Epistolam Parmeniani cap. 5. tract. 1. in Epistolam Joan. & tract. 2. Hæc non refero testimonia, quia unicuique nota sunt & perspecta, nec Baroni suffragantur.

Nunc de Barone nostro sciscitor, an sit Bellarmini argumentum ullum, vel ulla probatio, quæ ex Pontificio non errandi privilegio depromatur, ut auctor ille visibilem esse Ecclesiam demonstret? Quot sunt in Bellarmini rationibus periodi, quot commata, tot sunt quoque amentata tela, quibus nova & Ecclesiæ perniciosa Baronis doctrina concutitur & labefacta-
386 tur. Comparatio inter Neapolitanum regnum & Ecclesiam ducta Baronem penitus confundit. Neapolitanum regnum visibile est ex regis præsentia, non ex ullo non errandi in ferendis legibus privilegio, quod rex habeat.

Jacobus Cardinalis Perronius, quem Baro ut ducem optimum sequitur, de Ecclesiæ visibilitate vel invisibilitate scribit in commentariis, quibus Jacobo Regi Anglorum respondet, sed eundem cum Banne & Bellarmino disputandi modum retinet, & Fratris errores comprimit. Non enim dicit eos qui asserunt Romanum Pontificem in fide & moribus vel errasse vel errare posse, iter ad perfugium invisibilis Ecclesiæ munire.

Nunc Baroni oppono Senonense Concilium anno M. D. XXVIII. celebratum, quod illius errores duos in hac materia configit duobus in fidei decretis, quorum primum ita se habet: *Cùm adeò explorata sit ex Scripturis, tum unitas Ecclesiæ, tum sanctitas, ut qui secus ausi affirmare, manifestæ statim impietatis convincantur, apertissimum autem in hæreticos argumentum, & quò minore negotio contundi queant, sit ejus auctoritas, cujus definitiones & decreta propter sui claritatem, non facile sine cavillis & tergiversationibus obnoxia: operæpretium se facturos esse putaverunt, siquam infestari non possunt, dolo tandem & versutiis eludant. Id quod tum demum assecuti fuerint, si pro sententia Lutheranorum invisibilis & tota spiritualis, ac proinde nobis incognita credatur Ecclesia. Nam quis futurus contentionis modus, ubi provocatur ad judicem, qui nec inveniri, nec inventus internosci possit? Atqui, inquit*
Christus, si te corripiente frater tuus non audierit, dic 387
Ecclesiæ. Quid autem crassius aut inutilius fingi possit, si prorsus occulta sit, & impervestigabilis Ecclesia, cujus majores natu admonet Apostolus universo gregi, non quidem invisibili attendere, in quo eos Spiritus sanctus posuerat Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei? Nunquid invisibilis illa, à qua pro Petro, cùm carcere teneretur, assidua fiebat oratio? Aut in qua Timotheum conversari docet Apostolus? Non igitur fide tantùm & internis charismatibus, sed confessione fidei, & externa ac visibili sacramentorum participatione constat, semperque constitit Ecclesia, quæ ab ipsis incunabulis, communi & præscripta unius & ejusdem fidei professione non caruit: unum corpus, inquit Paulus, unus Spiritus, unus Dominus, una Fides. Sed ne ab his invisibilibus tantùm pendere videretur Ecclesia, unum adjecit Baptisma. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi sive liberi. Quisquis igitur tergiversandi studio invisibilem & incertis sedibus errantem dixerit Ecclesiam, non hæresim tantùm dixisse, sed hæresum omnium puteum fodisse judicetur. In hoc decreto asseritur & probatur, visibilem esse Ecclesiam, sed non inde asseritur & probatur, quòd Romanus Pontifex in fide & moribus errare non possit, vel quòd iter ad perfugium invisibilis Ecclesiæ muniant, qui Romano Pontifici non errandi privilegium detrahunt. Nondum Frater Baro erroris hujus parens emerserat.

Alterum decretum est hujusmodi: *Absurdum non*
abs re videri possit, si tanto studio veteri Synagogæ Deus 388
affuit, ut si quid in lege difficile vel ambiguum occurreret, quod citra controversiam à judicibus & legisperitis absolvi non posset, designato tamen cœtu non carerent, cujus arbitrio res tota finiretur: Ecclesiam autem longè Synagoga potiorem, ita necessariis destituat auxiliis, ut prorsus non habeat, cui suborta de fide quæstione tutò satis inniti possit. Proinde cùm certa sit & infallibilis fidei regula, nec aliquando invisibilitatis prætextu tandem eludi queat, ea profectò sacris generalibus Conciliis auctoritas derogari non potest, quæ proximè universalem repræsentant. His enim Conciliis, si ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei & extirpationem hæresum, Ecclesiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, potestas adimatur, nihil certum, nihil stabile futurum est, nihil denique, quo hæreticus ab orthodoxo possit internosci, cùm ille frequenter, tum impendiò loquacior, tum pervicacior, pluribus (licèt perperam intellectis) Scripturarum testimoniis falsò glorietur. Nec erat, quo veterum quondam hæreticorum retunderentur insultus, nisi Ecclesiastici proceres Apostolorum exemplo Concilia celebrassent, quibus sancti Spiritus auctoritatem ferocientibus illis, & rerum humanarum scientia tumentibus, opponerent. Quò fit, ut si Conciliorum auctoritas sub hac temporum calamitate tantillum depereat, protinus velut ab inferis suscitanda sint damnatæ hæreses; neque defuturi sint, qui hinc Arrio, inde Nestorio, cæterisque id genus pestibus palam subscribere non formident. Etsi autem nonnihil quoque laicorum interfit, quod credendum sit, quod agendum: Id tamen
ab Apostolis (quibus succedunt Episcopi) legimus ob- 389
servatum, ut sive murmuri Græcorum occurrendum foret, seu pacanda super legalibus oborta seditio, non contentionem, non promiscuam è plebe multitudinem accerserent, sed præsentem sibi Spiritum sanctum affirmarent, cujus instinctu, quod justum esset & æquum, sanciretur. Quod si ubi duo vel tres in nomine Domini congregantur (licèt sibi ipsis relicti falli possint) continuò tamen in medio eorum sit Dominus; quantò magis ubi Summus Pontifex, cæterique primores Ecclesiastici conveniunt, ut hæresibus subinde pullulantibus occurrant, & Dominicum agrum subortis expurgent Zizaniis? Sancta

igitur

igitur & inviolabilis est sacrorum Conciliorum universalium auctoritas. Quisquis pertinaciùs refragatur, hostis fidei jure optimo censeri debet.

Concilium hoc in canone facit duo, & primum quidem non errandi in fide & moribus privilegium universali Synodo adjudicat. Deinde id genus privilegii cuicunque alteri, etiam Romano Pontifici abjudicat. Hoc facile colligitur ex his decreti verbis: *His enim Conciliis* (universalibus) *si ea decernendi, quæ ad sinceritatem fidei & extirpationem hæresum, Ecclesiæ reformationem, & morum integritatem pertinent, potestas adimatur, nihil certum, nihil stabile futurum, nihil denique, quo hæreticus ab orthodoxo possit internosci.*: Sic excluditur Romanus Pontifex, cujus opera hæreticus ab orthodoxo possit certò internosci. Deinde id colligitur ex Judoco Clicthoveo Parisiensi Theologo, qui Senonensi Concilio interfuit, & decretorum rationes unum in librum coegit: Hæc est igi-
390 tur relati decreti ratio: *Ad hæc necesse est, ipsam Ecclesiam Catholicam (quoniam in fide & moribus aberrare nequit) habere regulam aliquam certam & determinatam atque infallibilem, per quam in suis dubiis circa materiam fidei & morum incidentibus dirigi debeat, recto que duci tramite, ne in devia errorum decumbat, aut in obliquum deflectatur. Nempe si nullam haberet ipsa Ecclesia regulam sensibilem & mensuram quandam tanquam amussim directricem, cùm ipsa visibilis sit, & humano sensui pervia, facilè posset ob hujus regulæ defectum prolabi in errores & pertrahi ad diverticula pravorum dogmatum & morum. Atqui talis regula totius Ecclesiæ directiva non est judicium ipsius Summi Pontificis, cùm ipse nequaquam in Dei gratia confirmatus sit, & falli possit & in errorem prolabi.* In primo assertam à Novatoribus invisibilitatem Ecclesiæ refellit. In secundo, si audiatur Frater Baro, iter ad perfugium invisibilis Ecclesiæ munit, & Novatorum causam promovet. Sed quis delirantem ita Baronem audiet?

In superiori Animadversione Hilarius, Hieronymus, Auxilius & Tostatus, Liberium in hæreticorum numero ponunt. Athanasius Felicem ut intrusum ab hæreticis Episcopum rejicit: Optatus & Augustinus eundem è Romanorum Pontificum catalogo expungunt. Tostatus & Hadrianus VI. Joannem XXII. errasse in fide docent. Sed inde Baro pugnacissimè contendit, illos omnes Calvinistarum causam promovere, & iter ad perfugium invisibilis Ecclesiæ munire. Et hæc est nova & Christianæ religioni perniciosa doctrina, quam Frater totis viribus obtrudit.

391 Animadversionem hoc epichiremate concludo: Visibilitas Ecclesiæ non pendet ex sola persona Romani Pontificis, multo minus ex privilegio, quod illi conveniret. Nam si visibilitas Ecclesiæ penderet ex sola persona Romani Pontificis, Ecclesia non esset semper visibilis: Sed nunc esset visibilis, nunc esset invisibilis. Visibilis tunc esset Ecclesia, cùm Romanus Pontifex sederet, tunc invisibilis cùm Romana Sedes vacaret, & si Sedes hæc diu vacaret, invisibilis diu foret Ecclesia.

Clemente IV. mortuo anno M. CCLXVII. die XXIX. Novembris, Sedes usque ad Septembris diem primum anni M. CCLXXI. cùm Gregorius X. renunciatus est Pontifex, vacavit, & sic in pestifera Baronis opinione per tantundem temporis Ecclesia non aspectabilis permansit. Ecclesia quæ Origene auctore, *plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem*, Post Clementis IV. mortem usque ad Gregorii X. Pontificatum Barone auctore tenebris plena fuit ab Oriente usque ad Occidentem, quippe non erat visibilis.

Clemente V. vita functo die XX. Aprilis anni M. CCCXIV. Sedes usque ad diem septimum Augusti anni M. CCCXVI. cùm Joannes XXII. creatus est Pontifex, vacavit. Sic in nova & perniciosa Baronis opinione per tantundem temporis Ecclesia fuit invisibilis. Ecclesia, *quæ* Cypriano auctore, *Domini luce perfusa radios suos per orbem terrarum spargit*, post Clementis V. excessum usque ad Joannis XXII. Pontificatum Barone auctore radios suos per orbem terrarum spargere desistit.

Hæc est igitur nova & Ecclesiæ perniciosa doctri- 392
na, quam multis modis confiximus; Sed ô miserum hominem qui eam in sua contra nostram epistolam exercitatione non revocat, sed suo potiùs silentio confirmat. Qua de re viderint, quorum est prospicere nequid ex ea doctrina damni capiat Ecclesia.

ANIMADVERSIO VII.

Pessimi consilii accusatus Baro convincitur in quæstione de abdicandis ob hæresim regibus. Tum quæstio hæc certis & idoneis ad disputandum regulis profligatur.

IN Epistolæ nostræ capite III. de Barone sic conquerebar: "Sed patefaciendum est modò pessimum illud consilium, quod his verbis, magis promptum & justius erat, Divum Thomam (quintum Ecclesiæ Doctorem) ob tanti nominis & maximorum in Ecclesiam meritorum reverentiam defendere, quàm illi quidquam impingere, concepit, universam Thomæ doctrinam ita commendat, ut non liceat cuiquam quæstionis hujus vel illius articulum hunc vel illum rejicere: Quo pacto vult Frater nos cogere ad recipienda placita, quæ Thomas duabus in quæstionibus tradit: Prior est in secunda secundæ num. decima, ubi art. X. quærit, utrum infideles possint habere prælationem, seu dominium supra fideles. Posterior est in eadem secunda secundæ num. duodecima, ubi art. II. quærit, utrum Prin-
"ceps propter apostasiam à fide amittat dominium in 393
"subditos, ita quòd ei obedire non teneantur. Instaurare conatur Frater Baro, quod ante annos sat multos Frater Biarotus instaurare non potuit: Sed quia voluit, à Theologiæ Facultate cujus erat Baccalarius, cum infamia pulsus est. Sic patefactum est nefarium Baronis consilium, à quo purgari nunquam poterit, nisi doctrinam traditæ in duobus illis articulis doctrinæ contrariam scripto profiteri velit. Qua de re viderint, quorum est prospicere nequid respublica detrimenti ex Baronis consilio capiat. Ad me quod attinet, traditam his in articulis doctrinam rejicio, quia illi non convenit Theologiæ definitio, quam in cap. I. ex beato Thoma retulimus.

At Frater Baro Fratris Biaroti socius sic in exercitationis suæ paragrapho IV. respondet: *Cæterùm ad id quod affers ex quæstione decima & duodecima, secunda secundæ, & obtendis juribus regum adversari: Duo respondeo, primùm non pertinere ad subjectum de testimoniis Cyrilli disputationem, nisi tu velis iterum tuis censuris jus divinorum præceptorum asserere, ut qui in unum peccarit, reus omnium fiat. Deinde dico hæc à D. Thoma scripta regnis & ditionibus, quorum comitia generalia status eam cum Principe ineunt conventionem, ut salva religio sit, prima omnium cura, eâque violata non stent mutua promissa. An verè sic institui cum principibus possint pacta salvo jure naturali non est meum disputare. Id certò scio, in orbis Christiani infinitis partibus, quæ iis locis docet Divus Thomas, non solùm impunè, sed etiam cum laude à Theologis propugnari. Si id* 394
apud nos prohibitum sit; patriis legibus obtemperabo.

I. Hic bonus & clemens Frater nusquam integra refert, quæ scribo: Atque ita faciliùs vel imponit mihi, vel ex argumentis nostris, quæ dissimulat, evadit. Responsionem priorem aliò deflectit, cùm ait ea quæ disputo, non pertinere ad subjectam de Cyrilli testimo-

testimoniis disputationem. Ego ut ex verbis meis liquet, non ago de subjectis apud Thomam Cyrilli testimoniis, sed de beati Thomæ doctrina universa, quam summam in auctoritatem admitti debere contendit.

II. Exerrantem sequor, ut eum in viam veritatis reducam. Quæstio tantùm erat de nonnullis testimoniis, quæ apud sanctum Thomam beato Cyrillo affingi credimus. Sed Baro ad universam sancti Thomæ doctrinam digreditur, & ego digressum secutus Baronem, hunc eò deduco, unde nisi cum certa quadam sui pernicie reverti non potest.

III. Quò spectent verba hæc: *Nisi ita velis iterum tuis censuris jus divinorum præceptorum asserere, ut qui in unum peccarit, reus omnium fiat.* Præter unum Baronem qui intus sibi canit, nemo id assequetur unquam. Etenim in oratione mea nihil est prorsus, quod responsionis genus istud postulet. Relicto disputationis spatio evagatur longius, atque emotæ mentis exhalatione sese allevat.

IV. Disputantem inducit B. Thomam, quomodo non disputat de pactis, conventis & stipulationibus quæ
395 inter reges & generalia regnorum comitia intercesserint, B. Thomas mentionem de iis nullam facit. Quare Frater Baro Thomæ suo turpiter imponit. Thomas in quæstionis x. art. x. scribit: *Distinctio fidelium & infidelium est ex jure divino: Jus autem divinum, quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione. Ideo distinctio fidelium & infidelium secundùm se considerata non tollit dominium & prælationem infidelium supra fideles. Potest autem justè per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale jus dominii vel prælationis tolli, quia infideles merito suo infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit.*

Deinde in quæstionis XII. art. II. *Aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere: Sicut etiam quandoque propter* ALIAS CULPAS. *Ad Ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt, secundùm illud Apostoli I. ad Corinth. 5. Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare? Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire, & convenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possunt. Hoc autem vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia ut dictum est, homo apostata pravo corde machinatur malum, & jurgia seminat intendens homines separare à fide, & ideo quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus & juramento fidelitatis,*
396 *quo ei tenebantur.* Ubinam à Thoma quæso agitur de pactis, conventis & stipulationibus, quæ inter reges & regna intervenerint? Sic hoc in loco Frater non disputaret, si remotis tergiversationibus, præstigiis & fraudibus disputandum esset. Sed in animadversione I. vidimus monachum esse, qui mentiri nec erubescit, nec religioni habet.

V. Cùm ait: *Id certè scio, in orbis Christiani infinitis partibus, quæ iis locis docet divus Thomas, non solùm impunè, sed etiam cum laude à Theologis propugnari.* Tacitus sugillat Parisiensis Theologiæ Facultatem, quæ Fratrem Biarotum è societate sua exterminavit. Exterminandi causa fuit suscepta defensio illius doctrinæ, quam in orbis Christiani infinitis partibus non solùm impunè, sed etiam cum laude à Theologis propugnatam asserit, & eo asserit consilio, ut Biarotum collegam suam à culpa liberet, & Parisiensis Theologiæ Facultatem iniquitatis condemnet, & supremam insuper Curiam, quæ exterminandi Biaroti causam justam esse censuit.

Deinde tacitus sugillat eandem Facultatem, quæ contrarias relatis Sancti Thomæ assertionibus propositiones duas Regi ante aliquot annos obtulit.

Prima est: *Non esse doctrinam Facultatis, quòd Summus Pontifex aliquam in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem habeat. Imò Facultatem semper obstitisse etiam iis, qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt.*

Altera est: *Esse doctrinam Facultatis ejusdem, quòd Rex Christianissimus nullam omnino habet in temporali-* 397
bus superiorem præter Deum, eámque suam esse antiquam doctrinam, à qua nunquam recessura est. Tum tacitus sugillat Regis edictum, quo præcipitur, ut propositiones istæ in omnium regni Curiarum tabulas referantur, & capitali pœna prohibetur, nequis quid his propositionibus adversum doceat, & tueatur.

VI. Non potest cum vera laude à Theologis relata Thomæ propugnari doctrina, quæ convenienter definitæ ab eodem Thoma Theologiæ nec tractatur, nec tractari potest. Sic igitur ab illo Theologia definitur, in prima parte quæst. I. art. I. *Sacra doctrina est scientia, quæ procedit ex principiis notis lumine scientiæ superioris, quæ scilicet scientia est Dei & beatorum. Unde sicut Musica credit principia sibi tradita ab Arithmetico, ita doctrina sacra credit principia sibi revelata à Deo.*

Deinde in art. VIII. ad secundum: *Sacra doctrina utitur auctoritatibus canonicæ Scripturæ propriè ex necessitate argumentando, auctoritatibus verò aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.* Ubinam sunt Scripturæ sacræ testimonia? Ubinam sanctorum Patrum auctoritates, quibus relatæ ex duobus articulis propositiones confirmentur? Igitur cùm beatus Thomas oblitus sit tractare propositas à se quæstiones, quomodo juxta definitionem Theologiæ suprà expositam tractandæ sunt, non video, Baronem rectè
dixisse cùm dicit: *Id certè scio in orbis Christiani in-* 398
finitis partibus, quæ iis locis docet Divus Thomas, cum laude à Theologis propugnari. Theologica quæstio cum laude non propugnatur à Theologis, cùm Theologicè non propugnatur, id est, sine Scripturis sacris & Patrum auctoritatibus: Quæ duo beatus Thomas ad constandam veræ Theologiæ definitionem insumit.

Adhæc tractari non potuerunt quomodo sanctus Doctor Theologiam definivit. Si quidem Scripturæ testimonia & sanctorum Patrum auctoritates non suppetunt, quibus tractentur & asserantur.

Secundò relata sancti Thomæ doctrina nec tractatur nec tractari potest, quomodo tractandam esse Theologiam Gregorius IX. constituit in rescripto ad Parisienses Magistros: *Magistri,* inquit, *& Scholares, Theologiæ in Facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, ne Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi linguam Hebræam cum Asotica confundentes, sed de illis tantùm in Scholis quæstionibus disputent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* Beatus Thomas (salva illius reverentia) in iis quæ retulimus Philosophum se, non Theodidactum ostendit. Siquidem ex libris Theologicis, id est, Scripturis sacris, & ex sanctorum Patrum tractatibus nihil adfert vel potest adferre, quod propositam à se quæstionem magni omnino ponderis terminare valeat. Qua ratione Gregorii IX. præscripto contravenitur.

Tertiò relata beati Thomæ doctrina nec tractatur
nec tractari potest juxta regulam, quæ à Silvestro II. 399
proponitur in Epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum: *Sit,* inquit, *lex communis Ecclesiæ Catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, &*

decreta

decreta Sedis Apostolica ab his non discordantia. Ubinam Evangelium, ubinam Apostoli, ubinam Prophetæ tradunt, Ecclesiæ rectores eam supra Christianos Principes habere potestatem, quæ illis à beato Thomæ tribuitur? Ubinam canones spiritu Dei conditi in totius mundi reverentia consecrati? Ubinam decreta Sedis Apostolicæ ab illis canonibus non discordantia, & Silvestri tempus præcedentia constituunt, hominem Ecclesiastica communione privatum ditiones & hæreditates suas simul amittere, ut Baronis Doctor sibi sumit? *Et ideo*, inquit, *quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Julianus Imperator à Christianorum fide defecit, & tamen nec privatus est Imperio, nec ab iis qui regebant Ecclesiam, judicatus est dignus, qui privaretur. Quinetiam id genus pœnæ Juliano non objecerunt Patres, qui contra Julianum scripserunt, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus: Non objecit Ambrosius Theodosio, qui ob cædem Thessalonicæ patratam ab Ecclesiæ ingressu prohibitus est. Respondebit Baro Tho-
400 mam dicere: *Sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque non facit.* Thomam dixisse hoc ingenuè fateor. Sed id probari non posse præ me fero. Ecclesiam seu Ecclesiæ rectores id aliquando fecisse, quod eos Thomas fecisse vult exemplo nullo confirmari potest: Exemplum intelligo, quod Silvestri II. Pontificatum antecesserit. Tertullianus in Apologetici capite XVII. scribit: *Religionis instar esse fidem de temporibus asserere.*

Quartò relata sancti Thomæ doctrina nec tractatur ab auctore suo, nec tractari potest, qua ratione Vincentius Lirinensis & cum eo sanctitate, atque eruditione præstantissimi quique viri tractandam esse religionis controversiam judicant in capite I. Commonitorii I. *Sæpe igitur magno studio & summa attentione perquirens à quamplurimis sanctitate, & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam & quasi generali ac regulari via Catholicæ fidei veritatem ab hæretica pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli, quòd sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueósque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante deberet: Primò scilicet, divinæ legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione.* Ad hæc veræ Theologiæ principia duo si relata Thomæ doctrina expendatur, statim ut nova diffugiet: Quippe quæ nec divinæ legis auctoritate, nec Catholicæ Ecclesiæ traditione retineri unquam poterit. Non sufficeret divinæ legis auctoritas, quæ Philoso-
401 phicis ratiocinationibus, & privato spiritu ad constabiliendam doctrinam illam detorqueretur. Hic est disputandi mos hæreticorum. Sed requiritur præterea ut divinæ legis auctoritati jungatur Catholicæ Ecclesiæ traditio, quemadmodum idem Vincentius eleganter ostendit in capite proximo: *Hic forsan*, inquit, *requirat aliquis: Cùm sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei Ecclesiastica intelligentia jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine, non uno eodémque sensu universi accipiunt: Sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multùm necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica & Apostolica interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

Hac disputandi methodo veritas asseritur, & falsitas discernitur, & doctrinæ qualis est ea, quam ex Thoma retulimus novitas agnoscitur & continuò disploditur.

Quintò relata Thomæ doctrina cum Florentinæ fidei definitione non convenit, qua parte ibi regendæ ab Romano Pontifice Ecclesiæ modus præscribitur: *Romano Pontifici in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum* 402
& gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris canonibus continetur. Sic apud Blondum Eugenii Papæ notarium legitur in Decadis III. libro X. Sic quoque laudatur à Marco Vigerio Card. in Decachordo chorda X. à Joanne Ekio in libri I. de primatu Petri capite XXV. à Joanne Roffensi in articulo XXV. contra Lutheranas assertiones, ab Alberto Pighio in libri IV. de Hierarchia capite ultimo. Exemplari Latino Græcum ita respondet: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται: *Juxta eum modum, qui & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Apud Abrahamum Cretensem Florentini Concilii editorem primum perperam legitur: *Quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Utriusque lectionis insigne discrimen est, quod in Latina Blondi & Græca editione geminata particula, &, &, καὶ, καὶ, Pontificiæ potestatis usum adstringit, sed in Abrahami & falsa lectione dilatat.

Hinc Florentina Synodus cùm in prima editione sui & in Clementis VII. privilegio editionis inscribatur octava, hoc in loco respectum habet ad universales Synodos VII. Nicænam I. Constantinopolitanam I. Ephesinam, Calchedonensem, Constantinopolitanam II. & III. & Nicænam II. quarum gestis Pontificiæ auctoritatis limites definiantur: Sacri verò canones hic memorati sunt ii, quos habet Dionysii codex canonum Ecclesiasticorum, vetus codex canonum Romanæ Ecclesiæ, vel Ecclesiæ universæ.

His ita constitutis liquidò patet ad Ecclesiæ recti- 403
onem nihil attinere doctrinam, quæ ex beato Thoma relata est, cùm nec in gestis œcumenicorum Conciliorum septem, nec in sacris canonibus contineatur. Quo ex capite doctrina hæc ut nova & peregrina repudianda est, nec unquam potuit à quoquam vera cum laude propugnari, ut Baro contendit.

Præterea, ut exposita Florentinæ Synodi definitio conscriberetur, habitæ sunt ultro citróque disputationes, quibus effectum est tandem, ut in ea definitione sanctorum Patrum testimoniis locus nullus relictus sit: *Agebat* (Eugenius) *de privilegiis Papa, ut habeat illa juxta determinationem sacra Scriptura & dicta Sanctorum. Hoc etiam non placuit Imperatori. An si quis, inquit, Sanctorum in Epistola honoret Papam, excipiet hoc pro privilegio? Propter hoc significavit Papa, aut hoc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret.* Et cætera, quæ in Concilii sessione XXV. recensentur. Hæc autem conscribendæ definitionis forma, cùm dicta sanctorum Patrum excludat, non possunt admitti variorum auctorum testimonia, quæ Bellarminus in tractatu de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus contra Guilelmum Barclaium edito refert. Et sanè Bellarminus à gravi culpa liberari non potest, quòd insuper habita Florentinæ fidei definitione & neglecta conscribendæ definitionis hujus forma tractatum illum composuerit, & præsidium omne suum in variorum auctorum, qui annis abhinc plus minùs quingentis claruerint, testimoniis collocaverit. Res igitur 404
eò deducitur, ut nisi Bellarmini tractatus concidat, Florentinæ fidei definitionem, & conscribendæ definitionis formam concidere necesse sit.

Sextò relata Thomæ doctrina penitus extabescet, si opponatur Tridentinæ fidei professioni, in qua qui profi-

profitetur, dicit: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* At nullus est Scripturæ locus, qui juxta unanimem consensum Patrum acceptus relatæ doctrinæ faveat, & quia nullus locus sic acceptus illi favet, relata Thomæ doctrina pereat oportet. Non enim sufficit asserere, posse juste per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tolli jus dominii, quo infideles potiuntur supra fideles, vel excommunicatum Principem hoc ipso quòd excommunicatus sit, dominium in subditos amittere, vel subditos ab excommunicati principis dominio & juramento fidelitatis absolvi, nisi per Scripturam probetur, & ea probetur ratione, quam professio Tridentinæ fidei præstituit.

Postremò Paulus Suavis, & Sforza Cardinalis Pallavicinus narrant in Tridentini Concilii historia, fuisse Episcopos, qui actis inserendam esse clausulam hanc: *Synodus seu Concilium universalem Ecclesiam repræsentans*, magnopere contenderent. Videbant clausulam illam à tribus Conciliis, Pisano, Constantiensi
405 & Basileensi usurpatam esse. Videbant, Concilia hæc tria, primum ab Alexandro V. alterum à Martino V. tertium ab Eugenio IV. approbata esse. At Sedis Apostolicæ Legati contra nisi sunt, & ne actis Tridantinis insereretur clausula, obstiterunt, causati clausulam in antiquis canonibus & Conciliis non reperiri. Sic relata ex articulis beati Thomæ doctrina in antiquis canonibus & Conciliis non invenitur. Par est utrobique disputandi ratio, & tamen doctrina illa est, quam Frater Baro in orbis Christiani infinitis partibus cum laude à Theologis propugnari affirmat. O cæcitas hominis! Estne illa Tridentinis Sedis Apostolicæ Legatis doctrina Theologica, quæ in antiquis canonibus & Conciliis non offenditur? Estne illa Tridentino Concilio doctrina Theologica, quam nullus Scripturæ locus juxta unanimem consensum Patrum acceptus sustentat? Estne illa Florentinæ Synodo doctrina Theologica, quæ nec in gestis œcumenicorum Conciliorum, nec in sacris canonibus continetur? Estne illa Vincentio Lirinensi & Patribus aliis doctrina Theologica, quam ab hæretica pravitate divinæ legis auctoritas & Catholicæ Ecclesiæ traditio non secernunt? Estne illa Silvestro II. Papæ doctrina Theologica, cui Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones spiritu Dei conditi & totius mundi reverentia consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia & Silvestri tempus antecedentia non suffragantur? Estne illa Gregorio IX. Papæ doctrina seu quæstio Theologica, quæ per libros Theologicos, Scripturas nempe
406 sacras & sanctorum Patrum tractatus terminari non valet, & in qua Magistri Philosophos se potiùs, quàm Theodidactos ostendunt? Estne illa tandem beato Thomæ doctrina seu quæstio Theologica, quæ ad normam definitæ ab eodem sancto Doctore Theologiæ, nec tractatur, nec tractari potest? Hæc autem omnia cùm ita sint, fieri non potest ut relata ex articulis Thomæ doctrina cum laude à Theologis propugnetur. Hinc Frater imponit splendidè, cùm audet scribere doctrinam illam in orbis Christiani infinitis partibus cum laude à Theologis propugnari.

Nunc expendendum occurrit certum quoddam Constantiensis Concilii decretum, quod sic extat in sessione XVII. *Sacrosancta Synodus Constantiensis definit, quòd quicunque cujuscunque status, aut conditionis existat, etiamsi regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, Ducatus, Principatus, Comitatus, Marchionatus, seu alterius cujuscunque dignitatis, seu status Ecclesiastici vel sæcularis existat, qui serenissimum & Christianissimum D. Sigismundum Romanum & Ungariæ Regem impediret, sententiam excommunicationis auctoritate hujus sacri Concilii generalis ipso facto incurrat, absolutione ejusdem ipsi sacro Concilio, seu futuro unico, & indubitato Summo Pontifici, præterquam in articulo mortis, reservata specialiter & ulteriùs omni honore & dignitate, officio, beneficio vel sæculari sit ipso facto privatus.*

Et primò quidem Curiales Magistri decretum hoc regibus nunquam objicient, ne consecratam à Constantiensi Concilio formulam, *Synodus seu Concilium universalem Ecclesiam repræsentans*, admittere cogantur. 407 In Tridentino Concilio Legati noluerunt admittere, quod in antiquis canonibus & Conciliis non inveniretur, ubi & invenientur multo minùs, quæ hoc in Constantiensis Concilii decreto ad reges pertinent.

Deinde si rem ex seipso pensemus; quidquid hoc in Concilii decreto & similibus aliis factum est οἰκονομίας ἕνεκα, & certa quadam dispensatione factum esse satis constat. Quæ autem hocce modo fiunt, nullam ad consequentiam trahuntur. Sigismundus Imperator, qui Concilio per se aderat & reges alii, qui per oratores suos aderant, cùm in optatis nihil, in votis nihil haberent magis, quàm ut sublato schismate, unicus & certus in Romana Ecclesia institueretur Pontifex, passi sunt libenter, ut decretum hoc & alia similia ederentur, quomodo edita esse perspicimus. Sed nihil inde colligitur, nisi quòd reges hac in rerum & temporum conditione publica Ecclesiæ commoda privatis suis antepofuerint. Antepofuisse verò in alia rerum & temporum conditione obesse non potest, maximè si spectentur, quæ adversus Thomæ doctrinam præscripsimus. Hic mirari subit, cur certi quidam homines importunæ & audacter fatigant Christianos Principes, qui ob publicam Ecclesiæ pacem & tranquillitatem de suo jure semel decesserint, successores ob decessorum œconomica & pia facta divexant, tantùm abest, ut in successoribus decessorum œconomica & pia facta compensent, aut compensatione digna judicent.

VII. Postquam Frater sine pudore ullo scripsit, 408 Thomæ doctrinam *in orbis Christiani infinitis partibus cum laude à Theologis propugnari*, subjicit, *si id apud nos prohibitum sit, patriis legibus obtemperabo.* Hoc in loco festivus homo est, si regni nostri leges permitterent, eas doceret propositiones, in quibus expositam suprà disputandi methodum negligere oportet, doceret tamen, ut hinc Fratrem Biarotum tueretur, inde Parisiensis Theologiæ Facultatem ob illius expulsionem carperet.

Deinde si liceret, quod non licet, quanta posset ingenii vi propositiones illas assereret, quæ Edmundum Burguinum & Jacobum Clementem in Henrici III. perniciem, quæ Joannem Chastellum, Carolum Ridovicum, Petrum Argerum & Franciscum Ravalliacum in Henrici IV. necem armarunt, quæ domesticas seditiones excitant, & civile bellum accendunt.

Tum Henrici III. & Henrici IV. successor Ludovicus XIV. ingentes Baroni debet gratias agere, quòd patriis legibus obtemperare velit. Hoc est ab exponenda in scholis exitiali & sanguinolenta doctrina abstenturum se promittat, & vitæ regum dignetur consulere, cui consulere jure naturæ debet.

VIII. In obtemperatione hac totus quantus est Baro, proditur, ac demonstratur. Idque maximè cùm antè dixit, Thomæ doctrinam *in orbis Christiani infinitis partibus non impunè solùm, sed etiam cum laude à Theologis propugnari.* Sic infinitas orbis Christiani partes uni tantùm parti, nempe regno Galliæ opponit, ni fortassis occulta fraude anteponat, ut ini- 409

quissi-

quissimam Bernardi de Montepolitiano, Jacobi Clementis, Edmundi Burguini, Caroli Ridicovi, & Petri Argeri causam adjavare possit. Beraardus Henrico VII. Imperatori per Eucharistiæ Sacramentum mortem attulit, Clemens Henricum III. Galliæ Regem gladio peremit, Burguinus, ut hoc ageret, suasit; Ridicovius & Argerus in Henrici IV. Regis necem conjurarunt, & pœnas luerunt nefario consilio dignissimas. Disruptis corporibus suis paverunt corvos in disco radiato. Hi omnes juraverant in doctrinam, quæ, ut ait Frater illorum Baro, in infinitis Christiani orbis partibus non impunè solùm, sed cum laude propugnatur.

IX. Quo fine, quove consilio dubitat id esse apud nos prohibitum, quod tot Parisiensibus Senatusconsultis in lucem editis prohibitum esse constat, viderint ii ad quos Senatusconsultorum custodia & executio pertinet. *Id si*, inquit Frater Dubitantius, *apud nos prohibitum sit*, quod anno Christi M. DLXI. IV. Nonas Decembris anno M. DXCIV, IV. Januarii anno M. DXCV. VII. Idus Januarii, & XIII. Calend. Febr. anno M. DCX. VI. Calend. Junii. & VI. Calend. Decembris, anno M. DCXIV. VI. Cal. Aug. & anno M. DCXV. IV. Nouas Jan. prohibitum fuit. Et post tot Senatusconsulta tot variis & facta & publicata temporibus, *Id si apud nos prohibitum sit*, audet scribere, & cùm illum scriptionis hujusmodi non pudet, benè & gnaviter impudentem esse oportet.

X. Utinam Baronem aluisset schola Sedis Apostol-
410 licæ, in qua Gregorius Magnus lib. VII. Indict. I. Epistola I. sic docuit: *Pervenit verò ad me, quia transmisit nescio quem Clericum, qui diceret, quia Malcus Episcopus in custodia pro solidis occisus sit: De qua re unum est, quod breviter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa, sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* Conjiciat oculos Frater in verba hæc: *Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido.* At juxta Thomæ doctrinam quæ in orbis Christiani infinitis partibus non solùm impunè, sed etiam cum laude propugnatur à Theologis, Gregorius seposito Dei timore in mortem Regum, & Principum miscere se non formidaret.

Utinam Baronem aluisset schola Sedis Apostolicæ, in qua Martinus I. Epistola ad Theodorum sic docuit: *Noscere voluit chara vestra dilectio, qualiter de Sede sancti Petri Apostoli, sicut unus passer solitarius ab ædificiis raptus fuerim.* Et post alia: *Quibus confestim introeuntibus jussio à Calliopa porrecta est Presbyteris & Diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quòd irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, non essem in Apostolica Sede dignus institui, sed commodè in hanc regiam urbem* (Constantinopolim) *transmitti, subrogato in loco meo Episcopo. Quod necdum aliquando factum est, & spero, quod nec aliquando fieri habet, quia in absentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter, & primicerius locum præsentant Pontificis:
411 dum hæc moventur, quæ de fide gesta fuerunt, jam manifestavi vobis. Quod autem præparati non fuerimus ad repugnandum, melius judicavi decies mori, quàm uniuscujusque sanguinem in terram fundi. Quod quidem & sine periculo hoc gestum est, non paucis, quæ non placuerunt Deo, malis effectis. Eadem itaque hora dedi meipsum ad exhibendum Imperatori, & non resistendum. Porro acclamantibus mihi ut veritatem dicam, quibusdam ex Clero, ne facerem hoc, nulli eorum accommodavi aurem, ne subitò fierent homicidia.* Ubinam tunc erat illa doctrina, quam in orbis Christiani infinitis partibus non solùm impunè, sed etiam cum laude propugnatam à Theologis affirmat? Scilicet Martini tempore cum laude facta essent Principum, & populorum homicidia.

Utinam Baronem aluisset schola Sedis Apostolicæ, in qua Pius II. Epistola CCCXCVI. ad Mahometam Turcorum Principem ita scribit: *Non te odio prosequimur, neque tuo insidiamur capiti, quamvis nostræ religionis hostis existas, & armis Christianam urgeas plebem; operibus tuis, non tibi sumus inimici, diligimus jubente Domino inimicos nostros & pro persecutoribus nostris oramus.* Cum hac Sedis Apostolicæ traditione non concordat doctrina illa, quam Baro in orbis Christiani infinitis partibus non solùm impunè, sed etiam cum laude propugnari à Theologis dicit, & quam ipse si regni leges permitterent, lubenti ac prolixo animo doceret. Sed nunc audio Baronem, qui recipiat doctrinam illam allatis à Thoma in memoratis articulis, & à Bellarmino in libri V. de Rom. Pont.
capite VII. & VIII. rationibus atque exemplis validè 412
confirmari. Audio quidem, sed id quod omnino falsum est, audio. In capite VII. rationes sunt quinque, quarum prima non est Theologica, quòd ex duobus veræ Theologiæ principiis, Scriptura & Catholicæ Ecclesiæ traditione haud colligatur. Philosophica est tota & eam ob causam in materia tanti momenti spernenda est. Deinde nimis probat, & accidentis fallaciam involvit.

Secunda ratio iisdem quibus prima vitiis inquinatur, & auctor peccat in allatam Tridentini Concilii regulam, dum verbis istis Christi, *Ecce duo gladii hîc*, utitur. E tanta nube Patrum Bernardus unus Scripturæ locum in eum sensum explicat, qui Bellarmini causæ servire potest. Deinde Bernardus fortassis Scripturæ locum intelligit, quomodo Cæsarius Bernardi suppar & ejusdem cum eo Ordinis interpretatur homilia II. in Dominicam II. Adventus: *Duplex hæc potestas duo gladii sunt, quos Domino Petrus præsentavit, illo respondente, satis est; unus gladius spiritualis est, qui Papæ collatus est à Domino, alter materialis, quem tenet Imperator, similiter à Deo collatus. Hoc duplici gladio regitur & defensatur Ecclesia Dei.* Igitur ut spiritualis gladius Papæ, sic & materialis gladius Imperatori à Domino collatus est. Quomodo nec Scripturæ locus, nec Bernardus, nec Cæsarius Bellarmini causam adjuvant.

Tertia ratio similis est primæ, & auctor cùm loco Deuteronomii capite XVII. utitur, in propositam Tridentinæ fidei regulam peccat.

Quarta ratio iis nititur fundamentis, quæ nulla 413
Ecclesiæ traditione sustentantur, & auctor in eandem Tridentinæ fidei regulam peccat, dum Lucæ testimonium cap. XIV. ad rationis suæ confirmationem insinuat.

Quinta ratio ducitur ex his verbis: *Pasce oves meas*, in qua auctor à Tridentinæ fidei præscripto deficit. Ecclesiasticorum tractatorum nullus est, qui Christi locum hunc ad regum depositionem flexerit. Id luculenter apparet in duabus Epistolis, quæ Raimundo Formentino Parisiensi Theologo inscribuntur; una est in secunda parte, altera in quinta parte Epistolarum nostrarum.

Tum Bellarminus in capite VIII. cùm ex Levitici capite XIII. ex II. Paralipomenon capite XXIII. IV. Reg. II. exempla & argumenta repetit, non minùs quàm antea Tridentinæ fidei regulam negligit: Ut taceam regum aliam esse in veteri, aliam in novo Testamento rationem.

In cumulum observasse sufficit plerisque Bellarmini rationibus ne convenire quidem scholasticæ Theologiæ definitionem, quam Lutherus per ludibrium ita tradidit: *Scholastica Theologia est ea, quæ à Parisiensium Sorbona, mixtione quadam ex divinis eloquiis & Philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est.*

Perversa religione illos imitatur, quorum Eusebius in

in libri IV. hist. capite XXVII. ita meminit: *Hi autem lege, Prophetis & Evangeliis utuntur, sacrarum Scripturarum sensus & sententias pro suo arbitratu interpretantur.* Adjicit & rationes, quas ad confirmanda
414 placita sua suopte marte & ingenio excogitat.

Præterea Bellarminus argumentum depromit ex privilegio, quod Gregorium primum Monasterio sancti Medardi concessisse ait. Sed privilegium illud Gregorio subjectum à Monachis fuisse docuimus in Assertione Inquisitionis in Monasterii S. Medardi Suessionensis privilegium.

Ad extremum historiæ leges spernit, cùm ait Zachariam à Francorum primoribus rogatum Childericum Regem deposuisse, & in ejus locum Pipinum Caroli Magni patrem creari jussisse. Quæstionem hanc fusè persequor in Assert. jam dictæ part. III. cap. XVII. & sanè vix negari potest, quin Bellarminus in hac materia præfixum à Florentina Synodo tractandi modum excesserit; hoc premo, hoc urgeo.

ANIMADVERSIO VIII.

Frater Baro in exercitationis articulo II. paragrapho I. de pluribus Camarinam movet inconsultò.

EGO ab isto Fratre, qui semper evagatur, coactus in Epistolæ nostræ capite V. de Monachorum & Monasteriorum exemptionibus scripseram duo. Alterum me non aliter, quàm ex Romanæ Curiæ, vel Sedis Apostolicæ Jurisprudentia, Monachorum & Monasteriorum tabulas exemptionum, & privilegia examinare. Quod non solùm in medium profero, sed etiam conceptis verbis assero. Alterum verò, privilegia, quæ Clericos & Monachos Episcopali potestati
415 subtrahunt in perpetuum, apud Gallos defendi non posse, quin regni & libertatum Gallicanæ Ecclesiæ fundamenta duo, Romanum Pontificem universali subesse Concilio, eùmque non posse cives & populares regis potestati, Jurisdictioni temporali & confirmatæ sacramento obedientiæ subducere, omnino evertantur.

At Frater Baro ex illis duobus, quæ in examinandis privilegiis & immunitatum tabulis mihi sumpsi, primum dissimulat, & dissimulatione sua docet se gratam non habere Romanæ Curiæ & Sedis Apostolicæ Jurisprudentiam. Prospexit homo rerum suarum satagens, privilegia & immunitatum tabulas, quibus Clerici vel Monachi Episcopali obedientiæ & Jurisdictioni subducerentur in perpetuum, nisi cum utraque, saltem cum alterutra Jurisprudentia consistere non posse. En sincerum Fratrem, qui Romani antistitis primatum ubique prædicare non cessat!

Ad secundum ex illis duobus quod attinet, non ausus est illud palam rejicere, sed obliquè & per cuniculos, quibus potest præsidiis quatefecit: Tantum abest, ut Romanum Pontificem universali subesse Concilio, & eum non posse regem deponere & subditos à juramento fidelitatis absolvere confirmet. Hoc expectandum non est ab eo, qui juravit in doctrinam hanc: *Aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.* Iterum: *Quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide,*
416 *ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Hæc autem priùs notanda sunt, quàm Baronem de multis Camarinam inconsultò movisse demonstremus.

Et primùm quidem in paragraphi I. titulo I. qui se habet: *Regeritur in Launoium læsæ majestatis regiæ, & violatorum Gallicanæ Ecclesiæ jurium adversùm me falsò instaurata accusatio.* Et quoniam ex scriptis meis nihil adfert, vel adferre potest, quo illum à me læsæ majestatis regiæ, & violatorum Gallicanæ Ecclesiæ jurium accusatum esse probet, de calumnia justè damnandus est. Hîc cum veritate dicenda sunt, quæ veritas ipsa gessit: Baro conscientiæ pondere oppressus & convictus seipsum accusat, & propriam accusationem in me transferre non dubitat.

Deinde ubinam, Deus immortalis, ea scribo, quæ efficiant, ut læsæ majestatis regiæ, & violatorum Gallicanæ Ecclesiæ jurium accusari possim! Non effeci ego, *sed initia*, inquit pag. 408. *à Leone X. cum Francisco I. Rege Galliæ concordia de Sacerdotiis sublata canonica electione conferendis*, quam non tam mihi objicit, quàm Regi nostro Ludovico XIV. qui memorata regni & libertatum Gallicanæ Ecclesiæ fundamenta duo nuper publica sanctione confirmavit, & in supremarum Curiarum tabulas referri jussit. Sic Frater suo judicio prudens & acutus regem per latus meum feriit. Sed rex potentissimus Baronis pugionem facilè retundet, quia plumbeus est: Ego tamen ictum minimè declino, sed me totum inter regem & Baronem
interpono, & interponerem etiamsi pugio ferreus aut 417
chalybæus foret.

Tum ut paragraphi titulum probare incipiat, sic scribit: *Rem facilè aggredior, quia tota constat assertione ante me à viris sapientissimis & eloquentissimis demonstratâ, eos nempe, qui Summi Pontificis supremam in Ecclesia potestatem convellunt, perdendis quoque regibus ac evertendis sceptris viam munire.* Horum in numero ponit Wiclefum, Lutherum & Calvinum, qui potestatem utramque Pontificiam & regiam oppugnarunt. Ut missum faciam, ista paragraphi titulo perinde respondere, ac si camelus saltaret, certa est illa propositio: Sed Lutheri & Calvini sectatores, qui cum illis hæreticis de minuenda vel tollenda potestate regia scripsere, pugnant se reges nullos interfecisse. Quis autem dubitat, eum magis peccare, qui regem occidit, quàm eum, qui minuendam esse regiam potestatem docet? Rei sunt omnes, sed majore digni sunt supplicio parricidæ, quàm qui minuendam esse regum potestatem docent. Calvinistæ & Lutherani Catholicis objiciunt, Fratrem Jacobum Clementem Henricum III. gladio peremisse, Fratres Carolum Ridicovium, & Petrum Argerum è Gandavensi Prædicatorum cœnobio advenisse Parisios, ut Henricum IV. occiderent: Non occiderunt, qui capti sunt & publicis suppliciis mactati; Joannem Chastellum & Franciscum Ravilliacum execranda imitatione Clementem secutos esse, illum quidem cùm Henricum IV. trucidare conatus est, hunc verò cum regem illum trucidavit.

His adjiciunt Fratrem Bernardum de Montepolitia- 418
no, qui in ipsa communione Eucharistica Henricum Imperatorem VII. veneno extinxit. Mihi non crede, sed historicis, quorum familiam ducit.

I. Beneventus Imolensis apud Conradum Vecerium in vita Henrici VII. *Monachos Prædicatorii Ordinis, quibus ille ministris utebatur in sacrificiis, horrendi facinoris auctores, eámque rem Beneventus Imolensis sæculi hujus in literas retulit.*

II. Ptolomæus Lucensis ex Ordine Prædicatorum, æqualis quoque scriptor relatus à Bzovio in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum M. CCCXIII. *Henricus VII. Imperator intoxicatus fuit per fratrem quendam de Ordine Prædicatorum in speciebus corporis Christi, ut à suis audivi, qui mecum fuerunt.* Et post pauca hos versus subjicit:

Cæsaris Henrici mortem plangamus amici,
Qualiter hic vitam finivit per Jacobitam;
Per corpus Christi venenum tradidit ipsi.

Ex codice, inquit, *Vaticano Ptolomæi.* Ut hoc observem diligentiùs, me cogit Lugdunensis editio anni

ni M. DCXIX. ubi multa desiderantur ad finem Annalium Ptolomæi. At versus qui Ptolomæi subduntur Annalibus, rem gestam uti certissimam docent.

III. Albertus Argentinensis in Chronico: *In Assumptione Virginis Mariæ, Vigilia decantata coram eo* (Henrico) *Missa, eóque per quendam Prædicatorem communicato, post missam cœpit illico infirmari. Dicebatur enim, quòd ipse Prædicator venenum sub ungue digiti tenuis absconsum post communionem potus Cæsaris immisisset, & illico discessisset.*

419 IV. Joannes Aventinus in libro VII. Annalium Boiorum: *Inter hæc in Italia Henricus VII. Cæsar Augustus duodevigesimo Calend. Sept. celeberrimo Christianorum die festo in sacra æde à Bernardo Dominicano cœlesti victimâ toxico oblitâ, atque polline adamantina, quod præsens venenum esse aiunt, sacra optimi Principis potiens inditâ novo & inaudito exemplo extinguitur.*

V. Gobelinus Persona in Cosmodromii ætate VI. cap. LXVIII. *Quare anno VII. Imperii sui Florentiam obsedit, & obsidione durante febre correptus moritur; sed veneno ipsum fuisse intoxicatum à quodam Fratre ex Ordine Prædicatorum, dum ablutionem communionis recipit, fama perhibuit.*

VI. Blondus in Decad. II. Libro IX. *Ptolomæus Lucensis affirmat veneno eum* (Henricum) *periisse à Prædicatorum Ordinis fratre in Eucharistia dato. Alius addidit, id Florentinorum industria factum esse.*

VII. Æneas Silvius, seu Pius II. in Decad. Blondi epitom. lib. IX. *Quem* (Henricum VII.) *ferunt Florentinorum dolis à monacho Prædicatore in Eucharistia intoxicatum. Mors ejus Florentinorum & Roberti Siculi salus fuit.*

VIII. Wernerus Roiewinckius Cartusiensis in Fasciculo temporum, ætate VI. *Henricus coronatus à Clemente V. tandem intoxicatus fuit sumendo Eucharistiam. Hæc leguntur in libris, & fama feruntur per quendam de Ordine Prædicatorum facta, scilicet per Fratrem Bernardinum* (alii Bernardum dicunt) *de Montepolitiano,* &c. *Sed tamen Ordo excusatur per quasdam literas testimoniales, quas apud se habet.*

420 IX. Auctor Chronologicæ Compilationis, quæ ab initio mundi orsa in annum M. CCCCLXXIV. definit: *Anno Domini M. CCCXIII. Henricus Imperator ab uno fratre Prædicatorum veneno interiit.*

X. Joannes Nancierus in secundo volumine generat. XLIV. de Henrico VII. *Disposuerat se per aliquot dies jejunio & bonis operibus intendens Sacramentum corporis & sanguinis Christi in festo* (Assumptionis) *sumere. Qua die Tridentinus Episcopus confessor suus, & Vicecancellarius aberat missus à Clemente V. unde quidam Jacobinus de Ordine beati Dominici subornatus, ut aiunt, præmiis & pollicitationibus, nec sine suspicione Florentinorum, qui tum coram celebrabat, venenum sub specie sacramenti dedit, vertens calicem vitæ in calicem mortis.*

XI. Paulus Langius Monachus, in Chronico Citizensi: *Eodem anno* (M. CCCXIII.) *Henricus Imperator quoque dum Boncorventum oppidum Italiæ obsidione premeret, diem obiit. Signa veneni in cadavere apparuisse multi scripsere. Ptolomæus verò Lucensis affirmat, veneno eum periisse à Prædicatorum Ordinis fratre in Eucharistia date. Aliúsque addidit, id Florentinorum dolo & instinctu factum esse.*

XII. Henricus Mutius in Germanorum Chron. lib. XXIII. de Henrico Imp. VII. *In itinere obvium habuit elegans & amplum castrum, quod vocatur Boncenventum. In eo castro propter festum diem, qui erat divæ Virgini sacratus, per duos dies quiescere, ibique sa-*
421 *cramentum corporis Christi sumere. Aberat autem eo tempore Episcopus Tridentinus, quo confessore, ut vocant, utebatur. Nam cum Vicecancellario miserat ad Pontificem. Quare quidam Monachus Ordinis beati Dominici subornatus à Guelphis, qui in arce ea missam celebrabat, dedit Imperatori sub specie sacramenti venenum. Imperatorem scribunt statim præsens venenum sensisse & intellexisse in sacramento sibi datum, adhibuisse remedia, sed omnibus remediorum viribus veneni efficaciam prævaluisse.*

XIII. Albertus Crantzius in libro IX. Saxoniæ: *Ptolomæus Lucensis affirmat, veneno eum* (Henr. Imp.) *periisse à Prædicatorum Ordinis fratre in Eucharistia dato. Aliúsque addit, id Florentinorum procuratione factum. Hi fratres multa in purgationem sui congesserunt.*

XIV. Gilbertus Genebrardus Parisiensis Theologus in libro III. Chronolog. *Henricus veneno sublatus dicitur à Dominicano, cùm sacrosanctum Christi corpus sumeret.*

XV. Dionysius Petavius in Breviar. temp. part. I. lib. IX. capite VI. *In eo conatu anno M. CCCXIII. in agro Senensi, non sine veneni à Dominicano monacho dati suspicione est extinctus.* Hic accuratus scriptor Bzovium, qui historiam adeò perspicuam conatur involvere, contemplit potiùs, quàm non vidit. Ptolomæus Lucensis ex Ordine Prædicatorum auctor, cùm toties assertus sit, unus sufficeret, etiamsi cæteri deessent. Rei gestæ æqualis est, & cum ex aliis, tum ex eo quoque fide dignus, quòd collegæ suo noluisset duplex crimen, sacrilegium & parricidium imponere.

Hactenus Lutheranorum & Calvinistarum objectio- 422
nes retulimus, quibus Catholicos doctores fatigant, & quibus quid sit responsurus Baro, viderit. Nunc superest, ut suas Baroni voces reddam è pag. 405. *Externis ac domesticis exemplis monitos nos voluit Deus periculorum, quæ ex hac Pontificiæ ac regiæ dignitatis divisione impenderint mala. Absit, ut te Launoi, eò progressum audaciæ crimineer, quò hæ tres Christiani orbis pestes* (Wiclefus, Lutherus, Calvinus) *prorupere: A te tantùm obtinere vellem, ut ab eorum exemplis abhorreres, & attenderes, quæ ex Pontificiæ dignitatis contemptu mala ingruant, & in eos paulò esses æquior, qui Regiæ concordem reverentur: Et si quid mali inde intentes Regibus, graviora ex dejecta, quàm ex servata aut aucta Pontificis potestate imminere.*

I. Externa & domestica sunt exempla, quæ Bernardus de Montepolitiano, Edmundus Burguinus, & hujus discipulus Jacobus Clemens, Petrus Argerus, & Carolus Ridicovius, & horum imitatores Chastelius & Ravalliacus suppeditant. Monitos nos esse voluit Deus periculorum, quæ ex Regum parricidiis impendeant. Quot quæso, & quantas clades Henrici III. & Henrici IV. parricidia importarunt Galliæ?

II. Absit ut te, Baro, eò progressum audaciæ crimineer, quò illæ quinque Christiani orbis pestes, Bernardus de Montepolitiano, Edmundus Burguinus, Jacobus Clemens, Petrus Argerus, & Carolus Ridicovius cum suis imitatoribus prorupere.

III. A te tantùm obtinere vellem, ut ab eorum ex-
emplis abhorreres, & attenderes, quæ ex regiæ dig- 423
nitatis contemptu mala ingruant, & in eos paulò esses æquior, qui Pontificum dignitatem regiæ concordem reverentur. Sed nobiscum tu nunquam revereberis, nisi quomodo Pontificiam dignitatem æstimamus, æstimandam esse censeas. Æstimamus ex perpetua Sedis Apostolicæ traditione, quam in pluribus Epistolis declaramus, ex Florentinæ Synodi decreto, ubi Pontifex Ecclesiam debet regere, *Quemadmodum & in actis Conciliorum œcumenicorum & in sacris canonibus continetur:* Ex illo tandem Tridentinæ professionis fidei articulo, ubi sic juramus: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit &*

tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, interpretabor. Tu æstimandam censes ex libris, quos Nicolaus Coeffetæus adversùs Antonium Spalatensem Episcopum lucubravit: Deinde ex libris, in quibus invictus tibi Catholicæ fidei pugil Bellarminus, veteri & legitimo Romani Antistitis primatui adjecit tria, quæ adjecisset nunquam, si primatum ex perpetua Sedis Apostolicæ traditione, ex Florentinæ Synodi decreto, ex relata mox Tridentinæ professionis fidei regula æstimasset. Hæc autem tria sunt, certum in pronunciando de rebus fidei & morum judicium, ita ut quidquid est in Ecclesia credi tu & factu necessarium, hominis unius arbitrio committatur; collocata supra Ecclesiam universam & generales Synodos Cathedra, ita ut universa Ec-
424 clesia & generales Synodi sint Pontificis scamnum & *ὑποπόδιον*, ita ut mater filii pedibus subjaceat, ita ut primum membrum Ecclesiæ membris dominetur cæteris, & denuntiet illorum operâ se non indigere, ita ut voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula, quâ ejus operationes & actiones dirigantur; jus denique deponendi reges, subditos à juramento fidelitatis absolvendi & regna de gente & in gentem transferendi. Hæc autem sunt tria, quæ ad auctam, ut Baronii utar verbo, Pontificis potestatem attinent, sed patienter ferenda esse dicit, ne quid pejus contingat Regibus: *Et si quid*, ait, *mali inde imminet regibus, graviora ex dejecta, quàm ex servata aut aucta Pontificis potestate imminere.* Trimembris est Pontificiæ potestatis divisio, in dejectam, servatam & auctam. Tunc potestas hæc dejecta dicitur, cùm de proprio & legitimo statu dejicitur, ac deturbatur. Servata, cum in proprio & legitimo statu retinetur, & sicut nihil detrahitur, sic & nihil suprà existit. Aucta, cùm proprius & legitimus status augetur, cùm accessiones fiunt rerum, quæ proprio & legitimo statui non conveniunt, nec possunt juxta Sedis Apostolicæ traditionem, Florentinæ Synodi decretum, & Tridentinæ professionis fidei præscriptum convenire. Pontificia igitur potestas cùm augetur prærogativis tribus illis, quas mox exposuimus, nihil inde mali regibus intentari docet, aut si quid inde mali regibus intentetur, mali minus intentatur, quàm si Pontificia potestas incrementum non acciperet. Ut igitur malum
425 evitetur majus, in regum gratiam dicendum est Romanum Episcopum posse reges de regnis suis abjicere, & subditos à fidei sacramento, quo regibus tenentur, absolvere. Hæc est Baronii Theologia, quam simpliciter exponere est refellere, & auctorem regibus formidandum, castigandum, exterminandum, & à Theologis censoria severitate notandum exhibere. Nec immeritò juravit in doctrinam hanc: *Aliquis* (Princeps) *per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.* Iterum: *Quàm citò aliquis* (Princeps) *per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Ante Baronem juraverant Edmundus Burguinus, Jacobus Clemens, Petrus Argerus, & Carolus Ridicovios, Christiani orbis portenta quatuor.

Verùm ut ad Summum redeamus Pontificem, referendum est singulare Dominicanorum privilegium, quod narrante Abrahamo Bzovio, à Leone X. impetrarunt: *Leo*, inquit ille ad annum M. D. XVI. *ut ad manum regulares unitos haberet, qui pontificiam auctoritatem & majestatem, sique etiam unanimiter adversùs Episcopos tuerentur, edito super ea re diplomate, corpus quoddam, seu congregationem Regularium omnium in urbe instituit, quorum superiores ad cœnobium Minervæ toties, quoties necesse haberent, in gravaminibus etiam à* SUMMO PONTIFICE *illatis, vel inferendis convenirent & deliberarent, & in commune decernerent, præsidente cœtui Dominicanorum Magistro, qui moderator consiliorum esset. Extat Bulla in archivo Minerva.* 426 Hac de re viderint, ad quos spectat privilegii istius concessio.

Sed ad me spectat, quæ Frater pergit ita scribere: *Neque unquam res Gallicas floruisse magis, quàm Pipino, Carolo Magno, Ludovico Pio, aliisque regibus, quorum felicitatem, victorias & Imperii amplitudinem nequeas certiùs, quàm obsequiis in Sedem Apostolicam metiri. Quo enim se illi reverentiùs & demissiùs subjecere, eò latiùs victricia arma circumtulere, & plures sibi populos subegere. Si hoc præpostera pietatis & deformis obsequii in Summos Pontifices arguas, ut apud Bellarminum legi Calvinum hanc reverentiam, quasi latronum societatem traducentem, quam summo Pontifici concordes & obsequentissimi regno Longobardorum semper Romano Pontifici imminentium dejecto multis ditionibus sancti Petri patrimonium locupletarint, videris ipse, an hac tuo, quod ubique nuncupas regia dignitatis, cujus etiam nobis neglecta aut violata jura obtrudis, studio consentiant.* Optimè verò, antiqua hæc tempora ad quæ me revocas, studio meo consentiunt: tunc ignotæ erant tres illæ prærogativæ, quibus tu Romani antistitis primatum augere contendis.

I. Romanus Pontifex subjiciebatur Conciliis & canonibus, & his subjectum se esse ultrò fatebatur.

Zacharias, à quo Pipinus per Bonifacium Moguntinum Episcopum in regem consecratus est, in Epistolæ I. ad eundem Bonifacium capite IV. *De eo autem,* 427 *quod tibi successorem constitui velle dixisti, ut te vivente in loco tuo eligatur Episcopus; Hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra Ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum esse monstratur.* Siccine loqueretur Pontifex, si se supra Ecclesiasticam regulam omnem, & Patrum instituta positum esse, vel si non errandi privilegio donatum esse à Deo crederet?

Deinde in ejusdem Epistolæ capite V. *De illo namque, qui viduam avunculi sui, quæ & ipsa fuit uxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, & à beata memoria prædecessore nostro sibi licentiam concessam esse divulgavit, ut eam in perniciosè matrimonio assumere debuisset: Absit, ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive canonum institutis inveniantur.* Sedis Apostolicæ traditionem attestatur, ut probet decessorem suum non fecisse, quod ab eo factum rumor increbuerat. *Ab hac*, inquit, *Sede non diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive canonum institutis inveniantur.* Noverat Celestinum Perigeni, Dynato & aliis Illyrici Episcopis scripsisse: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti canonibus, cùm canonum præcepta servemus.*

Tum in ejusdem Epistolæ capite VII. *Tua verò fraternitas, siquid de cætero evenerit, ut sacri docent canones, studeat emendare in plebibus sibi à Deo commissis. Non enim aliud nobis convenit prædicare, præter quod à sanctis Patribus sumus edocti.* Sic non prædicabat, se ab observatione sacrorum canonum immunem esse ac liberum, aut non errandi privilegio 428 gaudere.

Præterea in Epistolæ V. ad eundem Bonifacium cap. II. *Reperimus in memoratis tuis literis, quæ nimis animos nostros conturbant, quòd talia à te nobis referuntur, quasi nos corruptores simus canonum, ut Patrum rescindere traditiones quæramus, ac per hoc, quod absit, in simoniacam hæresim incidamus, accipientes & compellentes, ut hi quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed, carissime frater, hortamur charitatem tuam, ut nobis deinceps tale aliquid minimè tua fraternitas scribat, quia fastidiosum à nobis*

nobis & injuriosum suscipitur dum nobis illud ingeritur, quod nos omnino detestamur. Absit enim à nobis & à nostris Clericis, ut donum quod per Spiritus sancti gratiam suscepimus, pretio venundemus dum & illa tria pallia, quæ te suggerente, ut prædiximus, sumus flagitati, nullum ab eis quispiam commodum expetiit. Insuper & chartas, quæ secundùm morem à nostro scrinio pro tua confirmatione atque doctrina tribuuntur, de nostro concessimus, nihil ab eis auferentes: Absit, ut sic quippiam à tua fraternitate criminis nobis simoniaci objiciatur.

Et primò quidem cùm dicit: *Non sumus corruptores canonum*, perinde est, ac si diceret, non sumus ii, qui sacris canonibus derogemus, quia illis subjecti sumus.

Deinde hoc spectat adhuc quod proximè sequitur: *Patrum rescindere traditiones non quæramus.* Et rectè quidem quia nullus erat Baro veri nominis baro, qui Romanum Pontificem supra traditiones Patrum & supra Synodos collocaret.

429 Postremò cùm ait: *Ac per hoc, quod absit, in simoniacam hæresim incidamus:* Significat se posse hæresim committere, atque nullum inesse sibi non errandi in in fide & moribus privilegium.

Zachariæ succedit Hadrianus I. in epistola LXXXV. Carolini codicis ad Carolum Magnum: *Qui terminos antiquorum Patrum transgredientes suam conantur immoderationem atque imperitiam adimplere voluntatem, judicium sibi canonum committunt.* Et paullo post: *Nos omnium Ecclesiarum pastoralem curam habentes divina prædicare præcepta non sinimus de consecrationis vitio, quod in partibus Italiæ & Thusciæ per hæresim simoniacam fit.* Et paullo pòst: *Absit à nobis, ut super tales viros veritate compertâ manus consecrationis imponeremus, sed nec ad audiendum aures inclinaremus, etiamsi qualibet nobis potestas tales acanonistos viros poposcisset consecrari.* Verba sunt Pontificis, qui sacris se canonibus subjici existimabat. Acanonistos nominat, qui terminos antiquorum Patrum transiliunt, nec nominari se acanonistum vellet unquam, ne pari cum aliis modo tractaretur. Qui Pontifex poscentibus sæculi principibus non derogat sacris canonibus, perspicuè docet se supra canones non esse.

Hadriano succedit Leo III. qui tempore Caroli Magni claruit. Rem in certo quodam inter ipsum & Caroli Magni Legatos dialogo illustrat, qui sic inscribitur: *Ratio habita de symbolo fidei in Secretario sancti Petri Apostoli, inter Leonem Papam, & Bernardum atque Jesse seu Adalardum missos Caroli Imperatoris.* Agitur de inserendis symbolo verbis, *filioque*, quæ in symbolo
430 Romæ decantari solito non erant, quæ hoc in monumento nostro servient instituto, hæc sunt: *Missi. Nunquid non bene idem tunc auctores fecissent, si quatuor tantùm addendo syllabas tam pernecessarium fidei sacramentum, cunctis deinceps seculis perspicuum redderetur? Papa. Sicut non audeo dicere, non bene fecisse, si fecissent, quia proculdubio sicut cætera, quæ vel omiserunt scientes utique, & non tam humana, quàm divina illuminati sapientia fecerunt: Ita quòque non audeo dicere, istud eos nobis minùs intellexisse, & perpendisse, cur dimiserunt, vel cur dimissum, ne ultrò mitteretur, sicut & cætera prohibuere. Tu & tui videte, quid sentiatis de vobis. Nam & EGO ME ILLIS* (Patribus Constantinopolitanæ Synodi primæ) NON DICO PRÆFERAM, SED ETIAM ILLUD ABSIT MIHI, UT COÆQUARE PRÆSUMAM. Non se præfert Constantinopolitanæ Synodo primæ, non se eidem Synodo coæquare præsumit. Quid ita? Nisi quia Synodo inferior erat, & inferiorem se credebat. Si Leo confessione tam ingenua recedit à Sedis Apostolicæ traditione, capti sunt Curiales Magistri & palpator Baro, quia Pontifex vehementer aberrabit; si non recedit ut certò credimus, nulli sunt Curiales Magistri & palpator Baro, quia contra Sedis Apostolicæ traditionem pugnant, & ab ea turpiter deficiunt.

Rem absolvunt æquales Pippino, Carolo Magno & Ludovico Pio Romani Pontifices, qui post consecrationem suam Honorium Papam in professione fidei, ut hæreticum aut hæreseos fautorem anathemati subdebant. *II. Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ urbis Romæ reverendissimis fratribus & dilectissimis filiis,* 431
seu universæ plebi Dei. Ad hoc Apostolicæ Sedis officium, dilectissimi filii, ad quod supernâ gratiâ ita providente ac suffragante pervenimus. Et post alia de sexta Synodo: *Auctores verò novi hæretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum Constantinopolitanos unà cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit, pariterque & Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum cum eorum imitatoribus, similique & hos, qui hæreticorum dogmata veritate fidei synodaliter declaratâ, atque prædicatâ pertinaciter defenderant, pessimum & Deo odibilem Macarium, cum ejus discipulo & magistro impietatis, & Polychronium delirum senem novum Simonem cum omnibus hæreticis atque sequacibus nexu perpetui anathematis devinxerunt.* Hæc ex veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno, edito quidem Romæ, sed ibi captivum adhuc detinetur. Sic non errandi privilegio carere se non dubitabant, cùm decessorem Honorium errasse palam & publicè assererent. Veritas hæc argumenta non quærit, usque adeo illustris est & persuasu facilis.

Nicæna Synodus II. quæ Carolo Magno rege habita est, Honorium Papam hæreticorum numero semel, iterum & tertiò adscribit.

Carolus Magnus in libri VI. Capitularium num. CCLIV. supra canones & Synodos positum esse credebat neminem, cùm ita decerneret: *Quæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa. Et manentibus terminis, quos statuerunt Patres nemo damnet alienus, sed intra fines pro-* 432
prios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine se charitatis exerceat. Leonis verba sunt, quæ Imperator prudens sua facit & in legem convertit.

Omitti nec potest, nec debet, quod de Gallicanis præsulibus ad annum DCCCXXXIII. narratur ab eo, qui Ludovici Pii vitam memoriæ mandavit: *Sed quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, & lapidum etiam duritiam mollis aqua guttulu sæpius illisa terebrare solet, tandem ad id ventum est, ut filios Imperatoris in unum cum copiis, quibus poterant, coire facerent, Gregoriùmque Papam advocarent, subornatu quasi qui patri solus filios reconciliare deberet & posset. Res tamen veritas pòst claruit. Imperator porro è contrario mense Maio Wormaciam venit cum valida manu, ibique quid agendum sibi fuit, diu deliberavit, missisque destinatis, Bernardo scilicet Episcopo cum reliquis, filios hortabatur ad se veniendum, & redeundum. Sed & Papam Romanæ Sedis conveniebat, ut si more prædecessorum suorum aderat, cur tantas necteret moras, non sibi occurendo. Cùm verò rumor usquequaque diffusus fereret de cæteris, quod verum erat: De Papa verò Romano, quòd ideo adesset, ut tam Imperatorem, quàm Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorumque Imperatoris voluntati, parum quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audacia, asserentibus nullo modo se velle ejus voluntati succumbere. Sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat antiquorum canonum auctori-* 433
tas. Igitur quo tempore imperabat Ludovicus Pius, Gallicani præsules obstiterunt, ne Romanus Pontifex se supra canones efferret. Non agnoscebant eum sacris canonibus derogare posse, aut non errandi privilegio gaudere.

Agobardus Lugdunensis Episcopus qui tum floruit, historiam illam paucis complectitur in tractatu de comparatione utriusque regiminis Ecclesiastici & politici ad Ludovicum Imp. *Certè clementissime Domine,*

si nunc Gregorius Papa irrationabiliter & ad pugnandum venit, merito & pugnatus & repulsus recedet. Si autem pro quiete & pace populi & vestra laborare nititur, bene & rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum.

Cæterùm ut ad plenum & perfectum Baroni satisfiat, ostendendum mihi est, quomodo Romani Pontifices sese erga Pippinum & Carolum Magnum gesserunt.

Stephanus II. in epistols IV. ad Pippinum Regem ita scribit: *Unde, fili excellentissime & spiritualis compater, à te peto & tanquam præsentialiter assistens,* PROVOLUTUS TERRÆ, ET TUIS VESTIGIIS PROSTERNENS, *cum divinis mysteriis conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apostolorum beato Petro, ut sub nimia festinatione & maxima celeritate nobis subvenias, ne pereamus, quoniam post Dominum in tuis manibus nostras omnium Romanorum commisimus animas.*

Paulus I. in epistola X. ad proceres Francos: *Novus quippe Moyses, novúsque David in omnibus operibus*
434 *suis effectus est Christianissimus, & à Deo protectus filius & spiritualis compater Dominus Pippinus, Dei nutu victoriosissimus rex, per quem exaltata Dei Ecclesia triumphat, & fides Catholica ab hæreticorum telo illibata consistit.*

Hadrianus I. in epistola I. ad Carolum Magnum: *Ecce novus Christianissimus Dei Constantinus Imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus sanctæ suæ Ecclesiæ beatorum Apostolorum Principis Petri largiri dignatus est.* Deinde in epistola IV. ad eundem Carolum: *Ob hoc, præcellentissime Rex & dulcissime fili, peto tanquam præsentialiter assistens, cum divinis mysteriis conjuro coram Deo vivo & vero, & ejus Principe Apostolorum beato Petro, ut sub nimia festinatione & maxima celeritate nobis subvenias, ne pereamus, quia post Deum in tuis manibus nostras omnium Romanorum commisimus animas.*

In istis autem trium Pontificum verbis Baro non inveniet nova Curiæ placita, quæ primatui vult adjungere. O quàm longè ab ejusmodi placitis aberant Paulus & Hadrianus, qui ligandi solvendíque potestatem ita circumscribunt! Ille in epistola X. ad proceres Francos: *Firmum quippe beatissimum Petrum Apostolorum Principem, cui à Redemptore nostro ligandi solvendíque peccata in cælo & in terra concessa est potestas, adepti estis protectorem.* Hic in epistula I. ad Carolum Magnum: de beato Petro, *Cui claves regni cælorum ab omnium opifice facinorum nexus solvendi simúlque ligandi attributa est facultas,* &c.

Deinde in epistula ad Tilpinum Remensem Archie-
435 piscopum: *Cui* (Petro) *data est à Deo & Salvatore nostro Jesu Christo ligandi, solvendique potestas peccata hominum in cælo & in terra.* Atqui facinorum nexus, peccata hominum ligare vel solvere, non est, si superis placet, Christianos homines bonis & hæreditatibus suis, & Christianos Principes regnis & imperiis suis privare, vel populares seu cives à juramento fidelitatis, quo eis tenebantur, eximere. Hæc res per seipsa patet. Itaque si Frater Romanis Pontificibus Paulo & Hadriano Christi verba interpretantibus credit, nullus est: Si non credit, captus est; & sibi præterea contradicet, dum existimat Romanum Pontificem in fide & moribus errare non posse. Hîc Baro ut est in Regum perniciem & regnorum eversionem ingeniosus, adferet librum suum cum privilegio Regis & approbatione Parisiis editum esse, sed nostras epistolas sine privilegio Regis & approbatione Parisiis editas esse, & ob id Regem sibi consentire & à me dissentire, cùm omni conatu rejicio, quæ Frater in art. 5. paragrapho IV. pag. 393. sic scribit: *Id certè scio, in orbis Christiani infimis partibus, quæ iis locis docet divus Thomas, non solùm impunè, sed etiam cum laude à Theologis propugnari.* Verba Thomæ sunt: *Potest justè per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale jus dominii vel prælationis tolli, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Iterum alibi: *Aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.* Infrà: *Infidelitatem illorum, qui fidem*
susceperunt, potest (Ecclesia) *sententialiter punire, & con-* 436
venienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possunt. Infrà: *Et ideo quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Si Rex de re tota, & de Baronis consilio & doctrina bene monitus silet, & in perniciem sui & regni consentit, ego quamlibet invitus acquiesco.

ANIMADVERSIO IX.

Frater Baro cùm respondet, dissimulat, quæ in adversarii objectionibus sunt præcipua & invicta.

HIC Frater ut odiosum redderet judicium, quod de relatis à B. Thoma sancti Cyrilli testimoniis tuleram, objecerat me quæcunque dixeram ex hæreticis mutuatum esse. Verba sunt è libro I. sect. II. paragrapho V. *Quæcunque habet argumenta, ex his Ecclesiæ Romanæ hostibus* (Marco Antonio de Dominis, Philippo Mornæo, & Davide Blondello) *deprompsit.* Cùm deest legitima disputandi ratio, sincerus vis hanc ad aram & asylum confugit. Sed continuò pergit & dicit: *Nos contrà adversus illius & sociorum impetus præsidia ex nominatis viris clarissimis* (sancto Bernardo, Perronio & Coëffeteo) *extruemus.*

Ego quidem primùm in nostræ ad Thomam Fortinum Parisiensem Theologum epistolæ capite VIII. re-
sponderam, nec sanctum Bernardum, nec Perronium, 437
nec Coeffetæum de Cyrilli testimoniis, quæ Thomas laudat, tractasse, aut vindicasse unquam, atque ideo Fratrem vanissimum disputatorem agere, dum scribit se adversus meos & sociorum impetus præsidia ex tribus illis viris clarissimis exstructurum esse. Tum responderam nec Marcum Antonium, nec Mornæum, nec Blondellum examinasse unquam, utrum quæ Cyrilli testimonia beatus Thomas tribus in operibus suis laudat, subjecta Cyrillo sint, necne? Atque ideo Fratrem non posse Marci Antonii, Mornæi & Blondelli loca indicare, è quibus quod de relatis à Thoma Cyrilli testimoniis judicium tuli, deprompserim. At Frater sua in epistolam nostram exercitatione hæc dissimulat omnia, & vadimonium deserit, & sic non indicatis illis locis maledicentiæ reus habendus est.

Deinde disputandi gratiâ posueram me ex tribus illis hæreticis deprompsisse, quod non deprompseram, sed me potuisse id impunè facere, decretoriis rationibus quinque confirmaveram, quarum nonnullas in exercitationis art. 25. diminutè repræsentat, ne vis illarum appareat, alias verò minimè tangit. Has repeto & ut amuletum etiam adversus Satanam præsentissimum oppono. "Tum si Fratri nos "ita criminari liceat, nunquam poterimus commis"sum à F. Jacobo Clemente collega quondam suo "parricidium diris atque execrationibus insectari, "quòd illud ante nos Philippus Mornæus, David "Blondellus, vel alii de heterodoxorum grege in"sectati fuerint. Tunc Frater Baro statim occur-
"reret & sibi sumeret, nos diras atque execrationes 438
"illas omnes ex immanissimis Romanæ Ecclesiæ hosti"bus deprompsisse. Hæc sunt, inquiet, protrita ex Mor"næi & Blondelli promptuariis precariò emendicata. "Hæc sunt ex præjudicatis opinionibus, quæ omni"no Mornæo & Blondello consentiant. Hæc Marci "Antonii, Mornæi & Blondelli officinam resipiunt. "Hac disputandi methodo Frater Fratris sui facinus

"dete-

"detestabile vindicaret, & me, quia execrater, quod "Mornæus, Blondellus & alii ante me execrati essent, inter hæreticos relegaret, quippe qui argumentum contra Fratrem Jacobum Clementem nullum haberem, quod ex immanissimis Romanæ Ecclesiæ hostibus non deprompsissem, atque ita qui "atroces timebit Baronis calumnias, parricidam revereri, & Fratri Jacobo Clementi benedicere cogetur. "Quæ certa erit meundæ cum Barone nostro familiaritatis & amicitiæ ratio.

"Quartò sit ita, me id fecisse quod mendaciter "objicitur: Me id fecisse dico Apostoli Pauli secutus consilium: Omnia probate, quod bonum est, "tenete. Synodus illa, quæ canonicos libros secrevit "ab apocryphis, consilium idem tribuit. Hoc posito, cur id mihi non liceret, quod beatus Thomas "sibi licere credidit? Hic Doctor argumenta passim "& liberè depromit ex operibus Aristotelis, quem antiqui Patres hæreticorum Patriarcham nominant, "& tanquam capitalissimum Christianæ Religionis "hostem abjiciunt, ut in libri de varia Aristotelis for-
439 "tuna capite 11. latè demonstravi. Sic Baro per "latus meum Thomam quintum Ecclesiæ Doctorem "feriit, & sursum conjecit tela, quæ in illius caput "reciderunt. O ingratum Thomæ discipulum, & ineptum jaculatorem! Si tamen vis sit tibi

"Enceladus jaculator audax.

Hæc sunt argumenta duo, quæ Frater Baro præteriit, quæ fugit, & fugâ saluti suæ consuluit. Nam si illa reciperet, opprimeretur, & oppressus respirare vix posset.

ANIMADVERSIO X.

Cùm Baro pro evertentibus Episcopalem obedientiam privilegiis, Pontificiæ & Regiæ auctoritati blanditur, utrisque exitium machinatur.

IN articuli 11. paragrapho 1. pagina 407. de privilegiis monasteriorum ita statuit: *Sed ut in materia invidiosissima orationi mederer, aliud caput attingam de privilegiis monasteriorum. Censes-ne illa in totum tollenda, neque posse salvis Ecclesiæ juribus, in antiqua disciplina legibus retineri, etiamsi Pontificia auctoritati Regia accesserit, neque regni Parlamenta intercesserint! Si id pariare, in tuto sunt infinita regularium Ecclesiarum & Capitulorum immunitates, quibus hæc tria munimenta non desunt. Hujus generis sunt collata à Summis Pontificibus, necdum probata, sed etiam expetita à Regibus cœnobio sancti Maximini privilegia, de quibus hodie sub judice lis est. Nec dubito, Launoi, si res tuo*
440 *judicio decerneretur, quin simus causâ casuri, quamvis præter literas Pontificias & Regias, Senatus decreta suppetant, partium pacta, quibus transegerint, quorum intererat, ne hujusmodi immunitates obtinerent.* Et quibusdam interpositis: *De altera parte disputationis, qua ad singulares spectat immunitates, assentior Launoio rejiciendas, quas evicerit gravi obreptionis vitio non carere.* Baroni de me contanti quid de privilegiis monasteriis concessis censeam, singillatim & κατ' ἔκαστα respondeo.

I. Censeo tollendum esse privilegium illud, de quo Abrahamus Bzovius ex Ordine Prædicatorum scriptor in Annalium Ecclesiasticorum tomo XIX. loquitur ad annum M.D.XVI. *Leo ut ad manum regulares unicos haberet, qui Pontificiam auctoritatem & majestatem, sèque unanimiter adversùs Episcopos tuerentur, edito super ea re diplomate corpus quoddam, seu Congregationem Regularium omnium in urbe instituit, quorum superiorem ad cœnobium Minervæ toties, quoties necesse haberent, in gravaminibus etiam à Summo Pontifice illatis vel inferendis convenirent & deliberarent, & in commune decernerent, præsidente cœtui supremo Dominicanorum Magistro, qui moderator consiliorum esset.* En seditiosum privilegium, quo filii in parentes armantur! En injuriosum privilegium, quo Episcopi de sacra potestate deturbantur! En privilegium exempli pessimi, cùm aliud dari posset simile quo uniuscujusque cœnobii Fratres jungerentur adversùs superiores suos, depugnarent, in otio tumultuarentur, & in tumultu otiarentur; in summa tumultuantes & otiantes uni duntaxat Romano Pontifici subderentur!

II. Censeo tollendum esse quodcunque privilegium 441
illuc pertinens, quò concessum Dominicanis à Leone X. privilegium pertinere constat, scilicet sublato quocunque tali privilegio inferiores parebunt superioribus, Calchedonensis Concilii canones IV. & VIII. spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati vigebunt, efflorescent, observabuntur. Quo pacto Ecclesiasticæ paci consuletur, & omnia in pristinam concordiam reducentur.

III. Comminus ad Baronem accedo, & loquor apertiùs. Censeo tollenda esse privilegia, quæ Presbyteros & Monachos ab Episcoporum diœcesanorum obedientia & potestate liberos & immunes efficiunt. Cur autem tollantur rationes mihi sunt inter alias duæ, quas Frater Baro & reliqui privilegiorum istiusmodi defensores suppeditabunt.

Et primùm quidem qua ratione Baro & Fratres reliqui non barones, uniuscujusque cœnobii Monachos & uniuscujusque collegii sodales nec ab obedientia & potestate superiorum eximendos, nec uni proximè & ἀμέσως subdendos esse Romano Antistiti pugnabunt, eadem & ego prorsus pugnabo, eosdem Monachos & uniuscujusque collegii sodales ab Episcoporum obedientia & potestate nec liberandos, nec uni Romano Pontifici proximè & ἀμέσως subdendos esse. Hic ut apparet non meis viribus, qui cum Monasticis millesima parte non sum conferendus, sed valentissima ratione & certissima veritate innumerabiles monachorum & sodalium copias profligabo, nisi fortassis, ut me debilitent, perversa religione 442
ducti velint unumquodque cœnobium & collegium in ultimam confusionem & ordinis perturbationem adducere.

Deinde rationem alteram qui exemptos ab Episcoporum obedientia & potestate se venditant, jampridem suppeditarunt opera Henrici Henriquesii, quem audire placet in libri VII. moralis Theologiæ cap. XXIV. scribentem his verbis: *Exemptio quadam personæ, ut Summi Pontificis à potestate seculari est de jure divino, quia neminem in terris habet superiorem: At persona Ecclesiastica, ut regulares & Clerici jure divino non sunt exempti in persona, seu causa criminali, cùm subjiciantur foro civili in quibusdam: Sed Pontifex jure suo potuit eos eximere, & in multis exemit & fecit sibi & delegatis suis speciali ratione subjectos. Determinatio verò causarum, in quibus eximuntur, pertinet ad eundem Pontificem: Sic potuit Pontifex regulares omnes facere omnino liberos ab Episcoporum lege diœcesana. In probatione consentiunt omnes ferè Catholici, qui tractant de potestate Papæ: Et hinc saltem indirectè habet potestatem temporalem supra omnes Principes Christianos, & ex causa privat eos regno, & Imperio, ut probat Bellarminus libro* V. *de Romano Pontifice à capite* VI. Sic igitur ratiocinantur monachi: Romanus Pontifex Christianos Principes regno & imperio privat ex causa, & consequenter illorum obedientiæ populares & cives subtrahit. Romanus igitur Pontifex, Presbyteros, Clericos & Monachos Episcoporum obedientiæ & potestati subtrahere potest. Ratiocinationis istius antecedens 443
in superiori animadversione sic eversum est, ut erigi nunquam instaurarique potuerit: Atque ita vana & futilis est consecutio. Sed disputandi gratiâ concesso antecedente negatur consecutio, quippe quæ *à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter* procedat.

procedat, nec ea potest non esse vitiosissima. Quamobrem ex antecedenti tali nihil in complexionem infertur aliud, quàm quòd Presbyteri, Clerici & Monachi possint ex causa Episcoporum obedientiæ & potestati subtrahi. Hinc cessante causa quæ perpetua esse non potest, sed temporaria, Presbyteri, Clerici & Monachi Episcoporum obedientiæ & potestati subtrahi cessabunt. Qua igitur ratione Monachi perpetuas ab Episcoporum potestate & obedientia immunitates adstruunt, eadem & illas funditus evertunt. Hæc exemptio per Monachorum rationem statuitur in pœnam, quæ sontis est, non insontis Episcopi, nec in successorem legitimum & insontem transire meritò potest: Nisi Monachi per summum nefas argumentum suum aliter conficiant, & philosophentur hoc modo: Romanus Pontifex ad arbitrium suum & sine causa privare potest Reges regno & imperio: Igitur & Episcopos potestate & jurisdictione, quam habent in Presbyteros, Clericos & Monachos ad arbitrium suum & sine causa privare poterit.

Verumenimverò suspicor, Transalpinos Monachos & harum exemptionum patronos, quorum duces & antesignani sunt, Robertus Quatremarius, Norbertus Caillocius, & Vincentius Baro, non refor-
444 maturos esse enthymema, quod Cisalpini Monachi, apud Henriquezium formarunt, sed intoleranda fraude, nefariis molitionibus & consiliis perfecturos, ut illius enthymematis consequentia permultis supremarum Galliæ Curiarum decretis confirmetur: Ut postquam confirmata fuerit, impunè sic argumententur: Romanus Pontifex absolutè & simpliciter potest Presbyteros, Clericos & Monachos Episcoporum potestati & jurisdictioni subducere: Igitur & poterit Regum obedientiæ & imperio populares & cives universos subducere. Antecedens probatur ex Senatusconsultis quæ & Lutetiæ, & Tolosæ, & Aquisextiis, & Rotomagi, Burdigalæ, & Gratianopoli, & Divione magna cum celebritate, & nobis agentibus facta sunt. Sic Transalpini & Cisalpini Monachi velut ex compacto & consutis dolis ac machinationibus argumentantur, & ad optatum ab omnibus scopum, Episcopalis & Regiæ auctoritatis eversionem, perveniunt. Qua in re Transalpini Cisalpinis deteriores esse mihi videntur. Cisalpinorum modus argumentandi eò tantùm spectat, ut antistites ex causa priventur sua in Monachos potestate ac jurisdictione: Transalpinorum verò modus argumentandi eò pertinet, ut primùm Episcopi sua in Monachos jurisdictione, deinde Reges sua quoque in populares & subditos potestate sine ulla causa priventur.

Ne verò quis putet me gratis & sine ratione notasse Quatremarium, Caillocium, & Baronem; præsto mihi sunt ipsorummet scripta & facta quibus id asseram & confirmem.

Quatremarius enixè tuetur subjectum Gregorio I.
445 Sammedardensis Monasterii privilegium, quo Bellarminus in libri v. de Rom. Pont, capite VIII. & in libri de potestate Pontificis in temporalibus capite XL. Adulphus Sculkenius in cap. XIII. Apologiæ pro Bellarmino, Franciscus Suares in defens. fidei Cath. lib. III. cap. XXIII. de Papæ potestate coerciva in Reges, Martinus Becanus in Anglicana controversia cap. III. de juramento fidelitatis quæst. II. utuntur omnes, ut probent, Romanum Pontificem posse deturbare Reges è regno suo & subditos à juramento fidelitatis absolvere. Ego in præfatione operis, quod *Assertio Inquisitionis in Monasterii sancti Medardi Suession. privilegium inscribitur*, Quatremarium admonui, ut doctrinam istam regum vitæ insidiosam ejuraret, sed quia Monachus est Congregationis, quæ B. Benedicto invisam & inauditam ab Episcoporum obedientia & potestate immunitatem emendicatim deperit, ejurare hactenus noluit.

Caillocii res sic se habet: Ego in libro, qui *Inquisitio in Pramonstratensis Ordinis privilegia inscribitur*, observaveram, Ludovico XI. Regi Galliæ fraudulenter obreptum esse, dum certa quædam confirmavit privilegia, in quibus clausula hæc haberetur: *Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularis-ve persona hanc nostra concessionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertióque commonita, nisi satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat.* Deinde observaveram clausulam istam imprecationis modum minimè continere, sed receptam juris formam, quam recipit abdicationis sententia. Et clausula hæc præter Regem 446
cæteros, qui ad regnum pertinent, comprehendit, & sic Regis regnique jura non potest non offendere. Sic autem Caillocius ut illa privilegia ab omni obreptione immunia & salva conservet, in opere, quod *Responsio ad inquisitionem Joannis Launoii Paris. Theol. in privilegia Pramonstratensis Ordinis inscribitur*, respondet in capite XVIII. *Sed etsi Reges & Principes hac clausula comprehenderet, eáque imprecationis, aut comminationis modum non contineret, sed receptam juris formam, quam exciperet abdicationis sententia,* QUID INDE? *Enimverò ad hoc ut Principes & Reges obligare posset hac clausula, vel acceptatio, requireretur ex parte Principum, (adeo ut hi jus haberent similem clausulam respuendi, si vellent) vel non requireretur acceptatio, sed obligare posset etiam invitos. Si requiratur acceptatio, aut princeps acceptavit, aut non acceptavit; si non acceptavit, quid ex ejusmodi clausula Principi metuendum; si autem acceptavit, quidnam acceptanti & servare volenti formidandum esset? Si verò jus repugnandi Principes non habeant, sed eos hac clausula obligare potest vel invitos, hanc approbaverint, necne, aqua semper erit obligatio.* Quid clarius ad patefaciendum regiæ dignitatis eversorem?

Baro jampridem juravit in doctrinam hanc: *Et ideo quàm citò aliquis* (Princeps) *per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* In hanc, inquam, doctrinam ille juravit, & suprà meditatè scripsit: *Certò scire se in orbis Christiani infinitis parti-* 447
bus non solùm impunè, sed etiam cum laude à Theologis propugnari.

IV. Pontificiæ dignitati turpiter illudit, cùm à Pontifice concessa esse vult privilegia, quibus seu Presbyteri, seu Monachi Episcoporum obedientiæ & potestati contra canones subducuntur in perpetuum. Nam hujusmodi privilegia, siquæ extarent, per manifestissimam obreptionem concessa essent. Mihi non crede, sed ipsismet Romanis Pontificibus Gelasio I. Zachariæ, Gregorio VII. Joanni XXII. qui qua in re versetur Sedis Apostolicæ officium, nos docent.

Gelasius in epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis confidimus, quòd nullus jam veraciter ignorat Christianus, uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem pra cateris oportere, quàm primam. Qua & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum Ecclesia nihilominus consequenter & tenuit semper & retinet.* Si præ cæteris sedibus oportet primam uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, magis exequi; hæc prima Sedes non potuit omnino sine manifesta obreptione dare privilegium, quo constitutum illud infringatur. At constituto tali similes sunt Calchedonensis Concilii canones quartus & octavus, qui Presbyteros & Monachos Episcoporum potestati subjiciunt. Et sanè inter cæteras Ecclesias Gallicana in

illis

448 illis canonibus retinendis summam semper adhibuit diligentiam. Indicabo tantùm Concilia, quæ fidem meam præstent.

Concilium Veneticum anno Christi CCCCLXV. celebratum can. V. & VI.

Concilium Agathense anno DVI. celebratum can. XXXVIII.

Concilium Anrelianense primum anno DXI. celebratum can. VII, XIX, XXII.

Concilium Epaonense anno DXVII. celebratum can. VIII, IX, X. & XIX.

Concilium Aurelianense II. anno DXXXIII. celebratum can. XIII. & XXI.

Concilium Aurelianense III. anno DXXXVIII. can. XXIII.

Concilium Arelatense IV. anno DXLI. celebratum can. XI.

Concilium Arelatense II. anno DLIV. celebratum can. II. & III.

Concilium Turonense II. anno DLXVII. celebratum can. VII.

Concilium Autissiodorense anno DLXXVIII. celebratum can. VII. & XXIII, XXIV, XXV, XXVI.

Concilium Parisiense anno DCXV. celebratum can. VIII. & XII.

Concilium incerti loci paullo post Parisiense istud celebratum can. IV, V. & XI.

Concilium Cabilonense anno DCL. celebratum can. XV.

Concilium Augustodunense anno Christi circiter DCLXX. celebratum can. VI, X, XI.

Concilium Vernense anno DCC. LV. celebratum in præfatione, & can. III, V, X, XI.

449 Concilium Francofordiense anno DCC. XCIV. celebratum can. XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XXIV, XXXII. Concilium hoc Gallicanis adjicio, quia illud inter antiqua Galliæ Concilia reperio.

Concilium Arelatense anno DCCCXIII. celebratum can. VI. & VIII.

Concilium Moguntiacum anno eodem celebratum can. XI, XII, XIX, XX, XXI.

Concilium Remense anno eodem celebratum can. IX, XVIII, XXV, XXVI, XXX.

Concilium Turonense III. anno eodem celebratum can XXV. & XXXI.

Concilium Parisiense VI. anno DCCCXXIX. celebratum in libri I. capite XLVI. in libri III. capite XVIII.

Concilium Aquisgranense II. anno DCCCXXXVI. celebratum in Capituli I. can. III. & in ejusdem Capituli can. II. & III.

Concilium Vernense anno DCCCXLIV. celebratum can. III. & IV.

Concilium Meldense anno DCCCXLV. celebratum can. LVII. & LIX.

Concilium Suessionense II. anno DCCCLIII. celebratum can. I. & II.

Concilium Carisiacense anno DCCCLVIII. celebratum cap. IX.

Concilium apud Saponarias anno DCCCLIX. celebratum can. IX. & XI.

Concilium apud S. Macram anno DCCCLXXXI. can. IV.

Hoc in loco Conciliorum canones non refero: In-
450 tegros retuli in libro, qui *Assertio Inquisitionis in Chartam immunitatis Sang. Monasterii*, inscribitur. Retuli inquam ubi Calchedonensis Concilii canones duos IV. & VIII. præmisi. Si qua igitur privilegia his canonibus adversa Romanus Pontifex largiretur, contra primæ Sedis, cui præsidet, officium ageret, & agendo sibi fraudulenter obreptum esse commonstraret. Nimirum docente Gelasio non aliquam memoratos canones magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam. Oportere *verò est consentaneum esse efficio*, *licere legibus & juri, decere temporibus & personis*, ut ait Tullius in oratione pro Cornelio. Sumamus aliam Sedem id genus privilegii quo de agimus, dedisse, quis auderet rectè datum asserere? Nemo utique, quia oportet aliam Sedem Calchedonensis Concilii canones exequi. At primam illos magis exequi oportet. Hæc est primæ Sedis per Gelasium ratiocinatio, quam quis eludet?

Zacharias in Epist. I. ad Bonifacium Moguntinum Archiep. capite V. *Nec ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, qua contraria esse Patrum sive Canonum institutis inveniantur.* Si ab Romana Sede illa non diriguntur, quæ Patrum sive canonum institutis judicarentur contraria, ab eadem non dirigentur privilegia, quæ adversus Calchedonensis Concilii canones, Presbyteros vel Monachos ab Episcoporum obedientia & potestate liberent in perpetuum, alioquin subreptionis vel obreptionis jure accusabuntur.

Gregorius VII. in libri II. Epistola L. ad Sanctium Aragoniæ Regem: *Solet sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in* 451
suis decretis & constitutionibus à concordia canonica traditionis discedere. Si Sedes Apostolica in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis, nunquam discedit, nunquam dabit privilegia, quæ Calchedonensis Concilii canonibus IV. & VIII. adversentur, aut si quando daret, per obreptionem vel subreptionem daret.

Joannes XXII. tit. IV. de concessione Præbendæ: *Sedes Apostolica in suis actibus veritatem prosequens, lucem amans libenter evitat nodosa ambiguitatis involucrum, illámque sibi semper in suis ordinationibus reservare cautelam intendit, ut de illis ita proveniat commodum, quòd aliis non immineat detrimentum.* Quæ his ex verbis colliguntur mala duo, cum Sede Apostolica commune nihil habent, & nonnisi per obreptionem subreptionem-ve habere omnino possunt. Sedes Apostolica in omnibus suis actibus cautionem eam semper adhibet, ut hinc commodum adferat, illinc detrimentum nullum importet. Sed aliter se res habet in privilegiis, quæ Presbyteros & Monachos Episcoporum obedientiæ & potestati subtrahunt. Hæc privilegia Monachis & Presbyteris incommodum adferunt, tantùm abest, ut commodum adferant: iis plurima vitia, virtutes nullæ superstruuntur, ut beatus Bernardus auctor idoneus & locuples amplissimè demonstrat, & primùm quidem in Epistola XLII. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. Ubi ait: *Pariter ab hujusmodi libertate abstineam, qua me pessimè addicat superbia servituti. Plus timeo dentes lupi, quàm* 452
virgam pastoris. Certus enim sum ego Monachus & Monachorum qualiscunque Abbas, si mihi quandoque Pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quòd Satana mox tyrannidi meipsum subjicio. Deinde in libri III. de Consider. cap. IV. ubi sic alloquitur Eugenium III. *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipsius, nullus est enim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, monachi etiam dissolutiores fiunt.* Et paullo pòst: *Monstrum facis, si manu submovens digitum facis pendere de capite, superiorem manum, brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas, quàm disposuit ipse.*

Ad Episcopos autem quod attinet, potestas illorum divinitus accepta turbatur, ut Tridentina Synodus animadvertit in sessionis XXIV. capite XI. de privilegiis & exemptionibus: *Quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur.* Huc spectat Gregorius Magnus cùm in libri IX. capite XXXII. ad Romanum Siciliæ defensorem ita scribit: *Si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?*

Hæc igitur omnia, quæ Gelasius, Zacharias, Gregorius VII. & Joannes XXII. de Apostolica seu prima Sede prædicant, ostendunt illius principatum in observatione & executione sacrorum canonum potissimùm consistere, & Baronem vehementer errare, quia primæ Sedis principatum in derogatione & eversione
453 sacrorum canonum constituit. Explicatum à Gelasio, Zacharia, Gregorio, & Joanne Romanis Pontificibus cathedræ suæ principatum agnoscimus & reveremur; Baro nec agnoscit, nec reveretur.

Deinde si Romanus Pontifex exemptiones plenas & perpetuas daret, certissimam evertendæ dignitatis suæ viam patefaceret. Res ita se habet. Cùm Romani Pontifices jus appellationum sibi suæque Sedi vindicant, id ex sacris canonibus omnino repetunt.

Innocentius I. in Epistolæ ad Victricium Rotomagensem Episcopum capite II. *Si autem majores causæ in medium fuerint devoluta ad Sedem Apostolicam, sicut sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post Episcopale judicium referantur.* Observat duo: *Sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit:* Consuetudinem Synodi statuto subjicit, ut probet, Synodi statutum in auctoritatem & usum admissum fuisse.

Gelasius I. in Epistola IV. ad Faustum: *Nobis opponant canones dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi sana rectáque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri. Sunt ipsi,* inquit, *canones,* & aliud nihil profert in medium. Et paullo pòst pergit: *Sed religiosi viri atque perfecti secundùm canones concessam Sedi Apostolicæ potestatem mirum conantur eripere, & sibimet eam contra canones usurpare contendunt.* Vide quid dicat: *Secundùm canones concessam Sedi Apostolicæ potestatem.*

454 Gregorius I. in libri V. Epistola XXIV. ad Marinianum Ravennatem Episcopum: *Nunquid non ipse nosti, quia in causa, quæ à Joanne Presbytero contra Joannem Constantinopolitanum fratrem & Coepiscopum nostrum orta est, secundùm canones ad Sedem Apostolicam recurrit.*

Innocentius, Gelasius & Gregorius respectum habent ad Sardicense Concilium, quod editis canonibus appellationum jus Romanæ Sedi asseruit.

In Calchedonensi Concilio canones sunt maximè duo IV. & VIII. quibus Monachi & Presbyteri omnes Episcoporum potestati submittuntur. Quartus est ejusmodi: *Qui verè & purè solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore. Quidam verò monachorum habitu utentes indifferenter per civitates incedunt, necnon & monasteria, & seipsos propria præsumptione commendant. Placuit igitur neminem aut ædificare, aut constituere monasteria, aut oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi. Eos verò qui per singulas civitates sive possessiones in monasteriis sunt, placet nobis Episcopos subjectos esse debere, & quieti operam dare, atque observare jejunia & orationes in locis, in quibus semel se Deo voverint permanentes. Nec Ecclesiasticis verò nec sæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti propria monasteria deserentes: Nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium, ab Episcopo civitatis. Nullum verò recipere in monasteriis servum obtentu monachi, præter sui domini conscientiam. Transgredientem verò hanc definitionem nostram excommunicatum esse de-*
455 *crevimus, ne nomen Dei blasphemetur. Verumtamen Episcopum civitatis convenit competentem Monasteriorum providentiam gerere.*

Octavus: *Clerici, qui præficiuntur Ptochiis, vel qui ordinantur in Monasteriis & Basilicis martyrum sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundùm sanctorum Patrum traditiones potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audeat evertere hujuscemodi formam quocunque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo, siquidem Clerici sunt, canonum correptionibus subjacebunt, si verò laici vel monachi fuerint, communione priventur.*

His autem ita constitutis, si Romani Pontifices Calchedonensis Concilii canones non exequerentur, sed iis, ut Presbyteri & Monachi Episcoporum obedientiæ & potestati subducerentur, derogarent in perpetuum; cæteri Pontifices ad Romanorum Pontificum exemplum Sardicensis Concilii canones possent non exequi: Et sic jus appellationis ad Sedem Apostolicam subverteretur. Quo subverso Sedis Apostolicæ dignitate quid fieret? Id genus mali cùm ipsimet Romani antistites prospicerent, huic quanta potuerunt auctoritate, occurrerunt.

Symmachus in Epistola I. ad Æonium Arelatensem Episcopum: *Hoc accedit, quod ne sit sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere; cujus potestas omnis infringitur, nisi universa, quæ à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint: Quod aliàs contingere non poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit.* 456
Quanta enim Vicariis beatissimi Petri Apostoli judicabitur esse reverentia, si quæ in Sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissolvantur? Si Symmachus hoc dicit de Anastasio decessore suo, qui certam quandam Leonis I. constitutionem per obreptionem resciderat, quid non dixisset, (si quid tamen majus dici potuit, aut expressius) si universalis Synodi canonibus Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentiâ consecratis derogasset?

Gregorius I. in Libri I. Epistola XII. ad Montanam & Thomam: *Justitia, ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiat.* Deinde in libri VII. Indict. I. Epistola XVII. ad Bonifacium defensorem: *Nimis est asperum, & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum, nisi quempiam quacunque rationis excusatione, & quæ bene sunt ordinata, rescindere, & exemplo suo docere cæteros sua quandoque post se constituta dissolvere.* Quæ Gregorius duabus in Epistolis scribit, scripsisse diceres, ut quod nunc intendimus, comprobaretur. Nempe si quis Romanus Pontifex, relatos Calchedonensis Synodi canones in Presbyterorum & Monachorum gratiam rescinderet, dissolvendorum ab Episcopis Sardicensium de appellationibus canonum exemplum præberet. Porro autem observandum est Gregorium verba tantùm facere de decessorum mandatis, non de sacris canonibus. Nam si de iis verba fecisset, id omnino dixisset, quod in libri II. Indict. XI. Epistola LII. ad Joan- 457
nem Constantinopolitanum Episcopum scribit: *Si canones non custoditis & majorum vultis statuta convellere, non cognosco qui estis.*

Gregorius VII. Gregorii I. vestigia relegens, non proletario vel plebeio cuidam, sed Aragonum regi Sanctio nonnihil in libri II. Epistola L. denegat gratiæ: *Ne,* inquit, *quicquam à nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum & auctoritatem posteris relinquatur.* Tunc nondum exorti erant homines Baroni nostro similes, qui sublato pudore omni, & neglectâ mali exempli pernicie Romanis Pontificibus omnia permittunt, & nefariis molitionibus suis id tandem consecuti sunt, ut Concilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia conscriptum Paulo III. jubente, eundem monuerit adulatores fuisse, qui Pontificibus nonnullis persuaserint; *Quòd voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, sit regula, quâ ejus operationes & actiones dirigantur. Ex quo proculdubio effici, ut quidquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles usque.*

Dimisso

Dimiſſo igitur Barone & aliis ſacrorum canonum & moralis apud Chriſtianos diſciplinæ corruptoribus, qui ex Ariſtotelis ſchola prodierunt, hîc rata debent eſſe tria. Primùm, quòd plenæ & perpetuæ Monachorum & Clericorum ab obedientia & pote-
458 ſtate Epiſcopali immunitates Romanæ Sedis juribus vehementer obeſſe poſſunt, nunquam prodeſſe poſſunt. Deinde, quòd ſi quæ Clericis & Monachis immunitates iſtiuſmodi conceſſæ ſint, non potuerunt, niſi per obreptionem, ſubreptionem-ve concedi. Nemo enim credet ullum fuiſſe Romanum Pontificem, qui contra Sedis ſuæ dignitatem & amplitudinem conjuraverit. Poſtremò, quòd Baro & alii qui ad defendendas immunitates hujuſcemodi conſpirant, Sedis Apoſtolicæ dignitatem & jura certiſſimo diſcrimini exponere non verentur, quo tempore ſimulant ſe velle Sedis Apoſtolicæ jura & dignitatem augere.

V. Cùm Frater Baro regiam vult auctoritatem in privilegiorum, quibus Clerici vel Monachi obedientiæ & poteſtati Epiſcoporum ſubtrahuntur, defenſionem oppignerare, luculenter oſtendit nullas eſſe occultiores inſidias, quàm quæ latent in ſimulatione officii. Siquidem Baro cùm videtur regiam auctoritatem efferre, eam de ſuo ſtatu dejicit ac deturbat. Regiæ auctoritatis eſt curare, ut canones ſpiritu Dei conditi & totius mundi reverentiâ conſecrati ſerventur, non ut iis per Clericorum vel Monachorum privilegia derogetur.

Exinde Clodoveus primus Galliæ Rex, in Aurelianenſi Concilio I. quod illius juſſu celebratum eſt, Calchedonenſis Concilii canones duos IV. & VIII. promulgari, & in Eccleſiaſticam regni ſui diſciplinam admitti voluit. Quod uti fieret accuratiùs, condendorum canonum materiam Patribus dedit, ut ipſimet teſtantur in Epiſtola Synodica ad Clodoveum: *Quia tanta ad religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura*
459 *vos excitat, ut Sacerdotalis mentis affectu, Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in unum colligi juſſeritis, ſecundùm voluntatis veſtræ conſultationem, & titulos quos dediſtis, ea quæ nobis viſum eſt, definitione reſpondimus*, &c.

In canone VII. res ſic ſe habet: *Abbatibus, & Presbyteris, omnique Clero, vel in religionis profeſſione viventibus ſine diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum pro petendis beneficiis venire non liceat.*

In can. XIX. *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſiquid extra regulam fecerint, corrigantur.*

In can. XXII. *Nullus Monachorum Congregatione Monaſterii derelictâ, ambitionis & vanitatis impulſu cellulam conſtruere ſine Epiſcopi permiſſione, vel Abbatis ſui voluntate præſumat.*

Childebertus Rex, & illius fratres anno DXXXIII. Aurelianenſe Concilium II. fieri juſſerunt ab Epiſcopis de obſervatione legis Catholicæ, ut ipſimet præfantur, tractaturis.

In can. XIII. ſtatuunt, *Ut Abbates, Martyrarii, Recluſi, vel Presbyteri epiſtolia dare non præſumant.* Id Epiſcopis reſervatur, ut ſoli fidelibus literas dent commendatitias.

In can. XXI. ſtatuunt, *Ut Abbates, qui Epiſcoporum præcepta deſpiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, niſi contumaciam ſuſceptâ humilitate deponant.* At quidquid hîc ſtatuunt, convenienter Calchedonenſi Concilio ſtatuunt.

Pippinus cùm Rex eſſet, Vernenſe celebrari voluit
460 Concilium, in cujus præfatione quodnam ſit Regis officium, ita declaratur: *Sufficerent quidem priſcorum Patrum regulæ ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, rectiſſima norma ad mortalium correctionem prolata, ſi earum ſanctiſſima jura perſeveraſſent illæſa. Sed quia emergentibus cauſis quibuſdam congruis, temporéque inquiete ſuperveniente contingit, nonnulla ex hac re negligentiâ faciente fuiſſe intermiſſa. Idéoque glorioſiſſimus, atque adeò religioſus illuſter vir Pippinus Rex Francorum univerſos pene Galliarum Epiſcopos aggregari fecit ad Concilium Verno Palatio, recuperare aliquatenus cupiens inſtituta canonica.* Inter antiquos canones, qui recuperantur, ſunt Calchedonenſis Concilii canones duo, IV. & VIII. ut conſtat ex Vernenſis Concilii canone III. & V. qui ſic ſe habent: *Ut unuſquiſque Epiſcoporum poteſtatem habeat in ſua parochia tam de Clero, quàm de regularibus, vel ſæcularibus ad corrigendum & emendandum ſecundùm ordinem canonicum ſpiritualem, ut ſic vivant, qualiter Deo placere poſſint.* Iterum: *Ut Monaſteria, tam virorum, quàm puellarum ſecundùm ordinem regularem vivant, & ſi facere contempſerint, Epiſcopus in cujus parochia eſſe videntur, hoc emendare debet.*

Carolus Magnus Pippini filius, Calchedonenſis Concilii canonem IV. libro V. Capitularium intulit num. XXV. *Monachos per unamquamque civitatem aut regionem ſubjectos eſſe Epiſcopo ſuo & quietem diligere, & intentos eſſe tantummodo jejunio & orationi in locis, in quibus renunciaverunt ſæculo, permanentes. Nec Eccleſiaſticis verò, nec ſæcularibus negotiis communicent, vel in aliquo ſint moleſti, propria Monaſteria deſerentes, niſi fortè eis præcipiatur propter opus neceſſa- 461
rium ab Epiſcopo civitatis.* Deinde num. XXVII. *Epiſcopum convenit civitatis competentem Monaſteriorum providentiam gerere.* Quæ poſtrema eſt Calchedonenſis canonis IV. periodus. Tum num. XXXIX. *Ut omnes Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi ſub poteſtate Epiſcopi maneant.* Denique num. XL. *Ut nullus Presbyter præſumat in alia parochia baptizare, nec miſſas celebrare ſine juſſione Epiſcopi, in cujus parochia eſt, & omnes Presbyteri ad Concilium Epiſcopi conveniant, & ſi hoc quod ſuperiùs comprehenſum eſt, facere contempſerint, ſecundum ſuam canonicam inſtitutionem judicentur, tam ipſi quàm defenſores eorum.* Quibus verbis exprimitur, quidquid in Calchedonenſis Synodi canone VIII. decernitur.

Hæc pauca de multis, quibus manifeſtè conſtant, duo: unum eſt Galliæ Reges Clodoveum, Childebertum, Pippinum, Carolum Magnum Calchedonenſis Concilii canones duos, IV. & VIII. in ſe recepiſſe. Alterum, eos multa fieri præcepiſſe Concilia, ubi ſancita illis canonibus diſciplina convenientiſſima executioni mandari jubetur. Sic ergo Reges noſtri canonum illorum cuſtodes ſe, vindices & propugnatores diligentiſſimos exhibuerunt; tantum abeſt, ut permitterent canones illos in deſuetudinem abire, vel derogationibus enervari: Atque ita Clericos, & Monachos Epiſcoporum obedientiæ & poteſtati ſubtrahi.

Præterea intelligebant viri prudentes canonum illorum cuſtodiam, & ad regum ſalutem, & ad regni tranquillitatem pertinere. Nam ſi ſemel concede- 462
retur, ut inſtitutæ divinitus Epiſcoporum poteſtati, & obedientiæ ſubducerentur Clerici vel Monachi, conceſſio hæc in ipſorum regum perniciem certiſſimè redundaret. Sic populares & cives regum poteſtati, & obedientiæ ſubducerentur. Non enim majore nexu populares & cives à Regibus ſuis, quàm Clerici vel Monachi ab Epiſcopis ſuis pendent. Par eſt utrobique nexus, eadem obligatio, quia utraque divino jure ſancitur.

Id autem Frater Baro novis Curiæ Romanæ placitis addictus cùm perſpicit, Reges noſtros in derogationem ſacrorum canonum, qui Monachos ſubjiciunt Epiſcopis, obſtringere conatur. Siquidem ex illa derogatione lucratur duo; primùm, quòd Monachi ab Epiſcoporum poteſtate & obedientia liberantur. Deinde, quòd ubi placuerit Curiæ, ſimili modo populares & cives ab regum poteſtate & obedientia liberabuntur. Et quamvis utrumque ſpectet, ſine dubio tamen ſecundum magis ſpectat, quia ex eo Curiæ gratiorem ſe reddit, digniorémque Inquiſitionis ſacræ muneribus, ad quæ jamdudum adhinniit.

Itaque nemini mirum videri debet, si Baro Reges simulatâ in eos pietate ad Monachorum privilegia, de quibus agitur, confirmanda inducat & oppigneret. Non ignorat annos jam esse permultos, postquam Monachi sibi similes & Magistri Curiales apud Henricum Henriquezium in libri VII. moralis Theologiæ capite XXIV. sic argumentantur: Romanus Pontifex indi-
463 rectè habet potestatem temporalem supra omnes Principes Christianos, & ex causa eos privat regno & imperio. Igitur & Episcopos privare poterit auctoritate omni, quam habent in Monachos. De veritate antecedentis non dubitat Frater Baro, quia illud apud Henriquezium probatur ex Bellarmino, quem ipsemet Baro invictum Catholicæ fidei pugilem sæpius appellat. Sed nunc dierum quodnam ille scelus anhelat? Quam pestem patriæ molitur? Non tenebo te diutius. Intendit confirmare antecedens ex auctoritate Regum, quos ad vindicanda Monachorum privilegia, de quibus agitur, insigni fraude & proditione inclinat & pertrahere conatur. Nam ubi semel & certò probaverit, Reges privilegia, quibus Monachi ab Episcoporum potestate & obedientia solvuntur aut solvi putantur, grata ratáque habuisse, sic philosophabitur. Romanus Pontifex Monachos ab instituta divinitus Episcoporum potestate & obedientia liberat ex consensu Principum; igitur populares ac cives à Principum potestate & obedientia, ex eorundem Principum, velint nolint, consensu liberare potest. Dixi velint nolint, quia fieri non potest, ut monasticum pugionem illum evitent Principes, quia in ejus ictum, ut sumitur, consenserunt.

His ita constitutis, ut abrogentur istiusmodi privilegia, si quæ sint, nullius in Gallia magis interesse, quam Regis in me recipio & spondeo. In hoc scammate Baronem & privilegiorum istiusmodi patronos & defensores opperior. Si quæ sint, dixi, quia nullum reperi Monachorum privilegium, in quo con-
464 ceptis verbis statuatur, Monachos ab Episcoporum potestate & obedientia subduci in perpetuum. Et si quæ reperirentur, ea vel suppositita, vel subreptitia forent. Id necessariò dicendum esse convincunt, quæ suprà de Sedis Apostolicæ dignitate & opportunitatibus disserui.

VI. Armatis, ut mox visum est, in perniciem sui Regibus ad supremas regni Curias accedit, easque ad patrandum idem facinus insidiose oppignerat. Nam certum est, privilegia quibus Clerici vel Monachi Episcoporum obedientiæ & potestati subtrahuntur in perpetuum, non posse in Gallia defendi, quin regni & Gallicanæ Ecclesiæ fundamenta duo subvertantur. Unum est, Romanum Pontificem universali subjacere Concilio; Alterum, eundem non posse cives & populares Regum potestati & temporali jurisdictioni, & confirmatæ sacramento obedientiæ subducere. In unius veritate privilegia & libertates regni positas esse omnes traditur in commonitorio, quod apud Tridentinam Synodum Carolus Cardinalis Lotharingius, Legati, Regni Antistites, & Parisienses Theologi communi consilio scripserunt, & quod Cardinalis ille Romam misit ad Britonem Secretarium & procuratorem suum. In altero pax regni totius ac tranquillitas consistit. Nefarium est igitur Baronis consilium, dum omni ope & opera enititur, ut supremæ regni Curiæ libertatum Gallicanæ Ecclesiæ fundamenta duo concutiant & susque deque vertant.

Nefarii consilii rationem cùm ex aliis, tum ex eo
465 quoque repeto, quod juraverit in doctrinam hanc: *Aliquis* (Princeps) *per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.* Item: *Quàm citò aliquis* (Princeps) *per sententiam denunciatur excommunicatus, propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Quod ergo frater juravit jusjurandum ne videatur relinquere, sed ut conservare se probet, omninò contendit, supremas regni Curias confirmasse privilegia, quibus monachi ab Episcoporum obedientia & potestate absolvantur. Privilegia istiusmodi confirmarunt nusquam, aut per obreptionem confirmarunt: Et sic cassa & irrita esset illorum confirmatio. Et nisi hoc dicatur, necessario dicendum est, supremas regni Curias patrocinari doctrinæ illi, in quam juravit Baro, & quæ priscis Ecclesiæ sæculis invisa & inaudita est, & Libertatum Gallicanæ Ecclesiæ fundamenta Fratris istius machinis labefactat.

VII. Proponit mihi Sammaximinensis Cœnobii privilegia, quæ Lutetiæ Dominicanorum opera apud Christophorum Jurnellum in lucem edita sunt anno M. DC. LXVI. Pontificiæ Bullæ seu diplomata sunt numero tredecim. Non omnia, sed certa quædam expendam ad specimen, ex quo quid sentiendum sit de cæteris, judicetur.

I. Diploma primum est Bonifacii VIII. quod ita inscribitur: *Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.* Et quibusdam interpositis: *Nos igitur attendentes, quòd tu eximiam de-* 466
votionem à te habitam ad præfatam Sanctam, ex eo præcipuè per opera evidentiam ostendisse dignosceris, quod olim dum incertus existeret locus, ubi sepultum fuerat corpus ipsum, ad illud inquirendum & inveniendum, efficax studium impendisti, & tandem eodem invento ipsum in dicta Ecclesia fecisti cum debita devotione & reverentia, conveniente ad hoc Cleri & populi partium illarum copiosa multitudine tumulari. Infra: *Datum Laterani octavo Idus Aprilis Pontificatus nostri anno I.*

At diploma istud Bonifacio VIII. subjectum esse multa demonstrant.

Et primò quidem Bonifacius scribere non potuit Carolo Siciliæ R. cui negotiosam illam corporis B. Mariæ Magdalenæ disquisitionem & inventionem in diplomate suo attribuit. Disquisitio & inventio in annum M. CCLXXIX. incidit, quo regnabat Carolus I. Siciliæ Rex, qui & anno M. CCLXXXIV. demigravit ab hominibus. Disquisitionis & inventionis tempus assero ex Sammaximinensis Monasterii Chronicis, quæ Silvester Prieras Ordinis Prædicatorum Magister generalis in lucem emisit, & expositioni Evangelii feriæ V. infra octavas Paschæ intexuit. *Cùm anno,* inquit, *Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo devotionis gratia antrum, in quo pænituit beata Maria Magdalena, & sacras ejus reliquias apud sanctum Maximinum visitassem, ostensum est mihi.* Et quibusdam interpositis: *Cùm verò diligentiùs de omnibus prædictis veritatem scrutari voluissem, Chronicam hujus sententiæ reperi. Carolus Rex Siciliæ se-* 467
cundus & Comes Provinciæ circa annum Domini millesimum ducentesimum septuagesimum nonum bello navali cum Rege Aragonum congressus, & victus & captivatus est, & apud Barcinonem moriturus diro carceri mancipatus. Non regnabat tunc, anno videlicet M. CCLXXIX. Carolus II. sed Carolus I. qui obita morte regnare desiit anno M. CCLXXXIV. qua in re historici omnes consentiunt.

Deinde Carolo I. Bonifacius scribere non potuit anno M. CCLXXIX. quo disquisita & inventa sunt beatæ Mariæ Magdalenæ lipsana, cùm eo anno Romanam administrabat Ecclesiam Nicolaus III. non Bonifacius, qui eam administrare cœpit anno M.CCXCII. exeunte.

Præterea Carolus II. in diplomate, quo statuit, ut Sammaximinenses Magistratus Massiliensi Episcopo Bonifacii Bullam exequenti præsto sint. *Carolus II. Dei gratia Rex Jerusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ & Folcaquerii Comes, Ballivo ac universis hominibus sancti Maximini fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem.* Infrà: *Datum Anagniæ anno Domini M. CCXCV. die XXII.*

Martii

Martii octava Indict. regnorum nostrorum anno XI. Et sic Caroli II. annus primus respondet anno Christi M. CCLXXXV. quo paternis ditionibus successit. Sic loquor, quia anno tantum M. CCLXXXIX. Rex inauguratus est: Et hac de re satis inter auctores convenit. Diploma Caroli II. à Sammaximinensibus Dominicanis editum est cum Romanorum Pontificum Bullis.

468 . Tum si Bonifacius scripsisset ad Carolum secundum Regem Siciliæ, notasset sine dubio, Carolum cùm ipse corpus Magdalenæ reperit, tunc tantùm fuisse Salerni Principem, tum ut id quod res erat, diceret, tum etiam ut Caroli II. pietatem magis commendaret. Pontifex non notavit, quod ut apparet, notandum fuit. Privilegii suppostor animum intendit in illud unum, ut Carolum, cui Magdalenæ corpus inveniendum Fratres commiserant, privilegio adscriberet, quò faciliùs deinceps eum ob egregiè navatam in corporis inventione operam, per patratum à Magdalena miraculum è carcere liberaret, alioqui decuisset magis Carolum I. quàm II. patrem, quàm filium, ad disquirendum & inveniendum Magdalenæ corpus adhibere.

Hinc Bonifacius his verbis, *Dum incertus existeret locus, ubi sepultum fuerat corpus ipsum,* usus non esset, quibus Provincialium religio suggillatur. Quid? Ad annum usque M. CCLXXIX. incertus erat locus, in quo Magdalenæ corpus sepulturam acceperat. Magdalena, inquam, quæ ut sincera Fratrum Sammaximinensis cœnobii monumenta tradunt, *Provincialium Apostola & prædicatrix fuerat.* Hæc est stupenda & incredibilis post vicissitudines commutationesque sæculorum duodecim Provincialium negligentia, & ut ita dicam, irreligiositas, quam sapiens Pontifex diplomati suo intulisset nunquam. Sammaximinenses intulerunt, ut Provincialium impensis suam commendarent diligentiam & pietatem.

Postremò quæ de incerto loco, ubi Magdalenæ
469 corpus jacebat, & quæ de ardua & difficili ejusdem corporis disquisitione & inventione scribuntur, ad eum modum, quo scribuntur, Bonifacius scripsisset nunquam. Non ignorabat Pontifex, quod omnes noverant, in Vizeliacensi monasterio ad annum M. CCLXVII. elevatum fuisse Magdalenæ corpus, quod ibi dudum omni veneratione colebatur, & plurium Romanorum antistitum Paschalis II. Alexandri III. Lucii III. Urbani III. Clementis III. Innocentii III. & Martini IV. rescriptis muniebatur. Martini inquam IV. à quo Benedictus Cajetanus Cardinalis Diaconus creatus est. Hic autem factus Pontifex Bonifacii nomen accepit. Martinus cùm esset Simon Apostolicæ Sedis Legatus, Vizeliacensi elevationi cum beato Ludovico & cæteris Aulæ Principibus interfuit, & Pontificatus anno primo certas quasdam Magdalenæ reliquias Senonensi Ecclesiæ transmisit. Quis modò crederet Bonifacium sine disceptatione & veritatis cognitione ulla scripsisse, quod ab eo uti scriptum retulimus?

His autem omnibus ita constitutis luculenter apparet, Carolum Regem Siciliæ anno M. CCLXXIX. non petiisse à Bonifacio, nec potuisse petere, quod in Bulla petitur. Siquidem Bonifacius tunc temporis Pontifex non erat, ut peteretur ab eo quod petitum, & ab eo daretur quod datum asseritur. Pontifex erat Nicolaus III. cui Martinus IV. successit anno M. CCLXXXIII. Martino successit Honorius anno M. CCLXXXV. Honorio successit Nicolaus IV. Nicolao successit Celestinus V. anno M. CCXCIV. Celestino Bonifacius VIII. successit eodem anno.

470 Bonifacio non minùs subjectum est alterum diploma, quod ita inscribitur: *Bonifacius Episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo Carolo Siciliæ Regi illustri salutem, & Apostolicam benedictionem. Desideriis tuis in his libenter annuimus, per quæ summi Regis reddaris conspectui gratiosus, tibique salutis proveniat incrementum.* Deinde finem versus: *Quod eidem Priori suisque successoribus habitatorum villæ dicti loci sancti Maximini, & illuc advenientium, quandiu ibi fuerint, cura immineat animarum, quæ per sæculares Presbyteros idoneos instituendos & destituendos per ipsum, quoties viderit opportunum, valeat exerceri, quibus iidem Prior & successores ejus teneantur in vita necessariis congruè providere: Et quòd ratione dictâ Cura Prior seu Presbyteri supradicti jurisdictioni diœcesani in nullo penitus sint subjecti, nec teneantur sibi vel alii reddere rationem.* Infrà: *Datum Laterani* VII. *Idus Aprilis Pontificatus nostri anno* I. Qui privilegium Bonifacio subjecit, illud in exordio funditus evertit. Bonifacius inducitur largiri privilegium, quo Carolus Rex Siciliæ reddatur Deo gratiosior, & salutis incrementum adipiscatur. Hoc autem privilegium consistit primùm in eversione scripturæ, ubi Apostolorum successoribus Episcopis dicitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* In hoc privilegio Aquensibus Episcopis dicitur, *Non attendite universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Qui sunt in sancti Maximini cœnobio Prædicatores, attendent.

Deinde privilegium consistit in eversione sacrorum 471
canonum, qui Clericos & Monachos Episcoporum potestati subjiciunt. Hi autem canones relati sunt suprà, vel certè laudati.

Tum privilegium consistit in eversione præclari muneris, quod prima Sedes Gelasio I. Zacharia, Gregorio VII. & Joanne XXII. suprà tradentibus sibi vindicat.

Nonne Christianæ religioni fœdè illuditur; Si putetur, Carolum Regem Siciliæ privilegii hujusce impetratione Deo reddi posse gratiorem, vel salutis incrementum acquirere?

II. Qui privilegium Bonifacio subjecit, non mediocrem Carolo Regi creat injuriam, dum illum tale privilegium, efflagitantem facit. Et sanè nemo credet unquam Christianum Principem efflagitasse privilegium, quod Scripturæ, canonibus spiritu Dei conditis & mundi reverentia consecratis, & primæ Sedis officio repugnat. Enunciatur quidem in diplomate Carolum efflagitasse privilegium, sed ut apud Jurisperitos constat, *Enunciata non probant.*

III. Præterea Carolum Regem à postulando tali privilegio deterruissent publica & privata utilitas: Publica quidem, cùm Rex pro dignitate & munere suo ad sacrorum canonum custodiam advigilet. Non advigilaret, si nulla exigente necessitate canones, quibus obstricti tenentur Clerici & Monachi relaxandos in perpetuum curaret. Privata verò, cum Clerici vel Monachi Episcoporum obedientiæ & potestati nequeant subtrahi, quin continuò suppeditetur argumentum, quo probetur, cives & po- 472
pulares Regis ipsiusmet obedientiæ & potestati subtrahi posse, idque quod portento simile quid est, sine ulla causa, quæ intervenerit & horrendo ac inaudito casui locum dederit.

IV. Si Dominicanorum arte & industria inventum à Carolo beatæ Magdalenæ corpus, si virtutes Magdalenæ & merita effecerunt, ut Carolus peteret à Bonifacio privilegium, quo Sammaximinensis cœnobii Fratres Episcoporum obedientiæ & potestati subducerentur; cur eandem ob causam idem Carolus non petiit privilegium, quo cœnobii hujus Fratres à Prioris sui obedientia & potestate liberarentur, quo Prior Provincialem & Ordinis Magistrum generalem pro Superioribus non agnosceret, sed Romanum unum Pontificem, cui proximè subesset? Hæc omnia paribus librata ponderibus privilegium vel exigunt vel repudiant, eundem scopum feriunt, vel nullum: Si eundem, capti sunt Sammaximinenses Monachi, si nullum, nulli. Ruentis naturali impetu argumenti vis ac robur sustineri quidem potest, deflecti non potest.

Sustineri quidem potest, si quidquid pugnacissimè contendunt, libenter admittatur, & in Sammaximinense cœnobium confusio & ordinis perturbatio inducatur. Deflecti verò non potest, quia legitimum adferetur nunquam discrimen, quod gratuitum non sit, & in Academia volatica effictum, ac proinde exitu simili non retorqueatur.

V. Privilegii suppostor Romanæ Curiæ stylum ignorabat: Ubi *Diœcesanus*, simpliciter & sine adjuncto
473 non diceretur, sed venerabilis Frater noster Episcopus Aquensis, aut Coepiscopus, aut certè diœcesanus Episcopus Aquensis diceretur. Municipalis vel provincialis idiotismus est, quem illi Curiæ transcripsit, & transcriptione suâ privilegii fraudem detexit.

VI. Qui presbyter hoc in privilegio animarum curam suscipit, aut qui eam presbytero committunt, rationem nemini reddere tenentur. *Nec teneantur sibi vel alii reddere rationem.* Sic nec Romanus Pontifex, nec ipse Deus excipitur, si verba per seipsa spectentur. In summa, hæc effrænatam & cæcam non parendi proprio Episcopo libidinem non possunt non importare, & stolidam privilegii suppositionem objicere.

VII. Cùm in verbo, *sibi*, extet emineâtque in constructione vitium, actum est de privilegio. Gregorius VII. in libri. I. Epistola XXXIII. ad Fratres Monasterii beatæ Mariæ siti in Episcopatu Dordonensi: *Veniens*, inquit, *ad nostram præsentiam frater Benedictus, quem post obitum Patris Uberti religio vestra sibi præesse elegit in Abbatem, detulit nobis quoddam privilegium, quod beatæ recordationis prædecessoris nostri Alexandri nomine titulatum invenimus, quod nimirum ratum non esse manifestissimis deprehendimus indiciis, corruptione videlicet Latinitatis, necnon & diversitate canonicæ auctoritatis.* Lucius in cap. Ad audientiam tit. de Rescriptis. *Ad audientiam nostram te significante pervenit, quod H. de sancto Stephano super absolutione sua literas sibi (ut primâ facie videbatur) Apostolicas præsentavit. Quibus, quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* In
474 antiqua collectione & glossa est: *Contra istam præsumptionem non est admittenda probatio.*

VIII. Privilegium hoc à mente Bonifacii & Sedis Apostolicæ tam alienum est, quàm quod alienissimum. Bonifacii, & Sedis Apostolicæ mens tota in duobus maximè spectatur. Unum est in Epistola, quam ad Generalem & Priores cæteros Ordinis Carmelitarum scribit, ubi quod iis petentibus concedit, hac clausula præmuniendum esse censuit: *Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.* Justum non est Prædicatorum desiderium, quo Caroli Regis interventu postulare se significant privilegium, quo ab observatione sacrorum canonum eximantur. Deinde vota hujusmodi à rationis tramite non possunt non discordare, cùm ad disciplinam Ecclesiæ supra Monachos solvendam pertineat. Sic Bonifacius, nisi circumventus, desideriis illis consensum præbuisset nullum, & vota effectu prosequente non complevisset. Cæterum præmunitio, quâ Bonifacius utitur, non tam Bonifacii est, quàm Sedis Apostolicæ & Gregorii Papæ I. ut ex duabus Epistolis illius colligitur; In libri I. Epistola LII. ad Joannem Sarrentinum Episcopum: *Religiosis desideriis facile est præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum.* Rursus in libri XI. Epistola LI. ad Joannem Panormitanum Episcopum: *Implenda sunt semper postulantium desideria, quoties illa poscuntur, quæ à ratione non devians.* Hæc sunt Sedis Apostolicæ insignia, hæ notæ plusquam Threiciæ, quibus privilegium à Bonifacio compungitur.

475 Alterum est, Extrà de sententia excommunicationis in Sexto: *Alma*, inquit, *mater Ecclesia nonnulla rationabiliter ordinat & consultè, quæ suadente fabditorum militate postmodùm revocat, & in melius commutat.* Verba hæc se habent instar fulminis, quo privilegium istud & alia similia deflagrant. Quis enim diceret subjectionis hierarchicæ, & canonicæ obedientiæ statum, qui spiritu Dei conditus & totius mundi reverentia consecratus est, in melius commutari, cùm in statum perpetuæ exemptionis ab hierarchica subjectione, & canonica obedientia commutatur? Hæc esset in deterius non in melius commutatio, quam nunquam approbatura est Ecclesia, nisi hæc, quod cogitatu, nedum dictu nefas, secum ipsa tandem aliquando pugnaret.

De commutatione tali Bernardus, Monachorum, qui annis abhinc sexcentis vel quingentis floruerint, sanctissimus in libri III. de Consid. capite IV. ita declamat: *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipsius, nullus enim, nisi quòd inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt.* Infra: *Adde quòd qui audiunt, scandalizantur, indignantur, detrahunt, & blasphemant & vulnerantur ad mortem. Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia, quódque magis dolendum inter Ecclesias, inimicitias, graves, perpetésque discordias.* Infrà: *Ignosce mihi, non facilè adducor licitum consentire, quod tot illicita parturit. Tunc denique tibi licitum ceaseas, suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt patres tui. Si ju-* 476
stitia est jus unique servare suum, Auferre cuiquam sua justo quomodo poterit convenire? Infrà: *Monstrum facis, si manu submovens digitum facis pendere de capite, superiorem manui, brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas, quàm disposuit ipse, nisi tu putas alium esse, qui posuit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios Doctores & Pastores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Ecce tibi Bernardus, quem Frater Baro inclamat semper ut sibi accurrat: Sed hac in materia Bernardo reclamabit fortiter, ne ad se veniat. Suis servit commodis, non veritati, quæ nisi privatis jungatur opportunitatibus, ab religioso homine jubetur procul abire & delitescere.

Bernardum sequitur Petrus Blesensis in Epistola LXVIII. ad Alexandrum III. *Quid est eximere ab Episcoporum jurisdictione Abbates, nisi contumaciam & rebellionem præcipere, & armare filios in parentes?* Et post alia: *Apostolus ad Romanos loquens: Omnis inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Si Ecclesiæ Romanæ sic Apostolus scribit, quis in Ecclesia Romana doctrinæ Apostolicæ contraire præsumpsit? Ad Hebræos etiam scribens dicit, Obedite præpositis vestris. In humano corpore membrum unum servire alteri non detrectat. Quidam Angeli aliis præsunt, nec inter se superbiam emancipationis admittunt: unus eorum quandoque se eximere voluit à potestate divina, & de Angelo diabolus factus est.*

Concilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia ad Paulum III. 477
Alius abusus magnus & minimè tolerandus, quo universus populus Christianus scandalizatur, est ex impedimentis, quæ inferuntur Episcopis in gubernatione suarum ovium, maximè in puniendis scelestis & corrigendis. Et paullo pòst: *Hoc scandalum, beatissime Pater, tantopere conturbat Christianum populum, ut non queat verbis explicari.*

Tridentinum Concilium in sess. XXIV. capite XI. *Privilegia & exemptiones, quæ plerisque variis titulis conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur.*

Quæ igitur rerum momenta duo suppeditat Bonifacius VIII. ei Sammaximinense privilegium abjudicare possunt, adjudicare non possunt. Sic labefactatum

tum multifariam privilegium in eandem secum ruinam trahit alia Sammaximinensis cœnobii privilegia, quæ illi ut malè materiato fundamento superstruuntur.

IX. Inter illa privilegia reperitur Eugenii IV. privilegium, quod ita se habet: *Eugenius Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit, & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerant, licèt ejus superveniente obitu litera Apostolica super illis confecta non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum Prioris & Conventus fratrum Prædicatorum Ecclesiæ beatæ Mariæ Magdalenæ, de sancto Maximino Aquensis diœcesis, Romanæ Ecclesiæ immediatè subjecta, felicis recordationis Martino Papæ V. prædecessori nostro, ex-*
478 *posito quòd olim piæ memoriæ Bonifacius Papa octavus, etiam prædecessor noster, inclytæ memoriæ Caroli secundi Regis Siciliæ, qui ad eandem Sanctam, cujus corpus in Ecclesia ipsa recondatum est, singularem gerebat devotionis affectum, precibus inclinatus, quod habitatorum S. Maximini prædicti, ac de Balma Massiliensis diœcesis, ubi pœnitentiam egisse dicitur ipsa Sancta.* Et post alia: *Ne autem pro eo quòd super concessione Martini prædecessoris hujusmodi literæ Apostolicæ confecta non fuerint, Prior, conventus, habitatores & advenientes prædicti frustrentur effectu, volumus & auctoritate Apostolica decernimus, quòd hujusmodi Martini prædecessoris concessio perinde valeat, suùmque sortiatur effectum, ac si super ea ejusmodi Martini prædecessoris literæ, sub ipsius dici data confecta fuissent.* Infrà: *Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto. Id. Mart. Pontificis nostri anno primo.* At diploma hoc falsum esse multa palam ostendunt. Privilegium MS. quod esse debet archetypum, subalbido, sed *Datum Romæ*, nigro atramento & recentiori scriptura exaratur. Inter *trigesimo*, & *quinto*, indita est virgula, ut perspicuum falsitatis indicium tolleretur. Eugenii annus I. anno Christi M. CCCCXXXV. non respondet, sed anno M. CCCCXXXI. Id constat ex III. quæ extant Bullis in Basileensis Conc. sessione XVI. ubi Eugenii annus III. anno Incarnat. Dom. M. CCCCXXXIII. respondet. Martinus quintus Eugenii decessor obiit anno M. CCCCXXXI. decimo Calendas Martii, ut in ejus epitaphio legitur: *Martinus*
479 *Papa V. sedit annos* XIII. *menses tres, dies* XII. *obiit anno* M. CCCCXXXI. *die* XX. *Februarii.* Eugenius Papa IV. creatus est eodem anno V. Idus Martii; *Pontifex*, inquit Platina, *creatur anno* M. CCCCXXXI. V. *Idus Martii.* Cum Platina, Bzovius & alii conveniunt, dissentit nemo. Eugenius igitur privilegium Sammaximinensibus dare non potuit, quia nondum erat Pontifex. Atque hæc est evidens falsitatis nota, quam Frater Baro nunquam inducet, etiamsi quibus usus est hactenus, maledictis omnibus uteretur.

Deinde Eugenius id fecisset nunquam quod ab eo factum hic dicitur. Inprimis sumitur Martinum V. voluisse dare privilegium, quod non dedit. Deinde sumitur, Martinum dedisse privilegium, quod dare voluit, & datum exhibetur anno VII. Pontificatûs. Tum sumitur Martini privilegium effectu caruisse suo, quia illius superveniente obitu literæ Apostolicæ confectæ non fuerunt, quasi verò ab anno VII. Pontificatûs usque ad annum XIII. quo migravit, hæ literæ confici nequiverint. Postremò statuit Eugenius, *ut Martini concessio perinde valeat, suùmque debitum sortiatur effectum, ac si super ea ejusdem Martini literæ sub ipsius dici data confecta fuissent.* Eugenius verò istud uno ferè anno statuit, quàm Pontifex crearetur. Hic est stylus, hæc scribendi ratio, quam novum falsariorum genus in Romanam Curiam intrudit.

Cæterùm propter istiusmodi fraudes nulla me incedit admiratio. Nam Sammaximinensibus Monachis
480 faciliùs fuit his vel illis Pontificibus subjicere privilegia, quæ in scriniis & tabulariis futuro reserventur tempori, quàm beatæ Mariæ Magdalenæ miraculum subjicere, quo Carolus II. Rex Siciliæ è carcere liberetur, repugnantibus pactis & conventis publicis, quæ pro ejus liberatione facta sunt. & manibus teruntur omnium; Repugnantibus quoque historicis omnibus qui de Regis captivitate & liberatione scripserunt. Præcipui sunt Joannes Victorinus in memoriali MS. historiarum ad annum M. CCLXXXVIII. Ptolomæus Lucensis ex Ordine Prædicatorum in annalibus, ad annum M. CCLXXXIV. & ad annum M. CCLXXXVI. Joannes Villanius in libri VII. universalis historiæ capite CXXIV. Thomas Walsingamus in historia Anglorum. Sanctus Antoninus ex Ordine Prædicatorum Florentinus Archiepiscopus, in tertia parte hist. tit. XX. cap. IV. §. IX. Blondus Flavius in lib. VIII. Decad. II. post annum M. CCLXXXV. Æneas Silvius seu Pius II. in Epitome Blondi, ex libro VIII. Decad. II. Baptista Platina libro de vitis Pontificum, in Nicolao IV. Joannes Nauclerus in volum. II. generat. XLIII. Jacobus Philippus Bergomas in Supplem. Chron. libro XIII. Paulus Æmilius in libro VIII. de rebus gestis Francorum. Pandulfus Collenucius in libro V. Compendii Neapolitanæ historiæ. Hieronymus Surita in libro II. de indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, ad annum M. CCLXXXIV. & CCLXXXVIII. Thomas Fazellus ex Ordine Prædicatorum in posterioris Decadis libro IX. de rebus Siculis cap. II. Franciscus Belleforestus in hist. Franco-
rum lib. IV. cap. XXXIII. & XXXVI. Joannes Mari- 481
ana in libri XIV. de rebus Hispaniæ capite XI. Horatius Tursellinus in epitomæ libro IX. Abrahamus Bzovius ex Ordine Prædicatorum, in Annalibus Ecclesiasticis tom. XIII. ad annum M. CCLXXXVIII. Jacobus Gordonus in Chronologia ad annum M. CCLXXXIII. & M. CCLXXXVIII. Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum M. CCLXXXVIII. Dionysius Petavius in Rationarii temporum parte prima, libri IX. cap. II. Andreas Victorellus & Ferdinandus Ughellus in additionibus ad librum Ciaconii de vitis Pontificum & Cardinalium in Nicolao IV. Odoricus Raynaldus in tomo XIV. Ecclesiasticorum Annalium, Scipio Dupleix in vita Philip. Pulchri ad annum M. CCLXXXVI. VII. VIII. & IX. Honoratus Bucheus Aquensis Academiæ Theologus in Vindiciis, fidei & pietatis provinciæ, seculo XIII.

At secundùm ista quid non audebunt Sammaximinenses Monachi in confingendis privilegiis, postquam ausi sunt in suis monumentis & parietinis describere, Carolum II. insigni miraculo, quod illi narrant, è carcere liberatum esse. Nempe captivum Regem Barcinone Narbonem unâ nocte translatum esse. Verbo dicam uno, prodigiosa hæc miraculi suppositio reos primùm gravissimæ pœnæ facit Monachos, & privilegia deinde suspecta reddit & indigna, quæ ad Prætorium ullum, ad Senatum ullum producantur.

X. Ne sint omnia, quæ jam disseruimus, & ad Sammaximinensium privilegiorum eversionem abundè suf-
ficiunt, hæc eadem privilegia supposititia vel subre- 482
ptitia esse contendo, & iis contendo rationibus, quæ Romanæ ita probarentur Curiæ, ut in ea, si cum Archiepiscopo Aquensi disceptarent Monachi, caussâ caderent, & Archiepiscopus litem obtineret. Hac in re si Baro sibi constet, non discordamus. Sic enim scribit: *De altera parte disputationis, qua ad singulares spectat immunitates, assentior Launoio rejiciendas, quas evicerit gravi obreptionis vitio non carere.* Sic evinco, & in Romana Curia vulgò Rota sic evincerem.

Honorius III victoriæ campum dedit in tit. de capellis Monachorum cap. III. ad Venetensem Episcopum: *Ex parte*, inquit, *tua fuit propositum.* Et infrà: *Abbas & Conventus Rivorensis, Venetensis diœcesis, occasione*

sione literarum Apostolicæ Sedis asserunt, sibi esse conces-
sum, ut in singulis ipsorum Prioratibus singuli Monachi
commorentur, si pluribus facultates non suppetunt eorum-
dem. Cùm autem id obviet Lateranensi Concilio, de quo
nulla est mentio in antedictis literis, fraternitati tuæ bre-
viter respondemus, quòd hujusmodi literas ab Apostolica
Sede non credimus emanasse. Quòd si per occupationem
forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio
supradicto. In explicando capite non dissentiunt Ju-
ris interpretes, quos referre infinitum esset. Refero
tres, qui pro cæteris spondebunt, Henricum Henri-
quezium è Societate Jesu Theologum, Ascanium Tam-
burium Vallisombrosæ Monachum, & Augustinum
Barbosam.

Primus in tomo I. Moralis Theologiæ lib. VII.
483 cap. XXV. *Expressa*, inquit, *mentio requiritur, ut dero-*
getur decreto generalis Concilii, ut ostendit praxis, quæ
cordato viro est instar interpretum sexcentorum.

Alter in tomo I. de jure Abbatum disp. XI. quæst.
XV. *Concilio*, ait, *generali non censetur derogatum per*
clausulam generalem, nisi expressa mentio fiat Concilii
generalis dicendo, non obstante quâvis constitutione,
seu lege in generali Concilio editâ. Hæc perspicua
sunt, & nullis dissentientium auctorum placitis in-
voluta.

Tertius in tit. de capellis Monachorum : *Collige*,
inquit, *ex textu : Nolumus per hoc derogari Concilio*
supradicto, speciale privilegium contra jus commune eidem
non derogare, si de eo mentio non habetur. Ex omnium
sententia rationem hanc paullo pòst subjicit : *Lex sum-*
ma cum deliberatione, consultatione & evidenti necessitate
promulgari solet, ac proinde in illius constitutione Prin-
ceps facilè circumveniri non potest. L. 11. de Const. Princ.
Non sic tenendum in privilegiis, quæ quòd cum facil-
limo negotio concedantur propter supplicantium impor-
tunas preces, facilè Princeps poterit circumveniri : Quâ
de causa in privilegio mentio juris est facienda : Aliàs
enim per ignorantiam privilegium præsumitur concedi.
Hæc omni luce clariora sunt.

Certus igitur & indubitatus Pontificiæ responsi-
onis & illius interpretum sensus est, privilegium,
quo quis Clericus vel Monachus juri communi, nempe
Episcopali obedientiæ & potestati subtrahitur, sup-
posititium vel subreptitium habendum esse, nisi gene-
484 ralibus Conciliis Clericos & Monachos Episcopali
potestati subjicientibus, Calchedonensi puta Concilio,
per expressam clausulam derogetur. E Sammaximi-
nensis autem cœnobii privilegiis in lucem editis nul-
lum occurrit, in quo similis derogandi Calchedo-
nensi Concilio clausula apponatur. Sic Dominicani
Fratres inspectis privilegiis in Romana Curia fa-
cilè causa caderent, ubi Honorii Papæ III. viget
responsio, & in auctoritatem summam admittitur.
Stultum esset putare illos in Gallia & cum primis in
Parisiensi Senatu litem obtenturos esse, quam Romæ
amitterent. In hoc quidem vel alio negotii genere,
fieri potest, ut Monachi litem amittant Parisiis, quam Ro-
mæ obtinerent ; sed fieri non potest, ut litem obtineant
Parisiis, quam Romæ amitterent. Nunc Fratres argu-
menti hujus complexione ut energemate constricti
moras nectunt & tergiversantur. Canones, inquiunt,
in Calchedonensi Concilio sunt duo, quintus, & duo-
decimus, quibus impunè & sine ulla clausula dero-
gatur. Monachorum tergiversatio hæc si quid va-
leat, Romanam attinet Curiam, ubi sancita per Ho-
norii responsionem disciplina omninò servatur ; non
attinet supremas Galliæ Curias, ubi expressa univer-
salium Conciliorum derogatio rejicitur, & de abusu
damnatur. Res ergo pro Romanæ Curiæ praxi &
usu mihi expedienda est, allato discrimine, quod in-
ter Calchedonensis Concilii canones duos IV. &
VIII. & inter alios V. & XII. intercedit. Canon V.
quo Episcoporum vel Clericorum de civitate in ci-
vitatem vetatur migratio, derogatione nullâ indiget,
ut tacitè laudatus à Calchedonensi Concilio Sardi-
censis Concilii canon primus ostendit. Canonis ver- 485
ba sunt : *Non minùs mala consuetudo, quàm perniciosa*
corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Epi-
scopo de civitate sua ad aliam transire civitatem. Ma-
nifesta est enim causa, quâ hoc facere tentat, cùm nul-
lus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore ci-
vitate ad minorem transiret. Unde apparet avaritiæ ar-
dore eos inflammari & ambitioni servire, & ut domi-
nationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies
sæviùs & austeriùs vindicetur, ut nec laicam communi-
onem habeat, qui talis est : Responderunt universi, placet.
Sic non prohibetur Episcoporum de civitate in civita-
tem transitus, in quo locum nullum habet avaritia, am-
bitio & dominandi cupiditas. Permittitur verò cùm
evidens urget necessitas, & publica exigit utilitas.
Sic è Romanæ Sedis traditione canonem hunc Cle-
mens II. intelligit, cùm ad Joannem Salernitanum E-
piscopum scribit : *Quoties ita contingit ut exigente ne-*
cessitate vel maximâ utilitate transmutandus est quisquam
Episcopus de propria Sede ad aliam, diligentissimè per-
quirenda est persona, utrum necessariò sit transmutanda,
ut sic major utilitas oriatur, sicut major Sedes assumi-
tur. Sic quoque Eugenius III. intelligit in epistola
VIII. ad Episcopos Germaniæ, ubi suum consen-
sum denegat Antistitis cujusdam translationi, quam
sine manifestæ utilitatis & necessitatis indicio fieri vo-
lebant.

Nunc veniendum est ad canonem XII. qui sic se
habet : *Pervenit ad nos, quòd quidam præter Ecclesia-*
stica statuta facientes, convolarunt ad potestates, & per 486
pragmaticam formam in duo unam provinciam divise-
runt ; ita ut ex hoc facto duo Metropolitani esse videan-
tur in una provincia : Statuit ergo sancta Synodus de
reliquo nihil ab Episcopis tale tentari, alioqui qui hoc
admisus fuerit, amissioni gradûs proprii subjacebit. Quæ-
cunque verò civitates literis Imperialibus Metropolitanò
nimis honore subnixa sunt, honore tantummodò perfruantur,
& qui Ecclesiam ejus gubernat Episcopus : Salvis scilicet
veræ metropolis privilegiis suis. Ad hunc canonem ob-
servari possunt multa, quorum alia Monachorum illum
opponentium consilio inutilia sunt, alia verò reipsa in-
commodant. Inutilia sunt, quæ ad prohibitam unius
provinciæ in duas distributionem pertinent, & ad jura
metropolitica, quæ distributionem istiusmodi sequun-
tur. Nam Principes distributionis auctores consen-
sum canoni nullum præbuerunt, nec illum executioni
mandandum esse duxerunt. In summa, prænondera-
runt majestas Imperii, & major tractandarum in nova
metropoli rerum Ecclesiasticarum opportunitas ; & sic
non superfluum modò, sed etiam absurdum foret in
canone, qui moribus utentium receptus non est, ex-
pressam derogandi formulam adhibere.

Quæ verò Sammaximinensibus Monachis incommo-
dant, sunt ipsa condendi canonis ratio, & ab iis sump-
tus inde agendi cum Aquensi Archiepiscopo modus.
Certi quidam erant olim Antistites, qui provinci-
arum suarum finibus contenti non erant. Hi apud
Imperatorem enitebantur, ut provinciam unam in
duas divideret, & primam secundæ provinciæ civi-
tatem in metropolim erigeret. Quo ita facto civi- 487
tatis istius Antistes Metropolitanus evadebat. Cal-
chedonensis Concilii Patribus displicuit hæc ambi-
tionis plena mutatio, in qua qui antea subjiciebatur
Metropolitano, subjici cessabat, & incipiebat pluri-
bus Episcopis præesse. Ambitionem castigare vo-
luerunt Patres intactâ dignitate Imperii. Sammaxi-
minenses Monachi exemplum malum hoc sequen-
tes elaborant, vel potiùs eblandiuntur & effici-
unt, ut Aquensis Episcopatûs fideles tribuantur in
partes duas, quarum una subsit Episcopo, altera
non subsit, & hæc pars Sammaximinensium est
Monachorum, qui religiosæ humilitatis votum
animo planè sincero emittunt. Subsumus, inquiunt,
non

non Aquensi quidem Episcopo, sed Romano, cujus in Sammaximinensi parochia Vicarii sumus. Utinam liceret mihi videre diploma, in quo Clemens XI. ut Episcopum se, ita & parochiæ cujusdam curionem sic se inscriberet: *Clemens Episcopus servus servorum Dei, & Sammaximinensis parochia Curio, ad perpetuam rei memoriam.* Pars autem fidelium, qui humilitatis votum non emittunt, Aquensi subest Episcopo & Romano, & cum illustrissimo sanctitate & doctrinâ Monachorum Abbate sic exclamat: *Quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari Pastores? Quantò plures sentio mei curam gerere, tantò securior exeo in pascua. Stupenda insania! Animarum non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, & unum super proprium gravor habere custodem.*

Ad scopum redeo, à quo me insusurrantes patronis suis frivolas tergiversationes Monachi diverte-
488 runt. In hoc igitur stadio, quod breviter cum Barone insigni & valido athleta decurrendum suscepi, præ me fero tria, quæ ab illo declinari nequeunt; Primùm, quòd in Sammaximinensibus privilegiis expressè non derogatur Calchedonensi Concilio, & eam ob causam privilegia illa, si Concilii adversentur canonibus IV. & VIII. vel falsa vel certè subreptitia sunt. Deinde, quod Romanus Pontifex non potest nisi circunventus his canonibus expressè derogare, quia canones isti jus divinum explicant, cui non derogatur. Tum demùm, quòd derogatio, quæ universali Concilio fieret in perpetuum, Sedis Apostolicæ traditioni repugnat, & intolerabilem apud Gallos abusum importat.

Nunc repetenda sunt Baronis verba: *Singulares immunitates assensior Launoio rejiciendas, quas evinceris gravi obreptionis vitio non carere.* Evici, sed mihi propterea non assentietur, & sibi & mihi reclamabit, quia Sammaximinensium privilegiorum fautor, & patronus subdititii miraculi, quo Carolus II. Siciliæ Rex captivus Barcinone Narbonem unâ nocte translatus est.

Verumenimverò ut Baroni aditus omnes ad moram & tergiversationem intercludam, propono convenientem huic loco beati Thomæ doctrinam, in quam si jurat, captus est, si non jurat nullus. In quodlibeto IV. quæst. VIII. art. II. *Respondeo*, inquit, *dicendum, quòd Papa habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet, quòd quæcunque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ prælatos, sunt dispensabilia à Papa. Hæc enim sunt, quæ dicuntur esse juris humani, vel juris po-*
489 *sitivi: Circa ea verò quæ sunt juris divini, vel juris naturalis dispensare non potest, quia ista habent efficaciam ex institutione divina.* Infrà: *Unde circa hoc* (bigamiam) *potest dispensare, licèt dispensare non debeat, nisi ex magna & evidente causa.* Quod in Opusculi XIX. cap. IV. sic ampliùs exponit: *Nec tamen Papa, quando aliquid aliter facit, quàm à sanctis Patribus statutum sit, contra eorum verba facit, quia servatur intentio statuentium, etiamsi non serventur verba statutorum, quia non possunt in omnibus casibus & omnibus temporibus observari, servatâ intentione statuentium, quæ est utilitas Ecclesiæ.*

His ita positis contendo Romanos Pontifices, si reipsâ dederint omnia privilegia, quæ Sammaximinensis cœnobii Fratres typis mandari curarunt, per obreptionem, vel subreptionem dedisse. Et primò quidem quia in Calchedonensis Synodi canonibus IV. & VIII. quibus adversantur hæc privilegia, jus est non tam humanum, quàm divinum explicatum, cùm ibi de hierarchica Presbyterorum & Monachorum subjectione agatur: Beatus autem Thomas Romanum Pontificem in jure divino dispensare non posse cùm sentiat, eundem Calchedonensis Synodi canonibus IV. & VIII. derogare in perpetuum, id est Presbyteros & Monachos Episcoporum obedientiæ & potestati subducere non posse, sentiri quoque debet, nisi velit Baro sanctum Doctorem inconsequenter philosophari. Deinde etsi jus istud esset tantum humanum & positivum, Romani Pontifices in eo nisi ex magna & evidenti causa dispensare possent. Quo in casu
Calchedonensis Synodi canonibus IV. & VIII. de- 490
rogare non possent in perpetuum, cùm magna & evidens dispensandi causa, non omne tempus, sed præsens duntaxat respiciat. Sic temporaria erit, non perpetua sacrorum canonum derogatio. Hæc est S. Thomæ circa sacrorum canonum seu dispensationem, seu derogationem doctrina, quæ Sammaximinensis cœnobii privilegiis non convenit. In iis enim nec magna nec evidens dispensandi, seu derogandi causa legitur, ac proinde privilegia hæc non possunt non esse per obreptionem, vel subreptionem concessa. Denique sacrorum canonum finis, *qui est utilitas Ecclesiæ*, cum perpetua illorum derogatione servari non potest: Alioqui si servaretur, abrogandi essent sacri canones, qui ad utilitatem Ecclesiæ sanciti sunt; abroganda quoque essent Sedis Apostolicæ decreta ex iisdem canonibus promulgata, ut sanctus Leo & Silvester II. loquuntur. Quid ita? Universalium Conciliorum canones, spiritu Dei conditi & totius mundi reverentiâ consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ex iisdem canonibus promulgata utilitatem Ecclesiæ ut scopum unicum spectare desiissent: Quo nihil est relato sancti Doctoris testimonio magis contrarium. Siquidem perpetua sacrorum canonum derogatio, quæ hujusmodi confirmaretur privilegiis, sacrorum canonum locum occuparet, & Ecclesiam in frusta concerperet.

ANIMADVERSIO XI. 491

Exemplum stupendæ in explicandâ Theologorum, & cum primis Hadriani VI. circa Pontificium non errandi privilegium mente, protervitatis.

QUOD protervitatis in Barone genus notatum eo, non crederetur, nisi semel atque iterum legeretur. Nam si legeretur semel, dubitari posset, num id verum esset, quod legeretur. In art. II. paragr. IV. pag. 423. scribit: *Fateor nonnullos Theologorum ita primatum Sedis Apostolicæ defendere, & causam Summi Pontificis agere, ut soli obreptioni, quoad quæstiones facti, multis pravis affectibus obnoxium esse velint. Ab hæresi verò etiam quà privatum hominem omnino eximant, & casus Liberii atque Honorii, aliorùmque ob ignaviam, & vitia conversationis, non erroris referant: Multos habet hæc opinio defensores: probabilior tamen, aut certè expeditior, magisque loco & tempori conveniens errori subjicit quà privatum.* Deinde pag. 424. In hanc secundam opinionem Hadrianum VI. traducit. *Quid*, inquit, *sic explicata, sic munita auctoritas, & perennitas Sedis Romanæ habet adversum traditioni, juribus Ecclesiæ, sensis Sorbonæ, Hadriano VI.*

Et primùm quidem hîc dissentit à Cardinale Bellarmino, quem *invictum fidei pugilem* sæpiùs appellat: Nam auctor ille in libri IV. de Rom. Pont. capite II. in statu quæstionis, *Sitne certum Papæ judicium*, quam proponit, Hadrianum inter eos statuit, qui
Pontificem etiam ut Pontificem posse hæresim docere 492
scribunt. *Secunda*, inquit, *sententia est, Pontificem etiam ut Pontificem posse esse hæreticum, & docere hæresim, si absque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidit. Hanc opinionem sequitur & tuetur Nilus in suo libro adversus primatum Papæ. Eandem secuti sunt aliqui Parisienses, ut Gerson & Almainus, in libris de potestate Ecclesiæ, necnon Alfonsus de Castro lib. 1. cap. II. contra hæreses, & Hadrianus VI. in quæst. de Confirmatione, qui omnes non in Pontifice sed in Ecclesia sive in Concilio generali tantùm constituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.* Si hoc legit Baro, cur seipsum

ſeipſum decipit & vult alios decipere; ſi non legit, cur tam impudenter id ſcripſit, quod mox retulimus? Sed Hadriani verba ſunt! *Ad ſecundum principale de facto Gregorii dice, 1. quòd ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur caput illius, putà Pontifex, certum eſt, quòd poſſit errare etiam in iis, quæ tangunt fidem, per ſuam determinationem aut decretalem aſſerendo.* Hæcne ſonant privatum hominem, ut Baro tam audacter dicit? Hadrianus pergit: *Plures enim fuerunt Pontifices Romani hæretici. Item & noviſſimè fertur de Joanne XXII. qui publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd anima purgata ante finale judicium non habent ſtolam, quæ eſt clara & facialis viſio Dei, & Univerſitatem Pariſienſem ad hoc induxiſſe dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipiſci, niſi primitus hunc errorem peſtiferum juraſſet ſe defenſurum, & perpetuò ei adhæſurum. Item patet hoc de errore*
493 *quorundam Pontificum circa matrimonium, de quo in Capite Licet, De ſponſ. duorum. Item patet hoc de errore, quem ediderat Celeſtinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæreſim, cujus error olim habebatur in alia compilatione, in Cap. Laudabilem. De converſ. conjug. ut refert Oſtienſis in Cap. Quantò. De divortiis. Non tamen dico Gregorium hic errare, ſed evacuare intendo impoſſibilitatem errandi, quam alii aſſerunt.* O tempora, ô mores! ô frontem Baronis ferream, qui eam Hadriano non tribuit opinionem, quam ipſe diabolns Hadriani lectione, ut energemate adactus tribueret! Quod obſervamus de Hadriano, de Nilo, de Gerſone, de Almaino & de Alfonſo Caſtrenſi, apud Bellarminum obſervari poteſt, quem & hic in diſſimulandis aliis ejuſdem cum Gerſone & Hadriano ſententiæ, hiſtoricas leges neglexiſſe demonſtro in altera ad Chriſtophorum Fauvænm Epiſtola, quæ extat in Parte III. Epiſtolarum noſtrarnm.

Deinde continuo ſubnectit, Hnnorinm & Liberium fuiſſe erroris à Synodis quatuor notatos: *Honorio*, inquit, *& Liberii alicujus erroris notatis.* Quodnam portentum in Eccleſiaſtica hiſtoria ignorantiæ? Honorius à tribus tantum Synodis VI. VII. & VIII. notatus fuit erroris, ſed Liberius a nulla Synodo notatus eſt. Tum, *alicujus erroris*, verba ſunt hominis errorem Honorii & Liberii vel minuentis vel neſcientis: ſi minnentis, Arrianorum & Monothelitarum hæreſim pro errore levi ducit; ſi neſcientis, cur tam temerariæ ſcriptionis periculo ſe committit?

Porro autem cùm ait opinionem priorem multos
494 habere defenſores, lectoribus ſnis, ſi quos ſortitur, fœdiſſimè imponit. De illa invictus Baroni Catholicæ fidei pugil ſic loquitur in loco jam citato: *Tertia ſententia eſt in alio extremo, Pontificem non poſſe ullo modo eſſe hæreticum, nec docere publicè hæreſim, etiamſi ſolus rem aliquam definiat. Ita Albertus Pighius lib. quarto Hierarchiæ Eccleſ. cap.* VIII. Igitur opinio, quæ apud Baronem defenſores habet multos, apud Bellarminum habet unum tantùm, Pighium qui Hierarchiæ Eccleſiaſticæ aſſertionem anno M. DXXXVIII. edidit.

Franciſcus Torrenſis, qui poſtea Societatem Jeſu ingreſſus eſt, Pighio ſtatim reſtitit in libro, quem de ſexta, ſeptima & octava Synodo compoſuit.

Melchior Canus ex Ordine Prædicatorum Salmanticenſis Theologus in libri VI. de locis capite ultimo, Pighianæ opinioni ſe ut murum firmiſſimum oppoſnit: *Huic*, inquit, *loco Albertus Pighius Campenſis non aliter potuit occurrere, quàm omnes Romanos Pontifices erroris notâ liberando; ita contendit nullum unquam in hæreſim incidiſſe: Atque ut Anaſtaſium in libertatem aſſereret, Gratianum vexavit contumelioſiſſimè, Juriſperitis turpiſſimè maledixit: Ut verò Honorium tueretur, ſexta generalis Synodi exemplaria falſarios corrupiſſe, multis conjecturis ſuadere niſus eſt: Deinde etiam in eam opinionem inclinavit, ut crederet, Epiſtolam Honorii ad Sergium à Græcis de more fuiſſe viciatam: Synodum autem in eo judicio fuiſſe deceptam. Quin adeò duorum Conciliorum ſexti & ſeptimi acta omnia calumniatus eſt, ac pro ſua certè virili amborum labefactavit & auctoritatem & fidem.* 495 *Hæc verò Alberti opinatio nova quidem in Eccleſia eſt, ſed eâ etiam ratione confirmari poteſt, quòd non eſt veriſimile, quòd homini, qui hæreticus eſſe poſſit, fidei ſummam Deus commiſerit, &c.*

Dominicus Bannes ex eodem Ordine Salmanticenſis quoque Theologus in ſecunda ſecundæ, quæſt. 1. art. X. dub. II. concl. 1. *Summus Pontifex in quantum Doctor & perſona privata errare poteſt in rebus fidei, ſive errore inculpato, ſive culpabili etiam cum pertinacia, ita ut ſit hæreticus. Hæc concluſio eſt contra Albertum Pighium Campenſem ubi ſuprà, & contra quoſdam recentiores Theologos,* & cum primis Bellarminum, qui in lib. IV. de Rom. Pont. cap. VI. Pigbii opinionem probabiliter pieque credi poſſe ſtatuit. Continuò ſubjungit: *Eſt tamen ſententia omnium antiquorum & Pontificum Romanorum & ſcholaſticorum Doctorum ante Albertum Pighium, imò & poſt illum graviores Doctores ita ſentiunt.* Et quibuſdam interpoſitis: *Nunc ergo probatur concluſio: Primò, quia non eſt licitum Theologo præſertim in re gravi novas opiniones inducere, niſi magnâ & neceſſariâ ratione cogente: Sed noſtra concluſio eſt antiqua & communis opinio, contraria verò nova eſt, & abſque manifeſta & urgenti ratione aſſeritur. Ergo non eſt admittenda. Primus enim auctor hujus opinionis fuit Pighius lib.* IV. *de Eccleſ. Hierarch. cap.* VIII. *parum topicâ & probabili ratione ductus. Eſt enim voluntariè & gratis aſſertum, ut cùm primùm quis creatur Summus Pontifex, ſtatim confirmetur in fide, ita ut etiam ſi velit, non poſſit errare errore perſonali. Probatur ſecundò.* 496 *Nam quamvis oppoſita opinio præ ſe ferre videatur quandam pietatem & Pontificiam dignitatem extollere, tamen re bene inſpectâ parum pia eſt, quin potiùs minuit Pontificiam dignitatem. Ergo noſtra concluſio eſt tenenda. Antecedens probatur, quia nihil eſt pium, niſi quod idem verum eſt. Sed opinio Alberti eſt minùs vera, ac proinde minùs pia.* Et cætera, quæ Frater Baro legere poterit apud auctorem, ſi tamen legere voluerit, quia meditationibus ſuis Ariſtotelicis omnia tribuit, omnia decidit. Ponderandæ ſunt admodùm Cani & Bannis rationes, quas attuli. Hæ momenti ſunt tanti, & efficaciæ, ut ad ſecundam opinionem, quam Baro eligit, certo quodam naturæ impetu pervadant, eámque convellant. Sed hoc non agimus modò. Baronis conſilium & ſcriptionem expendimus.

Secundam opinionem expeditiorem magíſque tempori & loco convenientem appellat, non veriorem, quia Frater Ariſtotelicis ſnis commodis ſervire ſe putat, neque unquam attendit qnid conſentaneum ſit ei dicere, cui veritatem tueri ac retinere propoſitum eſt. Sed in illa opinionis optione fallitur. In opinione ſecunda, ſi Pontifex ſeparetur à Concilio, meræ diſtinguentinm quorundam Doctorum ſunt præſtigiæ, cùm ſecunda opinio iiſdem rationibus qnatitur, quibus prima. Neque enim Pontifex fallitur, aut falli poteſt quà privatus homo eſt, ſed qnia homo ſimpliciter eſt. Id planum facimus duabns in Epiſtolis, una ad Joannem Gerbaſium, altera ad Martinum Metayerum, quæ extant in parte tertia Epiſtolarum noſtrarum. 497
Sed ne ſit inimica veritatis contentio, ad rem ipſam quod attinet, ſufficit, Pontificem, in quantum eſt privatus Doctor, in hæreſim labi, eámque contumaciter defendere. Tunc ille nt privatus Doctor vocabitur in judicium, & decretis jure canonico & civili ſuppliciis mulctabitur, id eſt, comburetur. Cnmbuſto Pontifice ut privato Doctore, ſi ille ſuperſit ut Doctor publicus & Magiſter Eccleſiarum omninm, non poterit non eſſe ſupra univerſale Concilium, & infallibilitatis privilegio gaudere. Sic inutiles & in Academia volatica perpolitæ diſtinctiones evaneſcunt, auctnréſque ſuos

suos prudentium hominum contemptui exponunt. De Barone unum adjicio: ille pro congenita φιλαυτία, qua bufonis in modum turgescit, ad pauca respicit, & deinde facilè pronunciat. Hinc in juvenili exercitatione passim occurrunt & mendacia & imposturæ.

ANIMADVERSIO XII.

Tradita à Barone definitio definitionis ex cathedra *refertur, & ad S. Thoma & discipulorum ejus scripta expenditur.*

SIC igitur eodem in loco pagina nempe 424. scribit: *Neque enim frustra concessum fuisse munus alio loco divina liberalitate Petro præ cæteris Apostolis, & divis omnibus, non solùm contactu & verbo, sed sola umbra ægros curasse, & alia id genus miracula edidisse, ut esset vaticinio & argumento, quamvis à moribus & sanctitate Petri longissimè abessent ejus successores,* 498 *& vix illius umbram referrent, facturos tamen miracula, & nunquam ab ejus fide & auctoritate casuros, vel certò nunquam ex suis privatis erroribus commissas sibi oves in errorem suis decretis abrepturos. Et hoc vocant definitionem ex cathedra.* Oportuisset eos notare, qui definitionem ex cathedra hoc modo explicarunt. Id novum quidem est, nec Theologicum: Novum quidem, quia nullus unquam definitionem ex cathedra his verbis exposuit: Non est Theologicum, quia ex veræ Theologiæ principiis duobus, Scriptura & Catholicæ Ecclesiæ traditione, minimè colligitur. Spissum sanè opus est & operosum, quod cerebrosus homo sibi finxit. Sed illud commune nihil habet cum sancti Thomæ & discipulorum ejus scriptis, quæ mox relaturi imus.

I. Beatus Thomas in secunda secundæ quæst. I. art. X. aliena se esse à Baronis commento mente prodit in responsione ad secundum argumentum quod ita proponit: *Præterea illud, quod est sub anathemate interdictum ab universali Ecclesia, non subest potestati hominis alicujus, sed nova symboli editio interdicta est sub anathemate auctoritate universalis Ecclesiæ: Dicitur enim in gestis prima Ephesina Synodi, quod perlecto Symbolo Nicana Synodi decrevit sancta Synodus, aliam fidem nulli licere proferre, vel conscribere, vel componere præter diffinitum à sanctis Patribus, qui in Nicæna congregati sunt cum Spiritu sancto, & subditur anathematis pœna, & idem etiam reiteratur in gestis Calchedonensis Synodi. Ergo videtur, quòd non pertineat ad auctoritatem Summi Pontificis nova editio symboli.* Argumen-
499 to huic ita respondet: *Ad secundum dicendum, quòd prohibitio & sententia Synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per hujusmodi sententiam Synodi generalis ablata est potestas sequenti Synodo novam editionem symboli facere, non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam. Sic enim qualibet Synodus observavit, ut sequens Synodus aliquid exponeret supra id, quod præcedens exposuerat propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis. Unde pertinet ad Summum Pontificem, cujus auctoritate Synodus congregatur, & ejus sententia confirmatur.*

Et primùm quidem spectandus est scopus argumenti, quod sanctus Thomas sibi objicit, deinde spectandus modus, quo respondet. Argumenti scopus est, à symboli editione nova quemcunque hominem etiam Romanum Pontificem excludere, quod ab universali Ecclesia, id est, Ephesina Synodo prima vetita sit nova symboli editio. In respondendi modo, quem beatus Thomas usurpat, spectanda sunt tria: Primùm, quòd Ephesinæ Synodi prohibitio & sententia se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide: Deinde, quòd per hujusmodi sententiam generalis Synodi ablata non est potestas sequenti Synodo, novam editionem symboli facere: Postremò, quòd Synodi generalis congregatio ad Romanum Pontificem pertinet. In horum autem trium primo Romanus Pontifex à privatæ personæ conditione non eximitur, atque ita quamdiu ille ut persona privata considerabitur, tamdiu de rebus fidei determinare non poterit, quòd ad illum prohibitio & sententia Synodi se extendat. In se- 500
cundo personæ, quæ seorsum à Synodo privatæ erant beati Thomæ judicio, evadunt publicæ, cùm in Synodum conveniunt. Et tunc temporis de rebus fidei determinare possunt, novúmque symbolum edere, in quo non alia quidem fides traditur, sed jam tradita magis explicatur. In tertio Romanus Pontifex Synodum hanc congregat, quæ & res fidei decernit, & novum condit Symbolum. Sic apud Thomam Romanus Pontifex à Concilio sejunctus persona privata est, ut cæteri quoque antistites. Concilio junctus persona publica est, ut cæteri quoque antistites, sine quibus Concilium fieri non posset. Hoc tantùm habet præ cæteris antistitibus: Quòd solus Concilium congreget & Concilio præsideat. Sed non solus sedet judex: Antistites cæteri cum illo judicant, & communi omnium consensu dogma fidei deciditur, & novum fidei symbolum conditur, si condendum est. Si Baro Romani antistitis personam publicam hoc modo non intelligit, cùm non errandi privilegium illi tribuit, à Thoma suo & nobis discordat. Si verò intelligit, & Thomæ suo & nobis concordat.

Joannes de Parisiis Parisiensis ex Ordine Prædicatorum Theologus Magistrum suum Thomam sequitur in libro, quem de potestate Regia & Papali inscripsit. Sic ergo loquitur in cap. VI. *Ita si appareret, quòd Papa bona Ecclesiarum infideliter distraheret, seu detraheret, scilicet non ad bonum commune, cui superintendere tenetur, cùm sit Summus Episcopus, deponi posset, si admonitus non corrigeretur, dist. XV. Si Papa. Ubi* 501
dicitur: Cuncta judicaturus à nemine judicandus est, nisi deprehendatur à fide devius. Ubi dicit glossa, quòd si comprehenderetur in quocunque alio vitio, & admonitus non corrigatur, sed scandalizet vel scandalizaret Ecclesiam idem posset fieri. Sed fortè secundùm alios hoc fieri posset per solum Concilium generale. Iterum cap. XXI. *Cum fides Christiana sit Catholica & universalis, non potest Summus Pontifex* HOC PONERE SUA FIDE SINE CONCILIO GENERALI, *quia Papa non potest discernere statuta Concilii dist. 19. Anastasius. Nam licèt Concilium non possit propriè legem imponere. Extrà. De elect. signasti. 135. quæst. 6. Veniam: Tamen non intelligitur in iis, quæ fidei sunt, eò quòd orbis major est urbe & Papa. Concilium majus est Papa solo.* Quod jam observavimus in magistro, in discipulo non potest non observari. Jungendus est Pontifex universali Concilio, ut persona publica sit, & certò de rebus fidei pronuntiet. Hoc dissimulat Baro, & in eo à majoribus suis dissentit.

Huc spectant Prædicatores centum & triginta in unum congregati Parisiis, qui se ad Philippi Pulchri Regis causam adjunxerunt, & à Bonifacio VIII. ad futurum generale Concilium provocarunt. Instrumenti verba sunt: *In Capitulo Conventus Fratrum Prædicatorum Paris. horâ tertia congregati, auditis expositisque sibi & pleniùs intellectis, provocationibus & appellationibus ex parte excellentissimi Principis Domini Philippi Dei gratia Regis Franciæ illustris, ac reverendorum in Christo Patrum Dominorum, Archiepiscoporum, Epis-* 502
coporum, Abbatum & Priorum ac Baronum regni Franciæ, quorum nomina in publicis instrumentis confectis super hoc pleniùs continentur, ex certis causis & sub certis modis in eisdem instrumentis seriosiùs expositis & contentis, ad sacrum congregandum generale Concilium, vel ad futurum verum & legitimum Summum Pontificem, vel ad illum vel ad illos, ad quem vel quos de jure foret appellandum, pro se & sibi in hac parte adhærentibus, seu adhærere volenti-

bus interjectis, ne dictus Bonifacius Papa octavus motus, seu provocatus ex eis contra prædictum Dominum Regem, Prælatósque & Ecclesias, subditos & adhærentes, parentes & amicos quoquomodo procederet, aut procedi faceret, excommunicando, suspendendo, interdicendo, deponendo, privando, vel aliàs quovismodo, quocumque colore quæsito, sua aut alia auctoritate quacunque, prout in eisdem instrumentis publicis pleniùs continetur, provocationibus & appellationibus antedictis adhæserunt. Hæc anno M.CCCXI. XXVI. die mensis Junii.

Inter Prædicatores istos eminebant tres, Joannes de Parisiis, Durandus de sancto Porciano, & Hervens Natalis. Provocatio à Pontifice ad futurum generale Concilium importat duo, inferiorem esse Concilio Pontificem, cúmque in fide & moribus jam erravisse, vel errare posse, quamdiu saltem à Concilio separatur. Quo in statu privata persona est, non publica, nisi cùm junctus Concilio intelligitur.

Durandus de sancto Porciano qui Avenione sacri Palatii Magisterium postea obivit, ad Joannem Pari-
503 siensem accedit in quartum sent. dist. VII. quæst. IV. ad primum finem versus: *Nescio, cur dici non possit, quòd Gregorius, cùm fuerit homo & non Deus, potuerit errare.* Quocirca si quod non erraudi privilegium habeat, non habeat nisi cum Ecclesiæ vel Concilio jungitur, quomodo tunc publicam personam sustinet?

Tum dist. XIII. quæst. II. *Quod autem dicitur de Innocentio, qui videtur approbasse illam consuetudinem* (qua Presbyteri Cardinales circunstant Rom. Pont. & cum eo pariter celebrant) *potest dici, quòd approbat ut Doctor, non ut Papa, nec doctrina sua tenetur ab omnibus, nec Ecclesia Romana tenet illud, quod ipse dicit de Presbyteris Cardinalibus celebrantibus cum Papa, etsi fiebat tempore suo, nunc tamen non fit: Quia visum est periculum posse contingere in tali celebratione. Immò vix, quin periculum contingeret, & ideo illa consuetudo abolita est, sicut nobis constat, qui in Curia Romana longo tempore stetimus, & adhuc ibi sumus, & missis Summorum Pontificum intersumus, in quibus illa consuetudo nunquam fuit observata, & si observaretur, non esset necessarium, quòd bene fieret, quia secundùm Hieronymum, non quod fit Romæ, sed quid fieri debet, attendendum est.* Innocentius, ut est Doctor privatam personam gerit, ut est Papa, publicam, ut mox explicatum est.

Petrus Paludanus Hierosolymorum Patriarcha, in quartum dist. VII. quæst. IV. art. III. concl. II. de facto Gregorii I. *Tunc Gregorius potuit conferre Sacerdotibus, quòd licitè confirmarent, qui aliàs peccassent confirmando, licèt verè confirmassent. Si autem non est*
504 *ita, sed solus Episcopus est minister, nescio cur non possit dici, quod Gregorius, cùm fuerit homo & non Deus, errare potuerit.* Hoc videtur certum quoddam esse pronunciatum, quo Papæ, nisi jungatur Ecclesiæ vel Concilio, significatur apud omnes non errandi privilegium abjudicari.

Joannes Turrecremata tunc Magister sacri Palatii, in libro quem de Summi Pontificis & Concilii generalis potestate composuit, num. LXVII. *Si verò casus talis contingeret, quod Patres universi in Synodo universali convenientes unanimiter aliquam definitionem fidei facerent, cui sola persona Papæ contradiceret, dicerem judicio meo, quòd Synodo standum esset, & non personæ Papæ. Judicium enim tantorum Patrum universalis omnis Synodi in materia fidei meritò præferendum videtur judicio unius hominis, in quo casu optimè venit illa glossa, quæ habetur in Capite, Anastasius, dist. XIX. quod ubi de fide agitur, Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum. Quod intelligendum est, quando casus est valde dubius, & Synodus convocari potest. Et tunc Synodus major erit Papa, non quidem potestate jurisdictionis, sed auctoritate judicii discretivi, & amplitudine cognitionis.* Hæc ille factus postea Cardinalis, qui personam Papæ non facit publicam in materia fidei, nisi quatenus Episcoporum Synodo conjungitur.

Silvester Prieras generalis Prædicatorum Magister in Summa, verbo Concilium, quæst. II. *Cujus dicta approbo in quantum dicit Papam subjici Concilio in his quæ sunt fidei manifestè, quia si errat in his obstinatè, jam non est caput Ecclesiæ, sed se deponit, & in his quæ* 505
concernunt universalem statum Ecclesiæ, super quo à Christo non habet potestatem in destructionem, sed in ædificationem. Deinde concl. III. *Sicut non erat Ecclesia perseveranter, ita nec Papa, quandiu est caput Ecclesiæ, & ut caput Ecclesiæ, id est, utens adjutorio membrorum Ecclesiæ per Concilia, &c.* Sic apud Prieratem Papa non censetur persona publica, nisi jungatur Ecclesiæ, & adjutorio membrorum Ecclesiæ utatur.

Cyprianus Benetus in libri de non mutando Paschate fundamento XIII. *Quòd semper est aliqua Ecclesia, quæ per rectam fidem reguletur, & confirmetur intelligendo semper à tempore Christi usque ad consummationem seculi: Sed ex eo non convincitur hoc convenire alicui particulari, intelligendo per particularem Ecclesiam, quamcunque ab Ecclesia universali distinctam. Igitur ex sufficiente divisione convincitur hoc convenire Ecclesiæ universali, & toti congregationi fidelium. Consequentia patet: Sed minor ratione probatur: Illud quod in Scriptura sacra promittitur toti Ecclesiæ, & non parti, non debet attribui alicui parti: Sed semper rectam fidem habere, aut nunquam contra veram fidem errare, in sacra Scriptura à Christo promittitur toti & soli fidelium congregationi, ut patebit & probatione majoris, igitur: Major autem principalis rationis probatur. Primò ex illo verbo Christi Lucæ XXII. Petre pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: Neque dubitandum est, ipsum in hoc fuisse exauditum, quia secundum Apostolum ad Hebræos exauditus est pro sua reverentia. Constat ergo, quòd Christus promisit Petro quòd non deficiat fides sua, non intelligens de ejus personali, sed de generali Ecclesia Dei* 500
committenda regimini Petri: cùm non loquatur de aliqua Ecclesia particulari, sequitur, quòd intendit de Ecclesia totali. Et post aliquanta: *Non igitur pro personali fide Petri rogavit Christus, quæ defecit tunc, sed pro generali.* Iterum fundamento XIV. *Sed quidquid statuit S.D.N. Papa sacro approbante Concilio, in omnibus illi obtemperandum esse ingenuè profitemur, & non nisi sanctum illud & Catholicum esse censendum.* Sic Benetus Pontificem, quatenus persona publica est, & quatenus agit ut caput Ecclesiæ, non separat ab Ecclesia vel Concilio, quemadmodum Baro subdole separat.

Joannes Viguerius in Institutionibus Ecclesiæ, cùm de condendi symboli potestate quæstionem agitat: *Dicendum est,* inquit, *quòd Summus Pontifex, ut privata persona errare potest, non tamen ut est Summus Pontifex. Unde fit, ut si tanquam persona privata symbolum edere tentaret, non esset symbolum, maximè ubi à vera fide deviaret. Si autem procedat, & pronunciet ut Summus Pontifex, sive ut Papa, quando observat ritum in Conciliis Apostolorum & sanctorum Patrum definitionibus observari solitum, ut puta quando vocat Concilium seniorum, id est, Episcoporum, & instat instaréque facit orationibus, & invocat Spiritum sanctum, cujus assistentia Ecclesiæ promissa est, immo & ipsemet se talibus congregationibus affuturum pollicitus est, & non patitur ipsum errare. Et sic quod Papa ut Papa, sive ut est Summus Pontifex facit, Concilium ritu congregatum, quod universalem repræsentat Ecclesiam, facit; Sedes enim Romana Concilio ritè congregato directa in deter-* 507
minationibus fidei & morum sic confirmata est, ut errare non possit. Quæ hunc in modum philosophatur Viguerius, ex relatis beati Thomæ verbis derivavit. Viguerio Romanus Antistes nunc est persona privata, nunc publica, reduplicantibus explicata particulis, ut Summus Pontifex, ut Papa. Sed tunc ei Concilium adjungit, non ab eo sejungit, ut Baro contra S. Thomam & illius discipulos, Joannem Parisiensem, Fratres illos omnes

omnes, qui à Bonifacio VIII. ad futurum generale provocarunt Concilium, Durandum, Paludanum, Turrecrematam, Silvestrum, Benetum & Viguetium nefatiè sejungit, à concordi tantorum virorum societate transfugit, & ad turpissima palpatorum Curiæ castra devolavit, infeliciter pugnaturus sub hoc signo: *Voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, est regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur, ita ut quidquid libeat, id etiam liceat.*

ANIMADVERSIO XIII.

Frater Baro Proteum agit in Bellarmino, & in Cajetano se prodit historia rudem & imperitum.

SIC se res habet in articuli 11. paragrapho v. Lannoius *stylum in duo præstantissima Ecclesiæ lumina, in Cajetanum & Bellarminum, qui ob egregias dotes venerationi sunt & amori nedum Catholicis, sed etiam hæreticis præter Lannoium, qui disputationem intra modestiæ & charitatis fines contentam ex ferocia animi innata putat esse veritatis proditionem, & ideo omnibus
508 hæreticis parcit, ut duos sapientissimos, & sanctissimos viros quasi religionis hostes districto gladio insequatur & confodiat: Furiosis non sunt arma permittenda, & si æquitate nequeat à tantis viris insectandis cohiberi Lannoius, par esset auctoritatem publicam adhiberi.* Stylum acuere, & districto gladio insectari & confodere arma non sunt mea, sed fratris Baronis, qui in gratiam collegarum suorum detestabili vità functorum ab hujusmodi locutionibus sibi non temperat:

Infandum, tu Baro, jubes renovare dolorem.

Si Edmundus Burguinus furioso Baronis Fratri Jacobo Clementi non permisisset arma, nec illum fascinasset, Henricum III. districto gladio non confodisset. Furiosi erant Carolus Ridicovius & Petrus Argetus, cum Gandavo advolarunt Lutetiam, ut Henricum IV. districto gladio confoderent. Vultus meus nec minas nec funestum quid spirat, ut Baronis vultum & minas & funestum quid spirare omnibus compertum est.

Ad Bellarminum quod attinet, hunc ita convenit in libri IV. Apolog. sect. IV. parag. III. ubi postquam auctorem illum à gravitate, modestia, sinceritate & bona fide laudavit, subjicit: *Quæ verò Murales scribit de Bellarmino, licèt non sint aliena à morosorum opinione, quòd causam hæreticorum juverit, & à ministri ore excepi, Bellarminum de suis Ecclesiis reformatis optimè meritum, quòd illarum Theologiam miro ordine digesserit, quòd fortiora argumenta proferat, quàm extent apud auctores suos, & addebat se audivisse Bellarminum in Hispania prohibitum, quòd ab ejus
509 lectione aliquid mali timerent Catholicis, quia argumentis validissimis debiliores dabat solutiones. Et hunc etiam fuisse sensum doctissimi Cardinalis Perronii refert Cardinalis Bentivolus in libro edito, quem inscripsit, Memorie, pag. 100. ubi dicit, se hæc eadem propriis auribus è Perronio excepisse.* Hæc Baro, in quibus difficilè potest agnosci, utra fuerit in eo major, simulatio, an ἀκακία. Hinc Bellarminum in speciem commendat, inde communi & hæreticorum & Catholicorum sententiâ vituperat, relatis, quæ non modò scripta sunt, sed etiam quæ scripta non sunt, si tamen pro more suo non imponit, cùm quæ in familiari colloquio ex ore hæretici pastoris exceperit, narrat. Quid enim opus erat sparsa hinc inde ad elevandam Bellarmini auctoritatem tot elogia in unum conferre, si sincero animo & veraci sensu crederet, Bellarminum ita laudandum esse ut laudat? In summa si Frater sibi Bellarminum laudanti fidem vult majorem haberi, quàm heterodoxo pastori, Hispanis librorum Bellarmini lectionem vetantibus, & Cardinali Perronio, necesse non erat admodum, heterodoxi pastoris, Hispanorum & Perronii judicium proferre, nisi fortè, ut judicio tali suum, quia verius est, anteponeret, & me nonnunquam ab amplectenda Perronii sententia exemplo tam illustri deterrere vellet: Si verò heterodoxo pastori, Hispanis & Perronio Bellarminum vituperantibus fidem vult majorem haberi, quàm sibi Bellarminum laudanti, non erat quoque necesse admodùm, Bellarminum laudare, nisi fortè ut doceret eum esse se, qui simulatione, inani ostentatione, ficto non modò ser-
mone, sed etiam vultu invictum, ut loquitur, Catho- 510
licæ fidei pugilem laudaret. Hic dolus malus, sed ubique ἀκακία.

Ad Cajetanum venio, quem nollem equidem tractasse, quemadmodum Dominicani scriptores duo tractarunt, Ambrosius Catharinus, & Melchior Canus: Ille justæ magnitudinis librum de erroribus Cajetani lucubratus est; hic Cajetanum temeritatis in expositione scripturarum accusat, in libri VII. de locis capite III. concl. V. *Illud breviter dici potest, Cajetanum summis ædificatoribus Ecclesiæ parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cujusdam lepræ admixtione fœdasset, & vel curiositatis libidine affectus, vel certè ingenii dexteritate confisus literas demum sacras suo arbitratu exposuisset; felicissimè quidem ferè, sed in paucis quibusdam locis, ueutiùs sanè multò quàm feliciùs. Nam & vetustæ traditionis parum tenax, & in Sanctorum lectione parum quoque versatus, libri signati mysteria ab his voluit discere, qui non suo sensu illa, sed majorum traditione, verâ scilicet verbi Dei clave aperuerunt. Ita cùm plurima scripsisset egregiè, vertit ad extremum omnia, & novis quibusdam scripturæ expositionibus aliorum, quæ vel gravissimè dixerat, aut elevavit, aut imminuit certè auctoritatem: Invitus quidem facio, ut doctissimum virum nomine etiam expresso reprehendam, sed cùm nominis & gloriæ celebritas hoc loco à Lutheranis objiceretur, notandam temeritatem putavi.*

Nunc veriùs de Barone, quàm de me quis diceret, illum stylum acuisse in Bellarminum; Catharinum &
Canum: In Cajetanum qui Bellarminus scilicet & 511
Cajetanus ob egregias dotes venerationi sunt & amori nedum Catholicis, sed etiam hæreticis præter Baronem, Catharinum & Canum: *Qui disputationem intra modestiæ & charitatis fines contentam ex ferocia animi innata putant esse veritatis proditionem, & ideo omnibus hæreticis parcunt, ut duos sanctissimos & sapientissimos viros quasi religionis hostes districto gladio insequantur & confodiant. Furiosis non sunt arma permittenda, & si æquitate nequeant à tantis viris insectandis cohiberi Baro, Catharinus & Canus, par esset publicam auctoritatem adhiberi*: Idque maximè ut Baro omnium furiosissimus coerceretur. Hic dimisso homine furioso, qui singulis paginis mentiri non erubescit, & mihi sæpius imponit, recipio me modestè cum Bellarmino & Cajetano disputasse, quamvis priùs in majores nostros Parisienses Theologos atrociter invaserint. Quas in Epistolæ ad Thomam Fortinum capite XVIII. rationes de mea cum Bellarmino congressio-
ne reddidi, ne tangit quidem, quia omni termino im- 512
mobiliores offendit. Cajetanus Pisanæ Synodi judicio Gersonem optimum Ecclesiæ defensorem acriùs lacessiverat. Deinde tunc cum aliis Parisiensibus Theologis se gessit tam inciviliter, ut edixerint, ne ille in scholis suis laudaretur. Eat nunc dictum Frater Baro, Cajetanum ob egregias dotes venerationi fuisse & amori nedum Catholicis, sed etiam hæreticis præter æquales suos Parisienses Theologos, qui Cajetani nomen & libros è suis scholis educto propulsaverint.

ANIMADVERSIO XIV.

Frater Baro ut suis & Curiæ studiis & placitis serviat, Christi Ecclesiam in statum sæcularem transscribit.

512 VEnimus tum demum ad ultimam adulatriciis Curiæ lineam, quæ in eodem art. & parag. sic exaratur: *Ut uno verbo congesta in Cajetanum argumenta dispellam, certum est leges canonicas eodem loco in Ecclesia, quo civiles in republica reponi: Eodem etiam gradu Summos Pontifices Ecclesiæ, quo Reges suis regnis præesse. Si ita sit, velim respondeat Launoius, an Reges legibus civilibus subjiciat, quoad utramque vim dirigendi & pœnis cogendi: si vix ausit hoc tentare, sed supremos Principes obnoxios legum directioni à coactione & pœnis eximat, hoc exemplo agnoscet, non adeo absurdam esse Cajetani sententiam, quod Summis Pontificibus indulgeat immunitatem, quam non auderet Regibus negare, nisi vellet in odio Summorum Pontificum Reges in ordinem cogere. Hic planè mihi usurpanda sunt, quæ tibi assumpsisti verba Hieronymi, Quocunque ieris, aut pariter in luto hærebimus, aut pariter expediemur.* At si sequi me dignaretur Baro quocunque eo, mecum hæreret in Epistola ad Franciscum Bonum, quæ est in parte IV. Epistolarum nostrarum. In ea Epistola observaret tria, primum est, me ex veræ Theologiæ principiis duobus, scripturæ auctoritate, & Catholicæ Ecclesiæ traditione, demonstrare, alio modo Christi Ecclesiam, alio modo regna & principa-
513 tus sæculares gubernari. Alterum, eos qui hoc negarent seditiosis usuro esse argumentis, quæ de cœnosis fontibus Aristotelis haurirentur, sicque Christianæ Ecclesiæ rectionem turbaturos, ut illius fidem Ariani quondam turbarunt. Tertium, Baronem loquenti apud Matthæum, Marcum & Lucam Domino se opponere, & contra eum dicere. Nam Dominus ait: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic:* At Baro scribit *eodem gradu Summos Pontifices Ecclesiæ, quo Reges regnis suis præesse*, quasi diceret: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem sic.* Quæ in Aristotelio Barone perversitas? Quæ improbitas? Ecclesiasticum regimen cum politico confundit, quod Scriptura, quod Patres, quod Romani Pontifices Leo I. Gelasius I. Gregorius I. Nicolaus I. tam apertè discernunt. Sed quoniam vir totus ex Aristotelis schola & lima politus, nec Christum Dominum, nec Patres, nec Pontifices audiendos sibi esse putat, Cajetanum saltem audire dignetur. Sic enim loquitur in cap. XX. Matthæi: *Scitis utpote rem notoriam, quia Principes gentium dominantur eorum, pro eis. Non purus dominandi actus, sed finis significatur; est enim sensus quòd principes gentium ordinant principatum suum ad dominandum: Et qui majores, pro magni, sunt, in mundo potestatem exercent in eos, pro in eas? Similiter non purus usus potestatis, sed finis significatur, & est sensus, quo qui magni sunt ordinant celsitudinem suam ad usum potestatis, hoc est ad præcipiendum, ad compellendum. Hæc notoria omnibus. Non sic erit inter vos: Ordinat Jesus principatum & majoritatem suam in Ecclesia*
514 *definiendo, statuendo: Non sic erit inter vos, principatus vester non erit ad dominandum, præcipiendum, cogendum, &c.*

Deinde in cap. XXII. Lucæ: *Dicit autem eis: Reges gentium, &c. Reprimit ambitionem ex differentia inter principatum mundanum & Ecclesiasticum penes hoc, quòd finis regum est dominari, & similiter finis habentium potestatem distribuere communia bona (putà honores, dignitates) ita quòd finis principantium in hoc mundo est dominari cum gloria: Vos autem non sic, utrumque finem abducit à suis: Vos Apostoli, vos capita Ecclesiæ non sic, non tendentes ad dominium aut ad humanam gloriam.* Cajetanus igitur ad divinam Christi scientiam eruditus inter Ecclesiasticum & politicum regimen differentiæ multum statuit. Baro ad nimiam Curiæ assentationem eruditus inter utrumque illud regimen differentiæ nihil statuit, quo Romanos Pontifices supra universam Ecclesiam & universale Concilium attollat. Anni sunt fere duo, quòd in Epistola ad Franciscum Bonum quærendas seu quæsitas è sæculo tergiversationes occupaveram, sed eas modò Frater Aristotelius perinde obtrudit, ac si non occupassem.

Præterea in aliis Epistolis nostris Romanos Pontifices sacris canonibus & Conciliis subjici confirmo ex Sedis Apostolicæ traditione, quam edo & in medium profero. Quinetiam eò negotium deduco, ut ipsimet Curiales Magistri mirâ rerum conversione assertionem nostram in Ecclesiasticum dogma transferant, cùm vel minime transferre volunt.

515 Hoc in loco acutus sibi videtur Baro, cùm objicit Gersonem, Almainum & alios qui de origine jurisdictionis commentarios ediderunt. Non juro in eorum placita, nisi quatenus cum veræ Theologiæ principiis, Scriptura, Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditione cohæreant. Non juro simpliciter in illorum placita omnia, ut Baro in Doctoris sui placita omnia simpliciter jurat, & cum primis in hæc: *Potest justè per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis tale jus dominii vel prælationis tolli, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Iterum: *Aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.* Iterum: *Quàm citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus, & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Quam doctrinam ait *certò se scire, in orbis Christiani infinitis partibus non solùm impunè, sed etiam cum laude à Theologis propugnari.*

Cæterùm inter ea, quæ hac in re Pontificem à Rege, putà Galliæ perspicuè discriminant, objiciunt se mihi quatuor: Unum est Pauli Samosateni Antiochiæ, id est, tertiæ Sedis Episcopi depositio, & Domni in illius locum subrogatio. Antiochena Synodus & Paulum deposuit & Domnum in illius locum subrogavit, inconsulto priùs Romano, id est, primæ Sedis Episcopo. At notum est in Gallia, provinciæ gubernatorem nec destitui, nec institui inconsulto Rege.

516 Alterum, Nicænæ Synodi canon IV. *Episcopum convenit maximè ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem: tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Hoc in canone dum Episcopi ordinantur per provincias, Romani Antistitis consensus nec requiritur, nec intervenit. Metropolitani consensus requiritur, intervenit, & sufficit. In Gallia, ut rectores præficiantur civitatibus, Regis consensus requiritur & necessarius est; quinetiam Rex ipse solus rectores civitatibus præponit.

Tertium, derivatus ab initio Christianæ Religionis collocatorum per civitates Episcoporum status, qui non ità pendet a Romano Pontifice, ut is pro suo arbitratu Petrum verbi gratiâ, vel Paulum amovere possit, & alium in Petri vel Pauli locum sufficere. In Galliâ Rex pro arbitratu suo, & ut expedire sibi videtur, civitatum rectores amovet, in alia loca transfert, vel immunes, privatos & sine potestate relinquit.

Postremum est, Innocentius III. qui inter Galliæ Regem & seipsum Romanum Pontificem discrimen illud instituit, ut in Cap. per venerabilem pronunciet, *Regem in temporalibus superiorem minimè recognoscere:*

Et

Et in sermone II. & III. de consecratione Romani Pontificis, in spiritualibus Ecclesiâ etiam Rom. inferiorem se libenter agnoscat. In serm. II. dicit: *In*
517 *tantùm mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* In sermone III. *Propter causam verò fornicationis Romana Ecclesia posset dimittere Romanum Pontificem: Fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale, sed spirituale conjugium, id est, propter infidelitatis errorem.*

Addo quæ ad Philippum Augustum scribit, in libri III. Regesti XV. Epist. CIV. *Sed in carnali commercio inter te ac reginam adeo est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto Magistro Roberto Corzon nunc tit. S. Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujuscemodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressè, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio, nec sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.* Innocentium diceres eo scripsisse consilio, ut insolens in disputando Frater cohiberetur, ac refrænaretur. Errare se nunquam fatebitur, quia ut publicum, non ut privatum doctorem scripsisse se negabitur, & sic spes
518 nulla est, ut nugari desinat. Innocentium verò errasse dicet, quia ex alia tunc cathedra, quàm ex sua locutum esse pugnacissimè contendet. Nam si semel è cathedra Petri locutus esset Innocentius, se Baro in miseriam sempiternam natum esse crederet, & mallet crucem futurum sibi sepulchrum esse.

Hæc pauca de multis discriminibus, quæ adserri possent, ut tandem Frater Baro videat stare non posse comparationem, quam inter sacerdotium & regnum, inter Romanos Pontifices & Reges instituit, non amore Regum, quos amat uti modò vidimus, sed adulatione Pontificum, quorum cubito pulvillos ad omnem canonum spiritu Dei conditorum, & totius mundi reverentiâ consecratorum exolutionem solet assuere, quos uno verbo exleges facit.

ANIMADVERSIO XV.

Frater Baro in Joanne XII. desultoriæ levitatis exemplum præbet, & sibi turpiter contradicit, & Innocentio III.

IN libro I. Apnlog. sect. II. parag. VIII. sub finem, de Romanis Pontificibus universim & sine differentia ulla scribit: *Ad summam Romanorum Pontificum laudem pertinet, quòd solo æquitatis respectu, nullo pœnarum metu se hujusmodi canonum observantissimos, & vindices acerrimos præbuerint, ac proinde dignissimos, quibus summam auctoritatem Deus permitteret, cui ex pari æquitate moderabantur.* Ego in Epistola ad Thomam Fortinum capite XIX. contra Baronem sic dico: "Quæ (verba mox relata) ut principium "disputandi primum statuit, nec probat, quia pri-
519 "mum ipse statuit, & ita notum esse credit, ut il-"lius notitia Pontificum sic se gerentium enumera-"tione solà constare possit. Id de Joanne XII. Or-"dinis Prædicatorum scriptores, quos breviter rela-"turus sum, nos docebunt. Et quia nos docent Joannem XII. scelestissimum hominem fuisse, & meritò ab Episcoporum Italiæ Concilio de Sede prima deturbatum, in exercitationis articulo II. paragrapho V. finem versùs mutat sententiam, nec cur motet me in causa fuisse significat: *Nonne vis relatis canonibus actum est in Joannem XII. & Benedictum IX. Pontifices, ut ipse loquitur, post homines natos sceleratissimos? An putas conculcatis tantùm legibus Ecclesiasticis sese continuisse intra divinarum observantiam, vel his eodem impetu, quo Ecclesiasticas dejecerant, violatis, harum maximè pœnas abdicatione tantæ dignitatis meruisse & æquissimo totius Ecclesiæ judicio fuisse passos?*

Et primùm quidem de Benedicto IX. non ita ut de Joanne XII. locutus sum: Benedictum Pontificem fuisse post homines natos sceleratissimum nusquam dixi. Mendacium est quod Baro mentiri solitus mihi affingit.

Deinde Benedictus IX. & Joannes XII. nunc solo æquitatis respectu, nullo pœnarum metu se Ecclesiasticorum canonum observantissimos & vindices acerrimos præbuerunt; nunc Pontifices sunt post homines natos sceleratissimi, Ecclesiasticos canones conculcant, non se intra divinarum legum observantiam continent. Quæ hominis in scribendo levitas & inconstantia?

Præterea cùm subjicit, *Benedictum IX. & Joannem* 520
XII. Ecclesiasticarum & divinarum legum pœnas abdicatione tanta, id est, Pontificia dignitatis meruisse, & æquissimo totius Ecclesiæ judicio fuisse passos, mentitur, & adhuc secum pugnat. Mentitur quidem cùm innuit habitum esse plenarium totius Ecclesiæ Concilium à quo Benedictus & Joannes de Romana Sede pulsi fuerint. Benedictus à Romanis duntaxat pulsus est, Joannes ab Episcoporum Concilio, quod nunquam existimatum est plenarium totius Ecclesiæ Concilium. Æquissimum quidem fuit judicium, quo Joannes Pontificiâ dignitate privatus est, sed non fuit totius Ecclesiæ judicium.

Secum verò pugnat cùm in exercitationis articolo III. paragrapho ultimo pag. 452. & 453. scribit quæ sequuntur: *Post scriptam & etiam typis mandatam responsionem ad exemplum Joannis XII. Pontificum deterrimi ad Sedem Apostolicam ætatis anno vix decimo octavo à patre Alberico Romanæ civitatis tyranno vi promoti, & ab Othone magno Imperatore ac Synodo Romana eâ dignitate abdicati, oportuit ad defensionem tractatus de perpetua fide Eucharistiæ, sæculi decimi historiam Pontificiam à Patre Coeffeteau contra mysterium iniquitatis Mornæi propugnatam relegere: Et occurrit objectio de abdicatione Joannis à Mornæo primùm intorta adversùs Pontificiam dignitatem, deinde à Launoio instaurata, ut conqueratur sibi perpetuam à Catholicis ad heterodoxos discessionem objici, cùm eadem met de re, nedum à Baronio invictis, ut loquitur Coeffeteau, argumentis pagina 94. Othonis & Synodi Romanæ facinus præter omne jus susceptum confutante, sed etiam à Coeffeteao eam abdicationem improbante dissentiat, nec con-* 521
veniat cum auctore tractatus de fide perpetua, qui pagina 397. non omnino excusat præposterum Othonis zelum.

Atque ut ex hac ipsa historia intelligat Launoius, Christum suæ Ecclesiæ meliùs consuluisse, quàm iis, quæ suggerit, aut ab aliis perperam adhibita commendat, remediis frustra fecero, quibus Imperator cum Synodo Romana usus est. Nam ut ex aliis auctoribus refert idem Coeffeteau, vix Imperator Roma in Germaniam cùm exercitu redierat, superstiti Joanni suffecto Leone VIII. cùm ab amicis Romam revocatur, depulsus Joannes: æmulum fugat, Synodum habet, qua prioris acta rescindit, nec solùm sævit in suos judices, sed etiam summa crudelitate in Cardinales, amputata uni manu, rescissa alteri lingua sævit. Sed Deus singulari miraculo voluit nos docere, à se, non ab hominibus, nec à Launoii prudentia remedia esse expectanda. Nam cùm impurissimus quamvis legitimus Pontifex, ad volutabrum rediisset, & cum amicarum una sese oblectaret, divino permissu, aut illius jussu ita dirè exceptus est à dæmone, ut octavo post

plagar

plagas die vix anno vicesimo septimo ætatis vitam corruptissimam finierit; atque hac peste liberata est Ecclesia, efficaciori remedio, quàm perperam & præter canones prætentu etiam à quibusdam Episcopis Synodi manifesta Donatistarum hæresi ad abdicationem. Cæterùm quidquid sit, malo Coeffetæo, & auctori tractatus de perpetua Eucharistiæ fide, quàm Launoiò hac de re assentiri.

Frater Baro, ut est vir acerrimi judicii, in hoc posterioti loco destruit, quidquid in priori de justa
522 Joannis XII. abdicatione ædificaverat: Tam perspicua est illa ἀπολογία, ut nulla unquam fuerit magis perspicua. Superest tantùm ut observem nonnulla, quæ hominem luculenter ostendant.

I. *Occurrit*, inquit, (in opere Coeffetæi contra mysterium iniquitatis) *objectio de abdicatione Joannis à Mornæo primùm intorta adversus Pontificiam dignitatem, deinde à Launoio instaurata.* Et primùm quidem peccat in beati Hieronymi præceptum, quod habet libro III. contra Pelagianos: *In dogmatibus & quæstionibus disserendis non persona, sed causa quærenda est.* Baro personam quærit non causam, ut ex persona causam traducat & diffamet.

Deinde graviter peccat in illustres ordinis sui Theologos qui Mornæo facem prætulerunt. Referendi sunt illi ad perpetuam Baroniæ ἀκεσίας infamiam.

Vincentius Bellovacensis in historialis Speculi libro XXIV. capite LXXXVI. *Anno sequenti collecto à tota Italia Episcoporum Concilio Joannes Papa de nefariis causis diffamatus, qui tertiò evocatus, dum se excusatum venire cunctatur, post multa tandem, eo à cunctis præjudicato, Leo adhuc laicus electione omnium & consensu Imperatoris Papa substituitur.* Et post alia: *Joannes extra se cum uxore cujusdam oblectans à diabolo in tempore percutitur; & sine viatico Dominico moritur.*

Martinus Polonus in Chronico de vitis Pontificum, de Joanne XII. *Hic erat venator & totus lubricus, adeòque publicè fœminas etiam tenebat, propter quod quidam Cardinalium & Romanorum scripserunt Ottoni*
523 *Principi Saxonum occultè, ut scandalo Ecclesiæ compatiens sine mora Romam properaret. Hic Papa Joanni Diacono, tanquam hujus facti consiliario nasum, & alteri Joanni Subdiacono, qui literas scripserat, manum amputari fecit. Hic cùm frequenter per Imperatorem & Clerum de sua correctione fuisset monitus, præsente Imperatore de Papatu destitutus, communi voto Leo Papa eligitur.* Et paullo pòst in vita Benedicti V. *Joannes verò oblectatus adulterio sine pœnitentia subitò moritur.*

Sanctus Antoninus in secund. part. hist. tit. XV. cap. III. §. II. *Sed cùm esset sceleratus hic Papa* (Joannes XII.) *& Imperatorem & omnes scandalizaret propter nefariam vitam suam, anno XXVI. ipsius Ottonis collecto à tota Italia Concilio Episcoporum, cùm tertiò esset vocatus ad respondendum de omnibus sibi objectis, & fugiens è Roma, venire contemneret, eo à multis præjudicato, Leo electione omnium & consensu Imperatoris Papa substituitur.* Et paullo pòst: *Miserrimè etiam vitam finivit, & impudicissimè.*

Joannes Turrecremata Card. in libri III. de Summa Ecclesiæ capite X de universalium Conciliorum utilitate: *Quintò celebratio Conciliorum est utilis ad refrænandam exorbitantias quorumdam Pontificum, qui Pontificatum suum aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vita scandalosa confundunt. Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator & lubricus publicus & incorrigibilis erat.*

524 Franciscus Victoria in libri de potestate Papæ & Concilii, propositione XXIII. *Propter injustas dispensationes, vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem Ecclesiæ procedunt, posset convocari & congregari contra voluntatem Papæ, ut si resisteret obviaret ejus insolentia. Hoc expressè tenet Silvester in verbo, Papa, §. IV. Quod si Papa suis moribus destruit Ecclesiam, potest convocare Concilium contra ejus voluntatem, ut per illud Papa moneatur, Deus invocetur, & resistendo in malis remedium apponatur. Hoc expressè tenet Turrecremata, assertor vehementissimus Pontificiæ dignitatis, libro III. Summæ cap. X. Celebratio, inquit, Conciliorum utilis est ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui suum Pontificatum, aut extra sanctorum Patrum regulas pro voluntate exercent, aut simoniaca pravitate dehonestant, aut sæculi vanitate & vitiis scandalosis confundunt. Hac de causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Imperatorem contra Joannem Papam XII. qui venator publicus, & incorrigibilis erat. Quod factum laudat & approbat Turrecremata, & hoc est utile.*

Michaël Cardinalis Alexandrinus Clementis Moniliani Compendium Theologicarum institutionum probavit & probando suum fecit, cùm aliis in locis, tum in cap. XIX. *Conciliorum celebratio valet ad quinque.* Et post alia: *Quartò ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui munus sacrum aut spretis sanctorum Patrum regulis pro voluntate exercent, aut vitiis scandalosis confundunt. Hujus causa congregatum legitur Concilium Episcoporum Italiæ Romæ per Im-* 525
peratorem contra Papam Joannem XII. qui venator lubricus & publicus erat & incorrigibilis. Hic Cardinalis librum Moniliani approbavit Romæ in sacro Palatio ann. M. DLXII. Nec factus Pontifex Pius V. approbationem revocavit.

Hæc Ordinis Prædicatorum illustres viri numero sex: Primus est Philosophus, Theologus & historicus magni apud illos nominis. Secundus historicus & Romanus Pœnitentiarius. Tertius Theologus & historicus & sanctorum canoni adscriptus. Quartus ex sacri Palatii Magistro Cardinalis, Pontificiæ dignitatis non solùm fautor, sed etiam amplificator habitus. Quintus Parisiis Theologiam importavit Hispaniam, & illi apud Salmanticenses nobile domicilium collocavit. Sextus Theologus, & Romanus Pontifex, qui æternæ gloriæ candidatus apotheosim in dies præstolatur. Hi autem omnes de Joannis XII. abdicatione priùs scripserunt, quàm Mornæus à parentibus susceptus educatùsque esset. Hoc igitur cùm ita sese habeat, Frater Baro si verum amaret tantisper, scripsisset hoc modo: Occurrit objectio de abdicatione Joannis à Vincentio Bellovacensi, Martino Polono, sancto Antonino, Joanne Turrecremata, Francisco Victoria, & Michaële Alexandrino Cardinale, posteà Pio V. primùm intorta adversus Pontificiam dignitatem, deinde à Mornæo instaurata, tum demum à Launoio ex illustrioribus Ordinis Prædicatorum scriptoribus vindicata; & tunc temporis conscientia sinceri Monachi fretus verè & coram Angelis Dei subjicere potuit: *Ne Launoius conquerantur sibi perpetuam à Catholicis ad heterodoxos* 526
discessionem objici, quæ antea sublesta fide subjecerat. De Barone libenter quærerem, num vellet me secum ita disserere, & eum quem spectat finem, spectare. In medium proferrem & dicerem: Occurrit mihi (Fratri Baroni) objectio, de Henrici Imperatoris VII. nece per venenum in Eucharistica communione præbitum curata, de Henrici III. Galliæ Regis parricidio, de nefariis Edmundi Burguini, Caroli Ridicovii & Petri Argerii consiliis & molitionibus à Mornæo, vel heterodoxis aliis primùm intorta, deinde à Launoio instaurata. Sed objectio hæc facilè diluitur; hæretici quippe sunt, qui telum illud in nos (Baro diceret) primum intorquent, ac proinde cùm Launoius objectionem instaurat, oleum & operam cum hæreticis perdit; & eam ob causam Bernardum de Montepoliriano, Jacobum Clementem, Edmundum Burguinum, Carolum Ridicovium & Petrum Argerium, fratres nostros ab illa objectione tutos esse quis non videt? En perversa disputandi methodus, quam si Baro

Baro recipiat, captus, si rejiciat, nullus est, & nullus semper erit, quia vir ad pauca respiciens, vix aliter disputaturus est unquam.

II. In Epistola ad Ludovicum Maræsium, quam habet pars tertia Epistolarum nostrarum, ostendo Baronium contra Sedis Apostolicæ traditionem Joannem XII. tueri, & quæcunque Romano Concilio singillatim objicit, dissolvo. Id Baro dissimulare non debuit, si inveniendæ asserendæque veritatis studio ullo flagraret.

III. Nicolao Coeffetæo ex Baronii commentariis
527 sapienti memoratos Ordinis sui scriptores objicio, quorum vi & auctoritate labefactatur & obruitur.

IV. Frater & suo & meo judicio acutus est in observandis remediis, quibus Christus Ecclesiæ suæ contra malos Pontifices, & in primis contra Joannem XII. consuluit. Igitur cùm perspexisset Christus Joannem XII. ab Romana Synodo depositum fuisse, nequid deinceps perperam in Joanne & præter canones fieret, statuit ut diabolus deprehensum in adulterio Pontificem ita feriret, ut octavo pòst plagas die vitam corruptissimam deponeret. *Deus,* inquit, *singulari miraculo voluit nos docere à se, non ab hominibus, nec à Launoii prudentia remedia esse exspectanda. Nam cùm impurissimus, quamvis legitimus Pontifex, ad volutabrum redisset, & cum amicarum una sese oblectaret, divino permissu, aut illius jussu ita dirè exceptus est à dæmone, ut octavo pòst plagas die vitam corruptissimam finierit.* Statua dignum inventum, sed plumbea. Quis sanæ mentis crederet maluisse Christum ad liberandam ab scelerato Pontifice Ecclesiam, diaboli operâ, quàm Episcoporum Synodo uti? Non alii quàm Barones illud edituri sunt unquam, vel inde probaturi, Romanum Pontificem Ecclesiæ legibus non subjacere.

De Christo doctrina nova hæc est, quam Romani nunquam probarent Pontifices, si quando in deliberationem veniret. Non probaret Innocentius III. qui mihi erit instar omnium, ut de tribus testimoniis illius conjicio.

Primum est in sermone II. de consecratione Ro-
528 mani Pontificis: *In tantum,* inquit, *mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris solum Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Commissum in fide peccatum laxiori modo accipit, ita ut comprehendat illud, quod in contumacia consisteret, nempe si pluries monitus Pontifex emendare se, & à concitanda offensione publica cessare nollet.

Alterum est in sermone III. de consecratione ejusdem Pontificis: *Propter causam verò fornicationis Romana Ecclesia posset dimittere Romanum Pontificem: Fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem, quia non est carnale, sed spirituale conjugium, id est, propter infidelitatis errorem.*

Tertium est in libri III. Regest. XV. Epistola CIV. ad Philippum Regem Francorum: *Sed in carnali commercio inter te ac reginam conjugem tuam adeò est processum, quòd si etiam illi tantùm confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina fecisse proponitur coram prædicto Abbate de Trappa, & dilecto filio Magistro Roberto Corzon, nunc titulo S. Stephani in Cælio monte Presbytero Cardinali, non auderemus super hujusmodi causa de nostro sensu pro te aliquid definire propter illam sententiam Evangelicam, quam ipse Christus expressit, ut quod Deus conjunxit, homo non separet, cùm absque dubio nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generali deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis*
529 *& officii nobis periculum immineret, cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non possit auctoritas dispensare.*

V. In his verbis: *Præterita etiam à quibusdam Episcopis Synodi manifesta Donatistarum hæresi ad abdicationem:* Ænigma est, quod ego non intelligo. Explicabit Frater Baro cùm voluerit, & gryphos suos apertiùs dissolvet. Interim Fratrem oro atque obtestor, ut scribere ἐν αἰνίγμασι desistat. Non enim omnes possunt capere, quò pertineant obscuritates & ænigmata somniorum, quæ ut anus delira sibi fingit, & sibi quoque deinceps illud ὕπνον secum reputanti suos inter collegas maximè applaudit.

VI. Cùm ait: *Cæterùm quidquid sit, malo Coeffetæo & auctori tractatus de perpetua Eucharistia fide, quàm Launoio hac de re assentiri.* At ego contra Baronem ita dico. Cæterùm quidquid sit, malo Vincentio Bellovacensi, Martino Polono Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiario, beato Antonino Florentino Archiepiscopo, Joanni Turrecrematæ Cardinali, Francisco Victoriæ & Pio V. (quibus & qualibus apud Dominicanos scriptoribus!) quàm Coeffetæo, auctori tractatus de perpetua Eucharistiæ fide, & Baroni hac de re assentiri. Coeffetæo quidem, sive quòd à majorum suorum traditione deficit, sive etiam quòd Cardinalis Perronius Coeffetæi opus, quo de agitur, satis frigidè laudabat. Nam objicientibus illud mendis non carere sic respondebat: Excusandus est Coeffetæus, quia breviorem librum conficere per otium illi non licuit.

In hac autem animadversione executi sumus duo: 530
Hinc incredibilem fortè aliis, nobis verò sine difficultate ulla credibilem Baronis ἀνοηγίαν retulimus; inde illius speculationes cæcas, sibi tantùm, non aliis exitiabiles apertam in lucem prodidimus.

ANIMADVERSIO XVI.

Frater Baro tanta in scribendo laborat imprudentia, ut adversarium cogat ea scribere, quæ ne ab eo scriberentur, omni ope & operâ eniti deberet.

QUÆ nunc animadversurus sum, invitus, fateor, dolens & coactus animadvertam. Hic Frater de me conquestus fuerat, quod Bellarminum paullo acriùs confutaverim. Nempe quidquid iste sapit, non ex scriptura, vel lectione Patrum, vel Ecclesiæ traditione, sed ex Bellarmini commentariis sapit. Hinc cùm illi Bellarminus in rebus Pontificiis eripitur, nudus & inermis, Iro & Codro pauperior remanet, & perinde ac cæcus homo, cui baculus detrahitur, in ejulatum & muliebrem vociferationem erumpit. Ego in Epistolæ ad Thomam Fortinum capite XVIII. rationes edo & in medium profero septem, quibus Baronis querelam amolior, eámque injustam esse ostendo. Baronem septima præ cæteris ratio exulcerat, quæ sic se habet: "Bellarminus illam de potestate "Summi Pontificis doctrinam tradidit, qua imbutus "Frater Jacobus Clemens ejusdem cum Barone & "Ordinis & disciplinæ id fecit, quod nemo ignorat, "& quod referre horresco. At Parisiense Senatuscon- 531
"sultum, quo perculsa illa doctrina fuit, me vehe"menter ad pugnam accendit. Et hoc ipsum esse, "quod Baronem maximè pupugit, contendam semper, "donec ille Senatusconsultum ab Romanæ Inquisitio"nis censura defenderit. Baro in exercitationis art. 51. parag. VI. rationem hanc sic eludit: *Quamvis daremus Launoio adversæ partis Theologos se suósque interdam acerbiùs habuisse, propteredne putat ex illa præjudicata opinione gravari posse parricidiis ab insano perinde ac improbo, ac sacrilego meditatis & peractis, quæ nullo auctore sola cæcitas & rabies subjecerit? Quis ferat ista imputari Bellarmino, quo nec doctiorem, nec sanctiorem, nec ab his sceleribus abhorrentem magis nostrum sæculum tulit, aut futura visura sunt? Illud disputandi genus,*

*genus, & adeo horrenda alienis opinionibus importandi
mala, adeo ab omni humanitate alienum est, ut quicun-
que hæc audituri sunt, auctorem hujusmodi calumnia-
rum, vix hominum numero sint habituri.* Dum hæc
audio & lego, audire & legere mihi videor, quæ Sci-
pio Dupleix in Henrici III. historia de Jacobo Cle-
mente narrat. Hic scelestus Baronis collega pridie
quàm gladio suo Regem exenteraret, cum prætori-
anis militibus cœnabat. Inter cœnandum dicenti
cuidam sparsum esse rumorem Ordinis Prædicatorum
fratres numero sex in Regis vitam conjurasse, non
respondit, rumorem illum falsum esse, ne menti-
retur, sed affectata simulati sermonis negligentia re-
spondit, *In omni sodalitio ut bonos, ita & malos repe-*
532 *riri.* In summa ad eum ferè respondit modum, quo
Baro scripsit quæ retulimus. Clemens prætorianos
milites illusit arbitratos sincerum esse hominem, qui
loqueretur: Baro lectores suos illudet arbitratos
sincerum esse hominem qui scribit. Illudet, inquam,
nisi fortassis comparatio hæc illusionem remuveat,
& ad diligentem subdolæ orationis lectionem im-
pellat.

Et primò quidem observabunt lectores me non
loqui de persona Bellarmini, cujus consilium Deo
dijudicandum relinquimus, sed de illius doctrina, quæ
ut ad Regum parricidium, & regnorum eversionem
inducens Parisiensi Senatusconsulto proscripta est anno
M. DC. XVI. Calend. Decembris.

Deinde lectores observabunt, Baronem non alia
mente Bellarminum laudare, quàm ut illius doctrinam
laudet, & ab hujusmodi doctrinæ proscriptione Parisi-
ensem Senatum vituperet.

Tum lectores observabunt, Baronem nolle adversùs
iniquam Romanæ Inquisitionis censuram tueri Parisi-
ense Senatusconsultum, quo Joannes Chastellus parri-
cida damnatus est.

Quartò lectores observabunt, Baronem gratulatu-
rum sibi esse, quod in Parisiensis Senatusconsulti cen-
suram consentire videbitur. Quo pacto, ut pleniori
obsequio & Curialium Magistrorum judicium, & In-
quisitorum favorem emereri se posse sperat & cogitat.
Anni jam sunt plures, quod ex imo pectore nonnul-
lum anhelat Romanæ Inquisitionis officium, seu Ro-
mæ, seu in Gallia gerendum. Tunc temporis qua
æquitate memoratum Parisiense Senatusconsultum con-
533 fixum est, eadem & lucubratiunculas nostras con-
figeret.

Quintò lectores observabunt, Baronem mentiri
splendidè, cùm ait, Jacobum Clementem auctore nul-
lo ad facinus, quod appellare non audeo, ductum fu-
isse. Hic Baro Clementem Edmundi Burguini faci-
norosissimi præceptoris auditorem fuisse, & Burguinum
istum ob varia parricidii capita discerptum in partes
quatuor fuisse Parisiensi Senatusconsulto, quod anno
M. DCVII. Calend. Febr. Turonis latum est. Sena-
tusconsultum videre poterit, & singula condemnationis
capita examinare.

Sextò lectores observabunt, Burguinum & Cle-
mentem jurasse in doctrinam hanc: *Aliquis* (Princeps)
*per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii
amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.* I-
tem: *Quàm citò aliquis* (Princeps) *per sententiam de-
nunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso
facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus & juramen-
to fidelitatis, quo ei tenebantur.* Et quoniam Baro in
eandem cum Burguino & Clemente doctrinam juravit,
me, quia doctrinam illam novam esse pugno, nec ei
convenire Theologiæ definitionem, quæ à beato Tho-
ma traditur, infinitis conviciis proscindit, & proscin-
det semper, quia doctrinam illam hactenus habuit in-
star Evangelii.

Postremò lectores observabunt, Baronem verum
non esse beati Thomæ discipulum, quòd Theologiam
docet & docuit aliam ab ea, quam B. Thomas definiit.
Lubricus homo est & incomprehensibilis, qui se prop- 534
ter miram scribendi facilitatem, qua valet plurimùm,
varias in partes flectit & convolvit, Proteo mutabili-
or. Sed nunquam hærebit in Apostolicæ Sedis tradi-
tione, quam ex Gregorio I. Martino I. & Pio II.
explico sub finem animadversionis VII.

ANIMADVERSIO XVII.

Frater Baro in Romanam Synodum, quæ à Theodorico Rege Italiæ habita est pro causa Symmachi, & Baronium injuriosissimus.

IN Epistolæ ad Thomam Fortinum capite XIX.
num. IX. notaveram Baronem in libri I. Apolog.
sect. II. paragr. X. semel atque iterum, sed & tertiò
addere debui, significare Theodoricum Italiæ Regem
tyrannum esse, quia Arianus erat, quia hæreticus erat.
Id autem significat illa occupatus doctrina, in quam
jurat, excommunicatum propter apostasiam à fide
Principem, jus dominii amittere, illius subditos ab il-
lius dominio absolutos esse & juramento fidelitatis,
quo ei tenebantur. Deinde notaveram Theodoricum
Regem habitum non fuisse unquam tyrannum, eti-
amsi fide Catholicus non esset. Id ex Romanæ ipsius
Synodi actis & Baronii testimonio comprobaveram.
Tunc manus dare & conquiescere debuit: Sed suis
contra hæreticos Reges occupatus præjudiciis non
conquiescit. Sic in exercitationis articulo III. pa-
ragrapho I. Romanam Synodum & Baronium per 535
latus meum mucrone suo ferit: *Launoius ait, Theo-
doricum gente Gothum, Italia dominantem à me per sum-
mam injuriam tyrannum & Arianum appellari, cùm Sy-
nodus ejus imperio Romæ habita, titulis Regis piissimi &
clementissimi ac serenissimi illum dignetur & donet: Et
Baronius quamvis Arianum laudet, quòd Catholicos
omni genere officiorum sit prosecutus. Non dubito quin
hac Theodorici defensione præiverit Socinianis inposterum
causaturis, negatum Christum Patri consubstantialem
nullius posse erroris accusari, quòd Synodus Romana
non dubitarit, Theodoricum ita sentientem, quasi Regem
piissimum compellare.* Quis non videt non me, sed
Romanam Synodum & Baronium à Barone redar-
gui, quòd Theodoricum laudantes Socinianis patroci-
nentur? Monachus calumniandi avidus sibi tempe-
rare non potest à contumeliis, sive hæc in adversa-
rios, sive in amicos redundent. Delectum quidem
habet dictorum petulantium, quibus homines perstrin-
gat, sed delectum non habet hominum, quos per-
stringat. Amicos centum perstringeret, si inter eos
unus, quem haberet pro adversario, permisceretur.
Sunt & alia duo, quæ notare oportet. Alterum est,
Baronem à me reprehendi, quòd Theodoricum Arianum
vocaverit, sed mera est impostura: Theodorico nullam
fecit injuriam, cùm illum Arianum vocavit; sed non
mediocrem illi fecit injuriam, cùm tyrannum appel-
lavit. Alterum verò, cùm Regis piissimi titulum ad
fidem, non ad mores revocat, significans, id à me la-
ctum esse, cùm tamen factum sit contrarium; sic enim
scribo: "Frater Baro Theodoricum Regem tyrannum 536
"nominat, quem Romana Synodus gloriosissimum, cle-
"mentissimum, serenissimum, piissimum vocat: Piissi-
"mum, id est, humanissimum ac benignissimum.

Cæterum etiamsi Baro ex veteribus historicis nullum
reperiat aut laudet, qui Theodoricum Italiæ Regem
tyrannum appellaverit, eundem tamen appellandum
esse tyrannum statuit munitus ea ratione, quam solus
reliquorum omnium auctorum contemptus facit sin-
gularem. Bernardus de Montepolitiano, Edmundus
Burguinus, Jacobus Clemens, Carolus Ridicovius, Pe-
trus Argerus & Baro quos volunt Principes & hæreti-
cos & tyrannos faciunt, &c. Jurarunt in verba hæc:

Aliquis

Aliquis (Princeps) *per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.*

ANIMADVERSIO XVIII.

In re quæ ad laudatum à me ex Epistola Pii II. testimonium pertinet, Frater Baro peccatum suum convolvit, secum pugnat, gravissimæ reprehensioni beatum Thomam exponit, calces Gregorio IX. & Romanis Censoribus impingit.

IN animadversionis titulo momenta rerum sunt quatuor, quæ breviter expeditum imus. Ego quibusdam in Epistolis meis ex Pii II. Epistola CCCLXXIV. ad Carolum VII. adhibueram testimonium, quod ita
537 se habet: *Unum à te petimus, charissime fili, ut Doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas.*

Deinde nequis vel peccaret, vel peccasse me crederet, in Epistola ad Thomam Rullandum Parisiensem Theologum monui me Basileensem anni M.DLXXI. editionem, utpote correctiorem sequi. Hæc autem Epistola est in parte III. Epistolarum nostrarum. Quidquid, id est, Frater Baro, pro ea qua valet bonitate & clementia, dissimulat, ut in me styli sui mucronem exacueret confidentiùs. Per varia scriptionis loca Stentore vocalior it clamatum, interpolasse me Pii textum, & pro, *detractoribus*, reposuisse, *doctoribus*: Tunc incredibilem miratus sum calumniam, & in Epistolæ ad Thomam Fortinum Parisiensem Theologum capite XVI. demonstratâ rei veritate meam præsto innocentiam. Hinc siquid in Barone Christiani superfuisset pudoris, culpæ veniam deprecatus esset. In exercitationis, seu invectivæ articulo III. paragr. non deprecatur, immò culpam suam convolvit, ne videatur errasse, & ut est in malè agendo gnavus & industrius, quod priùs calumniandi propositum imbiberat, alio tacitè convertit. *Prima*, inquit, *scriptione accusaveram gravis plagii, quod Epistola Pii II. ad Carolum VII. Regem Galliæ corruperat hæc verba: Unum à te petimus, charissime fili, ut Sedis Apostolicæ detractoribus semper non credas, multa illorum passionibus tribuas. Fatetur antiqua exemplaria ita habuisse, detractoribus, sed sibi placuisse doctoribus, & visum sibi magis ad mentem auctoris accedere editionem, quam sequitur, Basileensem, quæ ex offi-*
538 *cina Henricipetrina prodierat, curasse conferre cum editionibus primis, quæ habent, detractoribus, & sibi magis probari, doctoribus. Cur ita? Quia sic visum est hæreticis Basileensibus, primùm Henrico Petro Bibliopolæ..... Deinde hæc interpolatio probatur Marci Hopperi testimonio, cujus, inquit Launoius, inscriptioni fidem facit certissimam præfatio, enumeratis sigillatim Pii libris, & adjunctæ gregalium, id est, Zuinglii & Oecolampadii discipulorum. Ex quibus omnibus luculenter ait Launoius, apparere operum Pii II. editionem (licèt hæreticorum manibus confectam) quâ usus sit, cæterarum omnium, quæ præcesserant, emendatissimam esse: Unius verò instar esse editiones cæteras, quæ ex Catholicorum officina prodierant, quia primæ sunt concordes. Quis ista crederet potuisse excidere Theologo Catholico, ut hæreticorum vadem se præbeat, eorum prælo & officinis fidem incorruptam præstet, Catholicorum traducat, quasi falsam & fallacem? An non meminit præcepti Apostolici: Hæreticum post unam aut alteram admonitionem devita, eorúmque commercium pejus angue, & peste, odio habendum & fugiendum? Annon legit apud Cardinalem Perronium, dum Gelasii, Bertrandi & Paschasii libros expendit, observatum, hos auctores horribilibus falsationibus ab hæreticis Lutheranis & Basileensibus corruptissimos prodiisse?*

I. Cùm vituperare me putat, me præter mentem suam laudat; cùm ait: *Fatetur antiqua exemplaria ita habuisse, detractoribus.* Id quod res est, ego fateor ingenuè. Sed Baro id quod res est, non fatetur ingenuè: Nimirum errasse se, cùm antè scripsit, me Pii II. verba corrupisse. Quod mendacii genus in
animadversione prima notavi. Sic igitur cùm id quod 539
res est, fateor ingenuè, laudem, vir bonus velit nolit, mereor, sed cum ille id quod res est, non fateatur ingenuè, vituperium meretur.

II. Baro maledicendi cupiditate cæcatus non tam mecum, quàm secum pugnat, cùm ita pergit scribere: *Sed sibi placuisse, doctoribus, & visum sibi magis ad mentem auctoris accedere editionem, quam sequitur, Basileensem, quæ ex officina Henricipetrina prodierat, curasse conferre cum editionibus primis, quæ habent; detractoribus, & sibi magis probari nomen, doctoribus. Cur ita? Quia sic visum est hæreticis Basileensibus.* Secum pugnat, cùm hinc de me ait, *Sibi placuisse, doctoribus, & visum sibi magis ad mentem auctoris accedere editionem, quam sequitur.* Et cùm inde ait: *Sibi magis probari nomen, doctoribus. Cur ita? Quia sic visum est hæreticis Basileensibus.* Suntne alia duo, quæ inter se magis pugnent? Non audet referre, quia non potest refellere momenta rationum, quibus lectionem hanc, *doctoribus*, in Epistola Pii II. exigi probo. E meis rationibus postremam refero, "quæ duobus postea ejusdem Papæ testimoniis confirmabitur: Denique gratuitò sibi persuadebit nemo, noluisse Pontificem id de Sedis Apostolicæ doctoribus scribere, quod ab eo scriptum in castigatiori operum editione legitur. Cur non scripsisset, si verè scribi potuit? Fortasse, inquies, majorem doctorum illorum curam habuit, quàm ut aliquid tale de illis scriberet? An majorem, quæso te, famæ Doctorum Sedis Apostolicæ curam habuit, quàm sacri Collegii? Parvipendebat Collegium,
"& illud parvipendisse Jacobus Cardinalis Papiensis 540
"testatur in Epistola CLXXXI. ad Paulum II. Nobis verò, ait, quem esse animum credis, videntibus nostræ dignitati illudi? Hocce erat, quod repromittebas de te, cùm Pontificatum quærebas, cùm te insinuabas nobis, cùm dolebas Nicolaum, Callistum, Pium parvipendisse Collegium nostrum? Hæc autem omnia, quæ apud cordatos atque eruditos homines videri possunt efficacissima & hoc in rerum genere invictissima, confirmantur ex duabus Pii Epistolis, quarum prima est Epistola CCCLXIX. ad Martinum Meyerum: *Fatemur*, inquit, *insuper aliquando in Romana Curia, quam regunt homines aliqua fieri, quæ digna essent emendatione, nec dubitamus ipsos Romanæ urbis præsules etiam in quantum homines falli, errare, labi ac decipi posse.* Secunda est ea, quæ de moribus Germaniæ exaratur: *Fatemur*, inquit, *in Romana Curia, quam homines regunt, non omnia esse nitida, & plurima fieri digna correctione, nec ambigimus ipsos primæ Sedis Antistites, cùm Christi Dei nostri vicariatum assumunt, homines remanere, ac propterea falli, errare, labi ac decipi posse.* Nunc quæso te, frater Baro, Piúsne Sedis Apostolicæ doctorum magis, quàm rectorum famam curabit? In his testimoniis Romanus ipse Pontifex ut liquet, multò duriùs de Sedis Apostolicæ rectoribus quàm de doctoribus pronunciat. Accedit, quòd de iis tantùm doctoribus, qui tunc viverent, pronuntiet, non verò pronunciet de iis rectoribus qui tunc viverent, sed qui vixerant, &
quorum aliis alii successerant. Non enim plures Sedis 541
Apost. rectores simul esse possunt, sed plures simul in Rom. Curia doctores versari possunt.

Deinda quæ Baro mihi de Basileensibus hæreticis opponit, in ipsum successu pari retorquentur. Nam apud eosdem quorum meminit hæreticos Basileæ anno M.DLI. ut jam in animadversione I. mendacio XVIII. notavimus, edita sunt Pii II. opera, in qui-

bus nomen, *detractoribus*, non, *doctoribus*, habetur. Quis modò Baronem non rideret, si ridendus potiùs, quàm miserandus videretur? Tum officinam Catholicorum nominat, quæ hæreticorum est, nisi probet Henricum Petrum, Marcum Hopperum & alios Zuinglii & Oecolampadii discipulos Catholicam religionem professos esse anno M. DLI. cùm Pii II. opera ediderunt: Sed ab illa jam tum primùm anno M. DLXXI. defecisse, cùm Pii opera tunc omnia recuderunt. At secundùm ista Baronis epicheremate hoc quid fiet? *Quis ista crederet potuisse excidere Theologo Catholico, ut hæreticorum vadem se præbeat, eorum prælo & officinis fidem incorruptam præstet, Catholicorum traducat, quasi falsam & fallacem? An non legit apud Cardinalem Perronium, dum Gelasii, Bertrandi & Paschasii libros expendit, observatum, hos auctores horribilibus falsationibus ab hæreticis Lutheranis & Basileensibus corruptissimos prodiisse?* Ego rem facilè expedio, cùm id quod in Basileensi editione anni M. DLI. incorrectum remanserat, in Basileensi editione anni M. DLXXI. correctum esse suprà observavi. Ad Gelasii, Bertramni seu Ratramni, & Paschasii libros quod attinet, si hi Basileæ editi sunt aliter, quàm reperti
542 in Catholicorum bibliothecis codices manuscripti præ se ferant, Basileenses editores vehementer accuso. Si verò Basileæ non sunt aliter editi, quàm reperti in Catholicorum bibliothecis codices manuscripti præ se ferant, Basileenses editores accusare non possum. Frater Baro, pro ea, qua valet æquitate & clementia accusabit, si voluerit; accusabit sine dubio, quia in suis concertationibus æquitatem servare nullam consuevit.

Præterea cùm me ita convenit, *An non meminit præcepti Apostolici, hæreticum post unam aut alteram admonitionem devita*, oblitus est eorum, quæ Bellarmino invicto Catholicæ fidei pugili suo, in lib. IV. Apolog. sect. IV. paragr. III. sic objicit: *Quæ verò Mariales scribit de Bellarmino, licèt non sim aliena à morosorum opinione, quòd causam hæreticorum juverit, & à ministri ore excepi Bellarminum de suis Ecclesiis reformatis optimè meritum, quòd illarum Theologiam miro ordine digesserit, quòd fortiora argumenta proferat, quàm extent apud auctores suos, & addebat se audivisse Bellarminum in Hispania prohibitum, quòd ab ejus lectione aliquid mali timerent Catholicis, quia argumentis validissimis debiliores dabat solutiones.* Nunc mea vice dicam & Baronis verba repetam: *An non meminit præcepti Apostolici, hæreticum post unam aut alteram admonitionem devita? Eorúmque commercium pejus angue & peste odio habendum & fugiendum?* Sic igitur beati Pauli præceptum, quod aliis objicit, executus est fideliter, cùm aliis exequendum injungit. O virorum circumspectissime! Beatus Paulus præcipit, ut hære-
543 ticus post unam vel alteram monitionem vitetur; Baro ut morem gerat Apostolo, cum hæretico doctore familiariter versatur, & quæ ab eo Bellarmini famæ contraria didicit, monumentis illustrat suis, ne quod oblivioni tradendum erat, tradatur. O virum bonæ invicti Catholicæ fidei pugilis famæ amantissimum!

Denique beati Pauli præceptum interpretatur de libris, in quos nec cadit, nec cadere potest admonitio: Non interpretatur de seipso, in quem cadit admonitio, nisi fortasse velit eam in hominem sibi similem cadere non posse, quia inutiliter & sine fructu ullo caderet.

III. Vir prudens non advertit, me dum operum Pii II. editione Basileensi utor, multò minùs reprehendendum esse, quàm beatum Thomam, qui Catholici cujusdam Doctoris codice ab hæreticis librariis manu exarato non tantùm utitur, sed etiam doctrinæ sanæ passim immiscet auctoritates illius Philosophi, quem sancti Patres & tractatores Ecclesiæ Patriarcham hæreticorum omnium appellant, quem ut infensissimum Christianæ religionis hostem execrantur, & aversis in sinistrum palmis abominantur. Sanctorum Patrum hac de re & tractatorum sententias retuli, & per ætates singulas digessi in capite II. libri, quem de varia Aristotelis fortuna inscripsi.

His adde Gregorii IX. ad Magistros Parisienses rescriptum, in quo Pontifex vetat, ne quos Aristotelis libros damnaverat provinciale Concilium, iis ullus utatur, antequam ab omni errorum suspicione purgati fuerint. Rescripti verba sunt: *Ad hæc jubemus,* 544
ut Magistri artium unam lectionem de Prisciano & unam post aliam ordinariè semper legant, & libris illis naturalibus, qui in Concilio provinciali ex certa scientia prohibiti fuere Parisius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati. Hic salva sint ea, quæ aliàs pro beati Thomæ excusatione scripsi. Nunc ad hominem disputo, & Baronem eas ad angustias, ad quas me compellere voluit, compello, & præ me fero, illum per summam imprudentiam reprehensioni beatum Thomam exposuisse gravissimæ, cùm me vel nulli, vel saltem parvæ exponere tentavit.

IV. Nunc tandem videndum est, Baronem calces Gregorio IX. & Romanis censoribus impingere, cùm in exercitationis articulo III. paragr. ultimo pag. 455. ita scribit: *Eodémque, ni fallor, refert, quod primo capite habet decretum Gregorii IX. ad Academiam Parisiensem, quo cavet etiam comminatione indignationis Sedis Apostolicæ, ne Philosophorum gentilium libri in scholis prælegantur, quasi istis censuris perstringatur D. Thomas, quem in speciem videri vult Launoius purgasse. Sed iis excusationibus non eget qui nihil peccavit, quin potiùs summam consecutus est laudem S. Doctor, quam cùm mereri nequeat Launoius, prætexta nititur defensione inumbrare, quæ culpam si qua foret, gravaret, vix ulla venia dignam.*

Et primò quidem imponit Gregorio IX. Pontifici, cùm ait: *Quo cavet etiam comminatione indignationis Sedis Apostolicæ.* Gregorius indignationem Sedis Apostolicæ comminatur nemini. Sic autem ille comminatur: *Si quis autem hoc attentare præsumpserit, in-* 545
dignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. At Frater Baro ut ridiculum efficiat Pontificem, ea ratione scribit, ut putemus Gregorium in ea esse sententia, ut credat omnipotentem Deum, & Petrum ac Paulum Apostolos Sedem Apostolicam fuisse, cùm ille indignationem Sedis Apostolicæ comminatur lectoribus librorum, quos proscribit. Quis porrò præter Baronem Sedem Apostolicam in omnipotenti Deo, in Petro ac Paulo Apostolis constituit unquam? Ut novam definientis è cathedra Pontificis notionem sibi finxit, & nobis obtrusit suprà in animadversione XII. sic & novam Sedis Apostolicæ notionem nunc sibi fingit, & nobis obtrudit, ad magnum Gregorii IX. dedecus.

Deinde eidem Pontifici non minùs fœdè imponit, cùm ait, *ne philosophorum gentilium libri in scholis prælegantur.* Id nentiquam fecit Gregorius. Non prohibuit, ne Platonis libri in scholis prælegerentur. Antiqui Patres Ecclesiæ non æquè à Platonis atque ab Aristotelis Philosophia abhorruerunt. Beatus Augustinus in libri VIII. Confessionum capite IX. Deum sic alloquitur: *Procurasti mihi per quendam hominem immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex Græca lingua in Latinam versos: Et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omninò, multis & multiplicibus suaderi rationibus, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,* &c. Iterum in lib. de beata vita: *Lectis autem Platonis paucissimis libris, cujus te studiosissimum accepi,* 546
collatâque cum eis quantùm potui, etiam illorum auctoritate, qui divina mysteria tradiderunt, sic exarsi, ut omnes illas vellem anchoras rumpere, nisi me nonnullorum hominum existimatio commoveret. Iterum adhuc in

libri

libri x. de Civitate Dei capite xxix. *Pudet videlicet*
doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Chri-
sti qui piscatorem suo spiritu docuit sapere ac dicere :
In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,
& Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud De-
um. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum
est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita
erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ
eam non comprehenderunt. Quod initium sancti Evan-
gelii, cui nomen est secundum Joannem, quidam Plato-
nicus, sicut à sancto sene Simpliciano, qui postea Medi-
olanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus audire,
aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in
locis eminentissimis proponendum esse dicebat. Vide nunc
ac circumspice, Maræsi noster, quanta fit Romano
546 Pontifici injuria, & quam multiplex ac tortuosum sit
Baronis ingenium (quod Tullio auctore fidum esse
non potest,) cùm Gregorio id imponit turpiter, quod
impositum notavimus.

Tum indefinitè loquitur de gentilibus Philosophis,
ut illorum nomine Platonem cum primis & Aristo-
telem inter se convolvat, & ita Gregoriani decreti
auctoritatem elevet, & in sancti Thomæ gratiam e-
ludat. Siquidem sperat nonnullos nacturum se esse
lectores, qui credant vetuisse Pontificem, ne Platonis
547 & Aristotelis libri in scholis prælegantur. Hoc au-
tem cum animo imbiberint, facile sibi persuadebunt,
Gregorii decretum non esse idoneum, cui propter
Platonem mos a quoquam geratur. Quo pacto vana
erit illa excusatio, qua beatum Thomam propter A-
ristotelem lectum, & commentariis illustratum purgare
volui.

Quartò Gregorius sciens & prudens de solis Ari-
stotelis operibus in rescripto ad Parisienses Magistros
loquitur; de illius tantùm philosophi operibus, quæ
provinciale Concilium damnaverat, sermonem insti-
tuit, ut Pontifex in rescripto significat. Illa Aristo-
telis opera esse Rigordus in libro de vita Philippi
Augusti testatur his verbis : *In diebus illis* (ad an-
num M. CCIX. *legebantur Parisiis libelli quidam de A-*
ristotele, ut dicebantur, compositi, qui docebant Meta-
physicam, delati de novo à Constantinopoli, & Græco in
Latinum translati : Qui quoniam non solùm hæresi (Al-
marici) *sententiis subtilibus occasionem præbebant, immò*
& aliis nondum inventis præbere poterant, jussi sunt om-
nes comburi, & sub pœna excommunicationis cautum est
in eodem Concilio, ne quis eos de cætero scribere & legere
præsumeret, vel quocunque modo habere. Concilio huic
Parisienses Magistros interfuisse tradit Hugo Mona-
chus, qui Roberti Autissiodorensis Chronologiam con-
tinuavit. Gregorius IX. provincialis Concilii decre-
tum confirmando, illud temperavit hoc modo : *Li-*
bris illis naturalibus, qui in Concilio provinciali ex certa
scientia prohibiti fuere Parisius, non utantur, quousque
examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione pur-
548 *gati.* Vide quàm mediatè & quàm circumspectè de-
cretum : Non ab omnibus tantum erroribus, sed eti-
àm ab omni errorum suspicione purgati. Et quamvis
Aristotelis libri, quos provinciale Concilium prohi-
buerat, nec examinati, nec ab omni errorum suspicione
purgati fuerint, illos tamen beatus Thomas secum ha-
buit, legit, & multis donavit commentariis. Quod
Thomas Campanella Ordinis Prædicatorum Theologus
cùm perspiceret, in prologo instauratarum scientiarum
art. 11. scripsit, id omne à beato Thoma factum esse
cum licentia Pontificis. Sed quia istud gratis scripsit,
perinde est ac si nihil scripsisset. Frater Baro rem ali-
ter expediendam sibi esse censuit. *Beatus*, inquit, *Tho-*
mas Launoii excusationibus non eget, qui nihil peccavit :
quin potiùs summam consecutus est laudem S. Doctor,
quam cùm mereri nequeat Launoius, prætexta nititur
defensione inumbrare.

Postremò Monachus hac superba scriptione sua pro-
vinciale Concilium, & Romanum Pontificem irridet,
& primatum illius despicit, quem nos colimus & ob-
servamus. Deinde cùm provincialis Concilii & Gre-
gorii IX. decretum repudiat, luculenter ostendit Ro-
manæ Inquisitionis decretum nullum esse, vel futurum
esse, quod potiori jure repudiari non possit. Nam in
provinciali Concilii & Gregorii IX. decreto sunt
tria, quæ in prohibitoriis Romanæ Inquisitionis de-
cretis reperire non licet. Primum est provinciale
Concilium ; alterum, Parisienses Theologi Concilio
juncti ; tertium, Pontifex per seipsum docens : *Gre-*
gorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis uni- 549
versis Magistris & Scholaribus Parisiensibus salutem &
Apostolicam benedictionem. Parens scientiarum Parisius
velut altera Cariatsepher civitas literarum cara claret,
magna quidem, sed de se majora facit optari docentibus
& discentibus gratiosa. In qua utique tanquam in offi-
cina sapientiæ specialis habet argentum venarum suarum
principia, & auro locus est, in quo ritè conflatur. Ex
quibus prudentes eloquii mystici murenulas aureas vermi-
culatas argento cudentes & fabricantes monilia or-
nata lapidibus pretiosis, immò nulli pretio comparandis
sponsam Christi decorant. Quod ad parentem scientia-
rum Lutetiam elogium addit Gregorius, Paris. The-
ologos, qui provinciali adhærebant Concilio vehe-
menter commendat. His tribus accedunt sancti Pa-
tres, Justinus martyr, Clemens Alexandrinus, Irenæ-
us, Tertullianus, Origenes, Lactantius, Eusebius, A-
thanasius, Hermias, Basilius, Gregorius uterque Nys-
senus & Nazianzenus, Epiphanius, Theodorus Presby-
ter Antiochenus, Faustinus Presbyter, Ambrosius, Chry-
sostomus, Hieronymus, Simplicianus Mediolanensis
Episcopus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, cœtus
Episcoporum Ponti, Socrates, Theodoretus, Chryso-
logus, Sidonius, Beda, Rabanus, Remigius Lugdu-
nensis, Leo XI. Bernardus, & alii, quorum testimo-
nia refero in capite 11. libri, quem de varia Aristo-
telis fortuna inscribo. Hi autem omnes Philosophum
hunc abominantur, ut Christianorum dogmatum ho-
stem acerrimum, & hæreticorum omnium Patriar-
cham. Hoc in loco prætermittere nec debeo, nec 550
possum, quod anno superiori Romæ accidit x. Calen.
Aprilis. Inquisitores propositionem hanc : *Libri pro-*
hibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum ad-
hibita diligentia corrigantur, proscripserunt, & proscrip-
tione sua Gregorii IX. decretum seu rescriptum valide
confirmarunt.

Nunc ad Baronem venio, qui adversùs quæcunque
Romanæ Inquisitionis decreta prohibitoria efficacissi-
mum nobis amuletum paravit. Etenim si beatus Tho-
mas cùm Gregorii IX. decretum prohibitorium tot
præsidiis munitum insuper habuit, peccavit nihil; si
ob edita in Aristotelis libros commentaria ingentem
consecutus est laudem ; Qui prohibitoria Romanæ In-
quisitionis decreta similium præsidiorum expertia con-
temnet, nihil peccabit ; quin potiùs si in prohibitos
ab Romana Inquisitione libros edat commentaria, in-
gentem ob id gloriam consequetur. Baro in superiori
animadversione IV. Romanæ Inquisitionis censuras
nunc parvi, nunc magni facit. In hac autem animad-
versione XVIII. nihili : Ita ut non peccet, qui cen-
suras illas negligit ; Immò in laude ponantur auctores,
qui libros prohibitos commentariis illustrarint. Sed
mihi vitio vertit, quod provincialis Concilii & Gre-
gorii IX. decreto non contradixerim, & in vetitos
Patriarchæ hæreticorum omnium libros commentaria
non ediderim : *Quam*, inquit, *Doctoris sancti laudem*
cùm mereri nequeat Launoius, prætexta nititur defensione
inumbrare, qua culpam, si qua foret, gravaret vix alla
venia dignam. En egregiam Baronis indolem, qui
propter desultoriam in scribendo levitatem apud suos 551
ut alter Gorgias Leontinus existimatur ! Quidquid id
est, quam de beati Thomæ facto contra provincialis
Concilii & Gregorii XI. decretum sententiam statuit,
hanc Antonius Spalatensis, Philippus Mornæus &

David Blondellus defendent potiùs, quàm beatus Bernardus, Robertus Cardinalis Bellarminus, Jacobus Cardinalis Perronins, & Nicolans Coeffetæus, quorum opem & auxilium perpetuò Inclamat. Hi non accurtent, sed illi advolabnnt. Baronem amplectentur amicissimè, dissuavlabuntur, & qnotquot in directorium Inquisitionis ad Christianæ libertatis tuendæ cupiditatem scribendo exarserunt.

ANIMADVERSIO XIX.

In Barone luculentum amissa fidei & frontis exemplam circa Bellarmini de gratia efficaci sententiam ostenditur.

CUM ego perspicerem Baronem in quarundam Epistolarum nostrarum examine Bellarminnm passim appellare invictæ fidei pugilem, explorare volui, num esset simulatio, quæ vultu & fronte sustineri solet, aut veritas, quæ lincero animo coleretur. Hinc cùm probè tenerem in Bellarmini libris asservari Lydium lapidem, quo qui & qualis esset frater Baro dignosceretur, In Epistolæ ad Thomam Fortinnm capite XVIII. Baronem qnia illum simplicem & apertum esse credebam piè, sic convenio:

"Deinde Bellarminus invictus fidei Catholicæ pu-
552 "gil, in libri 1. de gratia & libero arbitrio capite
"XII. de Baronis & aliorum S. Thomæ discipulorum gratia efficaci scribit hoc modo: Sequitur altera "quæstio, nnde sumatur efficacia gratiæ: De qua "re tres opiniones invenio, duas extremas, & nnam "mediam. Et quibusdam interpositis: Elt igitur alia "sententia in alio extremo aliorum, qui docent gra"tiam efficacem esse actionem Dei physicam, quæ de"terminat voluntatem ad volendum & eligendum bo"num, quod illi fuerat per gratiam excitantem in"spiratum. Et quia non potelt fieri, ut Deus physicè "determinet voluntatem, quin ipsa voluntas deter"minetur, & velit id ad qnod determinatur, ideo fi"eri non potest, nt gratia ista non habeat effectum "infallibilem. Hæc opinio videtur mihi, aut esse om"nino eadem cum errore Calvini & Lutheranorum, "aut parum ab illo distare. Relato Bellarmini textu sic pergo:

"Hæc est de physica prædeterminatione sententia, "quam invictus fidei Catholicæ pugil Bellarminus "eandem cum errore Calvini & Lutheranorum facit. "Si Frater Baro Bellarmini placitum accipiat, cap"tus est, si rejiciat, nullus: Et tergiversanti occur"ram & dicam: Si quæ tu mihi de Blondello & "Mornæo objicis, veritate niterentur aliqua, nunc re"sponderem hoc modo. Ex Mornæo & Blondello hi"storicæ eruditionis nonnihil meos in nsus derivare "minùs malum est, quàm commune cum Calvino "& Lutheranis dogma proponere & asserere. At "Thomistæ, in quibus est Baro proponunt & asse-
553 "runt. Quo judice? Bellarmino, à cujus tribunali
"provocare non licet, quia Baroni nostro & Baro"nibus aliis Bellarminus invictus est fidei Catholicæ "pugil.

Hoc est desumptum ex Bellarmini verbis epicherema, quo Baronem urgebam, & cui respondere non potnit aliter, quàm per insignia mendacia, & multa stultiloquia, quæ in exercitationis articnlo III. parag. 11. sic exarantur: *Et ne videar adeò iniquum Launoii judicium solis verbis castigare, exemplum addam, quod ipsemet suppeditat. Quamvis Bellarminus posterioribus editionibus fortè præter ejus mentem correctis (nam de primis & de iis, quæ Lovanii docuerat, secus omnino mihi constat sensisse) licèt, inquam, doctrina de gratia efficaci scholæ nostræ non admodùm videatur æquus, non tamen propterea me unquam pœnitebit tituli pugilis fidei Catholicæ invicti, quia non sunt nostra judicia, vel aliorum merita, ex propriis commodis, aut ex privatis dissidiis metienda.*

Et primo qnidem iniquum esse Baronis de me judicium confirmat exemplum, qnod à me suppeditatum esse scribit. Operum Bellarmini editiones posteriores in eo, quod ad efficacem gratiam spectat, à prioribus non dissentinnt. Priores snut quæ Ingolstadii apud Davidem Sartorium curatæ sunt anno M. DLXXXIX. ubi sic habetur in libri 1. de gratia & libero arbitrio capite XII. *In qua re sita sit gratia efficacia. Sequitur altera quæstio, unde sumatur efficacia gratiæ, de qua re tres opiniones invenio, duas extremas & unam mediam.* Et post alia: *Est igitur alia sententia in alio extremo aliorum, qui docent gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volen-* 554
dum & eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum. Et quia non potest fieri, ut Deus physicè determinet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur, & velit id ad quod determinatur, ideo fieri non potest, ut gratia ista non habeat effectum infallibilem. Hæc opinio videtur mihi aut esse omnino eadem cum errore Calvini & Lutheranorum, aut parum ab illo distare. Et quemadmodum superior opinio destruebat gratiam efficacem, & simul prædestinationem, ita hæc opinio destruit gratiam sufficientem, & simul tollit è medio liberum arbitrium. Nam ista determinatio voluntatis, quam gratia efficere dicitur, est necessaria ad hoc ut voluntas moveatur. Siquidem sine Dei concursu nihil omnino fieri potest, & ex sententia horum auctorum Dei concursus nihil est aliud nisi determinatio, quam Deus efficit in voluntate: Quòd si gratia ista necessaria est, non igitur sine ea potest fieri actio bona, ac per hoc nulla remanet gratia verè sufficiens, quæ non sit etiam efficax. Destruit igitur hæc opinio gratiam sufficientem. Quòd autem tollat liberum arbitrium, ita probari potest. Nam positâ gratiâ determinante, non est in potestate liberi arbitrii agere vel non agere, neque est in ejus potestate, ut ea gratia ponatur, vel non ponatur. Igitur necessariò, & non liberè voluntas agit. Hæc omnia ut in posterioribus operum Bellarmini editionibus, sic & in prioribus eadem & ad verbum reperiuntur: Et tamen Frater Baro audet scribere quæ retulimns, Bellarminum nempe in posterioribus operum suorum editionibus aliter sensisse de efficaci gratia, quàm in prioribus: Qnod mendacinm est apertissimum; 555
posteriores editiones fortè præter ejus mentem correctas esse: Quod est secundum mendacium primo simile. Posteriores enim editiones præter ejus mentem correctæ non snut, si à prioribus in nullo discordent. Deus immortalis! Quæ mea infelicitas! Res est mihi cum eo Fratre, qui qnodnam sit futurum de se Dei & hominum judicium non reformidat.

Deinde cùm ait, *De iis quæ Lovanii docuerat, secus omnino mihi constat sensisse*, putàtne hoc persuadere se posse, cùm mendaci etiam vera dicenti non credatur? Quod sibi omnino constare dicit, constare sibi omnino non potest, scilicet non aliter sentiendum esse de iis, quæ Bellarminus Lovanii docuerat, quàm de prioribus operum Bellarmini editionibus, quæ à posterioribus non dissentinut, nt mutua docet priorum & posteriorum editionum contentio. Hic ad eas redactus est angustias, nt fidem suam liberare nequeat, nisi quæ vult Bellarminum dictasse Lovanii, Bellarmino per summum nefas subjiciat. Quo pacto fidem minimè liberabit suam, quia nulla reliqua est, sed scelus scelere cumulabit.

Tum sit ita. Bellarminus aliter docuerit Lovanii, aliæ fuerint priores operum editiones, quàm posteriores: Qnid quæso tunc temporis vetuit, quominus mutaret sententiam? Si mutavit sententiam, in posteriori sententia manendum, nec ad priorem recurrendum est, quia rejecta priori, posteriorem sibi vendicat & ei adhæret. Si Bellarminus mutavit sententiam, judicio suo mutavit in melius. Cur ergo Frater Baro posteriorem

556 riorem Bellarmini sententiam non amplectitur, si simpliciter & sine fuco credat, Bellarminum esse revera invictum fidei Catholicæ pugilem? Cùm hîc sibi sumit, prædeterminationem physicam, in qua Thomæ discipuli recentiores efficaciam gratiæ constituunt, aut esse omnino eandem cum errore Calvini & Lutheranorum, aut parum ab illo distare; Si Bellarminus invictus Catholicæ fidei pugil dicendus est, is certè contra Calvinum, Lutheranos, & iis consentientes Baronem & Baronis socios maximè dicendus est.

Præterea, cùm ait: *Bellarminus doctrina de gratia efficaci schola sua*, id est, recentiorum Thomæ discipulorum, *non admodùm videtur æquus*. De addito ad Bellarminum elogio, mirum quantùm detrahit: Quia Bellarminus qua in re sita sic efficacia gratiæ, ignorat. II. Per ignorantiam, quæ expensis rebus omnibus nonnisi summa est, Baronis & sociorum opinionem de gratiæ efficacia cum errore Calvini & Lutheranorum confundit. III. Quo jure dicit Bellarminum scholæ suæ non admodùm videri æquum, eodem & fortè potiori Bellarminum scholæ Parisiensium non admodum videri æquum, dicere quis poterit. IV. Qua ratione dicit Bellarminum scholæ suæ non admodùm videri æquum, eadem & Calvinistæ & Lutherani dicent Bellarminum scholæ suæ non admodùm videri æquum, quia non aliud de gracia efficaci sentire se, quàm Baro & Baronis collegæ sentiunt, profitebuntur. At secundùm hæc omnia hoc elogio, *Invictus Catholica fidei pugil*, quid fiet? Baronis studio & opera extabescet.

Hinc cùm ait, *Posterioribus editionibus præter ejus* 557 *mentem correctis*, videtur innuere, posteriores operum Bellarmini editiones correctas fuisse, cùm Romæ agitata est de auxiliis gratiæ quæstio. Sed oppidò quàm fallitur? Nam quæstio hæc agitata non est Sixti V. tempore, quo Bellarmini opera Ingolstadii apud Davidem Sartorium typis primùm mandata esse constat. In verbis mox relatis, Baro perficiendi & occultandi maleficii spem collocat, quod in eo consistit, ut credatur, Bellarmini scripta præter illius mentem à sociis correcta esse; eóque pacto Ludovici Molinæ causam contra Prædicatores vehementer adjutum iri.

Postremò, cùm ait: *Me nunquam pænitebit tituli pugilis fidei Catholica invicti, quia non sunt nostra judicia, vel aliorum merita ex propriis commodis, aut privatis dissidiis metienda*, lectoris patientiâ abutitur, & secum pugnat. Si judicia ex propriis commodis metienda non sunt, sed ex publicis, cur Baro illa ex publicis non metitur, & eandem cum invicto fidei Catholicæ pugile sententiam de gratiæ efficacia non amplectitur? Cur privata non cessant dissidia? Cur apud invictum fidei Catholicæ pugilem veritas non vincit? Cur ab afflicta Calvini & Lutheranorum societate Baro & Baronis collegæ non transfugiunt, & ad invicti Catholicæ fidei pugilis florentem aliam non devolant? Cur propriis commodis publica, & privatis dissidiis communem Ecclesiæ pacem non anteponunt, invictum Catholicæ fidei pugilem secuti? Cur tandem Baro ne vana ductus pœnitentia credatur, opinionem ab invicto Catholicæ fidei pugile judicatam, eandem cum errore Calvini & Lutherano- 558 rum, vel certè errori huic finitimam non ejurat? Ita me Deus adjuvet, ejuraturus est nunquam, non quòd Baroni religio sit, quominus ejuret, quia multa solet agere remotâ conscientiâ, sed quòd à Fratribus in physicam prædeterminationem jurantibus sibi timeat.

Est & aliud Bellarmini de immaculata Virginis Conceptione placitum, in quod nusquam quoque jurabit, quia Bellarminum hac in materia pro invicto Catholicæ fidei pugile non habet. Sed habet in eo potissimùm argumenti genere, quo Romanum Pontificem supra Ecclesiam & Concilia, filium supra matrem attollit, non errandi privilegium non modò contra Ecclesiæ, sed etiam contra Sedis Apostolicæ traditionem illi tribuit, & Reges ditionibus suis privandi jus assignat. Hæc sunt tria capita, quibus Baro Romani Pontificis primatum augere, sed regnum, atque Ecclesiam Gallicanam affligere instituit. In primo capite molitur exitium *veritatis illius in qua privilegia, seu libertates regni posita sunt universa.* Ut Carolus Lotharingius Cardinalis testatur in commonitorio, quod anno M. DLXIII. Romam misit ad Britonem Secretarium suum. In secundo calamitatem regno machinatur per Bonifacii VIII. constitutionem, cujus initium est, *Unam sanctam*, &c. In tertio conatur asserere hanc, in quam jurat doctrinam: *Potest justè per sententiam vel ordinationem Ecclesia auctoritatem Dei habentis tale jus dominii vel prælationis tolli, quia infideles merito sua infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Iterum: *Sed aliquis* (Princeps) *per infidelitatem* 559 *peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam propter alias culpas.* Et quibusdam interpositis: *Et ideo quàm citò aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Hæc autem doctrina cùm semel asserta fuerit, Baro fratres suos Burguinum, Clementem, Ridicovium & Argerum famæ restituet, & fortassis ut viros de Republica bene meritos fastis adscribet. Hæ sunt arcanæ Baronis molitiones, quas ego patefacio, & quibus candide renunciabit nunquam, nisi quam doctrinam rejicimus, scripto rejiciat. Cæterùm in me recipio & spondeo, ex iis, qui seorsum à Catholicis per religionem sentiunt, fuisse unquam neminem qui in versibus tam paucis plura, quàm Frater Baro mendacia & stultiloquia protulerit.

ANIMADVERSIO XX.

Frater Baro jus naturale violat in silentio, quod exigit privata & familiaris congressio.

ANni sunt tres & eò ampliùs, quòd nescio quo fato Laudnui in secunda Belgica cùm essem, in Fratris Baronis congressum & colloquium veni. Hominem de facie non noveram, nec de nomine; de habitu & vestitu qui & qualis esset, facile intellexi. Continuò ex adjunctis suspicatus sum Baronem bonæ indolis monachum esse, qui conscientiæ moderator foret, & confitentium peccata soleret audire. Mox sub consuetudinis initium Ecclesiasticas quæstiones 560 cùm Aristotelico more decideret, ante oculos mihi obversari cœpit Theologus è schola, quam Gregorius IX. emendare voluit, & in antiquum statum restituere. Hinc occasione data in sermone injeci, difficilè inveniri doctorem, qui vel ad præscriptum Gregorii IX. vel convenienter definitæ à beato Thoma doctrinæ sacræ Ecclesiasticam quæstionem tractaret ac solveret. Et quia liberius putabam esse colloquium, in exemplum statui Thomam ipsum, qui opusculum de absolutionis forma composuit. Allatis rationibus, cur Thomas mihi non videbatur ad plenum & perfectum satisfecisse, Frater ira penè excanduit: miratus sum hominis ingenium & tacui, ne contentionis funem duceremus, & honestus congressionis nostræ finis amitteretur. Hoc autem familiare colloquium, quod naturali jure cælari & in occulto latere debuit, me inscio vulgavit post nonnulla mendacia, quæ animadversione I. notanda esse censui. Sic igitur in articuli III. paragrapho II. scribit: *Nec ad hoc mihi opus est aliorum testimoniis, quia memini eorum, qua ex tuo ore excepi. Nam cùm tecum familiariter colloquerer, & D. Thoma doctrinam ab ea dote commendarem, quam fusiùs prosequor hujus*

Apolo-

Apologia libro I. *sectione* I. *articulo* 2. *quòd tota sit à traditione Ecclesiæ hausta, tu contrà more tuo intercessisti; neque enim æquis auribus, quod ad summorum virorum laudem pertinet, audire potes, & exemplum addidisti: traditionis Ecclesiæ ignarum, aut ab illa alienum inde D. Thomam probabas, quod opinaretur poeni-*
561 *tentem confessum non formula deprecatoria absolvendum, sed sententia more judiciorum: Et cùm apud omnes Catholicos usu recepta sit absolutio instar judicii, non precationis concepta, sed apud te nedum D. Thomas deceptus sit, sed totam Ecclesiam secum in errorem abripuerit, te judice, quid inde consequatur, malim à prudente Catholico lectore æstimari, quàm à me dici, ne conqueratur Launoius sibi à me portenta calumniarum inferri, & vix sibi Catholici nomen, sicut nec ipse Christiani divi Thomæ libris relinquere.* Familiare colloquium ita refert, ut nulla sit linea, quæ non aliquo mendacio conspurcetur. Baroni satis non fuit jus naturale violare, nisi crimen istud aliis criminibus cumularet. Tam innata est huic homini, támque insita mentiendi cupiditas, ut factum vix ullum narrare possit, quin veris falsa semper admisceat.

Mentitur I. quia beati Thomæ doctrinam mihi non commendavit ab ea dote, quam assignat.

Mentitur II. quia intercedere non potui commendationi, quæ nulla facta est. Deinde mihi commendandus non est B. Thomas, in cujus doctrinam juro, quo modo mox exponam.

Mentitur III. cùm ait me æquis auribus, quod ad summorum virorum laudes pertinet, audire non posse. Quasi verò libenter non audirem laudem beati Tho-
"mæ, in cujus Theologiam ita juro: Religiosè ju-
"ro in beati Thomæ doctrinam omnem, quam con-
"venienter definitæ à se Theologiæ scholasticæ in pri-
"ma parte quæst. I. art. II. & art. VIII. ad secun-
"dum tradidit; & propter honorem S. Thomæ non
"juro in aliam, quæ ab illa dissentiret. Sacramen-
562 tum hoc etsi repetam sæpius, id tamen more suo dissimulat F. Baro, ut me pro suo instituto criminari non cesset.

Mentitur IV. cùm ait, *Me divi Thomæ libris vix Christiani nomen relinquere.* Hanc calumniam alibi notavi & repuli: Apud satanam ipsum edito mox sacramento repellerem, quod apud Baronem repellere non possum.

Mentitur V. cùm ait, dixisse me, *Thomam traditionis Ecclesiæ ignarum fuisse*, ubi propositam quæstionem tractavit: Hoc non dixi. Sed dixi laudare me Thomam, quòd tractandæ & solvendæ quæstioni vacasset, sed me laudaturum eum esse magis, si per otium licuisset vacare diutius. Ad tractandam & solvendam quæstionem unum tantùm diem insumpsit, ut in operis fine testatur. *Voluntas autem Dei fuit, ut pro defensione potestatis Petro traditæ, in festo Cathedræ Petri hoc opus de mandato vestro compilare laborarem.* Generalem Ordinis sui Magistrum alloquitur. Credebam ego tunc cùm in Baronis familiaritate versabar, & etiamnum credo, non sufficisse diem unum, ut perfectè planéque tractetur & dirimatur Theologiæ controversia, quæ ex derivatæ ab initio traditionis Ecclesiasticæ notitia pendet. Id non colligebam ex anonymi doctoris opere, quod sanctus Thomas refellendum aggreditur, & quod ego non vidi, sed ex doctoris rationibus iis, quas Magister sanctus diluendas sibi proponit. Hæ autem sunt in opusculi XXII. de forma absolutionis capite II. *Secundo ponit, quòd Magister, qui sententias compilavit, non posuit hanc formam* (Ego te absolvo,) *nec aliquem Sanctorum legimus hac forma usum fuisse. Contra quod dicendum est, quòd nec Magister formam posuit, nec legitur de alia forma, qua aliquis San-*
563 *ctorum sit usus, nec etiam legitur, quòd aliquis istam formam negaverit. Legitur autem, quòd ipse institutor sacramenti dixit: Quodcunque solveris, quod est majus omni auctoritate.* Et paullo pòst: *Quartò autem inducit* (adversarius) *sic sensisse quosdam antiquos & famosos Magistros, scilicet Magistrum Guillelmum de Autissiodoro, & Magistrum Guillelmum quondam Episcopum Parisiensem, & dominum Hugonem quondam Cardinalem: De quibus quòd ita senserint, non constat: Sed etsi ita senserunt, nunquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro, Quodcunque solveris &c. Nunquid etiamsi nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisius regentium; qui contrarium sentiunt decernentes, absque his verbis, Ego te absolvo, absolutionem non esse per solam orationem deprecativam?* Et capite V. *Addit etiam* (adversarius) *objiciendo, quòd vix triginta anni sunt, quòd omnes hac sola forma utebantur, Absolutionem & remissionem &c. Sed quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? Sed hoc certum est, quod jam sunt mille ducenti anni, & ampliùs, quòd dictum est Petro, Quodcunque solveris, &c.*

I. Beatus Thomas Ecclesiasticæ controversiæ, quæ inter eum & doctorem anonymum erat, judicem facit scripturam solam, quæ tamen sola judex esse non potest; ex illo enim scripturæ loco, quem anonymi doctoris rationes diluens et objicit, habetur quidem, à Christo datam esse Ecclesiæ ligandorum ac solvendorum criminum potestatem, sed non habetur, qua verborum formula in ligandis solvendísque crimini- 564
bus Ecclesiæ rectores uterentur. Id per seipsum patet, & confirmatur primum ex duplici absolutionis forma, quam Alexander Alensis Thomæ æqualis in part. IV. Summæ quæst. XX. membro II. ita refert: *Sed si contra hoc objiciatur, quia absolutio Sacerdotis, quæ fit expressione talium verborum, Ego absolvo te, vel Dominus absolvat te, magis exprimit absolutionem à peccato, quàm confessio pœnitentis.* Deinde ex pluribus aliis formis, quas Rainerius Pisanus ex Ordine Prædicatorum Theologus in Pantheologiæ part. I. cap. V. sic recenset: *In Sacramento Pœnitentiæ quæ sit forma verborum, sunt septem opiniones: Quidam dicunt quòd debemus uti verbo deprecatorio, dicentes, quæcunque petieritis esse solvenda, erunt soluta. Alii autem dicunt, quòd hæc est forma absolutionis: Absolutionem & remissionem tribuat tibi Deus omnipotens. Alii, Ego remitto tibi omnia peccata tua. Alii, Benedictio Dei Patris, &c. Alii: Sanet te Dominus noster Jesus Christus. Alii, quod forma absolutionis est manus impositio. Alii, Ego te absolvo.* Igitur si scriptura decerneret, quibus præcisè verbis utendum esset inter absolvendum, tot variæ absolutionis formæ apud Theologos non invenirentur.

II. Ecclesiasticæ controversiæ judicem facere scripturam solam, illam multiplicare est, non dirimere. Veritas hæc ut probetur, argumenta quærere non oportet. Sed illa tractandi methodus quò pertineat, à me vellem posse effici, ne omnino animadverteretur. Sed non omnes possumus, quod volumus.

III. Scripturæ jungenda erat Ecclesiæ traditio sed 565
eam jungere non licuit per unum diem, quem in confutandam doctoris anonymi scriptionem insumpsit. Nam in opusculi totius decursu nulla comparet ullius Ecclesiæ traditio, ne quidem illius in qua vivebat, dum opusculum ederet. Ritualium librorum, in quibus sacramentorum ordo præscribi solet, nullus adducitur, veterum Theologorum & tractatorum nullus laudatur. At si Thomas satis habuisset temporis, laudasset veteres Theologos & tractatores, si laudari potuissent, Rituales adduxisset libros, & Sacramentorum codices. Eam per suos auctores exposuisset Ecclesiæ traditionem, quæ in aliis operibus elucet, ut nobis bene confirmat frater Baro, cùm sic ait, *Beati Thomæ doctrinam totam ab Ecclesiæ traditione haustam esse.* Sic nobis & rei literariæ inauspicatò contigit, ut sanctus Doctor non potuerit, nisi die duntaxat uno præstitutum sibi à Generali ordinis Magistro pensum accurare.

IV. Beatus

IV. Beatus Thomas inficiali doctoris anonymi conjecturæ huic, *Nec aliquem Sanctorum legimus hac forma usum fuisse*, similem opponit conjecturam: *Nec legitur de alia forma, qua aliquis Sanctorum sit usus.* Sed legitima non est oppositio. Siquidem apud Radulfum Ardentem legitur in homilia de majori letania: *Confessio criminalium debet fieri Sacerdoti & nominatim, qui solus habet potestatem ligandi atque solvendi, sicut lepra judicium solis Sacerdotibus erat in lege commissum. Confessio verò venialium alterutrum, & cuilibet etiam minori potest fieri.* Et paullo pòst: *Unde &*
566 *non dicimus: Ego dimitto tibi peccata tua: Sed dicimus orando: Misereatur tui omnipotens Deus, &c.* Hic Theologus illustris uno ante Thomam sæculo claruit in Aquitania; profectò non loquitur ut auctor rei gerendæ, sed ut testis rei gestæ, nimirum ritûs, qui in absolutione à presbyteris servaretur. Atque ex illo capite argumentum majoris est ponderis. Deinde ut sanctus Thomas dicit: *Non legitur, quòd aliquis istam formam* (Ego te absolvo) *negaverit:* Sic & doctor anonymus dixisset: *Non legitur, quòd aliquis istam formam* (misereatur tui omnipotens Deus, &c.) *negaverit.* Tum sanctus Thomas dicit: *Legitur, quòd ipse institutor Sacramenti dixit, Quodcunque solveris:* Sed doctor anonymus respondisset, se id non negare, sed asserere absolvendi formam, quæ ab Ecclesiæ traditione pendet, non à scriptura, quæ sola quæstioni huic finem imponere non potest.

V. B. Thomas doctoris anonymi argumento quarto primùm respondet, non constare Guillelmum Autissiodorensem, Guillelmum Paris. & Hugonem Cardinalem ita sensisse, ut ille præ se ferebat. At sanè respondenti constare debuit, num celebres Magistri tres illi loquerentur ut auctores formæ absolutionis in Ecclesiam inducendæ, vel ut testes formæ absolutionis apud Ecclesiam receptæ. Nam si posteriori modo loquuntur, multò magis audiendi sunt, quàm si priori loquerentur. Guillelmus Parisiensis, qui ad ann. M. CCX. Theologicæ scholæ rector erat, sic loquitur in libro de Sacram. Pœnit. cap. XIX. *Neque more judicum forinsecorum pronuntiat confessor, Absolvimus te,*
567 *non condemnamus: Sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem & remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat. Et nemo dubitat, quin possit & debeat confessor orare Patrem misericordiarum, ut etiam remittat peccanti peccata, quæ nec ipse pœnitens in se cognoscit, & eidem confessori recognoscit. Unde & in absolutione pœnitentium non consueverunt dicere Sacerdotes, Dimittat tibi Deus peccata, quæ confessus es mihi, sed potiùs omnia.* Guillelmus ut testis sine dubio loquitur, & eam ob causam Thomas illum audire, vel ut falsum testem rejicere debuit. Guillelmus Autissiodorensis & Hugo Cardinalis, non tam disertè loquuntur in scriptis, quæ ad nos pervenerunt; eo tamen loquuntur modo, qui magis doctori anonymo, quàm Thomæ suffragatur. Ille in libro IV. Summæ de Pœnitentia, hic in commentariis ad caput XVI. Matthæi.

Deinde respondet Magistros tres illos, quamvis ita senserint, ut sensisse præ se ferebat doctor anonymus, *præjudicare non posse verbis Domini dicentis Petro: Quodcunque solveris, &c.* Sic controversiæ istius judicem facit scripturam solam insuper habita Ecclesiæ traditione, quæ legitima scripturæ interpres esse censetur.

Tum respondet, *Eosdem Magistros, si viverent, præjudicare nunquam posse sententia Magistrorum Parisius regentium, qui contrarium sentiunt.* Quo nimirum tempore beatus Thomas scribebat, ab anno M. CCLX. quo Hugo Cardinalis obiit, ad annum M. CCLXXIV. quo Thomas ipse ad superos discessit. Ut hanc epocham constituam, verba hæc, *dominum Hugonem quondam Cardinalem*, postulant. Si Guillelmus uterque &
568 Hugo considerentur ut Ecclesiastici usus & traditionis testes, iique exceptione aut rejectione careant, cur Magistris cedant junioribus, non video. Si ex utraque parte considerentur tanquam testes, & cætera sint paria, æquitati & rationi consentaneum non erit, ut juniores antiquioribus præponderent: Si verò cætera sint disparia, præponderare deberent. Sed id certò judicari nequiret, nisi rationum momenta, quibus utebantur juniores, diligenter expenderentur: Non refert Thomas, ac proinde non possunt expendi. Quidquid in causa, Parisienses Magistri ad annum M. CCLX. nulli præter Thomam suppetunt, qui cum Guillelmo Autissiodorensi, Guillelmo Parisiensi & Hugone Cardinali conferantur, tantùm abest, ut præferantur.

VI. Beatus Thomas non respondet illi annorum triginta epochæ, quam doctor anonymus constituit. Neque enim respondet, cùm ait: *Sed quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit?* Responsio non est hæc, sed declinatio, quæ ut nonnihil tegatur, subjicit: *Sed hoc certum est, quòd jam anni sunt M. CC. & ampliùs, quòd dictum est Petro, Quodcunque solveris.* Quibus in verbis disparatam, non contrariam epocham defixæ à doctore anonymo epochæ opponit. Disparata est, quæ controversiæ judicium ad scripturam pro more suo remittit. Contraria, quæ ad traditionem & usum Ecclesiæ supra annos XXX. longè & latè patentem remitteret. Beatus Thomas non utique remittit, & quia non remittit, anonymi doctoris argumentum novas vires accepit, & decretorium mutuò inter se certatim evadit. Hic 569
ut nihil dissimulem, beatus Thomas omni ope & opera eniti & elaborare debuit, ut defixam ab adversario epocham refigeret;

Prolato sacrorum Rituum codice, qui formam hanc, *Ego te absolvo*, præscriberet;

Exhibito Sacramentorum libro, qui eandem formam contineret;

Propositis commentariis nominatissimi cujusdam, & Guillelmo Parisiensi & Radulfo Ardente vetustioris Magistri, qui contrà ac illi scribunt, sine hæsitatione ulla scriberet: *Non orando, sed enunciando dicimus, Nos te absolvimus, Ego te absolvo, vel dimitto tibi peccata tua;*

Disquisitis seu primi, seu secundi ordinis Sacerdotibus septuagenariis vel octogenariis, qui secundùm fidem & religionem gravissimè testarentur, se ante annos triginta dum peccata confitentes absolverent, indicativa usos esse forma, quam vel à majoribus acceperant, vel in Ritualibus libris didicerant. Sic & non aliter refigenda erat anonymi doctoris epocha per Ecclesiæ traditionem, quæ ab Apostolicis ducta temporibus, per consequentes annos in Radulfi Ardentis, Guillelmi Parisiensis & doctoris anonymi scripta necessariò incurreret. At nihil horum à beato Thoma factum reperitur. Hæc & similia Baroni in familiari sermone injeci, demonstraturus scripturæ jungendam esse Catholicæ Ecclesiæ traditionem, ut Theologicæ quæstiones, qualis est ista, pro merito & dignitate tractentur & solvantur. Tunc temporis laudavi beatum Thomam, quòd pro eo ac potuit, quæstionem tractavit: Sed quia non ferebat unius di- 570
ei spatium, ut beatus Thomas quæstionem plenè tractaret ac dilueret, familiaris colloquii libertate usus dixi, quæstionem à Thoma plenè tractatam ac dilutam non esse, quia sanctus Doctor in ea tractanda scripturæ Ecclesiasticam traditionem conjungere non potuerat. Hinc prima mali labes, inde irarum ardor, quo Frater Baro deflagrare cœpit, & nostrum familiare colloquium, quod naturali jure celare debuit, corrumpere, & variis mendaciis aspergere.

VII. Quæstionem juris instituit, de qua tunc verbum nullum fecimus, hærentes in sola facti quæstione, quam de beato Thoma & illius opusculo institueram. Juris quæstio hæc est: *Et cùm apud Catholicos*, inquit,

usu

usu recepta sit absolutio instar judicii, non precationis concepta. Sed ad nostrum familiare colloquium quid attinet? Omnino nihil: Ad desultoriam tamen Baronis levitatem attinet, qui disputare aggreditur, etiamsi ad disputandum imparatus accedat.

VIII. Calumniatur in his verbis: *Si apud te D. Thomas deceptus sit.* Deceptum fuisse beatum Thomam minimè dixi. Sed dixi & iterum dico eum non habuisse satis temporis, ut propositam à Generali Ordinis Magistro controversiam pro dignitate tractaret ac finiret. Cur autem unum diem tantum opus ad suum insumpsit, non pronuncio, quia mihi non liquet: Beatus Thomas & Generalis Magister Ordinis viderint, quia res inter eos transacta est.

IX. Calumniatur iterum, cùm pergit scribere: *Si*
571 *D. Thomas totam Ecclesiam secum in errorem abripuerit*
te judice. De hac re, quam animo calumniandi sibi sumit, apud me nihil quicquam deliberatum & constitutum est. Quò igitur calumniator spectat? Fortassis ut Ecclesiam in opusculi beati Thomæ defensionem oppigneret, & inde confirmet, Theologicam quæstionem idoneè tractatam esse, quamvis in ea tractanda scripturæ auctoritati non junxerit Catholicæ Ecclesiæ traditionem. Profectò non memini legere me, Ecclesiam in ea esse sententia, ut credat scripturam ad decidendas fidei controversias sufficere.

Fortassis calumniator inquiet aliò se spectare, nempe in Ecclesia sic esse receptum beati Thomæ opusculum, ut nemo ab eo postea dissenserit. Hoc si ita, credidere omnes scripturam ad decidendas fidei controversias sufficere, quia beatus Thomas quæstionem scriptura sola, nulla Ecclesiæ traditione adhibita diremit. Cur ergo Rainerius Pisanus ex Ordine Prædicatorum Theologus, pluribus post Thomam annis opiniones septem de absolutionis forma retulit?

Cur ergo ante Pisanum Franciscus Maironius ex Ordine Minorum Theologus, qui Thomam per ætatem videre potuit, in quartum dist. XIV. scripsit: *Causa formalis secundùm aliquos est: Absolvo te, & additur communiter, à peccatis tuis.* Et paullo post contra tertium: *Quoniam quidem habent hunc ritum: Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus: Ad tertium dicendum, quòd sic fiebat in provincia Provincia; sed improbata fuit ista forma. Sed tamen*
572 *videretur, quòd sicut Græci baptizant sub hac forma: Baptizetur servus Christi, ita videretur, quòd non esset inconveniens in confessione taliter absolvere; quia tamen sacramentalia sunt stricti juris, ideo non debent immutari.*

Cur ergo Nicolaus Cabasilas in Liturgicæ expositionis capite XXIX. scribit? *In ea quæ fit in Ecclesia Latinorum Pontificis ordinatione, postquam infundit unguentum in caput ejus qui ordinatur, qui ordinat optat locupletem sancti Spiritus gratiam in eum descendere; peccatorum quoque remissio pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum, & ultimum olei Sacramentum similiter perficit Sacerdotum oratio.*

Cur ergo Dominicus Sotus ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui Tridentino Concilio interfuit, in quartum dist. III. quæst. unica art. V. scribit? *Qua utique ratione & in Sacramento Pœnitentia, licèt quis diceret, Absolvit te, vel absolvat te Christus, vere absolveret, quamvis peccaret. Nam & forma extrema Unctionis est: Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, &c.* Quo argumento doctor anonymus utebatur apud beatum Thomam, sed cùm ita Sotus disputet, beati Thomæ responsionem ad illud argumentum, sibi nec sufficere, nec placere significat.

Cur Aquensis Synodus Provincialis, quæ anno M.DLXXXV. habita est, cùm agit de Sacramento Pœnitentiæ, hæc præscribit? *Atque ut omnes una utantur absolutionis formula, hanc omnibus observandam proponimus, ut post preces illas, quæ incipiunt: Misereatur,*
&c. Et Indulgentiam, &c. Quæ in Missalibus quibus- 573
cunque leguntur atque in Missis quotidie recitantur, subdat confessarius: Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis minoris (aut etiam si ejus rei facultatem habeat, majoris) si qua teneris: Deinde absolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, & merita beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen. Vade in pace, & noli ampliùs peccare. Ex his autem luculenter apparet in antiquis Missalibus ubi absolutionis forma præscribebatur, non haberi, quæ à confessario subdenda esse statuit Synodus.

Nunc indico nonnullas Ecclesias, in quibus nondum suscepta erat absolvendi forma, pro qua beatus Thomas tam acriter pugnat.

I. In Lugdunensis primæ Lingonensi Ecclesia, ut ex illius Rituali libro ad annum M. D. LXXIII. Trecis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

II. In Lugdunensis secundæ capite ipso Rotomagensi Ecclesia, ut ex illius Rituali libro ad annum M.D.XLIV. & M. D. LXXXVIII. Rotomagi edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Baiocensi Ecclesia, ut ex illius Rituali libro Cadomi anno M. DC. XI. edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Ebroicensi Ecclesia, ut ex illius Rituali libro
anno M. D. XXI. M. D. XLVII. & M. D. LXXXVI. Ro- 574
tomagi edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Abrincensi Ecclesia, ut ex illius Rituali libro anno. M. D. XXXIX. Rotomagi edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Sagiensi Ecclesia, ut ex illius Rituali libro anno M. D. XV. Rotomagi edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Constantiensi Ecclesia, ut ex illius Rituali libro anno M. CCCCXCIV. sine urbis nomine edito, & Rituali libro anno M. DC. IX. Constantiis edito constat, qua parte ordo ad visitandum & communicandum infirmum traditur.

III. In Lugdunensis tertiæ Cenomannensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XL. Rotomagi, & anno M. DC. VIII. Cenomannis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Andegavensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. LXXX. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

IV. In Lugdunensis quartæ Nivernensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. LXXXII. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Autissiodorensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XXXVI. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Trecensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali 575
anno M. D. XLI. & M. D. LXXIII. Trecis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Aurelianensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. LXXXI. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Parisiensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. DIV. M. D. XLII. & M. D. LXXXI. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

V. In Belgicæ I. Metensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XLII. sine urbis nomine, & anno M. DC. V. edito constat, qua parte ordo traditur ad

commu-

communicandum infirmum, & ad communicandum in die Paschæ.

In Tullensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XXIV. & M. D. LIX. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

VI. In Belgicæ II. Laudunensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. DXXXVIII. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum & communicandum infirmum.

In Ambianensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XLI. edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Silvanectensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XXV. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Bononiensi Ecclesia, ut ex veteri illius libro Rituali constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

576 In Noviomensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. LX. Parisiis edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Mechliniensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XCVIII. Antuerpiæ edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

VII. In Aquitaniæ I. Mimatensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XXX. Lugduni edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Cadurcensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. DC. IV. Cadurci edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

VIII. In Viennensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali ad annum M. D. sine urbis nomine impresso constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

IX. In Narbonensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XLV. Tolosæ edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Nemausensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XXXIII. Lugduni edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum infirmum.

In Magalonensi, seu Monspelliensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. XXXIII. Lugduni edito constat, qua parte ordo traditur ad visitandum & communicandum infirmum.

In Ucetiensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. Lugduni edito constat, qua parte ordo traditur ad communicandum infirmum.

X. In Tolosanensi Ecclesia, ut ex illius libro Ri-
577 tuali anno M. D. XXXVIII. Lugduni, & anno M. D. LIII. Tolosæ edito constat, qua parte ordo traditur ad communicandum infirmum.

XI. In Aquensi Ecclesia, ut ex illius libro Rituali anno M. D. LXXXVII. Aquis Sextiis edito constat, qua parte ordo traditur ad dandam Extremam Unctionem.

Hæc autem omnia, quæ in facti quæstione exequor, nisi Frater Baro concoquat, devoret necesse est. Deinde illa omnia, quæ de beato Thoma & de Ecclesia tota sibi sumit, cum Rainerio Pisano, Francisco Maironio, Nicolao Cabasila, Dominico Soto, Aquensi Synodo provinciali, memoratarum Ecclesiarum libris Ritualibus conciliet. Tum demum ab Aristotele suo discat, eum, qui ad pauca respicit, facile pronunciare. In horum autem numero Frater principatum tenet, & longè latèque dominatur, & prout est affectus & Aristotelio spiritu plenus, semper dominabitur. Sed non antè manum de tabula, quin tandem observaverim, Baronem sancti Thomæ de forma absolutionis opusculum perlegisse unquam, aut si perlegit, oscitanter perlegisse, sic enim Thomam loquentem inducit: *Absolutio instar judicii, non pr[...]ionis concepta.* At Thomas in cap. I. deprecativæ orationi indicativam orationem objicit, non judicativam, ut Frater Baro. Quodnam corruptionis genus, etiamsi tantùm unius literulæ in aliam mutatio intercedat? Quænam verò inter deprecativam & judicativam antithesis est? Deinde in capite II. Thomas seipsum magis adhuc explicat, cum ait: *Sacerdos aliquid facit, ministerium absolutionis impendendo.* Iterum: *Dicamus, quòd alia est ratio de abso-* 578
lutione ab excommunicatione, qua non est sacramentalis, sed magis judiciaria, jurisdictionem consequens, & alia de absolutione à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, qua consequitur potestatem clavium, & est sacramentalis. Iterum in cap. III. *Ego te absolvo, id est, sacramentum vel ministerium absolutionis tibi impendo.* Si licuisset per temporis angustias, definitionem hanc ad definitionis bonæ leges revocasset, quippe quæ re definita, non sit clarior, & ideo à nonnullis Theologis rejicitur. Deinde sub finem: *Sacerdos dicens, Ego te absolvo, vel ego te baptizo, cum certitudine denunciat sacramenti effectum.* In Sacramentum Pœnitentiæ apud Thomam & Doctores alios certa quædam judicii ratio intervenit, sed qua in re sita sit, frater Aristotelius ignorat.

In Rituali Ferrariensis Ecclesiæ libro, qui excurrentis sæculi initio in lucem prodiit, certa quædam est diversitas, quæ Aristoteliam Baronis curiositatem exercere potest. Cùm ibi ordo administrandi Sacramentum Pœnitentiæ traditur, absolutionis forma cum, *Ego te absolvo,* præscribitur: Sed cum postea communicandi infirmi modus post confessionem præscribitur, is sine, *Ego te absolvo,* præscribitur. In hac diversitate rei cardo vertitur, num posterior absolvendi ratio priori sit antiquior, necne. Siquidem antiquitas est Catholici dogmatis nota, ut Bellarminus, invictus Baroni Catholicæ fidei pugil secundum veteres Ecclesiæ tractatores diligenter observat.

Interim gratum opus faciet ac necessarium, si quod
beati Thomæ opusculo deest, supplere velit. Brevitate 579
temporis coactus est pauca scribere, qui & aliàs scripsisset multa, quæ cum magna rei Theologicæ jactura desiderantur. Indicavimus fontes è quibus supplementum illud hauriri possit.

At siquis ad me adiret & diceret, beatum Thomam opusculi de absolutionis forma auctorem non esse, quia si auctor esset, quæstionem convenienter definitæ à se Theologiæ scholasticæ tractasset ac diluisset; profectò stupefactus dicentem intuerer & audirem. Salebra hæc esset, in qua, fateor, prorsus hærerem. Et quia expedire extricareque me non possem, difficillimam quæstionem ad Baronem nostrum remitterem, qui ut Alexander Gordium nodum hunc dissolveret, auxilio familiaris sui, diligentissimi viri Petri Alvæ Franciscani, qui quæ vera & germana sint beati Thomæ opera, ex pluribus MM. SS. bonæ notæ codicibus, & cum primis Clementis VI. Papæ, Parisiensis Theologi sermonibus non ita pridem, ut audio, recognovit.

ANIMADVERSIO XXI. ET ULTIMA.

Incredibilis est. Baronis ἀκρισία, cùm adversariò de vitiis sociorum suorum Campanellæ & Catharini dicam scribit.

QUAM lubricus & incomprehensibilis sit F. Baro, cogitari forsan potest, sed verbis exprimi non potest. In exercitationis articulo I. paragr. III. pag. 189. Thomam Campanellam ex Ordine Prædicatorum Theologum in medium profert, & de eo mihi dicam
impingit his verbis: *Campanella id ferè in Philosophi-* 580
cis meditabatur, ut sublato Aristotele solus audiretur, quod in Theologicis putat sibi Launoius deberi: Ille librum scripsit de gentilismo tollendo, & Aristotele à scholis depellendo, ut se illius loco sufficeret. Et cùm urgeretur auctoritate Divi Thomæ, qui Aristotelem in magistrum sibi assumpserat, ejúsque libros luculentis illustraverat commentariis, reponebat *insulsissimè Campanella;*

Divum Thomam fuisse suarum constitutionum observantissimum; sed verò caveri, ne fratres Dominicani libros gentiles legerent: Unde concludebat, ne quidem lectum à Divo Thoma Aristotelem. Launoius vero repetit à Gregorio IX. prohibitam decreto lectionem & commentationem Aristotelis, & Divum Thomam excusat ignoratione decreti. Itaque Launoius Campanella consiliis convenit. Ille semoto Aristotele in Philosophia spatiis, hic in Theologicis depulso Thoma regnare vult & audiri. Campanella Aristoteli asinitatem objiciebat: Launoius Divo Thoma rationem disputandi improperat, qua nihil Christiani resipiat, qua futilia doceat, & ethicam maximè Christianam instituat, qua à Judaica discerni non possit, quamcunque diligentiam ad id adhibueris.

Deinde in ejusdem exercitationis articulo III. paragr. ultimo pag. 454. *Quare*, inquit, *subjiciam tibi sapientissimi Dominici à Soto ad tui similem Catharinum verba.*

Sic quæ putat collegarum suorum crimina, hæc mihi vir prudens & attentus objicit, objecturus aliquando, ni fallor, Bernardi de Montepolitiano,
581 Edmundi Burguini, Jacobi Clementis, Caroli Ridicovii & Petri Argeri scelera & parricidia. Hoc genus objectionis à Barone monstrorum istiusmodi collega expecto. Deinde pro ea, qua valet, eminentissima simplicitate, accusabit me, secum & cum illis sceleratissimis hominibus jurasse in doctrinam hanc: *Potest justè per sententiam & ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii vel prælationis tolli, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles.* Iterum: *Sed aliquis* (Princeps) *per infidelitatem peccans potest sententialiter jus dominii amittere, sicut etiam quandoque propter alias culpas.* Et post pauca: *Et ideo quàm citò aliquis* (Princeps) *per sententiam denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi absoluti sunt à dominio ejus & juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Interim in antecessum & in omnem eventum contra istiusmodi accusationem ut fictam & falsam reclamo, ad forum & tribunal quodcunque, & ad rostra omnia descendere paratus.

Sed quoties Frater à mendacio contra verum steterit, nunc videndum est. In relatis igitur verbis non tam mendacia, quàm mendaciorum portenta numero septem invenio.

Mendacium primum est in his verbis: *Campanella id ferè in Philosophicis meditabatur, ut sublato Aristotele solus audiretur, quod in Theologicis putat sibi Launoius deberi.* Quod mihi tribuit, in Hesiodi Theogonia faciliùs, quam in meis scriptionibus legeretur. De Campanella Baronis fratre (bono, an malo nihil mea refert) non spondeo, de me tantùm spondeo, & Baronem mendacii turpissimi accuso.

582 Mendacium secundum est, cùm ita scribit: *Launoius verò repetit à Gregorio IX. prohibitam decreto lectionem, & commentationem Aristotelis*: Hoc non repeto ita simpliciter, ut Baro repetit. Gregorius lectionem prohibet usque dum libri Aristotelis à provinciali Concilio damnati, *examinati & ab omni errorum suspicione* purgati fuerint.

Mendacium tertium est, cùm ita scribit: *Launoius Divum Thomam excusat ignoratione decreti*, quod Gregorius IX. fecerat, ne quis Aristotelis libros à provinciali Concilio vetitos antè legeret, quàm examinarentur & ab omni errorum suspicione purgarentur. Sic ego beatum Thomam, qui Aristotelis libros illos legerat, & in eos commentaria ediderat, excuso in libri de varia Aristotelis fortuna capite VII. "Illud Thomæ factum accipiant alii, quomodo voluerint, omnino meus erit, qui benigniùs accipiet. "Ego interim hanc in partem interpretor: vel quod "beatus Thomas alibi, quàm Lutetiæ commentaria "hæc scripserit, seque à provincialis Concilii decreto, "& ab imposita per Gregorium IX. Parisiensi Academiæ lege immunem esse crediderit, vel quòd cùm "Lutetiæ commentaretur, Concilii decretum, Gregoriique legem penitus ignoraverit. De reliquo rationes meas, quibus purgandus mihi visus est Thomas, eatenus præsto, quatenus ab aliis plausibiliores exponantur. Hæc autem cùm ita sint, non ignoratione sola decreti Thomam purgavi. Imposturam ergo patior, cùm Baro è duobus rationibus meis unam malitiosè omittit.

Mendacium quartum est, cùm ita scribit: *Launoius* 583
Campanella consiliis convenit. Ille semoto Aristotele in Philosophiæ spatiis, hic in Theologicis depulso Divo Thoma regnare vult & audiri. Quibus in locis, quibus in commentariis beatum Thomam depello, ut in Theologicis regnem & audiar? O stupidum mendacium, quod verisimilitudine omni caret!

Mendacium quintum est in iisdem verbis: *Hic in Theologicis depulso Divo Thoma regnare vult & audiri.* Mendacium hoc, quod nunc exponendo confiximus, cætera incredibili stupiditate superat, si qua ratione me in beati Thomæ doctrinam obstrinxi, consideretur. Sic autem se res habet in Epistolæ ad Thomam Fortinum capite I. "His solemne adjicio sacramentum, quo religiosè juro in "beati Thomæ doctrinam omnem, quam conveni"enter definitæ à se Theologiæ scholasticæ tradi"dit: Primùm quidem in prima parte quæst. I. art. "II. Sacra doctrina est scientia, quæ procedit ex "principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet scientia est Dei & beatorum. Unde sicut musica credit principia sibi tradita ab Arithmetico: Ita "doctrina sacra credit principia sibi revelata à Deo. "Deinde in art. VII. ad secundum: Sacra doctri"na utitur auctoritatibus canonicæ Scripturæ propriè ex necessitate argumentando, auctoritatibus "verò aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi argumen"tando ex propriis, sed probabiliter. Innititur enim "fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, "qui canonicos libros scripserunt, non autem reve"lationi, siquæ fuit aliis Doctoribus facta. Hæc 584
"est methodus tradendæ Theologiæ scholasticæ, in "quam juro, & propter sancti Thomæ honorem non "juro in aliam, quæ ab illa dissentiret. Siccine Doctorem sanctum depello, ut in Theologicis regnem & audiar?

Mendacium sextum est in his verbis: *Campanella Aristoteli asinitatem objiciebat, Launoius divo Thomæ rationem disputandi improperat.* Commentitium scelus est, quod mihi turpiter imponit, & repugnat sacramento, quo me obstrinxi. Præterea in operibus meis simile nihil invenitur.

Mendacium septimum est, cùm ait dixisse me quæ sequuntur: *Divi Thomæ ratio disputandi nihil Christiani resipit; futilia docet, & ethicam maximè Christianam instituit, qua à Judaïca discerni non possis, quamcunque diligentiam ad id adhibueris.* Commentus est istud, cujus in libris meis nec vola extat, nec vestigium.

Porro autem diabolus mendacia fortassis atrociora confingeret, sed stolidiora, improbabiliora & minùs verisimilia confingere non posset.

Ad Campanellam quod attinet, Frater Baro non mentitur, qua potissimùm parte Campanella Aristotelis Philosophiam à Theologorum scholis removendam esse censet, & propositis Baronis, vel aliorum illi similium rationibus, cur Aristotelis Philosophia in Theologorum scholis retinenda sit, Baronem & alios illi similes in ludibrium adducit. Campanellæ librum, ubi ea de re agitur, approbarunt *Antonius Mallet, Congregationis Gallicanæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum Vicarius generalis, & F. Du Feu Minister Provincialis provinciæ Franciæ*, Parisienses Theologi 585
duo. In Vicarii generalis licentia & approbatione hæc de auctore traduntur: *Ostendit veram Philosophiam longè meliùs, certiùs & tutiùs ex Christiana schola,*

quàm

quàm aliarum nationum libris hauriri posse, juxta decretum Synodi Parisiensis confirmatu à Gregorio IX. & juxta votum Lateranensis Concilii sess. VIII. *sub Leone X. cui Religionis nostræ constitutiones & ordinationes valde conformantur, &c. Datum Parisiis in Collegio nostro sancti Jacobi die* 1. *Junii* M. DC. XXXVI. Nunc quas manus Baro cum socio suo conferere voluerit, conferat per me licet. Hoc solum opto, ut manus illæ violentæ non sint. Cur hoc optem, novit ille, qui rerum à suis collegis suprà nominatis seu gestarum, seu gerendarum historiam probè tenet, & aliunde si seipsum inspiciat, truculenti nescio quid præ se ferre, si jam fidem cum fronte non amisisset, haud diffiteretur. Sed diffiteatur, vel non diffiteatur, interest nihil: Nemo non agnoscit, cùm hominis vultum intuetur.

Deinde memoriam refricat discordiarum, quæ inter fratres suos Dominicum Sotum & Ambrosium Catharinum fuerunt: Et quidquid id est, in me transferendum esse putat. Quasi verò is essem, qui excitatas inter duos Monachos discordias sedare possem. Immortales sunt, cum æternitate adæquantur. Dominici Soti ad Catharinum verba sunt, si referenti Baroni fas est credere: *Cæterùm tui me semper habebis in Christo obsequentissimum, atque ita ad tua jussa paratiorem, quàm tecum litigandi cupidum: Quod mihi per te*
586 *utinam fuisset semper liberum. Nunc verò ita immotum insidet animo, ut nulla in posterum causa, aut vi ad tertiam concertationem provocari aut adigi possim.*

Et primò quidem occultiores non esse insidias, quàm quæ latent in simulatione officii, docent nos, quæ in suburbano Parisiorum vico manè contigerunt anno M. DLXXXIX. Calend. Sextilibus. Capiet hoc Frater, si velit; capiet enimverò, quia in certa quædam Magistri sui verba juravit. Jacobus Clemens dicere potuit, se nullam imposterum cum Henrico III. Galliæ Rege congressionem habiturum. Deinde Bernardus de Montepolitiano Baronis collega postquam anno M. CCCXIII. Eucharistiam in die Assumptionis Beatæ Mariæ porrexit Henrico VII. Imperatori, dicere potuit, se nullam aliam imposterum eidem Imperatori porrecturum esse Eucharistiam.

His ita præmissis, quis non facilè deprehendit Baronem simili protestatione uti? Nam postquam contumelias, probra, imposturas, mendacia, cæteráque verborum dehonestamenta exercitationi suæ intulit, & postquam durissima quæque & ultima expertus est, subjicit: *Nunc verò ita immotum insidet animo, ut nulla imposterum causa, aut vi ad tertiam concertationem provocari aut adigi possim.* Quid enim in concertatione tertia proferret ampliùs, quàm quod in prima & secunda protulit? Repetere posset, quæ jam dixit, iis addere nequicquam posset. Calumniatoris illius, quem habet in deliciis, officina ab omnibus imposturis & mendaciis vacua facta est. . Concertatio tertia flac-
587 cesceret, integræ paginæ sterilescerent: In summa iratum mare detumesceret. Artificium est rude & apertu facile, quo simplicitatem lectoris illudit.

Postremò fucum facit scribens: *Litigare tecum mihi per te utinam fuisset semper liberum.* Gratuita est optandi particula & propositio: Ego causam nullam dedi, cur Baro strictioris, ut videri vult, observantiæ Monachus tanta cum verborum acerbitate mecum litigaret. Quibus in Epistolis beato Thomæ obreptum esse honorificis verbis usus dico, cùm certa quædam sancti Cyrilli testimonia producit, quid quæso dico, quod & Pontifices & Reges de seipsis non dicant, & sibi ab aliis dici non sinant?

Gregorius VII. in Libri IX. Epistola XXXI. ad Haganonem Episcopum: *Multa etiam subripi possunt, minus ad singula intentis, utpote divisis ad plurima & intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur. Unde in hac causa, quod profectò minimè recordamur, siquid fortè subreptum fuit, optat magis animus corrigere, quàm ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.*

Alexander III. cap. XXXI. Si quando. De rescriptis: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* Et infrà: *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod primò nobis fuerit insinuatione suggestum.*

Sanctus Bernardus in Epistola CLXXX. ad Innocen-
tium II. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut* 588
non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res est plena æquitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur; præsertim apud sanctam & summam Sedem.

Theodoricus Rex Italiæ apud Cassiodorum pronuntiat: *Pro æquitate servanda nobis patimur contradici:* Sic & Rex Athalaricus: *Rarum confidentiæ genus est interdum resistere contra vota Principis.*

Hæc quæ Pontificibus & Regibus arbitris ad ipsos Pontifices & Reges pertinent, Barone arbitro, ad sanctum Thomam nec pertinent, nec pertinere possunt. Nam si pertinere possent, cur diceret: *Litigare tecum mihi per te utinam fuisset semper liberum?* Nempe quia scripsi beato Thomæ obreptum esse in citandis quibusdam sancti Cyrilli testimoniis, Baronem coegi, ut mecum litigaret, ut me quia rationibus non potuit, convitiis laceraret? Et sanè minorem mecum litigandi causam habuit, quàm cum Paulo IV. qui olim dixit, *beatum Thomam potuisse, cùm esset junior, multa dicere, quæ factus cum ætate doctior revocaverat.* Et paullo post alloquendo frequentem Cardinalium consessum, ait: *Ego non sine causa vos hac de re moneo, sed ut ex iis, qui deliberaturi sunt, nullus fundamentum in iis rebus, quas S. Thomas, cùm esset junior docuerit, constituat.* Pauli IV. testimonium latiùs refero in nostra ad Joannem Gerbasium Epistola, quam habet tertia pars Epistolarum nostra-
rum. Sic gratuitam mecum litigandi causam quæsi- 589
vit Baro, & invenit adversarium suis quidem viribus imparem, sed quia Monachus non est Baroni similis, injuriarum, ut Christianum decet, patientissimum. Adversarium talem inventurum se sperabat athleta torosissimus, & maximè iracundus, quia Peripatetici, id est, Aristotelis discipuli, iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicunt.

Mitto nonnullas esse Academias, ubi Durandi commentaria in Sententias publicè præleguntur. Quis autem nescit, Durandum Theologica beati Thomæ placita passim refellere? nec aptè refelleret, nisi demonstraret Thomam à legitima disputandi ratione deficere.

In Ordine Franciscanorum universo Thomæ Scotus anteponitur: Anteponi non potest, nisi Theologiæ Professores ostendant, Scoti doctrinam Thomæ doctrina exquisitiorem, meliùs constitutam ac præclariùs fundatam esse.

Præ his autem omnibus quid tentavi, quid aggressus sum, quod Baronis antiqui concionatoris immoderatum, mendaciis & imposturis refertum, & juvenili licentia superfluens scribendi genus in me concitaret? Hoc unum dixi, beato Thomæ in citandis quibusdam Cyrilli auctoritatibus obreptum esse: Et tamen Baro relicta Durandi cathedra, relictis Franciscanorum scholis unum me convenit & exclamat: *Litigare tecum mihi per te utinam fuisset semper liberum.* Sic ille seipsum cordatis atque eruditis hominibus deridendum propinat: Sic suam prodit *ἀκρασίαν*: Sic seipsum designat famæ sed non bonæ.

CONCLUSIO.

HIC seco & finio. Nempe Fratris Baronis eos 590
confixisse errores, quos jam confixi, mihi plusquam satis est. De cæteris erroribus spicilegia faciant

alii, qui voluerint, non repugno. Inter errores isti-
usmodi reperies duos, quos graviter redarguisti in
ea concione, quam ad Rectorem & Academiam in
ædibus sancti Jacobi de macello habuisti, & habendo
ita tenuisti omnium oculos atque animos, ut post-
quam te per tres horas dicentem audivissent, per se-
mihoram dixisse te tantùm affirmarent. Hos errores
iterum redarguo, quia tam injuriosi sunt Ecclesiæ, ut
redargui satis non possint. Ad hæc mirum quantùm
favent iis omnibus, qui seorsum à nobis per religio-
nem his temporibus sentiunt. Redarguendi causas su-
mo ex Bellarmino, quem ut invictum Catholicæ fidei
pugilem colit & observat, ex Dominico Banne, qui
Dominicanæ sectæ Theologus est illustrissimus, & Ja-
cobo Cardinali Perronio, quem ut numen Romani Se-
natus æquè grave & sanctum ac Dei hoc in argumenti
genere semper inclamat. Ad istud opus, in quo me
adjungo tibi, animadversiones duas insumo, quintam
& sextam. Ut animadversionum initium ducimus à
mendaciis & imposturis, sic earum finem facimus in
mendaciis & imposturis: Non quòd nobis sumamus
mendacia & imposturas omnes, quibus strictioris ob-
servantiæ Monachi tota sordescit exercitatio, notas-
se, ut notarentur vix nobis fecissent carbones, qui ex
591 Cotia, vel Arduenna sylva Parisios advehererentur. Sed
attende quæso maxime ad imposturam, quæ in ani-
madversione XVI. patefacta & convicta est. Hic Fra-
ter Baro (tu nosti corrugatæ frontis hominem) con-
fidenter asseverat, Bellarminum in primis operum e-
ditionibus de gratia efficaci longè aliter, quàm in
postremis sensisse, & hæc certiora esse dicit, quàm
ea quæ apud Sagram, tametsi postremæ editiones pri-
mis adæquè respondeant. Tot imposturis & tot men-
daciis ille hoc consecutus est, ut sibi vera narranti
vel scribenti nemo crediturus sit unquam: Vel siquis
tandem aliquando crediturus est, eo utetur tempe-
ramenti genere, ut quibus adhibenda fides erit, hæc
prius ex ore gravis & honesti cujusdam viri exeant,
unde nihil nisi consideratum & minimè fallax exire
solet. Causæ sunt omnino duæ principes, ex quibus
tanta mentis & animi pravitas ortum habuit. Primùm
quòd Frater Baro ad Philosophiam Aristotelis non do-
ctus, sed factus, non institutus, sed imbutus est: Ad
Philosophiam Aristotelis, quem sancti Patres ut hæ-
reticorum omnium, id est, mendacium hominum pa-
triarcham execrati sunt: Ad eam Philosophiam, cui
nemo debet juxta Gregorii IX. decretum se prius
dedere, quàm examinata, & ab omni errorum suspi-
cione purgata fuerit. Deinde quòd nec discendo,
nec docendo institit scholasticæ Theologiæ, quam
beatus Thomas definiit, in prima parte quæst. I. art.
II. Si Baro amici sui Petri Alvæ Franciscani criti-
cis usus ista conetur eludere, conatus erit inutilis;
nam eadem eruuntur ex commentario, quem sanctus
Thomas in primum Sententiarum edidit. Igitur illa 592
Theologiæ definitio composita est ad Gregorii IX.
decretum, quod ita se habet: *Magistri verò & scho-*
lares Theologiæ, in Facultate, quam profitentur, se stu-
deant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent,
sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua
populi, linguam Hebræam cum azotica confundentes, sed
de illis tantùm in scholis quæstionibus disputent, quæ per
libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant
terminari. Et quibusdam interjectis: *Nulli ergo ho-*
minum liceat hanc paginam nostræ provisionis, constitu-
tionis, concessionis, prohibitionis & inhibitionis infringere,
vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare
præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beato-
rum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursu-
rum. Hinc Baronis Theologia non est ea, quam beatus
Thomas definiit, quam Romanus Pontifex ex Petri
cathedra sequendam esse præcepit. Sed est interdum
ea, quam Lutherus per ludibrium sic deformavit: *Theo-*
logia scholastica est ea, quæ à Parisitasium Sorbona mix-
tione quadam ex divinis eloquiis & philosophicis ratioci-
bus, tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina
conflata est. Interdum dixi, quia scholastica Baronis
Theologia philosophicis tantùm rationibus sæpè con-
stat; ita ut sibi vendicare non possit, quod cœtus E-
piscoporum Ponti in Epistola ad Leonem Thracem
Imperatorem sibi vendicat. *Hæc*, inquit, *piscatoriè &*
non Aristotelicè suggessimus, id est, Apostolicè, non
philosophicè. Utinam Baro imitari vellet Theodosi-
um juniorem, *Qui*, apud Socratem in libri VII. hist.
cap. XXII. *subtilitate ratiocinationum Aristotelicarum* 593
penitus derelicta philosophiæ studium rectis vitæ officiis se-
dulò excoluit. Iram cohibere didicit, dolorem toleranter
ferre, neminem, qui illum injuria affecerat, ulcisci. Quæ
saltem hac in parte didicit à Magistro Aristotele, de-
discat & obliteret.

Atqui hæc sunt quæ ad Baronem pertinent: Quæ
verò ad nos, eò spectant, ut, velit nolit frater iste,
sequamur Theologiam, cujus definitionem B. Thomas
exposuit, & docendi methodum, quam Gregorius IX.
sapientissimus Pontifex præstituit. Ut Thomam in
exposita Theologiæ definitione, sic & Gregorium in
tradita docendæ Theologiæ methodo reverebimur; &
quod observatione summa dignum est, consociabimur
cum Parisiensibus Theologis majoribus nostris, à qui-
bus scholastica Theologia definitur *Divinarum Scriptu-*
rarum notitia, recepto, quem Ecclesia approbat sensu, non
spretis orthodoxorum doctorum interpretationibus & censu-
ris, ac interdum aliarum disciplinarum non contempto suf-
fragio. Vale Lutetiæ Parisiorum anno M.DC.LXVII.
Calend. Augusti.

JOAN-

JOANNES LAUNOII CONSTANTIENSIS,

Epistolarum

PARS SEPTIMA.

Joannes Launoius

MICHAELI GIRARDO

Vertoliensi *Abbati.*

1 ET vetus, quæ mihi tecum est amicitia, &
commune erga Regem Regisque auctorita-
tem studium, exigunt, ut id publica testifi-
catione constare possit. Tolosæ fuit nuper,
qui notas & observationes in XII. libros Epistolarum
Gregorii Papæ ediderit. Is vocatur Antonius Dadi-
nus Alteserra, qui Jurisconsulti & Antecessoris perso-
nam & nomen apud suos magna cum laude sustinet.
Ego librum integrum perlegi, & eruditione varia
refertum offendi. Interim ex animo dolui, cùm ad
calcem inveni, quod propter auctoris dignitatem, &
antiquum docendi munus noluissem invenire. Acri-
ter tamen & pro viribus defendit monasterii Sancti
Medardi privilegium, quod sexcentis abhinc annis
Gregorio subjectum est; & ea in re Pontifici tanto &
sibi non mediocrem infert injuriam. Quæ autem Gre-
gorio infertur injuria, apertam in lucem prodit se-
quens clausula: *Si quis Regum, Antistitum, Judicum,
vel quarumcunque sæcularium personarum hujus Aposto-
licæ auctoritatis & nostræ præceptionis decreta viola-
verit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel
fratres inquietaverit, vel conturbaverit, vel aliter or-
dinaverit, cujuscumque dignitatis vel sublimitatis sit,*
2 *honore suo privetur, & ut Catholicæ fidei depravator,
vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Chri-
stianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu
Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathe-
mate, quibus infideles & hæretici ab initio sæculi us-
que in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Do-
mini in inferno inferiori damnetur, nisi dignâ pœni-
tentiâ præfatorum Sanctorum sibi propitiaverit cle-
mentiam, & fratrum communem reconciliaverit con-
cordiam.*

Et primò quidem sine decessorum exemplo, sine
Canonum auctoritate inducitur id genus pœnæ ir-
rogare: *Ut siquis Regum,* Galliæ putà, Hispaniæ, Ita-
liæ, Angliæ, Orientis & Occidentis; *& siquis Antisti-
tum,* Alexandriæ putà, Antiochiæ, Constantinopolis,
Hierosolymorum, Carthaginis, Mediolani & aliarum
civitatum, *monasterii Sancti Medardi Suessionensis pri-
vilegium* NEGLIGENTER DUXERIT, *cujuscunque dig-
nitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur, & ut
Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ de-
structor à consortio Christianitatis, & corpore & san-
guine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omni-
um maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici
ab initio seculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda
traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi
dignâ pœnitentiâ præfatorum Sanctorum sibi propitiaverit
clementiam, & fratrum communem reconciliaverit concor-
diam.* Quis autem crederet Gregorium eximiæ sapi-
entiæ Pontificem negligentiæ nomine suspectis erga
privilegium Regibus & Antistitibus id pœnæ genus ir-
rogasse?

Deinde quia Reges custodes sunt Canonum, siquis 3
Regum statuerit, ut Sammedardensis Monasterii Ab-
bas, quàm à diœcesano Episcopo *chrismatis, olei, al-
taris, calicis, corporalis benedictionem expetat;* is statim
*honore suo privetur, & ut Catholicæ fidei depravator,
vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christia-
nitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu
Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathe-
mate, quibus infideles & hæretici ab initio seculi usque
in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini
in inferno inferiori damnetur, nisi dignâ pœnitentiâ
præfatorum Sanctorum sibi propitiaverit clementiam, &
fratrum communem reconciliaverit concordiam:* Quis
modò crederet Gregorium convenientissimæ, siquis
unquam, disciplinæ Pontificem id pœnæ genus irro-
gasse Regibus, qui suis edictis sacros Canones obser-
vari præciperent; qui nimirum bene ac laudabiliter
agerent?

Tum

Tum siquis Autistitum contra privilegium diceret, & pro jure suo sibi sumeret, ut si deponendus esset Sammedardensis Abbas, non deponeretur pleniori ac solemniori judicio, quàm deponendum esse Episcopum Concilia decernunt; is statim *honore suo privetur, & ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno* 4 *inferiori damnetur, nisi dignâ pœnitentiâ præfatorum Sanctorum sibi propitiaverit clementiam, & fratrum communem reconciliaverit concordiam.* At Concilia decernunt reum Episcopum à Synodo provinciæ suæ deponendum esse: Sammedardensis Abbas longè aliter deponendus esse statuitur. *Subjungimus*, ait privilegium, *& aliud edictum, si causâ capitalis criminis Abbas est deponendus, non priùs deponatur, donec depositores Apostolicam auctoritatem requirant, & ita sint tres Metropolitani cum Suffraganeis suis, & Abbates quamplurimi.* Quis modo crederet Gregorium qui tanta cum æquitate Juris Canonici gubernacula tenebat, huic privilegii clausulæ contradicentem, & sibi sumentem, quod pro æquali ut minimùm Episcoporum & Abbatum judicio abdicationis ex auctoritate Canonum fieri potuit, voluisse afficere eo pœnæ genere, quod mox relatum est? Hac in clausula privilegii auctor Decalogi totius violatorem non castigaret acriùs, quàm castigat eum, qui privilegium negligenter duceret, aut ei aliqua ex parte repugnaret: Et hæc est Joviniani & Stoïcorum hæresis, in quam incurrit. Censeret quippe paria esse crimina omnia, quòd æqualem pœnam omnibus & singulis criminibus imponeret. Si verò in Joviniani & Stoicorum hæresi non esset, crimen levissimum gravissimâ pœnâ dignum esse necessariò putaret: Et hic est alius error, in quem incideret. Sic evitatâ Charybdi in Scyllam, velit nolit, rueret ac præcipitaret. Porro autem hi sunt errores varii, quibus Alteserra dum Sammedardense privilegium tuetur ut verum ac legitimum, eminentissimam 5 Gregorii simplicitatem infamat, & Pontificiæ dignitati periculosum vulnus infligit.

Nunc venio ad injuriam, quam ille Sammedardensis privilegii defensor sibi creare voluit. Injuriæ istiusmodi capita sunt multa, quæ tibi sigillatim explicatum imus.

Primum est, quòd privilegii inscriptionem non satis attendit. Quid attinet omnes Episcopos, quibus inscribitur: *Gregorius omnibus Episcopis?* Unum attinet Suessionensem Episcopum, in cujus diœcesi situm est monasterium. Quid deinde attinet Gregorium, qui quæ dat in Epistolis privilegia, non inscribit *Episcopis omnibus?* In libri IV. Epistola XLIII. certum quoddam privilegium concedit Ariminensi monasterio Sanctorum Andreæ & Thomæ; sed illud Castorio Ariminensi Episcopo inscribit, non Episcopis omnibus. In libri VI. Epistola XII. certum quoddam privilegium concedit Massiliensi monasterio virginum; sed illud Respectæ Abbatissæ inscribit, non Episcopis vel Abbatissis omnibus. In libri VII. indict. I. Epistola XXIII. certum quoddam privilegium concedit Castelliensi monasterio; sed illud Joanni Scbillitano Episcopo inscribit, non Episcopis omnibus. In libri VII. indict. II. Epistola CXIV. certum quoddam privilegium Siagrio Augustodunensi concedit Episcopo; sed illud eidem Episcopo inscribit, non Episcopis omnibus. In ejusdem libri & indictionis Epistola CXVII. certum quoddam privilegium concedit Arelatensi monasterio; sed illud Virgilio Arelatensi Episcopo inscribit, non Episcopis omnibus. Hæc est usitata Gregorii consue- 6 tudo scribendi, quæ observari debuit, nec tamen observata est, etiamsi de observatione tali privilegium confingi potuerit.

Alterum, quòd in notis id semel atque iterum animadvertit, quo Sammedardense privilegium percellitur. Semel quidem ad libri I. Epistolam XXIV. *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. Hac synodalis Epistola continet professionem fidei Gregorii, in qua ait se suscipere quatuor Concilia generalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum & Chalcedonense, velut quatuor Evangelii libros.* Iterum verò ad libri II. Epistolam X. *Astruentes, quòd aliquid de sancta Chalcedonensi Synodo piæ memoriæ Justiniani temporibus sit immutatum. Adversus schismaticos affirmat de Chalcedonensi Synodo nihil immutatum in quinta Synodo, quæ habita est tempore Justiniani. Confirmat Chalcedonensem Synodum, & quatuor Concilia generalia sicut quatuor libros Evangelii se recipere profitetur hic ut sup. lib. I. ind. IX. epist. XXIV.* At in Chalcedonensi Concilio traduntur, quæ Sammedardensi privilegio adversantur. Et primùm quidem in Canone IV. *Qui verè & sincerè singularem sectantur vitam, competenter honorentur: Quoniam verò quidam utentes habitu monachi, Ecclesiastica negotia civiliáque conturbant, circumeuntes indifferenter urbes, necnon & monasteria sibi instituere tentantes, placuit nullum quidem usquam ædificare aut constituere monasterium vel oratorii domum præter conscientiam civitatis Episcopi. Monachos verò per unamquamque civitatem aut regionem* 7 *subjectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo jejunio & orationi, in locis, in quibus renunciaverunt seculo, permanentes. Nec Ecclesiasticis verò, nec secularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes: Nisi fortè his præcipiatur propter opus necessarium ab Episcopo civitatis. Nullum verò recipere in monasteriis servum obtentu monachi præter sui domini conscientiam. Transgredientem verò hanc definitionem nostram excommunicatum esse decrevimus, ne nomen Dei blasphemetur. Verumtamen Episcopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam gerere.* Et in can. VIII. *Clerici, qui præficiuntur ptochodochiis, vel qui ordinantur in monasteriis & basilicis Martyrum, sub Episcoporum, qui in unaquaque civitate sunt, secundùm Sanctorum Patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent evertere hujuscemodi formam quocumque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo: Si quidem Clerici sunt, Canonum correptionibus subjaceant; si verò laici vel monachi fuerint, communione priventur.* Cùm igitur Alteserra notat semel atque iterum Gregorium Chalcedonense Concilium venerari ut librum Evangelii, cur illud defendit privilegium, in quo Chalcedonensis Concilii Canones duo tam manifestè spernuntur? Privilegii verba sunt: *Chrismatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis à quocunque voluerint Pontifice benedictionem expetant.* Et paullo pòst: *Prælatus loci remotâ omni consuetudine pessimâ Regum, Antistitum, Judicum, exem-* 8 *plum divinæ religionis & honestatis cæteris exhibeat monasteriis, & super ea plena gaudeat libertate. Cujus rectores & filii præsentes & successuri tantùm sub Regum custodia positi, admonitionem sancti Petri & successorum suorum hujus sanctæ Romanæ Sedis Pontificum auctoritate proclament.* Nonne his in verbis spernuntur Canones duo editi à Concilio, quod Gregorius ut librum Evangelii veneratur? Nonne ubi Pontifex id pronuntiat, continuò subjicit: *Dum Concilia universalia sunt consensu constituta, se, & non illa destruit quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt.* Nonne in libri II. indict. XI. epistola LII. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, ei dicit: *Et quamvis cum omnibus hominibus pacem habere summopere cupiam, vobiscum præcipuè, quos vehementer amo, si tamen ipsi quos novi, vos estis. Nam si Canones non custoditis, & majorum vultis statuta convellere,*

non

non cognosco qui estis. At si, quod falsum est, verum esset privilegium, hoc eodem dedisset anno, quo ad Joannem tanta cum animi firmitate & constantia scribit. Sic non potuit Alteserra sine famæ & existimationis suæ jactura defendere privilegium quod defendit.

Tertium, quod semel atque iterum in notis observat aliud, quo privilegium Sammedardense rejicitur ut subdititium. Semel quidem ad libri 1. epistolam 1. *Ut semel per annum ad Syracusanam sive Cathanensium civitatem fraternitas vestra conveniat, &c. Eu atate Episcopi Siciliæ immediatè parebant Summo Pontifici, nec habebant*
9 *Metropolitas: Argumento est quod Gregorius per hanc epistolam Petro Subdiacono vices suas mandat intra Siciliam, eidémque jus tribuit congregandi semel in anno Concilium omnium Episcoporum provinciæ Cathanæ vel Syracusis, in quo omnia ritè disponantur, ut meritò possit Episcopale Concilium appellari. Si enim Sicilia habuisset Metropolitanum, vix Pontifex Petro Subdiacono dedisset potestatem cogendi Concilii Episcoporum, quæ propria est Metropolitani. Quàm enim sollicitus fuerit de servanda cuique jurisdictione propria, locupletem ipsum testem habemus lib. IX. epist. XXXII. Nam si sua unicuique jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?* Iterum ad libri II. epistolam XXXVII. *Absit hoc à me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo. Hinc sumptus est Canon: Quod verò. 25. quæst. 2. Summus Pontifex tueri debet statuta & privilegia Ecclesiarum. Can. Privilegia 1. & 2. eadem caus. & quæst. quia sibi injuriam facit, si fratrum jura infringat. Eadem est sententia Gregorii lib. IX. epist. XXXII. Nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur? Can. Pervenit. 11. qu. 1.* Hìc mirum est, cur vir doctus, postquam observavit quis & qualis fuerit Gregorius, dum agitur de retinenda sacrorum Canonum disciplina, Sammedardensis privilegii falsitatem non subolfece-
10 rit; quæ enim observat ad loca duo Gregorii, tam non possunt cum Sammedardensi privilegio consistere, quàm aqua cum igne potest consistere.

Quartum, quod mirari quoque subit, cur vir doctus, cùm ad libri II. indict. II. epistolam LXII. observat multa, eáque non contemnenda, non observet illico, Sammedardense privilegium cum eo Gregorii spiritu, quo scribitur ad Mauritium Epistola, conciliari non posse, ut mutua docebit contentio. Sammedardense privilegium dicit: *Siquis autem Regum, Antistitum, Judicum, vel quarumcunque secularium personarum hujus Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violaverit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, fratres inquietaverit vel conturbaverit, vel aliter ordinaverit, cujuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur, & ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi dignâ pœnitentiâ præsulterum Sanctorum sibi propitiaverit clementiam, & fratrum communem reconciliaverit concordiam.* Gregorius verò ita scribit ad Mauritium: *Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis dominis in omni quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ fa-*
11 *mulus in hac suggestione, neque ut servus, jure reipublicæ, sed jure privato loquor, quia serenissime domine, ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino vero clarissimo stratore veniente dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis respondere nil valui: In qua dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudavi, evidentissimè sciens, quia qui secularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult seculum, non relinquere. Quòd verò in eadem lege dicitur, ut ei in monasterio converti non liceat, omnino miratus sum: Dum & rationes ejus possint per monasterium fieri, & agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, ejus quoque debita solvantur. Nam etsi quisquam devota mente converti voluisset, priùs res malè ablatas redderet, & de sua anima tanto veriùs, quanto expeditior cogitaret. In qua lege subjunctum est, ut nulli, qui in manu signatus est, converti liceat. Quam constitutionem ego, fateor, dominis meis vehementer expavi, quia per eam cælorum via multis clauditur, & quod nunc usque licuit, ne liceat prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum seculari habitu ducere; & plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. Ego verò hæc dominis meis loquens quid sum nisi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc*
enim potestas dominorum meorum pietati cælitus data est 12
super omnes homines, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut cælorum via largiùs pateat, ut terrestre regnum cælesti regno famuletur. Et ecce apertâ voce dicitur, ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino Jesu Christo militare non liceat. Ex quibusdam admonitionibus interjectis subdit: *Ego quidem jussioni subjectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci; & quia lex omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per meæ suggestionis paginam serenissimis dominis nunciavi. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minimè tacui.*

Quæ vir doctus excerpsit, ut suis ea illustraret observationibus, excerpsi quoque: Sed plura excerpsi, quia nostrum ad institutum plura requiruntur. Relata Sammedardensis privilegii clausula cum relatis epistolæ istius fragmentis conciliari non potest. Aut subjectum est Gregorio privilegium, in quo Reges pro nulla vel certè levi culpa tractantur tam immaniter: Aut subjecta est eidem Gregorio epistola, in qua Mauritius Imperator ita benignè compellatur, etiamsi Gregorii judicio gravissimè peccasset. At subjecta non est Pontifici epistola: Quippe quòd Joannes Diaconus illius in libri III. de vita Gregorii, capite XLIX. meminerit, & in omnibus epistolarum Gregorii codicibus tam editis, quàm manu exaratis reperiatur, nec à moderato auctoris sui stylo & scribendi ratione dissentiat. Subjectum igitur est Gregorio privilegium ob causas contrarias. Joannes Diaconus privilegii men- 13
tionem nullam facit, facturus sine dubio, cùm ex aliis, tum ex eo quoque quod faciendæ mentionis occasio se præbuerit, dum in ejusdem libri III. capite I. hæc scribit de simoniaca hæresi: *Contra quam venerabilis pater apud Brunichildam Reginam, Theodoricum quoque & Theodobertum Francorum Reges fortiter expugnavit, donec collecta generali Synodo hanc sub anathemate damnandam penitus impetraret. Nec ante Syagrio Episcopo Augustodunensi, Reginâ & Regibus multis precibus flagitantibus, pallium dedit, quàm præsente Cyriaco suo Abbate, ipsi quod de propellendis hæresibus moniti fuerant, adimplerent.* Hæc est Regina Brunichildis, hic Rex Theodoricus, quorum precibus concessum esse dicitur privilegium. Deinde manuscriptus ante annos abhinc quingentos epistolarum Gregorii codex nullus est, qui Sammedardense privilegium repræsentet. Quin etiam recentiores manuscripti codices vel nulli vel pauci repræsentant. Apud Sammedardenses solitarium erat in scriniis monachorum, qui illud Pontifici supposuerant. Hinc est, ut cùm olim ederentur Gregorii epistolæ, Sammedardenses monachi suum curarint edi privilegium, & ad calcem apponi. Tum

relata

relata privilegii clausula ab ingenio Gregorii, & ab humanu illius atque Ecclesiastico agendi modo in tantum distat, in quantum distare potest. Sic vir doctus judicium suum desiderari voluit, cùm ad defendendum Sammedardense privilegium aggressus est.

Quintum, quód vir doctus Alteserra testatur pri-
14 vilegii subscriptiones legisse se, nec observasse quæ sequuntur. 1. Portuenses Episcopos subscripsisse duos, Gregorium & Felicem. Sic enim se res habet. Tertius subscribit: *Gregorius Portuensis subscripsit.* Vicesimus primus subscribit: *Felix Portuensium Episcopus subscripsit.* Erantne tunc in eadem sede Episcopi duo? Permisissetne Pontifex Ecclesiasticæ disciplinæ vindex acerrimus, ut in Portuensi Ecclesia tam prope ab urbe violarentur Canones Nicæni Concilii, quod venerabatur ut librum Evangelii? Cur legenti subscriptiones Alteserræ luculentum istud adulteratæ tabulæ non suboluit judicium? Romano Concilio, quod extat in libri IV. epistola XLIV. subscribit Felix Portuensis Episcopus: Et cùm inter viginti tres Episcopos subscribat ferè medius, junior Episcopus esse non potest. Gregorius Portuensis Episcopus apparet nusquam, nisi forte in Arelatensi Concilio, cui anno CCCXIV. subscripsit. Sed ille ad Gregorii Papæ tempus quid attinet? In Sammedardensi duntaxat privilegio ipse sibi testis est, ac proinde nullus, quia supposititius, & supposititium est privilegium.

II. Fictitia est civitas Anania, cujus Episcopus nomine Petrus privilegio subscribit. Ferdinandus Ughellus in tomo 1. Italiæ sacræ. *Petrus*, inquit, *Ananiæ Episcopus reperitur subscriptus in privilegio Sancti Medardi Suessionensis, à Gregorio magno concesso anno 593. An hic Petrus fuerit Episcopus Ananiæ, & quænam illa fuerit Anania civitas, prorsus ignoro.*

15 III. Marinianus Ravennatis Ecclesiæ Episcopus subscribit anno 593. Marinianus non erat tunc Ravennatis Ecclesiæ Episcopus, sed Joannes, cui Marinianus anno 596. successit. Ad Joannem scribit Gregorius in libri 1. epistola XXXV. in libri II. indict. X. epistola XXII. XXVI. XXXII. in ejusdem libri indict. XI. epistola LII. & LIV. & Joannes in epistola LV. ad Gregorium Papam scribit. In libri IV. epistola 1. XI & XV. sic Joannes ante & post annum 593. quo datum dicitur Sammedardense privilegium, vixit. Marinianus Joanni successit anno 596. & Romano subscripsit Concilio, & ad eum Gregorius in libri V. epistola 1. scribit de Testamento, quod Joannes decessor condiderat. Et hoc est insigne falsitatis argumentum, quod Alteserra observare debuit; nec observavit amantissimus adulterini privilegii, quo Reges & Episcopi tam inciviliter tractantur.

IV. Vitulinus Sipontinensis Episcopus subscribit anno 593. Vitulinus seu Vitalinus non erat tunc Sipontinensis Episcopus, sed Felix, cui non Vitulinus, sed Vitalianus successit post annum 593. Ad Felicem Sipontinum Episcopum Gregorius scribit in libri 1. epistola LI. in libri II. indict. XI. epistola XLI. XLII. in libri III. epistola XVII. in libri VII. indict. I. epistola IX. ad Vitalianum Sipontinum Episcopum scribit. Hic Alteserra observare debuit duo; unum, Felicem anno 593. & 594. fuisse Sipontinum Episcopum; alterum non Vitulinum, sed Vitalianum fuisse Sipontinum Episcopum. Ex his duobus cognovisset adulterinum esse privilegium, quod uti verum ac legitimum tuetur.

16 V. Joannes Syracusanorum Episcopus subscribit anno 593. Joannes non erat tunc Syracusanorum Episcopus, sed Maximianus, ad quem Gregorius & ante & post annum 593. scribit In libri II. indict. X. epistola IV. in ejusdem libri & indict. X. epistola XVIII. & XXVI. in ejusdem libri indict. XI. epistola XII. in libri III. epistola XI. XII. XIII. XIV. XXXII. & XLII. in libri VI. indict. XIII. in epistola ad Cyprianum Diaconum. *Amarissimas*, inquit, *tuæ dilectionis epistolas de Domni Maximiani obitu mense Novembris suscepi. Et quidem ille ad præmia desiderata pervenit: Sed infelix populus Syracusanæ civitatis lugendus est, qui pastorem talem diu habere non meruit. Proinde dilectio tua sollicitudinem gerat, ut in eadem Ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post Domnum Maximianum ejusdem regiminis locum non videatur immeritò sortiri.* Maximiano successit Joannes, ad quem Gregorius in libri V. indict. XIV. epistola sic scribit: *Apostolica Sedis benevolentiâ & antiqua consuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, quam in Syracusanæ Ecclesia gubernationis officium constat suscepisse, pallii usum providimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, quibus decessorem quoque tuum usum non esse ambigis.* Hæc autem si vir doctus observasset, Sammedardensis privilegii fautor ac defensor non accessisset.

VI. Constantius Narniensis Episcopus subscribit anno 593. qui tunc non erat Narniensis Episcopus, sed Præjectitius, ut in tomo 1. Italiæ sacræ traditur. Præjectitius Narniensis & Interamnæ excisæ 17
Episcopus anno 565. obiit circa annum 505. cui Gregorius Ecclesiam Narniensem commendat lib. II. epistola 11. *Gregorius Prajectitio Episcopo Narniensi. Pervenit ad nos peccatis imminentibus in civitate vestra Narniensi mortalitatem omnino grassari, quæ rei non nimis afflixit. Quamobrem salutamet fraternitatem tuam modis omnibus suademus, ut à Longobardorum sive Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione sive exhortatione nulla ratione cessetis, & maximè à gentilium & hæreticorum, ut ad veram rectámque fidem Catholicam convertantur.* Præjectitio successit Constantius, qui & anno 596. Romanæ Synodo subscripsit. Vir doctus notam in hujus Episcopi subscriptionem prætermisit, ne fortè privilegii suppositio detegeretur.

VII. Privilegii fabricator suam fraudem non satis occuluit, cùm è numero Episcoporum, qui Gregorii junioris Papæ constituto subscribunt, tres assumpsit, Gregorium Portuensem, Anastasium Tyburtinum, Tyberium Sylvæ candidæ, qui Sammedardensi privilegio subscriberent. Nam illi Episcopi, ad Gregorii magni tempus quod attinet, nullum aliud habent testimonium sui, quàm quod ab illius privilegio & illius subscriptione quæritur. Sibi mutuò casum adjuvant, quem Alteserra machinis nullis sustinere potest.

VIII. Primævius Nunciensium Episcopus subscribit privilegio: Sed quis ille fuerit Primævius, quæ Nunciensium civitas, non ita facilè invenitur. Ab Alteserra disquiri debuit, ne inde privilegium de statu suo periclitaretur.

Et sanè negari non potest, quin vir doctus in ob- 18
servandis privilegii subscriptionibus negligenter se gesserit. Sed excusetur, vel non excusetur: Excusari non potest, quod privilegii verba diminutè & minus sincerè retulerit. *Si quis autem Regum, Antistitum, Judicum, vel quarumcunque sæcularium personarum hujus Apostolica auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violaverit, honore suo privetur*, &c.

Hoc in loco vir doctus sibi facit injuriam, cùm in referenda privilegii clausula ingenuitas & animi candor desideretur. Permulta detrahit, in quibus explicati suprà & nunquam tribuendi Gregorio Papæ errores luculenter apparent. Integra igitur verba sunt hæc: *Si quis autem Regum, Antistitum, Judicum, vel quarumcunque sæcularium personarum hujus Apostolica auctoritatis & nostræ præceptionis decreta violaverit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietaverit, vel conturbaverit, vel aliter ordinaverit, cujuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur, & ut catholica fidei depravator, vel sancta Dei Ecclesia destructor à consortio Christianitatis, & corpore*

ac

ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & heretici ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum Sanctorum sibi propitiaverit clementiam, & fratrum communem reconciliaverit concordiam.

19 Si Alteserra integram & tanto Pontifice indignam privilegii clausulam exhorruit, cur privilegium, cur privilegii clausulam tuitus est? Si non exhorruit integram, nec Gregorio magno indignam esse privilegii clausulam arbitratus est, cur totam non retulit, & eam suis non mansuefecit & excoluit commentariis? Id non præstitit. Sed quidquid est auribus & animis absonum, quidquid Joviniani & Stoicorum errorem vel alium oppositum repræsentat, per unum *&c.* suppressit; deinde propugnandam cum suo *&c.* clausulam ita suscepit. *Nonnullis, ait, viris eruditioribus pro falso habetur hoc privilegium hoc argumento, quòd siquis violaverit privilegium, cujuscumque dignitatis sit, Pontifex dixit, ut honore suo privetur, non exceptis personis Regum vel Judicum, quod valde abhorrens & alienum videtur à discretione Gregorii, qui cum Regibus & Principibus reverentius agere soleret.*

Utuntur & alio argumento, quòd inter Episcopos, qui subscripsere privilegio, ponuntur Eulogius Alexandrinus Episcopus, & Dominicus Carthaginensis Episcopus, de quibus non legitur usquam quod Romæ fuerint.

Verùm non desunt argumenta contraria ad tuendum privilegium. Primùm, moveor auctoritate Illustrissimi viri Cardinalis Baronii, qui hoc privilegium laudavit in Martyrol. 8. Junii ex fide Registri ipsius Gregorii lib. 12. indict. 7. cap. 32. Secundò, privilegium extat in Registro Gregorii etiam in 2. editione Vaticana, nimirum lib. 2. post Epistolam 38. Vix est ut dubitari possit de fide Registri Epistolarum Gregorii, quod prodit ex scrinio Ecclesiæ Romanæ, quod depositum est

20 *cum aliis operibus, teste Joanne Diacono lib. 4. cap. 71. Tanta est auctoritas Archivi Ecclesiæ Romanæ, ut nequaquam suspecta sint monumenta Pontificum, quæ illic inveniuntur. Cap. ad audientiam. De præscript. Tertiò, non est idoneum falsi argumentum clausula postrema privilegii, quâ indicitur, ut honore privetur quisquis privilegium temeraverit: Quia si æquis animis interpretemur verba Pontificis, privilegii violatoribus non alia pœna indicitur, quàm anathematis, ut probatur his sequentibus verbis: Ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu sequestretur,* &c. *Privilegiis Apostolicis anathematis pœna injici solebat, ut constat etiam hic de privilegio eidem monasterio concesso à Joanne Papa III. privilegio Landerici Parisiensis Episcopi monasterio beati Dionysii concesso, & aliis appositam fuisse pœnam anathematis rectè observat vir Illustrissimus Hieronymus Bignonius in notis ad Marculfum. Et quod dicitur, ut qui privilegium violaverit, honore suo privetur, refertur ad ea quæ proximè sequuntur, nimirum ad pœnam anathematis, per quam qui à communione Ecclesiæ removetur, reverâ potissimo vitæ honore & dignitate privatur, ex quo inter infideles & hereticos ablegatur. Imo illud non eò pertinet, ut Rex vel Judex privetur honore Regis vel Judicis, sed ut careat honore patroni, seu fundatoris, vel advocati, vel defensoris monasterii: Quo sensu par pœna apponitur monasterio Augustodunensi lib. 11. epistola x.*

21 *Quartò, ne vos pungat, amabo, Eulogii Alexandrini, & Dominici Carthaginensis Episcoporum subscriptio, quia privilegium fortè missum ad utrumque, & ab his subscriptionibus suis munitum, ita desiderante Pontifice, ut eorum honori & gratiæ indulgeret propter arctiorem amicitiam, quæ intercedebat inter eos, ut satis constat ex Libro 11. Epist.* XXXIX. *Lib.* V. *Epist.* XXXVII. *& aliis locis.*

Denique, nihil est quòd miremur à Gregorio concessum privilegium monasterio Sancti Medardi Suessionensis, vel confirmatum privilegium, concessum antè per Joannem III. Papam. Nam idem Pontifex privilegia concessit vel confirmavit quamplurimis aliis monasteriis Galliæ, ut Arelatensi, Augustodunensi, & aliis. Et certè monasterium istud fuit dignissimum gratiâ Pontificis. Fuit enim regiæ fundationis, nimirum fundatum à Clothario I. & Sigeberto ejus filio, de quo Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 19. Idem de gloria Confess. cap. 95. Et Anseritus Suessionensis Episcopus, quo postulante privilegium concessum est, fuit bene meritus de Ecclesia. Idem interfuit Concilio Remensi anno Christi DCXXX. *de quo Flodoardus hist. Remensis lib. 2. cap. 5.*

Quidquid hic eruditus auctor disputat, tres in partes tribuitur. In prima rationes duas tantùm proponit ex infinitis, quibus privilegium quatitur, & illius suppositio demonstratur. In secunda suas ipse proponit rationes numero tantùm duas, quibus prostratum & jacens privilegium erigat & sustentet. In tertia propositas ab initio rationes si non diluat, diluere saltem omni ope atque opera conatur. Præscriptum ab illo 22
sequor ordinem, & ejus vestigiis insisto.

Ad primam partem quod pertinet, vir doctus meritò accusandus est [illegible], quòd multas rationes alias, & priorem in meliori lumine collocatam dissimulet, & silentio involvat. Deinde ex iis, quæ suprà disseruimus, liquidò patet, stare non posse privilegium, tametsi rationes illæ duæ non suppeterent aut omitterentur, ut ad indagandam rei veritatem inutiles. Tum si prima suis adornata conditionibus exhiberetur, omnis Alteserræ conatus ad privilegii defensionem impotens redderetur: Quæ scribit, omnia diffugerent, & sponte sua dissilirent. Quod ille occupavit animo & prospexit, non ausus ultimam privilegii clausulam totam recensere, cujus similem nulla unquam vidit aut visura est ætas in rescriptis Pontificum. Ubinam reperietur scriptum: Siquis Rex monachos inquietaverit, vel contrarium sacris Canonibus privilegium negligenter duxerit, tractabitur perinde ac si Catholicam fidem depravasset, sanctam Dei Ecclesiam destruxisset, & cum Juda Christum Dominum prodidisset? Quis ante Gregorium, quis post Gregorium Pontifex hoc edixit? Attamen si credatur Alteserræ, non Alexander VI. non Joannes XII. aut aliquis alius inconsideratissimæ disciplinæ Pontifex, sed Gregorius magnus Pontificum omnium moderatissimus & patientissimus edixit.

Nunc veniendum est ad secundam partem, in qua sunt, me vide, argumenta duo extra-quàm levia & infirma. Et de illis necessariò mihi esse arbitror si non subtiliùs disserendum, at certè dolentius 23
deplorandum.

Et primò quidem argumentatur ex auctoritate Baronii, quem nemo nescit usquam aut rarò vocare in dubium scripta, ex quibus Romani Antistitis potestas in Reges constabiliri queat. Hinc ille Baronius ad annum 595. num. LXXXV. *Eodem anno petentibus Francorum Regibus datum legitur à S. Gregorio Papa privilegium monasterio Sancti Medardi Suessionensi in Gallia,* &c. Et numero LXXXVI. *Sed quas infligat pœnas, audi quæ habet in fine: Siquis autem Regum,* &c. *Vides, Lector, Pontificis Romani esse sancire leges, quibus si ipsi Reges non pareant, regno priventur.* Sed quod hic festivum ac lepidum est, vir doctus Baronii quidem auctoritate movetur in retinenda privilegii clausula, & ipso proinde privilegio; sed non movetur in retinenda clausulæ explicatione. Baronius clausulam de privandis regno Regibus intelligit, Alteserra de privandis honore patroni seu fundatoris Regibus interpretatur. *Imò,* inquit,

quit, *illud non eò pertinet, ut Rex vel Judex privetur honore Regis vel Judicis, sed ut careat honore patroni seu fundatoris.* Sic Alteserra cum auctore pugnat, cujus auctoritate movetur. Capiat hoc qui capere poterit. Non id animadverto, quasi utriusque vel alterutrius explicationis rationem ullam habeam. Nullam habeo, quia privilegium Gregorio subjectum esse recipio. Deinde de allata hoc in negotio Baronii auctoritate Baronium ipsum audiat in apparatu pro-
24 nunciantem: *Quod à recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Deinde argumentatur ex regesto seu registro Gregorii, atque ex Vaticana illius editione, in qua illatum libro II. post Epistolam XXXVIII. Sammedardense privilegium reperitur. Non auto contra carum emerim hoc genus argumenti, quod jam aliud agentes displosimus. Romani editores privilegium, quod olim in calce Epistolarum Gregorii appositum fuerat, ad memoratum libri Epistolarum secundi locum revocandum esse duxerunt. Scilicet credebant verum esse, quod reipsa falsum erat, privilegium, & credulitate occupati sua privilegio inter libri II. Epistolas dederunt locum, quem & Dominicæ Incarnationis annus DXCIII. & indictio XI. postulabant. Hoc autem quid spectat ad veritatem privilegii? Si vir doctus nescit, id ex Cardinali Perronio in hujus ad tertium regni statum concione discat. Ascribo verba: *Je ne me veux point servir des Bulles de l' Abbaye de Soissons, dautant qu'elles ne sont point inserées dans le registre des Epistres de Saint Gregoire, mais ont esté prises des Archives des Moines de Saint Medard, & ajoûtées hors d' oeuvre aprés la fin du registre, comme il appert & par les anciennes impressions du mesme registre, & par la citation que Gregoire VII. qui vivoit il y a plus de cinq cens ans, fait de l' Epistre à Senator, sans parler de celle de Soissons.* Quod Latinè dicitur: *Uti nolo Bullis Suessionensis Abbatiæ, quod illa Epistolarum Gregorii regesto inserta non sint, sed ex Sammedar-*
25 *densium Monachorum archivo deprompta, atque extra Epistolarum Gregorii libros* XII. *adjecta fuerint, ut ex antiquis regesti ejusdem editionibus, & Gregorii VII. citatione omnino liquet. Hic enim Pontifex, qui supra annos abhinc quingentos vivebat, Epistolam ad Senatorem laudat, nulla facta Sammedardensis privilegii mentione.* Jacobus Gretserus in examine mysterii Plessæani cap. trigesimo primo privilegium hoc abire patitur, cùm ait: *De privilegio Sancti Medardi monasterio concesso jam antea egimus, neque in isto opes Græcia sita sunt; quod tamen etsi apocryphum esset, haud tamen ideo evinceretur, Sanctum Gregorium universalis Ecclesiæ curam non gessisse.* Perronius & Gretserus non audent privilegium defendere, quod Alteserra defendit. Hic appellat Romanæ Ecclesiæ scrinium, quod illi non appellant. Quid ita? Intelligebant viri sagaces, scrinium istud inutile esse ad defendendum quidquid est in singulis Gregorii operibus, præsidium. Nam quamvis Joannes Diaconus testetur Gregorium tot Epistolarum libros in Romano reliquisse scrinio, quot annos vixit Pontifex; non inde tamen sequitur, unamquamque Epistolam Gregorii esse, nisi quales libros in scrinio reliquerit, hi ad nos pervenissent. Non pervenerunt, nec pervenisse fidem faciunt, qui Romæ operum Gregorii editionem curarunt. Abundè jam notavimus quæ impediunt, ne Sammedardense & similia privilegia Gregorio attribui possint.

Sed vir doctus ait: *Tanti est auctoritas Archivi Ecclesiæ Romanæ, ut nequaquam suspecta sint monu-*
26 *menta Pontificum, quæ illic inveniuntur. Cap. ad audientiam de præscriptionibus.* Non extat nunc Archivum Romanæ Ecclesiæ, quod extabat Gregorii tempore, nisi probet ille Romanam operum Gregorii editionem idem esse quod erat Archivum Romanæ Ecclesiæ, cùm Gregorius è vita migravit, & ab eo tempore operibus nihil, Epistolis nihil inditum fuisse. Probabitne Capite *ad audientiam*, insertum Gregorii operibus in pœnitentiales psalmos septem Commentarium Gregorii esse, qui tamen qualis se habet in Romana editione, nec Gregorii est, nec Gregorii potest esse?

Hoc ergo Caput *ad audientiam* non est satis provisum ac præcautum Alteserræ perfugium. In hoc Capite agitur de monumentis censuum, quibus centenaria possessione præscribitur: Non agitur de monumentis veritatis, cui possessione simili non præscribitur. Tertullianus in libri de velandis virginibus capite I. *Veritati*, inquit, *nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum.* Matthæus Gribaldus, qui olim Tolosæ in frequentissimo illo Galliarum gymnasio Jura civilia interpretatus est, in libro II. de ratione studendi: *Cursus*, inquit, *temporis non mutat substantiam veritatis. L. sicut falsi. C. ad l. Cornel. de fal.* Tertulliano & Gribaldo fidem habendam esse majorem quàm Alteserræ, quis non facilè percipit? Sic parum consideratè adductum est Caput *ad audientiam.*

In tertia parte respondet argumentis non omnibus, quibus privilegii adulterium ostenditur; sed duobus tantùm, quæ sibi voluit objicere: Priori qui- 27
dem, cùm negat idoneum falsi argumentum esse postremam privilegii clausulam. At ego contrà vehementer assero, clausulam hanc non idoneum modò, sed etiam maximè idoneum falsi argumentum esse propter errores, quos ex ea jam deduximus. In privilegii clausula si Rex Galliæ Sammedardensis Monasterii Monachos inquietat, si privilegium negligenter ducit, perinde plectitur, ac si Dei & Ecclesiæ præcepta violasset omnia: segregatur à cœtu fidelium, & juxta Baronium & Bellarminum regno, vel juxta Alteserram patroni seu fundatoris honore privatur. Sic pro nulla vel levi culpa Rex duplici pœna, eaque gravissima castigatur, *& Catholicæ* insuper *fidei depravator, ac sanctæ Ecclesiæ destructor* censetur, non utique à Gregorio Papa, sed à privilegii suppositore, & à suppositicii privilegii defensoribus, qui cujusmodi errores fuerint Joviniani & Stoicorum ignorant, vel dissimulant, & eos in Gregorium, quod immane facinus est, transferunt: Hæreticum faciunt Pontificem, ut eum faciant regnorum & secularium dignitatum eversorem, & Canonum qui Monachos Episcopis subjiciunt.

Deinde si animis æquis agamus, non interpretabimur verba Pontificis, quia non sunt verba Pontificis, sed impostoris, qui ait: *Et ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur.* Diximus verba hæc in nullis seu Gregorii, seu decessorum illius privilegiis, vel scriptis aliis, quæ 28
certa & minimè dubia sint, occurrere. *Nam religionis est instar instrumentorum fidem de temporibus asserere*, ut Tertullianus docet in Apologetici capite XIX.

Hinc cur post *sequestretur*, uti doctus ponit, *&c.* Non capio, nisi quia quæ sequuntur susceptam anathematis interpretationem nihil adjuvent, vel clementiæ civilitatisque multa & magna documenta sint, sed ab instituto abhorrentia. Quidquid in causa, res est hujusmodi. Sequitur: *Et omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & heretici ab initio mundi usque ad præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur.* Hoc est exquisitissimum maledictionum, dirarum & anathematum genus, quod Alteserra reticuit, quia forsan sibi visum est modum omnem excedere, nec ullis involucris

lucris

lucris tegi posse. Inventa sunt à Monachia sub nomine Gregorii Papæ terricula, quibus ad coercendos reges & magistratus adhibeatur vis major, & illi tanquam Gorgone conspecta sic obstupescant, & eò tandem deveniant, ut animos, vultus, oculos & manus à Monachis avertant. Sed Alteserram nec concoxisse istud, nec pervidisse mirum est.

Præterea Sammedardenses Monachi sunt, qui ut Gregorio, sic & Joanni III. privilegium subjecerunt, ut alterum alterius esset confirmatio. Atque illud vanum est artificium, in quo vir doctus petit principium, cùm ex Joannis privilegio exemplum sumit.

Ad hæc frustra nos deducit ad Landerici Parisiensis Episcopi privilegium, in quo par clausula non
29 exaratur. Heu prisca fides!

Denique cùm vir doctus nobis aurem pervellit de privilegio, quod Gregorius in Libri XI. Epistola X. legitur Augustodunensi concessisse xenodochio, pervellere similiter debuit & de privilegio, quod in ejusdem libri epistola XI. ad Thessaliam Abbatissam Augostodunensis Beatæ Mariæ monasterii, & de privilegio, quod in ejusdem libri Epistola XII. ad Lupponem Presbyterum & Abbatem, Augustodunensi suburbanæ Beati Martini Ecclesiæ concessisse pari modo legitur. Hæc enim privilegia tria, si inscriptionem & quæ pertinent ad inscriptionem excipias, iisdem descripta sunt verbis, ubi talis est clausula postrema: *Siquis verò Regum, Sacerdotum, Judicum; personarúmque secularium hanc constitutionis nostræ paginam cognoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reúmque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate sciat, & nisi ea quæ vel malè ablata sunt, restituerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè actu defleverit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.* Hæc est clausula, quæ in unaquaque Epistola repetitur: Sed ne molesta videretur ejusdem repetitio, & index nescio cujus falsitatis appareret, in Romana & aliis editionibus integræ non repetuntur Epistola ad Thessaliam, & Epistola ad Lupponem; initia Epistolarum ponuntur cum *&c. ut suprà*, scilicet in Epistola ad Senatorem Presbyterum & Abbatem. Sic igitur
30 in Epistola ad Thessaliam: *Quando ad ea, ad quæ Catholicorum Regum corda Pontificalibus sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio, divina præveniente gratia, succenduntur, ut ab eis ultro poscantur: Tantò sunt alacri & læto animo concedenda, quantò & ea ipsa, quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerunt. Proinde juxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum Regum Brunichilda, ac nepotis ipsius Theodorici, monasterio Beatæ Mariæ, ubi ancillarum Dei congregatio est constituta in urbe Augustodunensi, &c. ut suprà.* Sic etiam in Epistola ad Lupponem: *Quando ad ea, ad quæ Catholicorum Regum corda Pontificalibus sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio, divina præveniente gratia, succenduntur, ut ab eis ultro poscantur: Tantò sunt alacri & læto animo concedenda, quantò ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerunt. Proinde juxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum Regum Brunichilda ac nepotis ipsius Theodorici, Ecclesiæ Sancti Martini, quæ in suburbano civitatis Augustodunensis, &c. ut suprà.* In his ergo tribus Epistolis qui Rex malè ablata, nimirum asses quindecim, non restituerit, duplici pœna punitur; sæculari, quâ juxta Baronium & Bellarminum regno, vel juxta Alteserram patroni seu fundatoris honore privatur: Item Ecclesiasticâ, quâ pellitur à cœtu fidelium. Sic enim Alteserra ad relatam clausulam notat: *Privilegio concesso monasterio & xenodochio Augustodunensi apponitur clausula pœnalis, ut siquis Regum, Sacerdotum, Judicum, vel privatorum, privilegium & immunitatem*
31 *hujusce monasterii perfregerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, id est, amittat omnem prærogativam & potestatem, quam habebat in monasterio patronus seu fundator Ecclesiæ vel monasterii: Violans ejus jura, amittit jus patronatûs; Et excommunicatur.* Hic vir doctus & prudens non advertit, eum qui Ecclesiæ vel monasterii patronus aut fundator non esset, & contra Pontificiæ constitutionis paginam veniret, leniùs puniri, quàm Regem, qui Ecclesiæ vel monasterii patronus aut fundator esset, ac pari modo contra Pontificiæ constitutionis paginam veniret. Rex duplici pœna puniretur, jus patronatûs amitteret, & excommunicaretur: Plebeius verò qui Ecclesiæ vel monasterii patronus vel fundator non esset, unicâ pœnâ puniretur, scilicet excommunicaretur duntaxat. Sic Regis & plebeii pariter delinquentium, ut ponitur, diversa esset pœna; Regia durior, plebeii levior. In has autem salebras impellendus non est Gregorius, sed qui Epistolas Gregorio subjecit, & qui clausulam sic interpretatur.

Suppositionis rationes sunt eædem, quibus Sammedardense privilegium Gregorio subjectum esse probavimus, si spectetur, ut spectari debet, Joviniani vel Stoicorum error, quem supra exposuimus. Accedit eadem trium Epistolarum contextio, quæ falsitatis nota est. Accedit & hujus clausulæ modus abnormis, qui nec in certis Gregorii aut illius decessorum privilegiis, seu scriptis invenitur usquam: Sua est ætati cuique scribendi ratio, quâ veterum monumenta vera a subdititiis excernuntur. Id genus formulæ uno vel altero post Gregorium sæculo obtinere cœpit.

Porro autem de Sammedardensi & tribus Augu- 32
stodunensis privilegiis ita contigisse mihi videtur. Augustodunensia privilegia hæc post Joannem Diaconum, qui ad annum DCCC. LXXV. claruit, & ante Gregorium VII. qui anno M. LXXIII. Romanus Pontifex creatus est, Gregorio supposita fuerunt. Post Joannem quidem Diaconum, qui in libris de vita Gregorii Papæ Augustodunensium privilegiorum mentionem nullam facit, facturus sine dubio si Gregorius illa concessisset, si Romanus aliquis Epistolarum Gregorii codex istas Epistolas repræsentasset. Hic enim auctor putasset Epistolas, in quibus qui Reges, Sacerdotes & Judices Gregorianæ constitutioni non obediunt, potestatis honorisque sui dignitate privantur, & ab Ecclesiastica communione removentur, Gregorio & Sedis Apostolicæ rationibus conducere quamplurimùm. In silentii hujus circumspectione, & accurata consideratione totus babito, & in ea, quæ inde ducitur, hæreo commorórque sententia. Et ea de re vix dubitabit, qui concinnatam à Joanne ex fragmentis Epistolarum vitam Gregorii meditatè legerit.

Ante verò Gregorium VII. quòd is Augustodunensis xenodochii privilegium laudet. Id totum confirmat Petrus Damianus, dum ita scribit ad Alexandrum II. in libri I. Epistola XII. *Præterea duo quædam apud Apostolicum Sedem frequens usus obtinuit, quæ si prudentia vestra judicat, ut nobis videtur, omnino digna sunt corrigi, quia cunctis fere decretalibus paginis anathema subjungitur: Alterum, quia cujuslibet Ecclesiæ filius, sive Clericus, sive laicus, exponere pro-* 33
prii excessus Antistitis prohibetur. Quorum primum, quàm sit salutis immune periculum & infinitè patens vorago labentium, ac pernicies animarum, clementiæ vestra pietas non ignorat. Dicitur enim: Quisquis hoc vel illa non fecerit, sive certè quisquis hoc quod superiùs statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema sit. Et post alia: *Non enim secundùm Stoicos omnia peccata sunt paria, atque idcirco indifferenti sunt ultione plectenda. Sed juxta modum culpæ temperanda semper est mensura vindictæ. Porrò nec beatus Papa Gregorius, vel cæteri Patres, qui diversis temporibus in Apostolica Sedis regimine floruerunt, hunc morem*

in suis reperiuntur observasse decretis. Sic Epistolarum Gregorii codices non continebant tunc temporis Sammedardense vel Augustodunensia privilegia, in quibus anathema, de quo Damianus apud Alexandrum II. querimoniam habet, subnectitur. Damianus, mihi crede, non aliis Epistolarum utebatur codicibus, quàm qui Romæ asservabantur.

Deinde Augustodunensia privilegia Sammedardensi vetustiora sunt, quia Gregorius VII. ex Augustodunensibus privilegiis unum citat, licèt citando deceptus sit, Sammedardense non citat. Sed vetustas ista non est alia præterquàm falsitatis, quæ à veritate revincitur. Tunc confecti sunt Epistolarum Gregorii codices, qui Augustodunensia privilegia repræsentant. Extat in Bibliotheca Thuana manuscriptus codex hujusmodi sat antiquus: Sua tamen antiquitate Damia-
34 ni & Alexandri II. tempus minimè superat. Hinc
Augustodunenses non modò curarunt, ut privilegia sua inderentur Epistolarum codici, sed etiam ut in libro XI. post missas à Gregorio ad Brunichildam Reginam, & ad Theodoricum Regem Francorum Epistolas collocarentur, earúmque numerum augerent. Xenodochii privilegium Senatori Presbytero & Abbati, monasterii Beatæ Mariæ privilegium Thessaliæ Abbatissæ, & monasterii Sancti Martini privilegium Lupponi Presbytero & Abbati inscribitur ad formam Epistolarum X, XI. & XII. Sed cum in iis Senatorem & Lupponem Presbyteros & Abbates fecerunt, id paullò fecerunt imprudentiùs. Fraudem detegunt suam, quia Gregorius nolebat permittere, ut idem esset Abbas & Presbyter: Sic enim scribit in libri III. Epistola XI. *Incongruum est, unam eandémque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo jure censere, id est, usurpationis, & Canonum. Presbyteros, Diaconos, cæterósque cujuslibet ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas: Sed aut admissâ Clericatûs militiâ monasticis non provehantur ordinibus, aut si in Abbatis loco permanere decreverunt, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus, sicque invicem & Ecclesiasticus ordo vita Monachica, & Ecclesiasticis utilitatibus regula Monachatûs impediatur.* Hoc in loco
35 agitur, quid Gregorius observari voluerit, non quid
ante Gregorium Augustinus, vel quidam alii Patres aliis in locis observari voluerint, non quid post Gregorium observatum in Ecclesia fuerit. Qui Gregorio Augustodunensia supposuit privilegia, hæc accommodavit ad usum sui temporis, in quo idem Abbatis & Presbyteri officio fungebatur.

Præterea ex quo post Joannis Diaconi tempus manuscriptis Epistolarum Gregorii codicibus inferi cœperunt Epistola ad Senatorem Presbyterum & Abbatem, Epistola ad Thessaliam sive Thalassiam Abbatissam, Epistola ad Lupponem Presbyterum & Abbatem, ut Romana præ se fert editio, tanta in his tribus Epistolis varietas identidem deprehendi potuit, ut ea vel suppositioni vel interpolationi patefaciendæ sufficeret.

In monasterii Sancti Martini Tornacensis codice, qui nunc extat in Bibliotheca Telleriana, reperiuntur quidem Epistola ad Senatorem, & Epistola ad Thessaliam, editis prorsus similes; sed desideratur Epistola ad Lupponem.

In monasterii Cluniacensis codice non habetur Epistola ad Lupponem, sed habetur Epistola ad Senatorem. Deinde in ea Ecclesiæ Sancti Martini, non xenodochii & monasterii fit mentio. Adscribo verba: *Proinde juxta scriptu filiorum nostrorum præcellentissimorum Regum Brunigildæ ac nepotis ipsius Theuderici, Ecclesiæ Sancti Martini, quod in suburbano civitatis Augustodunensis à Siagrio reverendæ memoriæ Episcopo, & præcellentissima filia nostra Regina constructum est.*

At in edita Epistola xenodochii vel monasterii fit 36
tantùm mentio: *Proinde juxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum Regum Brunichildæ ac nepotis ipsius Theoderici, xenodochio, quod in civitate Augustodunensi à Siagrio reverendæ memoriæ Episcopo, & prædicta excellentissima Regina filia nostra constructum est.* In MS. codice solœcismus est, *Ecclesiæ Sancti Martini, quod constructum est.*

In MS. codice legitur: *In suburbano civitatis Augustodunensis.* In edita autem Epistola legitur: *In civitate Augustonensi.*

Infrà in MS. codice: *Item constituimus, obeunte Presbytero prædicta Ecclesiæ, non alius ibi quâcunque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quem Rex ejusdem provinciæ cum consensu Clericorum secundùm Dei timorem elegerit, ac providerit ordinandum.* In edita Epistola: *Item constituimus ut obeunte Abbate atque Presbytero suprascripti xenodochii atque monasterii, non alius ibi quâcumque obreptionis astutiâ ordinetur, nisi quem Rex ejusdem provinciæ cum consensu Monachorum secundùm timorem Dei elegerit, ac providerit ordinandum.* In MS. codice dicitur: *Obeunte Presbytero ejusdem Ecclesiæ.* In edita Epistola: *Obeunte Abbate atque Presbytero xenodochii atque monasterii.* In MS. codice dicitur: *Cum consensu Clericorum.* In edita Epistola: *Cum consensu Monachorum.*

Infrà in MS. codice legitur: *Secundùm ordinationem ejusdem Presbyteri.* In edita Epistola: *De ordinatione ejusdem Abbatis.*

Postremò quæ sequuntur in edita Epistola: *Simili*
quoque definitione juxta desiderium conditorum decerni- 37
mus, ut nullus eorum, qui eidem xenodochio atque monasterio Abbas aut Presbyter in posterum fuerit ordinatus, ad Episcopatûs officium quacunque obreptione sit ausus accedere, ne res xenodochii vel monasterii iniqua erogatione consumens, gravissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis, vel cæteris exinde viventibus generet. Episcopum verò tollendi de eodem loco ad Ecclesiasticum Ordinem promovendum, vel pro aliqua quacunque causa, sine consensu Abbatis atque Presbyteri, haberi licentiam prohibemus, ne hujus rei usque ad hoc usurpatio perducatur, ut loca quæ acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur; in Cluniacensi codice M.S. neutiquam comparent.

Epistola tertia in Rothomagensi editione anni M. D. XXI. in Parisiensi anni M. D. XXIII. in Basileensi anni M. D. LI. inscribitur Lupponi Episcopo & Abbati. Quæ inscriptio in quibusdam certè codicibus MMSS. reperiri debuit, cùm librorum editiones primæ ex aliquo codice MS. proficiscantur. At in Romana & aliis editionibus proximis Epistola Lupponi Abbati atque Presbytero inscribitur. Dico aliquid ampliùs & ad demensum. Fuit quidam Monachus, nomine Andreas, qui Gregorii viventis scripta quædam corruperit, & nonnullos illi sermones supposuerit: Qua de re Pontifex sic conqueritur in libri IX. Epistola LXIX. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum. *Lator*, inquit, *præsentium Theodorus Ecclesiæ vestræ lector ad sanctorum Apostolorum limina veniens, dum om-*
nes, homo quippe novus, haberet incognitos, Andreæ 38
Monacho, qui ad Sanctum Paulum inclusus fuerat, res & chartas, quas detulit, ut reverà olim noto, innocenter deposuit, credens quidem quòd mens ipsius, sicut & nos antè habueramus, cum habitu concordaret: Sed tantæ ille pravitatis inventus est, ut si ejus stultitia sub inclusionis suæ specie paullò adhuc ampliùs latuisset, multorum animas malitia sua falsitate deciperet, & quocumque potuisset, non levia scandala generaret. Nam inter alia, quæ idem Andreas pessimè cogitavit & fecit, eam quoque, quam ad nos misistis, dum apud ipsum à præfato latore esset deposita, ita falsavit Epistolam, ut quicumque eam legeret, vos nec catholica, nec recta sapere evidenter argueret. Ex qua re

contigit,

contigit, ut dum veritatem studiosè quæreremus, ejus, qua latebat, iniquitas vulgaretur; & tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocunque laico crederentur. Et quia inter diversa mala aliquos etiam sermones scripsit, atque eos ex nostro nomine titulavit, & suspecti sumus ne eos alicubi transmiserit: Fraternitas vestra sollicitudinem gerat, & siquid tale reperit, eos & exscindi & omnino faciat aboleri; ut quod imperitus literarum & scriptura divina nescius, nostro, sicut diximus, nomine prænotavit, quorumdam animas non possit inficere. Ut igitur Andreas ille Monachus Gregorii viventis scripta quædam falsavit, & nonnullos illi sermones supposuit: Sic & alius Monachus aut Clericus tres istas Epistolas, seu tria hæc Augustodunensia privilegia Gregorio viventi vel vita 39 functo potuit supponere vel falsare, & Epistolarum codici ante Joannis Diaconi tempus inferre, & tam potuit hoc facere, quàm potuerunt alii post Joannis Diaconi tempus corrumpere tres Gregorii Epistolas, quarum una est in libro IV. quadragesima prima ad Luminosum Abbatem: Altera in eodem libro quadragesima tertia ad Castorium Ariminensem Episcopum: Tertia in libro VII. ind. I. decima octava ad Marinianum Ravennatem Episcopum.

Corruptionem Epistolarum facilè deprehendes, si tres istas Epistolas Romanæ editionis contendas cum illarum fragmentis, quæ Ivo Carnotensis in decreti sui part. VII. cap. XII. & XIII. Gratianus in causæ XVIII. quæst. II. cap. II. III. & VI. & Petrus Cluniacensis Abbas in libri I. Epistola XXXVIII. ad Bernardum Clarævallensem Abbatem referunt. Nos aliàs hæc omnia inter se contendimus in art. II. & III. defensionis Sedis Apostolicæ adversus privilegia subreptitia, quæ secunda pars est Assert. Inquisitionis in monasterii sancti Medardi Suessionensis privilegium.

His ita constitutis luculenter apparet, manu exaratum ante Joannem Diaconum Epistolarum Gregorii codicem, si quis ubiubi existeret, vindicandis Gregorio tribus Epistolis, seu Augustodunensibus privilegiis vix sufficere; atque hoc in iis quæ ad Gregorium spectant, repetendum, infigendum & inculcandum est. Et quamvis non credam vetustiores esse Joanne Diacono Epistolarum Gregorii codices, qui Augustodunensia privilegia contineant; nihilominus 40 tamen præmunitione hac utendum mihi esse censui, ut probem Epistolis & operibus Gregorii, sicut oportet, recognoscendis manuscriptorum codicum antiquitatem vix sufficere; tum etiam ut ad falsitatem aditum omnem intercludam. Non dubito quin Monachi fuerint Andreæ Monacho similes, qui Sammedardense & Augustodunensia privilegia vel supposuerint vel falsaverint.

Quamobrem unicus & optimus præscribendi contra tres Epistolas, seu tria privilegia Augustodunensia, vel ut falsa, vel ut interpolata, modus quærendus est ex iis, quæ jam adversus Sammedardense privilegium disputavimus. Necessariò enim dicendum esset, Gregorium cum Joviniano & Stoicis censere peccata esse paria, vel peccatum non gravissimum gravissimis pœnis dignissimum judicari, sæcularis dignitatis privatione & Ecclesiasticâ excommunicatione. Nam in relata trium Epistolarum seu Augustodunensium privilegiorum clausula, si quis Regum aliquid malè ablatum, asses putà quindecim, xenodochio, vel Beatæ Mariæ monasterio, vel Beati Martini Ecclesiæ restituere noluerit, continuò statuitur, *ut potestatis honorisque sui dignitate careat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat.* Quibus positis sequitur, modestissimum & exaggeratæ sapientiæ Pontificem in Joviniani & Stoicorum errorem, vel in alium oppositum semel, iterum & tertiò cecidisse: Semel in Epistola ad Senatorem, iterum in Epistola ad Thessaliam, tertiò in Epistola ad Lupponem. Hoc autem mortalium quis sciens & prudens reciperet, & vellet Gregorium tam 41 injuriose tractare? Deinde tanta est in Gregorii doctrina, quæ ad summam erga seculi Principes observantiam, ad perfectam Episcopalis jurisdictionis, & sacrorum Canonum custodiam, & universalium Conciliorum, & maximè Calchedonensis reverentiam attinet, cognatio, stabilitas & constantia, ut id non possit non esse Gregorio subjectum, in quo Regum pessumdatur auctoritas, Episcoporum minuitur jurisdictio, sacri Canones, & cum primis Calchedonensis Synodi, spernuntur & conculcantur, quemadmodum antea in Sammedardensis privilegii examine notatum est. Hinc efficitur, ut cùm Gregorius VII. epistolam ad Senatorem laudavit, in qua Regibus dicitur anathema, vel pro levi causa excommunicantur, & regno privantur, Epistola hæc vel tunc novè conficta extra Epistolarum codicem vagaretur, vel Epistolarum codici nuper accesserit. Nam quo tempore Damianus ad Alexandrum II. scripsit, nullum in Epistolis aut scriptis Gregorii anathema legebatur; tantum abest, ut in iis Reges potestatis honorisque sui dignitate privarentur. Excusandus est Gregorius VII. quem falsarii nescio qui deceperant, objicientes illam Epistolam, quæ fortasse [illegible], & ut causæ serviret contra Henricum IV. Imp. Gregorio primo nuper adscripta fuerat.

Hic ut cumulus accedit repulsa, quam Constantina Imperatrix à Gregorio tulit postulans beati Pauli caput, aut membrum aliud, quod in ejusdem Apostoli Basilica Constantinopoli apud palatium ædificata collocaret. Sic enim in libri III. epist. XXX. ad illam 42 scribit: *Serenitas vestra pietatis, religionis studio & sanctitatis amore conspicua, propter eam quæ in honorem S. Pauli in palatio ædificata est, Ecclesiam, caput ejusdem S. Pauli aut aliud quod de corpore ipsius suis ad se jussionibus à me præcepit debere transmittere: Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me ampliùs potuissem gratiam provocare, major me mæstitia tenuit, quòd illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo.* Nimirum quia Romanæ Ecclesiæ mos obtinuerat, ne sanctorum reliquiæ ex suis locis extraherentur. Hæc autem Gregorius scribit ad Imperatricem, cui debebat & jure reipublicæ & privato parere, ut ipse alio in loco dicit. Nonne idem scripsisset ad Brunichildam & Theodoricum, quibus jure nullo simili parere debuit, si ab eo petiissent contraria sacris Canonibus privilegia? Gregorius Romanâ munitus constantiâ dixisset: *Illa petitis, quæ facere non possum, nec audeo.* Calchedonensis Synodus, quam ut librum Evangelii veneror, Monachos & Clericos secundùm traditiones sanctorum Patrum Episcopis submisit: Hos transgredi limites nec possum, nec audeo. Id de Canonibus spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia consecratis dixisset, opinor, verisimiliùs, quàm quod relata Romanæ Ecclesiæ circa reliquias consuetudine Imperatrici dixit. Exinde in libri XI. Epistola VIII. ad Brunichildam ita scribit: *Similiter verè de quodam bigamo requisiti, an ad sacrum Ordinem potuisset accedere, juxta canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim ne* 43 *vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatur.* An postea quidquid in ejusdem libri Epistola X. ad Senatorem, in Epistola XI. ad Thessaliam, in Epistola XII. ad Lupponem fieri permittitur, fieri permitteretur à Gregorio, quinetiam ut contra Ecclesiasticum institutum fiat, decerneretur? Minimè gentium. Is non est Gregorius, qui in tam conjunctis Epistolis secum pugnet. Sic ergo in recognoscendis Gregorii operibus non sufficeret manuscriptorum codicum antiquitas, quæ forte in ple-

risque

tisque aliis Patribus sufficeret. Sed jungenda est maxime cognatio, stabilitas & constantia in doctrina, quam Gregorius circa Principum observantiam, circa Episcopalis jurisdictionis & sacrorum Canonum custodiam semper retinuit.

Postremò dixi superiùs: Sexcentis abhinc annis Sammedardense Gregorio subjectum est privilegium. Non dixi: Sexcenti sunt anni, quòd Sammedardense Gregorio subjectum est privilegium. Nam Sammedardenses Monachi videntur privilegium suum post annum M.CCI. fabricasse. Id colligo ex provinciæ Remensis Concilio, quod eodem anno celebratum est Compendii. Verba sunt: *Item nonnulli Abbates hujus provinciæ juraverunt, seu ordinaverunt, seu conspirationem fecerunt, ut præfertur, ut si contingat aliquem Episcopum contra Abbatem sibi subditum velle procedere pro suis excessibus, vel ad puniendum eum, quòd ad defensionem ejus contribuent, & ad sumptus*
44 *communes ipsum defendent; quod non est dubium fore in præjudicium sui Episcopi, & contra suæ possessionis* (professionis) *juramentum, per quod suo Episcopo est astrictus, necnon contra suæ Ecclesiæ libertatem. Monemus ergo tales quòd hoc revocent infra mensem, alioquin excommunicationi subjacebunt ipso facto.* Tunc Sammedardensis Abbas & Monachi, ut se ab Episcopo suo & à provinciali Concilio defenderent, confinxerunt privilegium, quod vir doctus tuetur, nec advertit se, dum relatam privilegii clausulam interpretatur, Galliæ Regibus gravissimam plagam imponere, & regiam dignitatem ita subjicere anctoritati Pontificiæ, ut si Reges Monachos inquietent, aut negligenter ducant privilegium, eos patronorum seu fundatorum monasterii honore privatum iri. Quod quàm alienum sit à Gregorii mente & Theologica ratione, jam ostendimus. Alteserra, qui se totum & animo & corpore in Monasticarum exemptionum defensionem contulit, ut illud retineret privilegium, postremam ejus clausulam, ex qua Bellarminus, Baronius, & alii deponendorum Regum jus Romano Pontifici asserunt, interpretatione nova donavit, atque ita Bellarmini, Baronii & aliorum interpretationem temperare voluit. Sed id genus temperamenti cavillus est atque illusio. Verum est vulnus Regiæ majestati infixum, molliùs quidem, infixum tamen. Et hæc res est, cui nunquam à nobis adscribetur bonum factum.

Cæterùm Alteserra cùm è duobus nostris argumentis quæ sibi objecerat, priori respondet, ad con-
45 firmandam responsionem suam tam multa congerit, ut nec responsionem, nec responsionis confirmationem potuerim breviùs expedire ac refellere. Nunc superest, ut quid posteriori argumento respondet, consideremus. Respondet itaque primùm, Eulogium Alexandrinum & Dominicum Carthaginensem Episcopos Sammedardensi subscripsisse privilegio, *quia privilegium fortè missum ad utrumque fuerat*. Hìc, ut apparet, quid respondeat sortitur. Pari modo dici potest, falsam esse Eulogii & Dominici subscriptionem, quia privilegium fortè missum ad utrumque non fuerat. Deinde respondet, desiderasse Pontificem Gregorium, ut privilegium Eulogii & Dominici subscriptionibus muniretur. Responsionem hanc difficultas rei, non veritas extorquet. Id enim non probatur, sed duntaxat præjudicatur. Tum respondet Gregorium Eulogii & Dominici subscriptionem desiderasse, *ut eorum honori & gratiæ indulgeret propter arctiorem amicitiam, quæ intercedebat inter eos, ut satis constat ex variis Gregorii ad illos Epistolis*. Cur ergo Anastasii Antiocheni Præsulis honori & gratiæ non indulsit propter arctiorem amicitiam, quæ intercedebat inter eos, ut constat ex variis Gregorii ad Anastasium Epistolis? Et hic aqua sine dubio hærebit. Gregorius scripsit ad Anastasium & Eulogium simul in libri I. epistola XXIV. in libri IV. epistola XXXVII. & in libri VI. epistola XXXI. Scripsit ad Anastasium seorsim ab Eulogio in libri I. epistola VII. in ejusdem libri epistola XXV. in libri IV. epistola XXXVII. in libri VI. epistola XXIV. in libri VII. indict. I. epistola III. Et tamen Anastasius non subscripsit 46
privilegio. Verumenimverò subscripsissetne Eulogius privilegio, ubi sacri violantur Canones, postquam Gregorius ad eum scripsit in libri I. epistola XXIV. *Dum Concilia universali sunt consensu constituta,* (ut Canon. IV. & VIII. Calchedonensis Concilii) *se & non illa destruit, quisquis præsumit, aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt.* In libri VII. indict. I. epistola XXX. *Ego enim non quæro verbis prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est universalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verò honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur.* At per privilegium debitus honor negatur Suessionensi Episcopo Gregorii Papæ fratri, cui per sacros Canones Monachi summittuntur. Iterum subscripsissetne Dominicus privilegio, ubi sacri violantur Canones, postquam Gregorius ad eum scripsit in libri II. indict. X. epistola XXXIX. *De Ecclesiasticis verò privilegiis, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus.* At Suessionensi sua jura non servantur Ecclesiæ, dum illius Ecclesiæ Episcopo sancita per Concilii Universalis quarti Canones obedientia subtrahitur. Pergit Gregorius: *Nec cuilibet favente gratia ultra quam meretur impertior, nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante derogo; sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit, quod alteri jure* 47
ab altero possit opponi. At Suessionis Ecclesiæ juri derogaret, si ab illius jurisdictione Sammedardenses Monachos eximeret; non honoraret fratres suos per omnia, si anctoritatem Suessionensis Episcopi minueret, & si faceret, quod alteri jure ab altero posset opponi.

Ad reliqua quod pertinet, omnino miror, cur vir doctus Sammedardense & Augustodunensia privilegia cum Arelatensi conferat, quia conferendi nulla est ratio, ut Arelatensis privilegii docebit nos lectio: *Cùm pia desiderium voluntatis, & laudanda devotionis intentio sacerdotalibus sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ pro quiete Monachorum religiosaque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Sed sicut hoc quod ratio exigebat utilitatis, oportuit definiri, ita quod definitum est, nisi fortè ubi major est auctoritas, non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ Childebertus Francorum Rex Catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatensis civitatis monasterium virorum, ut scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cujus ne voluntas unquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant, turbarentur, quæque contulit, in jure ejusdem monasterii Epistolis suis Apostolicæ petiit auctoritate firmari: Hoc quoque suæ petitioni subjungens, ut eidem monasterio, tam in dispositione rerum, quàm in ordinatione Abbatis quædam pariter privilegia largirentur. Sciens quippe eam* 48
Apostolicæ Sedi reverentiam à fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ usurpationis molestia quaterentur. Unde quia effectum & regia voluntas & res valde desiderata poscebat, à prædecessore nostro Vigilio Romanæ Sedis Antistite ad prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, ubi omnia quæ amplectenda voluntatis studium deposcebat, Apostolicæ auctoritatis libenter annisu firmata sunt: Quia difficultatem pati non potuit hujusmodi

modi res petita. Sed ut fraternitas vestra quæ fuerint tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his prævidimus scriptis adjungi. Quibus lectione percursis hortamur, ut omnia sacerdotali, ut decet, studio inviolata conserves, nihilque illis de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam patiaris usurpatione convelli. Nam licèt ea, quæ semel Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nihil egeant firmitatis, ex abundantia tamen nostra cuncta, quæ pro hujus rei quiete à prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis exhibeat, quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se in custodienda eis defuncti piissima voluntate sollicitam, ut decet, exhibuerit & devotam. Hactenus in libri VII. epistola CXVII. ad Virgilium Arelatensem Episcopum. Optassem equidem necesse non fuisse ut illam totam referrem: Sed uti referrem vir doctus Alteserra me coegit. Contendit
49 ille Sammedardense privilegium cum Arelatensi, quocum contendi non potest, nisi ut contentione facta pateat meridiana luce clariùs, Altesettam Arelatense privilegium legendo percurrisse nusquam. Nam si percurrisset, non potuisset non observare, in eo mentionem nullam fieri anathematis, quo Rex, Episcopus, Judex, aut quæcunque persona secularis percelleretur, si Monachos inquietaret, vel privilegium negligenter duceret: In eo mentionem nullam fieri dignitatis & honoris, quo Rex privaretur, si Monachos inquietaret, aut privilegium negligenter duceret: In eo mentionem nullam fieri olei & chrismatis, quod Abbas vel Monachi à quocunque vellent Pontifice requirerent: In eo mentionem nullam fieri Abbatis, qui consecraretur: In eo mentionem nullam fieri judicialis formæ, quâ reus Abbas abdicaretur: In eo mentionem nullam fieri Regum & Episcoporum qui subscripserint. In summa non potuisset non observare, Sammedardense & Augustodunensia privilegia per Arelatense infirmari potiùs, quàm confirmari. In Arelatensi privilegio Monachorum quieti providetur; sed non providetur eversione sacrarum Legum, aut derogatione sanctorum Canonum, quorum auctoritate jurisdictioni Episcoporum subjacent. Si vir doctus putat Monachorum quieti, de qua sola privilegium agit, non aliter quàm eversione sacrarum Legum & derogatione sanctorum Canonum consuli posse, fallitur, & contumeliosus est in Calchedonensem Synodum, quæ Monachos in Episcoporum potestate constituit. Injuriosus est in multas Galliæ Synodos, quæ Calchedonensis Synodi vestigia relegen-
50 tes Monachos jurisdictioni Episcoporum subjecerunt. Injuriosus est in decreta Sedis Apostolicæ, quæ hac in parte *de Ecclesiasticis ordinibus & Canonum promulgata sunt disciplinis,* ut beatus Leo loquitur.

Sed quid Altesetra sibi vult, dum ait: *Et certè monasterium istud fuit dignissimum gratiâ Pontificis; fuit enim regiæ fundationis, utpote fundatum à Clothario & Sigeberto ejus filio?* Quid inde? Fuit regiæ fundationis Arelatense monasterium; Childebertus illud fundavit: Fuit etiam dignum gratiâ Pontificis; Sed eâ, quæ in relata Gregorii ad Virgilium Epistola splendescit. Pontifex eam impertiebat gratiam, quæ salvâ sanctorum Canonum reverentiâ impertiri potest. Privilegii commata pene singula expununt, qua in re desiderata ab Rege Monachorum quies consistat. *Cura,* inquit, *est sollicitudinis adhibenda, ut ea pro quiete Monachorum religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare.* Item: *Childebertus quædam ibi pro habitantium sustentatione concessit.* Item: *Cujus ne voluntas unquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerunt, turbarentur, quæque contulit, in jure monasterii Epistolis suis Apostolicâ petiit auctoritate firmari.* Item: *Ut eidem monasterio tam in dispositione rerum, quàm in ordinatione Abbatis quædam pariter privilegia largirentur.* Item: *Nec ea patiaris quadam usurpatione convelli.* Hæc autem quò
spectant omnia, nisi ut bona, quæ Rex pro Mona- 51
chorum sustentatione, & eam ob causam quiete, monasterio contulerat, & in ejusdem monasterii jure constituerat, intacta atque illæsa persisterent? Childebertus ut voti compos fieret, à Gregorio petit, ut quidquid id est, Apostolicâ auctoritate firmetur. Sed absit, ut Childebertus petat, ut Abbas & Monachi liberentur ab observatione Canonum, qui spiritu Dei conditi, totius mundi reverentiâ consecrati fuere. Sed etsi petiisset Childebertus quod non petiit, id nunquam concessisset Gregorius, qui tribus in locis, in libri II. indict. X. Epistola XIV. ad Natalem Salonitanum Episcopum, in ejusdem libri & indictionis Epistola XV. ad universos Dalmatiæ Episcopos, & in ejusdem libri & indict. epistola XVI. ad Antonium Subdiaconum, ita protestatur: *Nos nullum pro personali amore defendimus, sed auctore Deo normam justitiæ, postposita cujuslibet acceptione personæ, custodimus.* Ita, inquam, protestatur, qui nullum in gratiam Principum daret privilegium, quo sacris universalium Conciliorum Canonibus derogaretur. Id primò constat ex libri III. epistola XXX. ad Constantinam Augustam: *Serenitas vestra pietatis, religionis studio & sanctitatis amore conspicua, propter eam, quæ in honorem Sancti Pauli Apostoli in palatio ædificatur, Ecclesiam, caput ejusdem Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius suis jussionibus à me præcipit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me ampliùs potuissem gratiam provocare; Major me mœstitia tenuit, quòd illa
præcipitis, quæ facere non possum, nec audeo.* Quod de 52
Romanæ Ecclesiæ consuetudine scribit, id potiori jure scripsisset de Canonibus, qui ab universali Ecclesia conditi sunt. Id deinde constat ex libri VII. indict. I. epistola XVI. ad Columbum Numidiæ Episcopum: *Nulla ergo vos res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum, sed innitens præceptis Dominicis, omnia, quæ sunt rectitudini adversa, contemne.* Id demum constat ex Libri XI. Epistola VIII. ad Brunichildam: *Absit ne vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatur.* Sic præcipuè apud Reginam satagit, ut contra Ecclesiasticum institutum, id est, sacros Canones, nihil fieri permittat. Ergone sacris derogasset Canonibus, ut Clothario & Sigeberto vitâ functis Regibus gratificaretur? Minimè verò, nisi omnem exuisset verecundiam. De tanto autem Pontifice quis hoc in animum induceret suum? Is fortè qui sanctum Pontificem Proteo mutabiliorem faciet, hinc vigilantissimum, inde negligentissimum sacrorum Canonum custodem, quia derogatorem.

Alteserra colophonem hunc addit: *Ansericus Suessionensis Episcopus, quo postulante privilegium concessum est, fuit bene meritus de Ecclesia.* Quid tum? Ergone debet de Ecclesia male mereri Gregorius? Omnino malè mereretur de Ecclesia, si propter Ansericum sacris Canonibus derogaret, si Sammedardenses Monachos ab Episcopali jurisdictione liberaret, & in Joviniani & Stoicorum hæresim incurreret per postre-
mam privilegii clausulam, quam non Gregorius, 53
sed postremi homines condiderunt. Sed cur tandem Ansericum virum de Ecclesia bene meritum dicit? Fortasse, quia Ansericus in privilegio appellatur vir Apostolicus: Quo nomine beatus Gregorius nullum unquam qui viveret, Episcopum insignivit. Hoc non observavit vir doctus, ne defenso à se privilegio incommodare videretur. Et eam ob causam oblitus est observare locum, ubi *omnes Galliarum Episcopi* in obtinendum à Gregorio privilegium consenserunt. Nempe

illorum

illorum intererat maximè, ut relati suprà Calchedonensis Concilii Canones duo, qui ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente conditi sunt, penitus abolerentur. Hic in extremo Alteserræ impetu finienda est nostræ epistolaris velitatio, nec finiri potest meliùs, quàm ea Gregorii auctoritate, quâ Castelliensis monasterii privilegio & illius securitati providit. Sic autem se res habet in libri VII. indict. I. epistola XXXIII. ad Joannem Schillitanum Episcopum: *Grave nimis est, & contra sacerdotale constat esse propositum, velle cujusquam monasterii privilegia olim indulta confundere, & ad irritum, quæ sunt pro quiete disposita, niti deducere. Questi itaque nobis sunt Monachi Castelliensis monasterii quod in fraternitatis vestra civitate est constitutum, quia eodem monasterio quædam contra ea, quæ à prædecessoribus vestris permissa, ac consuetudine longa servata sunt, sestinetis superinducere, & antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde hìs fraternitatem vestram hor-*
54 *tamur affatibus, ut, si ita est, ab ejus molestia se sine aliqua excusatione contineat, & quæ ei sunt dimitus custodita, nullius occasionis temet usurpatione convellere; sed cuncta illibatè & sine aliqua studeat refragatione servare; & plus sibi in eodem monasterio, quam prædecessoribus suis licuit, noverit non licere. Quia verò pariter questi sunt, fraternitatem tuam quædam de monasterio sub xenii quasi specie abstulisse, necesse est, ut si quid te indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne avaritia te graviter culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdotalis magis debuerat magnificentia demonstrare. Servatis itaque omnibus, quæ à tuis, sicut diximus, prædecessoribus permissa sunt ac servata, cura tua sit circa actus ac vitam Monachorum illic consistentium te vigilantem insistere: Et si quempiam illic pravè conversari, aut in aliquam immunditia, quod absit, culpam inveneris incidisse, districta ac regulari emendatione corrigere. Nam sicut ab iis quæ incongruè usurpantur, fraternitatem vestram volumus abstinere: Ita in his, quæ ad disciplinæ rectitudinem vel animarum custodiam pertinent, esse sollicitam modis omnibus admonemus.*

Pontifex Castelliensi monasterio auctoritate sua sic consuluit, ut Childebertus Francorum Rex ab eodem Pontifice Arelatensi monasterio consuli voluit. Querebantur Castelliensis monasterii Monachi, quod Episcopus antiqua monasterii privilegia convellere tentaret, hoc est, certa quædam bona, quæ propter vitæ necessitatem Monachis concessa fuerant, usurpare vellet. Gregorius auditâ Monachorum querelâ dicit,
55 id actionis genus ab Episcopali proposito abhorrere: Hortatur Episcopum ut relinquat intacta, quæ decessores intacta reliquerant. Tum demum quanta fieri potest moderatione statuit, ut non faciat quod decessores non fecere, & à bonis monasterii manus abstineat. Sed quicquid ad Monachorum conversationem & mores pertinet, in Episcopi potestate relinquit; alioquin derogandum fuisset Chalcedonensis Synodi Canonibus, quibus derogavit nusquam. Childebertus timebat, ne quod a Castelliensi Episcopo tentatum fuerat in Castelliensi monasterio, à Virgilio Arelatensi, aut illius successoribus in Arelatensi monasterio tentaretur. Hinc Rex petiit à Gregorio, ut quicquid monasterio à se constructo ad sustentandam Monachorum vitam concesserat, auctoritate Sedis Apostolicæ Pontifex confirmaret. Non aliud petiit Rex, nec aliud Pontifex confirmavit: Nec usquam meminit canonicæ animadversionis, quæ Episcopo Diœcesano per sacros Canones asseritur & reservatur. Sed tam ab Epistola ad Schillitanum, quàm ab Epistola ad Virgilium Arelatensem Episcopum procul abest clausula hæc: *Siquis autem Regum, Antistitum, Judicum, vel quarumcunque personarum secularium*; quæ Sammedardense privilegium, Epistolas ad Senatorem Presbyterum & Abbatem, ad Thessaliam Abbatissam, & ad Lupponem Presbyterum & Abbatem claudit. Clausula est quam vir eruditus Alteserra nec in antiquiorum Gregorio Pontificum scriptis, nec in ipsius Gregorii veris & minime dubiis Epistolis, nec in Pontificum ætate suppariun commenta- 56
riis unquam inveniet, ut antè animadvertimus. Sed modò relinquendus est Alteserra, qui utinam opus suum non edidisset cum Regis privilegio, ne Rex in doctrinæ sibi & regno perniciosæ conscientiam ab exteris & Galliæ hostibus duceretur. Tu verò, qui vacuam fuco, & alienam ab adulatrice Curia Jurisprudentiam, & optimarum artium studia sincero colis animo, nec amas quæ refellimus: Fateri mecum debes ingenuè, amicum quidem esse Platonem, amicum Socratem, sed magis amicam esse veritatem, in qua consulitur honori Gregorii Papæ, cui aliàs in Joviniani & Stoicorum errorem, vel in alium oppositum lapsus exprobrari meritò posset. Consulitur Pontificiæ dignitati, quæ per privilegiorum seu Epistolarum hujusmodi defensores Principibus invisa & odiosa redditur: Consulitur Regum potestati, quæ percellitur indignissimè & labefactatur: Consulitur Regum saluti, quæ bellis civilibus & parricidiis exponitur: Consulitur excommunicationi, quæ Ecclesiasticarum pœnarum suprema cùm sit, in Sammedardensi & Augustodunensibus privilegiis nulli, vel saltem levi culpæ, contra fas jùsque decernitur: Consulitur tandem Christianæ Religioni, à qua suscipienda Reges & Magistratus ethnici, ac proinde Regna integra deterrentur. Vale Lutetiæ Paris. Nonis Octobris an. M.DC.LXIX.

Idem Launoius,

EIDEM

MICHAELI GIRARDO,

Vertoliensi Abbati.

57 MIRATUS sum, & tu ipse, ni fallor, miraberis, cur vir doctrinâ & optimarum artium studiis imbutus persuasum habuerit, necesse esse, ut provinciales Synodi ab Romano Pontifice confirmentur. Sic autem ille ad libri II. indict. XI. Epistolam XLVIII. ad Adeodatum provinciæ Numidiæ Primatem scribit: *Concilium itaque, quod congregare disponitis, dum Deo fuerit solatiante peractum, de ejus nos unitate atque concordia lætificate, ac reddite per omnia certiores. Mandat*, inquit Alteserra, *ut Concilium ubi fuerit peractum, sibi notum fiat; optima ratione, quia Concilia provincialia non habent vim, priusquam comprobentur à Romano Pontifice. Canon. Conc. 17. dist.*

Et primò quidem quæ Gregorii verba vir doctus retulit, interpretationem hanc non exigunt. Nam satis est, si Gregorius de celebrata communi omnium consensu Synodo fiat certior. Idipsum in superiori ad Columbum Numidiæ Episcopum Epistola petierat: *Propterea de unitate ac pace Concilii, quod Deo auctore congregare disponitis, caritas tua animos nostros subtiliter omnia indicando lætificet.* Non adjicit, ut quæ acta in Synodo fuerint, confirmemus. Adjecisset Pontifex
58 valde circumspectus & multùm providens, si de more illud adjici debuisset. In hac Epistola res eadem tractatur. Celebranda erat apud Numidas Synodus, tum ut qui sacros Ordines pretio susceperant, sacrorum Canonum auctoritate castigarentur: Tum etiam ut provideretur, qua postea conditione & remedio id genus mali propulsaretur.

Deinde si postulasset Gregorius, ut celebratæ Synodi acta mitterentur ad se, Adeodatus & Columbus Gregorii votis annuissent. Ad Gregorium scripsissent utique, & ipsimet futuram actorum Synodalium confirmationem gratulati essent. At neque scripta ab illis ulla ad Gregorium hac de re Epistola, neque actorum Synodi confirmatio inter Epistolas Gregorii vel gentium uspiam leguntur.

Tum nequis censetur, non omnia, quæ tunc gesta sunt Romæ & in Numidia, pervenisse ad nos, Gregorius consulendus est in aliis Epistolis, ubi de celebrandis Synodis agit. Negligenda non est ulla indagandæ veritatis ratio.

I. In libri I. Epistola I. ad universos Episcopos Siciliæ, ut semel in anno conveniant ad provinciale Concilium. *Illud quoque*, inquit, *fieri debere perspeximus, ut semel per annum ad Syracusanam, sive Catanensium civitatem, universaliter honore, quo dignum est, sicut eidem* (Petro Subdiacono Sedis Apostolicæ) *jussimus, fraternitas vestra conveniat, quatenus quæ ad utilitatem ipsius provinciæ Ecclesiarúmque pertinent, sive ad necessitatem pauperum oppressorúmque sublevandam, sive monitionem omnium atque correctio-*
59 *nem eorum, quorum excessus contigerit demonstrari, congrua cum eodem Petro Subdiacono Sedis nostræ debeatis moderatione disponere; à quo Concilio procul absint odia, facinorum nutrimenta, atque invidia interna tabescat, & omnis execrabilis animorum discordia, sacerdotes suos concordia Deo placita & caritas recognoscat. Hæc igitur omnia cum ea maturitate ac tranquillitate gerite, ut dignissimè Episcopale possit Concilium nuncupari.* Non addit, ut Concilii acta Romam ad se mittantur confirmationis accipiendæ gratiâ.

II. In ejusdem libri epistola XXXII. ad Romanum Patricium & Exarchum Italiæ scribit, ut in causa Blandi Hortensis Episcopi Concilium fiat: *Præterea pervenit ad nos, Blandum Episcopum Hortensis civitatis longo jam tempore in civitate Ravennate à vestra excellentia detineri, & fit, ut Ecclesia sine rectore, & populus quasi sine pastore grex defluat, & ibidem infantes pro peccatis absque baptismate moriantur. Et rursus quia non credimus, quod eum excellentia vestra, nisi pro aliqua probabilis excessus causa tenuerit; Oportet, ut habita Synodo palam fiat, si quod in eum crimen intenditur: Et si talis culpa in eo reperitur, quæ usque ad degradationem sacerdotii perducatur, aliam necesse est ordinationem inquiramus, ne Ecclesia Dei in his, sine quibus eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta remaneat. Sin autem excellentia vestra aliter se habere, quàm de eo quod dicitur esse, perspexeris, eum ad Ecclesiam suam reverti concedas, ut officium suum in commissis sibi animabus adimpleat.* Non adjicit quod videbatur adjici- 60
endum esse, nimirum videre se velle acta Synodi, quæ Episcopum abdicaret, si Episcopus abdicatione dignus judicaretur.

III. In ejusdem libri Epistola LXXII. ad Gennadium Patricium & Exarchum Africæ, ubi de habendo contra hæreticos Concilio agitur: *Cognovimus eos contra Ecclesiam Catholicam, Domino eis adversante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum cervices jugo rectitudinis premat. Concilium verò Catholicorum Episcoporum admoneri præcipite, ut Primatem non ex ordine loci postpositus vitæ meritis faciat, quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio. Ipse verò Primas non passim, sicut moris est per villas, sed in una juxta eorum electionem civitate resideat, quatenus adepta dignitatis meliori ingenio resistendi Donatistis possibilitas disponatur. Ex Concilio verò Numidiæ si-qui desideraverint ad Sedem Apostolicam venire, permittite, & si quilibet eorum via contradicere voluerit, obviate.* Neque hic invenitur, quod ad mentem & propositum Alteserræ inveniendum esset. Gregorius non petit à Gennadio, ut Catholicorum Antistitum Concilium mittatur Romam, ut ibi confirmetur. Ad Numidiæ Concilium quod attinet, precatur Gennadium, ut ab eo ad Sedem Apostolicam provocationes fieri permittat, & siqui velint intercedere, hos coerceat, sed non petit, ut Numidicum Concilium in omni eventu mittatur Romam, ut ibi confirmationem accipiat.

IV. In ejusdem libri Epistola LXXXII. ad Hi- 61
larium Monachum Africæ, ubi faciendum esse propter Episcopi facinus Concilium præscribit: *Felicissimus atque Vincentius Diacones Ecclesiæ Lamigensis, oblata petitione, quæ tenetur in subditis, suggesserunt ab Argentio ejusdem civitatis Episcopo, gravem se injustitiam pertulisse, & accepto præmio Donatistas in Ecclesiis fuisse præpositos, quod cum inter alia non*

leve aliud facinus, quod dici nefas est, commisisse commemorant. Propterea experientia tua præsenti pagina præceptum damus injungendum, quatenus præfatum Episcopum, idonea satisfactione committere non omittas, tuáque instantiâ in locis illis fiat ex more Concilium, & omnia secundùm oblata petitionis textum canonicè coram positis partibus subtili indagatione perquirantur, & quæcumque eorum judicio fuerint terminata, te exequente modis omnibus compleantur. Ita ergo cum omni te vivacitate huic causæ volumus præbere instantiam, ut ad examinanda quæ jussimus, nulla possit subacti dilatio, scituris non in levem te offensam incurrere, si nostra quacumque excusatione lentata fuerit præceptio. Hic de mittendo Romam Concilio, ut ibi confirmationem obtineat, ne verbum quidem ullum injicitur.

V. In libri II. indict. XI. Epistola VII. ad Natalem Salonitanum Episcopum, ubi præcipit, ut in Florentii Epidauritanæ civitatis Episcopi causâ Synodus instauretur: *Cùm cuncta negotia indaganda sollicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem sacerdotalium graduum pertinent, districtiùs sunt trutinan-*
62 *da, in quibus non tam de humanis constitutis, quàm divina quodammodo benedictionis refragatione tractatur; quæ res quoque nos in Florentii Epidauritanæ civitatis Episcopi persona ad exhortationem vestræ fraternitatis admonuit. Nunciatum siquidem nobis est, à quibusdam fuisse eum in causis criminalibus accusatum, & nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis Concilii præveniente judicio, eum ab honoris officio, non jure, sed auctoritate depositum. Quia ergo non potest quemquam Episcopatûs gradu, nisi justis ex causis, concors sacerdotum summovere sententia; Hortamur fraternitatem vestram, ut præfatum virum ex eodem in quo detrusus est, ejici faciatis exilio, causámque Episcopali disceptatione perquiri. Et si in his in quibus accusatur, canonica fuerit probatione convictus, canonica procul dubio est ultione plectendus. Quòd si aliàs de eo quam æstimatum est, Synodali fuerit inquisitione compertum, necesse est, ut & criminatores justi districtionem juris exhorreant, & incriminato innocentiæ suæ serventur illibata suffragia. Executionem verò antefati negotii Antonino Subdiacono nostro ex nostra præceptione mandamus, quatenus ejus instantiâ, & quæ sunt legibus Canonibusque placita, decernantur, & decreta juvante Domino mancipentur effectui.* Ubinam mentio Concilii Romam deferendi, ut in eo quæ gesta fuerint, confirmentur?

VI. In ejusdem libri & indict. Epistola IX. ad Antoninum Subdiaconum, ut in causa Florentii injustè depositi habeatur Concilium: *Pervenit ad nos Florentium Epidauritanæ civitatis Episcopum, præreptis priùs*
63 *rebus ejus, pro quibusdam non approbatis criminibus sine sacerdotali Concilio fuisse damnatum. Et quia non debet in pœnam sustinere canonicam, in cujus damnatione non est canonica prolata sententia; præcipimus experientiæ tuæ, ut Natali fratri & Coepiscopo nostro debeas imminere, quatenus supradictum virum de eodem ejici faciat, quo nunc dicitur detrusus, exilio; convocatóque Episcoporum Concilio, si hæc in quibus accusatus est, canonicè fuerint approbata, præfati Natalis fratris & Coepiscopi nostri volumus in eum proprium robur obtinere sententiam: Sin autem generali fuerit judicio absolutus, nec eum deinceps cujuslibet præjudicio subjacere permittas, & præfata res districtâ tua sollicitudinis restituantur instantiâ. Necesse est ergo, ut quantò graviora talium negotiorum perpendis pondera, tantò ea maturiori vigilantiorique studeas executione complere.* Hic non postulat, opinor, Gregorius, ut Concilium quo de agitur, mittatur ad se confirmationem suscepturum: Et tamen nulla unquam fuit major id postulandi occasio.

VII. In libri IV. Epistola I. ad Virgilium Arelatensem Episcopum, ubi celebrandum esse in causa fidei Concilium docet: *Si qua verè inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficiliùs possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur atque decidatur; si autem decidi nequiverit, discussa veritate, ad nostram judicium referatur.* Quæ extremis in verbis ponitur exceptio, vel exceptioni quid simile, demonstrat Gregorium haud in ea esse sententia, ut credat provinciale Concilium Romani 64
Pontificis confirmatione indigere; alioquin exigeret, ut celebratum, quod ipsemet in re omnium gravissimâ fieri vult, Concilium deferretur ad Sedem Apostolicam, ut ab ea confirmaretur. Non exigit, ut apparet.

VIII. In ejusdem libri Epistola LII. ad Episcopos sub regno Childeberti constitutos, ubi de congreganda, cùm opus erit, Synodo agitur, per Virgilium Arelatensem Episcopum, qui vices Sedis Apostolicæ gerebat in Galliis. *Cui etiam,* inquit, *injunximus, ut si quarumdam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus & Coepiscopis nostris, salubriter hoc servata æquitate discutiat, & canonica auctoritate definiat. Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Et quoniam necesse est, ut ad eum, cui nostras vices injunximus, quoties oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis debeant Episcopi temporibus convenire; Hortamur, ut nullus mandatis ejus inobediens esse præsumat, nec communi Congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse tenuerit, aut cujusdam eum causa justa excusatio minimè venire permiserit. Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in Synodum conve-* 65
nire, loco suo Presbyterum aut Diaconum dirigant, quatenus quæ à nostro Vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum, qui absens est, per ipsum quem miserit, fida relatione perveniant, ut inconcussâ firmitate serventur, & nullum ea, quæ constituerit, audeat occasio excusationis violare. Sic multa præscribit Gregorius: Sed inter ea non præscribit, ut quæ in Galliis Concilium definierit, in urbem referantur, ut ibi confirmationem à Pontifice accipiant. Quis modo sciens & prudens secundùm ista vellet Gregorio id de confirmandis Conciliis provincialibus decreti genus tribuere, quod Alteserra tribuit?

IX In libri VII. indict. II. Epistola CXII. ad Siagrium, Ætherium, Virgilium & Desiderium Galliarum Episcopos, ubi de Synodo bis in anno habenda tractatur: *Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per Parochias Conciliis Patrum providentiâ, utilitatis causâ sancitum est. Unde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos & subjectos sit fomenta discordiæ, in unum convenire Sacerdotes necesse est, ut & de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica observatione collatio, quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens Dominus fratrum concordiâ collaudetur. Cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observabitis, scitote, quia scriptum est: Ubi fuerint congregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo adesse dignatur, ubi duo vel tres fuerint: Quantò magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes? Et quidem, quia de habendo bis in* 66
anno Concilio Patrum sit regulis statutum, non latet: Sed ne fortè aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen in anno sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut expectatione Concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Et paullo pòst: *De his itaque quæ superiùs dicta sunt, fraternitatem vestram auctore Deo volumus Synodum congregare, atque in ea reverendissimo fratre nostro Siagrio Coepiscopo, & dilectissimo filio*

filio nostro Cyriaco Abbate mediantibus omnia, quæ sanctis Canonibus, sicut prædiximus, sunt adversa, districtè sub anathematis interpositione damnentur: Id est, ut nullus pro adipiscendis Ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere, nec ex laico habitu quisquam repentè valeat ad locum sacri regiminis pervenire; neque ut aliæ mulieres cum Sacerdotibus habitent, nisi, hæ quæ sacris, ut prædictum est, Canonibus, sunt permissæ. De quibus cunctis reverendissimus frater noster Siagrius Episcopus cum omni Synodo, dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate remanente, nobis quæ acta sunt, studeat renunciare, ut subtiliter agnoscentes quid, & cum qua cautela vel qualiter sit decretum, omnipotenti Deo de vita vestra ac moribus gratias incessabiliter persolvamus. Ut gratias Deo persolvat, non ut confirmet, quomodo vir doctus provincialem Synodum confirmandam esse à Romano Pontifice existimavit? Atque hic locus illustris est ac perspicuus, de cujus proprio lumine accommodandum fuit epistolæ loco, quem ille aliena caligine aspersit.

67 X. In ejusdem libri VII. indict. II. epistola CXIII. ad Areginum Episcopum, quem Pontifex ad faciendam cum aliis Synodum hortatur: *Præterea in ea Synodo, quam contra simoniacam hæresim per fratrem & Coepiscopum nostrum Siagrium decrevimus congregari, sanctitatem vestram volumus interesse, atque eidem fratri ita pallium, quod transmisimus, tribue, si priùs se promiserit, illicita quæ prohibuimus per definitionem Synodicam, à sancta Ecclesia removere. De qua Synodo omnem nobis subtiliter ordinem tuam fraternitatem volumus scriptis decurrentibus nunciare, ut ipse, cujus nobis sanctitas valde experta est, nos reddas de omnibus certiores.* Pontifex de celebrato contra simoniam Concilio, non de quærenda celebrati Concilii confirmatione curat. De celebrato Concilio certiorem facere Gregorium, non est à Gregorio celebrati Concilii confirmationem quærere. Qui Gregorium & ejus verba intelligit aliter, ex eo potest colligi quanta occupatione distineatur.

XI. In ejusdem libri & indict. II. epistola CXIV. ad Siagrium Augustodunensem Episcopum, quem ad congregandam contra simoniam Synodum quanta potest animi contentione impellit. *Proinde secundùm postulationis tuæ desiderium pallii te usu, quod inter Ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantum Missarum solemnia celebranda Deo auctore prævidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum esse decrevimus, si priùs per Synodi definitionem emendari promiseris, quæ corrigenda mandavimus.* Et post alia: *Curam præterea congregan-*
68 *dæ Synodi, quam vobis atque aliis fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione fiendam scripsimus vestræ specialiter sollicitudini noveritis incumbere. Unde quia præcellentissimos filios nostros Francorum Reges magnam vobis novimus dilectionem impendere, omni vos studio, omnique agere annisu necesse est, ut quod de Synodo congreganda mandavimus, fraternitatis vestræ vigilantia compleatur, atque omnia illic, quæ pro animarum salute scripsimus, censeantur, quatenus per hoc & vos zelum vestrum, & qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, & nos utiliter providisse qui vestram ad hoc præ cæteris personam eligimus, videamur.* Eamdem semper serram de congreganda Synodo reciprocat, nec usquam vel leviter innuit, mittendam esse ad se, ut eam confirmet.

XII. In ejusdem libri & indict. epistola CXV. ad Brunichildam, ut convocari contra simoniacam hæresim Concilium curet. *Quia igitur tantum facinus non solùm illis periculum, verum etiam vestro regno satis est noxium, salutantes excellentiam vestram paterno affectu petimus, ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps valeat occasione committi, Synodum fieri jussio vestra constituat, ubi præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate sub districta anathematis interpositione debeat interdici, ne ullus ex laico habitu subitò ad Episcopatûs audeat gradum accedere, neque pro Ecclesiasticis ordinibus cuilibet quidquam dare, vel ausus sit accipere, ut Dominus & Redemptor noster sic quæ vestra sunt faciat, sicut ex- 69
collicitam vestram in iis, quæ sua sunt, piâ esse videris devotione sollicitam. Curam verò & sollicitudinem Synodi, quam fiendam decernimus, fratri Coepiscopóque nostro Siagrio, quem vestrum proprium novimus, specialiter delegare curavimus, quem petimus, ut & supplicantem libentèr audire & ope juvare dignemini: Quatenus quod ad mercedem vestram respiciat, remoto hujus contagio in cunctis finibus juri vestro subjectis, pia & Deo placita procedat ordinatio Sacerdotum.* Hic ne verbum quidem, quo provincialem Synodum ab Romano Pontifice confirmandam esse significet.

XIII. In ejusdem libri & indict. epistola CXVI. ad Theodoricum & Theodebertum Reges Francorum, à quibus flagitat, ut Synodus congregetur. *Qua de re, ut magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, Synodum congregari præcipite, in qua sicut fratribus Coepiscopisque nostris mandavimus præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate, sub anathematis debeat obligatione constitui, nullum pro Ecclesiastico ordine aliquid unquam dare, nullum accipere, nec quemquam ex laicis ad Sacerdotium repente transire, quatenus hanc vobis mercedem, & hîc & in futura vita Redemptor noster, cujus Sacerdotes interius ab hoste perire non sinitis, recompenset.* Et hic quoque silentium est altissimum de Romani Pontificis confirmatione, quam provincialis Synodus obtinere debeat.

XIV. In libri IX. epistola XLIX. ad Virgilium Arelatensem Episcopum, quem ad congregandam Sy- 70
nodum cohortatur. *Vel nunc ergo, dilectissime frater, da operam, ut quod à correptione quiescendo in aliis perdidisti, resarcias, & ab hac quos potueris pravitate compescas: Atque ut Synodus ad eruendam ipsam hæresim congregari possit, insiste, quatenus cum dilectionis vestræ mercede meliùs ab omnibus caveatur, quod auctore Deo omnium fuit constitutione damnatum.* Non addit, & à Romano Pontifice confirmatum.

XV. In ejusdem libri epistola L. ad Ætherium Episcopum, quem pariter ad convocandam Synodum excitat: *Quia igitur ad aliorum emendationem promptum cor geritis, & vetustatis malum libera, sicut decet, voce damnatis, postquam & aliis fratribus Coepiscopisque nostris ipsa voluntas est, oportet ut unanimes contra dominicos hostes insurgere, & avaritiam de domo Dei synodali debeatis definitione projicere. Nihil in dandis Ecclesiasticis ordinibus auri fames inveniat, nihil blandimenta surripiant, nihil gratia conferat, honoris præmium vitæ sit provectus, sapientiæ incrementum, modestia morum, ut obtinente hujusmodi observantia & indignus, qui præmiis quærit ascendere, judicetur, & dignè, cui bonum testimonium actio perhibet, honoretur. Hæc vobis, dilectissime frater, cura sit, hac animis vestris sollicitudo semper invigilet, ut & zelum, quem literis ostenditis, cordis vestri testem opere demonstretis. Itaque assiduè instantèrque ad congregandam Synodum imminete, & ita vos enixiùs exhibete, ut nominis dignitatem officii administratione compleatis.* Quibus in verbis ne gry qui- 71
dem de Synodi confirmatione, quæ à Romano Pontifice quærenda præscribatur.

XVI. In libri XI. epistola VIII. ad Brunichildam Reginam Francorum, ubi agitur de facienda Synodo, quâ quidquid adversus Canones attentatum fuerat, corrigatur: *Præfati autem viri magnifici filii nostri dato capitulari inter cætera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat à nobis in Galliis persona transmitti, quâ facta Synodo cuncta quæ contra sacratissimos Canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore, possit corrigere.* De quærenda à Romano Pontifice Synodi confirmatione altissimum est silentium.

Nunc vide ac circumspice, quot in epistolis Gregorios provincialis Synodi congregationem repetit

& inculcat; & tamen nusquam meminit confirmationis, quæ à Romano Pontifice comparanda sit. Sed quorsum nusquam meminerit? Noverat vir sacrorum Canonum maximè intelligens, Nicænam Synodum, ubi Canone v. celebranda esse per provincias bis in anno Concilia decernit, non decernere, ut Conciliorum hujusmodi acta mittantur Romam, atq; ibi confirmationem accipiant. Nicæni Canonis v. verba sunt: *De his, qui communione privantur, seu ex Clero seu ex laïco ordine ab Episcopis per unamquamque provinciam, sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio, videatur*
72 *à congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones; & sic qui suo peccaverunt evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usquequo vel in communi vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur: Unum quidem ante quadragesimam Pascha, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum; secundum verò circa tempus Autumni.* Hæc in Concilio, quod Gregorius colere se ac venerari ut librum Evangelii testatur. Sic autem non coluisset nec veneratus esset Concilium, si quid relato Canoni addidisset, nempe quærendam esse à Romano Pontifice provincialis Synodi confirmationem, statim atque celebrata esset. Hoc non addidit Gregorius decessorum Liberii, Celestini I. Sixti III. & Leonis I. vestigiis insistens. Liberius in epistola ad Constantium Imp. scribit: *Nunquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata & custodita, perfeci, secutus morem ordinemque majorum: Nihil addidi Episcopatui urbis Romæ, nihil minus passus sum.* Celestinus in epistola ad Episcopos Galliæ: *Desinat incessere novitas vetustatem.* Sixtus in epistola ad Joannem Antiochenum Episcopum: *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Leo in epistolæ LIII. ad Anatolium Constantinopolitanum Episco-
73 pum capite VI. *Sancti illi ac venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Ario cum sua impietate damnato mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum Canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum in suis Constitutionibus vivunt; & si quid usquam aliter quàm illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa.* Hæc probè noverat Gregorius, & quia probè noverat, quærendam esse à provincialibus Concilii Romani Pontificis confirmationem, Nicæno Canoni non addidit, nequid Episcopatui urbis Romæ adderet, quod addendum non esset, ne novitas vetustatem Nicæni Canonis incesseret, ne videretur ultrà quidquam licere novitati, quia nihil addi convenit vetustati, ne quæ ad perpetuam utilitatem instituta sunt, generaliter, nec ad privatum traherentur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa.

Verùm Alteserra dicet: Ego gratis, & sine ratione non asserui, necesse esse ut provinciales Synodi à Romano Pontifice confirmentur. Id asserui ex distinctionis XVII. Canone, qui sic se habet: *Concilia Sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia Papæ præsentiam non habent, valitudinem perdiderunt.* Itane verò? Tantum studii ac diligentiæ? Hic Gratianus per summam erravit negligentiam, dum quod Symmachi Papæ hostes apud Ennodium in absurdam,
74 ut putant, complexionem deducunt, id pro Canone seu Ecclesiasticæ disciplinæ momento sumpsit. Nolebant illi ut Symmachus interesset Synodo, in qua discutiebatur illius causa: Patribus visum est, ut interesset, cùm ex aliis, tum ex eo quoque quòd Romanæ provinciæ Synodus erat. *Et perfectum Concilium illud, ubi interfuerit Metropolitanus Antistes*, ut statuit Antiochenum Concilium, Can. XV. Symmachus igitur interest Synodo, & quia impactum illi crimen probari jure non potuit, absolutus est. Tunc Symmachi hostes Synodum accusant in opere, quod inscribunt *adversus Synodum absolutionis incongruæ.* Et Romana Synodo hac cum cæteris provincialibus Synodis, in quibus Papa præsens adesse nec solet, nec etiam potest, comparata, pugnant cum illa Synodo, & argutantur in Apologetico, quem Ennodius Ticinensis tunc Diaconus, pro Synodo confecit, ubi schismaticorum objectiones retulit & refellit. Verba sunt objectionis qua de agitur. *Post hæc,* inquit Ennodius, *versis in fugam ordinibus lymphatici more sermonis addidistis: Ergo Concilia Sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præsentiam Papæ non habent, valitudinem perdiderunt? Legistis, insanissimi, aliquando in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de majoribus negotiis ad collationem, si quid occurrit, præfatæ Sedis arbitrio fuisse servatum. Sic enim habes: Si quis Episcoporum judicio provinciali depositus fuerit, Romanum Papam, si placet, rursus appellet.* Et cætera quibus objectionem diversimodè 75
confutat. Gratianus schismaticorum objectionem & Ennodianæ responsionis plagulam convertit in Canonem, à quo deceptus Alteserra novum Ecclesiasticæ disciplinæ genus inducere voluit in adulatricis Pontificum Curiæ favorem, sed in exitium infinitarum Synodorum provincialium, quæ quia confirmatæ non fuerunt à Romanis Pontificibus, Alteserræ judicio valitudinem perdiderunt. Ubi & novo Grammatices schemate Papæ præsentiam in Synodo, Papæ confirmationem Synodi placuit interpretari. Gratiani ἀβλεψίαν secutus, in aliam ἀβλεψίαν incidit, & Gregorium magnum in eamdem secum ruinam trahere conatus est. Atque istud factum, ut more suo Romanæ Curiæ gratificaretur: Romanæ dico Curiæ, non Ecclesiæ, seu Sedi Apostolicæ, quæ nullo unquam decreto ex sacris Canonibus promulgato statuit, ut ad se provinciales Synodi confirmationis accipiendæ gratiâ deferrentur. Tu verò qui hæc probè nosti, perspice, quò nos Alteserra deducit, & quam ad perniciem vocat antiqua & novantiqua Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, Germaniæ, Orientis & Occidentis Concilia provincialia, quæ Papæ præsentiam non habuerunt. Alteserra, qui provincialibus Synodis Pontificiæ confirmationis necessitatem imponit, tantisper attendat hoc in loco, quid Martinus I. ad Amandum Trajectensem scribat Episcopum, & quid ab aliis Galliæ Episcopis postulet. Martini verba sunt: *Ideo necesse habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commissa sunt, culpa reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & Coepiscoporum nostrorum in hac Romana* 76
civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, Apostolico mucrone Patrûmque definitionibus uno ore unòque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum synodalium in præsenti vobis dirigere unà cum encyclia nostra, ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum ut filii lucis extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum exsecrentur, quamque suæ salutis Sacramenta addiscere valeant, atque synodali conventione omnium fratrum & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta secundùm tenorem Encyclia à nobis directa scripta unà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, CONFIRMANTES ET CONSENTIENTES EIS, *quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesania nuper exorta à nobis statuta sunt.* Sic Martinus Papa exigit, ut Gallicani Præsules confirment, ea, quæ Romana Synodus contra hæreticos, & maximè Monothelitas, definierat. Hæc autem si vir doctus circumspiciat aliquantulùm, permulta de-

trahet

trahet de certa quadam congerie præjudiciorum, qui-
bus in gratiam adulatorum Romanæ Curiæ vehementer
occupatur.

Est & aliud, quod prætermittere non possum, soler-
tem atque eruditum hominem hic pro Canone habere,
77 qui revera Canon non est veterum Patrum judicio, &
cum primis Basilii & Gregorii Nysseni, ut Photius in
Nomocanone tit. I. cap. IV. tradit. *Quod non ab uno,
sed à communi Episcoporum cœtu Canones edantur, sive
promulgentur. Basilii Canon* XLVII. *circa finem. Gre-
gorii Nysseni Canon* VI. *circa medium.* Ad Basilium &
Gregorium accedit Facundus Hermianensis Episcopus
in libri XII. pro defensione trium Capitulorum capite
III. *Sciens igitur ille modestissimus Princeps Ozia Re-
gi non impunè cessisse, quia sacrificare præsumpsit, quod
licitum est singulis cuique etiam secundi ordinis Sacerdoti;
multò magis impunè sibi cedere non posse cognovit, Vel quæ
jam de fide Christiana ritè fuerant constituta, discutere,
quod nullatenus licet; Vel novos constituere Canones, quod
nonnisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacer-
dotibus licet.* At neque id quod Gratianus refert, ne-
que id ex quo refertur, veri Canonis locum tenere
potest. Quod enim refert Gratianus non est Episco-
porum plurium in unum congregatorum sententia. Id
verò unde refertur, certa quædam est hominum, qui
à Symmacho & Romana Synodo defecerant, com-
plexio, quam illi putabant absurdam esse. Complexi-
oni verò huic quis legitimi Canonis notionem impo-
net? An illa complexio est Episcoporum plurium in
unum collectorum decisio? Quidquid id est, sive in de-
creto, sive extra decretum Gratiani consideretur, idem
semper erit, seu verum, seu falsum, seu depravatum.
Siquidem Concilium nullum, Pontifex nullus edixit
78 unquam, ut quidquid extat in Gratiani decreto, Ca-
nonis vel Ecclesiasticæ regulæ vim & auctoritatem ob-
tineat. Exinde falluntur continuò, qui dum aliquid in
Canonici Juris corpore contineri dicunt, id putant au-
ctoritatis esse majoris, quàm si non contineretur.

Observationis istius exemplum statuo in causæ XV.
C. III. *Alius item Romanus Pontifex, Zacharias scili-
cet, Regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quàm
pro eo quòd tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit, &
Pipinum Caroli magni Imperatoris patrem in ejus locum
substituit, omnesque Francigenas à juramento fidelitatis,
quod illi fecerant, absolvit.* In his verbis momenta sunt
rerum tria, quæ uti narrantur, minimè contigerunt:
Ab rei gestæ veritate penitus abhorrent. Historicus
nullus est, qui vivente vel Pipino, vel Carolo magno
Pipini filio, vel Ludovico Pio, memoriæ prodiderit,
Zachariam Francorum Regem deposuisse à regno, aut
Pipinum substituisse in illius Regis depositi locum, aut
Francigenas omnes à fidelitatis juramento, quod de-
posito Regi fecerant, absolvisse. Sic in rei testimonium
appello auctores æquales, vel tempore proximos, qui
soli possunt appellari, quia hi soli certò nosse possunt
quid eo in negotio vere gestum fuerit.

Incertus auctor in opere historico, quod à Dago-
berto I. usque ad Pipinum Regem scripsit: *Carolus
igitur Dux & Major domûs regni Francorum, postquam
Alemanniam, Bavariam & totam provinciam Teutonico-
rum subegit regno Francorum, genuit Carolomannum &
Pipinum. Qui divisò post obitum ejus patris regno Fran-
79 corum, Majores domûs præfuerunt, Regibus tamen in Fran-
cia, sed parva dignitate regnantibus. Igitur Pipinus mis-
sis Romam Legatis Zachariam Papam de regno Franco-
rum & ignavis ejus Regibus consuluit. Cujus auctoritate,
& non multò post jussu Stephani Pontificis Romani, Hilde-
rico, qui tunc temporis regimen Francorum tenebat, depo-
sito, atque in monasterium detruso, Pipinus Major domûs
Rex Francorum electus, & Suessionis à Bonifacio Mo-
guntiaensi Archiepiscopo unctus est anno Domini* DCCLII.
Hic Zacharias apud æqualem auctorem nec Childeri-
cum seu Hildericum à regno deponit, nec Pipinum
in illius locum substituit, nec Francigenas à juramen-
to fidelitatis, quod Childerico fecerant, absolvit.

Fredegarius in fine Chronici, quod jubente Childe-
brando Comite Pipini Regis patruo scripsit, & à fine hi-
storiæ Gregorii Turonensis Episcopi usq; ad Pipini ipsius
consecrationem perduxit. *Quo tempore*, inquit, *unà cum
consilio & consensu omnium Francorum missa relatione, à
Sede Apostolica auctoritate percepta Pipinus electione totius
Franciæ in sedem regni cum consecratione Episcoporum &
subjectione Principum, unà cum Regina Bertradane, ut anti-
quitas ordo deposcit, sublimatur in regno.* Hic apud æqua-
lem auctorem Zacharias, nec Childericum à regno de-
ponit, nec Pipinum in illius locum substituit, nec Fran-
cigenas à juramento fidelitatis, quod Childerico fece-
rant, absolvit.

Libellus vetusti scriptoris de Majoribus Domûs re-
giæ. *His*, inquit, *temporibus Hildericus* (Childericus) 80
*in regno Francorum substituitur; de quo Pipinus Dux Le-
gatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum, si
ita manere deberent Reges Francorum, cùm pene nullius
essent potestatis, solo regio nomine contenti. Quibus Le-
gatis Romanus Pontifex respondit illum debere Regem vo-
cari, qui Rempublicam regeret: Detonso igitur Hilderico, &
in monasterio detruso, mox Franci Pipinum sibi Regem con-
stituunt.* Hic apud æqualem, ut videtur, auctorem
Zacharias, nec Hildericum à regno deposuit, nec Pi-
pinum in illius locum substituit, nec Francigenas à ju-
ramento fidelitatis, quod Hilderico fecerant, ab-
solvit.

Annales Francorum auctiores ab anno DCCVIII. ad
annum usque DCCCVIII. quo auctor vixisse se testa-
tur: *Anno* DCCXLIX. *Zacharias Papa per Fulradum
mandavit, ut Pipinus ad Regem levaretur*, id est, signi-
ficavit, ut constat ex iis quæ sequuntur. *Anno* DCCL.
*Pipinus secundùm morem Francorum electus ad Regem, &
unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Episcopi, ele-
vatus à Francis in regno Suessionis civitate. Hildericus
verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in mona-
sterium missus.* Hic apud auctorem tempore proximum
Zacharias nec Childericum deponit à regno, nec Pipi-
num in illius locum substituit, nec Francigenas à ju-
ramento fidelitatis, quod Hilderico fecerant, ab-
solvit.

Annales rerum Francicarum, quæ à Pipino & Caro-
lo Magno Regibus gestæ sunt ab anno DCCXLI. us-
que ad annum DCCCXXIV. *Burgardus Uvirziburgensis* 81
*Episcopus, & Folradus Capellanus missi fuerunt ad Za-
chariam Papam interrogando de Regibus in Francia, qui
illis temporibus non habentes regalem potestatem, si bene fa-
isset, an non; & Zacharias Papa mandavit Pipino, ut
melius esset illum Regem vocare, qui potestatem haberet,
quàm illum, qui sine regali potestate manebat, ut non con-
turbaretur ordo. Per auctoritatem ergo Apostolicam jussit
Pipinum Regem fieri.* Hæc anno DCCXLIX. & anno
DCCL. *Pipinus secundùm morem Francorum electus ad
Regem, & unctus per manum sanctæ memoriæ Bonifacii
Archiepiscopi, & elevatus à Francis in regno suo in Sues-
sionis civitate. Hildericus verò, qui falsò Rex voca-
batur, tonsuratus est & in monasterium missus.* Hic apud
auctorem tempore proximum Zacharias nec Hilderi-
cum à regno deponit, nec Pipinum in illius locum sub-
stituit, nec Francigenas à juramento fidelitatis, quod
Hilderico fecerant, absolvit.

Eginhardus Caroli Magni Notarius in annalibus de
gestis Philippi Regis anno DCCLIX. *Burchardus U-
virtzibargensis Episcopus, & Folradus Presbyter Capella-
nus, missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consule-
rent Pontificem de causa Regum, qui illo tempore fuerunt
in Francia, qui nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem
regiam habuerunt, per quos prædictus Pontifex mandat
melius esse illum Regem vocari, apud quem summa potesta-
tis consisteret, dataque auctoritate sua jussit Pipinum Re-
gem constitui.* Deinde anno DCCL. *Hoc anno secun-
dùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum* 80
*appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacra
unctione*

unctione manu sancta memoria Bonifacii Archiepiscopi & Martyris, & more Francorum elevatus in solium regni in civitate Suessiona. Hildericus verò, qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est. Hic apud auctorem tempore proximum Zacharias nec Childericum à regno deponit, nec Pipinum in illius locum substituit, nec Francigenas à juramento fidelitatis, quod Childerico fecerant, absolvit.

Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, quo tempore Ludovici Pii Imperatoris filii in diversis per Occidentem locis regnabant, claruit, & Romanorum Præsulum vitas scripsit. In Zachariæ vita, quæ sat longa est, Francorum procerum super Regni statu consultationem prætermisit, ratus, opinor, eam non fuisse Zachariæ responsionem, quæ Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ auctoritatem extolleret, aut Pontificis dignitatem eo augeret modo, quem Gratianus in Cap. *Alius* repræsentat. Prætermisit, inquam, vir sciens ac prudens & consultationem & responsionem, quia Zacharias poterat à Francis proceribus non consuli: Et poterant & alii ab iisdem consulti respondere quod Zacharias respondit, & cùm respondissent, jus sibi nullum inde, vel in deponendo Childerico, vel in creando Rege Pipino, vel in Francigenis à juramento fidelitatis liberandis quæri putassent. Quod autem Zacharias respondit, vel respondissent alii, dictat communis hominum
83 sensus & intelligentia. Id non excedit naturalem prudentiam, quæ regnorum, rerumpublicarum & statuum omnium regula est. Quidquid in causa, auctoris hujus opportunitatum primæ Sedis non immemoris silentium palam loquitur, in Romanæ Ecclesiæ scriniis monumentum fuisse nullum, quod rebus in Cap. *Alius* narratis fidem faceret, nihil in ejusdem Ecclesiæ traditionem deputatum fuisse, quod ne apud homines intercideret, literis mandaretur. In Anastasio figimus præscriptionis adversus posteriores historicos epocham, quæ omni termino immobilior à cordatis atque eruditis hominibus judicabitur. Et si Platina vestigiis institisset Anastasii in Zachariæ vita, de Francorum proceribus & de Pipino Rege non prodidisset memoriæ quæ prodidit, antiquis Romanæ Ecclesiæ, cujus res agitur potissimùm, monumentis destitutus. Non prodidit tamen tria illa rerum puncta, quæ in Cap. *Alius* leguntur. Quæ prodidit, ea partim ex illo Cap. partim ex historicis non æqualibus, nec tempore proximis, ac proinde non satis idoneis testibus deprompsit. Sed indigna hæc sunt, quæ nunc recenseantur.

Cæterum extrema Eginhardi periodus, & certæ quædam præcedentium scriptorum clausulæ, in quibus Zacharias super statu Regum Francorum consulitur, non obscurè significant verba hæc, [auctoritas, jussus, sanctio Romani Pontificis, vel Sedis Apostolicæ,] eo in sensu accipienda non esse, quem præ se & seorsim à reliquo contextu exhibere possunt. Commodè sumenda, & Francorum consultationi ac interrogationi aptanda
84 sunt. Consultationis & interrogationis natura non patitur, ut qui respondet, per auctoritatem, jussum, sanctionem & mandatum respondeat, si aptè & convenienter respondere velit. Scilicet necessarium est, ut omnis responsio in consultationem & interrogationem quadret. Scriptores tamen, qui verbis illis utuntur, consulti & interrogati Pontificis qui respondet, dignitatem potiùs, quàm responsa attendunt: Rati, ut preces, sic & responsa & consilia potentum, ut mandata æstimanda esse, etiamsi reipsa æstimanda non sint. Id autem posteriores quidam historici cùm perspicerent, negotium totum ut narrandum erat simpliciter, narrarunt.

Hucbaldus Elnonensis Monachus, qui ad annum DCCCCXX. claruit, in vitæ sancti Lebuini Confessoris capite VIII. *Pipinus totius ditionis compos effectus consulto Papa Zacharia, & unanimi Francorum consensu per unctionem sanctissimi Archiepiscopi Bonifacii Suessionis civitate habito conventu Rex appellatus, & regali est sede donatus, repudiato ac tonsurato Childerico, qui casso nomine antea Rex appellabatur.*

Guillelmus Nangius in Chronographia MS. *Burchardus Uvirtziburgensis Episcopus, & Fulradus Abbas sancti Dionysii in Francia, à proceribus Francorum missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut eum consulerent de causa Regum, qui diu regnantes in Francia solo Regis nomine contenti nullam habebant potestatem, per quos prædictus Papa mandavit,* id est, significavit, *melius esse illum vocari Regem, qui bene Remp. gubernabat, & sua utilitati propria publicam utilitatem anteferebat. Quo audito Franci Pipinum Regem statuerunt, & Childericum, qui* 85
tunc regnabat, factum Monachum in monasterium detruserunt: Qui Pipinus jussu & auctoritate Zacharia Papa Suessionis civitate à Bonifacio Moguntia Archiepiscopo in Regem Francorum inungitur. Sic Pontificia auctoritas & jussus nec Childerici abdicationem, nec collatam à Francis potestatem regiam attinet, sed sacrum duntaxat unctionis ritum, quo collata jam à Francis potestas regia redderetur venerabilior & augustior.

Nunc si convertamus iterum oculos in C. *Alius*, liquebit adhuc magis, pura puta commenta esse, quæ ibi recensentur.

Deinde si quæ ibi recensentur, veritate niterentur aliqua, Pipinus & Francorum proceres Zachariæ gratias egissent; sed nullas egerunt, actur l maximas, si ab illo tantum accepissent beneficii: Quis sana mente præditus dubitaret?

Denique quæ ibi Zacharias fecisse dicitur, non fecisset sine Synodo, quam res tanti ponderis exigebat. In C. *Alius* agitur de abdicando Rege inutili, de alio in illius locum sufficiendo, & de Francigenis à juramento fidelitatis, quod præstiterant, absolvendis: Quæ tria à Romano Pontifice fieri posse, nec divinæ legis auctoritas, nec Ecclesiæ traditio, nec præcedens exemplum ullum suadebat. At celebrata non est tunc Romæ Synodus, quâ jus hujusmodi vel jam assertum Romano, Pontifici, vel certè asserendum comprobaretur. Zacharias affirmare consueverat: *Non aliud nobis convenit prædicare, præter quod à sanctis Patribus sumus edocti.* Quinetiam ne una quidem extat epistola, quam Zacharias ad Episcopos & proceres Francorum hac de 86
re scripserit. Ex quo facilè adhuc intelligitur, Pontificem Francorum consultationibus & negotiis non aliter, quàm per datum voce tenus consilium invenisse. Dicet aliquis C. *Alius* ex certa quadam Gregorii VII. epistola depromptum esse. Id quidem verum est, sed quæ ibi narrantur, clam submlu istrata Gregorio fuerunt ab iis, qui leges historiæ neglexarunt: Atque hic, ut Cypriani verbis utar, non tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quàm execrandi, qui fraudulenter obrepserunt. Posteriores quidam Gregorio auctores inducti sunt in errorem, dum probando suum fecerunt, quod est in C. *Alius*. Defecerunt ab eo, quod priores tradidere. Hinc Tertullianus in libri IV. contra Marcionem capite IV. *Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquum reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* Porro autem quod ad C. *Alius* notavi, digressio non censebitur, quia digressus non sum ab eo quod proposui. Si tamen digressionis speciem aliquam referat, hæc sermoni nostro haud opportuna tibi, vir prudentissime, videbitur. In omnem eventum Alteserræ alterum negligentiæ Gratiani specimen præbebit. Vale Lutetiæ Paris. Idibus Octobris anno M. DC. LXIX.

ANTO-

ANTONII CARLERII,

Laudunensis Canonici,

TUMULUS.

Joannes Launoius

Parisiensis *Theologus*,

JOANNI JACOBO BARILLONIO,

Gisiaco Priori.

QUEM Antonii Carlerii tumulum confeci, debetur tibi tribus de causis maximè: Primùm, quòd ille amicus erat tuus; Deinde, quòd communia inter vos fervebant pietatis veræ studia, quæ singillatim non persequor: Quippe certus sum te esse, quàm haberi malle. Norunt tamen omnes & hic prædicant, te Gisiaco in Prioratu œconomum egisse pauperum, non Priorem, ex quo Prior esse cœpisti. Hæc quia non possunt non esse nota & publica, latere, quæ tua est anxietas, obruique silentio nequeunt. Tum judicas necessarium, nedum utile, ut vitæ amici tui breviculus eat in exemplum apud posteros. In hujus descriptione sequimur morem calculonum, qui certis quibusdam æris brevioribus ingentes auri argentique summas designare solent.

Igitur *Sta viator & vide.*

Hic jacet Antonius Carlerius, Lauduni in Belgica secunda, honestis ac religiosis parentibus natus; Facultatis Theologia Parisiensis Baccalaureus; Basilica sanctæ Mariæ Canonicus, & Ecclesiola beati Martini ad eamdem Basilicam Curio; innocentissima & eleemosynissima juncta vita: Duobus his plusquam par titulis, si tamen alter ob plebis redituúsque paucitatem id nominis meretur: absolutum Christianæ humilitatis exemplar; vir simplicitatis eminentissima, incomparabilis modestiæ, cùm in arduis ferè nihil sibi sumeret, permulta si voluisset, & diuturno usus magisterio, & acquisita scientia jure sibi sumpturus: In tantum frugi, ut quotidianus & domesticus victus non multùm abesset à jejunio præ ciborum parcitate: Assiduus & indefessus catechistes, cùm publicè tum privatim: Sermocinatus vulgariter nec ulli nec unquam fuit fastidio, auribus & animis in dies audiebatur promtioribus. Hierarchicum deperiit ordinem, obedientiam & veteris disciplinæ instaurationem: Contentus nusquam magis visus, aut hilarior, quàm cùm varia Episcopi pro negotiis piis mandata identidem perficeret seu in urbe, seu in pagis: Inimicarum charitatis litium fugitans; exortarum inter privatos rixarum pacificator humanissimus; ad captivorum, rei capitalis damnatorum, miserorum & oppressorum quorumlibet consolationem paratissimus; advolabat, non currebat; ubique locorum acceptissimus, ac propter ingenuos mores ne malis quidem invisus aut molestus habitus. Omnibus præsto fuit, quibus potuit; divitibus, egenis, quà cognitis, quà incognitis, cæteris in Clero, in Monasteriis, in Nosocomiis, in Gerontocomio degentibus: Nulli defuit, si deesse non potuit, in damno positum ducens tempus omne, quod in Dei gloriam, vel in privata publicáve Ecclesiæ commoda non insumebat. Eo tandem divini amoris incensus ardore, ut quod bonum præstare licuit, semper præstiterit, & quod malum, ne fieret, impedire liberum fuit, semper impedierit: Et sic omnia factus omnibus, & jamdudum impletis verè Christiani hominis partibus universis, & cælo maturus, ut immortales illic viveret, hic inter mortales vivere desiit, Anno ætatis suæ LVII. *Christi* M.DC.LXIX. *pridie Idus Maias.*

Ecce amici tui tumulus, in quo nullas historiæ leges neglesimus! Quod enim nos vidimus, quod ipse tu vidisti, quod viderunt cæteri, testamur. Et sanè, ubi multa eaque vera & insignia, quæ solus Deus vidit, prætermittuntur, locus nullus patet mendacio, vel arti, quæ res perperam & cum adulatione (quæ fœdum crimen servitutis est) amplificet. Scio, te explorati candoris virum, & mendacium, & artem illam odisse. Paterna & avita hæreditas est, quam cum reliquis fratribus Paulo, Antonio, Henrico sine jactura ulla crevisti. Vale, &, ut soles, amare me perge. Lauduni ann. M.DC.LXX. Idibus Martii.

PETRI

PETRI MAYNONII,

Laudunensis Ecclesiæ Canonici,

EPITAPHIUM:

AD

CÆSAREM,

Laudunensem *Episcopum, Ducem, & Parem* Franciæ.

OPTASTI, ut Epitaphium hocce conscriberem: Obsecutus conscripsi. Potuisses conscribere, si per gravissima, qnibus distineris, mnnera licuisset operi hnic operam dare; Longius conscripsisses & tersius: Nam plura, qnàm ego, tu nosti, quæ dixisses ornatiùs. Infinitas tamen virtutum actiones cogereris omittere, quas ego quoqne omittam necessario: Quia qui vita functus est, dum viveret, impediit, ne in cognitionem hominum illæ venirent. Solius Dei cognitione contentns fuit: Quod homini verè Christiano sufficit. Hic colenda nobis sunt omnia silentio, quæ monnmentis literarum nequeunt consignari. Supersunt alia eaqne multa præclara, & cedro digna, quæ de vita præstantis hominis exponam sine fuco, & sine apparatu ullo præterquam veritatis, quæ cum deest historiæ, ornamenta desunt universa. Joannes Lannoius Parisiensis Theologus.

Petrus Maynonius Laudunensis Ecclesia Presbyter Canonicus, dum in urbe & antiquitate familia & ingenti honoratâque consanguineorum copia floreret anno M. DC. LXX. III. *Idus Aprilis obiit, cum ætatis annum ageret quadragesimum quintum. Affatim compensata videbitur brevitas vita, cujus summa fuit, Deo, pauperibus, sibi & musis vivere. Deo vixit, cùm ex præscripto divina legis vitam semper instituerit, nec mentem ab ea lege aut cogitationem unquam avocaverit. Opus non fuit ut vitia ineuntis adolescentia magnis emendarentur virtutibus; sed magnarum virtutum auxilio perfecit, ut ineuntis adolescentia vitia longè latéque propulsarentur. Canonicus factus scripturas sacras absque intermissione ulla pervolutavit, illarum succo sese pavit ac refecit; Dei laudes die ac nocte cecinit, & quàm maximas potuit ob derivata in humanum genus, & in seipsum beneficia gratias Deo reddidit, sic Deo vixit. Deinde pauperibus vixit, quia dictum sibi putabat, quod beatus Jacobus Apostolus tradidit in Catholica Epistola capite* 1. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est; Visitare viduas & pupillos in tribnlatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. *Hinc piorum è Clero & plebe hominum cœtibus, qui de commoda pauperum levatione diebus statis fiunt in ædibus Episcopi, sedulò intererat, & ibi aliisque in locis cum æquitate sentiebat tanta, ut apud plerosque admirationem concitaret sui & amorem. Scilicet vir erat rectus & timens Deum. Sententiam quam dixerat, nulla excipiebat levitas & inconstantia, sed firmitas, constantia, propositique tenacitas. Quæ de suo pauperibus erogabat seu publicis, seu privatis, latere nos voluit pro eo ac potuit. Ne id sciretur cautionem summam adhibebat. Sic pauperibus vixit, ut de iis fovendis perpetuò cogitaverit. Tum sibi vixit imitatus Christum, qui magnam vitæ partem privatim egit, & procul à magnis hominum congressibus. Quò factum, ut convenientes statui Clericorum virtutes comparaverit facilius, & mirificè excoluerit. Inter eas eminebat, quæ abscondi non potuit, nunquam silenda, nunquam satis laudanda in Ecclesiasticis cursibus assiduitas. Nocturni & diurni pensi genus istud sic accuravit, ut collegas paucos habuerit pares, superiorem verò neminem. Erat in Maynonio cùm summa humanitas, tum mira comitas, mixta modestia gravitas & innoxia hilaritas. Accedebant insignis humilitas, pietas, & prudentia, quæ & aliis in rebus, sed maximè in testimentaria tabella splendescunt: Humilitas in deprecandis à pio celebri & numeroso Laudunensium Presbyterorum Collegio offensionibus, quæ ad Decanum & sodales Canonicos quoquo modo spectarent. Pietas in bonis penè cunctis & supellectilibus ad pauperum Nosocomii, & Gerontocomii, & Mendicantium Ordinum subsidium, & ad certarum, quæ sunt in agro Laudunensi, Ecclesiarum instaurationem erogandis. Prudentia in dictandis singulis ultimæ voluntatis commatibus, quæ & sanæ mentis integritatem etiam in corpore non sano, limatum & acre judicium ostendunt, immo & sacratæ vetustatis odorem spirant. Sic vixit sibi. Postremò musis vixit, cùm reliquum vitæ tempus optimarum artium studiis transmittendum esse duxit. Et quia secessum amant literæ, secessum quoque ipse amabat, quò iis liberiùs vacaret. Notato mox tempori interdum subducebat horas aliquot, ut pomeridianâ cum nonnullis familiaribus Canonicis ambulatione suum oblectaret otium, & senectæ valetudini consuleret. Sic igitur vacavit literis, ut versatus fuerit admodum in Ecclesiastica historia partibus iis, quæ præsertim attinent universam Conciliorum materiam, Episcopatus dignitatem, & disciplinam Canonum, quibus generalia Ecclesiarum gubernacula continentur. Arbitrium propriæ voluntatis, seu motum proprium, quo regerentur Ecclesiæ, capere non poterat, quia directionis id genus nec in sacris Canonibus, nec in decretis Pontificum ex iisdem Canonibus promulgatis, nec in actis Conciliorum generalium invenerat. Ingenio erat docili, elato, solerti, & genio ad capessendas scientias: Sed vir religione ductus intra illius, quam ex Sacerdotali professione nactus fuerat, Spartæ limites sese semper cohibuit. His autem modis quatuor cùm simul viveret, invasit eum ægritudo, quæ ad mensem unum plus minùs duravit. Visitat ægrotum Episcopus, & cum solatium solatium accepit, non impertiit. Canonicatum nemini transscribere voluit, sed in Episcopi potestate relinquendum esse censuit. Piorum hominum operâ cum illo egit Episcopus, ut successorem aliquem designaret; tantisper hæsit, & tandem fecit, quod Præsul expetiit: designavit Presbyterum annos plus minùs sexaginta natum, quem & nobilis simplicitas, morum inno-*

innocentia, transacta in regendis Virginibus Deo dicatis vita, & vitiorum omnium vacuitas apud omnes semper commendaverant. In ægritudine sua beatum secutus Augustinum, (quod & quale moribundi exemplar!) decem vel octo dies, antequam exiret è corpore, significavit nolle se quicquam audire de sæculo, nolle se videre homines, aut ab iis videri, etiam quorum aliàs laudabili familiaritate usus fuerat, ut ita totus secum habitans omnes annos suos ad plenum & perfectum recogitaret, Sacramentorum Ecclesiæ præsidiis, ut decet, communiretur, & totus viam universæ carnis ingrederetur. Verùm ægritudo quamlibet diuturna, & facta paulatim vehementior laborantis, non fregit animum, sed erexit, erectúmque Christiana, magnopere confirmavit patientia, ad supremam usque horam, quâ verus Dei servus obdormivit in pace, & mortalitati exutæ nunquam exuenda successit immortalitas.

Feci hactenus quod optasti, Antistes illustrissime: Nunc tuum est perspicere, an optaris tuis adæque responderim. Respondisse me puto, quia nihil quod sciverim, & momenti sit alicujus, de industria prætermisi. Quod censui, id Maynonium famæ & posteris apte designabit, & ad imitandum proponet. Quod Epitaphium appello, sic olim beatus Hieronymus appellaverat. Paulus Jovius & Papyrius Massonus, & recentiores alii elogium vocant. Sed hac in lite quæ nondum finita est, Hieronymo me adjungo. Interim valde doleo vices Ecclesiæ, cui te Deus præesse voluit. Hæc mensibus abhinc undecim non sine magno sui damno amisit Antonium Carlerium, & Petrum Maynonium, insigne par Presbyterorum, quos nisi semper, certè diu multúmque desideratura est. Carlerius ducebat vitam, quæ fere tota in actione consistebat. Maynonius ducebat vitam quæ fere tota in contemplatione sita erat. Uterque tamen verus Dei servus audiebat, & communi consensu, aliter tamen atque aliter ad commune bonum Ecclesiæ non tendebat modò, sed etiam impetu ferebatur. Obscura tibi non sunt aut ignota quæ scribo, sed perspecta omnino atque animadversa. Laudunensium civium publica vox est, cui reluctatur nemo. Faxit Deus immortalis, ut quod in interitu præstantissimæ synoridis hujus detrimentum passa est Ecclesia hæc, id tandem aliquando resarciatur. Lauduni, anno M. DC. LXX. Idibus Aprilis.

CAROLI VAIRONII

Laudunensis Ecclesiæ Canonici,

EPITAPHIUM:

AD

CAROLUM VAIRONIUM

Laudunensis *quoque Ecclesiæ Canonicum, & Cleri Syndicum.*

DOLERE te non dubito, quòd patruum virum certè optimum amiseris; tecum ego doleo: Sed tamen justa ratio suppetit, quæ dolorem nostrum cohibeat, & illius avocamenta præbeat. Hinc ille juvenis institutus Canonicus, sic variis enituit virtutibus, ut vitiis nunquam obrutus fuerit. Canonicæ disciplinæ custos perpetuus, & comiter severus alios correxit, qui meritò corrigendi erant; qui & statim correctionem beneficii loco habuerint. Laudunensis Cleri cùm factus est Syndicus, ad ejusdem Cleri negotia & opportunitates advigilavit sedulò; & inde gnavi & industrii hominis laudem maximam reportavit; gratus unicuique, ingratus nemini, nisi forsan ei qui calumniator exstiterit. Hinc amittendi patrui tempus venerat, cùm ætatis annum impleret octogesimum tertium. Supremum in singulas propemodum horas opperiebatur exitum, nec mors quamliber lubrica, & incomprehensibilis imparatum illum offendit. Hilari & sereno erat vultu, quasi futuræ quietis securus. Ut ad vada Mæandri concinebat albus olor. Atque hoc erat certum quoddam occupatum certè anteactæ vitæ præmium. Intelligebat vir prudens, eum oportere laudabiliter vivere, qui vult laudabiliter apud Christianos mori. Is igitur levi correptus febre tum demum intra paucos dies nonis Maii vivere desiit, ut in pace cum Christo æternùm viveret, quia Christiani nunquam viverent si hîc semper viverent. Neque enim in exilio nisi miserè atque ærumnosè vivitur. Misera autem vita & ærumnosa censenda non est vita. Verùm quia patruus bene Christianam in exilio vitam egit, hîc magna cum existimatione, & gloria per consequentes annos omnes victurus est: In Laudunensi Ecclesia, quam annorum LXIV. spatio collustravit exemplis pluribus, quæ ad vitam beatè instituendam conducunt. In Laudunensi, inquam, Ecclesia, cujus reditus auxit, non malis, sed bonis artibus. In Gerontocomio, cui primùm extruendo sat magnam pecuniæ summam impertitus est. Accessit nuper & alia non mediocris pro temporum calamitate summa, quam testamento legavit. In Nosocomio, inter ipsa Christi membra sanctissima, quibus fovendis ac sustentandis largitione piâ consuluit. In Minorum & Minimorum cœnobiis, ad quæ religiosa pientissimi hominis liberalitas pervenit. In Clericorum Seminario, cui multa benignè tribuit, persuasus locum hunc universæ Diœcesi non proficuum modò, verumetiam necessarium esse, ut in eo qui sacris initiantur ordinibus, & regendis deputantur plebibus, nunc subigantur & formentur ab initio, nunc reformentur in melius, ac veluti recoquantur, cùm, ut aliquando fit, & nihil est in rebus humanis firmum ac stabile, ab institutionibus primis aliqua ex parte disceditur. Tantæ molis est, Clericos & Al-

taris ministros in officio, quod penitus divinum est, sed infinitis rerum discriminibus obnoxium, continere. Postremò victurus est apud teipsum ex fratre filium, qui acceptam ab optimo sene educationem egregiam magnis non cessas dotibus ornare: Sed ex illis elucet potissimum hæc, *probum & oppidò cordatum esse hominem*, quæ ut gentilitium Vaironiæ apud Laudunenses familiæ singulare circumfertur. Hoc tacere nec possum, nec debeo, etiamsi pudorem tuum sollicitare non sit animus. Id enim te solum non attinet, sed patruum, patrem pauperum studiosissimum curatorem, cæteros: Patruum imprimis, cui planum, apertum, & omni dolo ac fraude vacuum pectus erat. Dicam breviùs: Cor propriis manibus gestare videbatur, quod in aliorum manus deponeret tractandum, visendum, explorandum. Vir optimus hanc agendi vivendique rationem hauserat à Christianis veteribus, quorum mores Plinius Junior in Epistola ad Trajanum describit. Sic Carolus Vaironius vixit, sic mortuus est: Atque ita vivendo & moriendo diversis, quæ mox indicata sunt, benefactis consecutus est, ne qui à bonis desiderandus esset postea, desideraretur, sed commendaretur potiùs, & memoria subsequentium sæculorum prædicaretur. Desiderii illiusmodi vades omni exceptione majores reliquit tot eleemosynas, quæ monumentis cœlestibus obsignantur, & Deum ipsum, quia justus & fidelis est, oppignerant ad reddendam mercedem, cui debetur æternitas. Tu verò, quem patrui Sacerdotio & Syndicatui (mollienda sunt usu verba) & virtutibus successisse, & facili, expedito & solerti pollere ingenio, & gaudeo & gratulor, hæc quæ scripsimus, tam æquo accipias velim animo, quàm scripta sunt prono. Vale, anno M. DC. LXX. pridie idus Maii. Joannes Launoius Parisiensis Theologus.

Ex Lavernio in pago Laudunensi.

Joannes Launoius
JOANNI ROLANDO
Parisiensi *Theologo, &* Remensi *Canonico.*

1 AUGUSTODUNENSIUM privilegiorum, quæ in libro XI. Epistolarum Gregorii Papæ I. Epistola X. ad Senatorem Presbyterum & Abbatem, Epistola XI. ad Thessaliam Abbatissam, Epistola XII. ad Lupponem Presbyterum & Abbatem, repræsentantur, clausula postrema partes duas complectitur. Prior ita se habet: *Siquis verò Regum, Sacerdotum, Judicum, personarumque sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: Et nisi vel ea, quæ ab illo malè ablata sunt, restituerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat.* Posterior verò est hujusmodi: *Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.* At neque prior, neque posterior pars clausulæ reperitur in certis quibusdam privilegiis, quæ Gregorius in Epistolis suis identidem concedit. Cur autem reperiri deberet, postulare si-
2 milis ratio videtur, sed eo per singula privilegia & sem oculis tuis subjicio.

I. Gregorius in libri I. epistola XII. ad Joannem Episcopum de Urbe veteri, hoc privilegii genus concedit: *Agapitus Abbas monasterii sancti Georgii insinuavit nobis, plurima se à vestra sanctitate gravamina sustinere, & non solùm in his, quæ necessitatis tempore aliquod monasterio possint inferre subsidium, verumetiam quod in eodem monasterio missas prohibeas celebrari, sepelire etiam ibidem mortuos interdicas. Quod si ita est, à tali vos hortamur inhumanitate suspendi, & sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas, nullâ ulteriùs habitâ contradictione permittas, ne denuo querelam de iis quæ dicta sunt, prædictus vir venerabilis Agapitus deponere compellatur.* Hîc non adjicitur prior aut posterior pars clausulæ quæ relata est, & Augustodunensibus privilegiis tribus subnectitur. Posterior certè subnectenda erat: Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, &c. si vel usus Romanæ tulisset Ecclesiæ, vel Pontifex inducendum illum esse judicasset.

II. In libro IV. epistola XLI. ad Luminosum Abbatem monasterii S. Thomæ Ariminensis, hoc ei privilegii genus concedit: *Petitionem tuam, congregationisque tuæ libenter suscepimus, secundùm statuta Patrum jurisque formam tuis precibus accommodantes effectum, Castorio fratri & coëpiscopo nostro nostrâ præceptione transmissa est Epistola, successoribúsque ejus, & à te monasterióque tuo cunctam læsionis fundatus abstulimus potestatem, ut nec ultrà in vestro versetur gravamine, nec monasterii res describat, nec publica illic debeat esse pro- 3
cessio: Illâ videlicet ei jurisdictione relictâ, ut in defuncti Abbatis locum, alium, quem dignum communis consensus congregationis elegerit, debeat ordinare. Hi autem ita perfectis in Dei opere estote soliciti, & assiduè operam orationi date, ne non videatur magis vobis quæsita mentis in oratione securitas, sed malè, quod absit, degentibus Episcopalis evitata districtio.* Et sanè nisi prior pars clausulæ addenda esset, posterior, Cunctis autem eodem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, addenda erat, si vel usus Romanæ tulisset Ecclesiæ, vel Gregorius inducendum illum esse judicasset.

III. In ejusdem libri Epistola XLIII. ad Castorium Ariminensem Episcopum, ubi concessum privilegium ei significat: *Luminosus Abbas monasterii Sanctorum Andreæ & Thomæ in Ariminensi civitate constituti, quas nobis lacrymabiliter preces effuderit, indita textus petitionis informat, pro qua te fraternitatem tuam hortamur, ut obeunte Abbate monasterii ipsius, Ecclesia tua in describendis, providendisque acquisitis acquirendisve ejusdem monasterii rebus nullâ se occasione permisceat. Ab-*

batem

*batem verò eidem monasterio non alium, sed quem dig-
num moribus atque actibus monasticæ disciplinæ communi
consensu congregatio tota poposcerit, te volumus ordinare.
Missas autem illic publicas per Episcopum fieri omni-
modò prohibemus, ut in servorum Dei secessibus populari-
bus occasio præbeatur ulla conventibus, & simpliciores
ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum tra-
4 hat, frequentior quoque introitus mulieribus arceatur.
Hanc autem scriptorum nostrorum paginam omni in fu-
turo tempore à te vel post te Episcopis ordinandis, fir-
mam statuimus illibatamque servari, ut & tua Ecclesia
juvante Domino, suo tantummodo sit jure contenta, &
Monasterium illud nulli alterius aliquâ ratione generali
canonicave jurisdictioni deserviens, remotis vexationibus,
ac cunctis gravaminibus divinum opus cum summa ani-
mi devotione perficiat.* Huic Epistolæ utraque pars
clausulæ subdenda erat, si ut subderetur, usus Romanæ
tulisset Ecclesiæ, vel Gregorius inducendum illum esse
judicasset.

IV. In libri VI. Epistola XII. ad Respectam Abba-
tissam, cui certum quoddam privilegii genus ita con-
cedit: *Pia postulatio voluntatis effectu debet prosequen-
te compleri, quatenus & devotionis sinceritas laudabili-
ter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter as-
sumat. Proinde monasterio, quod in honorem Sancti
Cassiani est consecratum, in quo præesse dignosceris, juxta
petitionem filiorum nostrorum Dinamii atque Aureliani,
qui id religiosâ devotione domus sui juris injunctis uni-
isse ædificiis comprobantur, hæc privilegia prævidimus in-
dulgere: Constituentes, ut obeunte antedicti monasterii
Abbatissâ, non extranea, sed quam congregatio sibi de
suis elegerit, ordinetur: Quam tamen si digna huic
ministerio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordi-
net. In rebus autem vel in dispositione monasterii ejus-
dem, nec Episcopum, neque Ecclesiasticorum quempiam
aliquam habere decernimus potestatem, sed hæc ad solli-
5 citudinis tuæ, vel quæ post te in eodem loco fuerit Ab-
batissa, curam statuimus per omnia pertinere. Die si-
quidem natalis vel dedicationis supradicti monasterii,
Episcopo illic missarum sacra convenias solemnia celebra-
re, à quo tamen ita est officium exsolvendum, ut cathe-
dra ejus, nisi prædictis diebus dum illic missarum solem-
nia celebrat, non ponatur. Quo discedente similiter e-
tiam cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Cæte-
ris vero diebus per Presbyterum, qui ab eodem Episcopo
fuerit deputatus, Missarum officia peragantur. Præterea
ergo vitam actúsque ancillarum Dei, sive Abbatissa quæ
in suprascripto fuerit monasterio constituta, Episcopo se-
cundùm Dei timorem, sollicitudinem statuimus adhibere,
ut si aliquam de illic habitantibus exigente culpâ oportu-
erit ultioni submitti, ipse juxta sacrorum canonum vi-
gorem modis omnibus debeat vindicare. His ergo à nobis
statutis atque concessis, ita te in congregationis tuæ dispo-
sitione custodiam stude sollicitiorem enixiùs in omnibus
exhibere, ut iniqui hostis malitia, nihil ibi quod macu-
lari possit, inveniat. Hæc igitur omnia, quæ hujus
paginæ præceptionis amplectitur, monasterio tuo in om-
nibus, & ab omnibus in perpetuum servari Christo
protegente censemus, quatenus indultorum privilegio-
rum beneficia in sua semper inviolabiliter firmitate
permaneant.* Huic Epistolæ utraque pars clausulæ
subdenda erat, si ut subderetur, usus Romanæ tu-
lisset Ecclesiæ, vel Gregorius inducendum illum esse
judicasset.

V. In libri VII. indict. I. epist. XXXIII. ad Joannem
Schillitanum Episcopum, ubi de certo quodam privi-
6 legio monachorum Castelliensis monasterii agitur:
*Grave nimis & contra sacerdotale constat esse proposi-
tum, velle cujusquam monasterii privilegia olim indulta
confundere, & ad irritum quæ sunt pro quiete disposita,
niti deducere. Questi itaque nobis sunt monachi Castelli-
ensis monasterii, quod in fraternitatis vestræ civitate est
constitutum, quia eidem Monasterio quædam contra ea,
quæ à prædecessoribus vestris permissa, ac consuetudine
longâ servata sunt, festinetis superinducere, & anti-
quam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare:
Proinde his fraternitatem vestram hortamur affatibus, ut
si ita est, ab ejus molestia se sine aliqua excusatione con-
tineat, & quæ ei sunt diutius custodita, nullius occasio-
nis temere usurpatione convellere, sed cuncta illibatè, &
sine aliqua studeat refragatione servare, & plus sibi in
eodem monasterio, quàm prædecessoribus licuit, noverit
non licere. Quia verò pariter questi sunt fraternitatem
tuam, quædam de monasterio sub xenii quasi specie ab-
stulisse, necesse est, ut si quid te indecenter recolis acce-
pisse, sine dilatione restituas, ne avaritia te graviter
culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdo-
talis magis debuerat munificentia demonstrare. Servatis
itaque omnibus quæ à tuis, sicut diximus, prædecessoribus
permissa sunt ac servata, cura tua sit circa actus ac vi-
tam consistentium illic monachorum te vigilantem insiste-
re, & si quempiam illic pravè conversari, aut in ali-
quam immunditia, quod absit, culpam inveneris incidis-
se, districtâ ac regulari emendatione corrigere. Nam
sicut ab iis, quæ incongruè usurpantur, fraternitatem ve-
stram volumus abstinere, ita ut hæc, quæ ad disciplinæ 7
rectitudinem vel animarum custodiam pertinent, esse so-
licitam modis omnibus admonemus. Indicaverunt etiam
prædicti monasterii monachi, castrum quod Schillitanum
dicitur, in solo juris monasterii eorum esse fundatum,
atque ab hoc habitantes illic factis libellis solatium an-
nis singulis spopondisse persolvere, sed postea contempsisse
& ab eadem se præstatione supervacuè suspendisse. Fra-
ternitas ergo vestra subtiliter veritatem curet addisce-
re, & si ita reperit, instanter studeat, ut ea quæ pro-
miserunt, quia & ratio exigit, præbere non differant,
quatenus & illi quietè quod tenent, possideant, & mona-
sterii jura præjudicium non incurrant. Præterea questi
nobis sunt prædicti monasterii monachi Abbatem suum
terram inter Schillitanum castrum, quæ in sexcentes pe-
des extenditur, sub prætextu fabricandæ Ecclesiæ frater-
nitati tuæ donationis titulo concessisse, & ideo volumus
quantum parietes possint ædificatæ Ecclesiæ circumda-
re, juri Ecclesiæ vindicari. Quidquid verò extra pa-
rietes ejusdem Ecclesiæ esse potuerit, ad jura monaste-
rii sine difficultate aliqua revertatur: Quia nec mun-
danarum legum, nec sacrorum canonum statuta per-
mittunt res monasterii de jure ejus quolibet titulo se-
gregari. Ea propter donationem ejusdem terræ, quæ
contra rationem facta est, sine aliqua dilatione resti-
tue.* Huic Epistolæ utraque pars, vel certè posterior
clausulæ, quæ ex Augustodunensibus privilegiis relata
est, subdenda erat, si ut subderetur, usus Romanæ tu-
lisset Ecclesiæ, vel Gregorius inducendum illum esse
judicasset.

VI. In libri ejusdem indict. II. Epistola CXIV. ad
Siagrium Augustodunensem Episcopum, ubi certum 8
quoddam illi privilegium ita concedit: *Magistra bo-
norum omnium charitas, quæ nihil sapit extraneum, ni-
hil confusum, ita exercet corda & corroborat, ut nil
grave, nil difficile existimet, sed fiat totum dulce quod
agitur. Hujus igitur cùm sit proprium nutrire concor-
diam, servare conjuncta, dissociata conjungere, prava
dirigere, & virtutes cæteras perfectionis suæ munimine
solidare, quisquis in ejus radices se inserit, nec à viri-
ditate deficit, nec fructibus evanescit, quia humorem fæ-
cunditatis opus efficax non amittit: Atque ideo multùm
tibi, dilectissime frater, condelector atque congaudeo,
quòd sic eadem charitate te præditum multorum testifi-
catione comperio, ut & ipse quæ sacerdotis sunt, decenter
exhibeas, & aliis te laudabiliter imitandum ostendas.
Quia igitur in prædicatione & opere quandiu cogitans,
Anglorum genti per Augustinum quondam monasterii
mei præpositum, nunc fratrem & coepiscopum nostrum
impendere studui, ita sollicitum atque devotum adjuto-
rémque in omnibus te, ut oportuit, fuisse cognovimus, ut
magnum me sibi fraternitas tua hac de re faceret debi-
torem, tanta rei consideratione commotus, ne infructu-*

ofus erga te viderer existere, fraternitatis tuæ petitionem
nullâ penitus ratione postponere: Proinde secundùm po-
stulationis tuæ desiderium pallii te usu, quod inter Eccle-
siam tuam habere debeas, ad sacra tantùm missarum so-
lemnia celebranda, Deo auctore prævidimus honorandum.
Quod tamen ita tibi dandum esse decrevimus, si priùs
per Synodi definitionem emendari promiseris, quæ corri-
9 genda mandavimus, quia dignum profectò esse credimus,
ut cum mentis gravitate, quâ Deo te propitio pollere di-
dicimus, habitûs quoque exterioris clarior in te cultus
accresceret, præsertim cùm te hunc non ad superfluæ ela-
tionis pompam, sed pro genio & honore tuæ arbitramur
Ecclesiæ petivisse. Cujus ne indumenti munificentiam
nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pa-
riter prospeximus concedendum, ut Metropolitæ suo per
omnia loco & honore servato, Ecclesia civitatis Augu-
stoduna, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lug-
dunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum &
ordinem ex nostra auctoritatis indulgentia vindicare.
Cæteros verò Episcopos secundùm ordinationis suæ tempus,
sive ad considendum in Concilio, sive ad subscribendum,
vel in qualibet alia re sua attendere loca decernimus,
& suorum sibi prærogativam ordinum vindicare, quia
omnino rationis ordo nos admonet, ut cum usu pallii a-
liqua simul, sicut diximus, largiri privilegia debeamus.
Sed quoniam cum honoris augmento cura quoque solici-
tudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis quo-
que ornamenta conveniant, oportet ut enixiùs in cunctis
se studiis vestra fraternitas exerceat, & circa subjecto-
rum actus sit cura vigilans, ut vestrum illis exemplum
instructio, & vitæ magistra sit. Lingua vestra exhor-
tatione discant, quod metuant, & doceantur quod dili-
gant, ut dum talenta credita lucro multiplicata reddi-
deris, in die retributionis audire sis meritus: Euge ser-
ve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.
Curam præterea congregandæ Synodi, quam vobis atque
10 aliis fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione
fiendam scripsimus, vestræ specialiter solicitudini nove-
ritis incumbere. Unde quia præcellentissimos filios no-
stros Francorum Reges magnam vobis novimus dilectio-
nem impendere, omni vos studio, omnique agere an-
nisu necesse est, ut quod de Synodo congreganda man-
davimus, fraternitatis vestræ vigilantiâ compleatur,
atque omnia illic, quæ pro animarum salute scripsimus,
censeantur, quatenus per hoc & vos zelum vestrum, &
qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, & nos uti-
liter providisse, qui vestram ad hoc præ cæteris perso-
nam eligimus, videamur. Huic Epistolæ, quæ privile-
gium continet, utraque pars, vel certè posterior clau-
sulæ subdenda erat, si ut subderetur, usus Romanæ
tulisset Ecclesiæ, vel Gregorius inducendum illum esse
judicasset.

VII. In ejusdem libri & indict. epistola CXVII. ad
Virgilium Arelat. Episcopum, ubi certum quoddam
privilegii genus Arelat. monasterio concedit. Cùm
pio desiderium voluntatis & laudanda devotionis inten-
tio sacerdotalibus sit semper studiis adjuvanda, cura est
solicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete monacho-
rum, religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec
dissimulatione negligere, nec quadam valeat præsumptio per-
turbare. Sed sicut hoc quod ratio exigebat utilitatis,
oportuit definiri: Ita quod definitum est, nisi fortè ubi
major est auctoritas, non debet violari. Igitur gloriosæ
memoriæ Childebertus Francorum Rex Catholicæ religio-
nis amore succensus intra muros Arelatensis civitatis
monasterium virorum, ut scripto reperimus, pro sua
11 mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium
sustentatione concessit. Cujus ne voluntas unquam duce-
retur in irritum, & ea quæ pro quiete monachorum dis-
posita fuerunt, turbarentur, quæque contulit in jure e-
jusdem monasterii Epistolis suis Apostolicâ petiit auctori-
tate firmari: Hoc quoque sua petitioni subjungens, ut
eidem monasterio tam in dispositione rerum, quam in or-
dinatione Abbatis quædam pariter privilegia largirentur:
Sciens quippe eam Apostolicæ Sedi reverentiam à fideli-
bus exhiberi, ut quæ ejus fuissent decreto disposita, nul-
lius deinceps illicitæ usurpationis molestiâ quaterentur.
Unde quia effectum & regia voluntas, & res valdè deside-
rata poscebat, à prædecessore nostro Vigilio Romanæ Sedis
Antistite ad prædecessorem vestrum Aurelium scripta
transmissa sunt, ut omnia, quæ amplectenda voluntatis
studium deposcebant, Apostolica auctoritatis libenter annis-
su firmata sunt: Quia difficultatem pati non potuit hu-
jusmodi res petita. Sed ut fraternitas vestra quæ fue-
rint tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecesso-
ris nostri scripta his prævidimus scriptis adjungi. Qui-
bus lectione percursis hortamur, ut omnia sacerdotali,
ut decet, studio inviolata conserves; nihilque illi de in-
debitis; nihilque permittas de illicitis irrogari, nec ea
quadam patiaris usurpatione convelli. Nam licèt ea,
quæ semel Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt,
non egeant firmitatis; ex abundantia tamen nostra cun-
cta, quæ pro hujus rei quiete à prædecessore nostro
statuta sunt, nostrâ iterum auctoritate in omnibus ro-
boramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodien-
dis eis exhibeat, quatenus & omnem occasionem inquietu- 12
dinis excludat, & aliis hæc operarè suadeat; dum se in
custodienda defuncti piissima voluntate solicitam, ut decet,
exhibueris & devotam. Huic Epistolæ neutra pars clau-
sulæ subdita fuit, quæ subdenda erat, si ut subderetur,
usus Romanæ tulisset Ecclesiæ, vel Gregorius indu-
cendum illum esse judicasset.

VIII. In libri XI. epistola IV. ad Adeodatum Ne-
apolitanum Abbatem, ubi Craterense monasterium
Neapolitano conjungitur. Quantùm bene disposita Fra-
trum congregationi animus noster ex interni desiderii in-
tentione congaudet, tantùm ex destitutis, & pæne in de-
solatione positis Fratribus monasterii S. Marcellini, ut
pastoralis solicitudinis eis citiùs cura subveniat, vehemen-
ti mœrore concutitur. Monachi siquidem monasterii,
quod Cratera dicitur, Neapolitanæ urbi è vicino fun-
dati, porrectâ nos petitione informasse noscuntur, locum
ipsum ita pæne funditus servorum Dei obsequiis desti-
tutum, ut vix illic remanserint, qui loci ipsius solum-
modò valeant esse custodes. Ob quam rem lacrymabiliter
supplicantes à nobis proposuisse noscuntur, ut monasterio
vestro ipsum unire monasterium deberemus, quatenus per
solicitudinem tuam, & deinceps succedentibus aliis
locus ipse auctore Deo regulari valeat ordinatione dispo-
ni. Sed dum huic rei frater & coepiscopus noster Ba-
silius Capuanæ Ecclesiæ præsens fuisset, inventus exitit
valde contrarius, asserens locum ipsum olim monasterio
alii Diœcesis suæ fuisse conjunctum, & idcirco minimè
in alterius Ecclesiæ jus debere contradi. Contra quam
objectionem Neapolitanæ rursus Clerus Ecclesiæ multò
esse aliter, quàm dicebatur, oppositis allegationibus re- 13
plicabat, quibus diversa sentientibus ne constituere quid-
quam dubiè viderentur, deputatis cognitoribus institui-
mus inter eos esse judicium. Quibus renunciantibus ma-
nifestâ ratione comperimus, fratrem & coepiscopum no-
strum Basilium nullum in prædicto Craterensi monasterio
jus habere. Quo cognito monachis pia poscentibus ne-
cessariò duximus præbere consensum. Præsentis itaque
præcepti nostri auctoritate idem Craterense monasterium
cellæ vestræ constituimus uniendum. Hoc præcipuè com-
monentes, ut locus ipse ita cum divino solatio per vos
deinceps debeat ordinari; Quatenus dum ab hoste li-
cuerit, deputati à vobis illic monachi debeant jugiter
in Dei laudibus permanere: Perturbationis verò tem-
pore intra urbem in cellam quippe propriam revocari. Res
verò omnes eidem monasterio competentes, diligenti volu-
mus curâ perquiri, atque recolligi, easque ut tibi vi-
sum fuerit, aptè disponi. Nihilque quod eidem mona-
sterio competit à quoquam detineri permittas, sed omnia
in jus cellæ quippe jam tuæ reformare non negligas, ut
cunctis salubri ordinatione dispositis, quæ Deo placita &
nostrâ sunt auctoritate suffulta, perpetuis maneant incon-
vulsa temporibus. Sic tota comparata est Epistola,
&

& sic adornata periodus ultima, ut utraque pars clausulæ facilè addi potuerit, si ut adderetur, usus Romanæ tulisset Ecclesiæ, vel Gregorius inducendum illum esse judicasset.

Hæc igitur observatio, quæ ex variis Gregorii Epistolis colligitur, Gregorio Augustodunensia privi-
14 legia, nimirum Epistolam ad Senatorem, Epistolam
ad Thessaliam, Epistolam ad Lupponem, non potest non abjudicare.

Deinde Gregorius simoniacam, ut vocat, hæresim in Epistolis passim exagitat, nec tamen hæresi pollutos à sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini nostri alienos esse, nec in æterno examine districtæ ultioni subjacere denuntiat, ut ii denuntiantur, qui Augustodunensi Xenodochio, seu Monasterio nonnihil ablatum, asses puta duodecim restituere noluerint. Hic agendi modus in unum & eundem Gregorium quadrare non potest. Igitur Augustodunensia privilegia tria, quæ totidem continentur Epistolis, supposita vel interpolata dici debent, cùm Epistolæ omnes illæ, in quibus simoniacam hæresim persequitur, atque è variis Ecclesiis tollendam esse statuit, suppositæ vel interpolatæ esse dici non possint. Hæ autem Epistolæ sunt magno in numero, quarum nonnullas Joannes Diaconus laudat in vita Gregorii, & sic in suppositionis vel interpolationis suspicionem minimè veniunt. Id in pluribus Epistolis observandum est.

Et primò quidem in libri IV. epistola XXIII. ad Castorium Notarium, de eligendo Episcopo: *Nulla ergo sit in hac electione venalitas, ne dum præmia appetunt, virtutem discretionis amittant, & illum dignum ad hoc esse arbitrentur officium, qui non meritis sed datione placuerit. Specialiter enim & absolutè cognoscant quia non solùm indignus est sacerdotio, sed & aliis profectò erit culpis obnoxius, quisquis Dei donum pretiò præsumpserit venalitate mercari. Non itaque largus præmiis, sed dignus*
15 *meritis eligatur. Nam & electum & eligentes par pœna
respiciet, Si sacerdotii sinceritatem more sacrilegâ violare tentaverint.* Ut autem id mali genus avertat, hac clausula, *Qui simoniacus fuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*, non utitur, usurus sine dubio, si utendi mos fuisset in Romana Ecclesia.

Deinde in ejusdem libri Epistola L. ad Virgilium Arelatensem Episcopum: *Quibusdam namque narrantibus agnovi, quòd in Galliarum vel Germaniæ partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio, quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio quid redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere est de Spiritu Sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur. Quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedra ceciderunt: Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui pretio ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior & aliis venundare quod emit. Et ubi est quod scriptum est:* Gratis accepistis, gratis date? *Et cùm primò simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur? Cur non videtur, quia eum, quem*
16 *quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fi-
at?* Clausulam hanc, *qui simoniacam ordinationem minimè vitaverit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*, non addit, additurus proculdubio cùm jure addi potuerit, si addendi mos fuisset in Romana Ecclesia, vel eam Gregorius addendum esse censuisset.

Tum in ejusdem libri epist. LV. ad Joan. Corinth. Episcopum: *Præterea pervenit ad nos, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit: Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere est de Sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur, quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumserunt, eorum Deo judice cathedra ceciderunt: Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit: Et ubi est, quod scriptum est,* gratis accepistis, gratis date, *& cùm primò contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur? Cur non videtur, quia eum, quem quis
cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fi- 17
at? Quia ergo hanc nefandissimam pravitatem sancta universalis omnino damnat Ecclesia, hortamur fraternitatem vestram, ut tam detestabile, & tam immane peccatum de locis omnibus quæ sub se sunt, solicitudinis suæ modis omnibus compescat instantia. Nam si tale aliquid deinceps fieri senserimus, jam non verbis, sed canonicâ hoc ultione corrigemus, & de vobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere judicium.* Et clausulam hanc: *Interim reus à sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*, non adjunxit; adjuncturus omnino, quia jure adjungi potuit, si adjungendi mos fuisset in Romana Ecclesia, vel eam Gregorius adjungendam esse sensisset.

Quartò in ejusdem Epistolæ fine: *Novit autem fraternitas vestra, quia priùs pallium nisi dato commodo non dabatur, quod quoniam incongruum erat, facto Concilio ante corpus Beati Petri Apostolorum Principis, tam de hoc quàm de ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo, ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Nam & peccatum, sicut diximus, grave est, & sine correptione hoc non patimur remanere.* Supererat ut adderetur clausula hæc, alioqui *qui per commodum ad sacros ordines adducetur, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*; sed addita non est, 18
etiamsi jure addi potuerit, quia ut adderetur mos non erat in Romana Ecclesia, vel eam addendam esse Pontifex censeret.

Quintò in ejusdem libri Epistola LVI. ad universos Episcopos per Helladiam constitutos. *Quibus narrantibus agnovi, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemensque denuncio, quia cùm sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit: Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus in templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas quippe vendere, est de Sancto Spiritu, quem sibi consubstantialem per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, innuitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumserunt, eorum Deo judice cathedra ceciderunt: Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque, qui ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis vendere quod emit, & ubi est quod scriptum est:* Gratis accepistis, gratis date; *& cùm primò*

contra

contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur? Cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat? Ideoque hortamur, ut nullus vestrûm denuo hoc fieri patiatur, sed neque gratiâ alicujus, neque supplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promovere, nisi eum, 19 *quem vita & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit. Nam si aliter factum denuo senserimus, districtâ & canonicâ illud noveritis ultione compesci.* Hæc tantum Gregorius, qui ad incutiendum metum majorem non adjicit clausulam hanc: *Rem à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*; adjecturus, si adjiciendi mos fuisset in Romana Ecclesia, vel eam Pontifex esse adjiciendam putavisset.

Sextò in lib. VII. indict. II. epist. CXII. ad Siagrium, Ætherium, Virgilium, & Desiderium Galliarum Episcopos. *Nuncio siquidem apud nos olim discurrente vulgatum est, quòd in Galliarum partibus sacri Ordines per simoniacam hæresim conferantur; & vehementi tædio mœroris afficimur, si in Ecclesiasticis officiis quemquam habeat locum pecunia, & fiat sæculare quod sacrum est. Quicumque verò hoc pretii studet datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Quid scilicet? Quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pretium sufficerit, æstimetur?* Et quibusdam interpositis: *Itaque, fratres carissimi, in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, ut ad summa sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quàm grave omnino sit facinus Dei donum velle* 20 *pretio comparare vel vendere, Evangelica est testis auctoritas. Templum enim Dominus & Redemptor noster ingressus cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manuum impositione percipere, & Sanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est: Et tamen exerit adhuc nequitia pravitas vires suas. Nam cogit vendere quos decipit, ut emerint: Et dum non attenditur, quod divinâ voce præcipitur,* gratis accepistis, gratis date, *agitur, ut crescat & geminata fiat in uno eodémque delicti contagio, ementis scilicet & vendentis; & cum liqueat hanc hæresim in Ecclesia ante omnes radice pestiferâ surrepsisse, atque in ipsa sua origine Apostolicâ esse detestatione damnatam, cur non cavetur? Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?* Et quibusdam interpositis: *Unde etiam illud certum est, quia etsi monasteria aut Xenodochia, vel quid aliud de pecunia, quæ pro sacris ordinibus datur, construantur, mercedi non proficit, quoniam dum perversus emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad suam similitudinem sub commodi datione constituit, plura malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, apertè scriptura sacra ordo nos prohibet, dicens:* Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Et post alia: *Nimis ergo declinandum est, dilectissimi fratres, sub* 21 *obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere.* Hæc & alia, quibus simoniacam in dandis ordinibus sacris pravitatem, seu ut Gregorius loquitur, hæresim detestatur; sed clausulam hanc, qui per pecuniam ordines sacros accipit, *à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*, non adhibet, adhibiturus planè, si adhibendi mos fuisset in Romana Ecclesia, vel eam adhibendam esse judicasset.

Septimò in ejusdem libri & indict. Epistola CXV. ad Brunichildam Reginam Francorum: *Nec illud quidem, quod simili emendatione tradendum est, præterimus, sed omnino execrabile & esse gravissimum detestamur, quòd sacri illic ordines per simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta & districtâ maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur, ut sacerdotii dignitas in despecto, & sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare, committit, & nefariâ ambitione honorabilis sacerdotii ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur, quod venditur, aut quis non vile putet esse quod emitur? Unde valde contristor, & terræ illi condoleo, quia dum Sanctum Spiritum, quem per manûs impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona superna gratiæ venalia* 22 *judicantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecunia veneratur. Quia igitur tantum facinus non solùm illis periculum, verumetiam vestro regno satis est noxium, salutantes excellentiam vestram paterno affectu petimus, ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis, & ne nullâ deinceps valeat occasione committi, Synodum fieri jussio vestra constituat; ubi præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco Abbate, sub districta anathematis interpositione debeat interdici, ut nullus ex laico habitu subitò ad Episcopatûs audeat gradum accedere, neque pro Ecclesiasticis ordinibus cuilibet quidquam dare, vel ausus sit accipere, ut Dominus & Redemptor noster sic quæ vestra sunt faciat, sicut excellentiam vestram in iis quæ sua sunt, pia esse viderit devotione sollicita.* Neque hîc comparet clausula, *à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*; quæ utique compareret, si tunc in usu fuisset Romanæ Ecclesiæ, vel eam Pontifex usurpandam esse duxisset.

Octavò in ejusdem libri & indict. epistola CXVI. ad Theodoricum & Theodebertum Francorum Reges: *Fertur autem simoniacam hæresim, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolicâ supplantatione surrepsit, & in ipso orta suo telo Apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cùm in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita: Si enim vita deest, fides meritum non habet, Beato Jacobo attestante, qui ait: Fides sine operibus mortua est. Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti* 23 *convincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, ut ipsi quoque, qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed divitias, quibus honor sacer emitur, satagant congregare. Hinc fit etiam, ut insontes & pauperes à sacris ordinibus prohibiti, despectique resiliant, & dum innocentia pauperis displicet, dubium non est, quòd præmium illic delicta commendet, quia ubi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non solùm in ordinatoris & ordinati animam letale vulnus infligitur, verumetiam excellentia vestra regnum vestrorum Episcoporum culpâ, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, prægravatur: Si enim is dignus in sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat, ut nihil sibi ad honores Ecclesiasticos gravitas, nil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat, & dum vitia remunerentur honore, in locum ultoris is qui fortasse fuerat ulciscendus, adducitur: Atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potiùs judicant. Vulnerato namque pastore quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostibus feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix infecta est?*

Major

Major ergo metuenda est illis locis calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocant, quàm per semetipsos populis placare debuerant. At postquam tot & tanta mala, quæ ex simoniacis ordinationibus scaturiunt, exposuit, restabat ut clausula, *simoniacâ pravitate pol-*
24 *lutus à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districta ultioni subjaceat*, adhiberetur, si adhibendi mos fuisset in Romana Ecclesia, vel eam Pontifex adhibendam esse duxisset.

Nonò in libri IX. epistola L. ad Ætherium Galliæ Episcopum: *Nihil in dandis Ecclesiasticis ordinibus auri fames inveniat, nil blandimenta surripiant, nil gratia conferat, honoris præmium vitæ sit provectus, sapientiæ incrementum, modestiæ meritum, ut obtinente hujusmodi observantiâ & indignus qui præmiis quærit ascendere, judicetur, & dignè, cui bonum testimonium actio perhibet, honoretur*; atque hic quoque locus erat adhibendæ clausulæ, *à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi, atque in æterno examine districta ultioni subjaceat*, si adhibendæ mos fuisset in Romana Ecclesia, vel eam Gregorius adhibendum esse censuisset, quò potentiùs Clericos a suscipiendis per pecuniam ordinibus deterreret.

Decimò in ejusdem libri epistola LI. ad Arigium Galliæ Episcopum: *Qualiter præterea in abscindenda simoniaca hæresi fraternitatis vestræ zelus olim exarserit, bene recolimus: Unde hortamur, ut operam studiosiùs impendentes, districtâ inter alia, quæ scripsimus, Concilii definitione damnentur, quatenus dum voluntatis nostræ intentio sollicitudinis vestræ fuerit ope completa, & omnipotenti Deo oblationem gratissimam de vitiorum correptionibus offeratis, & ad aliorum ædificationem, qua-*
25 *liter in vobis pastoralis officii cura fulgeat, ostendatis.* Non subnectit clausulam, *à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districta ultioni subjaceat*; subnexuisset, si subnectendi mos apud Sedem Apostolicam obtinuisset.

Undecimò in ejusdem libri epistola LIII. ad Theodoricum Regem Francorum: *Et quoniam adhortationem nostram adeo regiis animis vestris per laudis prædicamenta placuisse signastis, ut quidquid ad Dei nostri cultum, quidquid ad Ecclesiarum reverentiam, quidquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, & studiosè statui, & velitis in omnibus custodiri: Iteratâ vos pro vestra magna mercede adhortatione pulsamus, ut congregari Synodum jubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus vitia & simoniaca hæreseos pravitatem omnium Episcoporum definitione damnari, atque de regni vestri amputari finibus faciatis, nec plus illic pecuniam obtinere, quàm præcepta Dominica permittatis. Nam cùm omnis avaritia idolorum sit servitus, quisquis & hanc maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem, quam negligit, videatur.* Gregorius iteratas de extirpanda pravitate simoniaca cohortationes munivisset clausulâ, *à sacratissimo corpore, &c.* si hæc in usu fuisset ipsiusmet Pontificis aut Romanæ Ecclesiæ.

Duodecimò in ejusdem libri epistola LIV. ad Theodebertum Regem Francorum: *Itaque excellentia ve-*
26 *stra Dei mandatis inhærens studium ad congregandam Synodum pro sua mercede adhibere dignetur, ut omne à sacerdotibus corporale vitium & simoniaca hæresis, quæ prima in Ecclesiis iniquâ ambitione surrexit, potestatis vestræ imminente censurâ, Concilii definitione tollatur, & abscissa radicitus amputetur, ne si plus illic aurum, quàm Deus diligitur, qui modò tranquillus in suis præceptis despicitur, iratus in vindicta postmodum sentiatur; & hæc quidem, quia pro vobis loquimur, idcirco imminere sæpiùs non cessamus, ut prodesse excellentissimis ac dulcissimis filiis nostris vel importunitate possimus. Nam regno vestro per omnia proficit, si quod contra Deum in illis partibus geritur, emendatione vestræ excellentiæ corrigatur.* His rationum momentis subjungi potuit clausula, *à sacratissimo corpore, &c.* ut homines à committenda avocarentur citiùs simonia: Sed subjuncta non est, quia ut subjungeretur Romanæ Ecclesiæ consuetudo non obtinuerat.

Decimotertio in ejusdem libri epistola LV. ad Clotharium Regem Francorum: *Præterea pervenit ad nos, quòd sacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur; & vehementer affligimur, si ad Dei dona non meritis acceditur, si præmiis prosilitur. Et quia hæc simoniaca hæresis prima in Ecclesia surgens Apostolorum est auctoritate damnata, petimus, ut pro mercede vestra congregari Synodum faciatis, quatenus omnium sacerdotum definitione compressa & radicitus amputata, nullas illic vires de cætero in periculum animarum inveniat, nec ulteriùs sub qualibet excusatione permittatur exurgere, ut tantò vos omnipotens Deus noster contra adversarios*
vestros exaltet, quantò vos in suis mandatis zelum 27
habere, & pro animarum salute, quæ hujus fuerant sceleris gladio peritura, viderit cogitare. Hîc Gregorius non se recipit ad clausulam, *à sacratissimo corpore, &c.* quia ut se reciperet non ferebat Romanæ Ecclesiæ consuetudo.

Decimoquartò in libri X. epistola XXXI. ad Columbum Numidiæ Episcopum: *Præ omnibus igitur hortamur, ut zelum, quem propter Deum habere te novimus, ardentiùs studeas exercere; & quia memoratus frater noster Paulinus Ecclesiasticos ordines per simoniacam dare hæresim, quod auditu nefas est, dicitur unà cum antedicto primate, vel aliis, subtiliùs hoc & cum omni tibi diligentia sit cura perquirere: Et si ita, quod absit, inventum fuerit, studendum atque agendum, ut & eum qui præmium accipere, & eum qui dare non metuit, canonica ultionis sententia feriat, quatenus horum emendatio multorum possit esse correptio, & priusquam hæc radix mortifera convalescat, & plures interimat, totius Concilii definitione damnetur, ut nullus dare aliquid audeat, nec quisquam ex gratia, sed promoveatur ex merito, ne & Ecclesiasticus ordo confundatur, & sit probitas vitæ despectui, si præmium meriti indignus acceperit*: Atque hîc commodus erat locus clausulæ, *à sacratissimo corpore, &c.* si tunc in usu fuisset Romanæ Ecclesiæ, aut eum Gregorius sibi sumpsisset.

Decimoquintò in libri XI. epistola XLVIII. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum: *Quadam die inter me, & familiares meos de consuetudinibus Ecclesiarum cùm sermo fuisset exortus, quidam, qui in magna civitate Alexandrina medicinali arte erat imbutus, col-* 28
lectorem se apud sophistam suum habuisse perhibuit, summæ pravitatis puerum, quem repente dixit esse Diaconum ordinatum, atque addidit, quòd per pecunia & donationes ordinatus fuisset; quia eandem consuetudinem in sancta Alexandrina Ecclesia convaluisse fatebatur, quod ego audiens obstupui, & valde miratus sum, quia sanctissimi, ac beatissimi viri domni Eulogii lingua, quæ tam multos hæreticos ad fidem catholicam revocat, simoniacam hæresim de sancta Alexandrina Ecclesia non erasit. Et quis erit, cujus exhortatio vel correctio hoc poterit emendare, si magna & admirabilis doctrina ejus hoc sine emendatione reliquerit? Unde pro absolutione animæ vestræ, proque augmento mercedis vestræ, ut ante tremendi oculos judicis vestra in omnibus perfecta sint opera, festinare debetis, simoniacam hæresim, quæ prima in Ecclesiis exorta est, à sanctissima sede vestra, quæ nostra est, funditus evellere atque eradicare. Propter hoc etenim contigit, ut Ecclesiasticorum ordinum à plurimis sanctitas caderet, quia personæ non pro vita & actibus, sed pro præmiis ad eos ordines adducuntur. Si autem morum merita, & non præmia quæruntur, ad ordinationem persona indigna non veniens, & tantò plus incipiet vobis merces accrescere, quantò boni quique, qui

adducti

adducti ad sacros ordines fuerint, de animarum lucris studuerint cogitare. Subnectenda erat clausula, *à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat*; Ut simoniaca hæresis incusso metu tali longe latéque propulsaretur. Clausulam hanc
29 non subnexuit Gregorius, nec subnectendam esse duxit. Præterea non erat in usu Romanæ Ecclesiæ, quo tempore hic Pontifex illius clavum tenuit. Hæc secunda observatio perimit ac delet Augustodunensia privilegia, in quibus relata clausula semel, iterum & tertio repetitur, ut sub initium Epistolæ notavimus.

Ad hæc simoniacam hæresim vel corrigentibus, vel fugientibus non proponit quod Augustodunensia privilegia servantibus proponit: *Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.* Hæc, inquam, non proponit Pontifex, nisi majori certè non minori jure propositurus, si proponendi consuetudo Romanæ fuisset Ecclesiæ, vel si proponendi consuetudinem inducendam esse censuisset: Dixi nisi majori certè non minori jure propositurus, quòd agebatur de custodiendis canonibus, qui ab universali sanciti sunt Ecclesia, *& ex scripturis sacris promulgati.* Quis ergo non videt clausulam, quæ ex Augustodunensibus privilegiis relata est, Gregorii non esse, & quia Gregorii non est, Augustodunensia privilegia Gregorii non esse, sive quia penitus adulterina sunt, sive quia interpolata: Hæc observatio confirmat id, quod observatione I. & II. assertum & confirmatum est.

Tum innumerabiles sunt Epistolæ, in quibus postquam bona, pia, religiosa & cœlo digna opera exequenda proposuit, non subdit: *Cunctis hæc servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christo, quatenus & hic fru-*
30 *ctum bonæ actionis accipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.* Non subdit, inquam, etiamsi subdendi dispar non fuerit ratio. Cur verò Gregorius non subdiderit, disquirenti tantum quantùm volueris tibi nihil occurret aliud, quàm quod jam prius notatum est. Id nempe nec in Gregorii, nec in decessorum illius usu atque instituto positum unquam fuisse. Qua ex causa certum redditur suppositionis vel interpolationis indicium. Quin autem stylus & scribendi character præcipuum teneat locum inter ea, quibus germana scripta excernuntur à suppositiitiis, apud artis magistros non ambigitur. Sic confirmata relinquitur Augustodunensium privilegiorum suppositio vel interpolatio, quam aliis rationum momentis in priori ad Michaelem Girardum Epistola demonstrandam suscepimus.

Postremò, cùm clausula post Gregorium primum Romæ obtinere cœpit, in ea Regum nulla facta est mentio. Nicolaus primus occurrit, qui monasterii Corbeiensis privilegium clausulá hac sic communiat & concludat. Verba sunt in Epistola XXIV. ad Trasulfum Abbatem: *Siquis verò sacerdotum vel clericorum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, ordinis sui dignitate careat: Laicus verò cujuscumque sit potestatis vel dignitatis, si hujus privilegii decreta in aliquo violaverit, reum se judicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi vel ea, quæ ab eo sunt malè ablata, restituerit, vel legitimâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate atque nostrâ sen-*
31 *tentiâ anathematis vinculo innodatus, à sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus existat, atque examini districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem venerabili monasterio justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ quietis inveniant.*

Nicolaum sequitur Joannes VIII. in Epistola CXI. ad omnes Christi fideles: *Si quis verò sacerdotum, judicum atque secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam cognoscens, contra eam venire tentaverit, potestate honoris sui ac dignitate (percussus Apostolico anathemate) careat, reúmque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: Et nisi vel ea quæ ab illo sunt malè ablata, restituerit, vel præsumpta correxerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo corpore Dei Domini ac Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat. Cunctis autem eidem præfatæ Ecclesiæ jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ operationis recipiant, & apud summum arbitrum præmia æternæ pacis inveniant.*

Utraque autem clausula quæ iisdem pœne verbis constat, adversus Augustodunensia privilegia rationes duas suppeditat: Prior est quòd longo post Gregorium tempore usurpari cœpit. Gregorius ad annum DCIV. & Nicolaus ad annum DCCCLXIX. e vita discessit. Posterior, quòd Reges clausulæ huic Nicolai aut Joannis ætate nondum illigarentur. Sic enim habent Augustodunensia privilegia: *Siquis verò Regum, sacerdotum, judicum, &c.* Sic verò Corbeiense: *Si quis verò sacerdotum vel clericorum, &c.* Sic Pictaviense quod 32
Joannes VIII. concessit: *Si quis verò sacerdotum judicum, &c.* Hæc observatio etiamsi sola esset, percellendis Augustodunensibus privilegiis sufficeret. Hoc observo tantùm ut id quod res est, & à nobis sumitur, agnoscatur, non ut Corbeiensis aut Pictaviensis privilegii clausulam approbemus. Nam alterutrum è duobus dicendum est, vel utrumque privilegium per obreptionem aut subreptionem obtentum esse, vel Pontifices duos Nicolaum I. & Joannem VIII. in Jovinianistarum & Stoicorum errorem incurrisse, dum sacerdotes judicésve siquid ab eis malè ablatum, asses putà duos non restituerint, sacerdotali, aut judiciali dignitate privantur, & a corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi secluduntur: Quo pœnæ genere nulla dari potest major in Ecclesia, & sacerdotes ac judices, si Dei & Ecclesiæ præcepta violassent omnia, puniri non possent acerbiùs, & hic error nisi per alium errorem vitari nequit, nempe leviorem culpam gravissimâ omnium pœnâ meritò castigandam esse.

Superest modò ut ex iis quæ suprà disseruimus, colligatur Augustodunensia privilegia post Nicolai & Joannis tempus Gregorio Papæ I. subjecta esse, quorum unum à Gregorio VII. in libri VIII. epistola XXI. sic laudatur: *Beatus quoque Gregorius Papa Reges à sua dignitate cadere statuit, qui Apostolicæ Sedis decreta violare præsumpserint, scribens ad quemdam Senatorem Abbatem his verbis: Si quis verò Regum, sacerdotum; judicum, atque secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens contra eam venire* 33
tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reúmque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi ea quæ ab illo sunt malè ablata restituerit, vel dignâ pœnitentiâ illicitè acta defleverit, à sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Quod si beatus Gregorius doctor ubique mitissimus Reges qui statuta sua super unum Xenodochium violarent, non modò deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decrevit; quis nos non solùm Apostolicorum judiciorum contemptorem, verùm etiam ipsius matris Ecclesiæ quantum in ipso est conculcatorem, totiusque regni & Ecclesiarum improbissimum prædonem, & atrocissimum destructorem deposuisse & excommunicasse reprehendat?

Et primùm quidem magna Sancto Gregorio fit injuria, cùm ille, qui jure optimo vocandus est doctor mitissimus, hoc in loco doctor mitissimus vocari non possit. Siquidem Reges, qui nonnihil Xenodochio malè ablatum, asses putà duos, non restituerint, deponit, & Ecclesiasticâ communione privat: Pœna duplex est eaque omnium gravissima, quæ levi, ut apparet, culpæ

irro-

irrogatur; alioquin indissimulabili veritate fatendum est, S. Gregorium credidisse pares esse culpas omnes, cùm Regibus; qui decalogum violassent totum, pœna gravior non imponeretur. Quo pacto hic Pontifex in Joviniani & Stoicorum hæresim incurrisset. Sed ne incurrisse dicatur, abjudicanda sunt illi Augustodunensia privilegia, seu Epistolæ tres quæ illa repræsentant.

34 Deinde videndum est discrimen, quod inter Gregorium I. & Gregorium VII. in ista Regum, sacerdotum & judicum animadversione intercedit. Gregorius I. cùm Reges, sacerdotes & judices deponit, & à corporis & sanguinis Dominici communione separat, eos graviter supra modum castigat, si, ut mox notavimus, spectentur crimina, quæ ab illis contra Augustodunensia privilegia nonnunquam admitterentur: Gregorius VII. cùm Henricum IV. privat imperio, & à corporis & sanguinis Dominici communione sejungit, eum leniter & infra modum castigat, si spectentur flagitia omnia, quæ ab illo patrata fuisse narrat: Atque ita dum Gregorius VII. Gregorium I. laudat, Injustitiæ accusat, & cùm doctorem mitissimum appellat, doctorem fuisse immitem ostendit. At secundùm ista quis adhuc Augustodunensia retineret privilegia?

Tum demum Gregorius VII. Invalidum eo pacto reddit Gregorii I. testimonium, quo utitur, ut latam à se in Henricum sententiam confirmet: Sed velit nolit, invalidum reddere non potest illud Gregorii I. testimonium, quin privilegia funditus evertat: Stare quippe illa non possunt cum tanta talique injuria, quæ Gregorio magno inferretur. Jam sentis, opinor, quot & quantis rationum molibus evincitur, Augustodunensia privilegia Gregorio subjecta, vel certè interpolata esse; & aliunde tribui non posse tanto Pontifici, sine fidei & famæ suæ jactura. Quod propter Apostolicæ Sedis honorem ferre non possumus. Vale Lauduni pridie Calend. Aprilis, anno M. DC. LXX.

Joannes Launoius

EIDEM

JOANNI ROLANDO,

Parisiensi Theologo, & *Remensi* Canonico.

35 ILLUSTRISSIMUS Ecclesiasticorum Annalium conditor ad annum DCCXXX. scribit, *Quòd Græci historici omnes, & idem Theophanes ait anno XIV. Leonis Imperatoris, ipsum Leonem à Gregorio II. privatum esse exactione tributorum Italiæ. Testatur id Cedrenus & alii. Zonaras hæc Romæ (quod par est credere) facta esse Synodicè tradit.* Sed Zonaræ verba referenda sunt, quæ non refert Baronius: Sic igitur scribit in tomo III. Annalium: *Qua de causa Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, repudiatâ societate præsidis novæ Romæ, necnon eorum, qui illum sequerentur, illos unà cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia, quæ ad id usque tempus inde pendebantur, inhibuit illo cum Francis fœdere:* Et post aliquammulta: *Sub priore Justiniano Franci Germanicâ stirpe oriundi, Italiam invaserunt, ut suprà est expositum, fueruntque Romanorum hostes, sed sub Leone Isauro temporis illius Papa Gregorius ob perversam opinionem defecit ab illo Imperatore impio, eique tributum pendere recusavit, neque sibi quicquam esse rei voluit cum impiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ gubernatoribus, omissisque bellis pacem cum Francis fecit.* Nunc quæris, an ista quæ Theophanes &
36 Zonaras narrant, vera sint, an falsa. Respondeo falsa esse mihi videri.

Et primò quidem Zonaras dum in priori loco meminit Synodici anathematis, significat Romanum Concilium tunc sub Gregorio II. celebratum esse, in quo quæ recenset, gesta fuerint: At nullum celebratum est Concilium, in quo gesta hujusmodi reperiantur. Zonaras fieri voluit Concilium, quod in re tanti momenti faciendum esse duxit, ut narratio, quæ æqualium vel supparium auctorum destituitur testimonio, fucetur ac coloretur.

Deinde in posteriori loco Zonaras injuriosè tractat Gregorium II. quem facit inobsequentem Christo dicenti apud Lucam cap. XX. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari;* & repugnantem Paulo dicenti in epistolæ ad Rom. cap. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo.* Et paullo pòst: *Ideo enim & tributa præstatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal;* & repugnantem quoque Petro dicenti in epistolæ I. capite II. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; quasi liberi, non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore dominis non tantùm* 37
bonis & modestis, sed etiam dyscolis: Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Quis secundùm ista sibi persuaderet, voluisse Gregorium II. qui sanctus atque in scripturis sacris eruditus erat Pontifex, Christo, Paulo & Petro ita refragari, ut non solùm vectigal, quod Imperatori jure Reip. debebat, reddere noluerit, sed etiam impedierit, ne alii redderent? Consideratâ re nemo id sibi persuadebit unquam. Existimabunt omnes fabulosam esse Zonaræ narrationem.

Tum Gregorius II. in traditione Patrum perquam versatus erat, & probè noverat, Athanasium in Apologia ad Constantium Imperatorem hæreticum scripsisse: *Certè me profectioni adornabam; nam & hujus quoque rei conscius est Montanus, ut literis tuis acceptis, si dignatus fuisses scribere, statim decederem, & promptitudine exequendi mandatum tuum anteverterem. Non enim ita insanio, ut istiusmodi præceptis contradicendum putarim. Cùm enim nihil scriptum esset à tua majestate, mihique nihil injunctum esset, ubi, quæso, mandatis restiti, aut quâ fronte dicere possim, me non obsecutum imperiis fuisse?*

Noverat Hosium Cordubensem Episcopum ad eundem Imperat. ita scripsisse: *Desine, quaeso, & memineris, te mortalem esse, reformida diem judicii, serva te in illam diem purum, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit, & quemadmodum qui tuum imperium malignis*
38 *oculis carpit, contradicit ordinationi divinae, ita & tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date (scriptum est) quae sunt Caesaris Caesari, & quae Dei Deo. Neque enim fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.*

Noverat Liberium decessorem in Dialogo, quem idem Liberius & Constantius instituerunt inter se de Athanasio, cum illo Imperat. collocutum sic esse: *Judicia Ecclesiastica ab Imperatore summa cum aequitate fieri debent. Quare si pietati tuae placet judicium constitui, jube, & si condemnationem commeruisse videbitur Athanasius, tum in illum juxta Ecclesiastici ordinis formam sententia proferetur.* Infrà: *Digresso Liberio,* (ut iret in exilium) *Imperator quingentos aureos ei misit ad expensas. Liberius autem illi, qui attulerat, respondit: Abi & da Imperatori, ipsi enim opus habet ad stipendia militum. Similiter Imperatrix alios pares in numero* (aureos) *misit, & Liberius, Redde, inquit, Imperatori, nam his etiam ad militarem expeditionem opus habet.*

Noverat Ambrosium Mediolanensem Episcop. in epistola XXXIII. ad sororem testari dixisse se Valentiniano: *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quae divina sunt, aliquod imperiale jus habere; publicorum tibi moenium jus commissum est, non sacrorum.*

Noverat Gregorium I. decessorem in libri II. indict. XI. epistola LXII. ad Mauritium Imperat. scripsisse: *Omnipotenti Deo reus, qui serenissimis dominis in*
39 *omni quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestrae famulus in hac suggestione neque ut Episcopus, neque ut servus jure reipublicae, sed jure privato loquor, quia, serenissime domine, ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo stratore veniente dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc aegritudine corporis respondere nil valui, in qua dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudavi evidentissimè sciens, quia qui saecularem habitum deserens ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult saeculum, non relinquere. Quod vero in eadem lege dicitur, ut ei in monasterio converti non liceat, omnino miratus sum, dum &*
rationes ejus possint per monasterium fieri, & agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, ejus quoque debita solvantur. Nam etsi quisquam devota mente converti voluisset, prius res male ablatas redderet, & de sua anima tantò veriùs, quantò expeditior cogitaret. In qua lege subjunctum est, ut nulli qui in manu signatus est, converti liceat, quam constitutionem ego fateor dominis meis vehementer expavi, quia per eam caelorum via multis clauditur, & quod nunc usque licuit, ne liceat, prohibetur: Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere, & plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. Ego verò haec dominis meis loquens, quid sum, nisi pulvis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere constitutionem
40 *sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati caelitus data est super omnes homines, ut qui bona appetunt, adjuventur, ut caelorum via largiùs pateat, ut terrestre regnum caelesti regno famuletur: Et ecce apertâ voce dicitur, ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Jesu Christo militare non liceat.* Et post admonitiones nonnullas subjicit: *Ego quidem jussioni subjectus eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia lex omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per meae suggestionis paginam serenissimis dominis nunciavi. Utrobique ergo quae debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam praebui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui.*

Deinde in libri XI. epistola XXXVIII. ad Phocam, qui ut Imperator fieret, Mauritium cum uxore & filiis immaniter trucidaverat: *Gloria in excelsis Deo, qui juxta quod scriptum est, mutat tempora & transfert regna, & qui hoc cunctis innotuit, quod per Prophetam suum loqui dignatus est dicens: Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit, ipse dat aliud. In omnipotentis quippe Dei incomprehensibili dispensatione alternatim vitae mortalis sunt moderamina, & aliquando cùm injustorum multorum peccata ferienda sunt, unus erigitur per cujus duritiam tribulationis jugo subjectorum colla deprimantur, quod in nostra diutiùs afflictione probavimus. Aliquando verò misericors Deus moerentium multorum corda suâ decrevit consolatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, per cujus mise-* 41
ricordiae viscera in cunctorum mentibus exultationis sua gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari nos citiùs credimus, qui benignitatem pietatis vestrae ad imperiale fastigium pervenisse gaudemus.

Noverat Martinum I. in Epistola II. ad Theodorum, ubi Pontifex exilium suum describit: *Quòd autem praeparati non fuerimus ad repugnandum, meliùs judicavi decies mori, quàm cujuscujuscumque sanguinem in terram fundi: Quod quidem & sine periculo hoc gestum est, non paucis quae non placuerunt Deo, malis effectis. Eadem itaque horâ dedi meipsum ad exhibendum Imperatori & non resistendum. Porrò acclamantibus mihi ut veritatem dicam, quibusdam ex clero ne facerem hoc, nulli eorum accommodavi aurem, ne subitò fierent homicidia.*

Noverat Agathonem Martini successorem in Epistola Synodica, quae in Synodi VI. actione IV. lecta est ac comprobata: *His itaque, mansuetissimi rerum domini, divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus allevatus, orsus sum meliori refectus consideratione paulatim iis, quae per mansuetissimam fortitudinis vestrae sacram dudum praecepta sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere, ut personas quales secundùm temporis hujus defectum ac servilis provinciae qualitatem poteram invenire, pro obedientia satisfactione inquirerem: Et cùm consilio confamulorum meorum Episcoporum tam de propinqua hujus Apostolicae Sedis Synodo, quàm de familiari clero amatores Christiani Imperii, & sequentur de religiosis servis Dei, ut ad piissima* 42
tranquillitatis vestrae vestigia properarent, hortarer, & nisi longus provinciarum ambitus, in quibus humilitatis nostrae Concilium constitutum est, tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc quod vix tandem, nunc fieri potuit studiosa obedientia nostrae famulatus impleret. Et paullo post: SERVILEM *vestrae serenissimi principatus Romanam urbem,* dicit & addit se legatos mittere PRO OBEDIENTIA QUAM DEBEMUS. Sic Gregorius, cùm in Patrum doctrina & in Apostolicae Sedis traditione exercitatus esset, non ita se gessit erga Leonem, Imperatorem ac dominum suum, ut eum se gessisse Zonaras memoriae prodidit; alioqui dicendum esset, quod mea quidem sententia dici non debet, Gregorium à Patrum doctrina, & Apostolicae Sedis traditione defecisse. Relati Patres & Romani Pontifices, Athanasius, Hosius, Liberius, Ambrosius, Gregorius magnus, Martinus I. Agatho, constanter docent Imperatoribus parendum esse in iis, quae ad Imperium & Rempublicam pertinent, neque tantùm id docent, sed & exemplo suo confirmant; tantùm abest, ut se Imperatorum obedientiae subducant, & impediant ne illis tributa pendantur. Quinetiam Liberius & Martinus Beati Petri documentis convenienter

patien-

patiuntur exilia, tametsi forent injustissima. Non repugnat Liberius, non resistit Martinus, immo cavet diligenter, ne ab aliis resistatur, & homicidia perpetrentur. Gregorius magnus ita subditum se Imperatori cognoscit, ut ei morem gerat in promulganda lege, quam iniquam & Deo ipsi contumeliosam putat
43 esse. Agatho Imperatoribus obedientiam, & subjectionem tantum, quanta esse vix potest, exhibet in re, quæ non modo ad Imperium, sed etiam ad Ecclesiam spectat: Quis autem crederet Gregorium II. horum omnium memorem præstitisse, quod Zonaras scripsit?

Quartò Gregorius II. ipse non obscurè significat, se Patrum Doctrinæ & Sedis Apostolicæ traditioni adhæsisse, cùm semel atque iterum ad Leonem Isaurum Imperatorem Epistolas II. dedit. Semel in priori, cùm ait: *Literas vestra à Deo custodita majestatis ac fraternitatis per Augustalem Spatharocandidatum missas accepimus, imperante te indictione quartadecima, ipsius etiam 14. & 15. & 1. & 2. & 3. & 4 & 5. & 6. & 7. & 8. & 9. indictionum acceptas Epistolas tuas in sancta Ecclesia, repositas in limine confessionis sancti & gloriosi ac principis Apostolorum Petri diligenter servamus.* Infrà Imperatoris argumenta præcipua refellit: *Scripsisti autem non esse manufacta veneranda, nec ullam effigiem ad similitudinem effectam, sicut dixit Deus, neque in cælo, neque in terra: Et demonstra mihi quis tradiderit veneranda, & adoranda esse manufacta, tum ego Dei mandatum esse fatebor. Quare verò tanquam Imperator & caput Christianorum, sapientes non percontatus es, qui experientia pollent, & ab ipsis edoceri potuisses, propter quæ manufacta Deus hæc dixerit, priusquàm confunderes & commisceres humiles populos atque conturbares. Veruntamen tu sanctos Patres nostros ac doctores rejecisti ac repudiasti & foras amandasti, quibus manu propria scriptisque tuis te pariturum eosque secuturum pro-*
44 *misisti.* Et paullo pòst: *Per Deum te obtestamur ut arrogantiam deponas & superbiam, quâ circumfluis, multaque cum humilitate sincerè aures nobis accommodes.* Et paullo pòst: *Et dicis nos lapides, parietes ac tabellas adorare. Non ita est, ut dicis Imperator, sed ut memoria nostra excitetur, & ut stolida & imperita crassaque mens nostra erigatur, & in altum provehatur per eos, quorum hæc nomina, & quorum appellationes, & quorum hæ sunt imagines; & non tanquam Deos, ut tu inquis, absit, non enim spem in illis habemus. Ac siquidem imago sit Domini, dicimus: Domine Jesu Christe Fili Dei, succurre & salva nos: Sin autem sanctæ matris ejus, dicimus: Sancta Dei genitrix, Domini mater, intercede apud filium tuum verum Deum nostrum, ut salvas faciat animas nostras: Sin verò martyris: Sancte Stephane, qui pro Christo sanguinem tuum fudisti, qui ut Protomartyr loquendi confidentiam habes, intercede pro nobis: Et de quovis martyre, qui passus est martyrium, ita dicimus: Tales per illos preces offerimus. Nec ita est, ut dicis Imperator, quasi Deos martyres appellemus: Averte cogitationes tuas malas, te obtestor.* Et paullo pòst: *Scis, Imperator, sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum quæ tutò debent dogmatizari. Idcirco Ecclesiis præpositi sunt Pontifices à Republica negotiis abstinentes: & Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis abstineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant.* Et paullo pòst: *Cessa & quiesce, tum Synodo* (quam Imperator petebat) *minimè opus erit; Scribe ad omnes & in quascumque regiones orbis terrarum, quibus offendiculo fuisti, Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, & Grego-*
45 *rium Papam Romanum circa imagines peccasse: & nos ab hac cura quietum te præstabimus, ne peccatum aut lapsus ullus sit tuus, utpote qui à Deo potestatem & cælestia & terrena solvendi acceperimus. Testis est Deus, quascumque misisti ad nos Epistolas, auribus cordibusque Regum Occidentis obtulimus, pacem illorum tibi ac benevolentiam conciliantes, teque laudantes ac mirificè efferentes, prout te antea conversantem intuebamur. Idcirco laureata tua etiam receperunt, ut Reges à Regibus honore affici convenit: Idque cùm nondum inceptum hoc, conatumque tuum, quo adversus imagines insurrexisti, audivissent. Cùm verò didicerunt certioresque sunt facti, te Jovinum Spatharocandidatum ad Calcoprateia misisse ad evertendum & confringendum Salvatorem, qui appellatur Antiphoneta, ubi & miracula multa fiunt, inventa sunt illic mulieres zelo succensæ, & illarum æmulæ, quæ unguenta ferebant, quæ Spatharocandidatum orarunt, Ne, obsecramus, ne hoc facias, aiebant. Ille verò earum preces non admittens erectâ scalâ conscendit, cùmque ter securi faciem imaginis Salvatoris percussisset, hoc videntes mulieres, & iniquum illud facinus non ferentes, attractâ scalâ fustibus concisum illic necarunt. Tum tu mali æmulator missis satellitibus mulieres nescio quot illic occidisti, astantibus nobilibus viris Romanis & ex Francia, ex Vandalis, ex Mauritania, ex Gothia, &, ut generatim dicam, ex toto interiori Occidente. Cùm autem advenissent, & in suis regionibus, singuli juvenilia tua puerilia que facta narrassent, tunc projecta laureata tua conculcarunt, & faciem tuam conciderunt, ac delecto habitu Longobardi & Sarmatæ, cæterique qui* 46
ad Septentrionem habitant, miseram Decapolim incursionibus infestarunt, ipsamque Metropolim Ravennam occuparunt, & ejectis magistratibus tuis proprios constituere magistratus, & vicinas nobis sedes regias, ipsamque Romam sic tractare statuerunt, cùm tu nos defendere minimè possis; & hæc ob imprudentiam ac stultitiam sustinuisti. At enim nos perterrefacis, aisque, Romam mittam & imaginem Sancti Petri confringam; sed & Gregorium illinc Pontificem vinctum adduci curabo, sicut Martinum Constantius adduci jussit. Scire autem debes ac pro certo tenere, Pontifices, qui pro tempore Romæ extiterint conciliandæ pacis causâ sedere tanquam parietem intergerinum, septumque medianum Orientis & Occidentis, ac pacis arbitros & moderatores esse; quique ante te fuerunt Imperatores, in hoc componendæ pacis certamine desudarunt. Quòd si nobis insolenter insultes & minas intentes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere: Ad quatuor & viginti stadia secedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex, tum, vade, ventos prosequere: Prædecessor noster Martinus Pontifex ad pacem cohortans sedebat. Idcirco malignus ille Constantinus de fide sanctæ Trinitatis sentiens, & hæreticis Pontificibus proscriptis adstipulans Sergio, Paulo & Pyrrho, missis satellitibus rapuit illum, & Byzantium tyrannica violentia abduxit, multisque malis obsessum in exilium amandavit. Quinetiam Maximo monacho, & hujus discipulo Anastasio mala multa exhibuit, & Lexicam in exilium misit. At Constantinus, qui eos relegarat, interfectus & in peccato suo mortuus est. 47
Nexeuxius enim, qui tum comes obsequii ejus erat, ab Episcopis Siciliæ certior factus hæreticum eum esse, ipsum intus in templo trucidavit, & in peccato suo interiit. Beatum verò esse Martinum testatur civitas Chersonis, in quam relegatus est, & Bosphori, totusque Septentrio & incolæ Septentrionis, qui ad monumentum ejus accurrunt & curationes accipiunt, atque utinam Dei munere nobis contingat, ut per Martini viam incedamus, tametsi ob plebis utilitatem vivere volumus & supervivere, quandoquidem Occidens universus ad humilitatem nostram convertit oculos, ac licèt, tales non sumus nos, illi tamen magnopere nobis confidunt, & in eum, cujus denuntias te imaginem eversurum atque deleturum, Sancti scilicet Petri, quem omnia Occidentis regna velut Deum terrestrem habent. Quòd si hoc velis experiri, planè parati sunt Occidentales ulcisci etiam Orientales, quos injuriis affecisti. Veruntamen per Dominum te obsecramus, à juvenilibus ac puerilibus factis avertere. Scis Romam imperium tuum ulcisci non posse, nisi fortè solam urbem propter adjacens illi mare ac navigia: ut enim antè diximus, si ad quatuor & viginti stadia Româ fuerit egressus Papa, nihil

tuas minas extimeſcit. Unum eſt, quod nos malè habet, quòd agreſtes barbari manſueti fiant, & tu manſuetus contra agreſtis & ferus. Totus Occidens ſancto Principi Apoſtolorum fidei fructus offert. Quod ſi quoſpiam ad evertendam imaginem miſeris Sancti Petri, vide, proteſtamur tibi, innocentes ſumus à ſanguine, quem fuſuri ſunt: verùm in cervices tuas, & in caput tu-
48 *um iſtu recident. Nuper ſiquidem ab interiori Occidente proces illius, quem Septetum appellant, accepimus, qui vultum expetit noſtrum Dei gratiâ, & ut ad impartiendum ei ſanctum baptiſma illuc proficiſcamur; ac ne ſocordia negligentiaque noſtra ratio nobis reddenda ſit, ad iter nos accingimus. Deus autem timorem ſuum in cor tuum immittat, & te ad veritatem convertat ab iis, quæ in mundum perperam invexiſti, tuaſque literas quamprimum accipiam, quæ nobis tuam annuntient converſionem.* Operæpretium fuit plura ex Gregorii Epiſtola deſcribere, ex quibus intelligerentur duo potiſſimè. Unum eſt, Gregorium ipſummet illatam ſibi à Zonara & hiſtoricis aliis injuriam ulciſci ac repellere. Nam fieri non poteſt ut quis quæ mox retulimus, percurrat legendo, & non ſtatim Zonaram & conſentientes ſibi hiſtoricos calumniatores appellet. Pontifex præceptum Chriſti ſecutus Imperatori reddit quæ ſunt Imperatoris, & Deo reddit quæ Dei ſunt. Nam licèt quæ Dei ſunt, quæ videlicet ad ſacrarum imaginum cultum pertinent, defendat acriter, non recedit tamen uſquam ab iis, quæ Imperatori jure Reipublicæ debentur. Quinetiam de fovenda inter Imperatorem, & populos pace cogitationem omnem ſuſcipit; tantùm abeſt ut ſibi ſumat, quod Zonaras & alii hiſtorici monumentis conſignarunt ſuis. Alterum eſt, Gregorium ea objicere quibus Zonaræ, & conſentientium ſibi hiſtoricorum error deprehendatur. Recenſet qua ratione certi quidam Occidentis populi, audito quòd Imperatoris juſſu ſubverſæ fuiſſent imagines ſacræ, ſeditionem fecerint, &
49 in veterum magiſtratuum locum novos ſuffecerint. Hæc autem & alia cùm minùs bene intellexiſſent Zonaras & conſentientes ſibi hiſtorici, quod tunc reipſa geſtum eſt, aliter narrarunt, quàm verè narrandum fuit. Gregorius Imperatori nec obedientiam, nec tributorum penſionem detractavit, detrectaſſe ſcripſerunt. Occidentales populi, quorum meminit Gregorius, Imperatori detrectarunt obedientiam, ſed an tributorum penſionem detrectaverint, Pontifex hac in Epiſtola ſilet. Aliud eſt populos illos non potuiſſe ferre, ut imagines ſacræ ſubverterentur; aliud eos recuſaſſe tributa pendere. Quod in populis diſplicere reprehendique poſſet, id rejiciendum eſt in Imperatorem, qui literas de ſubvertendis imaginibus perſcripſit, non in Pontificem, qui ut Imperatori pareret, illius Epiſtolas Occidentis Regibus tranſmiſit. Gregorius II. Gregorium I. imitatus eſt. Gregorius I. Imperatoriæ juſſioni ſubjectus Mauritii legem per diverſas terrarum partes tranſmitti curavit; & quia lex omnipotenti Deo minimè concordabat, hoc ipſum Mauritio per literas ſignificandum eſſe cenſuit, eumque ad retractandam legem modis omnibus cohortatus eſt. Gregorius verò II. Imperatoriæ juſſioni ſubditum ſe cùm ſentiret, dedit operam, ut miſſæ ad ſe Leonis Iſauri de ſubvertendis imaginibus Epiſtolæ, ad Occidentis Reges perferrentur. Sed quia Epiſtolæ omnipotenti Deo minimè concordabant, has, quoad ejus fieri potuit, refutavit, & Leonem à nefario conſilio deterruit. Huc & non aliò ſpectant Gregorii Epiſtolæ verba quæ propoſuimus. Verum quæ jam obſervavimus ad priorem Gregorii
50 Epiſtolam, iterum ad poſteriorem obſervamus. Sic ergo ſcribit Gregorius: *Accepimus veſtri à Deo conſervati Imperii, atque in Chriſto fraternitatis, literas per Ruffinum legatum veſtrum delatas, meque prorſus vita mea taduit, quòd ſententiam non mutaris, ſed in eiſdem malis perſeveres, nec ea quæ Chriſti ſunt, ſapias, ut ſanctos ac celebres miraculorum effectores, patres noſtros ac doctores ſecteris & imiteris.* Et paullo pòſt: *Scripſiſti, Imperator ſum & ſacerdos: Enimverò qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere ac ſermone demonſtraverunt, qui curam geſſerunt Eccleſiarum unà cum Pontificibus, cupiditate zeloque incenſi, rectaque fidei veritatem perveſtigantes, Conſtantinus magnus, Theodoſius magnus, Valentinianus magnus, & Conſtantinus Juſtiniani pater, qui ſextæ Synodo interfuit. Imperatores iſti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus uno conſilio ac ſententiâ Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, ſanctas Eccleſias conſtituerunt & ornarunt. Hi ſunt ſacerdotes & Imperatores, qui id opere demonſtrarunt: Tu verò ex quo imperium occupaſti, definitiones Patrum perpetuò non cuſtodiſti; ſed cùm ſanctas Eccleſias fimbriatis aureis veſtibus conveſtitas & variegatas inveniſſes, eas ornatu privaſti atque vaſtaſti. Quid enim noſtra ſunt Eccleſiæ? Nonne res manufactæ, lapides, ligna, &c* Quibus impugnatas ab Imperatore ſacras imagines defendit. Et paullo poſt: *Audi humilitatem noſtram, Imperator, ceſſa & ſanctam Eccleſiam ſequere prout inveniſti, atque accepiſti, non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum, quoniam nos Chriſti ſenſum habemus. Alia eſt Eccleſiaſticarum rerum conſtitutio, & alius ſenſus ſæcularium: In admini-* 51
ſtrationibus ſæculi militarem ac ineptum quem habes ſenſum & craſſum, in ſpiritualibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes, & ecce tibi palatii & Eccleſiarum ſcribo diſcrimen, Imperatorum & Pontificum: Agnoſce illud & ſalvare, nec contentioſus eſto: Siquis à te regia indumenta, purpuram, diadema capitis, trabeam abſtulerit, & obſequii ordines, futurum eſt ut ab hominibus turpis, deformis & abjectus habearis. Et paullo pòſt: *Nam quemadmodum Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in clero peragendi, neque conſecrandi, vel ſymbola ſanctorum Sacramentorum adminiſtrandi, ſed neque participandi abſque opera ſacerdotis, ſed unuſquiſque noſtrûm in qua vocatione vocatus eſt à Deo, in ea maneat. Vides, Imperator, Pontificum & Imperatorum diſcrimen: Si quiſpiam te offenderit, domum ejus publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longè à liberis, & ab omnibus cognatis & amicis ſuis amandas. Pontifices non ita: Sed ubi peccarit quis & confeſſus fuerit, ſuſpendii vel amputationis capitis loco Evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in ſecretaria, ſacrorumque vaſorum ærària conjiciunt, in Eccleſiæ Diaconia, & in Catechumena ablegant, ac viſceribus eorum jejunium, oculiſque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt: Cumque probè caſtigarunt, probèque fame afflixerunt, tum pretioſum illi corpus Do-* 52
mini impartiunt, & ſancto illum ſanguine potant; & cùm illum vas electionis reſtituerint, ac immunem peccati, ſic ad Dominum purum inſontem tranſmittunt. Vides, Imperator, Eccleſiarum Imperatorumque diſcrimen: Imperatores qui piè & in Chriſto vixerunt, Eccleſiarum Pontificibus obedire minimè recuſarunt, nec eos vexarunt; tu verò, Imperator, cùm tranſgreſſus fueris, ac perverſus evaſeris, & manu propriâ ſubſcripſeris, teipſum ſubjiciens, & confeſſus fueris, eum qui terminos Patrum tollit, execrabilem eſſe, in hoc proprio judicio condemnatus es, ac Spiritum ſanctum à te alienaſti. Perſequeris nos, ac tyrannicè vexas, militari carnalique manu: Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus principem exercitus omnis creaturæ ſedentem in cælis Chriſtum, qui eſt ſuper omnes exercitus ſupernarum virtutum; ut immittat tibi dæmonem, ſicut ait Apoſtolus: Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit. *Vides, Imperator, quò impudentiæ atque inhumanitatis teipſum provexeris: Animam tuam in barathra, & prærupta loca præcipitem egiſti, quòd humiliari nolueris, duramque cervicem tuam ſubmittere. Nam ubi*

præclarâ

præclarâ commonitione adhibitâ & doctrinâ Pontifices Deo exhibuerunt Imperatores irreprehensibiles, & mundos à peccatis ac delictis, magnam apud eum laudem & gloriam obtinent in sanctam resurrectionem magnam: Quo tempore res nostras occultas, opera nostra in lucem prolaturus est, in confusionem nostram coram angelis suis. Tum vero futurum est, ut nos humiles erubescamus,
53 *quòd te propter inobedientiam tuam lucrati non fuerimus, cùm illi, qui ante nos fuerunt Pontifices, eos qui suis temporibus imperarunt, Deo obtulerint. Quod nobis humilibus pudorem incutiet, qui temporum nostrorum Imperatorem non offeramus gloriosum & celebrem, sed ignominiosum & adulterinum. Ecce nunc quoque te hortamur, pœnitentiam age & convertere, atque ad veritatem ingredere, sicut invenisti & accepisti, custodi.* Et paullo pòst: *Hortamur te ut sis Pontifex, & Imperator, prout antè scripsisti. Quòd si te pudeat, hoc tibi ipsi tanquam Imperatori tribuere, ad regiones omnes, quibus scandalo fuisti, scribe, Gregorium Papam Romanum circa imagines errare, itémque Germanum Constantinopolitanum Patriarcham: Et nos culpam peccati recipimus, utpote qui potestatem à Domino accepimus, & auctoritatem terrena cælestiáque solvendi ac ligandi, téque ab hac cura quietum præstabimus: Neque voluisti, neque vis, nos ut rationem Christo Domino reddentes, monita atque documenta adhibuimus tibi, prout à Domino edocti sumus; at tu refugisti, atque obedire nobis humilibus recusasti, simúlque Germano præsuli, & sanctis atque gloriosis miraculorum effectoribus, & doctoribus Patribus nostris, & secutus perversos, pravósque dogmatum magistros, qui à veritate aberrant, habeto partem cum illis, nos prout antè scripsimus tibi, viam ingredimur Dei benignitate in extremas Occidentis regiones versùs illos, qui sanctum baptisma efflagitant. Cùm enim illuc Episcopos misissem, & sancta Ecclesia nostra clericos, nondum addacti sunt ut capita sua inclinarent, & baptizarentur eorum principes, quod exoptent, ut eorum*
54 *sim susceptor. Hac de causa nos ad viam Dei benignitate accingimus, ne fortè damnationis & incuria nostra rationem reddamus. Deus det tibi prudentiam ac pœnitentiam, ut ad veritatem convertaris, ex qua descivisti, rursúsque restituat humilibus populis in unum pastorem Christum, & in unum ovile orthodoxarum Ecclesiarum ac præsulum, & pacem Dominus Deus noster præbeat universo terrarum orbi nunc & semper & in secula seculorum. Amen.*

Ecce iterum quomodo Gregorius purgat se universo terrarum orbi de calumnia, quam illi Zonaras, & illi consentientes historici impegerunt. Profectò tantùm abest, ut Pontifex Imperatoris obedientiæ se vel alios subtraxerit, & ne penderentur vectigalia, obstiterit, ut illum Ecclesiasticâ communione non privaverit, aut reipsâ privatum in publico fidelium consessu denuntiaverit, vel anathema dixerit. Invocandum duntaxat Deum esse significat, ut quod apud Beatum Paulum Corinthio incestus reo contigit, Imperatori contingat.

Porrò autem Gregorius in hac Epistola ostendit passim, se multùm abesse ab opinione illa, quam qui Theophanis, & Zonaræ testimonium in auctoritatem admittunt, constabilire nituntur. Animadvertenda sunt duo maximè, quorum unum est istud: *Nos inermes ac nudi, qui terrenos ac carnales exercitus non habemus, invocamus principem exercitus omnis creaturæ sedentem in cœlis Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut ait*
55 *Apostolus.* Inermes & nudos Pontifices non esse judicant, qui quod Theophanes, & Zonaras, & his consentientes historici scribunt, Gregorium fecisse mentiuntur. Alterum est multiplex discrimen illud, quod Gregorius inter Imperatores & Pontifices constituit, & hoc præcipuè: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque Imperator in Ecclesias introspiciendi, &c.* Atque hæc est egregia & sincera Gregorii II. de Romani Pontificis auctoritate confessio, in qua tam perspicui auctoritatis hujus limites defiguntur. Itaque si Romanus Pontifex decernente Gregorio juniore, eoque sanctissimo viro, nec introspiciendi in palatium, nec regias dignitates deferendi potestatem habet, quo jure Gregorius præstitisset id, quod Theophanes, Zonaras, & his consentientes historici tradunt? Quo jure se & Italos imperatoris subduxisset obedientiæ? Quo jure vetuisset, ne Imperatori consueta vectigalia pensitarentur? Quo jure Imperatori quamlibet hæretico supremam dignitatem abrogaret, & regna de gente in gentem transferret? Intelligebat vir doctus & sanctus verba hæc, *Pasce oves meas*, quæ Petro dicta sunt in persona Ecclesiæ, illuc orthodoxorum Patrum flexisse neminem.

I. Non flexit Romanus clerus ad Carthaginensem clerum scribens, eumque instruens, quid circa lapsos, absente propter persecutionem Cypriano, faciendum sit: *Denique ipse Dominus implens quæ erant scripta in lege & Prophetis, docet dicens: Ego sum Pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis. Mercenarius autem, & cujus non sunt oves propriæ, cùm viderit* 56
lupum venientem, relinquens effugit, & lupus dispergit oves: Sed & Simoni sic dicit: Diligis me? Respondit: Diligo: Ait ei, pasce oves meas: Hoc verbum factum ex actu ipso, quo cessit, cognoscimus, & cæteri discipuli similiter fecerunt. Nolumus ergo, fratres dilectissimi, vos mercenarios invenire, sed bonos Pastores, cùm sciatis, tum non minimum periculum incumbere, si non hortati fueritis fratres nostros stare in fide immobiles, ne præcipitem ad idololatriam funditus eradicetur fraternitas. Qui sic locum Evangelii, *pasce oves meas*, explicant, & de sensu illius Carthaginensi clero accommodant, non præluceut iis, qui locum illum ad substrahendam principibus obedientiam populorum, vel ad eos abdicandos flecterent.

II. Non flexit Ambrosius in libri de dignitate sacerdotali capite 11. cùm ait: *Sic certè à Domino ad Beatum Petrum dicitur: Petre, amas me? Et ille, tu scis, quia amo te: Et cùm tertiò fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est à Domino tertiò, pasce oves meas, quas oves & quem gregem non solùm tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.* Ambrosius non prælucet iis, qui falsum Zonaræ testimonium in auctoritatem recipiunt.

III. Non flexit Chrysostomus, cùm in libro II. de sacerdotio Basilium quemdam Presbyterum sic affatur: *Tum ostensurum Basilium eximiam suam dilectionem in Christum, si pascat ejus gregem, cùm scriptum sit, si diligis me, pasce oves meas.* Deinde cùm in homilia LXXIX. super Matthæi caput
XXIV. differit hoc modo: *Amas me, Petre? Pas-* 57
ce oves meas, cùm tertiò ipsum interrogasset, hoc amoris esse argumentum confirmavit, quod non ad sacerdotes solummodò dictum est, verùm etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus grex commissus esse videtur. Tum demum in homilia XXXI. de Sancto Philogonio Episcopo: *Quantam autem sit pietatis argumentum, quòd Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi: Christus excitatus à mortuis quid dicat Petro: Petre, amas me? Isque respondisset: Tu, Domine, scis, quòd amo te: Si diligis me, pasce oves meas.* Chrysostomus nusquam prælucet iis, qui ex Evangelii loco probant, Romanum Pontificem posse Imperatorum, & Regum obedientiæ populos subtrahere, & Imperatores & Reges de sede regia deturbare.

IV. Non flexit Hieronymus libro XVII. In Esaiam cap. LXII. *O Pastores Israël, numquid pascunt semetipsos Pastores, & non magis oves? Audiant cum Apostolo Petro, pasce oves meas; Mirúmque in modum de cæmentariis atque pastoribus transibunt in agricolas.*

Deinde

Deinde in libro XVIII. in eumdem Esaiam cap. LXIII. *Agni autem credendi sunt oves, qui in vestibus candidis sequuntur agnum quocunque vadit, quos Dominus tradidit Petro ad pascendum, dicens, Pasce agnos meos.* Hæc ad substrahendam principibus obedientiam quid attinent?

V. Non flexit Augustinus cum in libri de Agone Christiano capite XXX. sic differit de Catholica Ecclesia: *Huic Ecclesiæ claves regni cælorum data sunt,* 58 *cùm Petro data sunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, amas me, pasce oves meas.* Deinde in tractatu XLVII. super beati Joannis Evangelium: *Ideo Petro, quem facere volebat Pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait: Petre, amas me, pasce oves meas.* Postremò in Psalm. CVIII. *Ut ergo Petrus, quando ei dictum est, tibi dabo claves, in figura personam gestabat Ecclesiæ, sic & quando ei dictum est, pasce oves meas, Ecclesiæ quoque personam in figura gestabat.* Hîc ne verbum quidem, immo ne umbra verbi de Romani Pontificis auctoritate illa, quam loco huic, *pasce oves meas,* inædificant, qui Zonaræ testimonium sibi vindicare contendunt.

VI. Non flexit Cyrillus Alexandrinus, cùm illud, *pasce oves meas,* in cap. XXI. Joannis exponit: *Advenientem itaque Christus eum acriùs urget, utrum se plus iis diligeret, idque tertiò. Annuit verò Petrus ac diligere se fatetur, sui amoris testem eum citans. In singulis autem confessionibus multifariam audit rationales oves sibi curæ esse debere: Ego verò arbitror (nam abstrusum horum verborum sensum investigandum quoque aio) frustra hæc scripta non esse, sed arcani quiddam ac reconditi in se omnino habere. Nunquid enim meritò quærit aliquis, quam ob causam Simonem dumtaxat interrogat, aut quid sibi velit istud, pasce oves meas, & similia? Respondemus igitur, divinum Petrum unà cum aliis Discipulis, jam electum fuisse ad divinum Apostolatum. Ipse quippe Dominus noster Jesus Christus eos nominavit Apostolos ut scriptum est, sed quia interea dum procederet Judæorum facinus, nonnihil lapsus est* 59 *(ingenti quippe formidine captus divinus ille Petrus ter Dominum negarat) ægrum nunc sanat, & ternam confessionem loco ternæ illius negationis flagitat, hanc illi quodammodo opponens & delicta correctione compensans.* Et paullo post: *Quapropter per triplicem beati Petri confessionem triplici abnegatione contractum peccatum abrogatur: Ex eo verò quod Dominus dicit: Pasce agnos meos, traditi jam ei Apostolatûs renovatio quædam esse censetur, quæ delictorum subinde solvit infamiam, & infirmitatis humanæ delet angustias.* Cyrillus hac verborum, *pasce oves meas,* expositione non prælucet iis, qui illa seu ad subtrahendam principibus obedientiam populorum, vel ad principes abdicandos converterent.

VII. Non flexit Leo Pontifex I. in sermone II. de natali Apostolorum Petri & Pauli, cùm ait: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis tribuatur. Nam & post resurrectionem suam Dominus beato Petro Apostolo post regni claves ad trinam æterni amoris professionem mysticâ insinuatione ter dixit, pasce oves meas: Quod & nunc proculdubio facit, & mandatum Domini pius Pastor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non cessans, ut nullâ tentatione superemur.* His autem verbis nunquam superstruetur juris quæstio, quæ ex Zonaræ testimonio deduci potest.

VIII. Non flexit Basilius Seleuciensis Episcopus, cùm oratione XXVIII. sic loquitur: *Idcirco pedetentim exercitati ad perfectiorem sensum provehuntur, ut quo primùm pacto docti fuerint, docere discant. Sic olim Petro,* 60 *qui puellæ terrore Dominum negitaverat, objurgatione missâ viam dabat, docens quâ ratione peccantes ferendi sint. Petre, inquit, amas me? Tu, inquis, scis quia amo te: Pasce oves meas. Infirmitatem tuam sensisti? Agnovisti, quò tua devoluta sit jactantia? Experientiâ doctus es tibi minimè credere? Nosti naturæ mensuram? Didicisti, quàm sit utique necessaria gratia? Veniam concedas quâ te scis eguisse. Ne depretiaveris pœnitentiæ pharmacum, cujus tu robur admiratus es, pasce oves meas.* Sic Basilius non præcurrit opinioni, quæ ex eo Evangelii loco principibus obedientiam subducit, & vetat, ne iis tributa solvantur, & tandem abrogat imperium.

IX. Non flexit Maximus Taurinensis Episcopus, sermone in natali Apostolorum Petri & Pauli: *Nam sicut in deserto dominico sitienti populo aqua fluxit è petra, ita universo mundo perfidiæ ariditate lasso de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas oviculas agnósque commendat, ut quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suæ virtute servaret: Et rectè sanè et arbiter occultorum Dei Filius pascendas oves suas tuendásque commisit, cui noverat in nutriendo grege dominico, nec studium deesse, nec fidem.* Sic Maximus non suffragatus sententiæ, quæ ex verbis, *pasce oves meas,* principibus obedientiam & vectigalia, & imperium abrogare conatur.

X. Non flexit Gregorius I. lib. VI. in lib. I. Reg. cap. XVI. *Sit ergo rufus pastor, & non sit remissus in opere, sit pulcher in aspectu, videlicet sublimis in ea contemplatione,* 61 *sit decorâ facie, ut totum robur operis, & altitudo contemplationis supernæ majestatis oculis notum sit per ineffabilem pulchritudinem charitatis. Hæc quippe tria immensi decoris insignia, quia sancta Ecclesia doctor habere debet, pro omnibus Petrus assumitur, & an amet Redemptorem tertiò interrogatur: Primò namque ei dicitur, Petre, amas me? Ut per amorem agere fortia studeat: Secundò, ut in contemplando alta cognoscat: Tertiò, ut perfecta charitatis affectu, & erga proximum ferveat, & ad speciem conditoris ferventiùs inardescat.* Non item flexit in lib. IV. epistola XXXII. ad Mauritium Imperatorem: Cùm adversùs Joannem Constantinopolitanum ita disputat: *Cunctis ergo Evangelium scientibus liquet, quòd voce dominicâ sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est: Ipsi quippe dicitur, Petre, amas me, pasce oves meas; ipsi dicitur: Ecce satanas, expetiit cribrare vos, sicut triticum, & ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Ecce claves regni cælestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur; & tamen universalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus consacerdos meus Joannes vocari universalis Episcopus conatur:* 62 *Exclamare compellor ac dicere: O tempora! ô mores!* Hæc autem à Gregorio coacervata Scripturæ sacræ loca, in quibus est, *pasce oves meas,* non eò spectant, ut Pontifex seipsum & alios ab Imperatorum obedientia subducat, vetetque, ne iis tributa pendantur, vel tandem Imperium abdicetur.

XI. Non flexit Paterius Romanæ Ecclesiæ subdiaconus in libri II. super Evangelium Joannis capite LVIII. *Hinc veritas ad Discipulos dicit: Non potest civitas abscondi super montem posita: Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Hinc Petro ait: Simon Joannis, amas me? Qui cùm se amare protinus respondisset, audivit: Si diligis me, pasce oves meas. Si ergo dilationis est testimonium cura passionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, Pastorem summum convincitur non amare.* Id circa, *pasce*

oves

oves meas, in mentem Paterio venire non poterat, quod nemini adhuc venerat: Nec ut veniret, Romanæ Ecclesiæ ferebat traditio.

XII. Non flexit Beda venerabilis in caput XXI. Joannis, cùm verba hæc, *pasce oves meas*, explicat. *Sed prius*, inquit, *Dominus, quod sciebat, interrogat, nec semel, sed iterum & tertiò, utrum Petrus eum diligat, nec aliud toties audit à Petro, quàm se diligi, nec aliud toties commendat Petro, quàm suas oves pasci: Redditur trinæ negationi trina confessio, ne plus amori lingua serviat, quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens. Sit amoris officium, pas-*
63 *cere dominicum gregem, si fuit timoris indicium, negare Pastorem: Qui hoc modo pascunt oves Christi ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subveniendi, & Deo placendi cupiditate. Contra hoc ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Jesu Christi. Nunquid est aliud, diligis me, pasce oves meas, quàm si diceretur, si me diligis, non te, pascere te cogita oves meas, & sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, dominium meum, non tuum, lucra mea, non tua: Ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa seipsos amantes, & cætera, quæ huic malorum initio connectuntur: Quod vitium maximè cavendum est in iis, qui pascunt oves Christi, ne sua quærant, non quæ Jesu Christi, & in usus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Cujus amor in eo, qui pascit oves ejus, in tam magnum debet spiritualem excrescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus, & quando cum Christo vivere volumus.* Sic Anglorum doctor celebris verba hæc, *pasce oves meas*, non flexit in opinionem, quæ subditos à principum suorum obedientia liberat, & impedit ne iis tributa pendantur.

His ita constitutis mirum non est, Gregorium II. qui & in doctrina Patrum, & in Apostolicæ Sedis traditione perquam eruditus erat, dixisse, *Pontificem in palatium introspiciendi, & Regias dignitates deferendi*
64 *potestatem non habere*, & dicendo hæc unà destruxisse quidquid Theophanes, Zonaras & consentientes historici suprà narrarunt, seu potiùs fictis de Gregorio fabulis memoriæ prodiderunt. Sic Gregorius antecedentem verborum scripturæ, *pasce oves meas*, interpretationem concludit: Et subsequentem eamque bene novam præcludit ad exponendam rei indignitatem: Quæ in eo sita est, ut Tridentinæ professionis fidei violetur articulus hic: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenuit sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor.* Violatur igitur hic articulus, cùm scripturæ verba, *pasce oves meas*, ad Principes supremâ potestate suâ privandos detorquentur, & violatores incurrunt in reprehensionem & pœnam, quæ sessione Concilii quartâ decernitur. *Præterea*, inquit, *ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint per ordinarios declarentur, & pœnis a jure statutis puniantur.*

Illorum, qui contravenerunt, familiam ducit Bel-
65 larminus in libri V. de Rom. Pont. capite VII. Franciscus Suares in libri III. de primatu summi Pont. capite XXIII. Martinus Becanus in Anglicanæ controversiæ capite III. quæst. III. & quidam alii qui Bellarminum sequuntur, cum Evangelii verba hæc, *Pasce oves meas*, ad jus deponendorum Principum detorquent.

Bellarminus igitur hoc modo philosophatur: *Quinta ratio. Cùm Petro dictum est, pasce oves meas Joannis ultimo, data illi facultas omnis, quæ est pastori necessaria ad gregem tuendum; at pastori necessaria est potestas triplex: Nimirum una circa lupos, ut eos arceat, quâ ratione poterit: Altera circa arietes, ut siquando cornibus lædant gregem, possit eos recludere & prohibere, ne gregem ulteriùs procedant: Tertia circa oves reliquas, ut singulis tribuat convenientia pabula: Ergo hanc triplicem potestatem habet summus Pontifex.* Ergo & habebunt ii, quos summus Pontifex fratres & coepiscopos appellat. Pascendarum enim ovium potestatem cum Petro acceperunt, ut scribit Ambrosius, vel in persona Petri, ut scribunt Chrysostomus & Augustinus, nec ab illis dissentiunt cæteri Patres, quorum auctoritates retulimus. Huc quoque spectat præfatio, quam Ecclesia in festis Apostolorum omnium canit: *Æquum & salutare, te, Domine, suppliciter exorare, ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continuâ protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse Pastores.* Nec dubitandum est, quin ad normam verborum,
pasce oves meas, &, *pascite gregem qui in vobis est*, 66
exarata sit hæc præfatio. Hinc efficitur, ut quidquid Bellarminus ex verbis Joannis colliget postea, id reliquis Episcopis & Pastoribus futurum sit commune. Quod novum & omnium animis atque auribus absonum videbitur. Bellarminus philosophari pergit: *Ergo tria ducuntur argumenta ex hoc loco: Primum sit. Lupi, qui Ecclesiam Dei vastant, hæretici sunt, ut patet ex illo Matthæi* VII. Attendite à falsis Prophetis, &c. *Si ergo princeps aliquis ex ove aut ariete lupus fiat, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul jubere populo, ne eum sequatur, ac proinde privare eum dominio in subditos.* Sic non unus tantùm Romanus Pontifex, sed & cæteri Pontifices, quia Pastores sunt Ecclesiæ, id quod Bellarminus colligit, perficient: Hæreticum principem & fidelium communione, & imperio in subditos privabunt. Id ex Bellarmini ratiocinatione sequitur, aut nihil sequitur, nisi Bellarminus arcendorum illo modo luporum potestatem ad unum Romanum Pontificem per accidentis fallaciam reducat. In conclusione necessariò distribuet, quod in præmissis distributum non erit, & ne aliter fieri possit distributio, & res ipsa & laudati Patres impedient. Bellarminus tamen causam obtineret, si Christus ingentem, expeditum, & necessariis rebus omnibus instructum exercitum, quo uterentur Pontifices, certo quodam in loco reliquisset: Non reliquit. Id se non habere sepositum ac reconditum fatetur Gregorius II. noster, cùm in posteriori ad Leonem Isaurum Epistola
è beati Petri sede pronuntiat: *Nos inermes & nu-* 67
di, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus principem exercitus omnis creaturæ sedentem in cœlis Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut ait Apostolus.

Bellarminus pergit: *Alterum verò sit. Potest Pastor arietes furiosos & destruentes ovile separare & recludere: Princeps autem est aries furiosus destruens ovile, quando est Catholicus fide, sed adeo malus ut multùm obsit religioni & Ecclesiæ, ut si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, &c. Ergo poterit Pastor eum recludere, vel redigere in ordinem ovium.* Atqui istud pertinet ad omnes Episcopus, & Pastores Ecclesiæ, nisi velit unum tantùm esse Pastorem Ecclesiæ, Romanum

scili-

ſcilicet; & cæteros Paſtores Romani. hujus vicariam præfecturam gerere: Et ſi hoc contenderet, & ſecum & cum Romanis Pontificibus pugnaret. Deinde ex hoc argumento concludi non poteſt ſine accidentis ſallacia, principem fide Catholicum, ſed adeo malum, ut multùm obſit religioni & Eccleſiæ, deponi poſſe. Joannes XII. Epiſcopatus vendebat, patrabat homicidia, & tandem arietum pene omnium furioſiſſimus fuit; & tamen Baronius, Bellarminus & alii ὁμόψηφοι Romanum accuſant Concilium, à quo de Romana ſede deturbatus eſt. Hic aberrantem à janua Bellarminum ſequor: Quia furioſum Principem recludere, vel in ordinem ovium redigere, non eſt eum privare dominio in ſubditos, ſi Latinè loquamur, nec rem paralogiſmis implicemus.

Bellarminus pergit: *Tertium argumentum eſt. Po-*
68 *teſt Paſtor ac debet omnes oves ita paſcere, ut eis conve-*
nit: Ergo poteſt ac debet Pontifex omnibus Chriſtianis
ea jubere, atque ad ea cogere, ad qua quilibet eorum
ſecundùm ſtatum ſuum tenetur, id eſt, ſingulos cogere, ut
eo modo Deo ſerviant, quo ſecundùm ſtatum ſuum de-
bent: Debent autem Reges Deo ſervire defendendo Ec-
cleſiam, puniendoque hæreticos & ſchiſmaticos, ut Augu-
ſtinus docet in Epiſtola L. ad Bonifacium, Leo Epiſtola LXXV.
ad Leonem Auguſtum, & Gregorius lib. II. *epiſt.* LXII.
ad Mauricium: Ergo poteſt ac debet Regibus jubere ut
hoc faciant, & niſi fecerint, etiam cogere per excommu-
nicationem, aliaſque commodas rationes, quas inter non
collocat decretum, quo Principes dominio in ſubdi-
tos priventur. Diſputator oblitus eſt ut ſecundum, ita
& tertium argumentum ex verbis, *paſce oves meas*, quæ-
ſitum debere eò ſpectare, ſi quò ſpectare debeat. Argu-
mentum hoc vel nullum ad Pontificem vel Paſtorem Ec-
cleſiæ, vel ad omnes pertinet, & eodem quo præce-
dentia ratiocinii vitio inquinatur, & ſic auctor à ſco-
po deflectit ſuo. Cæterùm nec Auguſtinus, nec Leo,
nec Gregorius in laudatis Epiſtolis affirmant, Princi-
pes à Romano Pontifice fidelium communione, &
imperio in ſubditos privari poſſe, ſi hæreticos & ſchiſ-
maticos caſtigare negligant. Profectò niſi cum Bellar-
mino mihi res eſſet, mirarer admodum, cur cùm ea in
ratione, nimirum quinta, de abdicandis per Rom Pont.
Regibus agatur, Auguſtinus, Leo & Gregorius, ut
rationis hujus fautores in medium adducantur. In
ſeipſum crudelis eſt, qui famam ſuam tantopere
contemnit.

69 Suares abdicationem Principum in verbo, *Paſce*,
comprehendi putat, nec diſputationem longam adhi-
bet, ut id lectoribus ſuis perſuadeat. *Chriſtus*, in-
quit, *qui bene & optimè omnia fecit & inſtituit, hanc*
poteſtatem Petro contulit, eamque ſub verbo, Paſce, &
ſub poteſtate ligandi, & ſolvendi comprehendit: Ergo
per illam poteſt & talem Principem dominio ſuo privare,
ne noceat ſubditis, & hos à juramento fidelitatis ſolvere.
Injuriam facit non mediocrem antiquis Patribus, & E-
vangelii Joannis interpretibus non advertentibus id,
quod Chriſtus tam bene inſtituit.

Et primùm quidem Gregorio Nazianzeno, qui tam multa contra Julianum Imperatorem viventem edidit.

Deinde Cyrillo Alexandrino, qui contra eundem Julianum vitâ functum calamum ſtrinxit, & Joannis inſuper Evangelium commentariis illuſtravit.

Tum Gregorio Papæ I. qui oblatam memorandæ poteſtatis hujus occaſionem nactus eſt, cùm ſcripſit ad Imperatorem Mauricium, ut legem, Deo, ſicuti credit adverſam, revocet, aut emolliat.

Deinde Gregorio juniori, qui Chriſtum poteſtatis id genus Petro dediſſe adeo non novit, ut faſſus palam fuerit, ſe nec *introſpiciendi in palatium, nec regias dignitates deferendi poteſtatem habere.*

Tum Gregorio III. qui æquè ac deceſſor pro ſacrarum Imaginum defenſione cum Leone Iſauro dimicavit.

Denique Nicolao & Hadriano II. quibus multæ cum Regibus Galliæ contentiones fuerunt.

Tunc nec id quod Chriſtum bene feciſſe auctor hic 70
aſſerit, traditum à majoribus acceperant, nec verbum,
paſce, intellexerunt, quomodo idem auctor intelligen-
dum eſſe docet, & exinde in libri VI. de forma jura-
menti fidelitatis capite IV. ſibi ſine controverſia ulla
ſumit, *poſt ſententiam condemnatoriam Regis de regni pri-*
vatione latam, per legitimam poteſtatem poſſe quidem eum,
qui ſententiam tulit, vel cui ipſe commiſerit, Regem privare
regno, etiam illum interficiendo.

Becanus in compendium mittit quidquid Bellarminum ſuprà diſſerentem exhibuimus, & dicit Romanum Pontificem cùm Reges deponit, jure deponere, quia ex officio Paſtoris deponit: In verbis, *paſce oves meas.*

Ad hæc comparatione cum paſtore ovium ratione carentium factâ ſubjicit: *Lupos arcet omni modo, quo poteſt.* Hinc autem efficitur, ut ſi paſtor ovium ratione carentium funda, ferro, breviori ſclopo lupos prohibere poſſit & prohibeat, Paſtor ovium ratione præditarum lupos, id eſt, hæreticos aut iniquos Principes ſimiliter prohibiturus ſit, idque niſi per ſe, certè per alium, ut Suares proponit.

Cæterùm Bellarminus, Suares, Becanus & aſſeclæ
ſophiſticas fraudes iſtiuſmodi non commiſiſſent, nec
verba Joannis, *paſce oves meas*, in tam abſurdas tam-
que Chriſtianæ legi contrarias argumentationes &
complexiones intuliſſent, ſi Tridentinis Patribus quæ
ex ſeſſione IV. relata ſunt, decernentibus morem geſ-
ſiſſent, & relatum quoque ex profeſſione fidei arti-
culum ſincerè, uti Catholicis Theologiæ profeſſori-
bus convenit, obſervaſſent. Sed quia neutrum fecère, 71
iis omnibus, qui ſeorſim à nobis per religionem ſen-
tiunt, Tridentinum Concilium deſpectui & ludibrio
exponere, & eos ad Eccleſiam redire geſtientes, ab
emittenda fidei profeſſione exemplo ſuo, velint no-
lint, peſſimo deterrere veriti non ſunt.

Nunc ut confirmetur amplius, quod ex Gregorii Epiſtolis deduximus, accedit Carolus Magnus in Epiſtola ad Conſtantinum & Irenem: Ubi ſic loquitur: *Neque aliter fiebat in partibus & regionibus iſtis, donec proavus veſter ex impiorum quorundam inſtructione venerandas imagines abſtulit, ex quo tempore magnus error Græciam iſtam invaſit: Unde non contemnendum ſcandalum in mundo factum eſt, ſed væ illis per quos ſcandala in mundo irrepſerunt, ut ipſa veritas mentiri neſcia teſtatur. Qua de cauſa in magnam tribulationem uterque Gregorius, Romani Pontifices, per ea tempora ſanctiſſimi conjecti ſunt; ſæpius enim proavum ſerenitatis veſtra admonuerat, ne ſineret venerandas imagines de ſtatu ſuo dejici: Verùm illorum preces ſalutiferæ, nequicquam fuſa ſunt, animumque illius haud quicquam commoverunt.* Hinc Carolus ſuo ſilentio narrationem Zonaræ obruit; hinc Gregorii junioris innocentiam & Sedis Apoſtolicæ traditionem, quâ Imperatorum etiam de fide non bene ſentientium auctoritas intacta relinquitur, confirmat.

Carolo accedit Paulus Diaconus in lib. VI. de geſtis Longobardorum capite XLIX. *Omnes Ravennæ exercitus vel Venetiarum talibus juſſis uno animo reſtiterunt, & niſi eos prohibuiſſet Pontifex, Imperatorem ſuper ſe conſtituere fuiſſent aggreſſi.*

Paulo Diacono accedit Anaſtaſius Bibliothecarius, cùm 72
in vita Gregorii II. id ſileat, quod ſi contigiſſet, minimè
ſilendum fuit. Non enim ſcribit Gregorium ſe & alios
Imperatoris obedientiæ ſubſtraxiſſe, & tributa pendere
recuſaſſe: Quod Theophanes, Cedrenus & Zonaras ſcri-
bunt. Immo ea tradit Anaſtaſius, quæ Gregorium ab illa
injuria vindicant: *Juſſionibus itaq; poſt modum miſſis decre-*
verat Imperator, ut nulla imago cujuſlibet Sancti aut Marty-
ris, aut Angeli ubicunque haberetur; maledicta enim omnia
aſſerebat, & ſi acquieſceret in hoc Pontifex, gratiam
Imperatoris haberet, & ſi hoc fieri præpediret, à ſuo
gradu

gradu decideret. Respiciens ergo pius vir profanam principis jussionem, jam contra Imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens haresim ejus, scribens ubique cavere se Christianos, eo quòd orta fuisset impietas talis. Igitur perinde omnes Pentapolenses atque Venetiarum exercitus contra Imperatoris jussionem restiterunt dicentes, nunquam se in ejusdem Pontificis condescendere nece, sed pro ejus magis defensione viriliter decertare. Ita ut anathemati Paulum Exarchum, vel qui eum direxerat, ejusque consentaneos submittant, spernentes ordinationem ejus, sibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque sic de Pontificis, deque sua immunitate cuncti studebant. Cognitâ verò Imperatoris nequitiâ, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem, & Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis. Hoc Theophanes, Zonaras, & alii historici calumniatores Gregorii ju-
73 nioris capiant & intelligant. Sed pergit Anastasius: *Ipsis interea diebus exhilaratus Dux Neapolis, deceptus diabolicâ instigatione cum filio suo Adriano Campania partes tenuit, seducens populum, ut obedirent Imperatori, & occiderent Pontificem. Tunc Romani omnes eum secuti comprehenderunt, & cum filio suo interfecerunt, post hunc, & Petrum Ducem, dicentem contra Pontificem Imperatori scripsisse, turbaverunt. Igitur dissensione factâ in partibus Ravenna, aliis consentientes impietati Imperatoris, alii cum Pontifice & fidelibus se tenentes, inter eos contentione motâ Paulum Patricium occiderunt.* Et quibusdam interpositis: *Post aliquod verò tempus Eutychium Patricium Eunuchum, qui dudum Exarchus fuerat, Neapolim misit Imperator, ut illud, quod Exarchus Paulus, Spatharii quoque, & cateri malorum consiliatores facere nequiverunt, perficeret ille: Nec sic ille immunite Deo latuit miserabilis dolus, sed claruit cunctis pessimum consilium, quia Christi violare conabantur Ecclesias, & perdere cunctos, atque diripere omnium bona. Cùmque mitteret hominem proprium Romam cum scriptis suis, in quibus continebatur, ut Pontifex occideretur cum optimatibus: Roma agnitâ crudelissimâ infamiâ, protinus ipsum Patricium missum occidere voluerunt, nisi defensio Pontificis nimia prapedisset.* Hic sisto & advoco Theophanem, Zonaram, & consentientes sibi historicos recentiores, & cum primis Cardinales numero tres, Cæsarem Baronium, Robertum Bellarminum, & Jacobum Perronium, ut quæ scribit Anastasius de Gregorii moderatione, accuratè perspiciant. Pergit auctor: *Verùm eundem a-*
74 *nathematizaverunt Eutychium Exarchum, sese magni cum parvis constringentes sacramento, nunquam Pontificem Christiana fidei zelotem, & Ecclesiarum defensorem se permittere noceri aut amoveri; sed mori pro illius salute essent omnes parati. Munera tunc hinc inde Ducibus Longobardorum & Regi pollicentes plurima, ut ab juvamine desisterent Pontificis, per suos Legatos Patricius ille suadebat. Qui rescriptis detestandam viri dolositatem despicientes unà se quasi fratres fidei catenâ constrinxerunt: Romani atque Longobardi desiderantes cuncti mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, nunquam illum passuri perferre molestiam pro fide vera, & Christianorum certamen salute. His ita se habentibus, elegit majus prasidium pater ille distribuere pauperibus largissimâ manu, qua reperiebat, incumbens orationibus & jejuniis, & latanis Deum quotidie deprecabatur: Et spe ita manebat semper fultus plusquam hominum, gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blande omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, & in fide persisterent, rogabat, sed ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperii ammonebat: Sic cunctorum corda molliebat, & dolores continuos mitigabat.* Hic iterum sisto & advoco Theophanem, Zonaram, consentientes sibi recentiores historicos, & cum primis Cardinales numero tres, Baronium, Bellarminum & Perronium, ut quæ de divino planè agendi modo Gregorii tradit Anastasius, observent & recoquant. Pergit auctor, sed paullo pòst: *Eo verò tempore sapiùs dicti Eutychius Patricius, & Luitprandus Rex inierunt consilium nefarium, ut congregatis exercitibus Rex subjice-* 75
ret Duces Spoletanum & Beneventanum, & Exarchus Romam, & qua pridem de Pontificis persona jussus fuerat, impleret. Qui Rex Spoletum veniens susceptis ab utrisque Ducibus sacramentis, atque obsidibus cum totâ sua cohorte in Neronis campum secessit: Ad quem egressus Pontifex, atque prasentatus studuit, ut potuit, Regis mollire animum commonitione piâ, ita ut se prosterneret ejus pedibus, & promitteret se nulli inferre lasionem, atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut qua fuerat indutus arma, exueret, & ante corpus Apostoli poneret mantum, armillausiam, balteam, spatham atque ensem deauratum, necnon coronam auream & crucem argenteam: Post orationem factam obsecravit Pontificem, ut memoratum Exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur, quod & factum est. O Pontificem summâ prudentiâ clarum, quem Theophanes, Cedrenus, Zonaras, consentientes his recentiores historici, & Cardinales Baronius, Bellarminus, & Perronius minimè cognoverunt! Cognovissent utique Pontificem, qui quod illi tribuunt, sibi non sumebat: Arma sua non carnalia, sed spiritualia esse noverat, quibus munitus armatos contra se homines debellaret. Pergit auctor: *Et sic recessit Rege declinante à malis quibus inierat consilium cum Exarcho. Igitur Exarcho Roma moranti, venit in partibus Thuscia in castrum Manturianense quidam seductor Tiberius nomine, cui cognomen erat Petasius, qui sibi regnum Romani Imperii usurpare conabatur. Leniores quoque decipiens, ita ut Man-*
turianenses, Lunenses, atque Bledani ei sacramenta pra- 76
stitissent. Exarchus verò hac audiens turbatus est, quem sanctissimus Papa confortans, & cum eo proceres Ecclesia mittens atque exercitus, profecti sunt. Qui venientes in Manturianensi Castello, ibidem Petasius interemptus est; cujus abscissum caput Constantinopolim ad Principem missum est: Et nec sic Romanis plenam gratiam largitus est Imperator. Nam post hac claruit ejusdem Imperatoris malitia, pro qua persequebatur Pontificem, ita ut compelleret omnes Constantinopolim habitantes tam virtute, quàm blandimentis, ut deponerent, ubicumque haberentur, imagines tam Salvatoris, quàmque ejus genetricis sancta, vel omnium Sanctorum, easque in medio civitatis, quod dicere crudele est, igni cremarent, & omnes dealbarent depictas Ecclesias: Et quia plerique ex ejusdem civitatis populo tale scelus fieri prapediebant, aliquanti capite truncati, alii partem corporis excisi pœnam pertulerunt: Pro qua causa etiam Germanum sancta Constantinopolitana Ecclesia Antistitem, eò quòd ei consensum prabere noluisset, Pontificatu privavit isdem Imperator, sibique complicem Anastasium Presbyterum in ejus loco constituit. Qui missâ Romam Synodicâ, dum tali haresi eum consentientem reperiret, vir sanctus non censuit eum fratrem aut consacerdotem solito vocari, sed rescriptis commonitoriis, nisi ad Catholicam converteretur fidem, etiam extorrem à sacerdotali officio esse mandavit. Imperatori quoque suadens salutaria, ut à tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit. Hic tertiùm sisto & advoco Theophanem, Cedrenum, Zonaram, & consen-
tientes sibi & recentiores historicos, & cum primis 77
Cardinales Baronium, Bellarminum & Perronium, ut primùm animadvertant, Gregorium juniorem ex lupis oves effecisse Luitprandum & Exarchum, à quibus quærebatur ad necem, & illos piis Pontificis admonitionibus Ecclesiasticam de sacris imaginibus doctrinam amplexos esse: Ut deinde animadvertant, Gregorium noluisse stare à partibus Tiberii, qui Romanum usurpare conabatur Imperium: Adeo non staret contra Leonem Iconomachum, & infensissimum sibi hostem: Ut tum demum animadvertant, Gregorium aliter atque aliter se gerere erga Anastasium factum imperatoris jussu Constantinopolitanum Episcopum, & Imperatorem ipsum sacrarum imaginum eversorem. Gregorius cùm

Synodicæ Anastasii Epistolæ respondet, eum nec fratrem, nec consacerdotem appellat, statuitque, nt nisi ad Catholicam fidem convertatur, sacerdotali cadat officio. Gregorius verò, cùm ad Leonem scribit, eum Imperatorem nominat sæpiùs, nec ut Imperiali cadat officio, si non convertatur ad fidem Catholicam, decernit. Imperatori rantùm suadet, ut ab evertendia imaginibus sacris desistat. Reinlimus partem haud exiguam literarum, quibus id suadere sibi visus est.

Omittere nou possum, quæ idem Anastasius tradir in vita Gregorii III. successoris proximi : *Fuit autem temporibus Leonis, & Constantini Imperatorum, ea persecutione grassante, qua per ipsos mota est ad depositionem, & destructionem sacrarum imaginum Domini nostri Jesu Christi & sanctæ Dei genitricis, sanctorum Apostolorum, omniúmque Sanctorum, & Confessorum, pro quibus isdem*
78 *sanctissimus vir, ut ab hoc resipiscerent ac se removerent errore, commonitoria scripta vigore Apostolica Sedis instituta, quemadmodum & sanctæ memoriæ decessor ipsius dixerat, misit per Gregorium Presbyterum : Qui humano ductus timore non eadem scripta Imperatori porrexit : Qui revertens secum hæc in civitatem Romanam reducens ipsi sanctissimo Pontifici patefecit, confessus se faciens reum culpa. Quem magnâ comminatione Pontifex ipse voluit ab ordine sacerdotali privare. Cui * residente in Concilio, sed obsecrante tam Concilio, quàm optimatibus, ut non deponeretur, sed magis idem presbyter pœnitentia submitteretur. Cui impositâ dignâ pœnitentiâ, iterum secundò eum cum eisdem literis apud regiam direxit urbem : Sed nequiter augmentata dispositio eorum Imperatorum eadem venerabilia scripta in Siciliensi insula retinere fecit, nec ad urbem regiam pertransire permisit : Sed eundem portitorem pene per annum integrum in exilium relegavit. Unde majore fidei ardore permotus Pontifex Synodale decretum cum Synodali conventu, coràm sacrosancta confessione sanctissimi corporis beati Petri Apostoli residentibus cum eodem summo & venerabili Papa & Archiepiscopis, id est, Antônio Gradendi Archiepiscopo, Joanne Episcopo Ravennate, cum cæteris Episcopis istius Hesperiæ partis num. XCIII. seu Presbyteris sanctæ hujus Apostolicæ Sedis, astantibus, Diaconibus cum cuncto clero, nobilibus etiam consulibus & reliquis Christianis plebibus astantibus, decrevit, ut siquis deinceps antiquæ consuetudinis, & Apostolicæ Ecclesiæ tenentes fidelem usum contemnens, adversùs eandem*
79 *venerationem sacrarum imaginum, videlicet Dei, & Domini nostri Jesu Christi, & genetricis ejus semper Virginis immaculatæ atque gloriosæ Mariæ, beatorum Apostolorum, & omnium Sanctorum depositor atque destructor & prophanator vel blasphemus extiterit, sit extorris à corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, vel totius Ecclesiæ unitate atque compage : Quod & subscriptione suâ solemniter universi firmaverunt, & inter cætera instituta probabilium prædecessorum orthodoxorum Pontificum annectenda sanxerunt. Post peractum igitur hoc memoratum superiùs Synodale constitutum, iterum misit alia scripta commonitoria pro erigendis sacris imaginibus per Constantinum Defensorem, quæ similiter ut anteriora detenta sunt, & portitorem eorum fortissimâ custodiâ construxerunt pene per annum integrum : Postmodum autem vi auferentes ei ipsa scripta, & comminantes ei post tanti temporis custodiam, cum injuriis eum remiserunt. Nam & cuncta generalitas istius provinciæ Italiæ similiter pro erigendis imaginibus supplicationum scripta unanimiter ad eosdem Principes direxerunt, quæ & ipsa similiter ut anteriora ablata sunt à Sergio, Patricio extratico ipsius insulæ Siciliæ, ac fere per octo menses detenti, remissi sunt similiter cum exprobrationis injuria portitores. Et iterum faciens Dominus Papa adhortatorias literas pro erigendis suprascriptis imaginibus sacris, & orthodoxæ fidei firmitate direxit per Petrum Defensorem apud regiam urbem tam Anastasio invasori Sedis Constantinopolitanæ, quàmque Principibus Leoni & Constantino.* Hic tandem sisto & quartum advoco, quos antea advocavi ut videant, an cum his 80
omnibus stare possit Theophanis & Zonaræ narratio ; Gregorium videlicet excussisse jugum imperii, & ne ab Italis Leoni penderentur vectigalia, prohibuisse. At stare hoc posse quia verè affirmaréque diceret ? Gregorius III. Leonem ut Imperatorem agnoscit, non agnosceret : Plenas ad eum humanissimis cohortationibus & admonitionibus literas scribit ; non scriberet : Inter illos, quos communione corporis & sanguinis Dominici extorres denuntiat, Imperatorem ne nominat quidem ; desertè nominaret & audacter, quia non sufficit eum generatim & ἐν ὁμίλῳ nominare, ut sic extorris intelligatur. Si percussus Imperator fuisset anathemate, & tributis privatus, Georgius Presbyter & Constantinus Defensor, quos Imperator carcere detineri per annum jussit, non tam impune tulissent, quàm impune tulerunt. Utrumque trucidari sine dubio præcepisset, & armatâ manu in Pontificem & Romanos irruisset. Præterea si Romani ac finitimi populi rebellassent adversùs Imperatorem, & recusassent vectigalia pendere, non legeremus apud Anastasium, quæ sic legimus : *Nam & cuncta generalitas istius provinciæ Italiæ similiter pro erigendis imaginibus supplicationum scripta unanimiter ad eosdem Principes direxerunt.* An, quæso, grata fuissent illa supplicationum scripta, si hinc Italia provincia se Imperatoris subtraxisset obedientiæ, & ei renuisset tributa solvere : Hinc pro erigendis imaginibus, quæ de locis sacris deturbatæ fuerant, Imperatori libellos obtulisset supplices ? An sana Principibus supplicandi ratio, pacem cum scuto petere, & olivæ ramo gladium inserere ? Insanus sim, si hoc 81
credam ; sed insanior sit qui credet deinceps Theophanis & Zonaræ narrationem esse veram. Quod de provincia Italia observamus, observandum quoque est de Gregorio III. qui rursus Imperatori pro restituendis imaginibus supplicat, qui Imperatorem ad instaurandam sacri cultûs libertatem benignè adhortatur. Sic Gregorius III. ut perinde ac Gregorius II. intra sacratæ, & incorruptæ antiquitatis terminos, doctrinam quippe Patrum, & Sedis Apostolicæ traditionem, se continuit, & per id ad inconcessa sibi, imperii videlicet detrectationem, & pensionis vectigalium recusationem ultrà progressus non est : Immo Pontifex è schola B. Pauli limatus, quod sibi per Matth. cap. XVI. licuit, expedire non censuit, sumpta lege, quam Gregorius Nazianzenus in oratione XXXII. sic statuit : *Ac de his quidem ita sentio, cunctísque animarum dispensatoribus rectaque doctrinæ arbitris legem statuo, ut nec per duritiam hominum animos exasperent, nec per summissionem elatos & insolentes efficiant, sed prudenter & consultò in fidei causa se gerant, nec in alterutro per mediocritatem excedant.* Hæc ille, qui ob eximiam divinarum rerum scientiam Theologi cognomentum est adeptus. Pontifex Imperatori nullum nominatim dixit anathema, ne hoc pacto ille magis exacerbaretur, & more veterum Imperatorum fuso Christianorum sanguine vexaret Ecclesiam, & persecutionum numerum augeret. Imperatorem admonuit, & hortatus est sæpe, & repetitis precibus ab incepto deterrere, & ad doctrinam sanam revocare conatus est, relictis cæteris patientiæ, quam 82
Tertullianus ita describit : *Adeo satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est, si damnum, restitutor est : Si dolorem, medicus est : Si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem ? Nec immeritò. Omnia enim ejus placita tuetur, omnibus mandatis ejus intervenit, fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesin adsignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem invitat, servum Domino, dominum Deo commendat, fœminam exornat,*

virum

virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, ſuſpicitur in ſene, in omni ſexu, in omni ætate formoſa eſt. Et quibuſdam interpolitis: *Cæterùm nos amemus patientiam Dei, patientiam Chriſti, rependamus illi, quam pro nobis ipſe dependit: Offeramus patientiam ſpiritus, patientiam carnis, qui in reſurrectionem carnis & ſpiritûs credimus.* Hæc autem omnia eruditi Pontifices Gregorius II. & Gregorius III. cùm planè ſcirent, erga Leonem Iſaurum Imperatorem ita ſe geſſerunt, ut ſe geſſiſſe hac in Epiſtola comperies, & jam antè compereras, dum incredibili ſtudio evolviſti tot & tantos libros, ut illuſtre Pariſienſis in Theologia magiſtri nomen conſequereris. Tu dives eras & abundabas facultatibus, &
83 ut Cornelius Minutianus apud Plinium juniorem, ſtudebas ut pauper; ratus titulum ſine re nonniſi vanum, atque otioſum quid objicere, & ſcientiæ, quæ perfectè comparata non eſt, id eſſe proprium, ut hominem, qui natura modeſtus non ſit, ſed confidens, ad gignendos errores ſæpius impellat.

Nunc supereſt ut de certis quibuſdam hiſtoricis, qui mutuis inter ſe, & cum utroque Gregorio II. & III. certaminibus attriti concidunt, aliquid exponamus.

Baronius ſcribit, quod *Græci hiſtorici omnes* aiunt, Leonem Iſaurum à Gregorio II. privatum eſſe exactione tributorum Italiæ: Quo ſcribendi genere nimium ſibi indulget.

Joannes Damaſcenus homo Græcus eſt, qui in oratione II. de imaginibus hiſtorici perſonam ſuſtinet, nec tamen dicit Leonem à Gregorio II. privatum eſſe exactione tributorum Italiæ, cùm dicendi occaſio ſe tribuit, ut ex verbis illius apparet: *Et nunc beatus Germanus alapis percuſſus & in exilium miſſus eſt, & plures alii Patres, quorum nomina nos ignoramus. Nonne id latronum eſt? Dominus cùm ad ipſum tentandi gratiâ Scribæ, & Phariſæi acceſſiſſent, ut eum ſermone irretirent, quæſiiſſentque ex eo, liceretne Cæſari cenſum dari, necne; Oſtendite, inquit, mihi numiſma; quod cùm oſtendiſſent, Cujus, inquit, habet imaginem? Reſpondentibus autem illis, Cæſaris, ait, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Paremus tibi, Rex, in iis quæ ad vitæ civilis negotia pertinent, ut in tributis, vectigalibus*
84 *& congiariis ſolvendis, quorum tibi, quantum ad vos ſpectat, munus eſt creditum ac demandatum: At in Eccleſiaſticis rebus ſtatuendis ac decernendis habemus Paſtores, qui nobis locuti ſunt verbum, & leges atque inſtituta Eccleſiaſtica tradiderunt.* Damaſcenus ex Chriſti doctrina confirmat, Leoni ſolvenda eſſe vectigalia, nec ab ejus obedientia diſcedendum eſſe in iis quæ ad vitæ civilis negotia pertinent; tantùm abeſt ut idem dicat, quod Theophanes, Cedrenus & Zonaras dixerunt.

Anonymus auctor vitæ Sancti Stephani junioris, qui pro defenſione ſacrarum imaginum fecit martyrium, hac de tota re nihil tradit, ſine dubio traditurus aliquid, ſi novæ & tam inuſitatæ rei ſua conſtitiſſet veritas: In ſumma non ſcribit, quod à Græcis hiſtoricis omnibus ſcriptum affirmat Baronius.

Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in hiſtoria ad annum DCCXXX. *Poſt hæc,* inquit, *Imperator ingenti civium numero in palatium collecto, unà & Germanum Patriarcham advocat, tum apud eum vehementiùs inſtat ut de ſacris imaginibus evertendis ſcriptum aliquod faceret, quod ille renuit, & Epiſcopatu ceſſit. Neque enim, inquit, ſine generalis Concilii auctoritate ullum religionis dogma ſcripto committo. Ergo cùm ſe paternam in domum recepiſſet, illic reliquum vitæ tempus exegit. Hujus in locum Anaſtaſius ſubſtituitur Eccleſiæ magnæ clericus. Deinceps itaque multi ſtudioſi pietatis, qui Imperatoris dogmati aſſentiri nolebant, variis pœnis atque ignominiis affecti ſunt.* Nicephorus hic Græ-
85 cus eſt hiſtoricus, cui Baronius contra jus faſque tribuit, quod tribuendum non fuit: Scilicèt cùm ait, *Græcos hiſtoricos omnes* memoriæ prodidiſſe, Leonem à Gregorio II. privatum eſſe exactione tributorum Italiæ.

Sic Baronius cum Damaſceno, cum auctore vitæ ſancti Stephani, cum Nicephoro Patriarcha congreditur tam infeliciter, ut vincatur: Sed infeliciùs adhuc congreditur cum duobus Sedis Apoſtolicæ præſulibus, Gregorio II. & Gregorio III. qui ſeſe à Theophanis, Cedreni, & Zonaræ calumnia defendunt; & tunc ille cogitur de collocato apud Triumviros, Theophanem, Cedrenum & Zonaram præſidio & ſtatione decedere, & ſe in fugam ab urbe turpiſſimam conferre. Nimirum utebatur armis hominum, qui Romanæ Eccleſiæ communionem deſeruerant, & ſeorſum ab ea ſtativa ſibi caſtra fecerant, & ſanctæ atque eximiæ pulchritudinis illius inſignia, quæ ut vidimus, ex Patrum doctrina & Sedis Apoſtolicæ traditione repetuntur, devenuſtaverant. Baronius infelicitatis ſuæ ſocios habet quotquot impactam à Cedreno & Zonara Romanis Pontificibus, ſanctis & immerentibus viris, calumniam in auctoritatem admittunt, ut illorum ſucceſſoribus tribuant, quod illi ſibi non ſumpſerunt.

Sigebertus in Chronico ad DCCXXXI. ſcribit: *Gregorius Romanæ Eccleſiæ XCIX. præſidet, qui & ipſe Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum, & vectigalia Heſperiæ ab eo avertit.* At Siffridus Presbyter, Sigeberti narrationem hanc obruit ſuo ſilentio, cùm in epitomes libro I. ad annum DCCXXVII.
ait: *Leo II. Imperium adeptus regnare cœpit. Hic in* 86
Chriſtianos & Eccleſiam Dei impius & crudelis fuit, Domini ſalvatoris, & ejus glorioſæ genitricis imagines, & aliorum ſanctorum, in medio civitatis Conſtantinopolitanæ incendio tradidit, & multos Chriſtianos, qui non aſſenſerunt huic impietati, decollari fecit. Quod refert Sigebertus, non adjicit, quia ſecundùm literas Gregorii II. & Anaſtaſii Bibliothecarii documenta adjicere non debuit.

Platina Sigebertum ſequitur in libro de vitis Pontificum in Gregorio III. *Hic,* inquit, *ſtatim ubi Pontificatum iniit, Cleri Romani conſenſu Leonem III. Imperatorem Conſtantinopolitanum Imperio & communione fidelium privavit, quòd ſanctas imagines è ſacris ædibus abraſiſſet, & ſtatuas demolitus eſſet.* Sed Carolus Sigonius id tacitus refellit in libro III. de regno Italiæ, poſtquam notavit Germanum Conſtantinopolitanum abdicaſſe ſe ſacerdotali officio: *Quibus rebus actis Leo XI. Calend. Febr. Anaſtaſium ſubrogavit, ac conventu dimiſſo imagines omnes publicè comburi juſſit, quique ei ſententiæ non ſubſcripſiſſent, miſerè aut capite, aut aliâ corporis parte mulctavit; Quod ubi cognovit Gregorius, per literas eum admonuit, ut ad Catholicam veritatem ritumque tuendum ſe referret, atque Anaſtaſium ſacerdotali officio ſpoliavit.* Sigonius cum Gregorio loquitur, ut Platinam refellat. Quidquid tunc præſtitit Gregorius, in his conſiſtit verbis: *Gregorius Leonem per literas admonuit, ut ad Catholicam veritatem ritumque tuendum ſe referret.* Siquid ultrà feciſſet Gregorius, 87
narraſſet, uti narrat Anaſtaſium, quem Leo Imperator Germano ſubrogaverat, ab illo Pontifice ſacerdotali ſpoliatum eſſe officio.

Bellarminus in libri V. de Romano Pontif. capite VIII. *Gregorius II. Leoni Imperatori Iconomacho à ſe excommunicato prohibuit vectigalia ſolvi ab Italis, & proinde mulctavit eum parte Imperii. Magdeburgenſes id reprehendunt, ſed nullum proferunt ſcriptorem, qui factum hoc Gregorii vituperet, cum nos è contrario habeamus multos, qui laudaverunt ut ſanctum & legitimum, nimirum Cedrenum, Zonaram, &c.* Cedrenus de excommunicatione mentionem nullam facit: *Anno,* inquit, *XII. Leo impius cœpit de ſacris imaginibus evertendis meminiſſe. Quo cognito Gregorius tributo Italiæ & Romæ eum prohibuit.* Hæc tantùm: Unde liquet Bellarminum cum hoc auctore non tam caſtè atque integrè verſari.

Bellarminus dicit Cedrenum teſtari Leonem à Gregorio excommunicatum fuiſſe; Cedrenus id non teſtatur. Bellarminus dicit, Cedrenum ubi ſcripſit: *Gregorius tributo Italiæ, & Romæ Leonem prohibuit,* factum hoc ut ſanctum ac legitimum habere, Cedrenus de

facti hujusmodi conditionibus silet. Verumenimverò accedant Bellarmini sodales tres, quos de facie nosse potuit. Unus est Jacobus Gretserus in examine mysterii Plessæani cap. XXXV. *Tantùm abest ut Gregorius (II.) subditos contra Leonem inflammaret, & ad defectionem solicitaret, ut quamdiu potuit, potestatem & auctoritatem ejus salvam præstiterit. Hinc captam à Longobardis Ravennam eidem Imperatori per Venetos restituendam curavit.*

88 Alter est Horatius Tursellinus in epitomes historiarum libro VI. *Gregorius ergo secundus Romanus Pontifex in Concilio Romano decrevit, imagines sacras ad juvandam imperitæ multitudinis memoriam esse retinendas: Ipsum autem Leonem anathemate perculit. Cujus decreti famâ Romanos, Campanos, Ravennates, & Pentapolitanos à Leonis imperio abrupit.* Gretserus, Cedreni, & Zonaræ narrationem funditus destruit, & quidquid ei à Bellarmino superstruitur. Tursellinus verò qua in re fallitur, nempe cùm ait Leonem à Gregorio perculsum fuisse anathemate ad Bellarminum accedit; sed à Bellarmino recedit, cùm minimè dicat, Gregorium Romanos, Campanos, Ravennates, & Pentapolitanos à Leonis imperio abrupisse. E contrà nonnullam aperit causam erroris, in quem lapsi sunt Theophanes, Cedrenus, Zonaras, & his consentientes historici, qui nec Gregorii II. Epistolas ad Leonem Isaurum, nec conscriptam ab Anastasio Gregorii II. & Gregorii III. vitam legerunt, nec ex monumentis illiusmodi rei veritatem repetendam esse duxerunt.

Tertius Bellarmini sodalis Jacobus Galterius in tabula Chronographica concludet mutuam pugnam, quæ suprà ab una parte tam fœdè pugnata est; sic enim in tabulæ sæculo octavo scribit de Gregorio II. *Is quidem rebus ... cum Gregorio magno conferendus; inter quas non exigua laus illi fuit, quòd Sanctum Bonifacium in Germaniam miserit ad prædicandum, quódque forti animo impietati Leonis Isaurici Imperatoris restiterit.* Non addit restituisse fidelium communione 89
Leonem privando, & ne ei vectigalia solverentur in Italia prohibendo: Non addit, inquam, quia vir Gregorii II. Epistolis & Anastasii commentariis, quæ antè relata sunt, eruditus addere non potuit. Addendi præ manibus occasionem haud fuisse quis iret inficias? Hæc habui, quæ tibi familiariter dissererem de falsa Theophanis, Cedreni & Zonaræ narratione, quam Baronius ad annum DCCXXX. Bellarminus in libri V. de Roman. Pontif. capite VIII. Perronius in oratione ad tertium regni nostri statum, & alii recipiunt, & principibus ut murum aheneum opponunt. Sed murus iste suprà multiplici ariete percussus, disjectus & solo æquatus est. Revoca te ad Epistolas, Baronii, Bellarmini & Perronii vitiorum in re, qua de agimus, expultrices, exagitatæ suprà falsitatis emendatrices & veritatis commendatrices, quas Gregorius II. ad Leonem Isaurum è beati Petri cathedra nimirum juxta Patrum doctrinam, & Sedis Apostolicæ traditionem perscripsit. Revoca te ad Anastasium Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarium, qui quo tempore Gregorii II. & Gregorii III. vitam edidit; nempe uno post Leonem Isaurum sæculo, integra rerum ab illis gestarum monumenta non potuit non habere. Revoca te ad Joannem Damascenum, qui ex lege Christi docuit, quod docendum fuit, qui quod propriis usurpavit oculis, exaravit. Sic ad Gregorium II. ad Anastasium & Damascenum cùm te revocaveris, & illorum armis instructus fueris, hinc antiquam Patrum 90
& Sedis Apostolicæ traditionem facilè defendes; inde Theophanem, Cedrenum, Zonaram, & horum discipulos, Baronium, Bellarminum, Perronium & alios pari modo profligabis, & tum demum in tutandis Principum juribus in tua vetere sententia, quæ tua laus est præcipua, fortissimè persistes. Vale, Lutetiæ Paris. Idibus Junii, anno M. DC. LXX.

Joannes Launoius,

CAROLO PRESTIO,

Parisiensi *Theologo.*

91 BELLARMINUS in quæstione, quam libro V. de Rom. Pont. cap. VII. de abdicandis per eum Principibus hæreticis instituit, ratione hac utitur: *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim vel infidelitatem. Quòd si Christiani olim non deposuerunt Neronem & Diocletianum, & Julianum Apostatam, ac Valentem Arianum, & similes, id fuit, quia deerant vires temporales Christianis.* Nunc de ratione ista quid censeam quæris. Id ego censeo, quod tu vir in veræ Theologiæ principiis, Scriptura & traditione, atque in Ecclesiastica historia versatus censere potes: Primùm Philosophicam esse potius, quàm Theologicam rationem, quippe quæ nec scripturâ, nec traditione ab initio derivatâ fulciatur. Nam extra hoc scammatis genus Theologo non licet excurrere, si nomen suum retinere velit: Deinde Bellarminum rationem suam vacillare cùm perspicit, me vide, idipsum ut sustentetur, occupare quo labefactata concidit. O prolepsim miseram! Christiani quondam non deposuerunt Neronem, Diocletianum, Julianum, Valentem, quia Christianis temporales vires tunc defuere. Defuerúntne ad annum DCC. XXX. quo Leo Isaurus Imperator imaginibus sacris bellum indixit acerrimum, qui statuit, ut illæ de templis ejicerentur ac diffringeren- 92
tur? Ejectæ sunt, & diffractæ; nec Christi servatoris dignitati, nec beatæ Mariæ Virginis honori parcitur. Quomodo tunc se gessit Gregorius junior, cùm Oriens & Occidens Christianam religionem impensè coleret? Cùm Christianis vires idoneæ suppeterent? Vix tempus fuit ullum, quo latius diffusa fuerit Ecclesia? An Pontifex Leonem Iconomachum abdicavit Imperio? An Christianis suasit vel præcepit, ut illum deponerent & alium sufficerent? Minimè vero. E Christi schola talis evaserat ut apprimè cognosceret, reddenda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & reddenda esse Deo, quæ sunt Dei. Quo factum, ut hinc Imperatoriæ jussioni subjectum se sentiens, acceptas à Leone Isauro literas ad Occidentis Principes perferri curaret; inde quoque divinæ jussioni subjectum se sentiens, imagines sacras pro viribus tueretur, & momenta rationum refelleret, quas adhibebat Leo, ut imagines ejiciendas è locis

sacris diffringendásque esse confirmaret. Divina est statera, cui jura fori & jura poli appendebat: Æquilibritatem hujusmodi & *ἰσοῤῥοπίας* acceperat à Gregorio Magno, qui missam ad Mauritium Augustum Epistolam sic concludit: *Ego quidem jussioni subjectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nunciavi. Utrobique ergo, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minimè tacui.* In libri II. Epistola LXII. Ne sint, si vis, hæc om-
93 nia, Gregorius II. quæstionem absolvit in posteriori ad Leonem Isaurum Epistola, ubi potestatis suæ limites defigit: *Pontifex nec introspiciendi in palatium, nec Regias dignitates deferendi potestatem habet.* Et quibusdam interjectis: *Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitûs omnis creaturæ sedentem in cælis Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut aic Apostolus, tradere hujusmodi satana in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Hi sunt termini, quos Gregorius & sibi, & Pontificiæ auctoritati disposuit, memor Scripturæ sacræ, memor Ecclesiasticæ traditionis, quæ terminos non aliter disponit. Utriusque regulæ violatorem esse illum credidit, qui terminos moveret. Quod & demonstravit ampliùs, cùm Imperator ei mortem minaretur: Sic enim in priori ad Leonem Epistola scribit: *Quòd si nobis insolenter insultes, & minas intentes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere; ad quatuor & viginti stadia secedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex: Tum vade, ventos prosequere.* At quoniam Imperator Gregorio proposuerat exemplum Martini decessoris, quem Constantinus vinctum Constantinopolim adduci jusserat, respondet, *Constantinum à Neuzezio trucidatum esse, & in peccato suo interiisse: Beatum verò esse Martinum, ut testatur civitas Chersonis, in quam relegatus est, & Bosphori, totiúsque Septentrio, & incolæ Septentrionis, qui ad monumentum ejus accurrunt, & curationes accipiunt: Atque utinam Dei munere nobis
94 contingat, ut per Martini viam incedamus.* Hæc ille cùm Christiana per universum Imperium vigeret religio, & peridoneis ad deponendum Imperatorem (si fas fuisset) viribus abundaret.

Quinetiam, quod tibi permirum fortasse videbitur non solùm contentus fuit seipsum in officio continere Reipublicæ; sed etiam alios continuit tantùm, quantùm potuit. In Italia fuere populi, fuere magistratus, quos Leo propter sacrarum imaginum defensionem ita vexavit & torsit, ut de ejurando Imperatorio nomine & obedientia, & de creando novo Principe cogitationem susceperint. Gregorius illorum impetus compressit, atque à consilio hujusmodi deterruit. Fuit quoque in Thuscia homo audax, nomine Tiberius, qui arreptâ occasione se pro Imperatore venditavit. Gregorius standum esse semper à Leonis Isauri partibus, & ejiciendum prócul Tiberium constituit: Statim ut de Imperio sic & de vita ejectus est Tiberius. Rem latiùs exequor in posteriori ad Joannem Rolandum Parisiensem Theologum Epistola. Tu illam, si lubet, percurres. Interea omnibus prudentiæ titulis par Gregorius occurrit Bellarmino sibi sumenti, *Christianos veteres jure potuisse Neronem, Diocletianum, Julianum, Valentem deponere, ut patet ex Apostolo 1. Corinth. VI. ubi jubet constitui novos judices à Christianis temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram judice Christi persecutore: Sicut enim novi judices constitui potuerunt, ita & novi Principes & Reges propter eandem causam, si vires adfuissent.* Atqui hæc sunt omnino, quæ Gregorii auctoritate, ductu, sapientiâ, & confessione oppressa & obruta jam vidimus. Præte- 95
rea aliud est ad dirimendas lites arbitros eligere, aliud hæreticos Principes deponere, & Christianos in illorum locum subrogare. Comparatio quam auctor tam solicitè instruit, soboles est privati spiritûs, quem orthodoxi in heterodoxis quotidie reprehendunt, & ut hæresum omnium parentem accusant. Profectò è tanta nube Patrum, quanta fuit scripturæ hujus explicatrix, nullus comparationem similem adornavit. Novus & perversus Paulini loci sensus est, quem Tridentini Patres in sessione IV. obliterant, & respondens sessioni in fidei professione articulus expungit. Mitto comparationem dialecticorum legibus repugnare: Manifestam enim, ut comperies, fallaciam accidentis involvit, qua qui Pontificiam & Ecclesiasticam potestatem, ut vigeat, egere poneret, de utraque potestate mereretur pessimè, & totis theatris explodendus esset. Vale, Lutetiæ Paris. Calend. Julii, anno M.DC.LXX.

Joannes Launoius

LUDOVICO MARÆSIO,

Parisiensi *Theologo.*

97 NON sine causa nuperrimè mirabamur ambo, quantùm Bellarminus historiæ leges neglexerit, cùm in lib. II. de Rom. Pont. cap. VII. tradit, quæ sequuntur: *Ad primum, quòd Zacharias justè & legitimè deposuerit Childericum Regem, & creari jusserit Pipinum, affirmant omnes, quotquot hanc historiam scribunt, tam Græci, quàm Latini, exceptis Magdeburgensibus centuria VIII. cap. X. in vita Zachariæ, & Calvino loco citato. Refert enim Eginhardus in vita Caroli Magni, Cedrenus in vita Leonis Isauri, Paulus Diaconus lib. VI. cap. V. de gestis Longobardorum, Aimoinus lib. IV. cap. VI. Blondus lib. X. decadis I. Regino lib. II. Chronicorum, Marianus Scotus lib V. Chronologiæ, Otto Frisingensis lib. V. Historiarum, Ado Viennensis in Chronico, ætate VI. Abbas Urspergensis in Chronico, Sigebertus item in Chronico, & Paulus Æmilius lib. I. & II. de gestis Francorum.*

Et primò quidem videndum est utrum Eginhardus, Cedrenus, Paulus Diaconus, Aimoinus, Blondus, Regino, Marianus, Otho, Ado, Abbas Urspergensis, Sigebertus, & Paulus Æmilius affirment omnes, Zachariam justè & legitimè deposuisse Childericum Regem, & jussisse, ut Pipinus Rex crearetur. De singulis exponendum est hoc ordine, quid affirmaverint.

I. Eginhardus hac de re duobus in locis aliter at- 98
que aliter, & ita loquitur, ut vix sibi ipsi conciliari possit. In vita Caroli Magni hæc scribit: *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant,*

usque

usque in Childericum Regem, qui jussa Stephani Romani Pontificis depositus ac detonsus, atque in monasterium trusus est, durasse putatur. Et post alia: *Pipinus autem per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto palatii Rex constitutus, cùm per annos XV. aut eo ampliùs solus imperaret Francis, finito Aquitanico bello, quod per continuos IX. annos gerebatur, apud Parisios morbo aquæ intercutis diem obiit.*

In Annalibus verò de gestis Pipini Regis hæc scribit anno DCCXLIX. *Burchardus Uvirtzburgensis Episcopus, & Folradus presbyter capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Pontificem de causa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt: Per quos prædictus Pontifex mandavit, melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestatis consisteret, dataque au[ctor]itate sua jussit Pipinum Regem constitui.* Deinde ann[o D]CCL.

Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi & martyris, & more Francorum elevatus in solium regni in civitate Suessiona. Hildericus verò qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est. Nunc locus vitæ Caroli Magni cum duobus annalium locis contenden-
99 dus est. Si in libro de vita Caroli Magni pro Stephano poneretur Zacharias, quod Bellarminus ex ea vita statuit, id prorsus obtineret; non obtinet, quia quod tribuendum est Zachariæ, Stephano tribuitur. Exinde colligitur, Bellarminum vitam Caroli Magni, quam laudat, nusquam legisse. Accedit mutua loci vitæ Caroli Magni cum annalium locis duobus pugna, quæ vix dilui potest, ut sola docet lectio. Hinc mihi facilè persuadeo, vel vitam, vel annales corruptos interpolatosve fuisse: sed vitam potiùs corruptam, aut interpolatam fuisse cùm ex aliis, tum eo quoque constat, quod posteri, quæ dicuntur in annalibus, non quæ dicuntur in vita, sibi vindicarint: Atque hoc argumentum est peridoneum, quo annalium loca duo vitæ Caroli Magni loco præferantur. Verùm Eginhardus in vita Caroli affirmat quidem jussu Stephani Papæ depositum fuisse Childericum, & Pipinum per auctoritatem Romani Pontificis Regem constitutum; Sed id justè & legitime factum esse non affirmat, contra quàm Bellarminus sibi sumpsit. Nunc expendendi sunt annales in quibus auctor Childericum à Zacharia justè & legitimè depositum fuisse non affirmat, quod tamen affirmat Bellarminus ab auctore literis mandatum; Atque ita è duobus, quæ Eginhardus affirmare debuit, ne unum quidem affirmat, quomodo affirmandum fuit: Qua verò parte alterum Eginhardus affirmat, Bellarminus non affirmat. Contrà id silet, in quo rei cardo vertitur. Silet à Francis per legatos consultum fuisse Zachariam, & quid ad dandum consilium Zachariæ propositum fuerit, meliusne esset
100 illum vocari Regem, apud quem potestatis summa consisteret, quam illum, qui nomen tantùm Regis, nullam verò potestatem regiam haberet. Consultus Zacharias de jure, respondere Francis, ut par erat, debuit, sed pro respondentium more in quæstione juris, respondere non debuit, ut id quod respondebat fieri juberet, alioqui respondentis metas excessisset. Talis enim debet esse responsio, qualis est interrogatio. Nec dubitandum est, quin Pontifex responderit, quomodo vir sapiens respondere debuit: Et quamvis Eginhardus Zachariæ responsionem Pontificiæ dignitati magis, quàm illi factæ interrogationi accommodet, non obscurè tamen significat, Zachariæ responsionem illi factæ interrogationi magis, quàm dignitati Pontificiæ accommodandam reipsa fuisse. Id Eginhardi verba hæc, *Pipinus more Francorum elevatus in solium regni,* omnino exigunt. Nam qui ante Childericum & Pipinum elevabantur in regni solium, auctoritate Francorum, non Romani Pontificis elevabantur. Quare cùm ille scribit, Zacharias data auctoritate sua jussit Pipinum Regem constitui, nonnihil sibi & populis indulget, & certæ cujusdam οἰκονομίας causa potiùs, quàm circumspectione, & accurata veritatis consideratione scribit: Quò & adhuc pertinet, quod ait: *Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Zacharias ita confirmat, quod anno superiori factum fuerat, celebratam videlicet more Francorum Pipini elevationem in regni solium. Zacharias
utique confirmat, quod post acceptam illius respon- 101
sionem Franci peregerant: Illa verba sunt approbantis de facto, non de jure decernentis. Quippe qui absoluto in regnum Francorum dominio careret. Apprimè noverat, quod decessor Gregorius junior secundùm Patrum doctrinam & Sedis Apostolicæ traditionem in posteriori ad Leonem Isaurum Epistola profitetur, *Pontificem introspiciendi in palatium non habere potestatem, nec dignitates regias deferendi.* Ad Regis unctionem quod attinet, à veteribus historicis memoriæ non est proditum, de illa Francorum legatos verba apud Zachariam ulla fecisse. Hæc enim in usu institutoque majorum non erat. Quis, quæsò, Childericum III. de quo Eginhardus loquitur, Theodoricum II. Childericum II. Dagobertum II. Childebertum II. Clodoveum III. Theodoricum I. Childericum III. Clotarium III. Clodoveum II. Dagobertum I. & superiores alios Reges, unctos fuisse certis æqualium, aut suppariun ætate scriptorum testimoniis comprobaret? Igitur Zacharias Pipinum ungi voluit, non ut Rex ille fieret, quia jam elapso anno à Francis more majorum in regni solium evectus fuerat, sed ut novus Rex, novo apud Francos ritu augustior redderetur, & populis venerabilior, ac Romanæ Ecclesiæ favorabilior. Quod prospero successu non caruit. Pipinus enim anno DCCLIV. & DCCLV. contra Longobardorum Regem Astulfum pro defensione Romanæ Ecclesiæ progressus est, eumque prælio vicit, & cuncta, quæ Romanæ ademerat Ecclesiæ, bona restituere coegit. Zacharias, ut ita dicam, vel successor Stephanus, anno DCCXLIX. DCCLI.
vel DCCLII. sevit arbores, quæ annis insequentibus 102
Romanæ Ecclesiæ profuerunt. Sic quidquid est à Zacharia vel Stephano gestum, non tam captata tunc occasione & prævisa opportunitate, quàm re per seipsam examinata, & suis expensa momentis æstimandum ac dijudicandum est.

II. Cedrenus in vita Leonis Isauri ne gry quidem vel de Childerici Regis abdicatione, vel de Pipini Regis creatione, vel de Zacharia Papa; tantum abest, ut affirmaverit, ut Bellarminus affirmasse dicit, Zachariam justè & legitimè deposuisse Chilpericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur. Cedreno Bellarminus imponit.

III. Paulus Diaconus in libri VI. de gestis Longobardorum capite V. E, duobus, quæ ab eo Bellarminus affirmari tradit, ne unum quidem affirmatur. Paulus hæc tantùm scribit: *Eo tempore apud Gallias Francorum Regibus à solita fortitudine degenerantibus, ii qui Majores domûs esse videbantur, administrare Regis potentiam, & quidquid Regibus agere mos est, cœperunt. Quippe cùm cœlitus esset dispositum ad horum progeniem Francorum transferri regnum.* Paulo Diacono Bellarminus imponit.

IV. Aimoinus in libri IV. de gestis Francorum capite LXI. *Richardus Uvirziburgensis Episcopus, & Fulradus Capellanus, missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent Pontificem de causa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem regiam habebant, per quos prædictus Pontifex mandavit, meliùs esse illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret, da-
taque auctoritate sua jussit Pipinum Regem institui: 103
Hoc anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus*

Rex

Rex Francorum appellatus est, & ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi & martyris, & more Francorum elevatus est in regni solium Suessionis civitate. Verba sunt Annalium Eginhardi, quæ repetendo & probando sua facit, & nostris animadversionibus obnoxia, cùm utrobique sint eadem, quæ animadvertantur.

V. Blondus in libro x. decadis primæ: *Invenio apud Alcuinum Paulumque, & plerosque alios, qui Francorum gesta scripsere, proceres populosque ejus gentis, Pipini virtutem, & è contrà Childerici Regis amentiam debitis pensantes meritis Zachariam Pontificem Romanum consuluisse, ineptumne Regem ultrà tolerandum, an Pipinum merita standandum regia dignitate conferet. Cùmque respondisset Pontifex illum, qui regia meliùs obiret munera, esse habendum Regem, Francos publico totius gentis consilio Pipinum declarasse Regem, Childerico in clericum tonsurato.* Ubinam affirmat Blondus, quod Bellarminus eum affirmare dicit, Zachariam justè & legitimè deposuisse Childericum Regem, & jussisse, ut Pipinus Rex crearetur? Bellarminus auctori suo imponit.

VI. Regino Prumiensis Abbas in lib. II. Chronicorum: *Anno Dominicæ incarnationis* DCCXLIX. *Burchardus Uvirtburgensis Ecclesiæ Episcopus, & Folradus Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regiam potestatem, Reges tamen vocabantur, si benè* 104 *essent Reges. Et præfatus Papa mandavit Pipino, melius sibi videri illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quàm illum, qui sine regali potestate manebat: Et ne perturbaretur Christianitatis ordo, per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum Regem creari, & sanctæ unctionis oleo perungi. Anno Dominicæ incarnationis* DCCL. *Pipinus secundùm morem Francorum electus in Regem, & unctus per manum sanctæ memoriæ Bonifacii Moguntiacensis urbis Archiepiscopi, & elevatus est à Francis in regno in Suessionis civitate. Hildericus verò qui falsò rex vocabatur, attonsus est, & in monasterium missus.* Regino Zachariam deposuisse Childericum Regem non affirmat, ut Bellarminus Reginonem affirmasse docet. Et sic hac in parte Reginoni imponit. In cæteris, quæ ad Pipinum spectant, qui consultus de juris quæstione respondet, interrogationi jubendo non respondet, si propriè respondet, ut ad Eginhardi Annales notavimus.

VII. Marianus Scotus in lib. III. Chronicorum ann. DCCL. *Pipinus missa legatione Romam, Zachariam Papam interrogat de Regibus Francorum, ex antiqua Merovingorum stirpe descendentium, qui Reges quidem dicebantur, sed potestas regni tota apud Majorem domus habebatur, excepto quòd charta & privilegia Regis nomine scribebantur, & ad Martis campum, qui Rex dicebatur, plaustrum bubus trahentibus vectus, atque in loco eminenti sedens semel, in anno à populis visus publica dona solemniter sibi oblata suscipiebat, stante coram Majore domus, & quæ deinceps eo anno agenda essent, populis annuntiante: Sicque Rege* 105 *domum redeunte cætera regni negotia Major domus administrabat. Orat ergo sibi decerni, quis eorum Rex justè dici debeat & esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni, & omnium negotiorum molestiam perferat. Tunc Zacharias Papa ex auctoritate sancti Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus & in monasterium missus est. Pipinus verò in civitate Suessionum à sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, regni honore sublimatus est.* Marianus Zachariam deposuisse Childericum Regem non affirmat, ut Bellarminus eum affirmare dicit. Et sic hac in parte Mariano imponit. Cætera, ut Eginhardi Annales intelligi debent, commodam explicationem secum important.

VIII. Otto Frisingensis in libri v. hist. capite XXI. *Anno ab incarnatione Domini* DCCLI. *cùm, ut sæpe jam dixi, Regibus Francorum solo nomine regnantibus Majores domus omnem regni curam administrarent, Pipinus, qui hanc dignitatem per successionem acceperat, Burchardum Herbipolensem Episcopum, & Folradum Capellanum suum ad Zachariam sciscitandi gratia misit. Pontifex ergo melius esse ut ille, qui curam omnium haberet, Rex diceretur, quàm qui solum nomen Regis gereret, remandavit. Eo tempore Hildericus ex antiquorum Francorum Regum, qui à Meroveo Clodii filio Merovingi dicebantur, sanguine descenderat, inane, ut suprà dixi, regium nomen tenebat.* Deinde cap. XXII. *Igitur anno ab incarnatione Domini* 106 DCCLII. *reversis à Roma nunciis, auctoritate Zachariæ Papæ, Pipinus à beato Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque regni principibus in Suessiona civitate ad regnum eligitur.* Tum cap. XXIII. *Anno Domini* DCCLIV. *Pipinus à Stephano Papa primo à fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat cum aliis regni Francorum primoribus absolvitur, ac detonso Hilderico, & in monasterium detruso postmodum in Regem ungitur.* Otto Zachariam deposuisse Hildericum seu Childericum non affirmat, ut Bellarminus eum affirmare scribit. Et sic hac in parte Bellarminus Ottoni imponit. Sed Otto in iis, quæ anno DCCLIV. contigisse narrat, semel atque iterum fallitur; semel quidem cùm tunc temporis Pipinum à Stephano Papa in Regem unctum fuisse ait: jam unctus fuerat, ut vetustiorum Ottone scriptorum testimoniis constat: Iterum verò, cùm Pipinum & cæteros Francorum primores sacramento fidelitatis, quod Childerico præstiterant, à Stephano liberatum fuisse dicit. Id accepit à Gregorio VII. qui liberationem hujusmodi causæ serviens suæ primus invexit, & accipiendo corrupit. Nam Gregorius liberationem illam Zachariæ appingit, deceptus ab iis, qui monumenta falsa illi subministrabant. Qua de re in posteriori ad Michaëlem Girardum Vertoliensem Abbatem epistola disseruimus. Cætera quæ sunt Ottonis, subjecta sunt animadversionibus, quas ad Eginhardi Annales paravimus.

IX. Ado Viennensis Episcopus in Chronici ætate VI. *Pipinus,* inquit, *Urgardum Uvisburgensem Episcopum, & Fulradum Capellanum suum ad Zachariam tunc temporis* 107 *Pontificem Romanum misit, ut interrogaret eum, si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius potestatis essent, jam solo Regis nomine contenti. Quibus Zacharias Pontifex responsum dedit, Regem potiùs illum debere vocari, qui rempublicam gereret. Reversis legatis, abjectoque Childerico, qui tunc regium nomen habebat, Franci per consilium Legatorum, & Zachariæ Pontificis electum Pipinum Regem sibi constituunt: Childericus tonsuratus & in monasterium missus est.* Ado Zachariam deposuisse Childericum Regem, & jussisse, ut Pipinus Rex crearetur non affirmat, ut Bellarminus eum affirmare scribit: atque ita utrumque Adoni imponit.

X. Abbas Urspergensis in Chronico: *Anno,* inquit, *Domini* DCCL. *hic itaque S. Burchardus, & Folradus archicapellanus ad Zachariam Romanum Pontificem missi sunt, ut consulerent eum de Regibus, qui tempore fuerunt in Francia, sed nullam potestatem regiam habentes.* Et post alia: *Zacharias verò Papa super hujusmodi negotio consultus remandavit, melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret, dataque auctoritate sua Pipinum Regem constitui jussit. Anno Domini* DCCLII. *Pipinus per auctoritatem Zachariæ Papæ, more Francorum electus ad regnum per manus S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntiacensis, elevatus est in regni solium in Suessionum civitate.* Et paullo pòst: *Pipinus ex Præfecto palatii auctoritate Apostolica sublimatus, & unctus in sedem regni, postea regnavit annis quindecim absolutus per Papam Stephanum à juramento, quod Regi Hilderico cum* 108 *cæteris regni primoribus fecerat.* Abbas Urspergensis Zachariam deposuisse Childericum Regem non affirmat, ut Bellarminus eum affirmare dicit. & sic hac in re Abbati imponit. In cæteris quæ Abbas tradit, idem observandum est, quod ad Ottonem Frisingensem & ad Eginhardi Annales observavimus: Posteriora verba per priora intelligenda sunt.

XI. Si-

XI. Sigebertus in Chronico ad annum DCCL. *Hildericus Rex Francorum in monachum tonsuratur: Pipinus verò princeps Apostolica auctoritate, & Francorum electione à sancto Bonifacio Moguntin Archiepiscopo in Regem ungitur & consecratur.* Sigebertus Zachariam deposuisse Childericum Regem, & jussisse, ut Pipinus Rex crearetur, non affirmat, ut Bellarminus eum affirmare scribit, & sic Sigeberto imponit. Hic Apostolica auctoritas est Zachariæ Pontificis auctoritas, quæ supremum jus non præ se fert, cùm Francorum electioni jungatur. Pontificis sententiam importat, quasi Sigebertus diceret: Pipinus Princeps Zachariæ ea super re consulti sententia, & Francorum electione à S. Bonifacio in Regem ungitur. Præterea auctoritas Latinis scriptoribus est pondus, momentum, existimatio, testimonium.

XII. Paulus Æmilius in libro 11. historiæ Francorum: *Pipinus*, ait, *Burchardum Visiburgensium Episcopum ad Zachariam Pontificem maximum oratorem misit, ut Franci solverentur jurisjurandi religione, quo se Childerico devinxerant. Is Romam profectus, ac ad Pontificem maximum admissus potestate dicendi facta locutus est.*
109 Et infrà: *Oratione Episcopi motus Zacharias, initio minimè audebat tam magni momenti cogitationem suscipere. Deinde cùm Francos proceres miro consensione animorum Pipino adesse, cuperéque compertum, exploratumque habuisset, Francos sacramento Regi Childerico dicto solvit. Ibique conventu habito Pipinum Regem salutavere.* Æmilius Zachariam deposuisse Childericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur, non affirmat, ut Bellarminus eum affirmare sibi sumit. Et sic Æmilio utrumque imponit. Æmilius sine veterum scriptorum testimonio loquitur, eoque carent, quæ de missæ Romam legationis consilio scribit. Id suprà in Ottone, & in Abbate Urspergensi notatum est, & præscriptione confixum.

In hac igitur recensione auctorum duodecim, quos Bellarminus laudat, multis ab eo modis peccatum est.

Et primò quidem cogitationem nullam suscepit de conciliando secum Egingardo, quem assertionis suæ principem constituit. Eginhardus non affirmat in Annalibus, quod Bellarminus ab illo affirmatum esse dicit: scilicet Zachariam deposuisse Childericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur.

Deinde ex reliquis auctoribus undecim nullus est, qui disertè affirmet Zachariam deposuisse Childericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur, quamvis ex iis nonnulli multa scribant, quæ ab antiquorum simplicitate degenerent.

Tum ex illorum scriptorum duodecim numero secludendi sunt Cedrenus, & Paulus Diaconus, qui ne-
110 que de Childerico, neque de Pipino, neque de Zacharia loquuntur. Hinc invitus exclamare cogor: Heu prisca fides!

Quartò, profitetur Græcos omnes, qui hanc historiam scribunt, affirmare, Zachariam deposuisse Childericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur: Et tamen Græcorum historicorum nullum adfert præter Cedrenum, qui, ut mox dixi, falsò allegatur.

Quintò, cùm recipit, quòd Zacharias justè & legitimè deposuerit Childericum Regem, & creari jusserit Pipinum & ait: Affirmant omnes quotquot hanc historiam scribunt tam Græci, quàm Latini, citatis à se scriptoribus imponit. Quod enim factum esse sibi videtur enarrant, sed an sit jure vel injuria factum non disputant. Id apertè constat ex Scriptorum verbis, quæ retulimus.

Sextò, si quos laudat scriptores, Zachariam justè & legitimè deposuisse Childericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur, affirmarent, in doctrinæ suæ perniciem laudaret, & secum turpiter pugnaret. Nam in lib. v. de Rom. Pont. cap. 11. tria ordine probanda suscipit: *Primò Papam non esse dominum totius orbis: Secundò non esse dominum totius orbis Christiani: Tertiò non esse dominum ullius provinciæ aut oppidi, nullamque habere jure divino jurisdictionem merè temporalem.* Scilicet ad hæc capita revocarentur & Childerici depositio, & Pipini Regis institutio. Hinc si laudati scriptores juris quæstionem tractant, ut Bellarminus proponit, captus est, quia secum pugnat; si non tractant, nullus est, quia illis imponit.

Septimò, cùm ait, *exceptis Magdeburgensibus & Cal- 111
vino*, minùs sincerè agit. Nam Magdeburgenses & Calvinum excipit, quò faciliùs lemma suum persuadeat, & injecta in hæreticos studii partium suspicione confirmet: Nec aliunde satis sibi præcavet, cùm Magdeburgenses utique, si tollatur verborum acerbitas, de re ipsa non tradant aliud, quàm quod laudati à Bellarmino Blondus & Ado Viennensis tradiderint.

Octavò, nimis confidenter asserit, Latinos omnes quotquot hanc historiam scribunt, affirmare Zachariam justè & legitimè deposuisse Childericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur. Ex Latinis quos citat excipiendi sunt duo, Ado & Blondus. Et quamvis illorum testimonia jam retulerimus, operæ tamen pretium est ea repetere, ut de rei veritate magis ac magis constet. Sic igitur scribit Ado in Chronici ætate VI. *Pipinus Urgardum* (Burchardum) *Unsburgensem Episcopum, & Fulradum Capellanum suum ad Zachariam tunc temporis Pontificem Romanum misit, ut interrogarent eum, si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius potestatis essent jam solo Regis nomine contenti. Quibus Zacharias Pontifex responsum dedit, Regem potius illum debere vocari qui rempublicam gereret. Reversis Legatis, abjectoque Childerico, qui tunc regium nomen habebat, Franci per consilium Legatorum, & Zachariæ Pontificis electum Pipinum Regem sibi constituunt. Childericus tonsuratus, & in monasterium missus est.*

Sic etiam Blondus in lib. x. decadis I. *Invenio
apud Alcuinum, Paulumque, & plerosque alios, qui* 112
Francorum gesta scripsere, proceres populosque ejus gentis Pipini virtutem, & è contra Childerici Regis amentiam debitis pensantes meritis, Zachariam Pontificem Rom. consuluisse, ineptumne Regem ultrà tolerandum, an Pipinum merita fraudandum regia dignitate conferret? Cùmque respondisset Pontifex, illum, qui regia meliùs obiret munera, esse habendum Regem, Francos publico totius regni consilio Pipinum declarasse Regem, Childerico in clericum tonsurato.

Æneas Silvius seu Pius II. in epitome libri x. decadis I. *Sunt, qui dicunt, Francorum proceres Zachariam Papam consuluisse, ineptumne Regem tolerarent, Pipinum dignitate regia dignum assumerent? Cùmque respondisset Pontifex, eum, qui regia meliùs obiret munera, præferendum, Francos publico totius gentis consilio Pipinum Regem declarasse, Childerico in clericum tonsurato.* Hæc ille cùm refert & probat, Blondo & Adoni jungendus est. Auctores hi tres id omnino tradunt, quo res tota probè, ut par est, exponitur, & Zacharias à Childerici depositione, & Pipini Regis creatione removetur, & tandem intelligitur, minùs propriè locutos esse certos quosdam historicos, qui Zachariæ consilium, & interrogationi convenienter datum ab eo Francicis Legatis responsum, in jussionem & mandatum scribendo converterunt. Id apud illos effecit respondentis personæ dignitas, ut quod consilium erat duntaxat, & congruens interrogationi responsum, jussu & mandato, splendidiori nomenclatura donarent. Vox auctoritas, qua sæpe
utuntur relati historici, quid apud Latinæ linguæ ma- 113
gistros significet, & qua ratione utendum sibi esse duxerint, jam expositum est. Porrò autem ut potentum preces vulgò creduntur mandata, etiamsi preces sint tantùm, nec præ se ferant mandatorum insignia, sic potentum consilia æstimantur vulgò mandata, etiamsi consiliorum naturam minimè exuerint, & prudentum responsa instar legum habentur. Hæc est popularis trutina, quam

Bellar-

Bellarminus hac in quæstione adhibet, cùm adhibenda esset aurificum statera, si dum agitur causa Principum Cardinalis æquitati studeret. Quidquid id est, veritati, quam legitimè inquirimus, obstare non debet factiosa disputandi ratio.

Nonò, laudati à Bellarmino scriptores cæteri, cùm de Zacharia, de Childerico & de Pipino non asserunt, quod ille conceptis verbis asserit, in nostras quàm in Bellarmini partes faciliùs ducuntur, si quidquid ad uniuscujusque testimonium notavimus, attendatur.

Decimò, Adoni, Blondo & Pio II. subnectimus auctores alios, qui haud dissimiliter loquuntur.

I. Fredegarium Scholasticum, qui Chronicum suum absolvit his verbis: *Quo tempore una cum consilio, & consensu omnium Francorum missa relatione à Sede Apostolica auctoritate percepta, præcelsus Pipinus electione totius Franciæ, in sedem regni cum consecratione Episcoporum, & subjectione Principum unà cum Regina Bertradane, ut antiquitus ordo deposcit, sublimatur in regno.* Hic percepta Sedis Apostolicæ auctoritas est testimonium vel sententia, ut Fredegarii textus, & sub-
114 jecta ei materies satis ostendunt.

II. Appendicem à Theodorico II. usque ad Pipinum Regem adjectam libro, cui titulus est: *Gesta Regum Francorum partim è Gregorii Turonensis Episcopi historia, partim aliunde desumpta, & usque ad Regem Theodericum II. deducta. Quo tempore cum consilio Francorum missa relatione Sedis Apostolica auctoritate percepta, ipse Pipinus cum consensu Francorum, & consecratione Episcoporum sublimatur in regno.*

III. Antiquum istum scriptorem qui libellum de Majoribus regiæ domus composuit: *His*, inquit, *temporibus Hildricus in regno Francorum substituitur, de quo Pipinus Dux Legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans eum, si ita manere deberent Reges Francorum, cùm pene nullius essent potestatis, solo regio nomine contenti. Quibus Legatis Romanus Pontifex respondit, illum debere Regem vocari, qui rempublicam gereret. Detonso igitur Hildrico, & in monasterium detruso, mox Franci Pipinum sibi Regem constituunt.*

IV. Anonymum scriptorem vitæ sancti Lebuini Confessoris, in cap. VIII. *Pipinus totius ditionis compos effectus consultu Papa Zacharia, & unanimi Francorum consensu per unctionem sanctissimi Archiepiscopi Bonifacii Suessionis civitate habito conventu Rex appellatus, & regali est Sede donatus, repudiato ac tonsurato Childerico, qui casso nomine Rex appellabatur.*

V. Annales Francorum auctiores ab anno DCCVIII. ad annum DCCCVIII. *Anno* DCCXLIX. *Zacharias Papa per Fulradum mandavit, ut Pipinus ad Regem levaretur. Mandavit*, id est, scripsit, ut ex iis quæ
115 sequuntur, apparet. *Anno* DCCL. *Pipinus secundum morem Francorum electus ad Regem, & unctus per manus sanctæ memoriæ Bonifacii Episcopi, elevatus à Francis in regno Suessionis civitate. Hildericus verò, qui falsè Rex vocabatur, tonsoratus est, & in monasterium missus.*

VI. Monachum Egolismensem in vita Caroli Magni per eum descripta: *Post Theadericum*, inquit, *regnavit solo nomine Childericus insensatus frater ejus, & defecit totum regale genus. Childerico insensato deposito de solio, & facto clerico in monasterio, Franci cum consilio domni Papæ Zachariæ, & nobilium Romanorum, Deo volente, uno consensu, & una voluntate elevaverunt sibi in Regem Pipinum pium filium Caroli Martelli.*

VII. Guillelmum Nangium in Chronographia MS. *Burchardus Wiziburgensis Episcopus, & Fulradus Abbas sancti Dionysii in Francia à proceribus Francorum missi sunt Romam ad Zachariam Papam, ut consulerent eum de causa Regum, qui diu regnantes in Francia solo Regis nomine contenti, nullam habebant regiam potestatem: Per quos prædictus Papa mandavit*, (id est, scripsit) *meliùs esse illum vocari Regem, qui bene rempublicam gubernabat, & sua utilitati propriam utilitatem anteferebat. Quo audito Franci Pipinum Regem statuerunt, & Childericum qui tunc regnabat, factum monachum in monasterium detruserunt. Qui Pipinus jussu & auctoritate Zacharia Papa Suessionis civitate à Bonifacio Moguntia Episcopo in Regem Francorum inungitur, id est, annos* LXXXIII. *postquam Majores domus cœperunt* 116
principari super Reges Francorum. Hic quæ jussu & auctoritate Zachariæ facta est Pipini Regis unctio, Pipinum jam constitutum à Francis Regem supponit, non constituit, & quia ritus sacer est, à Pontifice præcipi poterat ob eum finem, qui suprà descriptus est.

VIII. Joannem Tritemium in libro de origine Francorum: *Eodem anno* (DCCLI.) *proceres totius regni convenientes in unum super abrogatione Regis Hilderici inutilis cœperunt consilium. Placuit autem in communi omnibus, ut Regem Hildericum nullam regnandi peritiam vel potestatem habentem deponerent, & Pipinum, penes quem totius regni firma manebat auctoritas, in Regem sublimarent: Sed Pipinus in hanc rem consentire non voluit, nisi priùs consilium Romani Pontificis Zachariæ inquireretur, causas allegans se moventes. Communicato igitur consilio mittuntur Romam S. Burchardus Wirtburburgensis Episcopus, & Volradus Abbas ad Zachariam Pontificem, ut consulerent eum super memorato Regum negotio, quid illi melius ac justius rectè usque videretur fore, utrum nomen regium cum diademate illi debeat permanere, qui semper nihil operatur regno nostro dignum, an potiùs alteri sit conferendum, id est, Pipino, qui cuncta regni negotia solúsque facit laborem. Respondit Papa Legatis justum sibi videri, ut ille, qui regni perfert labores, qui cuncta disponit regni negotia, & nomen portet regium & diadema potiùs, quàm Hildericus, qui semper otiosus nihil ad regni facit utilitatem. Scripsit ergo Episcopis, & proceribus Francorum consuluit, ut Hilderico abrogato atque in monasterium detruso, Pipinum* 117
facerent Regem, & sancto etiam Bonifacio Archiepiscopo Moguntino per Apostolica scripta mandavit, quatenus eundem Pipinum in Regem ungeret Francorum. Pipinus jussu Zacharia Papa in Regem Francorum in civitate Suessionum unctus, & coronatus est per manus S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntiacensis annò Dominicæ incarnationis DCCLII. Ut apud Nangium, sic & apud Tritemium Pipini Regis creatio secernitur ab illius unctione, quæ auctore Zacharia celebrata est, & quæ aliunde Regem supponit, non instituit, alioqui mutata esset Regis instituendi ratio. Sed mutata non est, retento ordine, qui antiquitus in unoquoque Rege observabatur.

IX. Robertum Gnaguinum in libro XXI. histor. Francorum: *Pipinus Regum Franciæ inertia perspecta, cùm domi delitescerent, nec reipublica procurationem ullam susciperent, Zachariam Romanum Antistitem per Archiepiscopum Bituricensem Burchardum* (dicere voluit aut debuit, Burchardum Wiziburgensem) *& Furandum* (Fulradum) *ipsius Pipini domesticum tandem consulit, uter ad rempublicam gerendam potissimùm idoneus ex Regibus esset; Isne qui otio domi tempus contereret, nihil agens, nihil omnino curans, an qui industria virtutéque publica negotia moderaretur? Imentus & sollicitus ad Pipini consulta respondit Zacharias, eum regni gubernaculo dignum esse, qui prudentia spectatus rempublicam diligenter curiosèque componeret. Quo responso adducti proceres Pipinum sibi deligunt, & ex Zacharia sententia atque auctoritate illum confirmant, quem Bonifacius Suessione more regio unxit.* Hic sententia & au- 118
ctoritas idem sonant, ut apud Latinos auctores sonare consueverunt.

X. Carolum Sigonium in lib. III. historiarum de regno Italiæ: *Hunc magistratum* (qui Major domus Regis dicebatur) *Carolus Martellus gesserat, tum verò*

Pipinus Caroli filius summa cum industria ac virtutis commendatione administrabat, Childerico Rege nullam partem cura sibi regia deposcento. Quod inasgnum esse Pipinus existimans Zachariam consulit, uter es regio fastigio dignior videretur, isne, qui otio languens, nihil ad communem utilitatem afferret, an qui dies noctésque de regni saluto atque custodia cogitaret. Cui Zacharias respondit, omnino se Regem illum judicare, qui regni commodis & incolumitati serviret, rogatúsque ab illo decretum pro magnitudine potestatis interposuit, quò regnum Childerica ut parum idoneo abrogavit, & Francis sacramenti religione solutis ut Pipinum Regem substituerent, auctor fuit. Quo decreto accepto Franci convenerunt, ac Childerico abdicato Pipinum Regem consentientibus omnium voluntatibus designarunt, eúmque Suessione per Bonifacium Meguntinum Archiepiscopum consecrarunt. Præclarè omnia: Sed cùm ait, Zacharias à Pipinu rogatus decretum pro magnitudine potestatis interposuit; *Quo regnum Childerico ut parum idoneo abrogavit, & Francos sacramenti religione solvit*, sunt planè duo, quæ veteribus historiis succreverint. Adinventum quid est & insusurtatum Gregorio VII. cùm in Epistola ad Hermannum Metensem Epis-
119 copum rationes exponit, cur Henricum IV. Imperatorem deponendum esse judicarit? Unde Gratianus certam quandam plagulam decerpsit, eamque indidit decreto suo in causæ XV. cap. III. quod postea non discussum, sed populariter acceptum scriptores multos in errorem abduxit. Sed erroris originem detexisse sufficit, ut error caveatur, nec pro veritate in auctoritatem admittatur. Nicolaus Vignerius in Ecclesiastica historia ad annum DCCL. hæc uti figmenta validè confutat, monetque legendam esse Hincmari Archiepiscopi Remensis Epistolam, ubi ad ea quæ Hadrianus II. de regno Lotharii mandaverat, respondet, & in antecessum multa prufert, quibus ad figmenta hæc aditus omnis intercluditur. Ad me quod attinet, in secunda ad Michaelem Girardum Epistula de posteriori adinventione, & de Anastasii Bibliothecarii silentio adversus illa rerum momenta duo præscripsi, atque iterum præscribo. De Anastasii, inquam, silentio, quod si circumspectione & accurata consideratione perpendatur, de falsitate rerum istarum dubitandi locum nullum relinquit. Quis enim prudens & attentus crederet, virum Sedis Apostolicæ magnitudini & commodis addictum, & in Romanorum Pontificum scriniis versatum id commemorare, quod Gregorius VII. Otto Frisingensis, Abbas Urspergensis, Joannes Tritemius, & recentiores alii tam cupidè commemorant, neglexisse? Quis, inquam, prudens & attentus hoc crederet, cùm ex aliis, tum ex eo quoque quòd antea simile nihil in Romana contigisset Ecclesia? Igitur Anastasius non tam silet, quàm eloquitur, non accidisse, quod illi accidisse narrant.

120 His ita recensitis facilè perspicis, in quot & quantos errores Bellarminus abreptus fuerit, cùm ita scripsit: *Quòd Zacharias justè, & legitimè deposuerit Childericum Regem, & creari jusserit Pipinum, affirmant omnes quotquot hanc historiam scribunt, tam Græci, quàm Latini, exceptis Magdeburgensibus & Calvino.* Erravit quòd ex historicis duodecim, quos scripti sui vades appellat, nullus constanter asserat, Zachariam justè & legitimè deposuisse Childericum Regem, & jussisse, ut Pipinus Rex crearetur.

Erravit cùm in illis historicis sint duo Cedrenus & Paulus Diaconus, qui Zachariæ vel Childerici, vel Pipini ne quidem meminerint, tantùm abest ut id mandarint literis, quod Bellarminus sibi sumpsit.

Erravit cùm persuadere sibi videtur, historicos esse tantùm duodecim, qui Childerici depositionem, & Pipini creationem memoriæ prodiderint.

Erravit cùm de omnibus historicis tam leviter pronuntiaverit. Non ita pronuntiasset, si Fredegarium Scholasticum, Appendicem à Theodorico II. usque ad Pipinum adjectam libro, cui titulus est Gesta Regum Francorum, &c. Anonymum scriptorem vitæ S. Lebuini, Annales Francorum auctiores: Guilielmum Nangium, Joannem Tritemium, Robertum Guaguinum, & Carolum Sigonium legendo percurrisset.

Erravit cùm historicam narrationem, quæ ad Ecclesiæ dogmata nil attinet, perinde tractat, ac si maximè attineret. *Exceptis*, inquit, *Magdeburgensibus & Calvino affirmant omnes, Zachariam justè & legitimè deposuisse Childericum Regem, & jussisse, ut Pipinus Rex* 121
crearetur. Quo pacto videretur in Magdeburgensium & Calvini hæreses incurrere, qui Bellarmino hac in re non consentiret. Id autem tractationis genus à Christiana simplicitate deflectit quamplurimùm, & Catholicæ communioni mirum quantum incommodat, quia certum est eam his offuciis non indigere, ut nec veritatem mendacio.

Bellarminus sibi satis non esse putat consilio & rationibus pugnare, sed artificium quoddam excogitare consuevit. Quas Catholicis cum doctoribus aliquando contentiones habet, hæreticis communes facit, quò, ut retur, vincat faciliùs. Sed non recordatur se hæreticorum baptismum defendere; non recordatur Stephanum Papam ad Africanos ita scribere: *Siquis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Nun recordatur eundem Pontificem edictum suum ita confirmare: *Cùm ipsi hæretici propriè alterutrum venientes non baptizent, sed communicent tantùm.*

Erravit cùm in lib. V. de Rom. Pont. cap. VIII. scribit: *Zacharias rogatus à primoribus Francorum Childericum deposuit, & in ejus locum Pipinum Caroli Magni patrem Regem creare jussit.* At veterum historicorum nullus est, qui primores Francorum id rogasse Zachariam testatus unquam fuerit. Francorum primoribus imponit.

Ut Bellarminus erravit imponens historicis omnibus, quod historici omnes minimè dixerunt, scilicet, Zachariam justè & legitimè deposuisse Childericum Regem, & jussisse ut Pipinus Rex crearetur, sic Mag- 122
deburgenses errarunt imponentes Zachariæ, quod ei non tribuunt laudati ab illis scriptores, Regino, Blondus, Sigebertus, quos Bellarminus ipse laudat. Magdeburgenses ita loquuntur: *Divinam quamdam potestatem sibi arrogans ponendi, & deponendi Reges protervè assumpsit, & à fidelitatis juramento subditos eorum primus absolvit. Nam cùm Bonifacii consilio Pipinus pater Caroli Martelli, Spuri domini sui proditor per Legatos Burchardum & Volradum eum exorasset, ut Francia regnum Childerico deturbato, sibi & hæredibus suis firmaret, statim ille Childerico aliàs minùs favens ob denegatum auxilium assensit, & Bonifacio suas partes delegavit, ut Pipinum ungeret Regem. Regino lib. II. Annales Francorum, Blondus ex Albino & Paulo lib. X. decadis I. anno Domini* DCCL. *Sigebertus.* Magdeburgenses in odium Pontificum imponunt Reginoni, Annalibus Francorum, Blondo & Sigebertu. Illorum nullus scripsit, Zachariam ponendi, & deponendi Reges divinam quamdam potestatem arrogasse sibi, & protervè assumpsisse. Id videre est in eorum historicorum testimoniis, quæ suprà recensuimus. Imponunt quoque id quod ad juramenti fidelitatis absolutionem pertinet: Historici quidam alii dixerunt, sed Regino, Annales Francorum auctiores, Blondus & Sigebertus non dixerunt. Imponunt adhuc Pipino proditionis crimen, de quo ne verbum quidem ullum est apud Reginonem, Annales Francorum, Blondum & Sigebertum. Imponunt denique Francorum & Pipini Legatis, qui non effecerunt apud Zachariam, ut Franciæ Regnum Childerico deturbato, Pipinu & hæredibus firmaret; id Re- 123
gino, Annales Francorum, Blondus & Sigebertus minime

mè testantur. Legationis capita legi possunt apud
eos auctores, quorum testimonia exposuimus. Sic u-
trobique erratum est, cùm Bellarminus & Magdebur-
genses laudatis à se historicis id tribuunt, quod
ex rei veritate tribuendum minimè fuit. Incensa
studiis partium scribendi ratio modum tenere non
potuit.

Quæ Calvinus scribit, tam falsa sunt, & tam vacua
veterum testimoniis, ut ne mereantur quidem referri,
vel risu discuti. Pipinum & Zachariam calumniatur,
& præterea nihil.

Nunc vides, opinor, Bellarminum & Magde-
burgenses convenire inter se, & non convenire:
In eo conveniunt, quòd destituendi & instituen-
di Principes Zachariæ jus attribuant: In eo non
conveniunt, quòd Bellarminus jus illud legitimum
esse censeat: Magdeburgenses verò jus illud cen-
seant non esse legitimum, sed temerè atque arro-
ganter usurpatum. Qua in re Bellarminus cum Mag-
deburgensibus convenit, secum pugnat, dum in li-
bri v. de Rom. Pont. cap. II. *Papam non esse do-
minum totius orbis*, & cap. III. *Papam non esse
dominum totius orbis Christiani*, & cap. IV. *nullius
loci dominum temporalem esse probat*. Esset enim-
verò vel totius orbis, vel totius orbis Christiani,
vel alicujus loci dominus temporalis, si potestatem
deponendorum & creandorum Regum justam & le-
gitimam haberet. Qua verò in re Magdeburgenses
cum Bellarmino conveniunt, non secum pugnant.
Decreverunt quippe prætermittendum sibi non esse
124 tempus ullum, quo si possent, Romanum Ponti-
ficem in odium atque invidiam raperent. Sed Za-
chariæ decretum nullum edunt, quo Pontifex sibi
attribuat, quod illi nefariè attribuunt. Ut Bellar-
mini adulatio, sic & Magdeburgensium contumelia
spernenda est.

Cæterùm Bellarminus in facto, seu exemplo Za-
chariæ mirificum se præstat. Ex eo depromit argu-
mentum, quod ipsemet debet solvere, si suis se fini-
bus contineat. Qui Romanum Pont. totius mun-
di, vel certè totius mundi Christiani dominio po-
tiri, & temporalem jurisdictionem jure divino di-
rectè habere docent, exemplo Zachariæ utuntur,
& eo uti modo possunt, quo Bellarminus propo-
nit. *Zacharias rogatus à primoribus Francorum Chil-
dericum deposuit, & in ejus locum Pipinum Caroli
Magni patrem Regem creari jussit.* At Bellarminus,
qui contrarium, nempe Romanum Pontificem to-
tius orbis, totius orbis Christiani, alicujus loci
dominum non esse, nec temporalem jurisdictio-
nem jure divino directè habere tradit, argumen-
to huic respondere debet, aut κρύψεως accusabi-
tur: Non respondet, igitur κρύψεως accusandus
est, dissimulat argumentum, quo nisi tria, certè
duo illius lemmata convelluntur. Insistendo scriptu-
ræ, & traditioni duobus veræ Theologiæ principiis,
quibus Romanum Pontificem nec totius orbis Christia-
ni dominum esse, nec temporalem jurisdictionem
jure divino directè habere confirmat, responden-
dum fuit; primò, à Francorum primoribus roga-
tum non esse Zachariam, ut Childericum depone-
ret, & in locum ejus Pipinum Regem creari ju-
beret, uti probavimus; ac proinde Bellarminum cau- 125
sæ propriæ jugulum petiisse, argumento in per-
niciem assertionum suarum adornato: Deinde,
quamvis rogatus esset Zacharias, ut id faceret
quod in argumento sumitur, facturum non esse
Zachariam: Quippe noverat doctrinam Patrum, &
Sedis Apostolicæ traditionem, ad quam informa-
tus decessor Gregorius II. Leoni Isauro in Epistola
secunda scripserat, *Pontificem nec introspiciendi in pa-
latium, nec dignitates regias deferendi potestatem ha-
bere:* Denique Zachariam à Francorum proceribus
rogatum sententiam, utrum ille, qui non vocatur
Rex, nec gerit Regis officium, dixisse quod vir
prudens quilibet, & politicis administrationibus e-
ruditus dixisset, eum videlicet qui non vocatur
Rex, sed gerit Regis officium, digniorem esse Re-
gis nomine, quàm is, qui vocatur quidem Rex,
sed non gerit Regis officium. Cur autem Franci
Zachariam de statu Regis & regni consuluerint, in
causa fuit illius, & Sedis Apostolicæ præclara in
dandis consiliis existimatio & auctoritas. Sed neque
ex Francis Zachariam consulentibus, neque ex re-
spondente Francis Zacharia, potest quicquam aptè
colligi; quod ad stabiliendam Bellarmini, vel alio-
rum opinionem inserviat. Consultus à Francis Zacha-
rias id respondit, quod vir prudens, ut jam monui, &
publicis negotiis instructus in tali rerum eventu re-
spondisset. Quid inde? Ergone Pontifex est totius
mundi Christiani dominus, & temporalem jurisdictio-
nem jure divino habet directè? Non sequitur, nec se-
qui Bellarminus in lib. v. de Rom. Pont. cap. II. III. &
IV. docet. Vel ergone Pontifex *in ordine ad bonum spi- 126
rituale summam potestatem habet disponendi de rebus tem-
poralibus Christianorum omnium?* Non sequitur, nec nisi
tortuoso, futili, & vitioso disputandi genere sequi
potest.

Verùm non ante manum de tabula, quàm te admo-
nuerim Bellarminum, & Magdeburgenses abuti testi-
monio quorundam historicorum, qui scribendo respe-
ctum habent ad dignitatem personæ, quæ respondet,
non ad interrogationem, cui persona respondet, & ta-
men certo est certius habendum esse respectum ad in-
terrogationem cui persona respondet, non ad digni-
tatem personæ, quæ respondet. Si Bellarminus & Mag-
deburgenses verum amassent, respectum non habuis-
sent ad dignitatem personæ, quæ respondet, nec eo
modo scripsissent, quo scripserunt. Non desunt hi-
storici, qui Zachariam Francorum interrogationi
duntaxat respondentem inducunt. Hos qui non se-
quitur errat, qui sequitur non errat; sequere tu, & non
errabis. Vale Lutetiæ Paris. XII. Calend. Julias ann.
M. DC. LXX.

 Joan-

Joannes Launoius

CLAUDIO AMELINÆ,

Parisiensis *Ecclesiæ Cantori.*

127 MEMORABILE est, ut nosti, beati Ambro-
sii factum, quod Theodoretus in libri v.
historiæ cap. XVII. latè describit. Bel-
larminus illo utitur in lib. VI. de Rom.
Pont. cap. XVII. ut probet *Romanum Pontificem in
ordine ad bonum spirituale summam potestatem habere
disponendi de rebus temporalibus Christianorum omnium.*
Sed quantùm abutatur & erret, scire non poteris,
nisi factum referatur integrum, & momentis expen-
datur suis. Igitur apud Theodoretum est hujusmo-
di: *Thessalonica urbs est maxima & populosa. Ma-
cedonum quidem in gente posita, sed qua caput est tum
Thessaliæ & Achaiæ, tum aliarum complurium pro-
vinciarum, quæ reguntur à Præfecto Prætorio Illyrici.
In hac cùm orta esset seditio, magistratus quidam lapi-
dati & vexati fuere. Quo nunciato accensus Imperator
iræ impetum non tulit, nec fræno rationis vim ejus non
repressit, sed vindictæ arbitrium illi permisit. Illa verò
hac potestate accepta velut juris sui tyrannus ruptis ha-
benis jugoque rationis excusso injustos gladios in omnes
distrinxit, & insontes pariter cum sontibus trucidavit.
Septem enim hominum millia interfecta perhibentur non
præeunte judicio, & condemnatis iis, qui dira illa ausi
fuerant, sed sicut in messe omnibus simul spicarum more
defectis. Hac audita lacrymabili calamitate Ambrosius
128 ille, quem sæpe memoravi, Imperatori cùm Mediolanum
venisset, atque in sacrum templum de more ingredi vel-
let, obviàm procedens extra vestibulum sacris illum limi-
nibus pedem inferre tali oratione vetuit: Ignorare vi-
deris, ô Imperator, patratæ à te cædis quanta sit mag-
nitudo, neque adhuc post sedatam iram admissum facinus
ratio pervidit: Non sinit enim fortassis Imperatoria po-
testas peccatum cognoscere, rationique tenebras offundit
principatus. At tamen naturam te nosse par est, quàm
fragilis & fluxa, avitumque pulverem, ex quo orti su-
mus, & in quem dilabimur, nec purpuræ fulgore decep-
tum, corporis quod illa tegitur, imbecillitatem ignorare.
Naturæ conjunctis imperas Princeps, atque adeo con-
servis. Unus enim omnium Rex, & Dominus condi-
tor universorum. Quibus igitur oculis communis Domi-
ni templum aspicies? Quibus pedibus sacrum illud solum
calcabis? Quomodo manum extendes injustæ cædis san-
guine adhuc stillantem? Quomodo hujusmodi manibus
sacrosanctum Domini corpus accipies? Quomodo pretio-
sum ori sanguinem admovebis, qui furore actus tantum
sanguinis nefariè profudisti? Recede igitur & cave
prius crimen altero crimine augere coneris: Sed vin-
culum admitte, quo te ligari Deus omnium Dominus
sursum probat. Medicinam id faciet, sanitatemque re-
stituet. His verbis inflexus Imperator (in divinis enim
educatus apprime norat, quænam Sacerdotum essent par-
tes, & quænam Imperatorum) cum gemitu & lacrymis
rediit in palatium. Longo autem post tempore octo men-
sibus interlapsis, Servatoris nostri natalis dies advenerat,
129 & Imperator in palatio residebat magnam vim effun-
dens lacrymarum. Quod cùm animadvertisset Rufinus,
qui magister officiorum tunc erat, summa libertate ut fa-
miliarissimus utebatur, ipsum adiens causam fletus percon-
tatur. Ac ille vehementiùs ingemiscens, & uberiores in
lacrymas erumpens: Ludis, inquit, tu Rufine, mea enim
mala non sentis: Ego verò gemo, & lugeo meam con-
siderans calamitatem, quòd servis ac mendicis ad divi-
num templum pateat aditus, intrentque securè, & domino
suo supplicent: Mihi verò inaccessum illud sit, & cæ-
lum insuper occlusum. Memini enim Dominicam sen-
tentiam: Quæcunque ligaveritis super terram, erit li-
gatum & in cælis. Cui Rufinus, curram, si placet, ad
Pontificem, & precibus adducam, ut solvat vincula tua.
Non flectetur, ait Imperator. Nota est mihi æquitas sen-
tentiæ Ambrosii: Neque ille reverentia Imperatoriæ po-
testatis divinam transgressurus est legem. Sed instante
multis verbis Rufino, & spondente se persuasurum Am-
brosio, properè abire illum jubet Imperator: Atque ipse
falsa spe inductus paullo post secutus Rufini promissis con-
fisus. Simul autem ut Rufinum vidit Ambrosius: Ca-
num, inquit, impudentiam æmularis, Rufine. Tantæ enim
cædis consiliarius pudorem de fronte abstersisti, & neque
erubescis, neque formidas post tantam adversus divinam
imaginem admissam rabiem. Cumque preces adhiberet
Rufinus, & Imperatorem brevi adfuturum diceret, zelo
divino succensus sanctus Ambrosius: At ego, inquit,
Rufine, prædico prohibiturum me illum sacrorum limi-
num ingressu. Quòd si imperium mutarit in tyranni-
dem, cum voluptate & ego cædem excipiam. His audi- 130
tis Rufinus Pontificis consilium Imperatori per internun-
tium significavit, suasitque, ut intra palatium se conti-
neret. Sed Imperator cùm hæc medio in foro didicisset:
Ibo, inquit, & justas contumelias perferam. Cùm autem
ad sacra septa pervenisset, in divinum templum est in-
gressus, sed ad Pontificem in salutatorio residentem acce-
dens, ut vinculis solveretur obsecrabat. Ille verò tyran-
nicum ejus adventum appellabat, & in Deum furere
Theodosium aiebat, ejusque leges conculcare. Cui Impera-
tor: Minimè, ait, contra leges latas mihi arrogo, nec
sacra vestibula per nefas ingredi cupio, sed ut vincula
mea solvas oro, communisque Domini clementiæ recorde-
ris, nec mihi occludas januam, quam Dominus pœniten-
tiam agentibus omnibus patefacit. Et Pontifex: Quam-
nam tu, inquit, pœnitentiam post tam iniquum facinus
ostendisti? Aut quæ medicamenta gravissimis vulneribus
sanandis adhibuisti? Tuum est, ait Imperator, medica-
menta ostendere & temperare, meum vero quæ adhibebun-
tur, accipere. Tum divinus Ambrosius: Quoniam tu,
inquit, judicium iracundiæ permittis, & non ratio, sed
furor profert sententiam, scribe legem, quæ iracundiæ
sententias irritas reddat, & inanes: Diebusque triginta
perscripta maneant de cæde, vel publicatione latæ senten-
tiæ, rationis judicium exspectantes. Diebus transactis
qui judicata scripsere, imperata exhibeant, ac tum
ira sedata ratio apud se dijudicans expendet, quæ decre-
ta sunt, dispicietque, justane sint, an injusta: Et siqui-
dem injusta esse compererit, scripta utique conscindet; sin
verò justa, confirmabit, rectéque judicatis dierum nume- 131
rus haudquaquam officiet. Consilium hoc amplectens Im-
perator, factuque optimum existimans, legem statim con-
scribi jussit, & manu sua subscriptione firmavit. Quo
facto divinus Ambrosius vinculum exsolvit: Ita demum
intrare templum ausus fidelissimus Imperator, non
stans,

stans, neque genibus flexis Deum precatus est, sed pronus humi stratus in Davidicam vocem erupit: Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundùm verbum tuum; & manibus capillum vellens & frontem percutiens, & guttis lacrymarum pavimentum rigans, veniam sibi dari postulabat. Ubi autem tempus advenit, quo dona sacra mensæ offerret, surgens pariter cum lacrymis sanctuarium conscendit, donisque oblatis intus ad cancellos substitit ut solebat. Verùm hic rursus non conticuit magnus Ambrosius, sed locorum discrimina edocuit. Primùmque, numquid vellet rogavit: Et cùm Imperator divinorum mysteriorum perceptionem exspectare se diceret, per primum Diaconorum hæc ei significavit: Ad loca interiora, Imperator, aditus solis Sacerdotibus patet, cæteris omnibus invia sunt & intacta. Proinde exi, & cum aliis consiste. Nam purpura Imperatores facit, non Sacerdotes. Quam admonitionem itidem æquo animo accipiens fidelissimus Imperator, renuntiari jussit se non animi arrogantia mansisse intra cancellos, sed quia Constantinopoli hunc morem esse didicerat. Cæterum pro hac etiam curatione gratias agere. Tali ac tanta virtute eminuerunt tum Imperator, tum Episcopus.

Et primùm quidem Bellarminus historiam hanc
132 non legerat, vel si quando legerat, eam oblitus erat, dum illam assumit, ut lemma istud, *Pontificem ut Pontificem habere in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem disponendi de temporalibus rebus Christianorum omnium*, confirmet. Quidquid id est, sive legerat, sive non legerat exemplo, ut ille vocat, vel narratione quæ prorsus divina est, abutitur, & vehementer errat. Quis enim quæso, narrationem inter & lemma nexus? Quæ junctio? Quod vinculum? Narratur commissum ab Imperatore facinus, narratur exposita Imperatori per Ambrosium magnitudo facinoris, quod objurgatione & emendatione longa dignissimum est. Narratur suscepta libenter, & piè acta à reo pœnitentia. Narratur reddita Episcopo Mediolanensi obedientia eaque tanta, quanta fingi excogitarique potuit? Ideone quia sic se res habet, *Romanus Pontifex de rebus temporalibus Christianorum omnium disponendi potestatem summam obtinuit?* Profectò non philosophari, sed somniare est, ex memorata narratione jus illud colligere aut ex agendæ pœnitentiæ modo, quem Theodosius tenuit, vel quem peccatores reliqui tenent, vel tenere possunt, id in complexionem inferre, quod Bellarminus intulit. Cui præterquam Bellarmino, vel alii alia omnia cogitanti venire potest in mentem, Regum vel plebeiorum modum agendæ pœnitentiæ adhibere, ut probet, *Romanum Pontificem in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem habere disponendi de rebus temporalibus Christianorum omnium?*

Deinde Bellarminus nec in Ambrosium, nec in seipsum inspexit; cùm scripsit; *Ambrosius excom-*
133 *municavit Imperatorem Theodosium:* Non inspexit in Ambrosium; qui in libri II. de officiis cap. XXVII. docet excommunicationem tardiùs ferendam esse: *Cum dolore*, inquit, *amputatur etiam, quæ putruit pars corporis, & diu tractatur si potest sanari medicamentis: Si non potest, tunc à medico bono abscinditur: Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non abscindere; Postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere. Unde pulcherrimum illud præceptum magis eminet: Ut cogitemus, non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum. Hoc enim modo nihil erit, quòd vel irati nostro indulgeamus affectui, vel faventes nostræ plus justo tribuamus aliquid voluntati.* Constituissetne sibi Ambrosius si Theodosium, non dico repugnantem & inobsequentem; sed audientem, & suis monitis omnibus diligenter obtemperantem excommunicasset? Hoc est, precibus Ecclesiæ & societate fidelium privasset? Secutusne esset consilium quod cæteris præbet Sacerdotibus? Nempe voci pastoris obedientem excommunicasset Imperatorem Theodosium, quem ne contumacem quidem excommunicasset, nisi fortassis tardissimè. Recordatus esset quid in Epistola LVIII. de criminoso magistratu scribit: *Majores*, inquit, *maluerunt indulgentiores esse circa judices, ut dum gladius eorum timeretur, & reprimeretur, scelerum furor non incitaretur.* Augustinus Ambrosii discipulus in eandem cum majoribus, & magistro suo descendit sententiam, cùm in homiliæ XXVIII. è numero homiliarum L. cap. III. ait: *Sed aliquando nos*
parcimus, & non novimus, nisi loqui: Excommunicare, de 134
Ecclesia projicere pigri sumus, aliquando enim timemus, ne ipso flagello pejor fiat qui cæditur. Hæc autem cùm ita sint, Ambrosius non minùs prudenter cum Imperatore Theodosio quàm cùm criminoso magistratu egisset. Nunc Bellarmino & Bellarmini lemmate quid fiet? Sanctissimus Ecclesiarum doctor Imperatori nullum dixit anathema, nec se eum precibus Ecclesiæ, & cœtu fidelium privare denuntiavit: Illum Mediolanensis templi ingressu duntaxat prohibuit, usquedum propter admissum crimen pœnas à se repetivisset: Repetiit suo Antistiti obsequentissimus. Discendum est id ex ipso Ambrosio in oratione, quam de obitu Theodosii habuit. Verba sunt. *Dilexi virum, qui magis arguentem, quàm adulantem probaret. Stravit omne quo utebatur insigne regium. Deflevit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu & lacrymis oravit veniam: Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator publicè pœnitentiam agere, neque ullus postea dies fuit, quo non illum defleret errorem. Quid quod præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit à consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur adventu?* Excommunicationem illam, de qua Bellarminus loquitur, hoc in contextu toto quis leget, quis invenit? Ambrosius, quomodo se erga Theodosium gesserat, meliùs, opinor, quàm alius quisquam noverat: At quidquid id est, ivit in clarissimum principalis obedientiæ, & vindicatæ religionis exemplum. Pro Bellarmino dicet aliquis, scriptores alios rem
fortassis ita narrare, ut quod ille sibi sumit, stare 135
possit. Cur ergo Bellarminus Theodoretum attulit, & scriptores alios prætermisit? Quærenda tamen, & asserenda est veritas, cui non præscribitur. Igitur scriptores alii producendi sunt.

Paulinus in vita sancti Ambrosii: *Per idem*, inquit, *tempus causa Thessalonicensis civitatis non minima successit tribulatio Sacerdoti, cùm civitatem pene deletam comperisset. Promiserat enim illi Imperator, se veniam daturum civibus supradictæ civitatis, sed agentibus Comitibus occultè cum Imperatore, ignorante Sacerdote usque in horam tertiam, gladio civitas est donata; atque plurimi interempti innocentes. Quod factum ubi accepisset Sacerdos, copiam Imperatori ingrediendi in Ecclesiam denegavit, nec priùs dignum judicavit cœtu Ecclesiæ, vel sacramentorum communione, quàm publicam ageret pœnitentiam. Cui Imperator contrà asserebat David adulterium simul & homicidium perpetrasse. Sed responsum illico est: Qui secutus es errantem, sequere corrigentem. Quod ubi audivit clementissimus Imperator, ita suscepit animo, ut publicam pœnitentiam non abhorreret. Cujus correctionis profectus secundam illi paravit victoriam.* At his in verbis locus nullus est excommunicationis, qua perculsum ab Ambrosio fuisse Theodosium Bellarminus contendit. Publica exigitur ab Imperatore pœnitentia, priusquam ingrediatur in Ecclesiam. Imperator publicam pœnitentiam agere non renuit. Hac ultro defungitur, remotus quidem ab Ecclesiæ ingressu, & sacramentorum communione, sed non ideo excommunicatus
dicendus est, ut à Bellarmino dicitur, alioqui pœni- 136
tentes omnes excommunicati dicerentur.

Rufinus Aquileiensis Presbyter in Ecclesiasticæ historiæ lib. II. cap. XVIII. *Per idem tempus sub-*

reptione

reptione quadam dæmonis turpis macula religioso Principi (Theodusio) *sumpta est. Etenim cùm apud Thessalonicam seditione exorta quidam ex militaribus vir impetu fuisset populi furentis extinctus, repentini nuncii atrocitate succensus ad ludos Circenses invitari populum, eique ex improviso circumfundi milites, atque obtruncari passim, ut quisque occurrisset, gladio in ea vindictam dari, non criminis, sed furori. Ob hoc cùm à Sacerdotibus Italiæ argueretur, agnovit delictum, culpamque cum lacrymis professus publicam pœnitentiam in conspectu totius Ecclesiæ exegit, & in hoc sibi tempus adscriptum absque regali fastigio patienter inrexit. Quibus omnibus istud quoque mirabiliter adjecit: Lege sanxit in posterum, ut sententia Principum super animadversione prolata in diem tricesimum ab exsecutoribus differrentur, quò locus misericordiæ, vel si res tulisset, pœnitentiæ non periret.* Hic ne verbum quidem ullum est de excommunicatione, cujus meminit Bellarminus. Decernentibus Episcopis Imperator, publicam agit pœnitentiam in conspectu Ecclesiæ totius, & ideo non excommunicatur Theodosius, ut Bellarminus excommunicatum fuisse contendit.

Augustinus, in lib. v. de civitate Dei cap. xxvi. *Quid autem fuit religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium gravissimum scelus, cui jam Epis-*
137 *copis intercedentibus promiserat indulgentiam tumultu quorumdam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est, & Ecclesiastica coercitus disciplina sic egit pœnitentiam, ut Imperatoriam celsitudinem pro illo populus orans magis fleret videndo prostratam, quàm peccando timeret iratam? Hæc ille secum & si qua similia, quæ commemorare longum est, bona opera tulit, ex isto temporali vapore cujuslibet culminis & sublimitatis humanæ, quorum operum merces est æterna felicitas.*

Deinde in homilia xlix. è quinquaginta homiliis cap. iii. *Et resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genu figere sub benedictione Dei? Quod non erubuit Imperator, erubescit nec Senator, sed tantùm curialis. Superba cervix, mens tortuosa fortassis, imò quod non dubitatur, propterea Deus voluit, ut Theodosius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conspectu populi, maximè quia peccatum ejus cælari non potuit, & erubescit Senator, sed tantùm curialis, quod non erubuit Imperator. Erubescit plebeius, sive negotiator, quod non erubuit Imperator.* Bellarminus in neutro Augustini loco Theodosii excommunicationem inveniret. Agendæ pœnitentiæ exemplum inveniet, quo nullum unquam fuit memorabilius. Imperatorem inveniet, quo nullus unquam fuit Ecclesiasticæ disciplinæ observantior.

Sozomenus in lib. vii. cap. xxiv. *Imperator*, inquit, *sublato Eugenio cùm Mediolanum venisset, ad Ecclesiam processit. Occurrit ei Ambrosius ejus civitatis Episcopus, & apprehensa illius purpura in præsentia populi: Siste gradum, inquit, homini enim ob peccata pro-*
138 *fano, & manus innoxio sanguine commaculatas habenti fas non est, antequam pœnitentiam egeris, vel sacrum ingredi solium, vel ad divinorum mysteriorum communionem admitti. Imperator libertatem Sacerdotis admiratus cogitationibus conscientiam accusantibus regressus est, pœnitentia compunctus. Erat autem peccati insimulatio hujusmodi. Botherichа tunc temporis apud Illyrios militum Præfecti auriga pincernum domini impudicè intuitus de stupro interpellarat, eaque de causa comprehensus in vinculis erat. Instanti autem solemni equestri certamine populus Thessalonicensis illum velut ad eam concertationem necessarium dimitti postulabat. Quod quoniam non impetrabat, in gravem seditionem efferbuit, ac tandem etiam Botherichам ipsum interfecit. Qua re nunciata Imperator præter modum excanduit, & certum eorum numerum, qui adfuerant, interfici præcepit, ex quo civitas multis injustis cædibus impleta fuit. Siquidem peregrini qui modò vel adnavigaverant, vel de via advenerant ex improviso apprehendebantur, fiebantque miserabiles clades, in quibus & hæc quoque. Mercator pro filiis suis duobus captis seipsum offerens orabat, ut filiis servatis ipse interficeretur, & in ejus facti mercedem auri quidquid habebat militibus pollicebatur. Illi calamitatem hominis miserati pro uno ex filiis quocumque vellet, supplicationem admittunt, duos verò dimittere, tutum sibi non esse dicunt ob id quòd numerus deficeret. Pater itaque utrumque lamentabundus ac plorans intuitus, neutrius electionem facere sustinuit, sed in continua hæsitatione, donec interficerentur ambo, suspensus mansit, æquali utrinsque amore victus.* 139
Quinetiam frugi quendam servum accepi pro domino suo, qui ad lanienam raptabatur, alacriter tunc oppetiisse mortem. Talium igitur ac talibus consequentium malorum, ut consentaneum est, Ambrosius Imperatorem insimulans, ab Ecclesia arcuit, & à communione seclusit. Imperator igitur coram Ecclesia peccatum confessus est, ac toto tempore, quod illi ad pœnitentiam definitum erat, ut qui lugeret, imperiali ornatu usus non est, quin & legem quoque illis irrogavit, qui imperialibus mandatis famulantur, ut in tricesimum usque diem supplicia differant eorum, qui ad mortem condemnati sunt: Ut intermedio tempore Imperatoris ira mitigari, & placato ejus animo misericordiæ locus esse posset. Ab hoc Ambrosio, & alia multa præclarè gesta sunt; officio Sacerdotali digna, quæ ut consentaneum est, indigenis solis constant. Ex præcipuis autem ejus factis ego & illud quoque cognovi. Moris erat ut Imperatores dum sacris interessent, in sacrario sederent, majestatis ergo à populi consortio separati. Ambrosius autem considerans, eam consuetudinem vel ex assentatione, vel ex ordinis inscitia esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignavit ante sacrarii cancellos, ita ut populum Imperator, Imperatorem Sacerdotes ordine sedis antecederent. Hanc autem optimam constitutionem Theodosius Imperator approbavit, & successores ejus corroboraverunt, ac nos eam ex eo usque tempore conservatum cernimus. Sozomenus non alia narrat de Ambrosio & Theodusio, quàm Theodoretus, Ambrosius, Paulinus, Rufinus & Augustinus jam narrarunt in iis, quæ ad institutum nostrum pertinent. Concurrunt inter 140
se omnes, ut nobis explicent, qua libertate & Christiana constantia beatus Ambrosius se cum Theodusio, & qua patientia, & animi demissione Theodosius se cum Ambrosio gesserit; sed nullus eorum meminit excommunicationis illius, qua Theodosium ab Ambrosio perculsum fuisse Bellarminus affirmat. Neque verò Sozomeni verba hæc: *Ambrosius Imperatorem insimulans ab Ecclesia arcuit, & à communione seclusit*, quemquam commovere debent. Quam enim excommunicationem Bellarminus statuit, minimè significant, sed ingressus tantùm in Ecclesiam, & communionis sacramentorum amotionem, usquedum Imperator publicam egisset pœnitentiam. Quod pœnitentibus universis commune esse nemo nescit. Bellarminus non hoc duntaxat, aliud quid asperius intelligit, sed intelligentiæ suæ defensionem nec apud Ambrosium, nec apud Paulinum, nec apud Rufinum, nec apud Augustinum, nec apud Sozomenum, nec apud Theodoretum, quem laudat unicum, offendit.

Verùm enimverò ad Bellarminum cominus accedendum est, qui non magis in seipsum, quàm in Ambrosium inspexit. Hic auctor in lib. iii. de militante Ecclesia cap. iii. Theodosium jure excommunicari non potuisse tradit his verbis: *Excommunicatio non potest ferri, nisi in contumaces, & incorrigibiles, ut beatus Augustinus docet libro de vera religione capite vi. idem etiam omnes Theologi deducunt ex illo Matthæi xviii. Si Ecclesiam non audieris, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* At Imperator reum se agnovit, contumax non fuit, humilitatem & mo- 141
destiam præ se tulit admirabilem, admissum crimen emendare lubenti prolixoque animo voluit. Sic Bellarminus uno in loco destruit quod in alio ædificaverat.

Sic

Sic Bellarminus cum Ambrosio, cum Augustino, cum Theologis omnibus & secum pugnat, & pugnando misere corruit. Qui casum adjuvent, multos reperiet; qui retardet, neminem. Baronius, qui quæsita ubique occasione, quod ornandæ augendæque Romani Pontificis dignitati inserviat, prætermittit nihil. Quidquid id est, ita recenset, ut de Romano Pontifice ne verbum ullum injiciat. *Hoc*, inquit, *ipso anno* (CCCXC.) *Theodosius Imperator, qui anno superiori recedens ab urbe mense Septembri, ut vidimus, Mediolanum se contulerat, ibidem ob cladem Thessalonicensium perpetratam, à sancto Ambrosio repellitur ab Ecclesia, ac nonnisi publicè acta pœnitentia in eadem admittitur.* Quibus verbis non id quod Bellarminus excommunicationis genus exponit, nec ad Romanum traducit Episcopum, cui de rebus temporalibus Christianorum omnium disponendi potestatem summam tribuat. Neque verò negandum est, Theodosium certo quodam modo excommunicatum fuisse, sed non eo, quem Bellarminus innuit, sed quem Ambrosius, Paulinus, Rufinus, Augustinus, Sozomenus describunt, & quem Facundus Hermianensis Episcopus persequitur in libri XII. pro defensione trium Capitulorum cap. V. *At per hoc*, inquit, *si Princeps quoque pro suis peccatis intercessionem vult habere, Sacerdotem etiam in suis peccatis castigatorem ferre non dedignetur, ut pro illo intercedens possit*
142 *audiri, ne dicatur ei, quod Hieremiæ dictum est: Noli orare pro populo hoc, & ne postulaveris misereri illius, & non accesseris ad me pro eis, quia non exaudiam te. Quod metuens beatæ recordationis major Theodosius Imperator, cujus semper memorabilis erit in Ecclesia Christi memoria, quamquam sæpe de magnorum barbarorum prœliis, & de maximorum tyrannorum triumphaverit, non tamen ex hujuscemodi victoriarum frequentia, in quibus Trajano filio gehenna comparari non potest, veram meruit gloriam, sed de supplici & publica peccati sui pœnitentia, quam expugnato regali fastigio placidè, atque humiliter Antistite Ambrosio castigante suscepit, & indictum sibi debitæ satisfactionis tempus ab Ecclesiæ communione remotus implevit.* Et paullo pòst: *Et non tale aliquid petimus corrigi quale fuit, quod excommunicatione ulciscebatur Ambrosium, qua scilicet ad certum temporis spatium Mediolanensis pastor Theodosium ab Ecclesia communione removerat.*

Tum Bellarminus ad Theodoreti historiam quam laudat, non satis advertit, cùm ait: *Præcepit Imperatori ut legem ferret.* Et paullo pòst: *Coegit Imperatorem ad legem politicam ferendam.* In Theodoreti historia nec *præcipiendi*, nec *cogendi* vestigium ullum apparet: Ambrosius quidem dicit Theodosio, scribe legem, γράψον νόμον, sed Theodosius prædixerat Ambrosio: *Tuum est medicamenta ostendere & temperare, meum verò quæ adhibebuntur accipere. Tum divinus Ambrosius. Quoniam tu*, inquit, *judicium iracundiæ permit-*
143 *tis, non ratio, sed furor profert sententiam: Scribe legem, &c.* Quibus Theodoretus subnectit; *Consilium hoc complectens Imperator*, [illegible] *eoque optimum existimans, legem statim conscribi jussit.* Bellarminus, ut satis liquet, non veritati, sed causæ servit suæ, dum Theodoreti historiæ imponit, quæ non præ se fert Theodoreti historia, ut deinceps concludat hoc modo. *Præterea cogere Imperatorem ad legem politicam ferendam, & præscribere ei formam legis, nonne manifestè ostendit, posse Episcopum interdum temporali potestate uti etiam in eos, qui potestatem super alios acceperunt? Et si Episcopus quilibet id potest, quantò magis princeps Episcoporum?* Ex tot antecedentibus quæ consecutio, seu potiùs quæ fallacia? Sacerdotes primi & secundi ordinis hominibus variorum criminum reis, sed verè pœnitentibus varium satisfaciendi Deo, & Ecclesiæ modum indicunt, his ut jejunent, illis ut vigilent, aliis ut se funiculis divexent, quibusdam ut flagellis se cædant, nonnullis ut injustè ablata restituant, unis, ut stipem pauperibus erogent; & tamen necesse non est ut ad præstanda hæc omnia temporali potestate utantur. Sint igitur, qui erogandæ pauperibus stipis, seu dandæ eleemosynæ formam præscribant. Quis inde sana mente præditus concludat Sacerdotes ad id præstandum posse temporali potestate uti, & si utantur, posse vectigalia & tributa pœnitentibus imponere, aut eos his, vel illis vectigalibus & tributis privare? Gregorius junior Bellarmino responderet, quod Leoni Isauro scripsit in posteriori Epistola: *Nos nec in-* 144
trospiciendi in palatium, nec regias dignitates deferendi potestatem habemus. Nos inermes & nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus. Invocamus principem omnis creaturæ sedentem in cœlis Christum, qui est super omnes exercitus supernarum virtutum, ut immittat tibi dæmonem, sicut ait Apostolus, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Qui porrò sic responderet Pontifex, manifestè ne ostenderet posse se interdum temporali potestate uti, etiam in eos, qui potestatem super alios acceperunt? Contrarium penitus ostenderet, nempe non posse se temporali potestate uti ad id præstandum, quod Bellarminus sibi fingit. Huc iterum nos ad se revocat Gregorius, cùm in eadem Epistola discrimen inter Imperatorem, & Sacerdotem criminis reos castigantes statuit: Sic igitur Leonem Isaurum alloquitur: *Vides, Imperator, Pontificum & Imperatorum discrimen: Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas & spolias, solùm illi vitam relinquens, tandémque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eùmque longè à liberis, & ab omnibus cognatis & amicis suis amandas: Pontifices non ita: Sed ubi peccarit quis, & confessus fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco Evangelium & crucem ejus cervicibus circumponunt, eùmque tanquam in carcerem in secretaria, sacrorúmque vasorum æraria conjiciunt, in Ecclesiæ Diaconia, & in catechumena ablegant, ac visceribus eorum jejunium, oculísque vigilias & laudationem ori ejus indicunt. Cumque probè castigarunt, probéque fame afflixerunt, tum* 145
pretiosum illi corpus Domini impartiunt, & sancto illum sanguine potant, & cum illum vas electionis constituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum & insontem transmittunt. Tunc si ex lege Christi docendus erat Imperator, hunc docuisset Gregorius de Rom. Pontificis auctoritate, & dixisset *Romanum Pontificem in ordine ad bonum spirituale potestatem summam habere disponendi de rebus temporalibus Christianorum omnium.* Non docuit, quia hoc Imperatorem ex lege Christi, & ex Petri cathedra docere non potuit. Tu nosti & legem Christi, & cathedram Petri ad docendum falsum hominem inclinare neminem.

His autem ita constitutis certum est Bellarminum in quæstione, quam de abdicandis per Romanum Antistitem Principibus instituit, Theodoreti historia quam laudat, immoderatè abusum esse, & turpiter errasse: Deinde certum est, Bellarminum scriptores alios, qui de Theodosii & Ambrosii facto scripserunt, ne disceret quod discendum erat, dissimulasse. Tum certum est, Bellarminum à seipso discrepare, dum lemma proponit suum, & dum illud probat, singulare lemma facit, & uni Romano Pontifici proprium in libri V. de Rom. Pont. cap. VII. Sed lemmatis probationem Episcopis omnibus per Ambrosium communem reddit in ejusdem libri capite VIII. atque ita in rationis, quam assumit, decursu toto sophismata sunt duo, nec satis aliunde contorta & aculeata: Ignoratio elenchi, & fallacia accidentis: Quæ si caverentur, ut caveri debent, Bellarminus argumento vacuus 146
prodiret. Omitto aliud esse Imperatorem ingressu Ecclesiæ & fidelium communione, aliud Imperio privare. Hæc si Bellarminus conjungit, quæ reipsa minimè conjunguntur, nullus est: Si separat, quæ reipsa separantur, captus est, atque jus excommunicandi Principis

Principis ad jus deponendi Principis ineptè, & absurdè transfertur. Quòd autem illa duo minimè conjungantur, liquidò patet cùm ex aliis, tum ex eo quoque, quòd Theodosius, Ambrosio teste, novam adeptus victoriam se à consortio sacramentorum abstinuit, nec tamen privavit se Imperio. Quæ superiùs relata sunt Ambrosii verba, expende, & in iis religiosi Principis factum observa. Vale Lutetiæ Paris. Idibus Julii ann. M. DC. LXX.

Joannes Launoius
RAIMUNDO FORMENTINO
Parisiensi *Theologo*, & Aurelianensi *Canonico & Subdecano.*

147 DOLES non immeritò reperisse te recentiores quosdam è schola Theologos, & cum primis Franciscum Suarem in libri III. de Pontificis Summi primatu cap. XXIII. & Martinum Becanum in Anglicanæ controversiæ cap. III. quæst. III. qui ut Romanum Antistitem posse subditos à juramento fidelitatis Regibus præstito liberare confirment, Evangelii verba, *quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, assumunt. Enimverò ferendum non est hoc: Quippe qui violent unum eumque notabilem è Tridentina professione fidei articulum hunc: *Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenet & tenuit sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* At cur articulus hic violari non debeat, causæ sunt omnino quatuor: Primùm, quòd maximè necessarius est ad imponendum finem iis quæstionibus, quæ in perpetuas lites, rixas & tergiversationes pertraherentur: Deinde quòd articulo sua debet constare veritas, ne ad dubitandum de cæteris aditus ullus præbeatur: Tum ne Catholicæ communionis assertores & vindices offendantur: Denique ne hæretici ex eo rejiciendæ professionis fidei ansam
148 sam capiant, cùm illam viderint à Catholicis Theologis contemni. Sed ne putes locum dari calumniæ, violatum esse à duobus illis magistris, hac in quæstione articulum tibi demonstratum imus.

Ordior ab ipsis Romanæ Ecclesiæ Præsulibus, qui de concessa sibi à Christo ligandi ac solvendi potestate loquuntur sinceriùs. Docebunt nos, quomodo potestas illa, quæ apud Matthæum Petro traditur, intelligenda sit, an de liberatione sacramenti, quo subditi Regibus suis obstringuntur, an de peccatis, quibus implicantur homines, an de utroque, quod recentiores illi Theologi sibi atrogant.

I. Inter Romanos Pontifices mihi primus insignitè occurrit Philippus, non quidem Romanus Pontifex, sed qui Romani Pontificis Cælestini personam gerebat in Ephesino Concilio: Sic autem Evangelii verba interpretatur in actione III. *Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus dixit: Seculis omnibus notum est, quòd beatus Petrus claves regni cælestis accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est.* Dicit quidem sæculis omnibus notum esse, quòd Petrus ligandorum ac solvendorum criminum potestatem à Deo acceperit. Sed non dicit sæculis notum esse omnibus, quòd unà potestatem solvendi subditos à juramento fidelitatis Regibus præstito acceperit. Sic ad annum Christi CCCCXXXI. eadem est Ephesini Concilii, quod in dicentem Presbyterum Sedis Apostolicæ Legatum consensit, ac Sedis ipsius Apostolicæ circa verborum Evangelii intelligentiam traditio, sic & universalis Ecclesiæ, cujus repræsentatio per Concilium celebrabatur.

II. Sanctus Leo in sermone II. anniversarii diei, quo 149
ad Pontificatum assumptus fuerat: *Cùm enim*, inquit, *sicut Evangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus Discipulos, quem esse (multis diversa opinantibus) crederent, respondissetque beatus Petrus, dicens: Tu es Christus filius Dei vivi, Dominus ait, beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cælorum janitor constituitur, dum ligandorum, solvendorùmque arbiter, mansura etiam in cælis judiciorum suorum definitione præficitur, quasi ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria nosceremus.* Deinde in sermone II. de natali Apostolorum Petri & Pauli: *Hanc*, inquit, *confessionem (Tu es Christus Filius Dei vivi) portæ inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt. Vox enim ista, vox vitæ est, & sicut confessores suos in cælestia provehit, ita negatores ad inferna demergit. Propter quod dicitur beato Petro Apostolo: Tibi dabo claves regni cælorum, & quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris super terram,* 150
erunt soluta & in cælis. Transivit quidem in Apostolos alios vis istius potestatis, sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro ergo singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Leonis posterior locus priorem determinat, cùm per sese, tum per Sedis Apostolicæ traditionem, quæ Philippo Romanæ Ecclesiæ Presbytero, & Cælestini Vicario, dicente, & Ephesinæ Synodo assentiente splenduit: Unde quò spectet illud, quæcunque ligaveris & solveris, ostenditur, quæ liganda & solvenda sint, in Petro cunctis Ecclesiæ rectoribus proponuntur. Et hæc sunt maximè peccata.

III. Gelasius in Synodo, qua Misenus Cumanus Episcopus absolutus est. *Quod super facultatis nostræ est modulum, divino judicio relinquamus. Non autem nobis poterunt imputare cur prævaricationis offensam viventibus remittamus; quod Ecclesia Deo largiente possibile est: Qui nos etiam mortuis aut veniam, aut condemnationem dare posceunt, quod nobis possibile non esse manifestum est: Qua cùm dictum sit: Quæ ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, quos non esse jam constat*

constat super terram, non humano, sed suo judicio re-
servavit. Nec audet Ecclesia sibimet vindicare, quod
ipsis beatis Apostolis conspicit non fuisse concessum. Si
enim licet ligari mortuos, licet & solvi; & si licet
mortuis damnationem inferre, licet & veniam dare.
Hac in discussione limitum, quibus ligandi & sol-
vendi potestas circumscribitur, non apparet, pote-
statem illam aliter, quàm in ligandis solvendisque
criminibus versari.

151 IV. Vigilius in constituto Gelasium ita sequitur:
Item beatus Gelasius Papa in Epistola, quam ad Episco-
pos Dardaniæ de causa Acacii scripsit: Post alia ita
dicit: Qui postquam in collegium recidens pravitatis,
jure meruit ab Apostolica communione secludi. In hac
autem persistens damnatione defunctus est: Absolutio-
nem, quam superstes, nec quæsivit omnino, nec meruit,
mortuus jam non potest impetrare. Siquidem ipsis Apo-
stolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaveritis su-
per terram, & quæ solveritis super terram. Cæterùm
jam de eo, qui in divino est judicio constitutus, nobis
fas aliud decernere non potest, præter id, in quo eum
dies supremus invenit. Item memoratus beatæ recordatio-
nis Papa Gelasius, in gestis Synodalibus de Miseni Epis-
copi Cumani absolutione confectis, hoc evidenter edocuit
dicens, & cætera, quæ suprà relata sunt. Fatebatur
quidem Vigilius, Theodorum Mopsuestenum hære-
seos labe maculatum esse, sed negabat eum post mor-
tem condemnari posse; & id relatis à se scripturæ ver-
bis confici putabat. Quidquid id est, scripturæ verba
in ligandis & solvendis criminibus semper consistunt.
Res hæc in antiqua traditione posita erat, nec perinde
facilè mutari poterat.

V. Gregorius Magnus, qui ad annum DXC. cœpit
Romanæ præesse Ecclesiæ, in homilia XXVI. super
Evangelia. Unde & in hac ipsa datione Spiritus di-
citur: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &
quorum retinueritis, retenta sunt; libet intueri, illi Dis-
cipuli ad tanta onera humilitatis vocati ad quantum
culmen gloriæ sint perducti. Ecce, non solùm de semet-
152 ipsis securi fiunt, sed etiam & alienæ obligationis pote-
statem relaxationis accipiunt. Principatum superni ju-
dicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata reti-
neant, quibusdam relaxent: Sic sic eos à Deo decebat
erigi, qui tantùm pro Deo consenserant humiliari. Ecce
qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judi-
ces fiunt, & alios damnant, vel liberant, qui semetipsos
damnari metuebant. Horum profectò nunc in Ecclesia
Episcopi locum tenent, ligandi atque solvendi auctorita-
tem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis
honor, sed grave pondus istius est honoris: Durum
quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ,
judex vitæ fiat alienæ, & plerumque contingit, ut hic
judicii locum teneat, cui ad locum vita minimè concor-
dat. Ac proinde sæpe agitur, ut vel damnet immeri-
tos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis ac
ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causa-
rum merita sequitur: Unde fit, ut ipse hac ligandi &
solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntati-
bus, & non pro subjectorum moribus exercet. Sæpe fit,
ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur
Pastor: Judicare autem de subditis dignè nequeunt, qui
in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequun-
tur. Unde rectè per Prophetam dicitur: Mortificabant
animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ
non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui justum
damnat, & non victurum vivificare nititur, qui reum à
supplicio absolvere conatur. Causa ergo pensanda sunt,
& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Vi-
dendum est, quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia
153 secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per com-
punctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absol-
vat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æ-
terni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatridu-
ani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet de-
monstrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit & vivifi-
cavit, dicens: Lazare, veni foras, & postmodum is,
qui vivens egressus fuerat, à discipulis est solutus,
sicut scriptum est. Cumque egressus esset, qui fuerat li-
gatus institis, tunc dixit discipulis: Solvite & sinite
abire. Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem
magister resuscitaverat mortuum: Si enim discipuli La-
zarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent,
quàm virtutem. Ex qua consideratione intuendum est;
quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem sol-
vere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem
gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante ope-
rationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione
peccati: Unde & huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam
dicitur, revivisce, sed veni foras. Omnis quippe pecca-
tor dum culpam suam intra conscientiam abscondit, in-
trorsum latet, in suis penetrabilibus occultatur, sed mor-
tuus venit foras, cùm peccator nequitias suas spontè con-
fitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foras, ac si apertè
cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum
intra conscientiam abscondis? Foras jam per confessio-
nem egredere, quia apud te interiùs per negationem la-
tes. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confi-
teatur peccator, venientem verò foras solvant discipuli;
ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam 154
meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Hæc
de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno
moderamine Pastores Ecclesiæ vel solvere studeant,
vel ligare. Sic postquam ligandi ac solvendi po-
testatem volvit, ac revolvit, illam tum demum
in ligandis ac solvendis culpis, quas peccato-
res confitentur Ecclesiæ Pastoribus, sitam esse pro-
nuntiat.

VI. Gregorius II. ad annum DCCXXX. Grego-
rium I. sequitur in priori ad Leonem Isaurum Epistola:
Scribe ad omnes, & in quascunque regiones orbis terra-
rum, quibus offendiculo fuisti, Germanum Patriarcham
Constantinopolitanum, & Gregorium Papam Romanum
circa imagines peccasse; & nos ab hac cura quietum
te præstabimus, ne peccatum aut lapsus ullus sit tuus, ut-
pote qui à Deo potestatem & cœlestia, & terrena solven-
di accepimus. Deinde in posteriori ad eundem Isau-
rum Epistola: Quod si te pudeat, hoc tibi ipsi tanquam
Imperatori tribuere, ad regiones omnes, quibus scandalo
fuisti, scribe, Gregorium Papam Romanum circa imagines
errare, itemque Germanum Constantinopolitanum Patri-
archam: Et nos culpam peccati recipimus, utpote qui
potestatem à Domino accepimus, & auctoritatem ter-
rena cœlestiaque solvendi ac ligandi, teque ab hac cura
quietum præstabimus. Gregorius junior & suam, &
Germani Patriarchæ Constantinopolitani potestatem
ligandi ac solvendi, in criminibus positam esse ag-
noscit.

VII. Zacharias, qui ad annum DCCXLI. Romanæ
Ecclesiæ clavum tenere cœpit, majorum traditionem
amplectitur, & conservat in Epistola ad Wittam:
Pro quo, inquit, & nos ardenti animo & divino juva- 155
mine, ac auctoritate beati Petri Apostolorum principis, cui
data est potestas à Deo & Salvatore nostro Jesu Christo li-
gandi, solvendique peccata hominum in cœlo & in terra, con-
firmamus. Hæc est Sedis Apostolicæ doctrina, à qua
ne latum quidem unguem discedit.

VIII. Hadrianus I. qui anno DCCLXXII. ad Ro-
manam accessit Ecclesiam, in Epistola ad Constanti-
num & Irenem: Ipse princeps Apostolorum, cui à Do-
mino Deo ligandi solvendique peccata in cœlo & in terra
potestas data est, crebrò vobis protector existens, &c. Hæc
autem Epistola cùm in synodi VII. actione II. lecta
& approbata sit, dubitare non licet, quin Romanus
hic Pontifex verborum Evangelii sensum verum ac legi-
timum reddiderit. Concordat ibi repræsentata per
Concilium Ecclesia. Deinde in Epistola ad Tilpinum
Remensem Archiepiscopum, quam Flodoardus in libri
II. historiæ Remensis capite XVII. refert: Sed &

nova tibi pro tuo bono studio concedimus, atque auctoritate beati Petri Apostolorum principis, cui data est à Deo & Salvatore nostro Jesu Christo ligandi, solvendique potestas peccata hominum in cælo & in terra, confirmamus. Hoc modo infigitur, & inculcatur verborum Evangelii, intelligentia, & hujus intelligentiæ per Sedem Apostolicam traditio.

Hic tantisper sistendum & recogitandum est, num ad annum DCCXCV. quo Hadrianus I. excessit è vita, jure merito dici possit, quod Cælestious qui anno CCCCXXXI. Christi, & Cælestini successor proximus Sixtus III. qui anno CCCCXXXIX. migravit, edixerunt;
156 ille in Epistola ad Episcopos Galliarum: *Desinat novitas incessere vetustatem:* Hic in Epistola ad Joannem Antiochenum: *Nihil ultrà liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati: Perspicua majorum fides, & credulitas nulla cæm permixtione turbetur.* Atque hæc jure merito dici possunt, & iis opponi, qui pluribus post Hadrianum I. sæculis novum sensum Evangelicis verbis: *Quodcunque solveris* addiderunt, & eò extenderunt usque, ut ad subditos fidei sacramento, quo suis obstringuntur Regibus, solvendos protraxerint. Igitur si Cælestini & Sixti præstantissimæ Romaoorum Pontificum synoridis edicta recipiant, capti sunt, quia sensus sui oovitate obruentur: Si rejiciant, nulli, quia deserta vetustate oovitatem prædicare incipient, adjectis, quæ derivata ab ioitio, per Apostolicam Sedem, & Concilia duo universalia verborum Evangelii intelligentia non permittit adjicere. Hæc, me vide, digressio non est, sed obfirmatior cum novitatis doctoribus congressio. Pergamus ad posteriora sæcula.

IX. Leo IX. ut est in ejus vita tomo octavo Italiæ sacræ: *Quinto sui Pontificatus anno gravi detentus infirmitate, convocatis ad se diversarum diœcesum Episcopis, diversisque Ecclesiastici ordinis viris, ait ad eos: Fratres Coepiscopi mei, & matris filii Ecclesiæ ac corporis mei intima viscera, quibus Dominus Ecclesiam suam regendam tradidit, & ligandi atque solvendi dedit potestatem, vobis dominicus grex commissus est.* Pootifex juxta Sedis Apostolicæ traditionem loquitur, quæ ligandi, ac solvendi Pontificium io criminibus constituit.

157 X. Alexander III. de sent. excomm. cap. XXVIII. antiquam verborum Evangelii explanationem ita retinet: *Nos igitur consultationi tuæ breviter respondemus, quòd judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiæ sit sententia innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur; illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo Evangelicus manifestat, quem priùs Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum.* Hæc alienum lumen non exigunt, sed proprio splendescunt. Ligandi, & solvendi potestas in criminibus ligandis & solvendis collocatur.

XI. Innocentius III. Alexandrum imitatur in eodem loco, & illius verba pene omnia usurpat: *Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ dimissione remittitur; illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo Evangelicus demonstrat, quem priùs Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit solvere suscitatum.* Deinde in sermone de sanctis Petro & Paulo: *Petrus ergo per claves acceptas claudit & aperit, claudit cùm ligat, aperit cùm solvit.* Et post pauca: *Est ergo duplex ligatio, culpæ & sententiæ: Unde sæpe*
158 *contingit, quòd non semper istæ solutiones* (Dei & hominum) *sese comitentur. Quod Dominus ipse in solutione Lazari mysticè designavit, qui priùs mortuum suscitavit, & postea jussit Apostolis ut solverent suscitatum. Solvit autem Sacerdos non tantùm ostendendo solutum, & ligat non tantùm ostendendo ligatum: Sed ligat & solvit subtrahendo vel restituendo suffragia Ecclesiastica, & sacramenta divina.*

Tum in Epistola ad Regem Armenorum: *In Petro Apostolorum principe, cui excellentiùs aliis Dominus ligandi, & solvendi contulit potestatem, dicens eidem, quodcunque ligaveris,* &c. Excellentiùs quidem, sed tamen in eodem ligandorum & solvendorum criminum genere.

Quartò in Epistola ad fideles per Moguntinam provinciam constitutos: *Nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis Deus licèt indignis, ligandi atque solvendi contulit, potestate omnibus, qui laborem istum* (expeditionis sanctæ) *in propriis personis subierint, & expensis plenam suorum peccatorum, de quibus veraciter corde contriti & confessi fuerint, veniam indulgemus.*

Quintò in alia Epistola, quæ Lateranensi Concilio, cui præfuit Innocentius, tribui potest: *Nos igitur omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis licèt indignis, Deus ligandi & solvendi contulit, potestate omnibus qui laborem* (expeditionis sanctæ) *propriis personis subierint, & expensis plenam suorum peccatorum, de quibus veraciter corde contriti, & confessi fuerint, veniam indulgemus.*

Denique in Lateranensis Concilii capite XXI. *Om-* 159
nis utriusque sexus. Siquis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipse non poterit solvere, vel ligare. Hoc caput, seu hic canon Innocentio duplici de causa tribuitur: Primùm, quia Lateranensis Concilii capita, seu canones digessit: Deinde, quia præfuit Concilio, quod capita, seu canones in auctoritatem admisit. Hinc magna statuitur adversus Suaris, & Becani sensum novum præscriptio.

XII. Gregorius IX. in Epistola ad Græcorum Archiepiscopum: *Fuit,* inquit, *Paulus ex verbo Christi Petro, & cæteris Apostolis sic universaliter dicentis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, cum Petro mysterium dignitatis exercens, & ex verbis ejusdem auctoritatis singulariter Petro propositis, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Hæc loca duo scripturæ mutuam sibi præbent intelligentiam, & in remittendis & retineodis, ligandis & solvendis criminibus cohærent: Sic ligandi & solvendi potestas eadem quæ remittendi ac retioendi. Ex remittendi autem, & retinendi potestate quis jus deponendorum Regum, & civium a juramento fidelitatis absolvendorum colliget?

XIII. Innocentius IV. in constitutione quam Pontificatus anno XI. edidit, ad Narbonensem Archiepiscopum: *Nihilominus tamen ipsi parochiani irrequisitis*
eisdem Sacerdotibus, imò potiùs damnabiliter vilipensis 160
ad quosdam religiosos velut apud ipsos remam dumtaxat salutis inveniant, se temerè transferentes opertos eis peccatorum nudant morbos, iniquitatis revelant secretum, & virus vitiorum in confessione depromunt: Et quamquam iidem religiosi cùm non sint sui judices, ipsos non possunt solvere vel ligare, imaginaria tamen quadam absolutione ipsis illudere non verentur. Sic Pontifex Evangelii verba, *quodcunque ligaveris, & quodcunque solveris,* intra negotium pœnitentiæ ubique continet.

Deinde in alia constitutione, quam Neapoli edidit diebus quindecim ante suum excessum è vita: *Sanè,* inquit, *gravis & clamosa querela nostris assiduè auribus inculcatur, quòd nonnulli vestrùm suis juribus, & finibus non contenti parochianos alienos præsumant temerè*

ad

ad duo officia recipere, contra canonicas sanctiones,
& licèt dictorum Parochianorum judices non existant,
nec ligandi, nec solvendi eos acceperint potestatem, se
tamen ipsorum judices facientes, ipsos in foro pœniten-
tiali periculosè absolvunt, & ligant pro sua libito vo-
luntatis.

Tum in lib. v. Decretalium de pœnis & remiss.
tit. XXXVIII. *Sed quæres quid sonat : Remitto tibi*
annum de pœnitentia tibi injuncta ? Respondeo, quibus-
dam videtur, quòd annus utilis indulgentia indulgeatur.
Sed quæres, unde hoc habes, quòd Papa vel Prælati hoc
possint. Respondeo ex privilegio speciali beati Petri, illo
scilicet, quodcunque ligaveris, &c. quod potest intelligi,
quodcunque denuntiaveris solutum, & habet locum hac ex-
ceptio in foro pœnitentiali.

XIV. Nicolaus IV. in Epistola ad omnes fideles pro
161 recuperatione terræ sanctæ : *Nos enim omnipotentis*
Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum
ejus auctoritate confisi, & illa quam nobis licèt indignis
Deus ipse ligandi & solvendi contulit, potestate, omnibus
qui vexilli dominici charactere insigniti personaliter pro-
priis sumptibus, in prædicta terra subsidium proficisci cu-
raverint, plenam suorum peccaminum, de quibus vera-
citer fuerint corde contriti, & ore confessi veniam in-
dulgemus.

XV. Hadrianus VI. in quartum sent. de sacramento
pœnitentiæ dist. IV. quæst. II. art. II. *Tertia opinio*
est, quæ à doctoribus hoc tempore communiter tenetur :
Quod claves ministerialiter remittunt & culpam, & pœ-
nam æternæ damnationis, ad quam etiam glossa finaliter
declinat, Matth. XV. aliis repulsis. Nota, inquit, *Chri-*
stum per se intus vivificare, & ministris potestatem sol-
vendi post vitam redditam tribuere. Non enim aliquem
solvere possunt, nisi vivat, quem solvant : Sed ad quid
solvendi potestatem accipiunt, cùm à Deo liberatus sit
& vivificatus, quem solvunt ? Dicunt quidam ministros
solvere, id est, solutos demonstrare, ac reconciliare Ec-
clesiæ, quos priùs de crimine manifestos vel convictos ab
introitu Ecclesiæ privaverant. Deinde in quodlibeto v.
An sine gravi dolore possumus peccati veniam promere-
ri ? Difficultas, inquit, *magna est inter Doctores, an*
claves Sacerdotis se extendant ad culpæ remissionem. Et
certè probatissimi Theologi senserunt quòd non Magister
sent. 18. dist. IV. dicit : Sacerdotibus non concessit Deus
potestatem culpam dimittendi seu ligandi, &c. sed osten-
dendi homines ligatos & solutos : In culpis igitur reti-
162 *nendis & solvendis Sacerdos operatur Evangelicus, quod*
in leprosis olim legalis. Et sunt illa originaliter verba
Hieronymi tractantis illud Matthæi, quodcunque liga-
veris, &c. Hæc quidem Hadrianus cùm Lovanii pro-
fitebatur Theologiam, scripsit, sed ubi creatus est Pon-
tifex ut Romanis typis mandarentur, & infinitis do-
narentur elogiis permisit. Quare illa tam sunt Pontifi-
cis, quàm Professoris Theologiæ, qui *quodcunque ligave-*
ris & solveris, ad pœnitentiam determinat, nec ultrà
protendit.

XVI. Romani Pontifices, qui Tridentinum Conci-
lium probando suum fecerunt, in sessionis XIV. cap.
VI. *Circa ministros,* inquiunt, *hujus sacramenti decla-*
rat sancta synodus falsas esse, & à veritate Evangelii
penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis
homines præter Episcopos, & Sacerdotes clavium mini-
sterium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domi-
ni, quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata
& in cœlo, & quorum remiseritis peccata, remittuntur
eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, ad omnes Chri-
sti fideles indifferenter & promiscuè contra institutionem
hujus sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem
habeat remittendi peccata. Deinde in ejusdem sessionis
cap. VIII. *Claves Sacerdotibus non ad solvendum dun-*
taxat, sed ad ligandum concessas etiam antiqui Patres
& credunt, & docent. Et in ejusdem sessionis canone
XV. *Siquis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad*
solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacer-
dotes, dum imponunt pœnas confitentibus agere contra fi-
nem clavium, &c. anathema sit. Tridentina Synodus
doctrinam, & traditionem Sedis Apostolicæ secuta, 163
ligandi & solvendi potestatem in sacramento pœni-
tentiæ concludit : Et quia doctrinam & traditionem
Sedis Apostolicæ ita concludit, de stabilienda Evan-
gelicis verbis opinione nova minimè cogitat ; immò
eam opinionem stabiliri non posse satis innuit, si præte-
rea relatus initio Tridentinæ professionis fidei articulus
non spernatur.

XVII. Paulus III. in Missali Romano, quod ab eo
reformatum & approbatum Lugduni prodiit anno
M. D. L. *ubi ordo ad communicandum infirmum præscribitur.*
Inprimis Sacerdos munitus stola accipit calicem cooper-
tum ad hoc deditum : Deinde in illo ponat reverenter
corpus Christi. Quo facto primò præcedat ejus minister
cum cymbalo parvo, & de eo ab Ecclesia usque ad do-
mum infirmi, itinerando parvum sonum pausatim faci-
ens. Secundò ipse Sacerdos cum venerabili sacramento
ipsum ministrum insequens dicunt, Psal. L. Miserere
mei Deus, &c. Et in introitu domus Sacerdos dicat :
Pax huic domui. R. Et omnibus habitantibus in ea :
Postmodum accedat ad infirmum salutando eum, & audiat
confessionem ab eo, qua finita absolutè dicat orationem
sequentem.

ORATIO.

Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis;
quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata
& in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt
soluta & in cœlo, ipse te absolvat ab omnibus peccatis
tuis, cogitatione, locutione, operatione, quibus negligenter
egisti, & à nexibus peccatorum absolutum perducere dig-
netur ad regna cœlorum, Qui cum Patre & Spiritu san-
cto, vivit & regnat in sæcula sæculorum. R. Amen. Et 164
postea Viaticum infirmo datur.

XVIII. Gregorius XIII. in libro, cui titulus est *Sa-*
cra institutio baptizandi, aliaque sacramenta, quæ sim-
plex Sacerdos conferre potest, administrandi, juxta ri-
tum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Lugduni edita anno
M. D. LXXXIV. idem quod est anteà præscriptum
probat, & confirmat in ordine ad communicandum
infirmum, quam repetere spissi & non necessarii laboris
foret.

XIX. Clemens VIII. Raimundum Pennafortium ex
ordine Prædicatorum Theologum inter sanctos retu-
lit, & quo in diplomate retulit Pennafortii Summam
de pœnitentia probavit, & probando suam fecit.
Sic ergo beatus Raimundus de ligandi & solvendi
potestate censet in lib. de pœnit. & remiss. §. LXI:
Quæritur quid remittit Sacerdos in pœnitentia. Et post-
quam multas in utramque partem rationes exposuit;
& nonnulla adnotavit circa claves, subjicit : *His præ-*
libatis dicendum est fere secundum omnes, quòd purè,
verè ac propriè Deus dimittit peccata, & debitum æ-
ternæ pœnæ. Et paullo post : *De Sacerdotibus non est*
dubium, quin habeant potestatem dimittendi & retinendi
peccata. Et paullo pòst : *Dicuntur autem Sacerdotes li-*
gare, & solvere tribus modis : Primò, ligant & sol-
vunt ; id est, ostendunt aliquem solutum, vel ligatum.
Unde Dominus leprosos prius restituit sanitati, deinde
ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderentur mun-
dati. Item Lazarum primò resuscitavit, deinde manda-
vit discipulis suis solvere suscitatum. Nam etsi aliquis
apud Deum sit absolutus, non tamen in facie Ecclesiæ 165
absolutus habetur, nisi per judicium Sacerdotis, &c. Se-
cundus modus ligandi est, cùm satisfactionem pœnitentiæ
confitentibus imponunt, vel solvendi, cùm de ea aliquid
dimittunt. Unde Leo Papa : Christus hanc præpositis Ec-
clesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus pœnitentiæ sa-
tisfactionem darent, & eosdem salubri satisfactione pur-
gatos ad communionem sacramentorum per januam recon-
ciliationis admitterent. Tertius modus est qui fit per ex-

communicationem, &c. Atqui hæc sunt, quæ Pontifex probando sua facit in consecrationis diplomate, cujus verba sic adscribo: *Conscripsit* (sanctus Raimundus) *Summam casuum conscientiæ, qui solent in foro pœnitentiæ frequenter occurrere, magna doctrina & auctoritatis, & tam confessariis, quàm confitentibus valde utilem & necessariam.* Selecti tunc fuerunt è Sede Apostolica præsules, qui de beati Raimundi consecratione tractarent, & in tractatu suo Summam illam ita comprobant: *Auctoritatem hujus Summæ commendant; Auctor ipse, qui vitæ sanctitate, miraculorum operatione in vita & in morte claruit, quem ob eorum continuationem post tria sæcula sanctissimus dominus noster Clemens Papa VIII. solemni ritu canonizavit: Modus item docendi facilis, ubique apertus, & tutus, cùm vir sanctus in casibus, & articulis ambiguis decidendis, aut sacrarum literarum, aut sacrorum canonum, aut sanctorum Doctorum auctoritate nitatur: Istis autem deficientibus ad jurisperitos in arte egregios canonistas recurrit. Rarò autem, aut nunquam propria auctoritate & sensu uti-*
166 *tur. Novitates enim & singulares opiniones tanquam pestem perpetuò vitandas putavit. Postremò eandem Summam valde commendant illustrium doctorum agmina, qui post Raimundum floruerunt. Omnes enim & juris civilis professores, & sacrorum canonum doctores, & Theologiæ magistri, Raimundi Summam venerabiliter, quoties se obtulit occasio, allegantes, viri sancti testimonio sunt usi ad sua dicta comprobanda.* Ad beati Raimundi Summam elogium vix addi potuit augustius.

Romanis Pontificibus adjungendi sunt Cardinales nonnulli, quos ad Clerum Romanum pertinere specialiùs nemo negat.

I. Robertus Pullus in sent. part. VI. cap. LX. *Sed ut absolutionis ratio manifestiùs declaretur, priùs quid sit ligari vel solvi necesse sit prævideatur. Ligantur homines vinculis spiritualibus, aut peccati, aut pœna peccati.* Deinde cap. LXI. *In omnibus supradictis malum hominis meritum obligationem, pia Dei ratio absolutionem parit. Sacramentum tamen ligandi atque solvendi penes ipsos Dei Vicarios, id est, Sacerdotes Ecclesiæ est. Unde Dominus, quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorum retinueritis, retenta sunt, & item, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, &c. Illud communiter omnibus, istud Petro, & per Petrum proponitur omnibus. Quamobrem auctoritate Domini Apostoli eorumque successores peccata hominum retinent, ac per hoc ipsos solvunt.*

II. Robertus Corzon ex Parisiensi Theologo & Canonico factus Cardin. & Sedis Apostolicæ in Gallia Legatus, in Summa MS. Theol. quæst. III. de
167 pœnit. cap. III. *Triplex*, inquit, *Sacerdoti convenit absolutio, & triplex ligatio. Prima absolutio est ostensio absolutionis, quam facit in foro pœnitentiali, sicut dictum est. Secunda, qua totam pœnam pœnitenti, aut partem pœnæ ei injunctæ relaxat. Tertia est, quando eum in participium Ecclesiæ suffragiorum recipit, ut membrum in illa numero & merito. Similiter triplex ligatio convenit Sacerdoti. Prima, qua subditum obligat pœnæ, quam ei injungit pro peccato. Secunda, qua eum excommunicat ad horam, & ab Ecclesia separat, & ejus sacramentis. Tertia, qua impœnitentem, & hæreticum tradit in manus satanæ cruciandum in gehenna.* Corzonis Summa extat MS. in Bibliotheca cœnobii S. Victoris.

III. Odo ex Abbate Ursicampi factus Cardin. & Tusculanus Episcopus, in Summa MS. quæstionum scholarium: *Claves regni cælorum primò datæ sunt Petro, & in eo successoribus Petri, id est, omnibus Prælatis Ecclesiæ, quibus in Petro dictum, quodcunque ligaveris super terram, &c.*

IV. Jacobus Vitriacus Cardinalis, & Sedis Apostolicæ per Orientem Legatus, in historiæ Orientalis cap. LXXVI. de Jacobitis. *Alius error est, quòd confessiones peccatorum suorum non Sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes thus se in igne tanquam cum fumo peccata sua ascendant coram Domino. Errant miseri non intelligentes scripturas, & pereunt ex defectu doctrinæ, vulnera sua medicis spiritualibus abscondentes, quorum est inter lepram & lepram discernere, & peccatorum circumstantias pensando pœnitentibus pœnitentiam injungere, & secundùm claves sibi traditas ligare vel* 168
solvere.

V. Hugo Cardinalis in Matthæi cap. XVI. ad illud, *quodcunque solveris. Tripliciter exponitur secundum triplex genus ligationis. Ligatur enim peccator vinculo culpæ, quando peccat, ligatur vinculo pœnæ, cujus debitor efficitur, postea ligatur injuncta satisfactione vinculo pœnitentiæ. Vinculo culpæ & pœnæ æternæ non potest eum Sacerdos ligare vel solvere, sed tantùm ligatum vel solutum ostendere, sicut Sacerdos Leviticus non faciebat, vel mundabat leprosum, sed tantùm infectum, vel mundum ostendebat. Ligatum ostendit ad pœnitentiam non admittendo, solutum satisfactionem injungendo, & sic ligando solutum ostendit. Item Sacerdos potest ligare, vel solvere pœnitentiam injungendo, grandem relaxando. Item Sacerdos potest ligare vel solvere excommunicando, & ab eadem excommunicatione absolvendo.*

VI. Henricus Cardinalis, & Ostiensis Episcopus in lib. VI. Summæ de pœnit. & remiss. *Dicendum est*, inquit, *quòd etsi solus Deus dimittat peccata, tamen Sacerdos officium suum exhibet pœnitentiam injungendo. Unde Ambrosius, verbum Dei dimittit peccata.* Et paullo pòst: *Dicuntur autem Sacerdotes ligare & solvere multis modis; primò, ligant & solvunt, id est, ligatum vel solutum ostendunt: Sicut patet in leprosis, quos Dominus per se mundavit. Deinde ad Sacerdotes misit, per quos ostenderentur mundati.* Et post pauca: *Secundò, ligant, cùm satisfactionem imponunt confitentibus, vel solvunt eos, cùm de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad communionem sacramentorum admittunt.* Et post pauca: *Tertiò, ligant, vel solvunt excommunican-* 169
do, vel sententiam relaxando.

VII. Dominicus Jacobatius Cardinalis in libro X. de Conciliis: *Sed probabilior est opinio illorum, qui dicunt datam potestatem in cœna Domini, quia post resurrectionem quando dictum fuit, Accipite Spiritum sanctum, Dominus loquebatur præsentibus, & consequenter, ex quo Thomas unus de duodecim erat absens, non habuisset potestatem ligandi & solvendi, cùm tamen omnibus data fuerit in foro conscientiæ.* Et paullo pòst: *In qua potestate ligandi & solvendi in foro conscientiæ fuerunt Petrus, & alii Apostoli pares.* Et post alia: *Potestas remittendi, & retinendi peccata est potestas ligandi & solvendi.*

VIII. Thomas Cardinalis Cajetanus in opusculo de divina institutione Pontificatus cap. V. *Differentia inter claves regni cælorum, & inter ligare & solvere, non est usquequaque nota. Apparet siquidem juxta literæ superficiem per claves, potestatem: Per ligare & solvere explicatos esse actus potestatis, ut efficacia clavium declararetur, quo pacto scilicet ad cælorum regnum pertinerent. Hæc autem manifestatur dicendo, quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Et paullo pòst: *Quòd verò solvere, & ligare sint actus clavium, doctores omnes testantur. Quòd autem sint actus partiales, & non adæquati clavibus ex hoc patet, quòd solvere & ligare se habent ad aperire & claudere, ut partes ad totum. Omnis enim qui solvit aliquem, aperit illi regnum cælorum, sed non omnis qui aperit alicui regnum cælorum, solvit. Et similiter omnis qui ligat, claudit, sed non omnis qui claudit, ligat: & ne per multa diutiùs vagemur, sed so-* 170
lida ratio simul cum veritate pateat; Solvere & ligare actus sunt judiciales, sive in sacramento pœnitentiæ, sive in foro Ecclesiastico: Aperire & claudere actus sunt superiores comprehendentes sub se & actus judiciales, & actus non judiciales. Utrisque clauditur, & aperitur regnum cælorum.

IX. Gaspar

IX. Gaspar Contarenus Cardinalis in libro IV. de sacramentis. *Nonnulli dicunt, & Lutherani hujus ævi tant secta, quòd illis verbis, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, Christus non dedit Sacerdotibus potestatem ullam, sed tantum officiam. Quare putant satis esse Sacerdoti fateri se peccatorem esse. Is verò habet officium absolvendi. Hæc sententia clarius luce meridiana confunditur Evangelio Joannis loco paullo suprà citato, in quo pariter fit mentio de remissione, & retentione peccatorum. Item in collatione clavium Petro fit mentio apud Matthæum cap.* XVI. *de solutione & ligatione.* Et post alia: *Clavis ligandi & solvendi pertinet ad executionem judicii facti, qua vel solvit, vel ligat si non solvit: Si tamen ita ei videbitur debere fieri, vel simul solvit & ligat. Solvit utique à culpa, & reatu pœna æterna; ligat verò pœna satisfactionis, quam pœnitenti imponit.* Sic locum Matthæi interpretatur de sacramento pœnitentiæ.

X. Nicolaus Pelveus Senonensis Archiepiscopus & Cardinalis, in Manuali Sacerdotum, quod illius auctoritate emendatum atque editum est anno M. D. LV. qua parte generalis in die Paschæ confessio præstituitur cum absolutione insequente.

Alia Absolutio. Oremus.

171 *DOminus noster Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis (de quorum numero me licèt indignum, & peccatorem ministrum esse voluit) intercedente beata Dei genetrice Maria, beato Michaële Archangelo, & beato Petro Apostolo, cui data est potestas ligandi atque solvendi, vos absolvat, & ego auctoritate Dei, & Ecclesia mihi commissa vos absolvo,* &c.

XI. Stanislaus Hosius Cardinalis, & Varmiensis Episcopus in confessione Catholicæ fidei Christianæ Petricoviensis synodi nomine conscripta in cap. XIV. *Neque verò,* inquit, *dubitandum est, quin hoc ipsum pœnitentiæ sacramentum ab ipso Christo fuerit institutum, cujus hæc clarissima verba sunt ad Petrum: Dabo tibi claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis. Tum ad reliquos Apostolos: Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & post resurrectionem ad eosdem: Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

XII. Robertus Cardinalis Bellarminus, in lib. I. de Rom. Pont. cap. XII. ad illud, *quodcunque ligaveris. Est ergo communis expositio Hilarii, Hieronymi, Anselmi, & aliorum in hunc locum, nec non Augustini tract.* XXII. *&* XLIX. *in Joannem, Dominum loqui de potestate clavium, quia Apostoli & eorum successores, ligant vel absolvunt peccatores. Et quamvis hic tractari*
172 *videatur præcipuè de potestate jurisdictionis, qua peccatores excommunicantur, tamen jam nominati Patres locum hunc de utraque potestate, ordinis videlicet, & jurisdictionis, exponunt, & certè videtur ex ipso texta ad posse deduci. Nam ita generaliter hic dicitur, quæcunque solveritis, &c. sicut Matthæi* XVI. *quodcunque solveris.* Et paullo post: *Causa verò hujus promissionis (quodcunque ligaveris, & quodcunque solveris) fuit, quia dixerat Dominus habendum esse pro ethnico & publicano, qui Ecclesiam non audiret. Nequis ergo putaret contemnendam esse Ecclesiæ auctoritatem subjunxit tantam fore Prælatorum Ecclesiæ potestatem, ut quæ ipsi ligaverint in terris, sint ligata & in cœlis.*

XIII. Petrus Gondius Parisiensis Episcopus & Cardinalis in manuali Sacerdotum, quo ad ann. M.D.LXXXI. restituto Sacerdotes uti voluit, in ritu extremæ unctionis.

ABSOLVTIO.

DOminus noster Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis, de quo numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, operatione negligenter egisti, atque a nexibus peccatorum absolutum, vel absolutam perducere dignetur ad regnum cœlorum. Pelveus & Gondius secuti Ecclesiæ traditionem ligandi, & solvendi potestatem in ligandis & solvendis criminibus constituunt.

Cardinales hi omnes Pullus, Corzon, Odo, Vitri- 173
acus, Hugo, Henricus, Jacobatius, Cajetanus, Contarenus, Pelveus, Hosius, Bellarminus, Gondius, scripturæ verba, *quodcunque ligaveris, & quodcunque solveris,* sic interpretantur, ut intra sacramentalis pœnitentiæ limites coerceant, nec à sensu Romanæ Ecclesiæ recedant, nec ad jus deponendorum Regum, & subditorum à juramento fidelitatis absolvendorum protrahant. Id ad unumquemque sigillatim notari potuit, quod nunc compendii causa generatim & per aversionem notamus.

Expeditis Pontificibus & Cardinalibus, qui in Romanam unam conveniunt Ecclesiam, nunc venio ad sanctos Patres, quorum testimonia & sententias ex ordine repræsento.

I. Origenes tractatu I. in caput XVI. Matthæi, *quodcunque solveris super terram,* sic exponit: *Adversus illum igitur, qui injustè judicat, neque juxta verbum Dei ligat super terram, neque secundùm voluntatem illius solvit super terram, portæ inferi prævalent; is verò adversus quem portæ inferi non prævalent, justè judicat, eò quòd claves habeat regni cœlorum, aperiens eis qui solvuntur super terram, sic ut & in cœlis sint soluti ac liberi, claudensque iis, qui justo ipsius judicio ligati sunt in terris, ut & in cœlis sint ligati condemnatique. Quoniam autem ii, qui Episcoporum locum sibi vindicant, utuntur eo dicto, sicut Petrus, & claves regni cœlorum à Servatore acceperunt, docentque ea, quæ ab illis ligata fuerint, hoc est, condemnata, eadem & in cœlis esse ligata; Rursus ea, quæ soluta fuerint ab ipsis, eadem & in cœlis esse soluta.* Hæc quid pertinent 174
ad interpretationem novam, qua vel deponuntur Reges, vel subditi Regum à juramento fidelitatis absolvuntur?

II. Beatus Cyprianus in Epistula XXXVII. ad lapsos: *Dominus,* inquit, *noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis: Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.*

Deinde in Epistola LXXIII. ad Jubajanum: *Manifestum est autem, ubi & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis, quod ille solvisset in terris.* Et paulo post: *Unde intelligimus nonnisi in Ecclesia præpositis, & in Evangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare: Foris autem nec ligari aliquid posse, nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit aliquid, aut solvere.*

Tum in libro de unitate Ecclesiæ, ubi agit de hæreticis,

ticis, vel eorum fautoribus, qui asserunt, *noctem pro*
175 *die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cælestis doctrina servatur, quæ si quis consideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est: Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi,* inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Verba hæc Cyprianus ad remissionem peccatorum flectit, nec interpretationi novæ, cui obsistimus, favet.

III. Firmilianus Cappadociæ Episcopus in Epistola ad Cyprianum: *Qualis verò error sit & quanta cæcitas ejus, qui remissionem peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel à Christo super petram solidata est. Hinc intelligi potest, quòd soli Petro Christus dixerit, quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* Evangelii verba hæc de remissione peccatorum intelligit, & eam ob causam interpretationi novæ obesse potest, prodesse non potest.

IV. Sanctus Hilarius in caput XVI. Matthæi: *O beatus cæli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata aucto-*
176 *ritas sit in cælo, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant & in cælo.* Deinde can. XVIII. in eundem Matthæum: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quos in terris ligaverint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint confessione videlicet veniæ receperint in salutem, Apostolica conditione sententiæ in cælis quoque aut soluti sint, aut ligati.* Dum verborum Evangelii sensum nobis aperit, occurrit novis interpretibus, qui ea ad jus deponendorum Regum, & subditorum à sacramento fidei absolvendorum detorquent.

V. Pacianus Barcinonensis Episcopus in Epistola ad Sympronianum: *Nunquid Deus,* inquit, *non pœnitenti non comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti? Hoc inquies, Deus poterit. Verum est, sed & quòd per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit: quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cælis, & quæ solveritis in terris, soluta erunt & in cælis: Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebit? An tantùm hoc Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, Spiritum sanctum dare solis, & solis, gentium peccata purgare, quia totum hoc aliis, quàm Apostolis imperatum est? Quòd si in uno loco, & resolutio vinculorum, & sacramenti potestas datur, aut totum ad nos Apostolorum forma & potestate, deductum est, aut nec illud ex decretis relaxatum est.* Quam Pacianus rationem in disputando servat, hæc ad sanciendam novam de absolutione juramenti fidelitatis opinionem prorsus inutilis est.

177 VI. Sanctus Ambrosius enarratione in Psalmum XXXVIII. *Remitte,* inquit, *mihi, hoc est, hic mihi remitte ubi peccavi: Nisi hic remiseris mihi, ibi remissionis requiem invenire non potero. Quod enim in terra ligatum manserit, ligatum manebit in cælo, quod solutum in terra fuerit, solutum erit in cælo. Propheta enim & Prædicator Ecclesiæ congregandæ Evangelico spiritu indulgentias Domini prævidebat, & præcipienda Apostolis et Dominus revelabat. Imò hæc erat vetus sententia, ut qui se ligasset in terris, vinctus migraret è corpore. Ideo Dominus, quod antè erat judicii sui dedit Apostolis, peccata remittendi æquitatem, ne citò solvenda diu ligata manerent. Denique audi dicentem: Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælo. Tibi, inquit, dabo claves regni cælorum, ut solvas & liges. Hæc Novatianus non audivit: Sed Ecclesia Dei audivit: Ideo ille in lapsu, nos in remissione: Ille in impœnitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur, Apostolis dicitur.* In his autem verbis nec Petro, nec Apostolis, nec illorum successoribus dicitur, ut Principes privent imperio, aut eorum subditos à sacramento fidelitatis absolvant.

Deinde in libri I. de pœnitentia capite II. *Sed aiunt* (Novatiani) *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui volunt ejus mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus, Ac-*
cipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, 178
remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet: Hæresis in altero immitis, in altero inobediens vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit. Et quibusdam interpositis: *Munus Spiritus sancti est officium Sacerdotis, jus autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus est.* Hæc sunt omni luce clariora, quibus obruitur tenebricosa quorumdam recentium Theologorum opinio, qui verba hæc, *quodcunque solveris,* usurpant, ut probent Romanum Episcopum absolvere posse à sacramento fidei, quo subditi Regibus suis obstringuntur.

VII. Theodosius magnus apud Theodoretum in libri V. hist. cap. XVII. ubi describitur, quomodo Ambrosius vetuit, ne Imperator ille in Ecclesiam Mediolanensem priùs intraret, quàm publicam de Thessalonicensi strage pœnitentiam egisset: *Quibus igitur oculis* (ait Ambrosius Theodosio) *commune Domini templum inspicies, quibus pedibus sacrum illud solum calcabis, quomodo manus extendes injusta cædis sanguine adhuc stillantes? Quomodo hujusmodi manibus sacrosanctum Domini corpus accipies? Quomodo pretiosum ori sanguinem admovebis, qui furore ac tantum sanguinis nefariè profudisti? Recede igitur, & cave priùs crimen altero crimine augere coneris. Sed vinculum admitte, quo te ligari Deus omnium Dominus sursum probat. Me-*
dicinam id faciet, sanitatemque restituet. His verbis 179
inflexus Imperator (in divinis enim eloquiis educatus apprimè norat, quænam Sacerdotum essent partes, & quænam Imperatorum) cum gemitu & lacrymis rediit in palatium. Longo autem post tempore, octo mensibus interlapsis, Servatoris nostri natalis dies advenerat, & Imperator in palatio residebat, magnam vim effundens lacrymarum. Quod cùm animadvertisset Rufinus, qui magister officiorum tunc erat, & summa libertate ut familiarissimus utebatur, ipsum adiens causam fletus percontatur. At ille vehementiùs ingemiscens, & uberiores in lacrymas erumpens: Ludis, inquit, tu Rufine, mea enim mala non sentis. Ego verò gemo & lugeo meam considerans calamitatem, quòd servis & mendicis ad divinum templum pateat aditus, intrentque securi, & Domino suo supplicent, mihi verò & inaccessum illud sit, & cælum insuper occlusum. Memini enim Dominicam sententiam: Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis. Cui Rufinus: Curram, si places, ad Pontificem, & precibus adducam, ut solvat vincula tua. Non flectetur, ait Imperator. Et post alia: *Cùm autem* (Imperator) *ad sacra septa pervenisset, in divinum templum non est ingressus. Sed ad Pontificem in salutatorio residentem accedens, ut vinculis solveretur, obsecrabat: Ille verò tyrannicum ejus adventum appellabat, & in Deum furere Theodosium aiebat, ejusque leges conculcare. Cui Imperator. Minimè, ait, contra leges latas mihi arrogo, nec sacra vestibula per nefas ingredi cupio,*

cupio, sed vincula mea solvas oro, communisque Domini
180 *clementiæ recorderis. Nec mihi occludas januam, quam*
Dominus pœnitentiam agentibus omnibus patefecit. Et
Pontifex : *Quamnam tu, inquit, pœnitentiam post tam*
iniquum facinus ostendisti? Aut quæ medicamenta gra-
vissimis vulneribus sanandis adhibuisti? Tuum est, ait
Imperator, medicamenta ostendere & temperare, meum
verò quæ adhibebuntur, accipere. Tum divinus Ambro-
sius : Quoniam tu, inquit, judicium iracundiæ permit-
tis, & non ratio, sed furor profert sententiam, scribe
legem, quæ iracundiæ reddat inanes : Diebúsque tri-
ginta perscripta maneant de cæde vel publicatione lata
sententia, rationis judicium exspectantes. Diebus trans-
actis, qui judicata scripsere, imperata exhibeant, ac tum
ira sedata, ratio apud se dijudicans, expendet quæ de-
creta sunt, despiciétque justane sint, an injusta : Et si-
quidem injusta esse compererit, scripta utique conscindet ;
sin verò justa, confirmabit, rectéque judicatis dierum nu-
merus haud quaquam efficiet. Consilium hoc amplectens
Imperator, factúque optimum existimans, legem statim
conscribi jussit, & manus suæ subscriptione firmavit.
Quo facto divinus Ambrosius vinculum absolvit. Hæc
in narratione sunt duo : Alia sunt Imperatoris, alia
sunt Ambrosii. Imperator in divinis scripturis versa-
tus agnoscit Dominicam illam sententiam : *Quodcun-*
que ligaveris, illámque justè in se exercitam fuisse. De-
inde orat Ambrosium, ut quibus ligatum se sentiebat
vinculis, hæc amoveret, & publicæ quam agebat,
pœnitentiæ finem imponeret. Ambrosius ligandi &
solvendi potestatem in ligandis & solvendis crimini-
bus & in indicenda, quæ criminibus conveniat, pœ-
181 nitentia statuit, nec ultrà profert, sine dubio prolatu-
rus, si per scripturam & traditionem proferre licu-
isset : Nimirum ad liberationem sacramenti, quo Me-
diolanenses Imperatori tenebantur. Et præterea non
vetuit ne ei tributa penderentur, vetiturus aliàs, si
Christianæ religionis leges id permisissent.

VIII. Amphilochius Iconiensis Episcopus in oratio-
ne de pœnitentia : *Pellis sacrum baptisma, diutiúsque*
sanctum vestimentum sordidasti, etiam novi, dilecte, quod
pollutus sis. Cæterum pœnitentiam agas. Tibi ego cer-
tam susceptionis spem præbeo : Ego te Deo conciliabo, ne
timueris, habes salutem, habes pœnitentiam, tantùm te à
malo opere separare, per me Dei Filius aperiet Paradi-
sum, tantùm, convertere. Quanquam enim Pontifices pec-
catores sumus ; Latissimè tamen in nostras humilium ma-
nus Christus Deus noster clavem Paradisi dedit : Quod
enim, inquit, ligaveritis super terram, erit ligatum &
in cælis, & quod solveritis, erit solutum & in cælis.
Propterea ergo fiducia pœnite, consequerísque veniam ab
eo, qui habet potestatem in terra dimittendi peccata.
Amphilochius ligandi & solvendi potestatem in re-
mittendis & retinendis criminibus ponit, nec ultra
porrigit documenta veterum Patrum secutus.

IX. Joannes Chrysostomus in libro III. de Sacer-
dotio : *Etenim qui terram incolunt atque in ea versan-*
tur, iis commissum est, ut ea quæ in cælis sunt, dispen-
sent, iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus
optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse vo-
luit : Neque enim ad illos dictum est, quæcunque alliga-
veritis in terra, erunt alligata & in cælo, & quæcunque
182 *solveritis in terra, erunt soluta & in cælo, habent &*
terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum
solùm. Id autem quod dico Sacerdotium ipsum, etiam a-
nimam contingit, atque ad cælos usque pervadit, usque
adeo, ut quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa ea-
dem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam
Dominus confirmet.

Deinde in homilia LV. super Matthæum ad illud.
Et quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum & in cæ-
lo, & quodcunque solveris in terra, erit solutum & in
cælis. Quomodo igitur non est ejus qui dicit : Ego tibi
dabo ut etiam in dextris & sinistris sedere concedas. A-
nimadvertis, quo pacto ipse etiam ad ulteriorem de se opi-
nionem Petrum adducit, & sursum his duabus pollici-
tationibus Filium esse Dei revelat & ostendit. Nam quæ
Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissi-
onem, & ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrum-
pentibus immobilis maneat, cujus Pastor, & caput pisca-
tor homo atque ignobilis terrarum orbe reluctante ada-
mantis naturam firmitatem superat.

Tum in sermone I. de utilitate lectionis scripturæ
sacræ : *Diximus in potestate situm esse magistratus, ut*
vinciat & solvat : Unde rursus hoc imperium esse penes
Apostolos. Quoscunque enim ligaveritis super terram,
inquit, *erunt ligati & in cælis : Et quoscunque solveritis*
super terram, erunt soluti & in cælis. Vides carceris
& carceris potestatem, & nomen quidem, rem autem mi-
nimè eandem. Vincula & vincula, sed alia in terra,
alia in cælo, & cælum quidem carcer illis est. Cognosce 183
igitur amplitudinem, magistratus in terris sedentes sen-
tentiam ferunt, & ad cælum usque penetrat virtus sen-
tentiæ. Et quemadmodum Imperatores in una quidem
civitate residentes sententiam ferunt, ac leges sanciunt ;
At sententiarum legúmque vis universum orbem terrarum
pervadat : Sic etiam tum temporis Apostoli quidem uno
in loco residentes hæc sanciebant. Porrò legum virtus, &
vinculorum istorum non solum orbem pervadebat ; Sed ad
ipsum cælorum fastigium ascendebat. Vides carcerem &
carcerem, alterum in terris, alterum in cælis, alterum
corporum, alterum animarum. Neque enim corpora tan-
tùm, sed etiam animas vinciebant. Vis intelligere, quo
pacto in potestate illorum esset debita dimittere. Siqui-
dem hic quoque multum discriminis offendes. Neque e-
nim pecuniarum debita, sed peccatorum debita remitte-
bant : Quorum, inquit, remiseritis, remittuntur eis, &
quorum retinueritis, retenta sunt. Sic Chrysostomus li-
gandi & solvendi potestatem intra remittendorum
ac retinendorum criminum limites coercet, nec ultrà
protendit ad jus deponendorum Regum, & subditorum
à sacramento fidei liberandorum.

X. Hieronymus in caput XVI. Matthæi : *Et dabo*
tibi claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris, &c.
Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, a-
liquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel
damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur,
cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum
vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi
jubentur ut ostendant se Sacerdotibus, & si lepram ha-
buerint, tunc à Sacerdote immundi fiant, non quò Sa- 184
cerdotes leprosos faciant & immundos, sed quò habe-
ant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere,
quis mundus, quisve immundus sit. Quomodo ergo ibi le-
prosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic &
hic alligat, vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos,
qui insontes sunt, vel noxii ; sed pro officio suo cùm pec-
catorum audierint varietates, scit qui ligandus sit, quive
solvendus.

Deinde in caput XVIII. *Amen dico vobis, quæcun-*
que alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo,
& quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in
cælo. Quia dixerat, si autem Ecclesiam non audierit,
sit tibi sicut ethnicus & publicanus, & poterat contempto-
ris fratris occulta esse responsio, vel tacita cogitatio. Si
me despicis, & ego te despicio ; si tu me condemnas, &
mea sententia condemnaberis. Potestatem tribuit Aposto-
lis, ut sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sen-
tentiam divina sententia roborari, & quodcunque ligatum
fuerit in terra, ligari pariter & in cælo.

Tum in Psalmum XVII. ad illud. qui *das vindictam*
mihi. Vox Ecclesiæ ad Christum : Dedit Deus potestatem
Ecclesiæ ligandi & solvendi, & disciplinam faciendi,
ut habuit potestatem Petrus & Paulus per Spiritum Do-
mini : Sicut dixit : Ecce dedi vobis potestatem calcare
super serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici.
Sic auctore & interprete Hieronymo ligandi & sol-
vendi potestas in ligandis, & solvendis criminibus sita
est, nec ea profertur ulterius.

XI. Augu-

XI. Augustinus multis in locis, *quodcunque ligave-*
185 *ris, & quodcunque solveris*, interpretatur. Et primùm quidem in concione II. de secunda parte Psalmi CI. *De cælo ergo prospexerat Dominus, ut audiret gemitum compeditorum, ut solvat filios mortificatorum. Mortificantur illi: Filios autem mortificatorum qui, nisi nos? Quomodo autem solvimur, nisi cùm dicimus ei, dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis? Solvitur autem unusquisque vinculis cupiditatum malarum, vel à nodis peccatorum suorum. Remissio peccatorum solutio est: Quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur, solvite eum, & sinite abire? Ipse quidem voce de sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem terreno sepulchro impositam vicit, & processit ille vinctus. Non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis fit in corde pœnitentis. Cùm audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit, cùm audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. Quomodo solvitur, à quibus solvitur, quæ solveritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest: Suscitari autem ipse mortuus, nonnisi intus clamante Domino potest.*

Deinde in sermone VIII. de verbis Domini super Matthæum: *Sanctum Evangelium cùm legeretur, audivimus exultasse Dominum Jesum in spiritu, & dixisse: Confiteor tibi, Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et post alia, in quibus de confessione du-
186 plici loquitur, subdit: *Confitemur ergo sive laudantes Deum, sive accusantes nosmetipsos. Pia est utraque confessio, sive cùm te reprehendis, qui non est sine peccato, sive cum illum laudas, qui non potest habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua, laus ipsius est. Quare enim jam confiteris accusatione peccati tui? In accusatione tui ipsius quare confiteris, nisi quia ex mortuo vivus factus? Scriptura quippe ait: A mortuo quasi qui non sit, perit confessio. Si perit à mortuo confessio, qui confitetur vivit, & si peccatum confitetur, utique à morte revixit. Si peccati confessor revixit à morte, quis eum suscitavit? Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille potuit se suscitare, qui mortua carne mortuus non est. Etenim hoc suscitavit, quod mortuum fuerat. Ille suscitavit se, quia vivebat in se, in carne autem suscitanda mortuus erat. Non enim Pater solus filium suscitavit, de quo dictum est ab Apostolo, propter quod Deus eum exaltavit, sed etiam Dominus seipsum, id est, corpus suum. Unde dicit, solvite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Mortuus est peccator maximè ille, quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus Lazarus. Quisquis igitur mala consuetudine, mala vita, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, ita ut in illo jam factum sit, quod in quodam Psalmo miserabiliter dicitur: Dixit stultus in corde suo, non est Deus: Fit talis de quali dictum est: A mortuo velut qui non sit, perit confessio, quis eum suscitavit, nisi qui remoto lapide clamavit, dicens: Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit, foras prodire non posset, nisi viveret,*
187 *vivere non posset, nisi resuscitatus esset. Ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est. Dicit ergo aliquis, quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait, quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo? Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quod ergo facit Ecclesia, cui dictum est: Quæ solveritis soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos: Solvite illum, & sinite abire.*

Postremò in homilia XXVII. è numero homiliarum quinquaginta. *Restat pœnitentiæ tertium genus: Unde aliquid breviter dicam, ut adjuvante Domino proposita & promissa persolvam. Est pœnitentia gravior & luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes, etiam remoti à sacramento altaris participandi, ne accipiendo indignè judicium sibi manducent & bibant. Illa vero pœnitentia luctuosa est, grave vulnus est, adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquod sacrilegium: Gravis res, grave vulnus. Lethale mortiferum, sed omnipotens medicus. Jam post suggestionem facti, & delectationem, & consensionem, perpetrationem quasi quatriduanus mortuus putet, sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit, Lazare prodi foras. Cessit voci misericordia moles sepulturæ, cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Jam processerunt à morte. Nam non confiterentur, nisi procederent: Ip-* 188
sum confiteri, ab occulto & à tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? Quæ solveritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cælo. Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordia sua bonum, perducere ad confessionem mortuum, latentem, putentem, jam cætera implet Ecclesiæ ministeria, solvite illum, & sinite abire. Sanctissimus Ecclesiarum magister Evangelii verba, *quodcunque ligaveris, & quodcunque solveris*, in ligandis solvendisque criminibus definit, nec ultrà proferre cogitat.

XII. Ambrosio, & Theodosio connumerandus est Theodoretus, qui rei inter utrumque gestæ, & à seipso narratæ fautor studiosissimus, & approbator accedit. Ibi potestas ligandi & solvendi ad pœnitentiæ vincula flectitur, ut vidimus, nec ultrà porrigitur.

XIII. Facundus Hermianensis Episcopus in libri X. pro defensione trium Capitulorum capite IV. *Quis*, inquit, *religiosus reprehendere posset hanc synodum* (Calchedonensem) *quæ quod sibi datum non est, usurpare non ausa est. Nam Ecclesiæ suæ nullam Dominus eis mortuos ligandi & solvendi tribuit potestatem, cùm discipulis suis diceret: Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo. Eos igitur solùm qui sunt in terris, ligare accepit, & solvere. Et ideirco reprehendi non debet, quòd Theodorum vel si culpabilem nosset, tamen quia non erat in terris, alligare non ausa est. Aliorum quibus hoc placuit, non ejus fuerit ista præsumptio. Nam sicut non oportuit audere & solvere post mortem eos, qui alligati erant in terris, quod quidem* 189
habere videtur nonnullam pietatis imaginem: Ita non oportuit, ut auderet eum, qui alligatus non erat in terris, alligare post mortem. Quod & apertæ impietatis est, & ejus potestati non creditum. Quapropter etiam beati Patres definierunt, quia nostrum non est judicare eos, qui honoratè defuncti sunt, sed solius judicis vivorum & mortuorum. Qui de ligandi & solvendi potestate sic scribit, non pateretur, ut illa vel ad deponendos Principes, vel ad liberandos sacramento fidei subditos Principum traduceretur.

XIV. Venerabilis Beda in caput XXI. Joannis. *Ecclesia quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi & solvendi peccata.* Quid clarius? Quid antiquæ traditioni Sedis Apostolicæ convenientius?

Deinde in libri III. super caput XVI. Matthæi: *Hæc potestas* (ligandi) *sine dubio cunctis datur Apostolis, quibus ab eo Christo post resurrectionem dicitur generaliter, Accipite Spiritum sanctum, &c. Necnon Episcopis & Presbyteris, & omni Ecclesiæ idem officium committitur.* Hæc autem quis ad sæcularia, ad jus deponendorum Regum, aut liberandorum sacramento fidei subditorum extendet?

XV. Dungalus Diaconus in libro contra Claudium Taurinensem Episcopum: *Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendique peccata.*

XVI. Rabanus Moguntinensis Episcopus, in libro V. super

190 super caput XVI. Matthæi. *Quæ solvendi ac ligandi
potestas, quamvis Petro soli dari videatur à Domino,
absque ulla tamen dubitate noscendum est, quod & cæ-
teris Apostolis datur ipso teste, qui post passionis resur-
rectionisque triumphum apparens eis insufflavit, & dixit
omnibus: Accipite Spiritum sanctum.* Ligandi ac sol-
vendi potestatem Petro, Apostolis, Episcopis & Pres-
byteris communem facit, ac proinde inutilem ad pro-
bandum dogma novum, quod impugnamus. Non enim
dicent Presbyteros abdicare posse Reges, vel absolve-
re populos à sacramento fidelitatis, quo Regibus suis
tenentur.

XVII. Hincmarus Remensis Episcopus in opusculi
contra Hincmarum Laudunensem capite XX. *Claves,*
inquit, *regni cælorum ipsam discernendi scientiam, po-
tentiamque nominat, qua dignos recipere in cælum, in-
dignos secludere deberet à regno: Unde manifestò sub-
jungit: Et quodcumque ligaveris super terram.* Hæc ut
intelligantur explicatione non egent.

XVIII. Radulfus Flaviacensis in lib. III. super Le-
vit. cap. I. *Per doctorum,* inquit, *absolutionem nimi-
rum, quibus claves commissæ sunt, ad divinam indulgen-
tiam pertingendam. Doctoribus quippe dictum est, quæ-
cunque ligaveritis super terram, ligata erunt in cælis,
&c. Accedendum itaque ad illos, vulnera per confessio-
nem pandenda, flendum coram eis, ut sic commissa nostra &
meritis levent, & potestate relaxent.* Ligandi & solvendi
potestatem in peccatis determinat.

XIX. Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus,
in caput XVI. Matthæi ad illud, *& dabo tibi claves*
191 *regni cælorum, & quidquid alligaveris super terram,
erit alligatum & in cælis, & quidquid solveris super ter-
ram, erit solutum & in cælis. Tanquam Deus magna
potestate dicit: Dabo tibi, Sicut enim Pater dedit tibi
revelationem, sic & ego claves. Claves autem intelligas,
qua ligent & solvant, hoc est, delictorum vel indulgen-
tiam, vel pœnas. Habent enim potestatem remittendi &
ligandi, qui sicut Petrus Episcopatus gratiam assecuti
sunt. Quamvis enim Petro soli dictum sit, dabo tibi
claves, omnibus tamen & Apostolis concessa sunt, sicut quando
cùm dixit: Quorum remiseritis peccata, remittuntur, &c.*
Ligandi & solvendi potestatem & Petro, & cæteris A-
postolis tribuit, & in remittendis ac retinendis peccatis
constituit.

XX. Anselmus, vel quisquis alius apud Anselmum
in caput XVI. Matthæi. *Notandum quod dicit, super
terram: Non enim data est hominibus potestas ligandi, vel
solvendi mortuos, sed vivos. Mortuos enim solvendi vel
ligandi potestas soli Deo reservata est. Ligare & solvere,
est super terram vivos excommunicare, vel absolvere.* Non
addit etiam à fidelitatis juramento, quo subditi suis
Regibus obligantur, quia ut addat Ecclesiæ traditio
non finit.

XXI. Gerardus Leodiensis Episcopus in Epistola ad
Leodienses Archidiaconos, de disciplina quæ erga
excommunicatos servanda est: *Quod quidem non te-
merè à vobis fieri confido: Si unde consecrationes ho-
noris accipitis, inde legem totius observantiæ vestra su-
mere velitis, & beati Petri Apostoli Sedes, quæ vobis
192 Sacerdotalis mater est dignitatis, Ecclesiastica vobis sit
magistra rationis.* Et quibusdam interjectis: *Quod i-
gitur ex sententia veritatis in cælo ligatum est, per eos
qui auctore Deo principatum superni judicii sortiuntur,
ut vice Dei ligandi auctoritatem accipiant. Quis tam
præcipitata mentis atque exorbitata intelligentia est, ut
ligationis hujus censuram irritam, non dicam facere, sed
confiteri præsumat? Verùm quia sæpe accidere solet, ut
erga quemlibet proximum odio aut gratia moveatur Pa-
stor, inde rectè per Prophetam dicitur: Mortificabant
animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ
non vivunt: Unde Gregorius in homiliis suis. Non
morientem,* inquit, *justificat, qui justum damnat, &
non victurum vivificare nititur, qui reum supplicii ab-
solvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc li-
gandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est
itaque quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia subse-
cuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compun-
ctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat.*
In explicando ligandi ac solvendi jure traditionem
sequitur. Nec eam auget jure, quod in absolvendis
à juramento fidelitatis hominibus, præstito Regibus,
consistit.

XXII. Ivo Carnotensis Episcopus in decreti part.
XIV. cap. III. *Plerumque contingit, ut hic judicis
locum teneat, cujus ad locum vita minimè concordat,
ac sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse
ligatus solvat; sæpe in solvendis ac ligandis subditis suæ
voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur
Pastor: Unde fit ut ipsa ligandi ac solvendi potestate
se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro sub- 193
ditorum moribus exercet.*

XXIII. Rupertus Tuitiensis Abbas lib. X. in Evan-
gel. Joan. cap. XI. *Cùm itaque ad hujusmodi pecca-
torem gratia Dei revertitur, mortuus pedes & manus
ligatus invenitur, quia funibus peccatorum suorum cir-
cumdatus sub lapide clausus, id est, sub lege reus tene-
tur. Clamat Jesus voce magna, veni foras, quia nonnisi
magno terrore aspirantis Dei, & de futuro judicio com-
minantis exterritus malè securus peccator ad cor suum
reducitur, statim prodit, id est, reatum suum confitetur,
& quia jam vivit, solvite illum, inquit, Jesus; dicit
enim, quæcunque alligaveritis super terram, &c. Si pro
arbitrio vel animo suo illum viventem ligent, hunc au-
tem mortuum solvant, videlicet condemnantes justum, &
justificantes impium. Ipsi illa, non sua, sed Christi po-
testate se privant, & viventem quidem ligando, sic mor-
tificare nequeunt, mortuum autem solvendo non solùm non
vivificant, verumetiam & fœtorem cunctorum naribus
ingerunt.*

XXIV. Brunus Signiensis Episcopus in Levit. cap. XIII.
*Solis Episcopis, & Sacerdotibus secundùm animam dam-
nandi & judicandi, ligandi atque solvendi potestas à Do-
mino data est.*

XXV. Radulfus Ardens in concione II. de festo
beatorum Petri & Pauli: *Sunt autem duæ claves discretio
& potestas, Discretione discernuntur, qui sint ligandi, vel
qui solvendi, potestate ligantur ligandi, & solvuntur sol-
vendi. Sed quid hodie dicam, fratres mei, cùm multi Sa-
cerdotum careant discretione, & multi eorum qui discretio-
nem habent, abutantur ligandi atque solvendi po- 194
testate?*

XXVI. Hugo Victorinus in Annotationibus Elu-
cidarii Evangelii Joannis cap. XI. *In Lazari re-
suscitatione quomodo solvere & ligare discipuli, & eo-
rum successores in Ecclesia videlicet prælati, queant, in-
sinuatur, licèt tamen in his diversa sentiant diversi.
Dicunt enim quidam Sacerdotes nihil aliud in solvendis
& ligandis peccatis facere, quàm Sacerdotes in lege super
lepra mundatos, eos enim vel solutos, vel ligatos ostendunt.
Solus enim Deus peccata remittit, aut pro eis ligat: Di-
cunt autem alii, quòd peccata remittunt ex officio, quod
habent.*

XXVII. Gratianus dist. I. de pœnit. cap. LXXX.
*Ipsi Sacerdotes plus jam possunt proficere, plus confitentibus
parcere, quibus enim remittunt, remittit Dominus. La-
zarum enim de monumento jam suscitatum obtulit Do-
minus discipulis solvendum, per hoc ostendens potestatem
solvendi concessam Sacerdotibus: Dixit enim quodcunque
solveritis super terram, solvetur & in cælis. Hoc est, ego
Deus, & omnes ordines cælestis militiæ, & omnes Sancti in
gloria mea laudant vobiscum & confirmant quos ligatis &
solvitis. Non dixit, quos putatis ligare vel solvere, sed in
quos exercetis opera justitiæ, aut misericordiæ.* Ubique
ligandi & solvendi potestas in peccatis concluditur, nec
ultrà profertur.

XXVIII. Magister sent. in lib. IV. dist. XVI. *Hoc
sanè dicere ac sentire possumus, quòd solus Deus dimittit
peccata, & retinet, & tamen Ecclesiæ contulit potestatem*

195 *ligandi & solvendi, sed aliter ipse solvit, & ligat, aliter Ecclesia.* Et post alia: *In solvendis ergo culpis, vel retinendis, ita operatur Sacerdos Evangelicus, & judicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra, quæ peccatum signat. Unde Hieronymus super Matthæum, ubi Dominus ait Petro, tibi dabo claves, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis,* & cætera, quæ ex Hieronymo supra retulimus. Et nonnullis interpositis: *Secundùm hos ligandi & solvendi modos,* qui antè fuerant expositi, *quomodo verum est, quod dicitur, quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cælis, & quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis, &c. Aliquando enim ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud Deum, & pœna satisfactionis, vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt, & indignos sacramentis admittunt, & dignos arcent. Sed intelligendum est hoc in illis, quorum merita solvi vel ligari postulant. Tunc enim sententia Sacerdotis judicio Dei, & totius cælestis curiæ approbatur & confirmatur, cùm ita ex discretione procedit, ut reorum meritis non contradicat. Quoscumque ergo solvunt vel ligant, adhibentes clavem discretionis reorum meritis, solvuntur vel ligantur in cælis, id est, apud Deum, quia divino judicio Sacerdotis sententia sic progressa approbatur & confirmatur.*

XXIX. Bandinus in quartum sent. *Sacerdos autem,* inquit, *dimittit in confessione peccatum ministerio officii, quo potest solvere vel ligare. Solus enim Sacerdos Evan-*
196 *gelicus & ligat, & solvit, hoc est, ligatum vel solutum à Deo ex officio ostendit.* Et paullo pòst: *Ostendit autem solutum eo ipso, quòd pœna temporali obligat: Quem verò pœnitere arbitratur, ligatum ostendit, si contra fecerit. Ligat etiam Sacerdos, cùm pœnam temporalem imponit, solvit, cùm eam dimittit. Tertiò etiam ligat, cùm à communione suspendit, solvit, cùm communioni restituit.*

XXX. Ricardus Victorinus tractatum edidit de ligandi & solvendi potestate, quam in solvendis & ligandis criminibus determinat, nec eam profert ad præstitum Regibus fidelitatis sacramentum, quo subditi à Romano Pontifice absolvantur.

XXXI. Petrus Cantor Parisiensis in Summa quæst. de pœnit. *Si confitetur laicus laico, vel laicus laico, non dicimus nasci spiritualem proximitatem, quia non est ibi ligatio vel absolutio, sed consilium tantùm, nec ostendit ligatum vel solutum, sicut Sacerdos facit, sed tantùm ostendit ligandum vel solvendum, si superviveret, & accederet ad Sacerdotem.* Infrà: *Unum officium clavis est ligare per pœnitentiæ injunctionem: Sed duplex est ligatio, privata & solemnis, privata, quando quis seipsum domat, crucifigendo concupiscentiam præter injunctionem Sacerdotum, vel si cogitavit, non potuit continere retroactis temporibus: Conabor de cætero, & jejunabo, orabo, vigilabo, separabo me ab altari, & quantum ad participationem, & quantum ad consecrationem, & hujusmodi Solemnis, quæ per sacramentale officium imponitur.* Majorum traditionem secutus ligandi, & solvendi potestatem ultra pœnitentiæ sacramentum non extendit.

XXXII. Guillelmus Autissiodorensis in libro IV.
197 Summæ de sacramento Pœnitentiæ. Qua parte de usu clavium agit: *Quæritur qualiter intelligendum sit quod Dominus dicit, quodcunque ligaveris super terram: In Matthæo dixit Dominus Petro, quodcunque ligaveris supra terram, & in Evangelio Joannis dixit discipulis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt, & quorum retinueritis, retenta sunt. Patet ergo quòd in utroque Evangelio utitur Dominus futuro subjunctivi modi, quod significat consummationem rei significatæ per verbum: Unde sensus est, quodcunque ligaveris, id est, cujuscumque solutionem consummaveris super terram, erit solutum & in cælo, Consummatio autem dicitur respectu inchoationis. Deus autem inchoat solutionem dimittendo culpam & pœnam æternam. Sacerdos verò consummat dimittendo aliquid de pœna ex vi clavium.* Autissiodorensis ad alia non flectit verba Evangelii Matthæi, quàm ad peccata, quæ in pœnitentiæ sacramento vel solvuntur, vel ligantur, vel remittuntur, vel retinentur. Verba hæc, *quodcunque ligaveris, & quodcunque solveris,* paria facit cum his aliis: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* At nemo usus est hactenus Evangelii Joannis verbis, ut probaret Romanum Pontificem posse aut Reges deponere, aut subditos à sacramento fidelitatis absolvere.

XXXIII. Alexander Alensis in parte IV. Summæ quæst. VIII. membro I. art. III. *Ad illa quæ objiciuntur de verbis Matthæi XVI. & Joannis XX. potest dici, sicut dici solet quod Dominus conferendo claves dixit, quodcunque ligaveris super terram, &c. Et A-* 198
postolis, quorum remiseritis peccata, & in utroque usus est verbo conjunctivi modi, quod significat perfectionem rei significatæ per verbum. Unde sensus est, quodcunque ligaveris, id est, cujuscunque solutionem consummaveris, consummatio autem dicitur respectu inchoationis, quia Deus inchoat solutionem dimittendo culpam & pœnam æternam, & Sacerdos consummat condimittendo aliquid de pœna temporali ex vi clavium, ut hoc patet in suscitatione Lazari, &c. Hæc ille, quem doctorem irrefragabilem appellant, ut Hadrianus VI. loco jam citato expressè testatur.

XXXIV. Albertus Magnus Ratisponensis Episcopus in Commentariis super caput XVI. Matthæi. *Deus ergo absolvit à duobus* (primis) *vinculis* (culpæ & pœnæ æternæ) *per seipsum, & sine conditione, & nisi absolvat, nihil potest fieri de peccatore, nisi damnatio, Esaiæ XLIII. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, suprà num. IX. quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus: Psal. L. tibi soli peccavi: Sic autem absolutum mittit ad Sacerdotem ligatum pœna purgatoria, & pœna peccato condigna, sicut Lazarum suscitatum misit ad discipulos solvendum, Joann. XI. Sacerdos autem vinculatum à Deo, solvere non potest simpliciter. Sed liganda ad pœnam expiationis, potest absolvere à pœna condigna purgationis, quam in purgatorio solvere deberet. Eò quòd Sacerdos non est Dominus, sed minister, & oportet eum æstimare emendam Domino faciendam, & ad illam ligare, & tunc residuum vi clavium remittere, & absolvere à vinculis, quibus vinctus ad eum accessit.*

XXXV. Vincentius Bellovacensis in libro VIII. historialis speculi capitis LII. *Purè,* inquit, *& propriè solus Deus dimittit peccata, & debitum pœnæ æ-* 199
ternæ. Dicuntur autem Sacerdotes ligare & solvere tribus modis. Ligant enim & solvunt primò, id est, ostendunt ligatum & solutum. Unde leprosus per se priùs restitutus sanitati: Deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderentur mundati. Infrà: *Secundus modus ligandi est, cùm satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt, vel solvendi, cùm de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad communionem admittunt. Tertius est, qui fit per excommunicationem. Juxta omnes illos modos est auctoritas illa exponenda, quodcunque solveris super terram.*

XXXVI. Beatus Thomas in libri IV. contra gentiles capite LXXII. *Necessarium ergo fuit confessionem institui quasi secundam partem hujus sacramenti, ut culpa pœnitentis innotescat Christi ministro. Oportet ergo ministrum, cui fit confessio, judiciariam potestatem habere vice Christi, qui constitutus est judex vivorum & mortuorum. Ad judiciariam autem potestatem duo requiruntur, scilicet auctoritas cognoscendi de culpa, & potestas absolvendi vel condemnandi. Hæc duo dicuntur duæ claves Ecclesiæ, scientia discernendi, & potentia ligandi & solvendi, quas Dominus Petro commisit juxta illud Matthæi XVI.* Deinde in catena super Matthæi

cap. XVI. *Et quodcunque ligaveris, id est, quemcunque indignum remissione judicaveris, dum vivit, indignus apud Deum judicabitur: Et quodcunque solveris, id est, quemcunque solvendum judicaveris, dum vivit, remissionem peccatorum consequetur à Deo.*

XXXVII. Augustinus Anconitanus in Summa
200 quæst. XX. art. IV. *Potestas clavium potest ad plures actus definiri, sicut ad plures actus talis potentia potest ordinari. Ordinatur autem prædicta potentia ad tres actus. I. Ad actum absolvendi & ligandi. II. Ad actum cognoscendi & discernendi inter dignos & indignos. III. Ad actum exequendi in tali, vel tali materia. Et isti tres actus ponuntur in definitione clavis, qua ponitur. IV. sent. dist. XVIII. ubi dicitur, quòd clavis Ecclesiæ est potestas ligandi ex scientia, qua dignos debet recipere, & indignos excludere à regno Ecclesiæ.*

XXXVIII. Alvarus Pelagius ex ordine Minorum Sylvensis Episcopus, in lib. I. de planctu Ecclesiæ art. LXIII. *Claves sunt discernendi scientia & potentia.* XXII. *dist.* LV. *qua dignos recipere, & indignos debet excludere à regno. Unde subdit: Et quodcunque ligaveris, id est, quem in peccatis persistentem absolveris, sic & erit in cælis.*

XXXIX. Nicolaus Lyranus in caput XVI. Matthæi. *Nota Christum per se intus vivificare, ministris potestatem solvendi post vitam redditam tribuere. Non enim aliquem solvere possunt, nisi vivat, quem solvunt. Sed ad quid solvendi potestatem accipiunt, cùm à Deo jam liberatus & vivificatus sit, quem solvunt, quæritur,* &c.

XL. Bartholomæus Pisanus ex Ordine Prædic. Theologus, in Summa quæ dicitur Bartholina.

XLI. Baptista Trovamala ex Ordine Minorum Theologus, in Summa quæ dicitur Rosella.

XLII. Baptista Salius ex Ordine Minorum Theologus, in Summa quæ dicitur Baptistiniana.

XLIII. Joannes Tabiensis ex Ordine Prædicatorum
201 Theologus, in Summa, quæ dicitur Tabiena, & Summa Summarum in verbo clavis, seu Sacerdos, quæstionem hanc sibi proponunt, qualiter *Sacerdotes dicuntur solvere ac ligare.* Sic respondent omnes: *Respondeo secundùm Raimundum, quòd illa auctoritas; quodcunque ligaveritis vel solveritis super terram, &c. non est simpliciter intelligenda, sed tunc de jure tantùm, cùm Sacerdos justè ligat vel solvit.* Vel *Respondeo secundùm Raimundum tribus modis. Primò, ligant & solvunt, id est, ostendunt aliquem ligatum vel solutum esse à Deo. Nam etiamsi quis apud Deum solutus sit, tamen in facie Ecclesiæ non aliàs solutus habetur, quàm per judicium Sacerdotis. Secundò ligant, cùm satisfactionem pœnitentibus imponunt, vel solvunt, cùm de ea aliquid dimittunt.* Et paullo pòst: *Tertiò, ligant & solvunt per excommunicationem, & ad omnes illos modos potest convenire illud, quodcunque solveris super terram,* &c.

XLIV. Guillelmus Okamus, in quartum dist. XVIII. quæst. VIII. & IX. *Ad argumenta Joannis, cùm dicit, quòd tunc non ligarent, vel solverent Sacerdotes aliquem, respondeo secundùm Magistrum, quòd Sacerdotes ligant & solvunt, quia ostendunt homines esse ligatos vel solutos.*

XLV. Alfonsus Tostatus Abulensis Episcopus, in Matthæi caput XVI. quæst. LXXIV. *Clavis, ut dicit Hieronymus, & habetur* IV. *sent.* XVIII. *est potestas spiritualis ligandi & solvendi, quia Ecclesiasticus judex dignos recipit, & indignos excludere debet à regno.* Deinde in quæst. LXXVI. *Effectus clavium est actus, vel usus earum est solvere, vel ligare, aut recipere ad regnum, vel excludere, & non solvitur quis, nisi ab ali-
202 quo, vel non ligatur, nisi in aliquo. Est dubium, quid est illud, in quo solvitur quis, & ligatur per claves. Dicendum est, quòd actus clavium est super materiam, & ista est duplex, scilicet mediata & immediata. Mediata est ipse homo, qui absolvitur & ligatur. Materia immediata est peccatum, de quo homo absolvitur, vel in quo ligatur.*

XLVI. Petrus Sutor factus ex Parisiensi Theologo Cartusianus in libro, quem de potestate Ecclesiæ in occultis, anno M. D. XXXIV. edidit, cap. I. *Utraque potestas clavis per similitudinem nuncupatur, quòd sit velut instrumentum ad aperiendam januam Paradisi institutum: Sed prima dicitur clavis potestatis, altera scientiæ. Harum quidem prima præcipua est, quæ & potestas ligandi atque solvendi ideo vocatur, quòd virtute ejus Sacerdos liget peccatorem, dum decernit eum esse ligatum, quando eum vita in vitiis anteacta non pœnitet, ut docet, vel quando eum vera pœnitentia ductum ad pœnam aliquam satisfactoriam obligat. Absolvit verò, dum culpam ministerialiter remittit, saltem quantum ad Ecclesiam pertinet, & peccatorem ipsum solutum suo judicio decernit. Absolvit, inquam, dum partem pœnæ temporalis virtute hujusmodi potestatis relaxat.* Ex munere à Facultate Theologiæ accepto Sutoris librum legerunt Parisienses magistri numero tres, Stephanus Loretus, Joannes Gillainus, & Robertus Buchignius, qui de eo ad Facultatem Theologiæ retulerunt, & relatione facta visum est Facultati librum in lucem edi posse. Is erat tunc mos probandorum operum, quæ de rebus Theologicis agerent.

XLVII. Minorum Ordo in Breviario, quod anno 203
M. D. XXXV. Parisiis apud Gerlerium M[illegible]um edi curavit, qua parte ritum ad communica[illegible]um infirmum præstituit: *Imprimis pulsetur campana, ut fratres qui possunt, in Ecclesiam conveniant.* Et post alia: *Deinde Sacerdos accedat ad ægrotum, & in modum crucis aspergat eum aqua benedicta dicendo, Asperges me, cum Psal. Miserere mei, cum Gloria Patri, Sicut erat, & repetitur, Asperges me. Deinde immediate infirmus adoret, & exosculetur crucem, & dicat, Confiteor Deo, &c. Finita confessione Sacerdos absolutè dicat hanc orationem: Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo, de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcunque cogitatione, locutione, operatione negligenter egisti, & à nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cælorum, Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum Amen. Postea Sacerdos elevet corpus Domini de calice, & infirmus adorans dicat semel tantùm: Domine, non sum dignus.*

XLVIII. Joannes Maldonatus in Matthæi caput XVI. *Et quodcunque ligaveris. Hæc etiam metaphora est, qua idem quod duabus superioribus significatur, supremam remittendi aut retinendi peccata potestatem Petrum habuisse.* Deinde in caput XVIII. *Dubium non est quin & de externa, & interna ligandi potestate Christus loquatur, cùm dicit, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, id est, apud Deum. Quod enim 204
apud Deum ligatur & solvitur, non solùm extrinsecùs, & hominum opinione, sed etiam intrinsecùs, & revera ligatur & solvitur. Adde quòd qui aliter interpretantur, Christi consilium non intelligunt. Voluit enim Ecclesiæ tribunal ultimum esse, ad quod essent peccatores, cùm non aliud esset emendationis remedium, referendi, ideòque summam illi tribuit potestatem. Summam autem non tribuisset, si minorem illi non dedisset, quàm omnis respublica jure suo habet, ut homines perniciosos mittat in exilium. Quod in Ecclesia est excommunicare. Quid sit ligare & solvere & quomodo hinc confessionis præceptum necessariò colligatur, cap. XVI. & XIX. exposuimus.*

XLIX. Franciscus Lucas Brugensis in caput XVI. Matthæi. *Quodcunque, quemcunque eorum, qui cives erunt hujus regni per orbem terrarum diffusi. Ligat igitur Petrus, dum tali sententia cogit illum subire meritas pœnas, sive capitalem, ut si Ecclesia illum expellat, &*

separet à communione Sanctorum, aut neget ei peccatorum remissionem, &c. Quodcunque, quæcumque, ut suprà, solverit suis vinculum pœnis, pœnisve promeritis, cuicunque peccata, aut pœnas peccatis debita remiserit.

L. Sacrameotale Ferriacensis Ecclesiæ in ordine, quem ad communicaodum infirmum præscribit: *Dominus,* inquit, *Deus noster Jesus Christus, qui dixit discipulis, quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo, de quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis, quæ*
205 *quovismodo cogitatione, locutione, & operatione negligenter egisti, atque à peccatorum nexibus absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum.*

LI. Michael Sanromanus è Societate Jesu Theologus io libri III. de spiritualibus expeditionibus cap. III. *Deinde,* inqoit, *docet.* (Concilium) *hanc contritionem ab Adamo peccato semper necessariam fuisse, addidisse tamen Christus confessionis necessitatem, sine qua etiam justificat, cùm tamen in voto, & desiderio suo tempore facienda teneatur, & ob id quidem Lazaro Christus vitam dedit, solvi tamen à discipulis, eò quòd contritio solu vitam mortuis per gratiam prabeat, verùm nondum solutam debitum, quousque per claves commissas Ecclesiæ ministris solvatur per confessionem pœnitentium illis dicitur, quidquid ligaveritis, & quidquid solveritis, erit ligatum & solutum & in cœlis. Id expressit Augustinus tractata* XLIX. *in Joannem.*

LII. Sacerdotalis liber Lugdunensis Ecclesiæ, qui anno M. D. XLIV. Lugduni editus est, in ritu & ordine communicandi infirmi.

LIII. Maouale Ratomagense, quod anno M D. XLIV. & anno M. D. XC. Rotomagi editum est, in ritu, & ordine visitationis iofirmorum.

LIV. Manuale Bajocense, quod anno M. DC. XI. Cadomi editum est, in eodem ritu.

LV. Manuale Ebroicense, quod anno M. D. XLVII. & M. D. LXXXVI. Rotomagi editum est, in eodem ritu.

LVI. Manuale Abrincense, quod anno M. D. XXXIX. Cadomi editum est, in eodem ritu.

LVII. Maoual Constantiense, quod M. CCCC. XCIV.
206 editum est, in eodem ritu.

LVIII. Manuale Sagiense, quod anno M. D. XV. Rotomagi editum est, in eodem ritu.

LIX. Manuale Aurelianense, quod anno M. D. LXXXI. Parisiis editum est, in eodem ritu.

LX. Manuale Meldense, quod anno M. D. XLVII. Parisiis editum est, in eodem ritu.

LXI. Mannale Autissiodorense, quod anno M. D. XXXVI. Parisiis editum est, in eodem ritu.

LXII. Manuale Trecense, quod Trecis anno M. D. XLI. editum est, in eodem titu.

LXIII. Manuale Turonense, quod aono M. D. LXX. Turonis éditum est, in eodem ritu.

LXIV. Manuale Cenomannense, quod anno M. XL. editum est, in eodem ritu.

LXV. Manuale Andecavense, quod anno M. D. LXXX. Parisiis editum est, in eodem ritu.

LXVI. Manuale Venetense, quod anno M. D. D. XCVI. Veneti editum est, in eodem ritu.

LXVII. Manuale Nannetense, qood anno M. D. LX. Parisiis editum est, ia eodem ritu.

LXVIII. Mannale Laudunense, quod an. M. D. XXXVIII. Parisiis editum est, in eodem ritu.

LXIX. Manuale Bituricense, quod an. M. D. LXXXVIII. Parisiis editum est, in eodem ritu.

LXX. Manuale Vienoense, quod anno M. D. editum est, io eodem ritu.

LXXI. Mannale Narbonense, qood anno M. D. LXV. Tolosæ editum est, in eodem ritu.

LXXII. Manuale Tolosanum, quod anno M. D. XXXVIII. Tolosæ editum est, in eodem ritu.

LXXIII. Manuale Aquense, quod anno M. D. LXXVII. editum est, in eodem ritu.

Hæc autem omnia Gallicanarum Ecclesiarum manua- 207
lia repræsentant orationem, seu, ut vocant, absolutionem quæ sequitur. *Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis, de quorum numero quamvis indignos esse nos voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis, quæcunque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egisti, atque à nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum, Qui cum Deo Patre, &c.*

LXXIV. Prædicatorum Ordo, cùm Raimundus Pennafortius à Clemente VIII. relatus est in Sanctorum numerum, Raimundi Summam de pœnitentia Romanis typis mandari curavit: Et in nuncupatoria ad illum Pontificem Epistola Raimundi Summam ita magnificè probavit, ut non potuerit non probare quæ sequuntur. *Quæritur quid remittit Sacerdos in pœnitentia.* Et paullo pòst: *His prælibatis dicendum est ferè secundùm omnes, quòd purè, verè, ac propriè solus Deus dimittit peccata, & debitum æternæ vitæ.* Et post pauca: *De Sacerdotibus autem non est dubium, quin habeant potestatem dimittendi & remittendi peccata.* Et paullo pòst: *Dicuntur autem Sacerdotes ligare & solvere tribus modis: Primò, ligant & solvunt, id est, ostendunt aliquem solutum vel ligatum. Unde Dominus leprosos priùs restituit sanitati, deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderentur mundati. Item Lazarum primò resuscitavit, deinde mandavit discipulis suis solvere suscitatum. Nam etsi aliquis apud Deum sit ab-* 208
solutus, non tamen in facie Ecclesiæ absolutus habetur, nisi per judicium Sacerdotis, &c. Secundus modus ligandi est, cùm satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt, vel solvendi, cùm de ea aliquid dimittunt. Unde Leo Papa: Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Tertius modus est, qui fit per excommunicationem, &c.

Nunc referenda sunt nuncupatoriæ ad Clementem Epistolæ verba, quibus Summæ commendationem persequitur. *Inter præclaros Ordinis nostri viros, qui singulis sæculis vitæ sanctitate, & literarum peritia claruerunt, & sicut primæva institutio postulat, Evangelium prædicando, hæreses & hæreticos impugnando & expugnando, pravas & novas doctrinas confutando (ut tuta semper & sacra retineantur, & vetera ac Catholica dogmata inviolata consistant) in vinea Domini laboraverunt, Raimundus de Pennafort præcipuum semper obtinuit locum, qui cùm juris utriusque esset insignis professor, Præfecti provincialis jussu Summam de pœnitentia, & particularem quoque de matrimonio composuit tractatum, ut eorum studiis salubriter consuleretur, qui confessiones peccatorum audiunt.* Et post alia: *Erit magni, & excelsi animi vestri munus hoc qualecunque libenter accipere, & partum viri sancti fovere, ut vestri nominis auctoritate munitus ab impiorum, & imperitorum invidia defendatur.* Sic Ordinis Prædicatorum 209
judicio impii, & imperiti habendi sunt, qui Raimundi doctrinam oppugoabunt. Sed quod institutum nostrum attinet, vir sanctus, *quodcumque ligaveris & quodcunque solveris,* non intellexit aliter, quàm & Romani Pontifices, & Romanus clerus, & sancti Patres semper intellexerunt.

Idem Prædicatorum Ordo in Manuali suo, quod Romæ ann M. DC. VII. editum est, inter ea, quæ ad ritum unctionis sacræ infirmorum pertinent, absolutionem hanc præscribit: *Dominus Deus noster qui dixit discipulis suis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis, de quorum numero nos quam-*

vis

vis indignos esse voluit, ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis, quacunque cogitatione, locutione, atque operatione negligenter egisti, atque à nexibus peccatorum tuorum absolutum perducere dignetur ad regna calorum, &c. Hic observatum esse volumus, quod mox ad Summam Raimundi observavimus.

Verumenimverò argumentum nobis aliud suppetit, quod ex divinis Romanæ Ecclesiæ officiis comparatur. In iis ligandi & solvendi potestas ligandis & solvendis animabus circumscribitur. Gregorius magnus in libro sacramentorum præsto est, cùm ad VIII. Calend. Martii fastum Cathedræ sancti Petri celebrandum proponit, & recitari vult orationem hanc: *Deus, qui beato Apostolo tuo Petro collatis clavibus regni cælestis animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio à peccatorum nostrorum nexibus liberemur.* Sic in Romana
210 operum Gregorii editione, quæ Gregorio XIII. Pontifice curata, & ei dedicata est. Hic sacramentorum liber ex Missali MS. sancti Eligii recensitus, & correctus eandem orationem prorsus exhibet: *Deus qui beato Apostolo tuo Petro collatis clavibus animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti,* &c.

Non me latet orationem hanc ab Anastasio Bibliothecario tribui Leoni Papæ IV. sed Leo potuit illam è sacramentorum Gregorii libro desumere, & desumendo suam facere, & vocem (*animas*) retinere, tametsi ea nunc apud Anastasium non compareat: Sed à sciolo quodam librario potuit auferri. Quidquid in causa, hic certa sunt duo. Unum est, Anastasii librum de vitis Pontificum emendatione, & ad priscos codices MM. SS. recensione penitus indigere, quia passim & lacunis, & mendis aspergitur & inobscuratur: Alterum, relatam orationem non discrepare à mente Gregorii, ut ex descripto suprà illius testimonio liquet; nam ligare & solvere animas idem est ac ligare & solvere peccata, quibus animæ inquinantur.

Ad orationem Gregorii respectum habet, ni fallor, Petrus Damianus Cardinalis, qui annis abhinc sexcentis claruit. Sic enim loquitur in sermone I. quem de beato Joanne Evangelista instituit. *Tacet is,* inquit, *cui porta inferi non pravalent, qui ligandi animas atque solvendi obtinet principatum.* Loquitur ex traditione Romanæ Ecclesiæ Sedis Apostolicæ, quam mirum in modum illustravit.

Julius II. qui anno M.D.IV. factus est Pontifex, sacramentorum librum imitatur in diplomate XXIII. quod Seraphinus Cherubinus in Bullario refert. *Liquet,*
211 inquit, *omnibus Christianæ fidei cultoribus Petrum ab ipso Salvatore nostro Jesu Christo, Apostolorum Principem fuisse constitutum, eique ligandi ac solvendi animas cælesti privilegio traditam esse potestatem, cum ei dicitur: Tu es Petrus, &c.* Hæc non de alia, quàm de Sede Petri pronunciat. Adulatores Curiæ sive rejiciant, sive recipiant, constringuntur. Rejiciendo, Pontificem de Petri Sede pronunciantem rejiciunt, & erroris accusant; recipiendo, novitium dogma, quod impugnamus, rejiciunt, & nobiscum concordant.

Julium II. excipit Missale Romanum, quod Parisiis circa annum M. D. XX. apud Franciscum Reginaldum in lucem prodiit, in festo Cathedræ B. Petri: *Deus, qui B. Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni cælestis, animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio à peccatorum nostrorum nexibus liberemur.*

Missale Romanum idem, quod M. D. XLIII. reformavit Paulus III. & insequenti anno Lugdunensibus typis mandatum est apud Guillelmum Rovillium, orationem ut optimam & legitimam ita retinet: *Deus qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus, animas ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti,* &c.

Breviarium Romanum quod Parisiis anno M.D.XLIII. apud Thielmanum Kerverum, & idem Breviarium per Franciscum Cardinalem Guinognium emendatum, quod Parisiis anno M. D. LXVI. apud Guillelmum Merlinum prælo excusum est, cum sacramentorum libro, Damiano, Julio II. & Missali Romano convenit hoc modo: *Deus qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni cælestis animas ligandi atque solvendi* 212
Pontificium tradidisti, &c.

Diurnum monasticum, juxta ritum monachorum Ordinis sancti Benedicti de observantia congregationis Cassinensis, aliàs sanctæ Justinæ de Padua, quod ex decreto Capituli generalis anno M. D. LXXXIV. reformatum, & per Gregorium XIII. Pontificem confirmatum, Venetiis apud Juntas anno M. DC. emissum est, in festo Cathedræ sancti Petri eandem habet orationem: *Deus qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni cælestis, animas ligandi ac solvendi Pontificium tradidisti,* &c.

Hic mitto plura Breviaria, quæ in aliis Ecclesiis sese Romano usui accommodarunt. Infinitus enim essem, si vellem ire per singula. Romanæ Ecclesiæ, non aliarum Ecclesiarum traditionem quærere aggressus sum. Diurnum omisissem monasticum, nisi Gregorius XIII. editionem illius & reformationem confirmasset, quia confirmando suum fecit, & orationem qua de agitur, ut Romanæ cui præsidebat Ecclesiæ, censum in se ultro recepit. Omittere non possum consentiens Missale Ambrosianum, quod anno M. DC. XLVIII. editum est.

Nonnullæ sunt, haud dubito, Ecclesiæ quæ orationem istam habent, & sine voce (*animas*) recitant: Sed ex earum usu hac in parte corrigendus non est Romanæ Ecclesiæ usus, qui ab antiqua, & solida traditione descendit. Quinetiam illarum Ecclesiarum usus corrigendus est: Quippe qui ab Romanæ Ecclesiæ usu fundatissimo defecerit. Huc pertinere potest Innocentius I. dum ad Decentium Eugubinum Episcopum ita scribit: *Si instituta Ecclesiastica ut sunt à beatis* 213
Apostolis tradita integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus ac consecrationibus haberetur; sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel Apostolicis viris contrarietatem inductam.

Nunc præterire non possum silentio in Ecclesiasticorum rituum instauratione, quæ Romæ Clemente VIII. Pontifice curata est, vocem (*animas*) ex oratione nostra sublatam esse, sed an rectè sublata fuerit, multa dubitare me cogunt.

I. Vox (*animas*) vetustiores Clemente VIII. Pontifices Gregorium I. Julium II. Paulum III. Gregorium XIII. ut patronos, & approbatores sibi vindicat. Igitur Clemens (si tollendæ vocis fuit auctor) cum decessoribus pugnat, nec potest non cadere, quia unus multis nequit obsistere; & hæc indignitas Romanæ Sedis cultorem graviter commovere debet. Res enim eò adducitur, ut sedes & sedens contemnantur, & quæ ibi ponenda est fides, minuatur. Nota sunt, quæ sanctus Gregorius semel atque iterum in hanc rem scribit: Primùm in libri V. Epistola XII. ad Montanum & Thomam. *Justitia ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiat.* Deinde in libri VII. indict. I. Epistola XVII. ad 214
Bonifacium defensorem. *Nimis est asperum & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum, uti quempiam quacunque rationis excusatione, & quæ sunt bene ordinata, rescindere, & exemplo suo docere cæteros sua quandoque post se constituta dissolvere.* Qua ratione facta sub Clemente correctio dissolvitur.

II. Vox (*animas*) ad Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ auctoritatem confugit, in qua dum beati

Petri

Petri Cathedræ festum agebatur, immenso tempore retenta, & inter Missarum solemnia consecrata est, invaluit & irroboravit.

III. Vox (*animas*) ad sacramentorum Gregorii librum, & Julii II. constitutionem & Missale Ambrosianum se recipit. Loca sunt tutissima, quæ Romani Missalis, & Breviarii correctores novi minime lustrarunt; nam si lustrassent, admota conscientia non egissent, quod egerunt. Antiquitatis potius, ut mos est Romanis, quàm novitatis assertores esse voluissent. Jam ei occursum est, quod de vocis nostræ defectu apud Anastasium in vita Leonis IV. prætexeretur: Scilicet Gregorium orationi suæ suppetias venire in homilia, cujus testimonium adeo grande recensitum est. Nam, *quodcunque ligaveris, & quodcunque solveris*, de ligandi & solvendi animas seu peccata potestate, pene dicam cum fastidio repetit & inculcat.

IV. Vox (*animas*) sese in Missali, & Breviario antiquitate defendit adversus correctores novos, & ad sui præsidium advocat Philippum Presbyterum, qui Sedis Apostolicæ legatus Ephesinæ synodo interfuit; advocat & synodum ipsam, quæ Philippum dicentem audiit, & quæ dixit comprobavit; advocat & Zacha-
215 riam & Hadrianum, & synodum VII. à quibus per vocem *peccata* tantundem sonantem asseritur, confirmatur, & omni termino immobilior defigitur.

V. Nunc demus, quod Ecclesiasticorum officiorum correctores volunt sibi dari, Leonem IV. orationis, quæ in festo Cathedræ sancti Petri legitur, auctorem esse primum, nec illi vocem (*animas*) intulisse; intulisse verò qui transcripserint; non continuò sequitur, expungendam fuisse: siquidem in Romanæ Ecclesiæ sensu, quem perpetua consignabat traditio, adjecta fuerat, ut quid ligandum vel solvendum erat, magis explicaretur, & firmiùs conservaretur. Quod autem sic adjicitur, removeri statim non debet, nisi quis velit cum Græcis è Romanæ Ecclesiæ symbolo, quod hodie decantatur, removendum esse, *filioque*, quia Constantinopolitani Concilii primi symbolo adjectum minimè fuerat. Quæ ligandi & solvendi potestas ad liganda & solvenda peccata, ad ligandas & solvendas animas ex omni memoria definita erat, hanc correctores in gratiam Theologorum Curiæ adulatorum voluerunt indefinitam relinquere, ut quidquid adulatores illi sub ligandi & solvendi potestate comprehenderent, ab Ecclesiasticæ traditionis rudibus, & ignaris rectè comprehensum putaretur, & inprimis liberatio sacramenti, quo subditi Principibus suis obligantur: Atque istud est, cui à nobis nequit adscribi bonum factum, tam propter ea, quæ de perpetua Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ traditione quàm propter ea, quæ de Patrum doctrina in exponendis Evangelii verbis, *quodcunque ligaveris, & quodcunque solveris*, observavimus. Nam Patres & tractatores Ec-
216 clesiastici, & celebriores è schola Theologi, qui cum Romana Ecclesia mirificè conveniunt, Evangelii verba de potestate ligandi & solvendi peccata exponunt, nec extendunt ad liberationem sacramenti, quo subditi Principibus suis tenentur; atque ita recentiores qui eò usque extendunt, relatum initio Tridentinæ professionis fidei articulum violare non metuunt, ut opinionem suam constabiliant.

Neque verò tueri se possunt auctoritate Gregorii VII. Papæ, qui iis videtur præluxisse in libri VIII. Epistula XXI. ad Herimannum Metensem Episcopum. *Mos est*, inquit, *reproborum ob nequitia sua probationem nisi consimiles sibi defendere, quia pro nihilo habent mendacii perditionem inquirere. Nam ut de multis pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis in Evangelio: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Nunquid sunt hic Reges excepti, aut non sunt de ovibus, quas Filius Dei beato Petro commisit? Quis, rogo, in hac universali concessione ligandi atque solvendi à potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi fortè infelix ille, qui jugum Domini portare nolens diaboli se subjicit oneri, in numero ovium Christi esse recusat, cui tamen ad miseram libertatem minimè proficit, quòd potestatem Petri divinitus sibi concessam à superba cervice excutit, quoniam quantò eam quisque per elationem ferre abnegat, tantò duriùs ad damnatio-
nem suam in judicio portat? Hanc itaque divina vo- 217
luntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc privilegium B. Petro Apostolorum Principi cælesti decreto principaliter traditum atque firmatum sancti Patres cum magna veneratione suscipientes atque servantes sanctam Romanam Ecclesiam tam in generalibus conciliis, quàm etiam in cæteris scriptis, & gestis suis universalem matrem appellaverunt.*

Et primùm quidem, tota illa verborum, quæ, *quodcunque ligaveris & solveris*, circumstant, series & contextio, seu in sese, sive in præcedenti, & Romanæ Ecclesiæ sensu consideretur, potestatem solam ligandi & solvendi, in ligandis & solvendis criminibus sitam, aut, quod idem est, eam tandem objiciunt excommunicationem, pœnam ultimam, quæ à Petri, & reliquorum Apostolorum successoribus infligi possit.

Deinde, si relata scripturæ verba extendat, quod ego non facilè crediderim, ad liberationem sacramenti, quo subditi Principibus suis obligantur, erit verborum scripturæ expositio, quæ neque ex Romanæ, neque ex cæterarum Ecclesiarum traditione derivabitur. Privata erit expositio, quæ quia privato spiritui transcriberetur, corruet & retineri non poterit.

Tum Gregorio VII. Zacharias & Nicolaus I. occurrent: Ille in tomo I. Concil. Galliæ in prima ad Bonifacium Archiepiscopum epistola, cùm ait: *Non aliud nobis convenit prædicare, præter quod à sanctis Patribus sumus edocti.* Hic in Epistola V. ad Michaelem Imperatorem, cùm dicit: *Serenissimi Imperii vestri.... hanc sanctam Catholicam & Apostolicam caput omnium Ecclesiarum, Romanam scilicet Ecclesiam, quæ semper
sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus 218
actibus suis sequitur, consulere decrevit.* At sancti Patres Gregorium non edocuerunt, cùm ille Henrici IV. Imperatoris subditos à juramento fidelitatis absolvit, nec in hoc absolutionis actu sincerissimas sanctorum Patrum auctoritates secutus est.

Quartò Gregorius ipsemet occurret sibi pluribus in locis: In libri I. Epistola XXXIV. ad Remedium Linconensem Episcopum: *Latorem*, inquit, *præsentium, quem fraternitatis tuæ litera homicidio maculatum nobis denuntiaverunt, nulla sanctorum Patrum auctoritas concedit ulteriùs sacris altaribus ministrare.* Sic nulla sanctorum Patrum concedit auctoritas, ut Principum subditos à juramento fidelitatis eximat Romanus Pontifex In libri II. Epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Solet sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis, & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere.* Sed in canonicæ traditionis concordia invenitur nihil, quo vel Regum depositio vel absolutio sacramenti, quo subditi tenentur Regibus, vindicetur. In ejusdem libri II. Epistola LXXV. ad Suenium Regem Danorum. *Pastorale officium in dilectione Dei, & proximi, quasi in fundamento consistit*: Non igitur in Regum depositione, vel in liberatione sacramenti, quo populus Regi suo constringitur. Quis enim unquam asseruit, Regum depositionem, vel illiusmodi liberationem veluti fundamentum esse, cui pastorale officium innitatur? In libri IV. Epistola VI. ad Henricum Leodiensem Episcopum: *Siquando judicium
de negotiis Ecclesiasticis fecimus vel facimus, non nova aut 219
nostra proferimus; sed ab eis* (sanctis Patribus) *per*

Spiritum

Spiritum sanctum prolem sequimur & exercemus. Quod erga Henricum Imperatorem IV. præstitit, inusitatum & novum fuit; decessorum Gregorii nullus Regem ullum deposuit, aut illius subditos à sacramento fidelitatis absolvit.

Postremò Gregorius VII. si scripturæ verba; *quodcunque solveris*, sic intellexit, ut inde potuerit Imperatoris subditos à juramento fidelitatis absolvere, sobreptum vel obreptum illi fuit. Quod verum esse posse docet ipse in libri IX. Epistola XXXI. ad Haganonem Episcopum: *Multa*, inquit, *subripi possunt, nimis ad singula intentis, utpotè diversis ad plurima, & intentis ad maxima, quibus vehementer arctamur: In hac causa, quod minimè recordamur, siquid fortè subreptum fuit, optat magis animum corrigere, quàm ab æquitate & rationis tramite deviare, vel aliis corrigenda relinquere.* Neque verò in hac tantum Epistolæ parte, sed & in pluribus aliis insequentibus Gregorio subreptum vel obreptum est; quod breviter demonstramus.

I. Scribit: *Sancti Patres Romanam Ecclesiam tum in generalibus Conciliis, quàm in cæteris scriptis, & gestis suis universalem matrem appellaverunt.* Sancti Patres in Niceno Concilio I. quod generale est, Romanam Ecclesiam non appellaverunt universalem matrem: Sancti Patres in Constantinopolitano Concilio, quod generale est, Romanam Ecclesiam non appellaverunt universalem matrem: Sancti Patres in Ephesino Concilio I. quod generale est, Romanam Ecclesiam
220 non appellaverunt universalem matrem: Sancti Patres in Calchedonensi Concilio, quod generale est, Romanam Ecclesiam non appellaverunt universalem matrem: Sancti Patres in Constantinopolitano Concilio II. quod generale est, in Constantinopolitano III. quod generale est, in Niceno Concilio II. quod generale quoque est, Romanam Ecclesiam non appellaverunt universalem matrem: Sancti Patres in scriptis, & gestis suis, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Eusebius, Athanasius, Optatus, Hilarius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Siricius, Damasus, Ambrosius, Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Celestinus, Leo, Maximus, Chrysologus, Fulgentius, Gregorius magnus, Romanam Ecclesiam non appellaverunt universalem matrem. In hac facti quæstione soli sunt oculi judices. Quæso te, an major dari possit unquam obreptio vel subreptio?

II. Gregorius laudat Julii ad Orientales Epistolam, non quam refert Athanasius, sed quam nescio quis malæ fidei scriptor Julio subjecit. Id ex consulari nota planissimum est: *Data Calendis Novemb. Feliciano, & Maximiano viris clariss. Cons.* At quibus annis Julius Romanam administravit Ecclesiam, Consules hi duo, Felicianus & Maximianus non comparent simul. Maximianus anno CCCXI. comparet octavum consul cum Licinio Cæsare, & Felicianus anno CCCXXXVII. qui Julii annus I. est, cum Titiano. Deinde in annum primum Julii cadere non possunt, quæ sequuntur: *Idcirco quoniam dudum vocati venire renuistis, modò ad certum diem, id est XV. Calend. Novemb. vos*
221 *iterum regulariter literis, missisque evocamus.* Hæc autem anno CCCXLII. contigerunt in annalibus Ecclesiasticis, non anno CCCXXXVII. Tum Gregorius ex hac Epistola quæ sequuntur, adducit: *Apostolica Sedes habet potestatem singulari privilegio sibi concessam aperire, & claudere januas regni cœlestis, quibus voluerit.* Sontibus nempe & malis, perinde ut insontibus & bonis. Quis crederet id unquam seriò scripsisse Julium, & attento animo laudasse Gregorium?

III. Gregorius profert è libro XI. Gregorii Papæ Epistolam X. ad Senatorem Presbyterum & Abbatem: Sed eam subdititiam, vel certè interpolatam semel atque iterum ostendimus, semel in priori ad Michaelem Girardum Vertoliensem Abbatem Epistola: Iterum verò in priori ad Joannem Rolandum Parisiensem Theologum Epistola: Quæ duabus in illis Epistolis disputo, hic repetere supervacuum foret.

IV. In medium edit Clementis ad Jacobum fratrem Domini Epistolam, quæ ab eruditis hominibus apocrypha, & supposititia dudum probata est: Jacobus multis ante annis obierat, quàm Clemens Pontifex renunciaretur, quod ad convincendam falsi Epistolam notare sufficeret.

V. Hinc paullo pòst prosequitur: *Si speciale*, inquit, *aliquod de personis Principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Arcadium Imperatorem, quia consensit, ut sanctus Joannes Chrysostomus è sua sede pelleretur, excommunicavit.* Excommunicatio hæc memoratu, si contigisset, dignissima scriptorum æqualium & supparium, quotquot fuerint, Idatii Lemicensis Episcopi, Prosperi, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Palladii, qui 222
Chrysostomi vitam edidit, obruitur silentio. Siccine tacetur Ambrosii cum Theodosio in Mediolanensem Ecclesiam ingredi volente post cædem Thessalonicam congressio? De hac loquuntur omnes, ut in Epistola ad Claudium Amelinam Parisiensis Ecclesiæ Cantorem ostendimus. Conficta est Innocentii ad Arcadium Epistola post ætatem Dionysii, à quo relata fuisset in codicem canonum, ubi complures Innocentii referuntur Epistolæ, in quarum nonnullis de Joanne Chrysostomo mentionem facit Innocentius. Quis auctor Epistolæ fuerit, scire non interest, subdititiam illam esse scire sufficit. Georgius Alexandrinus qui ad annum DC XXX. vixit, laudator primus, & architectus fuisse creditur. Ex illo Photius, Glycas, Nicephorus, & cæteri Epistolam ut germanam acceperunt, & decepti sunt. Præterea excommunicatus fuerit ab Innocentio, vel non fuerit Arcadius, id nihil omnino conducit ad Henrici IV. Imperatoris abdicationem, vel ad liberationem sacramenti, quo populus Imperatori obstringebatur. Id, inquam, nihil omnino conducit, nisi quis velit idem esse privari imperio, atque privari communione fidelium. Quod perabsurdum & perridiculum esset.

VI. Cùm Gregorius VII. refert, quæ Gregorius magnus ad Mauricium scripsit, in libri IV. Epistola XXXI. accurati relatoris leges negligit: Sic autem refert: *Hæc sicut beatus Gregorius in Epistola ad Mauritium Imperatorem directa commemorat, Constantinus magnus Imperator omnium Regum, & Principum ferè totius orbis dominus evidenter intelligens in sancta Nicæna synodo post omnes Episcopos ultimus residens, nullam judicii sententiam* 223
super eos dare præsumpsit; sed illos etiam Deos vocans non suo debere subesse judicio, verùm se ad illorum pendere arbitrium judicavit. Sic verò Gregorius I. *Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cùm pia memoria Constantino Principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat, incendit, dicens: Vos dii estis à vero Deo constituti, ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut judicemus deos.* Non ergo scribit Gregorius I. utrum scribentem inducit Gregorius VII. id mutua docet utriusque loci contentio. Quo in loco Constantinus sedit in Nicæna synodo, Gregorius I. non dicit, sed si dixisset, aliter quàm dicit Gregorius VII. dixisset; dixisset utique ut Eusebius, in lib. III. de vita Constantini capite X. tradit. *Signo verò dato, quod Imperatoris introitum indicabat, consurrexisse omnes dicuntur. Imperator deinde tanquam quidam cœlestis Dei Angelus purpureo vestitu & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens . . . per medium consessum intrat.* Et post alia: *Simul ac*, inquit, *ad summum locum* (synodi) *venit, primùm in medio conventu erectus constitit, ac cùm parva quadam sella ex auro fabricata illi esset loco posita, non priùs consedit, quàm Episcopi ad id innuissent, idemque omnes post Imperatorem factitarunt.*

VII. Gregorius VII. decreta Symmachi Papæ sic laudat: *Quod de Apostolica Sede prælibavimus, in*

decre-

decretis Symmachi Papæ (*licèt experimento sciamus*)
224 *sic continetur : Ille scilicet beatus Petrus, perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros.* Et post pauca : *Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quæ à loco decessore præstantur?* Atque hæc non extant in Symmachi Papæ decretis, quæ habet codex vetus canonum Romanæ Ecclesiæ.

VIII. Gregorius VII. de beato Ambrosio sic loquitur : *Et beatus Ambrosius licèt sanctus, non tamen universalis Ecclesiæ Episcopus Theodosium magnum excommunicans ab Ecclesia exclusit.* Ambrosius Imperatorem non exclusit simpliciter ab Ecclesia, sed à Mediolanensi tantùm exclusit Ecclesia, usque dum pœnitentiam de peccato egisset. Deinde non excommunicavit Theodosium, ut videre sibi videtur Gregorius, quia contumacem non invenit. Illum potiùs invenit, qui peccatorem se esse sentiens, emendationis spem omnem daret, & Pastoris admonitionibus locum præberet amplissimum.

Denique Gregorius VII. ibidem Ambrosium ita laudat : *Qui etiam in suis scriptis ostendit, quòd aurum non tam pretiosius sit plumbo, quàm regia dignitate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens : Honor, fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferior, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla, & Principum submitti genibus Sacerdotum, & exosculata eorum*
225 *dextera orationibus credant se communiri.* Ambrosius nullum exaravit librum, qui *Pastorale* inscribatur. Deinde quæ citat Gregorius VII. non habentur in aliis Ambrosii operibus. Hæc autem omnia, quæ de Gregorii Epistola ad Herimannum Metensem observavimus, palam ostendunt, Gregorio inter scribendum vehementer obreptum vel subreptum esse, nisi fortassis (quod faciliùs crediderim) Gregorii scriba Epistolam de suo composuerit.

Jam visum est auctores novos Gregorii VII. auctoritate tueri se non posse : Nunc videndum est, utrum meliùs tueri se possint Innocentii IV. auctoritate, quam ex sententia contra Fridericum Imperatorem in Lugdunensi Concilio lata repetunt : Adscribo verba Innocentii : *Privilegium insuper, quod beato Petro, & successoribus ejus in ipso tradidit Dominus Jesus Christus, videlicet, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis : In quo utique auctoritas, & potestas Romanæ Ecclesiæ consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi Ecclesiæ auferre satagit* (Imperator) *scribens se præfati Gregorii* (IX.) *sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum non solùm contemptis Ecclesiæ clavibus non servando, verumetiam per se ac officiales suos, & illam, & alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contempsit, cogendo alios non servare.* Et post aliquammulta : *Nos itaque super præmissis, & compluribus ejus nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti, cùm*
226 *Jesu Christi vices licèt immeriti teneamus in terris, nobisque in beati Petri Apostoli persona dictum sit, quodcunque ligaveris super terram, &c. Memoratum Principem qui se Imperio & regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates à Deo, ne regnet vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum à Domino ostendimus & denuntiamus, ac nihilominus sententiando privamus, omnesque qui ei juramento fidelitatis tenentur astricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes.*

In relatis semel atque iterum ex Matthæi capite XVI. verbis animadvertimus duo, primum, quod *in iis auctoritatem, & potestatem Romanæ Ecclesiæ consistere* Innocentius affirmet. Credo enimverò, sed Romana Ecclesia, Concilia, sancti Patres, & tractatores Ecclesiastici potestatem illam ligandi ac solvendi definiunt in criminibus, nec ultrà proferunt, vel ad abdicandos principatibus suis Reges, vel ad subditos sacramento fidelitatis liberandos : Nec in priori citatione, de qua hic loquimur, dissentire Innocentius videtur. Recordabatur adhuc eorum, quæ suprà ipsemet dicit in ordine suo, cùm Romanæ Ecclesiæ circa ligandi & solvendi Pontificium traditionem expedivimus. Traditio hæc suis sic explicata est ac fixa monumentis, ut de quacunque alia prorsus actum sit, si ea, intelligis, negligatur. Non enim potest quis pro arbitrio libidineque sua traditionis genus unum admittere, & aliud rejicere. Machina & instrumentum esset illudendæ veritatis certissimum.

In posteriori citatione aliter se res habet, ac in pri- 227
ori. Pontifex Evangelii verba porrigit ad deponendos Reges, & subditos à juramento fidelitatis absolvendos, capita duo ; quæ Romanæ Ecclesiæ patrocinio, & sanctorum Patrum suffragiis retro versus Apostolos destituuntur. Hic repetenda sunt, quæ satis repeti nequeunt Gregorii II. & Nicolai I. testimonia. Pronuntiat Gregorius, *se nec introspiciendi in palatium, nec regias dignitates deferendi potestatem habere.* Pronuntiat Nicolaus, *Romanam Ecclesiam semper sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus actibus suis sequi*, auctoritates sincerissimas, id est, integras, veras & minimè fucatas. Cujusmodi non sunt eæ, quibus Gregorium usum esse vidimus, & quoad ejus fieri potuit, excusandum proposuimus, rejecta in Amanuensem culpa.

Porrò autem Gregorii II. & Nicolai I. testimonia etiam centies repetita displicere nunquam poterunt, quia quæ & qualis sit ab Apostolicis usque ducta temporibus Sedis Apostolicæ integritas, demonstrant. Hinc fit, ut cavendum sit maximè, ne verba hæc : *Super præmissis & pluribus ejus* (Friderici) *nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti*, ad, *quodcunque ligaveris*, quod sequitur, non transferantur, sed transferenda sunt ad id quod antecedit, ut ipsa verborum præ se fert series & contextio : Ad nefandos videlicet Imperatoris excessus, quorum facta fuerat mentio & declaratio. Neque verò dubium est, quin si venisset in deliberationem, utrum Evangelii verba, *quodcunque li-*
gaveris, & quodcunque solveris, ad deponendos Reges, 228
& ad subditos à juramento fidelitatis absolvendos extendantur, non extendi per Romanæ Ecclesiæ & sanctorum Patrum, & illustrium è schola Theologorum traditionem inventum & judicatum esset. Quo fit ut Innocentio, qui tum variis Friderici vexationibus occupabatur, obreptum vel subreptum esse negari vix possit. Obreptio vel subreptio confirmatur ex verbis ejusdem Matthæi capite XVIII. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Quæ dicuntur Apostolis, & quia iis dicuntur, illorum successoribus Episcopis dicuntur : Quibus qui unquam ex hoc loco deponendorum Regum, & subditorum à juramento fidelitatis eximendorum jus attribuit ? *Paria sunt* apud Matthæum capitibus XVI. & XVII. (si pluralem numerum excipias) *verba, & parium est eadem natura* l. si socer in fi. sol. matr. & *parium eadem est potentia, nec major.* l. 1. §. veteres de acquirendo poss. si reus de duobus re.

Præterea Innocentius in hac contra Fridericum sententia Concilium semel atque iterum nominat, sed universale, œcumenicum, vel generale nusquam nominat. Semel in principio : *Innocentius sacro præsente Concilio ad rei memoriam sempiternam.* Iterum in media ferè sententia : *Nos igitur super præmissis, & compluribus ejus nefandis excessibus cum fratribus nostris, & sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti.*

Deinde

Deinde in literis, quibus Pontifex Senonensem Archiepiscopum vocat ad celebrandum Concilium, non addit, universale, œcumenicum, vel generale. *Ut*
229 *Romam*, inquit, *te conferas scituros, quòd nos dictum Principem in prædicatione nostra citavimus, ut per se vel per suos ministros in Concilio celebrando compareat, responsurum.* Idem omnino scribit ad Senonense Capitulum, ad Regem Franciæ, ad Episcopos Angliæ, & ad Ostiensem Episcopum. Verba sunt: *Nos de ipsorum fratrum consilio Concilium duximus celebrandum.* Non addit, universale, œcumenicum, vel generale. Sed an addere reipsa potuerit, pronuntiatu facile non est. Nam cur reipsa non addiderit, nulla potest adferri plausibilis ratio, & potest adferri cur rebus ita compositis addi nequiverit, si recepta universalis, œcumenici, vel generalis Concilii notio retinenda sit; atque in hoc cardo rei vertitur. Pontifex quidem ad celebrandum Concilium, Ludovicum Galliæ Regem, Senonensem Archiepiscopum, Senonense Capitulum, & Angliæ Episcopos vocavit; sed nondum apparuit, Pontificem Italiæ, Siciliæ, Germaniæ, Aragoniæ, Castellæ, & Lusitaniæ antistites ad celebrandum Lugduni Concilium vocasse. Odoricus Rainaldus Ecclesiasticorum Annalium continuator, qui hac in parte regestum Epistolarum Innocentii laudat, nullam laudat, qua illi vocentur. Orientales mitto, qui profectò vocati non fuere.

Bellarminus Concilium, quod ex quibusdam Galliæ & Angliæ Episcopis, & Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus coaluit, universale, œcumenicum, vel generale non appellaret, & cur non appellaret, in lib. I. de Conciliis cap. XVII. rationem reddit, ubi conditiones ad generale Concilium celebrandum necessarias expo-
230 nit hoc modo. *Prima est, ut evocatio sit generalis, ita ut innotescat omnibus majoribus Christianis provinciis.* At sic generalis non fuit ad Lugdunense Concilium evocatio. *Quarta conditio, ut saltem ex majori parte Christianarum provinciarum aliqui adveniant, & si quidem Concilium fit in Oriente, semper visum est sufficere, si ex provinciis omnibus Orientis Episcopi conveniant multi: Ex toto autem Occidente mittantur aliqui à summo Pontifice, qui suppleant aliorum locum: Et è contrario si celebretur in Occidente, ex omnibus provinciis conveniant multi, ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum.* At conditio hæc in Lugdunense Concilium neutiquam quadrat. Dicet aliquis, Hic auctor in ejusdem libri capite V. Lugdunense Concilium hoc in generalium Conciliorum numero ponit auctoritate Palmerii, Platinæ & Onuphrii. Id quidem verum est, sed tacitè revocat in cap. XVII. quod in cap. V. de Lugdunensi Concilio scripserat, vel secum pugnat, quis hoc in Concilio desiderantur conditiones illæ duæ, quas ad celebrandum generale Concil. requirit. Præterea Palmerio & Platinæ imponit. Palmerius dicit, *Fredericus hoc anno* (M.CC.XLIV.) *ab Innocentio in Lugdunensi Concilio damnatus est.* Platina dicit, *Concilio, deinde eo loci* (Lugduni) *indicto.* Sed ut videre est, neuter auctor Concilii generalis, vel œcumenici, vel universalis meminit. Onuphrius Lugdunense quidem Concilium fuisse generale scribit. Sed fortassis non easdem conditiones, quas Bellarminus, ad generale Concilium requirit. Sic Bellarminus ad eas compellitur angustias, quibus expedire se nunquam poterit.
231 Siquas enim conditiones ad faciendum generale Concilium requirit, legitimè requirit, quod Lugdunense Concilium generale nominat, generale non erit: Et è contrà, si quod Lugdunense Concilium generale vocat, generale sit, quas ad faciendum generale Concilium requirit conditiones, nec bene, nec legitimè requirit. Ad hæc de Palmerio & Platina, quos falsò citat, fidem suam liberaturus est unquam, nisi prætexat, quæ crimen augebit, indiligentiam.

Præterea Bellarminus alium tractandi modum nobis suppeditat, cùm in libri V. de Rom. Pont. capite XI. Honorii Papæ I. causam agit, & de synodo sexta loquitur. *Quòd si aliquis*, inquit, *adhuc non possit adduci, ut credat corruptam esse* VI. *synodum, is accipiat alteram solutionem, qua est Joannis à Turrecremata lib.* II. *de Ecclesia cap.* XCIII. *qui docet, Patres* VI. *synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo judicio errasse. Quamvis enim generale Concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum in fidei dogmatibus definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium.* Sic ad illorum imitationem de Lugdunensi Concilio pronuntiare possumus: Et quamvis Concilium istud errare non possit in definiendis fidei dogmatibus, quæ juris est quæstio, errare tamen potuit in quæstione de facto: Scilicet in lata contra Imperatorem sententia. Itaque tutò
dicere possumus, Concilii Patres, cùm Imperatorem 232
abdicarunt dignitate propria, & subditos à juramento fidelitatis absolverunt, deceptos fuisse, Evangelii verbis, *quodcunque solveris*, per antiquam Romanæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum traditionem non intellectis. Sed quod mirere, erroris genus id confirmatur ex scripturæ hujus interpretibus & Theologis, qui post Concilium floruerunt: Siquidem omnes, vel pene omnes scripturæ verba in ligandis & solvendis criminibus determinarunt, & nulli, vel certè pauci ad jus deponendorum Regum, & subditorum à juramento fidelitatis eximendorum protraxêre. Id ante planum fecimus. Hic est tractandi ac disputandi modus, quem Cardinales duo Turrecremata, & Bellarminus ultro nobis objiciunt. Quinetiam multò faciliùs fuit veram Epistolarum Honorii, quàm verborum Evangelii, *quodcunque solveris*, intelligentiam assequi. Epistolæ erant tantùm duæ, quæ hora una volvi sæpius ac revolvi poterant, & ad sensum per naturam rerum, & vocum omnium inter se junctarum intentum, & commeantem deduci. Replicandæ verò fuerunt Romanæ Ecclesiæ Pontificum & Cardinalium Epistolæ, & scripta ferè innumerabilia: Replicandi SS. Patrum, tractatorum, & illustrium è schola Theologorum commentarii, ut verborum Evangelii genuinus perquireretur sensus, & assereretur: Ad quod opus, ut par est, exequendum insumendi dies, & menses toti fuissent nec pauci. Hoc in loco Turrecremata & Bellarminus, & qui eorum sequuntur opinionem, penitus constringuntur, si quam instituimus compa-
rationem rejiciant. Nam cogentur Turrecrematæ, & 233
Bellarmini sententiam, quam adamarunt rejicere, ut comparationis ἀνταπόδοσιν rejiciant, & sanè nulla unquam admittenda erit comparatio, vel hæc admittatur necesse est.

Verumenimvero ad rem ipsam quod attinet, hanc tum demum ita circumscribimus, ut calumniæ locus nullus patere meritò possit. In Florentina Synodo non solùm definita est Romani antistitis potestas, sed etiam potestatis hujus exercendæ fines ac limites præscripti sunt, & sic aditus ad usurpationem omnem interclusus manet. Appono synodi verba: *Item definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Apostolorum Principis, & verum Vicarium Jesu Christi, totiúsque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris canonibus continetur.* Sic apud Blondum Eugenii Papæ IV. scribam in libro X. decadis III. Sic in omnibus quoque codicibus Græcis tam editis, quàm manuscriptis: Καθ' ὃν τρόπον, καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.

Oecumenicæ synodi, de quibus hic sermo instituitur, septem sunt primæ; & non aliæ: I. Quia Florentina Synodus in prima editione sui octava synodus inscribitur. II. Quia in editionis privilegio quod Clemens VII. concessit, octava quoque Synodus appellatur:
234 III. Quia in Florentinæ synodi actis, synodus post septimam nulla laudatur, etiamsi sæpius oblata sit occasio, in qua synodi post septimam habitæ laudari potuerint. Non ibit inficias, qui acta illa legendo percurret.

His autem ita constitutis, nec spreta Gallicanæ Ecclesiæ circa Florentinam synodum deliberatione, si *quodcumque ligaveris, & quodcumque solveris*, in gestis œcumenicorum Conciliorum, & sacris canonibus eo extendatur usque, ut jus deponendorum Regum, & subditorum à sacramento fidelitatis eximendorum coerceat, id salvo judicio meliori retinendum esse mihi videtur. Si verò *quodcumque ligaveris, & quodcumque solveris*, in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus non eò extendatur usque, ut jus deponendorum Regum, & subditorum à sacramento fidelitatis eximendorum contineat, id quoque retinendum esse mihi videtur, & cuicumque alii videri debet, ne Florentinæ synodi definitio corrumpatur. At per Romanæ Ecclesiæ præsulum & Cardinalium traditionem, quam explicuimus, & per SS. Patrum & celebrium è schola magistrorum doctrinam, quam exhibuimus, in gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris canonibus, quos Florentina synodus respicit, jus deponendorum Regum, & subditorum à sacramento fidelitatis absolvendorum haud contineri certo est certius. Sic Florentina synodus latam ab Innocentio IV. in Lugdunensi synodo contra Fredericum sententiam emendare dicenda est. Posterior synodus priori derogat, & rem nostram in tuto col-
235 locat, ut ad latam ab Innocentio IV. contra Fredericum sententiam, & novam in ea scripturæ verba, *quodcumque ligaveris, & quodcumque solveris*, interpretationem notavimus.

Jam sentis, opinor, recentiores Theologos Suarem, Becanum, & alios, de quibus conquerebaris, graviter incurrisse in relatum Tridentinæ professionis fidei articulum, qui ex sessione XV. Concilii depromptus est: *Præterea, inquit, ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent.* Editæ sunt à Suare, cùm ita scribit loco citato. *Deinde hoc* (Reges ab Romano Pontifice deponi posse) *colligimus ex illis Christi verbis, quodcumque ligaveris. Nam illa etiam generalia & indifferentia sunt. Quòd si quis dixerit, Matthæi XVIII. fuisse declarata, & determinata ad ligamen censura; respondemus, declaratum ibi esse in illa generali potestate ligandi, includi excommunicationis vinculum: Non tamen ad illam solam pœnam imponendam potestatem illam limitari. Tum quia nulla talis limitatio ex illo contextu colligitur*: & cætera id genus, sine ulla traditione Patrum. Becanus ita quoque scribit loco citato: *Ut autem legitimè hoc fiat* (Regum depositio) *duo requiruntur: U-* 236
num ex parte Pontificis, nempe potestas absolvendi: Alterum ex parte subditorum, nempe legitima causa cur absolvendi sint (à vinculo subjectionis) *& quidem potestatem absolvendi accepit Pontifex à Christo, his verbis: Quidquid solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Et hoc quoque sine ulla traditione Patrum, & contra Tridentinæ synodi regulam, & privato duntaxat spiritu, ex quo tanquam ex perenni fonte errores prope innumeri semper manarunt, & Dei Ecclesiam conturbarunt. Suares igitur, Becanus & recentiores alii lapsi sunt non modò, quia Tridentinæ professionis fidei articulum spreverint, sed etiam, quia Florentinæ præscriptionis rationem nullam habuerint: Quæ quoties agitur de Romani Pontificis auctoritate, semper habenda est. Exempla sunt mala, quæ nos cavere oportet. Cavebimus semper ut syrtes & scopulos, si Tridentina regula, & Florentina præscriptio ante oculos nobis semper obversentur. Vale, Lutetiæ Paris. Idibus Julii, anno M. DC. LXX.

Joannes Launoius
MICHAELI GIRARDO,
Vertoliensi *Abbati*.

237 EVOLUTO libello, quem contra me Antonius Dadinus Alteserra Tolosanus Antecessor edidit, actutum in duas opiniones contrarias distractus sum: Et primum quidem admonente scriptura nihil respondere statui, ne similis illi efficerer. Nam satis est me contentum esse laurea, quam mihi suis convitiis decernit: Hæc enim arma sunt eorum, non qui pugnatâ fortiter pugnâ vincunt, sed qui vincuntur. In antirrhetico suo oblitus est Homericum illud:

Ἀλλήλους αἰδεῖσθε κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

quod ego dum scribebam, semper ante oculos mihi proponendum esse duxi. Acriter, non abnuo, quia pro veritate, pro Gregorii Papæ dignitate, pro Regum nostrorum jure, sed humanis nihilominus telis τῷ λόγῳ decertavi. Alteserra verò libellum paginarum XIII. à contumeliis, quæ antiquum juris antistitem dedecent, orditur, & huic per contumelias finem imponit: Sed utrobique puerili motu, atque exercitatione recalescit. Scribendi genus illud contemptionem sui secum importat, & vituperationem subit: Non me, sed auctorem suum apud cordatos, & eruditos homines dehonestat. Quidquid illud est, eò recidit, ut de Alteserra dicam, quod de Helvidio dixit Hieronymus: Quia *cùm me veritate non posset, laceravit convitiis.*

Deinde cùm ab Alteserra Gregorium I. Romanum Pontificem, & Reges nostros per latus meum feriri 238
perspexi, eadem admonente scriptura respondendum esse censui, ne ille sapiens sibi videretur. Ibi enim nulla prorsus est sapientia, ubi Pontificia dignitas nefarie læditur, & in odium vocatur atque invidiam, ubi

regia

regia potestas per iniquitatem summam minuitur. Quod imus demonstratum, expendendo, quæ Alteserra pro Gregorii Papæ defensione in medium adducit. Sed non priùs expendam, quàm observavero Alteserram mala omnino fide mecum agere & congredi. Is nec meum disputandi sequitur ordinem, nec argumenta mea refert uti propono, invertit ordinem meum, & quæ argumenta refert, diminutè refert, & referendo vim illorum & robur enervat. Inducit me loquentem ut vult, & quomodo vult. Sic enim putat se lectoribus suis, si quos sortiatur, illudere, & veritatem nescio quibus modis, & tergiversationibus convolvere, & inobscurare. Atque ita disputationis justæ terminos egreditur, & investigandæ asserendæque veritatis leges contemnit. Hoc autem de me conqueri non potest. Quidquid enim ad defendendum monasterii Sammedardensis privilegium scripsit, egò ad verbum descripsi, ne dissimulare quicquam viderer, & postea singillatim refutavi.

His autem præmonitis ad scriptum Alteserræ venio, & verba illius planè refero.

Cap. I. *Privilegium falsi arguitur primùm hoc argumento, quòd pœna, quæ irrogatur temeratoribus privilegii, nova, insolens & antè inaudita, durior & delicto gravior*
239 *videtur, maximè si spectetur regia dignitas, cum qua mitiùs & reverentiùs semper agendum est.* At primum argumentum meum non est ejusmodi; sic propono: "Est in "re (in defensione Sammedardensis privilegii) Pontifici tanto (Gregorio) & sibi non mediocrem infert injuriam. Quæ autem Gregorio infertur injuria, apertam in lucem prodit sequens clausula: Si "quis Regum, Antistitum, judicum, vel quarumcunque sæcularium personarum hujus Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violaverit, "aut contradixerit, aut NEGLIGENTER DUXERIT, "VEL FRATRES INQUIETAVERIT, vel conturbaverit, vel aliter ordinaverit, cujuscunque dignitatis, "vel sublimitatis sit, HONORE SUO PRIVETUR, ET "UT CATHOLICÆ FIDEI DEPRAVATOR, VEL "SANCTÆ DEI ECCLESIÆ DESTRUCTOR, à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini "nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium MALEDICTIONUM ANATHEMATE, QUIBUS INFIDELES "ET HÆRETICI ab initio sæculi usque in præsens "damnati sunt, cum JUDA TRADITORE DOMINI in "inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præsatorum Sanctorum sibi propitiaverit clementiam, "& fratrum communem reconciliaverit concordiam. "Et primò quidem sine decessorum exemplo, sine canonum auctoritate inducitur id genus pœnæ irrogare, ut siquis Regum, Galliæ puta, Hispaniæ, Italiæ, "Angliæ, Orientis & Occidentis, & siquis Antistitum, "Alexandriæ puta, Antiochiæ, Constantinopolis, Hierosolymorum, Carthaginis, Mediolani, & aliarum "civitatum monasterii sancti Medardi privilegium
240 "NEGLIGENTER DUXERIT, HONORE SUO PRIVETUR, ET UT CATHOLICÆ FIDEI DEPRAVATOR, "VEL SANCTÆ DEI ECCLESIÆ DESTRUCTOR, "à consortio Christianitatis, & corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, ET OMNIUM "MALEDICTIONUM ANATHEMATE, QUIBUS INFIDELES ET HÆRETICI (ut Paulus Samosatenus, Arius, Macedonius, &c.) damnati sunt, cum JUDA TRADITORE DOMINI in inferno inferiori damnetur, "&c. Quis autem crederet, Gregorium eximiæ sapientiæ Pontificem negligentiæ nomine suspectis erga privilegium Regibus & Antistitibus, id pœnæ genus irrogasse? Hoc est falsi argumentum primum, quod propono, & quod Alteserra dissimulat, cùm illud aliter proponat, & proponendo vim illius & robur enervet. Qui sic cum adversario congreditur, nonne mala fide congreditur, & debito cordatis atque eruditis hominibus honore indignus redditur? Cùm Alteserra privilegium istud Gregorio attribuit, & Gregorii Ecdicus, seu defensor adversus Launoium accedit, nonne infamat & prodit Gregorium? Videamus interim, quomodo argumentum quod tam insincerè sibi proposuit, & mihi tribuit, diluat.

Sed hoc argumentum facilè solvitur, salva & incolumi dignitate Regiæ majestatis, cujus devotissimum me cultorem profiteor: Nempe cùm Regem, qui privilegium Sammedardensis monasterii negligenter ducit, vel fratres inquietat, (grande omnino scelus) patronatus jure privandum esse censet, & perinde tractandum ac si fidem depravasset Catholicam, & sanctam Dei destruxisset Ecclesiam, ut Samosatenus, Arius, & reliquæ pestes hujus- 241
modi, & tum demum ut Judas alter Christum prodidisset. O devotum & sincerum Regiæ majestatis cultorem! Profectò satius esset nostros Reges cultore tali carere, quàm non carere. De Antistitibus silet, quos tamen in argumento meo cum Regibus conjunxeram. Similiter dicet se esse devotissimum Episcopalis dignitatis cultorem, cùm Suessionensem Episcopum, vel Remensem Archiepiscopum, qui privilegium negligenter ducit, vel fratres inquietat, Episcopali, vel Archiepiscopali honore privandum esse judicat, & perinde tractandum ac si fidem depravasset Catholicam, & sanctam Dei destruxisset Ecclesiam, & cum Samosateno, Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, Eutychete vexillum sustulisset, & Christum cum Juda prodidisset.

Cap. II. Continuò pergit: *Ea ætate singulari pietate Regum, Principum, Episcoporum, & fidelium varia surrexere monasteria maximè in Gallia, quæ ipsis fundatoribus expetentibus à Sede Apostolica exemptionis privilegia impetrarunt: Ut tutiora essent, apposita sunt pœnæ Ecclesiasticæ adversùs transgressores.* Nec nominat, nec nominare potest monasterium ullum, cujus fundator Gregorii ætate privilegium exemptionis à Sede Apostolica petierit vel impetraverit. Accipio exemptionis privilegium, quo Sedes Apostolica monachos in rebus ad disciplinam, & mores spectantibus canonicæ Episcoporum obedientiæ subduxerit. Hic Alteserra luculenter imponit. Deinde inter nos non est quæstio, an privilegiorum transgressoribus Ecclesiasticæ pœnæ aliquando sint appositæ: Sed quæ- 242
stio est, utrum Gregorii ætate concessum sit à Sede Apostolica monasterio alicui privilegium, in quo eadem quæ in Sammedardensi privilegio pœna sit apposita; nimirum ut Reges & Episcopi qui privilegium negligent, & inquietabunt monachos, patronatus & Episcopalis honoris amissione puniantur, & ut Catholicæ fidei depravatores, & sanctæ Dei Ecclesiæ destructores, & similes Judæ proditores habeantur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici, Samosatenus puta, Arius, Nestorius, Eutyches & alii, damnentur: Atque hic quoque Alteserra, si non imponit, turpiter illudit.

Cap. III. Pergit: *Ut monasteriorum dos in tuto esset, constitutum, ne in fundatorum, sed tantùm in Episcoporum potestate esset. Concilium Toletanum IV. can. XXXII. Noverint conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem habere, sed juxta canonum instituta, sicut Ecclesiam, & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere. Can. Noverint X. qu. 1. quod repetitum est Capitul. lib. VII. c. CC. XXXIII. CCC. LXVIII. Et si fortè fundator, vel ejus liberi, aut hæredes res Ecclesiæ à se traditas pervaderent, annua excommunicatione, id est, annua suspensione à communione Ecclesiastica damnati. Concil. Tolet. IX. can. 1. Filiis vel nepotibus, ac honestioribus propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere Solertiam, ut si Sacerdotem seu ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honesta conventione compescant, aut Episcopo vel judici corrigenda denuntient. Et in-* 243
frà: Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat, quasi juris proprii potestatem præferre, non rapinam, nec fraudem ingerere, nec violentiam quamcunque præsumere; sed hoc solùm in salutarem sollicitudinem adhibere, quòd aut nullam noxam operatio nocens attingat, aut multam, vel aliquam partem salutaris mercedis assumat. Si quis verè deinceps hæc monita temerare præsumpserit, & malè rata cum confusione

fusione restituet, & excommunicationis annua sententiam
sustinebit. can. Filiis. XVI. qu. VII. quod repetit Conc.
Lateranense habitum sub Alexandro III. cap. Praterea.
Extrà de jure patronat. Siccine diluitur falsi argumen-
tum, quod proposui? Hæc omnia, quæ retuli, sint vera,
ad rem quid pertinent? Alteserra divagatur, à propo-
sito digreditur, & in digressione hac non meminit se in
ea esse sententia, ut credat auctoritatem nullam habere
provincialia Concilia, quæ Romanus Pontifex non ap-
probavit. Sic ille suis in annotationibus ad libri II. in-
dict. XI. epistolam XLVIII. ad Adeodatum provinciæ
Numidiæ primatem dogmatizat » *Mandat ut Concilium*
ubi fuerit peractum sibi notam fiat, optima ratione, quia
Concilia provincialia non habent vim, priusquam compro-
bentur à Roman. Pont. Canon. Concil. XVII. dist. Anno-
tationem hanc ut à mente Gregorii alienam, ineptam,
& absurdam procul abjeci in epistola, cujus argumentum
fuit hæc annotatio, sed hac in re nondum comparuit Ec-
dicus Gregorii Papæ. Præterea in Toletani Concilii
IV. canone XXXII. excommunicationis nulla fit men-
244 tio, tantùm abest ut in eo par clausula cum Samme-
dardensis privilegii clausula reperiatur. In Toletani
Concilii IX. canone I. excommunicationis quidem fit
mentio, sed ceterarum rerum quas Sammedardensis
privilegii clausula repræsentat, nulla fit mentio. Hinc
si opus esset, confirmaretur clausulæ enormitas, cu-
jus ope Sammedardense privilegium Gregorio abjudi-
catur.

CAP. IV. Pergit: *Nec durior debet videri pœna appo-*
sita huic privilegio: Qua non alia est, quàm excommunica-
tionis & amissionis juris patronatus, quia jus patronatus est
merum beneficium Ecclesia. Nec contemnitur vel offenditur
Regis dignitas, cùm eodem jure censetur in hoc pœna genere, ac
alius fundator, sive Princeps, sive Antistes sit, sive privatus.
Siccine diluitur falsi argumentum, quo propter atroci-
tatem clausulæ Sammedardense privilegium ut à Gre-
gorii, & Sedis Apostolicæ moribus alienissimum rejici-
tur? Sed lepidus est Alteserra cùm ait, *non debere ap-*
positam privilegio huic pœnam duriorem videri:.Scilicet
cùm Rex qui privilegium negligenter ducit, vel mona-
chos inquietat, æquè punitur, ac si totum incendisset
monasterium, & monachos omnes exquisito crudelitatis
genere trucidasset. Intelligis, Alteserra: Rex mona-
sterii vastator ac incendiarius, & immanissimus mona-
chorum omnium interfector non posset puniri duriùs,
quàm qui in privilegii clausula privilegium negligenter
ducit, vel monachos inquietat? Rex privilegii negli-
gens, & quietis monachorum turbator jus patronatus
amittit, *à consortio Christianitatis, & corpore, & sanguine*
245 *Domini nostri Jesu Christi sequestratur, Catholica fidei*
depravator, & proditoris Juda similis denuntiatur. Ne-
que hoc satis: *Sed & omnium maledictionum anathemate,*
quibus infideles & haretici, Arius puta, Nestorius, Euty-
ches, *ab initio saculi usque in prasens damnati sunt, in in-*
ferno inferiori damnatur. Gregorii Papæ proditor est,
non defensor, qui privilegium hujusmodi Gregorio vin-
dicat. Apostolicæ Sedis amicus non est, sed adversa-
rius, qui concessum esse ab illa privilegium istjusmodi
pertinaciter doceret.

Ad hæc cùm subjicit: *Nec contemnitur vel offenditur*
Regis dignitas, cùm eodem jure censetur in hoc pœna genere,
ac alius fundator sive Princeps, sive Antistes sit, sive pri-
vatus; non recordatur quid in suis ad hoc privilegium
Annotationibus scripserit. *Et certè,* inquit, *monasterium*
fuit dignissimum gratia Pontificia; fuit enim Regia funda-
tionis. Nimirum fundatum à Clothario I. & Sigiberto ejus
filio. Clotharius & Sigibertus Reges, nunc eodem jure
censentur in genere pœnæ, ut privati homines, cùm
in obtenta ab iis privilegia peccant: Nunc non eodem
jure censentur in genere gratiæ, ut privati homines,
cùm à Romano Antistite privilegia impetrant; atque
ita circumspectus Antecessor novit pugnantia loqui.

CAP. V. Et paullo pòst pergit: *Nec in pœnis Eccle-*
siasticis fit distinctio personarum, quia pœna Ecclesiastica
imponuntur non ad destructionem, sed ad adificationem,
non ad verecundiam, sed ad salutem. Egregiam vero ra-
tionem! Erravit ergo Hilarus Pontifex, cum in decretis
suis ait: *Nos qui potissimè sacerdotii administramus officia,*
talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei de- 246
sides fuerimus inventi, quia meminimus, quod timere debe-
mus, qualiter comminetur Dominus negligentia Sacerdo-
tum. Siquidem reatu majore delinquit, qui potiori honore
perfruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas
dignitatum.

Prætermisso de patroni nomine & dignitate parergo,
veniendum mihi est ad id, quod ad rem facit, nisi Alte-
serra fallatur. *Nec singularis est,* inquit, *locus iste apud*
Gregorium. Privilegio enim Augustodunensis Cœnobii,
quod est apud Gregorium lib. XI. epistola X. par omnino
apponitur clausula: Ex quo unum non potest tolli, nisi tolla-
tur & alterum. Et primùm quidem non dico, menti-
tur, etiamsi verum sit; sed dico tantùm, fallitur, cùm
ait: *In Augustodunensi privilegio par omnino apponitur*
clausula: Id mutua demonstrat contentio. In Samme-
dardensi privilegio dicitur: *Si quis Regum, Antistitum,*
judicum, vel quarumcunque sacularium personarum hujus
Apostolica auctoritatis, & nostra praceptionis decreta vio-
laverit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fra-
tres inquietaverit, vel conturbaverit, vel aliter ordinaverit,
cujuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo pri-
vetur, & ut Catholica fidei depravator, vel sancta Dei
Ecclesia destructor, à consortio Christianitatis, & corpore
ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & om-
nium maledictionum anathemate, quibus infideles, & hare-
tici ab initio saculi usque in prasens damnati sunt, cum Juda
traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna
pœnitentia prafatorum sanctorum sibi propitiaverit clemen- 247
tiam, & fratrum communem reconciliaverit concordiam. In
Augustodunensi verò privilegio sic dicitur: *Si quis verò*
Regum, Sacerdotum, personarumque sacularium hanc con-
stitutionis nostra paginam cognoscens contra eam venire
tentaverit, potestatis honorisque dignitate careat, reúmque se
divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat.
Et nisi vel ea, qua ab illo malè ablata sunt, restituerit, vel
digna pœnitentia illicitè acta defleverit, à sacratissimo cor-
pore, ac sanguine Dei & Domini nostri redemptoris Jesu
Christi alienus fiat, atque in aterno examine districta ulti-
oni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus
sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum
bona actionis recipiant, & apud districtum judicem pramia
aterna pacis inveniant. Ubinam in ultima privilegii hu-
jus Augustodunensis clausula leguntur verba hæc? *Ut*
Catholica fidei depravator, vel sancta Dei Ecclesia destru-
ctor à consortio Christianitatis ∴ *sequestretur, & omnium*
maledictionum anathemate, quibus infideles & haretici ab
initio saculi usque in prasens damnati sunt, cum Juda tra-
ditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœ-
nitentia prafatorum Sanctorum (beatæ Mariæ, & sancto-
rum Petri & Stephani) *sibi propitiaverit clementiam, &*
fratrum communem reconciliaverit concordiam. Ubinam
in ultima Sammedardensis privilegii clausula leguntur
verba hæc? *Hanc constitutionis nostra paginam agnoscens*
contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sua dig-
nitate careat, reúmque divino se judicio existere de per-
petrata iniquitate cognoscat. Item: *In aterno examine* 248
districta ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa
servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus &
hic fructum bona actionis recipiant, & apud districtum judi-
cem pramia aterna pacis inveniant? Igitur cùm tanta sit
inter utramque clausulam diversitas, non capio, cur Al-
teserra tam præfidenter scripserit, in privilegio Augu-
stodunensi par omnino apponitur clausula. Necesse est,
ut quodnam sit de se futurum Dei, & hominum judicium
non reformidet. Cùm vero subdit: *Ex quo unum non po-*
test tolli, nisi tollatur & alterum. Verum dicit, non tamen
præcisè, quia par omnino est utriusque privilegii clau-
sula, sed propter rationes certas, quæ duobus in locis
exponuntur, primum in epistola, cui circumspectus
Ante-

Antecessor respondere se putat, deinde in priori ad Joannem Rolandum Parisiensem Theologum Epistola.

Cap. VI. Alteserra pergit: *Imò privilegium Suessionense non auctorem habet Gregorium, sed Joannem III. ut exponitur initio Epistolæ Gregorii, cui credendum est.* Optimè quidem, si privilegium Gregorio subjectum non esset, ut subjectum probavimus. Quod hîc de Joanne III. notat, jam aliàs notaverat, sed dissimulat quæ respondimus. Privilegii suppostor illud ut sibi fidem conciliet, Joanni III. affingit.

Cap. VII. Alteserra paullo pòst pergit: *Nec dispar est formula privilegii Ludovici* (dicere voluit *Landerici*) *Parisiensis Episcopi, concessi Dionysiano monasterio .... cui apposita est pœna excommunicationis, quam ipso jure sequitur amissio juris patronatus.* Et hîc quo-
249 que dissimulat, quæ hac de re in Epistola scripseram hoc modo. "Ad hæc frustrà nos deducit ad Landerici "Parisiensis Episcopi privilegium, in quo par clau- "sula non exaratur. Heu prisca fides! In hoc privilegio Landericus profitetur se id velle duntaxat concedere quod sacris canonibus non opponitur. *Quod & nos,* ait, *considerantes, dum & canonica institutio nos hac de re non præjudicat.* Et postquam dixit: *Omnes illi, qui in hoc circumscripto spatio Ecclesiis serviunt, sint liberi & absoluti ab omni debito, & redditione circadarum & synodorum:* Addit quæ sequuntur: *Tamen volumus, & pro reverentia sancti martyris Dionysii concedimus, ut si necessitas eis fuerit, ex nostrorum, & successorum nostrorum Episcopatu sine pretio chrisma & oleum suscipiant.* Hæc Antecessor ne torvis quidem oculis aspexit.

Cap. VIII. Pergit: *Ac licèt atrocior hujusmodi pœna videretur sine exemplo ante Gregorium, non ideo minùs esset legitima & canonica, quia Pontifex novum criminis genus, quod contingebat in casu novo, recenti & novello, scilicet jure patronatus, potuit nova lege coercere. Casus, qui de novo emergunt, novo indigent auxilio legum.* Hic cum mecum pugnare deberet, mavult secum pugnare. Nimirum Cæsareis viribus suis dignum athletam offendit neminem. Et primùm quidem fatetur, ante Gregorium exemplum esse nullum, quo quæ pœna in Sammedardensi privilegio describitur, comprobetur. Deinde dicit pœnam hujusmodi esse canonicam, quod est omnino falsum, quia nulli sunt
250 canones ante Gregorium conditi, in quibus legatur, ut qui Rex vel Sammedardense, vel Sammedardensi simile privilegium, id est, Calchedonensis synodi canonibus adversum negligenter ducet, vel inquietabit monachos, *jure patronatus,* si fundator sit monasterii, *privetur, & ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur.* Præterea, ut pugnam secum majorem instruat, Sammedardense privilegium Joanni III. tribuit, à quo illud Gregorius acceperit, acceptumque confirmarit. A Joannis autem III. excessu usque ad Gregorii Pontificatum anni sunt XVII. Non existimo me Alteserræ molestum fore, aut importunum, si quam pugnam secum pugnat, pro modulo meo adjuvarem. Denique post Gregorium nulli sunt sanciti canones, in quibus quæ pœna in vetustioribus Gregorio canonibus non reperitur, imposita reperiatur.

Deinde cùm ait: *Pontifex novum criminis genus, quod contingebat in novo casu recenti, & novello, scilicet jure patronatus, potuit nova lege coercere;* sibi canit, nec videtur Sammedardense privilegium legisse, aut si quando legerit, oblitus est. In privilegio non fit mentio novi criminis quod tunc contigerit, sed tantùm ne contingat imposterum, cavetur. Hoc in loco Gregorii honori parum consuluit, dum illi la-
tam adversùs Reges monasteriorum, vel Basilicarum 251
fundatores legem tribuit, quæ à decessore nullo in auctoritatem admissa est, quæ latuit usque ad tempus editorum Lutetiæ Gregorii operum, ad quorum calcem Sammedardense privilegium ut rejectaneum & novitium quid adtextum est. Hîc Antecessor juris civilis civilem vel sæcularem loquendi modum transfert in Ecclesiam, cùm legumlationem Gregorio attribuit. Romani Pontifices, quorum res agitur, non ita loquuntur: Sic verò loquuntur.

Julius I in Epistola ad Orientales apud Athanasium: *Quid quæso nos oportuit facere? An non quod Ecclesiastici canonis est?* Et paullo pòst: *Qui igitur sunt, qui contra canones agunt?*

Siricius in Epistolæ ad Himerium Tarraconensem Episcopum capite 1. de Arianis non rebaptizandis: *Cùm hoc fieri & Apostolus vetet, & canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium missa ad provincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant.*

Innocentius I. in Epistolæ ad Victricium Rotomagensem Episcopum præfatione: *Propter eos igitur, qui vel ignorantia vel desidia non tenent Ecclesiasticam disciplinam, & multa non præsumenda præsumunt, rectè postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet Ecclesia Romana, forma servetur. Non quò nova præcepta aliqua imperentur, sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen Apostolica, & Patrum traditione sunt constituta.*

Cælestinus I. in Epistola ad Perigenem, Dynatum,
Basilium, & alios Illyrici Episcopos: *Inter cæteras* 252
curas & diversa negotia, quæ ad nos ex cunctis veniunt semper Ecclesiis, propensiorem nos etiam vestri solicitudinem gerere, & ex decretorum nostrorum sanctione discetis. Infrà: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur, simus subjecti canonibus, cùm præcepta canonum servamus.* In Romana Collect. bipartita.

Sixtus III. in Epistola ad Episcopos Illyrici: *A canonum præceptis vestrûm nemo discedat, nec ab iis deviet, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apostolicæ decrevit auctoritas.* In Romana Collect. bipart.

Leo I. in Epistolæ 1. ad Episcopos Campaniæ, Piceni & Thusciæ capite v. *Ne quid verò sit quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.* Deinde in Epistolæ LIII. ad Anatolium capite IV. *Sanctissimi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna sacrilego Ario cum sua impietate damnato mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt,* &c. Sæculare nomen, *leges,* ut consecraretur, Ecclesiasticis canonibus conjungit.

Hilarus in Romana synodo: *Si placet, fratres, ea quæ ad ordinationum tenorem pertinent, juxta divinæ legis præcepta, & Nicænorum canonum constituta, ita adjuvante Domino in omne ævum mansura solidemus.*

Gelasius in Epistola VIII. ad Anastasium Imp. *Duo* 253
sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regia potestas. Et quibusdam interjectis: *Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obviare sententiæ: Quo, rogo, te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus attributi sunt mysteriis?* Et post alia: *Apostolicæ Sedis auctoritas, quod omnibus sæculis Christianæ Ecclesiæ prælata sit universæ, & canonum serie* pater-

paternorum, & multiplici traditione firmatur. Hæc pauca de multis, quæ ætatem Gregorii præcedunt: Sed de iis quæ subsequuntur panciora referenda sunt, sed quæ sufficient.

Nicolans I. in Epistola VIII. ad Michaëlem Imperatorem: *Sed cùm ad verum ventum est, & eundem Regem atque Pontificem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificalia accipiat, nec Pontifex nomen Imperatorum usurpavit: Quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis dignitatibusque distinctis officia utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium rerum tantummodò Imperialibus legibus uterentur.* Deinde In Epistola XXI. ad synodi Sylvanectensis Episcopos: *Cæterùm de Balduino, de quo multa jam scripsistis, sciat beatitudo vestra, nos non regulas atque sancta decreta velle corrumpere, quibus homo ab uno Episcopo excommunicatus, ne ab alio recipiatur Episcopo prohibitum est.*

254 Silvester II. in Epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum: *Sit lex communis Ecclesiæ Catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.*

Gregorius VII. in libri II. Epistola L. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Quia venerandi canones ad Sacerdotii gradum provehi tales contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quid à nobis contrarium sanctis Patribus in exemplum, & auctoritatem posteris relinquatur. Solet enim sancta, & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis, & constitutionibus à concordia canonica traditionis discedere.*

Innocentius III. in libri II. Epistola ad Cantuariensem Archiepiscopum: *Quæ in derogationem sanctorum canonum attentantur, tantò potiùs infringi volumus, & carere robore firmitatis, quantò auctoritas universalis Ecclesiæ cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.*

Eugenius IV. seu Florentina synodus in fidei definitione, & in articulo de exercenda Pontificia potestate: *Juxta eum modum*, seu *quemadmodum, & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.*

Antecessor igitur cùm loquitur de sancto Gregorio, non loquitur ut Romani Pontifices loquuntur. Sed mirum est, Gregorium, ut ille putat, in Sammedardensi privilegio legem tulisse, cùm non admodum necesse erat; non tulisse verò, cùm admo-
255 dum necesse erat, scilicet cum Imperator Mauricius edixit, *ut nulli qui in manu signatus est, in monasterio converti liceat.* Imperator fixit legem, quam improbabat Gregorius, nec eam tamen lege contraria refixit. Gregorius, judice Alteserra, in ipsa Sammedardensis privilegii concessione legem tulit adversus Principes, qui nondum ferendæ legis occasionem dederant, illosque eam daturos non esse sperandum erat. Sic ille, & sua dicta factáque, & nostra circumspicit & definit.

Cap. IX. Pergit: *Atrocior videtur pœna pro ratione admissi, imò horrenda, quòd excommunicato additur pœna, ut partem habeat cum Juda proditore: Sed nuda imprecatio est, nuda comminatio, genius & vigor canonum hoc probat, ut duriores pœnæ proponantur, nempe excommunicatio, anathema & similes, ut leges quæ sola religione tutæ sunt, religionis metu colantur. Tristioribus, & atrocioribus verbis usus est Pontifex, ut occurreret vitio, quia maluit cohibere mala, quàm commissa punire.* Cogitatis hujusmodi videtur sibi viam sternere ad recipiendam cum plausu, & admurmuratione legem hanc: *Ut qui Rex Sammedardense privilegium negligenter duxerit, vel monachos inquietaverit, primùm jure patronatus privetur, deinde ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici* (Arius puta, Nestorius, Eutyches) AB INITIO SÆCULI USQUE IN PRÆSENS DAMNATI SUNT, *cum Juda proditore Domini in inferno inferiore damnetur.*

In Antecessoris schola ab eo qui potest, feratur 256
lex hujusmodi: Ut qui mancipium alapa percusserit, torqueatur iis omnibus suppliciis, quibus latrones, incendiarii, proditores patriæ, & parricidæ ab initio sæculi usque in præsens torti sunt. Alteserra diceret: *Atrocior videtur pœna pro ratione admissi: Imò horrenda: Sed nuda imprecatio est, nuda comminatio, genius & vigor legum hoc probat, ut duriores pœnæ proponantur, ut leges, quæ severitate sola tutæ sunt, religionis metu colantur.*

Spectatum admissi risum teneatis?

Quia ne quidem digna sunt hæc omnia, quæ vel risu explodantur.

Cap. X. Et post alia, quæ nihil ad rem faciunt, pergit: *Haudquaquam contractum Joviniani scelus, paria omnia ducentis delicta, quasi gravior pœna inducatur pro leviori delicto: excommunicatio, & amissio juris patronatus non excedunt modum delicti patroni, seu fundatoris delinquentis in officio suo.* His in verbis, *delinquentis in officio suo* tenebras quærit. Dicendum erat delinquentis contra Sammedardense privilegium. In eo causæ totius nostræ cardo vertitur. Profectò gravior pœna pro delicto leviori statuitur, quod propter Alteserræ moram & tergiversationem repeto, & repetendum est sæpiùs, cùm in Sammedardensi privilegio, qui Rex illud negligenter ducit, vel monachos inquietat, *jus patronatus amittit, & ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestratur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles,* (ut Nero, Domitia-
nus, Diocletianus & Maximianus.) & *hæretici* (ut A- 257
rius, Nestorius, Eutyches) *ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur.* Nonne duplex pœna hæc modum excedit delicti, quod in privilegii clausula notatur? Quo posito nonne Joviniani, & Stoicorum error incurritur, aut alius, quo levissimum delictum pœna duplici gravissima castigatur? Id genus clausulæ Alteserra Gregorio tribuit, ego non tribuo. Uter nostrûm de Pontifice tanto mereatur meliùs, id dubitationem non habet.

Cap. XI. Pergit. *Non leve, imò gravissimum est delictum ejus, qui res semel Deo dicatas amovet tanquam fur & latro, & prævaricatur adversus Deum, & votum proprium.* Tergiversatur, & mala fide agit: in Sammedardensis privilegii clausula, cui pro Gregorio falsi dicam scribimus, ne verbum quidem de rebus monasterii, vel de rebus Deo semel dicatis; de privilegio, & monachis fit tantùm mentio. Deinde qui Rex è mansis servilibus viginti, quos Regina Brunichildis dedit monasterio, unum amovet, punitur tantùm, quantum puniretur, si mansos serviles viginti amovisset, vel si solo æquasset monasterium, & monachos omnes interfecisset? Ubique objicitur Joviniani & Stoicorum error, cùm peccata omnia supplicio pari castigantur, vel si error iste non objicitur, alius objicitur, cum levissimum peccatum pœna gravissima punitur. In has velint nolint, coguntur angustias, qui Sammedardense privilegium defendendum suscipiunt, mox acerbissimam injuriam inferunt Gregorio, quem non cognoscunt. Cognoscerent enimvero, si quæ in libri 258
VIII. moralium capite 1. ad illa verba Jobi: *Præbete aurem, videte an mentiar*, scribit, diligenter expendissent: *Quia verò sancta Ecclesia ex magisterio humilitatis instituta, recta quæ errantibus dicit, non quasi ex aucto-*

auctoritate præcipit, sed ex ratione persuadet. Gregorius in Sammedardensis privilegii clausula aliter quod nón est credendum, se haberet. Nam ex magisterio humilitatis institutus, recta quæ errantibus dicit, ex auctoritate præcipit, non ex ratione persuadet. Joviniani & Stoicórum errorem, vel alium, quem antè exposuimus, nulla persuadet ratio, sola præcipit auctoritas. Hic autem Gregorii locus, si capiatur ut oportet, & Sammedardense, & Augustodunensia privilegia Gregorio facilè abjudicat.

Cap. XII. Pergit, sed paullo pòst: *Non me effugiebat Petrum Damianum virum sanctissimum laborasse scrupulo, ut ipse testis est lib. I. epist. XII. Quod passim in decretis Pontificum apposita sanctio excommunicationis, & anathematis in transgressores, quasi tribunalium forensium ritu pœnas canonicas variari oporteret pro modo delicti. Sed erat, quòd vir optimus à se scrupulum amoveret, si cogitasset pœnas seculares esse diversas pro modo delicti, quia in foro seculari aliæ sunt pœnæ corporales, aliæ pecuniariæ, aliæ majores, aliæ minores: At in foro canonico non aliæ sunt pœnæ canonicæ, quàm excommunicatio, suspensio, & interdictum. In foro Ecclesiastico gravior pœna imponitur etiam pro majori delicto,* (Pro minori dicere voluit:) *Ut fideles metu pœnæ, vel* 259 *potiùs religione in officio contineantur, gravior pœna proponitur magis, quàm infligitur.* Quidquid hic sentit Alteserra, cum textu Damiani stare non potest. Id autem ne observaretur, Damiani textum referre noluit, sed ego refero: *Præterea,* inquit, *duo quædam apud Apostolicam Sedem frequens usus obtinuit, quæ si prudentia vestra judicat, ut nobis videtur, digna sunt corrigi: Unum, quia cunctis fere decretalibus paginis anathema subjungitur: Alterum, quia cujuslibet Ecclesiæ filius, sive clericus sit, sive laicus, exponere proprii excessus Antistitis prohibetur. Quorum primum quàm sit salutis immane periculum, & infinitè patens vorago laborantium, ac pernicies animarum, clementia vestra pietas non ignorat. Dicitur enim quisquis hoc vel illa non fecerit, sive certè, quisquis hoc quod superiùs statutum est, irritum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema sit. Ubi notandum, quàm lubrica, quàm præceps subitè ruendi illic procuretur occasio, ut antè quis in æternæ mortis barathrum corruat, quàm se vel leviter impegisse recognoscat, & substrata quodammodo tendicula jam pes ejus invertitur, dum se liberis adhuc incedere gressibus arbitratur. Delinquit itaque quisquis ille in illud Apostolicæ constitutionis edictum, & aliquando levi quadam ac perexigua offensione transgreditur, & continuò velut hæreticus, & tanquam cunctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis sententia condemnatur. Et cùm dictante justitia, alia sit ultione plectendus, qui plus delinquit, alia qui minùs excedit: Sic graviter leviterque peccantibus, æqua cunctis & indifferens pœna, solius scilicet* 260 *anathematis irrogatur. Non tribunalium more, vel forensis examinis aut libertas ceditur, aut possessio confiscatur, nec pecuniaria multa reus addicitur, sed Deo potiùs omnium scilicet bonorum auctore privatur. Hanc itaque homo de homine pœnam sumit, quam de sui transgressione mandati ipse quoque Deus omnipotens non præsumit. Qui amat,* inquit, *aut patrem, aut matrem plusquam me, non continuò addit, si anathematizatus, vel maledictus: Sed tantùm ait, non est me dignus. Et in lege oculus pro oculo, dens pro dente, percussura pro percussura, adustio pro adustione duntaxat exigitur. Nec continuò qui reus est, de synagoga projicitur, vel maledictione damnatur. Non enim secundùm Stoicos omnia peccata sunt paria, atque idcirco indifferenti sunt ultione plectenda, sed juxta modum culpæ temperanda semper est mensura vindictæ. Porrò nec beatus Papa Gregorius, vel cæteri Patres, qui pro diversis temporibus in Apostolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in suis reperiuntur observasse decretis, & vix eorum aliquando statutis anathema subnectitur, nisi cùm Catholicæ fidei clausula terminatur. Quamobrem si sancta prudentia vestra placet, hunc morem de cætero à decretalibus paginis amoveri præcipiat, & vel damni pecuniæ, vel alterius cujuslibet ultionis calculum in earum transgressione præfigat, ne quod aliis est ad tuitionis munimenta provisum, aliis ad perniciem perveniat animarum.* Alteserra in iis quæ antè retulimus, Damiani dicta explicare se putat, cùm illis omnino repugnat. Et præ se fert corrigendum non esse, quod Damianus invictis rationibus corrigendum esse arbitratur. Huc spectat quid- 261 quid juris antecessor vel interpretatione, vel potiùs refutatione Damiani machinatus nihili ducit Stoicorum errores, quos ille objicit, & salutis incommoda, quæ proponit. Quasi verò non æque in foro Ecclesiastico, ac in foro civili locum habere non posset axioma hoc: *Juxta modum culpæ temperanda semper est mensura vindictæ.* Eritne deterioris conditionis Ecclesia, quàm sæculum, ubi servatur in pœnis irrogandis æquitas? Alteserra & Ecclesiam, & Christianam religionem hominibus ethnica superstitione imbutis deridendam propinat, cùm ait in foro sæculari rem ita esse compositam, ut pœna gravior pro leviori culpa non imponatur, in foro canonico imponi significet. Cur ergo Gregorius noster in libri V. Epistola XXVI. ad Maximum, qui Salonæ Episcopatum arripuerat, sic scribit? *Humiliare tandem, & obedientiæ te submitte, atque ad nos sine excusatione aliqua venire festina, ut requisita, & cognita veritate secundùm Dei timorem quidquid æquum canonicúmque fuerit, decernatur. Certus enim esto, quia justitiam tibi, & canonum statuta servabimus, atque causæ tuæ revelante Domino veritatis auctore amicum justitiæ finem imponemus?* Amicúsne erit finis justitiæ, cùm pœna gravior pro leviori culpæ irrogabitur? Cùm requisita & cognita veritas ad amicum justitiæ finem imponendum nihil proderit. Alteserra harum rerum insulsitatem, si nequit concoquere, devoret necesse est. Devoraturus est quidquid volueris ineptiarum, dummodo Sammedardense retineatur privilegium, & Rex noster, si illud negligenter ducat, vel quietem alicujus monachi turbet, *jus pa-* 262 *tronatus amittat, & ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles, & hæretici ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur,* &c.

Sic primum falsi argumentum, quod Sammedardensi opposueram privilegio, Alteserræ vanis responsionibus, moris & tergiversationibus confirmatur, & redditur efficacius. Quapropter etiamsi reliqua falsi argumenta rectè dilueret, nihil omnino proficeret, quia bonum ex integra, malum ex quolibet defectu. Verùm sequuntur falsi argumenta duo, quæ coactus est intacta relinquere, quia quod responderet, non habuit.

"Prius est hujusmodi. Deinde quia Reges sunt cu-"stodes canonum, si quis Regum statuerit, ut Samme-"dardensis monasterii Abbas non ab alio, quàm à "Diœcesano Episcopo, chrismatis, olei, altaris, ca-"licis corporalis benedictionem expetat, is statim "honore suo (jure patronatus, ut interpretatur Al-"teserra) privetur, & ut Catholicæ fidei depravator, "vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Chri-"stianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri "Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum "anathemate, quibus infideles, & hæretici ab initio "sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda tra-"ditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi "digna pœnitentia præfatorum Sanctorum propitiave- 263 "rit clementiam, & fratrum communem reconciliave-"rit concordiam.

"Quis modò crederet Gregorium convenientissimæ "siquis unquam disciplinæ Pontificem id pœnæ genus "irrogasse Regibus, qui suis edictis sacros canones "obser-

"observari præciperent? Qui nimirum bene ac laudabiliter agerent. Alteserra hoc argumentum vidit, & fugit: Et illud revera ad convincendam privilegii suppositionem & falsitatem sufficit.

"Posterius est. Tum si quis Antistitum contra privilegium diceret, & pro jure suo sibi sumeret, ut si deponendus esset Sammedardensis Abbas, non deponeretur pleniori ac solemniori judicio quàm deponendum esse Episcopum Concilia decernunt, is statim honore suo privetur, & ut Catholicæ fidei depravator, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles, (Nero, Domitianus, Diocletianus, Julianus Apostata) & hæretici, (Arius, Nestorius, Eutyches) ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum Sanctorum sibi propitiaverit clementiam, & fratrum communem reconciliaverit concordiam. At Concilia decernunt reum Episcopum à Synodo provinciæ suæ deponendum esse: Sammedardensis Abbas longè aliter deponendus esse statuitur. Subjungimus, ait privilegi-
264 "um, & aliud edictum, si causa capitalis criminis Abbas est deponendus, non prius deponatur, donec depositores Apostolicam auctoritatem requirant, & ita sint tres Metropolitani cum suffraganeis suis, & Abbates quamplurimi. Quis modò crederet Gregorium, qui tanta cum æquitate juris canonici gubernacula tenebat, huic privilegii clausulæ contradicentem, & sibi suaentem Episcopum, quod pro æquali ut minimùm Episcoporum, & Abbatum judicio abdicationis ex auctoritate canonum sumi potuit, voluisse afficere eo pœnæ genere, quod mox relatum est? Hac in clausula privilegii auctor decalogi totius violatorem non castigaret acriùs, quàm castigat eum, qui privilegium negligenter duceret, aut ei aliqua ex parte repugnaret: Et hæc est Joviniani, & Stoicorum hæresis, in quam incurrit. Censeret paria esse crimina omnia, quòd æqualem pœnam omnibus, & singulis criminibus imponeret. Si verò in Joviniani, & Stoicorum hæresi non esset, crimen levissimum gravissima pœna dignum esse necessariò putaret, & hic est alius error, in quem incideret. Hic evitata Charybdi in Scyllam, velit, nolit, rueret, ac præcipitaret. Porrò autem hi sunt errores varii, quibus Alteserra dum Sammedardense privilegium tuetur ut verum ac legitimum, eminentissimam Gregorii simplicitatem infamat, & Pontificiæ dignitati periculosum vulnus infligit. His duobus argumentis oppressus Alteserra tacuit, & Sammedardense privilegium sibi eripi passus est.

Argumentum quartum est comparatum ex stylo, & loquendi more Gregorii, cùm certa quædam privile-
265 gia concedit. Huic ita respondet: *Aliud quoque falsi argumentum ducitur ex inscriptione illa Epist. omnibus Episcopis, quasi hæc Epistola pertineret tantum ad Suessionensem Episcopum, in cujus diœcesi situm est monasterium: Sed non inusitata, & singularis est talis inscriptio. Gregorius enim ipse Epist.* XVIII. *lib.* VII. *qua pertinet ad privilegium Classensis monasterii, quod est apud Ravennam, inscripsit omnibus Episcopis, ex fide Gratiani in cau. Quàm sit necessarium.* XVIII. *qu.* II. O egregiam responsionem, quæ petitur ex fide Gratiani, inscriptionem Gregorianæ Epistolæ corrumpentis. Perinde est ac si optimas criticæ artes edoctus Antecessor, Gregorii Epistolam ad Castorium Ariminensem Episcopum ex fide Gratiani corrigeret. Gratianus illam in caus. XVIII. qu. II. cap. VI. miserandum in modum corrupit, ut mutua inter Gregorium scribentem, & Gratianum referentem Epistolam docere potest contentio. Sed Epistola illa, quæ est de Classitani monasterii privilegio, in omnibus Epistolarum Gregorii tam editis, quàm manuscriptis codicibus, inscribitur *Marimano Episcopo Ravennati*, non *Episcopis omnibus*: Et inde argumentum nostrum adhuc confirmatur, tantum abest ut infirmetur.

Cap. XIII. Pergit: *Et ipsa inscriptio satis apertè refertur ad omnes Episcopos Galliarum: Nec mirum legi Epist. scriptam Episcopis non adjecto nomine provinciæ de qua essent: Moris antiqui fuit, ut cùm Episcopus Episcopo scriberet, non adhiberetur nomen civitatis, quia unus est Episcopatus, una Ecclesia. August. contra Cresconium lib.* IV. *cap.* XLIV. *Quod quidem Concilium ne te lateat, Arianorum est, quos jam tu inter alios hæreti-* 266
cos nominasti, nec additis civitatum nominibus legi solet: Quia nec ipse mos est Ecclesiasticus, quando Episcopi Episcopis scribunt Epistolam. Alteserra, cùm ait inscriptionem satis apertè referri ad omnes Episcopos Galliarum, id animo sibi fingit. Hæc est tantùm inscriptio: *Gregorius omnibus Episcopis*, quæ non magis Galliarum, quàm Hispaniarum Episcopos apertè demonstret. Sed Alteserram nimium indulgere sibi permittamus. Quid omnes Episcopos Galliarum attinet privilegium monasterii, quod in Suessionensibus conditum est suburbiis?

Deinde cùm apud Gregorium nihil reperiat, quo quæsitum è Gregoriana scribendi, & agendi consuetudine argumentum diluat, qua potest via elabitur, & divertit ad antiquum morem, quo cùm Episcopus Episcopo scriberet, civitatis nomen taceretur. Hoc effugio, hoc diverticulo non solvitur argumentum, sed argumenti vis augetur, quia Gregorii consuetudo scribendi, non aliorum Episcoporum quæritur. Sic antiquum illum morem Episcoporum, de quibus loquitur, antiquaret objecto Gregorii more, qui dum Episcopis scribit, civitatum nomen semper adhibet. Non ita indagatur, & asseritur veritas. Alteserra indagandæ, & asserendæ veritatis hujusmodi artem ignorat, vel quod indignum esset, dissimulat: *Antiqui moris*, ait ille, *ratio fuit, unitas Episcopatus & Ecclesiæ?* Hæcne ratio latuit Gregorium, qui dum Episcopis scribit, Episcopalis civitatis nomen adjungit? Gregorii ætate antiquus ille mos obsoleverat, & ab usu recesserat. Id perspexisset Alteserra, si in doctrina temporum ver- 267
satus esset.

Cap. XIV. Pergit: *Et Launoius certè cùm notat inscriptionem hujus Epistolæ, nimia præsumptione videtur velle imponere Pontifici formulam inscriptionis Epistolarum, quasi Pontifex Epistolam dictarit ex certa formula. Quod satis grave & contumeliosum est Pontificiæ dignitati.* Hic quid Alteserra sibi velit, non capio, & an ille capiat, nescio. Ego inscriptionis Epistolarum formulam servandam nullam Pontifici impono; sed quam formulam in scribendarum Epistolarum, in quibus concedit privilegia, servavit, duntaxat observo, & de observatione tali Sammedardense privilegium configo, & à Pontifice abalienandum esse puto. Qui Pontifici Epistolam, qua de agimus, subjecit, eam ex certa formula falsitatis judice dictavit. Cùm Alteserra dicit *hoc satis grave, & contumeliosum esse Pontificiæ dignitati*, monstrum sibi fingit, quod debellet.

Sic quartum nostrum falsi argumentum frivola responsione confirmatum remanet.

Cap. XV. Ad quintum nostrum falsi argumentum pergit: *Ineptius falsi argumentum subjungitur, ex eo quòd non uno loco profitetur Gregorius se Chalcedonense Concilium colere, & amplecti, tanquam unum è quatuor Evangeliis, & secum pugnasse videtur, cùm tale privilegium concessisse fertur Suessionensi monasterio, quod derogaret Chalcedonensi Concilio, ex quo monasteria omnia sunt in potestate Episcoporum.* Sic ille argumentum meum refert, ut magna illud sui parte mutilet: Prætermittit quæ sequuntur. "Cùm igitur Alteserra notat semel atque iterum Gregorium Chal-
"cedonense Concilium venerari ut librum Evangelii, 268
"cur illud defendit privilegium, in quo Chalcedonensis

"Concilii

"Concilii canones duo tam manifestè sperntuntur. "Privilegii verba sunt: Chrismatis quoque ac olei, "altaris, calicis corporalis, à quocunque voluerint "Pontifice benedictionem expetant. Et paullo pòst: "Prælatus loci remota omni consuetudine pessima "Regum, Antistitum, judicum exemplum divinæ re"ligionis & honestatis, cæteris exhibeat monasteriis, "& super ea plena gaudeat libertate. Cujus recto"res & filii præsentes, & successuri tantùm sub Re"gum custodia positi admonitionem sancti Petri, & "successorum suorum hujus sanctæ Romanæ Sedis "Pontificum auctoritate proclament. Nonne his in "verbis spernuntur canones duo editi à Concilio, "quod Gregorius ut librum Evangelii veneratur? "Nonne ubi Pontifex id pronuntiat, continuò sub"jicit: Dum Concilia universali sunt consensu con"stituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut "solvere quos ligant, aut ligare quos solvunt? Non"ne in libri 11. indict. xi. Epistola 111. ad Joan"nem Constantinopolitanum Episcopum, ei dicit? "Et quamvis cum omnibus hominibus pacem ha"bere summopere cupiam, vobiscum præcipuè quos "vehementer amo, si tamen ipsi quos novi, vos "estis. Nam si canones non custoditis, & majorum "vultis statuta convellere, non cognosco qui estis. "At si, quod falsum est, verum esset privilegium, "hoc eodem dedisset anno, quo ad Joannem tan"ta cum animi firmitate, & constantia scribit. Sic "non potuit Alteserra sine famæ, & existimatio"nis suæ jactura defendere privilegium, quod de"fendit. His omnibus insinceré prætermissis argu-
269 mento, quod sibi tam mala fide proposuit, respondet hoc pacto. *Haud enim inficias eo ex Concilio Chalcedonensi, quod continet jus commune, omnia monasteria subjecta esse Episcopo: Sed cùm Romanus Pontifex de plenitudine potestatis possit dispensare contra Concilium, rectè usus est potestate sua, cùm ex causa monasterium Suessionense liberavit à potestate Episcopi, nec initam de tuendo Chalcedonensi Concilio professionem fefellit, cùm ex quibusdam causis ei derogavit, quia usus est jure suo, id est, plenitudine potestatis, quæ nullo vinculo obligari potest.* Non satis erat ista recentiorum quorumdam juris antecessorum Romanæ Curiæ adulatorum placita in medium edere, quibus comparatum è Gregorii doctrina argumentum dilueretur, sed valdè necesse erat placita hæc pluribus Gregorii testimoniis confirmare. Quod perfici nequaquam potest. Ubinam apud Gregorium diligentissimum sacrorum canonum custodem reperiet Pontificem hunc dixisse, aut scripsisse unquam dispensare se posse *de potestatis plenitudine contra Chalcedonense Concilium?* Ubinam apud Gregorium reperiet Pontificem hunc dixisse, aut scripsisse unquam se usum jure suo, id est, *plenitudine potestatis*, dum Chalcedonensi Concilio derogat? Ubinam apud Gregorium reperiet Pontificem hunc dixisse, aut scripsisse unquam potestatis plenitudinem, qua in solvendis canonibus universalium Conciliorum utebatur, vinculo nullo obligari posse? Profectò mirum non est, Alteserram argumentum nostrum referentem prætermisisse, quod eum prætermisisse notavimus. Quæ enim prætermisit impediebant, ne quomodo respondit, tam prælicenter responderet.

270 Cap. XVI. Pergit: *Et hoc responso refellitur proximum argumentum falsi, id scilicet, quòd Gregorius tenax disciplina non uno loco obtestatus legitur se sollicitum esse de tuenda, & servanda cuique jurisdictione.* Argumentum numero sextum referre non audet, quale proposui. Sic autem proposui. "Alteserra semel atque "iterum in notis observat aliud, quo privilegium "Sammedardense rejicitur ut Subdititium: Semel "quidem ad libri 1. Epistulam 1. ut semel per an"num ad Syracusanam, sive Cathanensium civitatem "fraternitas vestra conveniat, &c. Ea ætate Epis"copi Siciliæ immediatè parebant summo Pontifici, "nec habebant Metropolitas: Argumento est, quòd "Gregorius per hanc Epistolam Petro Subdiacono "vices suas mandat intra Siciliam, eidemque jus tri"buit congregandi semel in anno Concilium omnium "Episcoporum provinciæ Cathanæ vel Syracusis, in "quo omnia ita disponantur, ut meritò possit Epis"copale Concilium appellari. Si enim Sicilia habu"isset Metropolitanum, vix Pontifex Petro Subdia"cono dedisset potestatem cogendi Concilii Episco"porum, quæ propria est Metropolitani. Quam enim "sollicitus fuerit de servanda cuique jurisdictione pro"pria, locupletem ipsum testem habemus lib. xi. "epist. xxxii. Nam si sua unicuique jurisdictio non "servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per "quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confun"datur. Iterum ad libri 11. epistolam xxxvii. Ab"sit hoc à me, ut statuta majorum consacerdotibus "meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi in"juriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.
"Hinc sumptus est canon, Quod verò xxv. q. 11. 271
"Summus Pontifex tueri debet statuta, & privilegia "Ecclesiarum: Annon Privilegia 1. & 11. eadem "caus. & quæst. quia sibi injuriam facit, si fratrum "jura infringat. Eadem est sententia Gregorii lib. "ix. epist. xxxii. si sua unicuique Episcopo juris"dictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per "nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, "confundatur? Can.1.Pervenit.11.qu.1.Hic mirum, cur "vir doctus postquam observavit quis & qualis fuerit "Gregorius, dum agitur de retinenda sacrorum cano"num disciplina, Sammedardensis privilegii falsita"tem non subolfecerit. Quæ enim observat ad loca "duo Gregorii, tam non possunt cum Sammedar"densi privilegio consistere, quàm aqua cum igne "potest consistere. Hic Antecessor eximius athleta in sua venacula incurrit, cùm argumentum istud diluere conatur: Quas notas ædificaverat, has funditus evertit, cùm ait: *Hoc in privilegio Greg. dispensasse contra Chalcedonensis Concilii canones*, quibus Suessionensis Episcopi jura statuuntur. Estne sollicitus Pontifex de tuenda unicuique Episcopo sua jurisdictione, qui Suessionensis Episcopi jurisdictionem privilegio Sammedardensi turbat in perpetuum? Ne verò Pontifici fiat injuria hæc, ei abjudicandum est privilegium. Alteserra seipsum destruit, non Gregorium, qui tale privilegium nec dedit, nec dare potuit, nisi secum turpiter pugnaret. Alteserra dum relatas notas exaravit, Lectorem suum monere debuit illius rei, cujus nos modò, sed ὀψιμαθὴς monet: *Hac*, inquit, *obtestatione* (de tuenda unicuique sua jurisdictione) *Pontifex non intelligitur sibi ademisse potestatem conce-* 272
dendi Ecclesiis, & monasteriis privilegia & exemptiones. Hic auctor propriis laqueis irretitus, iisdem Gregorium irretire nititur, quò sese faciliùs expediat. Irretitus hærebit Alteserra, & apertam in lucem proditâ scriptorum ἀγνοίᾳ torpebit; Gregorius verò expeditus & liber abibit, quia cùm se vigilantissimum sacrorum canonum custodem futurum esse protestetur, nullo privilegio sacros infringet canones, quibus Episcoporum jura sanciuntur. In Summa, ut omnia in brevi quadam tabella complectar, Gregorius, ut sibi de plenitudine potestatis injuriam faciat, de eadem potestatis plenitudine fratrum suorum Episcoporum jura infringet: Et contrà, Gregorius de plenitudine potestatis Episcoporum jura infringet, ut de eadem plenitudine injuriam sibi faciat. O memorandum sæculis omnibus factum, quod vir prudens Gregorio inspirat!

Cap. XVII. Pergit: *Alioquin uno judicio falsi, & quasi uno ictu tollerentur privilegia omnium monasteriorum, & in his multorum, quæ Launoius vera esse non negat.* Hic diverticulum quærit. Non agimus de reliquorum monasteriorum privilegiis & exemptionibus, sed de Suessionensis monasterii unius privilegio, quod à monachis Gregorio subjectum est, & subjectum esse demon-

monstravimus, & demonstramus. Ad hæc non satis consideratè philosophatur, cùm ait, uno judicio falsi, quasi uno ictu tollerentur privilegia omnium monasteriorum. Nam etsi falsi convincatur Sammedardense privilegium, non sequitur falsi convinci posse privilegia, quæ Pontifices monasteriis quibusdam concesserint,
273 aut concedere potuerint. Alterà redargutionem peperit fallacia, quam dialectici ignorationem elenchi appellant. Porrò autem cùm ad propositum nihil potest adferre, à proposito digreditur, cùm ait, *vera quadam esse privilegia me non negare.* Quid tum? Ideo ne verum erit Sammedardense privilegium? Sed quid de veris privilegiis, quibus clerici & monachi canonicæ Episcoporum obedientiæ subtraherentur in perpetuum, sentio, breviter expono. Privilegium nempe nullum esse tale, in cujus concessione obreptio vel subreptio non intervenerit, aut non intervenire potuerit: Et primùm quidem, ut id sentiam cogit me Sedis Apostolicæ dignitas & opportunitas. Nam si semel Sedes Apostolica per id genus privilegiorum Ecclesiasticos subvertat canones, minuendæ dignitatis suæ viam aperiet. Ecclesiastici quippe sunt canones, quorum opera Romani Pontifices jus appellationum sibi vindicant. Gelasius in Epistola IV. ad Faustum: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri.*

Nicolaus I. in Epistola VIII. ad Michaelem Imperatorem: *Quoniam*, inquit, *secundùm canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum, scilicet, vel ad roborandum, patet profectò Sedis Apostolicæ, cujus auctoritas major est, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus judicio licere judicare.* Urbanus II. in diplomate, quo Monopolitanæ Ecclesiæ privilegia confirmat: *Sacrorum*, ait, *canonum, & decretorum Pontificalium deposcit auctoritas, ut majores Ecclesia-*
274 *rum causæ Apostolicæ Sedis judicio terminentur.* In tom. I. Italiæ sacræ.

Ecclesiastici quippè sunt canones, quorum auxilio & sua, & Ecclesiæ suæ jura repetit Gregorius magnus in libri VII. indict. I. epist. VII. ad Amos Hierosolymorum Episcopum: *Cùm fraternitatem vestram considamus canonum statuta, & vigorem diligere disciplinæ, ut clerici nostri vobis ad evitandam districtionem Ecclesiastici ordinis falsitas surripere valeat, ejus culpam sanctitati vestra indicare prospeximus, ut solicitudine vestra disciplina possit submitti, quam refugit. Comperimus autem quòd Petrus Acolythus, quem dilectissimo filio nostre Sabiniano Diacono, responsa Ecclesiastica facienti, observare in urbe regia feceramus, fugiens ad Ecclesiam vestram venerit. Quòd si verum est in tute eum sacere fraternitas vestra, & inventa hac studeat occasione remittere, aut si fortè hoc metuens, à vestra discesserit Ecclesia, ut per diversa loca ne comprehendi valeat, latitet in omnibus parochiis vestris, ut diligenter requiratur, injungite, & inventum ad nos, sicut præfati sumus, transmittite, quem etiam volumus per vos, quia sit communione privatus, agnoscere, nec Dominici corporis ac sanguinis, quousque ad nos redeat, audeat mysteria sumere, nisi fortè vicino mortis insistente periculo.* Hæc Gregorius, quem multorum instar esse posse nemo dubitat. Porrò Gregorii Epistolam, & ejus in ea conscribenda consilium, qui pro dignitate causæ capiet, judicabit facilè è Sedis Apostolicæ re non esse, ut statutis derogetur canonum, & disciplinæ vigor remittatur.

275 Ecclesiastici quippe sunt canones, quorum auctoritate Romanus Pontifex regendam suscepit Ecclesiam, ut à Florentina synodo definitum est: *Cui in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.* Ut Blondus Eugenii Papæ IV. scriba refert in libro X. decadis III. & ut habet Græcus textus: καθ' ὃν ἐζήτει, καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.

Ecclesiastici quippe sunt canones, quorum sanctionibus primatum suum Pontifices asserunt. Hadrianus IV. in Epistola VII. ad Basilium Thessalonicensem Episcopum. *Traditum est*, inquit, *quonam modo sancti Patres divino spiritu illuminati, omnium Ecclesiarum primatum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiam absolutè obtinere jusserint, & ad ejus sententiam omnium judicium referri præscripserint.* His autem ita constitutis manifestum est, Apostolicam Sedem amissuram esse magnum sui præsidium, si Ecclesiastici canones subverterentur. Subvertuntur, dum iis in perpetuum derogatur. Præterea si Romanus Pontifex sacros non exequeretur canones, quibus Episcoporum auctoritas supra clericos & monachos sancitur, Episcopi non exequerentur sacros canones, quibus Romani Pontificis auctoritas supra Episcopos sancitur. Id exempli ratio & natura postulat. Hæc est prima ratio, cur illa privilegia, quibus clerici vel monachi canonicæ Episcoporum obedientiæ subtraherentur in perpetuum, subreptione, vel obreptione la- 276
borare censerem.

Altera ratio quæritur ex status clericorum vel monachorum sanctitate & integritate, quæ cum privilegiis istiusmodi diu stare non potest. Id nos invictè docet beatus Bernardus in Epistola XLII. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Longè autem præstantius solis subdi Episcopis, quàm universitati. Sed non propter me, inquis, facio, sed quæro Ecclesiæ libertatem. O libertas omni, ut ita loquar, servitute servilior! Patienter ab hujusmodi libertate abstineam, quæ me pessimè addicat superbiæ servituti: Plus timeo dentes lupi, quàm virgam pastoris. Certus enim sum ego monachus, & monachorum qualiscumque Abbas, si mei quandoque Pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quòd satana mox tyrannidi meipsum subjicio. Advertens nimirum cruenta illa bestia, quæ circuit quærens quem deveret, elongatum custodiam, Heu statim insiliit in præsumptorem. Meritò enim non cunctatur præsidere superbo, qui se jure Regem gloriatur super omnes filios superbiæ. Quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari pastores? Quantò plures sentio mei curam gerere, tantò securior exeo in pascua.* Et paullo pòst: *Quid igitur vos, ô monachi, Sacerdotum gravat auctoritas? Metuistis infestationem? Sed si quid patimini propter justitiam, beati! Sæcularitatem contemnitis? Sed sæcularior nemo Pilato, cui Dominus astitit judicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Jam tunc per se loquebatur, & in se experiebatur, quod post per Apostolos clamavit in Ecclesiis: Non est potestas nisi à Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ite nunc ergo resistere* 277
Christi vicario, cùm nec sue adversario Christus restiterit. Sic beatus Abbas occupat, & revincit quidquid monasticarum exemptionum patroni & vindices adferrent. Deinde in libri III. de Consid. cap. IV. demonstrat his exemptionibus multa superstrui vitia, virtutem nullam. *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipsius: Nullus est enim, nisi quòd inde Episcopi insolentiores, monachi etiam dissolutiores fiunt.* Et paullo pòst: *Adde quòd qui audiunt, scandalizantur, indignantur, detrahunt, blasphemant, hoc est, vulnerantur ad mortem. Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia, quodque magis dolendum, inter Ecclesias inimicitias graves, perpetuasque discordias.* Et paullo pòst: *Monstrum facis, si manum submovens digitum, facis pendere de capite, superiorem manus, brachio collateralem.* Cùm verò post pauca subjicit: *Nonnulla samen monasteria sita in diversis Episcopatibus, quòd specialius pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam, pro voluntate fundatorum quis nesciat?* Hæc monasteria à communi subjectionis canonicæ regula non excipit. Nam secum pugnaret

naret manifestissimè, & quidquid tam in Epistola ad Henricum Senonensem, quàm in libro de Conf. ad Eugenium differnit, funditus everteret: Significat fuisse ab initio monasteria, quæ fundatores ad bonorum temporalium conservationem in Apostolicæ Sedis tutela collocaverant. Sed aliud est tutela, & protectio hujusmodi, quam fundatores curare poterant; aliud
278 immunitas ab observatione canonum spiritu Dei conditorum, & totius mundi reverentia consecratorum, quam fundatores curare non poterant. Et quia monachi tutelam, & protectionem Sedis Apostolicæ in libertatem, licentiam, & ab observatione canonum exemptionem asseruerunt progressu temporis; vir sanctus addit: *Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.*

Tridentina synodus rationem nostram absolvit in sessionis XXIV. de reformatione capite XI. dum ait: *Privilegia & exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur.*

Superest tertia ratio, eaque validissima, quæ cùm ex Regis salute, tum ex publica regni tranquillitate petitur. Res enim ita se habet apud eos, quibuscum Alteserra pro exemptionibus dimicat: *Pontifex jure suo potuit eos* (regulares & clericos) *eximere, & in multis exemit, & fecit sibi, & delegatis suis speciali ratione subjectos; determinatio verò causarum, in quibus eximuntur, pertinet ad eundem Pontificem: Sic potuit Pontifex regulares omnes facere omnino liberos ab Episcoporum lege diœcesana. In probatione consentiunt omnes ferè Catholici, qui tractant de potestate Papæ, & hinc saltem indirectè habet potestatem temporalem supra omnes Principes Christianos, & ex causa eos privat regno & imperio, ut probat Bellarminus lib. V. de Rom. Pont. à cap. VI.* Sic disputat Henricus Henriquez in libri VII. de Theol. moral. capite XXIV. Argumenti vis ac
279 robur est hujusmodi. Romanus Pontifex Reges ex causa privat regno & imperio, ac proinde subditos à juramento fidelitatis absolvit: Igitur Romanus Pontifex regulares, & clericos omnes ab Episcoporum lege diœcesana, ac proinde à canonica subjectione absolvet, vel absolvere poterit. In antecedente pro certo id assumit, quocum & Regis salus, & publica regni tranquillitas consistere non possunt. Si Alteserræ non placet Henriquis argumentatio, inprimis doceat nos tractatu quodam Romanum Pontificem Reges deponere non posse, nec eorum subditos à juramento fidelitatis eximere: Deinde tractatu alio doceat nos Romanum eundem Pontificem regulares & clericos à canonica Episcoporum subjectione eximere posse in perpetuum. Hic ne tergiversetur Alteserra causatus aliam esse politicæ, aliam canonicæ subjectionis materiam: Alia quidem est materia, sed in utraque similis est disputandi forma, nisi suis tractatibus quos ab eo postulo, dissimilem esse disputandi formam ostendat. Hæc est mea adversus Alteserram præscriptio, hæc tertia ratio vehemens, cur censerem in privilegiis, quibus regulares & clerici ab observatione sacrorum canonum eos Episcopis subjicientium eximerentur in perpetuum, obreptionem vel subreptionem non posse non intervenire.

Hæc est digressio, in quam Alteserra me compulit: Non erit tamen, si capio, inutilis.

Cap. XVIII. Pergit: Paullo pòst, & dicit: *Suessionensi privilegio lex non dicitur Regi, Antistiti, vel magistratui, sed patrono, seu fundatori & defensori monasterii. Diversæ sunt potestates, quæ ex mente Ponti-*
280 *ficis diverso jure spectantur, & quia Rex quatenus fundator Ecclesiæ jus patronatus suscepit ex gratia & beneficio Ecclesiæ, jure privati usus est, & legi fundationis se obstrinxit, à qua recedere noluit, quia jure privati usus est, & Rex idemque fundator in limine fundationis admittendo privilegium, videtur sibi legem dicere, à qua recedere non potest?* Atque ita, si Rex unius vel alterius Sammedardensis monachi quietem turbet, jure patronatus privabitur, quia privilegium admittendo consensit ut privaretur. Similiter, si Rex Augustodunensis monasterii monachum aliquem sine Abbatis consensu ad Ecclesiasticum ordinem promovendum esse sentiat, potestatis honorisque sui dignitate privabitur, quia admittendo privilegium, consensit ut regno, (sicut interpretatur Gregorius VII.) privaretur. Et quoniam deliramenta hæc ad rationem falsi non pertinent, auctori suo relinquimus, & iis quorum est videre, nequid ex deliramentis talibus detrimenti capiat Respublica.

Cap. XIX. Pergit: *Rex videtur contrahere cum Ecclesia: Lex fundationi dicta in ipso limine vicem contractus obtinet, can. Eleutherius. XVIII. qu. II. l. Donationes c. de donat. inter virum & uxorem.* Sed videndus est can. Eleutherius, qui se sic habet: *Eleutherius frater, & coepiscopus noster queritur, quòd mater ejus in casa, quæ castellum dicitur, oratorium construxerit, ac dedicaverit, & in eodem loco monachos constituerit, ex quibus unus est presbyter. Hoc autem tempore dedicationis inter Episcopum Cardellum, cujus ipsa Diœcesis est, & matrem suam asserit convenisse, ut quidquid* 281
dedicationis vel natalis martyrum die, quorum in eodem monasterio reliquiæ sunt, per fidelium oblationes intraverit, medietatem quidem habeat ipsum monasterium; Medietas autem Episcopo offeratur. Contra quam conventionem Marinum presbyterum (sive sciente, sive nesciente Episcopo) monachis ipsis, vel presbytero, qui ex his est, vim dicitur intulisse, & frequenter molestiam generare, ita ut memoratum presbyterum prope ceciderit, & missas facere eum nullo modo permittat, dicens, ut quasi pensionis nomine aliquid statuere debeat. Hæc igitur omnia diligenter te examinare jubemus, & si apud te evidenti ratione constiterit, quia tempore, quo dicatum est ipsum, conditiones superiùs positæ convenerint, servari eas ex nostra auctoritate præcipimus, nec aliquid amplius exinde ab aliquo exigatur. Si verò nihil tale constiterit, mediante te, quid Episcopo ipsi nomine eulogiæ offerri debeat, inter ipsos monachos, & presbyterum volumus definiri, salvo tamen eo, ut presbyter Gaudentius, qui etiam monachus est, missas in monasterio suo, sicut consuevit, facere à nullo ulteriùs debeat prohiberi.

Et primò quidem canonem vocat, qui reipsa canon vocandus non est, cùm canon non sit unius, sed multorum Antistitum opus, ut ex Basilio, Photio & Facundo probavimus in secunda ad Michaelem Girardum Epistola. Sed sincerus juris Antecessor illud dissimulat. Deinde quidquid id est, Gratianus Pelagio tribuit, nec dicit, utrum ille primus sit, an secundus. Utriusque editæ sunt Epistolæ, sed neuter reperitur ad Episcopum, qui dicatur Eleutherius, scripsisse. Tum neuter ad alios scripsit Episcopos, quæ Gratianus 282
refert. Solutum & vagum quid est, quod incerto Pontifici supponit, nec auctoritatis potest esse ullius, donec auctori suo vindicetur. Postremò, ne sint, si velis, hæc omnia, Gratiani canon ad Alteserræ propositum nihil prorsus conducit. Canonis sensus est, non debere Episcopum aliquid à monasterio exigere præter conditiones, quæ dedicationis tempore constitutæ sunt. Sic intellectus canon nusquam efficiet, ut si Rex contrarium sacris canonibus privilegium, cujusmodi est Sammedardense, negligenter ducat, vel monachi unius quietem turbet, decernente Gregorio, jus patronatus amittat, & perinde ac si Catholicam depravasset fidem, & sanctam Dei subvertisset Ecclesiam, tractetur.

Canon alter, seu lex ita se habet: *Donatio quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè vel*

 expressè,

expressè, vel qui donationem accepit, prius debitum naturæ absolvat. Sanè soluto matrimonio, si tunc dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias redit ad virum, nisi à consuetudine secus obtineat, vel ex pacto de lucranda dote à donatione propter nuptias, quod æquale sit, tamen hinc inde contrarium inducatur. At quidquid istud est, ad Regem, qni quia Sammedardensem monachum nnum conturbaret, jure patronatus privaretur, exquisitoque anathematum genere percelleretur, transferre hominis est, qui otio & literis intemperanter abu-
283 titur. Inducit Regem, qui fundet monasterium, & fundando sic transigat cum Ecclesia, ut si quando monachum unum conturbet, velit jus patronatus amittere, & pro Catholicæ fidei corruptore, & sanctæ Dei Ecclesiæ eversore haberi, & quibus maledictionum generibus infideles, & hæretici ab initio sæculi perculsi sunt, percelli. Estne sana mente præditus Antecessor, qui talia, non dicam, de nostris Regibus, sed de plebeio, & vili quodam homine, nisi demens evaserit, comminiscatur? Atqui hæc est Alteserræ in defendendo Sammedardensi privilegio perversitas & obstinatio.

Cap. XX. Paullo pòst pergit: *A Gregorii ingenio haudquaquam aliena est hæc clausula, quæ pertinet ad tuendum vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ, simul ad conservandas res Ecclesiæ semel dicatas: De cura utriusque quàm sollicitus fuerit, testantur tot ipsius Epistolæ, ut in his immorari, easque exscribere, Epistolæ procudendæ causa, exemplo adversarii, nimis ambitiosum & otiosum esset.* Immo verò necessarium esse maximè, ut palam fieret, ab ingenio Gregorii alienam non esse clausulam, cùm clausula in argumentum falsi assumitur, doctorum vel indoctorum nemo est, qui hoc ignoret. Quod perficere debuit, nec potuit, inutili, & insulso schemate prætermittit. Cæterùm cum dicit Sammedardensis privilegii clausula vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ tuitum esse Gregorium, significat in more positum esse, institutóque antecedentium Pontificum, ut Ecclesiasticam disciplinam, & rerum Ecclesiæ semel dicatarum conservationem simili clausula com-
284 munirent. Quo nihil est falsius. Vetustiorem Gregorio Pontificem ne unum quidem adferre potest, qui pari unquam clausula usus fuerit, seu cùm Ecclesiasticam disciplinam asseruerit, seu cùm res Ecclesiæ semel dicatas vindicaverit, & à prædonibus defenderit. Et sanè non credo inveniri unquam posse hominem, qui minùs quàm Alteserra, à mendacio & falsitate abhorreat, & quale futurum sit de se Dei, & eruditorum virorum judicium, minùs reformidet.

Cap. XXI. Pergit paullo pòst: *Opponitur & aliud argumentum, quòd in privilegii inscriptionibus notantur varia nomina Episcoporum, qui tum non sedisse, sed antè vel postea dicuntur, aut quòd duo Portuenses Episcopi adhibentur. Verùm ne his excutiendis otiosè immorer, quia vix est ut de tempore, & ætate cujusque conveniat inter Chronologos, si quis fortè error deprehendatur in inscriptionibus Episcoporum, qui privilegio subscripsere, is non vitiat aut inquinat instrumentum, quia facilè in nominibus error obrepit culpa vel imperitia librariorum. Quot similes passim occurrunt errores in subscriptionibus Conciliorum? Propter quæ tamen non vacillat veritas, & auctoritas Conciliorum.* Alteserra rationis nostræ difficultate præpeditus confugit ad communem, ut apparet, locum, qui quia omni materiæ convenit, nulli convenit. Ut ille suam in communi loco fraudem tegeret, rationem nostram non tam in compendium, quàm in dispendium redegit, & ita proponit, ut sponte videatur se loco communi objicere. Subscriptionum, de quibus agitur, falsitatem ex variis
285 Gregorii Epistolis convinco; ac proinde necesse non est adire Chronologos, qui de tempore uniuscujusque Episcopi tractarint; necesse non est adire Concilia, in quibus variant Episcoporum subscriptiones, quæ tamen ex MM. SS. codicibus sæpenumero corriguntur.

Cap. XXII. Pergit: *Et quòd Joannes Diaconus, qui Gregorio vitam concinnavit ex gestis ejus, & ex Epistolis ejusdem, non meminit istius Epistolæ, qua continebatur privilegium, de quo lis est; Licet non sit oblitus Brunechildis Reginæ, & Theodorici Regis fundatorum, nihil probat: Sufficit enim quòd non negat privilegium, quod haud dubiè legebatur inter Epistolas Gregorii: Sufficit quòd in Epistolis Gregorii nihil falsi, aut suspecti notavit.* O disputatorem egregium, qui ponit id verum, quod saltem in quæstione versatur. Nos in Gregorii Epistolis multa notavimus, quæ privilegii falsitatem demonstrant: *Sine dubio,* inqoit, *Sammedardense privilegium,* quo tempore Joannes Diaconus, Gregorii vitam composuit, *legebatur inter Epistolas Gregorii:* Hoc dici facilè potest, sed probari non potest, cùm ne unus quidem sit ante Joannis Diaconi ætatem manuscriptus Epistolarum Gregorii codex, in quo extet privilegium. Et si extaret, Alteserra posset audiri, nec ego tamen cederem, quia ad asserendam privilegio veritatem id non sufficeret, ut in Epistola nostra notavi. Sed Alteserra quidquid illud est dissimulat.

Cap. XXIII. Paullo pòst pergit: *Ego audacior quàm par sit, quòd non dubitarim defendere privilegium Suessionense, quod falsi damnatur à Cardinali Perronio, & Gretsero: Sed cur illi privilegium damnarunt, nempe* 286
præventi iniquiore sensu hujus privilegii, quasi esset machina à Pontificibus composita ad deponendos Reges. Quid respondeat fortitur. Auctores, de quibus sermo instituitur, non legit. Quo in opere Perronius Sammedardense privilegium Gregorio ut adulterinum abjudicat, Augustodunense laudat, quo probet à Romano Pontifice magistratus, & Reges abdicari posse. Gretserus in eadem est cum Bellarmino circa deponendos Reges sententia, id non semel testatus est, & cum primis in mysterii Plessæani examine capite XLV.

Cap. XXIV. Pergit: Sed pergendo non se tantùm torqueret, quantùm se torquet in iis, quæ ad Romanum Archivum pertinent, si quæ sua sunt defenderet, & mihi κατὰ πόδα responderet. Sic enim hominem urgeo: Sed vir doctus ait: "*Tanta est auctoritas Archivi* "*Romanæ Ecclesiæ, ut nequaquam suspecta sint mo-* "*numenta Pontificum, quæ illic inveniuntur.* cap. ad "audientiam de præscriptionibus. Hæc ille. Sed con- "tradixi his verbis: Non extat nunc Archivum Roma- "næ Ecclesiæ, quod extabat Gregorii tempore, nisi "probet ille Romanam operum Gregorii editionem i- "dem esse, quod erat Archivum Romanæ Ecclesiæ, cùm "Gregorius è vita migravit, & ab eo tempore operibus "nihil, Epistolis nihil inditum fuisse. Probabitne, ca- "pite ad audientiam insertum Gregorii operibus in pœ- "nitentiales Ps. VII. commentarium Gregorii esse, qui "tamen qualis se habet in Romana editione, nec Gre- "gorii est, nec Gregorii potest esse. Nam in isto commentario sunt tria, quæ illud Gregorio Papæ I. abjudicant. Primum est in Psalmi v. versiculo IX. *Nostris* 287
verò maximè temporibus (simonia) *malitia sua vires exercuit, & totam Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbavit. Concitavit enim adversus Ecclesiam Dei non solùm innumerabilem populi multitudinem, verùm etiam regiam, si fas est dicere, potestatem. Nulla enim ratio sinit, ut inter Reges habeatur, qui destruat potiùs quàm regat Imperium, & quoscunque habere potest perversitatis suæ socios, eos à consortio Christi efficit alienos. Qui turpissimo lucri cupiditate illectus, sponsam Christi captivam cupit abducere, & passionis Dominicæ sacramentum ausu temerario contendit evacuare: Ecclesiam, quippe quam sui sanguinis pretio redemptam Salvator noster voluit esse liberam, hanc iste potestatis regiæ jura transcendens facere conatur ancillam. Quantò melius foret sibi dominam suam esse agnoscere, eique religiosorum Principum exemplo devotionis obsequium exhibere, nec contra Deum fastum extendere dominationis, à*

quo sua dominium accepit potestatis. Ipse est enim qui ait, per me Reges regnant: Sed immensa cæcatus cupiditatis caligine, & divino, ut patet, ingratus beneficio, & contra Deum fastuosus terminos quos posuerunt Patres nostri, contempto divino timore transgreditur, & contra Catholicam veritatem sua furore tyrannidis efferatur: in tantum autem sua temeritatem extendit vesania, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrena jus potestatis usurpet.

Alterum est in ejusdem Psalmi versiculum XXVI.
288 *Sunt etiam portæ inferi quadam potestates hujusmodi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, numquid non omnes portæ inferi?* Tertium in pœnitentialis Psalmi VI. procemio sub finem: *Erat autem caput in hoc Psalmo pro membris, Christus pro Ecclesia, virtus pro infirmitate erat, quippe ut non severè judicentur, sed misericorditer exaudiantur. Persequitur etiam hoc tempore schismaticus corpus Christi, impugnat hæreticus Ecclesiam, unitatem infidelis perturbat.*

Hæc autem ad Gregorii Papæ I. Mauritii & Phocæ Imperatorum tempora quid attinent? Siccine Gregorius cum Mauritio agit, dum in libri II. indict. XI. Epistola LXII. ad eum scribit, & de injusta illius lege conqueritur? Siccine agit cum Phoca, dum in lib. XI. Epistola XXXVIII. ad eum scribit? Siccine cum Brunichilde Regina, & Regibus Francorum agit, dum ad eos de extirpanda hæresi simoniaca scribit? Minimè verò. Quæ ex commentario in Psalmos pœnitentiæ descripsimus, omnino spirant ætatem Gregorii Papæ VII. & Henrici IV. Imperatoris, qui graves inter se exercuerunt inimicitias, atque hoc, ut quod omnibus notum sit, nihil est necesse pluribus verbis exponere. Alteserra nunc exclamet, & communes locos pueriliter adhibeat. *Non extitit, inquit Launoius, in hunc diem Archivum Romanæ Ecclesiæ, aut extitisse probatur, quod erat tempore Gregorii. O quàm dira & immanis blasphemia! Quàm atrox injuria infertur Sedi Apostolicæ. Igitur quo casu periere tabulæ Ecclesiæ Romanæ? Omnes gentes, civitates & munici-*
289 *pia habent sua Archiva, monumenta fidei publica, quæ summa diligentia magistratuum cura custodiuntur!* Ex his igitur ut Sammedardense privilegium, sic & commentarium in Psalmos pœnitentiales septem genuina esse Gregorii opera concludet vir dialecticus, siquis unquam fuit.

Cap. XXV. Pergit post aliquam multa quæ de archivis Ecclesiarum andique tam studiosè quàm inutiliter disquisivit. *Gregorii etiam Epistola, qua continetur privilegium Augustodunensis monasterii, non parcit Launoius ne privilegium Suessionense admittere cogatur. Sed ô quàm inhumanum à presbytero, & Theologo non uno telo confodi Gregorium!* Quasi verò sic confodiatur Gregorius, cum subjecta illi fuisse non unum tantùm, sed tria Augustodunensia privilegia demonstrantur! O quam inhumanum, & crudele factum Alteserræ, qui adversario suo tam fœde imponit: Sed imponit, quia eum confutare aliter non potest! O impia necessitas, quæ ad tam perniciosum mendacium compellit!

Cap. XXVI. Pergit: *Falsò potiùs & Augustodunense privilegium, quòd ejus non meminit Joannes Diaconus: Sed tale argumentum nihil probat, quia negativa argumenta non valent.* Alteserra nisi mala fide ageret, argumentum exhiberet meum, quod argumentum quidem negativum est, sed suis adornatum conditionibus affirmativo æquipollet. "Est autem hujusmodi: Porrò "autem de Sammedardensi, & tribus Augustodunen- "sibus privilegiis res ita contigisse mihi videtur. Au- "gustodunensia privilegia hæc post Joannem Diaco-
290 "num, qui ad annum DCCCLXXV. claruit, & ante "Gregorium VII. qui anno M. LXXIII. Romanus "Pontifex creatus est, Gregorio supposita fuerunt. "Post Joannem quidem Diaconum, qui in libris de "vita Gregorii Papæ, Augustodunensium privilegio- "rum mentionem nullam facit, facturus sine dubio, "si Gregorius illa concessisset, si Romanus aliquis E- "pistolarum Gregorii codex istas Epistolas represen- "tasset. Hic auctor putasset Epistolas, in quibus qui "Reges, Sacerdotes, & Judices Gregorianæ constitu- "tioni non obediunt, potestatis honorisque sui digni- "tate privantur, & ab Ecclesiastica communione re- "moventur, Gregorio, & Sedis Apostolicæ rationi- "bus conducere quamplurimum. In silentii hujus cir- "cumspectione, & accurata consideratione totus ha- "bito, & in ea quæ inde ducitur, hæreo commoror- "que sententia: Et ea de re vix dubitabit, qui con- "cinnatam à Joanne ex fragmentis Epistolarum vi- "tam Gregorii meditatè legerit. Argumento huic quia non potuit aptè respondere, illud magna sui parte truncavit, ut responderet quomodo respondentem ostendimus. Quærendus fuit vel unus manu exaratus Epistolarum Gregorii codex, in quo & Sammedardense, & Augustodunensia tria privilegia legerentur. Non quæsivit, ut apparet. Ac proinde argumentum dissimulat potiùs, quàm solvit.

Cap. XXVII. Pergit: *Veritatis præscriptioni sufficit, quòd Gregorius VII. lib. VIII. Epistola XXI. hoc privilegium memorat ex regesto Gregorii, nempe ex Epistola 10. libri* 11. Quasi diceret: Gregorius VII. Clementis ad Jacobum fratrem Domini laudavit Epistolam: Igitur Epistola hæc vera est, quia veritatis præscri- 291
ptioni sufficit, quòd Gregorius Clementis ad Jacobum Epistolam citavit in libri VIII. Epistola XXI. ad Herimannum Metensem Episcopum. Quæ Alteserra hic scriberet, tam confidenter & tam prælicenter non scriberet, nisi more suo dissimulasset, quæ in hanc rem scribo his verbis. "Hoc ergo cap. III. Ad "audientiam. Non est satis provisum, ac præcautum "Alteserræ perfugium. In hoc capite agitur de mo- "numentis censuum, quibus centenaria possessione præ- "scribitur: Non agitur de monumentis veritatis, "cui possessione simili non præscribitur. Tertullia- "nus in libri de velandis virginibus capite I. Ve- "ritati, inquit, nemo præscribere potest, non spa- "tium temporum, non patrocinia personarum, non "privilegium regionum. Matthæus Gribaldus, qui "olim Tolosæ in frequentissimo illo Galliarum "gymnasio jura civilia interpretatus est, in libro "II. de ratione studendi: Cursus, inquit, tempo- "ris non mutat substantiam veritatis. l. sicut falsi, "C. ad L. Cornel. de fal. Tertulliano & Gribaldo "fidem habendam esse majorem quàm Alteserræ, "quis non facilè percipit? Sic parum considerate "adductum est caput, Ad audientiam. Quem verò tanti facit Baronium, consulat ad annum CIX. sect. XI. & ab illo discet, *jura veritatis esse ampliora omni antiquitate: Quippe quæ nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.* Sic quamvis anni sint circiter sexcenti, postquam Gregorius VII. Augustodunense laudarit privilegium, hæc tamen antiquitas efficere non potest, ut quod falsum, vel interpolatum est privilegium, verum at- 292
que integrum esse possit. De temporibus queis Joannes Diaconus Gregorii vitam edidit, adversus Augustodunensia privilegia præscriptionem fiximus. Refigenda est præscriptio, *Cùm instar religionis sit, instrumentis fidem de temporibus asserere,* ut Tertullianus dicit in Apologetici capite XIX.

Cap. XXVIII. Pergit: *Et Gratianus auctor decreti idem refert ex regesto Gregorii in Can. Hinc est etiam,* XVI. *qu.* I. sed quidquid id est, refero ut expendatur: *Hinc est etiam quòd xenodochium atque monasterium, quod in eodem Francorum regno constitutum est, quia per ambitiones, & contentiones quorumdam non canonicè tractabatur, à perversitate malorum liberare cupiens præcepit, ut sine regali provisione, & mona-*

chorum

chorum electione nullus ibi Abbas aliqua unquam ſubreptione introduceretur. Præcepit etiam, ut ejuſdem monaſterii Abbas nunquam ad Epiſcopatum eligeretur, ne forte occaſione Epiſcopatus Abbatia aliquid detrimenti caperet. Quod privilegium ita eſt illius Eccleſiæ, ut communem legem Regibus vel Abbatibus omnino dare non poſſit. Non enim quod uni ſingillatim conceditur, ſtatim omnibus convenit. Alteſerra cum dicit, Gratianum ex Auguſtodunenſi privilegio canonem, *Hinc eſt etiam*, deſumpſiſſe, nos docet tria: Primum, quod Auguſtodunenſe privilegium nuſquam legit, aut ſi quando legit, quid & quale ſit oblitus eſt: Deinde, quòd canonem, *Hinc eſt etiam*, cum Auguſtodunenſi privilegio non contulit. Nam non dicam, ſi seriò, ſed ſi vel oſcitanter contuliſſet, non potuiſſet vere aſ-
293 firmatéque dicere, Gratianum id feciſſe, quod eum feciſſe ſcribit. Canonis verba non ſunt verba privilegii. In canone ne verſus quidem ſunt duo, quos continenter habeat privilegium: In canone dicitur, *quod xenodochium atque monaſterium per ambitiones, & contentiones quorundam non canonicè tractabatur.* Sed iſtud privilegio convenire non poſſe, ſola privilegii lectio demonſtrat. Ubinam privilegium repreſentat, quæ ſequuntur: *Quod privilegium ita eſt illius Eccleſiæ, ut communem legem Regibus vel Abbatibus omnino dare non poſſit. Non enim quod uni ſingillatim conceditur, ſtatim omnibus convenit?* Gratiani verba ſunt, non Auguſtodunenſis privilegii. In Gratiani decreto tam potuit notari Sammedardenſe, quàm Auguſtodunenſe privilegium, ex quo canon excerperetur. Denique, quòd canonem id vocat, quod canon vocari reipſa nec debet, nec poteſt. I. Quia Gratiani opus eſt, non Gregorii Papæ, nec illius quoque, qui privilegium Gregorio ſubjecit. II. Quia in ſecunda ad te Epiſtola ex Baſilio, Photio, & Facundo animadvertimus, canonem non eſſe id, quod ab uno tantum Epiſcopo, ſed quod à communi Epiſcoporum cœtu editum eſt ac promulgatum.

Cap. XXIX. Pergit: *Quòd Damianus loco ſuprà citato queritur de pœna anathematis, quæ decretis Pontificum quaſi ex formula apponi ſolebat, eamque reſpicit quaſi alienam à ſtylo Gregorii, & priorum Pontificum, minimè privilegii utriuſque monaſterii Sueſſionenſis, & Auguſtodunenſis fidem elevat, quia utrumque ſpeciali ratione deſiderabat pœnam excommu-*
294 *nicationis, ut conſuleretur rebus Eccleſiæ, quæ non aliter quàm religionis vinculo tuta eſſe poterant à patronis ſeu fundatoribus potentioribus, quibus Eccleſia inermis par eſſe non poteſt.* Lepidus eſt Alteſerra, qui quæſtionem facti in quæſtionem juris convertit, ut Gregorium primum id feciſſe probet, quod Damianus Gregorium lectis, opinor, illius Epiſtolis non feciſſe tradit. Quis Anteceſſoris dialecticam non miretur? Repetendum eſt Damiani teſtimonium quod ille diſſimulat: *Præterea duo quædam apud Apoſtolicam Sedem frequens uſus obtinuit, quæ ſi prudentia veſtra judicat, ut nobis videtur, omnino digna ſunt corrigi, quia cunctis ferè decretalibus paginis anathema ſubjungitur: Alterum, quia cujuſlibet Eccleſiæ filius ſive clericus, ſive laicus exponere proprii exceſſus Antiſtitis prohibetur. Quorum primum quàm ſit ſalutis immane periculum, & infinitè patens vorago labentium, ac perniciei animarum, clementia veſtra pietas non ignorat. Dicitur enim, quiſquis hæc vel illa non fecerit, ſive certè quiſquis hoc quod ſuperiùs ſtatutum eſt, irritum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema ſit. Ubi notandum, quàm lubrica, quàm præceps ſubitò ruendi illic procuretur occaſio, ut ante quis in æterna mortis barathrum corruat, quàm ſe vel leviter impegiſſe recognoſcat, & ſubſtrata quodammodo tendicula jam pes ejus innectitur, dum ſe liberis adhuc greſſibus ingredi arbitratur.* Et infrà: *Non enim ſecundùm Stoicos omnia peccata ſunt paria, atque idcirco indifferenti ſunt ultione plectenda; ſed juxta modum culpæ temperanda ſemper eſt menſura vindictæ.*

Porrò nec beatus Papa Gregorius, vel cæteri Patres, 295
qui diverſis temporibus in Apoſtolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in ſuis reperiuntur obſervaſſe decretis, & vix eorum aliquando ſtatutis anathema ſubnectitur, niſi cùm Catholicæ fidei clauſula terminatur. Locutúſne eſſet ita de Gregorio, ſi Epiſtolarum Gregorii codices habuiſſent Epiſtolas quatuor, ſeu privilegia quatuor, Sammedardenſe unum & Auguſtodunenſia tria, in quibus pœna duplex, excommunicatio & privatio juris patronatus, aut regiæ poteſtatis continentur? Adduxiſſétne in temperandæ diſciplinæ exemplum Pontificem intemperantiſſimum: Intemperantiſſimum dico, qui pro levi culpa Regem aliquem duplici pœna graviſſima puniret, excommunicatione & privatione juris patronatus, vel regiæ poteſtatis? Ratum ergo fixumque ſit, Romanos Epiſtolarum Gregorii codices, quibus Damianus utebatur, quatuor illas Epiſtolas ſeu privilegia non comprehendiſſe, & Alteſerram argumenti noſtri vim ac robur ſubtilitate falſa effugiſſe.

Cap. XXX. Pergit: *Falſi ſuſpicio obtunditur & Epiſtolæ, quæ continetur & Auguſtodunenſe privilegium, ex eo quòd illa ſcripta eſt Senatori Abbati & Presbytero; quaſi Presbyteros Abbates eſſe non ferret Gregorius. Sed nec, amabo, imponatur Gregorio: Ne Presbyteri ſæculares eligantur in Abbates voluit Gregorius lib. III. Epiſt. 41. quia volebat eos eligi ex monachis profeſſis; ſed ne Abbates eſſent Presbyteri id omnino alienum à jure, & moribus Eccleſiæ, & à mente Pontificis; imò plerumque Abbas erat unicus Presbyter in monaſterio, ut probavi in hunc locum ex Auguſtino & Caſſiano.* Fucum facit aut patitur, cùm Epiſtolæ XI. libri III. eum ſenſum ac- 296
commodat, quem illa ferre non poteſt. “Hoc ut evidenter appareat, rationem meam repeto. Qui Gregorio ſubjecerunt Auguſtodunenſia privilegia duo, In libri XI. Epiſtola X. ad Senatorem Presbyterum & Abbatem, & in ejuſdem libri Epiſtola XII. ad Lupponem Presbyterum, & Abbatem, id fecerunt paullo imprudentiùs. Fraudem detegunt ſuam quia Gregorius nolebat permittere, ut idem eſſet Abbas & Presbyter. Sic enim ſcribit in libri III. Epiſtola XI. ad Maximianum Syracuſanum Epiſcopum: Incongruum eſt unam eandemque Eccleſiæ ſubſtantiam duplici quodammodo jure cenſeri, id eſt, uſurpationis & canonum: Presbyteros, Diaconos, cæteroſque cujuſlibet ordinis Clericos, qui in Eccleſiis quoquo modo militant, Abbates per monaſteria eſſe non permittas: Sed aut admiſſa clericatus militia monaſticis non provebantur ordinibus, aut ſi in Abbatis loco permanere decreverunt, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum eſt, ſi cùm unum ex his pro ſui magnitudine diligenter non poſſit explere, ad utrumque judicetur idoneus: ſicque invicem, & Eccleſiaſticus ordo vitæ monachicæ, & Eccleſiaſticis utilitatibus regula monachatus impediatur. Hoc in loco agitur, quid Gregorius obſervari voluerit, non quid ante Gregorium Auguſtinus, Caſſianus, vel quidam alii Patres, aliis in locis obſervari voluerint, non quid poſt Gregorium obſervatum in Eccleſia fuerit. Qui Gregorio Auguſtodunenſia ſuppoſuit privilegia, hæc accommoda-
vit ad uſum ſui temporis, quo idem Abbatis, & 297
Presbyteri officio fungebatur; non ad Gregorii mentem, quæ nulla fuit unquam evidentior, ut conſtat ex verbis, quæ mox relata vanam eſſe Alteſerræ reſponſionem oſtendunt. Nam factus ſive extra, ſive intra monaſterium Presbyter, Diaconus aut clericus, hunc & Abbatis, & Presbyteri ſeu Diaconi, ſeu Clerici munus ſimul obire non patitur Gregorius. Attendenda eſt Gregorii ratio, quam Alteſerra non attendit, ſed pro more ſuo diſſimulat. Perſiſtit in ea ſententia Gregorius, cùm in libri XV. Epiſtola I. ad Joannem Ravennatem Epiſcopum ita ſcribit: *Pervenit ad me, quòd in*

Eccleſia

Ecclesiæ fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum, aut laïcorum facta sunt: Dumque hi qui sunt in Ecclesiis fingunt se religiosè vivere, & monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur: NEMO ENIM POTEST ET ECCLESIASTICIS OBSEQUIIS DESERVIRE, ET IN MONACHICA REGULA ORDINATE PERSISTERE, *ut ipse monasterii districtionem teneat, qui quotidie in Ecclesiastico ministerio cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc quolibet in loco factum sit emendare festinet; quia ego nullo modo patiar, ut loca sacra per clericorum ambitum destruantur.* Pontifex io hoc totus est, ut credat clerici, & Abbatis officia simul in uno stare non posse. Joannes Diaconus id ita intelligit in libri II. de vita sancti Gregorii capite LIV. *Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi debere jubebat asserens, quia sicut in uno corpore multa membra habemus; Omnia autem mem-
298 bra non eundem actum habent: Ita in Ecclesia corpore secundùm veridicum Pauli sententiam in uno eodemque spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: Neque uni quantumlibet exercitatu persona uno tempore duarum rerum officia committenda sunt, quia si totum corpus oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat: Ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa, & fortitudinem, & venustatem sancta Dei Ecclesia manifestat; & sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum noxium simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.* Et paullo pòst io eandem rem citat duas illas Epistolas, quæ antè citatæ sunt.

CAP. XXXI. Pergit paullo pòst: *Utrumque privilegium post sexcentos annos falsi damnatur: Sed in his quæ sunt facti, antiquioribus ex necessitate rerum humanarum credendum est. Credendum Gregorio VII. qui privilegium Augustodunense laudavit, credendum Gratiano, qui idem in decreti apices retulit in conspectu totius Ecclesiæ Romanæ. Quod opus approbatum est ab Eugenio III. & in scholis publicè legendum propositum, ut legitur apud Philippum Bergomensem in supplem. Chronic. lib.* XI. *ad ann.* M. CXLIX. Si Alteserræ ratiocinatio hæc admittatur, credendum erit veram esse Clementis ad Jacobum Episcopum Hierosolymorum Epistolam, quia Gregorius illam citavit; & tamen Petrus Comestor scholast. hist. in acta Apostol.
299 cap. CI. Gobelinus Persona in Cosmodromii ætate VI. cap. VII. Joannes Turrecremata Card. in Summa de Ecclesia lib. II. cap. CI. Nicolaus Cusanus Card. io libri III. de Concordantia catholica capite II. Joannes Driedo lib. I. de Dogmat. cap. II. part. III. Claudius Espencæus in libri I. de Continentia capite VI. Baronius Card. ad ann. Christi LXIX. Bellarminus Card. in libro de scriptionibus Ecclesiasticis, Jacobus Card. Perronius in capite XXXI. Replicæ, Severinus Binius io notis ad hanc Epistolam, Antonius Possevinus in Apparatu sacro, apocrypham, & supposititiam esse non diffitentur. O virum circumspectissimum Alteserram! Jam suprà cap. XIX. quid de Gratiani decreto sentiendum sit ostendimus. Alteserra fallitur egregiè, cùm putat veritati præscribi posse. Deinde Eugenius III. Gratiani decretum approbavit nusquam, aut publicè legendum proposuit, ut colligi facilè potest ex Vaticano codice, quem Baronius ad annum M. CLI. in medium profert: *Hoc item anno Gratianus Benedictinus collegit ampliori studio librum decretorum, & per distinctiones ac quæstiones rite disposuit. Ita quidem codex Vaticanus habet: Decretum Gratiani monachi S. Felicis Bononiensis, ordinis sancti Benedicti, compilatum in dicto monasterio anno Domini* M. CLI. *tempore Eugenii Papæ III.* Ex his Philippi Bergomensis error deprehenditur, cùm ait ad annum M. CXLIX. *Gratiani decretum ab Eugenio III. approbatum, & in scholis publicè legendum propositum esse*, annis nimirum duobus antequam compilatum esset. Baronius sprevit potiùs, quàm non vidit Bergomensis testimonium. Bergomensis Gratiani æqualis non fuit, nec suppar ætate: 300
vitam deposuit anno M. D. XVIII.

Postremò, *si in his, quæ sunt facti, antiquioribus ex necessitate rerum humanarum credendum est*, ut Alteserra ponit, complures ille fabulas, & maximè très, ut veras recipiet historias, & in auctoritatem admittet.

Prima est, Romanum Pontificem fuisse nomine Cyriacum, qui Pontianum inter & Hyginum anno uno, & mensibus nonnullis sederit, ut tradunt Robertus Autissiodorensis monachus in Chronico, Albericus monasterii Trium Fontium Abbas in Chronico, Martinus Polonus In Chronico, Vincentius Bellovacensis in libri XX. Speculi historialis capite XL. Thomas Cantipratanus in libri II. de apibus capite LIII. Jacobus Genuensis in Legenda Sanctorum XXI. Octobris, Joannes Parisiensis in libri de potestate papali, & regia, capite XXIV. Augustinus Anconitanus in Summa quæst IV. art. VIII. de renunciatione Pontificatus, Albericus Rosate in Dictionario, verbo *Renunciatio*, Joannes Andreas in novella VI. Dominicus à sancto Geminiano, in receptam VI. decret. glossam, Sanctus Antoninus part. III. tit. XXXIII. cap. IV. Joannes Turrecremata Card. in caput, *Quàm periculosum*, Petrus Equilensis Episcopus in libri IX. de Sanctis, capite LXXXVIII. Compilatio Chronologica, Joannes Naucleruş in volum. II. Chronographiæ generat. VIII. Joannes Thewrochius in Chronicis Hungarorum, capite XVII. Antonius Bonfinius in libro V. decadis I. Martyrologium Coloniæ post Lombardicam historiam editum ann. M. CCCC. XC. Joannes Capgravi- 301
us in legenda Sanctorum Angliæ, Silvester Prierias in Summa, verbo *Papa*, Liber sextus decretalium juxta Lugdunensem editionem anni M. D. XX. M. D. L. & M. D. LIII. Romanum Breviarium anno M. D. L. editum in lectione IV. & V. festi undecim mille Virginum, Antonina Cucchus in lib. II. pand. cap. II. Bartholomæus Fumus io Armilla, verbo *Papa*. Lælius Zecchus io libro de Rep. Eccles. num. XXXV. Nicolaus Olahus in historia Attilæ, Hermannus Schombachus in tomo I. de Ursula vindicata, Jacobus Bergomensis, quem extra chronicam seriem statuimus in gratiam Alteserræ, in supplem. Chronic. libro VIII. ad annum CCXXXVII. *Cyriacum Papam Pontiano huic successisse multi ferunt: Sed quia contra Patrum voluntatem Papatui cessit, atque cum undecim Virginum millibus, quas ferè omnes baptizaverat, Agrippinam urbem concessit in Pontificum catalogo positus non est, cum tamen & ipse virgo existens cum Virginibus illis martyrio sit coronatus.* Hic est auctor quem juris Antecessor consultissimè laudat.

Altera est, beatum Germanum Autissiodorensem, cùm ad extirpandam Pelagii hæresim profectus est in Angliam, Regem ob negatum hospitium deposuisse, & porculatorem in ejus locum suffecisse. Hericus Autissiodorensis monachus, qui annis abhinc octingentis claruit, rem ita narrat in libri I. de miraculis S. Germani Autissiod. capite LV. *Hic* (Marcus in Britannia Episcopus)

pus) *multis coram referre solitus erat, Germanum sanctissimum, ut ipsius utar verbis, nationis Apostolum, vice quadam dum Britannias permearet, Re-*
302 *gis palatium cum suis discipulis introisse: Erat tum hyems horrida, nec hominibus solum, verumetiam ipsis bestiis vehementer infesta. Itaque directo ad Regem internuntio, superventura nocti hospitium postulavit. Rex abnuit, atque ut erat & gente, & animo barbarus, negotium floccipendit. Interea Germanus cum discipulis sub dio persistens, cœli inclementiam infractis animis tolerabat. Jamque die in vesperam coacto subulcus Regis regressus à pascuis pensum quotidiani salarii acceptum ex palatio ad proprium tugurium referebat. Is ubi Germanum beatissimum conspexit, brumali horrore cum discipulis tabescentem, appropinquans comminus orat humiliter, ut quis esset, quave ex causa inter algores nimios illic moraretur, ediceret, cúmque nihil certitudinis ex responso percepisset, persona dignitate permotus, Oro, ait, quisquis es, domine, ut parcas corpori, servique tui succedere digneris hospitio, ac demum si qua paupertate mea suppetunt officia, recepiare. Non parum enim interesse video imminentis noctis angustias quantumlibet vili domicilio temperare. Non aspernatus persona qualitatem successit hospitio, & qua sibi à paupero impendebantur obsequia, libens excepit. Erat illi in peculio vacca tantùm & vitulus, conversusque ad uxorem, Hei, non intelligis, ait, quantum susceperis hospitem: Accingere itaque & unicum, qui est nobis, vitulum mactans cœnaturis appone. Dicto illa incunctanter paruit, coctúmque vitulum in mensa componit: Episcopus solito abstinens cæteris esum indicit: Cœna explicita, Germanus mulierem evocat, imperatque ut ossa vitali collecta diligentiùs super pel-*
303 *liculam ejus ante matrem in præsepio componat: Quo facto (mirum dictu) vitulus absque mora surrexit, matrique coadstans pabulum carpere cœpit. Tum ad utrosque conversus Antistes, Salvo, inquit, præmio charitatis, jura hospitii tali interim beneficio compensata recipite: Proventum rei mirabilem collato omnes præconio sustulerunt. In crastinum Pontifex palatium repetit, Regisque ad publicum præstolatur egressum; illum ab intimis procedentem Germanus excipit, atque patenti objurgationi verberum cur sibi pridie hospitium negaverit, severus exquirit. Rex stupore defixus interpuit, virique constantia attonitus à responso defecit. Tum Germanus auctoritate mirabili, Egredere, inquit, & sceptra regni potiori permitte. Illo hæsitante Germanus baculo incunctanter impellens, Egredieris, ait, & sicut definitum constat à Domino, nequaquam deinceps in æternum potestate regia abuteris. Barbarus auctoritatem cœlestem in Præsule Reformidans cum conjuge, & liberis indifferenter egreditur, palatii fores retentare nulla posthac ratione conatur. Jam Germanus uno ex discipulis directo subulcum cum conjuge evocat, atque universo stupenti palatio in regni culmen componit. Ex eo tempore in Hodiernum reges ex subulci genere prodeuntes nationi Britonum dominabantur.* Hoc idem commemorant, qui vitas Sanctorum ediderunt, Jacobus Gennensis, Petrus Equilensis Episcopus, Claudius Rota.

Tertia est, mulierem fuisse nomine Joannam, quæ Leonem IV. Inter & Benedictum III. Romanæ præfuerit Ecclesiæ, ut scribunt Marianus Scotus in Chronic. libro III. ætate VI. Gotfri-
304 dus Viterbiensis in Chronic. parte XX. Martinus Polonus, & Baptista Platina de vitis Pontificum, Wernerus Rollewinkius in fascicolo temporum, Baptista Mantuanus in poematibus, Compilatio Chronologica: sed Alteserræ multorum instar erit Jacobus Bergomensis in supplem. Chronic. libro X. ad annum DCCC. LVIII. *Joannes, inquit, VII. Papa natione Anglicus, post Leonem Pontificem Pontifex factus sedit annis II. & mense V. Hunc tradunt fuisse fœminam, qua adolescens admodum ex Anglia Athenas cum quodam doctissimo amasio profecta, ibidem bonarum artium præceptores audiendo tantùm profecit, ut Romam veniens paucos admodum etiam in sacris literis haberet pares. Ea quippe legendo, disputando, docendo, orando tantam benevolentiam, & gratiam sibi comparavit, ut mortuo Leone prædicto Pontifice, in ejusdem locum, ut multi affirmant, omnium consensu Pontifex crearetur. Verùm postea à familiari compressa gravidatur, & Papa existens peperit. Nam ex Vaticano ad Lateranensem basilicam aliquando ad letanias profecta, inter Coliseum, & sanctum Clementem præter spem doloribus circumventa, sine obstetrice aliqua publicà peperit, & eò loci ab omnibus mortua, ibidem sine ullo honore cum fœtu misera sepulta est: Ad cujus detestandam spurcitiem, & nominis continuandam memoriam in hodiernum usque Summi Pontifices rogationum cum clero, & populo sacrum agentes, cum locum partus medio ejus in itinere positum ut abominentur, eo omisso declinant ad diverticula, vicosque, & sic loco detestabilis postergato reintrantes iter perficiunt, quod cœperunt. Et ad evitandos similes errores statutum fu-* 305
it, ne quis de cætero in beati Petri Sede collocaretur, priusquàm per perforatam sedem futuri Pontificis genitalia ab ultimo Diacono Card. attractarentur.

Hæ autem sunt fabulæ numero tres, quas Alteserra suis innixus principiis ut veras recipiet historias, & in auctoritatem admittet. Ego primam & tertiam confixi in ea ad Carolum Mauritium Tellerium, nunc Remensem Coadjutorem, Epistola, quam habet pars quarta Epistolarum nostrarum: Secundam confixi duobus in locis; in Judicio de Hadriani Valesii disceptatione, ad observationem XXVI. & in Dissertatione de auctoritate negantis argumenti. Sed quoniam illæ fabulæ vix confutari possunt, quin insumatur argumentum negans, juris Antecessor dicet, quod sæpius in libello suo dicit: *Hoc*, inquit, *argumentum nihil probat, quia est à negatione.* Et paullo pòst: *Hoc argumentum, ut & cætera, quæ Launoius ducit à negatione, nihil probant: Argumenta à negatione nihil valent.* Atque ita quæ fabulosa esse affirmamus, ille affirmabit certiora esse, quàm ea quæ apud Sagram: Cyriacum & Joannam mulierem in ordine Romanorum Pontificum collocabit; & Germanum Autissiodorensem id fecisse, quod Hericus monachus narrat, animosè tuebitur.

Cap. XXXII. Pergit, sed post alia: *Nequid argutiarum omittatur in falsi judicio, falsum Launoio videtur Suessionense privilegium, quod in eo Ansericus Suessionensis Episcopus vir Apostolicus dicitur. Verùm, ut istud verbo transigam, nihil est, quòd turbetur Launoius novitate verbi. Apostolici dicti sunt E-* 306
piscopi vel proximi Apostolicorum temporum, quasi discipuli Apostolorum, ut Martialis & alii; vel meritis comparandi, quasi Apostolorum æmuli; vel ut ordine pares, quasi successores Apostolorum. B. Radegund. in Epistola scripta ad Episcopos Galliarum; Dominis meis Ecclesiæ Patribus, & viris Apostolicis quod commendo. Fortunatus lib. V. cap. 2. de Martino Galliciensi Episcopo:

Martino servata novo Gallicia plaude,
Sortis Apostolicæ vir tuus iste fuit.

Hic Alteserræ gratias ago, quòd in confirmando falsi judicio nostro tantopere laboraverit; & hæc est stupenda & mirabilis *ἀκρισία*. Nostrum
" falsi judicium sic se habet: Sed cur tandem An-
" sericum virum de Ecclesia bene meritum dicit?
" Fortasse, quia Ansericus in privilegio appellatur vir
" Apo-

"Apostolicus, quo nomine beatus Gregorius nullum unquam qui viveret & cui scriberet, Episcopum insignivit. Hoc non observavit vir doctus, "ne defenso à se privilegio incommodare videre-"tur. Non est inter Alteserram, & me quæstio, num Episcopi ante, & post Gregorium vocati fuerint viri Apostolici; sed quæstio est utrum Gregorius Papa Episcopum qui viveret, & cui scriberet, aliquando vocarit virum Apostolicum: Vocavit nusquam, & hoc Alteserra confirmat, nullam Gregorii referens Epistolam, nullum Gregorii referens locum, ubi Gregorius Episcopum qui viveret & cui scriberet, virum Apostolicum nuncupaverit. Sic ab Alteserra confirmatum remanet falsi judicium quod Sammedardensi objeceram privilegio.

Privilegii hujus suppostor ante oculos sibi constituerat Marculfi monachi formulas, in quarum
307 nonnullis Episcopi dicuntur viri Apostolici. In concessione Regis ad Episcopale privilegium: *Ille Rex viris Apostolicis, Patribus nostris*, &c. In præcepto de Episcopatu: *Ille Rex viro Apostolico, illo Episcopo*, &c. In indiculo ad Episcopum pro aliis distringendis: *Domino sancto & Apostolico, Domno, & Patri illo Episcopo, ille Rex.* Igitur qui Sammedardense privilegium subjecit Gregorio, Marculfi formulas imitatus, Ansericum Suessionensem Episcopum virum Apostolicum appellavit, & incautus nobis præbuit falsi indicium.

Nunc postquam ostendimus Alteserram loquendo confirmasse superius falsi indicium; ostendendum est, eundem tacendo confirmasse argumenta tria, quæ in Epistola sic propono.

"Hic ut cumulus accedit repulsa, quam Constantina Imperatrix à Gregorio tulit, postulans B. Pauli caput, aut membrum aliud, quod in ejusdem Apostoli basilica Constantinopoli apud palatium ædificata collocaret. Sic enim in libri III. Epistola XXX. ad illam scribit: Serenitas vestræ pietatis, religionis studio, & sanctitatis amore conspicua, propter eam, quæ in honorem sancti Pauli Apostoli in palatio ædificatur, Ecclesiam, caput ejusdem S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius suis ad se jussionibus à me præcepit debere transmitti: Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me ampliùs potuissem gratiam provocare, major me mœstitia tenuit, quòd illa præcipitis quæ facere nec possum, nec audeo. Nimirum quia Romanæ Ecclesiæ mos obtinue-
308 "rat, ne Sanctorum reliquiæ suis ex locis extraherentur. Hæc autem Gregorius scribit ad Imperatricem, cui debebat & jure reipublicæ & privato parere, ut ipse alio in loco dicit. Nonne idem scripsisset ad Brunichildam & Theodoricum, quibus nullo jure simili parere debuit, si ab eo petiissent contraria sacris canonibus privilegia? Gregorius Romana munitus constantia dixisset: *Illa petitis, quæ facere nec possum, nec audeo.* Chalcedonensis synodus, quam ut librum Evangelii veneror, monachos & clericos secundum traditionem sanctorum Patrum, Episcopis submisit: Hos transgredi limites nec possum, nec audeo. Id de canonibus spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia consecratis dixisset, opinor verisimiliùs, quàm quod relata Romanæ Ecclesiæ circa reliquias consuetudine Imperatrici dixit.

"Exinde in Libri XI. Epistola VIII. ad Brunichildam ita scribit: Similiter verò de quodam bigamo requisiti, an ad sacrum ordinem potuisset accedere, juxta canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim ne in vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatur.. An postea quidquid in ejusdem libri Epistola X. ad Senatorem, in Epistola XI. ad Thessaliam, in Epistola XII. ad Lupponem, fieri permittitur, fieri permitteretur à Gregorio, quinetiam ut contra Ecclesiasticum institutum fiat, decerneretur? Minimè gentium. Is non est Gregorius, qui in tam conjunctis Epistolis secum pugnet. Item alibi Alteserra, ne defenso à se privilegio incommodaret, oblitus est observare locum, ubi omnes "Galliarum Episcopi in obtinendum à Gregorio 309
"privilegium consenserunt. Nempe illorum intererat maximè, ut relati suprà Chalcedonensis Concilii canones duo, qui ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente conditi sunt, penitus abolerentur.

Hæc autem argumenta tria, quæ solvere non potuit, prætermisit, & invictam eorum veritatem dissimulatione sua prodidit & asseruit. In duobus primis argumentis Gregorius propriis munitus armis, virtute propria Alteserram ut Pontificiæ æquabilitatis, & constantiæ inimicum eò perniciosiorem, quò tectior est, longè à se propulsat & propellit. In tertio argumento ad id quod fieri nequit, per absurdam complexionem deducitur.

Nunc in gratiam Alteserræ subnectendus est certus quidam catalogus manuscriptorum Epistolarum Gregorii codicum, in quibus Sammedardense non habetur privilegium.

Codex MS. monasterii S. Andoeni Rotomag.
Cod. MS. Carmelitarum Paris.
Cod. MS. Cisterciensis monast.
Cod. MS. Cluniacensis monast.
Cod. MS. Corbeiensis monast.
Cod. MS. Gemeticensis monast.
Cod. MS. Lyrensis monast.
Cod. MS. Mossiacensis monast.
Cod. MS. monasterii S. Petri Carnot.
Cod. MS. Pratellensis monast.
Cod. MS. monasterii S. Remigii Remens.
Cod. MS. Puteanus in bibliotheca Regia.
Cod. MS. Sorbonici Collegii.
Codices duo MSS. Tellerianæ bibliothecæ. 310
Cod. MS. Thuanæ bibliothecæ.
Codices duo MSS. Cœnobii S. Victoris Paris. In horum codicum altero, qui recentissima manu exaratus est, Sammedardense privilegium reperitur, idque ad calcem Regesti Epistolarum Gregorii, huc, ut facilè conjicitur, ex Sammedardensium monachorum officina nuper asportatum.
Cod. MS. Vossii.
Cod. MS. Vallislucensis monast.

Enumeratos illos codices MSS. coacervavit Petrus Gussanvilla, vir solers ac diligens, ut ad illos regestum Epist. Greg. recenseat & recognoscat.

In Vindiciis Gregorianis MSS. codices omnes Angliæ Sammedardensi carent privilegio.

Non dissimiles erunt hac in re codices, qui ex forulis & bibliothecis identidem eruentur, & quò antiquiores erunt, eò magis expertes Sammedardensis privilegii. Jam perspicis, vir sagax atque erudite, quali & quanta licentia, & iniquitate scribat adversarius: *Privilegium istud recèns inventum est, inquit Launoius, exemplaria quotquot sunt ante Gregorium VII. descripta, privilegium istud nesciunt. Verùm ubinam latent illa exemplaria? Siletur, ubinam eadem latuere tempore variarum editionum, quæ per tempora facta sunt, non sine sedula, & anxia veterum exemplarium inquisitione. Nihil probat Launoius, sed omnino negat. Felix qui divinat, quod non didicit, & quod nemo ante eum scivit.* Hæc omnia, tot repræsentatis Epistolarum Gregorii codicibus, qui Sammedardense privilegium nesciunt, velut necessario quodam labefactata motu concidunt, & Alteserræ licentiam,

311 & iniquitatem patefaciunt. Hanc expositionem confutasse est, adeo falsæ sunt, peregrina & insulsa, quæ scribit. Adversus Sammedardense & Augustodunensia privilegia tria præscripseram de silentio Joannis Diaconi omissuri nunquam, quæ ad amplificandam in Galliis erga Reges potestatem Romani Antistitis spectarent; id enim familiare & proprium est iis, qui Romæ de rebus Pontificem quoquo modo attinentibus commentantur. Removenda tunc erat præscriptio, non dicam ostensis pluribus, sed vel uno codice, quæ Sammedardense & Augustodunensia privilegia exhiberet. Alteserra non ostendit. Præscripseram de Petri Damiani non tacentis, sed loquentis Epistola ad Alexandrum II. Ubi privilegia, seu Epistolas quatuor Gregorio abjudicat, propter anathemata quibus ob leve vel nullum peccatum Reges percutiens in Stoïcorum errorem aliàs laberetur. Removenda tunc erat præscriptio, non dicam ostensis pluribus, sed vel uno codice, in quo Gregorius reliquos Principes perinde ut Reges Galliæ tractaret. Alteserra non ostendit. Præscripseram de perpetua, & constanti Gregorii in servandis universalium Conciliorum canonibus. Removenda tunc erat præsciptio, non dicam ostensis pluribus Gregorii, sed vel unica Epistola, ubi Chalcedonensis Concilii canonibus derogasset in perpetuum; & quia derogasset in perpetuum, sine causa ulla derogasset. Alteserra non ostendit. Præscripseram de præstita Imperatoribus obedientia, & exhibita Principibus aliis reverentia. Removenda tunc erat præscriptio, non dicam ostensis pluribus Gregorii Epistolis,
312 sed vel unica, ubi vel Imperatorum obedientiæ, & reliquorum Principum reverentiæ defuisset, quomodo deesse oportuit ut privilegia defenderentur. Alteserra non ostendit.

Cap. XXXIII. Pergit & ita concludit: *Sed incautus homo velim intelligat, se Romanos judices habere, à quibus unico verbo victus est, dum ejus libri damnati sunt, & vetitos inter censiti.* Sic cum Parisiensi Senatu agere poterit: *Incautus Parisiensis Senatus velim intelligat, se Romanos judices habere, à quibus unico verbo victus est, dum ejus consulta damnata sunt, & inter vetitos libros censita, & cùm primis illud, quod contra Joannem Chastellum parricidam factum est.* Sic, inquam, cum Parisiensi Senatu agere poterit, si quando, quod absit, de hocce Parisiensis Senatus consulto malam opinionem animo imbiberit, & parricidæ, quod iterum absit, facinus & doctrinam defenderit, aut alia de causa Parisiensem Senatum aggressus fuerit. Alteserra ut Romanorum judicum quos appellat, emereretur gratiam, à me urgeri sic voluit; nempe noverat me dictum sui simile jam ita repercussisse. Repercutiendi occasio hæc fuit.

Annus circumagebatur millesimus sexcentesimus quinquagesimus octavus, cùm in privilegia Præmonstratensis Ordinis certa de causa inquisivi. Inquirendo privilegia per ea disposui capita, quibus luculenter apparet, Canonicos hujusce Ordinis ab Episcoporum jurisdictione liberos & immunes non esse. Id Fratri Norberto Caillocio Præmonstratensi mirum in modum displicuit, qui Inquisitioni nostræ respondere aggressus est; nec homo impotentissimus temperare potuit, quin atrociter in jura Regis & regni,
313 ac Gallicanæ Ecclesiæ libertates invaderet. Scelus hoc, edita in lucem responsione, pervenit ad eorum notitiam, quorum est prospicere, nequid ex scriptione ulla detrimenti respublica capiat. Interim auctoritate publica damnatur liber ad ignem, & ut auctor interrogationibus Regii Cognitoris responsurus se reciperet in carcerem, decernitur. Caillocius decreto minimè paruit, sed aufugit. Excessit è regno, de me meaque Inquisitione quibus valuit artibus, & machinis apud Romanos censores querimoniam instituit. Censores ut afflicto homini nonnihil impertirent solatii, Inquisitionem nostram prohibitorum librorum Indici adscribunt, cui memoratum Parisiensis Senatus placitum jampridem adscripserant, quo pacto ut olim parricidam, & parricidæ doctrinam vindicarant, sic & Caillocii responsionem vindicarent & comprobarent. Atqui hæc sunt secularia pignerationis jura, quæ secularibus potiùs quàm Ecclesiasticis innutriti negotiis Censores usurparunt. Progressu temporis Caillocius ærumna tædioque affici, & de modo redeundi in Galliam cogitare cœpit. Paginarum numero sex libellum edidit, in quo respondere se dicit *ad ea, quæ illi falsò imposueram.* Sperabat fore, ut culpa sua in me subtiliter rejecta, nec intraret carcerem, nec captivorum tabulis inscriberetur, & tandem absolutus dimitteretur. Dum hæc agerentur, libellus dono viri eminentissimi Achillis Harlæi, qui modò generalis Cognitoris provinciam tanta cum existimatione sustinet, in manus meas ve-
nit; libelli fraudem detexi, eaque detecta, continuò 314
auctor sperare desiit, quod valde speraverat, despondit animum & hastas abjecit. Quod Romani Censores ubi resciissent, antirrheticum meum, qui *Censura responsionis* nuncupatur, Parisiensis Senatus decreto contra parricidam facto confestim in prohibitorio Indice adjunxerunt, rati se misero, & infortunato homini opem ferre aliter non posse. In eam adducti fuerant opinionem, ut putarent me adulatricis Curiæ commodis adversari. Porrò in libris duobus, quos relegatione in prohibitoriam Indicem commendabiles fecerunt, nihil est fere meum præter atramentum & chartam. Reliqua sunt Apostolicæ Sedis præsulum, quorum auctoritates doctoribus Curiæ non semper probantur. Sed noster est hac in re Pius II. ad Carolum VII. Galliæ Regem ita scribens: *Unum à te petimus, charissime fili, ut doctoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuas.* In Basileensi apud Henricum Petrum editione anni M.D.LXXI. Sed in ipsa Censorum officina quærendum nobis est amuletum, quod ne satanas quidem sustineret: Sic autem illud ex tribus compositionis partibus instruitur & adornatur.

Prima pars est decretum provincialis Concilii quod anno M.CC.IX. Henricus Senonensis Archiepiscopus, & comprovinciales Episcopi Lutetiæ celebrarunt. Concilium statuit, ut *certi quidam Aristotelis libri comburerentur, & nequis eos de cætero scribere, legere, vel quocunque modo habere præsumeret.* Hæc apud Rigordum in vita Philippi Augusti.

Altera pars est regularis illa Epistola, quam Gre- 315
gorius IX. ad Parisiensis Academiæ magistros & scholares scripsit anno M.CC.XXXI. Hic Pontifex decretum provincialis Concilii partim confirmat, partim temperat cùm jubet, *Ut magistri artium libris illis naturalibus, qui in Concilio provinciali ex certa scientia prohibiti fuere Parisius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati.* Hæc in tabulis Academiæ.

Tertia pars est ultima ex propositionibus XVII. quas Alexander VII. & Romanæ inquisitionis judices condemnaverunt anno M.DC.LXVI. X. Calend. Aprilis. Ultima propositio hæc sic se habet: *Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Atque hæ sunt partes amuleti numero tres, latiùs explicatæ in priori ad Andream Berruerium Epistola, quam habet pars quinta Epistolarum nostrarum. Sed ut confectum amuletum aptè sumatur, observanda sunt duo: Primùm quòd Gregorii IX. & Alexandri VII. decretis nondum satisfactum est, licèt satisfaciendi summa sit necessitas atque evidens utilitas. Deinde quòd Aristotelis libri nondum examinati, nondum ab omni errorum suspicione purgati, Romæ, Tolosæ, & alibi in scholis

publicis

publicis leguntur, & commentariis illustrantur.
Nunc prohibitorio Indice quid fiet? An non ma-
nifesta sit decretorum Gregorii IX. & Alexan-
dri VII. contemptio, Alteserræ judicandum re-
linquimus. Interim abeat juris Antecessor, cùm ob-
jicit Indicem, in quo non tam notatos quàm lau-
316 datos esse libros nostros verè, & affirmare dici
potest. Abeat, qui ob Sammedardensis privile-
gii, & in eo sancitæ contra Reges nostros pœ-
næ defensionem martyrium exspectat, & ad illud
(quæ hominis religio!) per impactam mihi ca-
lumniam se parat, & sibi puerili allusione ita blan-
ditur: *Si mecum iniquiùs agatur à Launoio, sola-
tii loco est, quòd hæc patior ab homine, qui non
pepercit Dionysio, Magdalenæ, Maximino: Imò laudi
est quòd socius martyrum fio. Et si inter Launoii
trophæa ponor, inter divos me referri sentio, unde sum-
mum beneficium fiet summa injuria.* Hoc epicitha-
risma post fabulam: Ubi nihil præter deliramenta
loquitur.

Fortassis tu cùm perlegeris quæ ad te scribo,
pro ea qua multùm polles judicii acrimonia, cen-
sebis longiorem fuisse me, quàm oportuit; expen-
sis iis, quæ ut aliena & peregrina spernenda, &
obruenda silentio fuerunt. Altesetra *eundem amo-
rem contradicendi sequitur, à quæstionum lineis ex-
cidit, more loquacium potiùs, quàm facundorum, qui
cùm disputare nesciunt, tamen litigare non desinunt.*
Tu cum Hieronymo in dialogo contra Luciferianos
loqueris. Sed ego quoque Hieronymum ibidem imi-
tor, cum sequor Alteserram quocunque ierit. Tu
hæc omnia æqui bonique consule. Nam licèt mul-
ta non feriant scopum quem feriri oportuit, Al-
teserræ culpa fuit, qui sæpiùs à proposito deflexit:
Nihilominus tamen illa ad veritatis alicujus illustra-
tionem conducunt.

Tu modo, vir prudens & sincere, vide, num
jurisconsultus Alteserra fecisset consultiùs Samme-
dardense & Augustodunensia privilegia abjudica- 317
re Gregorio, quàm adjudicare: Suppostoribus,
sacrorum canonum eversoribus, & regiæ digni-
tatis hostibus relinquere, quàm Gregorio sacro-
rum canonum custodi acerrimo, & regiæ digni-
tatis cultori studiosissimo vindicare. Sed cùm Al-
teserra extremis libelli sui verbis acutè prorsus,
& falsè scribit monendum esse me ut abstine-
am Gregorio, ne honore meo priver; ego vi-
cissim illum moneo, ut seipsum curet diligen-
tiùs, & scriptionibus cùm Regi, tum regiæ ma-
jestati injuriosis abstineat, ne (privilegiorum Gre-
gorio subjectorum verbis utar) potestatis digni-
tatisque honore careat, seu privandus esse judice-
tur. Vale Lutetiæ Paris. ann. M. DC. LXX. idibus
Augusti.

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS, Epistolarum PARS OCTAVA.

Joannes Launoius RAIMUNDO FORMENTINO

Parisiensi *Theologo*, Aurelianensis *Ecclesiæ Canonico & Subdecano.*

1 DE Præside Nicæni Concilii non est una auctorum omnium opinio, & eam ob causam postulas, ut quænam sit probabilior, expendam. Retractanda est igitur materia hæc, quæ jam multorum ingenia exercuit; sed an possim quippiam scribere, quod non sit scriptum prius, valde dubito. Hoc tamen quo minus postulationi tuæ satisfaciam, non impedit, quia cum de illustranda veritate agitur, veritas ipsa nunquam dicit: Satis est. In materiæ hujus tetractatu ordinem hunc servabo. Primum quidem, quid de Nicænæ Synodi Præside per varias ætates memoriæ quoquo modo traditum est, referam. Deinde, quid mihi videbitur probabilius, subnectam, examinatis ante nonnullis, quæ examinanda necessario videntur.

I. Nicæna Synodus Alexandrum Alexandriæ Episcopum sibi præfuisse indicat in Epistola, quam Alexandrinæ Ecclesiæ, Ægypti, Libyæ, & Pentapolis habitatoribus scripsit. Verba sunt: *Atque ista decreta ad Ægyptum & sanctissimam Ecclesiam Alexandrinam propriè & separatim referuntur. Quod si aliud præterea quippiam, dum honoratissimus dominus & collega*
2 *& frater noster Alexander unà adest, sancitum & statutum fuerit, ipse utpote qui rebus decisis cum præfuerit, tum communicarit,* ἅτε δὴ καὶ κύριος καὶ κοινωνὸς τῶν γεγενημένων τυγχάνων, *vobis eorum accuratius renuntiabit.* Chrystophorsonus ita vertit ut retulimus; Sirmondus vero ita traducit in versione historiæ Theodoreti: *Id ipse coram tanquam gestorum auctor & particeps accuratius exponet.* At videtur idem esse Concilii auctorem, & præesse Concilio, ut confirmari potest ex Valentiniani & Marciani ad Leonem Papam Epistola, ubi sic habetur: *Tuam sanctitatem principatum in episcopatu divinæ fidei possidentem sacris literis in principio credimus alloquendam, invitantes atque rogantes, ut pro firmitate & statu Imperii nostri æternam divinitatem tua sanctitas deprecetur, ut & tale propositum & desiderium habeamus, quatenus omni errore sublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei catholicæ fiat.* Hic *te auctore* & *te Præside* rem eandem sonant, nec ulla suppetit legitima recusandi ratio.

II. Eusebius Cæsariensis Episcopus, qui Nicænæ Synodo interfuit, Eustathium Antiochenum Episcopum huic quoque Synodo præfuisse significat in libri III. de vita Constantini capite X. & XI. *Die autem,* inquit, *Concilio quo res in controversiam vocatæ dirimerentur, præstituta, singuli parati erant in ipsa media Regalis Palatii aula, quæ amplitudine cæteris facile præstabat, illud celebraturi, ac compluribus sedibus in utroque aulæ latere ordine dispositis, qui erant accersiti, intus præsto fuerunt, & sedem,* 3
quæ quemque decebat, capiebat quisque. Atque cum universus ministrorum Dei conventus ordine decenti collocatus esset propter Imperatoris adventum qui tum erat in exspectatione, omnibus fuit silentium. Et quibusdam interpositis: *Signo vero dato, quod Imperatoris introitum indicebat, consurrexisse omnes dicuntur. Imperator deinde tanquam quidam cœlestis Dei Angelus purpureo vestitu & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens, coruscantibusque illius radiis illustratus, & conspicuo auri lapidúmque pretiosorum nitore pulcro adornatus, per medium consessum intrat.* Et paullo pòst: *Simul atque vero ad summum locum venit, primum in medio conventu erectus constitit; ac cum parva quadam sella ex auro fabricata*

bricata illi esset loco posita, non prius consedit, quam Episcopi ad id innuissent. Idemque omnes post Imperatorem fecitarunt. Episcopus autem, qui in dextro ordine primam sedem occupabat, assurgens, perbrevi oratione Imperatorem affatus est, hymnumque quo Deo omnipotenti ille gratias ageret, recitavit. Hunc autem fuisse Eustathium, ait Theodoretus in libri I. hist. capite VII. *Statim ut sessum est, Eustathius ille magnus, (qui Philogonio, cujus supra mentionem feci, ex hac vita ad aliam meliorem translato, episcopatum Ecclesiæ Antiochenæ obtinuit, quippe hunc Episcopi & Sacerdotes & universus populus Christo deditus communibus suffragiis invitum Ecclesiam illam pro Philogonio pascere coege-*
4 *runt) ille, inquam, Eustathius Imperatorem laudis insignibus ornare, & ei pro singulari studio suo erga res sacras eximia gloriæ præconia tribuere cœpit.*

Ex his ergo facile constant res duæ. Una, Imperatorem, cum ad summam aulæ partem venisset, eo modo sedisse, ut Episcopus illi nullus assideret; scilicet, neque dextrum, neque sinistrum latus ita stiparet, ut inter Antistites duos medius videretur. Altera, Eustathium sedem inter Episcopos primam in ordine dextro tenuisse, primum omnium fecisse verba, & Constantinum Synodi nomine compellasse.

Porro autem multos in Synodo fuisse Præsides testatur idem Eusebius in ejusdem libri III. de vita Constantini capite XIII. *Hic* (Constantinus) *ista Latino sermone, altero eadem interpretante locutus, sermonem omnem deinceps Concilii Præsidibus,* τοῖς τ̃ συνόδου προέδροις, *concessit.*

Eusebium excipit Proclus, beati Joannis Chrysostomi discipulus, qui ad annum Christi CCCCXXXIV. ex Cyziceno factus est Constantinopolitanus Episcopus, in synodicis ad Orientales literis. *Beatissimus*, inquit, *Eustathius, sanctorum Patrum, qui apud Nicæam congregati sunt, primus existens fidem orthodoxam confirmavit.* Hæc apud Facundum Hermianensem Episcopum in libri VIII. capite I.

Proclum sequitur Felix III. qui ad annum CCCCLXXXVI. floruit. Hic autem scribit in Epistola V. ad Zenonem Imperatorem: *Petrus* (Fullo) *primogenitus diaboli filius, & qui sanctæ Antiochenæ*
5 *Ecclesiæ indigne se ingessit, sanctamque sedem Pontificatus Ignatii martyris polluit, qui Petri dextera Episcopus ordinatus est, Eustathiique confessoris & præsidentis CCCXVIII. Patrum, qui in Nicæa convenerant.*

Facundus Hermianensis Episcopus, qui circa tempus Synodi V. floruit in libri XI. capite I. rem totam ita concludit: *Nam beatus Eustathius Antiochenus Episcopus, qui primus in Nicæno Concilio fuit, sexto adversus Arianos libro de eo, quod ait Dominus: Nemo scit diem illum: Dicamus*, inquit, *cujus gratia filius hominis diem proprium adventus ignorat.* Deinde sub finem capitis: *Unde beatus Eustathius, quanquam multos possit talibus dictis offendere, non tamen condemnatur velut Nestoriani auctor erroris; sed honoratur cum multis, & præ multis Patribus tanquam Nicæni Concilii primus existens.* Quem ergo Proclus & Facundus primum omnium Nicæni Concilii Patrem nominant, eundem & Felix præsidentem, seu Præsidem appellat.

III. Athanasius Hosii προεδρίᾳ favere videtur, si potissimum cum Eusebio jungatur, qua parte multos Nicæni Concilii Præsides constituit. Sic autem ille scribit in Apologia ad Constantinum Imperatorem: *Nam de magno & gravissimæ ætatis viro, eodemque confessore Hosio, qui vere Hosius est, id est, sanctus, superfluum arbitror mentionem facere, cum nullus fortasse sit, qui cognitum habeat, cum ab istis quoque in exilium missum esse. Non enim quicquam latere potest in viro illo tam claritudinis. In qua enim Synodo ille* 6
non dux & antesignanus fuit, quam non ille recta tuendo in sententiam suam pertraxit? Quæ Ecclesia illius præsidentia, προστασίας, *non pulcherrima monimenta retinet?* Deinde in Epistola ad solitarios: *Neque quicquam profecimus, quamdiu reliquus est Hosius. Quamdiu enim ille in suis agit, omnes in suis Ecclesiis agere videntur. Potest ille & verbis & auctoritate fidei suæ omnes contra nos inducere. Hic est princeps Synodorum, & siquis scribit, ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit.* Hæc omnia si diligenter examinentur, Nicænæ Synodi προεδρίαν Hosio adjudicant, si repetamus ex Eusebio plures illius Synodi προέδρους, Præsides fuisse. Præterea Eusebius de Hosio in libri III. de eadem Constantini vita capite VII. scribit id, quod huc non immerito referri potest. *Ex ipsis Hispanus unus nominis & famæ celebritate insignis, cum aliis multis in consessu illo adsuit.*

Accedunt Theodoretus & Sozomenus, ille in libri II. hist. capite XV. *Hosius de quo dixi, Cordubæ fuit Episcopus, qui sicut in celebri illo Concilio Nicæno magnam laudem adeptus est, sic & in Sardicensi omnium qui eo conveniebant, facile primas obtinuit.* Hic vero in libri I. hist. capite XV. & XVI. *Itaque à Constantino vehementer laboratum est, ut dissensione de utraque re suscepta Ecclesiam prorsus liberaret. Ac quoniam hoc malum, si modo antequam ad plures manaret, coerceretur, sanari posse existimabat: Idcirco misit virum, quem circa se habebat, fide & vitæ* 7
integritate præstantem, & superioribus temporibus ob varias Christianæ religionis confessiones admodum nobilitatum. Hosium dico Episcopum Cordubæ, qui illis, qui in Ægypto de fide digladiabantur, tum hos, qui in Oriente de festo Paschatis dissentiebant, ad concordiam reduceret. Verum ubi contra quam exspectabat res succederet, & contentio reconciliationem concordiæ impediret, Hosiusque ad pacem faciendam missus re infecta reverteretur, Constantinus indicit Concilium Nicææ urbi Bithyniæ, scribitque ad omnes Ecclesiarum Præsides, ut ad diem constitutum adsint. Sic quæ Athanasius, Eusebius, Theodoretus & Sozomenus de Hosio scribunt, eo spectant, ut eum de Præsidum numero fuisse facile judices.

IV. Vitus & Vincentius Romani Presbyteri interfuisse quidem Synodo, non præfuisse dicuntur ab auctoribus, qui æquales vel ætate suppares fuerunt.

Et primum ab Eusebio in libri III. de vita Constantini capite VII. *Et quanquam urbis illius penes quam Imperium est, Episcopus ingravescente ætate præpeditus abfuit, ejus tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt,* τ̃ αὐτοῦ τάξιν ἀνεπλήρουν.

Deinde à Julio I. in Epistola, quam ad Orientales scribit apud Athanasium in Apologia II. ubi de Marcello Ancyræ Episcopo loquitur: *Sed etiam olim se hujus sententiæ fuisse confirmabat, uti & Presbyteri nostri, quicunque in Nicæno Concilio aderant,* 8
ἐν τῇ κατὰ Νικαίαν συνόδῳ γενόμενοι, *de ipsius recta fide contestabantur.* Quis autem Julium tacuisse crederet, Vitum & Vincentium Concilii fuisse Præsides, si Præsides fuissent?, Idque maxime, cum Sedis Apostolicæ prærogativas disquirat.

Tum à Socrate in libri I. hist. capite V. *Et quanquam urbis illius penes quam Imperium est, Episcopus ingravescente ætate præpeditus abfuit, ejus tamen Presbyteri qui aderant, illius locum suppleverunt.*

Quarto à Sozomeno in libri I. hist. capite XVI. *Constantinus indicit Concilium Nicææ urbi Bithyniæ, scribitque ad omnes Ecclesiarum Præsides, ut ad diem præstitutum adsint. Huic Concilio interfuere ex Episcopis, qui sedes tenebant Apostolicas, Macarius Hierosolymorum Antistes, Eustathius Episcopus Antiochiæ*

Orontem

Orontem fluvium tangentis, Alexander Alexandriæ propter lacum Maraam sita: Julius autem Episcopus Romanus ætate quidem ingravescente præpeditus abfuit; sed Vitus & Vincentius ejusdem Ecclesiæ Presbyteri pro illo adfuere.

Denique à Theodoreto in libri I. historiæ capite VI. *Trecenti decem & octo Episcopi convenerant: Romanus autem propter summam senectutem ipse quidem non adfuit, sed Presbyteros duos misit cum potestate actis assentiendi,* non dicit præsidendi.

His succedunt Romani Pontifices numero tres, Gelasius I. Vigilius, & Pelagius II. qui licet Concilii
9 Præsidum ex parte sedis suæ, siqui fuerant, meminisse debuerint; non tamen meminerunt.

Gelasius in Romana Synodo, quam ad annum CCCCXCIV. de scripturis authenticis & apocryphis habuisse dicitur. Verba sunt hæc, in quibus facienda erat antedicta mentio: *Sancta Romana Ecclesia post illas veteris vel novi Testamenti, quas regulariter suscipimus, etiam suscipi non prohibet, scripturas: Id est, sanctam Synodum Nicænam CCCXVIII. Patrum mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus condemnatus est; sanctam synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit; sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius condemnatus est consensu beatissimi Celestini Papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ sedis Antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato; sanctam synodum Calchedonensem, mediante Martiano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana & Eutychiana hæreses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnata sunt.*

Vigilius in Epistola X. ad universum populum Dei: *Sciant igitur universi nos illam fidem prædicare, tenere atque defendere, quam ab Apostolis traditam, & per successores eorum inviolabiliter custoditam reverenda Nicæna Synodus CCCXVIII. Patrum, sancto Spiritu sibi revelante, suscipiens redegit in symbolum; ac deinde tres aliæ sanctæ Synodi, id est, Constantinopolitana CL. Patrum sub piæ memoriæ Theodosio seniore Principe facta,*
10 *& Ephesina prima, cui beatæ memoriæ Papa Celestinus decessor noster, & Cyrillus Alexandrinus Episcopus præsederunt: Sed & Calchedonensis DCXXX. Patrum sub piæ memoriæ Martiano Imperatore convenit, cuique sanctæ recordationis decessor noster Papa Leo per legatos suos vicariósque præsedit.* Hæc Epistola legitur in Jacobi Sirmondi appendice ad codicem Theodosianum.

Pelagius in Epistola V. ad Episcopos Istriæ: *Nos enim illam fidem prædictam tenemus, & cum omni puritate conscientiæ usque ad sanguinis effusionem defendimus, quam ab Apostolis traditam & inviolabiliter custoditam reverenda Nicæna Synodus CCCXVIII. Patrum suscepit, atque redegit in symbolum: Sed & Constantinopolitana CL. Patrum sub piæ memoriæ Theodosio seniore Principe facta; etiam Ephesina prima, cui præsedit beatæ recordationis prædecessor noster Celestinus Romanæ urbis Antistes, & Cyrillus Alexandriæ Episcopus: Sed & Calchedonensis DCXXX. Patrum, quæ sub piæ memoriæ Marciano Imperatore convenit, cuique sanctæ recordationis Papa Leo per legatos & vicarios suos præsedit.* At si tum, id est, ante Gregorii primi ætatem, Romæ creditum esset, Silvestrum per suos legatos Nicæno præfuisse Concilio, quis in animum induceret suum id à Gelasio, Vigilio, & Pelagio Pontificibus Sedis suæ auctoritati devotissimis sponte prætermissum esse? Nonne personæ, res, tempus, locus exigunt, ut quemadmodum Ephesino Concilio Celestinus & Cyrillus, & Calchedonensi Leo per vicarios
11 suos præsedisse dicuntur; sic & Nicæno Silvester per legatos suos præsedisse diceretur? Nonne omnes hæ circumstantiæ debuissent ab illis Pontificibus Romanis mentionem talem extundere, siquid alias fingeretur subesse, quod eam ultrò non elicuisset? Ut taceretur, non erat, opinor, notius aut certius, Silvestrum per legatos Nicæno præfuisse Concilio, quam Leonem per vicarios Calchedonensi præfuisse Concilio. Qui hoc adferret, quod tamen adferendum esset, omnium ludibrio se exponeret. Bene ac sapienter Plinius scripsit in Epistola XVII. *Præterea faciendi aliquid vel non faciendi vera ratio cum hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum conditione mutur.*

Cæterum ut cumulus accedunt recens creati Pontifices illi omnes, qui post sextam Synodum & ante Carolum Magnum emiserunt fidei professionem, quam habet vetus Romanæ Ecclesiæ diurnum. Verba sunt: *Etenim hujus Apostolicæ Traditionis normam inviolabiliter custodiens venerandum sanctorum CCCXVIII. Patrum Concilium, quod in Nicæa sub magno Principe Constantino convenit, Dei gratia revelante, redegit in symbolum, & consubstantialem Patri Filium prædicavit.* Et post alia: *Dehinc secundum Constantinopolitanum adæque sanctum centum quoque quinquaginta Patrum Concilium, sub imperialis memoriæ juniore Theodosio in regia urbe concurrens, quod symbolo deesse putabatur, exposuit, & gratia Spiritus sancti illustrante Deum esse Spiritum sanctum, Patri & Filio consubstantialem co-* 12
adorandum annuit. Et post alia: *Quibus duobus universalibus venerandisque Conciliis tertium generale ducentorum sanctorum Patrum accessit Concilium, quod sub principalis quidem memoriæ Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Celestini Apostolicæ Sedis Antistitis, cum beato Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule, prius in Ephesinam urbem convenit.* Et post alia: *Pro hujusmodi ergo de Incarnatione Dei Verbi regulis explanandis, etiam quartum sanctum sexcentorum triginta Patrum sanctorum Concilium sub augustæ memoriæ Marciano Imperatore in Calchedone concurrit, cui Apostolicus Leo Papa per legatos & vicarios præfuit.* Et post alia: *Hæc igitur sancta atque universalia quatuor Concilia etiam sanctum quintum Concilium venerandum consecutum est, & sub piæ memoriæ Justiniano Principe apud Constantinopolitanam urbem est congregatum.* Et post alia: *Inter hæc veneranda & universalia quinque Concilia etiam sextum Concilium generale centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, quod favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis nostri domni Constantini clementer implente, in urbe regia eo præsidente celebratum est, cui Apostolicæ recordationis Agatho Papa per legatos suos & responsales præfuit.* In hac igitur fidei professione non minus quam in Gelasii Concilio, & in Vigilii ac Pelagii Epistolis tacetur, Silvestrum per suos legatos Nicænæ Synodo præsedisse: Scilicet enunciari vere non potuit, quod Sedis Apostolicæ Traditione nulla fulci- 13
tur. Non enunciatur, Damasum Constantinopolitano Concilio, quod imperante Theodosio seniore habitum est; aut Vigilium Constantinopolitano Concilio, quod imperante Justiniano celebratum est, præfuisse, quia Damasus & Vigilius Conciliis illis per vicarios suos minime præfuerunt: Sic non enunciatur, Silvestrum per suos legatos Nicæno præfuisse Concilio, quia Silvester illi hocce pacto neutiquam præfuit. Enunciatur, Agathonem Concilio sexto per suos legatos & responsales præfuisse, quia revera præfuit. Cur ergo non enunciaretur, Silvestrum per suos vicarios Nicæno præfuisse Concilio, si revera præfuisset?

V. Caroli Magni tempore nonnihil ab Hadriano Papa est factum, ex quo postea non bene accepto præsidendi partes in Hosium, Vitum & Vincentium translatæ sunt, quod sic ostensum imus. Annus Christi agebatur septingentesimus septuagesimus tertius, cum Hadrianus Papa Carolo Regi obtulit sacrorum Canonum epitomen, quæ inscribitur, compendiosa Traditio Canonum Orientalium seu Africanorum;

quæque

quæque primum ab Henrico Canisio edita est in tomo v. antiquarum lectionum. Quod autem hac in epitome ad nostrum institutum pertinet, sic se habet in præfatione Satdicensium Canonum : *Sunt etiam viginti regulæ, quæ per Hosium Cordubensem Episcopum currant, quæ titulantur, tanquam XL. Episcoporum apud Sardicam : Quæ tamen non apud Græcos, sed ma-*
14 *gis apud Latinos inveniuntur. Sciendum autem est hunc Hosium inter CCCXVIII. Patres Nicæni Concilii honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore & Vincentio Presbyteris destinatum.*

Sed causæ & historicæ veritatis interest referre, quid apud Binium Conciliorum editorem Sirmondus in hanc epitomen observaverit. *Non solum*, inquit, *epitomen constat oblatam fuisse Carolo Magno, sed integram collectionem tum Canonum, ex quibus epitome illa deinceps conflata est, tum decretorum etiam Pontificum à Siricio ad Gregorium Juniorem. Denique illum ipsum Carolo datum esse librum, qui codex Canonum à Nicolao Papa dicitur dist. XIX. cap. Si Romanorum : Quique Moguntiæ primum excusus anno MDXXV. in editione postea Parisiensi inscriptus est, codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ. Hoc enim declarant plurima, quæ in Bibliothecis Galliæ visuntur, collectionis hujus exemplaria.* In hoc autem codice veteri Canonum Nicæni Concilii subscriptiones sunt hujusmodi : *Hosius Episcopus civitatis Cordubensis, provinciæ Hispaniæ dixit : Ita credo. Victor & Vincentius Presbyteri pro venerabili viro Papa & Episcopo nostro sancto Silvestro subscripsimus, ita credentes.*

Alexander Alexandriæ magnæ. Hunc proximè sequuntur Episcopi provinciæ Ægypti, Thebaidos & Libyæ.

Macarius Hierosolymitanus. Hunc proximè sequuntur Episcopi provinciæ Palæstinæ & Phœnices.

15 *Eustathius Antiochenus.* Et hunc proxime sequuntur Episcopi provinciæ Syriæ Cæles.

At in epitome canonum Apostolicæ quidem Sedis legatus dicitur Hosius ; sed Concilio præfuisse non dicitur : In codice vero Canonum primus quidem subscribit Hosius ; sed Apostolicæ Sedis legatus non dicitur.

Hic Gelasium Cyzicenum cum incertæ sit ætatis, ponendum esse statui, qui in libri II. de actis Nicænæ Synodi capite v. de Hosio, Vitone & Vincentio hæc scribit : *Hosius ex Hispaniis nominis & famæ celebritate insignis, qui Silvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis Presbyteris Vitone & Vincentio cum aliis multis in consessu illo adfuit.* Deinde in cap. XII. *Sancta & magna & generalis Synodus sanctorum Patrum Nicææ congregatorum per beatum & sanctum Hosium Episcopum civitatis Cordubæ in Hispania, tenentem locum Episcopi Romani, cum prædictis ejusdem sedis Presbyteris dixit.*

Photius Constantinopolitanus Episcopus, qui ad annum DCCCLX. floruit, in codice LXXXVIII. Bibliothecæ testatur se Gelasii istius historiam legisse. *Legimus*, inquit, *historiæ formam, Res in Nicæna Synodo gestas ; liber autem divisus est in tres partes. Refert auctor Hosium Cordubæ Episcopum, Vitonem atque Vincentium Romanos Sacerdotes Silvestri Romani Pontificis legatos adfuisse, παρεῖναι :* Gelasius quisquis ille fuerit, & quicunque tandem ante Photium ætate vixerit, dicit quidem Hosium Silvestri locum
16 obtinere, ἐπέχειν, in Concilio, & legatum una cum Vitone & Vincentio adesse, sed præesse non dicit. Aliud est adesse Concilio, aliud præesse, aliud παρεῖναι, aliud προεῖναι. Neque enim omnes, qui adsunt Concilio, præsunt Concilio : Alioqui quot adessent Episcopi, tot Concilii Præsides haberentur.

In libro II. Concilii Nicæni, quod Alfonsus Pisanus edidit, reperiuntur eadem verba, quæ extant apud Gelasium in libri II. capite XII. *Sancta & magna & generalis Synodus in Nicæa congregatorum sanctorum Patrum per beatum & sanctum Episcopum Hosium Cordubæ civitatis provinciæ Hispanicæ, locum tenentem Romani Episcopi, cum prædictis ejusdem sedis Presbyteris, dixit.* At vero, ut jam monuimus, aliud est, locum obtinere, aliud præsidere.

VI. Hosius post Carolum Magnum dici cœpit Nicæni Concilii Præses cum Victore & Vincentio Romanis Presbyteris. In ea est sententia Hincmarus Remensis Episcopus in opusculi contra Hincmarum Laudunensem capite XX. *Cui* (Nicæno Concilio) *ad vicem Silvestri præsederunt Osius, Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius Presbyteri urbis Romæ.*

Hincmarum sequitur Gregorius VII. in apologetici capite III. *Osius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ, ex parte sancti Silvestri Papæ Nicæno Concilio præfuerunt.*

VII. Auxilius, qui Hincmarum inter & Gregorium medius vixit, in opere de ordinationibus à Formoso Papa factis capite XV. Hosium quidem facit 17
Sedis Apostolicæ legatum ; sed Nicæno præfuisse Concilio non dicit : *Iste* nimirum Osius *Cordubensi Ecclesiæ præfuit Antistes, qui quondam Apostolicæ Sedis Apocrisiarius una cum Victore & Vincentio Presbyteris, sancto & magno Nicæno interfuit Concilio.* Et post pauca : *Tu qui Nicæna Synodo præsens affuisti.* Interesse autem & præsentem adesse Concilio, præesse non est Concilio, ut verba ipsa demonstrant.

VIII. Photius Hincmaro æqualis Concilii Præsides facit tres, Alexandrum Constantinopolitanum, Silvestrum & Julium Romanos Pontifices. Qua de re ita scribit in libro de septem Synodis : *Præerant & Alexander, qui sedem CP. obtinebat, & Silvester ac Julius illustres & celebres Romanæ Ecclesiæ Pontifices, quorum tamen neuter interfuit ; sed Bitonem & Vincentium nomine suo uterque pontificatus sui tempore communi congressui adesse voluerunt.* E tribus Præsidibus primum constituit Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum.

IX. Libellus synodicus : *Nicæna Synodo præfuerunt & præsederunt Vitus & Vincentius Presbyteri, locum tenentes Silvestri Papæ Romani, ejúsque successoris Julii.* Hæc Libelli synodici auctor, cujus incerta est ætas.

X. Leo Papa IX. in literis, quas circa annum M. LIII. scripsit ad Michaelem Constantinopolitanum Episcopum, duos tantum facit Nicænæ Synodi Præsides, Victorem & Vincentium, Romanæ Ecclesiæ Presbyteros. Verba sunt : *Cui* (Nicæno Concilio) 18
præfuerunt Victor & Vincentius Romani Presbyteri. Hosium Cordubensem Episcopum prætermittit, ratus eum ex parte sedis suæ Concilio non præfuisse : Et revera prætermissionis istiusmodi alia causa nulla proferri potest.

XI. Georgius Cedrenus Concilii Præsides quinque primarum sedium Episcopos facit in compendio historiarum : *Præerant ei* (Concilio) *Silvestri Papæ Romani locum tenentes Vitus & Vincentius Presbyteri, Metrophanes Byzantii, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, & Macarius Hierosolymorum Episcopi.*

XII. Nicephorus Callistus in libri VIII. hist. capite XIV. quæstionem ita tractat, ut nullus ante pari modo tractaverit : *Romæ Julius, Constantinopoli Alexander Apostolicas Sedes tenuerunt ; & Romanus Antistes propter decrepitam ætatem, Constantinopolitanus vero propter imbecillitatem in sedibus suis remanserunt : Sed eorum nomine bini Presbyteri missi sunt à Julio quidem Vitus & Vincentius ; ab Alexandro autem duo alii & vita & eruditione plurimum excellentes.*

Habebant

Habebant ii ab illis mandatum & cautionem, ut in conventu illorum locum obtinerent.

XIII. Nilus Metropolita Rhodius in libello de Synodis: *Præerant Synodo* (Nicænæ) *Silveſter Romæ, Alexander Conſtantinopolis, Alexander Alexandriæ, Euſtathius Antiochiæ, & Macarius Hieroſolymorum Epiſcopi.* Hæc ille ad annum MCCCXL.

19 XIV. Baronius ad annum CCCXXV. & Bellarminus in libri I. de Conciliis capite XIX. Hincmarum & Gregorium VII. cupide ſequuntur, aliique qui ex Baronii & Bellarmini commentariis ſapiunt. Hincmarus ad annum DCCCLX. claruit, qui à Nicæni Concilii celebratione quingenteſimus trigeſimus quintus eſt. Gregorius Romanam capeſſiit Eccleſiam ad annum MLXXIII. qui ab eadem Concilii celebratione ſeptingenteſimus quadrageſimus octavus eſt. In *inſtrumentis religionis inſtar eſt fidem de temporibus aſſerere*, ut docet Tertullianus in Apologetici capite XIX.

Atqui hæc ſunt, quæ de variis Nicænæ Synodi Præſidibus collegimus, quæque velut in chronicam ſynopſim mittenda eſſe tibi propoſuimus. Hoc enim pacto longe facilius erit judicium, ac certius, quod optas à nobis interponi.

Et primum quidem ingenue fatendum eſt, pronunciari certo non poſſe, quinam fuerint Nicænæ Synodi Præſides, ſi quæ omnia retulimus ab initio, univerſim & in averſione conſiderentur. Nam dum ita conſiderantur, ſtatim occurrit opinionum varietas, quam parit ignorantia veritatis. Tertullianus in libri II. ad nationes capite II. *Sane mera ſapientia Philoſophorum, cujus infirmitatem prima hæc conteſtatur varietas opinionum, veniens de ignorantia veritatis.*

Deinde ſciendum eſt, auctores Græcos præſidendi munus non uni tantum, ſed pluribus attribuere. Id
20 conſtat ex Euſebio, qui rerum à ſe ſcriptarum teſtis oculatus fuerat, ac proinde omni exceptione major. Ad Euſebium accedunt Photius, Cedrenus, & Nilus, quorum relata ſunt ante teſtimonia. Inter illos diſcrimen hoc intereſt, quod Euſebius Conſilii Præſides non appellat de nomine, cæteri appellant, & appellantes inter ſe non conveniunt. Nam Photius Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum primum Concilii Præſidem facit; non Silveſtrum, quem Cedrenus & Nilus primum Concilii Præſidem conſtituunt. Nicephorus de iis qui Concilio adfuerunt, loquitur potius, quam de iis qui præfuerunt, niſi forte eos præfuiſſe velit, qui Apoſtolicas Sedes tenuerunt: Quo in caſu Romanus Pontifex Concilii Præſes primus habebitur. Quod in hanc rem de Gelaſio Cyziceno, & de actis Nicænæ Synodi à Piſano editis obſervari poteſt, jam obſervatum eſt.

Tum Latinos auctores, qui poſt Carolum Magnum vixerunt, præſidendi partes in multos tranſtuliſſe, ſed diverſimode: Alios, ut Hincmarum & Gregorium VII. in Hoſium, Victorem ſeu Vitum & Vincentium: Alios, ut Leonem IX. in Victorem & Vincentium, prætermiſſo Hoſio. Dixi, qui poſt Carolum Magnum vixerunt, quia qui ante illum vixerunt, de his Concilii Præſidibus ſilent: Tantum abeſt, ut Hoſium, Vitum & Vincentium Concilii Præſides faciant; immo talem inſtituunt tractandi methodum, qua perſuaſi videntur, nec Hoſium, nec
21 Vitum & Vincentium Romani Pontificis nomine præfuiſſe Concilio. Hinc Julius I. Gelaſius I. Vigilius, Pelagius II. & Pontifices alii conſequentes in fidei profeſſione Concilii Præſides illos non faciunt, quo loco & tempore faciendi erant ac dicendi Præſides, ſi Romanæ Eccleſiæ ita tuliſſet Traditio. Hinc Felix III. & Facundus Euſtathium Antiochenum Concilii Præſidem appellant: *Honoratur*, inquit Facundus, *cum multis & præ multis Patribus tanquam Nicæni Concilii primus exiſtens.*

Nunc examinandus eſt Gelaſii Cyziceni liber, cui à nonnullis pluſquam par ſit, tribuitur auctoritatis. Scriptorem hunc ante Photium à quo laudatur, vixiſſe certum eſt; ſed quanto tempore vixerit, incertum: Quidquid id eſt, in opere ſuo multa tradit, quæ cum in rebus Eccleſiaſticis ignorantiam, tum longe remotam à Nicæna Synodo ætatem ſignificant.

I. In præfatione dicit *Rufinum Presbyterum Romanum fuiſſe, & Nicæno interfuiſſe Concilio. Neque tamen omnia inde habui; ſed ex aliis etiam ſcriptoribus variis, Euſebio Pamphili Epiſcopo Cæſareæ, & Rufino Presbytero Romano, qui etiam ſanctæ illi Synodo interfuerunt.* At Rufinus Aquileienſis erat Presbyter, non Romanus: Quinetiam cum Origenis dogmata Romam detulit, ab Anaſtaſio Papa vocatus eſt ad dicendam cauſam; & cum ſubterfugia quæreret, publico damnatus eſt judicio, nec unquam poſtea in Romanæ Eccleſiæ gratiam rediit. Præterea Nicænæ Synodo non interfuit, nec intereſſe potuit. Hæc quippe Synodus habita eſt anno 22
CCCXXV. & Rufinus anno CCCCX. ex hac vita migravit. Ecce tibi errorum monſtra duo in aditu veſtibuloque operis, quod Gelaſius Cyzicenus compoſuit.

II. In libri I. capite III. & alibi Φραγκῶν, *Francorum* meminit; at nomen iſtud ad Nicænæ Synodi tempus quid attinet? ætatem utique multo recentiorem importat.

III. In libri II. capite V. Euſebii textum interpolat, & legatum Silveſtri Papæ Hoſium facit, eumque Vito & Vincentio Romanis Presbyteris adjungit; at neutrum ſcribit Euſebius. Non veretur Euſebii textum corrumpere, qui de Rufino tam falſa tradere veritus non eſt.

IV. Cum in ejuſdem libri capite XII. dicit *ſanctos Patres Nicææ congregatos fuiſſe ab Hoſio*, contradicit ſanctis ipſis Patribus, qui ad Alexandrinam Eccleſiam ita ſcribunt: *Quoniam Dei gratia, Deoque cariſſimo Principe Conſtantino ex diverſis provinciis & civitatibus nos convocante, magna ſancta Synodus congregata eſt.* Contradicit Euſebio, quem ſequi ſe teſtatur. Sic enim ille ſcribit in libri III. de vita Conſtantini capite VI. *Deinceps igitur Concilium generale tanquam quendam Dei exercitum inſtruens, in unum locum coegit, & Epiſcopos undique per literas honorifice ſcriptas, ut eo maturarent, accivit*; immo vero non Hoſii, ſed alterius ſtudio & hortatu Synodus illa congregata eſt, ut memoriæ prodidit Epiphanius in libri II. contra hæreſes 23
capite LXVIII. *Verum*, inquit, *paullo poſt, Alexandri ſanctiſſimi Alexandriæ Epiſcopi ſtudio & hortatu, beatæ memoriæ Conſtantinus Synodum in urbe Nicæa congregat, ubi Arii dogma poſt ejus mortem damnatum eſt.*

Deinde quod rei ſumma eſt, pugnat ſecum in præfatione ſeu capite I. *Quæ*, inquit, *in ſancta, magna & univerſali Epiſcoporum Synodo ex omnibus, ut ſic dicam, Romani orbis provinciis, & ex Perſide, Dei gratia, & pii ac Deo chari Imperatoris noſtri Conſtantini edicto, Nicææ congregata, pro apoſtolica & orthodoxa fide, contra perverſa & impia impii Arii dogmata: Omnia, inquam, quæ in præclara illa & ſancta Synodo dicta, facta & conſtituta fuerant, jampridem, cum adhuc in paterna domo vitam degerem, legi, cum illa inveniſſem in antiquiſſimo libro in membranis plane integris deſcripta, qui fuit divini & celebris Dalmatii, in illuſtri Cyzicenorum metropoli ſanctæ atque catholicæ Eccleſiæ Archiepiſcopi.* Infra: *Quam ob cauſam fideliſſimus Imperator Conſtantinus numeroſam illam Synodum in urbe Nicæa congregavit.* Sed in libri II. capite XII. dicit auctor quæ ſequuntur: *Sancta & magna & univerſalis Synodus ſanctorum Patrum Nicææ congregatorum per beatum*

& sanctam Hosium Episcopum civitatis Corduba in Hispania, tenentem locum Episcopi Romani, cum prædictis ejusdem sedis Presbyteris, altero ipsam interpretante dixit. Atque ita non tam auctor, quam Synodus pugnantia loquitur, quo nihil est absur-
24 dius, & in sanctam Synodum contumeliosius. Sic per summam inscitiam vel malitiam scripsit Gelasius, Nicænam Synodum ab Hosio congregatam esse; & si nullam hac in re fidem meretur, cur mereretur, cum ait Hosium Romani Episcopi locum tenuisse?

V. In ejusdem libri capite XXVII. inter subscriptiones gravissimi errores offenduntur: *Alexander Alexandriæ Episcopus cum Athanasio tunc Archidiacono,* Concilii gesta misisse dicitur, *Ecclesiis per totam Ægyptum, Libyam & Pentapolim, & regiones finitimas usque ad India provincias.* Et primum quidem id non fecit Alexander; sed ipsa Synodus in Epistola, quæ apud Theodoretum in libri I. hist. capite VIII. sic inscribitur: *Sancta magnaque Dei gratia Alexandrinæ Ecclesiæ, & dilectissimis fratribus per Ægyptum, Libyam & Pentapolim constitutis, Episcopi Nicæam congregati, & magnam sanctamque Synodum celebrantes, in Domino salutem. Quoniam Dei gratia, Deoque carissimo Principe Constantino ex diversis provinciis & civitatibus nos convocante, magna & sancta Synodus Nicææ celebrata est: Necessarium duximus ab universo sacro Concilio, etiam ad vos literas mitti, ex quibus intelligere possitis, quænam in eo proposita & examinata, quænam decreta ac stabilita sint,* & cætera, quibus illa singillatim exponit.

Præterea Athanasium facit *Archidiaconum* qui tunc Diaconus tantum erat. Ita Socrates in libri I. hist. capite V. *Contra istos* (qui Arii opinionem sequebantur) *Athanasius Ecclesiæ Alexan-*
25 *drinæ Diaconus strenue pugnavit.* Ita quoque reliqui auctores, qui quam Athanasius in Nicæno Concilio dignitatem haberet, memoriæ prodiderunt.

Eustathius Antiochiæ Episcopus Concilii gesta misisse dicitur *Ecclesiis in Cælesyria, & Mesopotamia tota, & Cilicia utraque.* Hic non omnes provincias, quæ Antiocheno subjacebant Episcopo, perfecte numerat, cum tamen omnes ex instituto suo numerare velit. Omittit Theodoriadem, Isauriam, Euphratensem, Osrhoenam, & alias, quæ tempore Nicæni Concilii ad Antiochenum Episcopum spectabant. Hæc autem ostendunt Gelasium pro comperto non habuisse, quæ in Nicæno Concilio acta sunt.

Joannes Persa Concilii gesta misisse dicitur *Ecclesiis in tota Persia & magna India.* Et primum quidem non dicitur quis fuerit ille Joannes Persa, an Episcopus, Presbyter, vel Diaconus. Deinde Eusebius non meminit Joannis hujus, qui ex Perside in Concilium venerit; sed Jacobi Nisibeni Antistitis, cujus admirandam historiam Theodoretus confecit. Gelasius Eusebium sequi se præfatur, sed non sequitur, nisi ut eum corrumpat, & aliena falsaque proferat.

Macarius Hierosolymorum Episcopus, cum Eusebio Pamphili Episcopo Cæsareæ Palæstinæ, Concilii gesta misisse dicitur *Ecclesiis in Palæstina, Arabia & Phœnicia:* Ubi Palæstinam, Arabiam & Phœniciam Hierosolymorum Episcopo adsignat; &
26 nihilominus certum est nonnisi post Calchedonense Concilium Palæstinam Hierosolymorum Episcopo subjectam esse. Phœniciam illi adsignat, quæ tunc adsignata non est; sed sub Antiocheno Episcopo remansit.

Alexander Constantinopolis tunc solum Presbyter, postea vero Ecclesiæ illius episcopatum sortitus, Concilii gesta misisse dicitur *Ecclesiis omnium Cycladum insularum.* Baronius in annalibus ex Socrate & Sozomeno evincit, Metrophanem Byzantii Episcopum anno Christi CCCXVII. migrasse, & tunc illi Alexandrum successisse. Theodoretus in libri I. hist. capite I. plane significat Alexandrum fuisse Constantinopolis Antistitem, cum Nicæna Synodus habita est: Nam in capite II. primarios Antistites enumerat, & in illorum serie Alexandrum ponit. *Eodem,* inquit, *tempore Romanæ quidem Ecclesiæ gubernacula tenebat Silvester. Antiochiæ vero post Tyrannum, cum Ecclesiis jam reddita pax esset, episcopatum obtinuit Vitalis. Hierosolymitanam vero sedem post Hermonem sortitus est Macarius, vir sui nominis, id est, beatus, honoribusque omnium cumulo decoratus. At Constantinopoli per idem tempus episcopali munere fungebatur Alexander, Apostolicis quoque donis illustris: Hoc ergo tempore Alexandrinus Alexander, cum Arium videret dominandi cupiditate incensum, coram quos blasphemia laqueis irretierat, privatos conventus impiam ejus blasphemiam Ecclesiarum Præsidibus per Epistolas significavit.*

Deinde in capite III. refert Epistolam, quam ea super re Alexander Alexandrinus Episcopus ad A- 27
lexandrum Constantinopolitanum Episcopum scripsit. Sic inscribitur: *Honoratissimo fratri & unanimi Alexandro, in Domino salutem.* Sub finem Epistolæ: *Quibus refragantes Arius & Achillas; at reliqui cum eis hostes veritatis Ecclesia exturbati sunt, ut aversi à pia doctrina nostra, juxta beatum Paulum qui ait: Siquis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et paullo post: *Istos à fratribus anathemate perstrictos nemo vestrum recipiat; nec eorum dicta vel scripta ferenda putet: hos, inquam, adversantes, unanimes, & dilectissimi fratres, suffragamini nobis adversus furiosam illorum temeritatem, non aliter atque collegæ nostri, qui ægre tulerunt, & ad me contra istos scripserunt, libelloque contra eos edito subscripserunt, quæ & per filium meum Apionem ad vos misi, partim Ægypti totius & Thebaidis, partim Libyæ & Pentapolis & Syriæ, atque etiam Lyciæ & Pamphyliæ, Asiæ, Cappadociæ, & finitimarum circumquaque, quorum exemplo à vobis etiam accepturum me confido.* Hæc ab Alexandro Alexandriæ Episcopo scripta sunt ad Alexandrum, ut apparet, jam Constantinopolitanum Episcopum.

In capite IV. refertur Arii Epistola ad Eusebium Nicomediensem Episcopum. In capite V. Eusebii Nicomediensis Epistola ad Paulinum Episcopum Tyri. In capite VI. referuntur quæ gesta sunt in Nicæno Concilio: *His cognitis sapientissimus Imperator*
primum quidem fontem ipsum malorum obstruere conatus 28
est, atque insignem quendam solertia virum Alexandrum cum literis misit extinguendæ contentionis studio, & spe reducendarum ad concordiam partium. Verum ubi spes eum fefellit, celebre illud apud Nicæam Concilium coegit, venturisque Episcopis, & eorum comitibus, publici cursus asinos, mulas, mulosque & equos utendos indulsit. Postquam autem congregati sunt omnes, qui itineris molestias ferre poterant, ipse quoque Nicæam venit, tum Episcoporum multitudinem videre cupiens, tum pacem inter illos & concordiam componere, statimque omnia illis affatim subministrari jussit. Trecenti decem & octo Episcopi convenerant; Romanus autem propter summam senectutem ipse quidem non adfuit; sed Presbyteros duos misit cum potestate ALTIS assentiendi. Denique in capite XVIII. *Postquam divinus ille Alexander, qui Arium orationis jaculo confixerat (Byzantii Episcopum dico, sic enim Constantinopolis eo tempore vocabatur) ad meliorem vitam excessit, Eusebius impietatis propugnator, paroeciæ functiones, quarum auctor ipsemet cum aliis Episcopis fuerat, Nicomedia protinus relicta Constantinopolitanam sedem invasit, vetante palam canone tum Episcopos, tum Presbyteros ab una civitate in aliam transire.*

His ita relatis ex Theodoreto manifestum redditur,

tur, Alexandrum fuisse jam Constantinopolitanum Episcopum, & Gelasium errasse graviter, cum illum nondum fuisse Episcopum, sed Presbyterum duntaxat scribit.

VI. De Alexandro, seu, Presbytero, seu Episcopo
29 Constantinopolis perinde loquitur, ac si Metropolitæ nulli subjiceretur, cum tamen Nicæni Concilii tempore ab Heracleensi penderet.

VII. Huic Alexandro propriam veluti diœcesim tribuit Cycladum insulas, quæ suum habebant Metropolitam tempore Calchedonensis Concilii, ubi Joannes Rhodi insolæ Metropolitanus legitur.

VIII. Inter Eustathium Antiochenum & Macarium Hierosolymitanum Episcopos tres, Joannem Persam, Leontium Cæsariensem in Cappadocia, & Theonem Cyzicenum interponit. At turbatus ordo ille magnam prodit auctoris indiligentiam. Nicæna Synodus illustriorem locum detulit Hierosolymorum Aotistiti, de quo sic statuitur in can. VII. *Quia consuetudo obtinuit & antiqua Traditio, ut Ælia Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropoli propria dignitate.* Hæc Metropolis erat Cæsarea Palæstinæ, non Cæsarea Cappadociæ, non Persis, non Cyzicus in Hellesponto. Post Calchedonense Concilium Hierosolymorum civitas vetere sua Metropoli superior evasit, & deinceps quinta sedes appellata est.

Hæc autem cum ita sint, si Gelasius rectum credidit Episcoporum qui subscripserunt ordinem, vehementer erravit, ut mox visum est; si vero rectum minime credidit, nec veram Episcoporum qui subscrip-
30 serunt seriem texere voluit, ex ea tunc neque Hosii, neque Alexandri utriusque, neque Eustathii *προεδρεία* ulla colligi potest.

In summa nostræ in Gelasium animadversiones non possunt non efficere, quin illi auctoritas omnis detrahatur; & sane in apocryphis ducendi sunt commentarii, quos Gelasius de actis Nicænæ Synodi conscripsit. Permirum quoque videri potest & debet a nonnullis præstantibus viris factum esse pluris auctorem illum, qui nihili faciendus est. Deinde ratio cur illis sit pluris, invalida est omnino: In Nicæna nempe Synodo Hosium Romani Episcopi vices gessisse, quod etiamsi daretur ut verum, nihil inde solidi colligerent. Nam, ut jam notavimus, aliud est vices gerere Romani Pontificis, atque ita Concilio adesse, aliud præesse.

I. Photius, qui primus omnium vindicat Gelasii commentarios, Nicæni Concilii Præsides facit Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, & Silvestrum ac Julium Romanos Pontifices, & inter istos tres caput est Alexander: Et sic Photius destruit, quod alii ex opere per Photium vindicato astruere volunt. *O quantum est in rebus inane!*

II. Legati quos Silvester ad Arelatense Concilium primum misit, Claudianus & Vitus Presbyteri, Eugenius & Quiriacus Diaconi Concilio huic interfuerunt, non præfuerunt, nec eos præfuisse æqualis vel ætate suppar ullus scriptor unquam asseruit.
31 In Synodica ad Silvestrum Epistola de legatis, vel legatorum *προεδρεία* verbum nullum injicitur. In Arelatensis Concilii II. quod post annos triginta & octo celebratum est, canone XVIII. Marino Arelatensi Episcopo Conclili *προεδρεία* videtur adsignari: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, sub Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium.* Hic Marinus Arelatensis Præsul, sub cujus tempore celebratum est Concilium, in Synodica Epistola primus nominatur: *Dilectissimo Papæ Silvestro Marinus*, &c.

III. Concilio Carthaginensi, quod sextum dicitur, legati Romanæ Ecclesiæ Faustinus Episcopus, Philippus & Asellus Presbyteri interfuerunt, non præfuerunt, ut ex præfatione & subscriptionibus liquet. In præfatione res est hujusmodi: *Post consulatum gloriosissimorum Imperatorum Honorii duodecimum, & Theodosii octavum Augustorum octavo Calendas Junii, scripta hæc sunt Carthagine in secretario basilicæ Fausti, cum Aurelius Papa, una cum Valentino primæ sedis Numidiæ, & Faustino Ecclesiæ Potentinæ primæ sedis provinciæ Italiæ Piceni legato; sed & legatis diversarum provinciarum, Africanarum, id est, Numidiarum duarum, Byzacenæ, Mauritaniæ Sitifensis, & Mauritaniæ Cæsariensis; sed & Tripolis & Vincentio Culucitano, Fortunatiano, & cæteris Episcopis provinciæ proconsularis ducentis decem & septem; necnon Philippo & Asello Presbyteris Romanæ Ec-*
clesiæ cum consedisset, astantibus Diaconibus Aurelius E- 32
piscopus dixit. In editione Græca, quam habet codex Canonum Africanæ Ecclesiæ res eodem modo & ordine describitur.

Ad subscriptiones quod attinet, Aurelius Carthaginensis Episcopus primus omnium subscribit; legati vero Romanæ Ecclesiæ primi subscribunt nusquam.

IV. Discrimen istud agnoscit Leo Papa duabus in Epistolis. Una est XLVII. ad Nicænam Synodum, non an Calchedonensem, ut falso in vulgatis codicibus scribitur: *Amplectendum clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus; quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere: Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere.* Hic duo dicit Leo, præsentiam suam Synodo præbere, & Synodo præsidere, quia qui suam Synodo præbet præsentiam, Synodo non semper præsidet.

Altera est XLIX. ad Marcianum, ubi idem fere repetitur: *Credebamus clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respecta differri ad opportunius tempus sacerdotalem Synodum ju-* 33
beretis, ut vocatis de cunctis provinciis sacerdotibus vere posset esse universale Concilium. Sed quia vos amore catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem & Coepiscopum meum Pascasinum de ea provincia, quæ videretur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, Bonifacio fratri nostro & compresbytero sociato, & his, quos antea miseramus adjunctis, consortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Episcopum. Et post alia: *Quia vero quidam de fratribus (quod sine dolore non didicimus) contra turbines falsitatis non valuere, catholicam tenere constantiam prædictum fratrem & Coepiscopum meum vice mea Synodo convenit præsidere.* Pontifex non est contentus dicere, qui vicem præsentiæ meæ possit implere; sed adjicit, qui vice mea præsideat. Non enim omnis, qui præsens adest Concilio, huic præsidet: Alioqui tot essent Concilii Præsides, quot Episcopi Concilio præsentes adessent. Neque vero sine causa vir prudens & attentus duo hæc conjunxit, quia Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, qui a Silvestro ad Nicænum Concilium missi fuerant, interfuisse Concilio, non præfuisse, probe noverat.

IX. Nicænum Concilium, quod Alfonsus Pisanus edidit, nisi minoris sit, certe majoris non est fidei, quam Gelasii Cyziceni historia. Quapropter de Alfonsi Pisani Concilio quærenda non sunt veterum testimonia, nisi quis velit oleum & operam perdere.
Quo tempore celebrata est Synodus Carthaginiensis 34
sexta, sæculo post Nicænam minus uno, accidit ut

per Ecclesias Christiani orbis præcipuas, acta Nicænæ Synodi, Canones & exemplaria disquirere oportuerit: Sedulo disqaisita sunt, & tum demum aliud inventum est oibil præter ea, quæ apud Rufinum extant. Reliqua magno Christianæ religionis detrimento jam perierant, seu quia plura statim actorum Concilii confecta noo fuerant exemplaria, seu quia quæ confecta fuerant, Arianorum malignitas & perfidia sustolerat. Ad annum igitur Christi CCCCXIX. quo celebrata est Carthaginiensis Synodus, cum ita se res haberet, manifeste apparet, in rerum natura extitisse nondum, qui acta Nicæni Concilii à Pisano editi consarcinasset; sed fuit tandem, qui post optima Ecclesiæ sæcula partim de alieno, partim de suo consarcinaret. Alienum est, quod de veteribus historicis & Patribus decerpsit, habita sæpe rerum & temporum ratione nulla vel exigua; suum vero, quod pro arbitrio libidineque sua commentus est. Sic bonis malisque artibus mixtum opus in lucem prodiit. Sed utrum prodierit ante Photii ætatem, mihi non constat, etiamsi coustet nullam operis hujus mentionem in illius Bibliotheca fieri. Spissi nunc & non necessarii laboris foret indicare singula quæ dispungam. In literis tam mediocriter institutus est oemo, qui quæ sunt auctoris, non facile dignoscat & repudiet. Scio quidem magnos quosdam ætatis hujus viros laudasse Nicænum Pisani
35 Concilium; sed eos facti sui pœnituisse scio. Ceterum Concilii hujus actorum conditor à Gelasio Cyziceno, quæ retulimus, accepit, vel ipsemet commeotus est. Quidquid sit pari modo & intelligi & explicari debent. Juniorem illum esse Gelasio, mihi persuadeo, atque ut mihi persuadeam, duæ me res impellunt. Photius in Bibliotheca meminit Gelasii & operis ab eo compositi; non meminit auctoris gestorum Nicæni Concilii a Pisano editi, aut gestorum istiusmodi. Deinde ad ea, quæ tradit Gelasius, actorum Concilii hujus architectus adjecit multa, quæ si recentior esset Gelasius, notasset, aut notare potuisset.

X. Nunc Nicæni Concilii subscriptiones examinandæ sunt; atque imprimia sciendum est, Nicænum Concilium Græce Latineque editum esse, sed Græco sermone exaratas subscriptiones desiderari. Nullum est repertum adhuc exemplar Græcum, in quo subscriptiones quæ videutur modo, videantur.

Codex Canonum Dionysii ad vetustissima exemplarià recognitus Nicænos Canones habet; sed nec Græcas, nec Latinas subscriptiones habet ullas.

Huic codici similis est hæc in parte Isidori collectio, seu quæ primum edita est a Jacobo Merlino Parisiensi Theologo, seu quæ maouscripta reperitur. Codex Canonum vetus Romaoæ Ecclesiæ, qui anno MDXXV. Moguntiæ prodiit, subscriptiones Latioas exhibet. Joannes Wendelstinus, cujus
36 opera & studio prodiit, manuscripta se aliquot nactum esse dicit exemplaria; sed antiquitatis quantæ fuerint, non dicit. Latinæ subscriptiones istæ transierunt in Conciliorum generalium volumina, quæ post annum MDXXV. typis commendata sunt. Istarum ergo subscriptioonum antiquitas tota ex illo codice pendet.

Cæterum viri docti codicem illum Hadriano Papæ primo consignant; sed unde Hadrianus subscriptiones habuerit, non disquirunt. Utinam isto labore nos levassent, aut certe dixissent, quid ea super re opinarentur. Ad me quod attinet, subscriptiones hæ mihi videntur omnino incertæ, & cur videantur, facit Dionysius, qui Romæ Canones Ecclesiasticos in unum corpus redegit, nec subscriptiones ullas repræsentavit. Deinde facit Isidorus Dionysium secutus, tum defectus Græcorum exemplarium, quæ subscriptiones præ se ferant. Hinc Proclus, Facundus & Felix III. quorum duo primi asserunt, Eustathium Antiochenum in Nicæno Concilio primum omnium fidem confirmasse, tertius trecentorum decem & octo Patrum Præsidem fuisse, quod in has subscriptiones minime quadrat. Eustathius enim non modo post Hosium, Vitum & Vincentium, sed etiam post Antistites provinciarum Ægypti, Thebaidos, Libyæ, Palæstinæ & Phœniciæ, subscribit.

Deinde facit quadringentorum & quadraginta septem annorum spatium, quod inter Nicænam Synodum & Hadrianum intercedit. At diuturnitas lap- 37
susque temporis, qualis est iste, non solum profana, sed etiam sacra inficiens, locum dare solet variis & dubiis rebus, quas imperitum vulgus per otium fingit.

Postremo faciunt subscriptiones ipsæ, quæ perturbatæ non possunt non esse. Nam Palæstinæ Episcopi omnes, nedum Hierosolymitanus ante Eustathium Antiochenum subscribunt, ut interim nihil dicam de provinciarum Ægypti, Thebaidos & Libyæ Episcopis, qui hoc quoque subscribendi jure utuntur, si tamen ita loqui fas est. Quo autem in Concilio subscriptiones reperiuntur hoc ordine dispositæ? Non in Ephesino, non in Calchedonensi, non in aliis posterioribus, ubi Patriarcharum quisque ordine suo subscribit.

Porro hæc omnia quæ notavimus, apud cordatos atque eruditos homines efficiunt, ut ad constituendum in quoquam præsidendi munus, ex hac subscriptionum serie nihil queat rationis comparari, quamvis daretur vicem alicujus in Concilio gerere idem esse, atque præsidere. Quod jam multis de causis displosum est.

XI. Romani Pontifices sunt numero tres, qui de Hosio, Vito seu Victore, & Vincentio locuti non consentiunt inter se, Hadrianus I. Leo IX. & Gregorius VII. Primus Hosium, Victorem & Vincentium ab Apostolica Sede destinatos fuisse scribit, sed præfuisse non scribit: Nam honorabilem locum inter Nicæni Concilii Patres habuisse, non est præsidere: Secundus præsidendi officium Presbyteris tan-
tum attribuit; sed tertius contra Hosio Episcopo & 38
Presbyteris Victori & Vincentio attribuit. Qua vero ratione secundus ab Hosio præsidendi ex parte Silvestri munus excludit, eadem & idem munus à Victore & Vincentio excluderet: Tertius nempe in illis tribus non modo veterum historicorum æqualium, vel supparium patrocinio, sed etiam Sedis Apostolicæ Traditione caret.

Præterea cum Hadrianus destinatum ab Apostolica Sede Hosium fuisse ait, historiæ leges negligit, ut colligitur ex Eusebio, Julio Rom. Pont. Theodoreto & Sozomeno, qui Hosium Vito & Vincentio Romanæ Ecclesiæ Presbyteris non adjungunt. Quæ vero sint Romanorum Pontificum partes in cujuslibet veritatis assertione declarant excellentissimi scriptores duo, Tostatus Abulensis Episcopus, & Cardinalis Baronius. Ille potissimum duobus in locis, quorum primus est in lib. I. Regum cap. VIII, quæst. CCII. *Dicendum, quod statuto Papæ tenentur obedire omnes fideles, quia non potest ei deesse potestas obligandi; & tamen assertioni Papæ circa veritatem quamlibet non tenentur stare omnes fideles, quia potest Papa decipi, & alius eo verius intelligere: Nec obstat si dicas, quod etiam Papa habet determinare circa dubia fidei, Extra de Baptismo & ejus effectu, cap. Majores. Nam Papa non habet majorem cognitionem veritatis quam alii; & tamen quando fieret veritas fi-
dei cognita per viros in lege Dei peritos, & communi
consensu definita, poterit Papa jubere omnibus fidelibus,* 39
quod eam firmiter teneant, quia hoc non pertinet ad cognitionem, sed ad potestatem, & istud non potest facere aliquis alius fidelium. Alter est ibidem in quæst. CCIII. *An in definitionibus negotiorum, & expositione*

sacrarum

sacrarum Scripturarum præponatur auctoritas Pontificum omnibus sanctis Doctoribus Ecclesiæ, vel è contra, & in hoc non recedimus à determinationibus scilicet Sanctorum. Est enim doctrina Gratiani & Juristarum XX. *dist. cap. Decretales. Itaque quod in definitionibus negotiorum præponitur auctoritas Pontificum omnibus sanctis doctoribus, sed in expositione sanctarum Scripturarum, & consequenter in inquisitione quarumlibet aliarum veritatum, tractatores sacræ Scripturæ, ut Hieronymus, Augustinus, & cæteri, sunt præponendi Pontificibus, & hoc innuitur dist.* XX. *cap. De libellis.* Si hoc verum est in rebus, de quibus Tostatus agit, multo verius erit in rebus mere historicis, de quibus tractamus.

Hic vero duobus quoque præsertim in locis. Unus est in apparatu ad Annales Ecclesiasticos: *Quod à recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Alter ad annum DCIV. num. 11. *In his,* inquit, *quæ rerum gestarum veritatem spectant, quam frequenter accidat falli etiam prudentissimos, non in antiquis tantummodo, sed & in iis, quæ facta dicuntur in eodem loco, in quo ipsi sunt, & quo vivimus tempore, cum usus doceat,*
40 *pluribus demonstrare supervacaneum esse putamus, ob idque nihil est, ut quantavis sive sanctitatis, sive doctrinæ cujuslibet prærogativa viri, quod non factum sit unquam, ut factum asseremus, ipsi veritati possit præjudicium inferre, cum in his, quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus, fideique orthodoxæ professor atque defensor aliquando falli.* Et post alia: *Num, rogo te, eminentia superexcellens undique comparata, cumulatáque in aliquo viro efficere potest, ut quod mendacium est, veritas sit, & quod perinde, ac verum ab eo falsum assertum est, recipiatur ab omnibus? Minime gentium dices; sed rejiciendum penitus asseres, ut contrarium historicæ veritati, à quovis allatum firmatumque, ac verum fuerit: Ita quidem jure omnésque prudentes hoc ipsum dicent, ac firmiter profitebuntur.*

His autem ita positis apparet non obscure, quid de Hadriano, Leone & Gregorio dicendum sit, si quid antiquioribus historicis & Patribus ignotum & incompertum affirment. Id vero affirmant, quod antiquiores Romani Pontifices, Julius I. Gelasius I. Vigilius, Pelagius II. & alii usque ad Hadrianum affirmassent, si vere affirmare potuissent: Id affirmarent, quod Eusebius, Theodoretus & Sozomenus tradidissent, si vere tradere potuissent. Hadrianus igitur, Leo & Gregorius ex Tostato & Baronio potuerunt decipi, cum id de quo agitur, ad veritatis inquisitionem pertineat. Deinde Hadriano, Leoni & Gregorio præponendi sunt Eusebius, Julius, Theodo-
41 retus, Sozomenus, Proclus, Felix, Facundus, qui & insuper viciniores fuerunt Concilio, ob idque rerum in eo gestarum intelligentiores.

XII. Hadriani, seu, ut ait in quodam MS. Angilrami Metensis Episcopi epitoma Canonum decepit Hincmarum & Gregorium, qui & seipsos postea deceperunt. Hosium cum Victore & Vincentio, Silvestri legatum cum Hadriano vel Angilramo, perperam crediderunt.

Deinde ex tribus illis legatis Nicænæ Synodi Præsides fecerunt: Error natus ex eo est, quod vetera instituta expenderint ad normam recentium, vel unam eámque immutabilem esse Synodorum omnium formam existimaverint; sed id plane falso. Nonne potest esse una unius Synodi, altera alterius forma & disciplina, cum ut una tantum servetur, lex vetus nulla, nullus Ecclesiæ Canon præcipiat?

XIII. Decreveram ego Photium sine retractatione ulla prætermittere, quod mihi non videatur per ætatem scriptor idoneus: Sed quia Bellarminus & Baronius eum adducunt, ego ne πρόσωπον accuser, adduco. Hoc tamen inter me & alios interest, quod illi faventem adducant, & nocentem prætermittant. Ego & faventem & nocentem adduco, ut quid ei concedendum sit, omnino appareat. Judicent alii quid voluerint, existimo Photium eum esse scriptorem, cui hac in materia nihil pene fidei, nihil tribui auctoritatis oporteat. In multis quos unicuique Synodo Præsides assignat, primum fere semper facit 42
Constantinopolitanum Episcopum. In Nicæna Synodo primum statuit Alexandrum, in Calchedonensi Anatolium, in Constantinopolitana tertia Georgium, in Nicæna secunda Tarasium. Hoc autem quid potest esse cum à veritate rei, tum ab gestis Synodorum illarum alienius? Sic exposuisse Photium confutasse est.

XIV. Cedrenus & Nilus cum Photio concordant, ubi multos Nicæni Concilii Præsides constituunt; sed ab eo discordant, cum primo in loco Romanum non Constantinopolitanum Episcopum ponunt; & graviter errant cum præsidendi munus quinque primarum sedium Episcopis attribuunt. Primorum Conciliorum historiam ignorant, & ignorantiæ hujus argumentum est certissimum in Constantinopolitana Synodo prima, cui præfuisse Damasum testantur: At qua ratione præfuisset illi Synodo, cui nec per se, nec per legatos interfuit?

XV. Examinatis & rejectis, quæ mihi visa sunt inveniendi asserendique veri regulis minus probabilia, expono, quæ retentis iisdem regulis probabiliora mihi videntur.

Et primum quidem cum Eusebius testis idoneus & locuples, quia oculatus, multos fuisse Nicænæ Synodi Præsides προέδρους testetur, inveniendi asserendique veri leges inducunt me, ut credam multos Nicænæ Synodi Præsides fuisse. Tum Præsides illos fuisse Alexandrum Alexandrinum Episcopum, Eustathium Antiochenum, & Hosium Cordubensem: Alexandrum quidem significante ipsa Nicæna Syno- 43
do, cujus verba loco suo retulimus. Et sane quemadmodum assererem, Vitum & Vincentium Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Nicæno præfuisse Concilio, si ii ut Alexander κύριος τῶν γενομένων dicitur, ita dicerentur κύριοι τῶν γενομένων. Sic & ego asserere non dubito Alexandrum Nicæno præfuisse Concilio, quia ille ab eo dicitur κύριος τῶν γενομένων, Eustathium vero, habita ratione eorum quæ de illo Eusebius, Proclus, Felix III. & Facundus literis prodiderunt. At si de Vito & Vincentio prodidissent similia, quis eos Nicæno præfuisse Concilio negaret? Hosium denique, quia suadet Athanasius, Sozomenus & Theodoretus suffragantur: Et siquæ de Hosio scribunt Athanasius, Sozomenus & Theodoretus, de Vito & Vincentio scriberent, concederem in eorum sententiam, qui Vitum & Vincentium Nicæno præfuisse Concilio docent; Hosium vero præfuisse cum propter celebritatem nominis, tum propter exanthlatos satagente Constantino in defensione fidei labores, qui vix exprimi possunt, non propter Romani Episcopi vices, quas Eusebius, Julius, Sozomenus, & Theodoretus, Vito & Vincentio duntaxat impertiunt.

Romana Ecclesia hoc in præsidendi munere nihil sibi vindicat per Antistitum suorum Traditionem, quæ à Constantini ætate usque ad Caroli Magni tempus decurrit. Hoc præsidendi munus in præteritis reliquerunt Gelasius, Vigilius, Pelagius II. & alii in professionibus fidei, quas ediderunt; ubi tamen 44
relinquendum non erat, si vere relinqui nequisset: Id premo, id urgeo, in eo securus habito.

Præterea Tertullianus in auxilium veritatis succurrit quatuor in locis: Primus est in libri de præscriptione hæreticorum capite XXXI. *Sed ab excessu revertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis disputandam.* Et paullo post: *Ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum & verum, quod*

sit

sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Sic dominicum & verum est, quod de Alexandro Alexandrino Episcopo, Eustathio Antiocheno, Hosio Cordubensi prius traditur: Id extraneum & falsum, quod regnante Carolo & progrediente tempore de Hosii legatione, de Viti & Vincentii, & Alexandri Constantinopolitani προεδρείᾳ immittitur. Tertullianus ibidem pergit: *Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses,* (dicamus opiniones) *quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem.* Hoc in uniuscujusque testimonii examine luculenter ostendimus.

Alter in ejusdem libri capite XXXIV. *Posterior nostra res non est, immo omnibus prior est;* sic Alexandri Alexandrini, Eustathii Antiocheni, & Hosii Cordubensis προεδρεία firmatur, quia prior est omnibus, quæ de Viti, Vincentii & Alexandri Constantinopolitani, & cæterorum προεδρεία dicuntur. Pergit
45 ibidem Tertullianus: *Hoc erit testimonium veritatis ubique occupantis principatum.*

Tertius est in libri contra Hermogenem capite I. *Solemus hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere.* Hic novitiis scriptoribus de Gelasii Cyziceni, de actorum Nicæni Concilii à Pisano editorum, de epitomes Hadriani, vel Angilrami, de Isidori Mercatoris collectionis, de Hincmari, de Photii, Leonis XI. Gregorii VII. Cedreni & Nili posteritate præscribo.

Quartus in libri IV. contra Marcionem capite IV. de instrumento Apostolorum: *Ego meum dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis adfirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* Sic ratio temporis auctoritatem præscribit Alexandri, Eustathii & Hosii προεδρείᾳ, quæ reperitur antiquior; & vitiationem præjudicat Hosio, ut Silvestri Papæ vices gerenti, & Viti & Vincentii προεδρείᾳ, quæ posterior revincitur. Hæc enim omnia Caroli Magni tempus comitantur, ut supra demonstratum est.

Hieronymus succurrit in Epistola ad Pammachium & Oceanum, dum ita novatorem quendam refellit: *Cur post quadraginta annos docere nos niteris, quod ante nescivimus?* Cur similiter Isidorus, Mercator, Hadrianus I. vel Angilramus, Hincmarus, Photius, Leo IX. Gregorius VII. Cedrenus, Nilus, & recentiores post annos quadringentos quinquaginta & eo
46 amplius docere nos nituntur, quod antiquiores auctores nescierunt, quod Sedis Apostolicæ Traditione nulla firmatur? Pergit Hieronymus: *Cur profert in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerant?* Cur pariter Isidorus, Hadrianus vel Angilramus, Hincmarus, Photius & alii proferunt in medium, quod Julius, Gelasius, Vigilius, Pelagius II. & quotque recens creati Pontifices in relatam fidei professionem jurarunt, edere noluerunt, quod Eusebius, Theodoretus, Sozomenus minime tradiderunt? Pergit Hieronymus: *Usque in hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit;* sic usque ad Caroli Magni tempus sine Isidori, Hadriani vel Angilrami, Hincmari, Photii, & aliorum doctrina mundus Christianus fuit, & in Romana Ecclesia Apostolicæ Cathedræ principatus viguit.

Succurrunt Romani Pontifices Celestinus I. & Sixtus III. Ille in Epistola ad Gallorum Episcopos: *Desinat, si ita res est, incessere novitas vetustatem.* Hic in Epistola ad Joannem Antiochenum: *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Sic doctrinæ quæ ad Nicæni Concilii προεδρείας attinet, novitas circa Caroli Magni tempus inducta, desinat incessere vetustatem, quæ apud Eusebium, Julium, Theodoretum, Sozomenum, & alios exaratur: Novitati huic nihil ultra liceat, quia nihil addi convenit vetustati.

Succurrit Bernardus in Epistola CLXXIV. ad Lug- 47
dunenses Canonicos: *Nunquid Patribus doctiores aut devotiores sumus? Periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit; nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omnino diligentiam præteriisse.* Nunquid Eusebio, Theodoreto, Sozomeno doctiores? Nunquid Julio I. Felice III. Gelasio I. Vigilio, Pelagio II. cæteris in relatam fidei professionem jurantibus Sedi Apostolicæ devotiores sumus? Periculose præsumimus quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit; nec vero id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Nicænæ Synodi προεδρείᾳ Hosio Cordubensi, Vito, Vincentio, Silvestri, vicariis asserenda memoratorum Patrum quiverit omnino diligentiam præteriisse.

Succurrit Baronius contra Gelasium Cyzicenum, Hadrianum vel Angilramum, Hincmarum, Photium, Leonem IX. Gregorium VII. Cedrenum & Nilum, & contra seipsum: *Quod à recentiori,* inquit, *auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Hoc pronuntiati genere destruitur quidquid laudati scriptores de Nicæni Concilii προεδρείᾳ monumentis consignarunt suis: Contemni debet, quia sine alicujus antiquioris auctoris testimonio profertur. Adde id quod ille sibi ad annum CIX. num. LI. sumit de veritatis juribus: *Qua nulla plurimorum sæculorum valeant præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.*

Succurrit tandem Bellarminus in argumento, quod 48
in libri III. de Rom. Pont. capite XXIV. ita Joannæ Papissæ objicit: *Non solum Latini, ut Anastasius, Ado, Regino, Lambertus, Hermannus, Abbas Urspergensis, & Otho Frisingensis, sed etiam Græci, qui ante Martinum Polonum scripserunt, ut Zonaras, Cedrenus, Joannes Curopalata, & alii nullam mentionem hujus tam prodigiosæ historiæ inter res ejus temporis faciunt: Quomodo autem credibile est, melius novisse res gestas circa annum DCCCL. Martinum Polonum, qui vixit anno MCCL. quam omnes historicos illos, qui vixerunt anno DCCC. vel DCCCC. vel M.* Bellarminus de silentio auctorum, qui ab anno DCCCLIV. usque ad annum MCCL. claruerunt, contra Martinum Polonum præscribit: Quo plane modo de silentio auctorum omnium, qui ab anno CCCXXV. usque ad annum DCCDXVIII. floruerunt, contra Gelasium Cyzicenum, Isidorum Mercatorem, Hadrianum I. vel Angilramum, Hincmarum, Photium, Leonem IX. Gregorium VII. Cedrenum, Nilum præscribitur; & recte præscribitur, si Bellarminus recte præscribit. Sed cum Bellarminus suo judicio contra Martinum recte præscribere se sentiat, contra auctores, quorum testimoniis Hosio, Vito & Vincentio Silvestri legationem & Concilii προεδρείας asserit, recte præscribere se sentiat necesse est. Neque vero potest contra auctores illos præscribere, quin contra seipsum legationis illius, & προεδρείας assertorem legitime præscribat, alioqui pal- 49
mare argumentum, quo Joannam Papissam à Petri Sede abigit, destruat, & Joannam ad eam Sedem imprudenter revocet.

Athanasius duobus in locis, in Apologia ad Constantium Imperatorem, & in Epistola ad Solitarios, Hosium mire prædicat, & eum Synodorum ducem, antesignanum & Principem appellat: Sed Silvestri Papæ legationem obiisse nusquam dicit, cum dicendi sponte se offerebat occasio. Eusebius, Socrates Eusebii verba in libri I. hist. capite V. repetens, Sozomenus & Theodoretus Hosio nullam ullius in Concilio legationem tribuunt, & exploratæ fidei

nemo

nemo tribuit ante Carolum Magnum, qui anno
DCCLXVIII. regnare cœpit. Eusebius, Julius I.
Socrates Eusebii verba repetens, Sozomenus & The-
odoretus Vitum & Vincentium Romanos Presby-
teros præfuisse Concilio non dicunt, cum dicendi
erat opportunitas. Felix III. præsidendi partes ad-
signat Eustathio Antiocheno Episcopo. Gelasius I.
in Romano Concilio illas præsidendi partes non
adsignat Vito & Vincentio. Vigilius & Pelagius
II. non adsignant in confessionibus fidei, quas e-
dunt: Non adsignant quoque Romani Pontifices,
qui post Synodum VI. in Nicænum & alia Con-
cilia quinque universalia jurarunt. Denique non ad-
signat ullus notæ fidei scriptor, qui ante Carolum
Magnum vixerit. Post Carolum adsignant plures;
sed eos ætas recentior, prolatæ in medium inve-
50 niendi asserendique veri regulæ Tertulliani, Hi-
eronymi, Celestini, Sixti, Bernardi, Baronii, Bel-
larmini à ferendo ea super re testimonio prohibent.

Accedunt duo, vetus Sedis Apostolicæ Traditio,
& contumax in Traditione tali silentium, quo pe-
nitus obruitur quidquid post Carolum Magnum
tradi cœpit, & recentiorum auctorum incon-
stantia. Sunt qui Hosium primum Concilii sub-
scriptorem, & Silvestri legatum faciunt. Sunt
qui legatum neutiquam faciunt. Sunt qui Ho-
sium, Vitum & Vincentium Silvestri legatos faci-
unt: Sed Concilii Præsides non faciunt: Siqui-
dem aliud est legationem obire, aliud præside-
re, sicut aliud est interesse Concilio, aliud præ-
esse. Quod & ratione & exemplis confirmatum est.
Sunt qui Hosium, Vitum & Vincentium Concilii
Præsides faciunt. Sunt qui Vitum & Vincentium
Præsides duntaxat faciunt. Sunt qui primum Præ-
sidem faciunt Alexandrum Constantinopolitanum:
Sunt qui Silvestrum; sed huic adjungunt Constan-
tinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosoly-
morum Episcopos: Et in hoc adhuc non conso-
nant inter se. Ab uno ponitur Metrophanes By-
zantii seu Constantinopolis Episcopus, ab altero
Alexander. Concilii tandem subscriptiones ut ad-
ventitiæ, & cum antiquis institutionibus pugnantes
exploduntur.

Porro autem probationum quæ ex natura facti
hujus, quod in munere præsidendi ad Silvestri le-
gatos pertinet, ducuntur, defectum supplere non
potest juris quæstio: Quæstionem juris appello,
51 quæ ex Scriptura sacra repeteretur. Bellarminus
in libri 1. de Conciliis capite XIX. repetendam
illam esse censuit, idque ex Christi ad Petrum
verbis: *Pasce oves meas.* Ex hac igitur proposi-
tione, *Petrus est pastor ovium Christi*, jus præsi-
dendi Conciliis repetit; sed per accidentis fallaci-
am, in qua non distributum universalis proposi-
tionis affirmativæ prædicatum distribuit, quomodo
distribuendum sibi sumit. Quod fallaciæ genus ut
vitetur in interpretandis Scripturis, Tridentina Sy-
nodus in sessione IV. sic constituit: *Præterea ad
coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo sua
prudentia innixus in rebus fidei & morum ad ædi-
ficationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram
Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sen-
sum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia,
cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scri-
pturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem con-
sensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpreta-
ri audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo
unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra-
venerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à ju-
re statutis puniantur.* Decretum hoc in formam ju-
ramenti professionis fidei sic transiit: *Item sacram
Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & te-
net sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de ve-
ro sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum,
admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem con-
sensum Patrum accipiam & interpretabor.* Ergo pa-
rendum est cum Tridentinæ Synodi decreto, tum ju- 52
ramento professionis fidei, ac videndum quo sensu &
modo sancti Patres verba hæc, *Pasce oves meas*, acce-
perint & intellexerint.

Initium facio ab ipsa Romana Ecclesia, cujus
Clerus verba hæc, *Pasce oves meas*, Carthagini-
ensi Clero ita transcribit inter Cypriani Episto-
las: *Denique & ipse Dominus implens quæ erant
scripta in lege & Prophetis, docet dicens: Ego sum
pastor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis;
mercenarius autem, & cujus non sunt oves propriæ,
cum viderit lupum venientem, relinquens effugit, &
lupus dispergit oves. Sed & Simoni sic dicit: Dili-
gis me? Respondit: Diligo. Ait ei: Pasce oves
meas. Hoc verbum factum ex actu ipso quo cessit,
cognoscimus, & cæteri discipuli similiter fecerunt.* Tunc
Fabianus Romanus Pontifex migraverat, & Cypri-
anus ob ingruentem persecutionem secesserat: Sic
Romanus Clerus ad Carthaginiensem mittit literas,
quibus & fidelium curam commendat, adhibitis Christi
verbis, *Pasce oves meas*, quæ ad constituendum Roma-
num Pontificem Conciliorum Præsidem attinere nihil
possunt.

Ambrosius Ecclesiæ Doctor in libri de dignitate
sacerdotali capite II. Romani Cleri exemplum
sequitur: *Sic certe à Domino ad beatum Petrum di-
citur: Petre, amas me? Et ille: Tu scis quia a-
mo te. Et cum tertio fuisset interrogatus, & trina
responsione fuisset subjectus, repetitum est à Domino
tertio: Pasce oves meas. Quas oves & quem gre- 53
gem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed & no-
biscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscipimus omnes.*
Hic illustris Doctor Ecclesiæ in ea est sententia, ut pu-
tet Christum in Petro cæteris Episcopis, *Pasce oves meas*,
dixisse, & eam ob causam vel omnes Episcopos, vel
eorum nullum Conciliorum Præsidem per hæc verba
fecisse.

Joannes Chrysostomus insignis quoque Ecclesiæ
Magister in libro II. de Sacerdotio, interloquenti
cuidam Basilio, ut eum ad sumendum episcopatum
induceret, opponit locum Joannis, *Pasce oves,
ostensurum suam dilectionem in Christum, si pascat
ejus gregem, cum scriptum sit: Si diligis me, pasce
oves meas.*

Deinde in homilia LXXIII. super Matthæi ca-
put XXIV: *Amas me, Petre?* inquit, *pasce oves
meas. Cum ratio ipsum interrogasset, hoc amoris argu-
mentum esse confirmatis, quod non ad Sacerdotes so-
lummodo dictum est: Verumetiam ad singulos nostrum,
quibus vel minimus ille commissus esse videtur.* Quid
clarius?

Postremo in homilia XXXI. de beato Philago-
nio Episcopo: *Quantum autem sit pietatis argumen-
tum, quod Deus illum tanto magisterio dignum judica-
verit. Audi, Christus excitatus à mortuis quid dicat
Petro: Petre, amas me? Isque respondisset: Tu Do-
mine scis quia amo te. Si diligis me, pasce oves meas.*
Chrysostomus in his tribus locis verba hæc, *Pasce
oves meas*, non solum flectit ad omnes primi & se-
cundi ordinis Antistites, sed etiam significat se cum
in homilia LXXX. ad populum Antiochenum in ho- 54
milia LXXXVII. super Joannem, & in homilia
VI. contra Judæos dixit *Christum Petro per totum or-
bem terrarum contulisse Ecclesiæ curam & præsidentiam*,
intelligere, quod tunc Petrus Ecclesiæ personam
gestaret, & quod Petro dixit, cæteris in Petro
dixerit.

Cyrillus Alexandrinus Episcopus in caput XXI.
Joannis ad illud, *Pasce oves meas: Advenientem
itaque Christus eum acrius urget, utrum se plus iis
diligeret, idque tertio; annuit vero Petrus, ac diligere
se fatetur, sui amoris testem eum citans. In singulis*

autem

autem confessionibus multifariam audit rationales oves sibi cura esse debere; ego vero arbitror (nam abstrusum horum verborum sensum investigandum quoque aio) frustra hac scripta non esse, sed arcani quiddam ac reconditi in se omnino habere. Nunquid cum merito quarit aliquis, quam ob causam Simonem duntaxat interrogat, quid sibi velit istud, Pasce oves meas, & similia: Respondemus igitur divinum Petrum una cum aliis discipulis jam electum fuisse ad divinum apostolatum. Ipse quoque Dominus noster JESUS CHRISTUS *eos nominavit Apostolos, ut scriptum est: sed quia interea dum procederet Judaorum facinus, nonnihil lapsus est; (ingenti quippe formidine captus, divinus ille Petrus ter Dominum negarat:) Ægrum nunc sanat, ternam confessionem loco terna illius negationis flagitat, hanc illi quodammodo opponens, & delicta correctione compensans.* Et paullo pòst: *Quapropter per triplicem beati*
55 *Petri confessionem triplici abnegatione contractum peccatum abrogatur; ex eo vero quod Dominus dicit: Pasce agnos meos, traditi jam et apostolatus renovatio quadam esse censetur, qua delictorum subinde solvit infamiam, & infirmitatis humana delet angustias.* At in hoc tractatu Cyrilli toto ne verbum quidem ullum est, quo jus præsidendi Conciliis Petro vel Petri successoribus tributum à Christo declaretur.

Augustinus Doctor Ecclesiæ in tractatu XLVII. super Joannis Evangelium: *Quomodo ipse animam suam pro nobis posuit, sic & nos debemus ad adificandam plebem, ad asserendam fidem animas pro fratribus ponere. Ideo Petro quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in suo corpore ait: Petre, amas me? Pasce oves meas.* Et paullo pòst: *Ad hoc pertinet, Pasce oves meas, ut ponas animam tuam pro ovibus meis.* Et post pauca: *Tenete ergo quomodo Dominus* JESUS CHRISTUS *& ostium sit & pastor: Ostium pandendo se, pastor intrando per se. Et quidem, fratres, quod pastor est dedit & membris suis, Nam & Petrus pastor, & Paulus pastor, & cateri Apostoli pastores, & boni Episcopi pastores; ostium vero nemo nostrum se dicit, hoc sibi ipse proprium tenuit, qua intrant oves.*

Deinde in libri de agone Christiano capite XXII. rem ita decidit: *Cum ei* (Petro) *dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oves meas.* Augustinus hic loquitur ut ante locutus fuerat Ambrosius.

56 Tum in Psal. CVIII. Intelligendæ, quæ Petrum attinet, scripturæ regulam ita tradit: *Sicut enim quadam dicuntur, qua ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum quem in discipulis habuit: Sicut est, Tibi dabo claves regni calorum, & siqua hujusmodi.* Ut ergo Petrus quando ei dictum est, *Tibi dabo claves regni calorum*, in figura personam gestabat Ecclesiæ, sic & quando ei dictum est, *Pasce oves meas, in figura quoque personam gestabat Ecclesia propter primatum, quem in discipulis habuit.*

Quod & aliter Augustinus significat in libri de pastoribus capite XIII. *Hic unus pradicatur, quia unitas commendatur. Neque enim vere modo ideo tacentur pastores, & dicitur pastor, quia non invenit Dominus, cui commendet oves suas: Tunc autem ideo commendavit, quia Petrum invenit; imo vero in ipso Petro unitatem commendavit: Et multi erant Apostoli, & uni dicitur, Pasce oves meas.* Ecclesiæ Doctor sic exponit verba hæc, *Pasce oves meas*, ut si ex iis jus præsidendi Conciliis pro Romano Pontifice concluditur, pro cæteris Pontificibus necessario concludatur. Quid igitur apud Augustinum Bellarmino fiet?

Leo I. in sermone XIV. de Passione Domini: *Quamvis beato Petro principaliter dicat, Pasce oves meas; ab uno tamen Domino ipsa omnium regitur cura pastorum.* Quis ex hac verborum, *Pasce oves meas*, 57
interpretatione munus præsidendi Conciliis Romano Pontifici assereret?

Mapinius tertius à S. Remigio Remensis Episcopus in priori ad Villicum Papam Epistola, Augustinum in pauca contrahere videtur. *Licet*, inquit, *sancto Petro hoc à Domino dictum legatur, Pasce oves meas, sed ad cunctos, qui sacerdotale funguntur officium, pertinet prasens sententia.* Ex Mapinii sermone idipsum facile est concludere, quod ex omnibus Augustini locis conclusum est.

Venerabilis Beda in caput XXI. Joannis: *Sed prius Dominus quod sciebat interrogat, nec semel, sed iterum ac tertio, utrum Petrus eum diligat: Nec aliud toties audis à Petro, quam se diligi: Nec aliud toties commendat Petro, quam suas oves pasci. Redditur negationi trina trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita prasens: Sic amoris officium fuit pascere dominicum gregem, si timoris indicium, negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi, & subveniendi, & Deo placendi charitate. Contra hoc ergo vigilat toties inculcata vox ista Christi, quos Apostolus gemit sua quarere, non qua* JESU CHRISTI. *Numquid est aliud, Diligis me, pasce oves meas, quam si diceretur, Si diligis me, non te, pascere te, cogita oves meas, & sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quare, non tuam; dominium meum, non tuum;* 58
lucra mea, non tua, ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, seipsos amantes, & catera, qua huic malorum initio connectuntur. Quod vitium maxime cavendum est eis qui pascunt oves Christi, ne sua quarant, non qua JESU CHRISTI, *& in usus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi, cujus amor in eo qui pascit oves ejus, in tam magnum debet spiritualem crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus, & quando cum Christo vivere volumus.* Hic auctor verba hæc, *Pasce oves*, ad eos omnes qui curam habent animarum, extendit: Quo ita posito Bellarminus multo plures haberet Conciliorum Præsides, quam habere vellet.

Leo IV. in Romanæ Synodi capite XXVI. *Quin Dominus pascere & docere nos voluit, & omnibus ministrare, non terrenis lucris vel avaritiis delectari.* In Romana collectione bipartita, Pontifex respectum habet ad Joannis locum, *Pasce oves meas*, eumque ad omnes Episcopos extendit.

Huc pertinet derivata fere ab initio usque ad Joannem XXII. Romanæ Ecclesiæ Traditio, in qua ejusdem Ecclesiæ Episcopus cæteros Episcopos appellat Coepiscopos, hoc est, ut ita dicam, compastores, à compascendis ovibus Christi. Quo ita constituto Episcopi omnes in Bellarmini sententia Conciliorum Præsides contra Bellarminum ipsum forent.

Jam perspicis, opinor, auctorem hunc, ut quod sibi sumpsit lemma confirmet, non modo 59
contra dialecticorum leges, sed etiam contra relatum Tridentinæ Synodi decretum, & professionis fidei articulum, & contra seipsum graviter peccasse.

Interim me recipio penitus ad Gelasium primum, qui cum Synodum bene vel male gestam describit, Præsidis mentionem nullam facit, facturus sine dubio, si ex Traditione Romanæ Ecclesiæ facienda necessario fuisset. Adscribo verba ipsa Gelasii ex Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta Synodus,*

Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, & præcipue Sedes Apostolica non probavit: Per bene gestam Synodum, id est, secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas pro fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, & quam maxime Sedes Apostolica comprobavit. Pontifex Ecclesiasticarum rerum fuit intelligens, & Sedis suæ defensor acerrimus, quas partes Sedes Apostolica in Synodo male gesta non habet, & quas in Synodo bene gesta habet, cupidissime exponit, & de Synodi bene gestæ Præside silet, ratus ad veram Synodi bene gestæ notionem, præsidendi munus nihil attinere. In hoc silentio, quod manifesti sermonis instar est, habito & conquiesco.

60 Hæc est rerum, personarum & temporum conditio, in qua Sedes Apostolica non aliud, opinor, decerneret, quam quod olim per Celestinum & Sixtum III. decrevit. Per Celestinum quidem: *Si ita res est, desinat novitas incessere vetustatem.* Per Sixtum vero: *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.*

Nunc pro acri ingenio tuo dispice, num in tractanda quæstione, quam exigente te tractare aggressus sum, ab illis Pontificum decretis recesserim, necne. Si recessi, improbabilia sunt penitus, quæ probabiliora censui: Si non recessi, ut non recessisse me credo, quæ probabiliora sunt, probabiliora censui, adhibitis inveniendi asserendique veri legibus; & ea sunt minus probabilia, quæ Bellarminus & Bellarmini exscriptores de Nicæni Concilii Præside tradiderunt. Mox dispice num rationes, quas incertis & vanis testimoniis adjiciunt, Theologiæ veræ principia duo sustentent, divinæ legis auctoritas, & Catholicæ Ecclesiæ Traditio, quæ vel maxime agnoscitur, cum divinæ legis auctoritas *juxta unanimem consensum Patrum* intelligitur. Traditionis hujus loco pholosophicas argumentationes invenies, & nihil præterea. Relatum Tridentinæ Synodi decretum, & professionis fidei articulum, necnon & traditam à Gelasio Synodi bene gestæ notionem si amplectuntur, capti sunt; si non amplectuntur, nulli sunt. Nos amplectimur, & ab impressione omni tuti sumus & secure vadimus. Vale, Lutetiæ Paris. Calend. Februarii ann. MDCLXXIII.

Joannes Launoius
RENATO BURGEO
Parisiensi *Theologo.*

61 QUIS Sardicensi Concilio, quod an. CCCXLVII. habitum est, præfuerit, aliunde sciri melius non potest ac certius, quam ex eodem Concilio, & Athanasio, qui ei interfuit, & in cujus gratiam convocatum est. Sic ergo Concilium ad Episcopos scribit apud Athanasium in Apologia secunda: *Cum non semel aut bis, sed iterum atque iterum citati essent,* (Eusebiani) *citationibus non obtemperarunt, tametsi omnes Episcopi simul congregati essent, & imprimis præclara senectute Hosius homo & ob ævi longitudinem & confessionem suam, & ob tantos suos labores omni reverentia dignus, & omnes exspectarent & hortarentur eos, ut in judicium prodirent.* Et quibusdam interpositis: *Citati prodire noluerunt, Hosius ab Hispania, Julius Roma per Archidamum & Philoxenum Presbyteros, Protogenes Sardica.* Deinde ipsemet Athanasius in eadem Apologia idem repetit his verbis, quæ mox retulimus. Quod autem Hosius Julii Papæ vices obierit, nec dicit Concilium, nec Athanasius: Quinetiam eo scribunt pacto, ut Hosium ab illo vicario munere excludant. Id vel leviter perpendenti Concilii Athanasiique textum occurrit. His
62 accedit Theodoretus in libri II. hist. capite XVI. *Hosius, de quo dixi, Corduba fuit Episcopus, qui sicut in celebri illo Nicæno Concilio magnam laudem adeptus est, sic & in Sardicensi omnium qui eo conveniebant, facile primas obtinuit,* id est, præfuit, ut in Concilio & apud Athanasium legitur: præfuisse vero ex parte Julii, veterum omnium, qui sentirent aliter, inveni neminem, nec invenire posse puto.

Præterea Hadrianus Papa primus, vel, ut alii volunt, Angilramus Metensis Episcopus, in epitome Canonum de Hosio ita scribit, ut significet, non credidisse se Hosium fuisse hoc in Concilio legatum Sedis Apostolicæ. *Sunt,* inquit, *etiam* XX. *regula, qua per Osium Cordubensem Episcopum currunt, quæ titulantur tanquam* XL. *Episcoporum apud Sardicam, quæ tamen non apud Græcos; sed magis apud Latinos inveniuntur. Sciendum autem est hunc Osium inter* CCCXVIII. *Patres Concilii Nicæni honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore & Vincentio Presbyteris destinatum.* Hadrianus quidem vel Angilramus dicit, Hosium in Concilio Nicæno fuisse legatum Sedis Apostolicæ; sed non dicit eundem fuisse in Sardicensi Sedis Apostolicæ legatum. Cur autem non dicat id, quod ex occasione data dicendum fuit, alia ratio nulla est, nisi quod tunc temporis id Romæ non crederetur; quemadmodum ex Isidori Mercatoris collectione credi cœpit, Hosium fuisse in Nicæno Concilio Sedis Apostolicæ vicarium.

Libellus synodicus, cujus auctor incertæ ætatis est,
Hosium convocatis Sardicæ Episcopis præfuisse dicit; 63
sed ex parte Julii præfuisse non dicit: *Constans Synodum sanctam Sardicæ indicit metropolim Illyriorum & Dacorum, ut Pauli & Athanasii causam examinaret. In ea convenerunt Roma, ex Hispania, Gallia, Italia, Campania, Africa, Sardinia, Dardania, Macedonia, Thessalia, Pæonia, Mysia, Achaia, Epiro, Thracia, Europa, Asia, Caria, Bithynia, Hellesponto, Phrygia, Pisidia, Cappadocia, Ponto Euxino, Cilicia, Phrygia altera, Pamphylia, Lydia, insulis Cycladibus, Ægypto, Thebaide, Libya, Galatia, Palæstina, Arabia, septuaginta sex primores Episcopi, quibus præerant Hosius Cordubæ Episcopus, Abramius, & Protogenes Sardicæ Archiepiscopus.* Tres auctor facit Sardicensis Concilii Præsides, quorum primus est Hosius, nulla facta mentione Julii, cujus vice defungeretur.

Baronius Sardicensis Concilii historiam cum exponit, in ejus indictionem, quam in προεδρείαν, sollicitius inquirere videtur. Julium Romanum Episcopum indi-

cendi Concilii auctorem primum fuisse, non tam
probat, quam probare nititur: Sed per suos, qui ad-
erant, legatos Sardicensi præfuisse Concilio nec pro-
bat, nec probare conatur, ratus satis esse, si duo hæc
convolveret, & primum cum secundo subtiliter per-
misceret. Quid ita? Nempe Hosio, quem Julii lega-
64 tum fide dignus nemo dixerat, προεδρίαν seu præsidendi
partes nemo negare poterat.

Fuit alius postea dignitatis non minoris vir, qui
rem aliter tractandam suscepit. De indictione Con-
cilii parum; sed de præsidendi munere vehementer
etiam atque etiam curat. Cum antiquorum testimo-
niis, ex quibus res tota pendet, nequit Hosii προεδρίαν
destruere, & Julii astruere, utrumque rationibus qui-
busdam volaticis metitur. Facundus & disertus ho-
mo ingenii & eloquentiæ suæ nervos nullos non in-
tendit, argutiasque adhibet omnes & machinas, ut
quod factum non fuit, tanquam factum appareat.
Et primo quidem ut Hosii subscriptionem suos in usus
derivet, gratis sibi sumit, Hosium Julio vicariam præ-
stitisse operam; sed pro utilitate sua fecisse Athana-
sium, ut Hosius tanquam Episcopus tacita legati men-
tione subscripserit, & Archidamus ac Philoxenus
tanquam Presbyteri, topoteretæ Julii subscripserint,
quo major esset fautorum Athanasii numerus. Hæc pu-
ra puta est subtilitas & machina, cui cum desit pro-
batio, deesse quoque debet fides: Rejicitur facilitate
eadem qua ponitur. Contumeliosa videtur in Atha-
nasium, quippe quem callidum & versipellem homi-
nem & præstigiatorem exhibeat. Deinde loco Con-
stantii Hosium Concilio præsedisse, ab aliquibus di-
ctum fingit, ut Hosio Hosium ipsum & Athanasi-
um opponat. Hosium quidem dum ad Imperato-
ratorem illum ita scribit: *Ne nobis in hoc genere præ-*
65 *cipe; sed ea potius à nobis disce: Tibi Deus imperium*
commisit, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Atha-
nasium vero in Epistola ad Solitarios: *Quis enim*, in-
quit, *videns eum in decernendo Principem se facere E-*
piscoporum, & præsidere judiciis Ecclesiasticis, non me-
rito dicat illum eam ipsam abominationem desolationis
esse, quæ à Daniele prædicta est? Sed illud figmentum
inane, quamvis nonnullis veniret in mentem, Hosio
tamen incommodaret nihil. Quasi vero noceret, aut
certe nocere deberet cuiquam injecta temere falsi-
tas? Scilicet qui certo certius Sardicensi præfuit Con-
cilio, haud præfuisse dicetur. Legitimane est disse-
rendi methodus hæc? Quia sunt vel erunt aliquan-
do, qui cum Hosius Concilio revera præfuerit, illum
nomine Imperatoris præfuisse somniabunt. Aliud est
Hosium Imperatoris nomine præfuisse Concilio, aliud
ex decreto Imperatoris præfuisse. Qui sibi fingit Her-
culem, quem debellet, distincta esse duo hæc dissi-
mulat. Prius innuit, Hosium id fecisse, quod Impe-
rator fecisset, si adfuisset Concilio, vel adesse volu-
isset, hoc est, Sardicensi Concilio & Ecclesiasticis
judiciis præfuisset. Posterius significat, Hosium id jus-
su Imperatoris fecisse, quod spectata ordinis sui na-
tura & dignitate facere potuit. Illud cum relatis Ho-
sii, & Athanasii auctoritatibus pugnat, hoc non pugnat.

Soleme fuit olim Imperatores Christianos convo-
care Concilia, & jubere, ut Episcopi de rebus fidei
66 decernerent, quamvis ipsi suis in legibus & constitu-
tionibus non decernerent, nisi forte, ut quæ jam à
Conciliis decreta erant, assererent, & confirmarent.
Evagrius scribit præcepisse Valentinianum III. ut Di-
oscorus Ephesinæ Synodo secundæ præesset. Hoc ap-
prime novit Leo I. nec ut aliquid Scripturæ, sacris
Canonibus, aut Sedis Apostolicæ dignitati contrari-
um reprehendit. Ad Synodum istam misit legatos,
quibus audientibus, & non repugnantibus Valentiniani
literæ ante omnia & lectæ & probatæ & commentariis
insertæ fuerunt.

Porro nullus unquam de neglecta Sedis Apostolicæ
dignitate Leonem accusavit, aut ei super ea re dicam
scripsit. Egregia prorsus est in hoc argumenti genus
Epistola Valentiniani & Marciani ad eundem Leonem,
ubi dicitur: *Tale propositum ac desiderium habemus,*
quatenus omni impio errore sublato per celebrandam Sy-
nodum, te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos
fidei Catholicæ fiat. Te auctore, videtur idem esse ac,
te Præside, nisi fortasse quid majus importet.

Utinam eruditus ille vir, quocum congredimur, se-
rio expendisset, quæ Gelasius I. in Epistola XIII.
ad Dardaniæ Episcopos de Synodo bene vel male ge-
sta docet: *Ubi etiam consequenter ostenditur, quia*
male gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas,
contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas,
quam tota merito Ecclesia non recepit, & præcipue Sedes
Apostolica non probavit; Per bene gestam Synodum, id
est, secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum,
secundum Ecclesiasticas regulas pro fide Catholica & 67
communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam
maxime Sedes Apostolica comprobavit. Hæc si serio ex-
pendisset, olei atque operæ non perdidisset tantum,
quantum perdidisse mox ostendimus. Pontifex cum de
certa & definita Concilii προεδρία mentionem nullam
injiciat, hanc ad bene gestam Synodum pertinere
non credidit. Scripturæ, Traditio Patrum, atque
Ecclesiasticæ regulæ, quarum meminit, & quibus be-
ne gestam Synodum consignat, de præsidentia (molli-
enda sunt usu verba) pertinaciter silent.

Fixa ergo & rata sint duo hæc: Hosium Sardicensi
præfuisse Concilio, nec in eo tenuisse Romani Episco-
pi locum, qui à duobus illius Presbyteris Archidamo
& Philoxeno tenebatur. An autem ex decreto Con-
stantii præfuerit, hoc nisi falsum sit, ut incertum &
incompertum relinquatur. In tractandis rebus istius-
modi, ante oculos ponendum est semper id, quod Fa-
cundus diligenter observat in libri IX. cap. V. *Quem-*
admodum calumniantium hæreticorum est ex dubiis &
obscuris, quæ certa & manifesta sunt, male interpretari:
Ita solitum est prudentiæ & pietatis Catholicæ ex indu-
bitatis atque evidentibus, & firmare ambigua & laten-
tia declarare. Oblatam sponte veritatem amplecti
cum facile possent homines quos refellimus, menda-
cia cum labore confinxerunt.

Ad Bellarminum quod attinet, cum Hosii προεδρίαν
Romana legatione destitutam esse perspiceret, nec pri- 68
mæ, nec mediæ, nec postremæ ætatis inveniret aucto-
rem, qui legationem illam assereret, quæstionem hanc
maluit præterire silentio, quam tractare, ne male
tractando confirmaret, quod confirmari noluisset. Ex-
inde fit, ut contra Baronium & eruditum virum, cu-
jus nomini parco, de Bellarmini taciturnitate præscri-
bi merito possit. Vale, Lutetiæ Parisiorum, Idibus Fe-
bruarii anni MDCLXXIII.

Joannes Launoius,

GERMANO GRUINO

Parisiensi *Theologo.*

69 DAMASUM Romanæ Ecclesiæ Episcopum non præfuisse Constantinopolitanæ
Synodo primæ confirmant duo maxime.
Unum est, Synodi hujus epistola ad Occidentales sic inscripta: *Dominis honoratissimis & reverendissimis fratribus, & collegis Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Basilio, & reliquis sanctis Episcopis in magna urbe Roma congregatis, sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum, qui in magna urbe Constantinopoli convenerunt, in Domino salutem.* Cum habebatur Constantinopolitana Synodus, Romæ erat Damasus, ac proinde Synodo huic præesse non poterat. Synodus scribit ad Damasum, Ambrosium, & alios Episcopos, qui tum in urbe congregati erant; sed observare te convenit, Synodum, quæ scribit, anno CCCLXXXII. habitam esse, & rerum in Synodo, quæ ibidem superiori anno celebrata fuerat, gestarum rationem reddere, & illam semel, iterum & tertio (quod fortasse miraberis) œcumenicam seu universalem se nuncupare. *Quæ,* inquit, *ad fidem attinent, quam aperte prædicamus, in summa sunt hujusmodi, de quibus amplius
70 animis vestris satisfacere poteritis, si tomum Synodi Antiochenæ, & eum, qui superiori anno Constantinopoli à Synodo universali,* περὶ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου, *est editus, inspicere dignamini.* Infra: *Reverendissimum religiosissimumque Nectarium in generali Concilio,* ἐπὶ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου, *communi omnium consensu, & præsente religiosissimo Imperatore Theodosio, cleroque universo, & cuncta suffragante civitate Episcopum constituimus.* Infra: *Quam quidem ordinationem* (Flaviani Antiocheni Episcopi) *legitimam Synodus quoque universalis,* τῷ τῆς συνόδου κοινῷ, *comprobavit.* Et paullo post subjicit: *Quibus tanquam legitime & canonice apud nos constitutis, vestram quoque reverentiam gratulari,* συγχαίρειν, *obsecramus, intercedente spiritali caritate & Domini timore, humanum omnem affectum coercente, Ecclesiarumque ædificationem pluris duci faciente, quam privatam erga unumquemque voluntatem & gratiam.* Hæc est igitur universalis Synodus, cui Damasus non præfuit.

Alterum est, Italiæ Concilium in epistola v. ad Theodosium Imperatorem: *Nectarium autem,* inquit, *cum nostra mediocritas Constantinopoli cognoverit ordinatum, cohærere communionem nostram cum Orientalibus non videmus.* Et post pauca: *Nec videmus eam* (communionem) *posse aliter convenire, nisi aut is* (Maximus) *reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus, aut certe super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum Orientaliumque Concilium. Neque enim indignum videtur Au-
71 gustis, ut Romanæ Ecclesiæ Antistitis, finitimorumque & Italorum Episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Acholii Episcopi ita exspectandum esse judicium putaverant, ut de Occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent.* Hic Acholius, ni fallor, erat Thessalonicensis Episcopus, qui quod ex antiqua consuetudine Romanæ diœcesi subjaceret, in Occidentalium numero collocatur. Cur autem Occidentales alii Constantinopolim evocati non fuerint, nunc sollicitius inquirere aut tractare supervacaneum foret: Alieni res est instituti. Constantinopolitanæ igitur Synodo Occidentalium nemo interfuit præter Acholium, qui Damasi vices non gerebat, & Romam jam se receperat, cum Constantinopolitana Synodus laudatam supra epistolam Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, & aliis Romæ congregatis misit.

Acholium porro non gessisse vices Damasi confirmatur ex epistola, quam Damasus ipse Acholio, Severo, Uranio, Philippo & Joanni Episcopis scribit in Rom. collect. bipart. verba sunt: *Decursis literis dilectionis vestræ, fratres carissimi, satis sum contristatus eo tempore, quo Deo præstante hæretici fuerant abjecti; nescio quos ex Ægypto venientes in postulatione contra regulam Ecclesiasticæ disciplinæ alienum à nostra professione in Constantinopolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse. Qui igitur is fuerit ardor animi, quam fœda præsumptio, scire non possumus. Hinc
apparet inquietos homines cum multa præsumunt, quid a- 72
gere debeant, ignorare. Non legerant Apostolum scribentem: Vir autem si comam nutriat, ignominia est illi; nesciebant Philosophorum habitum non convenire incessui Christiano.* Et paullo post: *Philosophia sapientia sæcularis amica est, inimica fidei, venenum quoddam spei, bellum gravissimum caritatis. Qui ergo consensus templo Dei & idolis? Quæ participatio Christo & Belial? Sed fortasse dicturi sunt aliqui: Christianus erat. Huic homini qui in habitu idoli incedit, nunquam adscribendum nomen est Christiani, quia fieri non potest, ut qui hinc placere gentibus desiderat, ullum nobiscum consortium integræ fidei possit habere.* Et paullo post: *Recte igitur factum est, ut id quod male cœptum erat, auctoritate publica destrueretur. De cætero commoneo sanctitatem vestram, ut quia cognovi dispositum esse Constantinopoli Concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam, quemadmodum prædictæ civitatis Episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem.* Et paullo post: *Illud præterea commoneo dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci, & deserere plebem sibi commissam, & ad alium populum per ambitionem transire.* His verbis Damasus non commonet Episcopos, ut nomine suo Constantinopolitanæ Synodo præsint, sed ut dent operam, ut qui in abdicati Cynici locum sufficietur, omni reprehensione careat; nec permittant, ut qui jam Episcopus est, à sua Sede in Con-
stantinopolitanam transferatur. Id omnino noverat 73
Gelasius, cum ad Synodi bene gestæ definitionem Romani Pontificis præsidentiam non requirat.

Præterea, siquis ex parte Damasi Constantinopolitanæ interfuisset Synodo, Italiæ Concilium non ita scripsisset ad Theodosium, ut scripsisse mox retulimus. Occidentales non exegissent à Theodosio, ut Orientales Romam accederent celebraturi simul Concilium, in quo pleniore judicio Maximi & Nectarii ordinatio retractaretur & decideretur. Orientales excusarunt se multa causati, ut in Synodi epistola declaratur. *Nunc vero,* inquit Synodus, *postquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna erga nos caritate vestra tanquam membra propria per religiosissimi Imperatoris literas evocastis, ne quia*

soli tunc ad subeundas ærumnas fuimus addicti, nunc in ista Imperatorum de pietate concordia soli regnetis; sed nos etiam vobiscum, ut ait Apostolus, conregnemus, optabamus, si fieri posset, omnes simul relictis Ecclesiis desiderio potius, quam utilitati servire. Quis enim nobis dabit pennas sicut columbæ, ut volemus & requiescamus apud vos? Verum quia hoc erat Ecclesias renovari nuper cœptas penitus denudare, & rem præstare pirò magnâ non poterat. Convenerâmus enim Constantinopolim ad literas à reverentia vestra superiore anno post Concilium Aquileiense ad religiosissimum Imperatorem Theodosium missas, ad hoc solum iter Constan-
74 *tinopolim usque instructi, & de hac tantum Synodo Episcoporum, qui in provinciis remanserunt, consensum adferentes, cum de longioris profectionis onere nec suspicati essemus, nec ante quicquam audissemus, quam Constantinopolim perveniremus, tam præstituti temporis angustia, neque ad longius iter adornandum, neque ad Episcopos communionis nostræ, qui in provinciis erant, commonefaciendos, eorumque consensus obtinendos satis esset: Quoniam hæc multaque adhuc alia plurimos venire prohibebant.*

His autem constitutis omnibus, aperte liquet, Damasum nec per se, nec per ullos legatos Constantinopolitanæ Synodo primæ præsedisse. Romani Pontifices ipsi tacite consentiunt, dum in fidei professionibus quas nonnunquam edunt, generales Synodos recensent, & unamquamque notione propria designant.

Vigilius in epistola x. ad universum populum Dei: *Sciant igitur universi, nos illam fidem prædicare, tenere atque defendere, quam ab Apostolis traditam, & per successores eorum inviolabiliter custoditam reverenda Nicæna Synodus* CCCXVIII. *Patrum sancto Spiritu sibi revelante suscipiens redegit in Symbolum; ac deinde tres alia sanctæ Synodi, id est, Constantinopolitana* CL. *Patrum sub pia memoria Theodosio seniore Principe facta, & Ephesina prima, cui beatæ memoriæ Papa Cælestinus decessor noster, & Cyrillus Alexandrinus Episcopus præsiderunt; sed & Calchedonensis* DCXXX. *Patrum, quæ sub pia memoriâ Martiano Imperatore convenit, cui-*
75 *que sanctæ recordationis decessor noster Papa Leo per legatos suos vicariosque præsedit.* In Appendice Jacobi Sirmondi V. Cl. ad Codicem Theodosianum.

Pelagius II. in epistola v. ad Episcopos Istriæ: *Nos enim illam fidem prædictam tenemus, & cum omni puritate conscientiæ usque ad sanguinis effusionem defendimus, quam ab Apostolis traditam, & per successores eorum inviolabiliter custoditam, reverenda Nicæna Synodus* CCCXVIII. *Patrum suscepit atque reliquit in Symbolum; sed & Constantinopolitana* CL. *Patrum sub pia memoria Theodosio seniore Principe facta; etiam Ephesina prima, cui præsedit beatæ recordationis prædecessor noster Cælestinus Romanæ urbis Antistes & Cyrillus Alexandrinus Episcopus; sed & Calchedonensis,* DCXXX. *Patrum, quæ sub pia memoria Martiano Imperatore convenit, Papa Leo per legatos vicariosque suos præsedit.*

Inaugurati recens Pontifices illi omnes, qui post sextam Synodum emiserunt fidei professionem, quæ in veteri Romanæ Ecclesiæ diurno continetur. *Etenim,* inquit unusquisque recens creatus Pontifex, *hujus Apostolicæ Traditionis normam inviolabiliter custodiens venerandum sanctorum* CCCXVIII. *Patrum Concilium, quod in Nicæa sub magno Principe Constantino convenit, Dei gratia revelante redegit in Symbolum, & consubstantialem Patri Filium prædicavit.* Et post alia: *Deinde secundum Constantinopolitanum adeque sanctum*
76 *centum quoque quinquaginta Patrum Concilium sub Imperialis memoriæ majore Theodosio in urbe regia conveniens, quod Symbolo deesse putabatur, exposuit, & gratia Spiritus sancti illustrante Deum esse Spiritum sanctum, Patri & Filio, utpote consubstantialem & connaturalem annexit.* Et post alia: *Quibus duobus universalibus venerandisque Conciliis, tertium generale ducentorum sanctorum Patrum accessit Concilium, quod sub principalis quidem memoria Theodosio Augusto factum est, ex auctoritate tamen Cælestini Apostolicæ Sedis Antistitis cum beato Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule, primo in Ephesinam urbem convenit.* Et post alia: *Post hujusmodi ergo de Incarnatione Dei Verbi regulis explanandis, etiam quartum sanctum sexcentorum triginta Patrum sanctorum Concilium sub augustæ memoriæ Martiano Imperatore in Calchedone concurrit, cui Apostolicus Papa Leo per legatos & vicarios præfuit.* Et post alia: *Hæc igitur sancta atque universalia quatuor Concilia, etiam sanctum quintum Concilium venerandum consecutum est, & sub pia memoria Justiniano Principe apud Constantinopolitanam urbem est congregatum.* Et post alia: *Inter hæc veneranda & universalia quinque Concilia, etiam sextum Concilium generale centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus: Quod favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis nostri domni Constantini clementer implente, in urbe regia eo præsidente celebratum est, cui Apostolicæ recordationis Agatho Papa per legatos suos & responsa- 77
les præfuit.* Hæc in diurno Romano, quod Romæ editum est; sed ibi captivum detinetur: Parisiis manuscriptum habetur. Sic Apostolica Sedes Constantinopolitanæ Synodi προεδρίας sibi non vindicat. Hanc alii relinquit, de quibus deinceps agendum est.

II. Socrates in libri VII. capite IX. tradit nonnulla, ex quibus quis Præses Concilii fuerit, videtur posse colligi: *Post hæc habito conventu ipse Nectarius, & alii Sacerdotes Nicæni Concilii fidem ratam esse habendam, & universam hæresim abrogandam esse censuerunt.* Cum primus nominetur Nectarius, is Concilii Præses fuisse censeri potest.

III. Vetus codex Canonum Romanæ Ecclesiæ ab Hadriano vel Angilramo Metensi Episcopo confectus, Nectarium exhibet, qui Constantinopolitanæ Synodo primus subscribat hoc modo: *Nectarius Constantinopolitanus, Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus,* quem sequuntur Episcopi provinciæ Palæstinæ. *Meletius Antiochenus,* quem sequuntur Episcopi provinciæ Syriæ Cœles. Nectarius cum Synodo subscribat primus, primus certe Præses esse debuit, si codici huic fides habenda esset in iis, quæ ad subscriptiones pertinent: Nullam aut exiguam habendam esse docet ipse subscriptionum ordo, ubi Cyrillus Hierosolymitanus ut Patriarcha subscribit, & subscribendo cum Episcopis provinciæ Palæstinæ Antiochenum Episcopum præcedit. Errores sunt 78
duo, qui ex Isidori Mercatoris officina prodierunt. In codice Canonum Dionysii subscriptio comparet nulla, nec in Græcis Concilii hujus exemplaribus; quod tamen signatum erat in illo codice Canonum Romanæ Ecclesiæ: notare placuit, ne quid intactum prætermitti judicaretur. Supra dixi, vel ab Angilramo Metensi Episcopo confectum: Nam id ita habetur in *MS.* codice quem vir diligens & eruditus Stephanus Baluzius in notis ad Antonii Augustini Gratianum laudat.

IV. Photius Constantinopolitanus Antistes ab illo codice dissentit nonnihil, & multos facit Concilii Præsides in libro de Synodis: *Concilium,* inquit, *Constantinopolitanum Præsides habuit Timotheum, qui Alexandriæ sedem, & admirabilem virum Meletium, qui sedem Antiochiæ, & Cyrillum, qui Hierosolymorum sedem obtinebat. Nectarium præterea, qui nuper ab initiatorum grege separatus & ablutus divino lavacro vitæ sordibus purus, jam purissimam sacri principatus dignitatem ex communi Concilii consensu & electorum suffragiis, simul & regiæ civitatis Episcopus, & Concilii Præses declaratus est.* Et post alia: *Quibus haud multo post & Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans atque eadem sentiens accessit.* Sic loquitur, non quod reperiatur vetus bonæ notæ

manu-

monumentum ullum, quod Damasus Constantinopolitanæ Synodi acta disertè confirmaverit; sed damnatas jam ab hac Synodo hæreses Romæ habito Episcoporum conventu iterum profligaverit.

79 V. Octava Synodus, quæ anno Christi DCCCLXIX. coacta est, Timotheum in actione VI. primum Concilii Præsidem appellat: *Quoniam*, inquit, *Timotheus primus factus est prædicta sancta Synodi præsidens, utpote Alexandriæ Patriarcha, & una cum Episcopis, qui solum erant, provexit Nectarium Constantinopoleos Patriarcham.* Qui autem primum Concilii Præsidem dicit, alios, qui simul Præsides sint, necessario significat.

VI. Libellus Synodicus num. LXXI. Constantinopolitanæ Synodo *præfuerunt*, inquit, & *præsiderunt Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymorum.*

VII. Georgius Cedrenus rem paullo aliter ac Photius tractat in compendio historiarum: *Præfuerunt Timotheus Alexandriæ, Meletius Antiochiæ, Cyrillus Hierosolymorum Episcopi, & Gregorius Theologus*, de quo mentionem nullam facit Photius, & rectè, quia tunc Constantinopolim deseruit, & se in solitudinem recepit.

VIII. Nilus Rhodiensis Episcopus multos quoque Concilii Præsides statuit, quorum primus est Damasus: *Præerant Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Gregorius Theologus, Gregorius Nyssæ, & Amphilochius, Iconii Episcopi.* Hæc ille, qui post Photium, octavam Synodum & Cedrenum claruit, & in plerisque graviter errat. Præsidem Concilii primum vocat Damasum, qui Con-
80 cilio nec per se, nec per suos vicarios interfuit. Secundum Præsidem dicit Nectarium, quem Photius Timotheo Alexandrino, Meletio Antiocheno, & Cyrillo Hierosolymitano postponit. Gregorium Theologum, Gregorium Nyssenum, & Amphilochium numero Præsidum sine veterum testimoniis adscribit.

IX. Porro in iis quæ Synodi προεδρίαν attinent, relati auctores conveniunt & dissentiunt. Conveniunt quidem in eo, quod plures Synodo præsedisse affirment, sed de primo Præside dissentiant. Alii primum Præsidem assignant Nectarium, alii Timotheum.

In hac dissensione, hisne an illis accedam interrogas, ego tibi meam sic expono sententiam. Nectarius nec præfuit, nec præesse potuit Constantinopolitanæ Synodo, quæ anno CCCLXXXI. habita est, & quæ in synodica Epistola ter universalis seu œcumenica vocatur: scilicet Nectarius necdum erat baptizatus, qui & in ipsa Synodo Constantinopolis Episcopus electus est, ut synodica testatur Epistola; sic enim ibi loquuntur Patres: *Unde & nova, ut sic vocemus, Ecclesia Constantinopolitana, quam nuper ex hæreticorum blasphemia tanquam ex ore leonis per Dei misericordiam eripuimus, reverendissimum religiosissimumque Nectarium in generali Concilio, communi omnium consensu, & præsente religiosissimo Imperatore Theodosio, cleroque universo, & cuncta suffragante civitate Episcopum constituimus.*

Exinde Photius cum Timotheum facit Synodi primum Præsidem, bene facit; sed cum dicit Necta-
81 rium postquam baptisma suscepit, Synodi Præsidem declaratum esse, id dicit, quod nec consonat, nec cohæret.

Octava Synodus, libellus synodicus, & Cedrenus Timotheum primum fuisse Præsidem scribunt, & de Nectario silent, persuasi eum non præfuisse Concilio, ut ego persuasus sum. Nilus tam imperite scribit, ut indignus sit, qui audiatur.

Deinde facile crederem Nectarium præsedisse Concilio, quod sequenti anno, id est, CCCLXXXII. celebratum est, & quod synodicam Epistolam actorum prioris Synodi explicatricem dedit Damaso, Ambrosio, & aliis, qui Romæ congregati erant, ut præter ipsam Epistolam Theodoretus testatur in libri V. hist. capite VIII. *Sequenti æstate cum ad eandem urbem Ecclesiasticis iterum negotiis evocati plurimi redissent, synodicam ab Occidentalibus Episcopis Epistolam acceperunt, qua invitabantur, ut Romam ad Synodum, quæ ibi maxima cogebatur, se conferrent: Verum hi longinquam quidem profectionem, velut inutilem futuram deprecati sunt: Epistolam autem miserunt, in qua procellam contra Ecclesias excitatam significantes, illum hac in re negligentiam denotabant.* Quæ ex hac Epistola nunc referenda essent, jam supra retulimus. In iis, qui indistinctè fecerunt Nectarium Constantinopolitani Concilii Præsidem, erroris causa fuit, quod posterius Concilium, cui præfuit Nectarius, cum priori confuderint. Quæ ad prius Concilium pertinent,
sunt ea, quæ in synodica memorantur, & quæ in 82
codice canonum Dionysii ad tres aut quatuor Canones rediguntur; quæ vero ad posterius Concilium, interciderunt præter Epistolam synodicam, ubi quæ acta fuerant in priori Concilio, narrantur.

X. Baronius de Concilii hujus Præside nihil scribit, & cum nihil habeat, quo probet, Damasum Romanum fuisse Concilii Præsidem, contendit Damasi præcepto & auctoritate Concilium apud Constantinopolim celebratum esse. Hoc uti confirmet ex codice Vaticano producit quæ sequuntur: *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii, Damasus confirmari præcepit, etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est.* Baronius quia dicti hujus auctorem, ut ei fidem majorem conciliet, antiquum esse non dicit, recentiorem inde colligimus. Quo fit ut Baronii regula excludatur: *Quod à recentiore auctore sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.* Et illud sane contemni debet, quia ingentia mendacia duo continet. Primum est, Damasi præcepto & auctoritate Synodum apud Constantinopolim celebratam esse: Mendacium convincitur ex iis, quæ supra Italiæ Concilium ad Theodosium scribit, & quæ Constantinopolitani Concilii Patres in sua ad Damasum, Ambrosium, & Occidentales alios dicunt. Constantinopolitanum Concilium quod anno CCCLXXXI. habitum est, inscio fere Damaso habitum cum sit, Damasi præcepto & auctoritate ha-
beri non potuit. Tum credibile non est, Romani 83
Pontificis præcepto & auctoritate habitum esse generale Concilium, cui nec per se, nec per suos vicarios præfuisset, aut certe interfuisset. Quo exemplo, qua ratione id genus facti Annalium Ecclesiasticorum conditor tueretur? Constantinopolitanum Concilium, quod anno CCCLXXXI. celebratum est, inscio Damaso cum celebratum sit, Damasi præcepto & auctoritate celebrari non potuit. Id apertè significat Theodoretus, cum Concilii hujus causam explicat in verbis, quæ ante num. VIII. recensuimus: Damasus idipsum confirmat in Epistola quam Acholio, Severo, & aliis scribit. Illius verba mox retulimus, quæ rem in luce Ecclesiæ atque in oculis omnium detegit.

Alterum mendacium est, Damasum præcepisse, ut sancta Synodus Constantinopolitana secunda sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii confirmaret. Vaticani codicis verba non obscurè innuunt, Macedonium & Eunomium ab Romanis vel Occidentalibus damnatos esse prius, quam à secunda Synodo damnarentur; sed illud veritate nulla nititur. Theodoretus in libri V. hist. capite VIII. utriusque Constantinopolitani Concilii supra memorati, historiam perstringit & in capite IX. posterioris Concilii Epistolam refert, qua quid in priori concilio gestum fuerat, Damaso, Ambrosio,

sio, & Occidentalibus aliis exponitur. Et in capite XI. describit fidei catholicæ confessionem, quam Damasus Papa in Macedoniam misit ad
84 Paulinum Episcopum, cum esset Thessalonicæ. Verba sunt: *Quoniam post Concilium Nicænum hic error emersit, ut quidam ore profano dicere auderent Spiritum sanctum per Filium factum esse, anathematizamus eos, qui non liberrime prædicant Spiritum sanctum unius ejusdemque cum Patre & Filio substantiæ ac potestatis existere. Similiter autem anathematizamus eos, qui Sabellii errorem sequuntur, & eundem esse dicunt Patrem & Filium. Anathematizamus Arium & Eunomium, qui pari impietate, licet verbis Discrepent, Filium & Spiritum sanctum creaturam esse confirmant. Anathematizamus Macedonianos, qui ex Arii radice propagati non impietatem, sed nomen solum mutarunt*, &c.

Hæc fidei confessio in Romana Synodo edita est, ut Theodoretus ipse testatur in fine superioris capitis: *Quin & alia quædam Episcopi in magna Roma congregati adversus diversas hæreses scripserunt, quæ narrationi intexere congruum existimavi.* In hac autem fidei catholicæ confessione proprius & idoneus erat locus dicendi Damasum fecisse quid eum Vaticanus codex fecisse dicit, si vere dici potuisset. Damasus & Romana Synodus, cujus Theodoretus meminit ad Constantinopolitanum Concilium in damnatione Macedonii & Eunomii respectum habet, non illud præcedit.

In summa cadente primo mendacio secundum stare nequit: Necessaria consecutione corruit.

XI. Bellarminus id quod res est, Baronio longe
85 declarat sincerius. *Constat*, inquit, *non præsedisse Imperatorem, constat etiam non præsedisse Romanum Pontificem, sed Nectarium Constantinopolitanum, cujus rei causa est, quia Romanus Pontifex non interfuit nec per se, nec per legatos: Pontifex enim Damasus convocaverat quidem Episcopos Orientis Constantinopolim; sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, ubi ipse coegerat Synodum Episcoporum Occidentalium, ut Romæ fieret plenissimum Concilium. Cæterum excusarunt se Orientales justas ob causas, & conjunxerunt se animis & sententiis cum Occidentalibus, non autem præsentia corporali.*

Bellarminus multa sibi sumit, quorum alia vera sunt, alia falsa. Et primo quidem verum est Theodosium non præsedisse Synodo, cui interfuit: Nam ille in synodica ad Damasum, Ambrosium, & Occidentales alios Epistola præsens, non Præses fuisse dicitur, etiamsi Bellarminus id non observet. Deinde verum est, Damasum nec per se, nec per suos legatos Synodo præfuisse: Quod ille si legitimis probasset monumentis, non potuisset imponere, quæ postea imposuit. Tum falsum est, Nectarium Concilio præsedisse, ut jam docuimus. Hinc falsum est Damasum Orientis Episcopos Constantinopolim evocasse: Et rei falsitas jam pluribus in locis demonstrata est.

Præterea Damaso uni tribuit, quod Damaso Ambrosio, & Occidentalibus aliis Romæ congregatis tribuendum est. Hi enim optabant omnes, ut Orientis Episcopi Romam venirent, atque ita ex Occi- 86
dentis & Orientis Sacerdotibus plenissimum fieret Concilium, in quo Nectarii & Maximi ordinatio discuteretur, & judicio majore finem acciperet. Orientales excusarunt se, & desiderati ab Occidentalibus Concilii spes evanuit: Nec Maximi depositio, nec Nectarii ordinatio retractata est. Maximus depositus, & Nectarius ordinatus remansit. Orientalium Synodi Imperatoris præsentia corroboratæ auctoritas impedlit, ne quid circa Maximum & Nectarium Romæ ab Occidentalibus innovaretur, quod Bellarminus observare neglexit.

XII. Sunt & alii Latini, qui velis nolis Damaso Concilii προεδρείαν vindicent, & cum apud veteres nihil inveniant, quo suis serviant studiis, Nilum auctorem Græcum recentiorem arripiunt; sed invitis, ut aiunt, canibus venantur. Non habuit Nilus perspectam Concilii hujus formam, & quo modo celebratum fuit, nescivit. Igitur ab eo argumentum nullum depromi potest præterquam erroris. Adhæc dissimulant Nilum multos Concilii Præsides facere, quorum Damasus primus est, sed non solus. In eo præsidendi munere collegas habet Nectarium Constantinopolitanum, Timotheum Alexandrinum, Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, & Amphilochium Iconiensem. En post fabulam epicitharisma, quo veritatis incuriosi homines studia sua & otium oblectare possunt, & Bellarmino in aurem insusurrare, quod ipse sibi
non consentiat! Nam postquam disertam assertionem 87
posuit, qua generalibus Conciliis, quale Constantinopolitanum agnoscit, præsidendi officium, & jus uni Romano Pontifici transscribit, post aliquot paginas exceptionem subjungit, cum ait Damasum nec per se, nec per legatos Constantinopolitanæ Synodo præsedisse. Quæstionem juris quæstione facti dissolvit, & quod stabilire vult, funditus evertit. In absurdas complexiones hujusmodi non incurrisset, si ex Gelasii Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ, quid sit bene vel male gesta Synodus, didicisset: sed quia non didicerat, notatum mox in philosophando lapsum cavere non potuit. Hæc est Constantinopolitanæ Synodi Præsidum historia, cui adjicies vel detrahes, si quid adjiciendum aut detrahendum videbitur. Interim vale, Lutetiæ Parisiorum, Calend. Martii anni MDCLXXIII.

Joan-

Joannes Launoius

ANTONIO FAURO

Parisiensi Theologo.

89 EPHESINÆ Synodi primæ προεδρεία seu præsidentia est hujusmodi, ut ab inchoata Synodo illa usque ad Calchedunensem uni Cyrillo adscribatur. Deinde ab inchoata Calchedonensi Synodo usque ad annum Christi DXL. vel circiter, scriptores multi Celestinum & Cyrillum Ephesinæ Synodi Præsides fecerunt. Tum ab eo tempore scriptores multi Cyrillum hac in Synodo Celestini legatum aut vicarium dixerunt. Denique in posterioribus sæculis fuere, qui Cyrillo Celestini vicario Memnonem Ephesiorum in προεδρείᾳ, & Juvenalem Hierosolymitanum conjunxerunt. Et quoniam in instrumentis, quibus utemur, instar religionis est fidem de temporibus asserere, ut Tertullianus ait, ordine proposito istius προεδρείας historiam exequemur, & nostrum aliquando de auctorum testimoniis interponemus judicium. Sed nonnihil præfari me oportet.

Igitur annus volvebatur Christi quadringentesimus vicesimus octavus, cum Nestorius Constantinopolitanus Episcopus hæresim suam & verbis & scriptis publicare cœpit. Hæc scripta insequenti anno perlata sunt Alexandriam, easque Cyrillus statim confutavit.
90 Hinc Nestorium monuit, ut mutaret sententiam, erroresque suos ejuraret. Nestorius id facere noluit, & ea super re scripsit ad Celestinum, arbitratus se suamque doctrinam ab eo defensum iri. Celestinus coacta Occidentalium Episcoporum synodo Nestorii scripta diligenter examinat, errores configit. Tantum abest, ut quæ Nestorius docuerat, probaret, ut ille probaturum falso speraverat. Romanus Pontifex cum Synodo decernit insuper, ut monitus Nestorius nisi resipisceret intra decem dies, Ecclesiæ communione ac sacerdotio privaretur. Celestinus ann. CCCCXXX. synodicæ sententiæ executorem constituit Cyrillum, eique, ut partes suas hac in re susciperet, continuo scribit. Qua de re sic etiam loquitur in literis, quas ad Constantinopolitanum clerum dedit: *Ne tamen ad tempus ejus videatur valere sententia, qui in se jam divinam sententiam provocaverat, aperte sedis nostræ sanxit auctoritas, nullum sive Episcopum, sive clericum, seu professione aliqua Christianum, qui à Nestorio vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo, vel communione dejecti sunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri; sed hi omnes in nostra communione & fuerunt, & hucusque perdurant, quia neminem dejicere vel removere poterat, qui prædicans talia titubabat.* Et quibusdam interpositis: *Et quia nostra in tanto negotio propemodum præsentia necessaria videbatur, vicem nostram propter marina & terrena spatia ipsi sancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iste*
91 *longitudinis occasione grassetur.* Cyrillus susceptis Celestini & Occidentalium partibus cogit Synodum: In ea Nestorii dogma rejicit, & viros seligit, qui Constantinopolim pergerent, quid Romæ & Alexandriæ statutum esset contra eundem Nestorium, denunciaturi. Theodosius Imperator istud cum rescivit, impedire statuit, ne Romani & Alexandrini Concilii decretum executioni mandaretur, & decreti effectum suspendit, rem eo progressam ratus, ut Œcumenicam Synodum judicaret necessariam, quam postea indixit. Exinde factum est, ut utrinsque Romani & Alexandrini Concilii sententia ad exitum non pervenerit, & Cyrillus Celestini & Occidentalis Synodi vicarius esse desierit. In promptu est certa ratio: Cyrillus ab Celestino & Occidentali Synodo vices eo tantum fine acceperat, ut Celestini & Synodi decretum exequeretur. Itaque Imperator suspenso Celestini & Synodi decreto, sequenti anno Ephesi generalem Synodum indixit: Quod cum minime præviderent Celestinus & Romæ coacta Occidentalium Episcoporum Synodus, Cyrillo vicariam in Synodo tali præfecturam nullam dederunt: Idque eo metiendum est fine, quo tunc Celestinus & Occidentalium Synodus suas Cyrillo vices commiserunt.

Accedit & rerum status qui tunc erat, antequam Imperatoris jussu Ephesina Synodus conveniret. Sed indicta Synodo, alius rerum cœpit esse status, in quo suas Cyrillo vices prorogare debuit, cum de mittendis ad Ephesinam Synodum Sedis Apostolicæ legatis 92
cogitationem suscepit.

I. Nunc videndum est an Ephesina Synodo indicta, & indictione Celestino, & Occidentalibus Episcopis cognita, vicariam præfecturam aliquam Cyrillo prorogaverint, aut dederint. At nullam prorogasse vel dedisse, primum colligitur ex Celestini literis, in quibus missis ex Italia legatis Cyrillus non adjungitur. Celestini literæ sunt duæ. Una ad Ephesinam Synodum, altera ad Theodosium, quæ in actione II. leguntur. In priori Pontifex sic loquitur: *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres & Consacerdotes nostros unanimes nobis & probatissimos viros, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui iis quæ aguntur, intersint, & quæ à nobis antea statuta sunt, exequantur, quibus præstandum à vobis non dubitamus assensum, quando id quod agitur, videatur pro universalis Ecclesiæ securitate decretum.*

In posteriori: *Sufficiat licet, quod sollicitudo vestræ clementiæ circa fidei catholicæ defensionem, cui pro Christi Dei nostri amore, qui vestri Imperii rector est, adesse modis omnibus festinatis, integram, immaculatamque eam pravorum dogmatum damnato errore servatis, in hoc semper munimen vestri Imperii constituentes, scientes regnum vestrum sancta religionis observantia communitum firmius duraturum: Sed huic cœlesti curæ vel gloria unusquisque nostrum pro sacerdotali officio operam nostram ut quantum valemus, impendimus, & huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his, quos* 93
misimus, exhibemus, pietatem vestram sub divini obsecrantes obtestatione judicii, ne quid turbida novitati licere vestra mansuetudo permittat. Et quibusdam interjectis: *Hæc, gloriosissime & tranquillissime Imperator Auguste, quæ in vestro corde esse novimus, Deum illic inesse non dubii, augustis etiam auribus per fratres & Coepiscopos meos Arcadium & Projectum, & Compresbyterum meum Philippum, quos misimus, intimamus.*

Celestinus his in Epistolis unum dicit, alterum reticet, quod tamen necessaria de causa dicendum fuit, si vere affirmatéque dici potuisset. Dicit qui- 94
dem misisse se eos, Arcadium nempe & Projectum

Episco-

Episcopos, & Philippum Preshyterum, qui suam Ephesinæ Synodo præsentiam exbibeant; non vero dicit se eos Cyrillo adjungere; quod dixisset utique, si adjungere voluisset. His jungenda est Celestini ad Cyrillum Epistola, quæ eadem in actione II. refertur, & ubi Ephesinæ Synodi meminit, sed non meminit vicarii muneris, quod in ea illi tribuerit: *Indifficulter est Ecclesiarum & catholica fides speranda tranquillitas, quando pro hac elaborare christianissimos Principes sic videmus. Non est inefficax in divinis maxime causis cura regalis, qua pertinet ad Deum, qui fideliter tenet corda regnantium. Itaque breviter responsum tua reddimus sanctitati: Etenim quæris, utrum sancta Synodus recipere debeat hominem a se prædicata*
94 *damnantem, an quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret. Super hac utique consultatione communi communem Dominum consulamus. Nonne nobis respondet illico per Prophetam, omnem hominem velle salvum fieri, & venire ad scientiam veritatis? Nunquam displicet Deo accelerata in quocunque correctio. Tua sit hoc sanctitatis cum venerando fratrum Concilio, ut orti in Ecclesia strepitus comprimantur, & finitum Deo juvante negotium votiva correctione discamus. Convenitus autem nos deesse non dicimus: Neque enim ab his absentes esse possumus, quibus nos ubicumque positos, fides tamen una conjungit. Nolo nos corpore isto recenseri, cujus præsentiam Apostolus adsignat infirmam: Illic sumus; quidquid illic pro omnibus agitur, cogitamus; spiritualiter agimus, quod corporaliter agere non videmur.* Et sane de vicario munere quod Cyrillus accepisset à Celestino, dicendi locus hic fuit, aut nullus unquam fuit: Quot sunt enim fere periodi, tot sunt occasiones datæ, in quibus vicarii illius in Ephesina Synodo muneris injiceretur mentio; & tamen injecta est nusquam, quia cum veritate injici non potuit. Ea de re, qui quæ ex Celestini Epistola ad Cyrillum retulimus, magis ac magis consideraverit, neminem dubitaturum opinor.

Hic prætermittendus non est Philippus Sedis Apostolicæ legatus, cum in actione III. dicit sententiam: *Hujus*, inquit, *secundum ordinem successor, & locum tenens sanctus beatissimúsque Papa noster Celestinus Episcopus, nos ipsius præsentiam supplentes, ad hanc*
95 *Synodum misit.* Philippus nec sibi, nec collegis suis Cyrillum adjicit, aut significat Celestinum Cyrillo dedisse vicariam præfecturam, qua vel interesset Ephesinæ Synodo, vel præesset.

Quod autem ex Celestini literis, & ex Philippi sententia non colligitur, colligi quoque non potest ex actis Synodi, quæ de Sedis Apostolicæ legatis duobus in locis sermonem instituit.

Primus est in actione III. cum de rebus gestis Patres ad Imperatorem referunt: *Et hæc quidem antequam sanctissima hæc Synodus conveniret, Celestinus sanctissimus magnæ Romæ Episcopus per literas suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo, ut vices suas subiret, commiserat; sed & nunc denuo aliis etiam literis sanctæ Synodo, quam vestra majestas in Ephesiorum Metropoli convenire præcepit, hæc significavit: Misit autem has literas per Arcadium & Projectum sanctissimos Episcopos, ac Philippum religiosissimum Presbyterum magnæ Romæ, qui Celestini Episcopi præsentiam supplent, ἀναπληροῦντες τὴν παρουσίαν.* Loquuntur Patres de vicibus, quas Celestinus antequam Ephesina Synodus conveniret, Cyrillo dederat; sed eas postquam Synodus hæc convenit, prorogasse non dicunt: Quod dixissent utique, si vera cum ratione dici potuisset; scilicet necessaria dicendi causa fuit, ut constaret omnibus, Cyrillum consortem esse legationis, quam Arcadius, Projectus & Philippus in Synodo gerebant.

Alter locus est in actione VI. ubi Patres de rebus
96 gestis referunt ad Imperatores per Palladium Magistrianum: *Quæ quidem Synodus omnes totius orbis sanctissimos Episcopos unum idémque sentientes habet; nam & magnæ Romæ Episcopus interest Synodo, neque desunt Africani per piissimum Cyrillum Archiepiscopum repræsentati, cum quo suam sententiam conjunxerunt.* Cur non dixissent Celestinum per Cyrillum repræsentari, quemadmodum dicunt Africanos per Cyrillum repræsentari? Vel cur non dixissent, Cyrillo adjunctos esse Arcadium, Projectum & Philippum, ut Romanum Episcopum, & Occidentales Episcopos alios repræsentarent? Hoc non dixerunt Patres, quia probe noverant, Cyrillum Romani Episcopi, & Occidentalium legatione nulla in Synodo fungi, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum solos Romanum Episcopum, & Occidentales reliquos idoneè repræsentare.

Hæc est prima nostra ratio, quæ tot partibus absolvitur, & iis adornatur conditionibus, ut rem decernat.

Nunc venio ad secundam ex iis quæsitam, in quibus Cyrillus dicitur *δίκαιον τὸν τόπον* Celestini, ut in actione I. legitur: *Post consulatum dominorum nostrorum, Flavii quidem Theodosii* XIII. *Valentiniani vero* III. *semper Augustorum*, X. *Calendas Julii Synodo congregata in Ephesiorum Metropoli ex decreto religiosissimorum & Christianissimorum Imperatorum, & considentibus in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, re-* 97
ligiosissimis & sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandrino, qui & Celestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat.

Iterum in actione II. *Post consulatum dominorum nostrorum semper Augustorum, Flavii quidem Theodosii* XIII. *Valentiniani vero* III. *sexto Idus Julii, qui dies juxta Ægyptios est Epiphi sextus decimus, congregata Synodo in Ephesiorum Metropoli, ex decreto religiosissimorum Christianissimorúmque Imperatorum, ac sedentibus in religiosissimi Episcopi Memnonis Episcopali æde, piissimis Episcopis, Cyrillo Alexandrino, qui & Celestini quoque sanctissimi ac beatissimi Romanorum Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Juvenale Hierosolymorum, & Memnone Ephesiorum.*

Rursus in actione III. *Post consulatum dominorum nostrorum semper Augustorum Theodosii* XIII. *& Flavii Valentiniani* III. XVII. *Calend. Aug. Synodo juxta piissimorum Christianissimorúmque Imperatorum decretum in Ephesiorum Metropoli congregata, considentibusque in sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, piissimis Deóque dilectissimis Episcopis, Cyrillo Alexandrino, qui & Celestini quoque sanctissimi Ecclesiæ Romanæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Arcadio Episcopo, Romanæque Sedis legis legato, & Projecto Episcopo, qui & ipse quoque Romanæ Ecclesiæ legatus erat, & Philippo Presbytero & legato, & Juvenale Hierosolymorum, & Memnone Ephesiorum.*

Verba illa, *qui & obtinebat*, sunt scribæ seu nota- 98
rii, qui acta Synodi literis prodidit, non Cyrilli: Cyrillus quippe locum Celestini tenere se in Ephesina Synodo nusquam dixit, etiamsi dicendi pluries sese præbuit occasio.

Deinde locutio hæc, *qui & obtinebat*, non posset objicientium proposito inservire. Nam verbum *obtinebat* tempus præsens, quo Ephesi fiat Synodus, vere non importat; sed præteritum etiam si minus perfectum, quo res ante Synodum illam peracta satis commode adnotetur.

His omnibus ita constitutis, Cyrillus nullas in Ephesina Synodo Celestini vices habuit, & nihilominus præfuit.

Ratio tertia comparatur ex duobus locis, ubi Cyrillus omnium primus subscribit, Celestini mentione nulla facta.

Primus est in Epistola ad clerum Constantinopolitanum, quæ actione III. refertur. Sic igitur subscribit: *Cyrillus Alexandriæ Episcopus, Philippus Apo-*

stolica

stolica Sedis Presbyter, Juvenalis Hierosolymorum Episcopus, Arcadius Episcopus & legatus, Projectus Episcopus & legatus.

Alter est in synodica de Charisio Presbytero sanctione, quæ actione VI. refertur: *Cyrillus Alexandria Episcopus subscripsi, pronuntians cum sancta Synodo; Arcadius Episcopus & legatus Sedis Apostolica subscripsi, pronuntians cum sancta Synodo; Juvenalis Episcopus Hierosolymorum subscripsi, pronuntians cum sancta Synodo; Projectus Episcopus, & legatus Apostolica*
99 *Sedis subscripsi cum sancta Synodo; Flavianus Episcopus Philippensium subscripsi cum sancta Synodo; Philippus Presbyter Apostolica Sedis legatus subscripsi, pronuntians cum sancta Synodo.* Arcadius, Projectus, & Philippus, qui vario subscribunt ordine, cum se nominant legatos Sedis Apostolicæ, Cyrillus vocem & manum comprimit suam, nec se Sedis Apostolicæ legatum appellat, etiamsi primus omnium subscribat. Siquando & sicubi assumendum fuit illud dignitatis insigne, assumendum fuit maxime in subscriptionibus, ut ab Arcadio, Projecto, & Philippo assumptum videmus. Quare cum Cyrillus illud dignitatis insigne non assumat in subscriptione sua, à Celestino nihil habuit unde assumeret.

Ratio quarta ea est, quam Cyrillus de se & de legatis Arcadio, Projecto, & Philippo duobus in locis objicit.

Primus est in actione III. *Cyrillus Episcopus Alexandria dixit: Qua Arcadius & Projectus sanctissimi piissimique Episcopi, necnon Philippus religiosissimus Romana Ecclesia Presbyter deposuerunt, perspicue sancta Synodus percepit: Deposuerunt enim supplentes locum Sedis Apostolica, totiúsque Synodi sanctissimorum Deóque dilectissimorum Occidentalium Episcoporum. Quare cum ea, qua à Celestino sanctissimo Deóque dilectissimo Episcopo decreta jam fuerant, executa sint, sanctaque Synodi, qua in hac Ephesiorum Metropoli convenit, sententia contra hareticum Nestorium lata, adsti-*
100 *pulati sint, consequens est, ut eorum, qua hesterno hodiernóque die acta sunt, commentarii superioribus actis attexantur.*

Alter est in actione V. *Cyrillus Alexandria Episcopus dixit: Hesterno die sanctitate vestra in hoc ipso loco considente, præsidentibus etiam legatis à magna Roma missis, videlicet sanctissimi piissimique Episcopi Celestini locum tenentibus, ego & Memnon reverendissimus hujus Ephesina Metropolis Episcopus, libellos obtulimus, postulantes, ut Joannes reverendissimus Ecclesia Antiochena Episcopus, & qui una cum ipso injuriam in nos contexuerunt, depositionisque abuti nomine præsumpserunt, ad sanctam hanc & OEcumenicam Synodum accerserentur, quo coram causam pro se dicerent, suaque dicacitati patrocinarentur, sive injustas machinationes defenderent.*

Hic primum, *Cyrillus Alexandria Episcopus* dicitur; sed & *Sedis Apostolica legatus*, vel *Celestini locum tenens* non additur, ut addendum erat, si ut adderetur, rei gestæ passa esset veritas. Deinde cum Cyrillus de Celestini & Occidentalium Episcoporum legatis verba facit, his se non connumerat, quibus connumerare se oblitus nunquam esset, si Celestini legationem obiisset. Denique tantum abest, ut Cyrillus commune cum legatis Arcadio, Projecto & Philippo munus in Synodo sortitum se esse ostendat, ut potius se ab illis distinguat, & in distinctionis signum sibi jungat Memnonem Ephesiorum Episcopum, cui Celestinus nullas unquam vices suas commiserat.

Hoc confirmatur plurimum, ex eo quod Cy-
101 rillus nec ab Arcadio, nec à Projecto, nec à Philippo legatis, qui ab Occidente venerant, dicatur Celestini vicarius, quando Celestini vicarium vel maxime dici oportuit. In hac enim actione III. Nestorii causa ad exitum perducitur tota, & damnatio decernitur; hoc est, idipsum mandatur executioni, quod Celestinus in Romano Concilio contra Nestorium statuerat, & pro se suas Cyrillo vices tunc delegaverat. Cyrillus ergo ante indictam vel incœptam Ephesi Synodum Celestini vicarius esse desierat, cum his in locis Celestini vicarius non dicatur in exequenda illa sententia, pro qua exequenda jam ante Synodum constitutus fuerat Romanæ Ecclesiæ vicarius: Quam enim contra Nestorium sententiam Romana Synodus tulerat, eandem & Ephesina tulit.

Præterea Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter, qui vel legatos & vicarios vel Apostolicæ Sedis, vel Celestini, vel Romanæ Ecclesiæ se semper appellant, Cyrillum legatum, seu vicarium Sedis Apostolicæ vel Celestini, vel Romanæ Ecclesiæ appellant nusquam, appellaturi utique, si ut appellaretur, Celestinus fecisset.

Ratio quinta ea est, quam suppeditant illa loca, in quibus Cyrillus Synodi caput & præceptor simpliciter vocatur; & primum quidem actione V. in exemplo relationis, quam Synodus ad Imperatores de Orientalibus transmisit: *Præter omnem Ecclesiasticum ordinem, præterque Canones, contra Ecclesiasticam* 102
& sanctam Synodum, & contra caput sanctissimorum Episcoporum hic congregatorum. Cyrillum scilicet, sanctissimum Alexandria Archiepiscopum, & Memnonem Episcopum Deo dilectissimum, blasphemiam depositionis, contumeliam, ut existimant, in se continentem, per audaciam protulerunt.

Deinde actione VI. in supplici libello quem ad Imperatores pro Synodo clerus Constantinopolitanus obtulit: *Etenim si OEcumenica Synodi præceptor, παιδευτής, cujus sententia per ea, qua deposuerunt, reliqui omnes subscripserunt, indignum quidquam præter Canonum ordinem pertulerit.*

Tum actione eadem in Synodi relatione ad Imperatores: *Supplicamus, ne sancta nostra Synodus suo destituatur capite,* ὅτι μὴ ἀκέφαλον ὑπάρχειν τὴν σύνοδον. Synodus ad augendum apud Imperatores Orientalium vel crimen, vel de iis querelam, non dixisset modo Cyrillum fuisse congregatorum Episcoporum caput; sed etiam Celestini Romani Pontificis personam gessisse: Id minime dixit, quod ultro dicendum esset, si res ita fuisset. In tali rerum conditione silentii causa nulla prætexeretur, aut prætexi posset, quia silentium culpæ verteretur. Cyrillum Celestini locum obtinuisse in Synodo, non fuisset notius, quam eundem Cyrillum congregatorum Episcoporum caput & præceptorem extitisse. Quo fit ut Synodus ubique scripsisset, Orientales depositionis sententiam tulisse in eum, qui & congregato- 103
rum Episcoporum caput erat, & Sedis Apostolicæ vices gerebat. E duobus alterum haud scripsit, quia illud vere scribere non potuit.

Huc accedit, quod nec Celestinus, nec tres legati Arcadius, Projectus, & Philippus de illata Cyrillo ab Orientalibus injuria conquesti sint unquam. Quis autem in animum induceret suum conquestos illos non esse, si Cyrillus pro Celestino legationem aut vicariam præfecturam obiisset? Clamores in cœlum usque sustulissent de læsa Sedis Apostolicæ dignitate, conticuisset nemo:

Conticuere omnes, intentique ora tenebant,

quandiu exorta inter Orientales & reliquam Synodum contentio duravit. Observatio hæc sola, si suis, ut convenit, expendatur momentis, rem apud æquos rerum æstimatores conficere judicabitur: Cyrillum nempe quidquid in Ephesina Synodo fecerit, ut Celestini Papæ vicarium minime fecisse.

Ratio sexta sic se habet: Leo primus, quos ad Ephesinam Synodum secundam legatos miserat, aliis quos postea ad Calchedonensem Synodum misit,

per novas literas adjunxit. Id ex verbis Epistolæ XLIX. ad Marcianum patet. *Credebamus*, inquit, *clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respecta differri ad opportunius tempus sacerdotalem Synodum juberetis, ut vocatis de cunctis provinciis Sacerdotibus vere posset esse universale Concilium. Sed quia vos amore catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare videret arbitrio, fratrem & Coepiscopum meum Paschasinum de ea provincia, quæ videbatur esse securior, evocatam, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, Bonifacio fratre nostro & Compresbytero sociato, & his quos antea miseramus, adjunctis, consortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Episcopum.* Quod
104 & in actione VIII. Calchedonensis Concilii agnoscitur, ubi Theodoreti restitutionem proponunt *Paschasinus & Lucentius reverendissimi Episcopi, & Bonifacius reverendissimus Presbyter, insuper & Julianus Episcopus Coensis, habentes locum Apostolicæ Sedis.* Cur ergo ita se gessit Leo, nisi quod probe noverat finitam esse Juliani & aliorum legationem, cum Theodosius, rogante Romana Synodo, quidquid actum fuerat Ephesi pro non acto haberi voluit, donec major ex orbe toto Sacerdotum numerus cogeretur: Sic finita erat Cyrilli legatio, postquam Theodosius suspensa Romani Concilii sententia Ephesinum Concilium primum fieri jusserat. Hinc quia Celestinus suis vel ad Ephesinum Concilium, vel ad Imperatores literis Cyrillum Arcadio, Projecto & Philippo non adjunxit, Cyrillus in Ephesino Concilio Celestini locum tenere non potuit.

Ratio septima ex generalium Conciliorum disciplina sumitur. In nullo unquam generali Concilio, quod apud Orientem celebratum sit, delecti sunt ex-
105 tra Occidentem Præsules, à quibus vel Romanus Pontifex, vel Occidentales Episcopi repræsentarentur. Id prudenter omnino factum est & apposite; nam in generali Concilio res definienda proponitur, super ea deliberatur ab omnibus, qui vocantur ad Concilium, & sententia decernitur. Si tunc exempli gratia Alexandrinus Episcopus Romani Episcopi locum teneret, Alexandrinus Episcopus, nisi talis esse desineret, semel atque iterum deliberaret, & sententiam diceret; semel quidem cum Romani Episcopi partes, seu mandatum impleret: iterum quando quid sibi videretur ipsimet, exponeret. Atque ita si Alexandrinus Episcopus, cum Romani Episcopi mentem explicaret, à seipso aut illius vicario, cum aperiret suam, dissideret, Ecclesia tota schismatis periculo exponeretur; & illud periculum eo esset majus, quod Ægyptii Præsules pro recepto more Alexandrini Episcopi sententiam sequantur. Quid, quæso, & quantum mali importatum esset Ecclesiæ, si Dioscorus Alexandrinus Episcopus Leonis Papæ personam in Ephesina Synodo secunda gestasset? Necesse non est id pluribus verbis interpretari; & quamvis à Cyrillo, qui quam Nestorii doctrinam, Celestinus & coacta Romæ Synodus damnavit, jam ante damnaverat, timendum nihil fuerit; Imperator tamen noluit, ut Romani Concilii sententiam exequeretur: Sed ut in generali Synodo instauraretur de Nestorio & ejus doctrina judicium, generalem Synodum indixit Ephesi, indictámque Ro-
106 mano Episcopo, & magnarum sedium Antistitibus significari jussit. Romanus Præsul Celestinus, cum Imperatoris sacras literas accepit, prætermisso, ut par erat, Cyrillo, tres ad Ephesinam Synodum misit legatos, Arcadium & Projectum Episcopos, & Philippum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, qui Sedis Apostolicæ & Occidentalium partes sustinerent, & quid jam de Nestorio & ejus doctrina statuerant, coram Patribus Synodi proponerent: Quasi vero tres illi legati ad exequendum munus illud non suffecissent, & indiguissent Cyrilli ope, qua indiguerant alias, cum apud Orientales Occidentalium nullus esset, qui quidquid adversus Nestorium decreverant, exequeretur. Sed illud Celestini factum non ivit in exemplum, quod ut ipse rursus statuerit, vel successores imitati fuerint.

Ratio octava depromitur ex ipsomet Celestino Pontifice, qui nec sibi, nec legatis suis Ephesinæ Synodo præsidendi munus vindicat. Non enim Arcadium, Projectum & Philippum misit ad Synodum ut ei præessent; sed ut interessent. Celestinus disertis verbis id semel atque iterum scribit. Semel actione II. in Epistola ad Ephesinam Synodum: *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres & consacerdotes nostros unanimes nobis, & probatissimos viros Arcadium, Projectum Episcopos, Philippum Presbyterum nostrum, qui iis, quæ aguntur, intersint, παρῶσι.* Iterum eadem actione in Epistola ad Theodosium: *Huic cœlesti curæ vel gloriæ unusquisque nostrum pro sacerdotali officio operam nostram in quantum valemus, impendimus, & huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in his quos misimus, exhibemus.* 107

Id quoque Philippus Sedis Apostolicæ legatus testatur, cum actione III. sic loquitur: *Hujus* (Petri) *secundum ordinem successor, & locum tenens sanctus beatissimúsque Papa noster Celestinus Episcopus nos ipsius præsentiam, παρουσίας, supplentes ad hanc Synodum misit.*

Id etiam Synodus eadem actione significat in relatione ad Imperatores: *Et hæc quidem antequam Synodus hæc sanctissima conveniret, Celestinus sanctissimus magnæ Romæ Episcopus per literas suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo ut vices suas subiret, commiserat; sed & nunc denuo alias etiam literis sanctæ Synodo, quam vestra majestas in Ephesiorum Metropoli convenire præcepit, hæc significavit. Misit autem has literas per Arcadium & Projectum sanctissimos Episcopos, & Philippum religiosissimum Presbyterum magnæ Romæ, qui Celestini Episcopi præsentiam supplent, ἀναπληροῦντες τὴν παρουσίαν.*

Deinde Synodus actione VI. in relatione, quam per Palladium Magistrianum ad Imperatores misit: *Quæ quidem Synodus omnes totius orbis sanctissimos Episcopos unam idemque sentientes habet; nam & magnæ Romæ Episcopus Synodo interest, συμπάρεστι· Neque desunt Africani per piissimum Cyrillum Archiepiscopum repræsentati, eam quæ suam sententiam conjunxerant.*

Celestini testimoniis duobus alia tria subjunximus, Philippi Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, & legati unum, & Ephesinæ Synodi duo, in quibus Synodo præsidendi jus nullum tribuitur. Legatorum in Synodo præsentia, παρουσία, non προεδρεία asseritur. Præsidere Synodo & interesse, discrimen ingens admittunt. Non enim omnis, qui Synodo interest, Synodo præsidet: Alioquin Episcopi omnes, qui Synodo intersunt, Synodo præsiderent; atque ita tot Præsides, quot Episcopi. Quare Celestini locum tenere, non est præsidere nomine Celestini. Arcadius, Projectus & Philippus Celestini locum tenebant in Synodo, nec tamen Synodo præsederunt; & sane nulla est Ephesinæ Synodi actio, qui præfuisse legantur. Aliquando post Cyrillum nominantur & subscribunt proxime, sed ante nusquam. Tum absente Cyrillo, & his tribus legatis præsentibus Juvenalis Hierosolymorum Antistes nominatur primus, & subscribit, quod in actione V. & VI. contigit; in actione quidem V. cum de rebus gestis inter Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Ephesinum ex una parte, & Orientales ex altera, relatio ad Imperatores decernitur: *Juvenalis Hierosolymorum Episcopus subscripsi, Arcadius Episcopus & Apostolicæ Sedis legatus subscripsi, Projectus Episcopus & Apostolica Sedis legatus subscripsi, Philippus Presbyter & Apostolicæ Sedis* 108

legatus subscripsi; subscripserunt autem & reliqui omnes. Deinde in exemplo relationis quam Synodus ad Imperatores mittit, pari modo subscribunt: *Juvena-*
109 *lis Hierosolymorum Episcopus retuli, Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter Sedis Apostolicæ legati retulimus; subscripserunt autem reliqui omnes Episcopi.*

Tum in actione VI. Synodi decreto de fide ita subscribunt: *Cyrillus Episcopus Alexandriæ subscripsi, pronuncians cum sancta Synodo.*

Arcadius Episcopus & legatus Sedis Apostolicæ subscripsi, pronuncians cum sancta Synodo.

Juvenalis Hierosolymorum Episcopus subscripsi, pronuncians cum sancta Synodo.

Projectus Episcopus & legatus Sedis Apostolicæ subscripsi, pronuncians cum sancta Synodo.

Flavianus Episcopus Philippensium subscripsi, pronuncians cum sancta Synodo.

Philippus Presbyter Sedis Apostolicæ & legatus subscripsi, pronuncians cum sancta Synodo.

Postremo Cyrillus ipse Africanorum in Synodo locum tenebat; nec tamen Africanorum nomine Synodo præsidebat: Et sic quamvis, quod verum non est, verum esset, Cyrillum nempe Celestini locum tenuisse in Synodo; non inde tamen sequeretur Cyrillum Celestini nomine Synodo præsedisse: Quare si Cyrillus Synodo præsedit, ut reipsa præsedit, Celestini nomine non præsedit. Facessant igitur sumpta ex his verbis, *qui & Celestini locum obtinebat*, præjudicia, quibus qui Cyrillum Celestini nomine Synodo huic præfuisse existimant, falso ducuntur. Facessant fucatæ argumentationes, quæ apud recentiores quosdam è schola Theologos, partim ex occupatione ani-
110 mi, partim ex actorum Ephesinæ Synodi ignorantia procedunt.

Sibi tum demum non credant, sed Leoni Papæ, qui in Epistola XLVII. ad Nicænam Synodum, seu Calchedonensem ita scribit: *Amplectendum igitur clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli jure, atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus. Quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere: Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere.* Cum ergo Pontifex eruditus probe noverat aliud esse Synodo præsentiam suam præbere, aliud præsidere, duo hæc conjunxit, ut cunctis liquido pateret, se non tantum Synodo per legatos suos interfuturum, sed etiam præsessurum. Eadem repetit in Epistola XLIX. ad Marcianum Imperatorem.

Ratio nona ex Ephesinæ Synodi actis ducitur, in quibus Cyrillo Memnon Ephesiorum Episcopus in προεδρείᾳ conjungitur, non Sedis Apostolicæ legati Arcadius, Projectus & Philippus: Ita ut Cyrillus & Memnon Synodi Præsides dicantur; Cyrillus vero, Arcadius,
111 Projectus & Philippus una Synodi Præsides non dicantur. Sunt autem in actis Synodi loca quatuor, ubi res illa sic se habet.

Primus est actione IV. in allocutione Cyrilli & Memnonis ad Synodum de Joanne Antiocheno & Orientalibus: *Fieri non potest, ut hi, qui à sancta hac Synodo desciverunt, & pravæ Nestorii opinioni se adjunxerunt, talique ac tanto crimine obstricti tenentur, quidquam contra hujus Oecumenicæ Synodi Præsides audeant efficere.*

Alter est actione VI. in qua Synodus de Joanne Antiocheno & illius conciliabulo sermonem facit: *Contra sancta & Oecumenicæ Synodi Præsides* κατὰ τῶν ἐξάρχων τῆς ἁγίας ἢ οἰκουμενικῆς συνόδου, *depositionis sententiam scribere, eamque velut ab universa Synodo profectam vestram ad pietatem deferre ausi sunt.* Et post alia: *Nullum prorsus crimen, quod contra sanctæ Synodi nostræ duces proferre queant, habentes.* Et iterum post alia: *Cyrillus & Memnon sanctæ Synodi Principes,* ἔξαρχοι.

Tertius eadem actione in mandato, quod Synodus dedit Episcopis, ab ea missis Constantinopolim adversus Orientales: *Non prius illis communionem spondeatis, quam Præsides suos,* προέδρους, *recipiat sancta Synodus.*

Quartus denique eadem actione in relatione Synodi ad Imperatores: *Joannes Antiochenus contra Præsides nostros,* προέδρους, *orthodoxæque fidei æmulatores Cyrillum Archiepiscopum & Coepiscopum Memnonem invectus est.* Infra: *Supplicamus, ne sancta nostra Synodus suo destituatur capite, nosque & universi terrarum orbis Sacerdotes intolerabili, continuaque lucta Præ-* 112
sidum nostrorum, προέδρων, *causa conteramur.* Infra: *Rogamus majestatem vestram, ut & nos quoque (omnes enim vinctis utpote fratribus, sanctæque Synodi Præsidibus colligati sumus) à vinculis absolvat.*

Porro autem ex iis, quæ in hac ratione nona recensuimus, hinc octava confirmatur ratio, hinc simul ostenditur, Cyrillum & Memnonem pari modo Præsides dici: Et sicut Celestini auctoritate Memnon Synodi Præses non dicitur, sic & Cyrillus Celestini auctoritate Synodi Præses non dicitur.

Ratio decima ex iis, qui post Ephesinam Synodum usque ad Calchedonensem de Ephesinæ Synodi Præside locuti sunt, arcessitur.

Primus hoc in ordine occurrit Leo Magnus, qui tum erat Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, vel certe Diaconus, cum Ephesina Synodus celebrabatur: Sic enim scribit in Epistola jam laudata XLVII. *Prioris autem Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit, contra Nestorium specialiter statuta permaneant.* Quid clarius? Pontifex simpliciter loquitur: ad Pontificis, cujus intererat, imitationem simpliciter loquamur, nec id addamus, quo negligens opportunitatum Sedis Apostolicæ Leo judicetur.

Secundus, Theophilus Episcopus Cleopatridis in actione I. Calchedonensis Concilii inter Ephesi acta: *Cui* (Ephesinæ Synodo) *præfuit ter beatus Archiepiscopus quondam noster Cyrillus.*

Tertius ibidem Auxonius Sebennitensis civitatis E- 113
piscopus: *Cui* (Ephesinæ Synodo) *præfuit ter beatus, & omnino laudabilis memoriæ Antistes noster Cyrillus.*

Quartus Eudoxius Etennorum Pamphyliæ Episcopus actione IV. Calchedonensis Concilii sic locutus: *Ephesi habita Synodus, præsidente sanctissimo Episcopo Cyrillo.*

Quintus Neon Psyltii Pamphyliæ Episcopus, actione eadem ubi sententiam dixit: *Cui* (Synodo Ephesinæ) *præerat beatæ memoriæ Cyrillus.*

Sextus Nunechius Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ Episcopus actione eadem: *Cujus* (Ephesinæ Synodi) *Præses erat beatus Pater noster Cyrillus.*

Septimus Marcianus Imperator in sacra ad Palladium, quæ parte III. Calchedonensis Concilii capite XIX. refertur: *Ephesinæ Synodo Cyrillus præfuit.*

Huc revoco Ægicanem Hispaniæ Regem, qui longe post Calchedonensem Synodum enituit: Sic autem scribit in edicto ad Toletanum Concilium XV. *Ephesini cœtus Cyrillo præsidente traditio protulit.* Ubique Cyrillus Ephesinæ Synodo præsidet, facta nulla mentione Celestini, cujus auctoritate præsederit, vel cujus vices gesserit.

Absoluta prima epocha, ubi Cyrillo, quod suum est redditur; Ad secundam transeamus. Hæc breviter decurrenda, & propriis implenda est auctoribus, qui Celestinum & Cyrillum Ephesinæ Synodo præfuisse tradunt. 114

Yyyy 2 In

In hac serie primus se offert Euphrates Eleutheronæ Episcopus, qui actione III. Calchedonensis Concilii hic loquitur de Synodo Ephesina: *Cujus Præsides fuerunt beatissimus Celestinus Apostolicæ Sedis Præsul, & beatissimus Cyrillus Episcopus magnæ civitatis Alexandriæ.*

Secundus non unus tantum auctor; sed universus cœtus Episcoporum Calchedonensis Concilii in actione V. *Decernimus igitur, ordinem, & omnes formulas custodientes, quæ de fide sunt constituta, & nos sancta Synodo quondam in Epheso facta, cujus Præsides, ἡγεμόνες, fuerunt beatissimæ memoriæ Celestinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum Episcopus; præfulgere quidem rectæ & immaculatæ fidei expositionem sanctorum ac beatissimorum trecentorum decem & octo Patrum, qui in Nicæa temporibus piæ memoriæ Constantini Imperatoris congregati sunt.*

Tertius Marcianus Imperator in lege, quam pro confirmanda Synodo Calchedonensi tulit, & quæ parte III. hujus Synodi habetur: *Celestinus Romanæ urbis, & Cyrillus Alexandrinæ civitatis* (in Ephesino Concilio) *veritatis duces fuerunt.*

Iterum in sacra Archimandritis missa, quæ extat in parte III. Calchedonensis Concilii cap. IX. *Orthodoxorum itaque fidem sicut accepimus, servare in perpetuum festinamus: Quemadmodum etiam sancta Synodus nuper in Calchedonensium civitate cele-*
115 *brata credere docet Symbolum confirmans, & consona ipsis sanctis Patribus Ephesinoque Concilio, cujus Celestinus* & *Cyrillus reverendæ memoriæ Præsides fuerunt,* πρεσβεύοντα.

Rursus in edicto ad Palladium prætorii Præfectum ibidem cap. XII. *Apud Ephesum Nestorii error est expulsus, præsidentibus,* προεδρευόντων, *Celestino Romæ urbis, & Celestino Alexandrinæ civitatis Episcopis.*

Quartus Pulcheria in sacra Archimandritis missa ibidem cap. XIV. *Nestorii impietas expulsa est à Concilio Ephesino, cui Celestinus & Cyrillus reverendæ memoriæ præsidebant.*

Quintus Julianus Coensis Episcopus in Epistola ad Leonem Imperatorem: *Cui* (Ephesino Concilio) *præsederunt ter beati & sanctissimi Patres Celestinus Romanæ Pontifex civitatis, & Cyrillus Alexandrinus Episcopus*, ibidem cap. XLVII.

Sextus Consessus Episcoporum Armeniæ primæ in Epistola ad eundem Imperatorem: *Cui* (Ephesinæ Synodo) *præfuerunt religiosissimi & sanctissimæ memoriæ Romanorum & Alexandrinorum Episcopi Celestinus & Cyrillus*, ibidem cap. XLVIII.

Septimus Joannes Neapolitanus Episcopus in relatione ad Hormisdam Romanum Pontificem: *In qua* (Ephesina Synodo) *Principes extiterunt sanctissimæ memoriæ Episcopi Celestinus Apostolicæ Sedis vestræ, & Cyrillus Alexandrinæ.*

116 Octavus, Petrus Diaconus in libri de Incarnatione & gratia capite V. *Accepimus autem & quatuor Concilia secundum hunc expositionis nostræ sensum.* Et post pauca: *Necnon etiam Ephesinum primum, cui præfuerunt beatissimus Celestinus Romanus, & Cyrillus Alexandrinus Antistites.*

Nonus Vigilius Pontifex Romanus in Epistola ad universum populum Dei: *Cui* (Ephesinæ Synodo) *beatæ memoriæ Papa Celestinus decessor noster, & Cyrillus Alexandrinus Episcopus præsederunt.* In Jacobi Sirmondi Appendice ad Codicem Theodosianum.

Decimus Justinianus Imperator in collatione I. Constantinopolitani Concilii V. *Cui* (Ephesinæ Synodo) *præsidebant Celestinus & Cyrillus sancti Patres.* Rursus in confessione fidei adversus tria capitula: *Cujus* (Ephesinæ Synodi) *auctores erant Celestinus & Cyrillus sanctæ memoriæ.*

Undecimus Pelagius II. in Epistola ad Episcopos Istriæ: *Cui* (Ephesinæ Synodo) *præsederunt beatæ memoriæ prædecessor noster Celestinus Romanæ urbis Antistes, & Cyrillus Alexandriæ Episcopus.*

Præterea sunt nonnulli à quibus res eadem his aliis verbis congregata Ephesi Synodo sub Celestino & Cyrillo exprimitur: Horum numero adscribuntur

Cœtus Episcoporum Europæ in Epistola ad Leonem Imperatorem: *Quod* (Ephesinum Concilium) *sub beatæ memoriæ Celestino successore sancti & venerandi custodis clavium Petri, & sub felicis memoriæ Cyrillo Alexan-* 117
drino Pontifice congregatum est. In parte III. Calchedonensis Concilii capite XXVII.

Lucianus Byzenensis Episcopus in epistola ad eundem Imperatorem: Ibidem cap. XXVIII. *Qui* (congregati Ephesi Præsules) *sub Celestino Romanæ urbis, & Cyrillo Alexandrinorum sanctis Episcopis convenerunt.*

Sunt & alii, qui ad illos aliter accedunt. In hoc ordine primus est Hormisda Pontifex in epistola IX. ad Joannem Nicopolitanum Episcopum: *Patrum,* inquit, *sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreticos, præcipue Nestorium, qui quondam Constantinopolitanæ urbis fuit Episcopus, damnatus in Concilio Ephesino à Celestino Papa urbis Romæ, & à sancto Cyrillo Alexandrinæ civitatis Antistite.*

Sexta Synodus, seu potius is qui sermonem prosphoneticum ad Imperatorem nomine Synodi habuit: *Iterum Nestorius, & iterum Celestinus & Cyrillus, ille quidem Christum dividebat; hi vero cum Domino conspirantes, una cum sceptrorum Domino divisorem dejiciebant, ut Ephesus, & ibidem gestorum tabula per literariam vocem dum ipsi silent, causas ipsas loquuntur.* Quod in Præsides quadrat.

Constantinus IV. in edicto quod pro sexta Synodo fecit: *Cujus* (Ephesinæ Synodi) *auctores fuerunt Celestinus & Cyrillus, qui cum Domino nostro atque inseparabili Deo nostro divisorem Nestorium cum sua profana & maligna secta condemnaverunt.* Auctores perinde atque Præsides dicuntur.

Romani Pontifices recens creati in fidei professione, 118
quam olim dum inaugurabantur, emiserunt: *Quibus duobus universalibus venerandisque Conciliis* (Nicæno & Constantinopolitano) *tertium generale ducentorum sanctorum Patrum accessit Concilium, quod sub principalis quidem memoriæ Theodosio Augusto factum est: Ex auctoritate tamen Celestini Apostolicæ Sedis Antistitis, cum beato Cyrillo, Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule.*

Cur autem alii Celestinum & Cyrillum Ephesinæ Synodi Præsides fecerint; alii Synodum sub Celestino & Cyrillo congregatam dixerint, alii damnatum à Celestino & Cyrillo Nestorium scripserint, alii tandem paullo aliter loquantur; ratio omnium una fuit, quia quæ adversus Nestorium in Romana primum Synodo, deinde in Ephesina decreta sunt, perinde miscent & conjungunt, ac si una eademque Ephesina synodus foret. Et quia Celestinus Romanæ synodo præfuit, & Cyrillus Ephesinæ, inde accidit, ut Celestinus & Cyrillus Ephesinæ synodo præfuisse nunc dicantur, nunc Ephesina synodus sub Celestino & Cyrillo coacta memoretur.

Et vere licet in quæstione facti sit error certissimus, quia Celestinus nec per se, nec per Arcadium, Projectum & Philippum legatos suos Ephesinæ synodo præfuit; tamen quidquid est, facile excusatur: Et primum quidem Romana & Ephesina synodus de re eadem duobus adeo vicinis tempo-
ribus celebratæ sunt, ut una & eadem synodus vi- 119
deatur esse, & dicatur Ephesina, quia hæc negotio ab Romana inchoato finem imponit. Deinde utriusque synodi Romanæ & Ephesinæ acta inter se miscentur; ita ut unum corpus efficiant. Tum utraque Synodus rem eandem agit: Quæ enim in Romana gesta sunt, in Ephesina repetuntur, neque repetuntur tantum, sed etiam prædicantur, & in auctoritatem admittuntur. Quo fit, ut dum actione II. lecta est Celestini

Epistola Occidentalium Episcoporum sententiam continens, omnes reverendissimi Episcopi simul acclamaverint: *Hoc justum judicium, novo Paulo Celestino, novo Paulo Cyrillo; Celestino custodi fidei, Cyrillo cum Synodo concordi: Celestino universa Synodus gratias agit, unus Celestinus, unus Cyrillus, una fides Synodi.* Quapropter prærogativa familiaritatis, quæ inter utramque Synodum fuit, hoc adfert, ut re in compendium missa, quod duabus Synodis, Romanæ, cui Celestinus præfuit, & Ephesinæ, cui Cyrillus, tribuendum est, Ephesinæ uni tribuatur; eo fere modo, quo ipsi juris auctores tradunt, nonnunquam celeritate conjungendarum inter se actionum unam actionem occultari: Sic Romana Synodus in Ephesina occultatur, cui ob id Celestinus & Cyrillus à nonnullis præsedisse dicuntur. Sed nunc cum explorata est rei veritas, cui nec unquam, nec à quoquam præscribitur, & justitia postulat, ut reddatur cuique suum, Romanæ Synodi Præsidem Celestinum, & Ephesinæ
120 Præsidem Cyrillum asserimus; ac proinde Cyrillum
in Ephesinæ Synodi celebratione, Celestini vicarium non dicimus, quia ex iis quæ ante retulimus, dici reipsa non potest. Quod cum ex seipso manifestum est, tum ex Cardinalibus Bellarmino & Perronio, qui dum Celestinum huic Concilio per Cyrillum præfuisse contendunt, neminem laudant eorum, quos epochæ huic consignavimus. Et recte quidem: Qui enim ita loquuntur, Celestini vicarium non ponunt Cyrillum. Papa & Papæ vicarius, Episcopus & Episcopi vicarius, unam duntaxat personam sustinent, non duplicem. Quis enim diceret? Leo, Paschasinus, & Lucentius Episcopi, Bonifacius & Basilius Presbyteri Calchedonensi Concilio præfuerunt. Certe Leo non ita dicit, & nescio, utrum aliquem ita dicentem patienter audiret.

Succedit epocha tertia, quæ Cyrillum Celestini vicarium exhibebit. Menas Constantinopolitanus Episcopus, qui ad annum Christi DXL. claruit, hunc loquendi modum usurpat in fidei professione, quam cum quibusdam aliis Præsulibus ad templum sanctæ Euphemiæ misit. Verba sunt de Ephesina Synodo: *In qua, in legatis suis atque vicariis, id est, beatissimo Cyrillo Alexandrinæ urbis Episcopo, Arcadio, & Projecto Episcopis, & Philippo Presbytero, beatissimus Celestinus Papa senioris Romæ noscitur præsedisse.* Professionis hujus exemplar habetur in constituto Vigilii Papæ, qui tunc Romanam gubernabat Ecclesiam.

121 Æqualis Menæ Liberatus Carthaginiensis Diaconus
in capite V. Breviarii: *Porro Cyrillus cum suis habens vices Sedis Apostolicæ, evocato Concilio CC. Episcoporum, Nestorium vocaverunt.*

Marcellinus Comes in chronico: *Celestinus Romanæ arcis Pontifex, Nestorio pravitatis Episcopo, per Epistolam suam datis eidem X. dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel dissentienti damnationem denuntiat; idem Nestorius Constantinopolitanæ Ecclesiæ perfidus Antistes, à quo & Nestoriana perfidia pullulavit, apud Ephesum CC. sanctorum Patrum sententia in Synodo damnatus est, Celestino Cyrillum Alexandrinæ civitatis Episcopum pro tempore vicarium denunciante.*

Evagrius in libri I. hist. capite IV. *Ubi igitur quindecim dies ultra diem præfinitam præterierunt, Episcopi Ephesi convenerant, quasi jam Episcopi versus Orientem habitantes non essent venturi, aut si forte venirent, multum dilaberetur temporis, antequam in unum cogerentur: Cyrillo locum Celestini episcopatum antiquæ Romæ, ut supra docui, gerentis obtinente, accersunt Nestorium, hortantúrque ut criminibus ipsi objectis respondeat.*

Mansuetus Mediolanensis Episcopus in synodica ad Constantinum IV. Epistola: *Congregata est sancta Synodus in Ephesina civitate CC. sanctissimorum Patrum numero, ubi sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul, auctoritate Sedis Apostolicæ præditus, caput extitit.*

Nicolaus Papa primus in Epistola IX. ad Michae- 122
lem Imp. *Cyrillus idcirco in Ephesina Synodo ante omnes sedit, quia & ipse locum memorati Papæ* (Celestini) *ibidem sicut gesta ejusdem Synodi testantur, obtinuit.*

Photius in libro de Synodis: *Ephesi, quod oppidum est in Asia, sanctum atque œcumenicum Concilium tertium celebratum est ducentorum Episcoporum, ex quibus erant Præsides Cyrillus ille celeberrimus inter Patres, qui propter virtutum, sapientiæque divitias magnæ civitatis Alexandriæ sedem obtinebat, & Celestinus Romani Pontificis implebat sedem, atque personam gerebat, & Memnon, cui Ecclesiæ Ephesiorum commissa erant gubernacula, & Juvenalis Episcopus Hierosolymorum.*

Menologium ab Sirleto Cardinali editum V. Idus Junias: *Natalis Cyrilli ejusdem civitatis Episcopi, quem summus Pontifex Celestinus idoneum judicavit, cui vices suas in Ephesino Concilio delegaret.*

Gregorius VII. In Apologetici capite III. *Item temporibus Theodosii junioris Augusti sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & Arcadius Episcopus ex Italia vice beati Papæ Celestini Ephesino Concilio præfuerunt.*

Joannes Zonaras in tomo IV. Annalium: *Itaque ducentis Patribus Ephesum ad Concilium congregatis, cujus princeps erat sanctus Cyrillus Celestini Papæ Romani etiam vice fungens, qui per valetudinem adesse non poterat.*

Libellus synodicus num. CCCCXXX. *Quod animad-
vertens Theodosius minor Imperator Ephesi beatorum Pa-* 123
trum ducentorum tertiam œcumenicam Synodum congregari jussit, cui Cyrillus præfuit Apostolorum adstipulator.

Nicephorus Callistus in libri XIV. histor. capite XXXIV. *Celestinus autem Romæ Episcopus propter navigationis pericula ipse Synodo adesse detrectavit. Ad Cyrillum tamen, ut locum illic suum obtineret, scripsit; ex quo tempore fama est, mitram illam & Papæ appellationem, atque ut orbis universi judex appellaretur, accepisse.*

Nilus Metropolita Rhodius in libro de Synodis: *Sancta & œcumenica tertia Synodus Ephesi habita est, imperante Theodosio juniore congregata à ducentis sanctis Patribus adversus Nestorium Patriarcham Constantinopolitanum. Huic præerant Celestinus Romæ, Cyrillus Alexandriæ, Juvenalis Hierosolymorum, & Memnon Ephesi Episcopi.*

Florentina Synodus in editionis primæ sessione V. *In hoc libro actorum tertiæ Synodi variæ beati Cyrilli habentur epistolæ, qui princeps erat Synodi illius, locumque obtinebat, & sensum Celestini Papæ.*

Et primum quidem his testimoniis undecim oppono ea omnia, quæ in prima & secunda epocha ex inveniendi asserendique veri legibus constitui.

Deinde epocham hanc tertiam, ut minimum incertam reddunt ii, quos ad eam quidem spectantes; sed
tamen propter doctrinæ similitudinem, ad primam 124
& secundam revocandos esse censui: Ægicanes Rex Hispaniæ, Petrus Diaconus, Vigilius, Justinianus, cui consentit Synodus V. & Pelagius II. Quid enim certi epocha tertia habere potest, in qua Ægicanes, Petrus Diaconus, Vigilius, Justinianus, Pelagius II. Menæ, Marcellino, Liberato, Evagrio, Mansueto, Nicolao I. Menologio, Gregorio VII. Zonaræ, Libello synodico, Nicephoro, Florentinæ Synodo non concordant? In hac autem dissensione, *quis inter eos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?* Tertullianus in libri IV. contra Marcionem capite IV.

Tum ut ingenue, ita & necessario fatendum est, relatos epochæ hujus auctores, perspecta & animadversa non habere omnia, quæ cum ad Nestorii damnationem, tum ad Ephesinæ Synodi celebrationem perti-

pertinent. Quæ distinguere vel maximè oportet, confundunt & eas vices, quas Celestinus Cyrillo ad exequendam tantum Romanæ Synodi contra Nestorium sententiam commisit, ad Ephesinæ Synodi tunc Celestino incognitæ celebrationem sine ullis novis Celestini literis, & insuper habita rei veritate extendunt. En apertum tibi fontem erroris, quo implicati auctores de Nestorii damnatione, & de Ephesinæ Synodi celebratione scripserunt.

Præterea de Celestino perinde verba faciunt, ac si
125 vices, quas Cyrillo commisit, solus commisisset. Non
commisit solus, sed partim suo nomine, partim Occidentalium Episcoporum, qui Romæ hæretica Nestorii dogmata confixerunt: Quo in casu specialis & propria Celestino ut Romano Pontifici prærogativa nulla vindicatur, etiamsi à nonnullis vindicari putetur. Quod diligenti & summa observatione dignum est.

Denique recentiores Græci permixtis à se & confusis Romanæ Synodi, & Ephesinæ gestis id de mitra, de phrygio, & de quibusdam honorum titulis adjiciunt, quod veterum scriptorum seu Græcorum seu Latinorum testimonio caret, & eam ob causam contempti exponitur secundum Baronii regulam.

Postrema epocha coercet eos, qui Cyrillo Celestini vicario nunc duos, nunc tres, suppressa vicarii mentione, alios Præsides, nunc unicum adjungunt. Hoc facti genus trium Græcorum est, Photii, qui ad annum DCCCLX. floruit, Georgii Cedreni, & Nili Rhodiensis Episcopi, qui posterioribus adhuc sæculis vixerunt.

Primus in libro de septem Synodis ita scribit: *Erant Præsides Cyrillus ille celeberrimus inter Patres, qui propter virtutum sapientiaque divitias magnæ civitatis Alexandrinæ, & Celestini Romani implebat sedem, atque personam gerebat, & Memnon, cui Ecclesiæ Ephesiorum commissa erant gubernacula, & Juvenalis Episcopus Hierosolymorum.* Eadem scribit in Epistola 1. ad Michaelem Bulgariæ Regem.

126 Secundus in compendio historiarum: *Præfuerunt illi*
(Ephesinæ Synodo) *Cyrillus Alexandriæ Episcopus, qui locum Celestini Papæ tenebat, & Juvenalis Hierosolymorum Episcopus.*

Tertius in libro de Synodis: *Huic* (Ephesinæ) *præerant Celestinus Romæ, Cyrillus Alexandriæ, Juvenalis Hierosolymorum, & Memnon Ephesiorum Episcopi.*

Photio sunt tres Præsides, Cyrillus Celestini personam gerens, Memnon & Juvenalis: Essent fortasse quatuor, si, ut apparet, Cyrillus duplicem personam, suam & Celestini gerebat.

Cedreno sunt duo tantum Præsides, Cyrillus & Juvenalis; si tamen Cyrillus Celestini tantum, non suas simul partes agat.

Nilo sunt Præsides quatuor, Celestinus, Cyrillus, Juvenalis & Memnon. His ita propositis mihi visum est distinctionis & doctrinæ majoris gratia, Photium, Cedrenum & Nilum in hanc eamque propriam epocham conjicere; tametsi nonnulla tradant quæ ad tertiam, secundam & primam epocham referuntur. Cum Photius & Cedrenus Cyrillum Celestini personam in Ephesina Synodo gessisse memorant, epochæ tertiæ scriptoribus concordant, & eodem atque illi modo refelluntur: Qua vero ratione Nilus Celestinum, & Cyrillum Ephesinæ Synodi Præsides statuit, cum auctoribus epochæ secundæ convenit, & fortunam eandem sortitur. Cum Photius & Nilus Memnonem Ephesinæ Synodi Præsidem faciunt, respectum
127 habent ad ea ejusdem Synodi acta, quæ in epochæ
primæ ratione nona persequimur. At in iis Memnon Synodi Præses appellatur. Denique cum Photius Cedrenus & Nilus Juvenalem in numero Præsidum collocant, ante oculos sibi constituunt ea Synodi acta, quæ in epochæ primæ ratione octava describuntur. In iis Juvenalis primus subscribit, quem Arcadius, Projectus, & Philippus Sedis Apostolicæ legati sequuntur, nec primum unquam in subscribendo locum sibi vindicant.

Prætermittendus non est Libellus synodicus, etiamsi quo modo loquitur, nullus sit unquam locutus: *Ephesinæ Synodo Cyrillus præfuit, Apostolorum adstipulator,* ζωάγρος. Si per Apostolorum adstipulationem, quis Celestini vicarium intelligat, Libellum synodicum in eadem cum illis qui sic loquuntur, sorte collocet, necesse est.

Hactenus Ephesinæ Synodi προεδρείαν executi sumus, & quo facilius exequeremur & ordinatius, scribendi argumentum in epochas quatuor distribuimus. Prima omnium expeditissima est, quippe quæ Ephesinæ Synodi actis, & scriptorum æqualium, vel ætate supparium testimoniis circumscribatur.

Altera in actorum Romanæ & Ephesinæ Synodi conjunctione Celestino & Cyrillo quod suum est unicuique conservat, & recentioribus Romanæ Curiæ magistris, qui Cyrillum Celestini vicarium in Ephesina
Synodo faciunt, vehementer incommodat: Ita ut 128
nullos, vel certe paucos invenias, qui relatis in epocha secunda auctoribus ad probandum assertionem suam utantur.

In epocha tertia erroris, qui multorum occupavit animos, fons aperitur, & una ostenditur, certum esse, quod illustris Annalium Ecclesiasticorum conditor ad annum DCIV. scribit num. XL. *In his quæ rerum gestarum veritatem spectant, quam frequenter accidit, falli etiam prudentissimos, non in antiquis tantummodo, sed & in his quæ facta esse dicuntur in eodem loco, quo ipsi sunt, & quo vivunt tempore, cum usus doceat, pluribus demonstrari supervacaneum esse putamus; ob idque nihil est, ut quantocius sanctitate, sive sanctitatis, sive doctrinæ cujuslibet prærogativa viri, quod non factum sit unquam, & factum asserentis, ipsi veritati possit præjudicium inferre. Cum in his quæ sunt facti, non dogmatis, potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus fidei orthodoxæ professor atque defensor aliquando falli. Sit in exemplum, quod qui major est Damasceno Theologus, ita ἀντονομαστικῶς dictus, celeberrimus sanctitate atque doctrina Gregorius Nazianzenus in ea oratione, quam de S. Cypriano habuit, manifestissimo lapsus errore cognoscitur, cum duos in unum Cyprianos conflat, Antiochenum atque Carthaginensem, quos constat fuisse diversos & inter se distinctos. Num, rogo te, eminentia superexcellens undique comparata, cumulatáque in viro tanto efficere potest, ut quod mendacium
est, veritas sit, & quod perinde ac verum ab eo falsum* 129
assertum est, recipiatur ab omnibus. Sed & accidere solet, ut aliquid vulgo allatum, si quis certos velit examinare testes an verum sit, neminem id serio testantem inveniat, fiátque ut quod ab omnibus dici jactatur, asseratur à nemine, rumórque ille evanescat in auras.

In epocha quarta, quæ vera, & quæ falsa sunt, suis locis & auctoribus redduntur, & negotium totum brevi manu conficitur. Porro autem in his omnibus, nisi scopum assecutus sum, assequi tamen volui. Tu pro eruditione tua & acri judicio ad illum reduces quidquid aberrare judicabis. Vale, Lutetiæ Parisiorum, Idibus Martii, anni MDCLXXIII.

Joan-

Joannes Launoius
THOMÆ RULLANDO
Parisiensi Theologo.

131 EPHESINI Concilii secundi, quod recte inchoatum, succedente postea factione, latrocinii nomen accepit, Præsidem fuisse Dioscorum Alexandriæ Episcopum, res quatuor sine difficultate ulla confirmant: Imperator Theodosius, Leo primus, Concilii hujus acta Calchedone relecta, scriptores idonei complures.

I. Imperator ad Dioscorum ita scribens: *Quoniam vero suspicamur aliquos sectatores Nestorii assumere studium & conferre, ut omnimodo intersit sancto Concilio, hac de causa necessarium duximus, his sacris literis uti ad tuam reverentiam, per quas manifestum facimus tua beatitudini, & universa sancta Synodo, quod nos regulas sanctorum Patrum sequentes, non solum propter Theodoretum, sed etiam alios omnes, qui ad congregatam sanctam. Synodum pertinent, auctoritatem & primatum, τὴν αὐθεντίαν, καὶ τὰ πρωτεῖα, tua præbemus beatitudini: Scientes diligentiam, quod & reverendissimus Archiepiscopus Hierosolymorum, & beatissimus Archiepiscopus Thalassius, & omnis talis fervens amator & æmulator orthodoxa fidei consentanei erunt tua sanctitati radianti per Dei gratiam honestate vita & catholi-*
132 *ca fide. Eos namque qui addimentum aliquod aut imminutionem conati sunt dicere, prater qua sunt exposita de fide catholica à sanctis Patribus, qui in Nicaa, & postmodum qui in Epheso congregati sunt, nullam omnino fiduciam in sancta Synodo habere patimur. Sed & sub vestro judicio esse volumus, quia hac de re nunc sanctam Synodum disposuimus convenire.* Imperator ergo statuit, ut Dioscorus in Synodo primatum teneat, & quæ in Synodo fient, sub illius judicio fiant.

II. Leo primus Imperatoris consilium ubi rescivisset, decrevit legatos ad judicium Synodum mittere, qui non præessent quidem; sed duntaxat interessent. Id aperte colligitur ex pluribus Leonis Epistolis, quas sic percenseo.

Prima est XII. ad Theodosium: *Quantum*, inquit, *rebus humanis consulere divina providentia dignetur, solicitudo clementia vestra spiritu Dei incitata demonstrat, qua in catholica Ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diversum: Quoniam fides, qua nonnisi una est, in nullo potest esse sui dissimilis. Unde licet Eutyches (quantum gestorum Episcopalium ordo patefacit) imperito atque imprudenter errare detectus sit, debueritque à suo merito reprobabili persuasione discedere: Quoniam tamen pietas vestra, qua in honorem Dei religiosissime catholicam diligit veritatem, apud Ephesum constituit synodale Concilium, ut imperito seni ea, in qua nimis caligat, veritas innotescat; fratres meos Julianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum misi, qui ad vicem præsentia mea*
133 *pro negotii qualitate sufficerent, & qui eum secum deferrent justitia ac benignitatis affectum: Ut quia dubitari non potest, qua sit Christiana confessionis integritas, & totius erroris pravitas damnaretur, & si resipiscens qui deviaverat, pro venia supplicaret, sacerdotalis ei benevolentia subveniret.* Sic Leo sciens & prudens mittit legatos ad Ephesinam Synodum, in qua Theodosius Dioscoro auctoritatem & primatum dedisse se scribit. *Auctoritatem*, inquit, *& primatum tua præbemus beatitudini.* Et paullo post subjicit: *Sed & sub vestro judicio esse volumus, quia hac de re nunc sanctam Synodum disposuimus convenire.* Deinde legati Leonis præsentiam exhibent, non προεδρίαν *Fratres meos Julianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum misi, qui ad vicem præsentia mea pro negotii qualitate sufficerent.*

Secunda est XVI. ad sanctam Ephesinam Synodum: *Religiosissima*, inquit, *clementissimi Principis fides sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sancta dispositionis effectum auctoritatem Apostolica Sedis adhiberet, tanquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quid in ejus confessione laudatum sit, quando, dicente Domino: Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et post alia: *Verum quia etsi talium non est negligenda curatio, & pie ac religiose Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, ut pleniori judicio* 134
omnis possit error aboleri, fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium nostrum Hilarium Diaconum, cumque his Dulcitium, notarium probata nobis fidei misi, qui vice mea sancto conventui vestra fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia, qua Domino sint placitura, constituant. Sic Ephesinam Synodum alloquitur, eamque sanctam nominat, dicitque se *fratres suos Julianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, Hilarium Diaconum, & Dulcitium notarium mittere, qui sancto conventui vestra fraternitatis intersint*, non ait, *prasint*.

Tertia est XVII. ad Theodosium: *Acceptis*, inquit, *clementia vestra literis, & multum universali Ecclesia gaudendum esse prospexi, quod Christianam fidem, qua divinitus honoratur & colitur, in nullo dissimilem, in nullo vult esse discordem.* Et post alia: *Unde quamvis ad diem Concilii episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem, præsertim cum tam evidens fidei causa sit, ut rationabilibus causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum; tamen in quantum Dominus juvare conatur, meum judicium commodavi, ut clementia vestra statutis aliquatenus pareatur, ordinatis hinc fratribus meis, qui computandis scandalis pro causa æquitate sufficiant, quique præsentia mea impleant vicem.* Non dicit, qui vice mea præsideant, quia ex Theodosii literis noverat Ephesinæ Synodo præsessurum 135
esse Dioscorum.

Quarta est XVIII. ad Pulcheriam: *Ne autem piissimi Principis dispositioni, qua episcopale Concilium voluit congregari, & nostra videretur præsentia defuisse, fratres meos Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum misi, qui vicem præsentia mea implere sufficerent*, vicem, inquit, præsentiæ, non προεδρίας aut præsidendi, implere sufficerent.

Quinta est XIX. ad Julianum Episcopum: *Et quia clementissimus Imperator pro benevolentia ac pietate animi*

mi sui de statu hujus, qui ante honorabilis videbatur, diligentius voluit judicari, atque ob hoc indicendum credidit episcopale Concilium, per fratres nostros Julianum Episcopum, & Renatum Presbyterum, sed & filium meum Diaconum Hilarium, & quos ex latere meo vice mea misi ad fratrem nostrum Flavianum, sufficientia pro qualitate causæ scripta direxi, quibus & vestra dilectio, & Ecclesia universa cognoscat de antiqua & singulari fide, quam indoctus impugnator incessit, quid divinitus traditum teneamus, quid incommutabiliter prædicemus. Non dicit, misi, qui vice mea Synodo præsiderent; sed qui sufficientia pro qualitate causæ scripta deferrent.

Sexta est XXII. Leonis & Romanæ Synodi ad Constantinopolitanos: *In notitiam,* inquiunt, *nostram, quæ Ephesi contra opinionem omnium sunt acta,*
136 *perlatis, magno animum nostrum fatemur mœrore confusum; nec tantum licuisse iniquitati facile potuissemus credere, nisi filius noster Hilarius Diaconus, qui à nobis vice nostra cum aliis ut interesset Synodo missus fuerat, fugiens revertisset, declinans ne injustæ particeps esset sententiæ.* Ut interesset, inquit, Synodo, non ut præesset dicit; quo tamen tempore dicendum videbatur, si vere dici potuisset.

Septima est XXV. ejusdem & Leonis & synodi ad Theodosium. *Comperimus,* inquiunt, *non incerto nuncio, sed fidelissimo rerum quæ gestæ sunt, narratore Hilario Diacono nostro, (qui vix ne subscribere per vim cogeretur, effugit) convenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum utique frequentia collatione & judicio profuisset, si is, qui sibi locum principem vindicabat, sacerdotalem moderationem custodire voluisset, ut (sicut moris est) omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo constitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus subveniret.* Hac in Epistola profitetur Dioscorum principem in synodo sibi vindicasse locum, nec illud ullatenus reprehendit. Sed quod observatione summa dignum est, Leo sex in Epistolis affirmat se legatos mittere, qui præsentiæ suæ vicem in synodo suppleant, vel synodo intersint; sed nusquam affirmat eos se mittere, ut præsint, seu præsideant.

III. Ephesini Concilii secundi acta Calchedone relecta eo spectant, ut appareat, Dioscorum Ephe-
137 sino huic Concilio præfuisse. Nam postquam relecta est Imperatoris ad Dioscorum Epistola, sic loquitur Dioscorus: *Dioscorus reverendissimus Episcopus Alexandriæ dixit: Comperit vestra clementia, quia non mihi soli sacratissimus noster Imperator commisit judicium; sed & beatissimo Juvenali, & sacratissimo Episcopo Thalassio auctoritatem Synodi dedit.* Et post alia: *Synodo congregata in Ephesi Metropoli ex præceptione religiosissimi & Christianissimi Imperatoris, & residentibus in sancta Ecclesia reverendissimis & sanctissimis Episcopis Dioscoro Alexandrino, & Juliano Episcopo, agentis vices, & tenente locum sanctissimi Leonis.* Infra: *Judices & Senatus dixerunt: Postulante Flaviano sanctæ memoriæ Eusebium accusatorem Eutychis ingredi, quapropter secundum regulam vos, quibus potestas judicandi data fuerat, hoc fieri non præcepistis? Dioscorus reverendissimus Episcopus Alexandriæ dixit: Postulo recitari prosecutionem,* (Alias depositionem Elpidii:) *Non enim habui prohibere, nisi commonitoriam detulisset Elpidius, confirmans quia Imperator eum jusserat non ingredi.* Infra, ubi referuntur sententiæ Episcoporum Concilii Ephesini II. in sententia Olympii Evasensis Episcopi: *Cui* (universali Concilio) *Præsul & primus est sanctissimus Pater noster, & universalis Episcopus Dioscorus magnæ Alexandrinæ civitatis.*

Postremo insignis est locus in actione III. Calchedonensis synodi, in qua *Julianus Hippepensis Episcopus dixit: Sancti Patres audite. Quando in Ephesi*
138 *Metropoli primatum habebat Dioscorus ad judicandum inter Flavianum & Eusebium Episcopum, & inter Eutychem,* &c. Hic igitur uno in loco Dioscorus agnoscit, sibi quidem, sed non soli commissum esse judicium, quo exorta inter Flavianum & Eutychem controversia dirimeretur. Unde sibi & duobus aliis, quos nominat, auctoritatem synodi datam esse profitetur. In altero Dioscorus Juliano sedis Apostolicæ legato præponitur, sine offensa, sine jurgio. In tertio Judicibus & senatu generatim, & per aversionem quærentibus, cur postulante Flaviano Eutychis accusator non erat ingressus synodum, primus omnium Dioscorus respondet. In quarto Concilii Præses appellatur. In quinto denique primatum tenere dicitur in Ephesi Metropoli.

IV. Dioscorum Ephesino præfuisse Concilio II. scriptores post illud plures memoriæ prodiderunt. In hoc genere primas tenet, qui scripsit Breviculum historiæ Eutychianistarum: *Jam,* inquit, *in præsentia ipsius* (Theodosii) *convincitur Eutyches atque damnatur. Offenditur Imperator, & in Ephesina civitate mandat, Synodum congregari. Adsunt fere* CCCLX. *Episcopi, principibus Dioscoro Alexandrino Episcopo, Juvenali Hierosolymitano, Thalassio Cæsariensi, Eustathio Berytensi, Eusebio Ancyritano, Basilio Isauriæ. Adfuerunt etiam vicarii ab Apostolica Sede directi, Julius Puteolanus Episcopus, Hilarius Archidiaconus, quia Presbyter Renatus in Delo insula morte præventus est.* In hac igitur Synodo fuere Præsides Dioscorus, Juvenalis, Thalassius, & 139
alii.

Prosper Aquitanus in Chronico: *Ob quam impietatem à Flaviano ejusdem urbis Episcopo, quia corrigi noluit, condemnatus est* Eutyches; *sed fidens amicitia regia & aulicorum favore, ab universali Synodo se poposcit audiri, annuente Imperatore Theodosio, qui ob hujus causæ retractationem omnes Episcopos jussit Ephesum convenire. In quo Concilio Dioscorus Alexandrinus Episcopus primatum sibi vindicans, absoluto Eutyche, in Flavianum Episcopum Constantinopolitanum damnationis sententiam tulit, reclamante Hilaro Diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice sancti Leonis Papæ cum Julio Episcopo Puteolano à Sede Apostolica fuerat destinatus;* nempe ut interesset Ephesinæ Synodo, non ut præesset.

Evagrius in libri I. hist. capite IX. & X. *Temporibus,* inquit, *Flaviani error impii Eutychis oritur, de quo Concilium provinciale cogitur Constantinopoli.* Et quibusdam interpositis: *Abdicatur igitur sacerdotio; & tamen cum Theodosium pro se ipse oravisset, (libellos enim contra ipsum à Flaviano falso confictos dixit) primum Concilium Constantinopoli ex finitimis Episcopis ad eam rem exquirendam convocatur, à quo & in Flavianum & ab aliis quibusdam Ecclesiarum Præsidibus accurate inquisitum est, ac libellis, quod veri essent, confirmatis, alterum Ephesi celebratur Concilium. Hujus Concilii, qui Alexandriæ Episcopatum post Cyrillum successit, quo odium incenderetur, (Chry-* 140
saphius enim, qui tum Præfectus palatii fuit, hanc rem callide molitus fuerat) Præses, ἔξαρχος, *designatus fuit, eoque Juvenalis Episcopus Hierosolymorum, qui etiam Ephesinam rexisset Ecclesiam, multis ipsum comitantibus Sacerdotibus commeavit. His accessit Domnus, qui Joanne mortuo Antiochiæ creabatur Antistes, Julius* (Julianus) *præterea, qui locum supplevit Leonis,* τόπον πληρῶν Λέοντος, *antiquæ Romæ Episcopi.* Julianus locum Leonis supplevit, ut interesset, non ut præesset.

Libellus synodicus incertæ post Theodorum Balsamonem ætatis: *Cui* (Ephesinæ synodo) *Dioscorus Alexandriæ Papa præfuit.*

Nicephorus Dioscoro quoque Concilii προεδρείαν tribuit in libri XIV. hist. capite XLVII. *Hi ambo Theodosium permonent, ut alteram Ephesi Synodum, quæ Eutychetis & Flaviani causam disceptaret, celebrari jubeat,*

jubeat, ſententiarumque ferendarum judicium Dioſcoro impio committat, & eundem Synodo præficiat; copias etiam militares, quæ ſatis ſint, mittat, quæ rem judicatam exequerentur. Ubi id Imperator mandavit, & Synodus, quæ prædatoria vocatur, Epheſi congregata eſt; Præſidens et Dioſcorus, notariis aliis rejectis, ſuos tantum adhibuit, ut acta ex ſententia ejus in ſcriptum referrentur. Affuerunt Concilio ei, quos ſupra nominavimus, Eccleſiarum Antiſtites cum Sacerdotibus ſuis, Leone veteris Romæ Paſtore excepto, cujus locum Julius (Ju-
141 lianus) *Epiſcopus eo miſſus obtinuit.* Et quibuſdam interpoſitis: *Ibi Leonis Papæ locum tenentes illius ad Flavianum & Synodum ipſam datas literas legi petierunt. Ut vero Dioſcorus eas rejecit, mandatarii tranſverſum Dioſcori impetum animadvertentes è Synodo diſceſſere; & Romam recurrere.* Cum ait, *ſententiarum ferendarum judicium Dioſcoro impio committat*, impium intelligit, qui poſtea fuerit: Nam tunc factus eſt impius, cum Leonis literas abjecit, & Eutychetis errorem approbavit.

Matthæus Palmerius in Chronico: *Eutychiana hæreſis Conſtantinopoli exoritur, auctore Eutyche Preſbytero, qui à Phabiano Conſtantinopolitano Epiſcopo damnatus eſt, ob quam damnationem, annuente Theodoſio Imperatore, Synodus apud Epheſum indicitur, in qua Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo præſidente, Eutyches reſtituitur; Phabianus vero damnatur.* Phabianus pro Flaviano mendoſe ſcribitur.

Hæc autem omnia cum ita ſint, nemo omnium jure poteſt ambigere, quin Dioſcorus per aliquid tempus Epheſino Concilio ſecundò præfuerit, & quietè ac tranquillè præfuiſſet uſque in finem, niſi ſacras Eccleſiæ regulas violaſſet. Sed facti iſtius atrocitas Dioſcorum quidem reddidit indignum, qui Synodo præſideret, ſed efficere non potuit, ut qui decernente Imperatore, Leone Papa conſentiente, quia nuſquam repugnante, & comprobante ab initio Synodo ipſa, præſedit, minimè præſederit. Ex quo facile intelligitur, Imperatores Dioſcorum Concilii Præſidem cum
142 deſignant, non eum deſignare, qui loco Imperatorum præſideat, quaſi ipſi præſidendi jure gaudeant; ſed Imperatorum auctoritate & decreto præſideat. Quidquid id eſt, Leo Pontifex deſignatum ab Imperatoribus Concilii Præſidem agnoſcit, eumque ut legitimum Præſidem habet, quando legatos ſuos mittit ad Concilium, non ut præſideant, ſed ut interſint. Tam clara ſunt Leonis verba, ut alio detorqueri nequeant, vel ſophiſtica fuligine inobſcurari. Verbo dicam, Leo non indiligens Eccleſiaſticæ poteſtatis vindex & aſſertor minime queritur Imperatorem feciſſe quidpiam, quod auctoritatis & juris ſui limites excederet.

Præterea Calchedonenſis Synodus Imperatoris Epiſtolam, qua Dioſcorus Epheſinæ Synodi Præſes, ſeu primus Judex conſtituitur, actione I. legi jubet, nec eam reſpuit, immo conſenſu tacito omnium probat.

Ad hæc Julianus Hippæpenſis Epiſcopus actione IV. Calchedonenſis Synodi multa in Dioſcoro damnat. Sed quod Epheſinæ Synodi primas fuerit, non damnat, damnaturus ſine dubio, ſi quid Dioſcorus hac in re Eccleſiaſticis legibus contrarium attentaſſet: Primatis abuſum reprehendit, non auctoritatem qua potuit legitime uti. Hiſtorici plures in Dioſcoro Concilii προεδρείαν ſuſpiciunt, nec eam ut indecoram vel uſurpatam accuſant. In ſumma veterum, quod ſciam, auctorum nemo eſt, qui alium à Dioſcoro Concilii Præſidem notaverit, quandiu Concilium legitime proceſſit.

143 Hæc autem omnia etiamſi meridiana luce clariora ſunt, à nonnullis convolvuntur, & tenebris aſperguntur.

Chryſaphius Eunuchus Theodoſii cubiculi Præfectus, qui Flaviano infenſus erat, opponitur, quod ab Imperatore literas in gratiam Dioſcori extorſerit. Theodoſii negligentia, & facilitas obſignandi tabulas etiam contra libertatem uxoris opponitur.

Extincti propter ſcelera Chryſaphii mors opponitur. At hæc multiplicata & exaggerata à ſuis auctoribus oppoſitio apud ſimplices & incautos valere fortaſſis poteſt, apud cordatos atque eruditos valere non poteſt. Quaſi vero quæ ſic opponuntur hodie, ſiquid haberent veritatis ac roboris, Dioſcoro cum damnatus eſt, oppoſita non fuiſſent? Quæ ita reprehenduntur in odium Dioſcori, Calchedonenſis Synodus non reprehendit, & quod abunde ſufficit non reprehendit Leo, qui ſi quiſquam alius, debet reprehendere. Deinde quæ opponuntur, poſſunt evadere in locum communem, quo quæ magna & præclara in gratiam Eccleſiæ vel dixit, vel fecit Theodoſius, conciderent, vel certe plurimum labefactarentur. Hoc ita demum uſu venit, dum qui diſputat, ſeipſum potius, quam veritatem quærit, haud cogitans privatis ſtudiis bonum publicum everti.

Tum Liberatus opponitur in capite XII. Breviarii ſcribens: *Sedentibus in baſilica Dei genitricis Mariæ illis Epiſcopis, Eccleſiæ Romanæ Diaconi vices ha-* 144
bentes Papæ Leonis aſſidere non paſſi ſunt, & quod non fuerit data præceſſio ſanctæ Sedi, eorum inſuper etiam quod non lecta fuerit ad Flavianum Epiſtola in Eutychetis damnationem à Papa Leone ſcripta, & occultata fuerat Epiſtola ejus per ſupra memoratos legatos ad ipſam Synodum directa. At de iſta præceſſione non conqueritur Leo I. cum ad Theodoſium ſcribit, & Dioſcori tyrannidem & violationem Canonum exponit. Epiſtolæ XXV. ad Theodoſium referenda ſunt verba, & diligenter obſervanda: *Literis clementiæ veſtræ, quas dudum ad beati Petri Apoſtoli Sedem pro catholicæ fidei amore miſiſtis, tantam fiduciam ſumpſimus defendendæ per vos veritatis & pacis, ut in cauſa tam ſimplici, tamque munita nihil putaremus poſſe exiſtere quod noceret, præſertim cum ad epiſcopale Concilium, quod haberi apud Epheſum præcepiſtis, tam inſtructi ſint miſſi, ut ſi ſcripta, quæ vel ad ſanctum Synodum, vel ad Flavianum Epiſcopum detulerunt, Epiſcoporum publicari auribus,. Alexandrinus permiſiſſet Antiſtes, ita manifeſtatione puriſſimæ fidei, quam divinitus inſpiratam & accepimus & tenemus, omnium congreſſionum ſtrepitus quieviſſet, ut nec imperitia ultra deciperet, nec occaſionem nocendi æmulatio reperiret. Sed dum privata cauſa religionis exercentur obtentu, commiſſum eſt impietate paucorum, quod univerſam Eccleſiam vulneraret. Comperimus enim non incerto nuntio, ſed fideliſſimo rerum quæ geſta ſunt, narratore Hilario Diacono noſtro, qui vix ne ſubſcribere per vim co-* 145
geretur, effugit, conveniſſe ad Synodum plurimos Sacerdotes, quorum utique frequentia conſultationi & judicio profuiſſet, ſi is qui ſibi principem locum vindicabat, ſacerdotalem moderationem cuſtodire voluiſſet, ut (ſicut moris eſt) omnium ſententiis ex libertate prolatis, id tranquillo & æquo conſtitueretur examine, quod & fidei congrueret, & errantibus ſubveniret. In ipſo autem judicio non omnes qui convenerant, interfuiſſe cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupradicti Sacerdotis arbitrio impiis ſubſcriptionibus captivas manus dederunt, quod nociturum ſtatui ſuo ſcirent, niſi imperata feciſſent, talemque ab ipſo prolatam eſſe ſententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem Eccleſiam ſævire videretur. Quod noſtri ab Apoſtolica Sede directi adeo impium & catholicæ fidei contrarium eſſe viderant, ut ad conſentiendum nulla potuerint oppreſſione compelli, conſtanterque in eadem Synodo, ut decuit, fuerint proteſtati, nequaquam id quod conſtituebatur, Sedem Apoſtolicam recepturam: Quoniam revera omne chriſtianæ fidei ſacramentum (quod abſit à temporibus veſtræ pietatis) exſcinditur, niſi hoc ſceleſtiſſimum facinus, quod cuncta ſacrilegia excedit, aboleatur. Quid eſt his in verbis quod ſpectet ad nega-

negatam Concilii *προεδρίαν*, quam ipse Leo postulaverit? Pontifex capita recenset singula, quæ vanam & irritam Synodum effecerant; sed inter ea suis vicariis ablatum jus præsidendi non comparet.
146 Quinetiam vindicatum Dioscoro locum in Synodo principem confirmat, dum in ea sacerdotalem moderationem requirit, & violatam Ecclesiæ & Conciliorum libertatem accusat.

Falleretur ergo Liberatus, si quod ex eo opponitur, ad mentem opponentium intelligeretur; sed revera intelligi non debet, nec ut intelligatur ipsa verborum series permittit. Nam Liberatus inprimis dicit: *Ecclesiæ Romanæ Diaconi vices habentes Papæ Leonis assidere non passi sunt.* Non dicit *præsidere*, sed *assidere*, & tamen præsidere dicendum fuit, si de præsessione tali postea loqueretur. Eam intelligit præsessionem, quæ in legendis ante omnia Leonis Papæ ad Flavianum literis consistebat. Præsessioni huic vim intulit Dioscorus, cum permittere noluit, ut assidentibus legatis dogmaticæ Leonis ad Flavianum literæ ante omnia legerentur.

Denique opponitur hæc ratio, quam ne Dioscorus in Calchedonensi Concilio sederet, Lucentius Sedis Apostolicæ legatus in medium adduxit actione I. quia ὅτι σύνοδον ἐτόλμησε ποιῆσαι ἐπιτροπῆς δίχα τῆς ἀποστολικῆς θρόνου· ὅπερ οὐδέποτε γέγονεν, οὐδὲ ἔξον γενέσθαι· quia *Synodum facere ausus est sine arbitrio seu procuratione Sedis Apostolicæ; quod unquam factum est, nunquam fieri licuit.* Atqui verba hæc Lucentii *προεδρίαν* Synodi nequaquam attinent. Sed ea tantum, quæ Leo Lucentii institutor declaravit apertius, & Lucentius declarat ipse, cum ait: *Quod unquam factum est,*
147 *nunquam fieri licuit.* Nempe in præcedentibus Synodis, quibus adfuerunt Sedis Apostolicæ legati, Præsidibus assederunt, eorumque documenta semper lecta sunt, & actis publicis inserta. Id quod in Ephesina Synodo secunda fieri Dioscorus non permisit, usus potestate Chrysaphii, qui Eutychis defensionem non amore quidem hæresis, sed odio Flaviani susceperat. Quæ res cum venisset in notitiam Theodosii, Chrysaphius abdicatur & interimitur.

Ego dixi in præcedentibus Synodis, quibus adfuerunt Sedis Apostolicæ legati, ut in Ephesina Synodo prima, ubi præsidenti Cyrillo assederunt; & quidquid in mandatis & documentis habuerant, lectum, & in publicas Synodi tabulas relatum est. Lucentii dictum probari non posset ex Constantinopolitana Synodo prima, cui nec ulli Sedis Apostolicæ legati interfuerunt, nec ullæ à Damaso Papa Ecclesiasticæ de re definienda literæ missæ sunt. Et sane nescio an illud ex Nicæna Synodo probaretur. Nam licet Silvestri Papæ legati Synodo huic interfuerint cum potestate actis assentiendi, ut Theodoretus loquitur; eos tamen parata ad sanciendam fidem instrumenta secum detulisse, omnino incompertum est. Sic aliud est quid asserere; aliud, quid asserum probare. Hinc Lucentii assertio tanti apud Synodum Calchedonensem non fuit ponderis, ut Dioscoro negaretur sedendi potestas. Nam ille in tribus primis Calchedonensis Synodi actionibus sedit. Quod & notare, visum est operæpretium, sive ut historicæ 148
veritati consulatur, sive ut id quod dissimulatum est ab iis, qui Dioscoro Ephesini Concilii *προεδρίαν* adimunt, elucescat.

Cæterum Dioscorus Concilio huic universali non præsedit solus: Cum illo Juvenalis Hierosolymorum, & Thalassius Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi præsederunt. Id profecto in literis Theodosii ad Dioscorum continetur. Deinde in actione I. Calchedonensis Concilii hoc ipsum his declaratur verbis: *Dioscorus reverendissimus Episcopus Alexandriæ dixit: Comperit vestra clementia, quia non mihi soli sacratissimus Imperator commisit judicium; sed & beatissimo Juvenali, & sanctissimo Episcopo Thalassio auctoritatem Synodi dedit. Nos ergo judicavimus, quæ judicata sunt: Consensit nobis & universa Synodus. Quare in me solum ista extenduntur, quando auctoritas & ex æquo tribus data est?*

Tum Leo Magnus absolvit omnia, cum in Epistolæ LI. ad Pulcheriam capite III. de Præsidibus Ephesini Concilii II. sic loquitur: *Siquidem pene omnes, qui in consensum præsidentium ante traducti fuerant aut coacti, rescindendo quod statutum fuerat ab illis, & condemnando quod scripserunt, perpetuam culpæ abolitionem, & Apostolicæ pacis gratiam sunt adepti.* PRÆSIDANTIUM nomine eos omnes intelligit, qui in Theodosii Epistola ad Dioscorum nominantur, Dioscorum Alexandriæ, Juvenalem Hierosolymorum, & Thalassium Cæsareæ, Cappadociæ Episcopos.

Hæc de Conciliorum universalium Præsidibus, 149
cum legis & tecum ipse reputas, non dubito, quin continuo tibi ante oculos statuas, quæ Gelasius in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ de notione bene vel male gestæ Synodi convenienter scribit: *Ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, & præcipue Sedes Apostolica non probavit. Bene gesta Synodus, id est, secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas, pro fide catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit.* Igitur ad bene gestæ Synodi notionem Gelasius pertinere non credit præsidendi munus, quod, ut apparet, his, vel illis Antistitibus committitur, quod uni certæ Sedi secundum Scripturas, secundum Traditionem Patrum, & secundum regulas Ecclesiasticas non addicitur. Hoc Bellarminus & illius discipuli, si capiant, capti sunt, quia quæ hac in parte immutabilia fixerunt dogmata, refigenda sunt necessario utpote Gelasio contraria; si non capiant, nulli sunt, quia Gelasio in causa Gelasii, hoc est, Sedis Apostolicæ, contradicunt. Vale, Lutetiæ Parisiorum, Idibus Aprilis anni MDCLXXIII.

Joan-

Joannes Launoius

LUDOVICO CUSINO

Nummariorum Judicum Præsidi.

151 CALCHEDONENSI Concilio quin Leo Pontifex Romanus præfuerit, dubitari neutiquam potest. Qua vero id ratione contigerit, paullo indagandum est diligentius, quia ut indagetur pro solertia tua exigis. Cum Ephesina synodus in prædatoriam evasit, ad Theodosium scripsit Leo, eumque rogavit suppliciter, ut quidquid in ea gestum esset, usque eo suspenderetur, quoad Synodus major fieret; tum ut ea synodus intra Italiam haberetur. Ex Leonis Epistola ad Theodosium, verba sunt hæc: *Ecce ego, Christianissime Imperator, cum consacerdotibus meis implens erga reverentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officium, cupiensque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur, ne ante tribunal Christi Domini rei de silentio judicemur, obsecramus coram unius Deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cum ipsa vestri sit custos & auctrix Imperii, & coram sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu manere jubeatis, in quo fuerunt ante omne judicium, donec major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Et post alia: *Cui Sacramento, quia impie nunc à paucis imprudentibus ob-* 152 *viatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit, generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit in fide dubium, vel in caritate divisum.*

Leo eadem pene repetit in Epistola XXVI. quam & suo & Romanæ synodi nomine ad Pulcheriam dedit: *Scripsimus de hac re, ut potuimus, ad gloriosissimum Principem, &, quod maximum est, Christianum, cujus Epistolæ pariter exemplar subjecimus, ut fidem in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla sineret novitate corrumpi: Quoniam Flavianus Episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc quod factum est sine consideratione justitiæ, & contra omnem Canonum disciplinam, ratum haberi nulla ratio permittit; & quia dissensionis scandalum non abstulisset Ephesina Synodus, sed auxisset, de habendo intra Italiam Concilio & locus constitueretur & tempus, omnibus querelis & præjudiciis partis utriusque suspensis, quo diligentius universa, quæ offensionem generaverant, retractentur, & absque vulnere fidei, absque religionis injuria, in pacem Christi redeant, qui per impotentiam subscribere coacti sunt Sacerdotes, & soli auferantur errores.*

Iterum in Epistola XXX. ad Theodosium: *Sin vero aliqui à puritate nostræ fidei atque Patrum auctoritate* 153 *dissentiant, Concilium universale intra Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petiit, clementia vestra concedat, ut in unam convenientibus omnibus his, qui aut ignorantia, aut terrore prolapsi sunt correctionis remediis consulatur.*

Rursus in Epistola XXXV. ad Pulcheriam: *Quos* (legatos sedis Apostolicæ) *post divinam gratiam sancto vestræ pietatis auxilio dignum est adjuvari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat contentio, cum correctione adhibita omnes oporteat in unius confessionis redire concordiam, à qua si forsitan ab aliquibus discrepatur, universale Concilium Sacerdotum haberi intra Italiam clementia vestra annuente jubeatur, quo remota arte fallendi tandem pateat, quid altiore tractatu, aut coerceri debeat, aut sanari.*

Interea dum vita Theodosius defungitur, Leo statim ad Marcianum Theodosii successorem pro indicenda synodo scribit Epistolam numero XLIII. cujus verba sunt hæc præcipua: *Prior itaque Synodus Ephesina Nestorium cum dogmate suo merito justeque damnavit: Quisquis in illo errore persistit, ad nullius potest spem remedii pervenire. Sequens vero in prædicta civitate non potest vocari Concilium, quod in eversione fidei fuisse constat agitatum, quodque vestra clementia amore veritatis, Catholicis affutura, aliud statuendo cassabit, gloriosissime Imperator.*

Ex iis vero factum est, ut Valentinianus & Marcianus ad Leonem ita scripserint: *Tale propositum ac* 154 *desiderium habemus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei catholicæ fiat.* Hæc Epistola habetur in parte 1. Calchedonensis Concilii cap. XXXIII. Cum Imperatores dicunt, *te auctore*, idem est ac si, *te Præside*, dicerent.

Accedunt aliæ literæ, quas ibidem Marcianus ad Leonem dedit: *Superest, ut si placuerit beatitudini tuæ in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: nostris utique desideriis vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni quæ utilia sunt, decernet.*

Theodorus Lector hæc omnia paucis complectitur in libro 1. collectaneorum: *Marcianus & Pulcheria Leoni Papæ Romano scripserant, illique cunctam auctoritatem tribuerunt*, nempe ut fieret Concilium, cui præsideret. Quia vero hæc nimis splendescunt, metuo ne sint, qui confugiant ad recentiorum nonnullorum tenebras, quibus inobscurentur.

Et quamvis Leo vehementer optaverit, ut hinc in Italia celebraretur Concilium, inde Concilium illud celebrandum propter publicas calamitates in tempus differretur opportunius; Imperator tamen Nicææ in urbe Bithyniæ sine mora ulla indixit. Pontifex Leo, qui celebrato in Italia Concilio, ut apparet, præfuisset, eidem Concilio extra Italiam celebrato per vicarios suos præfuit. Hinc Nicæam illos misit, non ut interessent tantum Concilio, sed etiam ut præessent. Sic se res habet in Epistola XLVII. 155 quam ille ad Nicænam synodum, non Calchedonensem, ut falso in vulgatis codicibus legitur, scribit. *Amplectendum*, inquit, *clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit convenire, beatissimi Petri Apostoli jure atque honore servato, adeo ut nos quoque suis ad hoc literis invitaret, ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus: Quod quidem nec necessitas temporis, nec ulla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasino & Lucentio*

Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere.

Deinde in Epistola XLIX. ad Marcianum repetitur fere idem: *Credebamus clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respectu differri ad opportunum tempus sacerdotalem Synodum juberetis, ut, vocatis de omnibus provinciis Sacerdotibus, vere posset esse universale Concilium. Sed quia vel amore catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluistis, ne devoto obviare viderer arbitrio, fratrem & Coepiscopum meum Paschasinum de ea provincia, quæ videbatur esse securior, evocatum, qui vicem præsentiæ meæ possit implere, direxi, Bonifacio fratre nostro & compresbytero sociato, & his, quos ante miseramus, adjunctis, consortem illis fratrem quoque meum*
156 *Julianum addentes Episcopum.* Et infra: *Quia vero quidam de fratribus (quod sine dolore non didicimus) contra turbines falsitatis non valuere catholicam tenere constantiam, prædictum fratrem & Coepiscopum meum vice mea Synodo convenit præsidere.*

Tum brevi certis de causis Synodus Nicæa Calchedonem translata est: Quod ita factum Leo in Epistola LI. ad Pulcheriam significat. *Quod ergo*, inquit, *Synodum Calchedonensem habere clementia vestra præcepit, cum à me ut in Italia haberetur, mansuetudo vestra retineat postulatum, ut omnes nostrarum partium convocati Antistites, si securitas temporis suppeteret, convenirent; adeo tamen non aspernanter accepi, ut binos de Coepiscopis meis & compresbyteris ordinarem, qui vicem meam implere sufficerent, etiam datis ad venerabilem Synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas advocata cognosceret, quam formam servare in hac dijudicatione deberet, ne ulla temeritas aut fidei regulis, aut Canonum statutis, aut benignitatis remediis obviaret.* Hæc cum alia respiciunt, tum Imperatores etiam, qui suis ad Leonem Epistolis affirmant velle se, ut Leone auctore, id est, Præside per celebrandam synodum pax maxima circa omnes Episcopos fidei catholicæ fiat, & ut quæ religioni sacræ sunt utilia, decernat. Quidquid id est, Theodorus Lector paucis verbis complectitur. Calchedonense Concilium hac in parte Leoni consentit, ejusque προεδρίαν in vicariis agnoscit in tribus acti-
157 onibus primis, quæ sic incipiunt: *Conveniente sacro & universali Concilio secundum sacram præceptionem in Calchedonensi urbe congregato, id est, Paschasino & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero locum tenentibus Archiepiscopi Leonis, Anatolio Archiepiscopo Constantinopolitano, Dioscoro Episcopo Alexandrino, Maximo Antiochiæ, Juvenali Hierosolymorum Episcopo.* Et quibusdam interpositis: *Residentibus magnificis, & gloriosissimis judicibus in medio ante cancellos sanctissimi altaris, & in læva parte sedentibus vicariis Antistitis Leonis & Anatolio Archiepiscopo, Maximo Antiochiæ, Thalassio Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, Stephano Episcopo Ephesi, & cæteris Episcopis Orientis & Ponti & Asianæ & Thraciæ regionum, exceptis Palæstinis; ex dextera vero parte similiter considentibus Dioscoro Episcopo Alexandrino, Juvenali Episcopo Hierosolymorum, Quintillo Episcopo Heracleæ primæ Macedoniæ, & agente vices Episcopi Thessalonicensis*, &c. Paschasinus & Lucentius Episcopi, & Bonifacius Presbyter censentur præsidere Concilio, quod nominentur primi, non quod Leonis Archiepiscopi locum tenere dicantur. Nam non omnis Presbyter aut Episcopus, qui locum alterius Episcopi tenet in Synodo, præsidet, aut præsidere dicendus est. In tribus Calchedonensis Concilii actionibus primis Quintillus Heracleæ primæ Macedoniæ Episcopus Thessalonicensis Episcopi locum tenet; eum tamen Calchedonensi Concilio
158 præesse quis diceret? Et paullo post actionis III. initium: *Paschasinus Episcopus Lilybæi provinciæ Siciliæ, agens vices sanctissimi Episcopi Apostolicæ Sedis senioris urbis Romæ Leonis, per interpretem sic dixit: Notum est, nempe huic Deo amabili Concilio, & ad beatum & Apostolicum & Catholicum Papam Leonem fuisse esse literas destinatas, quatenus huic sancto Concilio se præsentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua hoc tenuit consuetudo, neque generalis temporis necessitas permittere videbatur, nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit.*

Julianus Hypæpensis Episcopus ut Dioscorum Ephesinæ Synodi, sic & Leonem Calchedonensis Præsidem facit in actione III. *Julianus Hypæpensis Episcopus dixit: Sancti Patres audite. Quando in Ephesi Metropoli primatum habebat Dioscorus ad judicandum inter Flavianum & Eusebium Episcopum, & inter Eutychem, & ex omni parte inquam proferens sententiam, ipse prius prosecutus est injustum judicium, & omnes cum necessitate secuti sunt. Nunc vestra sanctitas primatum tenet sanctissimi Leonis, & omne sanctum Concilium, quod secundum Dei gratiam & sanctionem piissimorum nostrorum Imperatorum congregatum est, & cognovit singula, quæ in Epheso injuste acta sunt, & vestræ sanctitati innotuerunt, & semel & secundo & tertio vocavit Dioscorum; & nullatenus voluit obedire. Petimus igitur vestram sanctitatem qui habes; magis autem qui habetis locum sanctissimi Papæ Leonis promulgare in eum, & infitam regulis contra eum proferre sententiam: Omnis enim sancta* 159
Synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententia. At primatum hic in synodo tenere est synodo præesse.

Idem præsidendi munus Leoni confirmat Concilium actione V. ubi exaratur ejusdem adversus Eutychem definitio, eique primi omnium subscribunt Leonis vicarii. Deinde actione VIII. in qua iidem vicarii restitutionem Theodoreti sic proponunt: *Paschasinus & Lucentius reverendissimi Episcopi, & Bonifacius reverendissimus Presbyter, insuper & Julianus Episcopus Coensis, habentes locum Apostolicæ Sedis, dixerunt.*

Tum Leo ipse præfuisse se synodo Calchedonensi duobus in locis scribit. Unus est in Epistolæ LXII. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum capite III. *Nimis*, inquit, *hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis Canonibus inveniuntur esse contraria: In totius Ecclesiæ perturbationem superbia hæc tendit elatio, quæ ita abuti voluit Concilio synodali, ut fratres in fidei negotio tantummodo convocatos, & definitione ejus causæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad consentiendum sibi aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres nostri ab Apostolica Sede directi, qui vice mea Synodo præsidebant, probabiliter atque constanter illicitis ausibus obstiterunt.* Alter est in Epistola XCIV. ad Gallorum Episcopos: *Impletis per misericordiam Dei communibus votis, dignum est fraternitatem vestram sanctorum gaudiis habere consortium. Nam fratres mei, qui vice* 160
mea Orientali Synodo præsederunt, quæ vota retulere, significo.

Cæterum à Calchedonensis Concilii προεδρίᾳ, quam Leoni Papæ variis modis asseruimus, excipienda est ejusdem Concilii actio XII. cui Anatolius Constantinopolitanus Episcopus præfuit, non Leonis vicarii. Id actionis XII. contextus apertam in lucem prodit: *Similiter tertio Calendarum Novembrium eodem consulatu in eadem sanctissima Ecclesia residentibus supra scriptis magnificentissimis & gloriosissimis judicibus, & eodem sancto & generali Concilio gloriosissimi judices dixerunt: Sollicitudo necessaria reipublicæ negligitur, nobis propter fidem in sancto Concilio continuo occupari à divino apice jussis. Quia ergo multum nos à necessariis reipublicæ causis abduci non est possibile, velocem quæstionibus solutionem imponere festinantes*

nantes, primo ordine dicere sanctam Synodum petimus, siquid majus deliberavit de sanctissima Ephesiorum Ecclesia, utrum alium ei Episcopum oporteat ordinari, an certe Bassianum reverendissimum Episcopum recipere Episcopatum, an Stephanum reverendissimum Episcopum esse. Omnia enim quæ ad eos pertinent, sicut novit eadem sancta Synodus, hesterno die sufficienter examinata noscuntur.

Anatolius reverendissimus Archiepiscopus Constantinopolitanus dixit, Mihi placet, si etiam sancto Concilio videtur, neutrum horum illius esse civitatis Episcopum, sed
163 *alium debere ordinari, eo quod præter Canones sibimet episcopatum usurparunt; habere autem eos dignitatem Episcopi, & à sancta pascendos Ecclesia.*

Paschasinus reverendissimus Episcopus obtinens locum Apostolicæ Sedis, dixit: Bassianus vel Stephanus Episcopi, sicut cognitio manifestavit, non bono ordine utrumque Ephesiorum Ecclesiam detinuisse noscuntur. Hac ergo gratia, si omnis sanctissima Synodus consentit, his remotis, alter regulariter ordinetur.

Lucentius reverendissimus Episcopus obtinens locum Apostolicæ Sedis dixit: Non est canonicum ambos esse.

Julianus reverendissimus Coensium civitatis Episcopus, & ipse vicarius Apostolicæ Sedis dixit: Non debent ambo projici.

Gloriosissimi Judices dixerunt: Quoniam sæpe nobis interloquentibus & poscentibus proferri sententiam de Episcopatu sanctæ Ecclesiæ in Epheso constitutæ, perfecta responsio ab omnibus non est data, venerabile & immaculatum Evangelium in medio proferatur. Et allato sanctissimo Evangelio in medio, gloriosissimi Judices dixerunt: Similem petitionem sanctæ Synodo rursus offerimus, propositis sanctis Evangeliis, adhortantes vos, neque duorum quemquam lædere, si forte quisquam eorum dignus est, ut in memorata sanctissima Ecclesia episcopatum debeat obtinere, sive si uterque indignus est, declarare. Unde secundum Deum, & secundum quod dignum est atque decens ac utile sanctæ Ecclesiæ, quæ sunt justa, decernite.

162 *Anatolius reverendissimus Episcopus Constantinopolitanus dixit: Et dudum dixi: Mihi videtur, si etiam sanctissimo Concilio placet, ut neuter eorum sit Ephesiorum civitatis Episcopus; sed alius ex electione omnium, qui pascendi sunt, ordinetur ad gubernandum episcopatum, eo quod ambo præter regulas sibimet episcopatum usurpaverunt; habere autem eos & dignitatem Episcopi, & communionem, & ab Ecclesia esse pascendos.*

Paschasinus reverendissimus Episcopus obtinens locum Sedis Apostolicæ antiquioris Romæ, dixit: Hæc ipsa, quæ semel disposui, & in præsenti dispono de memoratis, quorum uterque nullo ordine Ephesiorum suscepit Ecclesiam; & propterea, si consentit omnis Synodus, debet, his remotis, alter secundum Canonum statuta decerni.

Sequuntur sententiæ Maximi Antiocheni Episcopi, Juvenalis Hierosolymitani, Thalassii Cæsariensis, Eusebii Ancyrani, Juliani Coensium Episcopi, & vicarii Apostolicæ Sedis, *&c.*

Gloriosissimi Judices dixerunt: Placet sancto Concilio interlocutio Dei amantissimi Archiepiscopi Anatolii, & reverendissimi Episcopi Paschasini obtinentis locum Romanæ Apostolicæ Sedis, quæ declaratum est, ambos quidem esse removendos, tanquam præter regulas factos; alterum vero ordinari debere: Prædictos autem habere Episcopi dignitatem, & à sanctissima Ephesina Ecclesia nutriendos.

Sancta Synodus exclamavit: Hæc pia interlocutio, hæc secundum regulas est.

163 *Diogenes reverendissimus Episcopus Cyzici dixit: Alius hac melior est. Omnes clamaverunt: Hæc justa sententia, hæc omnibus placet. Ambo absque regulis facti sunt; quæ canonica sunt, in his obtineant.*

Gloriosissimi Judices dixerunt: Quoniam placuit universis interlocutio Dei amantissimi Archiepiscopi regiæ Constantinopolis Anatolii, & reverendissimi Episcopi Paschasini obtinentis locum Leonis Dei amantissimi Archiepiscopi senioris Romæ, prospiciens, eo quod uterque contra regulas factus est, neutrum eorum denominari, neque præesse sanctissimæ Ephesiorum Ecclesiæ, & omnis sancta Synodus contra regulas eos ordinatos edocuit, & interlocutionibus reverendissimorum Episcoporum consensit: Removebuntur quidem à sancta Ecclesia Ephesiorum Bassianus & Stephanus reverendissimi; habeant autem dignitatem Episcopi, & ex redditibus memoratæ sanctissimæ Ecclesiæ, nutrimenti gratia & consolationis, annis singulis solidos aureos ducentos accipiant. Alter verò secundum regulas ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ Episcopus ordinabitur.

Omnis sancta Synodus exclamavit: Hæc justa sententia, hæc justa forma, hæc bene habent. Bassianus reverendissimus Episcopus dixit: Quæ mihi abrepta sunt, jubete restitui. Gloriosissimi Judices dixerunt: Siquid Bassiano reverendissimo episcopo ex rebus illi competentibus direptum est, sive à Stephano reverendissimo Episcopo, sive ab aliis quibuscumque personis, hoc ei post judiciales probationes, ab his, qui abstulerunt, vel causa læsionis fu- 164
erunt, restituetur.

Hic igitur merito dubitari non potest quin Anatolius Constantinopolitanus Antistes, Sedis Apostolicæ legatis præsentibus & sententiam dicentibus, Calchedonensis Concilii actioni XII. præfuerit; & siquis assereret actionis hujus Præsides fuisse plures, Anatolium Præsidem fuisse primum dicere cogeretur.

Rem expono latius. In Calchedonensi Concilio tractantur negotiorum genera duo. Unum, cujus gratia indictum atque habitum est Concilium: Et eo in casu Leo per suos vicarios Concilio præfuit, qua ratione præfuisse illum vidimus. Alterum; cujus gratia indictum atque habitum non est Concilium, ut id quod in actione XII. tractatur: Componendum nempe dissidium, quod actionis hujus initio proponitur, an Bassianus vel Stephanus retinendus sit in Ephesina Ecclesia Episcopus, an Bassiano & Stephano amotis sufficiendus sit alius. Disciplinæ res est, quam Nicæna Synodus suis regulis asseruit & constabilivit, & Calchedonensis Concilii Patres ac Sedis Apostolicæ legati eam ob causam Anatolio reservatam esse crediderunt. Intelligebant viri prudentes nihil esse eo convenientius aut justius, quod Celestinus Romanus Pontifex Perigeni, Dynato, Basilio, & cæteris Illyrici Episcopis, non ita pridem scripserat: *Dominentur*, inquit, *nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti Canonibus, cum Canonum præcepta servamus.* Hinc effectum est, ut Anatolius
actioni XII. præfuerit; nempe cum ordinandus fuit 165
Metropolitanæ Ephesiorum Ecclesiæ Antistes, ille loquitur primus, & deinde eum ita locutum excipiunt Leonis & Occidentalium Episcoporum vicarii.

Porro hac vel alia de causa Sardiana Synodus Concilii hujus Præsides, ut minimum duos, Leonem & Anatolium, facit in epistola, quam ad Leonem Imperatorem mittit parte III. Calchedonensis Concilii capite XLII. *De principali namque capitulo, & quod ad ipsam Christianorum fidei respicit summitatem, id est, de sancto & universali Concilio Calchedone collecto, cui regulariter præsederunt, & maximæ Romæ sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus Leo per venerabiles Episcopos directos & clericos, necnon & regiæ Constantinopolis sanctissimus & venerabilis Archiepiscopus Anatolius, & summi Sacerdotes, qui eis concordes fuerunt, & similia decreverunt.*

Sardianam Synodum excipit Romana illa Synodus, quæ de Scripturis authenticis & apocryphis habita est. Ibi videtur unicus tantum Concilii Præses Anatolius.

natolius. *Sancta*, inquit, *Romana Synodus post illas veteris vel novi Testamenti, quas regulariter suscepimus, etiam suscipi non prohibet scripturas.* Et quibusdam interpositis: *Sanctam Synodum Calchedonensem, mediante Marciano Augusto & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana & Eutychiana hæreses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ sunt.* Verba
166 hæc, *mediante Anatolio Constantinopolitano Episcopo*, videntur προεδρείαν importare. Et quia nulla fit Leonis mentio, vix possum Gelasio tribuere, quod illi hac in Synodo tribuitur. Potuitne Gelasius in præteritis Leonem relinquere, quem & acta Calchedonensis Synodi, & ipsius Leonis epistolæ, Concilii hujus Præsidem tam luculenter faciunt?

Hic non tam miror errorem, quam quæro modum, quo talis error tunc temporis, & in tali loco (si Romana Synodus sit Gelasii) obrepserit. Permulta vidi cum edita, tum manuscripta exemplaria, quæ hac in re non variant. Ingenue fateor esse aliquando veritatem, sic & falsitatem adeo illustrem, ut eam nullæ verborum, rerumve præstigiæ possint obruere. Interim moneo constituendam nobis semper esse Oecumenicæ Synodi notionem, quam ætate suppar Calchedonensis Concilii Gelasius tradit in epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ. Hæc est ejusmodi: *Male gesta Synodus, id est, contra scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, & præcipue Sedes Apostolica non probavit. Bene gesta Synodus, id est, secundum scripturas, secundum traditionem Patrum, pro fide catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit.*

Macedonius Constantinopolitanus Episcopus Calchedonensem synodum damnare nolens respectum vi-
167 detur habuisse ad Leonem synodi hujus Præsidem: Et sane norunt omnes Imperatorem Anastasium Calchedonensis synodi hostem ita fuisse capitalem, ut nemo magis oderit. Sed cum Macedonium virum illum fide catholicum, qui ad annum CCCCXCV. Constantinopolitanæ Ecclesiæ clavum tenere cœpit, ad synodi illius damnationem impelleret, hic Anastasio sic respondit apud Theodorum Lectorem. In libro II. Collectaneorum: *Cum hæc gererentur, Imperator Macedonium vehementer arsit, ut idem & ipse faceret;* (id est, synodum quartam condemnaret) *ille vero sine universali Synodo, cui magnæ Romæ Episcopus præsideret, nihil se facturum dixit.* Quasi diceret: Huic synodo, cui Romanus Pontifex præsedit, contradicere non possum sine alia universali synodo, cui Romanus alter Pontifex præsideat. Post Macedonium & Gelasium auctores multi unicum Concilii Præsidem fecerunt Leonem.

Vigilius in epistola ad universum populum Dei: *Sed & Calchedonensis* DCXXX. *Patrum, quæ sub pia memoria Marciano Imperatore convenit, cuique sanctæ recordationis decessor noster Papa Leo per legatos suos vicariosque præsedit.*

Facundus Hermianensis Episcopus in libri V. capite V. *Sufficit ad defensionem ipsius Epistolæ, quod eam tanta Synodus, & ipsius auctor Synodi vir Apostolicus, & in doctrina veritatis toto orbe notissimus, approbavit.* Hoc in loco synodi auctor idem est ac Præses.

168 Pelagius II. in Epistola V. ad Episcopos Istriæ: *Cui* (Calchedonensi Synodo) *sanctæ recordationis Papa Leo per legatos vicariosque suos præsedit.*

Adalbertus Morinensis Episcopus in fidei professione, quam ante ordinationem suam Hincmaro Remensi obtulit: *Sex sanctas & generales de fide Synodos, quas sancta & Apostolica Ecclesia recipit, me recipere & venerari profiteor, videlicet Nicænam* CCCXVIII. *Patrum*, &c. *Calchedonensem* DCXXX. *Patrum, cui præsedit per vicarios suos sanctus Leo Papa, temporibus Marciani Principis, contra Eutychem nefandissimum Præsulem Monachorum celebratam.*

Tarasius Constantinopolitanus, qui ad annum DCCLXXX. claruit, Anatolium Constantinopolitanum Calchedonensis synodi Præsidem facit hoc modo: Dum actio prima synodi VII. celebrabatur, certa quædam de Anatolio facta est interlocutio, ubi Tarasius sermonem hunccе instituit: *Tarasius sanctissimus dixit: Quid dicitis de Anatolio? Nonne primus*, ἔξαρχος, *sanctæ Synodi fuit?* Tum post pauca legitur hoc veluti procœmium Calchedonensis Concilii: *Conveniente sancto & universali Concilio, id est, Paschasino & Lucentio Episcopis, & Bonifacio Presbytero, locum tenentibus Archiepiscopi Leonis, & Anatolio Episcopo Constantinopolitano.* Hæc ille nemine repugnante dixit; & tamen mirum est Anatolium à Tarasio nunc primum Concilii, nunc alterum Præsidem fieri. Quidquid id est, ætas recentior Tarasium 169
à ferendo contra Leonis præsidentiam testimonio excludit.

Photius in libro de septem Synodis rem aliter exponit. Concilii Præsides statuit multos, & in iis primum omnium Anatolium: *Sanctum & Oecumenicum quartum Concilium præsentem atque faventem habuit Marcianum piissimum Imperatorem, delegitque sibi Calchedonem insignem Bithyniæ civitatem; sexcenti & triginta Episcopi interfuerunt. Præsides declarati sunt Anatolius, qui sacræ regiæ civitatis habenas moderabatur, & Paschasinus ac Lucentius episcopali dignitate præstantes, cum Bonifacio Presbytero, qui locum obtinebant Leonis sanctissimi Papæ Romani, cujus gloria magna, magnaque pietatis ac religionis zelus est studium, & Maximus Antiochiæ Episcopus, & Juvenalis Episcopus Hierosolymorum.* Nonne oppido ridiculus est Photius, qui Præsidibus aliis Anatolium suum præponit?

Scriptores Græci post Photium alii eosdem Concilii Præsides statuunt, sed in iis primum omnium Leonem.

Gregorius Cedrenus in Compendio historiarum. *Præfuerunt*, inquit, *Concilio Leonis Papæ Romani vicarii, Paschasinus & Lucentius Episcopi, ac Bonifacius Presbyter, Anatolius Constantinopolitanus, Juvenalis Hierosolymorum, Episcopi.*

Joannes Zonaras in tomo III. Annalium: *Itaque* DC. *Patres Deo pleni Calchedonem in ædem* 170
sanctæ martyris Euphemiæ conveniunt, quorum principes erant Leo Papa Romanus, Anatolius Constantinopolitanus, & Juvenalis Hierosolymitanus.

Nilus Rhodiensis Episcopus in libro de Synodis: *Sancta & Oecumenica quarta Synodus Calchedone habita est, imperante Marciano congregata, à sexcentis triginta sanctis Patribus adversus Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, & Eutychem Archimandritam Constantinopolitanum. Huic præerant Leo Romæ, Anatolius Constantinopolis, Juvenalis Hierosolymorum, & Maximus Antiochiæ, Episcopi.*

His videtur assentiri Nicephorus in libri XV. hist. capite VIII. *Synodo huic* (Calchedonensi) *interfuere ex veteri Roma Paschasinus, Lucentius, & Bonifacius, Leonis, Romani Antistitis locum obtinentes: Interfuit & Anatolius novæ Romæ Episcopus, Maximus Antiochiæ ad Orontem, Juvenalis Hierosolymorum, & ipse Dioscorus Alexandriæ, Præsules, qui, sicuti diximus, exauctoratus, & ad exilium damnatus, Gangrensem regionem in Paphlagonia incolere est jussus.*

Cedrenus igitur, Zonaras, Nilus, & Nicephorus tacito

tacito coarguunt Tarasium & Photium, qui Anatolium Calchedonensis Concilii Præsidem fuisse primum significant, eumque Leoni anteponunt: Atque ita vel nimio erga Sedem suam Constantinopolitanam studio ducuntur, vel in summa actorum Concilii hujus ignoratione versantur.

Hæc* habui, quibus Calchedonensis Concilii
171 *προεδρίαν* Leoni Papæ assererem, & varia Synodorum & auctorum testimonia explicarem, conciliarem, & exigente nonnunquam veritate, refellerem.

Excepimus actionem XII. cui præfuit* Anatolius Constantinopolitanus Antistes, præsentibus & non repugnantibus Sedis Apostolicæ & Occidentalium Episcoporum legatis, qui & sententiam post Anatolium dixerunt. Recentiores quidam auctores legibus assueti metaphysicis, id est, æternis & immutabilibus, quas ad Ecclesiasticas res hujusmodi transmittunt, istud vix capient: Quia, quod tu probe tenes, capere nesciunt, capienda esse pro tempore, quæ fert certa & legitima illiusmet temporis conditio. Tuum igitur erit, cum tam acri judicio polleas, perspicere, num quod mihi proposui, consecutus fuerim, & revocare ad scopum, quæ ab eo præter mentem meam deflecterent. Vale Lutetiæ Parisiorum, Idibus Aprilis anni MDCLXXIII.

Joannes Launoius

CAROLO PRESTIO

Parisiensi Theologo.

173 QUONIAM vero nonnulli sunt auctores, cum Latini, tum Græci, qui habita Constantinopoli diversis temporibus Concilia duo misceant: Nos contra sic distinguimus, ut oportet distinguere, & prius de uno, quam de altero, tractamus. Hac enim ratione quod uni tribuendum est, non tribuetur alteri, & cum veritate quæ gessit ipsa veritas dicetur. Ex his ergo duobus Conciliis primum celebratum est anno DXXXVI. quo degens Constantinopoli Agapetus Romanus Pontifex excessit è vita. Secundum coactum est anno DLIII. quo Vigilius Romanam administrabat Ecclesiam. Hoc generale Concilium quintum appellatur, illud non sic appellatur, nec revera potest appellari, si priscus scribendi & loquendi modus in auctoritatem admittatur.

I. Priori Concilio quod habitum est anno DXXXVI. Menas Constantinopolitanus Episcopus præsedit. Id testantur acta Concilii ipsius, quod actionibus quinque constat. In earum prima Menæ præsidendi partes assignantur hoc modo: *Præsidente domino nostro sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo, & Patriarcha Mena, in mediantio aula occidua venerabilis domus*
174 *Domina nostra sancta & gloriosa Dei genitricis semper virginis Maria, qua est prope sanctissimam magnam Ecclesiam; & à dextera quidem parte considentibus ei juxta pium jussum Christo amantissimi & à Deo custodiei Imperatoris nostri Justiniani, sanctissimis ac Deo amantissimis Episcopis Sabino, Canasino, Epiphanio Æsculano, Asterio Salernitano, Rustico Fasulano, Leone Nolano, Episcopis ex Italia regione, primo quidem missis à Sede Apostolica, deinde vero unanimiter consentientibus advenientis huc sancta memoria Agapeto Papa antiqua Roma.* Deinde in actione IV. Monachi quidam suo in libello Menam uti Præsidem his verbis alloquuntur: *Per omnia sanctissimo & beatissimo domino nostro Mena regia urbis Archiepiscopo, & sanctissimis Episcopis; qui ex Italorum regione in ipsam convenerunt, ac Deo amantissimis Archidiaconis Apostolica Sedis, ac sancta Episcoporum sanctissimorum Synodo in Christo amata civitate congregata, Marianus Presbyter, & Archimandrita Monasterii Dalmatii, & primus venerabilium Monasteriorum regia urbis.*

His autem si opponerentur quæ libellus synodicus tradit de hac Synodo, per certiora utique Synodi hujus acta corrigerentur. Libelli synodici adscribo verba: *Justino autem mortuo, Justiniani nepos ipsius sceptra imperii suscepit. Cum vero & Menas terrena isthæc reliquisset, Anthimus Trapezuntis Episcopus, Byzantina Ecclesia solium nactus esset, & cum Gothi Romam, eique vicina loca deprædati essent, Agapetus beatus illius Papa urbem regiam accessit, divina* 175
& sancta instituta Synodo, in qua Anthimum Constantinopolitanum Episcopum, qui in Manichaismi suspicionem venerat, & ne judicio sistere se cogeretur, seipsum absconderat, in hunc usque diem anathemati subjecit; solium vero Ecclesia Byzantina Eutychius Monachus sortitus est. Hæc libelli synodici auctor, qui incerta ætate claruit.

II. Eutychius Constantinopolitanus Episcopus alteri præfuit Concilio, quod universale quintum habetur. Concilium hoc in varias tributum est collationes, in quarum prima Eutychius locum primum sic occupat: *Considentibus in secretario venerabilibus Episcopis hujus regia civitatis, Eutychio sanctissimo Patriarcha regia Constantinopolis nova Roma, Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandrina civitatis, Domno sanctissimo Patriarcha Theopolitana civitatis.* In reliquis collationibus septem primus omnium semper nominatur Eutychius, & id agit, quod Præsides Conciliorum agere solent.

III. Et quamvis hoc ita sit; Vigilius tamen Papa, qui tum erat Constantinopoli, huic præfuisset Concilio, si voluisset interesse. Qua in re fides adhibenda est maxime Eutychio, cujus res agitur. Huic ergo credatur ad Vigilium ita scribenti: *Petimus, præsidente nobis vestra beatitudine sub tranquillitate, & sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri.* Quæ verba repetuntur in Vigilii 176
constituto de tribus capitulis: *Cum igitur prædicta omnia & servavimus & servamus, & in iisdem nobis invicem consentimus, necessarium est conferri de tribus capitulis, unde quibusdam quæstio nata est; & ideo petimus, præsidente nobis vestra beatitudine sub tranquillitate & mansuetudine sacerdotali, sanctis propositis Evangeliis, communi tractata eadem capitula in medio*

dio proponenda quæri & conferri. Id Victor Tunnonensis Episcopus confirmat in Chronico, dum ait: *Quintum Concilium Constantinopolitanum habitum est sub Eutychio Menæ successore.* Non dicit sub Vigilio, qui vocatus ad Concilium, Concilio interesse noluit.

Deinde in collatione v. legitur & approbatur Mopsuestenæ Synodi contra Theodorum Mopsuestenum Antistitem relatio ad Vigilium, quem & Synodus hæc, & generalis quinta non aliter ac Præsidem suum, si adesse voluisset, alloquuntur: *Decebat vere, cum primam inter Sacerdotes dignitatem sortiti estis, sanctissimi, ea quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ divinitus honoratæ beatitudini fieri. Hoc bene & Christianissimus noster Imperator considerans, & ad vestram scientiam quædam, quæ de Theodoro quondam Mopsuestenæ Ecclesiæ Episcopo mota sunt, jussit referri.* Assignatur idonea & commoda ratio, cur Vigilius Synodo V. interesse & præesse potuit, si voluisset; non tamen interfuit, nec ideo præfuit.

177 IV. Photius Synodi hujus Præsides nominat quinque Patriarchalium sedium Episcopos, & in iis primum omnium Constantinopolitanum. Sic enim scribit in libro de septem Synodis: *Sanctum & œcumenicum Concilium quintum centum quinquaginta Episcoporum præsentia & concursu celebratum est. Præfuerunt Menas primum, deinde Eutychius ipsius regiæ civitatis Antistites, & Vigilius Romæ Episcopus, qui in civitate quidem erat, Sed Concilio non aderat: Et quamvis ad sacri cœtus conventum promptus non esset, communem tamen Patrum fidem libello comprobavit; Apollinarius Alexandriæ, Domnusque Antiochiæ Archiepiscopi, & Didymus & Evagrius, Eustochii Hierosolymorum Episcopi vicem gerentes.* Hic auctor in duobus fallitur. Concilia duo, quæ diversis celebrata sunt temporibus, in unum confundit: Alterum sub Mena, alterum sub Eutychio. Deinde secum pugnat, Vigilium faciens Præsidem Concilii V. cui non interfuit: In civitate quidem erat, sed Concilio non aderat.

V. Georgius Cedrenus à Photio dissentit paullulum, & rem ita narrat in compendio historiarum: *Anno* XXV. (Justiniani) *Constantinopoli actum fuit sacrum V. œcumenicum Concilium* CLXV. *Patribus collectis sub Vigilio sanctissimo Papa Romæ, qui libello veram fidem asseruit. Præfuerunt Eutychius Constantinopolis, Apollinarius Alexandriæ, Domnus Antiochiæ Episcopi, & Vicarius Hierosolymitani.* Sic Concilii V. Præsides dum numerat Patriarchalium sedi-
178 um, Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymorum, Episcopos, à προεδρίᾳ Vigilium excludit. Sed in eo fallitur, cum ait: *Qui libello veram fidem asseruit.* Nam Concilio V. libellum de vera fide nullum obtulit. Ad Justinianum scripsit constitutum, in quo tria defendit capitula, quæ Concilium damnavit.

VI. Joannes Zonaras Concilii V. Præsides numerat tres, Vigilium, Eutychium, & Apollinarium. *Sub hoc,* inquit in tomo III. Annalium, *Eutychio Concilium V. est coactum* CLXV. *sanctorum Patrum, quorum primus ac præcipuus fuit Vigilius, & is, cujus facta est mentio, Eutychius, & Alexandrinus Apollinaris.* Zonaras errat graviter scribens primum ac præcipuum Concilii Patrem fuisse Vigilium, qui Concilio interesse noluit, & qui vetuit, ne tria capitula, quæ damnavit Concilium, damnarentur.

VII. Nilus Rhodiensis Episcopus in libro de Synodis, Concilii V. Præsides numerat Patriarchalium sedium quinque Episcopos, sed primum omnium Romanum: *Sancta & œcumenica quinta Synodus habita est Constantinopoli, imperante Justiniano, congregata à centum sexaginta sanctis Patribus adversus insanientem Origenem. Præerant Synodo Vigilius Papa Romæ, Eutychius Constantinopolis, Apollinaris Alexandriæ, Domnus Antiochiæ, & Damanus Hierosolymorum.* Vigilius Papa non præfuit Concilio, quia non interfuit, & in constituto suo ad Justinianum tuetur illa capitula, quæ Concilium proscripsit. Deinde er- 179
rat cum omissis tribus capitulis cogendæ Synodi V. causam facit Origenem, eumque, quasi tunc insaniret.

Libellus synodicus, Zonara & Nilo relictis in errore suo, ad Cedrenum se recipit: *Cui* (Synodo V.) *præfuerunt Patriarchæ præsidentes Eutychius Constantinopolitanus, magnus Apollinarius Alexandrinus, Domnus Antiochenus.*

Hæc est utriusque Concilii Constantinopolitani sub Mena, & sub Eutychio Præsidum historia, ubi quos Photius, Cedrenus, Zonaras, & Nilus errores admiserunt, confiximus. Sed quia Concilio generali V. nec interfuit, nec præfuit Vigilius, meminisse semper oportet bene gestæ Synodi, quam Gelasius in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ sic describit: *Ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, & præcipue Sedes Apostolica non probavit; bene gesta Synodus, id est, secundum Scripturas sanctas, secundum Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas, pro fide catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit.* Ex hac autem definitione colligitur certum non esse male gestæ Synodi judicium, quod ei primæ Sedis Episcopus non præfuerit: Sicut certum quoque non esse bene gestæ Synodi judicium, quod ei idem primæ Sedis Episcopus præfuerit. Siquidem Gelasius Sedis Apostolicæ jurium defensor acerrimus, & illius 180
dignitatum maxime retinens, præsidentiam istiusmodi prætermittit, cum male vel bene gestæ Synodi notionem exprimit & inculcat. Hoc Pelagius II. & Gregorius I. apprime noverant, cum amplexi sunt Concilium V. cui Vigilius reipsa non præfuerat, immo constitutum ad Imperatorem Justinianum ediderat, in quo illa vindicat capitula, quæ Concilium V. procul abjecit. Vale, Lutetiæ Parisiorum, IV. Idus Maii anni MDCLXXIII.

Joannes Launoius

JOANNI GERBASIO

Parisiensi *Theologo, & Latinæ eloquentiæ Professori Regio.*

181 ETSI facile est probare Agathonem Romanum Pontificem sexto præfuisse Concilio; hæc tamen probatio ex plurium scriptorum, qui post illud Concilium vixerunt, testimoniis inobscuratur: Sed ubi rei veritas suis patebit indiciis, opposita falsitas agnoscetur & evanescet.

Agathonis προεδρεία patet primum ex actione prima, quæ Episcoporum ordinem sic repræsentat: *Conveniente sacra & universali Synodo, id est, Theodoro & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Joanne venerabili Diacono, vicem agentibus Agathonis sanctissimi & beatissimi Archiepiscopi antiquæ Romæ, & Georgio venerabili ac sanctissimo Archiepiscopo magnæ Constantinopolis, Petro Presbytero & Monacho Apocrisiario Theodori venerabilis vicarii sedis Hierosolymorum, Joanne Episcopo Portuensi, Abundantio Episcopo civitatis Paternensis, Joanne Episcopo civitatis Rhegitanæ, locum repræsentantibus* CXXV. *Episcoporum venerabilium sancti Concilii antiquæ Romæ, & Theodoro Presbytero locum agente Theodori Archiepiscopi Ravennæ.* Et post alia:

182 *Residentibus gloriosis patriciis & consulibus ex latere piissimi & Christo amabilis nostri Imperatoris Constantini. Ex læva quidem ejus parte residentibus venerabilibus vicariis Agathonis, & qui ex persona ejus Synodi erant Deo amabiles Episcopi; Theodoro Presbytero, & locum agente Theodori Archiepiscopi Ravennæ, & Basilio Episcopo civitatis Gortynæ, & Georgio Presbytero & Monacho, & Apocrisiario Theodori venerabilis vicarii sedis Hierosolymorum, & cæteris Episcopis Concilii sanctissimi Papæ Agathonis. A dextera vero ejus parte similiter residentibus Georgio sanctissimo Archiepiscopo Constantinopoleos, & Macario Archiepiscopo Antiochiæ, & Petro Presbytero & Monacho, loci servatore sedis Alexandrinæ.* Et post alia Legati Sedis Romanæ sic alloquuntur Constantinum Imperatorem: *Benignissime domine, secundum directam sacram ab à Deo instructa vestra fortitudine ad sanctissimum Papam, demandati sumus ab eo ad piissima vestigia à Deo confirmatæ vestræ serenitatis, una cum ejus suggestione cum altera ejus Synodica suggestione & æque facta ad à Deo custoditam vestram pietatem, à subjacentibus ei venerabilibus Episcopis, quas & obtulimus à Deo coronatæ fortitudini vestræ.*

Deinde ex actione VII. ubi Apostolicæ Sedis legati primi loquuntur, & sic alloquuntur Constantinum: *Theodorus & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus locum præsentantes sanctissimi Papæ Agathonis.* Et quibusdam interpositis: *Piissimus Imperator Constantinus dixit: Proferant, qui locum adimplent*
183 *Imperatoris.* Et quibusdam adhuc interpositis: *Petimus* (inquiunt illi legati) *firmatam à Deo vestram fortitudinem, interrogare Georgium sanctissimum Archiepiscopum hujus à Deo conservandæ vestræ regiæ urbis, & subjacentem ei Synodum, necnon & Macarium Archiepiscopum Antiochiæ, & subjectos ei Episcopos, si convenit ei tenor relatarum duarum suggestionum, id est, sanctissimi Agathonis, & Concilii ei subjacentis.*

Denique ex actione XVIII. ubi hoc ordine subscribunt Patres Concilii.

Theodorus humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & locum gerens ter beatissimi & universalis Papæ urbis Romæ, subscripsi.

Georgius humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & locum gerens Agathonis ter beatissimi & universalis Papæ urbis Romæ, subscripsi.

Joannes Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, locum gerens Agathonis ter beatissimi & universalis Papæ urbis Romæ, subscripsi.

Georgius, misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ, definiens subscripsi.

Petrus Presbyter, & locum servans Apostolicæ Sedis Alexandriæ, subscripsi.

Theophanes Episcopus Antiochiæ.

Georgius Presbyter, & locum gerens Theodori, & locum servantis Apostolicæ Sedis sanctæ Christi Dei nostri Hierosolymorum civitatis, subscripsi.

Joannes Episcopus Thessalonicensis, & Apostolicæ Sedis 184
legatus.

Theodorus Episcopus civitatis Trimithuntenæ, locum gerens Epiphanii sanctissimi Archiepiscopi.

Theodorus Presbyter Ravennatis Ecclesiæ, locum gerens Theodori Archiepiscopi.

Joannes Episcopus Portuensis, legatus totius Concilii sanctæ Sedis Apostolicæ urbis Romæ.

Basilius Episcopus civitatis Gortynæ insulæ Cretæ, & legatus totius Concilii Apostolicæ principalis Sedis antiquæ Romæ.

Abundantius Episcopus civitatis Tompsanæ, legatus totius Concilii sanctæ Sedis Apostolicæ urbis Romæ.

Joannes Episcopus Ecclesiæ Rhegitanæ legatus totius Concilii sanctæ Sedis Apostolicæ, & sic de cæteris.

Hæc est Synodi VI. προεδρεία, quam ejusdem actio prima, septima & decima octava Agathoni Papæ asserunt.

Huc accedit vetus Romanæ Ecclesiæ diurnum in fidei professione, quam olim recens creati Pontifices edebant: *Inter hæc veneranda & universalia quinque Concilia, etiam sextum Concilium generale centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, quod, favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis nostri domini Constantini clementer implente, in urbe regia, eo præsidente, celebratum est, cui Apostolicæ recordationis Agatho Papa per legatos suos & responsales præfuit.* Hæc ex eo libro, qui Roma- 185
nis quidem typis mandatus est, sed ibi captivus adhuc detinetur.

Nunc audiendi sunt, qui Georgio Constantinopolitano & Macario Antiocheno Synodi VI. προεδρείαν attribuunt: Beda, Hincmarus, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, auctor chronologicæ compilationis ad annum MCCCCLXXIV. perductæ. Beda apud Lambertum, qui in libro de rebus gestis Germanorum chronicam ab Adamo usque ad annum DCCII. synopsim ex Beda proponit, in qua hæc de duobus illis Præsidibus tradit. *Hic* (Constantinus) *sextam Synodum congregavit, cujus rogatu*

Agatho Papa misit in regiam urbem legatos suos, in quibus fuit Joannes Romana Ecclesia tunc Diaconus, non longe post Episcopus, pro adunatione facienda sancta Ecclesia. Hac sexta Synodus Constantinopoli acta est, ubi affuerunt Episcopi CL. *prasidente Georgio Patriarcha regia urbis, & Macario urbis Antiochia.* Hæc Beda & Lambertus simul.

Hincmarus, qui Bedam inter & Lambertum medius vixit in opusculi LV. contra Hincmarum Laudunensem capite XX. *Sexta item* (Synodus) *in Constantinopoli sub Agathone Papa, qui ex rogatu Constantini, Heraclii & Tiberii Principum piissimorum misit in regiam urbem legatos suos, in quibus erat Joannes Romana Ecclesia tunc Diaconus, non longe post Episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissime suscepti à reverendissimo fidei catholica*
186 *defensore Constantino jussi sunt, remissis disputationibus, pacifico conloquio de vera fide perquirere, datis eis de Bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum Patrum, quos petebant, libellis. Adfuerunt autem & Episcopi* CL. *prasidente Georgio Patriarcha regia urbis, & Antiochia Macario, & convicti sunt, qui unam voluntatem & operationem adstruebant in Christo.*

Marianus in libri II. ætate VI. *Adfuerunt autem Episcopi* CL. *prasidente Georgio Patriarcha regia urbis & Antiochia Macario.*

Auctor compilationis chronologicæ ad annum DCLXXXII. *Hujus Imperatoris* (Constantini) *rogatu Agatho Papa misit legatos suos ad Concilium prafatum in regiam urbem, ubi prafuerat olim Episcopus, prasidente Georgio Patriarcha regia urbis, & Macario Patriarcha Antiocheno cum legatis Sedis Apostolica.* Compilationis hujus auctor in eo differt ab aliis quatuor, quod Georgio, & Macario Sedis Apostolicæ legatos adjungat. Nunc occurrunt mihi duo, quæ salvo judicio meliore de auctoris hujus, Mariani, Lamberti, Hincmari, Bedæ sententia pronuntiem. Et primo quidem præsidendi partes ex ordine, quo & Agathonis legati & Patriarchæ Constantinopolitanus & Alexandrinus Imperatori assidebant, perperam æstimavere. Crediderunt eos Synodo præsidere, qui ad Imperatoris dexteram sedebant, non qui ad lævam. At quamvis ex Synodi actis certum sit, Patriarchas Constantinopolitanum & Alexan-
187 drinum sedisse ad Imperatoris dexteram, & Agathonis legatos ad lævam; Agathonis tamen legati nominantur primi, Imperatorem alloquuntur primi, & definitioni subscribunt primi, & post ipsos Patriarchæ Constantinopolitanus & Alexandrinus. Deinde cum Gelasio Romanæ Ecclesiæ Episcopo fortasse crediderunt, universalibus Conciliis præsidendi munus uni certæ ac determinatæ sedi proprium non esse, nec illud ad bene gestæ Synodi notionem pertinere. Gelasii verba sunt hæc in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Ubi etiam consequenter ostenditur, quia male gesta Synodus, id est, contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota merito Ecclesia non recepit, & pracipue Sedes Apostolica non probavit. Bene gesta Synodus, id est, secundum Scripturas, secundam Traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas, pro fide catholica & communione prolata, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit.*

Photius in libro de Synodis multos facit Synodi VI. Præsides, & in iis primum omnium Constantinopolitanum Episcopum. *Sanctum*, inquit, *& Oecumenicum sextum Concilium sibi quoque sacrum in urbium regina arcanorum Ecclesia spectaculorum theatrum elegit. Centum autem & septuaginta divinis viris fultum in certamen ingrediens, pietatem & religionem splendide victricem demonstravit. In hoc qui praessent, judicati sunt digni, Georgius regia ipsius civitatis Antistes, & Theodorus & Georgius in presbyteris dignitate constituti, una cum Joanne Diacono,* 188
qui Agathonis sanctissimi Papa Romani loco in eorum qui praerant, ordine numerati sunt, & magna civitatis Alexandrina Sedis locum Petrus Monachus implevit. Cum quibus & Georgius Monachus ac Presbyter in gradum pontificia sedis Hierosolymorum ascendit. Photius in eo cum Beda, Hincmaro, Lamberto, Mariano, & auctore compilationis chronologicæ concordat, quod Georgium Constantinopolitanum Episcopum Concilii Præsidem constituat primum: Sed in eo discordat, quod Agathonem secundum Præsidem constituat. Recentiores Græci, Cedrenus, Zonaras, Nilus, & Libellus synodicus Concilii hujus Præsides multos faciunt, sed in iis primum omnium Agathonem.

Cedrenus in Compendio historiarum: *Principes*, inquit, *fuerunt Agathonis Papa Romani, locum tenentes Theodorus ac Georgius Presbyteri & Joannes Diaconus, Georgius Constantinopolis, & Theophanes Antiochia Archiepiscopi.*

Zonaras in tomo III. Annalium: *Itaque Concilium Constantinopoli indicit, cujus fuerunt principes Agathonis Papa Romani legati, Georgius Constantinopolitanus, & Theophanes Antiochenus: Neque Alexandria, neque Hierosolyma Patriarcham habebant à Sarracenis occupata.* Qua in re Zonaras suam prodit ignorantiam, quia in actione XVIII. *Petrus Presbyter & locum servans Apostolica Sedis Alexandria, & Georgius Presbyter, & locum gerens Theodori, & locum servantis* 189
Apostolica Sedis sancta Christi Dei nostri Hierosolymorum civitatis, subscribunt.

Nilus in libro de Synodis: *Sancta & Oecumenica sexta Synodus habita est, imperante Constantino Pogonato, congregata à centum septuaginta patribus, cui praerant, Agatho Roma, Georgius Constantinopolis, Petrus Monachus, Alexandria legatus, & Theophanes Antiochia Episcopi, adversus Honorium Papam Roma, Cyrum Alexandria, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolis Episcopos.*

Libellus synodicus num. DCLXXXI. *Cui* (Synodo VI.) *prafuerunt prasidentes locum tenentes Papa Romani Agathonis, Theodorus & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus; Constantinopolitanus item Patriarcha Georgius, qui Petro successerat, Theophanes Antiochia Syria Archiepiscopus, Alexandria Ecclesia locum tenens Monachus & Presbyter.*

Scriptores isti Photius, Cedrenus, Zonaras, Nilus, Libelli synodici auctor sic dissentientes inter se in eo conveniunt, quod Concilii Præsides multos constituant: Nec memini legere me, æquales illis fuisse Latinos, qui facti genus illud reprehenderint, ut quid ab Ecclesiasticis regulis alienum.

Porro autem cum in actis Synodi hujus Imperator PRÆSIDENS dicitur, præsidentis speciem refert, & in narratione Synodo anteponitur, ne quis me accuset [illegible], & insuper habitam Principum dignitatem queratur. Quidquid id est, notare operæ pre- 190
tium duxi.

Et primo quidem sciendum est Synodum actionibus octodecim constare, & actionis I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. & XVIII. exordium sic se habere: *In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri* JESU CHRISTI, *imperantibus à Deo coronatis & serenissimis dominis nostris Flaviis, Constantino quidem piissimo, & à Deo decreto magno Principe perpetuo Augusto & Imperatore anno* XXVII. *& post consulatum ejus à Deo instructa mansuetudinis anno* XIII. *Heraclio vero & Tiberio à Deo conservandis ejus fratribus anno* XXII. *die* VII. *mensis Novembris, Indictione IX.* PRÆSIDENTE, [illegible], *eodem piissimo, & Christo dilecto magno Imperatore Constantino, in secretario sacro palatii, quod cognominatur Trullus.* En quomodo in actionibus duodecim

Impe-

Imperator PRÆSIDENS appellatur: Et ne appellaretur intercessit nemo; universa Synodus consensit.

Deinde sciendum est in actione XII. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. quia Imperator aberat, non scribitur: *Præsidente Imperatore Constantino*; sed scribitur: *Proposito sessu piissimi & Christo amabilis magni Imperatoris Constantini in secretario sacri palatii*, & cætera, ut in actionibus duodecim aliis.

Tum sciendum est, Imperatorem quæ proponenda sunt, ad deliberandum proponere, & passim interloqui. In actione I. sic proponit:

191 *Constantinus piissimus Imperator dixit: Si valtis nobis de hoc ostendere, non aliter vos suscipimus, nisi probationes proferentes, quemadmodum dixistis, ex sanctis universalibus Synodis, & sanctis probabilibus Patribus.* Et paullo post interloquitur: Agathonis legati nec proponunt, nec interloquuntur.

In actione II. Imperator sic proponit: *Constantinus piissimus Imperator dixit: Proferantur & acta prædicta sanctæ Calchedonensis Synodi, & coram nostro relegantur auditu.* Et paullo post interloquitur: Agathonis legati nec proponunt nec interloquuntur.

In actione III. Imperator sic proponit: *Constantinus piissimus Imperator dixit: Præsens Antiochus religiosus lector & notarius suscipiens librum relegat.* Et paulo post subinde interloquitur, idque septies Agathonis legati nec proponunt, nec interloquuntur.

In actione IV. Imperator sub illius finem ita proponit: *Constantinus piissimus Imperator dixit. Relegantur suggestiones quæ factæ tam ab Agathone Papa, quam à subjacente ei Synodo.* Agathonis legati nec proponunt, nec interloquuntur.

In actione V. Imperator ita proponit: *Constantinus piissimus Imperator dixit: Edicant Macarius Deo amabilis Archiepiscopus, & qui cum eo sunt, Deo amabiles, si secundum suam pollicitationem præparati occurrant.* Et paullo post interloquitur: Agathonis legati nec proponunt, nec interloquuntur.

In actione VI. Imperator ita proponit: *Piissi-*
192 *mus Imperator Constantinus dixit: Persequatur Deo amabilis Macarius Archiepiscopus, & qui cum eo sunt, si secundum interlocutionem à Deo factam debite præparati advenerint.* Et paullo post semel atque iterum interloquitur.

In actione VII. Imperator ita proponit: *Piissimus Imperator Constantinus dixit: Proferant qui locum adimplent Agathonis sanctissimi Papæ urbis Romæ memorata ab eo testimonia.* Et paullo post Imperator interloquitur: Agathonis legati nec proponunt, nec interloquuntur.

In actione VIII. Imperator ita proponit: *Piissimus Imperator Constantinus dixit: Edicat Georgius sanctissimus Archiepiscopus hujus à Deo conservandæ civitatis nostræ, & Macarius venerabilis Archiepiscopus Antiochiæ, & eis subjacent Synodus, si conveniunt eis sensus suggestionum directarum ab Agathone Papa Romæ, & ejus Synodo.* Et paullo post Imperator sic interloquitur: *Piissimus Imperator Constantinus, dixit: Quod consideratum est à sancta Synodo fiat.* Agathonis legati nec proponunt, nec interloquuntur.

Quarto sciendum est in narratione Imperatorem sanctæ Synodo præponi, quod deinceps ostensuri imus.

In actione hac octava post Macarii interlocutionem sic se res habet: *Piissimus Imperator Constantinus & sancta Synodus dixerunt: Quoniam quidem suspicio nobis data est circa vos occasione porrecta chartula à Theodoro Deo amabili Episcopo Meliteno, non aliter nobis satisfacitis, nisi utique in scrip-* 193
ti libellos fidei vestræ ea subsequenti adduxeritis, ut debetis coram sanctis & immaculatis Dei eloquiis eos offerre.

In actione XI. *Constantinus piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt: Memorati viri ingrediantur, & ingressi sunt.*

Constantinus piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt: Relegantur quæ dudum gesta sunt, & relata sunt. Et post pauca: *Constantinus piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt,* &c.

In actione X. *Constantinus piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt: Quæ dudum gesta sunt, relegantur, & relecta sunt.*

Constantinus piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt: Auditores effecti testimoniorum, quæ prolata sunt à Macario & Stephano, agnovimus, qualis comparatio ab eis facta est in hujusmodi testimoniis, quæ obumbraret atque confunderet Domini nostri JESU CHRISTI *veri Dei nostri humanationis dispensationem.*

In actione XI. *Constantinus piissimus Imperator, & sanctum Concilium dixerunt: Georgius Presbyter & religiosus Monachus,* &c.

Constantinus piissimus Imperator, & sancta Synodus dixerunt: Scientia nunc relatorum synodicorum sumus edocti; dicunt autem Theodorus & Georgius Deo amabiles Presbyteri, & Joannes Diaconus locum repræsentantes Agathonis sanctissimi Papæ Romani, si & iterum novitior aliquid prosequi cupiant. Et post legatorum interlocutionem: *Constantinus piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt: Edicat Georgi-*
us. Et post illius interlocutionem: *Constantinus* 194
piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt: Hæc ad medium deducuntur, &c. Et post interlocutionem: *Constantinus piissimus Imperator & sancta Synodus dixerunt.* Infra: *Constantinus piissimus Imperator dixit: Secundum quod prævidit sancta Synodus fiat.*

Quinto sciendum est, absente Constantino, Judices in narratione Synodo anteponi in actione XII. *Gloriosissimi Judices, & sancta Synodus dixerunt.* Et hoc ter in eadem actione repetitur: Nempe Judices Imperatoris vice fungebantur.

Postremo sciendum est, Imperatori prius acclamatum esse, *multos annos*, quam Agathoni Papæ & Patriarchæ Georgio acclamaretur. Hoc ipsum apparet in actione VIII. *Sancta Synodus exclamavit Constantino magno Imperatori multos annos, conservatori orthodoxæ fidei multos annos, pacifico Imperatori multos annos, novo magno Constantino Imperatori multos annos, novo Theodosio Imperatori multos annos, novo Imperatori Marciano multos annos, novo Justiniano Imperatori multos annos. Nos famuli Imperatoris. Agathoni orthodoxo Papæ Romano multos annos, Georgio orthodoxo Patriarchæ multos annos, sacro Senatui multos annos, orthodoxo Senatui multos annos.* Imperatori septies, Agathoni Papæ semel tantum, & Senatui, seu Judicibus semel atque iterum acclamatur.

Deinde in actione XVIII. postquam Imperator 195
ita subscripsit: *Constantinus in Christo est Rex Imperator Romanorum, legimus & consensimus.* Semel atque iterum illi acclamatur: Semel ita, *Multos annos Imperatori, integritatem duarum naturarum Christi Dei nostri tu declarasti; luminarium pacis, Domine, conserva: Marciano novo Constantino æterna memoria, novo Justiniano Constantino æterna memoria. Omnes hæreticos tu effugasti, dejectorem hæreticorum, Domine, conserva: Vita tua Orthodoxorum vita est, cælestis Rex terrestrem conserva, per te universalis Ecclesia pacificata est.* Iterum paullo

post: *Sancta Synodus exclamavit multos annos Imperatori, Christo dilecto Imperatori multos annos, pium & Christianum Imperatorem, Domine, conserva, orthodoxam fidem tu conservasti. Definitio orthodoxa est.*

Hæc igitur omnia, quæ ex actis Synodi fideliter decerpsimus, certam quandam Præsidis speciem non possunt non exhibere; sed huic speciei deest subscriptio. Imperator non primus, sed ultimus subscribit, & cur ita subscribat, ex iisdem actis nec apparet, nec quæ satisfaciat reddi potest ratio, postquam Imperator in Synodo ita se gessit, ut gessisse se ostendimus. Sed utrum postremam subscriptionem acclamationum, quibus erga Imperatorem Concilium utitur, singulare genus ad gradum altiorem evehat, & humilem subscriptionis locum sua gravitate compenset, necne, digna res est quæ
196 ponderetur diligentius. Hac super re tuam & aliorum expecto sententiam. Quidquid id est, Basilius Imperator in octava Synodo rogatus est, ut primus omnium subscriberet, noluit subscribere. Post Patriarchas [illegible] subscripsit.

Ad rem ipsam quod attinet, quæ ex actis Synodi de Imperatore & Judicibus observavi, hæc per sese acta ipsa Synodi primo defendunt; deinde Sedis Apostolicæ legati, qui neutiquam repugnarunt, sed taciturnitate sua penitus consenserunt; tum Leo II. qui acta Synodi omnia latinitate donavit.

Præterea Romanum Diurnum in Romani Præsulis recens consecrati allocutione ad Episcopos. *Inter hæc*, inquit novus Pontifex, *veneranda universalia Concilia, etiam sextum Concilium universale centum septuaginta quinque venerabilium Præsulum prædicamus, quod, favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis nostri domni Constantini clementer implente, in urbe regia* EO PRÆSIDENTE *celebratum est.*

Postremo Romanæ Ecclesiæ Breviarium, quod anno MCCCCLXXXII. Venetiis, & anno MDXLIII. Lutetiæ in lucem prodiit, ubi Constantinus sextæ Synodi præsidens vocatur in nocturni 1. lectione 1. *Hic* (Leo) *suscepit sanctam sextam Synodum, quæ nuper per Dei providentiam in regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente ac* PRÆSIDENTE *piissimo ac clementissimo magno Principe Constantino, intra regale palatium ejus quod appellatur Trullus.* Lectio hæc tota desumpta est ad verbum
197 ex beati Leonis II. vita, quam Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius confecit. Unde vehemens suspicio est, antiquiores Anastasii codices recentioribus præstare, ubi RESIDENTE non PRÆSIDENTE legitur. Qui opus Anastasii de vitis Pontificum transscripserunt, aut typis mandari curarunt, cum vox PRÆSIDENTE sibi incommodaret, ab ea literam p, sustulerunt, & dipthongum æ in e simplicem mutarunt.

Romanum Breviarium, quod anno MDXLIII. Parisiis editum est in 4°. depromptam ex sancti Leonis vita lectionem retinet; sed vocem PRÆSIDENTE, quam habebat Breviarium vetustius, in vocem RESIDENTE commutat. Qui successerunt Romani Breviarii correctores antiquam lectionem, quæ ex quo tempore Leonis II. festum in Romana celebrari cœpit Ecclesia, recitata ibi fuerat, abrogarunt, & aliam in ejus locum suffecerunt. In qua Synodus sexta non amplius dicitur celebrata EXEQUENTE AC PRÆSIDENTE piissimo ac clementissimo magno Principe Constantino, ut olim dicebatur. Sic ergo dicitur: *Leo probavit acta sextæ Synodi, quæ Constantinopoli celebrata est, præsidentibus legatis Apostolicæ Sedis, præsente quoque Constantino Imperatore, & duobus Patriarchis, Constantinopolitano & Antiocheno.* Sed Antiochenus dignus non erat, cujus nomen in Ecclesia prædicaretur. Is erat Macarius, qui ut Monothelita hæreticus damnatus est à Synodo & Episco-
patu privatus. Id notabatur in antiquis Romani 198
Breviarii lectionibus, quas Anastasius in vita Leonis II. suppeditaverat. Si correctores inspexissent in actionem VIII. sextæ Synodi, Georgio Constantinopolitano, ut orthodoxo Patriarchæ acclamatum esse deprehendissent; sed Macario Antiocheno, ut orthodoxo Patriarchæ acclamatum esse minime deprehendissent: Si correctores iidem dignati essent ad Romanum Diurnum attendere, reperissent sine dubio, Macarium Antiochenum anathemati toties subjectum fuisse, quoties Romæ Pontifices novi creabantur.

Verumenimvero homines alias bene docti & sincero animo præditi, sivissent antiquas de Leone II. Romani Breviarii lectiones recitari, ut ab initio recitatæ fuerant, si participium [illegible] in actis Synodi sextæ reperiri duodecies, & illud Leonem II. PRÆSIDENTE duodecies vertisse, & hoc ipsum PRÆSIDENTE in Romanæ Ecclesiæ Diurno quod protulimus contineri novissent. Quidquid id est, in Romani Breviarii correctoribus corrigendi voluntas laudari potest; sed correctio, ut mox vidimus, laudari non potest. Nunc finienda est historia quæ ad præsidendi sextæ Synodo partes & pontificias & imperatorias pertinet: Singulare in iis disciplinæ Ecclesiasticæ genus est, quod & tuo & alius cujuscunque viri sapientis examini subjicio. Historiam, & in ea synodalis præsidentiæ disciplinam prosecutus sum; de utraque re judicium feres, & ei stabo libentissime. Vale, Lutetiæ Paris. Idib. April. ann. MDCLXXIII.

Joan-

Joannes Launoius

HIERONYMO SAMBOEUVIO.

199 QUIS Synodi VII. Præses fuerit, Photius & Nilus inter se non conveniunt; sed acta Synodi secundum Nilum pronuntiant. Et primum quidem actio prima, ubi Episcoporum ordo his verbis describitur: *Conveniente sancta & universali Synodo, id est, Petro Archipresbytero Romanæ Ecclesiæ, scilicet Apostoli Petri, & Petro Presbytero Monacho & Abbate Monasterii sancti Sabæ, retinentibus locum Apostolicæ Sedis Archiepiscopi senioris Romæ Hadriani, Tarasio Archiepiscopo Constantinopoleos, Joanne & Thoma Presbyteris, & vicariis Apostolicarum Sedium Orientalis diœceseos.*

Hoc loco primi nominantur Romani Pontifices legati; quod præsidendi partes significat.

Deinde actio v. ubi legati sic primi verba faciunt: *Petrus Archipresbyter, & loci servator sanctissimi Papæ senioris Romæ ex pittacio, Tarasio Constantinopoleos novæ Romæ Patriarcha, atque omni huic sanctæ universali Synodo, Petrus Archipresbyter, &c.*

Tum actio VII. & ultima: *Conveniente sancta & universali Synodo juxta divinam gratiam, & pium Imperatorum à Deo electorum decretum congregata in Nicæa splendida Metropoli Bithyniæ provinciæ, hoc est,*
200 *Petro religiosissimo Protopresbytero sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ sancti Petri Apostoli, & Petro religiosissimo Monacho & Præside venerandæ mansionis sancti Sabæ, agentibus vicem Apostolicæ Sedis, & sanctissimi Episcopi veteris Romæ.*

Denique synodica definitio, cui legati Romanæ Ecclesiæ subscribunt primi.

Petrus miseratione divina Protopresbyter sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ beati Petri, & locum retinens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.

Petrus indignus Presbyter & Præses sancti Patris nostri Sabæ, & vices agens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.

Tarasius miseratione divina Episcopus Constantinopolis novæ Romæ Patrum dogmatibus insistens, & catholicæ Ecclesiæ adhærens, definiens subscripsi.

At Photius multos facit Concilii hujus Præsides; sed in iis primum omnium Tarasium. *Sanctam* (inquit in libro de septem Synodis) *& œcumenicum septimum Concilium, Nicæam sibi quoque Bithyniæ civitatem delegit, in qua & antea rectorum dogmatum judicium fuerat. Trecenti & sexaginta septem interfuerunt Episcopi, qui sacræ magnæque phalangis suæ ordinum Duces ac Præsides constituerunt, Tarasium inter Episcopos celeberrimum, & Petrum religiosissimum Protopresbyterum Ecclesiæ Romanæ, & alterum Petrum Presbyterum, ipsum quoque & illius mansionis præfectum sancti Sabæ. Hi Sedis Apostolicæ sortiti sunt locum, Hadriano tunc*
201 *pontificiam dignitatem exercente, & Joannem ac Thomam singulari vivendi ratione celebres, & sacro honore insignes, & totius Orientis diœceses Apostolicarum magnarumque Sedium gubernantes, nempe Apollinaris & Theodoriti & Eliæ, quorum primus Alexandriæ, alter Antiochiæ, tertius Hierosolymorum erat Antistes.* Ergo quinque facit Concilii hujus Præsides, Tarasium Constantinopolitanum, Hadrianum Romanum per suos vicarios, Apollinarium Alexandrinum, Theodoritum Antiochenum, & Eliam Hierosolymitanum.

Libellus synodicus Photium sequitur num. DCCLXXXVII. *Cui (Synodo VII.) præfuerunt præsidentes, sanctus Tarasius Constantinopolitanus, qui Paulo Cyprio successerat, Petrus & Petrus Presbyteri Hadriani sanctissimi Papæ Romani locum tenentes, Joannes & Thomas Monachi & Presbyteri, Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani diœceseos Orientis locum tenentes.*

Hoc autem in ordine secundus est Hadrianus, qui apud Nilum in libro de Synodis primus ponitur: *Sancta & œcumenica septima Synodus Nicææ secundo habita est, imperantibus Constantino & ejus matre Irene, congregata à sexcentis sexaginta tribus sanctis Patribus adversus Iconomachos. Præerant huic Hadrianus Papa Romæ, Tarasius Constantinopolis, Politianus Alexandriæ, Theodoritus Antiochiæ, Elias Hierosolymorum.* Quin melior sit Nili, quam Photii opinio, relata septimæ Synodi acta dubitare non sinunt.

Theodorus Abbas Studita, hujus temporis scriptor, 202
cujus virtutem & doctrinam summe laudat Baronius, scribit duo, quorum alterum constituendis universalium Conciliorum Præsidibus multis, ut eos Photius constituit, inservire potest. Siquidem ex quo in libri II. Epistola CXXIX. ad Leonem Sacellarium πεντακόρυφον quinque capitum vocat Ecclesiam, & πεντακόρυφον κράτος τῆς ἐκκλησίας, quinque capitum principatum Ecclesiæ dicit, universalium Conciliorum Præsides multos objicere videtur. Alterum vero primum inter illos Præsides locum in iis Conciliis Romano Pontifici reservat & asserit. Nam in Epistola ad Leonem III. Pontificem hunc τὴν ὅλων κεφαλῶν κεφαλήν, omnium capitum caput appellat, quemadmodum Jacobus Sirmondus refert in Censura conjecturæ anonymi scriptoris de suburbicariis regionibus & Ecclesiis cap. 15. Ex auctoritate igitur Theodori Studitæ Photius redarguitur, qui Tarasium Synodi hujus Præsidem primum facit, idque insuper contra rei gestæ veritatem, quæ sese ex actis ipsius Synodi prodit, ut mox vidimus. Photii proprius hic error est, ut universalium Conciliorum Præsidem primum faciat Constantinopolitanum Episcopum; sed errorem illum in Epistolis ad Raimundum Formentinum, ad Ludovicum Cusinum, & ad Carolum Prestium confiximus. Non repeto quæ his in Epistolis disseruimus contra Photium, ne inutilis & molesta sit repetitio. Cæterum Baronius Theodori Studitæ Epistolas plures annali septimo in- 203
seruit, quas Jacobus Sirmondus, vir ad optimarum artium studia genitus, in familiaris & amici gratiam Latinitate donaverat.

Latinorum auctorum neminem adfero, quia neminem inveni; nec mirum: Septimam enim Synodum veteres, & cum primis Galli, pro œcumenica non habuerunt.

Annales Francorum ab anno Christi DCCVIII. perducti ad annum DCCCVIII. quo auctor vixisse se testatur. *Anno DCCXCV. Pseudosynodus Græcorum, quam falso septimam vocabant, & pro adorandis imaginibus fecerant, rejecta est à Pontificibus.*

Annales Francorum ab anno Christi DCCXLI. perducti ad annum DCCCXIV. *Pseudosynodus Græcorum, quam falso septimam vocabant, & pro adorandis imaginibus fecerant, rejecta est à Pontificibus.*

Incertus auctor vitæ Caroli Magni anno DCCXCIV. *Pseudo-*

Pseudosynodus Græcorum pro adorandis imaginibus facta, quam falso septimam vocabant, rejecta est à Pontificibus.

Poeta Saxonicus in Annalium libro III.

Annis præterea Synodum non pluribus ante,
Constantinopoli celebrari fecit in urbe,
Græcorum Princeps, qui Constantinus habebat
Nomen, & ejusdem genitrix Irene vocata,
Et condixerunt, ut septima seu generalis
Appellaretur; sed eam non nomine tali
Dignum Concilium pariter cognoverat istud:
Utque supervacuam, spernendam censuit iste.

204 Hic Poeta Francofordiense Concilium & Carolnm Magnum intelligit.

Eginhardus in Annalibus de gestis Caroli Magni Imperatoris: *Anno* DCCXCIV. *Synodus etiam quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub Irene & Constantino filio ejus congregata, & ab ipsis non solum septima, verumetiam universalis, erat appellata, ut nec septima, nec universalis haberetur, diceretурve quasi supervacua, in totum ab omnibus abdicata est.*

Hincmarus Remensis Episcopus in opusculi LV. contra Hincmarum Laudnnensem capite XX. *Septima autem apud Græcos vocata universalis pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: Neutra vero pars intellectu sano diffiniens sine auctoritate Apostolicæ Sedis non longe ante tempora nostra Constantinopoli est à quampluribus Episcopis habita, & Romam missa. Quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit: Unde tempore Caroli Magni Imperatoris, jussione Apostolicæ Sedis, generalis est Synodus in Francia, convocante præfato Imperatore, celebrata; & secundum Scripturarum tramitem, Traditionemque majorum ipsa Græcorum pseudosynodus destructa est & penitus abdicata.*

Regino Prumiensis Abbas in libro II. Chronicorum: *Anno* DCCXCIV. *pseudosynodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, à Pontificibus rejecta est.*

Atqui hæc sunt, propter quæ Latini scriptores antiqui mentionem de Præsidibus septimæ Synodi nnllam in libris suis reliquerint. Ex horum nu- 205
mero & ordine excipiendus est Anastasius Bibliothecarius, qui cum ex aliis, tum ex hoc quoque septimam agnoscit Synodum, quod quæ sub Hadriano II. habita est Constantinopoli, octavam appellet.

In posterioribus sæculis quod pertinet ad Synodum VII. id apud Gallos alia cœpit providentia gubernari. Scriptores Galli, cum sese dedit occasio, Synodum septimam pro universali & œcumenica duxerunt. Cur autem duxerint, in causa, opinor, fuit, quod illis definitus ab illa Synodo sacrarum imaginum cultus placuerit. Hanc igitur Synodum admittunt, eique Hadrianum I. per suos vicarios præfuisse recipiunt. Vale, Lutetiæ Parisiorum, pridie Kalend. Maii anni MDCLXXIII.

Joannes Launoius
FRANCISCO BONO.

207 NON tam arduum & negotiosum est observare quis è clero præfuerit octavæ Synodo, quam disquirere, cur Photius, Georgius Cedrenus, Joannes Zonaras, & Nilus Rhodiensis Episcopus de octavæ Synodi Præside, seu, ut ipsi loqui amant, Præsidibus tacuerint.

Utrumque breviter expediendum est; & primum quidem Hadrianus II. Concilio huic per suos vicarios præsedit. Id Pontifex in Epistola sua ad Basilium Imperatorem testatur: *Volumus per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, & culparum personarumque differentias liquido agnoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulas libere discretiones exerceant.* Hæc autem Epistola refertur & probatur in actione I. quæ sic incipit: *Convenientibus Donato & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Hadriani Archiepiscopi senioris Romæ, & Ignatio Archiepiscopo Constantinopoleos novæ Romæ, & vicarius Orientis Thoma Metropolita Tyri, locum tenente sedis Antiochiæ, & Syncello locum tenente Theodosii Archiepiscopi sedis Hierosolymorum.* Et post pauca: *His ita congregatis, sanctissimi vicarii senioris Romæ & Orientis dixerunt.*

208 Iterum post alia: *Sanctissimi vicarii senioris Romæ dixerunt: Ergo & omnem dubitationem emittamus è cordibus vestris, & verbis & operibus certificemus vos, quæ secundum ea quæ mandata & jussa sunt vobis, disponemus. Ergo habemus Epistolas ad Imperatorem & Patriarcham; & si jubetis, legantur.* Tunc legati loquuntur primi, ut mos est Præsidum.

Tum in actione VIII. *Donato Episcopo Ostiensi, & Stephano Episcopo Nepesino, & Marino Diacono sanctæ Ecclesiæ Romanæ, locum tenentibus Hadriani Papæ,* & cætera ut supra in actione I.

Quarto in actione IX. *Congregatis Papæ Hadriani legatis, & Patriarcha Ignatio, cæterisque Alexandriæ, Antiochiæ, & Hierosolymorum vicariis & sacro Senatu.* In his actionibus VIII. & IX. Hadriani Papæ legati nominantur primi, ut Præsides nominari solent.

Denique in actione X. Hadriani Papæ legati Episcoporum omnium primi subscribunt.

Hæc ex actis octavæ Synodi de illius præsidentia, de qua cur laudati scriptores Græci sileant, disquirendum est: Quin autem octava Synodus hæc ita vocari debeat, quin legitima & generalis sit, non dubitant, qui illam celebravere.

Pro Latinis insuper Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, qui tunc ætatis florebat, loquitur & spondet in ejusdem Synodi præfatione: *Nuncupanda est sine ulla contradictione Synodus universalis octava, ut & appellatio, quam cum aliis Conciliis sortita est, non* 209
celetur, & nomen proprium, quod singulariter possedit, non veletur.

Photius quem librum de septem inscripsit Synodis, de octo potuit inscribere; sed non inscripsit, quia Synodum octavam noluit agnoscere, in qua præsens ille anathemate percussus est tanquam Constantinopolitanæ sedis incubator, & restitutus Ignatius, qui ab ea Photii tyrannide dejectus fuerat.

Scio quidem, librum de Synodis a Photio fuisse prius editum, quam Synodus octava fieret, dici posse;

Sed quod incertum eſt diceretur. Ad hæc Photius octavæ Synodo annis ſupervixit pluribus, ideoque octavam Synodum aliis ſeptem adjungere potuit, ſi eam ut univerſalem agnoviſſet.

Cedrenus & Zonaras meminerunt quidem; ſed eam nec octavam, nec œcumenicam appellarunt. Nilus Synodum octavam, quæ ſub Hadriano II. habita eſt, ne verbo quidem attigit; ſed aliam, in qua defuncto Ignatio reſtitutus eſt Photius, eamque falſo vocat octavam & œcumenicam.

Libellus ſynodicus incertæ ætatis octavam & œcumenicam Synodum ita vocat: *Synodus œcumenica octava Conſtantinopoli celebrata anno* III. *piiſſimorum Imperatorum Baſilii & Conſtantini, in qua præſentibus Donato & Stephano Epiſcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Hadriani Archiepiſcopi ſenioris Romæ, in locum priſtinæ dignitatis reſtitutus eſt Ignatius, iſtque*
210 *judicatum, Photium nefaria occupatione ſolium Patriarchæ tenuiſſe, & reſtituendum eſſe Ignatium.*

Tacere non poſſum Florentinam ſynodum, quæ ex Latinis & Græcis Antiſtitibus conflata eſt, alia providentia gubernatam fuiſſe. Hæc enim Synodus ſub nomine octavæ ſynodi cum primum in lucem prodiit, Græci & Latini qui aderant, & qui eam typis mandarunt, nec ſynodum in qua depoſitus eſt Photius, nec aliam Synodum in qua ſedi ſuæ redditus eſt Ignatius, ut octavam agnoſcunt: Qua non agnita, haud mirum eſt Græcos & Latinos illos octavæ Synodi Præſidem nullum agnoviſſe.

Porro autem quoniam veritas erubeſcit, cum abſconditur, ut illius rubori parcam & verecundiæ, celare te nolo de tribus, quæ ad Imperatoriam dignitatem pertinent. Primum quidem quod Imperatores Baſilius, Conſtantinus & Leo, *præſidentes* ſemel atque iterum dicuntur. Semel in actione VIII. *Præſidente eodem piiſſimo & amico Chriſti Baſilio in dextera parte magni nominis templi Eccleſiæ magnæ, & ſancta & univerſali Synodo.* Iterum in actione X. *Propoſitis venerandæ* (ſanctæ Crucis) *lignis, ſanctiſque Evangeliis ad dexteram ſanctæ Sophiæ partem templi,* PRÆSIDENTIBUS *Chriſti dilectis Imperatoribus, legatis, reliquiſque eodem, quo priore nona actione ſedebant, ordine conſidentibus.*

Deinde quod ante acclamatum eſt Imperatoribus
211 quam Romanis Pontificibus. Sic ſe res habet in fine actionis IX. *Multos annos Imperatorum Baſilii, Conſtantini, & Leonis magnorum Principum & Imperatorum, multos annos; Eudoxia piiſſimæ Imperatricis multos annos; Nicolai beatiſſimi Papæ Romani æterna memoria; Hadriani beatiſſimi Papæ Romani æterna memoria.* Rurſus in actione X. *Multos annos Imperatorum Baſilii, Conſtantini & Leonis, multos annos Baſilii orthodoxi, multos annos. Amatorem veritatis, Domine, conſerva. Baſilio novo Conſtantino æterna memoria, novo Theodoſio æterna memoria, novo Marciano æterna memoria, novo Juſtiniano æterna memoria, Eudoxia piiſſimæ Auguſtæ multos annos. Deus conſervet Imperium veſtrum, per vos univerſalis Eccleſia pacem obtinuit.* Et quibuſdam interjectis: *Germani, Taraſii, Nicephori, & Methodii venerabilium Patriarcharum æterna memoria, Nicolai Papæ ſenioris Romæ æterna memoria, Hadriani beatiſſimi Papæ Romani multos annos.*

Denique quod Imperatores rogati ſunt ab Romanæ Eccleſiæ vicariis, ut ante omnes ſubſcriberent. Res eſt hujuſmodi in actione X. *Legati veteris Romæ dixerunt: Poſteaquam divina providentia totius Eccleſiæ ſtatus & res compoſita ſunt, oportet ut hæc noſtra manu ſubſcribendo confirmemus. Subſcribant ergo primo loco Chriſti amantes Imperatores. Imperator Baſilius dixit: Noſtra ſerenitas imitata majores noſtros, Conſtantinum Magnum, Theodoſium, Marcianum, & cæteros, vult*
212 *illa quidem poſt omnes Epiſcopos ſubſcribere. Sed quoniam nos veſtra ſanctitas tali honore dignatur, ſecundum omnes demum vicarios ſubſcribemus. Edocti enim ſumus à Chriſto vero Deo noſtro habere exaltantem humilitatem.* His ita conſtitutis, Imperatores ſynodo & rebus ab ea definitis, primos omnium ſubſcribere, Romanæ Eccleſiæ legati nec rem ſibi vel ſedi Apoſtolicæ indecoram, nec ab Eccleſiaſtica dignitate alienam eſſe crediderunt. Legatis conſenſerunt Patres cæteri, quia diſſenſiſſe ab iis neutiquam leguntur. Quod autem Imperatores primi non ſubſcripſerint, humilitatis eminentiſſimæ, non defectus poteſtatis eſt indicium: Quia legati & his conſentiens ſynodus potuiſſe eos ſubſcribere judicarunt. Præjudicata Imperatorum ſubſcriptio hæc, lucem non modicam importat illis locis, in quibus Imperatores PRÆSIDANTES dicuntur. Nec ſane poſt alios præſediſſe Concilio, ſed alii poſt ipſos præſediſſe dicerentur. Quod & Concilii acclamationes luculenter confirmant, in quibus Imperatores primi nominantur. Invicta eſt confirmatio, ſi ſuis momentis omnibus expendatur. Interim ut recentium quorundam adulatricis curiæ magiſtrorum ictus declinem, recipio me ad Sedem Apoſtolicam, quæ per Gelaſium Præſulem ſuum ita loquitur in Epiſtola XIII. ad Epiſcopos Dardaniæ, ubi docet quæ male, & quæ bene geſta ſit ſynodus. *Male*, inquit, *geſta Synodus, id eſt, contra Scripturas ſanctas, contra doctrinam Patrum, contra Eccleſiaſticas regulas, quam tota merito* 213
Eccleſia non recepit, & præcipue Sedes Apoſtolica non probavit. Bene geſta Synodus, id eſt, ſecundum Scripturas, ſecundum Traditionem Patrum, ſecundum Eccleſiaſticas regulas, pro fide catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Eccleſia, quam maxime Apoſtolica Sedes comprobavit. Huc identidem revolvor, huc confugio, ut ea quæ vera ſunt, & quæ ad primæ Sedis jura ſpectare vulgo putantur, tutiſſimo in loco exponam. Gelaſius ad Synodum bene geſtam Romani Pontificis præſidentiam (mollienda ſunt uſu verba) non exigit; ſed Sedis Apoſtolicæ comprobationem exigit. Scientiſſimus Pontifex non ignorabat, quid ea ſuper re ferebat Romanæ Eccleſiæ Traditio, ad quam qui accedit, meus eſt; à qua qui recedit, meus non eſt. Adhærere nos ſemper oportet antiquitati, quæ nulla poteſt fraude ſeduci. Diſciplinæ genus illud quo de agitur, obſervatum minime fuit in Florentina ſynodo, cui Joannes Palæologus Imperator interfuit. Is enim præſidens non dicitur; eſt tamen nonnihil actum, quo quidquid eſt rei, compenſatum videtur. Igitur vide & circumſpice decretum, quo Orientales cum Occidentalibus in mutuam redeunt concordiam. Sic apud Blondum Eugenii Papæ IV. notarium in libro X. decadis III. inſcribitur: *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, conſentiente ad infra ſcripta cariſſimo in Chriſto filio Joanne Palæologo Romæorum Imperatore illuſtri, & loca tenentibus venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus.* 214
Lætentur cœli, exultet terra, &c. His omnino reſpondent Græca exemplaria, ſeu quæ à Latina verſione ſeparata, ſeu quæ Latinæ verſioni conjuncta ſunt. At verba iſta: *Conſentiente ad infra ſcripta cariſſimo in Chriſto filio Joanne Palæologo Romæorum Imperatore illuſtri*, & quæ ſequuntur alia, non placuerunt Horatio Juſtiniano, qui acta Florentinæ Synodi anno MDCXXXVIII. juris publici fecit, ubi concordiæ decretum aliter inſcriptum exhibere non erubuit. *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Sic nefarie ſupprimuntur illa, quibus Imperator Eugenio conſentire dicitur in iis omnibus, quæ in decreto continentur. Quanta vero ſit & ponderoſa inſcriptionis hujus repræſentatio, perſpicue ſignificant, quæ ex inſcriptione tolluntur & ſupprimuntur. Hic quærenda non eſt bona fides, quia non inveniretur: Invenietur utique mala, ſi quæratur. Id autem genus flagitii uni dumtaxat aſſignandum eſt falſario, non ſedi Apoſtolicæ, quam Pius II. Epi-

stola CCCLXXV. ad Carolum VII. Regem Galliæ appellat *matrem justitiæ & æquitatis.* Præterea solenne istud est in ore trium Pontificum, Gregorii I. in libri II. Indict. XI. Epistola XXIX. ad Presbyteros & Diaconos Mediolanensis Ecclesiæ; Gregorii VII. in libri I. epistola XXIV. ad Brunonem Veronensem Episcopum; Innocentii III. in libri V. epistola ad Rectores Thusciæ: *Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus.* Quinetiam ipsemet Eu-
215 genius Romanæ Ecclesiæ traditione fultus, alio in loco Imperatori sua jura vindicat & asserit, dum in procemio Florentinæ Synodi de purgatorio antiquæ editionis ita scribitur: *Aiebat Pontifex: Ubi ego sum cum Imperatore & Patriarcha, ibi est universa Christianorum Synodus, præsertim cum adsunt Patriarchæ omnes & Cardinales nostri.* Imperator quo in loco & ordine, & quam ob causam ponitur, satis superque apparet; & cum apparet hocce modo, me vide, objiciuntur cum alia multa, tum illud maxime quod Celestinus I. in Epistola X. ad sanctum Cyrillum scribit: *Indifficulter est Ecclesiarum & catholicæ fidei speranda tranquillitas, quando pro hac elaborare Christianissimos Principes sic videmus. Non est enim inefficax in divinis maxime causis cura regalis, quæ pertinet ad Deum, qui fideliter tenet corda regnantium.*

Cæterum de universalium aliorum Conciliorum, quæ apud Occidentem habita sunt, difficultas nec movetur, nec moveri potest. His Romanus Pontifex per se vel per suos legatos præfuit. Vale, Lutetiæ Parisiorum, Nonis Maii anni MDCLXXIII.

Joannes Launoius
CLAUDIO AMELINÆ
Parisiensi *Canonico & Archidiacono.*

217 QUOT Synodi celebratæ sint universales vel œcumenicæ, numerare difficile quidem est, si facti; difficilius vero, si juris conditio spectetur. Tu qui acri vales judicio, difficultatis utriusque rationem in eo positam esse, quod universales & œcumenicas Synodos alii aliter atque aliter numerent; alii aliter atque aliter definiant, facile præsentiscis. Difficultatem priorem, quæ in facti conditione versatur, expedio, & tibi ante oculos constituo.

I. Scriptores Græci Photius, Nilus, Libellus synodicus Nicænam Synodum secundam universalibus accensent Synodis: Accensent & Romani Pontifices electi in professione fidei, quam ad annum DCCCC. emittebant. Profitentur ibi se *sancta octo universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum primum, Calchedonense, quintum quoque & sextum item Constantinopolitanum, septimum item Nicænum, octavum quoque item Constantinopolitanum, usque ad unum apicem immutilate servare.*

Antiquiores è Gallia Scriptores Nicænam Synodum hanc universalibus non accensent Conciliis, Annales Francorum ab anno Christi DCCVIII. ad annum
218 DCCCVII. perducti, Annales Francorum ab anno Christi DCCXLI. ad annum DCCCVIII. perducti, incertus auctor vitæ Caroli Magni, Poeta Saxonicus, Eginhardus, Hincmarus Remensis Episcopus, Regino Prumiensis Abbas.

II. Quæ ad restituendum Ignatium, & ad deponendum Photium celebrata est Synodus, hanc octavam & universalem habent in sua fidei professione Romani Pontifices, ut mox apparuit, & Libellus Synodicus: Sed nec octavam, nec universalem habent Photius, Georgius Cedrenus, & Joannes Zonaras. Atque his, quod majus est, adjungo Florentinam Synodum, quæ in prima sui editione Latina & Græca, & in pontificio editionis privilegio Synodus octava, ὀγδόη. inscribitur: Sic inscripta tunc non esset, si Florentini Patres Synodum illam octavam & universalem agnovissent.

III. Prætermitto eam Synodum, quæ, ut est in fine Libelli synodici, Ignatio vita functo, & Joanne VIII. Romano Pontifice coacta est, ad restituendum Photium. Sic enim ibi scribitur: *Constantinopolitana, quam ipsam aliqui octavam œcumenicam nominant. Ignatio circa annum Domini DCCCLXXVII. mortuo, Photius consentiente Joanne IX. Papa Romano, qui VIII. alias solet nominari, in solium Patriarchale reductus est à Basilio Imperatore. Habita inde Synodus est Episcoporum Constantinopoli, in qua de unione cum Joanne his verbis, quæ apud Balsamonem reperiuntur, est actum. Statuit sancta & universalis Synodus, ut si qui ex Italia clericis, vel laicis, vel Episcopis, in* 219
Asia vel Europa vel Libya versantes, sub vinculo vel depositione vel anathematizatione, apud sanctissimum Papam fuerunt, ut is quoque sint ejusmodi etiam apud Photium sanctissimum Patriarcham Constantinopolitanum in eadem pœna definitione: Id est, vel depositi vel anathematizati vel segregati. Hæc autem Synodus, ut ab aliquibus octava œcumenica vocatur, sic & ab aliquibus pseudooctava, & non œcumenica dicitur. Quidquid id est, ut hi, sic & illi, asserendi quod asserunt, causam in medium proferre non dubitant.

IV. Gallicana Ecclesia nec Florentinum, nec Lateranense Concilium, quod Leo X. habuit, universalibus Conciliis adnumerat. Id testati sunt in Tridentino Concilio Gallicani Antistites de Florentino, & Pio IV. Caroli Cardinalis Lotharingii opera, significavere. Cardinalis ad suum secretarium, qui tum in urbe res illius curabat, verba sunt hæc è Gallico in Latinum conversa fideliter: *Nunc superest titulorum ultimus è Florentina Synodo depromptus, quem beatissimo Patri nostro tribuere volunt. Ego negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus, in qua Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui docent ibi contrarium, tanquam hæretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in partibus suis omnibus ut generale habetur. Basiliense in auctoritatem admittitur. Florentinum perinde ac nec legitimum, nec generale repudiatur Atque idcirco Galli de vita potius, quam de sententia decedent.* Hæc 220
Cardinalis, Gallorum nomine in commonitorio, quod ad memoratum jam Secretarium Tridento

Romam

Romam misit, ut his de rebus cum Pio IV. communicaret.

Ad Lateranense V. Concilium quod attinet, dum Academia Parisiensis anno MDXVII. pro sacrarum electionum & juris communis defensione adversus concordata Bononiensia provocat, Concilium illud in suis literis cœtum quemdam non in spiritu Dei congregatum appellat. *Sed Romani*, inquit, *propriis cupiditatibus & commoditatibus inhiantes, attendentes his mediis aurum & argentum sicut antea, ex dictis Regno & Delphinatu ad se pro suo voto non deferri, hujusmodi statutis invidentes ea per Romanos Pontifices abrogari facere studuerunt, quod auxiliante Domino hactenus prohibitum extitit, donec adveniens Dominus Leo Papa X. qui Romanis plus debito favens, in quodam cœtu in Romana civitate, qua contra nos est, nescimus qualiter, non tamen in spiritu Domini congregato, præmissa tam salutifera statuta abroganda esse (nescimus quo fretus consilio) censuit, & contra fidem catholicam & auctoritatem sacrorum generalium Conciliorum veniendo, sacrum Basiliense Concilium damnavit.* Sic igitur apud Gallos Florentinum & Lateranense V. Concilium pro generalibus non habentur, apud Italos & alios pro generalibus habentur. Bellarminus pro Italis spondet in libri I. de Conciliis capite V. ubi Florentinum & Lateranense V. Concilium in universalium Conciliorum numero ponit.

221 V. Bellarminus & qui eum sequuntur, cum Florentina Synodo minime concordat. Florentina Synodus in prima sui editione octava Synodus inscribitur, idque confirmatur ex editionis privilegio, quod Clemens VII. Medicæus concessit: Nam ibi Florentina Synodus octava quoque Synodus appellatur. At Bellarminus, & qui eum sequuntur, Florentinam Synodum universalem Synodum decimam sextam nominant.

Expedita facti quæstione, planum est universales Synodos à Catholicis scriptoribus, aliter atque aliter censeri, ab unis plures, ab aliis pauciores numerari; & cum res ita sit, notata initio apertam in lucem sese prodit difficultas, quæ juris conditione haud minuitur, sed duplici modo augetur.

Primus in ea consistit ratione, quam Patres & tractatores Ecclesiastici reddunt, cur Concilia, de quibus loquuntur, sint vel fieri possint universalia. Secundus eos attinet è Schola Theologos, qui varias universalis Concilii definitiones tradiderunt. Ad primum autem modum quod pertinet, hunc quia duplex est adhuc, ut apparet, ordine propono.

I. Eusebius Cæsariensis Episcopus cur Nicænum universale sit Concilium, in libri III. de vita Constantini capite VI. sic edisserit: *Princeps igitur Concilium generale tanquam quemdam Dei exercitum instruens in unum locum coegit, & Episcopos, undique per literas honorifice scriptas, ut eo maturarent, accivit.* Et
222 quibusdam interpositis: *Civitas autem Bithyniæ, quæ Nicæa* ἀπὸ τῆς νίκης. *id est, victoria, nomen traxit, Concilio celebrando admodum idonea designata fuit. Ubi autem edictum* (Constantini) *in quaque provincia divulgatum erat, omnes summa cum alacritate animorum tanquam è carceribus ad cursum emissi proprie advolarunt.* Tum in capite VII. *Ex omnibus namque Ecclesiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa & Asia extiterunt, Dei ministri, qui facile primas ferre putabantur, in unum convocati. Templum etiam Nicææ velut Dei nutu amplificatum intra parietes suos, Syros pariter & Cilices, Phœnices, Arabes, & Palæstinos: Ægyptios porro, Thebanos, Afros, aliosque ex Mesopotamia profectos recepit. Aderat etiam una in Concilio Persidis Episcopus, nec ab hoc choro Scytha abfuit. Pontus item, Galatia, Pamphylia, Cappadocia, Asia, & Phrygia viros apud se lectissimos suppeditarunt. Quinetiam Thraces, Macedones, Achaia, Epirota, & quorum domicilia multo longiore locorum intervallo distabant, eo advenerunt. Ex ipsis Hispanis unus nominis & famæ celebritate insignis cum aliis multis in consessu illo adfuit; & quamquam urbis illius, penes quam imperium est, Episcopus ingravescente ætate præpeditus abfuit; ejus tamen Presbyteri, qui aderant, illius locum suppleverunt. Talem coronam solum ex omni præterita ætatum memoria unus Imperator Constantinus pacis vinculo ad Christi gloriam devinxit, & quo servatori suo gratias ageret, istud eximium victoriæ ab hostibus & inimicis partæ monumentum obtulit, effigie* 223
chori Apostolici pulcre in hoc nostro conventu expressa. Sic præclare ac dilucide rationem exponit, cur Nicænum Concilium habeatur universale vel œcumenicum.

Gelasius Cyzicenus apud Photium codice LXXXVIII. Bibliothecæ, paucis rem eandem tradit, ubi historiam suam ita incipit: *Quæ in sancta magna & universali Synodo ex omnibus, ut sic dicam, Romani orbis provinciis, ipsaque adeo Perside congregata*, &c.

II. Quæ ratio apud Eusebium & Gelasium facit, ut Nicæna Synodus vocetur universalis, hæc eadem apud Patres Concilii sub Damaso Romæ coacti, & apud Theodoretum facit, ut Ariminensis Synodus universalis vocari non possit. Quid autem gestum est in Romano illo Concilio, Sozomenus narrat in libri VI. historiæ capite XXIII. Verba sunt: *Atque cum Episcopi Galliæ & agri Venetorum, alios etiam nonnulles apud se eadem serio conari significassent, brevi tempore post multi multarum gentium Episcopi Romæ in unum congregati, cum Auxentium, tum alios, qui eadem favebant doctrina, à sua communione alienos esse pronuntiarunt, fidemque à Nicæno Concilio confirmatam ratam manere statuerunt. Denique decreta Concilii Ariminensis huic repugnantia irrita esse, propterea quod neque Episcopus Romanus, neque alii item complures illis consenserant: Immo vero etiam, quod à multis, qui illi Concilio interfuerant, eadem ipsa decreta improbata fuerant. Quæ ita gesta esse & constituta, testis est Epistola Damasi Episcopi Romani & cæterorum cum eo id* 224
temporis simul coactorum, ad Episcopos Illyrici scripta, quæ ita se habet: Episcopi ad sanctum Concilium Romæ convocati, Damasus, Valerianus, & cæteri dilectis fratribus Episcopis qui sunt in Illyrico, salutem. Et paullo post: *At vero initio quod peccatum erat ab illis, qui Arimini formulam fidei Concilii Nicæni novare, retractareve coacti sunt, aliqua ex parte propterea sarciebatur, quod de disputatione alio tempore habita fatebantur à veritate abductos, quam nequaquam sententia Concilii Nicæni adversari cogitabant: Siquidem numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum coacti, vim habere non debet, præsertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cujus sententia præ cæteris omnibus exspectanda erat, neque Vincentio, qui tot annis episcopatum integre gesserat, neque aliis eidem consentientibus: Cumque etiam, quod omnium maximum, illi ipsi, ut ante diximus, qui in fraudem illecti, à veritate deflexisse visi sunt, & post ad meliorem mentem denuo traducti, plane testentur, hanc formulam sibi magnopere displicere.*

Theodoretus eandem Damasi & aliorum Antistitum ad Illyricos Epistolam refert in libri II. capite XII. ubi res paullo aliter exprimitur: *Neque præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia exspectanda erat sententia, neque Vincentium, qui tot annorum episcopatum integre gesserat, neque alios talibus* 225
præbuisse consensum.

Porro Epistola, quam Sozomenus & Theodoretus laudant, prodiit nuper Latine, ut erat exarata, in libro, cui titulus est, *Collatio Romana bipartita.* Sic inscribitur: *Damasus, Valerianus, Vitalianus, Aufidius, Pacianus, Victor, Priscus, Innocentius, Abundius, Theodulus, & cæteri qui ad audiendam causam*

Auxentii, exponendumque fidem in urbe Romana, convenerunt Episcopi, Catholicis per Orientem constitutis in Domino salutem. Et paullo post initium: *Gallorum atque Venetensium relatione comperimus, nonnullos non hæresis studio, neque enim hoc tantum mali cadere in Dei Antistites potest; sed inscitia vel ex simplicitate quadam sævis interpretationibus æstuantes non satis dispicere, quæ magis Patrum nostrorum tenenda sit sententia, cum diversa consilia eorum auribus ingerantur.* Et post alia: *Sed & in ipso exordio ab iisdem ipsis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus est, ut subreptum sibi alia disputatione fateantur; idcirco, quod non intellexissent Patrum sententiam apud Nicæam formatam, esse contrarium. Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet, Romanum Episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium, qui tot annis sacerdotium illibate servavit, neque alios hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse, cum præsertim, ut*
226 *diximus, iidem ipsi qui per impressionem succubuisse videbantur, iidem consilio meliore displicere sibi fuerint protestati.*

Sic tria sunt propter quæ Ariminense Concilium dici non potest universale. Primum quidem, quia Romanus Antistes, cujus præ cæteris omnibus expectanda seu expetenda fuit sententia: Deinde quod Antistites alii multi, & Vincentius præsertim Ariminensi decreto minime consenserint. Denique quod nonnulli ex iis qui interfuerunt Concilio & succubuerant coacti, sententia meliore suum sibi factum displicere protestati fuerint. Hæc autem cum ita sint, Ariminense Concilium universale non fuit, & eam ob causam Nicæno præjudicium nullum inferre potuit. Major quidem Arimini, quam Nicææ congregatus Episcoporum numerus; sed ex omnibus Christiani orbis provinciis congregatus non fuit: Atque ideo universale non fecit Concilium. His ita constitutis, Bellarminus in libri I. de Conciliis capite VI. Ariminense Concilium reprobatum jure potuit dicere; sed Ariminense Concilium universale dicere jure non potuit. Ad hæc in exemplum universalis Concilii, quod erraverit à nonnullis, parum sincere profertur.

Nicænam Synodum sequitur Constantinopolitana Synodus prima, quæ universalis reipsa non est, si ad ea, quæ de Eusebio, Gelasio & Cyziceno jam observavimus, & quæ mox de Innocentio I. & Leone I. Romanis Pontificibus continuo sumus observaturi, ex-
227 igatur. In hac enim Synodo Occidentalium Episcoporum nullus adfuit: Et tamen inter universales Synodos, eaque secunda numerata est ævi progressione, quæ id obtinuit, quod ab initio non habuit. Obtinuit vero facile, quia paullo post Romæ celebrata est Synodus, ubi damnatæ à Constantinopolitana Synodo hæreses, iterum damnantur in fidei confessione, quam Theodoretus lib. V. cap. XI. historiæ describit: *Quoniam post Concilium Nicænum hic error emersit, ut quidam ore profano dicere audeant Spiritum sanctum per Filium factum esse, anathematizamus eos, qui non liberrime prædicant Spiritum sanctum unius ejusdem cum Patre & filio substantiæ ac potestatis existere. Similiter autem anathematizamus eos, qui Sabellii errorem sequuntur, & eundem esse dicunt Patrem & Filium. Anathematizamus Arium & Eunomium, qui pari impietate, licet verbis discrepent, Filium & Spiritum sanctum creaturam esse confirmant. Anathematizamus Macedonianos, qui ex Arii radice propagati non impietatem, sed nomen solum mutarunt.* Hinc Gregorius I. in libri I. Epistola XXIV. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum, profitetur, *se sicut sancti Evangelii quatuor libros, quatuor Concilia suscipere & venerari, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum I. & Calchedonense.*

III. Innocentius I. Italiæ Episcopi, & beatus Augustinus, quomodo universale fiat Concilium, significant. Innocentius in literis ad Theophilum Alexandrinum, quarum Palladius in dialogo de vita Chrysostomi meminit cap. III. *Ad hæc re-* 228
scripsit beatissimus Papa Innocentius, communioneque utriusque partis admissa, Theophili judicium cassum atque irritum esse decrevit, dicens oportere constare aliam irreprehensibilem Synodum Occidentalium & Orientalium Sacerdotum.

Ibidem congregati, inquit Palladius, *Italiæ Episcopi Imperatorem orant, ut scriberet Arcadio fratri suo, ut juberet Thessalonicæ Concilium fieri, quo facilius possent utraque partes Orientis, Occidentisque concurrere.*

Augustinus in libri III. contra duas Epistolas Pelagianorum capite XII. *Verum istorum superbia, qua tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari: Hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur.*

Sic auctoribus Innocentio, Italiæ Episcopis, & Augustino, universale fit Concilium, quando Orientis & Occidentis Ecclesiarum Præsides in unum congregantur.

IV. Theodosius Junior, qua ratione faciendum sit universale Concilium; Cyrillus atque Ephesina Synodus prima, qua ratione factum sit, exponunt. Imperator in suis ad Cyrillum Alexandrinum literis, quæ parte I. Ephesinæ Synodi capite XXXI. recensentur, qua ratione de rebus fidei judicandum, & universale, ut arbitror, Concilium fiat, exponit. *Cui dijudicanda* (loquitur de doctrina Ecclesiæ) *eos præfici oportet, qui sacerdotiis ubique præsident: Per quos* 229
& nos quoque in veritatis sententia stabilimur magis, magisque identidem stabilimur. Qui sacerdotiis ubique præsident, eos dijudicandæ doctrinæ fidei causa congregandos esse censet.

Ephesina Synodus de seipsa pronuntiat in actione III. *Firmum ergo est juxta decretum omnium Ecclesiarum, (omnes namque Orientis & Occidentis Ecclesiarum Sacerdotes vel per se, vel certe per suos legatos, sacerdotali huic consessui intersunt) quod in ipsum pronuntiatum est.* Sic omnes Orientis & Occidentis Ecclesiarum Sacerdotes universalem Synodum componunt. Iterum in actione V. *Perabsurdum est ducentorum & decem sanctorum Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo, & per ipsos reliquus orbis terrarum consentit, triginta tantum numero sese opponere.* Eadem quæ antea universalis Synodus ex Orientis & Occidentis Ecclesiarum Sacerdotibus describitur. Rursus in actione VI. in relatione Concilii per Palladium Magistrianum ad Imperatorem *Quæ quidem Synodus omnes totius orbis sanctissimos Episcopos unum idemque sentientes habet. Nam & magna Roma Synodus simul interest, neque desunt Africani per piissimum Archiepiscopum Cyrillum repræsentati, cum quo suam sententiam conjunxerunt.* Iterum in relatione Concilii ad Imperatores per Juvenalem & alios: *Sancta & œcumenica Synodus, cujus consessus adest Cælestinus magnæ nostræ Romæ Archiepiscopus, & universa Occidentalis Sy-* 230
nodus per Episcopos, quos ad nos ipse misit; tota denique Africa & Illyricum. His duobus in locis œcumenica Synodus Asiæ, Europæ, & Africæ Antistites comprehendit.

Postremo Cyrillus in Apologetico ad Theodosium de Concilio Ephesino sic loquitur: *Quotquot ex universo orbe venerunt Ephesum, eos Nestorius affecit contumeliis.* Et quibusdam interpositis: *Fides mea rectitudini testimonium perhibuit, & sancta Romana Ecclesia, & sancta quoque Synodus ex universo, ut ita dicam, orbe, qui sub cælo est, congregata.* Sic in universali Concilio Orientales Episcopi cum Occidentalibus conjunguntur.

V. Leo

V. Leo Romanus Pontifex Concilii vere universalis rationem duobus in locis declarat. Primus est in Epistolæ XLIV. ad Martianum Augustum capite II. *Synodum*, inquit, *vere fieri, ut meminit clementia vestra, etiam ipsi poposcimus; sed Sacerdotes provinciarum omnium congregari præsentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illæ provinciæ de quibus maxime sunt evocandi, inquietante bello, ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere: Unde opportuniori tempore, propitiante Domino, cum firmior fuerit restituta securitas, juberet clementia vestra reservari. De qua re plenius inter cætera apud pietatem vestram poterum allegare quos misi.*

Alter in Epistola ad eundem Martianum XLIX.
231 *Credebamus*, inquit, *clementiam vestram id desiderio nostro posse præstare, ut præsenti necessitate respecta differri ad opportunius tempus sacerdotalem Synodum juberetis, ut vocatis de cunctis provinciis Sacerdotibus vere posset esse universale Concilium.* Hæc adeo clara sunt, ut commentariis nullis indigeant.

Adjicio, quæ in Epistolæ XCI. ad Theodorum Foroliviensem Episcopum scribit capite I. *Sollicitudinis quidam tuæ is ordo esse debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitus, de eo quod quærendum videbatur esse, conferres; ac si id, quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent omnium Sacerdotum, nihil sine primatibus oportet inquiri.*

VI. Facundus Hermianensis Episcopus rationem reddit in libri V. capite V. cur universale fuerit Calchedonense Concilium, & rationem reddendo significat, quid sit universale Concilium. Verba sunt: *Non idem modus esse debet, atque ordo quærendi post definitionem Concilii totius Ecclesiæ consensione firmati, qui fuit ante definitionem. Tunc enim ratio poscebat, ut si orthodoxa judicaretur illa Epistola,* (Ibæ) *suscipienda judicaretur à Synodo: Nunc autem ratio poscit, ut si suscepta probetur à Synodo, judicetur orthodoxa.* Igitur auctore Facundo, qui universale dicit Concilium, idem dicit ac firmatum totius Ecclesiæ consensu Concilium. Et contra. Felix III. Facundo præiverat in Epistola ad Vetranionem Episcopum: *Calche-*
232 *donensis Synodus de Nicæni Concilii tenore procedens pro Christianæ confessionis integritate servanda, tam auctoritate Sedis Apostolicæ, quam universalis Ecclesiæ est celebrata consensu.* Hæc in Appendice Codicis Theodosiani.

Cæterum observationes illæ quas supra de Synodo secunda in medium protulimus, efficiunt, ut Synodus quinta satis diu nutaverit, & generalis Concilii vi ac nomine caruerit. Nempe nec Vigilius Papa, qui tunc versabatur Constantinopoli, nec Occidentales Episcopi synodo huic interfuerunt. Hæc vero postea pro generali habita est, ut Gregorius Magnus docet in libri III. epistola XXXVII. ad Constantinum Mediolanensem Episcopum. *De illa*, inquit, *Synodo, quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ à multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas Synodos constituerit, vel senserit, quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Calchedonensi Concilio nihil continetur. Sed post expressos Canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est.* Deinde in libri VII. epistola LIV. ad Secundinum Inclusum. *Unde certam*, inquit, *dilectionem tuam esse desidero, quia prædictæ sanctissimæ Orientales Ecclesiæ uno sensu, una doctrina fidem ejusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent, sanctámque Calchedonensem Synodum ita nobiscum custodiunt atque venerantur, ut nullus esse Episcopus reputetur, qui ejusdem*
233 *Synodi defensor sectatórque non fuerit. Hinc est etiam, ut quoties in quatuor præcipuis sedibus Antistites ordinantur, synodales sibi Epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Calchedonensem Synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur: Sicut & nos eos versamur atque anathemate plectendos ducimus, si quis de fide ejusdem Synodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere præsumit. Nam Synodus, quæ postea generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia ejusdem Synodi in omnibus sequax, honorem illius auctoritatémque custodit.* Sic illa, quam Pontifex hic significat, œconomia fuit opus, ut quæ Synodus incertæ per annos sat multos auctoritatis extitit, generalis & quintæ synodi vim nomenque consequeretur. Exinde contigit, ut ipse Gregorius jam in libri I. Epistola XXIV. ad Joannem Constantinopolitanum scripserit: *Quintum quoque Concilium pariter veneror.* Tum demum in Romano Diurno illud universalibus accensetur Conciliis, in fidei professione quam recens consecrati Pontifices emittebant.

VII. Maximus Constantinopolitanus Monachus in disputatione, quam cum Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano instituit, conditiones præcipuas universalis Synodi demonstrat hoc modo: *Subit me admiratio, quomodo Synodum vocas quæ non est habita, ut leges, canones synodici, & jura Ecclesiastica habent: Nec enim Epistola encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque locus, neque dies conveniendi decretus. Non fuit aliquis actor, aut accusator; qui* 234
convenerunt, Epistolas commendatitias non habuerunt, nec Episcopi à Metropolitanis, neque Metropolitani à Patriarchis, nec Epistola, neque vicarii ab aliis Patriarchis missi sunt. Quis igitur particeps rationis Synodum sustinuit appellare, quæ scandalis & discordia cunctum orbem implevit? Cum Maximus explodit Synodum, ad quam Pyrrhus recipiebat sese, universalis Synodi conditiones, quæ sint præcipuæ, ut vidimus, ostendit.

VIII. Beatus Stephanus Junior Maximum Constantinopolitanum Monachum imitatur & subsequitur. Constantinopoli celebratum fuerat Concilium, quod imagines sustulerat. At qui celebraverant Concilium, ut facto suo fidem conciliarent, illud universale seu œcumenicum appellarunt. Appellationem hujusmodi Stephanus ferre non potuit, eamque sic impugnavit: *Jam qui œcumenicum Concilium istud vocari queat, quod nec Romanus Antistes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri potest, ut res Ecclesiasticæ ad normam redigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec denique Hierosolymitanus? Ubinam eorum libelli sunt? Aut quinam per diversa loca missi sunt, quibus falsum vestrum Concilium confirmaretur, ut hac ratione œcumenicum censeri possit?* Hæc in sancti Stephani vita, quæ extat apud Joannem Damascenum. Primatum sedium Episcopis non attribuit Concilium quod adversus imagines celebratum fuerat: Et quia non attribuit, uni- 235
versale non esse Concilium putat, cui quinque primarum sedium Episcopi per se vel per legatos suos haud interfuerint.

XI. Nicæna Synodus secunda de conditionibus universalis Concilii idem tradit quod Stephanus Junior. Nam in actione V. probat ea, quibus universalis synodi notio auferatur Constantinopolitanæ Synodo, quam Copronymus ad abolendas imagines celebrari præcepit. *Quomodo*, inquit, *magnum & universale Concilium* (erit) *quod neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed illud anathemati transmiserunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos qui circa ipsum sunt, Sacerdotes: neque etiam per vicarios ejus, neque per encyclicam Epistolam,* καθὼς νόμος ἐστὶ ταῖς συνόδοις*, ut Synodorum mos est; sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, & sanctæ civitatis, vel comministros & summos Sacerdotes, qui cum ipsis existunt.*

X. Carolus Magnus seu quis alius in libri II.

de imaginibus capite XI. ut probet, universalem non esse synodum VII. universalis synodi conditiones quæ sint præcipuæ, declarat, & scribit quæ sequuntur: *Ecclesiastica etiam prædicatio intonat peccantem fratrem primo clam corripiendum, qui si audire noluerit, seorsum adhibitis fratribus, vel corripiendi studio, vel convenendi testimonio admonendus est: Qui si & illos audire contempserit, tunc multis vos innotescenda*
236 *est, ut detestationi eum habeant; & qui nequivit salvari pudore, saltem opprobriis salvetur: Qui si neque multorum admonitioni assensum præbuerit, ethnicorum sive publicanorum more detestandus est. Cui prædicationi non mediocriter illorum Ecclesia contraire videtur, qui totius mundi Ecclesias, priusquam more Ecclesiastico per epistolare eloquium consulendo, sive scrutando alloquatur, præsumptive sive incante anathematizare conatur. Debuerat enim ad circumjacentium provinciarum Ecclesias legationem sciscitatricem facere utrum imagines adorari aut non adorari deberent, ut juxta cujusdam sapientis vocem per consilium, & sequenda sequens, & vitanda vitans, non eam postmodum pœnitere constaret; sed quidquid de hac re plures secundum Apostolicam institutionem tenere vellent Ecclesiæ, ipsa quoque teneret, & quæ pluribus consentientibus antiquis institutionibus obviare tentaret, & obstinata mente ab universitate Ecclesiastici corporis se dirimere vellet, hanc detestatione multaret.* Carolus ergo vel quis alius censet eam Synodum universalem non esse, quæ circumjacentium provinciarum Ecclesias non consuluit, ut sciret, utrum imagines adorandæ forent necne: scilicet utrum id quod definiendum occurrit & proponitur, definire possit. Hoc enim in Ecclesiastico more positum esse contendit, ut non ante Synodus ulla, quæ universalis diceretur, de dogmatibus aliquid decerneret, quam quid super iis sentirent circumjacentium provinciarum Ecclesiæ, per Antistites præsentes, vel per eorum Epistolas resciret.

237 IX. Hincmarus Remensis eandem retractat materiam, & ex iisdem Caroli operibus retractat in opusculi LV. cap. XX. *In cujus voluminis libro IV. hæc de universali nomine scripta sunt. Universitas ab uno cognominatur, quod uno multoties verso propagatur; nam multitudine unitatum vertente in unum collecta, universitas efficitur. Sicut enim Ecclesia universalis est, quæ Græco eloquio catholica dicitur, ita nimirum omne quidquid ab ejus unitate non discessit, catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana vel qualibet constitutio sive traditio, talis esse debet, ut universali conveniat Ecclesiæ. Quod nequaquam hæretici observaverunt, qui per diversas mundi partes aliquibus regionum partibus coarctati conventicula quædam statuerunt, quibus & se quamplures ab Ecclesiastica unitatis consortio segregaverunt. Cum ergo duarum & trium provinciarum Præsules in unum conveniunt, si antiquorum Canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum Patrum dogmatibus non discedat, catholicum est quod faciunt, & fortasse dici potest universale: Quoniam quamvis non sit ab universi orbis Præsulibus actum, tamen ab universorum fide & traditione non discrepat. Catholicum est quod faciunt, & fortasse dici potest universale: Quoniam quamvis non sit ab universi orbis Præsulibus actum; tamen ab universorum fide & traditione non discrepat: Quod crebro factum in plerisque mundi partibus quibusdam necessitatibus in-*
238 *cumbentibus scimus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & corroboratur Ecclesia. Si vero duarum aut trium provinciarum Præsules in unum convenientes, nova quædam statuere cupientes, conventicula quædam faciunt, quæ non cum universi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, non est catholicum quod faciunt; & ideo universale nuncupari non potest. Omne quod Ecclesiasticum est, catholicum est; & omne quod catholicum est, universale est. Omne autem quod universale est, profanis vocum novitatibus caret. Etsi hæc Synodus* (Nicæna VII.) *vocum novitatibus careret, antiquorum Patrum dogmatibus contenta universalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est; non igitur universalis dici potest. Universalem plane eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam universalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari.* Hæc ille ex eo volumine, de quo paullo ante dixerat. *De cujus* (septimæ Synodi) *destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum.* Sic Gallicana tunc Ecclesia conditiones illas omnes, quæ in Carolinis libris explicantur, in se recipit.

XII. Constantiensis synodus, cum celebrata est sessio XXXIX. professionis fidei formulam quæ à Romano Pontifice mox eligendo fieret, composuit. In ea universales synodi recensentur; sed undecim tantum. Adscribo verba: *Ego N. electus in Papam,* 239
omnipotenti Deo, cujus Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & beato Petro Apostolorum Principi corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere sanctam fidem catholicam secundum traditionem Apostolorum, generalium Conciliorum, & aliorum sanctorum Patrum: Maxime autem octo Conciliorum universalium, videlicet primi Nyceni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Calchedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi item Nyceni, octavi quoque Constantinopolitani, necnon Lateranensis, Lugdunensis & Viennensis generalium etiam Conciliorum. Non memini legere me, qui ante Constantiensis Concilii tempus, universalia Concilia plura vel pauciora in Occidente habita simul & semel nominaverit.

XIII. Eugenius IV. qua ratione universale fieri possit Concilium in Florentinæ synodi procemio sic tradit, cum de Purgatorio agitur: *Cumque à nobis* (Græcis) *aliud fieri non posset, res ipsa cogebat celebrare Synodum ad disputandum, absentibus etiam iis, qui Synodo interesse debebant. Aiebat enim Pontifex: Ubi ego sum cum Imperatore & Patriarcha, ibi est universa Christianorum Synodus; præsertim cum adsunt Patriarchæ omnes & Cardinales nostri.* Sic ad mentem Eugenii universale Concilium personis viginti plus minus idoneæ constaret. Hæc est nova & inaudita omni retro versus Apostolos tempore celebrandi Concilii, quod universale diceretur, methodus. 240
Quamobrem si cum iis, quæ de Eusebio & Gelasio Cyziceno in causa Niceni Concilii, de Innocentio I. Italiæ Episcopis Augustino, Theodosio Juniore, Ephesina Synodo, Leone I. Facundo, Maximo Constantinopolitano Monacho, Stephano Juniore, Nicæna synodo II. Carolo Magno, & Hincmaro Remensi in causa celebrandi generalis Concilii observavimus, contendatur, rei ad solvendam propositæ difficultas non minuitur, sed crescit.

XIV. Gaspar Cardinalis Contarenus illustrium Conciliorum Summam confecit, eamque Paulo III. Papæ dicavit. In hac universales synodos novem tantum numerat, Græcas octo primas, & nonam Florentinam, quæ apud Latinos celebrata est. Contarenus aliter ac Constantiensis synodus universales synodos numero subducit. Sed quod notandum est maxime, nec Lateranensem, nec Lugdunensem, nec Viennensem ut universales agnoscit Historiam, ut apparet, persequimur, quæ nota non est omnibus, qui solent universalia Concilia numerare, & qui quæ de numero affirmant, certiora esse putant, quam quæ apud Sagram.

Cæterum difficultas, cujus solutionem quærimus necdum invenimus, augetur adhuc magis, si quæ à pluribus è Schola Theologis definitione uni-

universalis Synodi traduntur, paullo diligentius considerentur.

Qui ab Hincmari Remensis tempore, hoc est, ab anno DCCCLXXXII. quo ille de vita decessit, ad an-
241 num MCC. aut circiter, universalis Concilii rationem exposuerit, offendi neminem. Sed ab ætate ista occurrunt mihi universalis Concilii definitiones multæ, quas & Theologi & canonici juris Antistites diversis temporibus conscripserunt. Eas prout se offerunt, propono.

Glossa in cap. I. dist. XVII. universale Concilium ita definit apud Turrecrematam in libri III. Summæ capite XII. *Concilium generale est quod à Papa vel ejus legato cum Episcopis celebratur.*

Guillelmus Okamus scholasticorum familiam ducit in libri V. dialogorum capite LXXXV. *Dicitur*, inquit, *quod congregatio quæcunque non ideo solummodo vocatur Concilium generale, quia auctoritate summi Pontificis convocatur. Tunc enim omne consistorium cum Papa esset Concilium generale. Illa igitur congregatio esset Concilium generale reputanda, in qua diversæ personæ gerentes auctoritatem & vicem universarum partium totius Christianitatis, ad tractandum de communi bono rite conveniunt, nisi aliqui noluerint vel non potuerint convenire. Unde si aliquæ provinciæ nollent vel non possent personas habentes auctoritatem & vicem earum transmittere, non minus esset Concilium generale censendum.*

Thomas Waldensis in libri I. de doctrinali fide antiqua capite XXVI. *Ipsa convocatio Synodi est tantum conformis Ecclesiæ universali: Non tamen est universalis
242 Ecclesia; sed Ecclesiæ catholicæ imago propinquior, & de omnibus Ecclesiæ catholicæ ex sacris Antistitibus & Christi Sacerdotibus, quotquot in hac vita uno tempore & uno loco convenire possunt, simillima genitura: Et ideo est universali Ecclesiæ in auctoritate multum conformis.* Et in capite XXVII. *Non nego tamen posse vocari* (ad Concilium) *laicos peritos vel simplices si sic expedire negotio videatur Ecclesiæ.*

Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius in tractatu de potestate Ecclesiastica, consideratione XII. *Concilium generale*, inquit, *est congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu hierarchico totius Ecclesiæ catholicæ, nulla fideli persona, quæ audiri requirat, exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen ejusdem Ecclesiæ in fide & moribus respicit.*

Joannes Brevicoxa Parisiensis Theologus in tractatu MS. de potestate Ecclesiæ & Conciliorum. *Est ergo*, inquit, *primo sciendum, quod per Concilium generale non intelligo quamlibet congregationem Episcoporum & Archiepiscoporum summi Pontificis auctoritate convocatam, licet improprie talis congregatio ab aliquo vocaretur Concilium generale. Hoc notat glossa dist. XVII. cap. I. dicit enim glossa: Conciliorum quædam sunt generalia, quædam particularia, quædam provincialia, & quædam episcopalia. Universale est, quod à Papa vel ejus legato cum omnibus Episcopis præsentibus statuitur est.
243 Ex quibus patet, quod secundum quandam acceptionem Concilii generalis, seu universalis, Concilium universale est congregatio omnium Episcoporum auctoritate Papæ vel ejus legati facta seu convocata. Sed sic non accipio hic Concilium generale; sed per Concilium generale intelligo congregationem illam, in qua diversæ personæ gerentes vicem diversarum partium & provinciarum totius Christianitatis, ad tractandum de bono communi rite conveniunt. Debet autem hujusmodi Concilium auctoritate summi Pontificis congregari, nisi in casu, in quo Papa esset notorius hæreticus: In quo casu convocatio generalis pertineret ad Prælatos in divina lege peritos principaliter; secundo etiam pertineret ad reges & Principes; & tertio Concilii generalis convocatio in dicto casu pertineret, licet minus principaliter, ad omnes Catholicos, scientes Papam sic esse hæreticum. In casu, quo Prælati & Principes sæculares Concilium generale convocare negligerent, & tamen appareret imminens periculum, si non fieret tale Concilium: Nolo tamen dicere, quod ad hoc quod sit Concilium generale, quod requiratur, quod de qualibet provincia totius Christianitatis, sive aliqui aut aliquis gerens auctoritatem dictæ provinciæ: Quia si aliqua provincia vellet & non posset personas auctoritatem ejus habentes transmittere, non minus congregatio diœcesis contradiceret Concilio generali congregando; & ad hujusmodi congregationem seu Concilium nollet convenire, non minus esset Concilium generale: Dum tamen hujusmodi Concilium esset omnibus Christianitatis diœcesibus & provinciis intimatum & significatum. Si vero quæ-* 244
ratur de modo per quem debet convocari & congregari Concilium generale, respondetur probabiliter nihil penitus asserendo, quod inter ceteros modos iste modus mihi videtur probabilis: Videlicet quod de qualibet parochia vel communitate, quæ faciliter posset convenire, mitterentur aliqui vel aliquis ad Concilium episcopale, vel parlamentum Regis aut Principis, vel alterius publicæ potestatis, in casu quo Episcopus Concilio generali congregando repugnaret, & imminens periculum, si non fieret, verisimiliter appareret: Qui sic congregati aliquos eligere mittendos ad Concilium generale, qui taliter electi à Conciliis episcopalibus, vel parlamentis sæcularium potestatum, in unum locum convenientes possunt generale Concilium appellari. Hæc ille, qui ex Parisiensi Episcopo Gebennensis factus est, quia Burgundionum Duci Parisiis dominanti subesse noluit.

Alfonsus Tostatus Abulensis Episcopus in parte II. defensorii capite XXXVII. *Accipiendo*, inquit, *secundo modo Ecclesiam universalem pro generali Synodo, etiam convenit sibi quod non possit errare: Sciendum tamen, quod universitas Christianorum dispersa est proprie universalis Ecclesia militans. Generalis autem Synodus legitime congregata non est realiter universalis Ecclesia, sed per repræsentationem sufficientem. Et sic patet ex superscriptionibus quibus utuntur generales Synodi, in hac forma scilicet: Sacrosancta generalis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, Concilium generale faciens, universalem Ecclesiam repræsentans; & quia Concilium* 245
generale sufficienter repræsentat universalem Ecclesiam, potest omnia quæ potest Ecclesia universalis, quæ est tota universitas Christianorum, si illa ad aliquid faciendum conveniret, & habet omnes conditiones universalis Ecclesiæ.

Joannes Turrecremata ex Parisiensi Theologo Cardinalis in libri III. Summæ capite V. universalis Concilii definitiones duas proponit. Unam quorundam aliorum Magistrorum, quæ sic se habet: *Concilium generale est societas fidelium in unum propositum, & propter communem unam intentionem congregatorum.* Altera, quæ ipsius Turrecrematæ est, & ita se habet: *Concilium universale catholicæ Ecclesiæ, est congregatio majorum Prælatorum Ecclesiæ, auctoritate Romani Pontificis speciali convocata, ad aliquid communi intentione solemniter tractandum in religione christiana, Papa ipso in Concilio Præside, vel aliquo loco sui.*

Senonense Concilium, quod anno MDXXVIII. celebratum est decreto III. & Theologiæ Parisiensis Facultas in articulis, quos anno MDXLII. adversus hæreses hujus temporis condidit, num. XII. id esse judicant universale Concilium, quod *universalem Ecclesiam repræsentat.*

Melchior Canus qui Tridentino Concilio interfuit, in libri V. de locis capite III. *Concilia*, inquit, *generalia voco, quæ omnium Christianorum Pontificum convocatione celebrantur. Inter multos autem sæpe disceptatum est, an generalis convocatio satis sit, an etiam sit* 246
necessaria congregatio generalis. Si enim summus Pontifex Concilium generale indiceret, non congregarentur tamen nisi soli decem ex Italia Pontifices; hujusmodi profecto Synodus non esset, cur generalis videatur. At contra, si necesse est Episcopos omnes congregari. Primum nullum forte in Ecclesia tale adhuc Concilium fuit, in quo E-

piscopi

piſcopi univerſi convenerint. Deinde peſſimus quiſque E-
piſcopus, dum non ſolum per negligentiam, ſed per mali-
tiam Synodo adeſſe contempſerit, generalem non eſſe ca-
lumniabitur; & Princeps in Republica quilibet, ſi illi
Synodus diſplicuerit, interturbare eam minimo negotio po-
terit cauſarique Epiſcopos ſuos, vel morborum, vel tumul-
tuum cauſa, Concilio intereſſe non poſſe. Verum quoniam
omnes hujuſmodi controverſias perſequi non eſt operis in-
ſtituti, huic quæſtioni breviter reſpondemus. Non ſatis
eſt quidem ad Concilium generale, ſi evocatiò generalis
eſt, quando adeo pauci congregantur, ut major meliorque
provinciarum pars relicta eſſe videatur; præſertim ſi cau-
ſa legitima eſt, cur Epiſcopi Synodo non affuerint. At
ſi per malitiam hominum peſſimorum una & item altera
provincia deſit, non propterea Concilii generalis nomen
amittitur; ſed ne ſi per negligentiam quidem, aut aliam
occaſionem quamlibet Epiſcopi aliquot deſint, nominis ſui
jacturam generale Concilium faciet, niſi in dubium ver-
timus, an Concilia illa quatuor, Nicænum, Epheſinum,
Conſtantinopolitanum, Calchedonenſe, generalia ſint.
247 *Quamobrem ut fideles ita nos hoc loco loquimur, ut Sy-*
nodum generalem omnium Epiſcoporum evocatione legiti-
ma ſistamus, licet non ſit omnium congregatio. Commu-
ni enim fidelium ſenſu agendum eſt, cum de rebus voci-
buſque Eccleſiæ loquimur, idque eodem modo fecerunt
ſapientes. Nec ſatis eſt tamen ad generale Concilium e-
vocatio generalis, niſi ſit etiam generalis congregatio;
ſed ad generalem convocationem omnium Epiſcoporum
congregatio requiritur. Neque hic definimus, niſi id
quod frequens in Eccleſia eſt.

Clemens Monilianus Cardinalis in tractatu de Concilio Oecumenico cap. VII. illud ita definit: *Eſt congregatio majorum Prælatorum Eccleſiæ auctoritate Romani Pontificis coacta, ad aliquid communi intentione ſolenniter tractandum, Papa eidem præſidente, vel alio loco illius.* At ſi definitio hæc valeret, ſecunda & quinta Synodus Conſtantinopolitanæ Synodi abſque dubio non eſſent Oecumenicæ, & præclarum nomen iſtud in hoc ipſo capite contra mentem auctoris amitterent. Romanus enim Pontifex his Synodis nec per ſe, nec per ſuos legatos præfuit.

Dominicus Bannes in brevioribus Commentariis
ad ſecundam ſecundæ art. x. quæſt. I. dub. III. *Sy-*
nodus generalis eſt Synodus catholicorum Epiſcoporum ge-
nerali convocatione & congregatione ſummi Pontificis
auctoritate celebrata. Et poſt pauca: *Diximus præterea*
in prædicta definitione (generali convocatione) ad diffe-
rentiam Concilii provincialis, ubi congregantur ſolum E-
248 *piſcopi unius provinciæ aut regni, Sed in Concilio gene-*
rali debent omnes Epiſcopi omnium regnorum, quamvis
opus non ſit, ut omnes veniant ad Concilium; ſed ſufficit,
quod cum omnes fuerint vocati, major pars illorum adſit,
ut ſit vere Concilium generale.

Bellarminus in libri I. de Conciliis capite XVII. univerſale quidem non definit Concilium; ſed putat ſe ex conſuetudine Eccleſiæ colligere conditiones quatuor, quæ ſufficiant & requirantur ad univerſale Concilium: Et hoc eſt, ni fallor, omnino quid ſit generale Concilium definire.

Prima eſt, ut evocatio ſit generalis, ita ut innoteſcat omnibus majoribus Chriſtianis provinciis.

Secunda, ut ex Epiſcopis nullus excludatur undecumque veniat, modo conſtet eum eſſe Epiſcopum & non excommunicatum.

Tertia, ut adſint per ſe vel per alios quatuor præcipui Patriarchæ præter ſummum Pontificem. Et poſt pauca: *Porro hæc tertia non omnino neceſſaria; ſed tantum ad bene eſſe* (olim) *indicabatur. Nam Synodus tertia ſine Patriarcha Antiocheno damnavit Neſtorium Conſtantinopolitanum; & Synodus Calchedonenſis ſine Patriarcha Alexandrino omnia fere concluſit: Et nunc non ſunt neceſſarii iſti Patriarchæ, quia hæretici, vel certe ſchiſmatici ſunt.*

Quarta, ut ſaltem ex majori parte chriſtianarum pro-
vinciarum aliqui adveniant; & ſi quidem Concilium ſit
in Oriente, ſemper viſum eſt ſufficere, ſi ex provinciis 249
omnibus Orientis Epiſcopi conveniant multi; ex toto au-
tem occidente mittantur aliqui à ſummo Pontifice, qui
ſuppleant locum aliorum: E contrario ſi celebretur in Oc-
cidente, conveniant ex omnibus provinciis Occidentis multi;
ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum.

Hic auctor ex univerſalibus Conciliis octodecim, quæ in ejuſdem libri I. de Conciliis capite V. numeraverat, per conditiones primam & quartam multa tollenda ſunt, ut Lateranenſia II. & V. Lugdunenſe I. & Viennenſe. Et primum quidem in iis generalis non fuit evocatio, quæ omnibus majoribus Chriſtianis provinciis innotuerit. Deinde ex Oriente toto Antiſtites interfuerunt nulli, tantum abeſt ut aliqui interfuerint, quemadmodum quarta exigit conditio; vel Antiſtites ex omnibus majoribus Chriſtianis provinciis evocati fuerint, ut prima expoſtulat conditio.

Præterea Bellarminus dum univerſalia Concilia nu-
merat octodecim, à Conſtantienſis Concilii Patribus,
& à Contareno multum recedit; ſed dum neceſſarias
ad faciendum Concilium univerſale conditiones exe-
quitur, ad Conſtantienſis Concilii Patres & Contare-
num ſat propius accedit. In uno popularem truti-
nam, in altero aurificum ſtateram adhibet, poſtea-
quam, ut vidimus, pugnavit ſecum: Uſque adeo dif-
ficile nonnunquam eſt ſummis etiam atque eminenti-
bus viris certum in ſcribendo modum tenere, & ve-
ritatem unicum accuratæ potiſſimum ſcriptionis ſco- 250
pum aſſequi. Sed vix aſſequetur, qui facile pronun-
tiat; & is facile pronuntiat, qui ad pauca, cum ad
multa reſpiciendum eſt, reſpicit; & quod pejus eſt,
opiniones novas pro veteribus obtrudit, & in veterum
defenſores atrociter invadit.

Ceterum quidquid Gloſſa, Okamus, Waldenſis, Gerſon, Brevicoxa, Toſtatus, Turrecremata, Senonenſe Concilium, Canus, Monilianus, Bannes ante Bellarminum de univerſalis Concilii notione tradiderunt, univerſalibus quæ fieri poſſent, Synodis convenirent potius, quam omnibus Conciliis, quæ, ut apparet, facta ſunt, & quæ pro univerſalibus nunc ab unis auctoribus, nunc ab aliis ducuntur. Jam ſentis, opinor, veritate ſumma niti, quod ab initio propoſui, negotioſum quippe & arduum eſſe, ne dicam, ἀδύνατον, quot ſint univerſalia Concilia certo apud omnes ac definito numero comprehendere, ſi tractationis noſtræ caput utrumque inſpicias. Vale, Lutetiæ Pariſiorum Idibus Maii anni MDCLXXIII.

Joan-

Joannes Launoius,

LUDOVICO HENRICO GONDRINO

Senonensium Archiepiscopo.

251 MISISTI binas ad me pro tua singulari benevolentia constitutiones: Unam, qua Senonensis Ecclesiæ visitatio, & in Canonicorum vitam ac mores inquisitio edicitur. Alteram, qua quæ sint Decanorum urbis & ruris partes & munia, declaratur. Constitutio prior ad amussim facta, edicentis gravitatem sacerdotali modestiâ mixtam continet, & suavitates odorum, qui afflantur è sacris Canonibus, effundit. Constitutio posterior quidquid Synodi ea de re sanxerunt, quidquid Patres atque Ecclesiastici tractatores præscripserunt, miro quodam artificio repræsentat. Multiplex & unum opus est: Multiplex quidem, quia pluribus reipsa partibus constat; unum vero, quia multitudo partium fere non apparet, tanta est earum & concinnitas & concentio, quæ legentium oculos tenet & delectat incredibiliter. Non falletur, qui constitutionem utramque veteribus Ecclesiæ monumentis conferendam esse sibi sumet, atque ut ederes, affirmabit inspexisse te penitus in id, quod olim ad Siguinum decessorem tuum Silvester II. non mendacis & fluctuantis sæculi philosophia, sed Christianæ legis meditatione scripserat: *Sit lex communis*
252 *Ecclesiæ catholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones Spiritu Dei conditi, & totius mundi reverentia consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.* Hac communi Ecclesiæ catholicæ lege diœcesanam instauras disciplinam, hierarchiam salvam, & à temporis calamitate incolumem retines, & quæ curva sunt, corrigis, & canonicæ administrationis exemplar à bonis omnibus haberis, quæreris, & inventus in auctoritatem admitteris. Hinc missas ad me constitutiones tuas dum attentius considero, insigni me beneficio ornatum sentio; sed mihi ad remunerandum nihil suppetit præter voluntatem. Remunerabunt te Romani Pontifices per σχεδίασμα quoddam meum, quod inscribi potest: *Asserta per Romanos Pontifices Metropolitanorum auctoritas.* Sed quia non asseritur nisi decretis, quæ ex sacris promulgantur canonibus, exponendi prius sunt canones, qui Metropolitanorum auctoritatem constituunt.

CAPUT I.

Nicæni Concilii canon IV. & canonis VI. pars ultima referuntur.

IGITUR canon IV. sic se habet: *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile*
253 *fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.*

Deinde canonis VI. pars quoque ultima sic se habet: *Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum esse non oportere; sin autem communi cunctorum decreto rationabili, & secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum.*

Concilio huic interfuerunt Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, qui Silvestri Papæ vices gerebant. Eusebius in libri III. de vita Constantini capite VII. *Ex omnibus,* inquit, *Ecclesiis, quæ frequentes in tota Europa, Asia & Africa exstiterunt Dei ministri, qui facile primas ferre putabantur, in unum convocati; templum etiam velut Dei nutu amplificatum intra parietes suos, Syros pariter & Cilices ... recepit.* Et paullo post: *Et quanquam urbis illius, penes quam Imperium est, Episcopus ingravescente ætate præpeditus abfuit; ejus tamen Presbyteri, qui aderant illius locum suppleverunt.*

Julius I. in Epistola ad Orientales, quæ in Athanasii Apologia II. habetur. *Jam olim,* inquit, *se hujus sententiæ fuisse confirmabat,* (Marcellus An- 254
cyranus) *ubi & nostri Presbyteri, qui tunc in Concilio Nicæno aderant, de ipsius recta fide contestabantur.* Hæc autem cum ita sint, canonum istorum conditio non minus ad Romanæ, quam ad cæterarum Ecclesiarum Antistites spectat.

CAPUT II.

Antiocheni Concilii canones duo IX. & XIX. referuntur.

CANON IX. est ejusmodi: *Per singulas regiones Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Episcopos agere secundum antiquam à Patribus nostris regulam constitutam: Nisi ea tantum, quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionesque subjectas. Unusquisque enim Episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, quæ sub ejus est potestate, ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, & singula suo judicio comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum, nec Metropolitanus sine cæterorum gerat* 255
consilio Sacerdotum.

Canon XIX. est quoque ejusmodi: *Episcopus præter Synodum & præsentiam Metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modo omnibus coram posito melius quidem est, ut omnes simul adsint ejusdem provinciæ Sacerdotes, quos Metropolitanus Episcopus advocare debebit; & si quidem omnes occurrerint, optime: Quod si hoc difficile fuerit, saltem plures esse omnimodo convenit, aut certe scriptis ejusdem sententiæ comprobari: Et ita sub plurimorum vel præsentia vel decreto ordinatio celebretur. Quod si secus contra definita factum fuerit, nullas ordinatio vires habeat: Si vero juxta definitam regulam fiat, & non-*

nonnulli pro contentione propria contradicant, obtineat sententia plurimorum.

Hi canones habentur in canonum Ecclesiasticorum codice, quem Dionysius Romanus Monachus confecit. Codicem hunc ad Sedem Apostolicam spectare non obscure significat Hincmarus Remensis in opusculi LV. cap. XLIII. *Qui sunt*, inquit, *illi canones, quos & Apostolica Sedes & omnes Episcopi per universum orbem, & omnis Ecclesia catholica canones appellant? Quique* (Pontifices) *à Nicano Concilio, quod primum in nostris codicibus, quos ab Apostolica Sede majores nostri acceperunt sequendos per ordinem usque ad Africanum Concilium pro canonibus recipiendis, venerandis & observandis retinent?* Hinc efficitur ut relati canones duo in censum Romanæ Ecclesiæ deputentur.

CAPUT III.

Ephesina Synodus.

256 IN actione IV. repetit, & in auctoritatem admittit CCCXVIII. Patrum, qui Nicææ convenerunt, canonem IV. *Episcopum quidem convenit ab omnibus, qui in provincia sunt, constitui: Si vero id difficile fuerit, aut propter urgentem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, omnes fratres simul conveniant, suffragantibus etiam absentibus, & per literas assensum suum declarantibus, ac tunc ordinatio fiat; suprema vero auctoritas eorum; quæ fiunt, detur in unaquaque provincia Metropolitæ.* Actioni huic interfuerunt ii, quos Celestinus ad Synodum vicem suam suppleturos miserat.

CAPUT IV.

Calchedonensis Concilii canon XXV. refertur.

QUONIAM *quidam Metropolitanorum, quantum comperimus, negligunt commissos sibi greges, & ordinationes Episcoporum facere differunt, placuit sancta Synodo intra tres menses ordinationes Episco-*
257 *porum celebrari, nisi forte necessitas inexcusabilis præparet tempus dilationis extendi: Quod si hoc minime fecerit, correptioni Ecclesiasticæ subjacebit. Verumtamen redditus Ecclesiæ viduata penes œconomum ejusdem Ecclesiæ integri reserventur.*

At relati tribus in capitibus canones ii sunt, quibus Metropolitanorum jura sanciuntur, quibus Metropolitanorum fines & termini designantur. Calchedonensi Concilio Romanus Pontifex Leo per suos vicarios non solum interfuit, sed etiam præfuit.

CAPUT V.

Romanorum Pontificum referuntur decreta, quibus relati canones promulgantur & executioni demandantur.

QUONIAM vero decreta hæc magno sunt in numero & auctoritate, non omnia sub uno capite referenda esse duxi. Quamobrem caput hoc in plures distribuam articulos, & unicuique articulo Pontificem unum consignabo, quo facilius sacrorum Canonum assertio, & Sedis Apostolicæ traditio agnoscantur. Sic enim cessabit illorum querela, qui usurpatam esse ab Romanis Pontificibus Metropolitanorum auctoritatem prædenter affirmant.

ARTICULUS I.

SIRICIUS ducet familiam.

In Epistola ad Anysium Thessalonicensem Episco- 258
pum: *Etiam dudum, frater carissime, per Candidianum Episcopum, qui nos præcessit ad Dominum, hujusmodi literas dederamus, ut nulla licentia esset sine consensu tuo Episcopos ordinare præsumere. Quæ utrum ad te pervenerint, scire non potui. Multa enim gesta sunt illic per contentionem ab Episcopis in ordinationibus faciendis, quod tua melius caritas novit; & ideo sollicite agere te oportet, ac, ut factum est, certatim in una Ecclesia, dum ordinare præsumunt indignos, veluti tres Episcopos fecisse videantur. Ad omnem enim hujusmodi audaciam comprimendam vigilare debet instantia tua, Spiritu in te sancto fervente, ut vel ipse, si potes, vel quos judicaveris Episcopos idoneos, cum literis dirigas, dato consensu, qui possint in ejus locum qui defunctus vel depositus fuerit, catholicum Episcopum & vita & moribus probatum secundum Nicæna Synodi statuta, vel Ecclesia Romana, clericum de clero meritum ordinare.*

In Romana collectione bipartita, hæc est Siricii Epistola, quæ ex Nicænæ Synodi canonibus promulgatur. In ea quæ sint Metropolitani jura, Metropolitanum docet Anysium, ut Leo I. Anastasium Thessalonicensem Episcopum postea docebit.

ARTICULUS II.

INNOCENTIUS I.

In Epistolæ ad Victricium Rotomagensem Episco- 259
pum capite I. *Primum ut extra conscientiam Metropolitani Episcopi nullus audeat ordinare. Integrum enim judicium est, quod plurimorum sententiis confirmatur; nec unus Episcopus ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim à Synodo Nicæna constitutum est atque definitum.* Sic relati canonis Nicæni assertorem se ac vindicem præbet.

ARTICULUS III.

BONIFACIUS I.

In Epistola ad Hilarium Narbonensem Episcopum: *Ecce ut caritas tua recognoscit ex subditis, Lutubensis Ecclesia cleri ordo, vel plebis preces suas vel lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore miserunt, dicentes, Coepiscopum nostrum Patroclum sua petitione cessante in locum decedentis Episcopi, nescio quem in aliena provincia, prætermisso Metropolitano, contra Patrum regulas ordinasse: Quod nequaquam possumus ferre patienter, quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicæna, quæ ita præcipit, ut eadem*
proprie verba ponamus? Per unamquamque provinciam 260
jus Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subjectas; quod illi, quia aliter credendum non est, servandum, sancto Spiritu suggerente, sibimet censuerunt. Bonifacius rationem reddit, quare sancitam à Nicæna Synodo disciplinam servari curet: *Quia*, inquit, *convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes.* Sed maxime notanda est Epistolæ conclusio: *Advertat caritas tua adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra definiat, quatenus Metropolitani sui unaquaque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet.*

Deinde in Epistola ad Episcopos per Thessaliam constitutos: *Nullus Episcopus per Illyricum citra conscientiam Coepiscopi nostri Rufi ordinare præsumat.* In Romana collectione bipartita.

ARTICULUS IV.

CELESTINUS I.

In Epistolæ ad Episcopos per Viennensem & Narbonensem provincias constitutos capite IV. *Primum, ut juxta decreta canonum unaquæque provincia suo Metropolitano contenta sit, ut decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, ne usurpationis locus alicui Sacerdoti in alterius concedatur injuriam: Sit concessis unusquisque contentus limitibus.* Pontifex
261 exequendis Nicænæ Synodi canonibus invigilat & insistit. Deinde in ejusdem Epistolæ capite VIII. dicit: *Juris nostri, id est, canonum gubernacula custodimus.* Sic Romani Pontificis auctoritas in regendis canonibus omnino consistit.

Iterum in Epistola ad Episcopos Illyrici: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur; simus subjecti canonibus, cum canonum præcepta servamus.* In his verbis, quæ cedro digna sunt, quidquid ad rectam Ecclesiæ gubernationem & pacem exigi potest, continetur. Hæc tamen adulatricis curiæ magistri non capiunt, sed dissimulant, & obelo sæpe notant.

ARTICULUS V.

SIXTUS III.

In Epistola, quam universis Episcopis Synodo apud Thessalonicam congregandis scribit: *Nos fratri & Coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius à nostris decessoribus attributum; priorum judicium sequimur, hæc constituendo, quæ ab his novimus constituta: Quia & ipsum hujus probamus meriti, cujus fuerunt illi, qui talia meruerunt. Nullus obviet salubribus constitutis: Nullus præceptionibus his resultet: Habeant honorem suum Metropolitani singulorum* (provinciarum) *salvo hujus privilegio, quem honorare debeant, amplius honorari. In provincia sua jus habeant ordinandi; sed hoc inscio vel invito, quem de*
262 *omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare.* Sacrorum canonum, & cum primis Niceni assertorem se ac vindicem præbet.

Deinde huc spectat, quod idem Pontifex in Epistola ad Episcopos per Illyricum consistentes scribit hoc modo: *A canonum præceptis vestrum nemo discedat, nec ab his deviet, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis Apostolicæ decrevit auctoritas.* In Romana collectione bipartita. Hæc autem decreta sunt ea, quibus sacrorum canonum edicitur observatio.

ARTICULUS VI.

LEO I.

In Epistolæ LXXXIV. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum capite II. *Igitur secundum sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus tradita sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: Ita ut à regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.* Quod decernit, ex sacris canonibus promulgat. Deinde in cap. V. *Cum ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postularint, ita ut si in alium forte personam partium se vota diviserint, Metropolitani judicio is alteri præfera-*
263 *tur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis, tantum ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa, quàm convenit, cui non licuit habere quem voluit.* Hic quoque ex sacris promulgat canonibus quod decrevit.

Tum in Epistolæ LXXXIX. ad Episcopos Viennensis provinciæ capite II. *Quam sollicitudo nostra non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem divinitus datam nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabit. Sed hunc tramitem semper inter majores nostros, & bene tentum & salubriter constitutum, Hilarius Ecclesiarum statum & concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit, ita sua vos cupiens subdere potestati, ut se beato Petro non patiatur esse subjectum, ordinationes sibi omnium per Gallias Ecclesiarum vindicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in suum jus transferens dignitatem.* Iterum in cap. VI. *Obtestor & obsecro, & sub Dei vos invocatione convenio, prohibete, fratres, talia, & omnem dissensionis materiam de vestris provinciis removete. Certe nos ante Deum absolvimus, qui vos, ne permittatis ultra hæc fieri, convenimus. Per pacem & quietem Sacerdotes, qui præfuturi sunt, postulentur, teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Ordinationem sibi, ut jam ante diximus, singuli Metropolitani suarum provinciarum, cum his, qui cæteros sacer-* 264
dotii antiquitate præveniunt, restituto sibi per nos jure, defendant. Alienum jus alter sibi non audeat vindicare; suis limitibus, suis terminis sit unusquisque contentus, & privilegium sibi debitum in alium transferre se posse noverit non licere. Quod si quis negligens Apostolicas sanctiones, plus gratiæ tribuens personali, sui honoris desertor esse voluerit, privilegium suum in alium transferre se posse credens; non is cui cesserit, sed is qui intra provinciam antiquitate Episcopali cæteros prævenit Sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem, non quæ passim, sed quæ die legitimo celebretur. Iterum in cap. VIII. *Et quoniam honoranda semper est antiquitas, fratrem & Coepiscopum nostrum Leontium probabilem Sacerdotem hac (si vobis placet) dignitate volumus decorari, ut præter ejus consensum alterius provinciæ non indicatur à vestra sanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetustas & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis privilegii sui dignitate servata.* Ubique asserit Metropolitanorum jura, quæ sacri canones sanxerunt.

Denique in Epistolæ XCII. ad Rusticum Narbonensem Episcopum capite I. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati.*

At secundum ista, quæ ex Leone retuli, quis nisi temerarius & audax diceret, Apostolicam Sedem
velle Metropolitanorum jura suos in usus derivare. 265
Nonne ad saturam Leo constituit, ut sacri custodiantur canones, quibus Metropolitanorum sancitur auctoritas? Enimvero quia speciale sub generali comprehenditur, referre adhuc placuit, quæ tantus Pontifex de custodiendis universim Nicænæ Synodi canonibus decernit.

Et primo quidem in Epistolæ LIII. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, capite II. *Doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis juri tuo subditis omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priventur. Quibus inauditis & nunquam ante tentatis, ita prævenirus excessibus, ut sanctam Synodum ad extinguendam solam hæresim, & confirmationem fidei catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam in occasionem ambitus trahas, & ut conniventiam suam tibi det, impellas: Tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo,*

& illa Nicænorum canonum per Spiritum vere sanctum ordinata conditio in aliqua unquam sit parte solubilis. Nulla sibi de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quamlibet copiosior numerus Sacerdotum, vel comparare se audeat vel præferre, cum tanto divini-
266 *tus privilegio Nicæna sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. Nimis ergo hæc improba, nimis sunt prava, quæ sacratissimis canonibus inveniuntur esse contraria*

Iterum in cap. IV. *Sancti illi & venerabiles Patres in urbe Nicæna, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt; & si quid usquam aliter, quam illi statuerunt, præsumitur, sine cunctatione cassatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa: Et manentibus terminis, quos constituerunt Patres, nemo in jus tendat alienum; sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine caritatis se exerceat.* Iterum adhuc in capite V. *Non convellantur jura primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites.*

Deinde in Epistolæ LIV. ad Martianum Augustum capite III. *Privilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate immutari: In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo necesse est me perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad me-*
267 *um tendit reatum, si paternarum regula sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruente, sunt condita, me, quod absit, conniventé violentur, & major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas.* Rursus in cap. V. *Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum injuria regularum, & illicitos declinet excessus, ne se ab universali Ecclesia, dum inimica paci tentat, abscindat.*

Tum in Epistolæ LV. ad Pulcheriam Augustam capite II. *Quoniam contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in urbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique addere conceditur, ita ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat: Quæ si (ut oportet) à cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nulla de mensuris honorum dissensiones, nulla de ordinationibus lites, nulla de privilegiis ambiguitates, nulla erunt de aliena usurpatione certamina; sed ea quæ jure caritatis rationabilis est, & morum & officiorum servabitur unanimitas.* Et quibusdam interpositis: *Superbum nimis est & immoderatum ultra fines alios tendere & antiquitate calcata, alienum jus velle præripere, atque ut unius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietisque provinciis, & olim sancta Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum novæ perturbationis inferre, atque, ut venerabilium Patrum*
268 *decreta solvantur, quorundam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negavit effectum.* Iterum in cap. III. *Consensiones Episcoporum sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus: In omnibus his Ecclesiasticis legibus obsequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum per trecentos decem & octo Antistites Spiritus sanctus instituit, ita ut, etiamsi multo plures alii quam illi statuere decernerent, cum nulla reverentia sit habendum quidquid fuerit à prædictorum constitutione diversum.*

Quarto in Epistola LXJ. ad Juvenalem Hierosolymitanum Episcopum; *De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestræ sanctitatis admoneo, ut jura Ecclesiarum, sicut ab illis CCCXVIII. Patribus divinitus inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem, suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim exortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos; infirmum atque irritum erit quidquid à prædictorum Patrum canonibus discreparit.*

Quinto in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum Episcopum capite III. *Tanta apud me est Nicænorum canonum reverentia, ut ea quæ sunt à sanctis* 269
Patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua novitate violari: Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita Præsulum; tamen jura permanent sedium, quibus etsi possunt æmuli perturbationem aliquam inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Rursus in cap. IV. *Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quod quid à quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacunque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præjudicii potest inviolabilibus inferre decretis; & facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolvi, quam prædictorum canonum regulas ex ulla parte corrumpi.*

Postremo in Epistolæ ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum capite I. *Et ita studiis tuis niterer, ut nullus auderet, vel fidei catholicæ resultare, vel Nicænis venerabilium Patrum regulis contraire. Sed cum in injuriam canonum, ut agnosceret, illa tentata sunt, quæ omnibus Ecclesiis scandalum maximum generarent, quid aptius ac modestius facerem, quam ut te primum, ut ab hac intentione discederes, fraterno animo, missis literis, admonerem?* Iterum in cap. III. *Sufficiant limites quos sanctorum Patrum providentissima decreta posuerunt, ut quieta sit suis meritis & antiquis privilegiis dignitas omnium Sacerdotum, renovetur, & maneat in te dominica caritatis affectio.* Et paullo post: *Super omnia autem fraterna caritate hortor & moneo, ut ea, quæ ad gloriam, vel ad mu-* 270
nimen pertinent sacerdotalis officii, Nicænorum canonum, universalis Ecclesiæ pacem servantia decreta custodias. Sic enim inter Domini Sacerdotes inviolata caritas permanebit; Si paribus studiis, quæ sunt à sanctis Patribus constituta, serventur.

Hæc omnia Leo frequenter, aperte & perseveranter, ut tum demum, quæ sit Sedis Apostolicæ indoles, quæ dignitas, quæ in servandis Ecclesiæ canonibus firmitas & constantia, dignoscamus. Si quis contradicat, Romanum det aliquem Pontificem, qui decretum aliquando ediderit, quo quæ sanctus Leo de custodiendis Nicænæ Synodi canonibus statuit, abrogentur. Nullus est, opinor, Pontifex, qui sibi ante oculos non constituat, quod Gelasius I. in Epistola XII. ad Episcopos Dardaniæ sic scribit: *Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit; pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequenter & tenuit semper & retinet.*

ARTI-

ARTICULUS VII.

HILARUS.

271 In Epistola ad Ascanium & universos Episcopos Tarraconensis provinciæ : *Postquam literas vestræ dilectionis accepimus, quibus præsumptiones Sylvani Episcopi Calagurensium Ecclesiæ retundi petistis, & rursus Vergeconeasium quæritis nimis inclusa vota firmari; honoratorum & possessorum Tyriassonensium, Ascanensium, Calaguritanorum, Veregensium, Tritiensium, Leviensium, & Veroniscensium civitatum, cum subscriptionibus diversorum, literas nobis constat ingestas. Per quas id quod de Sylvano querela vestra depromseras, excusabant. Sed reprehensione justissima, eorum pariter justa allegatio non carebat, quia præter conscientiam Metropolitani fratris & Coepiscopi nostri Ascanii nonnullis civitatibus ordinatos claruit Sacerdotes. Unde quoniam quidquid ab alterutra parte est indicatum, omnis videmus perversitate confusum, temporum necessitate perspecta: Hac ratione decernimus ad veniam pertinere, quod gestum est, ut nihil deinceps contra præcepta beati Apostoli, nihil contra Nicænorum canonum constituta tentetur. Hoc autem primum juxta eorundem Patrum regulas volumus custodiri; ut nullus præter notitiam atque consensum fratris Ascanii Metropolitani aliquatenus consecretur Antistes, quia hoc & vetus ordo tenuit, hoc trecentorum decem & octo*
272 *sanctorum Patrum definivit auctoritas, cui quisquis obvias tetenderit manus, eorum se consortio fatetur indignum, quorum præceptionibus resultavit.* Sic violatores Nicænorum canonum arguit, & una Metropolitanorum auctoritatem vindicat, & vindicando decretum suum ex Nicænæ Synodi canonibus promulgat : Nihilominus temporum necessitate perspecta, veniam aliquam concedit; sed severe prohibet, ne deinceps ulla sacrarum legum fiat derogatio. Hoc est temperamenti genus, quod post Hilarum adhibent Gelasius I. & Gregorius VI. Ille quidem in Epistolæ ad omnes Episcopos capite 1. *Necessaria,* inquit, *rerum dispositione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retro Præsulum decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum.* Iterum in cap. 11. *Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis, quæ ubi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri.* Hic in libri 11. Epistola 2. ad Sancium Aragoniæ Regem : *Solet sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere.* Hæc est Sedis Apostolicæ consuetudo, cui Gelasius &
273 post secula non pauca Gregorius VII. testimonium præbent amplissimum.

ARTICULUS VIII.

SIMPLICIUS.

In Epistola XIV. ad Zenonem Augustum : *Unde si qua alia reliquia sub vestro reperiuntur Imperio, aut vel nunc in exteriores terras jubete propelli; ne qua deinceps in eo sit necessitas & causa supplicii, quia melius est aditum obstruxisse, quam pœnam exegisse peccati. Et quoniam seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedandas non aliter existimastis, nisi præter præjudicium venerandi illius Concilii Nicæni apud Constantinopolim, iisdem petentibus ordinaretur Antistes : Quod in ejus tantummodo persona sic memorastis assumptum, ut deinceps secundum definitiones Patrum Orientali Synodo creatio Antiochenæ Pontificis reservetur; nec haberi loco vulnus injuriæ, quod dissensionis gratia factum est auferenda. Tenet hanc pietatis vestræ beatus Petrus Apostolus sponsionem, & Christianissimi fidelissimique Principis mentem in hæc verba jurasse, quod posthac in Antiochena urbe, veteri servato more, comprovincialibus suis Episcopus ordinetur, ne quod nunc frater & Coepiscopus meus Acacius vobis est jubentibus exsecutus, in usum posteritatis veniat, & statuta Patrum quæ præcipue præstastis illusa, confundat. Unde quæ à vobis amore quietis sancte & religiose sunt ordinata, reprobare non possumus, ne status Antiochenæ* 274
Ecclesiæ sub nostra dubitatione videatur ambiguus : Præcipue cum is qui legitur ordinatus, testimonio clementiæ vestræ, & tanta sit prædicatione subnixus, ut in eo præter horum vulnerum dolorem posito possimus & Ecclesia quæ illum meruit, gloriari. Quod de ordinatione Antiocheni Antistitis statuit, id ex sacris Nicænæ Synodi canonibus promulgat.

ARTICULUS IX.

FELIX III.

In Epistola X. ad clerum & plebem Constantinopolitanam de Acacio Constantinopolitano Episcopo. *Alienarum,* inquit, *quoque provinciarum sibi jura defendens, sanctorum trecentorum decem & octo Patrum canones, illicitarum sibi ordinationum præsumptor est conatus evertere.* Quibus verbis non obscure significat se Metropolitanorum jura defensurum esse, si ea violasset Acacius : Quod illum reprehendat acriter ob tentatam Nicænorum canonum eversionem, id plane manifestum est.

ARTICULUS X.

GELASIUS I.

In Epistola ad Natalem Episcopum, quam habet collectio Romana bipartita : *Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam Ecclesiarum jura ac privilegia,* 275
quæ Metropolitanis vel provincialibus Episcopis decrevit antiquitas, temeraria præsumptione pervadere, propter quod etiam communione Apostolica desiderant tenere dissidium, quo scilicet ab ejus auctoritate divisi, velut impune proprias usurpationes exerceant, non respicientes, quod æterno judici rationem tam de catholicæ sinceritatis injuria, quam de traditionum præjudicio paternarum non sine perpetua sint damnationis interitu reddituri. Si in hac obstinatione permanserint, caritatem tuam duximus sustinendam : Nos pariter ad Metropolitanos vestræ provinciæ, sive cujusquam contigua, quæ catholicam servant unitatem magnopere delegisse, ut obeuntes Episcopos in eadem regione Metropolitanus suus debeat ordinare, eundemque ipsum Metropolitanum, si humana morte transierit, nonnisi comprovinciales Episcopi juxta formam veterem studeant ordinare : Quatenus quæ veneranda decrevit antiquitas, nullus sibimet contra fas usurpare contendat. Sic Pontifex in sacrorum canonum disciplina insigniter versatus Metropolitanorum jura defendit, & ea per eosdem canones asserit.

ARTICULUS XI.

SYMMACHUS.

In codice canonum Romanæ Ecclesiæ conspicuum se præbet, cum ita è Sede beati Petri loquitur : *Ista scriptura nullum Romanæ civitatis potuit obligare Pontificem;* 276
quia non licuit laicis statuendi in Ecclesia præter Papam Romanum habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, maxime cum nec Papa Romanus subscripserit, nec alicujus secundum canones Metropolitani legatur assensus. Et paullo post :

Quod

Quod si cujuslibet provinciæ Sacerdotes intra suos terminos Concilio habito, quidquid sine Metropolitani sui Antistitis auctoritate tentaverint, irritum esse debere, Patres sancti sanxerunt: Quanto magis quod in Apostolica Sede non existente Præsule, qui prærogativa beati Petri Apostoli per universum orbem primatum obtinens sacerdotii, statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem, à laicis, licet consentientibus aliquantis Episcopis, (qui tamen Pontifici, à quo consecrati probantur, præjudicium inferre non potuerunt) præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est. Hæc in Synodo Romana & dicta sunt & confirmata.

ARTICULUS XII.

HORMISDA.

In Epistola XXVI. ad Sallustium, quem Apostolicæ Sedis vicarium constituit per Bæticam & Lusitaniam: *Vices itaque nostras per Bæticam & Lusitaniam provincias, salvis privilegiis, quæ Metropolitanis Episcopis decrevit antiquitas, præsenti tibi auctoritate committimus.* 277 Hormisda paucis multa dicit, & in iis Metropolitanorum jura, quæ decrevit antiquitas, Nicæna nimirum Synodus, mirifice confirmat; sed absolvit omnia, cum in indiculo quem dedit Ennodio, Fortunato, & aliis Sedis Apostolicæ legatis Constantinopolim euntibus, dicit: *Quod ad canones pertinet, jam ante suggessimus: Canones solvere, in religionem committere est.* Vide quantum sit, judice Hormisda, peccatum, canones violare.

ARTICULUS XIII.

AGAPETUS I.

In Epistola III. ad Reparatum Carthaginensem Episcopum: *Universa præterea, quæ inimicorum perversitas invaserat, caritati tuæ Metropolitana jura reparantes hortamur, ut ea quæ tuo vel tuorum nomine rescripsimus, universis debeas innotescere. Metropolitani quippe auctoritate suffultum; Ne quis se excusabiliter asserat ignorare quod Sedis Apostolicæ principalitas canonum consideratione perscripsit.* Sic Pontifex Metropolitanorum jura instaurat, tantum abest ut imminuat.

Deinde in Epistola ad Cæsarium Arelatensem Episcopum: *In nullo contra prisca definitione constituta vel regulas pro qualibet occasione, vel sub cujuscunque personæ respectu venire præsumimus.* Et paullo post: *Devinii consideratione judicii necesse nobis est, quidquid synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire.* Hæc palam loquuntur.

278 *ARTICULUS XIV.*

PELAGIUS I.

In Epistola ad Sapaudum Arelatensem Episcopum: *Hinc est quod & nos fraternitati tuæ hujusmodi curas injungimus, ut sedis nostræ vicarius institutus ad instar nostrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quidquid ad gubernationem vel dispensationem Ecclesiastici status gerendum est, servatis Patrum regulis, & Sedis Apostolicæ constitutis, divini judicii consideratione dispenses, talemque te in custodiendis canonibus sancta conversatione demonstres, qualem tanti loci decet esse vicarium.* Ut Hormisda Sallustium Sedis Apostolicæ vicarium in provinciis Bætica & Lusitania constituit, sic & Pelagius I. Sapaudum ejusdem sedis vicarium in Galliis constituit, scilicet ut per ejus operam serventur Patrum regulæ, inter quas numerantur, quæ ad Metropolitanorum Antistitum jura & dignitatem pertinent. Itaque Sapaudus, quamlibet Sedis Apostolicæ vicarius, non ordinabat aliarum à sua provinciarum Episcopos; sed operam potius dabat, ut illi à propriis Metropolitanis ordinarentur.

ARTICULUS XV.

GREGORIUS I.

In libri VI. Epistola XIV. ad Constantium Mediolanensem Episcopum. 279 *Illum vero*, inquit, *Episcopum, quem à sua fraternitate invenimus esse depositum, postquam sacri canones, ut nostis, ultra tres menses Ecclesiam præcipiant non vacare, si manifestum in eo crimen apparuit, loco ejus Episcopum studio vestri sit modis omnibus ordinare, quia diu sine proprio rectore esse non debet Ecclesia.* Vindicat sacros canones, quibus Metropolitanorum potestas asseritur.

Deinde in libri VII. indict. II. Epistola VIII. ad Innocentium & alios Sardiniæ Episcopos: *Cognovimus, quod nos vestra in insula post paschalem festivitatem vobis euntibus, aut directis responsalibus vestris ad Metropolitanum vestrum, utrum sciatis an minime ipse vobis de venturo Pascha scripta debeat denunciatione mandare: Et quantum dicitur, quidam vestrum hoc facere secundum consuetudinem postponentes, aliorum quoque ad non obediendum corda pervenerunt. Additur etiam quod ex vobis aliqui pro Ecclesia sua emergentibus causis transmarina petentes, sine prædicti Metropolitani sui cognitione vel Epistolis, sicut canonum ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem vestram, ut antiquam Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de suscipienda paschali denunciatione, quam etiamsi quemdam vestrum pro causis* 280 *propriis ubicumque compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro secundum traditam vobis regulam, petere licentiam debeatis, nec eam postponere in aliquo præsumatis, excepto, si, quod non optamus, contra eumdem Metropolitanum vestrum habere vos aliquid causa contingat, ut ob hoc Sedis Apostolicæ judicium requiratis. Nam ut qui petere festinant licentiam, quod scitis, per canones etiam antiquorum Patrum institutione habere permissum est.*

Tum in libri XII. Epistola XV. ad Augustinum Anglorum Episcopum: *Et quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante, perducta est; usum tibi pallii in ea ad sola Missarum solemnia agenda concedimus: Ita ut per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ ditioni subjaceant, quatenus Londoniensis civitatis Episcopus semper in posterum à Synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & Apostolica, cui deservio, Sede percipiat; ad Eboracam vero civitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinandum: Ita ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, ut Metropolitani honore perfruatur.*

Postremo cum Gregorius ubique doceat servandos esse canones, in iis sine dubio comprehendit, quæ ad Metropolitanorum auctoritatem pertinent. In specimen pauca de multis referam.

Ex libri II. indict. X. Epistola XXXVII. ad Natalem Salonitanum Episcopum: 281 *Quod vero dicitis nostris temporibus debere servari quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.*

Ex ejusdem libri indict. XI. Epistola VII. ad Joannem Larissæum Episcopum: *Hac censura sancti Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus.*

Ex ejusdem libri & indict. Epistola III. ad Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Ego attestante mihi conscientia fateor, quia cum nullo homine habere scandalum*

dolum volo, & quantu valeo virtute declino. Et quamvis cum omnibus hominibus pacem habere summopere cupiam, vobiscum præcipue, quos vehementer amo, si tamen ipsi quos novi, vos estis. Nam si canones non custoditis, & majorum vultis statuta convellere, non cognosco qui estis.

Ex libri VII. indict. I. epistola XXX. ad Eulogium Alexandrinum Episcopum: *Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco; meus namque honor est universalis Ecclesiæ; meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vero honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.*

282 Ex Libri XI. Epistola XLIV. ad Joannem Panormitanum Episcopum: *Tunc status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria, & canonum manet incolumis atque intemerata semper auctoritas.*

Hæc omnia palam loquuntur, & sacrorum canonum observationem prædicant.

ARTICULUS XVI.

MARTINUS I.

Qua ratione Hierosolymitani Patriarchæ jura in constituendis Præsulibus defendit, eadem & Metropolitanorum jura defenduntur. Sic igitur se res habet duabus in Epistolis, quarum una est ad Joannem Philadelphiæ Episcopum: *Impossibile est ea contegere vel prætermittere, quæ continentem locum defensionis non habent; sed omnino iis, qui libenter peccant & amant peccare, denegare oportet eam veniam, quæ in hujusmodi lapsibus ex dispensatione datur: Ne & ipsi propter canonis contemptum amplius graventur, & nos in culpa simus, injuste agendi iis licentiam permittentes. Defensores enim divinorum canonum & custodes sumus, non prævaricatores: Quandoquidem prævaricationibus conjuncta manifesto retributiones sunt. Cujus rei gratia hortamur canonem observari in iis qui præter mentem ac scientiam seipsos elegerunt, vel delecti sunt in patriarchia beatæ memoriæ Sophronii. Qui sane ante ipsius pa-*
283 *triarchiam, vel post decessum in Domino, à quibusdam non convenienter electi sunt, propter angustiam, ut dictum est, temporis, vel quod ejus copia non esset, qui judicio adhibito sive juxta canones eligere deberet.* Altera ad Pantaleonem: *De iis, qui non canonice istic electi sunt in patriarchia beatæ memoriæ Sophronii, eum canonem inviolabiliter decernimus custodire, qui à sanctis Apostolis & Patribus nostris constitutus est de iis, qui in alia civitate præter sententiam scientiamque Pontificis, qui ei civitati præest, vel eligunt, vel eliguntur, vel consentiunt, vel convocant. Canones enim Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores & custodes canonum sumus, non transgressores.*

Notanda est ratio, quæ semel atque iterum adfertur, cur sanctissimus Pontifex in Sede beati Petri sedens ita loquatur: *Defensores divinorum canonum & custodes sumus, non prævaricatores: Quandoquidem prævaricationibus conjuncta manifesto retributiones sunt. Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores & custodes canonum sumus, non transgressores.*

His autem sic constitutis Metropolitanorum dignitas asseritur mirifice ac vindicatur.

ARTICULUS XVII.

GREGORIUS III.

In Epistola V. ad Bonifacium Archiepiscopum: *Præcipimus, ut juxta sacrorum canonum statuta, ubi*
284 *multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicæ Sedis debeas ordinare Episcopos; pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas Episcopatus.* Metropolitanus in exequendo munere suo sacros canones exequitur, atque ut Bonifacius exequatur, Pontifex edicit: Qua in re Sedis Apostolicæ vigor præcipue consistit.

His addimus decreta nonnulla, quæ Bonifacius Episcopus Romani Pontificis jussu edidit in Synodo. Sic autem illa se habent: *Statuimus, quod proprium sit Metropolitani, juxta canonum statuta, subjectorum sibi Episcoporum investigare mores & sollicitudinem circa populos, quales sint; & moneat, ut Episcopi à Synodo venientes in propria parochia cum Presbyteris & Abbatibus conventum habentes, præcepta Synodi servare insinuando præcipiant: Et unusquisque Episcopus, si quid in sua diœcesi corrigere vel emendare nequiverit, ibidem in Synodo coram Archiepiscopo & palam omnibus ad corrigendum insinuet.* Et hæc sunt, quæ ad Metropolitanos pertinent.

ARTICULUS XVIII.

ZACHARIAS.

In Epistola IV. ad Bonifacium: *De Episcopis vero Metropolitanis, id est, Grimone, quem nos jam compertum habemus, & de Abel & Ardberto, quos per unamquamque Metropolim per provincias constituisti, hoc per tuum testimonium confirmamus, & pallia dirigimus ad eorum firmissimam stabilitatem, & Ecclesiæ* 285
Dei augmentum, ut in meliori proficiant statu. Qualiter enim mos pallii sit, vel quomodo fidem suam exponere debeant hi, qui pallio uti conceduntur, eis direximus, informantes eos ut sciant, quod sit pallii usus, ut subjectis viam prædicent salutis, ut Ecclesiastica disciplina in Ecclesiis eorum servetur & maneat inconcussa, & ut sacerdotium Deo acceptum esse possit, quantum humana conditio valet: Ita ut nullus inveniatur eorum à sacris deviare canonibus, & sacrificium eorum mundum Deo immoletur: Ita ut Dominus eorum placetur muneribus, & populus Dei purificatis mentibus ex omni vitiorum squalore sincerum valeat Deo servitium exhibere. Hic præter assertam metropoliticæ dignitatis auctoritatem habetur vera Ecclesiastici pallii descriptio.

ARTICULUS XIX.

Electorum Pontificum Romanorum professio, in qua sacros canones servaturos se esse promittunt.

In veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno extat fidei professio, quam olim Romani Pontifices faciebant, cum primum inaugurabantur. Hanc semel atque iterum edidi: Semel quidem in libro, cui titulus est: *Defensio Sedis Apostolicæ adversus privilegia subreptitia.* Iterum in Epistola ad Ludovicum Cusinum, quam habet pars prima Epistolarum nostrarum. Quæ autem 286
in ea fidei professione nostrum ad institutum pertinent, sunt hujusmodi: *Sancta quoque universalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Calchedonense, & secundum Constantinopolitanum, quod Justiniani piæ memoriæ Principis temporibus celebratum est, usque ad unum apicem immutilata servare, & una cum eis pari honore & veneratione sanctum sextum Concilium, quod nuper Constantino piæ memoriæ Principe, & Agathone Apostolico prædecessore meo convenit, medullitus & plenius conservare; quæque vero prædicaverunt, prædicare, quæque condemnaverunt, corde & ore condemnare. Diligentius autem & vivacius omnia decreta prædecessorum Apostolicorum nostrorum Pontificum, quæque vel synodaliter & probata sunt, confirmare, & indiminute servare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire; quæque vel quosque condemnarunt*

demnarunt

demnarunt vel abdicarunt, simili auctoritatis sententia condemnare. Disciplinam & ritum Ecclesiæ, sicut inveni, & à sanctis prædecessoribus meis traditum reperi, illibatum custodire, & indiminutas res Ecclesiæ conservare, &, ut indiminutæ custodiantur, operam dare. Nihil de traditione eorum, quæ à probatissimis prædecessoribus meis servata reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem inducere; sed ferventer, ut vere eorum discipulus & sequipeda, totis mentibus meis & conatibus, quæ tradita sunt, conservare ac venerari. Si qua vero emerserint contra disciplinam canonicam, emendare, sa-
287 *crosque canones, & constituta Pontificum nostrorum, ut divina & cœlestia mandata custodire, utpote tibi me reddendum sciens de omnibus quæ profiteor, districtam in divino judicio rationem, cujus locum divina dignatione perago, & vicem intercessionibus tuis adjutus impleo, si præter hæc aliquid agere præsumpsero, vel, ut præsumatur, permisero.* Romani Pontifices cum sacramento tali promittunt se servaturos esse canones; Omnino servabunt illos, & cum primis Nicænos, quibus Metropolitanorum jura sanciuntur, & dignitas asseritur. Hæc est fidei professio, quæ Romanos Pontifices secundum antiquam traditionem obstringit, & illi obstrictos se esse ingenue fatentur.

ARTICULUS XX.

HADRIANUS I.

In epitome canonum ex Laodicena Synodo: *Ut Episcopi cum judicio Metropolitani, & aliorum Episcoporum provehantur.* Deinde in Epistola ad Bertherium Viennensem Episcopum: *Dilectus & illustris ac religiosus filius noster Carolus Rex, Patricius Romanorum, Romam venit, & Pascha Domini apud sanctum Petrum nobiscum egit; ubi inter alia cum monuimus de Metropolitanorum honore, & de civitatibus, quæ laicis hominibus tradita erant, & quia Episcopalis dignitas fere per LXXX. annos esset conculcata. Cum hæc &*
288 *alia similia gloriosus Rex audisset, promisit ante corpus beati Petri Apostoli, quod omnia ad emendationem nostram venirent. Unde placuit nobis, ut omnibus Archiepiscopis & Episcopis auctoritatem literarum nostrarum mitteremus, ut sicut antiquus privilegiis singulæ Metropolitanæ urbes fundatæ sunt, ita maneant, ut habeat unaquæque Metropolis civitates sibi subditas, quas beatus Leo, & alii prædecessores ac successores ipsius, post Calchedonensem Synodum, singulis Metropolitis distinxerunt. Nec propterea ulla Metropolis præjudicium patiatur, si alicui suffraganeorum, aut nos, aut prædecessor noster, rogantibus piis Francorum Ducibus, pallium largiti sumus. Nec debet & Ecclesia ullum damnum sui ordinis inde sustinere, si per LX. aut LXXX. & eo amplius annos incuria quorumcumque Præsulum, & vastatione barbarorum, dignitatem antiquam, & Romanorum Antistitum firmitate roboratam, perdidit & amisit, quando innumeris pene annis illa, Spiritu Dei disponente, usa fuerit. Auctoritate igitur beati Petri Principis Apostolorum, singulis Metropolitis antiquo more potestatem suam reddidimus, & filium nostrum gloriosum, & inclytum Regem Carolum ante corpus beati Petri inde rogavimus, ut antiquam dignitatem omnis Metropolis haberet. Ideo hanc Epistolam auctoritatis nostræ omnibus misimus, quam & tu, ut haberes, voluimus; &, ut tu noscere Ecclesiæ tuæ privilegium, quod à tempore beati Papæ Leonis habuit, esse integre reformatum.* In supplemento antiquiorum Conciliorum Galliæ sic asserta est
289 Metropolitanorum potestas, ut pene nihil supra esse possit.

Tum in Epistola ad Tilpinum Remensem Episcopum, apud Flodoardum in libri II. historiæ Remensis capite XVII. *Et tua fraternitas jam ex magna parte ipsas res apud gloriosum filium nostrum Carolum, & ante ad Carolomanum gloriosissimum fratrem ejus impetratas habes, & ordinem ex aliqua parte, & in Episcopis, & in aliis secundum canonicam & sanctæ Sedis Romanæ auctoritatem directum habes: Propterea petisti à nobis tibi, & Ecclesiæ fieri privilegium ex auctoritate beati Petri Principis Apostolorum, & sanctæ Sedis Romanæ, ac nostra, ut quod perfectum habes, inante valeas permanere, & quod adhuc perfectum non habes, per nostram auctoritatem possis, auxiliante Deo, & beato Petro Apostolo ad perfectionem perducere, pro quo & nos ardenti animo, & divino juvamine, Apostolicaque fulti auctoritate, non solum vetera secundum sacros canones, & Apostolicæ sanctæ Sedis decreta statuimus; sed & nova tibi pro tuo bono studio concedimus, atque auctoritate beati Petri Principis Apostolorum, cui data est à Deo & Salvatore nostro* JESU CHRISTO *ligandi solvendique potestas peccata hominum in cœlo & in terra, confirmamus atque solidamus, Remensem Ecclesiam, sicut & antiquitus fuit, Metropolim permansuram, & primam suæ diœceseos sedem esse, & te qui in eadem sede, cooperante Deo, ordinatus es, primatem ipsius diœcesis esse, cum omnibus civitatibus, quæ* 290
ab antiquo tempore Remensi Metropoli Ecclesiæ subjectæ fuerunt, atque etiam perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis sit confirmatum. Et post alia: *Et quod ad nostram notitiam perduxisti, quia ad alios Episcopos de ipsa diœcesi Remensi quidam accipiebant ordinationes, & habebant indebita refugia, & hoc per omnia prohibemus; sed sicut sacra docet auctoritas, & in Synodis comprovincialibus convocandis & faciendis, & in ordinationibus ac dijudicationibus Remensis Ecclesiæ, & Archiepiscopus, qui in ea constitutus fuerit, talem habeat auctoritatem, sicut sacri canones, & hujus sanctæ Ecclesiæ constitutiones docent.* Hadrianus Metropolitanæ sedis Remensis jura per sacros canones & Sedis Apostolicæ decreta vindicat & asserit: Sedis Apostolicæ decreta intelligit, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ut sanctus Leo Papa loquitur in Epistolæ I. capite V.

ARTICULUS XXI.

LEO III.

In Epistola I. ad Kenulphum Regem Merciorum: *De Atheraldo vero jam fato Archiepiscopo Dorobernensis Ecclesiæ, sicut à nobis poposcit vestrorum Præsulum excellentia, ut ei justitiam faceremus de ipsis diœcesibus suis, tam Episcoporum quam Monasteriorum, quibus illicite, ut cognovistis, expoliatus est, & à venerabili sede ejus, quam dudum tenuit, ablata sunt, nos per om-* 291
nia enucleatim trutinantes in sacro scrinio nostro reperimus, sanctum Gregorium prædecessorem nostrum in integro ipsas parochias numero duodecim beato Augustino Syncello suo Archiepiscopo tradidisse, & confirmasse Episcopos consecrandi. Unde veritate ipsa comperta, ordinationes seu confirmationes, nostra auctoritate Apostolica illi in integro, sicut antiquitus fuerunt, constituentes reddidimus, & privilegium confirmationis secundum sacrorum canonum censuram Ecclesiæ suæ observandum tradidimus. Dissipata Metropolitanæ apud Anglos Ecclesiæ jura instaurat, & ad pristinam sacrorum canonum formam reducit.

ARTICULUS XXII.

EUGENIUS II.

In Romanæ Synodi capite IV. *Quanquam admonita Doctorum, & statuta Patrum Sacerdotes indoctos prohibeant consecrari, opportuni temporis moderatione, si Episcopus invenatur indoctus, à Metropolitano proprio, & deinceps Sacerdotes, Presbyteri, Diaconi, vel etiam Subdiacones à suo Episcopo, ut doceri possint, admoneantur.* In secunda parte Romanæ collectionis bipartitæ.

ARTICULUS XXIII.

LEO IV.

292 In epistolæ xi. ad Episcopos Britanniæ cap. vi. *De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & sanctorum Conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, id est, quæ habentur apud nos simul cum illis in canone, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur judiciis, id est, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Calchedonensium, Sardicensium, Carthaginensium, Africanensium: Et cum illis regulæ Præsulum Romanorum, Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Celestini, Leonis, Gelasii, Hilari, Symmachi, Simplicii. Isti omnino sunt, per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul & clerici judicantur.* Et post alia: *Quam ob causam luculenter, & magna voce pronuntiare non timeo; quia qui illa, quæ diximus, sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos canones prætitulantur, sive sit Episcopus, sive clericus, sive laicus, non indifferenter receperit, ipse se convincit, nec catholicam, & Apostolicam fidem, nec sancta vera Christi Evangelia quatuor utiliter & efficaciter, & ad effectum suum retinere vel credere.* Cum sacros canones & Sedis Apostolicæ decreta vindicat, Metropolitanorum Præsulum jura vindicat, quæ & sacris canonibus, & Sedis Apostolicæ decretis, ex iisdem canonibus promulgatis sanciuntur.

ARTICULUS XXIV.

BENEDICTUS III.

293 In epistola i. ad Hincmarum Remensem Episcopum: *Inter hæc quidem & hoc sancimus, ne quilibet tuæ diœceseos regulis subjectus Ecclesiæ, te contempto, impune audeat seu valeat aliena expetere, seu exspectare judicia, ut aliorum traditionibus Patrum, canonumque constitutionibus est promulgatum, salvo in omnibus jure Apostolicæ nostræ Sedis, ut ab ipso velut Christo, & sacris est canonum canonibus: Sed cuncti sive in prælatione, sive in subjectione debita ordinem ab Ecclesiasticis regulis traditum observantes, obediant, & studiosius obtemperare procurent. Et hoc promulgamus atque statuimus, ut te, quem ejus provinciæ Primas dignosceris, nullius unquam infestatione contra canonica Apostolicaque decreta, sive judicia Ecclesiastica tibi commissa, aut virtute, aut facultate nudari, aut ante audientiam Romani Pontificis à quocunque damnari, statuimus.* Et paullo post: *Et hoc volumus, ne quilibet ex provincia & diœcesi Metropoli tua tibique subjecta, jus secundum Ecclesiasticas constitutiones primatus Ecclesiæ tuæ, & tibi debitum quoquo modo per contemptum convellere, aut tibi vel Ecclesiæ tuæ quamcunque violentiam contra eadem canonica constituta, & decreta Romanorum Pontificum pertinaciter inferre præsumat, cum anathematis* 294 *interpositione nostra Apostolica, & beati Petri Apostolorum Principis auctoritate prohibemus.* Pontifex Apostolicæ Sedis traditionem sequitur in confirmanda auctoritate, quam Metropolitanis sacri canones attribuunt.

ARTICULUS XXV.

NICOLAUS I.

In epistola ix. ad Michaelem Imperatorem: *At nos è diverso credimus, quod Ecclesia Christi sacros canones, & præcipue Nicænos non tradat oblivioni, præcipientes videlicet, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Quod Nicolaus ex occasione de Nicæno canone v. scribit, de Nicæno canone iv. & de postrema Nicæni canonis vi. parte, ex occasione alia scripsisset. Hoc ipsum semel atque iterum repetit in epistola lviii. ad Episcopos in regno Ludovici constitutos: *In quo etiamsi Sedis Apostolicæ judicium à quovis retractandum esset, etiamsi ab inferioribus potiorum sententia solvenda prorsus existeret, quantum Theutgaldus atque Guntharius circa sacros canones, & præcipue Nicænos, qui luculenter innuunt, non debere, qui abjiciuntur, ab aliis recipi, contumaces extiterint.* Et post alia: *Secundo, quia eandem Engeltrudim à nobis, & à Synodo abjectam, & anathematizatam recipere & absolvere præsumpserunt: Et hoc contra canones, & præcipue contra ipsum Nicænum magnum Concilium, quod, hi qui abji-* 295 *ciuntur, ab aliis non recipiantur, sanxisse dignoscitur.* At cum eadem sit hujus, & cæterorum Nicænæ Synodi canonum ratio, Nicolaus canonem iv. & postremam canonis vi. partem asseruisse & vindicasse dicendus est.

Sed rem ipsam attingit in epistola lxiv. ad Lotharium Regem: *Si regum est proprium, rebelles corporis motus ratione imperii refrænare ac regere; debuerat utique excellentia tua in omnium regni tui Ecclesiarum defensione adesse, & minime Metropolitani Remorum jure soluto in parochiis regni tui, viduata Ecclesia Hilduinum aliunde constituere pervasorem. Ob hanc rem dilectionem tuam hortamur & monemus, atque Apostolica auctoritate inhibendo arcemus, ut nullo pacto in his, quæ ad Remorum sanctam Ecclesiam pertinent, illicitos appetitus extendens ditioni tuæ submittas, neque Ecclesia Cameracensi pervasorem diutius inhabitare permittas. Quod nisi feceris, & omnia Metropolitano Remorum non restitueris, ut ipse juxta suum illic privilegium disponere queat.*

Deinde in epistola lxv. ad Hilduinum clericum: *Diceris, quod contra statuta sanctorum canonum Ecclesiam Cameracensem invaseris, & ejus sanctæ plebis clericos opprimas ac dehonestes, bona quoque ipsius diripias, Metropolitano, id est, confratri nostro Hincmaro Remorum Archiepiscopo, nullam debitam subjectionem, vel obedientiam impendas: Sed absque libitu ejus, ecce per decem jam menses viduatam Ecclesiam occupatam* 296 *detineas.* Infra: *Et quoniam licet humana quædam potestas permittat, divina tamen, canonicaque censura te in eadem Ecclesia Episcopum consecrari nequaquam consensit: Immo omnes qui tui sunt moris atque præsumptionis, à tanta dignitate procul repellit: Maxime cum Metropolitano Remorum provinciæ, cui ipsa Cameracensis Ecclesia subjecta est, nullum debeat præjudicium irrogari; præcipimus tibi, ut de eadem Ecclesia Cameracensi nihil auferens quantocius abscedas, ut talis à clero & à plebe ipsius Ecclesiæ eligi, & ab Archiepiscopo Remorum consecrari possit, qui in nullo à sanctis canonibus reprehendatur.* Vix potuerunt Metropolitanorum jura fortius defendi. Quare non sine causa Nicolaus in epistola ix. ad Michaelem Imperatorem sacris canonibus adjungit constituta & decretalia, non quæ, ut apparet, iisdem canonibus derogent; sed quæ ex iisdem canonibus promulgentur. Id verborum series perspicue declarat: *Paternos terminos non transgrediamur; sacros canones non conculcemus, nec decretalia Sedis Apostolicæ constituta, quibus Ecclesia tota fulcitur atque munitur, quoquo modo violemus.*

ARTICULUS XXVI.

HADRIANUS II.

In epistola xxxiv. ad Carolum Calvum: *Sed de his nihil audemus judicare, quod possit Nicæno Concilio,* 297 *& quinque cæterorum Conciliorum regulis vel decretis nostrorum antecessorum obviare. At de his, quæ præfati canones & decreta decernunt, ipsi quoque cum ipsis una vobiscum congregati, cum nostro spiritu similiter decernimus, & quod statuunt, statuimus, & quod judicant;*

cam, judicamus, nec in allo deviantes à tenore canonico, servantes omnibus sua jura Metropolitanis. Quid manifestius?

Deinde in epistola XXXIV. ad eundem Carolum Calvum: *Hoc sit in memoriale perpetuum, quod concesseritis nobis hoc donum, ut non patiamini tantam locum* (Turonensem Ecclesiam) *pessum ire, & in desolationem, præsertim cum fuerit ex antiquo Metropolis, & meritis gloriosissimi Confessoris Christi Martini honorabilis, semperque venerabilis, & inter Gallicanas eadem vel secunda, vel tertia provincia Turonensis, & multis, quæ ab ea distracta sunt, ditata villis, possessionibus, & Abbatiis. Et cum aliæ, quæ sub ea sunt civitates, jam sint pene destructæ, harum matrem tantam & Metropolim ne patiamini destrui, desolari, & dehonorari vestro in tempore. Quin potius studete eam de rebus vestris propriis, vel procul ab ea positis, vel tutis à paganis ditare, continere & extollere, quia tunc ea vobis in æternum confirmatis, cum quæ Ecclesiarum Dei obsequiis condonatis, & reservatis omnibus sua jura Metropolitanis.*

Tum in epistola ad Hincmarum Laudunensem Episcopum: *Auctoritate sancti Spiritus tibi præcipimus,*
298 *ut memor sacrorum canonum, qui jubent per unamquamque provinciam suos Metropolitanos singulos habere debere, Metropolitano tuo per omnia secundum sacros canones subjectus existas, neque moleste feras hunc tibi esse prælatum, qui te aliis tuis omnibus esse præpositum.* Sua Metropolitanis jura servanda esse semel atque iterum inculcat.

ARTICULUS XXVII.

JOANNES VIII.

In epistola XIII. ad clerum & ordinem Bituricensis Ecclesiæ: *Quapropter quia eundem virum Frotarium reverendum Archiepiscopum, probis moribus actibusque præclarum comperimus, ne talis tantusque vir otio, qui prodesse aliis valeat, minime vacet, ejusdem sanctæ Bituricensis Ecclesiæ, cui subestis, ei pastoralem curam auctoritate Apostolica commisimus, & in ipsa eum incardinandum necessario esse censemus. Cui vos ita decentem obedientiam, & canonicam subjectionem humiliter exhibete, utpote revera Metropolitani jura tenenti, proprio rectori & vestro Antistiti convenit, & ex nostra Apostolica auctoritate definitum advertitis.* Quæ definitio ex sacris canonibus promulgatur.

Deinde in epistola XVIII. ad Felicem & Petrum Episcopos Mandanaucensem & Equilensem: *A capite, tam scilicet Apostolica Sede, quam Metropolitano vestro, in nullo dividamini, ne, quod absit, circumveniamini à Satana, qui scilicet semper dissensione gaudet.*
299 *Membra quippe, quæ capiti non hærent, inter mortua deputantur: Sicut procul dubio vos, qui nec Apostolicæ Sedis, quæ est caput omnium Ecclesiarum, decretis horretis, nec affectus Metropolitani proprii, & patroni atque magistri.*

Tum in epistola CCXLIII. ad Carolum Regem: *Regulariter illum* (Hieronymum) *electum,* (ad Lausanensem episcopatum) *& proprio Archiepiscopo causa infirmitatis præbente consensum, & Episcopos consecratores illum literis, quas nobis ostendit, rogante consecratum fuisse jam dictæ Ecclesiæ Episcopum incunctanter agnoscimus.*

Hinc in epistola CCXLVII. ad Sfentopulchrum Comitem: *Nos illum* (Methodium) *in omnibus Ecclesiasticis disciplinis & utilitatibus orthodoxum, & proficuum esse reperientes, vobis iterum ad regendam commissam sibi Ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium, ut digno honore & reverentia, lætaque mente recipiatis, jubemus, quia nostra Apostolica auctoritatis præcepto archiepiscopatum & privilegium confirmavimus, & in perpetuum, Deo juvante, firmum manere statuimus, sicut antecessorum nostrorum auctoritate omnium Ecclesiarum Dei jura, & privilegia statuta & firmata consistunt; & ita sane, ut juxta canonicam traditionem omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat, & ea, Deo veluti contemplante, dispenset.*

Postremo in epistola CCCXIV. ad Hincmarum Remensem Episcopum: *Noli ergo jam nunc Ecclesiam Laudunensem viduatam, & sine regimine pastorali dimittere;* 300
sed indifferenter electum, & de Laudunensis Ecclesiæ clero, virum idoneum, & in quo omnium vota consentiant, eidem Ecclesiæ præfice protinus Episcopum.

Prætermittenda non est Synodus, quam Joannes Ravennæ habuit. Hæc duobus in locis Metropolitanorum jura vindicat, & vindicata confirmat.

Primus est in capite I. *Quisquis Metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum ad Apostolicam Sedem, nulla inevitabili necessitate imminente non miserit, commissa sibi careat dignitate, ita ut tamdiu episcopalis illi sedi cedat, omnique consecrandi licentia careat, quamdiu in exponenda fide, & in expetendo pallio priscum morem contempserit. Sit licentia Metropolitanis aliis post secundam & tertiam commonitionem, viduatis Ecclesiis, cum consilio Romani Pontificis, ordinando Episcopum subvenire.*

Alter est in capite II. *Si vero consecrandi Episcopi negligentia provenerit, ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communione privetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum præbere non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat, sed Metropolitani sui judicio cedat.*

Sic Joannes VII. totus est in asserendis juribus, quæ Metropolitanis per sacros canones decernuntur.

ARTICULUS XXVIII.

Excitata inter Joannem VIII. & Oteramnum Viennensem Episcopum circa Genevensis Episcopi ordinationem controversia refertur & explicatur.

Nonnullæ sunt Joannis VIII. epistolæ, quibus con- 301
troversia hæc continetur. Prima est quæ numeratur CCLXXXI. Sic ea se habet: *Clero & populo Genevensi. Dilectissimi filii nostri Caroli Imperatoris, Principumque ipsius relatu, vestram Ecclesiam viduatam cognoscentes pastore, & propter dissensionem Bosonis, cui sociatus ejusdem sedis videtur Metropolitanus, ordinationem electi vestri Optandi differre, auctoritate & potestate Apostolica, secundum deprecationem ejusdem serenissimi Imperatoris, filii scilicet nostri spiritualis Caroli, atque optimatum ejus, præcognita vestra omnium in eodem Optando electione, & qualiter idem serenissimus Imperator eidem Ecclesiæ electionem perenniter de propria clero donaverat, dantibus ipsa Ecclesia ne viduata maneret pastore, consecravimus eum sancti Spiritus gratia, & ad regendum vos pastoraliter instructum direximus, quem devote & unanimiter suscipientes, obedientes ei, utpote proprio patri spirituali, sitis in omnibus: Salvo deinceps ejusdem loci privilegio antiquo propriæ Metropolis sancimus, ut quicumque huic nostræ auctoritati, & Apostolicæ deliberationi contra stare, aut non obedire, vel,* 302
quod absit, electionem ipsius Ecclesiæ aliquando pervertere aut infringere, quam, Deo propitio, juste est assecuta, tentaverit, gladio utique canonicæ disciplinæ noverit se feriendum, atque omnipotentis Dei vindictam non evasurum, si digna celeriter non fuerit satisfactione sanatus. Confirmamus denique nostri Apostolatus auctoritate, omnes res ejusdem Ecclesiæ pacifice ac quiete perpetualiter possidere. Et quicunque easdem invadere ac dissipare ausus fuerit, postquam à proprio Episcopo canonice admonitus fuerit, si secundum divinas & humanas leges non emendaverit, sub anathemate sit damnatus.

Quidquid in hac tractatur epistola, reducitur ad tria capita. Primum est, quod Pontifex non propria voluntate,

voluntate, sed gravissimis rationum momentis inductus, electum Antistitem creaverit. Pastore Genevensis carebat Ecclesia; Oteramus consecrationem illius, quem clerus & populus secundum canones in Præsulem elegerat, differebat. Differendi causa erat.Boso Comes Imperatori Carolo inimicus & infensus, cui Oteramus favebat, consecrationi adversabatur. Imperator, qui de Genevensi Ecclesia bene meritus fuerat, instabat & summo urgebat studio, ut electus consecraretur, ne Genevensis Ecclesia adversus Ecclesiasticas leges diu pastoris officio privaretur. Hæc omnia sufficiunt, ut Joannes VIII. affectatam Metropolitani negligentiam suppleret.

Alterum, quod scribit nolle se ullum contra Metro-
303 politani dignitatem facere præjudicium: *Salvo deinceps ejusdem loci privilegio antiquo propria Metropolis*, quod sartum tectumque ab injuria conservare se velle non semel ostendit. Præclare Tertullianus in hanc rem cap. XVII. libri de Baptismo: *Æmulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus maris: sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis.*

Ultimum, quod Joannes VIII. non hortatur modo, sed etiam præcipit, ut omnes consecrato à se Episcopo morem gerant. Prævidebat fore ut Oteramus præstandæ ab omnibus, quorum intererat, obedientiæ moram atque impedimentum inferret, ut deinceps intulit.

Secunda est epistola, quæ numeratur CCLXXXVIII. *Oteramo Viennensi Episcopo. Inter eximios nuncusque Christi Dei nostri Sacerdotes te habere, tenereque omnino voluimus. Sed quia Ecclesiasticæ paci & utilitati contraria agere audimus, valde miramur, nihilominus & turbati existimus, eo quod sicut fidelium relatu comperimus, his, qui cum Bosone præsumptore, & regni perturbatore tyrannidem exercere non cessant, ausu temerario favere, eorumque malis operibus communicare præsumis, & in superbiam eorum sequax existens, falsa opinione sanctam nostram Romanam Ecclesiam infamare non dubitas, quod ad talia peragendum ipsius auctoritatem habere te certifices: Quod quam*
304 *evidenter ostendere non poteris, pro qua scilicet Romana Ecclesia te murum opponere omnibus iniqua agentibus debueras. Pro quibus nimirum tot malis, tantisque præsumptionibus tibi ex auctoritate Dei, & sanctorum Apostolorum ac nostra præcipimus, ut de præsenti Romam ad limina sanctorum Apostolorum, nostramque præsentiam venire procures, ut de talibus te criminibus secundum auctoritatem sanctorum Patrum coram nobis & Sede Apostolica satisfaciendo purgare valeas, quatenus te inter fratres, & consacerdotes retinere valeamus. Nam, quod non credimus, si aliter feceris, & venire distuleris, donec hanc nostram jussionem impleveris, scias te omni Episcopali officio esse privandum.* Joannes recenset crimina, quorum Oteramus accusatur. Hinc Bosoni favebat, & aliis qui cum Bosone tyrannidem exercebant. Hinc opinione falsa Romanam perinde infamabat Ecclesiam, quasi quod faciebat, Romanæ Ecclesiæ auctoritate faceret, dum scilicet Bosoni suppetias veniebat. Calumniæ, si Pontifex bene admonitus fuerit, causam præbuit Bosonis in Romanæ Ecclesiæ filium adoptatio. Pontifex enim Bosonem in Romanæ Ecclesiæ filium adoptaverat, ut dum Boso res mundanas administraret, Pontifex divinis liberius vacare posset. Quidquid id est, ille Oteramo præcipit, ut de objectis criminibus seipsum purgaturus Romam accedat.

Tertia epistola est, quæ numeratur CCXCII. *Oteramo*
305 *Viennensi Episcopo. Relatu veraci didicimus, sanctimoniam vestram in Genevensi Ecclesia Episcopum consecrasse, cui nos necessaria temporum qualitate perspecta, jam primum Clericis ejusdem Ecclesiæ suggerentibus, auctoritate Apostolica præfeceramus Episcopum nomine Optandum: Quo audito, audaciam & temeritatem vestram nimirum admirantes, ob id maxime turbati sumus, eo quod non solum super ordinationem nostram obices manus habuistis; sed etiam ad contemptum & injuriam Sedis Apostolicæ, præfatum Episcopum turpiter capientes, arcta custodia retrusistis, & rebus omnibusque supellectilibus ejus direptis, hactenus retrusum afflictatis, & contra omne ministerium vestrum, quod nulli Christiano licet, Sacerdotem Domini tetro carcere maceratis, non habentes præ oculis scilicet, quod Sacerdotes Domini sacra Scriptura aliquando Deos, aliquando angelos nominet, & qui eos tangit, tangit pupillam oculi Domini. Quapropter auctoritate Dei omnipotentis, & Principum Apostolorum Petri & Pauli, simulque nostra vobis præcipimus, ut accepta hac nostra epistola, aut quoquo modo tenore illius audito, si infra octo dierum spatia jam dictum Episcopum propriæ sedi, proprioque honori & dignitati reddere, restituereque contempseritis, à corpore & sanguine Domini nostri* JESU CHRISTI, *cum omnibus vobis in hoc facto faventibus, sitis prorsus extorres, quousque juxta hanc nostram dispositionem perficere satageritis. Et quia alia multa vobis à quibusdam objiciuntur, quæ synodali discussione sunt corrigenda, decernimus, ut omni excusatione remota,* 306
VIII. *Calend. Octobris futura prima Indictionis, Romam ad Synodum occurrere non omittatis, ut tunc & de vobis objectis rationem reddatis, & si adversus eundem Episcopum à nobis consecratum, aliquam querimoniam habetis, canonico valeamus quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine definire. Hoc enim scientes, quia si ad eandem Synodum præfato tempore venire distuleritis, canonica in vos censurum sententia proferemus.*

Joannes imprimis rationem reddit, cur Optandum in Genevensem Episcopum consecraverit, nequid contra canones egisse videatur. Ratio hæc quæritur ex his verbis: *Necessaria temporum qualitate perspecta, jam primum Clericis ejusdem Ecclesiæ suggerentibus.*

Deinde Oteramum graviter accusat, quod consecratum à se Episcopum in carcerem conjecerat, despecta Sacerdotum dignitate, quam ex Scripturis sacris repetit.

Tum illis solennibus formulis, quas adhibere solent Pontifices, jubet ut Episcopum Optandum emittat è carcere, nisi à corporis & sanguinis Christi communione separari velit.

Denique Romanam Synodum indicit, ad quam Oteramum vocat, ut in ea de impactis sibi criminibus sese purget, & siquam habeat de Optando querelam exponat, finem alioqui canonico judicio accepturam.

Quarta & ultima est epistola, quæ numeratur CCXCV. *Oteramo Viennensi Archiepiscopo. Susceptis vestræ fraternitatis apicibus, quod essent alicujus, ut ita dix-* 307
erim, rectitudinis zelo compositi satis ubertim cognovimus, quia post plurima in Ecclesia Genevensi facinora vos consecrasse Episcopum, & ut quidam Optandus nomine, Clericus advenerit, qui in Ecclesia Genevensi, nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterat, Ecclesiam illam invaserit. Multipliciter admiramur, cur illa nescire vos dicitis, quæ totus, ut remur, Occidens non ignorat: Præcedenti siquidem tempore nobis fuerat nuntiatum, ut vos in eadem Ecclesia Episcopum consecrare contempseritis. Ideo nos necessaria temporum qualitate perspecta, Clericis ejusdem Ecclesiæ suggerentibus, auctoritate Apostolica illic Episcopum Optandum nomine consecravimus. Quæ ex re non bene vos fecisse probamus, qui super ordinationem nostram obices manus habuistis, & alterum Episcopum ibidem ordinastis. De hoc autem quod dicitis, quod ipse Optandus in Genevensi Ecclesia, nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus unquam extiterit, interim silentio est tegendum, eo quod, cum caritate nostra loquamur, nihil horum habens vestra sanctitas in Viennensi Ecclesia est consecrata. Verumtamen his interim necessario prætermissis, sanctimoniam vestram jam-

dudum literis nostris monuimus, ut quia quadam vobis objiciuntur à quibusdam, quæ synodali discussione sunt corrigenda, omni excusatione remota, VIII. Calend. Octobris futura Indict. I. Romam ad Synodum occurrere studeretis: Nihilominus autem iterato decernimus, ut 308 *eodem tempore Apostolica nostra vos præsentetis præsentia, at tunc & de vobis objectis rationem reddatis, & si adversus eundem Episcopum a nobis consecratam aliquam querelam habetis, nos canonico valeamus quidquid illud fuerit, Deo juvante, libramine definire. Cæterum Adalberto Maurianensis Ecclesiæ Episcopo, auctoritatis nostræ literas, quas ei à vobis dari mandamus, ecce transmisimus, ut eam Bernario Gratianopolitanæ sedis Episcopo, eodem VIII. Calend. Octobris Romam occurrat, quatenus de his, quæ ei irreverenter tam temerario ausa sas ordinis immemor intulit, coram nobis plenissimam satisfactionem exhibeat.* Joannes & Oteramus de se mutuo conqueruntur: Hic, quod ille in Genevensi Ecclesia consecrasset Episcopum: Ille, quod hic Metropolitani officium contempserat, & in contemptionis probationem, Occidentem totum appellat: Quo pacto seipsum excusat, & una innuit, nolle se contra canones Metropolitani jura usurpare. Sunt & alia multa quæ prætereo, quia instituto minime conveniunt.

ARTICULUS XXIX.

STEPHANUS VI.

Apud Flodoardum in libri IV. Remensis historiæ capite I. ubi res ita narratur, Stephanus ad Fulconem Remensem Episcopum scribit: *Pro Teutboldo Lingonensi significans ad se hujus Lingonensis Ecclesiæ* 309 *querimoniam pervenisse, quod obeunte Isaac Episcopo, inconsulto clero & populo, Egilonem quendam Monachum nuper de sæculo venientem, in Episcopum Aurelianus Lugdunensis ordinaverit, eisque vi illata propositeros nolentibus: Quo divina vocatione hominem excedente, ne in idipsum incurrerent, concordi voto, clerus & populus Teutboldum ipsius Ecclesiæ Diaconum eligentes, ab ipso Papa sibimet in Episcopum consecrari petierint; sed ille uniuscujusque Ecclesiæ privilegium inconcussum servare volens, id agere distulerit, eumque præfato Aureliano direxerit, scribens ad eum, ut si cleri populique vota in eum concordarent, & sacri canones illi non obviarent, manus huic imponere nequaquam differret, quod fieri si ratio prohiberet, & idipsum sibi rescriberet; interim tamen alterutrum inibi ordinare nullo modo se inconsulto præsumeret: Simulque & Oiranum Senogalliensem Episcopum à suo latere direxit executorem, quem deludens Aurelianus ad Lingonensem præmiserat urbem, pollicitus se citissime subsecuturum. Quod cum diu exspectaretur, nec ipse advenerit, nec moræ suæ causam innotescere, vel Papa remandare providerit, quocirca iterato clerus & populus cum decreto manu omnium roborato, præfatum electum Romam remiserunt, obnixe sibimet illum consecrari petentes: Sed nec id tunc agere acquieverit, volens Lugdunensi Ecclesiæ collatum privilegium immutilatum consistere, ideoque jam dicto Aureliano iterato rescribens mandaverit, ut quia concordi voto clerus & populus jam dictum Diaconum expetebat, aut ipsum consecraret, aut quid in eo* 310 *reprehensibile judicaret, rescribere maturaret. Sed is priori inobedientiæ contumaciam adjiciens, non solum oblatum consecrare, seu quid in eo reprehensibile judicaret, sibi rescribere contempserit; verum etiam contra interdicta, & sacrorum canonum statuta quendam extraneum, & eidem Ecclesiæ ignotum, in angulo ordinatum, illis ingerere ausus præsumpserit. At hi potius laborem subire, quam subjici ignoto eligentes, ad se redierint implorantes, ne pateretur Ecclesiastica jura violari. Nos autem, inquit, qui omnium Ecclesiarum in beato Petro Apostolorum Principe curam suscepimus, scientes inter Episcopos non haberi eum, qui neque a clero electus, neque à populo est expetitus; sæpedictum Teutboldum venerabilem Diaconum, ipsorum lamentabilibus precibus inclinati, Lingonensis Ecclesiæ Episcopum consecravimus, condigna sententia prævaricatoribus illata, licet & alias prævaricationibus fuerint impediti. Quapropter tuæ injungimus sanctimoniæ, ut his nostris Apostolicis literis perceptis, postposita dilatione, ad Lingonensem accedens Ecclesiam, & eundem Teutboldum à nobis solenniter consecratum Episcopum exinde revestias, omnibusque Archiepiscopis & Episcopis innotescas, pro tanta contumacia altione, nos ejusdem Ecclesiæ specialem sollicitudinem suscepisse pro laboris maceratione, & oppressionis illata relevatione. Quidquid autem idem venerabilis Episcopus Teutboldus vobis ex nostra parte retulerit, credite, & affectui mancipare nullo modo ambigite; utpote tuam* 311 *reverentiam circa nos devotam consistere credimus. Ad hæc idem Præsul Fulco rescribens, gratias agit pro consolatione literarum ipsius, asserens se paratum fuisse & esse quæcunque sibi ab ipsius Papæ celsitudine injuncta fuerint, adimplere: Præfatam vero præceptionem de Teutboldo Episcopo explere sine mora voluisse; sed Odonis Regis sui consultu interim intermissum, dum Rex idem suos legatos ad eundem Papam dirigeret, ac per eos jussionem ipsius certissime cognosceret: Super his autem, quæ literæ ipsius Papæ prosecutæ sunt, velle scilicet se omnibus Ecclesiis sua instituta & privilegia inconfuso ordine intemerata servare, valde gavisos universos Episcopos, in quorum præsentia hæc recitari fecerit.* Priora Ecclesiæ sæcula exemplum nullum suppeditant, vel ad tuendam Metropolitanorum dignitatem augustius, vel ad perdocendam Romanorum Pontificum æquitatem illustrius, vel ad retinendam sacrorum canonum observationem accommodatius. Exemplum hoc, & præcedentia concludit, & subsequentia præcludit.

Deinde in epistola ad Dominicum Ravennatem Archiepiscopum, quæ sic se habet apud Hieronymum Rubeum in libro V. historiæ Ravennatis Ecclesiæ: *Stephanus Episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo & sanctissimo confratri nostro Dominico Archiepiscopo sanctæ Ravennatis Ecclesiæ. Divina majestas pastorale ministerium nobis ∴ sollicitudinem gerentes cura pervigili nostrum Apostolicum impendere suffragium:* 312 *Idcirco omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium agnoscat notitia, quia cum Ravennas Ecclesia per obitum Romani quondam Episcopi ejusdem Ecclesiæ viduata sine pastore consisteret, repente & sancta Placentina Ecclesia illius suffraganea à suo pastore quondam Paulo Episcopo extitit denudata. Quapropter diversis Italici regni fluctuantibus procellis, quia per eandem sanctam Ravennatem Ecclesiam proprio pastore destitutam, ipsa sancta Placentina Ecclesia de pastore proprio remedium recuperandi minime adipisci valebat, Apostolicam Sedem, nostramque Apostolicum, utpote ad caput omnium Ecclesiarum, & matrem refugium visi sunt .·.·.·. fecisse, offerentes nobis proprium electum Bernardum nomine, Diaconatus officio utentem, suggerente una cum decreto ab eis in eum facto, hunc à nobis sibi consecrari Antistitem, ne ipsa Ecclesia diu sine pastore ambularetur, & eligentes atque petentes acephali & vagabundi incederent. Nos autem, ut diximus, cum proprius Metropolitanus deesset, satis ab eis rogati prædictum Bernardum in eadem Placentina Ecclesia providimus consecrare Episcopum, dantes illi in mandatis, atque jubentes expresse, ut in omni subjectione & fidelitate se sub jure sanctæ Ravennatis Ecclesiæ observaret, quia sic nobis placuit, ita scilicet, ut omnem obedientiam, omnemque devotionem atque consuetudinem & usata antecessores fecisse probantur, & ipse adimplere satagat in sancta Ravennate Ecclesia. Unde volumus, & à præsenti Indictione VIII. decernimus, eandem sanctam* 313 *Ravennatem Ecclesiam nullam deinceps per eadem à nobis*

nobis ... consecratione concessa perpeti; sed à nobis nostrisque successoribus Pontificibus sit ... omnimodis. Quinimo eadem prædicta sancta Placentina Ecclesia, in jus & consecrationem, atque debitam obedientiam ejusdem sæpedictæ sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, quemadmodum antiquitus fuisse recolitur, omnibus consistat temporibus. Volentes uniuscujusque jus & privilegium Ecclesiæ indiminutum haberi, & irrefragabiliter custodiri.

Tum ibidem: *Stephanus Episcopus servus servorum Dei omnibus Sacerdotibus, clero & populo, seu universæ generalitati Placentiæ commorantibus, salutem. Qualiter sanctæ Ravennas Ecclesia privata proprio pastore in obitu vestri Episcopi viduata existeret, vos nosse per omnia scimus. Sed ad supplementum & sublevationem vestræ Ecclesiæ nostrum Apostolicum subsidium visi fuimus impartiri, ita ut Bernardum Diaconum pastorem vestrum per nostram consecrationem institueremus; & ideo fidelitati omnium vestrum injungimus, & decernentes sancimus, ut eam ipse Bernardus, quamque omnes successores sui in perpetuum sub Ravennatis Ecclesiæ pontificatu, plenam observantiam, totamque fidelitatem viriliter custodiat, & more antecessorum ejus, devotissimus tam ipse quam successores sui existant, observandam in omnibus omnem obedientiam, omnemque consuetudinem sanctæ Ravennatis Ecclesiæ, ejusque Archiepiscopis absque omni contradictio-*
314 *ne & molestia, prout irrefragabiliter pollicitum est. Nam si ipse, vel aliquis successor ejus, aut aliquis vestrum tam de sacerdotali ordine, quam de laicali cœtu contemptor, vel transgressor apparuerit per inobedientiam, Sacerdos qui extiterit, ex Dei omnipotentis, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, & nostra auctoritate Apostolica maneat suspensus à proprio ministerio, quousque solutionis gratiam à Ravennate Archiepiscopo perceperit.* Ecce tibi Metropolitanæ dignitatis defensor ac vindex acerrimus!

ARTICULUS XXX.

SILVESTER II.

In Epistola CXLV. ad Parisiensem Episcopum: *Etsi omnis Ecclesia catholica una atque eadem est, singulis tamen Sacerdotibus modus quidam præscriptus est, quo se extendere, & ubi terminos debeant collocare.* Respectum habet ad sacros canones, quibus Episcoporum omnium jura sanciuntur.

Deinde in Epistola ad Wilderodum Argentinensem Episcopum: *Licuit sequi Evangelium, Apostolos, Prophetas, sacra Concilia, virorum Apostolicorum decreta ab his quatuor non discordantia, semper in usu habita, semper habenda.*

Tum demum in Epistola ad Seguinum Senonensem Archiepiscopum: *Sit lex communis Ecclesiæ ca-*
315 *tholicæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, canones Spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati, & decreta Sedis Apostolicæ ab his non discordantia.* In his tribus Epistolis Metropolitanorum Antistitum non obscure vindicatur auctoritas. Præterea verba hæc, *Canones Spiritu Dei constituti, & totius mundi reverentia consecrati*, Leonis Papæ primi verba sunt, quibus ille Nicæni Concilii canones, & præsertim tertium & sextum asserit, & eorum observationem præcipit.

ARTICULUS XXXI.

LEO IX.

In diplomate, quo Salernitanum Archiepiscopum instituit, Clementis II. vestigia secutus. *Confirmamus*, inquit, *etiam tibi ipsum ex integro archiepiscopatum Salernitanum, cum sibi adjacentibus parochiis suis; & insuper licentiam & potestatem damus ordinandi & consecrandi in hæc subjectis nobis locis, hoc est, Pestanensem Episcopatum cum parochiis & adjacentiis suis, & Nolanum, & Consanum cum parochiis & adjacentiis suis, necnon Malvitanum & Cusentinum, simulque Episcopatum Bisumucinsem, atque Episcopatum Acerentinum, cum omnibus parochiis & adjacentiis earum. Necnon liceat tibi ordinare Episcopos super congruentia loca secundum regulam sanctorum Patrum, in ipsa integritate Salernitani archiepiscopatus; & non habeant potestatem successores nostri in cunctis prædictis Episcopatibus, quos vobis* 316 *auctoritate Apostolica concessimus, deinceps in perpetuum Episcopos consecrare, quemadmodum vobis concessum est.* Hic Pontifex Episcopatus assignat, quorum Antistites deinceps non à Romano Pontifice, sed ab Archiepiscopo Salernitano consecrabuntur. In summa id in Salernitana Metropoli, quod in cæteris fieri solet, omnino fiet.

Deinde in epistola V. ad Petrum Episcopum: *Terminos quos Patres fixerunt, nulli arroganter transgredi conceditur.*

ARTICULUS XXXII.

NICOLAUS II.

In secunda ad Gervasium Remensem Archiepiscopum Epistola, sic jura Metropolitica defendit: *Audivimus relatione multorum, quod Belvacensis Episcopus contra statuta canonum sine vobis, & sine vestro assensu fuerit consecratus, imo execratus: Et quod pejus est, ad Episcopatum sublimatus. Accingimini igitur, & fulti hac nostra auctoritate ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beati Petri Apostoli, omne Episcopale officium sibi, usque dum ad Romanam Synodum in tertia septimana post Pascha ante nos discutiendus veniat, interdicite. Si autem in aperto res est, quod pecuniam dederit, omnibus Belvacensibus clericis ac laicis, ut sibi ante prædictum nostrum judicium non obediant, sub excommunicatione prædicti Apostoli Petri auctoritate interdicite.* 317 Nicolaus sacrorum canonum observationem sic asserit, sic eos violatos ulciscitur.

ARTICULUS XXXIII.

GREGORIUS VII.

In libri III. Epistola II. ad Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum: *Qualiter Babenbergensis Herimannus jam non Episcopus hoc anno Romam pœnitens se habuerit, vel qualiter se judicio Apostolicæ Sedis subtraxerit, quave fraude clericos prædictæ Ecclesiæ sub obtentu pœnitentiæ deceperit, & quomodo res ejusdem sibi contra Deum commissæ Ecclesiæ pejus, quam prius destruxerit, & ita in clericos sibi commissos, sicut tyrannus surrexerit, vestra, ut reor, cognoscit fraternitas, & certa dolet tristitia. Quocirca nos ulterius tantas non valentes impune ferre nequitias, & noviter inventas sævitias, maxime circa eum, qua beato Petro specialiter commissa est Ecclesia, judicio sancti Spiritus per ejusdem auctoritatem beati Petri Apostolorum Principis, prædictum Herimannum ab officio Episcopali, atque sacerdotali deposuimus,* (in Romana Synodo) *& in perpetuo depositum esse censemus. Et quia hæresi junxit sacrilegium, & sacrilegio apertam tyrannidem, excommunicationis vinculo eum alligavimus, quousque Apostolicæ Sedi se repræsentet, quam conatus est non solum decipere, sed etiam dolo malo irridere. Si autem ad ultimum sibi diem pervenerit, non ei pœnitentiam & communio-* 318 *nem denegamus; sed mox, ut poterit, Apostolicam adire Sedem omnino illi præcipimus. Hæc ut publice fratribus tibi subjectis Coepiscopis notifices volumus, & ex parte beati Petri præcipimus, ut secundum sanctorum*

institutia Patrum summopere procures in prædicta Babenbergensi Ecclesia pastorem ordinare, quatenus quod in prædicto simoniaco negligenter egisti, comproberis emendare.

Gregorius Moguntini in ordinando Babenbergensis Ecclesiæ Episcopo Metropolitani jura diligenter custodit, etiamsi huic Babenbergensis Ecclesia ab Henrico Imperatore illius fundatore sub Apostolicæ Sedis tutela & jure posita esset. Inde Sigifredus Archiepiscopus sese in ordinando Herimanno negligenter egisset. Quæ duo idem Pontifex in sequenti Epistola comprehendit, scribens ad Henricum regem: *Cæterum de Babenbergensi Ecclesia, quæ sui fundatoris institutione, sanctæ & Apostolicæ Sedi, tanquam humeri capiti, membrum scilicet propinquius specialiori quadam curæ sollicitudinis inhæret, vehementer dolemus, & ejus desolationi pro viribus occurrere, opitulari & consulere officii nostri necessitate impellimur. Simoniacus enim ille Herimannus dictus Episcopus hoc anno ad Synodum Romam vocatus venire contempsit; sed cum propius Romam accessisset, in itinere subsistens, & præmittens nuncios cum copiosis muneribus, noto sibi artificio innocentiam nostram, & confratrum nostrorum integritatem pactione pecuniæ attentare, at-*
319 *que, si fieri posset, corrumpere molitus est. Quod ubi præter spem evenit, jam de damnatione sua securior festinanter retrocessit.* Et post alia: *Quid vero hac ipsa de causa Sigifredo confratri nostro Moguntino Episcopo, & eidem Babenbergensi clero & populo scripserim, ex literis ad eos datis ad liquidum poteris cognoscere.* Quamvis igitur Babenbergensis Ecclesia fundatoris sui institutione Sedi Apostolicæ tanquam humeri capiti adhæreret, & Sigifredus Moguntinus Antistes in ordinando Herimanno negligenter se gessisset: Hæc tamen non efficiunt, ut Gregorius contra canones Babenbergensis Ecclesiæ ordinationem sibi reservet. Convenientissimæ disciplinæ hujus rationem in libri 11. Epistola 2. ad Sancium Aragoniæ Regem: *Quoniam ergo reverentiam sanctæ & Apostolicæ Sedis regiam nobilitatem tuam pia devotione & amore fervere intelligimus, te & regnum tuum dignis honoribus sublimari cupimus, & Apostolicam benevolentiam, non solum in nostro, verum etiam in quocunque tempore tibi & causis tuis sinceræ caritatis affectum præbere desideramus. Cæterum quod nos de causa Aragonensis Episcopatus consuluisti, & te quodammodo velle significasti, diu & multum volentes, & cum filiis sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertractantes, incongruum fore pervidimus: Quoniam in eo canonica decreta nobis obviare cognovimus. Veniens igitur ad nos, sicut nosti, confrater noster Sanctius Aragonensis Episcopus, multa nobis de infirmitate corporis sui con-*
320 *querens, deserendi Episcopatum à nobis suppliciter licentiam postulavit, quod & morbo confectus, & pene consumptus, diutius competenti ministerio regere & custodire non possit: Atque ut facilius impetraret, indicavit nobis de duobus clericis, quorum alterum in Episcopatum eligi, tuam & suspsius voluntatem, atque consilium fore nuntiavit. De quorum vita & conversatione cum interrogantes, alia omnia, præterquam quod de concubinis nati erant, bona satis & honesta accepimus. Et quia veneranda canones ad sacerdotii gradum tales provehi contradicunt, probare eos non satis cautum fore putavimus, ne quidquam à nobis contrarium sanctis Patribus, in exemplum & auctoritatem relinquatur. Solet enim sancta & Apostolica Sedes pleraque considerata ratione tolerare; sed nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonicæ traditionis discedere.* Sic præclaram exponit rationem Gregorius, cur sacros sibi canones servandos esse, nec Babenbergensis Episcopi ordinationem sedi suæ vindicandam esse, luculenter confirmat.

Hic prætermittere nec possum, nec debeo, quod Monachus Antissiodorensis in Chronologia narrat ad annum MLXXXII. quo Gregorius VII. legatum habebat in Gallia Hugonem Diensem Episcopum. *Defuncto*, inquit ille Monachus, *Meldensi Episcopo, venerabilis Hugo Diensis Episcopus, & Apostolicæ Sedis legatus, apud eandem urbem Concilium habuit, & Robertum Ecclesiæ Resbacensis Abbatem Episcopum ordinavit. Quod Richerius Senonensis Archie-* 321
piscopus sine assensu suo & præsentia indignans fieri, eundem Robertum excommunicavit, aliumque postea in ejus loco Episcopum ordinavit. Richerio tacitus consensit Pontifex, quia legatus Nicænos canones, & Sedis Apostolicæ decreta ex iisdem canonibus promulgata violaverat.

ARTICULUS XXXIV.

URBANUS II.

In Epistola ad Richerium Senonensem Archiepiscopum: *Quantas pro Gaufredo quondam Episcopo Carnotensis Ecclesia molestias sustinuerit, quanta ad Apostolicam Sedem querela perlata fuerint, dilectionis tua strenuitas recognoscit. Tandem rei novitate diligentius perquisita, largiente Domino, justitiæ satisfecimus, & ab ipso in nostris manibus sine cujuslibet tenore conditionis Episcopatus refutatus est. Tandem ad tuam fraternitatem scripta direximus, rei gestæ ordinem indicantes, & ut suam Carnotensibus ad eligendum & consecrandum Antistitem auxilium contribueres, flagitantes. Nostra itaque fulti licentia Carnotenses venerabilem virum Presbyterum Ivonem canonico ordine in Episcopum elegerunt. Cum autem à te consecrationis gratiam pro more Ecclesiæ petivissent, tua fraternitas ei manum imponere recusavit. Ad nos igitur ipsis venientibus, & consecrationis ejusdem gratiam deposcen-* 322
tibus, nos qui viri religionem jamdudum noveramus, aliàs eligendi licentiam dederamus, petitioni justa deesse nequivimus. Consecratum igitur eum, salva tuæ Ecclesiæ obedientia, remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem postulamus, ut omni litis fomite consopito benignitate eum debita complectaris, & ad Ecclesiæ regimen auxilium tuum ei largiaris. Hic notanda sunt tria. Primum, Urbanum ideo consecrare Ivonem in Episcopum, quod Richerius Metropolitanus eum consecrare sine justa causa recusaverat. Deinde Urbanum protestari nolle se quidquam de præstanda ab Episcopo Carnotensi Metropolitanæ Ecclesiæ obedientia detrahere. Postremo Urbanum rogare Metropolitanum Richerium, ut omnem litis fomitem, quæ inter eum & Carnotensem Episcopum erat, consopiret, & Ivoni auxilium ad Ecclesiæ regimen largiretur. Quæ omnia Metropolitani auctoritatem asserunt & confirmant.

ARTICULUS XXXV.

PASCHALIS II.

In Epistola 12. ad Daimbertum Senonensem Archiepiscopum: *Venit ad nos cum tuo seu suffraganeorum tuorum testimonio, Parisiensis Ecclesiæ electus, per nuncios & per literas ejusdem Ecclesiæ preces afferens, ut à nobis Dei gratia deberet in Episcopum consecrari. Nos personæ gravitatem videntes, morum maturitatem attendentes, infirmitati diutinæ compatientes, Ec-* 323
clesiæ preces duximus audiendas. Salvo igitur in omnibus Senonensis Ecclesiæ jure & personæ tuæ reverentia, eum nostris tanquam beati Petri manibus, largiente Domino, consecravimus. Ecce tibi egregie asserta Metropolitani Præsulis auctoritas! Nam quamvis necesse non esset verba hæc, *Salvo Senonensis Ecclesiæ jure, salva Metropolitani reverentia*, addere, quia Metropolitanus & comprovinciales Episcopi consenserant,

Addenda

Addenda tamen esse censuit, ne Romanus, opinor, Pontifex id aliquo modo sibi tribuere videretur, quod sacris canonibus repugnaret.

Deinde in Epistola VIII. ad clerum & populum Babenbergensem: *Quanto affectionis debito Babenbergensis Ecclesia ab ipso suæ institutionis primordio Sedi Apostolicæ constringatur, etsi nos lateret, literarum vestrarum significatio manifestat: Quod affectionis debitum venerabilis frater Otto vestræ Ecclesiæ electus constanter tenuisse, ac tenere cognoscitur, cum per tot & tanta pericula ad Apostolicæ Sedis visitationem procurrerit. Nos igitur cum debita benignitatis affectione suscepimus, & juxta vestræ dilectionis desiderium, nostris tanquam beati Petri manibus, salvo Metropolitani jure, vobis per Dei gratiam, Præsulem ordinavimus.* Salvo, inquit, *Metropolitani jure*, ut Pontifex significet, se esse custodem canonum, non derogatorem.

Præterea cur factum suum tot rationum momentis
324 præmuniret, nisi ut certa quædam daretur excusatio, & Moguntino Metropolitano conquerendi causa omnis adimeretur?

Sed rem absolvit in Epistola XXIX. ad Balduinum Hierosolymorum Regem: *Unaquæque provincia justitia sua limitibus perfruatur. Nec enim possumus manifeste sanctis Patrum nostrorum canonibus obviare, nec omnino volumus, aut pro Principum potentia Ecclesiasticam minuere dignitatem, aut pro Ecclesiastica dignitate Principum potentiam mutilari, ne apud nos occasione alterutra pax turbetur Ecclesiæ.* Quot commata tot sententiæ, quibus quod supra explicatum est, valde confirmatur.

ARTICULUS XXXVI.

INNOCENTIUS II.

In Epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum ita scribit, ut non possit non confirmare Metropolitanorum jura, cum ne ab Episcopis sacri violentur canones, severe prohibet. *Statuta*, inquit, *Sedis Apostolicæ, & canonum veneranda decreta nulli Sacerdotum Domini ignorare liberum est. Sacerdotis enim est legem scire, & ad interrogationem respondere de lege: Quod si legem ignorat, ipse se arguit indebite honorem sacerdotii occupare; sed & ignorantia canonum Episcopum non excusat. Cæterum Episcopus qui scienter canones violat, à sanctis Patribus judicatur, & à sancto Spiritu, cujus instinctu ac dono sunt conditi,*
325 *condemnatur: Quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem canones aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus consentiunt.* Hæc in historia Senonensium Archiepiscoporum, quæ ad relatos initio canones facile transferuntur. Hic Pontifex illuc quoque spectat in Epistola VII. ad Radulfum Alexandriæ Patriarcham: *Sanctorum Patrum institutionibus continetur, ut unusquisque suis terminis contentus existat, nec in aliena jura irrepat. Ea etiam quæ nobis fieri nolumus, tam divinis quam humanis legibus proximis nostris facere prohibemur.* Et sane in aliena jura irrepit, qui Metropolitanorum jura perturbat.

ARTICULUS XXXVII.

EUGENIUS III.

In Epistola ad Moysem Ravennatem Archiepiscopum: *Eugenius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Moysi Ravennati Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii nostri Placentini canonici, obeunte venerabili fratri nostro Arduino bonæ memoriæ Episcopo, dilectum filium nostrum Abbatem de Columba, in patrem sibi & Episcopum elegerunt; & ut ipsa electio firmitatem auctoritatis nostræ munimine sortiretur, cum essemus Altissiodori, per nuncios suos humiliter postularunt. Nos vero Ravennati Ecclesiæ, tanquam speciali filiæ nostræ suam justitiam* 326
conservare volentes, eorum petitionis tunc non duximus admittendas. Postmodum vero iidem filii nostri apud Treverim nostro se conspectui præsentantes idipsum instantius à nobis petierunt, asserentes possessiones episcopatus, & bona, nisi firmaretur electio, & devastari nimium & consumi, & nullam esse personam, quæ sibi super hoc, & Ravennati Ecclesiæ responderet, cum multas rationes dicerent se habere, pro quibus Placentini electi à Ravennate Archiepiscopo consecrationem suscipere non debebant. Nos itaque necessitatibus Placentinæ Ecclesiæ paterna caritatis debito prospicere cupientes, electionem ipsam in omnibus, salvo jure Ravennatis Ecclesiæ, confirmavimus, & ipsi Ecclesiæ Placentinæ per Apostolica scripta mandavimus, ut proxime præterita sancti Lucæ festivitate, nostro se conspectui præsentaret, tibi reddere, & quæ justitia dictaret, exequi præparata. Cum autem apud Papiam pervenimus, præsentibus dilecto filio nostro & clericis Placentinis, tu frater Archiepiscope, humiliter postulasti, ut instrumenta & rationes Ravennatis Ecclesiæ attentius audiremus, & ipsi canonicum finem imponeremus. Nos vero eas usque ad terminum utrique parti præfixum audire distulimus, & tam tibi, quam alteri parti dedimus in mandatis, ut memorato termino, omni seposita occasione, ad nostram præsentiam veniretis. Cum igitur præfixo termino, idem electus per se, aut per responsales, qui sufficienter rationem ostenderent, ad nostram venire præsentiam contempsisset, privilegiis prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Gelasii, Calli- 327
sti, Honorii & Innocentii Romanorum Pontificum, & scriptis eorum, & nostris diligenter inspectis, in quibus continebantur præcepta, ut memoratus frater noster bonæ memoriæ Arduinus Episcopus Ravennati Archiepiscopo, tanquam Metropolitano suo humiliter obediret, communicato fratrum nostrorum consilio, judicavimus, ut Placentinus electus & illi, qui ei succedent, à te, frater Archiepiscope, & à successoribus tuis, tanquam à suis Metropolitanis consecrationem sine contradictione suscipiant, & eis de cætero subjectionem, obedientiam & reverentiam exhibeant, salva in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate. Si quis autem nostræ definitionis paginam sciens contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione condigna emendaverit, clericus Ecclesiastico beneficio; laicus vero Christiana communione privetur. Fac mecum, Domine, signum in bonum.

Ego Eugenius catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Chonradus Sabinensis Episcopus. Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tit. SS. Joannis & Pauli. Ego Gilbertus indignus Sacerdos tit. S. Marci. Ego Guido Presbyter Cardinalis tit. SS. Laurentii & Damasi. Ego Julius Presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli. Ego Guido Presbyter Cardinalis tit. Pastoris. Ego Octavianus Diaconus Cardinalis tit. S. Nicolai in carcere Tulliano. Ego Gregorius Diaconus S. Angeli. Ego Joannes Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ Novæ. Ego Hyacinthus Dia- 328
conus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin. Datum Pisis per manum Guidonis Cardinalis & Cancellarii, III. Idus Novemb. Indict. XII, Incarnationis Dominicæ anno MCXLIX. Pontificatus vero Domini Eugenii Papæ III. anno IV. Hæc Hieronymus Rubeus in libro V. historiæ Ravennatis Ecclesiæ. Difficile est invenire pontificium diploma ullum in quo jura Metropolitica magis confirmentur. Pontifex etiam in necessitate, cui sacri canones cedunt, formulam hanc: *Salvo jure Ravennatis Ecclesiæ*, adhibet. Quis hoc non miretur? Mirari desinet, qui Eugenium in Epistola XII. ad Episcopos Germaniæ scribentem, *contra Deum & sacrorum canonum sanctiones, nulli omnino petitioni possumus præbere consensum*, leget & attente considerabit.

ARTI-

ARTICULUS XXXVIII.

ANASTASIUS IV.

In diplomate, quo Lateranensium canonicorum Regularium statum confirmat, non potest quoque non confirmare Metropolitanorum jura, cum ita scribit: *Æquum ergo est ac rationabile, ut suus unicuique honor Ecclesiæ ac dignitas conservetur, & sicut in humani corporis compage, naturalis ratio singulis quibusque membris ad salutem providens, speciales & proprios actus edocet; nobilioribus vero suam dignitatem conservat: Ita in corpore Ecclesiæ Apostolica* 329 *providentia secundum sacrorum institutiones canonum universas regit Ecclesias; Digniores autem & famosiores in sui status prærogativa custodit.* Hæc est naturalis, ac proinde efficacissima comparatio, qua sua Metropolitanis Ecclesiis dignitas asseritur & conservatur.

ARTICULUS XXXIX.

HADRIANUS IV.

Rem nostram paucis exequitur, cum Apostolicæ dignitatis suæ officium exponit in Epistola ad Henricum Gradensem Patriarcham: *Apostolica officium dignitatis credita nobis, & dispensationis debitum utiliter exequi comprobamur, cum collatam unicuique Ecclesiæ* (ac proinde Metropolitanæ) *dignitatem provida sollicitudine custodimus, & singulis Ecclesiis* (ac proinde Metropolitanis) *jura sua illibata studemus & integra custodire.*

ARTICULUS XL.

ALEXANDER III.

In Epistola ad Remensem Archiepiscopum: *Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii Decanus & Capitulum Ambianense transmissa nobis conquestione monstraverunt, quod venerabili fratre* 330 *nostro Ambianensi Episcopo pro consecrationis munere obtinendo ad tuam præsentiam accedente, tu ab ipso juramentum præter formam canonicam, quam cæteri suffraganei Metropolitanis suis consueverunt præstare, pro tuo voluntatis arbitrio exegisti: Propter quod idem Decanus & Capitulum duxerunt ad nostram providentiam recurrendum. Quia vero non decet aliter te fecisse, quod ab alio tibi fieri non vis, fraternitati tua per Apostolica scripta mandamus, quatenus contentus forma canonica, quam nos à Coepiscopis nostris immediate subjectis recipimus, nihil amplius obtentu alicujus consuetudinis ab Episcopo ipso exigas, prætextu præstito juramenti, sciens nos eundem Episcopum ab hujusmodi juramento quoad alios articulos absolvisse, vel denunciasse potius non teneri. Datum Anagniæ Idibus Januarii pontificatus nostri anno* VI. Diploma istud extat in Chartulario Ambianensis Episcopi, ubi Pontifex Metropolitani quædam Antistitis jura confirmat. Sed quæ Metropolitanus juramento præstari solito superaddiderat, aut superaddere voluerat, rescindit.

ARTICULUS XLI.

LUCIUS III.

In libro 1. Decretalium tit. XI. de temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum cap. VI. ad Turonensem Archiepiscopum: *Si Archiepiscopus obierit, & alter fuerit ordinandus, omnes Episcopi ejusdem* 331 *provinciæ ad Sedem Metropolitanam conveniant, ut ab omnibus ordinetur. Reliqui vero comprovinciales Episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus, à tribus jussu Archiepiscopi poterunt ordinari; sed melius est, si ipse cum omnibus eum, qui dignus est, elegerit, & cuncti pariter Pontificem consecraverint.* Tum cap VII. *Ne Episcopi sine Metropolitani permissu, nec Metropolitanus sine tribus aut duobus Episcopis comprovincialibus præsumat Episcopum ordinare, ita ut alii Episcopi comprovinciales admoneantur Epistolis, ut se suo responso significent consensisse. Quod si inter partes aliqua dubitatio fuerit, majori numero Metropolitanus consentiat.* Hæc ex Arelatensi Concilio decerpta indicantur, atque ita Lucius decretum suum ex sacris canonibus edicit.

Postremo in Epistola ad Gerardum Ravennatem Archiepiscopum: *Lucius Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Gerardo Ravennati Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Dignum est & consonum rationi, ut cum ad tuæ fraternitatis instantiam Bononiensi, & Mutinensi Ecclesiis impenderimus dedicationis munus, nunquam ex hoc adversus tuam Ecclesiam, cui tanquam Metropoli sunt subjectæ, & aliquantam vindicare valeant libertatem. Nos itaque providere volentes, ne de facto nostro contra te, vel successores tuos, injuriæ ac scandali materia oriatur, auctoritate Apostolica constituimus, nullum ex hoc tibi, vel successoribus tuis præjudicium in posterum generetur; sed* 332 *semper jam dictæ Ecclesiæ, sicut ante dedicationem, quam eis impendimus, erant in tua & successorum tuorum obedientia & subjectione, sine contradictione consistant. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Veronæ* II. *Nonas Septembris.* Hæc apud Hieronymum Rubeum in historiæ Ravennatis libro VI. quibus luculenter apparet Lucium voluisse Metropolitanorum jura sarta & tecta ab omni detrimento, quinetiam à detrimenti cujuslibet suspicione conservare. Ravennas Episcopus Lucium precatur, ut Mutinensem & Bononiensem Ecclesias consecret. Lucius consecrat. Quo pacto Ravennati Ecclesiæ, quæ Metropolis est, nocumentum adferri nullum potuit; & tamen ne ex facto hujusmodi nocumentum adferretur in posterum, diplomate suo prospexit.

ARTICULUS XLII.

INNOCENTIUS III.

In Epistola ad Trecense Capitulum, quæ refertur in Promptuario Trecassinarum antiquitatum: *Joannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Trecensi Capitulo salutem & Apostolicam benedictionem. Exa-* 333 *minatis studiis eligentium, & meritis electorum super duabus electionibus in vestra Ecclesia celebratis, utramque cassavimus secundum canonicas sanctiones. Consequenter autem injunximus canonicis vestris, qui à vobis acceperant potestatem, ut si contingeret utramque electionem de jure cassari, personam idoneam juxta consilium nostrum eligerent in Pastorem, ut de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, idoneas nobis nominarent personas, ex quibus illam, quam nos magis idoneam crederemus, secundum consilium nostrum eligerent in Episcopum, & factum est ita. Nam quibusdam personis idoneis nominatis, dilectum filium M. Herveum, virum utique vita, scientia & forma præclarum secundum consilium nostrum concorditer in Pontificem elegerunt, & nos electionem ipsius auctoritate curavimus Apostolica confirmare. Quocirca devotioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eidem electo reverentiam & obedientiam impendatis tam debitam, quam devotam, præsentatos tum venerabili fratri*

nostro

nostro Archiepiscopo Senonensi, ut ipsum quamtocius ordinare satagat in Presbyterum, & in Episcopum consecrare. Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Calend. Martii, Pontificatus nostri anno ix. Sic Pontifex Nicænum canonem exequitur, cum Trecensem electum Senonensi Archiepiscopo ordinandum & consecrandum in Presbyterum & Episcopum remittit.

Deinde in Epistola ad Ubaldum, qui cum esset
334 Faventinus Episcopus, ab iis, quorum intererat, in Ravennatem optatus fuerat Archiepiscopum: *Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri V. Episcopo.* Et paulo post: *Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad Ecclesiam Ravennatem accedens, circa regimen ejus insistere studeas salubriter & prudenter. Nos igitur suffraganeis ejusdem Ecclesiæ, clero ac populo Ravennati per nostras damus literas in mandatis, ut tibi tanquam pastori suo exhibeant reverentiam debitam & honorem. Datum Laterani Calend Junii, Pontificatus nostri anno xi.*

Tum demum in libri III. Regesti xv, ad Willelmum Philippensem Archiepiscopum: *Episcopatus quoque inferius nominandos Ecclesiæ tuæ Metropolitico jure subjectos sibi, tuisque successoribus, nihilominus confirmamus.* Pontifex utrobique decessorum traditionem sequitur, & sacros canones observat, & cur observet, in libri II. Epistola ad Cantuariensem Archiepiscopum scribit: *Quæ in derogationem sanctorum canonum attentantur, tanto potius infringi volumus, & carere robore firmitatis, quanto auctoritas universalis Ecclesiæ, cui præsidemus, ad id nos provocat & inducit.*

ARTICULUS XLIII.

HONORIUS III.

In compilationis v. titulo xvi. de officio & po-
335 testate judicis ordinarii capite III. ad Episcopum Salciensem: *Non videtur Metropolitano licere, ut suffraganei sui jura minuat vel immutet, nisi super eo antiqua & approbata consuetudine, vel speciali privilegio muniatur. Unde reputari potest indignum, ut in die cœnæ Domini, quo deberent in Ecclesiis suis Episcopi chrisma conficere, lavare juxta exemplum Domini pedes pauperum, & reconciliare publice pœnitentes, ad Metropolitanam Ecclesiam, quæ per quadraginta milliaria & amplius à te distat, chrisma ibidem cum Metropolitano tuo confecturus accedas. Quanquam idem Metropolitanus tam in sua, quam in aliis Metropolitico jure sibi subjectis Ecclesiis non ex speciali privilegio, vel antiqua & approbata consuetudine, sed ex usurpatione hoc obtinuisse hactenus videtur. Hoc itaque olim in tua consecratione attendens, quod huic gravamini occurrens fuisti publice protestatus. Volentes igitur, venerabilis in Christo frater, tuo super gravamine providere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ad hoc, nisi speciale privilegium exigas, vel antiqua & approbata consuetudo requirat, per usurpationem hujusmodi nullatenus tenearis.* Sic Metropolitani jura defendit, quibus nihil, nisi speciale privilegium, vel antiqua & approbata consuetudo potest opponi.

336

ARTICULUS XLIV.

GREGORIUS IX.

De majoritate & obedientia cap. XIII. *Dilecti filii Archidiaconus & Capitulum, Castellanum suum ad nos querimoniam detulerunt, quod cum à Castellano Episcopo exigeres juramentum præter formam canonicam, quam cæteri suffraganei Metropolitano suo consuevere præstare, iidem conspicientes, ex hoc Ecclesiæ suæ præjudicium generari, ad Sedem Apostolicam appellarunt.* Infra: *Cum igitur non deceat alii te fecisse, quod ab aliis tibi nolles fieri, mandamus, quatenus contentus forma canonica quam nos à Coepiscopis nostris, nobis immediate subjectis, recipimus, nihil amplius à Castellano Episcopo obtentu alicujus consuetudinis exigas, prætextu præstiti juramento, scituri nos eundem Episcopum ab hujusmodi juramento quoad alios articulos absolvisse, vel denunciare potius non teneri.* Hic consideranda sunt tria. Unum, Gregorium Metropolitani jura asserere, eaque sarta & integra conservare. Alterum, eundem supervenientes his juribus abusus emendare. Tertium denique, eundem seipsum in exemplum proponere, quo Metropolitani jura secundum formam canonicam exerceantur. Adjungo, quæ idem Pontifex in constitutione anno MCCXXXIV. edita sapienter omnino & apposite docet. *Rex*, inquit, *excelsus summi Regis, Deus & homo* CHRISTUS JESUS, 337
quem legi necessitas non subjecit, factus est voluntate sub lege, formam relinquens vicario, ut licet præ cæteris libertatem in excellentia dignitatis acceperit, recognoscat tamen cum cæteris quamdam in officii debito servitutem sacrarum observantia sanctionum: Gratuito alligans utramque necessitatem voluntariam, & necessariam voluntatem, ut dum prælationes se subjicit, major appareat ex hujusmodi subjectione prælatus. Auctoritatis est posse statuere; sed virtutis, ut quis se subjiciat suo statuto: Per alterum potens in subditis; per alterum potentior in seipso. Qui Pontifex sic loquitur, & sincere loquitur, ut Gregorius IX. non dubitabit asserere canones, quibus Metropolitanorum jura sanciuntur; tis nunquam, nisi per subreptionem, derogaturus est in perpetuum.

ARTICULUS XLV.

INNOCENTIUS IV.

In Epistola ad Bononiensem Episcopum: *Innocentius Papa, servus servorum Dei, venerabili fratri Bononiensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Venerabilis fratris nostri .·.·· Archiepiscopi Ravennatensis precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ei, cujus suffraganeus esse dignosceris, exhibeas fidelitatis solita juramentum, non obstante quod illud nobis recepto de manibus nostris consecrationis mu-* 338
nere præbuisti. Datum Lugduni Idibus Decembris, Pontificatus nostri anno IV. Apud Hieronymum Rubeum in libro VI. historiæ Ravennatis Ecclesiæ. Innocentium Nicæno canoni derogare noluisse credendum est. I. Quia hac in Epistola derogare se Nicæno canoni voluisse non dicit. II. Quia statuit ut Bononiensis Episcopus à se consecratus fidelitatis juramentum idem præstet Ravennati Archiepiscopo, quod præstitisset, si ab eo consecrationis munus accepisset. III. Innocentius relato supra Lucii III. exemplo sciens & prudens non contraivisset. IV. Duobus in locis canonum executorem, non derogatorem se præbet. Unus est in Epistola decretali ad Narbonensem Archiepiscopum: *Religiosi, cujuscumque sint ordinis, ne in aliorum præjudicium parochianos præfatos ad hujusmodi sacramenta recipiant, nec confessiones audiant eorundem, nisi petita prius & obtenta licentia à Sacerdote proprio, juxta statuta Concilii generalis.* Alter est in alia simili Epistola ad universos Religiosos: *Parochianos sine Sacerdotis sui licentia ad pœnitentiam nullatenus admittatis, cum si quis alieno sacerdoti justa de causa voluerit confiteri peccata, secundum statuta generalis Concilii licentiam prius postulare & obtinere debeat à proprio Sacerdote.* Prior Epistola data est anno XI. posterior anno XII. pontificatus Innocentii III. Cum ille canonem [*Omnis utriusque sexus,*] ita exequitur, fixos à generalibus Conciliis Metropolitanorum terminos nusquam refiget.

ARTI-

339 *A R T I C V L V S XLVI.*

EUGENIUS cum Florentina Synodo.

In decreto nnionis Græcorum, ubi dicitur: *Item definimus . . . Romano Pontifici in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro* JESU CHRISTO *plenam potestatem traditam esse, quemadmodum & in gestis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris canonibus continetur:* Καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται; *juxta eum modum, qui & in gestis Conciliorum œcumenicorum, & in sacris canonibus continetur: Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem; tertius vero Alexandrinus; quartus autem Antiochenus; & quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus & juribus eorum.* Cum ad alia multa, tum maxime ad Metropolitanorum dignitatem & jura sacri canones, quorum hic fit mentio, Nicæni, Antiocheni, Ephesini, & Calchedonenses pertinent. Quamobrem unionis decreto huic turpissime prævaricari censendus esset, qui contra illud vel ageret, vel sentiret. Deinde cum Eugenius & Florentina synodus sacros instaurant canones, quibus Patriarcharum dignitas & jura omnia
340 sanciuntur, id omnino faciunt, quod ad Metropolitanorum dignitatem & jura omnia sine ullo negotio transfertur. Nam iisdem & Conciliis & canonibus, vel aliis auctoritate pari conditis Metropolitanorum dignitas & jura omnia confirmantur. Sic igitur tam Patriarcharum quam Metropolitanorum jura confirmata servari debent: Alioqui tota decreti Eugenii, & Florentinæ synodi non modo nutaret auctoritas; sed etiam certissimo casui exponeretur, & continuo turbaretur pax Ecclesiæ, quam, ut Gregorius I. & Leo I. asserunt, in observatione sacrorum canonum consistit. Porro autem decretum unionis Græcorum, cum duabus particulis, &, &, καὶ, καὶ, quibus decreti sensus restringitur, referunt Blondus in libro x. decadis III. Marcus Vigerius Card. in decachordo, chorda x. Joannes Ekius in libri II. de primatu Petri capite I. Joannes Roffensis in art. XXV. contra Lutheranas assertiones, Albertus Pighius in libri IV. de Hierarchia cap. XIV.

A R T I C V L V S XLVII.

CLEMENS IX.

In diplomate, quo Alectensis Ecclesiæ Ritualem librum proscribere voluit: *Credita nobis*, inquit, *divinitus omnium Ecclesiarum sollicitudinis ratio exigit, ut Ecclesiasticæ disciplinæ, cujus custodes à Domino constituti sumus, ubique conservandæ jugiter incumbentes,*
341 *omni cura atque vigilantia præcavere studeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut à præscriptis ritibus aberrare, & via erroribus aperiri possit.* At si Pontifex Ecclesiasticæ disciplinæ, ad quam Metropolitanorum jura facile revocari possunt, custos à Domino constitutus est, hæc jura semper illæsa conservabuntur; alioqui Pontifex adversus custodis officium gravissime peccaret. Alia est custodis aut sequestris ratio; alia illius, qui custodem aut sequestrem instituit: Et tunc potissimum, cum qui depositor est, seu qui custodem & sequestrem instituit, est rerum omnium præpotens dominus. Id Clemens jamdudum è schola beati Petri politus, & ad omnem Romanæ Ecclesiæ traditionem eruditus, probe noverat, cum se Ecclesiasticæ disciplinæ custodem à Domino constitutum perspicue, & sine ulla verborum ambiguitate pronuntiavit.

Hæc est Apostolicæ Sedis circa Metropolitanorum jura traditio, cujus lineam Pontifices quadraginta septem, à tempore Nicæni Concilii ad nostram ætatem, fideliter duxerunt. Hi omnes in unum coacti id celebrarent Concilium, quo nullum unquam fuit augustius, non modo si spectetur Pontificum dignitas; sed etiam si spectetur Pontificum sanctitas, doctrina, & ad defendendam veritatem constantia atque animi magnitudo.

His autem Pontificibus numero XLVII. jungendi sunt ii omnes, qui etiamsi de Metropolitanorum dignitate nihil scripto tradiderint; descriptam tamen
articulo XIX. fidei professionem ediderunt, & in 342
Concilium Nicænum, Ephesinum, & Calchedonensem, & in veram & sinceram canonum illorum observationem jurarunt. Verum enim vero quidquid id est, re in compendium missa, Romani Pontifices quinque, qui diversis floruerunt temporibus, repræsentant, & Sedem Apostolicam in Metropoliticæ dignitatis assertionem constanter oppignerant.

Primus est Julius I. in Epistola ad Orientales, quæ apud Athanasium refertur. *Morem*, inquit, *qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est paucis abrogari.* Et post aliquanta: *Nos scilicet discordiam induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundum canonem facimus? An qui contentiose violato canone trecentorum duo decreta prævaricantur, & per omnia Synodum contemptui habent?* Dum Julius ita scribit, non suam tantum, sed & Sedis suæ, & vicinorum Antistitum sententiam scribit, ut ipse profitetur his verbis: *Tametsi solus sim qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi.* Et paullo post: *Etsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo.* Hoc est igitur primæ sedis oraculum, quod anno circiter CCCXLII. fudit Julius I.

Alter Leo I. in Epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum capite IV. *Quod*, inquit, *ab Nicænorum
Patrum regulis, constitutionique discordat, Apostolica Se-* 343
dis nunquam obtinebit consensum. En notanda aureis characteribus professio: Quod alterum est, sed idem primæ sedis oraculum, quod anno circiter CCCCLII. Romæ fudit Leo Maximus.

Tertius, Gelasius I. in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ: *Quibus*, inquit, *ex paterna traditione perpensis, confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutam, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem præ cæteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque Synodum auctoritate sua confirmat, & continuata moderatione custodit: Pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.* Sic prima sedes præ cæteris sedibus universalium Conciliorum canones exequi debet, & debito huic principatus adscribitur, quem beatus Petrus Domini voce percepit. Facundus Hermianensis Episcopus, Gelasii suppar, illius verba in libri II. pro defensione trium capitulorum capite VI. Intelligit hoc modo: *Ille* (Vigilius Papa) *non in destructionem paternæ sententiæ, sed in defensionem atque ultionem primam accepit & maximam potestatem.* Hoc est igitur tertium; sed tamen idem primæ sedis oraculum, quod anno circiter CCCCXCVI. Romæ fudit Gelasius I.

Quartus, Zacharias in Epistolæ I. ad Bonifacium
Archiepiscopum capite V. *Nec enim ab hac sede illa* 344
diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive canonum institutis inveniuntur. Atque hoc si bene intelligatur, admirationem habet maximam. Zacharias ratione hac decessori suo datam ab eo (ut putabatur in Germania) contrahendi in gradibus illicitis matrimonii licentiam abjudicat, & in falsum subscribit; tantum abest ut subreptionem objiciat. Hoc est igitur quartum, sed idem

idem primæ ſedis oraculum, quod anno circiter DCCLIII. Romæ fudit Zacharias.

Quintus, Gregorius VII. in libri II. epiſtola I. ad Sanctium Aragoniæ Regem : *Solet ſancta & Apoſtolica Sedes pleraque conſiderata ratione tolerare ; ſed nunquam in ſuis decretis & conſtitutionibus à concordia canonicæ traditionis diſcedere :* Et hæc eſt ratio, cur regiæ petitioni aſſenſum præbere noluit, quia ſacris in ea canonibus derogandum erat. Hoc eſt igitur quintum ſed idem primæ ſedis oraculum, quod anno circiter MLXXV. Romæ fudit Gregorius VII.

His porro ita per Romanæ Eccleſiæ traditionem conſtitutis, niſi Metropolitanorum dignitas in tuto apud Sedem Apoſtolicam collocetur, nihil unquam, me vide, in tuto collocabitur.

Non me latet, dici conſueſſe ea quæ ſunt Eccleſiaſticæ diſciplinæ, mutari poſſe ; ſed ab iis qui ad pauca reſpiciunt, dici ſæpius ; ab iis qui ad multa, rarius. Quidquid in cauſa dictum, hoc non movit plures Ro-
345 manos Pontifices, qui Sedi Apoſtolicæ per varias ætates præfuerunt.

I. Non movit Clementem IX. qui, ut in articulo XLVI. vidimus, *cuſtodem ſe Eccleſiaſticæ diſciplinæ à Domino conſtitutum* eſſe prorſus affirmat. Nam ſi moviſſet, quod tam cupide affirmat, non affirmaſſet.

II. Non movit Paſchalem II. cum in epiſtola II. ad Daimbertum Senonenſem Archiepiſcopum ſcriberet : *Non enim volumus, ut privilegiorum obtentu Eccleſia quælibet præjudicium patiatur.*

III. Non movit Gregorium VII. cum in libri II. epiſtola L. ad Sanctium Aragoniæ Regem ſcriberet : *Quia venerandi canones ad ſacerdotii gradum tales* (de concubinis natos) *provehi contradicunt, probare eos non ſatis cautum fore putavimus, ne quidquam à nobis contrarium ſanctis Patribus in exemplum & auctoritatem poſteris relinquatur.*

IV. Non movit Leonem III. qui à Caroli Magni legatis rogatus, ut particulam (*Filioque*) Symbolo adderet, addere noluit : Etiamſi plures jam Eccleſiæ addidiſſent. *Tu & tui videte quid de vobis ſentiatis. Nam & ego me illis* (Conſtantinopolitanis Patribus) *non dico præferam ; ſed etiam illud abſit ut coæquare præſumam.* Et quidem quod Spiritus ſanctus à Filio ut à Patre procedat, res eſt fidei ; ſed illud Symbolo Conſtantinopolitani Concilii addere, diſciplinæ res erat. Sed nihilominus addere noluit, ne ſe Concilio præferre aut coæquare videretur.

346 V. Non movit Gregorium I. alioquin in libri III. epiſtola XXX. ad Conſtantinam Auguſtam minime ſcripſiſſet, quod ita ſcripſit : *Serenitas veſtra pietatis religionis ſtudio, & ſanctitatis amore conſpicua propter eam, quæ in honorem ſancti Pauli Apoſtoli in palatio ædificatur, Eccleſiam, caput ejuſdem ſancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipſius, ſuis ad ſe juſſionibus à me præcepit debere tranſmitti. Et dum illa mihi deſiderarem imperari, de quibus faciliimam obedientiam exhibens, veſtram erga me amplius potuiſſem gratiam provocare, major me mæſtitia tenuit, quod illa præcipitis quæ facere nec poſſum, nec audeo.* Et tamen quæ petebat Auguſta, ſpectabant ad Eccleſiæ diſciplinam.

VI. Non movit Agapetum I. cum in epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum ſcripſit : *In nullo contra priſca definitionis conſtituta, vel regulas pro quolibet occaſione ſub cujuſcunque perſonæ reſpectu venire præſumimus. Nec tenacitatis ſtudio, aut ſæcularis utilitatis cauſa hoc facere nos credatis ; ſed divini conſiderationæ judicii neceſſe nobis eſt, quidquid ſynodalis decreverit auctoritas, inviolabiliter cuſtodire.* Res erat diſciplinæ.

VII. Non movit Leonem I. alioquin in epiſtolæ LIII. ad Anatolium, capite LIV. minime ſcripſiſſet quod ita ſcripſit : *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in urbe Nicæna, ſacrilego Ario cum ſua impietate damnato, manſuras uſque in finem mundi leges Eccleſiaſti-*
corum canonum condiderunt, & apud nos & in toto orbe 347
terrarum in ſuis conſtitutionibus vivunt ; & ſi quid uſquam aliter quam illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur, ut quæ ad perpetuam utilitatem generaliter inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa.

Sic Leo I. Agapetus I. Gregorius I. Leo III. Gregorius VII. Paſchalis II. Clemens IX. impediunt, aut certe impedire debent, quominus dicto hujuſmodi promiſcue, & ſine ullo rerum & perſonarum delectu utantur.

Bonifacius VIII. utendi modum præſcribit Extra de ſent. excomm. *Alma,* inquit, *mater Eccleſia nonnulla rationabiliter ordinat & conſulte, quæ ſuadente ſubditorum utilitate poſtmodum revocat, & in melius commutat.*

Bonifacio Innocentius III. & Clemens IV. hac in re præiverunt. Ille in libri I. epiſtola ad Collocenſem Epiſcopum. Hic in conſtitutione, qua certa quædam privilegia privatis perſonis conceſſa reſtringit.

Bonifacium ſecuti ſunt Clemens V. in epiſtola ad Nicoſienſem Archiepiſcopum, Joannes XXII. in Extravaganti *Ad conditorem :* Martinus V. in conſtitutione, qua quid Rotæ auditores facere debeant, præſcribit : Eugenius IV. in Reſcripto ad Veronenſem Eccleſiam : Caliiſtus III. in Reſcripto ad Turonenſem Archiepiſcopum : Sixtus IV. in conſtitutione quam Bzovius refert in annalibus Eccleſiaſticis : Innocentius VIII. In conſtitutione de jure
patronatus : Clemens VII. in conſtitutione qua con- 348
gregationem Fratrum Minorum obſervantiæ ſtrictioris approbat : Pius V. in conſtitutione qua vetat, ne Mendicantes prius quam examinentur ab Epiſcopis, confeſſiones pœnitentium excipiant : Sixtus V. in conſtitutione qua domeſtici ſecretarii munus reformat : Gregorius XV. in conſtitutione quam anno MDCXXII. III. Calend. Auguſti edidit. Pontifices XIV. unum & idem, niſi verbis iiſdem, eodem certe ſenſu enunciant.

Hoc ergo temperamentum, ſeu diſciplinæ Eccleſiaſticæ compoſitio, de qua Innocentius III. Clemens IV. Bonifacius VIII. Clemens V. Joannes XXII. Martinus V. Eugenius IV. Calliſtus III. Sixtus IV. Innocentius VIII. Clemens VII. Pius V. Sixtus V. & Gregorius XV. ſermonem ſuis in conſtitutionibus faciunt ; non nova, ſed antiqua res eſt. De ea ſiquidem Tertullianus in libri de velandis Virginibus capite I. generatim ſic loquitur : *Hac lege fidei manente* (quam ante retulerat) *cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente uſque in finem gratia Dei.* Sed tamen quidquid id eſt, ſingulari quadam explicatione indiget, ut ſuis abſolutum numeris intelligatur.

Et primo quidem apud Tertullianum & Romanos Pontifices illos XIV. ſermo eſt de nonnullis, non de omnibus, quæ alma mater Eccleſia rationabiliter ordinat & conſulte. Quod & verbis inſequentibus mani- 349
feſte confirmatur, ubi quæ revocantur, commutanda ſunt in melius. Iſtud prorſus ii diſſimulant, à quibus indiſcriminatim jactatur : Res eſt diſciplinæ, & eam ob cauſam mutationi obnoxia.

Deinde diligenter circumſpectandum eſt, an quæ revocanda, vel mutanda ſumuntur, commutari poſſint in melius. Nam ſi commutari non poſſent in melius, nec revocanda, nec mutanda eſſent. Atque ita quod Eccleſiaſticæ diſciplinæ momentum, ſpectata rei natura, mutari poſſet, ex accidenti mutari non poſſet.

Exemplum ſtatuo. Quæ rationabiliter Eccleſia decernit & conſulte circa doctrinam & mores illorum, qui volunt ad ſacros ordines accedere, revocanda

& mutanda non sunt, quia commutari non possunt in melius: Bonane esset commutationis species, in qua indocti & male morati homines ad sacros ordines accederent? Hic seipsos inspiciant & demirentur, qui de disciplinæ Ecclesiasticæ commutatione verba prius faciunt, quam ad Tertulliani testimonium, & laudatorum Pontificum constitutiones oculos adjecerint. Quodcunque illud est ex memoria pronuntiant, & fortassis quod pronuntiant, ignorant, ut ignorare solent, quos Academia volatica educavit.

Sed modo ad Nicænum canonem IV. & canonis VI. partem ultimam, & ad Sedis Apostolicæ decreta ex eodem canone promulgata, veniendum, & videndum est, utrum quæ ibi disciplina sancitur Ecclesiastica,
350 revocari & commutari possit in melius. Hic rhodus, hic saltus. Nam si revocari potest in melius, quin tandem aliquando revocari queat, dubitaturum opinor neminem. Atque, ut libere dicam quod sentio, difficile prorsus est disciplinam sancire meliorem & convenientiorem, quæ in Nicænæ disciplinæ locum sufficiatur. Et sane fieri qui potest, ut disciplina sanciatur melior & convenientior, quam quæ sancita est per Nicænos canones, quos Sedes Apostolica per beatum Leonem & alios Pontifices, ut Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos prædicat, & in auctoritatem assumit? Occurret aliquis, & Metropolitanorum dignitatem quibusdam in locis detrimenti passam esse nonnihil dicet, & objiciet Hadrianum VI. in commonitorio, quod Francisco Cheregato in Germaniam eunti dedit, hæc dolenter scribentem: *Scimus in hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, excessus in mandatis, abusus in spiritualibus, & omnia demum in perversum mutata.* At ista Romanam Curiam attinent, non Sedem Apostolicam. Curiæ patrocinium non suscipio, cum illa ab Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditione, quam per tot articulos exhibuimus, recedit. Præterea Romani Pontifices variis in Tridentinæ Synodi locis Metropoliticæ jura vindicarunt, & sicubi illatum illis detrimentum fuerat, resarcierunt.

Hactenus igitur confirmata & asserta est per Romanos Pontifices Metropolitanorum Antistitum dignitas, & sic confirmata & asserta, ut confirmari & 351
asseri non possit augustius. Non enim promiscue eduntur Pontifices & proferuntur in lucem; sed ii qui præ cæteris habentur insignes, & omnium sermone prædicantur, Siricius, Innocentius I. Bonifacius I. Celestinus I. Sixtus III. Leo I. Hilarus, Simplicius, Felix III. Gelasius I. Symmachus, Hormisda, Agapetus I. Pelagius I. Gregorius I. Gregorius III. Zacharias, Hadrianus I. Leo III. Eugenius II. Leo IV. Benedictus III. Nicolaus I. Hadrianus II. Joannes VIII. Stephanus VI. Leo IX. Nicolaus II. Gregorius VII. Urbanus II. Paschalis II. Innocentius II. Eugenius III. Anastasius IV. Hadrianus IV. Alexander III. Lucius III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Eugenius IV. Clemens IX. Adjungendi sunt, qui olim recens electi Pontifices relatam articulo XIX. fidei professionem ediderunt.

Vide nunc ac circumspice, Metropolitanorum Præsulum sæculi nostri decus & gloria, quot & quantis post Nicænos, Antiochenos, Ephesinos & Calcedonenses Patres, Romanis Pontificibus, ob assertam dignitatem tuam & illius jura, deditus atque obstrictus tenearis. Benefactorum multitudine obruereris, nisi ejus esses firmitatis & constantiæ, qui pondus infinitum sustineres. Interim colendi sunt omnes memoria beneficii sempiterna: Et tum demum ita culti dicentur, cum decreta Sedis Apostolicæ ex sacris canonibus Nicænis, Antiochenis, Ephesinis, & Calchedonensibus promulgata, diligen- 352
ter à Metropolitanis Episcopis observabuntur. Bene vale, Lutetiæ Parisiorum, Calendas Junii anni MDCLXXIII.

Joannes Launoius

NICOLAO GATINÆO.

353 CUM nuper expenderemus simul varias Ecclesiæ definitiones, quas qui seorsum à nobis per religionem sentiunt, apud Bellarminum in libri IV. de militante Ecclesia capite III. tradiderunt posteriori sæculo; tibi venit in mentem de me res quatuor contari.

Et primum quidem, num certa quædam Ecclesiæ definitio ab Apostolicis usque ducta temporibus ad initium Tridentini Concilii pervenerit.

Deinde, si qua pervenit absque intermissione ulla, num retenta fuerit, & Tridentini Concili tempore, & post Tridentinum Concilium.

Tum, si qua definitio nova, vel interpolata edita fuerit interim à catholicis Doctoribus nonnullis, num è republica Ecclesiastica fuerit, ut ederetur.

Denique, si nova quædam data esset, aut interpolata Ecclesiæ definitio, an retinenda esset, sublata veteri; & quænam, si plures essent, retineretur, & anteferretur cæteris, dummodo id expedire videretur. Hic est status quæstionum quatuor, quibus singillatim & ordine respondendum est, non quod nostris responsionibus tu, cum sis vir doctissimus, indigeas; sed ut initæ inter nos amicitiæ faciam satis.

Igitur quæstioni primæ respondeo, certam quan- 354
dam esse Ecclesiæ corporis Christi definitionem, quæ ab Apostolicis usque ducta temporibus ad initium Tridentini Concilii pervenerit. Sed id non prius explicabo, quam præmiserim certa quædam cum veteris, tum novi Fœderis testimonia, ex quibus formari potuit hæc definitio.

Primum est in Numerorum capite XIX. ver. XX. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ.* Quid est *de medio Ecclesiæ*, nisi de medio cœtus Fidelium?

Alterum in libri I. Regum capite XVII. ver. XLVII. *Noverit universa Ecclesia*, (cœtus nempe Fidelium) *quia non in gladio, nec in hasta salvit Dominus.*

Tertium in libri III. Regum capite VIII. ver. XIV. *Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel: Omnis enim Ecclesia Israel stabit.* Utrobique cœtus fidelium intelligitur.

Quartum

Quartum in libri I. Paralipom. capite XXIX. vers. I. *Locutusque est David Rex ad omnem Ecclesiam*, id est, ad cœtum Fidelium omnium.

Quintum in libri II. Paralipom. capite I. vers. V. *Altare quoque aneum quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini: Quod & requisivit Salomon & omnis Ecclesia*, quæ certe alia non est quam cœtus Fidelium.

355 Sextum in Psalmo XXXIV. vers. XVIII. *Confitebor tibi in Ecclesia magna*, quæ cœtus est sine dubio Fidelium.

Septimum in Psalmo CVI. vers. XXXII. *Exaltent eum in Ecclesia plebis*, in cœtu quippe Fidelium.

Octavum in Psalmo CXLIX. vers. I. *Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia sanctorum*, in cœtu videlicet Fidelium.

Nonum in Matthæi capite XVI. vers. XVIII. *Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, cœtum nempe Fidelium.

Decimum in Actorum capite V. vers. XI. *Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, & sepelierunt ad virum suum, & factus est timor magnus in universa Ecclesia*, in cœtu videlicet Fidelium omnium.

Undecimum in eorundem Actorum capite VIII. vers. I. *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis*, in Ecclesia, in cœtu Fidelium.

Duodecimum in Epistolæ ad Romanos capite XVI. vers. XVI. *Salutant vos Ecclesiæ Christi.* Et vers. XXIII. *Salutat vos Caius hospes meus, & universa Ecclesia.* Utrobique significatur Fidelium congregatio.

Decimum-tertium in Epistolæ I. ad Corinthios capite VI. vers. V. *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia*, in cœtu Fidelium, *illos constituite ad judicandum.*

Decimum-quartum in ejusdem Epistolæ capite
356 XII. vers. XXVIII. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia*, in cœtu nimirum Fidelium, *primum Apostolos*, &c.

Decimum-quintum in ejusdem Epistolæ capite XIV. vers. IV. *Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat; qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat.* Ecclesia Dei hoc in loco nihil sonat aliud quam Fidelium congregationem.

Decimum-sextum in Epistolæ II. ad Corinthios capite VIII. vers. XVIII. *Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias:* Per omnes puta cœtus Fidelium.

Decimum-septimum in ejusdem Epistolæ capite eodem, vers. XXIV. *Ostensionem ergo, quæ est caritatis vestræ, & nostræ gloriæ, pro nobis in illis ostendite in facie Ecclesiarum*, id est, in conspectu cœtus Fidelium.

Decimum-octavum in Epistolæ ad Ephesios capite V. vers. XXIII. *Quoniam vir caput est mulieris. sicut Christus caput est Ecclesiæ:* omnino cœtus Fidelium.

Decimum-nonum in Epistolæ ad Philippenses capite IV. vers. XV. *Scitis autem, & vos Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli.* Ecclesia, quâ de agitur, congregatio est Fidelium.

Vicesimum in Epistolæ ad Colossenses capite I. vers. XVIII. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*, cœtus utique Fidelium.

357 Vicesimum-primum in Epistolæ I. ad Timotheum capite III. vers. V. *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Hic Ecclesia Dei est societas Fidelium.

Hæc pauca de pluribus, quæ potuerunt in eum sensum addensari. Nunc secure veniendum est ad Patres, Concilia, Romanos Pontifices, Ecclesiasticos tractatores, & celebriores è Schola Theologiæ, & Juris Canonici Magistros, qui Scripturas sacras imitati Ecclesiam cœtum Fidelium, seu congregationem definierunt, aut si quandò non iisdem verbis, certe æquipollentibus utuntur.

I. Ordior ab Justino Martyre, qui haud longe à temporibus Apostolorum fuit, in dialogo contra Tryphonem: *Sicut in corpore videre est, cum multis numeratis membris cuncta simul unum vocantur: Sic & permulti numero mortales, perinde atque una res forent, una voce vocantur Ecclesia.* Sic Justinus eleganti similitudine, quæ ex beato Paulo repetitur, describit Ecclesiam: Ut multorum membrorum in unum collectio corpus dicitur, sic & multorum hominum, de quibus ibi loquitur, Fidelium congregatio vocatur Ecclesia.

II. Irenæus in libri I. adversus hæreses capite II. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in Deum Patrem omnipotentem.* Ecclesia hic est Fidelium congregatio, quæ eandem fidem ubique gentium profitetur. Porro autem il-
lud ipsum in ejusdem libri capite III. repetitur: 358
Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem per universum mundum disseminata, diligenter custodit.

III. Tertullianus multis in locis Ecclesiam ut cœtum Fidelium deformat. In libri de baptismo capite VI. *Ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.* In libri de exhortatione castitatis capite VII. *Sed ubi tres, Ecclesia est, etiamsi sint laici.* In libri de pudicitiæ capite XXI. *Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit, atque ita exinde etiam numerus omnis, qui in hanc fidem conspiraverint, Ecclesia ab auctore & consecratore censetur, & ideo Ecclesia delicta donabit; sed Ecclesia spiritus per spiritualem hominem, non Ecclesia numerus Episcoporum.* Et licet Tertullianus Montani doctrina jam imbutus librum hunc exaraverit; observari tamen possunt duo, quæ nostrum ad institutum pertinent. Unum est in istis verbis, *Numerus omnis qui in hanc fidem conspiraverint, Ecclesia ab auctore & consecratore censetur*, formari posse definitionem Ecclesiæ; nam verba illa non sonant aliud, quam collectionem Fidelium. Alterum in verbis consequentibus, *Non Ecclesia numerus Episcoporum:* Nam verba hæc in auctoris sensu referuntur alio. Vult dicere Ecclesiam, quæ vincit Episcoporum numero, delicta non donare; sed Ecclesiam quæ gloriatur spiritu, qui Deus est, qui solus delicta donare potest: & hoc est
perversum Montani dogma quod notare convenit, ne 359
quis ex posterioribus verbis Ecclesiam definiat, ratus eam se ad Tertulliani mentem definire. Mens siquidem Tertulliani ex illius instituto æstimanda est.

IV. Clemens Alexandrinus in libro VI. stromatum: *Non locum*, inquit, *sed electorum congregationem appello Ecclesiam.* Electorum nomine eos, ni fallor, intelligit, qui ad Christi fidem vocantur, atque ita Ecclesia erit Fidelium congregatio apud Clementem Alexandrinum.

V. Origenes tractatu in caput XVI. Matthæi: *Petra enim est, quisquis Christi discipulus est, ex quo biberunt de spirituali consequente petra, super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina, & secundum hanc vita institutionem: In unoquoque enim perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum, factorum & sensuum, est, quæ à Deo ædificatur, Ecclesia.* Hæc si conferantur in pauciora, textus veritate salva, ex illis fiet congregatio Fidelium, quâ ratione definitur Ecclesia.

VI. Origenes idem, vel alius apud Hieronymum homilia II. in Cantica Canticorum: *Ecclesiam autem cœtum omnium adverte sanctorum*, id est, Fidelium.

VII. Cyprianus in epistola LXIX. ad Pupianum. *Illa*, ait, *sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens.* De Ecclesia simpliciter & absolute non loquitur, sed comparate, habito nempe re-
spectu ad Ecclesiam Romanam, ubi propter institutos 360

 simul

simul Antistites duos schisma excitatum est. Id verba clamant insequentia Cypriani: *Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse, & frustra sibi blandiri eos, qui cum Sacerdotibus Dei pacem non habentes, obstrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica est, scissa non sit, neque divisa, sed utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.* Sic luculenter apparet, Cyprianum pro tempore, & ad extirpandum schisma, quo tunc Romana flagrabat Ecclesia, Ecclesiam definivisse plebem Sacerdoti adunatam, & gregem pastori suo cohærentem. Verba hæc, *Grex pastori suo adhærens*, possessivo nomine privatam Ecclesiam significant, Romanam videlicet, Carthaginensem, & quamcumque aliam, in qua grex pastori suo adhæret, & plebs Sacerdoti suo adunatur. Sublato schismate, Cyprianus catholicam Ecclesiam, quæ una est, definivisset paullo aliter, si definienda proprie fuisset, nec definiendo à Scripturis sacris recessisset. Ecclesiæ definitionem quærimus, quæ Ecclesiæ omni soli & semper conveniat. His, opinor, de causis, reliqui Patres, qui Cyprianum subsecuti sunt ætate, Cypriani definitionem illam suos in usus minime derivarunt. Hanc eos non vidisse quis affirmaret? Viderant quidem & intellexerunt, & ea de causa judicarunt non esse Ecclesiæ definitionem,
361 quæ extra casum propositum vindicanda foret.

VIII. Lactantius in libri IV. de vera sapientia capite XXX. *Sola igitur catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quod si quis non intraverit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ & salutis æternæ alienus est.* Infra: *Sed tamen, quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse catholicam Ecclesiam putant: Sciendum est illam esse veram, in qua est confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Hoc autem totum quid aliud, quam cœtus Fidelium? Et cœtus Fidelium quid rursus aliud, quam Ecclesia, ubi peccata confessione & sincero corde purgantur?

IX. Hilarius in libro VII. de Trinitate: *Hoc etiam*, inquit, *Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat cum læditur, tum intelligatur cum arguitur, tum obtineat cum deseritur: Omnes quidem illa secum atque intra se vellet manere, nec ex tranquillissimis finibus suis aliquos abjicere aut perdere, dum indigni fiunt tantæ matris habitaculo; sed discedentibus ex ea hæreticis, vel abjectis, quantum amittit occasionis largiendæ ex se salutis, tantum assequitur ad fidem expetendæ de se beatitudinis. Cognosci enim hoc ex ipsis hæreticorum studiis promptissimum est: Namque cum à Domino Ecclesia instituta, & ab Apostolis confirmata, una omnium sit, ex qua se diversarum impietatum furens error abscinderit,*
362 *nec negari possit ex vitio malæ intelligentiæ, fidei extitisse dissidiam, dum quod legitur, sensui potius coaptatur, quam lectioni sensus obtemperat: Tamen dum sibi partes singulæ adversantur, non solum suis, sed etiam adversantium est intelligenda doctrinis, ut dum adversus unum omnes sunt, turpissimum tamen errorem omnium per id, quod sola est atque una, confutet.* Hæc autem omnia, quæ Hilarius magna cum judicii vi disputat, unicuique semel atque iterum meditanti objiciunt, institutam à Deo Ecclesiam, Fidelium seu Catholicorum cœtum esse, atque ita delineari rectissime, & ab omnibus hæreticorum sectis & coitionibus distingui & internosci: Quæ certa est veræ ac legitimæ definitionis conditio.

X. Basilius Magnus in Psalmi XLIV. versiculum: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: De Ecclesia jam edisseres, de qua in Canticis didicimus, quod una sit perfecta Christi columba, quæ in dextrum Christi locum eos accipit, qui commendati exercitio bonorum operum tori redduntur Ecclesia cognoscibiles.* Ex his autem verbis alia non potest formari Ecclesiæ definitio, quam cœtus Fidelium.

XI. Titus Bostrensis Episcopus oratione in ramos palmarum: *Idcirco ivit ad cœnaculum ad montem Olivarum, quod est Ecclesia fidelis populi*; Atque ita cœnaculum, ad quod ivit Christus, est Ecclesia fidelis populi. Ex his autem facile intelligitur, Ecclesiam esse congregationem Fidelium.

XII. Pacianus in Epistola III. ad Sympronianum: 363
Ecclesia plenum est corpus & solidum, & toto jam orbe diffusum, sicut civitas. Infra: *Quo cognomine* (Christianorum) *congregationem plebis meæ agnoscerem.* Infra: *Proponis, & recte quidem, Ecclesiam esse populum ex aqua & Spiritu sancto renatum, sine negatione nominis Christi, templum & domum Dei, columnam & stabilimentum veritatis, virginem sanctam castissimis sensibus, sponsam Christi ex ossibus ejus & carne, non habentem maculam, neque rugam, integra Evangeliorum jura servantem; Quis hoc nostrum negat? Quinetiam addimus, Ecclesiam esse reginam in veste deaurata & variegata secundum vitam in lateribus Domini, matrem adolescentularum, quarum non est numerus, unam speciosam columbam matris suæ, atque perfectam ipsam omnium matrem, ædificatam in fundamentis Prophetarum & Apostolorum, & ipso angulari lapide* CHRISTO JESU, *domum magnam vasorum omnium diversitate locupletatam, sed hæc omnia posterius: Interim tua illa videamus.* At in his omnibus videre est, Ecclesiam esse congregationem plebis Christi, seu quod idem est, Fidelium, seu Catholicorum societatem, quod nec Sympronianus ipse negare audet, immo hoc ipsum asserit; sed omisisse tantum nonnihil, quod Pacianus it postea explicatum.

XIII. Ambrosius in libri I. Hexameron capite I. *Ex omni igitur valle congregatus est populus catholicus: Jam multæ congregationes sunt; sed una est congre-* 364
gatio, una Ecclesia, quæ scilicet catholici populi, seu catholicorum societas. Deinde enarratione in Psalmum XXXVI. *Omnis congregatio cujusque regionis nomen sibi vendicare consuevit, ut Ægyptii, Æthiopes, Syri, Judæi, Arabes, provinciæ suæ terrarumque suarum vocabulum præferunt: Nos de diversis populis congregati, vocabulum nobis unius gentis non possumus usurpare; & ideo quod nomen non habebamus in terris, de cœlo accepimus, ut Christi populus diceremur.* At populus Christi idem est ac cœtus Fidelium. Tum demum sermone XV. in Psal. CXVIII. *Civitas Dei Ecclesia, Ecclesia corpus Christi.* Quæ verba eandem notionem præ se ferunt.

XIV. Epiphanius in libri adversus hæreses tomo II. num. XXXI. *Cum igitur Ecclesia doctrinam ejusmodi fidemque, uti diximus, acceperit, eam vel toto orbe diffusam conservat, quasi in una quadam domo habitans ac similiter omnibus illis assentitur, tanquam anima una eodemque corde prædita, eademque concordissime, sic quasi unum os habeat, docet & prædicat.* Si quis omnia hæc in pauca conferre voluerit, inveniet Ecclesiam esse collectionem hominum, qui ubiubi sint, in eadem omnes fide atque doctrina vivunt, quod est Fidelium, seu Catholicorum congregatio.

XV. Joannes Chrysostomus homilia X. in epistolam ad Ephesios: *Ecclesia nihil aliud est, quam domus ædificata per animas nostras.* Sed instituto nostro convenientius in sermone, quem habuit antequam iret 365
in exilium: *Non murorum ambitu constabilitur Ecclesia, in numerosa multitudine Ecclesia consistit.* Quid hoc sibi vult, explicabit ordine suo Isidorus Pelusiota, qui sancti Patris hujus auditor fuit; sed in antecessum Ecclesia Chrysostomi judicio est numerosa Fidelium multitudo.

XVI. Auctor imperfecti operis in Matthæum, quod est inter libros Chrysostomi, sive sit illius, sive sit alterius; sed cujuscunque sit, nostrum est homilia X. in

in Matthæum: *Quæ est*, inquit, *hæc civitas? Ecclesia est Sanctorum, de qua dicit Propheta: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, Cives autem ejus sunt omnes Fideles, de quibus dicit Apostolus: Vos estis cives Sanctorum, domestici Dei.* Hæc est præclara Ecclesiæ definitio, quæ eo prorsus spectat, ut sit Fidelium congregatio?

XVII. Rufinus in expositione Symboli ad illud, *Sanctam Ecclesiam*: Cum ait, *Ecclesiam hanc Deo esse congregatam*, quid sibi vult, nisi quod illa sit eorum, qui credunt in Deum, id est, Fidelium congregatio?

XVIII. Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus in Epistola ad Ephesios capite IV. *Ut quia unum corpus est Ecclesia, unum sapiat populus, quia unum est quod creditur.* Deinde in Epistolæ II. ad Timotheum caput II. *Nam in una domo omnes sub uno sunt nomine: Uno enim domini sui nomine censentur omnes. Mundus autem diversæ professionis continet homines, ita ut dispares profiteantur se habere & Deos & Dominos;*
366 *non ergo domum magnam mundum dixit, sed Ecclesiam, in qua omnes sub unius Domini sunt nomine. Sub unius*, inquit, *Domini nomine omnes*, qui scilicet Christiani vocantur, ita ut Ecclesia nihil sit aliud reipsa, quam Christianorum, seu Fidelium collectio.

XIX. Hieronymus in Psalmum CXXXIII. *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate: Ecclesia ibi est, ubi fides vera est.* Sic Doctor Ecclesiæ, dum ita describit Ecclesiam, ab aliis Patribus non discedit; immo ad eos accedit, cum verba illa non sonent, nisi Fidelium collectionem.

XX. Incertus auctor & vetus apud Hieronymum Commentariorum in Epistolæ ad Romanos caput XVI. *Ostendit congregationem Fidelium Ecclesiam nominari.*

XXI. Incertus auctor & vetus apud eundem Hieronymum Commentariorum in caput V. Proverbiorum: *Ecclesia & Synagoga, Græca nomina sunt, & unam eandemque rem significant, id est, conventum plurimorum ad invicem: Si autem subtilius distinguatur, Ecclesia convocatio, & Synagoga congregatio interpretatur, & vetus quidem Dei populus utroque nomine vocabatur. Nunc autem gratia distinctionis illa Synagoga, noster Ecclesia dicitur, merito scilicet fides & scientia majoris, quia & irrationabilia creatura potest congregari.* Hæc autem omnia eo revolvuntur tandem, ut Ecclesia sit Fidelium societas.

XXII. Isidorus Pelusiota in libri II. epistola CCXLVI.
367 ad Theodosium Episcopum: *Quod Sanctorum cœtus ex certa fide atque optima vivendi ratione collectus, Ecclesia sit, inter eos constat, qui sapientiam degustarunt.* His in verbis notanda sunt tria. Primum quidem, quod eruditus auctor, cum Sanctorum nomine utitur, Fideles, seu Christianæ religionis professores intelligit, quos Scriptura Sanctos appellat. Deinde quod quam Ecclesiæ notionem tradit, hæc certa & minime dubia est inter Christianos: Atque ii sunt, quos ait sapientiam degustasse, scilicet Christi doctrinam, quæ vera & unica est sapientia. Denique quod Ecclesiæ notio hæc antecedentia sanctorum Patrum testimonia, quæ minus sunt perspicua, illustrat & concludit, & subsequentia præcludit.

XXIII. Celestinus Papa I. in Epistola ad Presbyteros, Diaconos, Clericos & Solitarios: *Ad eos, qui faciunt Ecclesiam Dei, nobis locuturo dat Apostolicus sermo principium.* Epistola hæc extat in Ephesina Synodo: At si Presbyteri, Diaconi, Clerici & Solitarii faciunt Ecclesiam Dei, ut Pontifex loquitur, Ecclesia hæc non multum abest à Fidelium congregatione, in qua sistit Ecclesiæ definitio.

XXIV. Augustinus multis in locis. Primus est in libri de catechizandis rudibus capite III. *Ecclesia est populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus, adjunctis atque annumeratis omnibus Sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita eum credentes venturum esse, sicut nos venisse.* At populus Dei per omnes gentes Fidelium est congregatio. 368

Alter in libri I. de Baptismo contra Donatistas capite XV. *Ecclesia vero, quod est populus Dei, etiam in istius vitæ peregrinatione, antiqua res est, in aliis hominibus, habens animalem portionem; in aliis autem spiritualem.* At populus Dei Fidelium est congregatio.

Tertius in libri V. de Baptismo contra Donatistas capito XXVII. *Et quod in Cantico Canticorum Ecclesia sic describitur, Ortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum, hoc intelligere non audeo, nisi in Sanctis & Justis, non in avaris & fraudatoribus & fœneratoribus & ebriosis & invidis; quos tamen cum justis baptismum habuisse communem, cum quibus communem non habebant utique caritatem, ex ipsius Cypriani literis, sicut supe commemoravi, uberius discimus & docemus. Nam dicat mihi aliquis: Quomodo irrepserint in ortum conclusum & fontem signatum, quos sæculo solis verbis & non factis renunciasse Cyprianus, & tamen intus fuisse testatur? Si enim & ipsi ibi sunt, etiam ipsi sponsa Christi sunt. Itane vero talis est illa sine macula & ruga, & illa speciosa columba tali membrorum parte turpatur? An ista sunt spinæ, in quarum medio est illa sicut lilium, quod in eodem Cantico dicitur? In quantum ergo lilium, in tantum & ortus conclusus & fons signatus, in illis videlicet justis, qui in occulto Judæi sunt circumcisione cordis. Omnis enim pulcritudo filiæ Regis intrinsecus, in quibus est numerus certus Sanctorum prædestinatus ante* 369
mundi constitutionem: Illa vero multitudo spinarum, sive occultis, sive apertis separationibus forinsecus adjacet super numerum. Annunciavi, inquit, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Numerus ergo ille justorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum est: Novit Dominus qui sunt ejus; ipse est ortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum. Ex hoc numero quidam spiritaliter vivunt, & supereminentem viam caritatis ingrediuntur; & cum præoccupatum hominem in aliquo instruunt, in spiritu lenitatis intendunt, ne & ipsi tententur: Et cum forte & ipsi præoccupantur, reprimitur in eis aliquantulum, non autem extinguitur caritatis affectus, rursusque insurgens & inardescens pristinos cursus restituitur. Et quibusdam interpositis subdit: *Ex illis ergo omnibus, qui, ut ita dicam, intrinsecus, & in occulto intus sunt, constat ille ortus conclusus, fons signatus, puteus aqua viva, paradisus cum fructu pomorum.* Hæc Ecclesiæ descriptio, etiamsi longiorem accuratioremque indagationem contineat, eo tamen pertinet, ut Fidelium congregationem exhibeat.

Quartus in Psalmum XXXIV. concione II. *Ecclesia est multitudo, quæ toto orbe terrarum diffusa est*, & hoc est Fidelium cœtus.

Quintus in Psalmum XC. concione II. *C[illegible]us hujus capitis Ecclesia est, non quæ hoc loco e[illegible], sed quæ hoc loco, & per totum orbem terrarum, nec illa, quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel usque ad eos, qui nascituri sunt usque in finem, & credituri in Christum, totus* 370
populus Sanctorum ad unam civitatem pertinentium, quæ civitas corpus est Christi, cui caput est Christus. Eadem est Ecclesiæ definitio, quæ dilatatur.

Sextus in tractatu XXV. super Joannem: *Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis & vocatis & justificatis & glorificatis Sanctis & Fidelibus ejus.* Et hoc est prorsus Fidelium societas.

XXV. Cyrillus Alexandrinus multis in locis. Primus in libro de Adoratione in spiritu & veritate: *Porro speluncæ illa in Christo potest intelligi Ecclesia, nempe illud sanctorum hominum diversorium, plerumque*

testium

tectum, in quo justi viri habitabant. Hæc non valde distant à Fidelium cœtu, qui dicitur Ecclesia.

Alter in libro I. Glaphyrorum super Genesim: *Ecclesia primogenitorum discipulorum in cœlis illorum, qui per fidem vocati sunt ad sanctificationem, cœtus à beato Paulo vocatur.* Sic auctore sancto Cyrillo, Paulus Apostolus Ecclesiam Fidelium congregationem appellat.

Tertius in oratione I. super Esaiam: *Ecclesias, cum dicimus seu nominamus sanctos in illis cultores, significamus.* Hoc autem quid est, nisi cœtus Fidelium, qui Sancti in Scripturis dicuntur?

Quartus in oratione IV. super eundem Esaiam: *Cum dicimus Ecclesiam, non circuitu murorum vim hu-*
371 *jus dictionis accommodamus; sed piorum potius in ea sanctissimam multitudinem significamus.* Ecclesia igitur est piorum multitudo.

Quintus in caput V. Micheæ: *Inhabitat Christus Ecclesiam, & tanquam propriam sibi civitatem fecit, etsi natura divinitatis universa compleat. Hæc itaque civitas Dei, quasi quadam tellus & regio sanctificatorum, & unitate in Deo per Spiritum locupletatorum.* Periphrasis est, qua Fidelium congregatio significatur.

Sextus in Zachariam: *Delectari & lætari omnino jussit spiritualem Sion, quæ est Ecclesia Dei viventis, sive ipsa per fidem salvatorum sacratissima multitudo.* Sic Ecclesia est Sanctorum multitudo.

XXVI. Joannes Cassianus ostendit duobus in locis inter se collatis, Ecclesiam esse collectionem Fidelium. Primus est in libro VI. de Incarnatione Christi, & sic se habet: *Ergo, ut supra dixi, si Sabelliana, aut Ariana, vel cujuslibet hæreseos discipulus atque assertor esses, tueri utique te parentum exemplo velis magistrorum institutione, plebis societate, & Symboli fide.* Alter est in libro VII. & sic se habet: *Et tu, ô impiissime, atque imprudentissime præclaræ urbis contaminator, catholicæ atque sanctæ plebis gravis & exitiosa contagio, stare in Ecclesia, ac loqui audes.* In priori loco Nestorium in absurdam complexionem deducit, cum ait: *Si tueri te velis plebis societate.* In posteriori quid illa sit plebs, explicat, *catholica nimirum & sancta.* Quibus ita positis, facile intelligitur,
372 Cassianum in ea fuisse sententia, ut catholicæ & sanctæ plebis societas sit Ecclesia, & Ecclesia sit catholicæ & sanctæ plebis societas, quæ in catholici dogmatis comprobationem, ut magistrorum institutio, & Symbolum adferri legitime potest.

XXVII. Prosper Aquit. in epigrammatum libro.

Dum lapides vivi pacis compage ligantur,
Inque pares animos convenit una domus;
Claret opus Domini.

His versibus Catholicorum seu Fidelium cœtus facile superstruitur.

Deinde in Psalmum CV. ad illud: *Et dicet omnis populus, id est, omnis electio prædestinatorum, omnes filii promissionis qui sunt ex circumcisione, & in præputio gens sancta, populus adoptionis.* Quidquid id est, Fidelium congregatio exprimitur.

Denique in Psalmum CVI. *Ecclesia catholica in electis suis præcognitis adeo filiis promissionis membris corporis Christi minuitur, nec ad paucitatem redigitur, quia ipsi vere sunt, aut cum lapsi fuerint, reparantur ac permanent, & semper multi sunt, quia de numero eorum nihil perit.* Hoc in loco, si bene attendatur, Ecclesia, quæ sit Fidelium societas describitur.

XXVIII. Theodoretus in Epistolæ ad Timotheum primæ caput III. *Hæc ergo scribo docens, quomodo eos oporteat se gerere, quibus credita est animarum cura; domum enim Dei & Ecclesiam appellavit cœtum eorum qui crediderunt.* Sic Ecclesia Theodoreto est cœtus Fidelium.

Deinde in epistolæ ad Ephesios caput I. *Ecclesiam vocat cœtum Fidelium, ἐκκλησίαν γὰρ τὸ σύλλογον τῶν πιστῶν.* 373
Res ipsa propriis verbis exponitur.

Tum in Psalmum CVIII. *Ecclesiæ caput Dominus vocatur, & corpus ejus cœtus Ecclesiæ.* Eandem auctor serram reciprocat.

Hinc in libro I. super Cantica Canticorum: *Si quis autem ades sponsa velit Ecclesias, quæ ubique gentium in mari terraque sunt, intelligere, a veritate non aberrabit;* & recte quidem, quia Ecclesia cœtus est Fidelium, ubicunque hi reperiuntur.

Præterea in libro IV. super eadem Cantica: *Sic igitur & Christi Ecclesia animarum virtute perfectarum cœtum revelata facie gloriam Domini speculans, ut ait beatus Paulus, in eandem imaginem transformatur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu, & fit tota splendida, ut lunæ similis videatur. Luna, inquam, electa, nec solum lunæ videtur similis; sed etiam soli, soli, inquam, stuporem spectantibus injicienti.* Ecclesia igitur est cœtus animarum virtute perfectarum, id est, Fidelium.

Denique in libri III. historiæ Ecclesiasticæ capite XIII. in editione Christophorsoni, & in capite X. in editione Jacobi Sirmondi de filio Sacerdotis locutus Ecclesiam deformat cœtum Fidelium: *Per id vero tempus adolescens quidam filius Sacerdotis in falsa religione educatus ad piorum cœtum aggregatus est.* At piorum cœtus est Ecclesia, ad quam aggregatus est.

XXIX. Petrus Chrysologus cum in sermone LXI. de Symbolo Apostolorum ad illud, *Credo sanctam* 374
Ecclesiam, ut confitearis Ecclesiam Christi sponsam in perpetua Christi societate mansuram, dicit, omnino respectum habet ad receptam tunc temporis definitionem Ecclesiæ, nempe quod illa sit Fidelium societas.

XXX. Salvianus Massiliensis Presbyter in libro III. contra avaritiam: *Quare à vobis cum quibus loquor, cunctis parentes in illis tot ac tantis tunc credentium millibus, tanta fidei perfectione viventibus, omnésque cum filiis, an omnes sine filiis fuerint? Neutrum, opinor, nulla enim Ecclesia plebs est non de utroque permixta.* In his autem verbis prodit se Ecclesia, quæ est credentium multitudo, & Christianæ plebis congregatio.

XXXI. Gregorius Magnus in moralis expositionis super Job libri XIX. capite XIV. *Sancta quippe Ecclesia sic consistit unitate Fidelium, sicut corpus nostrum unum est compage membrorum.* At ubi est unitas Fidelium, ibi est Fidelium collectio: Sicut ubi est una membrorum corporis unius compages, ibi est membrorum collectio.

Huc nonnullæ Gregorii locutiones pertinent; & primum quidem illa, quæ in libri XVIII. moralis expositionis super eundem Job capite XIV. est ejusmodi: *Quisquis extra unitatem Ecclesiæ patitur, pœnas pati potest, martyr non potest extra unitatem Ecclesiæ;* perinde est ac si diceret, extra Fidelium societatem. Et paullo post: *Una est Ecclesia, in qua qui constari voluerit, ab omni etiam poterit peccatorum sorde purgari;* 375
una est Ecclesia, &c. ac si diceret: Una est Fidelium societas, in qua, *&c.*

In libri XXXV. ejusdem expositionis capite VII. *Quia igitur sæpe septenario numero sancta Ecclesia universitas figuratur, veniant ad beatum Job amici illius, & pro se divinitus offerant holocaustum; sed vigilanter omnino septenarii numeri arcana custodiant, ut videlicet hi qui extra sunt positi, prius universitati sanctæ Ecclesiæ se misceant, & tum demum veniam de reatu pristinæ elationis exquirant. At extra universitatem sanctæ Ecclesiæ positus,* idem est ac extra Fidelium omnium congregationem. *Tum miscere se universitati Ecclesiæ,* idem est ac miscere se congregationi Fidelium omnium. Et cum paullo post Gregorius subjicit: *Ac si hæreticis redeuntibus aperte diceretur: Universali*

vos

vos Ecclesiæ jungite; idem est ac si diceretur: Universo Fidelium cœtui vos jungite.

In libri de cura pastorali parte III. admonitione XXV. *Et quia cunctu simul congregatio Ecclesiæ per confessionem servit testimonio veritatis, non incongrue per Galead exprimitur, quia ore cunctorum Fidelium de Deo, quæ vera sunt, testatur.* At cuncta Ecclesiæ congregatio est Ecclesia.

In homilia XII. super Evangelia: *Et quia ex utroque sexu Fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti*
376 *sunt, recte similis virginibus prudentibus, & fatuis similis esse perhibetur.* Sic Ecclesia dicitur ex utroque sexu Fidelium multitudo.

XXXII. Isidorus Hispalensis in libri de Officiis capite I. *Ecclesia autem vocatur proprie, propter quod omnes ad se vocet, & in unum congreget.*

Deinde in Exodum capite XLII. *Per hanc arcam, quam de lignis imputribilibus Moyses fabricavit, Ecclesia Christi significatur, ædificata ex omnibus Sanctis merito & corpore incorruptis, habentibus etiam interius duas tabulas Testamenti.* Sic Isidoro Ecclesia est Sanctorum omnium collectio.

XXXIII. Venerabilis Beda in quæstionibus super Genesim: *Item quod eadem arca collecta in unum cubitum desuper consummatur, sic & Ecclesia corpus Christi in unitatem collecta sublimatur & perficitur.* Hæc facile repræsentant cœtum Fidelium, qui corpus Christi componunt.

Deinde in quæstionibus super librum Jesu Nave: *Extra hanc domum, id est, extra Ecclesiam nemo salvatur.* At *extra Ecclesiam* idem est atque extra Fidelium congregationem.

Tum in libri de templo Salomonis capite V. *Ædificatur ergo in monte domus Domini in visione pacis, quia dilatata per orbem Ecclesia in una eademque fide & veritatis catholicæ societate consistit,* quæ reipsa nihil aliud quam cœtum Fidelium importat.

377 Denique in caput XXVI. Job: *Ecclesia quæ est Sanctorum omnium congregatio, pro æterna sibi in Domino stabilitate columna & fundamentum dicitur veritatis.* Commentarius in Job Bedæ tribuitur, etiamsi inter Hieronymi opera extet.

XXXIV. Alcuinus seu quivis alius in libri I. de divinis Officiis capite XLI. in expositione Symboli: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, subaudis, credo Ecclesia Græce, Latine congregatio Fidelium.* Ut sic intelligeretur Ecclesia, derivatus ab initio mos obtinuerat.

XXXV. Carolus Magnus in libro V. Capitularium num. LXXII. *Aut contemnentes de Ecclesia non rejecerint.* At de Ecclesia rejicere quid aliud est, quam de cœtu Fidelium rejicere?

Deinde in ejusdem libri numero XCVIII. *Ut Episcopi incestuosos pariter investigare studeant, omnino præcipimus; si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur,* scilicet de societate Fidelium seu Catholicorum. Quod & Carolus sic explicat in libro VI. num. CCXXIV. *Placuit ut Fideles ne parvipendant excommunicationem illorum, quoniam si hoc fecerint, juste segregabuntur à cœtu Christianorum.* Ex his autem omnibus apparet Ecclesiam Caroli Magni judicio Fidelium congregationem esse.

XXXVI. Parisiense Concilium VI. in part. I. cap. II. *Primum igitur, quod universalis sancta Dei Ecclesia unum corpus esse manifestissime credatur, ejusque caput Christus, Apostolicis oraculis approbamus. Unde*
378 *Paulus: Vos autem estis corpus Christi, membra de membro; jam sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo. Item ejus caput Christus, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones administratum crescit in Templum sanctum in Domino. Quisquis ergo per aliqua illicita ex membro Christi se fecit in membrum diaboli, noverit se non esse in corpore Christi, sed in corpore diaboli.* At inter hæc omnia facile eminet Ecclesia, quæ est cœtus Fidelium.

XXXVII. Amalarius Metensis Ecclesiæ Diaconus in libri III. de Officiis capite II. *Ecclesia*, inquit, *est convocatus populus per ministros Ecclesiæ, ab eo qui facit unanimes habitare in domo.* A communi notione Ecclesiæ non multum abest.

XXXVIII. Rabanus Moguntinus Episcopus libro XXIII. in Epistolam Pauli primam ad Timotheum capite III. *Id vero est cognoscendum, quoniam domum Dei Ecclesiam, non domum orationis dicit, secundum plurimorum opinionem, sed Fidelium congregationem.* Deinde in libri I. de institutione Clericorum capite I. *Ecclesia Græcum est nomen, quod in Latinum vertitur convocatio sive conventus, in eo quod omnes convocet ad se.*

XXXIX. Walafridus Strabo in libri de rebus Ecclesiasticis capite VI. *Ecclesia quidem Græcum nomen, & interpretatur convocatio vel conventus, cum sit vel*
generalis Sanctorum unitas in una fide & dilectione con- 379
juncta. Unde una & catholica dicitur Ecclesia, vel singulorum societas sancta locorum. Unde & multa dicuntur Ecclesiæ. Tandem etiam ipsa domus, in qua ad divina vel discenda, vel celebranda convenit multitudo Fidelium, Ecclesia vocatur. In his autem omnibus Ecclesiam Fidelium congregationem esse reperiet quis sine ulla controversia?

XL. Nicolaus I. de Consecrat. dist. I. cap. VIII. *Ecclesia, id est, Catholicorum congregatio.* Quod omnium sermone promulgabatur, Pontifex constitutioni inserit suæ.

Deinde in Epistola I. Appendicis Epistolarum ejusdem Pontificis: *Eum excommunicaret à corpore & sanguine Domini nostri* JESU, *& societate omnium Fidelium.* Hæc omnium Fidelium societas est Ecclesia.

XLI. Atto Vercellensis Episcopus in libelli de pressuris Ecclesiæ parte prima: *Ecclesia est domus, quæ non ex parietibus manufactis, sed ex vivis & electis lapidibus, id est, Sanctorum cœtibus elegantissime constat.*

XLII. Burchardus Wormatiensis Episcopus in libri III. decretorum capite I. *Ecclesia Græcum nomen est, quod in Latinum vertitur convocatio, propterea quod omnes ad se vocet.* Quasi diceret: Ecclesia est omnium Fidelium convocatio seu collectio.

XLIII. Sanctus Bruno in prioris ad Timotheum Epistolæ caput III. *Quæ domus est Ecclesia, id est,*
in qua Deus multos ad fidem convocavit, & hoc nihil 380
aliud est quam Fidelium convocatio.

XLIV. Ivo Carnotensis Episcopus in part. III. decreti cap. III. *Ecclesia Græcum nomen est, quod in Latinum vertitur convocatio, propterea quod omnes ad se vocet.* Idem cum Strabone, & Burchardo sentit, illorum verba descripsit, & sua probando fecit.

XLV. Elias Cretensis in orationem LII. Gregorii Nazianzeni: *Ecclesia aptissimo vocabulo appellatur, quod simul omnes eos, quibus salus cordi est, ad se vocet & colligat.* Sic Ecclesia est Fidelium congregatio.

XLVI. Herveus Dolensis Monachus in prioris ad Timotheum Epistolæ I. caput III. *Quæ domus, in qua Deus inhabitat, est Ecclesia ex multis collecta Fidelibus,* scilicet quia Fidelium est collectio. Dolensis commentarius in Epistolas beati Pauli extat inter opera beati Anselmi.

XLVII. Odo Cameracensis in sacri canonis expositione dist. III. ad illud, *Sed & plebs tua sancta: Quæ pro veneratione hujus sacrificii, hic est in præsenti devote collecta, vel secundum solitarios in unitate Ecclesiæ fideliter ubique viventium.* Hoc autem quid aliud tum

demum

demum præ se fert, nisi quod Ecclesia sit Fidelium collectio?

XLVIII. Euthymius Zigabenus in Psal. CI. ad illud, *In medio Ecclesiæ laudabo te: Ecclesia congregationem & cœtum hominum significat.*

381 XLIX. Sanctus Bernardus serm. LXXI. in Cantica Canticorum: *Nec puto abs te esse, si intelligimus, Angelorum custodiam vicem exhibere maceriæ in vinea Domini, quæ est Ecclesia prædestinatorum.* Deinde serm. LXVIII. in eadem Cantica: *Et quid sponsa, nisi congregatio Justorum? Quid ipsi, nisi quærentium Dominum, quærentium faciem sponsi?* Consentit iis, qui Ecclesiam definiunt congregationem Fidelium.

L. Joannes Cyparissiota in Palamicarum transgressionum serm. IV. cap. I. definitiones Ecclesiæ tres exponit. *Prima est. Sancta Dei Ecclesia, juxta quod divinitus tradita est, à Patribus accepta eloquia, sacra congregatio, nedum ex pluribus ac beatis non consurgens, sed ex iis etiam, qui mineret sunt in nomine veri luminis, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Secunda. Sancta Dei Ecclesia est sacer conventus, funiculus hæreditatis Christi, regale sacerdotium, populus acquisitionis in petra Apostolicarum & patronarum traditionum fundatus, nihilque novitatis admittens ad evertenda quæ ab initio suscepit dogmata.

Tertia. Sancta Dei Ecclesia est Christi corporis membrorum integritas ad unum reducta caput, juxta quod dictum est à Domino: Et erit unum ovile, & unus pastor. Ecclesiæ definitiones duæ priores idem reipsa sunt, aut certe parum inter se differunt. Tertia includit Christum caput Ecclesiæ.

382 LI. Petrus Venerabilis in opusculo de auctoritate Ecclesiæ, contra Petrobrussianos: *Dicitur Ecclesia, ut ipsi dixistis, congregatio; sed non omnium, non pecorum, sed hominum, sed Fidelium, bonorum, justorum. Quod si aliquando inter bonos illos mali, inter injustos justi aut patent, aut latent, non idcirco minus Ecclesia dicitur.* Sic inter hæreticos & Catholicos convenit, quod Ecclesia sit Fidelium congregatio.

LII. Honorius Augustodunensis in Gemma animæ capite III. *Ecclesia dicitur convocatio, quia non timore, sed amore Spiritus sancti unam fidem convocatur.* Ecclesiæ periphrasis, cum simplicius dici potuerit Fidelium congregatio.

LIII. Hugo Victorinus in part. II. de Sacram. cap. II. *Ecclesia sancta corpus est Christi uno spiritu vivificata, & unita fide viva, cujus corporis membra singuli quique Fidelium existunt.* Et paullo post: *Ecclesia sancta, id est, universitas Fidelium, corpus Christi vocatur, propter Spiritum Christi quem accepit.* Sic auctor celebris traditam ab antiquis Patribus, & maxime à Nicolao I. definitionem Ecclesiæ interpretatur.

LIV. Magister sent. Parisiensis Episcopus acceptam à majoribus definitionem Ecclesiæ sequitur pluribus in locis libri IV. sententiarum. Et primo quidem in dist. IV. ubi ait: *Qui baptizantur, Fideles dicuntur, qui à Fidelium consortio non separantur, cum orat Ecclesia pro defunctis.* Deinde in dist. XIII. *Hæreti-*
383 *cus à catholica Ecclesia præcisus negnit*, &c. Tum
in dist. XVII. *Est & alius modus ligandi per excommunicationem, cum quis à Fidelium consortiu præscinditur.* Denique in dist. XXV. *Hæretici ab Ecclesia præcisi, & Catholici ad catholicam societatem venientes*, &c. At ex his omnibus loquendi modis facile colligitur, Magistrum in ea fuisse sententia, ut crederet Ecclesiam nihil aliud esse præter congregationem Fidelium. Quid enim est separari vel non separari à consortio Fidelium, quam separari vel non separari ab Ecclesia? Sic Ecclesia & Fidelium consortium non distinguuntur aliter quam apud Dialecticos definitum & definitio. Quid aliud est præscindi ab Ecclesia, quam præscindi à catholica societate? Quid rursus aliud ad catholicam societatem, quam ad Catholicorum congregationem, quæ à Niculao Papa dicitur Ecclesia, redire?

LV. Arnulphus Lexoviensis Episcopus in sermone quem in Synodo habuit: *Ecclesia sunt nostis carissimi fratres, congregatio Fidelium dicitur. Fideles autem sunt, qui censentur nomine Christiano, qui scilicet de agnitione fidei catholicæ Christianam nominis contrahunt dignitatem.* Exponit Ecclesiæ definitionem, quæ in ore versabatur omnium. Quo fit ut illa carissimis quoque illis fratribus tribui possit non immerito, cum illam taciturnitate sua comprobarunt.

LVI. Guillelmus Abbas in libri II. de vita sancti Bernardi capite VI. *Ecclesia una est, & quod-* 384
quid extra eam est, quasi extra arcam judicio Dei necesse est perire & dilui. Describit Ecclesiam extra quam, Fidelium videlicet conventum, non est salus.

LVII. Alanus insignis ille Theologus, qui contra Waldenses calamum exaravit in libro I. *Similiter aliis sacramentis derogantes scribunt, locum materialem non esse Ecclesiam, sed conventum Fidelium.* Infra: *Sciendum ergo quod Ecclesia dicitur locus materialis, & Ecclesia conventus Fidelium, sicut & Jerusalem dicta est, de qua dictum est: Ascendit Jesus in Jerusalem; & conventus populi, qui erant in Jerusalem.* Sic Alano Ecclesia est conventus Fidelium.

LVIII. Guillelmus Autissiodorensis in libri III. summæ capite IV. *Et ita tunc erat Ecclesia, id est, congregatio Fidelium.*

LIX. Lateranense Concilium universale, cui præfuit Innocentius III. in cap. I. *Una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Universale Concilium acceptam à Patribus, & Sedis Apostolicæ Præsulibus rationem Ecclesiæ semel atque iterum confirmat. Semel quidem cum ait: *Una est Fidelium universalis Ecclesia*, id est, Catholicorum collectio. Iterum vero cum addit: *Extra quam nullus omnino salvatur.* Quis eam definitionem non esse legitimam pugnaret?

LX. Alexander Alensis part. IV, quæst. II. memb. IV. art. III. *Ecclesia tota est in Christianis*, quod
idem est ac si diceret: Ecclesia est Christianorum seu 385
Fidelium congregatio.

LXI. Albertus Magnus in tractatu III. de sacrificio Missæ cap. VI. *Græco nomine Ecclesia etiam Latino nomine dicitur convocatio; & quia voces & convocationes sunt rationalium tantum animalium, & inter homines rationales non sunt, nisi verbum rationale fidei audientes, & intus percipientes, idcirco dicitur Ecclesia Fidelium congregatio.*

LXII. Sanctus Bonaventura serm. I. in Hexameron: *Loquendum est ergo Ecclesia, quæ quidem convocatio est rationalium. Synagoga autem est gregum & hominum brutaliter viventium. Ecclesia loquendum est, quæ quidem est unio rationalium uniformiter & concorditer unitorum per concordiam, & uniformem custodiam divinæ legis, per unionem & concordiam cohærentium divinæ pacis, per uniformem & concordem consonantiam divinæ laudis.* Hic multa sunt verba, quæ tum demum in Catholicorum seu Fidelium collectionem resolvuntur.

LXIII. Sanctus Thomas multis in locis Ecclesiam definit collectionem seu congregationem Fidelium.

Primus est in quartum sent. dist. VI. art. IV. in quæst. I. *Ad primum dicendum, quod baptismus dicitur fidei sacramentum, quia per eum homo cœtibus Fidelium aggregatur*, id est, Ecclesiæ, quæ cœtus est Fidelium.

Alter in dist. XIII. quæst. II. art. I. in corpore: *Et quia congregatio corporis mystici per unitatem veræ fidei*

fidei primo constituitur: Ideo hæreticus secundum nos
386 *dicitur, qui à communi fide, quæ catholica dicitur, discedit, contraria opinioni vehementer inhærens per electionem.* Aggregatio corporis mystici per unitatem veræ fidei est Ecclesia.

Tertius in dist. xx. quæst. I. art. VIII. *Cum Ecclesia sit congregatio Fidelium: Congregatio autem sit duplex, scilicet OEconomica, ut illi, qui sunt de una familia; & Politica, sicut illi, qui sunt de uno populo: Ecclesia similatur congregationi politicæ, quia ipse populus Ecclesia dicitur.* Hæc perspicua sunt.

Quartus in libro IV. contra gentes cap. LXXVIII. *Matrimonium ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in collectione Fidelium consistit.*

Quintus in opusculo, quod expositio primæ decretalis inscribitur: *Ecclesia nihil est aliud quam aggregatio Fidelium.*

Sextus in opusculo, quod Symboli expositio inscribitur: *Unde Ecclesia sancta, catholica, idem est quod congregatio Fidelium, & quilibet Christianus est sicut membrum ipsius Ecclesiæ.*

LXIV. Richardus de Mediavilla, celebris ex Ordine Minorum Theologus in libri III. super sent. distinct. XIII. art. II. quæst. I. *Quantum ad primum, sciendum, quod cum Ecclesia sit collectio Fidelium, ut habetur de consecrat. dist. I. Ecclesia potest dici corpus ad similitudinem corporis homogenei.* Traditam à Nicolao I. definitionem Ecclesiæ amplectitur.

LXV. Durandus Mimatensis Episcopus in libri I.
387 de Officiis capite I. *Prius est ut de Ecclesia & ejus partibus videamus. Notandum est ergo, quod Ecclesiarum alia est corporalis, in qua scilicet divina Officia celebrantur; alia spiritualis, quæ est Fidelium collectio. De consecrat. dist. I.* Durandus Ecclesiæ definitionem accepit à Nicolao Papa primo.

LXVI. Joannes XXII. in extravaganti de celebratione Missarum: *Cum itaque catholicam Ecclesiam, quæ congregationem Fidelium comprehendit, videamus,* &c. Perinde est ac si diceret: Catholica Ecclesia est Fidelium congregatio.

LXVII. Alvarus Pelagius ex Ordine Minorum, Silvensis Episcopus, in libro de planctu Ecclesiæ art. XXXVII. *Secundum fratrem Alexandrum de Ordine Minorum, Magistrum in Theologia solennissimum, Ecclesia est multitudo Fidelium, sive universitas Christianorum.* Antiquam traditionem sequitur, tantum abest ut ab ea per novitatem recedat.

LXVIII. Nicolaus Liranus Parisiensis, ex Ordine Minorum Theologus, in Matthæi caput XVI. *Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ, vel sæcularis, quia multi Principes & summi Pontifices inventi sunt apostatasse à fide, propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est notitia & vera confessio fidei & veritatis.* Et hoc nihil aliud est præter collectionem Fidelium; sed non infestiva est ratiocinatio, qua auctor, ut illuc perveniat, utitur.

388 LXIX. Thomas Waldensis Parisiensis, ex Ordine Carmelitarum Theologus in tomo I. doctrinalis fidei antiquæ lib. II. art. II. cap. VIII. *Idcirco non electorum tantum est Ecclesia, nec etiam reproborum; sed Ecclesia mixta est ex reprobis cum electis.* Deinde in tomo II. de sacramentalibus. *Secundum,* inquit, *utramque literam nomen Ecclesia vel multitudinis Israel verissime secundum intentionem primam dicitur de tota illa collectione Fidelium.* Nicolaus Papa & Lateranense Concilium per os Waldensis loquuntur.

LXX. Definitio hæc transire debet in Facultatis Theologiæ Parisiensis sententiam, quod facultas Waldensis librum de sacramentalibus probavit, & probando suum fecit. Illius adscribo verba: *Decreverunt Decanus & Facultas Theologiæ Scholæ Parisiensis librum hunc à præclarissimo Doctore Thoma Vualden compositum admodum utilem esse, dignumque qui edatur: Qui quidem ad enervandas Lutheranas calumnias atque hæreses Reipublicæ christianæ perniciosissimas plurimum conducit,* &c. *Anno Domini* MDXXIII. *Idibus Decembris, de mandato domini Decani, & ex ordinatione sacræ Facultatis.*

LXXI. Quod modo de Facultate Theologiæ Parisiensis notavimus, notandum est pariter de Martino V. & Romanis Censoribus, qui Waldensis librum proberunt, & probando suum fecerunt. Id constat ex Epistola, quam auctori Pontifex ille sic scripsit: *Dilecto filio Thomæ Vualdensi, Ordinis beatæ Mariæ de*
Monte Carmelo provinciali Angliæ, sacræ Theologiæ 389
Magistro. Dilecte, fili, salutem & Apostolicam benedictionem: Placuit primo nobis opus quod ediderat contra Hussitas hæreticos, teque fuimus adhortati, ut id quod restabat in materia de sacramentis, simili perficeres studio & diligentia; quod te fecisse gaudemus, & tuum studium utile & salutare Ecclesiæ commendamus. Recepimus enim nuper de manu dilecti filii Joannis, Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo Magistri in sacra pagina, latoris præsentium, volumen secundum de sacramentis quod per solemnes viros examinari fecimus, sicut primum, quod pariter ab omnibus commendatum est. Et quibusdam interpositis: *Datum Romæ apud sanctos Apostolos sub annulo Piscatoris* VIII. *Augusti, pontificatus nostri anno* X. qui anno Christi MCCCCXXVII. respondet. Sic Ecclesiæ definitio hæc, Fidelium collectio, jam est Martini V. qui Waldensis librum probando illam probavit, quam Waldensis, qui librum composuit, eique relatam Ecclesiæ definitionem intulit.

LXXII. Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius in tractatu super *Magnificat*, partitione III. *Est enim Ecclesia congregatio, seu potius convocatio Fidelium, prout accipitur à triumphante distincta.* Nicolai Papæ & Lateranensis Concilii, cui præfuit Innocentius III. discipulum se præbet, & traditam ab eis definitionem Ecclesiæ assumit.

LXXIII. Tostatus Abulensis Episcopus in caput XIII. Geneseos quæst. DCCLXIII. *Hoc attendendum*
est, quod aggregatio Fidelium, quæ facit Ecclesiam, 390
vocatur aliquando corpus Christi vel membra ejus: Fidelium quidem aggregatio facit Ecclesiam, quia definitio est Ecclesiæ. Tum in præfatione super Evangelium Matthæi quæst. XII. *Dicendum quod Ecclesia, quæ est congregatio Fidelium, habet multas partes necessarias, sine quibus manere non potest.* Quod continuo probat ex Epistolæ ad Ephesios capite VI. & ex epistolæ prioris ad Corinthios capite XII. Denique in parte II. Defensorii cap. XXXVII. *Ecclesia est tota universitas Christianorum.*

LXXIV. Nicolaus Panormitanus Archiepiscopus in cap. *Significasti.* de electione: *Universalis Ecclesia constituitur ex collectione omnium Fidelium; unde omnes Fideles orbis constituunt istam Ecclesiam universalem, cujus caput & sponsus est Christus.*

LXXV. Nicolaus Cusanus Cardinalis in libri I. de Concordantia catholica capite I. *Ecclesia est corpus unum, ex omnibus rationabilis creaturæ spiritibus adhærens capiti suo Christo.*

LXXVI. Joannes Turrecremata Cardinalis in libri I. de summa Ecclesiæ cap. I. *Habemus jam ex dictis, quid nominis Ecclesia, ex quibus illico colligitur notitia ejus, quid sit Ecclesia secundum rem: Est enim Catholicorum seu Fidelium collectio.*

LXXVII. Joannes Ragusius in oratione, quam de communione sub utraque specie habuit in Basiliensi Concilio: *Oportet igitur, quod certa & manifesta sint*
signa & indicia Ecclesiæ catholicæ, per quæ discernantur 391
oves à lupis: hujus autem signa sunt unitas fidei, unitas sacramentorum & præceptorum Dei. Et post alia: *Ulterius ex prædictis potest colligi una descriptio Ecclesiæ catholicæ; talis videlicet, quod Ecclesia est corpus my-*

sticum, organicum, fide Christi animatum. Corpus ponitur loco generis; additur mysticum, ob differentiam corporis naturalis, licet ad similitudinem ejusdem dicatur sic; organicum, propter diversitatem statuum, graduum & officiorum, ad similitudinem diversorum membrorum in corpore naturali, quæ sunt diversa organa. Quæ declarans Apostolus, inquit prima ad Corinthios XII. *Sicut corpus unum est*, &c. *Ex quibus verbis & sententiis Apostoli clare habentur particulæ tres, scilicet, quod Ecclesia est corpus mysticum, organicum. Additur autem, fide Christi animatum, per quam Ecclesia militans in tali esse constituitur, & ab omni alia Ecclesia sive congregatione distinguitur.* Hæc Ecclesiæ descriptio, quæ explicatur latius, reipsa non distinguitur à recepta Ecclesiæ definitione, quæ sic se habet: Ecclesia est Fidelium seu Catholicorum collectio.

LXXVIII. Cracoviensis Academia in tractatu super auctoritate sacrorum canonum: *Est ergo Ecclesia corpus mysticum, organicum, fide Christi animatum. Corpus ponitur pro genere: Additur, organicum, id est, habens organa, quia secundum Apostolum, Sicut in uno corpore*
392 *materiali multa membra habentur, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi sumus unum corpus in Christo; singuli autem alter alterius: Et sicut unum membrum servit sibi & toti corpori, sic in Ecclesia militante, diversi in diversis statibus & officiis sibi & aliis in Ecclesia subministrant. Addunt mysticum, quia secundum Apostolum, Sicut corpus unum est, & multa membra habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt: Ita & omnes nos, qui in Christo baptizati sumus, unum corpus constituimus Ecclesia*, 1. Corinth. XII. *Additur, fide Christi animatum, quia sicut anima corpus, sic fides animam vivificat, dicente Scriptura: Justus ex fide vivit. Ex quo fit, quod omnes baptizati habentes fidem Christi sive informem, sive formatam, constituunt Ecclesiam militantem.* His autem, quæ mox Ragusius tradidit, & fuse tractavit Cracoviensis Academia, subductis omnibus, res eo venit, ut Ecclesia sit Fidelium congregatio.

LXXIX. Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiscopus tit. XII. de Ecclesiis & eorum patronis: *Ecclesia tripliciter accipitur, pro collectione Fidelium generali, pro congregatione Justorum speciali, alias spirituali, pro ædificatione lapidum materiali. De prima acceptione dicitur prima ad Timotheum* III. *Scias quomodo in domo Dei oporteat te conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, id est, congregatio Fidelium.* Infra: *Secundo*
393 *modo sumitur Ecclesia pro congregatione bonorum Fidelium, qui sunt per caritatem Christo incorporati*, &c.

LXXX. Pius II. in libro 1. de gestis Basileensis Concilii: *Ecclesia est Fidelium multitudo ubique gentium dissipata.* Et paullo post: *Ecclesia ergo significat convocationem multitudinis: Dic Ecclesiæ, id est, multitudini Fidelium congregatæ in Concilio generali.*

LXXXI. Dionysius Cartusianus in Matthæum art. XXVIII. *Ædificabo, hoc est, spiritualiter collocabo, & confirmabo Ecclesiam meam, id est, congregationem Fidelium, corda eorum per fidem, caritatem & gratiam mihi inseparabiliter connectendo, ita ut omnes sint unum corpus mysticum, unaque domus.*

LXXXII. Sanctus Bernardinus Senensis in serm. XX. feriæ III. post secundam Dominicam in Quadragesima cap. II. *Ecclesia unum est corpus per vinculum caritatis.* Deinde in serm. XXXVII. feriæ V. post Dominicam V. in Quadragesima: *Ecclesia duplex est, militans & credentium in Deum, triumphans*, &c. Utrobique Ecclesia Fidelium est congregatio.

LXXXIII. Ambrosius Calepinus ex Ordine Eremitarum sancti Augustini, in suo dictionario: *Fidelium omnium, qui per orbem sparsi sunt, universitas, à Christiania Ecclesia dicitur.*

LXXXIV. Sylvester Prierias Ordinis Prædicatorum Magister generalis in summa, verbo, Ecclesia: *Videtur Ecclesiam esse idem proprie quod populus convocatus seu adunatus in Dei cultu.* Et hoc nihil est aliud quàm cœtus Fidelium.

LXXXV. Goffridus Boussardus Parisiensis Cancel- 394
larius in expositione canonis Missæ ad illa verba: *Offerimus pro Ecclesia sancta.* Ecclesia est congregatio fidelium. Et paullo post: *Est congregatio omnium Fidelium à principio mundi usque ad consummationem sæculi.*

LXXXVI. Jacobus Almainus Parisiensis Theologus in libri de auctoritate Ecclesiæ & Conciliorum capite II. *Cum Christi Fidelium collectio non sit solum corpus politicum, & ad finem naturalem ordinatum, quod est vivere secundum virtutem naturalem; verumetiam est corpus Christi mysticum ad finem supernaturalem, vitam scilicet æternam, ordinatum.* Sic corpus Christi mysticum, & Fidelium collectio est Ecclesia. Hæc convertuntur apud Dialecticos.

LXXXVII. Thomas Cardinalis Cajetanus in libri de auctoritate Papæ & Concilii capite VI. oblatam ab adversario Almaino definitionem Ecclesiæ, quæ est Fidelium collectio, admittit, nec ullo modo impugnat, etiamsi lites multas circa Ecclesiam moveat. Deinde idipsum dicit in tertiam partem quæst. VIII. art. III. in responsione ad secundum. *Quod*, inquit, *intellige formaliter de Ecclesia militante, hoc est, de congregatione Fidelium existentium in caritate.*

LXXXVIII. Philippus Decius in sermone pro justificatione Pisani Concilii: *Constat & omnibus exploratum est, Ecclesiam universalem, quæ congregatio Fidelium dicitur*, can. Ecclesia. *de consecrat. dist.* 1. *indigere refor-* 395
matione in capite & in membris.

LXXXIX. Dominicus Jacobatius Cardinalis in libri de Conciliis art. 1. num. XVII. *quot modis dicitur Ecclesia. Vide* .˙. *de consecrat. dist.* 1. *capitulo* Ecclesia, *ubi à Nicolao Papa definitur fidelium sive Catholicorum collectio.* Cardinalis in Papæ sententiam discedit.

XC. Polydorus Vergilius in libri IV. de invent. rerum capite 1. *Et hæc est Ecclesia sancta, id est, communio Sanctorum supra petram fidei ædificata, cujus caput existit Christus.* Deinde in cap. II. *Crescebat Ecclesia Fidelium*; Ecclesia nimirum, quæ est communio seu cœtus Fidelium.

XCI. Judocus Clicthoveus Parisiensis Theologus in serm. de nono art. fidei Symb. *Porro Ecclesia diffinitur tota Fidelium & in Christo regeneratorum congregatio, quæ corpus est Christi mysticum; & Christus, ut homo, ejus caput, sicut dicit Apostolus scribens ad Ephesios capite* 1.

XCII. Joannes Roffensis Episcopus in præfatione libri IV. contra OEcolampadium sub finem: *Quid est Ecclesia catholica, nisi corpus unum ex plebe Patribusque collectum, ubicunque fuerint per orbem sparsi?* Deinde in opere contra Ulricum Velenum in illius conclusione: *Ecclesia quid aliud est quam Fidelium in quandam unitatem collectio?*

XCIII. Franciscus Lychetus ex Ordine Minorum Theologus in Commentario ad quæst. II. prologi Jo-
annis Scoti: *Ecclesia est illa hominum congregatio, quæ* 396
semper ab initio institutionis suæ manebit stabilis in ejusdem fidei ac doctrinæ professione.

XCIV. Senonense Concilium, quod anno MDXXVIII. celebratum est in decreto 1. inter decreta fidei: *Ecclesia est tabernaculum illud Dei cum hominibus, in quo habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Hæc autem Ecclesiæ descriptio quid aliud est, quæso, quam Fidelium societas cum Deo?

XCV. Joannes Major Parisiensis Theologus in Matthæi caput XVI. *Ad secundum dicimus: Ecclesia est Fidelium collectio.*

XCVI. Guillelmus Parvus Parisiensis ex Ordine Prædicatorum Theologus, & Sylvanectensis Episcopus,

in horto fidei ad art. IX. Symboli Apostolorum: *Circa quod sciendum est, quod Ecclesia idem est quod congregatio. Unde Ecclesia sancta idem est quod congregatio Fidelium, & quilibet Christianus & sicut membrum illius.* Deinde in libro Gallico, qui viator salutis Latine diceretur, ad art. IX. Symboli Apostolorum: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam, id est, Credo congregationem omnium Fidelium in una fide, cujus caput est Dominus noster* Jesus Christus.

XCVII. Claudius Viexmontius in confessionis methodo, quam ad Navarrici Collegii Parisiensis usum composuit anno MDXXXII. *Est autem Ecclesia tota Fidelium in Christo per baptisma regeneratorum congre-*
397 *gatio, cujus Christus caput est, & optimi quique Christiani ejus membra sunt, invicem caritatis vinculo conjuncta; mali etiam ejus membra, sed putrida, & per peccatum mortua.* Hac in expositione Symboli Viexmontius id habet, quod ad perfectam Ecclesiæ definitionem pertinet: Scilicet Ecclesia Viexmontio est Fidelium seu Catholicorum congregatio, cum ait Ecclesiam esse Fidelium in Christo per baptisma regeneratorum congregationem. In hac igitur definitione retinetur antiqua Patrum, & Nicolai Papæ, & Lateranensis Concilii traditio, quæ redditur illustrior nonnullorum accessione.

XCVIII. Parisienses Theologi cum hanc confessionis methodum probarunt, probando suam fecerunt. Quo fit ut Ecclesiæ definitio, quæ est apud Viexmontium, Parisiensibus illis Theologis merito tribui possit.

XCIX. Albertus Pighius in libri I. de Hierarchia capite I. *Ut evidens faciamus quaenam sit Christi Ecclesia, ab ipsa nominis notione exordiendum est. Ecclesia itaque Latine multitudinem, cœtum aut conventum significat: Græca enim vox est, multitudinem non qualemcunque, sed convenientem & conciliatam in unam aliquam societatem. Et quamvis varia forma sint humanarum societatum, ut ob causas finesque diversos in unum conveniunt, conciliantúrque homines, & secundum suam formam, sua cuique imposita conveniens nomenclatura, ut inter se conveniant homines ad finem supernaturalem assequendum in fide, cultúque Dei ac reli-*
398 *gione & spe salutis inde adipiscenda, ejusmodi hominum societati Ecclesia vocabulum appropriatum esse in Scripturis Ecclesiasticisque scriptoribus plane intelligimus. Sed quoniam & vera est & falsa de Deo fides, vera falsaque religio, veri Dei falsorumque deorum cultus, hic statim in duo è diametro se secat Ecclesia, videlicet in Ecclesiam sanctam, quæ rectam de Deo fidem servat, vera religione verum Deum colit & adorat, & ab eo salutem suam exspectat: Et in eam, quæ dicta omnia non habet sincera ac recta; sed vel in omnibus, vel in aliquo eorum aberrat.* Quæ omnia si paullo considerentur attentius, tum demum eo spectant, ut Ecclesia sit Christi Fidelium congregatio.

C. Desiderius Erasmus in explicatione Symboli Apostolorum, catechesi V. *Ecclesia societas & contubernium est, non quorumlibet, sed sanctorum: Quemadmodum concio Latine declarat conventum, non quorumlibet, sed ejusdem reipublicæ civium in unum congregatorum ad consultandum de communibus commodis.* Et paullo post: *Satis est credere in terris esse quandam societatem ad vitam prædestinatorum, sive apud Indos, sive apud Gaditanos, sive apud Hyperboreos, sive apud Afros.*

CI. Adamus Salseboltus Lovaniensis Theologus in oratione quodlibetica: *Ecclesia est convocatio in unam aliquam societatem, quæ in fide cultúque Dei & religione consentit.* Definitionis antiquæ paraphrasis est.

CII. Joannes Driedo Lovaniensis item Theologus
399 in libri IV. de Dogmatibus Ecclesiasticis capite II. *Ecclesia generaliter, secundum institutionem accepto vocabulo, est multitudo hominum consentientium aut convenientium in unam aliquam societatem; velut cum dicimus Ecclesiam Christi, significamus eos qui conveniunt in Christo.* Et paullo post: *Ecclesia sancta est multitudo, quæ sancta unitate latatur, unitate intellecta, non secundum congregationem in unam patriam vel provinciam, in unam corporalem locum, sed secundum unionem unius signaculi fidei, & unius spiritus vivificantis in omni loco & gente, sive se facie noverint, sive non noverint.* Quod Salseboltus paucis, Driedo pluribus verbis exponit. Quidquid id est, uterque ea, quæ ex Augustini libro de catechizandis rudibus supra retuli, amplificandum esse duxit. Ecclesiarum Magistro, *Ecclesia est populus Dei per omnes gentes,* & populus Dei per omnes gentes nihil aliud est quam Fidelium collectio.

CIII. Catechismus Romæ editus Italice anno MDXLV. *M. Che cosa e questa chiesa catolica? F. La congregation dei Fideli, laquale Deo a ordinata & eletta a vita eterna.* Latine: *Quid est Ecclesia catholica? Est Fidelium congregatio, quæ à Deo ad vitam æternam ordinata & electa est.*

Hic finitur circa definitionem Ecclesiæ traditionis linea, quam non solum ab Apostolis, sed etiam convenienter Scripturæ sacræ ad tempus usque Triden-
tini Concilii duximus, & per consequentes annos 400
omnes ducendo quæstioni tuæ primæ respondimus, nimirum certam esse & constantem Ecclesiæ definitionem, quæ in Fidelium congregatione consistit.

Nunc veniendum est ad quæstionem secundam, utrum definitio hæc, quæ à primis æræ Christianæ seculis usque ad initium Tridentinæ Synodi sine controversia ulla atque inoffenso pede pervenit, & Tridentinæ Synodi tempore, & post illud tempus retenta fuerit: A pluribus Magistris retentam fuisse demonstratum imus.

I. Demonstrationis hujus initium faciet Moguntinum Concilium in Christianæ institutionis articulo X. *Ecclesia,* inquit, *est cœtus hominum, qui à primo electo usque ad ultimum Deo per fidem Christi inhærent.*

II. Matthæus Orius Parisiensis ex Ordine Prædicatorum Theologus in libro de quinque verbis Pauli contra hæreses: *Nam sicut corpus unum est, & multa membra habet; omnia autem membra cum sint multa, unum corpus sunt: ita Christus. Etenim omnes Fideles unum corpus Christi sunt, qui eodem spiritu vivunt, eadem caritate connectuntur, eundem panem & eundem calicem participant.* At quid hoc aliud est, quam Fidelium seu Catholicorum collectio, quæ repetitis ex Epistolis beati Pauli exemplis illustratur?

III. Joannes Gropperus in Christiana institutione:
Ecclesia est societas omnium Fidelium, inde ab initio 401
mundi in unum corpus mysticum sub uno capite Christo per Spiritum sanctum arctissima conjunctione in vinculo caritatis & pacis conglutinata. Hæc ille, qui recusato cardinalitii galeri honore, sua sorte contentus esse voluit.

IV. Michael Buccingherus Colmariensis Presbyter in Ecclesiastica historia: *Ecclesia catholica militans est Sanctorum communio seu congregatio complectens tam bonos quam malos. Vel aliter: Ecclesia est multitudo seu collectio Fidelium fide & caritate vincta. Vel sic: Ecclesia est congregatio Fidelium consentientium in unam ac eandem Evangelii doctrinam secundum consonantiam sanctorum Patrum, & in eundem catholicum ac legitimum sacramentorum ritum.* Triplex est non re, sed verbis tantum Ecclesiæ definitio: Mutatum in phrasi, nihil in doctrina mutatum.

V. Franciscus Torrensis in libro I. de Romani Pontificis supra Concilia potestate: *Sponsa Christi est Ecclesia, os de ossibus ejus, & caro de carne ejus, id est, communicans, sicut scriptum est, carni & sanguini,*

quæ sponsus participavit. Hoc autem quid aliud quam societas seu congregatio Fidelium? Deinde in libro III. *Quod ipse etiam Pontifex dicat Ecclesia, priusquam aliquis tanquam ethnicus & publicanus habendus sit, id est, antequam ejiciatur ex Ecclesia.* At quid est ejici ex Ecclesia, nisi ex cœtu Fidelium? Et post alia: *Credimus nos, hoc est, Chri-*
402 *stianos, qui Ecclesia Dei sumus, per baptismum ablutos, sanctificatos, & justificatos in nomine Domini nostri* JESU CHRISTI, *quod est credere sanctam Ecclesiam, id est, sanctificatam & mundatam lavacro aquæ in verbo.* Igitur cum Christiani sint Ecclesia Dei, Ecclesia Fidelium est congregatio; & sic illa perpetuo definita est.

VI. Robertus Cenalis Parisiensis Theologus & Abrincensis Episcopus, in traductionis sycophanticæ tomo III. in Calvinum receptam Ecclesiæ definitionem, quæ à Novatoribus vexatur, ita defendit. *Verum est,* inquiunt, *Ecclesiam esse congregationem recte credentium; sed quærendum est quinam sint illi vere credentes. Merito quæritis, quinam sint vere credentes? Hinc documenta datis, vos esse alienatos ab vulva, errantes ab utero, loquentes falsa. Nemo enim quærit, nisi quod se perdidisse animadvertit. Vere credentes sunt, doctrinam sanctorum Patrum asserentes; vere credentes sunt grana in horreo remanentia, qui à prisca Patrum fide nunquam discesserunt.* Et primo quidem ante annum MDLVI. quo Cenalis scribebat, nemo præter Novatores illius temporis definitionem hanc Ecclesiæ impugnaverat. Calvinus & Calvini sectatores impugnant. Deinde illam definitionem explicat, tuetur, nec illi quidquam addit, ratus vitandam esse novitatem, & tenendam antiquitatem, quæ in notis Christianæ doctrinæ ponitur. Tum demum recte credentium idem esse ac Fidelium quis negaret, nisi logomachiam adornaturus?

403 VII. Martinus Perefius Guidixensis Episcopus, qui Tridentino Concilio interfuit in libro de divinis Traditionibus part. II. de privato spiritu assertione V. *Per Ecclesiam sic ubiter intelligo (ne nobis obstrepent, cum de hoc nomine falso glorientur adversarii) Fidelium in Christo credentium congregationem in unitate fidei permanentem, non ut isti sunt in varias sectas super rebus fidei gravissimis male divisi; sed idipsum dicentes omnes in una fide sub uno Christo & in uno baptismate, sicut Paulus docet.* Explicat quid sit Fidelium in Christo credentium congregatio.

VIII. Hosius Warmiensis Episcopus Card. & in Tridentino Concilio Sedis Apostolicæ legatus, in libri de Symbolo capite XIV. ad articulum, *Credo sanctam Ecclesiam catholicam. Hanc ex animabus nostris coastructam domum esse, dicit Chrysostomus, quam describit Augustinus ex multis animabus unam civitatem habentium, unum animum, & cor unum in Deum; & alio loco dicit, eam esse populum Sanctorum ad unam civitatem pertinentium, quæ civitas corpus Christi est, cui caput Christus.* Et cap. XX. in fine. *Ut autem, qua de re agatur, intelligi possit, scire oportet, quod sicut videmus in uno homine esse animam unam & unum corpus; tamen diversa esse membra ipsius: Ita Ecclesia catholica est unum corpus, & habet diversa membra, sicut etiam Paulus meminit. Anima autem, quæ corpus hoc vivificat, est Spiritus sanctus; caput vero illius, Christus.* At hæc omnia exponunt fusius antiquam
404 Ecclesiæ definitionem, quæ est cœtus Fidelium, quorum caput est Christus.

IX. Claudius Espencæus Parisiensis Theologus, qui Tridentino Concilio Bononiam per aliquod tempus translato interfuisset, si qua ibi celebrata esset sessio, in prioris ad Timotheum epistolæ caput III. *Quæ est Ecclesia Dei viventis? Multorum, imo omnium, ad unius Dei fidem atque doctrinam cœtus & convocatio.*

X. Melchior Canus, qui Tridentino Concilio interfuit in libri IV. de locis capite II. *Nobis in præsenti non est animus disserendi, nisi de Ecclesia militante, hoc est, cœtu Fidelium viatorum .·.·. Sunt vero quemadmodum infideles nondum baptizatos in Ecclesia Christi voce intelligere, non cum veritate solum, sed cum sensu etiam communi pugnat; ita hæreticos partes Ecclesiæ non esse constituendum est. Id quod commune est quidem omnium Theologorum, non eorum modo qui scripserunt, sed eorum etiam, qui vetustate ipsa habentur nobilissimi. Testantur hoc Cyprianus, Augustinus, Gregorius, duoque Concilia, Lateranense & Florentinum. Recte igitur Nicolaus Papa definivit Ecclesiam esse Catholicorum collectionem.* Quidquid vir doctus & prudens de Ecclesia disseruit, eo spectant duntaxat, ut probet optimam esse Ecclesiæ definitionem, quæ à Nicolao Papa traditur.

XI. Simon Vigoreus Parisiensis Theologus & Nar-
bonensis Archiepiscopus, in serm. XVIII. super Sym- 405
bolum: *Ecclesia est cœtus Fidelium, non uno in loco, non una in urbe, non eodem in regno congregatorum, quæ ab initio mundi initium habuit, & usque ad mundi finem duratura est.*

XII. Alfonsus Salmeron è Societate JESU Theologus, qui Tridentino Concilio interfuit, in prolegomeno XLII. *Ecclesia catholica militans est vera per fidem & caritatem Hierosolyma, in qua sola vera est remissio peccati & redemptio, salus & sacrificandi acceptabiles Deo hostias virtus.* Deinde in tomo III. part. II. tractato XXV. *Vox autem Synagoga proprie significat congregationem populi coeuntis; sed ponitur & pro loco, quemadmodum & Ecclesia vocabulum, quod & ipsum à Græcis desumptum est, & proprie significat evocatum ad audiendum de republica negotiis: Interim tamen pro loco seu templo usurpatur, in quo solet convenire concio. Veteres autem scriptores Ecclesiastici plerumque usurpant Synagogam pro cœtu populi Judaici: Ecclesiam verò pro communione Christi Fidelium.* Sic insequendo majorum traditionem philosophatur.

XIII. Petrus Sotus ex Ordine Prædicatorum Theologus, qui Tridentino Concilio interfuit, in compendio doctrinæ catholicæ, in explicatione Symboli: *Credimus ex omnibus omnium temporum & nationum hominibus in vera fide & sacramentis invicem communicantibus & convenientibus, unam fieri Ecclesiam; atque hoc significatur verbis,* catholicam Ecclesiam, quæ nimirum est cœtus Fidelium.

XIV. Joannes Hesselius Lovaniensis Theologus, qui 406
Tridentino Concilio interfuit, in explicatione Symboli Apostolorum capite II. *Est Ecclesia congregatio hominum ad hoc convocata à Spiritu sancto, ut merita Christi ei communicentur.*

XV. Gentianus Hervetus, qui Tridentino Concilio interfuit in catechismo: *Ecclesia est cœtus Fidelium à Spiritu sancto convocatorum, ad audiendum & faciendum quidquid eorum saluti expedit.* Latine dicimus quod ille dixit Gallice.

XVI. Gabriel Prateolus in catechismo inter explicandum Apostolorum Symbolum: *Ostendit Ecclesiam, id est, cunctorum Christi Fidelium congregationem, pro qua Christus in carne multa fecit & pertulit.*

XVII. Michael Merspurgensis Episcopus in brevi institutione ad Christianam pietatem: *Hæc catholica, id est, universalis appellatur Ecclesia, quod quamvis ad omnes orbis partes dispersi Fideles, & diversis temporibus viventes, eandem tamen semper fidei & doctrinæ confessionem, & similem eorundem sacramentorum usum teneant, idque per spiritum veritatis, quam Christus Ecclesiæ suæ se daturum promisit, ut maneat in ea in æternum.* Sic auctor receptam Ecclesiæ definitionem interpretatur.

XVIII. Cle-

XVIII. Clemens Monilianus Cardinalis in Theologicarum institutionum compendii capite XXXIII. de Symbolo Apostolorum, ad illud *sanctam Ecclesiam:* 407 *Ecclesia sumitur pro universitate omnium justorum & sanctorum, tam viatorum quam comprehensorum, & hoc modo eam accepit Apostolus ad Ephes.* v. Infra: *Accipitur quoque pro congregatione omnium justorum duntaxat comprehensorum, sicut eam accipit beatus Augustinus in Enchiridio capite* LVI. Infra: *Alio modo sumitur Ecclesia pro congregatione hominum in caritate existentium, de qua Apostolus ad Ephes.* v. Infra: *Altero modo sumitur Ecclesia, ut complectitur omnes, qui communionem professionis fidei, similiter & doctrinam sacramentorum secundum catholicam & Apostolicam traditionem habent.* Infra: *Ecclesia, de qua communiter loquuntur Doctores, accipitur pro cœtu Fidelium viatorum, qui numero vel merito adunati sunt in fide & cultu visibili unius veri Dei.* Hæc perspicua sunt omnia.

XIX. Petrus Vielus Parisiensis Theologus in catechismo seu instructione Christiana: *Per hunc articulum, Credo sanctam Ecclesiam catholicam, intelligo cœtum Fidelium, qui tam bonos quam malos Christianos complectitur.*

XX. Carolus Guillartius Carnotensis Episcopus in formula populari elementorum fidei ad Clerum & populum Carnotensem: *Pastor. Quid Ecclesia nomine intelligis? Puer. Populum Dei, id est, eum populum, qui vero Deo utitur ad illius gloriam & sempiternam suam felicitatem. Pastor. Ubi is est populus? Puer. Non loco definitur, neque natura, neque sexu, neque ætate; sed ipsa Dei gratia, quam quisquis recipit, ex Dei est populo, sive Græcus, sive Judæus, sive* 408 *servus, sive dominus, sive mas, sive fœmina.*

XXI. Edmundus Augerius è Societate Jesu Theologus in catechismo Latine & Græce edito: *Jubemur credere unam esse Ecclesiam, id est, Fidelium congregationem suis insignibus decoratam. Nam nos sanctam imprimis nominamus, quod extra hanc nulla esse possit sanctimonia. Deinde catholicam dicimus, id est, universam, ut tam late pateat, ut neminem aversetur, quo illius se cura permittit, sed omnibus sit obvia, tanquam parens optima, doctrinaque perpetuo duratura spirituali cibo reficiat.*

XXII. Robertus Stephanus in catechismo quam Latine & Græce typis mandavit anno MDLXXV. *Magister. Quid est Ecclesia? Discipulus. Corpus & societas Fidelium, quos Deus ad vitam æternam prædestinavit.*

XXIII. Carolus Bonius Ingulismensis Episcopus in Ecclesiæ suæ Manuali ad expositionem art. IX. *A temporibus Apostolorum recepta loquendi consuetudine sanctarum Scripturarum verbum hoc* (Ecclesia) *usurpatum est ad significandam rempublicam Christianam & cœtum Fidelium, qui per fidem ad veritatis lumen & Dei notitiam vocati sunt, ut post dissipatas ignorantiæ & falsitatis tenebras Deo pie & sancte serviant, & eum toto corde diligant. Atque ut quidquid id est, uno verbo comprehendatur, Ecclesia, ut ait beatus Augustinus in Psal.* XC. *est corpus hujus capitis* (Christi) *Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco, & per orbem totum ter-*409 *rarum.* Et in libri de catechizandis rudibus capite III. *Ecclesia est populus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus.* Hæc ille Gallice, quæ nos Latine interpretati sumus.

XXIV. Romanus catechismus, seu qui ex Tridentini Concilii decreto confectus est part. I. art. IX. num. III. *Communi sacrarum literarum consuetudine hac vox* (Ecclesiæ) *ad rempublicam Christianam, Fideliumque tantum congregationem significandam usurpata est, qui scilicet ad lumen veritatis & Dei notitiam per fidem vocati sunt, ut rejectis ignorantiæ & falsitatis tenebris Deum verum & Deum unum pie & sancte colant, illique ex toto corde inserviant. Atque, ut uno verbo hæc res tota absolvatur, Ecclesia, ut ait Augustinus, est populus fidelis per universum orbem dispersus.* Quo loquendi modo à communi & recepta Ecclesiæ definitione haud recedit.

XXV. Renatus Benedictus Paris. Theologus in catholicæ fidei confessione art. XXV. *Vocamus ergo Ecclesiam congregationem Fidelium Christi, qui conveniunt & uniuntur in confessione, doctrina & pura religionis, quam Apostoli & eorum successores semper & ubique tenuerunt & proposuerunt.* Antiquam Ecclesiæ definitionem amplectitur, ne videatur ulli novitati favere.

XXVI. Onuphrius Panvinius in tertia parte de primatu Petri. *Ecclesia,* inquit, *quid aliud est quam Fidelium in quandam unitatem collectio?* Qui à Baronio vocatur Ecclesiasticæ pater historiæ, Ecclesiam aliter definire non poterat.

XXVII. Franciscus Lucas Burgensis in caput XVI. 410 Matthæi: *Ab his* (LXX. interpretibus) *acceptam Ecclesiæ vocem Apostoli appropriarunt cœtui confitenti credentique in* JESUM CHRISTUM *Filium Dei;* & hoc nihil aliud est quam cœtus Fidelium.

XXVIII. Franciscus Feuardentius Parisiensis ex Ordine Minorum Theologus, in notis ad libri I. Irenæi contra hæreses caput III. *Ecclesia est congregatio Christianorum.*

XXIX. Philippus Diez ex Ordine Minorum Theologus, in concione II. Dominicæ v. post Pascha: *Olim congregatio Fidelium apud Judæos Synagoga vocabatur, nunc apud nos Ecclesia dicitur.*

XXX. Edmundus Campianus è Societate Jesu Theologus in ratione IX. quam Oxoniensibus Academicis reddidit, ex Scripturis sacris Ecclesiam docet *vocari civitatem sanctam, frugiferam vineam, montem excelsum, directam viam, columbam unicam, regnum, cœlum, sponsam & corpus Christi, firmamentum veri, multitudinem illam, cui Spiritus promissus instillet omnia necessaria.* At Ecclesia, quæ est illa multitudo, cui Spiritus promissus instillet omnia salutaria, Fidelium est congregatio.

XXXI. Cæsar Cardinalis Baronius ad annum Christi LVII. num. XCIX. *Ea quidem voce* (Ecclesia) *inter alios frequenter utitur Tertullianus, quæ primitus ab Apostolo Paulo, sed ex antiquiori divina Scriptura, communique usu loquendi, tandem est ab omnibus usurpata, ut nomine Ecclesiæ certus quidam locus, quo ad synaxes ce-* 411 *lebrandas Fideles convenirent, significaretur; de qua Augustinus lib. quæstionum in Leviticum tit.* LIX. *Et hoc,* inquit, *quotidianus usus loquendi obtinuit, ut in Ecclesiam prodire, ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi ad ipsum locum parietesque prodierit atque confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.*

XXXII. Joannes Azorius è Societ. Jesu Theologus, in libro v. institut. Moralium de quarto Decalogi præcepto cap. XX. *Secundo quæritur, quænam Ecclesiæ nomine intelligatur, sive quid Ecclesiæ voce significetur. Nicolaus Papa de consecrat. dist.* I. *Ecclesiam definivit collectionem Fidelium seu credentium. Sed sciendum est, Ecclesiam posse dupliciter accipi. Primo, ut est omnium Fidelium ab initio mundi ad ejus usque finem & exitum multitudo.* Infra: *Secundo modo dicitur Ecclesia, quæ in Christi nomine per baptismum, qui est fidei sacramentum, Christianam plebem a Synagoga distinguit. Nicolaus loco citato Ecclesiam primo modo accepisse videtur.*

XXXIII. Jacobus Gretserus è Societate Jesu Theologus, in libri contra Replicatorem capite IX. *Vera Ecclesia, hoc est, cœtus Christum recte colentium.* Perinde est ac si diceret: *Ecclesia est collectio Fidelium.*

XXXIV. Franciscus Suares è Societ. Jesu Theologus, in libri III. de primatu summi Pontificis capite IV. num. XVI. *Essentialis Ecclesiæ perfectio in vera & viva fide per caritatem operante consistit.*

XXXV. Thomas Stapletonus Lovaniensis Theologus in controversiæ I. capite VI. *Ecclesia Christi secun-* 412

dum

dem statum novi Testamenti est multitudo collecta Fidelium omnium Christi nomen profitentium, incipiens à Jerusalem, indeque per universam mundum dispersa, crescens per omnes gentes successione pastorum & populorum, perpetua, semper illustris & manifesta, mixta bonis & malis, electis & reprobis, fide & sacramentis, sancta communione, ana & origine, Apostolica amplitudine & perpetuitate catholica fidei propagatione & conservatione firma usque ad finem duratura. Verbosior hæc paullo definitio videri fortasse cuiquam potest; sed is expendat oportet primum dialectico more, strictam & formalem Ecclesiæ definitionem hic à nobis non quæri, quæ ex solo genere & essentiali differentia constet; sed omnes ejus proprietates, & notas hic contineri propter controversias & adversarias litis quæstiones. Non recedit ab antiqua Ecclesiæ definitione, quam per annos omnes à Christo consequentes, deduximus. Hanc tantum exaggerat, & notis ac proprietatibus ad propositum sibi finem instruit.

XXXVI. Christophorus à Sacrobosco è Societate Jesu Theologus, in tractatu de investiganda vera ac visibili Ecclesia capite 11. *Sumo*, inquit, *Ecclesiam hanc fuisse corpus heterogeneum, id est, constans membris diversæ rationis, adeo ut alii superiores fuerint, alii subditi, alii pastores, alii oves, alii prædati potestate dirigendi & coercendi, alii necessitatem habentes parendi & obsequendi.* Hæc est dilatatio brevioris definitionis hujus, Ecclesia est Fidelium seu Catholicorum
413 collectio.

XXXVII. Paulus Nazarius ex Ordine Prædicatorum Theologus quæst. 1. in tertiam partem art. 11. *Ecclesia est unum corpus mysticum, cujus caput est Christus; Fideles autem in gratia constituti vera sunt membra.* Definitio hæc verbis tantum, non sensu ab antiquo & communi dissentit.

XXXVIII. Guillelmus Estius Duacensis Theologus & Cancellarius in Aonotationibus ad præcipua & difficiliora Scripturæ sacræ loca, ad caput XVIII. Matthæi: *Controversia est inter Catholicos & hæreticos, quid nomine Ecclesiæ intelligendum sit. Joannes Hus, & cum secuti hæretici nostri temporis definiunt Ecclesiam, prædestinatorum universitatem. Catholici definiunt societatem eorum, qui per rectam fidem & sacramenta sibi mutuo cohærent.* Hoc autem idem est ac Fidelium seu Catholicorum collectio.

XXXIX. Jacobus Tirenus è Societate Jesu Theologus, in controversiarum indice, qui ad calcem commentariorum in scripturam extat, controversia v. *Nonne Scriptura quotiescunque de Ecclesia vera & proprie dicta agit, semper designat congregationem hominum omnibus conspicuam?*

Et hæc abunde sufficiunt ut quæstioni secundæ fiat satis, & continuo probetur, derivatam ab Apostolis definitionem Ecclesiæ ab illustrioribus Theologis, &
414 antiquæ traditionis amatoribus, & tempore Tridentini Concilii, & post tempus ejusdem Concilii retentam fuisse. Nec sane mirum id ita factum esse, cum tunc unusquisque Catholicus, quo foret religiosior, eo constantius novellis adinventionibus obsisteret, & crederet rationem pietatis nihil aliud admittere, nisi ut omnia quæ fide à Patribus suscepta essent, eadem fide posteris consignarentur.

Nunc ad quæstionem tertiam venio, & statim observo nonnullos è Catholicorum numero reperire me Theologos, qui eminentissima Ecclesiasticæ traditionis, quam ante retulimus, simplicitate contenti non fuere. Hi sunt Petrus Canisius & Robertus Bellarminus, ambo è Societate Jesu, qui antiquam definitionem interpolarunt, aut contra bonæ definitionis, vel etiam descriptionis regulas auxerunt, & auctarium suum insigni discordia nobilitarunt. Ille non in prima vel in altera, sed in tertia catechismi editione: Hic in libri IV. de militante Ecclesia capite III.

De Canisio res sic se habet. Hic auctor catechismum seu doctrinæ Christianæ summam anno MDLVII. edidit Antverpiæ, in qua veterem Ecclesiæ definitionem sine additamento retinet his verbis in art. IX. Symboli Apostolorum: *Ostendis Ecclesiam, id est, cunctorum Christi Fidelium congregationem, pro qua Christus in carne omnia fecit & pertulit, eamque unam esse docet in fide, fideique doctrina & administratione sacramentorum. Secundo eam esse sanctam, quia ea à Christo* 415
suo capite sanctificatur, cum à Spiritu sancto usque gubernatur. Sic eodem in loco iterum in lucem prodit anno MDLX. Est igitur Ecclesia Canisio idem quod majoribus cunctorum Christi Fidelium congregatio, quæ cur sit talis, & una & sancta, deinceps exponitur.

Canisius post annum MDLX. catechismum suam seu doctrinæ Christianæ Summam recognoscit, & ei multa passim adjungit, ut videre licet in editione, quæ Parisiis anno MDLXVII. accurata est. In editionis hujus capite XVIII. Ecclesiæ definitio est ejusmodi ad illud Symboli, *Credo sanctam Ecclesiam. Ostendit Ecclesiam, id est, cunctorum Christi Fidelium visibilem congregationem, pro qua Dei Filius hominis natura suscepta cuncta fecit & pertulit, eamque docet primum unam esse & consentientem in fide fidelique doctrina & administratione sacramentorum, quæque sub uno capite suo Christo, unoque vices ejus in terris gerente Pontifice maximo regitur, ac in unitate conservatur.* Deinde rem paullo aliter comparavit ad annum MDLXXXVII. in parvo catechismo ad usum Collegiorum Societatis Jesu: *Ecclesia est*, inquit, *omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore in terris gubernatur.*

Ad Bellarminum quod attinet, hic anno circiter MDLXXVII. definit Ecclesiam hoc modo: *Nostra autem sententia est, Ecclesiam unam tantum esse, non duas, & illam unam & veram esse cœtum hominum e-* 416
jusdem Christianæ fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimorum pastorum, & præcipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis.

Nunc mihi sumo Conciliorum, Patrum, tractatorum & Theologorum ac Jurisperitorum fuisse neminem, qui ante Canisium & Bellarminum Ecclesiam ita definierit. Hoc autem observasse, si vere observetur, traditam à Canisio & Bellarmino definitionem Ecclesiæ confutasse, & novitatis, quæ inter Christianos semper suspecta fuit, convicisse est. Jam in antecessum convicimus, cum id fecimus omnino quod faciendum Vincentius Lirinensis consulit in commonitorii 1. contra profanas novitates capite IV. *Quid igitur, ait, faciet Christianus catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem corporis anteponat? Quid si novella aliqua contagio, non jam particulam tantum, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si qua sunt, universaliter antiquitus universalis Ecclesiæ decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil ejusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter* 417
se majorum consulat interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ communione & fide permanentes, Magistri probabiles extiterunt. Et quidquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, docuisse, scripsisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum. Et primum quidem Canisio & Bellarmino antiquitatem opponimus, cui inhærendum est, & novitati resistendum. Deinde Canisio &

Bellar-

Bellarmino Nicolaum I. Lateranense Concilium universale, cui præfuit Innocentius III. Joannem XXII. Martinum V. operum Waldensis approbatorem, Pium II. & Romanum catechismum opponimus. Tum relatas & collatas inter se majorum sententias, quibus nostra ad quæstionem I. responsio adornatur, Canisio & Bellarmino opponimus.

Hinc Celestinum I. & Sixtum III. Canisio & Bellarmino opponimus. Illum quidem, cum in epistola ad Galliæ Episcopos scribit: *Desinat novitas incessere vetustatem.* Hunc in epistola ad Joannem Antiochenum, ubi ait: *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati.*

Denique Canisio & Bellarmino Bellarminum ipsum opponimus, eum varias Ecclesiæ notas scribendo exequitur in libri IV. de iisdem notis capite II. *Secun-*
418 *da,* inquit, *nota est antiquitas.* Et paullo post: *In omni insigni mutatione religionis semper ista sex demonstrari possunt. Primo auctor ejus.* At Canisius & Bellarminus auctores sunt novæ ad Ecclesiæ definitionem accessionis; & quod mireris, cum Bellarminus quempiam ab ea nota, id est, antiqua traditione deflectentem reperit, & proprio appellavit nomine, hunc continuo in opinionis falsæ suspicionem adducit.

Quod autem nova ad Ecclesiæ definitionem accessio repugnet accuratæ definitionis, vel etiam descriptionis legibus, nos docet vir minime suspectus. Is est Andreas Duvallius Parisiensis Theologus in secundum secundæ, tractatu de fide, art. I. *Quid sit Ecclesia?* Adscribo verba: *Generaliter & latissime definitur societas creaturæ rationalis supernaturali cognitione Deo adhærens, ejusque vero cultu inter se communicans.* Et post alia: *Pressior & angustior definitio Ecclesiæ hæc est, societas Fidelium in vero Dei cultu inter se communicantium: Quæ definitio deprompta est ex Lateranensi Concilio, cap. I. ubi dicitur, Una est societas Fidelium: Quæ pacto soli congregationi hominum convenit. Huic autem aliqui addunt, sub uno Pastore Christi vicario; sed hoc magis ad statum Ecclesiæ, quem in novo Testamento à Christo Domino accepit. Præterea ad statum Ecclesiæ hujus vitæ potius, quam ad ejus essentiam ab unoquoque statu abstrahentem spectat.*

Canisius illorum, quos auctor hic ut Dialecticæ im-
419 peritos tacite redarguit, familiam ducit. Sed quæ ratio perficit, ut Canisium & quos habet sectatores, ita redarguat; eadem & perficit, ut Bellarminum irreprehensum præterire non possit. Canisius & Bellarminus idem peccati genus diversa ratione commiserunt, ut Canisii; *quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore,* sic & Bellarmini *sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis.* Verba hæc ad statum Ecclesiæ pertinent; ad Ecclesiæ naturam vel essentiam non pertinent, ut Duvallius scite notavit: Si quidem Ecclesiæ natura, vel essentia in Fidelium seu Catholicorum cœtu tota continetur, & est vera illius definitio. Quinetiam, si fieret Ecclesiæ descriptio, in ea modus quo illa regitur, minime compareret, ut videre est in Magistrorum plurium testimoniis, quæ in responsione ad quæstionem primam referenda esse duxi. Si fieret hominis vel definitio vel descriptio; num, quæso te, definitionem hominis, vel descriptionem modus ille, quo per universum orbem regitur homo, ingrederetur? Ut est multiplex politicæ administrationis modus, sic & homo aliter apud Gallos, Hispanos, Anglos & Polonos; aliter apud Turcas; aliter apud Venetos, Genuenses & similes Italiæ populos; aliter apud Helvetios & Batavos definiretur aut describeretur. Hæc autem est absurda rei complexio, à qua qui Dialecticæ præceptis imbuti sunt, nusquam dissentient: Qui imbuti non sunt, facient quid sibi videbitur. Tota interim errabunt via, & toto errabunt cælo, si velint.

Præterea de Canisio & Bellarmino mox observa- 420
vimus, quod ii suum ad veterem Ecclesiæ definitionem additamentum insigni discordia nobilitaverint. Nam Canisius Fidelium seu Catholicorum congregationem ad statum Monarchiæ reducit; Bellarminus ad statum Aristocratiæ, seu, quod reipsa idem est, ad statum Monarchiæ Aristocratia temperatum: Quæ summa est inter Canisium & Bellarminum discordia. Sed cum insignem illam discordiam propius inspicio, temperare mihi non possum, quin quod habet Tertullianus in libri de præscriptione hæreticorum capite XLII. objiciam: *Mentior, si non etiam,* ait, *à regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam & originis suæ morem profectus rei; idem licuit Valentinianis quod Valentino; idem Marcionitis quod Marcioni de arbitrio suo fidem innovare.* Sic, absit invidia comparationi, licuit Canisio & Bellarmino de arbitrio suo Ecclesiæ definitionem innovare. Id discordiæ genus evenit, eventurumque est semper, quamdiu à pristina traditione & simplicitate recedetur.

Canisius sectatores sortitus est nonnullos, & cum primis Dominicum Bannem in brevioribus ad secundam secundæ, quæst. I. art. X. commentariis: *Notandum est,* inquit, *tertio, quod Ecclesia adhuc duobus modis dicitur: Uno modo, ut sit congregatio eorum, qui fidem in Deum profitentur; & sic eadem est Ecclesia ab* 421
initio mundi usque in finem, & in hac acceptione usus est divus Thomas hoc nomine Ecclesiæ quæst. VIII. art. III. & ita significatur nomine vineæ, ad quam excolendam paterfamilias exiit summo mane conducere operarios.

Altero modo dicitur Ecclesia Fidelium viatorum collectio, quam congregat non solum fides, sed etiam baptismus, qui dicitur fidei sacramentum; & hoc pacto distinguitur ab Ecclesia, quæ fuit in lege naturæ & in lege Moysis: His ita constitutis, facile possumus Ecclesiæ definitionem tradere. Nam si priore modo ex duobus ultimo prædictis accipiatur, Ecclesia est congregatio seu collectio Fidelium; & sic definitur à Nicolao, de consecrat. dist. I. can. Ecclesia: Si autem accipiatur posteriori modo, ex duobus prædictis poterit definiri. Primo universaliter, ut comprehendat etiam hæreticos: Et sic Ecclesia est congregatio hominum baptizatorum, seu protestantium fidem in baptismo. Secundo definietur specialiter, & sic Ecclesia est congregatio Fidelium baptizatorum visibilis sub uno capite Christo in cælis, & vicario ejus in terris.

Deinde in fusioribus commentariis rem ita tractat: *In principio dubitatur primo, utrum Ecclesia sit collectio Fidelium.* Interpositis in contrarium argumentis decem subjicit: *Sed contra est caput, Ecclesia. De consecrat. dist. I. ubi sic Ecclesia definitur: Et glossa super illud I. ad Timotheum III. Quæ est Ecclesia Dei? Dicit, Ecclesia est convocatio multorum ad Dei cultum.* Infra: *Tertio notandum est, quod hanc Eccle-* 422
siam militantem duobus modis accipere possumus, aut pro universitate omnium, qui habuerunt, habent, aut habituri sunt fidem Christi, licet in nullo alio cultu, exteriorique religione conveniant. Quo modo loquitur de Ecclesia divus Thomas III. part. quæst. VIII. art. III. & Doctores asserentes eandem Ecclesiam esse modo cum illa, quæ fuit tempore legis naturæ & Mosaicæ. Quo modo etiam sumitur in cap. Firmiter. De Trinitate, & in extravaganti, Unam sanctam. & cap. Ecclesia. de Consecrat. dist. I. in quibus locis dicitur extra Ecclesiam non patere alicui salutem aut remissionem peccatorum. Aut potest accipi pro collectione viatorum, quos unit fides, cujus exterior confessio facta est in baptismo. Si sumatur primo modo, sic bene definita est à Nicolao, ut refertur de consecrat. dist. I. cap. Ecclesia: Quod sit Fidelium collectio, ut dictum est in argumento. Sed contra. Si verò secundo modo accipiatur, potest definiri; quod sit collectio Fidelium

lium baptizatorum; sive sic, est collectio Fidelium baptizatorum visibilis sub uno capite Christo in cælis, & vicario ejus in terris. Sic apud Bannem definitiones Ecclesiæ sunt duæ: Vetus una quam à Magistro suo sancto Thoma, discipulus: Nova altera, quam ab altero è Societate JESU Magistro, qui vivebat adhuc, accepit. Bannes scribebat anno MDLXXXIII. & Canisius è vivis excessit anno MDXCVII. Cur autem Canisii potius quam Bellarmini definitionem, quæ in libris
423 controversiarum de Ecclesia jam ab anno MDLXXVII. prodierat, optavit, me latet. Quidquid in causa, Bannes mutuatur eam à Canisio definitionem, quam Scripturæ locus, *Tibi dabo claves*, vel, *Tu es Petrus*, vel, *Pasce oves meas*, juxta unanimem Patrum consensum intellectus, ut intelligendum eum esse Tridentinæ fidei professio decernit, objicere non potuit.

Gregorius Valentia è Societate JESU Theologus, in libro VI. de Analysi fidei catholicæ cap. I. rem istam tractat hoc modo: *Ecclesia est congregatio, seu cœtus hominum eorum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti paret.* Hæc est Canisii, sed deformata paullo aliter definitio. At cum Romanus Pontifex non existit, & Romana per annos plures, ut jam accidit, & rursus potest accidere, vacat Ecclesia, qui fiet congregatio seu cœtus eorum hominum, qui antea Romano Pontifici patebat? Sublata una parte definitionis, ut definitio, sic & res definita perit. Vir prudens cum & definitionis novitatem, & exortas è novitate difficultates animo prospiceret, in capite II. ad Ecclesiæ definitiones duas alias, quæ antiquæ concordant, se recepit. *Ecclesia*, inquit, *est eorum multitudo, quos beneficio vocationis divinæ, verus Dei cultus, & vera Dei cognitio indita divinitus conjungit.* Et paullo post: *Definitur adhuc pressius Ecclesia, ut sit hominum multitudo quam congregat, non modo verus Dei cultus in hac vita, & vera cognitio; sed etiam baptismi*
424 *sacramentum, eademque professio Christianæ religionis.* Hæc autem Christianæ religionis professio effecit, ut auctor primam suam Ecclesiæ definitionem tacitus abjecerit: re melius considerata, deprehendit nullum esse Scripturæ locum, qui secundum unanimem consensum Patrum acceptus definitionem illam exhiberet.

Christophorus Gillius è Societate JESU Theologus, in libro I. tractatûs de locis Theologicis, cap. IX. num. II. *Ecclesia*, inquit, *nomine intelligitur universus cœtus Fidelium sub uno Pastore vicario Christi servans unitatem fidei in vinculo pacis.* Hic duo sunt, quæ diligenter & accurate notentur. Unum est, id quod Ecclesiæ nomine Gillius vult intelligi, ante Canisium scriptorem non admodum veterem, intellectum neutiquam fuisse, ut nostra docere te potest ad quæstionem primam responsio; & sane mirum est tanti nominis intelligentiam fugisse Patres, Concilia, Romanos Pontifices, Ecclesiasticos tractatores, Theologos, qui a tempore Apostolorum usque ad Canisium floruerunt.

Alterum est Gillium traditam à Canisio Ecclesiæ definitionem corrigere vel interpolare. Hic auctor à Canisiana definitione verba hæc, *post Christum*, removet. Canisius dicit, *quæ sub uno & summo post Christum capite, & Pastore in terris gubernatur*; Gillius vero dicit, *sub uno Pastore vicario Christi.*

Adamus Tannerus è Societate JESU Theologus, disp. de fide, quæst. III. dub. II. num. XLV. *Quid*
425 *sit Ecclesia? A Doctoribus Ecclesiasticis & Theologis hoc loco in bonam tantum partem pro certo hominum cœtu ad veram Dei cognitionem & cultum, veræque religionis societatem divinitus evocato.* Et paullo post: *Militans Ecclesia rursum aliquando late sumitur pro congregatione Fidelium, seu veram fidem profitentium, qui in quovis statu sive naturæ & ante legem scriptam, sive post legem seu scriptam seu Evangelicam vixerunt aut vivunt.* Infra num. XLVI. *Frequentius tamen, imo, nisi quid addatur, universim hoc loco strictius usurpari solet pro congregatione Fidelium Christianorum, quæ scilicet à Christo collecta, instituta & fundata est.* Et infra: *Qua ratione Ecclesia communiter definiri solet ex catechismo Canisii, omnium fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore in terris gubernatur; explicatius vero juxta ea quæ de membris Ecclesiæ dicentur, definiri potest cœtus Fidelium baptizatorum tam corpori reliquo quam suo capiti visibili in terris legitime adhærentium.* Id postea confirmat auctoritate Cypriani dicentis: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* In hac Tanneri oratione notanda sunt tria.

Primum, quod antiquas Ecclesiæ definitiones, quæ cum ab Ecclesiasticis, tum à Theologis traduntur, non dissimulet.

Deinde, quod antiqua Patrum, Conciliorum, Pontificum & tractatorum traditione qua communiuntur definitiones illæ, non contentus, novas inducat.
Inducit eam, cujus faber & architectus est Canisius; 426
eam veram inducit, quæ ex eo nova est, quod epithetum, *visibile*, capiti jungat, Fidelium alias congregationi jungendum: Nam caput quo de loquitur, visibile semper non est; sed visibilis est semper Fidelium congregatio. Ἀπειρoκαλία est in quam Bannes non incurrit, dum Ecclesiam ita definit: *Est collectio Fidelium baptizatorum visibilis sub uno capite Christo in cælis & vicario ejus in terris.* Id genus vitii effugisset, si quem laudat Canisii catechismum bene didicisset.

Denique, quod suis non expensa momentis Cypriani verba in novæ definitionis confirmationem adducit. Reus factus est erroris illius, quem Vincentius Lirinensis in commonitorii I. capite XI. ita notavit: *Captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paulo involutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur.* Cyprianus explicatur in Resp. ad quæst. I. num VII.

Petrus Cabrera Hieronymianus in tertiam partem quæst. VIII. art. II. *Neque hic est sermo de Ecclesia secundum quandam acceptionem, ut pertinet tantum ad statum legis novæ, secundum quam recte definitur à Catholicis nostri temporis contra recentiores Lutheranos, quod est collectio Fidelium baptizatorum sub uno capite Christo in cælis, & ejus vicario in terris. Hujusmodi ergo acceptio tantum convenit Ecclesiæ secundum legis Evangelicæ statum, quia in lege naturæ aut scripta non*
erat unum caput Ecclesiæ in terris. Sermo itaque est 427
de Ecclesia, prout definitur à Nicolao Pontifice in cap. Ecclesia. De consecrat. dist. I. quod sit collectio Fidelium omnium, qui habent, habuerunt, vel habituri sunt fidem in Deum & in Christum. Qua ratione dicitur esse una Ecclesia, quæ fuit ab initio mundi, & durabit usque in finem.

Cabrera vetustam Ecclesiæ definitionem retinet, & retinendo novam ipse quam tradit, improvidus configit. Deinde tacitus accusat Nicolaum Pontificem, Lateran. Concilium, Martinum V. Waldensis operum approbationem, Pium II. & Romanum catechismum, quod non eam Ecclesiæ definitionem ediderint, quæ ad revincendos recentiores Lutheranos idonea foret. Postremo cum à recentioribus Catholicis, Canisio puta & Banne, Ecclesiam recte definitam esse contra recentiores Lutheranos sibi sumit, oppido quam fallitur, cum hæreticorum novitas doctrinæ antiquitate, non alia novitate repellenda sit. Id à Vincentio Lirinensi, cujus testimonium supra retulimus, discere debuit. Cabrera igitur non sapit ad priscam disputandi contra hæreticos regulam, cum novis Lutheranorum placitis nova sua placita opponit. Non sic disputant Paulus Nazarius, Thomas Stapletonus, Renatus Benedictus,

Claudius

Claudius Espencæus, Alfonsus Salmeron, Melchior Canus, Martinus Peresius, Matthæus Orius, Joannes Gropperus, Joannes Driedo, Guillelmus Estius, & cæteri qui cum Lutheranis novatoribus dimicarunt:
428 Non eversa quidem, sed servata veteri Ecclesiæ definitione, quam alii verbis pluribus, alii paucioribus tradiderunt. Mutatum aliquando in nonnullis vocibus; sed in doctrina nihil mutatum. Id prorsus ei constabit, qui quas e Patribus, Conciliis, Pontificibus & Magistris optimis definitiones Ecclesiæ commemoravimus, sigillatim expendet, inter sese conferet: Et tum demum inveniet singulas, quæ verbis nonnihil diversæ sunt, ad hanc, *Ecclesia est collectio Fidelium seu Catholicorum*, concurrere.

Verumenimvero redeundum est ad Bellarmini definitionem, de qua possunt observari duo, quod illa traditam à Canisio & Banne, & quibusdam aliis Ecclesiæ definitionem funditus evertat. Id mutua definitionum luculenter docet contentio. Canisii & Bannis definitio Ecclesiæ hæc est: *Ecclesia est omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno & summo post Christum capite, & Pastore in terris gubernatur: Vel Ecclesia est collectio Fidelium baptizatorum visibilis sub uno capite Christo in cælis, & vicario ejus in terris.* Bellarmini vero Ecclesiæ definitio hæc est: *Ecclesia una tantum est, non duæ, & illa vera & una est cœtus hominum ejusdem christianæ fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis.* Postrema verba hæc, *sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis*, consistere neutiquam possunt cum
429 istis, *quæ sub uno & summo post Christum capite & Pastore in terris gubernatur.* Hæc omnia labefactant sese mutuo & destruunt.

Cæterum quod de Canisii discipulis mox delibavimus, id ad Bellarminum transferri non potest: Nullus enim, quod sciam, extitit, qui traditam à Bellarmino definitionem Ecclesiæ suos in usus derivaverit; & tamen major est apud Theologos Bellarmini quam Canisii auctoritas. Cur autem hoc ita contigerit si quæras, universim occurrunt mihi causæ quatuor: Quod Canisii definitio adulatricis curiæ fautoribus magis arrideat: Quod Canisii definitio literariorum adolescentium catechismis indita sit, Bellarmini definitio indita non sit. At

> *Quod semel est imbuta recens servabit odorem*
> *Testa diu.*

Quod nonnullos infanus novarum opinionum amor capiat: Quod alios summa nec ferenda teneat principiorum veræ Theologiæ Scripturæ & traditionis ignoratio.

His autem ita positis, quæstioni tertiæ respondeo simpliciter, è Christiana republica fuisse admodum, ut quod Canisius & Bellarminus antiquæ & probatæ ubique gentium definitioni Ecclesiæ addiderunt, non addidissent.

I. Canisii & Bellarmini additamenta ad statum Ecclesiæ pertinent, non ad explicandam amplius rei naturam. Id antea sapienter observavit Duvallius, & unicuique vel leviter cogitanti advolat ad pectus. Sic præterea Canisius & Bellarminus in additamentis
430 suis contra Dialecticorum regulas adhuc peccarunt.

II. Videntur neglexisse beatum Paulum dicentem: *Ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris.* Aliter atque aliter statum Ecclesiæ definiunt, & ab antiqua simplicitate deficiunt, quæ cum ex Scriptura, tum ex Patrum, Conciliorum, Romanorum Pontificum, tractatorum & celebriorum è Schola Theologiæ & Juris Magistrorum traditione comparatur.

III. Si Patres, Concilia, Romani Pontifices, tractatores, celebriores è Schola Theologiæ & Juris Magistri ex una parte, & Canisius ac Bellarminus ex altera contendant inter se, contentionem hanc Tertullianus dirimet in libri IV. contra Marcionem capite IV. *Funis ergo ducendus est contentionis pari hinc inde nisu fluctuante. Ego meum* (titulum) *dico verum, Marcion suum: ego Marcionis adfirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum.* Sic Patres, Concilia, Romani Pontifices, tractatores, & celebriores è Schola Theologiæ & Juris Magistri causam adversum Canisium & Bellarminum obtinebunt.

IV. Si Canisius & Bellarminus ad Vincentium Lirinensem confugiunt, causam amittent, illo judicante
in commonitorii 1. capite IV. *In ipsa catholica Ec-* 431
clesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis rationque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit; Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem & consensionem. Canisius, Canisii sectatores, & Bellarminus in additamentis suis nec universitatem, nec antiquitatem, nec consensionem sequuntur. Hoc meridiana luce clarius est, cum ante illos nemo definivit Ecclesiam, quemadmodum definierunt. Quo fit ut in Canisii & Bellarmini definitionibus Ecclesiæ nec universitas, nec antiquitas, nec consensio reperiri possit.

V. Canisius & Bellarminus in suis Ecclesiæ definitionibus id fecerunt quod exempli res est pessimi: Nam qui à nobis seorsum per religionem sentiunt, si dicant Ecclesiam velle se meliorem in formam reducere, ut Canisius & Canisii sectatores & Bellarminus fundatam in Scripturis & perpetua traditione definitionem Ecclesiæ in formam meliorem reducere se putarunt, quid iis responsuri sint Catholici, nescire me fateor: Respondendo cavere vix possunt, quin arma contra se suppeditent adversariis. Hi reddent quod illi objicient, & successu pari reddent, cum potior non sit in reformanda Ecclesia, quam in reformanda Ecclesiæ definitione novitatis ratio, Parium eadem est natura

VI. Cum aliam ab antiqua definitionem Ecclesiæ 412
tradunt, Nicolaum I. Lateranense Concilium, cui præfuit Innocentius III. Joannem XXII. Martinum V. Waldensis operum approbatorem, Pium II. & Romanum catechismum non mediocri afficiunt injuria. Demonstrant illos non percepisse satis quid esset Ecclesia, cum illam eo definierint modo, qui nonnullis membris, iisque suo judicio præstantissimis captus ac debilis est. Quanta porro sit injuria hæc, tibi & aliis decernendum relinquo.

Nunc veniendum est ad quæstionem quartam & ultimam, quæ ita proponitur: Si nova quædam data esset aut interpolata Ecclesiæ definitio, an retinenda esset sublata veteri; & quænam, si plures essent, retineretur & anteferretur cæteris, dummodo id expedire videretur. Indicata novitatis origine, vel ad antiquam Ecclesiæ definitionem additamento, num quæstioni respondendum sit, diversarum rerum quæ mihi ante oculos ponuntur, specie implicatus hæreo. Si non respondeam, fortassis videbor quærentem spernere, aut certe inutilis & vacua reddetur exspectatio; si vero respondeam, novitati favebo nonnihil in detrimentum antiquitatis, quæ inter præcipuas Ecclesiæ, hoc est, doctrinæ sanioris notas reponitur. Hoc ipsum necessario eveniet, si Canisii definitionem Ecclesiæ pluris habendam esse, quam Bellarmini definitionem Ecclesiæ: Vel contra, si Bellarmini definitionem Ecclesiæ pluris habendam

esse, quam Canisii definitionem Ecclesiæ velim ac
433 recipiam. Sed cum eo me has in angustias re-
dactum sentio, prorsus obmutescerem, nec Bellarmi-
ni definitionem Canisii definitioni præferendam esse
responderem, nisi Romana Ecclesia per suos Præsu-
les, & Sedes Apostolica responsionem meam adjuva-
rent, & penitus sustinerent. Audiendi sunt igitur il-
li Præsules, quorum primus occurrit Gelasius in E-
pistola IV. seu in Commonitorio ad Faustum fungen-
tem legationis officio Constantinopoli. *Euphemium*
vero miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui
dicit Acacium ab uno non potuisse damnari. Itane non
perspicit, secundum formam Synodi Calchedonensis, Aca-
cium fuisse damnatum; nec novit eam, aut se nosse dissi-
mulat, in qua utique per numerosam sententiam Sacer-
dotum erroris hujus auctores constat fuisse damnatos,
sicut in unaquaque hæresi à principio Christianæ religio-
nis, & factum fuisse & fieri manifestâ rerum ratione
monstratur, decessoremque meum executorem fuisse ve-
teris constituti, non novæ constitutionis auctorem? Quod
non solum Præsuli Apostolico facere licet, sed cuicun-
que Pontifici, ut quoslibet & quemlibet locum secun-
dum regulam hæreseos ipsius ante damnatæ à Catholica
communione discernat. Acacius quippe non fuit novi
vel proprii inventor erroris, ut in eum nova scitu prode-
rent; sed alieno facinori se miscuit. Itaque necesse est,
ut in illam recideret justâ lance sententiam, quam cum
suis successoribus per convenientiam synodalem susceperat
auctor erroris. Sic postquam erroris faber & archi-
434 tectus ab universali damnatus est Concilio, Roma-
næ Sedis Præsuli æquales sunt reliqui Præsules in
mandanda executioni sententia contra eos, qui po-
stea damnatum errorem in se recipiunt. Executores
sententiæ hujusmodi sunt pari jure omnes, nisi fortas-
sis quod Romanæ Sedis Præsuli major executionis im-
ponatur necessitas. Id conceptis verbis testatur ipse
Gelasius in Epistola XIII. ad Episcopos Dardaniæ:
Quibus convenienter ex paterna traditione perpensis con-
fidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret,
uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ec-
clesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi sedem
præ cæteris oportere quam primam, quæ & unamquam-
que Synodum suâ auctoritate confirmat, & continuata
moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem
beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Eccle-
sia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.
Vide quomodo Pontifex exequendæ sententiæ ne-
cessitatem majorem in primam sedem propter illius
principatum, quam in cæteras sedes transferat. Hæc
gubernandæ Ecclesiæ ratio longe magis ad Bellar-
minianam, quam ad Canisianam Ecclesiæ definitionem
accedit.

Symmachus in epistola I. ad Æonium Arelaten-
sem Archiepiscopum, ubi censet *unum esse per di-*
versos Antistites sacerdotium ad instar Trinitatis, cu-
jus una est atque individua potestas. In his paucis-
simis verbis notanda sunt tria, quæ æstimari de-
bent maxima; & primum quidem, quod sacerdo-
435 tii unitas cum naturæ divinæ unitate, qua major
fingi nulla vel excogitari potest, comparatur. De-
inde quod sacerdotium illud, cujus unitas est tan-
ta, inter omnes Episcopos dividitur ad instar Tri-
nitatis, cujus una est atque individua potestas, &
in qua personæ tres numerantur, una atque indi-
vidua potestate præditæ. Tum demum quod com-
paratio hæc, cum Bellarminianæ definitioni vix faveat,
quomodo Canisianæ faveret?

Gregorius I. in libri IV. epistola XXXVIII. ad
Joannem Constantinopolitanum Episcopum: *Certe*
Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & univer-
salis Ecclesiæ est; Paulus, Andreas, Joannes, quid a-
liud quam singularium sunt plebium capita? & tamen
sub uno capite (Christo) *omnes membra sunt Ecclesiæ,*
atque ut cuncta brevi cingulo locutionis adstringam, sancti
ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi
perficientes corpus Domini in membris Ecclesiæ sunt con-
stituti, & nemo se unquam universalem vocare voluit.
Hæc Canisianam Ecclesiæ definitionem infirmarent,
Bellarminianam confirmarent.

Deinde in libri VII. Indict. I. Epistola XXIX. ad
Eulogium Alexandrinum: *Indicare quoque vestra bea-*
titudo studuit, jam se quibusdam non scribere superba
vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mi-
hi loquitur dicens, sicut jussistis. Quod verbum jussio-
nis, peto, à meo auditu removere, quia scio quis sum, qui
estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non
ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt indicare curavi; 436
non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum quod
memoriæ vestræ intuli, perfecte retinere voluisse. Nam
dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid
scribere debere; & ecce in præfatione Epistolæ, quam
ad meipsum qui prohibui, direxistis, superbæ appella-
tionis verbum universalem me Papam dicentes, impri-
mere curastis. Quod, peto, dulcissima sanctitas vestra
ultra non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri
plus quam ratio exigit, præbetur. Ego enim non ver-
bis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse de-
puto, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco.
Meus namque honor est universalis Ecclesiæ, meus honor
est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere ho-
noratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non
negatur. Si universalem me Papam vestra sanctitas
dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum, sed
absit hoc: Recedant verba, quæ vanitatem inflant, &
caritatem vulnerant. Quidquid tot verbis exagitatur ab
æquissimo Pontifice, si suis expendatur momentis, ad
Bellarminianam, non ad Canisianam Ecclesiæ defini-
tionem accurret.

Tum demum in ejusdem libri Indict. II. Epistola
LXV. ad Joannem Syracusanum Episcopum, ubi de
Byzaceno Primate criminis accusato sic loquitur:
Nam quod se dicit Sedi Apostolicæ subjici, si qua cul-
pa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus sub-
jectus non sit. Cum vero culpa non exigit, omnes se-
cundum rationem humilitatis æquales sunt. Canisius
verba hæc Gregorii ad definitionem suam aptare 437
nusquam poterit; Bellarminus ad suam aptare sine
negotio poterit.

Gregorius VIII. in Epistola III. ad omnes Eccle-
siæ Prælatos, Episcoporum numero seipsum adscri-
bit. *Quoniam ad Episcoporum maxime spectat officium,*
afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum,
deficientibus licet meritis, me esse voluit, prospicere
tenemur, &c. Respectum habuit ad Romanæ Eccle-
siæ Missale, ubi feria VI. in Parasceve Domini sic
oratur pro Romano Pontifice: *Oremus & pro bea-*
tissimo Papa nostro N. ut Deus & Dominus noster, qui
elegit eum in ordinem Episcopatus, salvum atque incolu-
mem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum populum
sanctum Dei. Hic ergo Pontifex, quo magis ad Bel-
larminianam Ecclesiæ definitionem accedit, eo magis
à Canisiana Ecclesiæ definitione recedit.

Hanc porro & consimilem doctrinam secuta Syno-
dus Tridentina Hierarchiam in sessionis XXIII. ca-
none VI. definiit: *Si quis dixerit in Ecclesia catholica*
non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ
constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris, anathe-
ma sit. Hoc in canone Romanus Episcopus cæteris
aggregatur Episcopis, si ad hierarchiam divina or-
dinatione institutam pertineat. Non pertinere vero
sine errore quis diceret? Quanta porro fuerit in
Tridentina Synodo Romanorum Pontificum auctori-
tas, hæc facit, ut Gelasio, Symmacho, Gregorio I. &
Gregorio VIII. Tridentinam Synodum adjungam. 438
His ita constitutis, relato Tridentinæ Synodi ca-
none Canisiana Ecclesiæ definitio destrueretur po-
tius quam confirmaretur, sed Bellarminiana prorsus
assereretur.

Suc-

Succurrunt Pontifices illi omnes à quibus Episcopi fratres & Coepiscopi vocantur, Stephanus I. in epistola ad Cyprianum, Julius I. in epistola ad Orientales, Liberius in epistola ad Ursacium, Valentem & Germinium, Siricius in epistola IV. ad Africanos, Anastasius I. in epistola ad Joannem Hierosolymitanum, Innocentius I. in epistola VII. ad Rufum, Gerontium, & alios Macedoniæ Episcopos, Zosimus in epistola ad Hesychum Salonitanum, Bonifacius I. in epistola II. ad Rufum Episcopum, Celestinus in epistola ad Episcopos Galliæ, Xistus III. in epistola I. ad Perigenem Episcopum, Leo I. in epistola V. ad Dorum Beneventanum Episcopum, Simplicius in epistola ad Joannem Ravennatem Episcopum, Felix III. in Romana Synodo, cui præfuit, Gelasius I. in epistola ad universos per Picenum Episcopos, Anastasius II. in epistola ad Anastasium Imperatorem, Symmachus in epistola X. ad universos Galliæ Episcopos, Hormisda in epistola X. ad Avitum Viennensem Episcopum, Joannes II. in epistola V. ad Presbyteros & Diaconos Contumeliosi Episcopi, Agapetus I. in epistola X. ad Africanos Episcopos, Vigilius in epistola IV. ad Justinianum, Pelagius I. in
439 epistola III. ad Childebertum Regem, Pelagius II. in epistola III. ad Gregorium Diaconum, Gregorius Magnus in libri II. Indict. II. epistola XX. ad Joannem Episcopum, Martinus I. in epistola ad Joannem Episcopum Philadelphiæ, Joannes VII. in scripto quodam ad Gregorium Portuensem Episcopum, Gregorius II. in epistola ad Clerum & populum, Gregorius III. in epistola II. ad Bonifacium, Zacharias in epistola X. ad Bonifacium, Stephanus II. in epistola V. ad Pippinum Regem, Paulus I. in epistola III. ad Pippinum Regem, Gregorius IV. in epistola ad fratres & Coepiscopos per Galliam, &c. constitutos, Leo IV. in Romano Concilio, quod in causa Anastasii Cardinalis Presbyteri habuit, Nicolaus I. in epistola X. ad Metropolitanos & Episcopos Sedi Constantinopolitanæ subjectos, Hadrianus II. in epistola VI. ad Tricassinam Synodum, Joannes VIII. in epistola VIII. ad Carolum Imperatorem, Joannes XIII. in epistola ad Gregorium Portuensem Coepiscopum, Joannes XX. seu Benedictus XI. in actis Lemovicensis Concilii II. Victor II. in epistola ad Humbertum Coepiscopum, Leo IX. in epistola III. ad Thomam Africanum Episcopum, Nicolaus II. ad Clerum & plebem Sistaricensem, Gregorius VII. in libri I. epistola LXVI. ad omnes monachos & laicos Monasterii sancti Quirici, Victor III. in Beneventano Concilio, Urbanus II. in sermone, quem in Claromontano habuit Concilio, Paschalis II. in epistola XXX.
440 ad Episcopos Angliæ, Callistus II. in epistola ad fratres & Coepiscopos Corsicæ, Hadrianus IV. in epistola III. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ, Alexander III. in epistola LII. ad Philippum Coloniensem Archiepiscopum, Innocentius III. in libri I. epistola ad Aversanum Episcopum, Honorius IV. in privilegio quod Nicolao Tusculano Antistiti concessit, Joannes XXII. tit. V. *Ne Sede vacante.* Tot autem & tanti Romani Pontifices cum uniuscujusque diœcesis Episcopos appellant fratres & Coepiscopos, Canisianam Ecclesiæ definitionem adjuvare non possunt, Bellarminianam adjuvare possunt. Nam si Canisiana consideretur Ecclesiæ definitio, ut Christus in regenda Ecclesia collegas nullos habet; sic & Romanus Pontifex illius vicarius collegas nullos haberet, quod à Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditione multum, ut mox vidimus, abhorret. At si Bellarminiana consideretur Ecclesiæ definitio, Romanus Pontifex in regenda Ecclesia collegas, licet disparili modo, quamplurimos habet.

Huc quoque spectant Romani Pontifices illi omnes qui profitentur ingenue, Ecclesiarum quibus cæteri Antistites præsident, gubernationem iis à Deo commissam esse. Nonnullorum ad exemplum testimonia proferimus.

Leo Magnus præibit in epistolæ LXII. ad Maximum Antiochenum capite II. *Et ideo, frater carissime, oportet dilectionem tuam toto corde perspicere, cujus Ecclesiæ gubernaculis* TE DOMINUS VOLUERIT PRÆSIDERE.

Felix III. in epistola V. ad Flavitam Constanti- 441
nopolitanum Episcopum: *Ne commissæ vobis* DIVINITUS *rationabiles oves, non sine vestro discrimine, quod absit, perire sinantur, exhortor.*

Gregorius III. in epistola III. ad Episcopos provinciarum Germaniæ: *Ut populum vobis* A DEO *commissum piis admonitionibus educeatis.*

Zacharias in epistolæ I. ad Bonifacium Archiepiscopum capite I. *Tua vero sancta fraternitas si quid de cætero evenerit, ut sacri docent canones, studeas emendare in plebibus sibi* A DEO *commissis.*

Hadrianus I. in epistola LXXVII. Carolini codicis ad Carolum Magnum: *Cæteri vero Episcopi atque Presbyteri in eorum degentes Ecclesiis, canonice unusquisque per vestrum regale robustissimum præsidium suum valeant regere populum sibi* A DEO *commissum.*

Leo IV. in epistola ad Britannicæ gentis Episcopos: *Quanto studio, quantaque solertiâ gregem vobis* A DOMINO *commissum pascitis, divinisque fovetis edaliis, nobis directa scripta reserarunt.*

Joannes VIII. in epistola VI. ad Episcopos, qui à Carolo desciscentes Ludovico Regi adhæserunt: *Nonne lux mundi & sal terræ Veritate attestante vos estis?* Et paullo post: *Nonne vos posuit* SPIRITUS SANCTUS *Episcopos regere Ecclesiam Dei?*

Joannes IX. in Ravennati Concilio, ubi sic perorat conversus ad Episcopos LXXIV. qui convenerant: 442
Hortamur ut secundum debitam sollicitudinem commissam sibi A DEO *Ecclesiæ curam unusquisque vestrum agere studeat.*

Paschalis II. in epistola XXI. ad Didacum Compostellanum Episcopum: *Ad hoc* TE OMNIPOTENS DEUS *populo suo præesse constituit, ut ejus peccata corrigas, & Domini annuncies voluntatem.*

Innocentius II. in epistola ad Litifredum Novariensem Episcopum: *In eminente Sedis Apostolicæ specula, disponente Domino, constituti, ex injuncto nobis officio fratres nostros Episcopos diligere, & commissis sibi* A DEO *Ecclesiis suam debemus justitiam conservare; proinde, carissime frater Litifrede Episcope, Novariensi Ecclesiæ, cujus* A DEO *cura tibi commissa est, salubriter providere statuimus.*

Lucius II. in epistola ad Rainerium Ariminensem Episcopum: *In eminenti Apostolicæ Sedis specula, disponente Domino, constituti, ex injuncto nobis officio fratres Episcopos debemus diligere, & Ecclesiis sibi* A DEO *commissis suam conservare.*

Eugenius III. in epistola ad Gottifredum Lucensem Episcopum.

Anastasius IV. in epistola ad Rodulfum Fesulanum Episcopum.

Innocentius III. in privilegio, quod Magnardino Imolensi Episcopo concessit.

Honorius III. in epistola ad Bennonem Senogalliensem Episcopum.

Gregorius XI. in privilegio, quod Rogerio Tri- 443
cariensi Episcopo concessit, rem eandem iisdem verbis perscribunt.

Alexander IV. in epistola ad Rotomagensem Archiepiscopum & comprovinciales: *O formidolosa speculatorum, quos populo suo dispensatio divina præposuit, & periculosa conditio, si perfunctorie res agatur, si eo modo in sollicitudine commissa non militent, quo summus præcepit Imperator, sibi & universo gregi, cui* DEUS *eos* CUSTODES *&* EPISCOPOS *constituit,*

cuit, non attendant. Iis præcipue horrendum erit humanorum operum finale judicium omnibus in commune tremendum. Et quibusdam interpositis: *Exestet vel summi Pastoris amor,* QUI VOS PASCENDOS *rationalibus ovibus præposuit.*

Hæc autem doctrina, quam relati supra Pontifices Romani de pastorali munere cæteris Episcopis divinitus concesso tam disertè tradunt, Bellarminianam Ecclesiæ definitionem ædificat, Canisianam non ædificat, quinetiam susque deque vertit.

Præterea Romani Pontifices sunt multi, qui simpliciter & absolute dicunt, Episcopos Ecclesiam Dei gubernare. Tres in exemplum adfero, ut in tribus verbum illud stare possit.

Innocentium I. in epistolæ II. ad Victricium Rotomagensem Episcopum capite III. *Sacerdotes in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant.*

Gelasium I. in epistola v. ad Episcopos universos
444 per Picenum: *Quapropter nimis incusamus fratres & Coepiscopos nostros, maxime per Piceni provincias Ecclesiam Dei gubernantes.*

Nicolaum I. in epistola I. ad universos Catholicos: *Ignatium virum senem & sanctum ac per* XII. *annos innocenter Dei Ecclesiam regentem, expulerunt.* Iterum in epistola LXVI. ad Carolum Calvum: *Cujus transscriptum exemplar veræ sedis Antistitibus in regno vestro, Ecclesiam Dei gubernantibus, vestra tribus gloria faciat.* Hæc autem omnia in Bellarminianam Ecclesiæ definitionem quadrarent, in Canisianam minime quadrarent.

Quod hic, Innocentius I. Gelasius I. & Nicolaus I. qui diversis claruerunt temporibus, de Episcopis Dei Ecclesiam gubernantibus pronuntiant, & recte, ut credere par est, promuntiant; nec de civitatum Galliæ rectoribus, nec de provinciarum Galliæ gubernatoribus rectè pronuntiare possumus: Quis enim recte, hoc est, simpliciter & absolute pronuntiaret, hos omnes & rectores & gubernatores Regnum Galliæ regere & gubernare? Quid ita? Aliter Ecclesia, & aliter Regnum Galliæ regitur & gubernatur.

Absolvunt omnia Romani Pontifices, qui cæteros alios Pontifices Christi vicarios appellant.

Hormisda in epistola xxv. ad universos Hispaniæ Episcopos: *Ut in Sacerdotibus ordinandis quæ sunt à Patribus præscripta & definita cogitetis, quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem vicarii*
445 *Sacerdotes, sic & in eligendis curam oportet esse perspicuam.*

Gregorius VII. in libri I. epistola XXII. ad Clerum & populum Carthaginensem: *Rixas & contentiones ut venenum vitate, humilitatis discipuli, humilitatem induite, Christo vicem super vos habenti ex debito obedite, consilia, admonitiones ejus vero amore complecti insudate, scientes cum sibi, Christo qui pro vobis passus est, obedieritis; ejus vero prædicationes, judicia ejus etiam cum susceperitis, Christi per omnia suscipietis. Ait enim: Qui vos suscipit, me suscipit; qui vos spernit, me spernit. Aliter vero si feceritis, Christi discipuli esse desinetis, Apostolo resistetis, qui ait: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Cum ergo mundanis potestatibus obedire prædicarit Apostolus, quanto magis spiritualibus, & vicem Christi inter Christianos habentibus,* quos Episcopos esse dicit.

Romana Ecclesia Pontificum est instar plurium in præfatione, quæ in festis Apostolorum legitur: *Æterne Deus, te Domine, suppliciter exorare, ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras; sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eisdem contulisti præesse Pastores.* Sic Christus, canente Romana Ecclesia, non Petro solum, sed etiam cæteris Apostolis tanquam operis sui vicariis, regendam tradidit universam Ecclesiam: Quod in Episcopos Apostolorum successores non potest non transferri.

Hic temperare mihi non possum, quin observem alios esse Doctores sanctos, qui cum agunt de Pa- 446
storibus, & tractant illud, *Pasce oves,* præfationi huic præluxerint; alios esse qui eam sibi prælucentem habuerint. Audiendi sunt igitur, & breviter adjungendi, ut ad quæstionem ultimam nostra finiatur responsio.

Ambrosius in libri de sacerdotali dignitate capite II. *Sic certe à Domino ad beatum Petrum dicitur, Petre, amas me? & ille, Tu scis quia amo te. Et cum tertio fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est à Domino tertio, Pasce oves meas; quem gregem tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.*

Joannes Chrysostomus homilia LXXIX. in Matthæi caput XXIV. *Pasce oves meas,* ad Sacerdotes omnes primi & secundi generis extendit: *Amas me, Petre, inquit, pasce oves meas. Cum tertio ipsum interrogasset, hoc amoris esse argumentum confirmavit, quod ad Sacerdotes non solummodo dictum est, verum etiam ad singulos nostrum, quibus vel minimus grex commissus esse videtur.*

Deinde in homilia II. de prophetiarum obscuritate: *Vos pro omnibus Episcopis, qui Ecclesiam regunt, preces offeratis.*

Tum in libro contra gentiles: *Babylas per eos dies Christi Ecclesiam à Sponsi gratia sibi concreditam cum haberet,* &c.

Denique in homilia XXXVI. super epistolam I. ad Corinthios: *Pacem nunc quoque precatur omnibus is,* 447
qui præest Ecclesiæ, [illegible]

Augustinus tractatu XLVII. ad Joannem: *Petrus Pastor, Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi Pastores.*

Deinde in libri de agone Christiano capite XXX. *Cum ei (Petro) dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pasce oves.*

Denique in Psalmum CVIII. *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur; nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit, sicut est, Tibi dabo claves regni cælorum; & si qua hujusmodi,* ut illud, *Pasce oves meas;* Quemadmodum sanctissimus Ecclesiarum Magister ostendit supra in tractatu XLVII. super Joannem, & in libri de agone Christiano capite XXX. Ut ergo Petrus quando ei dictum est, *Tibi dabo claves,* in figura personam gestabat Ecclesiæ; sic & quando ei dictum est, *Pasce oves meas,* Ecclesiæ quoque personam in figura gestabat.

Petrus Damianus Ostiensis Episcopus & Cardinalis, in opusculi XXVII. capite III. *Episcopi Apostolorum noscuntur obtinere primatum.*

Sanctus Bernardinus Senensis in serm. xx. feriæ III. post Dominicam II. in Quadragesima cap. I. *Primo honorandi sunt Sacerdotes in ratione dignitatis, sicut enim vicarii Dei in terris; Ut animas Christi sanguine redemptas servari curent, & maxime spiritualiter* 448
pascant. In cujus mysterium Joannis XXI. ait Dominus Petro: Simon Joannis, amas me? Dicit ei Petrus: Domine, tu omnia nosti; scis quia amo te. Dicit ei Dominus, Pasce oves meas. Ecce quod Petro in persona aliorum Sacerdotum commissa est à Domino animarum cura. Magna est igitur dignitas Sacerdotum, qui animabus pascendis vicem Dei gerunt in terris.

His autem ita constitutis, Hormisda, Gregorius VII. Romana Ecclesia in præfatione, quæ in festis Apostolorum legitur, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Damianus & Bernardinus, cum Episcopos Christi vicarios proponunt, Canisianam Ecclesiæ definitionem tollunt è medio, & Bellarminianam hinc confirmant, hinc in pronomine (unius) nonnihil emolli-

emolliunt, nisi fortassis per adverbium (præcipue) jam satis emollitum intelligeretur.

Leo X. cum Pauli Germani Mildelburgii libros de recta Paschæ celebratione opera Petri Bembi probavit, probando suos utique fecit. Sic autem inscribuntur: *Ad summum Christianæ aristocratiæ principem, maximumque sacrorum Antistitem Leonem X. Pauli Germani de Mildelburgo, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Sempronensis, præfatio in libros de recta Paschæ celebratione.* Qui tunc dierum titulum hunc ducto ex duobus veræ Theologiæ principiis, Scriptura & traditione, argumento reprobaverit, legere me non memini; sed postquam illum gratum acceptumque habuit Pontifex, quis reprobare ausus es-
449 set? Utut sit, Mildelburgii præfatio inservire Canisio non potuit, Bellarmino inservire potuit, qui & Mildelburgii libros vidisse se in libro de scriptoribus Ecclesiasticis testatur. Hoc igitur quia satis lucet, necesse non est pluribus exponere.

Hactenus Bellarminianam Ecclesiæ definitionem adversus Canisianam propugnavimus, & eo propugnavimus modo, ut Canisiana vel Bannesiana defendi non possit, etiam auxilio scholasticæ Theologiæ, quam falso & per irrisionem Lutherus apud Hieronymum Hangestum Parisiensem Theologum sic definivit: *Scholastica Theologia est ea, quæ a Parisiensium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis & philosophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biformis disciplina conflata est.* Defendi, inquam, non possit per hanc scholasticam, nisi accidentis interveniret fallacia, in qua à re ad modum, à non distributo ad distributum (verba sunt artis) disputatur. Sed Lutherum sic falso Theologiam scholasticam definire præmonui, cum à Parisiensibus apud eundem Hangestum in libro de Academiis, scholastica Theologia hoc modo definitur: *Est divinarum Scripturarum perita receptio, quem Ecclesia approbat, sensu, non spretis orthodoxorum Doctorum interpretationibus & censuris, ac interdum aliarum disciplinarum non contempto suffragio.*

Tunc temporis Parisienses majores nostri non aliam scholasticam agnosci, haberique voluerunt Theologiam, quam quæ hocce modo describitur. Qui 450
illam duas in partes divideret, continuo destrueret, & sciens, sed minime prudens in Lutheri calumniam incurreret.

Jam vides, opinor, vir perspicacissime, Bellarminianam Ecclesiæ definitionem Canisianæ merito anteponendam esse in usu, si ut anteponeretur, certa quædam necessitas exigeret, & in mutuo duarum definitionum conflictu quærendæ & asserendæ veritatis conditio poneretur. Non enim sum nescius Bellarminianam Ecclesiæ definitionem, id est, Bellarminianum ad veterem Ecclesiæ definitionem additamentum, si semel admittatur, Catholicis de novitatibus hæreticorum conquerentibus, incommodare posse. Non repeto, quæ ea super re antea disseruimus. Apposite omnino & sapienter dixit olim nomine suo & Romanæ Ecclesiæ Gregorius VII. cum in libri 11. Epistola 2. scriberet ad Sancium Aragoniæ Regem, non esse permittendum: *Ut aliquid contrarium sanctis Patribus ut exemplum & auctoritatem relinquatur.* Relinqueretur admissa semel ea quæ à Bellarmino traditur, Ecclesiæ definitione, cui adduntur, quæ ad explicandam rei definitæ naturam minime pertinent. Pauciora scribere non potui quam quæ scripsi: Ut multa scriberem, multiplex tua postulabat quæstio.

Cæterum quod contra Canisium, Bannem & alios utriusque discipulos, pro Bellarmino disputavimus: Etiamsi non valeat ad probandum quid sit Ecclesia, valere nihilominus poterit ad probandum quid sit status Ecclesiæ, & in quo consilium 451
illius, regimenque locatum sit. Huc spectant Romani Pontifices pene innumerabiles antiquæ mediæ & postremæ ætatis: Huc quoque spectant laudati cum illis Pontificibus Patres, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Damianus, Bernardinus, & Romana ipsa Ecclesia in præfatione Missæ, quæ de Apostolis celebratur. Interim tu omnia, ut soles, æqui bonique consulas velim. Vale, Lutetiæ Paris. x. Calend. Quintiles ann. MDCLXXIII.

Joannes Launoius

LUDOVICO MARÆSIO

Parisiensi Theologo.

453 QUOMODO disputationes instituendæ sint & tractandæ quæstiones fidei, cum eas definire oportet, ut nonnihil scriberem, auctor cum primis & suasor fuisti. Tu, ut labori tuo parceres, id à me præstari vis, quod ipse successu feliciori præstitisses. Quidquid in causa, vacare me huic operi, si vacandum est, utilius vel securius non posse credidi, quam si corpus in unum compingerem, non quid ea super re mihi videretur, sed quid Apostolis, Conciliis, Romanis Pontificibus, & aliis Patribus visum esset. Hic satis prævideo fore qui dicant, non quid facti, sed quid juris quærendum & asserendum fuit, fortassis istud dicent, sed non recordati ex facto jus nonnunquam trahi. At si quando jus ex facto trahitur, ut sine dubio trahitur, ex Apostolorum, Conciliorum, Romanorum Pontificum, & aliorum Patrum facto trahetur. Sunt quidem, fateor, exempla, quæ referam, sed optima & habenda legum instar, quibus Christianorum nemo sapiens obsequium detrectaturus est unquam. Præterea qua cautione & prudentia exemplum malum fugiendum est, eadem & bonum sequendum esse egregie cordati homines semper intellexerunt. Igitur describo, quæ Apostoli, quæ Concili- 454
lia, quæ Romani Pontifices, quæ Patres alii fecerunt, & posteris, ut recte facta, tradiderunt. Hoc autem in negotio à quibusdam quid faciendum sit, ab aliis quid cavendum præstituitur, sed utrique scopum eundem attingunt. Syntagma nostrum varia in capita distribuam, ne quod nostris mentibus importare lumen debet, tenebrarum aliquid importet.

CAPUT

CAPUT I.

Observatus de Concilio Apostolorum tractandi modus exponitur.

HUJUS operis initium aliunde sumi non potest rectiùs, quam ex Concilio, quod Apostoli contra certos quosdam Pharisæos Hierosolymis celebrarunt; sed quâ ratione celebratum sit, beatus Lucas Actorum cap. xv. sic commemorat: *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi; conveneruntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii*
455 *& credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini* JESU CHRISTI *credimus salvari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes, quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus dicens: Viri fratres, audite me. Simon narravit, quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo, & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum à sæculo est Domino opus suum. Propter quod ego judico non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum; sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbathum legitur. Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur*
456 *Barsabas, & Silam viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum. Apostoli, seniores, fratres, his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem.*

Hic potissimum notanda sunt tria. Imprimis magna fit ab Apostolis super re, quæ definienda erat, conquisitio, etiamsi Sancto Spiritu jam pleni forent, nec alias in decernendo errare possent. Deinde Prophetarum scripta laudantur, excutiunturque. Tum demum Synodica ad fratres, qui ex gentibus erant, epistola conscribitur, quæ Apostolicæ definitionis summam repræsentat.

CAPUT II.

Observatus de Irenæo & Tertulliano tractandi modus exponitur.

IRENÆUS Lugdunensis Episcopus & martyr, & Tertullianus vixerunt iis temporibus, quibus Ecclesiam nascentem hæreses quamplurimæ afflixerunt; eas uterque confutandas suscepit, & cum sciret hæreses quasdam esse doctrinæ novitates, his doctrinæ antiquitatem opposuit. Hæc est in utroque tractandi methodus. Pauca de Irenæo notamus, sed quæ sufficient: ex lib. III. adversus hæreses cap. II. *Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur,* 457
provocamus eos, (Valentinum & Marcionem) adversantur traditioni, dicentes, se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse veritatem. Et quibusdam interpositis: *Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos. Adversus tales nobis certamen est, ô dilectissime, more serpentum lubrici undique effugere conantes.*

Deinde ex eodem lib. cap. IV. *Quid enim? etsi quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in unum credentes Deum,* &c.

Tum ex eodem lib. cap. V. *Traditione igitur, quæ est ab Apostolis, sic se habente in Ecclesia, & permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ est ex Scripturis, ostensionem, & eorum, qui Evangelium conscripserunt Apostolorum: Ex quibus conscripserunt de Deo sententiam, ostendentes quoniam Dominus noster* JESUS CHRISTUS *veritas est, & mendacium in eo non est.* Sic primum traditionem ab Apostolis ad suum usque tempus decurrentem exponit. Deinde 458
Scripturam adfert traditioni consentaneam, ut ex iis tanquam ex duobus Theologiæ principiis, iisque antiquissimis, exortas nuper in Ecclesia novitates comprimat & confundat.

Quarto ex lib. IV. cap. XLIII. *Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris, acceperunt. Reliquos vero, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos & sibi placentes, aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes.*

Quinto ex eodem lib. capite LXIII. *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in universo mundo, & character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit usque ad nos, custodita sine fictione scripturarum, neque additamentum, neque ablationem recipiens.*

Denique ex lib. V. hist. Eusebii cap. XIX. *Ista dogmata ne hæretici quidem, qui erant ab Ecclesia exturbati, unquam affirmare audebant; ista dogmata Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant ipsorum Apostolorum discipuli, minime sibi tradiderunt.* Hæc ibi Irenæus. Antiquitas hæreticis opponi duplici modo potest: Uno, dum ipsa nihil loquitur, ejusque silentium novitatibus opponitur, ut postremus Irenæi
459 locus ostendit; altero, dum loquitur, & eam prædicat doctrinam, quæ novitatibus contraria est. Hactenus de Irenæo, nunc de Tertulliani commentariis decerpenda sunt, quæ eandem ad metam pertinent.

Et primum quidem de lib. præscriptionis hæreticorum cap. XXI. *Hinc igitur dirigimus præscriptionem, si Dominus* JESUS CHRISTUS *Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos Prædicatores, quam Christus instituit, quia nec alius Patrem novit, nisi Filius; & cui Filius revelavit, nec alius videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis, revelavit. Quid autem prædicaverint,* id

id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis & matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit; omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, Christi & Dei. Superest ergo, uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur: Et ex hoc ipso, an cætera de mendacio veniant. Communicamus cum Ec-
460 *clesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.*

Deinde de eodem libro capite XXXI. & XXXII. *Ita ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem.*

Tum de eodem libro capite XXXIV. *His definitionibus provocatæ à nobis, & revictæ hæreses omnes, sive quæ posteræ, sive quæ coætaneæ Apostolorum, dummodo diversæ; sive generaliter, sive specialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ, audeant respondere, & ipsæ aliquas ejusmodi præscriptiones adversum nostram disciplinam. Si enim negant veritatem ejus, debent probare illam quoque hæresim esse eodem forma revictam, qua ipsa revincuntur, & ostendere simul, ubinam quærenda sit veritas, quam apud illos non esse jam constat. Posterior nostra res non est, immo omnibus prior est, hoc est testimonium veritatis ubique occupantis Principatum; ab*
461 *Apostolis utique non damnatur, immo defenditur, hoc erit indicium proprietatis.*

Tertio de lib. contra Hermogenem cap. I. *Solemus hæreticis compendii gratia de posteritate præscribere. In quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreses prænuntiavit, in tantum posteriores quæque doctrinæ hæreses præjudicabuntur, quia sunt quæ futuræ veritatis antiquiore regula prænuntiabantur.*

Ex lib. I. contra Marcionem cap. I. *Non negabunt discipuli ejus, primam illius fidem nobiscum fuisse, ipsius litteris testibus, ut hinc jam destinari possit hæreticum, qui deserto quod prius fuerat, id postea sibi elegerit quod retro non erat. In tantum enim hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum veritas habebatur, quod retro & à primordio traditum est. Sed alius libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis.*

Quarto de lib. IV. cap. IV. *Funis ergo ducendus est contentionis* (de Evangelio Lucæ) *pari hinc inde nisu fluctuante. Ego meum dico verum, Marcion suum; ego Marcionis adfirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. Prior erit res passione, &*
462 *materia æmulatione. Alioquin quam absurdum, ut si nostrum antiquius probaverimus, Marcionis vero posterius; & nostrum ante videatur falsum, quam habuerit de veritate materiam; & Marcionis ante credatur æmulationem à nostro expertum, quam est editum: Et postremo id verius existimetur, quod est serius post tot ac tanta jam opera atque documenta Christianæ religionis sæculo edita, quæ edi utique non potuissent sine Evangelii veritate, id est, ante Evangelii veritatem! Quod ergo pertinet ad Evangelium interim Lucæ, quatenus communio ejus inter nos & Marcionem de veritate disceptat, adeo antiquius Marcione est, quod est secundum nos, ut ipso illi Marcion aliquando crediderit.* Infra cap V. *In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apostolis, pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.*

Denique de libro contra Praxeam capite II. *Hanc regulam* (fidei) *ab initio Evangelii decucurrisse, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Quo peræque adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum sit, id esse verum quodcunque primum, id esse adulterum quodcunque posterius.*

His autem locis omnibus, auctor eandem tundit incudem, & eandem reciprocat serram, qua hæreses comminuuntur, dum scilicet antiquitatem novitati opponit.

CAPUT III.

Observatus de Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum tractandi modus exponitur.

EUSEBIUS semel atque iterum Concilium istud attingit lib. VII. historiæ. Semel quidem cap. 463
XXII. *Omnibus igitur variis temporibus (ut talis occasio) & persæpe in unum convenientibus, in unoquoque congressu orationes habitæ sunt, & quæstiones positæ, cum à Paulo Samosateno, qui peregrinam suam & alienam ab Ecclesia doctrinam adhuc occultare & obtegere moliebatur; tum ab illis, qui ejus errorem, & in Christum blasphemiam patefacere & in apertum proferre omni studio elaborabant.*

Iterum cap. XXIV. in epistolâ synodicâ. *Quoniam Paulus relicto Ecclesiæ canone ad adulterinam depravatamque doctrinam se transtulit, ejus res gestas, cum sit extra Ecclesiæ fines ejectus, nihil attinet disquirere.*

Ex his autem constat, Paulum relicto Ecclesiæ canone, id est, fidei regula, novam & peregrinam doctrinam amplexum esse. Deinde ut erroris coargueretur, orationes habitas esse, quæstiones motas & argumenta proposita, quibus sublata est novitas doctrinæ, & retenta antiquitas. Neque aliud quidquam fieri poterat,
neque alio fieri modo, quam ut novitati vetustas 464
opponeretur.

CAPUT IV.

Observatus de Concilio Niceno adversus Arium tractandi modus exponitur.

SCRIPTORES occurrunt mihi tres, qui hunc modum tractandi memoriæ tradiderunt. Primus est Athanasius apud Theodoretum lib. I. historiæ cap. VII. *Et illi quidem* (hæretici) *tanquam ex stercore vocibus erutis de terra vere locuti sunt. Episcopi vero non sub ipsis voces confinxerunt, sed Patrum testimonio probatas usurparunt. Fuerunt enim ante annos centum prope & triginta prisci Episcopi, tum magnæ Romæ, tum urbis nostræ, qui eos insimularunt, qui Filium creaturam diceret, & consubstantialem Patri negarent. Neque hujus rei ignarus fuit Eusebius Cæsariensis Episcopus qui hæresi Arianæ antea suffragatus, Synodo postea Nicænæ subscripsit, atque ad suos scribens*

scribens idem affirmavit. Novimus, inquit, quosdam ex an-
tiquis disertos & illustres Episcopos & scriptores, cum de
Patris & Filii divinitate loquerentur, consubstantialis voce
usos esse.

Iterum in epistola synodica ad Jovinianum. *Nam*
pro certo scias volumus, Auguste sanctissime, hanc ip-
465 *sam* (fidem de Christo) *ab omni saeculorum memo-*
ria praedicatam fuisse. Hanc confirmarunt sancti Pa-
tres Nicaeae coacti, huic omnes ubique Ecclesiae assen-
sae sunt.

Alter est Socrates lib. 1. historiae cap. v. ubi rem
clarius exponit: *Aderant* (Concilio Nicaeno) *laici*
complures disserendi scientia valde periti, qui erant ad
patrocinium alterutrius partis suscipiendum parati. Et
post alia: *Paullo antequam Episcopi in unum convene-*
rant, Dialectici in quibusdam disputandi tanquam prolu-
sionibus adversus plerosque se exercuerunt. At cum mo-
nulli quasi illecebris ad disserendum traherentur, laicus
quidam ex Confessorum numero, simplici, & sincero ani-
mo praeditus, cum Dialecticis illis congreditur, sicque con-
tra illos verba facit, Christum certe & Apostolos artem
disserendi neutiquam nobis tradidisse, neque inanes falla-
cias, sed mentem apertam & simplicem, quae fide &
bonis operibus integra servari solet. Quae cum dixisset,
cum alii homines, qui aderant, & eum admirati sunt,
& illius approbavere sententiam; tum Dialecticus, ut pri-
mum sincerum veritatis sermonem audiverant, aequo ani-
mo ac placide conquievere. Sic igitur tumultus ille ex
disserendi facultate concitatus, tandem penitus repressus
est. Ita Nicaeni Patres de asserenda Christi divi-
nitate cum tractarent, artem disserendi procul a-
mandarunt, & repudiatis Dialecticorum rationibus
solam majorum traditionem in auctoritatem admi-
serunt.

Tertius idipsum testatur Vigilius Papa in suis ad
universum populum Dei literis, quae encyclicae dici
466 merito possunt: *Sciant igitur universi nos illam fi-*
dem praedicare, tenere atque defendere, quam ab Aposto-
lis traditam, & per successores inviolabiliter custoditam
reverenda Nicaena Synodus CCCXVIII. *Patrum sancto*
Spiritu sibi revelante suscipiens redegit in Symbolum.
Novator igitur, seu potius instaurator novitatis fuit
Arius, qui praedicatam ab Apostolis fidem, & à suc-
cessoribus retentam perturbavit: Arii porro novitas
nec fuit, nec esse, nec dici quoque potuit, nisi quia
contradiceret antiquitati. Cum Arium novitatis seu
novae & damnatae opinionis instauratorem nomino,
Athanasius & Alexander Alexandriae Episcopus mihi
ante oculos obversantur. Ille dum in libro de Syno-
dis ait: *Quasi nescirent, ante Concilium Nicaenum hae-*
resim istam (Arii) *abominabilem fuisse, quo tempore Ar-*
temas ejus fundamenta jaciebat. Hic dum apud Theo-
doretum in libri 1. hist. capite III. ad Alexandrum
Constantinopolitanum Episcopum ita scribit: *Multa*
dicere cum haberem, dilectissimi, missa facio, quid absur-
dum putem Doctores, qui nobis consentiunt, pluribus admo-
nere. Ipsi enim à Deo edocti estis, non ignorantes istam,
quae adversus Ecclesiasticam pietatem nuper se extulit, E-
bionis & Artemae doctrinam esse, aemulationemque Pauli a-
pud Antiochiam Samosateni, qui omnium passim Episcopo-
rum Concilio & judicio ab Ecclesia est ejectus, cuique
succedens Lucianus diuturno trium Episcoporum tempore
exclusus ab Ecclesia mansit. Horum impietatis hausta faece,
467 *nunc nobis, qui ex non extantibus dicuntur, velut occulta il-*
lorum germina prodierunt, Arius & Achillas, & reliqua
cum eis turba improborum.

Alexander Alexandrinus dicit quidem Paulum Samo-
satenum ab Antiocheno damnatum fuisse Concilio;
sed qua ratione damnatus fuerit, non dicit. Dicunt
Hilarius & Athanasius. Ille in epistola de Synodis:
Male intelligitur, homousion, quid ad me bene intelligen-
tem? Male homousion Samosatenus confessus est; sed num-
quid melius Ariani negaverunt? Hic in libro de Synodis
Arimini & Seleuciae: *Caeterum quia affirmant, cum*
Epistola penes me non erat, Episcopos qui Samosatensem
condemnarunt, dixisse Filium non esse Patri consubstan-
tialem, ac jam deinde ipsos, qui ita locuti sunt, ab hac
voce abhorrere, rectum fuerit reverenter cum iis de ea
re disceptationes facere. Nam arietare cum illis prorr-
sus indecorum est, eo quod omnes Patres sint. Rursus
dijudicare istos bene, illos male dixisse nequaquam san-
ctum est: Omnes enim in Christo dormierunt. Quapropr-
ter neque contentiosius agendum est, neque numerus eo-
rum qui congregati fuerunt, in comparationem mittendus,
ne videantur trecenti illi Nicaenses, eos qui pauciores
sunt, praestringere, neque tempora metienda sunt, ne pri-
ores videantur posteriores exauctorare. Omnes enim i-
sti (quemadmodum dixi) Patres sunt; sed tamen,
neque isti, quasi novum aliquid sapientes id in scri-
pta retulerunt, neque sui fiducia voces in Scriptura
non solennes defendunt, sed à Patribus incitati eo-
468 *rum vocabulis uti voluerunt. Duo enim Dionysii diu* 468
ante eos septuaginta fuere qui Samosatensem sustulerunt,
quorum alter Romae, alter Alexandriae Praesul e-
rat. Ibi cum quidam Alexandrinum Episcopum apud
Romanum accusarent, quasi qui Filium opus, & non
consubstantialem Patri diceret, & Synodus Romae co-
acta indigne tulit, & Romanus ad cognominem sibi
Episcopum omnium sententiam perscripsit, ac sic inde
ille se ad defensionem parans, libello suo titulum refutatio-
nis & apologiae indidit, & in haec verba ad Romanum
scripsit: Ego & in alia Epistola scripsi, ubi ostendo
crimen quod deferunt contra me, falsum esse, quasi di-
cerem, Christum non consubstantialem esse Deo. Nam
tametsi dico, me id nomen non reperisse, nec legisse alicubi
in sacris literis; rationes tamen nostrae quas retinuerimus,
non abludunt ab hac sententia. Et post expositas ratio-
nes illas subdit Athanasius: *Si igitur aliquis carpit Ni-*
caenses, quod non dixerint omnia, quae ipsorum antecess-
soribus placuerunt, idem quoque merito carpserit septua-
ginta Episcopos Pauli Samosatensis condemnatores, quod
ea quae antecessorum erant, non observaverint. Antecesso-
res autem eorum fuere duo isti Dionysii, caeterique, qui
Romae tum congregati fuere. Verum neque hos, neque
illos fas est culpare. Omnes enim Christi curam gessere,
studiaque sua contra haereticos intenderunt: Et hi qui-
dem Samosatensem; illi vero Arianam haeresim con-
damnaverunt; bene vere & hi & illi pro subjecta materia,
[illegible] *scribunt, & quemadmodum*
beatus Apostolus in Epistola sua ad Romanos dixit: 469
Lex spiritualis est, lex sancta est, & praeceptum sanctum
& justum. Et paullo post: Et legis impotentia quatenus
invalida est. Ad Hebraeos vero aliter scripsit: Lex ne-
minem perfecit. Itidem, & ad Galatas: In lege, in-
quiens, nemo justificatur: Ad Timotheum contra legem
bonam esse dixit, si quis ea legitime utatur; neque tamen
quis ob id sanctum virum reprehenderit, quasi qui con-
traria & pugnantia scribat; sed potius eum admiratione
prosequatur, quod cum congruentia pro re nata ad singulos
scripta mittat, ut & Romani & alii condiscerent à litera
ad spiritum converti; Hebraei vero & Galatae instituerен-
tur, non in legem, sed in datorem legis spem suam ha-
bere. Ita quoque etsi amborum Conciliorum Patres di-
versimode de consubstantiali mentionem fecere; non tamen
ea de causa ab illis dissidere debemus, sed illorum men-
tes scrutari: Quod si fecerimus omnino, inveniemus
ambas Synodos inter se consentire. Qui enim Samosaten-
sem sustulerunt, hanc vocem consubstantiale, τὸ ὁμοούσιον,
corporaliter accepere, cum Paulus sophisticari vellet, &
diceret, si Christus non ex homine Deus factus est. I-
gitur est consubstantialis Patri; & necessario sequitur tres
esse substantias, unam quidem quae prior sit, ut prin-
ceps; reliquas vero duas ex ea oriundas: ideoque merito
vitantes illud sophisma Pauli, dixere, Christum non esse
consubstantialem; non enim ita se habet Filius ad Pa-
trem, ut ille cogitabat; illi vero qui Arianam haeresim
anathemate notarunt, cognoscentes non creaturam, sed geni- 470
tum quiddam ex substantia Patris Filium esse, & sub-
stantiam

stantiam Patris originem, radicem & fontem esse Filii, & veram undecunque esse similitudinem geniti cum genitore, & nequaquam eum, uti nos, diversa natura esse, ac perinde separari à Patre; sed ipsius eum esse Filium, nec ab eo dividi posse, ut nec splendor à luce: Et pro se habentes Dionysii exempla, fontem scilicet, & consubstantialis assertionem; & praeterea unitricem Salvatoris vocem, ego & Pater unum sumus, & qui vidit me, vidit & Patrem meum: His de causis merito inducti sunt, ut Filium consubstantialem dicerent: Et quemadmodum nunquam quisquam, ut superius dixi, Apostolum culpaverit, quod de lege ad istum modum Romanis; ad illum vero Hebraeis scribat: Ita Neoterici priscos homines nunquam culpaverint, si viderint eorum mentem & interpretationem; neque rursus prisci Neotericos reprehenderint, si conspiciant, quo animo, & in quem usum de Domino scribant. Nam utraque Synodus justam habet & rationabilem causam, cur illa ad illum; ista vero ad istum modum verba sua temperaverit. Quandoquidem enim & Samosatensis sentiebat, Filium ante Mariam non fuisse, sed ab ea initium suæ essentiæ accepisse; ideo Episcopi tunc congregati hominem hærescos condemnatum abdicarunt, & de Filii divinitate simplicius scribentes, non exquisitam diligentiam in tractatu hujus vocis, consubstantialis, adhibuerunt; sed ut acceperunt de consubstan-
471 *tiali, ita locuti sunt. In eo enim omnem curam habebant, ut quod Samosatensis excogitarat, tollerent, & docerent ante omnia Filium fuisse, eúmque non ex homine Deum esse factum; sed cum Deus esset, induisse servi speciem; cum Verbum esset, carnem esse factum, quemadmodum Joannes locutus est: Atque ita adversus Pauli blasphemias actum esse. Verum, quia Eusebius & Arius, ante tempora quidem fuisse Filium dicerent; sed tamen factum esse, & unum ex creaturis esse docere conarentur, & dictum illud ex Deo non ita interpretarentur, ut Filium genitum ex Patre vero natum crederent; sed eum ita ex Deo esse, ut cætera creata affirmarent, & similitudinis unitatem Filii cum Patre negarent essentia aut natura constare, ut solido Filius Patri suo similis haberi possit; sed consensu dogmatum, rationeque doctrinæ eam similitudinem conflatam esse: Et quia intersepiebant, & omnibus modis alienabant essentiam Filii à Patre, aliud ei initium existendi effingentes, ad creaturarum censum eum detrudebant: Ideo Nicææ congregati Episcopi, conspicati eorum hominum, qui ita sentiebant, vafritiem, collectis in unum, quæ ex sacris literis ad sententiam suam tuendam facerent, liquidius rem exponentes, Filium consubstantialem esse asseverarunt, ut ingenuitas & vera natura Filii inde significaretur, nihilque cum eo rei creatis commune habere edocerent. Vocis enim istius exquisita ratio eorum simulationem, cum dicunt eum ex Deo esse, patefecit, & omnes eorum argutias, quibus simpliciores falluut, excludit. Certe cum om-*
472 *nia queant fucis lenociniisque sophismatum adulterare, & pro libidine mutare, hanc solam vocem adaperientem ipsorum hæresim reformidant, quam Patres pro munimento & arce contra illorum impias commentationes in scripta retulerunt. Desinat igitur omnis contentio, neque in nos mutuo arietemus, si diversimode Concilia acceperunt Verbum consubstantiale.* Ad Alexandri Alexandrini, Hilarii & Athanasii textum animadvertenda sunt nonnulla, quibus antiquitas dogmatis per nomen, ὁμοούσιον, exhibiti asseritur, assertaque confirmatur.

Et primum quidem Patres, tam qui Paulum Samosatensem, quam qui Arium condemnaruut, nihil novum decrevere: Atque inde necessario consequitur, ut in condemnatione hac, quod antiquum erat, retinuerint, nempe Christi divinitatem, quam illi vetustiores hæretici, Ebion, Artemas sive Artemon & Theodotus Coriarius detraxerant, & detrahendo fundamenta jecerant, quibus Paulus Samosatensis, & Arius errores suos postea superstruxerunt.

Deinde Ebion, Artemas seu Artemon, & Theodotus in hæreticis habiti non sunt, nisi quod contra doctrinæ veræ antiquitatem, novum de Christo dogma invexerint.

Tum par est credere doctrinæ de Christo veræ antiquitatem præ se tulisse nomen, ὁμοούσιον, quo novum Ebionis, Artemæ seu Artemonis, & Theodoti dogma percelleretur. Hoc autem, uti credam, inducunt me duo. Unum, quod Paulus Samosatensis nomen ὁμοούσιον,
perperam intellexerit, & sic perperam intelligendo 473
hæreticus evaserit. At Paulus nomen, ὁμοούσιον, perperam intelligere non potuit, nisi illud antea usus consecrasset Ecclesiæ, & damnati Ebionis, Artemæ seu Artemonis & Theodoti hæresibus tanquam aheneum murum objecisset. Ut Antiochiæ, sic & Alexandriæ & Romæ celebris erat τοῦ ὁμοουσίου professio. Quod Athanasius in epistola ad Africanos testatur: *Prisci*, inquit, *Episcopi abhinc annis prope centum & triginta, tum qui Romæ, tum qui in nostra civitate pontificatum gessere, accusaverunt eos qui Filium Dei creaturam dicerent, aut qui negarent eum consubstantialem Patri.* Hoc ipsum in causa fuit, cur quidam Dionysium Alexandrinum apud Dionysium Romanum accusarent, quasi qui Filium opus, & non consubstantialem Patri diceret. Alexandrinus accusationem diluit, quomodo eum diluisse, supra retulimus: Scripserat duntaxat, nomen, ὁμοούσιον, nec reperisse, nec legisse se in sacris literis; sed in Ecclesia retinendum illud non esse, minime scripserat aut dixerat, quinetiam retinendum illud esse pluribus rationum momentis asseruerat.

Alterum, quod nullum certum assignari tempus possit, quo post Apostolorum ætatem nomen, ὁμοούσιον, usurpari cœperit in Ecclesia Dei, vel quod nullum certum assignari Concilium possit, aut ullius gentis Pontifex, à quo ut usurparetur, institutum fuerit. Quamobrem recte credendum est, nomen istud à pristina traditione descendere, quæ & multis Scripturæ locis fulcitur & confirmatur. Antiqua igitur
res est, qua novitas Ebionis, Artemæ seu Artemo- 474
nis, Theodoti, Pauli & aliorum confoditur. Hinc Hilarius & Athanasius prudentissimorum hominum nobile par, rationem reddunt peridoneam, cur Antiocheni Patres nomen, ὁμοούσιον tollendum, & Nicæni restituendum esse censuerint. At tollendo & restituendo hoc nomine unum utrique decreverunt.

Scilicet, quidquid id est, contra hæreticos fecerunt: Contra Paulum, qui τὸ ὁμοούσιον perperam intellexerat; & contra Arium, qui perperam negarat. Sed in ista consiliorum varietate nulla fuit inconstantia; sed stata potius, fixaque in vindicanda, retinendaque Christi divinitate constantia. Sic unum utrique tam Antiocheni quam Nicæni Patres decreverunt. Rem istam Athanasius numeris suis sic absolvit, ut nihil supra esse possit. His autem ita constitutis, luculenter apparet Athanasium vere dixisse quod eum dixisse proposuimus.

Postremo nonnihil humani passi sunt Augustinus,
cum tractatu XCVII. in Joannem scribit: *Adversus* 5
impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen Patres homousion condiderunt.

Fulgentius, cum in Responsione ad Arianorum objectionem VII. dicit: *Hanc Patres nostri per omnia Christi secuti doctrinam*, (Ego & Pater unum sumus) *unius esse substantia Patrem Filiúmque dixerunt, quod Græco homousion dictum est: Illa scilicet ratione, quoniam in Græcia nova tunc emerserat hæresis, quæ unigenitum separare nitebatur à substantia genitoris.*

Vigilius Afer in illo dialogo, ubi Athanasium & 475
Arium coram Probo disputantes inducit. *Quoniam*, inquit, *res antiqua novum nomen* (homousion) *accipit, non vocabulo novo nova res virtus accessit: Hoc itaque requiro, utrum res, quæ antiqua est, simul à te cum nominis novitate damnetur.* At si Hilarii tractatum de Synodis, Alexandri Alexandriæ Episcopi ad Alexandrum

Constantinopolitanum epistolam, & varia Athanasii opera paullo legissent attentius, in hunc errorem non incurrissent. Dicenda sunt cum veritate, quæ veritas ipsa gessit.

Porro autem his omnibus attexo Vincentium Lirinensem, qui qua ratione Christiani sese adversus Nicænæ fidei perturbatores munierint, sic docet cap. VI. commonitorii. *Item quando Arianorum venenum non jam portiunculam quandam, sed pene totum orbem contaminaverat, adeo ut prope cunctis Latini sermonis Episcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur; quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret, tunc quisquis verus Christi amator & cultor extitit, antiquam fidem novella perfidia præferendo, nulla contagii ipsius peste maculatus est. Cujus quidem temporis periculo satis superque monstratum est, quantum invehatur calamitatis, novelli dogmatis inductione.* Et post alia: *Namque cum profana ipsa Ariorum novitas velut quædam Bellona aut Furia capto primum omnium Imperatore, cuncta deinde palatii*
476 *culmina novis legibus subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere atque vexare.* Et post pauca: *Atqui hæc omnia nunquid ullam aliam ob causam, nisi utique dum pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur, dum bene fundata antiquitas scelesta novitate subruitur, dum superiorum instituta violantur, dum rescinduntur scita Patrum, dum convelluntur definita majorum, dum sese intra sacratæ atque incorruptæ vetustatis castissimos limites profanæ ac novellæ curiositatis libido non continet.*

Deinde cap. VII. *Sed forsitan odio novitatis & amore vetustatis hæc fingimus. Quisquis hoc æstimat, beato saltem credat Ambrosio, qui in secundo ad Imperatorem Gratianum libro acerbitatem temporis ipse deplorans, ait: Sed jam satis, omnipotens Deus, nostro exitio, nostroque sanguine, Confessorum neces, exsilia Sacerdotum, & nefas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit eos, qui violaverint fidem, tutos esse non posse.* *Item in tertio ejusdem operis libro: Servemus igitur,* inquit, *præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausu rudi temeritate violemus.* Et post pauca: *Quos, inquam, pro religiosæ vetustatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit, ut per eos prostratas restauraret Ecclesias, extinctos spiritaliter populos vivificaret, dejectas Sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas novellæ impietatis, non literas, sed lituras, infuso cœlitus Episcopis Fidelium lacrymarum fonte deleret. Universum postremo jam pene mundum sæva repentinæ hæreseos tempesta-*
477 *te perculsum, ad antiquam fidem à novella perfidia, ad antiquam sanitatem à novitatis vesania, ad antiquam lucem à novitatis cæcitate revocarent.* Hæc ille, quibus Arii novitatem catholica vetustate prostratam esse contendit, & recte, ut vidimus, contendit.

CAPUT V.

Observatur de Concilio Milevitano II. contra Pelagium tractandi modus exponitur.

IN hanc rem, qua vetustas novitati opponitur, illustrissimum est caput II. quod sic se habet: *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari; sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur: Unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit: Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere po-* 478
tuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Quæ dirimendarum fidei controversiarum ratio duobus in momentis consistit, tota hic omnino repræsentatur. Imprimis Pelagio Scripturæ locus objicitur; deinde perpetua catholicæ Ecclesiæ traditio, qua Scripturæ locus intelligatur. Res igitur eo recedit, ut Pauli testimonium eo intellectum sensu, quo catholica Ecclesia non quomodocunque sumpta, sed ubique diffusa, non uno duntaxat tempore, sed semper intellexit, tanquam certa præscribatur ratio, ad quam debeat Pelagii novitas expendi. Quod ut convenienter huic instituto fiat, præstanda sunt duo. Ex Pelagii verbis ponenda novitas ipsius, & Pauli locus in quo explicanda reluceat Patrum universitas, consensio & antiquitas.

CAPUT VI.

Observatur de beato Hieronymo & Augustino contra hæreticos tractandi modus exponitur.

HIeronymus duos edidit libros, in quibus ille tractandi modus offenditur: Unum adversus Helvidium; alterum apologiam pro libris adversum
Jovinianum compositis. Hæc autem in primo tradit: 479
Non Rhetorici campum, non Dialecticorum tendiculas, nec Aristotelis spineta conquirimus; ipsa Scripturarum verba ponenda sunt, ut ipsis, quibus adversum nos usus est testimoniis revincatur. Allatis igitur, & in bonum sensum explicatis pluribus Scripturarum locis, subjicit: *Sed quoniam jam è cautibus & confragosis locis enavigavit oratio, pandenda sunt vela, & in epilogos illius currendum, in quibus scioles sibi visus, Tertullianum in testimonium vocat, & Victorini Petavionensis verba proponit. Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse. De Victorino vero id assero, quod & de Evangelistis fratres eum dixisse Domini, non filios Mariæ, fratres autem eo sensu, quem superius exposuimus, propinquitate, non natura. Verum nugas terimus, & fonte veritatis omisso, opinionum rivulos consectamur. Nunquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commovere; Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Justinum martyrem, multosque alios Apostolicos & eloquentes viros, qui adversus Hebionem & Theodotum Byzantium, Valentinum, hæc eadem sentientes, plena sapientiæ volumina conscripserunt?* Sic igitur Helvidium refellit Hieronymus, & confirmat Mariam perpetuo fuisse virginem, cum divinis literis, tum maxime jugi sanctorum Patrum traditione: Uno verbo dicam, Helvidii novitatem antiquitate confutat.

Postquam Hieronymus virginitatis gloriam ac de-
cus contra Jovinianum variis Scripturarum testimo- 480
niis asseruerat, Jovinianus illi respondendo multa de suis libris objecit, quibus ita respondit in apologia: *Dum autem viveret sanctæ memoriæ Damasus, librum contra Helvidium de beatæ Mariæ virginitate perpetua scripsimus, in quo necesse fuit nobis ad virginitatis beatitudinem prædicandam multa de molestiis dicere nuptiarum. Num vir egregius & eruditus in Scripturis, & virgo, & virginis Ecclesiæ Doctor aliquid in illo sermone reprehendit? In libro quoque ad Eustochium multo duriora de nuptiis diximus, & nemo super hoc re læsus est. Amator quippe castitatis, præconium pudicitiæ, intentus aure capiebat. Lege Tertullianum, lege Cyprianum, lege Ambrosium, & cum illis me vel accusa, vel libera.* Sic Joviniani novitatem Patrum antiquitate & consensione repellit.

Ad

Ad Augustinum quod attinet, eandem ille servat disputandi methodum adversus Donatistas & Pelagianos. Hæc sunt testimonia, quibus id comprobatur. Ex lib. II. de baptismo contra Donatistas cap. IX. ubi postquam retulit Cypriani verba quædam ex epistola ad Quintum, subjicit: *Hac attestatione satis ostendit, multo magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem.*

Iterum ex lib. IV. cap. XXIII. de baptismo infantium: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed*
481 *semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Rursus ex lib. I. contra Julianum cap. III. *Sed tu quia tam crebro nobis Manichæorum nomen opponis, quot & quales viros, & quantos fidei catholicæ defensores, tam exsecrabili criminatione appetere audeas, si evigilas, intuere. Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor, quia nimis longum est, & necesse esse non arbitror; sed paucorum pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit. Irenæus Lugdunensis Episcopus non longe à temporibus Apostolorum fuit, iste ait.* Et post relatum illius testimonium: *Multo autem apertius de eadem fide beatissimus Martyr & Episcopus Cyprianus.* Et post relatum illius testimonium: *Reticius ab Augustoduno magna auctoritatis Episcopus cum de baptismo ageret, ita locutus est.* Et post relatum illius testimonium: *Olympius Hispanus Episcopus, vir magnæ in Ecclesia & in Christo gloriæ, in quodam sermone Ecclesiastico.* Et post relatum illius testimonium: *Hilarius Ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimus defensor, Episcopus Gallus, cum de Christi carne ageret, attende quid dixerit.* Et post relatum illius testimonium: *Ambrosius excellens Dei dispensator, cum secundum Lucam exponeret Evangelium, inquit.* Et post relatum ejus
482 testimonium multiplex: *I nunc, & mihi objice originale peccatum, dissimulatum ab istis; finge te nescire quid dicant, & sancta Ecclesia tot tantosque Doctores, qui vita optime gesta, debellatisque suorum temporum erroribus gloriosissime de hoc sæculo, antequam vos ebulliretis, exierunt.* Et post alia cap. V. *Sed non tibi deerit magni nominis & famæ celeberrimæ illustris Episcopus, etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiæ etiam in linguam Latinam usquequaque claruerunt. Sedeat ergo cum istis Patribus sanctus Gregorius. Audi ergo quid dicat.* Et post relatam ejus sententiam: *An tibi parva in uno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur auctoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc, nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret, nec illi cum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissima veritatis agnoscerent. Sed, si vis, addimus huic sanctum Basilium, imo velis nolis addendus est.* Et post relatam illius sententiam adjungit: *Quid plura? Vide jam utrum sufficiant tibi ex Orientis partibus duo isti tam insignes viri, & tam clara præditi sanctitate: Sed dic non sufficere. Habemus alios Orientales Episcopos quatuordecim, Eulogium, Joannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zosimum, Zoboennum, Nymphidium, Chromatium, Jovinum, Eleutherium, Clematium, quos uno loco simul inventos in istum consessum introducere valeamus, illos ipsos, qui Pelagio judices præsederunt, eum-*
483 *que, ut homines, nullo ex altera parte urgente adversario, putantes catholicum tanquam catholicum pronunciarunt. Nisi enim in eorum conspectu, auditu que damnasset eos, qui dicunt, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quod infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum.*

Iterum ex cap. VI. ubi objectum sibi ab Juliano Chrysostomum diluit: *Itane verba sancti Joannis Episcopi audes tanquam è contrario tot talium sententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coepiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores, salva fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.* Sic Augustinus, ut ipse loquitur in expositione sententiæ Reticii, Julianum persequitur, tanquam eum, qui auderet contra veteres Ecclesiarum Magistros, *ruinosam construere novitatem.* Sic Augustinus, ut ipse adhuc loquitur in expositione sententiæ Olympii, novitias Juliani præsumptiones catholica antiqui- 484
tate subvertit.

Rursus ex lib. II. contra Julianum cap. X. *Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati, & in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi Sacerdotes Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Joannes, Basilius, quibus addo Presbyterum, velis nolis, Hieronymum, ut omittam eos qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam.* Et quibusdam interpositis: *Sed Ambrosium aliosque collegas ejus, quos cum illo commemoravi, tales fuisse credendum est: Verum etsi tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas, & inter partes cognitas, cum hic viverent, suo judicio finierunt; ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt, neque nobis, neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos judices aliquid agebamus, & apud eos est acta causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus, nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus.* Sic frequenter & perseveranter contra Julianum eam insistit viam, qua per antiquitatem novitas conculcatur.

Cæterum his non debet opponi, quod sanctus Do- 485
ctor ita scribit in libri III. contra Maximinum capite XIV. *Hoc est illud homousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos à catholicis Patribus veritatis auctoritate & auctoritatis veritate firmatum est, quod postea in Concilio Ariminensi propter novitatem verbi minus quam oportuit intellectum; quod tamen fides antiqua pepererat.* Et paullo post: *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* At multiplex ratio est, cur hic locus unus multis opponi nequeat. I. Quia multi sunt quibus unus opponatur, & unus multis resistere non potest. II. Hunc concertandi modum peperit incognita beato Augustino τοῦ ὁμοούσιου antiquitas. Augustinus novum illud nomen esse credidit; quod tamen antiquum erat, ut supra in capite IV. vidimus. III. Exemplum simile nullum præcessit, aut subsecutum est, videlicet, ut Scripturis solis, & humanis rationibus seclusa Patrum traditione fidei dogmata sancirentur. IV. Hæc est veluti prærogativæ tabula, quam sanctus Doctor bonitate causæ confisus adversario de-

dit. Non absimilem prærogativæ tabulam in disputationibus Rhetores & Philosophi dare solent, non Ecclesiastici tractatores.

CAPUT VII.

Observatus de Cyrillo Alexandrino contra Nestorium scribente tractandi modus exponitur.

486 CYRILLUS Alexandriæ Episcopus cum alia multa scripsit adversus Nestorium, tum illum quoque librum, qui Reginis nuncupatur. Hæc est libri inscriptio. Prædicarat Nestorius beatam Mariam dicendam non esse Deiparam; sed contra Cyrillus talem esse dicendam sensit, & Nestorianæ novitati objicit antiquitatem Patrum, quos hoc in operè sic laudat cap. IX. *Porro autem vocem hanc, Deipara, veteribus, Patribus, quorum sanctimoniam, & fidei integritatem admiramur, necnon omnibus, qui eos deinceps hucusque sunt secuti, per universum, ut ita dicam, terrarum orbem familiarem esse existimavi. Ne enim citra delectum, & temere quidquid in mentem venerit, effutire videar, argumentis ex libris, quos illi ad Ecclesiæ utilitatem composuere, petitis, atque huc in medium allatis, orationis meæ veritatem confirmare studebo.* Sequitur indiculus Patrum, quorum auctoritates commemorat Cyrillus.

Athanasius Alexandriæ Episcopus ex libro de In-
carnatione, Atticus Episcopus, Antiochus Episcopus,
Amphilochius Iconiensis Episcopus, ex libro de ge-
487 neratione Domini secundum carnem; Ammo Epis-
copus Adrianopoleos, Joannes Episcopus Constanti-
nopolitanus; ex libro de divina generatione; Seve-
rianus Episcopus, Vitalius Episcopus, ex sermone de
fide; Theophilus Episcopus, ex sermone inscripto ad
eos, qui cum Origene sentirent.

Sequitur indiculus multarũ assertionum, quæ ex Scripturis probantur, & Nestoriano dogmati opponuntur.

PRIMA ASSERTIO.

Quod Christus sit Deus unione ad Deum Verbum ascendente ad ejus gloriam. Probatur ex multis epistolæ ad Romanos, prioris ad Corinthios, posterioris ad eosdem, ad Galatas, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Hebræos testimoniis. Probatur ex uno epistolæ ad Philippenses, ad Timotheum & ad Titum. Probatur ex duobus epistolæ Jacobi, ex tribus primæ Petri, ex duobus secundæ, ex uno epistolæ primæ Joannis, ex uno quoque epistolæ Judæ, ex pluribus Evangelii secundum Matthæum, secundum Joannem, & secundum Lucam.

SECUNDA ASSERTIO.

Quòd Christus sit vita & vivificator. Probatur ex duobus testimoniis prioris epistolæ ad Corinthios, ex uno posterioris, & ex quinque epistolæ ad Hebræos.

TERTIA ASSERTIO.

488 *Quod unus sit Filius & Dominus* JESUS CHRISTUS. Probatur ex uno testimonio primæ Joannis.

QUARTA ASSERTIO.

Quod fides tendat in Christum, ut in Deum. Probatur ex uno testimonio primæ Petri, & ex pluribus primæ Joannis.

QUINTA ASSERTIO.

Quod Christus sit vita. Probatur ex uno testimonio Evangelii secundum Matthæum, ex uno quoque Evangelii secundum Joannem, & ex uno etiam Evangelii secundum Lucam.

SEXTA ASSERTIO.

Quod Christus per fidem sit propitiatio. Probatur ex pluribus testimoniis epistolæ ad Romanos.

SEPTIMA ASSERTIO.

Quod per Christi sanguinem redempti, Deoque reconciliati sumus. Probatur ex uno testimonio prioris ad Corinthios, & primæ epistolæ Petri.

OCTAVA ASSERTIO.

Quod Christi mors mundo salutaris extiterit. Probatur 489
ex pluribus testimoniis epistolæ ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, ad Hebræos, ad Titum, epistolæ primæ Joannis, & Evangelii secundum Joannem.

NONA ASSERTIO.

Quod unus sit Dei Filius & Dominus JESUS CHRISTUS. Probatur ex pluribus testimoniis epist. ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Hebræos.

DECIMA ASSERTIO.

Quod unus sit Filius & Dominus. Probatur ex testimoniis Evangelii secundum Matthæum, secundum Joannem, & secundum Lucam.

UNDECIMA ASSERTIO.

Quod fides sit in Christum tanquam in Deum. Probatur ex testimoniis epist. ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Timotheum, & ad Titum.

DUODECIMA ASSERTIO.

Quod fides sit in Christum. Probatur ex testimoniis
Evangelii secundum Joannem, & secundum Lucam. 490
Hæc actione I. Concilii.

Sic igitur paternæ traditioni Scripturam conjungit, ut ex iis tanquam ex duobus certissimis Theologiæ principiis Nestoriana hæresis percellatur.

CAPUT VIII.

Observatus de Capreolo Carthaginensi Episcopo ad Synodum Ephesinam scribente tractandi modus exponitur.

CUM vocatus esset ad Synodum Ephesinam Capreolus Carthaginiensis Episcopus, ad eam scripsit, & finiendæ controversiæ rationem sic proposuit: *Hinc factum est, ut licet solennem aliquam legationem mittere nequaquam valuerimus, attamen propter reverentiam & observantiam, quæ Ecclesiastica disciplina jure debetur, filium meum Besulam Diaconum una cum his excusationis literis ad vos, venerabiles fratres, destinaverimus: Quamobrem vestram sanctitatem iterum atque iterum rogatam cupio, ut Spiritu sancto cooperante, quem cordibus vestris, quæ acturi estis, præsto futurum non*

non dubito, novas doctrinas, & antea Ecclesiasticis au-
ribus inusitatas prisca auctoritatis robore instructis è
medio profligatis. Et pòst alia: *Nam qui illam per-*
491 *petuam stabilitatem retinere voluerit, quo de catholica fi-*
dei ratione statuerit, non propria auctoritate, sed anti-
quorum Patrum judicio sententiam suam corroborare de-
bet, ita ut ea ratione partim veterum Patrum, partim re-
centiorum decretis, & sententiis placita sua corroborans
unicam Ecclesiæ veritatem, jam inde ab initio ad præ-
sens usque tempus simplici puritate, invictaque constantia
& auctoritate, decurrentem se asserere, docere & tenere
ostendat. Sic Scripturis & perpetua traditione monet
definiendas esse quæstiones fidei, quæ in Conciliis
tractentur. Sic judicat reprimendam esse doctrinæ
novitatem, ut ei non propria tantum eorum qui vi-
vunt, auctoritas, sed antiquorum Patrum sententiæ
opponantur.

CAPUT IX.

Observatus de Ephesina Synodo contra Nestorium tractandi modus exponitur.

TRIA sunt omnino, ex quibus modus ille tractan-
di definiendique colligitur. Imprimis Epistola,
quam Cyrillus ad Nestorium misit, legitur, & om-
nium Concilii Patrum suffragiis comprobatur, ut
quæ & Nicænæ Synodo, & omni retro traditioni
conveniret. Spissi & non necessarii laboris foret sen-
tentias Episcoporum singulas recensere; unam unius
492 refero, quæ instar erit omnium: Hæc illa est. Peri-
genes Corinthiorum Episcopus dixit: *Idem plane de*
fide à Cyrillo sanctissimo, sacratissimoque Episcopo nostro
recte nunc exposita, meum judicium est, quod de fi-
dei Symbolo à sanctissimis sacratissimisque Patribus Ni-
cæa quondam edito, Patrum proinde sanctiones ab initio
traditas, & ad præsens usque tempus integre apud
nos conservatas citra ullam hæsitationem custodire desi-
dero. Sic reliqui Antistites, nisi in eadem verba,
in eundem certe sensum & mentem concesserunt.
Hinc factum est, ut quemadmodum Cyrilli ad Ne-
storium Epistola doctrinæ Apostolicæ, quæ à san-
ctis Patribus Nicænis exposita est, consentire judi-
catur; Sic & Nestorii ad Cyrillum Epistola, quæ
postea legitur, ab eadem Apostolica doctrina dissen-
tire judicetur.

Deinde testimonia veterum Patrum recensentur, id
postulante Concilii Notario, qui sic loquitur: *Petrus*
Presbyter Alexandriæ & Notariorum primicerius dixit:
Quandoquidem sanctissimorum, sacratissimorumque Pa-
trum ac Episcoporum, ac diversorum præterea Marty-
rum codices in promptu habemus, nonnullaque capita ex
illis selegimus, ea, si vobis ita visum fuerit, prælegemus.
Flavianus Episcopus Philippensium dixit: Legantur, &
in Actorum monumenta referantur, & lecta sunt in hunc
modum. Sequitur indiculus Patrum, quos in antiquæ
fidei testes adduci Concilium voluit

Petrus Episcopus & Martyr, ex libro de Deitate;
493 Athanasius Alexandriæ Episcopus, ex libro contra
Arianos, & ex Epistola ad Epictetum; Julius Roma-
nus Episcopus, ex Epistola ad Domnum; Felix Epis-
copus Romanus & Martyr, ex epistola ad Maximum
Episcopum & Clerum Alexandriæ; Theophilus Alex-
andrinus, ex quinta & sexta Paschali epistola; Cypri-
anus Episcopus & Martyr, ex tractatu de eleemosyna;
Ambrosius Episcopus Mediolanensis, ex expositione
de fide, rursus ex libro II. de fide; Gregorius
Nazianzenus Episcopus, ex epistola prima ad Cledo-
nium; Basilius Cæsareæ primæ Cappadociæ Episcopus,
ex libro de Spiritu sancto; Gregorius Episcopus
Nyssenus, Atticus Episcopus Constantinopolitanus,
Amphilochius Iconiensis Episcopus.

Tum demum ex Nestorii codicibus referuntur,
quæ mentem illius de Christo patefaciant, & quæ
patefacta veteribus Ecclesiarum Magistris contraria
judicetur. Res sic se habet: *Petrus Presbyter Alexan-*
dri, & Notariorum primicerius, dixit: Habemus etiam
præ manibus reverendissimi Nestorii blasphemiarum com-
mentarios, è quorum uno capita selegimus, quæ si
sanctæ huic Synodo placet, prælegemus. Flavianus Epis-
copus Philippensium dixit: Legantur, & in acta re-
ferantur. Similiter Episcopi dixerunt: Omnes eadem
diximus. Sequuntur varia è Nestorii commentariis
excerpta, quibus relatis, *Petrus Presbyter Alexandri-*
nus, & Notariorum primicerius, dixit: An hic aperte
affirmat neminem ex Doctoribus, qui ante illum extiterunt,
ea populis locutum quæ ipse locutus est? 494

Verumenimvero hunc tractandi modum, in quo
novitas antiquitate rejicitur, ab Ephesinis Patribus re-
tentum esse sic testatur Vincentius Lirinensis cap. 11.
commonitorii 11. *Quod ne præsumptione magis nostra,*
quam Ecclesiastica promere videremur, exemplum adhi-
buimus sancti Concilii, quod ante triennium ferme in
Asia apud Ephesum celebratum est, viris clarissimis
Basso Antiochoque Consulibus, ubi cum de sanciendis
fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsan profana
novitas, in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, uni-
versis Sacerdotibus, qui illo fere ducenti numero con-
venerant, hoc catholicissimum, fidelissimum, atque opti-
mum factu visum est, ut in medium sanctorum Patrum
sententiæ proferrentur: Quorum alios Martyres, a-
lios Confessores, omnes vere catholicos Sacerdotes fuisse
& permansisse constaret: Ut scilicet rite atque solen-
niter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis
religio confirmaretur, & profana novitatis blasphemia
condemnaretur. Quod cum ita factum foret, jure me-
ritoque impius Nestorius catholicæ vetustati contrarius,
beatus vero Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus
judicatus est. Et ut ad fidem veram nihil deesset, etiam
nomina & numerum (licet ordinem fuissemus oblo-
ti), edidimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem
concinentem sibi concordemque sententiam, & legis sa-
cræ proloquia exposita sunt, & divini dogmatis regula
constabilita est. Quos ad confirmandam memoriam, hic
quoque recensere nequaquam superfluum est. Sunt ergo hi 495
viri, quorum in illo Concilio vel tanquam judicum,
vel tanquam testium scripta recitata sunt. Sanctus Pe-
trus Alexandrinus Episcopus, Doctor præstantissimus, &
Martyr beatissimus; sanctus Athanasius ejusdem civita-
tis Antistes, Magister fidelissimus, & Confessor emi-
nentissimus; sanctus Theophilus, ejusdem item urbis E-
piscopus, vir fide, vita, scientia satis clarus, cui successit
venerandus Cyrillus, qui nunc illustrat Alexandrinam Ec-
clesiam. Et ne forsan unius civitatis ac provinciæ doc-
trina hæc putaretur, adhibita sunt etiam illa Cappa-
docia lumina sanctus Gregorius, Episcopus & Confessor
de Nazianzo; sanctus Basilius, Cæsareæ Cappadociæ
Episcopus & Confessor; sanctus item alter Gregorius
Nyssenus Episcopus, fidei, conversationis, integritatis, &
sapientiæ merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola
Græcia aut Oriens tantum, verametiam Occidentalis
& Latinus orbis ita semper sensisse approbaretur, lectæ
sunt quoque ibi quædam ad quosdam Epistolæ sancti
Felicis Martyris, & sancti Julii urbis Romæ Episcopo-
rum. Et ut non solum caput orbis, verametiam latera
illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est à Meri-
die beatissimus Cyprianus, Episcopus Carthaginiensis &
Martyr; à Septentrione sanctus Ambrosius, Medio-
lanensis Episcopus. Hi sunt igitur apud Ephesum sa-
crato decalogi numero Magistri, Consiliarii, testes, judi-
cesque producti, quorum beata illa Synodus doctrinam
tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judi-
cio, absque tædio, præsumptione & gratia de fidei regulis 496
pronunciavit. Quanquam multo amplior majorum numerus
adhiberi potuerit; sed necesse non fuit, quia neque multi-
tudine testium negotii tempora occupari oportebat, &
decem

decem illos non aliud vere sensisse, quam cæteros omnes collegas suos nemo dubitabat. Post quæ omnia adjecimus, etiam beati Cyrilli sententiam, quæ gestis ipsis Ecclesiasticis continetur. Namque cum lecta esset sancti Capreoli Episcopi Carthaginiensis Epistola, Qui nihil aliud intendebat & precabatur, nisi ut expugnata novitate antiquitas defenderetur: Ita Episcopus Cyrillus prolocutus est & definivit; quod hic quoque interponere non abs re videtur. Ait enim in fine gestorum: Et hæc, inquit, quæ lecta est Epistola venerandi & multum religiosi Episcopi Carthaginiensis Capreoli fidei gestorum inferatur, cujus aperta sententia est. Vult enim antiqua fidei dogmata confirmari; novitia vero & superflue adinventa, impie promulgata, reprobari atque damnari. Omnes Episcopi acclamaverunt: Hæ omnium voces sunt; hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est. Quæ tandem omnium voces atque omnium vota, nisi ut quod erat antiquitus traditum, teneretur; quod adinventum nuper, exploderetur? Post quæ admirati sumus & prædicavimus, quanta Concilii illius fuerit humilitas & sanctitas, ut tot numero Sacerdotes, pene ex majori parte Metropolitani, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ, ut prope omnes possent de dogmatibus disputare. Quibus propterea ipsa

497 *in unum congregatio audendi à se aliquid & statuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen novarent, nisi præsumerent, nihil sibi penitus arrogarent; sed omnimodis præcaverent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi à Patribus non accepissent; & non solum in præsenti rem bene disponerent, verumetiam post futuris exempla præberent, ut & ipsi scilicet sacrata vetustatis dogmata colerent; profana vero novitatis adinventa damnarent. Invecti enim sumus in Nestorii sceleratam præsumptionem, quod sacram Scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse jactaret, quoscunque ante se magisterii munere præditi divina eloquia tractavissent; universos scilicet Sacerdotes, universos Confessores & Martyres, quorum alii explanassent Dei legem; alii vero explanantibus consensissent, vel credidissent: Totam postremo, etiam nunc errare, & semper errasse adseveraret Ecclesiam, quæ, ut ipsi videbatur, ignaros erroneosque Doctores & secuta esset, & sequeretur.* En perfecta descriptio methodi, quæ in damnandis hæresibus servanda est, scilicet ut novitas antiquitate subvertatur.

CAPUT X.

Observatus de Celestino & Sixto Pontificibus contra novitates tractandi modus exponitur.

498 PONTIFEX uterque rem totam quatuor aut quinque versiculis conficit, & adversus quascunque hæreses mirifice præscribit. Sic autem Celestinus loquitur in Epistola ad Galliarum Episcopos: *Ergo corripiantur hujusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem: Desinat, si ita res sinis, incessere novitas vetustatem.* Sic vero Sixtus in Epistola ad Joannem Antiochenum Episcopum: *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addici convenit vetustati; perspicua majorum fides, & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Quæ duo oracula eo spectant, ut simulatque in alicujus scriptis novitas deprehenditur, antiquitate repellatur. Hoc tum facile fiet, si per ordinem dirigantur propositiones, quæ onvitatis vel hæreseos accusantur. Deinde si iis singulis auctoritates Scripturarum, & sanctorum Patrum singulæ opponantur. Quæ autem de gratia & libero arbitrio quæstiones tunc motæ sunt in Galliis, accepissent finem, si regulis hujusmodi subjectæ fuissent. Verumenimvero placet edere Vincentii Lirinensis testimonium, quo Celestini & Sixti verba magnifice perse-

499 quitur, cap. III. commonitorii II. *Quæ omnia licet cumulate abundeque sufficerent ad profanas quasque novitates obruendas & extinguendas: Tamen ne quid deesse tantæ plenitudini videretur, ad extremum adjecimus geminam Apostolicæ Sedis auctoritatem, unam scilicet sancti Papæ Sixti, qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat; alteram decessoris sui beatæ memoriæ Papæ Celestini, quam hic quoque interponere necessarium judicavimus. Ait itaque sanctus Papa Xistus in Epistola, quam de causa Nestorii Antiocheno misit Episcopo. Ergo, inquit, quia sicut ait Apostolus, fides una est; quæ evidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Quæ sunt tandem illa credenda & dicenda prosequitur, & ait: Nihil ultra, inquit, liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati; perspicua majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur. Omnino Apostolice, ut majorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret; novitias vero profanitates cœni permixtione describeret: sed & sanctus Papa Celestinus pari modo, eademque sententia. Ait enim in Epistola, quam Gallorum Sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam, quod antiquam fidem silentio destituentes, profanas novitates exurgere paterentur. Merito, inquit, causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi, non sit iis liberum habere pro voluntate sermonem. Hic aliquis fortasse addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem: Vetustatis prædicatores, an novitatis adinventores. Ipse dicat, dubitationem legentinm* 500
ipse dissolvat. Sequitur enim: Desinat, inquit, si ita res est: (Id est, si ita est ut apud me quidam urbes & provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis) Desinat itaque, si ita res est, incessere novitas vetustatem. Ergo hæc fuit beati Celestini beata sententia, non ut vetustas cessaret obruere novitatem; sed potius novitas desineret incessere vetustatem. Quibus Apostolicis Catholicisque decretis quisquis refragatur, insultet primum omnium necesse est memoriæ sancti Celestini, qui statuit ut desineret incessere novitas vetustatem. Deinde irrideat definita sancti Sixti, qui censuit, ne ultra quidquam liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Sed & beati Cyrilli statuta contemnat, qui venerandi Capreoli zelum magna prædicatione laudavit, quod antiqua fidei dogmata confirmari cuperet; novitia vero adinventa damnari. Ephesinam quoque Synodum, id est, totius pene Orientis sanctorum Episcoporum judicata proculcet, quibus divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata, sibique in Christo consentiens sanctorum Patrum tenuisset antiquitas: Quique etiam vociferantes & acclamantes uno ore testificati sunt, has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censere, ut sicut universi fere ante Nestorium hæretici contemnentes vetustatem, & adserentes novitatem, damnati forent: Ita ipse quoque Nestorius auctor novitatis, & impugnator veritatis condemnaretur.

CAPUT XI.

Observatus de Vincentio Lirinensi contra quaslibet hæreses tractandi modus exponitur.

VINCENTIUS apud Monasterium Lirinensis insulæ Presbyter composuit opus, quo emergentes 501
in Ecclesia subinde novitates & hæreses confutarentur. Dignum sane opus, quod qui discendæ seu docendæ Theologiæ incumbunt, vel memoriter teneant, vel certe perpetuo sibi ante oculos ponant. Totum quantum est, describendum hic esset, nisi brevitati consulerem, & illud præ manibus foret omnium. Ex eo jam decerpsi nonnulla, quibus & quæ in Nicæno & Ephesino Concilio gesta sunt, latius confirmarem, quæ

Celesti-

Celestinus & Sixtus Pontifices Romani contra novitates edixerunt, copiosius illustrarem. Hoc autem loco referam quatuor tantum prima capita, quibus disputandi ratio continetur, relictis exemplis, quæ ad applicatam disputandi rationem pertinent.

Caput I. commonitorii I. *Sæpe igitur magno studio & summa attentione perquirens à quamplurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam, & quasi generali ac regulari via*
502 *catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli. Quod sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet; primo scilicet divinæ legis auctoritate: Tum deinde Ecclesiæ catholicæ traditione.*

Caput II. *Hic forsan requirat aliquis: Cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cælestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

Caput III. *In ipsa item catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratio-*
503 *que declarat. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certe pene omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*

Caput IV. *Quid igitur faciet Christianus Catholicus, si se ab aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat. Quid si novella aliqua contagio, non jam portiunculam tantam, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc item providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius, aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si quæ sunt, universaliter antiquitus universalis Ecclesiæ decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter se majorum consulat, interrogetque sententias, eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus, in unius tamen catholicæ Ecclesiæ communione & fide permanentes Magistri probabiles extiterunt, & quidquid non unus aut duo tantum, sed*
504 *omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.*

CAPUT XII.

Observatus de Joanne Cassiano contra Nestorium tractandi modus exponitur.

HIC auctor libros VII. de Incarnatione Christi scripsit adversus Nestorium, & postquam illius hæresi Scripturas sacras in libris prioribus opposuit, in libri VII. capite XXIV. eidem hæresi sanctos Patres sic opponit: *Sed tempus est tandem finem libro, imo universo operi imponere, si paucorum tamen sanctorum virorum atque illustrium Sacerdotum dicta subdidero, ut id quod auctoritate testimoniorum sacrorum jam approbavimus, etiam fide præsentis temporis roboremus.*

Hilarius vir virtutum omnium atque ornamentorum; & sicut vita, ita eloquentia insignis, qui & Magister Ecclesiarum & Sacerdos, non per sua tantum merita, sed etiam per profectus crevit aliorum; & inter procellas persecutionum ita immobilis perstitit, ut per invictæ fidei fortitudinem, etiam Confessoris ceperit dignitatem in libro fidei primo, Deum verum ex Deo vero, &c.

Deinde in capite XXV. *Ambrosius eximius Dei Sacerdos, qui à manu Domini non recedens, in Dei semper digito quasi gemma rutilavit, in libro qui est ad virgines, ita memorat frater meus candidus,* &c. 505

Tum in capite XXVI. *Hieronymus Catholicorum magister, cujus scripta per universum mundum quasi divinæ lampades rutilant, in libro ad Eustochium. Dei, inquit, Filius,* &c.

Quarto in capite XXVII. *Rufinus quoque Christianæ Philosophiæ vir, haud contemnenda Ecclesiasticorum Doctorum portio, ita in expositione Symboli de Domini Nativitate testatur. Filius enim, inquit, Dei nascitur ex Virgine,* &c.

Augustinus Hipponæ Regiensis oppidi magnus Sacerdos. Ut autem homines, inquit, nascerentur ex Virgine, &c.

Quinto in capite XXVIII. *Sed forte quia hi quos numeravimus viri in diversis mundi partibus fuerunt, minus probabiles tibi auctoritate videantur. Ridiculum id quidem, quia loco fides non imminuitur, & quid sit quis, non ubi sit, considerandum; præsertim cum Religio omnes unat, & hi qui in fide una sunt, in corpore quoque uno esse noscantur. Sed tamen aliquos tibi quos non despicias, etiam de Orientalibus proferemus. Gregorius* (Nazianzenus) *splendidissimum scientiæ ac doctrinæ jubar, qui cum olim jam vita functus sit; etiam nunc tamen auctoritate ac fide vivit, & cum olim corpore absit ab Ecclesiis; tamen voce ac magisterio non recedit. Cum ergo, inquit, processisset ex Virgine* 506
Deus, &c.

Sexto in capite XXIX. *Athanasius quoque Alexandriæ urbis Sacerdos, eximium constantiæ & virtutis exemplum, quem hæreticæ persecutionis procella non contrivit, sed probavit, qui similem semper splendenti speculo vitam habens, prius pene indeptus est martyrii meritum, quam Confessoris caperet dignitatem. Videamus quid de Domino* JESU CHRISTO, *& de Domini matre senserit. Hæc ergo, inquit, intentio,* &c.

Denique in capite XXX. *Joannes Constantinopolitanorum Antistitum decus, cujus sanctitas absque ulla gentilitiæ persecutionis procella, ad martyrii merita pervenit. Quid de Filii Dei Incarnatione senserit ac prædicaret, ausculta. Et illum quidem, quem si nuda deitate venisset, non cælum, non terra, non maria, non ulla creatura sustinere potuisset, illæsa Virginis viscera portaverunt. Hujus ergo fidem atque doctrinam, etiamsi aliorum ignorabas, sequi ac tenere debueras, cum utique amore ac desiderio te Antistitem sibi plebs religiosa delegit. Quia cum de Antiochena Ecclesia te sibi sumeret Sacerdotem, ex qua eorum ante prælegerat, recepit-*

recepturum se in te credidit, quidquid in illo habere defuisset. Nonne, quæso, hi omnes quasi prophetico olim spiritu ad confundendas blasphemias tuas cuncta dixerunt? Tu enim Dominum Salvatorémque nostrum Christum esse clamitas, non Deum: Illi autem Christum Dominum verum Deum. Tu Mariam Christotocon, non Theotocon esse blasphemas; illi ita Theotocon non negant,
507 *ut Theotocon esse cognoscant. Non res tantum blasphemiis tuis sunt opposita, sed & verba rerum, ut aperte intelligamus, olim adversus blasphemias tuas munimen à Deo inexpugnabile præparatum: Quod ventura quoque vim hæretica impugnationis parato jam muro franget veritatis. Et tu, ô impiissime, atque impudentissime præclara urbis contaminator, catholica ac sancta plebis gravis & exitiosa contagio, stare in Ecclesia Dei ac loqui audes, & blasphemis ac furiosis vocibus tuis Sacerdotes semper illæsa fides & catholica confessionis infamas, Magistrorum priorum vitio plebem Constantinopolitana urbis errare? Tu ergo emendator priorum Antistitum, tu condemnator veterum Sacerdotum, tu Gregorio excellentior, tu Nectario probatior, tu Joanne præstantior, omnibusque Orientalium urbium Sacerdotibus, qui etsi non ejusdem nominis, cujus hi, quos nominavi, ejus tamen fidei fuerunt. Quod quidem quantum ad hanc causam pertinet, sufficit, quia cum de fide agatur, omnes in eo idem sunt, quod optimi, in quo consortes sunt optimorum.* In hac autem tractandi methodo, Cassianus Scripturæ sacræ sanctos Occidentis & Orientis Patres conjungit: Et conjunctio hæc antiquitatem doctrinæ, & in doctrina universitatem & consensionem ostendit.

508 CAPUT XIII.

Observatus de Concilio Calchedonensi adversus Eutychem tractandi modus exponitur.

IN actione II. hujus Concilii legitur primum Leonis epistola synodica, quam ad Flavianum Constantinopolitanum Antistitem miserat contra Eutychis errores. Hæc est plena testimoniis Scripturarum, quibus Archimandritæ illius novitas antiquatur. Deinde sequuntur sanctorum Patrum & Confessorum auctoritates; illorum autem sunt hæc nomina. Sanctus Hilarius in libro IX. de fide; sanctus Gregorius Nazianzenus in homilia de Epiphania; Ambrosius Episcopus & Confessor in libro II. de fide ad Gratianum, & in libro de Incarnatione Domini contra Apollinaristas; sanctus Joannes Constantinopolitanus Episcopus, in homilia de Ascensione Domini; sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus, in epistola ad Volusianum, in expositione Evangelii secundum Joannem, & in sermone de expositione fidei; Cyrillus Alexandrinus Episcopus, in scholiis de Incarnatione Unigeniti. Et post pauca: *Post lectionem prædicta Epistola* (Leonis) *reverendissimi Episcopi clamaverunt: Hac Patrum fides, hæc Apostolorum fides, omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt;*
509 *anathema ei, qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est: Apostoli ita docuerunt, pie & vere Leo docuit, Cyrillus ita docuit, Cyrilli æterna memoria, Leo & Cyrillus similiter docuerunt.*

Hoc autem ita gestum esse scribitur in vita sancti Auxentii, qui sese Concilii defensorem acerrimum exhibuit: *Qui in hac magna,* inquit vitæ auctor, *& œcumenica Synodo erant sancti Patres omnium, quos ante scripsimus, evertentes hæreses, non ex suis syllogismis, sed ex divinis Scripturis, & præclaris, qui antea fuerunt, Doctoribus magnum pietatis mysterium obsignantes, confirmaverunt unicum & unigenitum Dei Filium.* Non adhibitis igitur syllogismis, quos sæcularis Philosophia suggerit, sed sacræ Scripturæ expositione, & apertam in lucem prodita majorum traditione, hæreses & novitates evertuntur, catholicæ fidei dogmata sanciuntur, aut sancita corroborantur. Quod Calchedonensis Synodus cum plane novisset, syllogismorum machinas abegit, & solam Scripturam, & catholicæ traditionis lineam admovit.

CAPUT XIV. 510

Observatus de Theodoreto Cyri Episcopo contra varias hæreses scribente tractandi modus exponitur.

THeodoretus Cyri Augusto-Euphratesiæ Episcopus, cum alia multa adversus hæreticos, tum maxime dialogos tres conscripsit; quorum primus est immutabilis dictus, secundus inconfusus, tertius impatibilis. In primo dialogo, quam disputandi rationem observat, his verbis ostendit.

ORTHODOXUS.

Non convenit autem anticipata opinioni servire, sed veram doctrinam inquirere.

ERANISTES.

Suasioni tua pareo & monitis acquiesco.

ORTHODOXUS.

Quoniam igitur priorem cohortationem facile admisisti, velim rursus, ne humanis rationibus veritatis inquisitionem subjicias; sed Apostolorum & Prophetarum & Sanctorum, qui hos secuti sunt, vestigia inquiras. Hoc enim facere viatores solent, ut cum à via regia deflexerunt, semitas considerent, si quorum abeuntium aut venientium vestigia habeant, vel hominum, vel equorum, 511 *vel asinorum, vel mulorum; & postquam invenerint, canum more illa persequuntur, nec ante desistunt, quam in rectam viam redierint.*

ERANISTES.

Sic faciamus, tu itaque præi, ut qui sermonem inchoasti. Et post allatas multas ex utroque testamento auctoritates subjicit.

ERANISTES.

Probabiliter hoc enarrasti; ego autem scire velim, quomodo antiqui Ecclesiæ Doctores, Verbum caro factum est, intellexerint.

ORTHODOXUS.

Decebat quidem te in Apostolicis & Propheticis probationibus acquiescere. Quia vero etiam sanctorum Patrum interpretationes requiris, ego hanc quoque tibi, Deo adjuvante, adhibebo medicinam.

ERANISTES.

Ne mihi obscuros viros vel ambiguos adduxeris; talium enim interpretationes non recipiam.

Hinc adferuntur testimonia *Athanasii Alexandrini Episcopi ex Epistola ad Epictetum, Gregorii Nazianzeni ex Epistola ad Cledonium, Ambrosii Mediolanensis Episcopi ex libro de fide, cap.* VI. *Flaviani Antiocheni Episcopi ex commentariis in Evangelicum illum locum, Verbum caro factum est; Gelasii Cæsariensis E-* 512 *piscopi ex concione de apparitione Dominica; Joannis Chrysostomi ex commentariis in eundem locum Severiani*

riani Gabalorum Episcopi ex commentariis in eundem locum.

Deinde subdit Eranistes: *Admiror virorum istorum concordiam & consensum. Omnes enim dicta Evangelica sic interpretati sunt, ac si unam in locum convenientes, opinionem suam simul una conscripsissent.*

Tum ubi *Orthodoxus* dixit alios esse fortissimos veritatis propugnatores, qui similia dicant, *Eranistes* adjicit.

Valde capienti mihi etiam horum testimonia propones.

ORTHODOXUS.

Audi ergo viros Apostolicam doctrinam sonantes. Sancti Ignatii Episcopi Antiocheni & Martyris ex epistola ad Romanos:

Irenæi Episcopi Lugdunensis ex tertio libro contra hæreses.

Sancti Hippolyti Episcopi & Martyris ex oratione, quam fecit in illud, Dominus pascit me.

Sancti Methodii Episcopi & Martyris ex sermone de Martyribus.

Sancti Eustathii Episcopi Antiocheni & Confessoris ex interpretatione Psalmi XV.

Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini & Confessoris ex defensione facta pro Dionysio Episcopo Alexandriæ.

513 *Sancti Basilii Episcopi Cæsariensis ex interpretatione*
Psalmi LIX.

Sancti Gregorii Episcopi Nazianzeni ex priore expositione ad Cledonium.

Sancti Gregorii Nysseni ex sermone de Abraham.

Sancti Flaviani Episcopi Antiocheni ex sermone de Joanne Baptista.

Amphilochii Episcopi Iconii ex oratione in illud, Pater major me est.

Sancti Joannis Episcopi Constantinopolitani ex oratione quam habuit, cum Gothus legatus ante eum dixisset.

ERANISTES.

Consonantia quidem dicunt omnes, & consentiunt cum Orientalis terræ cultoribus ii qui Occidentalem excoluerunt.

Tum *Orthodoxus* adducit unum hæreticum, qui eadem cum Catholicis sentiat. *Unum*, inquit, *admirabilis vestræ hæreseos Doctorem Apollinarem in medium adducam, & non aliter ac sancti Patres Verbum caro factum est, intellexisse ostendam. Audi ergo, quid hac de re scripserit in compendiario suo libro.*

In altero dialogo eandem retinet tractandi rationem. Post allatas enim multas ex utroque Testamento auctoritates, dicit *Eranistes*: *Multa quidem hac de re verba fecisti; ego vero Sanctos sequor, qui in Ecclesiis olim claruerunt. Ostende igitur post unionem distinxisse naturas.*

514 ORTHODOXUS.

Ego quidem illorum tibi lucubrationes recitabo. Tu vero admiraberis, sat scio, crebram distinctionis mentionem, quam scriptis suis, dum adversus impias hæreses dimicant, inseruerunt. Audi ergo eos, quorum jam tibi testimonia laudavi, hæc palam & diserte affirmantes sancti Ignatii Antiocheni Episcopi & Martyris, ex epistola ad Smyrnæos.

Irenæi antiqui Episcopi Lugdunensis ex lib III. adversus hæreses.

Sancti Hippolyti Episcopi & Martyris ex oratione de distributione talentorum, ex epistola ad Reginam quandam, ex sermone in Helcanam & Annam, ex sermone in magnum Canticum, ex interpretatione XXIII. Psalmi.

Sancti Eustathii Antiocheni Episcopi & Confessoris in inscriptiones titulorum.

Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini ex oratione 3 I. contra hæreses, ex epistola ad Epictetum, ex majore oratione de fide, ex tomo contra Arianos.

Sancti Ambrosii Mediolanensis Episcopi in expositione fidei, ex epistola ad Gratianum Imp. ex lib. de Incarnatione Domini contra Apollinaristas.

Sancti Basilii Episcopi Cæsareæ ex oratione de gratiarum oratione, & ex libro contra Eunomium.

Sancti Gregorii Episcopi Nazianzeni ex oratione de
nova Dominica, ex epistola ad Cledonium, ex priore ex- 515
positione ad Cledonium, ex oratione II. de filio, ex oratione in Theophania.

Sancti Gregorii Episcopi Nyssæ ex oratione catechetica, ex oratione ad Eunomium.

Sancti Amphilochii Episcopi Iconii ex oratione in illud, Pater major me est.

Beati Theophili Episcopi Alexandriæ ex iis quæ scripsit adversus Origenem.

Sancti Joannis Chrysostomi Episcopi Constantinopolitani ex oratione quam in magna Ecclesia habuit, ex commentario in principium Psalmi XLI. ex libro de divisione linguarum, ex oratione dogmatica, ex lib. adversus eos qui dicant dæmones res humanas gubernare, ex oratione de iis qui Pascha primum jejunant, ex oratione de Ascensione, ex interpretatione epistolæ ad Ephesios, ex interpretatione Evangelii secundum Matthæum.

Sancti Flaviani Episcopi Antiocheni ex Evangelio secundum Lucam, & ex oratione in Theophania.

Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, ex catechetica oratione IV. de decem dogmatibus, de nativitate ex Virgine.

Antiochi Episcopi Ptolemaidis.

Sancti Hilarii Episcopi & Confessoris in lib. IX. de fide.

Sanctissimi Augustini Episcopi ex epistola ad Volusianum.

Severiani Episcopi Gabalorum de nativitate Christi.

Attici Episcopi Constantinopolitani ex epistola ad Eup- 516
sychium.

Cyrilli Episcopi Alexandrini ex epistola ad Nestorium, ex expositione ad Hebræos, ex scholiis, ex libro de Incarnatione.

ERANISTES.

Non putabam eos distinguere naturas post unionem, sed distinctionem prope infinitam deprehendi.

ORTHODOXUS.

Furiosum & temerarium est adversus insignes illos viros, fideique duces linguam movere; ut autem scias etiam Appolinarium inconfusam dicere factam fuisse unionem, hujus quoque tibi verba proponam.

In tertio dialogo eandem quoque disputandi viam insistit. Nam allatis ex utroque Testamento pluribus testimoniis, *Orthodoxus* ait: *Ostendam autem tibi sanctos Patres, hæc ipsa, quæ à nobis exposita sunt, in scriptis suis sensisse, quorum nonnulli admirando illi Concilio interfuerunt, alii post eos in Ecclesiis floruerunt, quidam etiam multo ante orbem olim terrarum illustrarunt. Sed neque temporum discrimen, neque linguarum diversitas consonantiam turbavit; sed lyræ similes videntur, quæ multas quidem & diversas chordas habet, unum autem sonorum concentum efficit.*

ERANISTES.

Pergratam mihi & expetendam narrationem affers. 517
Certissima est enim talis doctrina, & utilissima.

ORTHODOXUS.

Fac igitur pateant aures, & spiritalium fontium fluenta excipe.

Sancti Ignatii Episcopi Antiocheni & Martyris ex epistola ad Smyrnenses.

Irenæi Episcopi Lugdunensis ex tertio libro adversus hæreses, ex libro etiam quinto.

Sancti Hippolyti Episcopi & Martyris ex epistola ad quandam Reginam, ex sermone de duobus latronibus.

Sancti Eustathii Episcopi Antiocheni & Confessoris ex libro de anima, ex oratione in illud, Dominus creavit me initium viarum suarum, ex inscriptionibus graduum, ex interpretatione Psalmi XCI.

Sancti Athanasii Episcopi Alexandrini & Confessoris ex epistola ad Epictetum, ex majore sermone de fide.

Sancti Damasi Episcopi Romæ in expositione.

Sancti Ambrosii Episcopi Mediolanensis ex libro de fide catholica.

Sancti Basilii Episcopi Cæsariensis ex lib. II. contra Eunomium.

Sancti Gregorii Episcopi Nazianzeni ex epistola ad beatum Episcopum Constantinopolitanum, ex priore expositione ad Cledonium, ex oratione de Paschate.

518 *Sancti Gregorii Episcopi Nysseni ex oratione catechetica ex opere adversus Eunomium.*

Sancti Amphilochii Episcopi Iconii ex oratione in illud, Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit; ex oratione in illud, Pater major me est, ex orat. de filio, ex orat. in illud, Non potest filius ex seipso facere quidquam.

Sancti Flaviani Episcopi Antiocheni in Dominica Paschæ ex orat. de Juda proditore.

Theophili Episcopi Alexandriæ ex tomo Heortastico.

Gelasii Episcopi Cæsareæ Palæstinæ ex orat. in Epiphania.

Sancti Joannis Episcopi Constantinopolitani ex orat. in illud, Pater meus usque modo operatur, & ego operor.

Severiani Episcopi Gabalorum ex oratione de signaculis.

Ecce tibi eos, qui & Orientales & Occidentales, atque etiam Australes & Boreales mundi partes colunt, inanem hæresim vestram reprehendere ostendimus, & divinam naturam aperte impatibilem prædicare, & utramque linguam, Græcam dico & Romanam, consentientem de divinis confessionem proferre.

ERANISTES.

Miror ego horum virorum consensum.

ORTHODOXUS.

Ut autem intelligas, quod qui multiformem hanc hæ-
519 *resim stabilire conantur, blasphemiarum magnitudine ve-*
teres etiam hæresiarchas superare contendant; Audi rur-
sus Apollinaris scripta, quæ divinæ naturæ impatibilitatem
prædicant, & corporis esse propriam passionem confitentur,
Apollinarii ex libro compendiario, ex libello de fide, ex
libello de Incarnatione.

ERANISTES.

Audivi, & miratus sum.

ORTHODOXUS.

Ego vero tibi ex alio etiam hæreticorum grege testem producam, qui Unigeniti divinitatis impatibilitatem diserte prædicat.

ERANISTES.

Quemnam memoras?

ORTHODOXUS.

Eusebium fortasse Phœnicem audivisti, qui Emesæ urbis ad Libanum Pontifex fuit.

ERANISTES.

Incidi in aliqua ejus scripta, & deprehendi Arii dogmata sequi.

ORTHODOXUS.

Erat ille ex secta, & tamen cum Patrem Unigenito
majorem ostendere conatur, impatibilem prædicat ejus, qui
minoratur, divinitatem, & pro hac sententia longa &
valde admiranda certamina sustinuit. Et post alia: *Au-*
di igitur virum clamantem, & cum nobis loqui existima. 520
Hæc Theodoretus, qui novitati Eusebii Emeseni catholicam
antiquitatem opponit.

CAPUT XV.

Observatus de Leone Papa ad Leonem Augustum scribente contra hæreticos tractandi modus exponitur.

Etsi quàm juste damnatus fuerat Eutyches, à Con-
cilio latam in eum sententiam proferre sufficie-
bat; tamen cum Leo magnus ille Pontifex ea de re
ad Imperatorem scriberet, visus est judicium instau-
rare, quasi nefas esse duceret de Eutychis damnatione
sermonem instituere, prætèrita illa Ecclesiæ consue-
tudine, qua novitates è medio tolluntur. Sic igitur
agit Leo: *Promisisse me memini, venerabilis Imperator,*
in causa fidei, de qua clementiam tuam novi pie esse solli-
citam, pleniorem humilitatis meæ dirigendum esse sermo-
nem, quem nunc (auxiliante Domino) fideli occasione
persolvo, ut sancto pietatis tuæ studio utilis, quantum ar-
bitror, deesse non possit instructio. Quamvis enim sciam
clementiam tuam humanis instructionibus non egere, & sin-
cerissimam de abundantia Spiritus sancti hausisse doctri-
nam; officii tamen mei est, & patefacere quod intelligis,
& prædicare quod credis. Et post alia, cap. I. *Non*
longo temporis intervallo catholica fides, quæ est singularis 521
& vera, cuique nihil addi, nihilve minui potest, à duobus
est hostibus appetita, quorum prior Nestorius, Eutyches se-
cundus emersit, qui Ecclesiæ Dei duas hæreses sibimet con-
trarias inferre voluerunt, ut uterque à Prædicatoribus
veritatis merito damnaretur, quia insanum nimis & sacri-
legum fuit, quod varia falsitate ambo senserunt. Et post-
quam locis Scripturæ pluribus Eutychianam hæresim
impugnavit, subjicit: *Non ergo quisquam sibi erubescen-*
dum existimet Christianus de nostri in Christo corporis
veritate, quia omnes Apostoli, Apostolorumque discipuli,
& præclari Ecclesiarum quique Doctores, qui ad martyrii
coronam, vel ad confessionis meruere gloriam pervenire, in
hujus fidei lumine splenduere, consonis atque sententiis in-
tonantes, quod in Domino Jesu Christo *deitatis &*
carnis una sit confitenda persona. Et post alia: *Ut autem*
pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos
concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic cre-
didi subjiciendas esse sermoni. Quibus si digneris atten-
dere recensitis, non aliud nos prædicare reperies, quam quod
sancti Patres nostri toto orbe docuerunt, nec quemquam ab
illis, nisi solos hæreticos, discrepare.

Sequitur indiculus Patrum qui postea laudantur.

Sanctus

Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus & Confessor in libro 11. de Trinitate.

Sanctus Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopos
522 & Confessor in epistola ad Epictetum Corinthiorum Episcopum.

Sanctus Ambrosius Episcopus & Confessor Mediolanensis Ecclesiæ lib. 11. de fide ad Gratianum Imperatorem, & alibi.

Sanctus Augustinus Episcopus Hipponensis Ecclesiæ in epistola ad Dardanum, & alibi.

Sanctus Joannes Constantinopolitanus Episcopus & Confessor in Homilia de cruce & latrone, & alibi.

Sanctus Theophilus Episcopus Alexandriæ in epistola Paschali, quam per Ægyptum destinavit.

Sanctus Gregorius Episcopus Nazianzenus in homilia de Epiphania.

Sanctus Basilius Episcopus Cappadox.

Sanctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus in libro qui dicitur Golia, & alibi.

Hæc nos sequi verba debemus, his nos convenit obtemperare dogmatibus, considerantes quod sit incarnatum esse, & hominem factum Dei Verbum. Et post alia: *Hoc igitur recta fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos Patres fuisse comperimus. Ideo illi non dubitaverunt sanctam Virginem dicere Theotocon, non quod Verbi natura, deitasque ut sancta Virgine sumpsit exordium; sed quod ex ea natum sit sacrum illud corpus animatam anima rationali, cui substantialiter adunatum Dei Verbum, carnaliter natum esse dicitur.* Leo novitati catholicam antiquitatem opponit.

---

523 CAPUT XVI.

Observatus de Synodo Carthaginensi tractandi modus exponitur.

SYnodum hanc habuit anno DXXV. Bonifacius Carthaginensis Episcopus, in qua post recitatum Nicæni Concilii Symbolum, subjicitur: *Satis est consequens, ut qui recta credulitatis regulam sumpsimus, disciplinæ quoque Ecclesiastica instituta noscamus; ne à recta credulitate observatio inordinata discordet, cum oporteat fidem moribus decorari, ne sit quispiam religionis integerrimus Prædicator, nisi mandatorum fuerit diligentissimus observator.*

Bonifacius Episcopus dixit: Ad profectum pertinet scientiæ semper quærere augmenta doctrinæ. Merito, quoniam sanctissima voluntati respondere celeriter decet, proferantur ex scrinio hujus Ecclesiæ antiquorum Patrum venerabilia constituta: Recitetur quid vetustas observandum posteris dereliquerit: Audiant qui custodiunt quod se custodisse gratulentur: Audiant qui transgrediuntur quod de reliquo custodire dignentur.

Cur autem hæc in Synodo Ecclesiastica disciplina æstimetur tanti, & cur ita cupide laudentur majorum instituta, quibus illa sancitur, facit cum res ipsa quæ profertur atque in medium editur,
524 tum antiquissimus Bonifacii decessor & eminentissimus martyr Cyprianus in libro quem de disciplina & habitu Virginum inscripsit. *Disciplina*, inquit, *custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, & ad promissa cælestia & divina præmia pervenire.*

CAPUT XVII.

Observatus de Joanne II. ad Senatores scribente tractandi modus exponitur.

LEonem post annos fere LXXX. Joannes II. Papa excipit, eumque imitatur, dum ad Senatores scribens fidem de Christi divinitate & incarnatione confirmat, & Acœmetas monachos Nestorii sectatores vitandos esse monet. Sed ponenda sunt Joannis verba: *Olim quidem illustres & magnifici filii ad hoc sententia mea summa constiterat, ut ante jussionem vestram, postquam epistola vel dogmatis tenorem cuncta Ecclesia, hoc est, Sacerdotum senatus & populi probavit assensu, sub paginali allegatione vestris etiam sensibus intimanda dirigerem; sed consilii ordinem illa res vertit, quia & dogmati per dies singulos divina Scriptura subduntur, & imperfecta destinari non poterant, & ea, quæ per legatos directa sunt, prius non poterant in exemplaribus scripta transmitti.*
Novimus etiam, quod Domino docente præceptum est, 525
quod Pastor diligens gregem salubria ultro non desistat suggerere, quia res, quæ ad salutem Ecclesiæ pertinet, omnibus necesse est sensibus intimari. Et post alia; *Nunc tamen nequid de vestris sensibus relinquatur ambiguum, quid epistola tenor habeat, quid textus dogmatis contineat, breviter insinuare curavi. Justinianus siquidem Imperator filius noster, ut ejus epistola tenore cognovistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signavit: Utrum unus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit, hoc est, una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona; an Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate; an proprie & veraciter mater Domini Dei nostri Christi Maria semper virgo debeat appellari. Probavimus in his catholicam Imperatoris fidem, & ita esse Propheticis & Apostolicis vel Patrum exemplis evidenter ostendimus; unum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est, unum de tribus sanctæ Trinitatis personis, sanctam esse personam, sive subsistentiam, quam Græci hypostasim dicunt, in his exemplis evidenter ostendimus.*

In hoc dogmate laudatur liber Genesis II. Paulus I. ad Corinthios cap. VIII. Symbolum Nicænæ Synodi, sanctus Augustinus in libro XI. de civitate Dei, in libro II. contra Maximinum, in libro XV. de Trinitate; Gregorius Nazianzenus in sermone de Epiphania Domini, Gregorius Nyssenus in epistola ad Ablamium, Proclus in epistola ad
Occidentales. *Hæc igitur ex pluribus pauca digessimus.* 526

Deum vero carne passum hic nihilominus roboremus exemplis. In hoc dogma laudatur liber Exodi cap. XXIV. Evangelium Joannis cap. XIV. Zacharias Propheta cap. XII. beatus Petrus Actorum cap. III. Paulus epistola I. ad Corinthios capitulo I. David Ps. XXIII. Acta Apostolorum cap. XII. Cyprianus Episcopus & Martyr in epistola de patientia, Gregorius Nazianzenus, sanctus Augustinus in libro de caritate, Cyrillus capitulo XII. Leo in epistola ad Juvenalem, & in epistola ad Flavianum. *Ex hac quoque parte plura ex dogmatis lectionum poteritis agnoscere.*

Gloriosam vero & sanctam semper Virginem Mariam proprie & veraciter Dei genetricem, matrémque Dei Verbi ex ea incarnati ab hominibus catholicis confiteri recte esse docemus proprie & veraciter. Et post alia: *Cujus rei probamenta ex Patrum traditionibus consequenter sanctus Augustinus libro I. de prædestinatione; Leporius in Epistola, quam Aurelius Episcopus Carthaginensis, & beatus Augustinus, & Synodus Africana firmavit; Gelasius in libro adversus Nestorium & Eutychem.* Et post alia: *His igitur evidenter ostensum est, illustres & magnifici filii, quid speraverit Imperator;*

quid Romana sequatur & colat Ecclesia. Et post alia: *Neque enim naturas in eo aliter agnoscimus, nisi differentiam intelligentes, & consistentes divinitatis atque humanitatis; sed nec duas personas in Christo intelligimus*
527 *per id quod dicimus duas naturas, ut adunationis divisionem facere videamur, & fiat, quod absit, quaternitas, non Trinitas, sicut Nestorius sensit insanus. Nec confundimus eusdem unitas naturas, cum unam personam Christi confitemur, ut Eutyches impius credit. Tomum vero Papæ Leonis, omnésque Epistolas, necnon & quatuor Synodos, Nicænam, & Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Calchedonensem, sicut Romana hactenus suscepit & veneratur Ecclesia, sequimur, complectimur atque servamus. Hæc enim est nostra fidei firmamentum, hæc fides nostra petra firmissima.* Sic Joannes adhibitis Scriptura & Patribus novitati vetustatem anteponit.

CAPUT XVIII.

Observatus de collatione Catholicorum cum Severianis habita Constantinopoli tractandi modus exponitur.

Annus Christi agebatur quingentesimus tricesimus tertius, cum habita est Constantinopoli Catholicorum cum Severianis collatio. Severiani concedebant quidem bona fuisse Calchedonensis Synodi primordia; sed exitum habuisse felicem negabant, Catholici contra Synodum, & recte inceptam & legitime terminatam affirmabant. Severiani eam partis suæ rationem afferebant, quod in sua definitione
528 traditionem Patrum secuta non esset Synodus. Catholici negabant, rati & mentitos esse hæreticos, & necessarium fuisse, ut Synodus traditionem Patrum sequeretur, & Eutychianam novitatem catholica antiquitate profligaret. Sed referenda sunt quædam collationis verba, quibus totum illud constet negotium: *Episcopus dixit: Ostensum ergo vobis est, quia juste est congregatum Calchedonense Concilium. Contradicentes dixerunt: Juste convenit, si & justum finem suscepisset. Episcopus dixit: Quid enim reprehenditis, illud peccasse Concilium, ut adversus hoc possimus vobis reddere rationem? Contradicentes: Ante omnia duarum naturarum novitatem. Beato enim Cyrillo & antecessoribus ejus ex duabus naturis unam naturam Dei Verbi incarnatam post unitionem prædicantibus illi in duabus naturis innovare præsumpserunt. Episcopus dixit: Omnis quidem novitas peregrina est; non tamen omnis obnoxia. Contradicentes dixerunt: Secundum utrosque beato enim Cyrillo, & beato Athanasio Alexandrinæ civitatis Episcopis, Felici etiam & Julio Romanæ Ecclesiæ Episcopis, Gregorio mirabilium factori, & Dionysio Areopagitæ unam naturam Dei Verbi decernentibus post unitionem, hos omnes transgressi illi post unitionem præsumpserunt duas naturas prædicare. Episcopus dixit: Istæ tantum falsæ sunt Epistolæ, sive testificationes illæ quas dicitis, ut neque unam ex illis Cyrillus voluerit recordari, nec in Epistolis, quas ad Nestorium scripsit, ut in his, quas contra blasphemias ejus protulit testificationes*
529 *in sancta Synodo Ephesina, quando maxime debuit proferre eas; sed nec in expositione XII. capitulorum adversus Theodoretum & Andream scribens, qui contra eadem capitula scripserunt; sed nec adversus Orientale Concilium, quod inde nescio, Arii illi vel Apollinaris opinionem imposuisse visum est. Neque enim Arius aliquando vel Apollinaris duas naturas confessi sunt; sed unam naturam Dei Verbi incarnatam ipsi magis noviter protulerunt, ut creatam & passibilem divinam Verbi naturam introducerent: Adversus quos duas substantias atque naturas unitas sancti Patres decreverunt; sed in hoc dicimus, quia XII. gloriosorum Patrum testimonia adversus Nestorii blasphemias in Epheso beatus Cyrillus proferens, id est, sancti Petri Episcopi Alexandrini & Martyris, sancti Felicis Episcopi Romani & Martyris, Cypriani Episcopi Carthaginensis & Martyris, beati Athanasii, & beati Theophili Episcoporum Alexandriæ, Julii Episcopi Romani, Ambrosii & Basilii, Gregorii & alterius Gregorii, Amphilochii Iconii, & Attici Constantinopolitani. Nullum testimonium eorum de una natura protulit; sed non solum aliorum, sed & nec beati Athanasii, qui à vobis profertur in unius natura incarnati Verbi confessione, tum certe diversa testimonia ejus illic intexuerit; sed & beati Julii, eo quod Dei genetrix sit sancta Virgo, & Dominum esse eum, qui carne passus est. Si ergo sciebat de una natura quemquam ex his dixisse, illic maxime proferre debuit, ubi cautum erat & tale universale Concilium; si autem illic non sunt* 530
prolata, quemadmodum nunc à vobis proferuntur, satis admiror. Contradicentes. Quid ergo suspicamini, quia nos eas falsavimus? Episcopus: Vos non suspicamur; sed antiquos hæreticos Apollinaristas, qui reprehendunt eum in epistola quam ad Orientales pro unione & pace de duabus naturis scripsit: Quoniam & in qua cum Nestorio sapiunt, falsaverunt ad Epictetum sancti Athanasii Epistolam, sicut beatus Cyrillus beato Joanni Antiochenæ civitatis Episcopo scribens docuit nos. Contradicentes: Possumus ostendere, quia beatus Cyrillus usus est istis testimoniis in libris adversus Diodorum & Theodorum editis. Episcopus: Modo maxime & illos adversus Diodorum & Theodorum libros ambiguos facitis, tanquam fictos adversus mortuos prolatos dicentes, non potuerunt refellere falsitatem. Si enim adversus mortuos prolata sunt, multo magis adversus Nestorium, & eos, qui contra capitula ejus scripserunt, proferre habuit eadem testimonia; sed nunc videtur, quoniam & in illis libris hæretici falsantes addiderunt ea. Contradicentes dixerunt: Si ergo ex antiquis rescriptis, & ex archivis Alexandriæ potuerimus utique ostendere sic habentia, quid estis dicturi? Episcopus: Si sub temporibus Proterii vel Timothei cognomine Solofacioli ostensa sunt, indubitabilia erunt. Quoniam vero jam à multis hi qui adversantur orthodoxæ duarum naturarum confessioni illa antiqua apud se retinent, indulgete nobis, si adversarios nostros testes suscipere dubitamus. Nam & beati Julii famosam illam 531
Epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse scriptam ad Dionysium; illam autem, quam sancti Gregorii mirabilium factoris dicitis testificationem, suadente Severo, & hæc, qui ea, quæ illo sapiunt, confiteri, quia incorruptum carnis ipse decrevit: Et nunc vobis credendum est, quoniam & ea, quæ de una natura dicta sunt, ipsius sunt; quod autem prius dici debuit, in ultimo dicimus. Illa enim testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico, quando & beatus Athanasius, si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias? si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sunt, nescio. Ex his autem omnibus apparet nedum Catholicos, sed etiam hæreticos in ea fuisse sententia, ut crederent antiquorum Patrum traditionem & consen- 532
sum ad sancienda fidei dogmata vel maxime requiri. Hæretici quidem non errarunt in eo, quod illud æque ac Catholici contenderent. Sed quod subdititiis & falsatis antiquorum Patrum operibus contenderent: Et hoc ipsum est, quod nunc dictum etiam atque etiam vellem ab iis, qui seorsum à nobis per religionem sentiunt, observari.

CAPUT

532 ## CAPUT XIX.

Observatus de quinta Synodo œcumenica tractandi modus exponitur.

IN hac Synodo collationes sunt duæ, prima & tertia, in quibus illustris est ille tractandi modus. In prima sic loquitur Justinianus in epistola quam ad Patriarchas Eutychium Constantinopolitanum, Apollinarium Alexandrinum, Domninum Theopolitanum, & alios Episcopos mittit: *Scire etenim vos volumus, quod nos ea, quæ à sanctis quatuor Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino primo, & Calchedonensi de una eademque fide exposita & definita sunt, & de Ecclesiastico statu regulariter disposita, servamus & defendimus, & ea sequimur, & omnia quæ consonant istis suscipimus & amplectimur; quidquid autem non consonat istis, vel à quacunque persona scriptum inveniatur contra ea, quæ de una eademque fide à sanctis quatuor Conciliis, vel uno ex his definita sunt, hoc tanquam alienum omnino pietatis execramur; sequimur autem in omnibus sanctos Patres & Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Proclum, Leonem, & omnia, quæ ab his de* 533 *fide recta & ad condemnationem hæreticorum conscripta & exposita sunt, suscipimus. In prædictis igitur omnibus permanentes illos Patres & Sacerdotes suscipimus, qui ea, quæ à sanctis quatuor Conciliis de fide exposita sunt, & à prædictis sanctis Patribus prædicata sunt, servant & prædicant in sancta Dei Ecclesia.* Hæc Imperator, quæ & à Synodo suscipiuntur, & comprobantur.

In tertia hæc eadem repetuntur: *Super hæc sequimur per omnia & sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Joannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum; & suscipimus omnia, quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Suscipimus autem & alios orthodoxos Patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter usque ad finem vitæ suæ prædicaverunt.*

Ut autem ostendatur, alienam esse ab illis Patribus Theodori Mopsuesteni Antistitis doctrinam, Synodus jubet, ut referantur excerpta ex variis illius commentariis testimonia LXXI. quæ collatione IV. legi possunt. In his autem omnibus novitati objicitur antiquitas.

CAPUT XX.

Observatus de Concilio Lateranensi contra Monothelitas tractandi modus exponitur.

534 IN hoc Concilio, quod adversus Monothelitas celebratum est, sic se res habet. In primis Secretario II. refertur epistola synodica Concilii proconsularis ad Paulum Constantinopolitanum, ubi quæ sequuntur ad institutum faciunt: *Contra quas* (hæreses) *Concilia venerabilium Pontificum per sacras Christianissimorum Principum jussiones congregata una esse noscuntur.* Et post alia: *Ut autem exemplis sanctorum Patrum, quæ præmissa sunt, multo amplius roborentur, eorum exempla huic nostro epistolari eloquio ex multis parva inferi maturavimus.* Hinc sequuntur multæ auctoritates, quæ ex libris sancti Ambrosii & sancti Augustini collectæ sunt. Deinde Secretario V. repetuntur ea, quæ superiori capite ex collatione III. quintæ Synodi retulimus. Tum postea: *Martinus sanctissimus ac beatissimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ urbis Romæ dixit: Manifestatur nobis ex his, quæ relecta sunt, sive definita à sancto vestro Concilio, condemnatum esse & alienum fidei Ecclesiæ unumquemque, qui non susceperit verbo & mente, omnes sanctas Synodos & venerabiles Patres,* 535 *cunctaque quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium hæresum; jam ad nostram cognitionem splendidissima verba eorum omnique suscipienti salutifera deducantur. Theophylactus primicerius Notariorum Apostolicæ Sedis dixit: Secundum jussionem beatitudinis vestræ deflorata à nobis sanctorum Patrum testimonia deferens præ manibus gero, quod præcipit Martinus sanctissimus ac beatissimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ urbis Romæ, dixit: Suscepta Patrum venerabilium testimonia lectione pandantur.*

Sequuntur nomina Patrum, quorum auctoritates postea referuntur. Beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, sanctus Augustinus Hipponeregiensis Episcopus, sanctus Basilius Cæsariensis Episcopus, Gregorius Nyssenus Episcopus, sanctus Cyrillus Alexandrinus Episcopus, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius Iconiensis Episcopus, Hippolytus Martyr, Leo, Athanasius, Joannes Constantinopolitanus Episcopus, Severianus Gabalensis Episcopus, Hilarius, Dionysius Areopagita Atheniensis Episcopus, Justinus Philosophus & Martyr, Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, Ephremius Antiochenus Episcopus, Joannes Episcopus Scythopoleos, Anastasius Episcopus Antiochiæ.

Et post pauca: *Sancta Synodus dixit: Domini Dei & Salvatoris nostri perficientes cum summa devotione sancti Patres, Verbum datam eis lucernam ab eo* 536 *gratia atque scientia, non utique sub modio absconderunt infructuosa obscuritatis, sed super candelabrum sustulerunt salutifera doctrina, quatenus resplendeat omnibus, qui in domo sunt, id est, populis catholicæ Ecclesiæ, ne unquam offendat pedem ad lapidem hæreticæ perfidiæ quisquam de his, qui confitentur Dominum & venerantur.* Et post alia: *Et hæc quidem ipse Sanctorum Deus Dominus noster* JESUS CHRISTUS *multifarie, multisque modis per sanctos Patres de seipso locutus illuminavit nobis fidem suam orthodoxam, sic & intransgressibiliter tenere eam, sicuti Patres prædicaverunt. Hujus autem fidei orthodoxæ extraneos & alienos, utpote denegantes eam in scripto memoratos auctores novitatis, & impia eorum conscripta. Propterea & hos & ea, quæ ab eis confecta sunt dogmata reprobantes secundum statuta venerabilium Patrum sive præcepta, qui hoc facere nobis per omnia præcipiunt, dogmata & sermones sanctorum Patrum, uno corde & ore unanimiter & consonanter firmamus; nihil addentes, nihil subtrahentes de his, quæ ab ipsis tradita sunt nobis, sicque credimus, sicut Patres crediderunt, ita prædicamus, quomodo docuerunt.* Et quibusdam interpositis, ubi hæretici & hæreses anathemate percelluntur: *Ideoque oportet iterum detegere opprobria præsumptorum ante faciem illorum, ut omnibus aperiamus, quorum hæreticorum immunditiam in semetipsis per suam novitatem portantes sanctis Patribus, & venerabilibus quinque Conciliis in deceptione simpliciorum se concordare mentiti sunt. Deducantur igitur nobis in medium codices infidelium hæreticorum, hoc est,* 537 *eorum testimonia, per hos, quorum interest, ad convincendam hæreseos illorum insaniem.*

Theophylactus primicerius Notariorum Apostolicæ Sedis dixit: Secundum sacram præceptionem vestræ beatitudinis excerpta à nobis testimonia de codicibus hæreticorum afferens præ manibus habeo. Quid præcipitis?

Martinus sanctissimus ac beatissimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ, urbis Romæ dixit: Producta testimonia hæreticorum suscipiantur &

& in approbatione consonantia novitatis præsumptorum, qua contra fidem orthodoxam eum denominatis hæreticis detinentur, hi ob i vulgentur.

Sequuntur nomina hæreticorum, quorum testimonia percensentur: Lucius Arianus Episcopus Alexandrinus, Apollinaris, Polemon discipulus Apollinaris, Severus, Themistius, Colluthus, Theodorus Mopsuestenus Nestorianus, Paulus Diaconus Persa Nestorianus, Julianus Halicarnassensis Episcopus, Theodulus Nestorianus.

Postquam vero horum omnium producta sunt testimonia, veteres illi hæretici cum novis Monothelitis componuntur; & quoties componuntur, in hunc componuntur modum: *Hæretici dixerunt: Auctores novitatis dixerunt.*

Postea sequuntur canones xx. quorum undecim
538 primi sic incipiunt: *Si quis secundum sanctos Patres non confitetur*, &c. *condemnatus sit:* Quinque proximi, hoc est, xii. xiii. xiv. xv. & xvi. sic incipiunt: *Si quis secundum scelerosos hæreticos unam Christi Dei nostri voluntatem confitetur, & unam operationem, in peremptionem sanctorum Patrum confessionis*, &c. *condemnatus sit.* Duo sequentes xvii. & xviii. incipiunt ut primi. Sed notandus est præ reliquis xviii. *Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobis pariterque fide non respuit & anathematizat anima & ore omnes, quos respuit, & anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conscriptis usque ad unum apicem sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica, hoc est, sancta & universales quinque Synodi, & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres: Id est, Sabellium, Arium, Eunomium.* Et pluribus enumeratis: *Et compendiose omnes hæreticos, qui à catholica Ecclesia reprobati & abjecti sunt.*

CAPUT XXI.

Observatus de Epistola synodica Mansueti Mediolanensis Episcopi ad Constantinum IV. Imperatorem tractandi modus exponitur.

QUO tempore Monothelitarum novitas vexare cœpit Ecclesiam, Constantinus IV. statuit ha-
539 bendum esse Concilium, quo illa damnaretur. Eam ob rem cum ad alios Episcopos, tum ad Mansuetum Mediolanensem scripsit, eosque Constantinopolim accivit. Hic autem congregata provinciæ suæ Synodo ad Constantinum misit literas, quibus exterminandæ novitatis cujuslibet modum præstituit. Verba sunt: *Nam si relegas, insignissime Imperator, non cum Dialecticis, non cum Rhetoricis, non cum Grammaticis, sed cum rusticolis & piscatoribus Dominus posuit rationem; & his tradidit sui secreta consilii, quos & Principes ordinavit, & quibus solvendi ligandique tribuit potestatem. Nonne vobis videtur, optime Imperator, dementissima mentis esse, qui Apostolicas traditiones, & venerabilium Patrum instituta depravare festinant? Nos autem omnes, qui sub felicissimos & Christianissimos à Deo custodiendos Principes dominos nostros, per excellentissimos Reges Christianæ religionis amatores, una cum eorum sancta devotione pari tenore & reverentia traditiones sanctorum Apostolorum, seu reverendissimorum Patrum, qui in supradictis Conciliis adfuerunt, omni cum veneratione suscipere, amplecti, defendere, prædicare, præcipue sanctæ memoriæ Leonis Apost. Sedis Præsulis dicta, sed etiam orthodoxos Patres, qui per diversa loca zelo Dei ferventes dogmata salutaria nobis reliquerunt, ut veneranda memoria Gregorius Nazianzenæ civitatis Episcopus, & Basilius Cappadociæ Episcopus, & Cyrillus Alexandrinus Præsul, & Athanasius ejusdem Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex, necnon & Joan-*
540 *nes Constantinopolitanus Antistes, & Hilarius Pictaviensis Episcopus, & omni sapientia clarus Augustinus Hipponiregiensis Episcopus, & veneranda corona Christi confessor Ambrosius Mediolanensis Ecclesiæ Præsul, simul & eruditissimus, & omni luce conspicuus Hieronymus Presbyter: Quidquid hi docuerunt, sapuerunt, prædicaverunt, vel defensores extiterunt, nos eorum acta vel statuta omni devotione suscipimus.* Hæc est methodus, sine qua præscribi non posse adversus hæreses credidit Mansuetus aut Mediolanensis Synodus, quæ per os Metropolitani sui locuta est.

CAPUT XXII.

Observatus de sexta Synodo generali contra Monothelitas tractandi modus exponitur.

HÆC Synodus actione iv. exhibet epistolam Agathonis Papæ, & Concilii Romani cxxv. Episcoporum, qui omnes subscripserunt. In ea, si usquam, elucet nostra tractandi ratio, qua controversiæ religionis dirimuntur. Præsto sunt verba Scripturæ, quibus impugnatur novitas: *Pater, si possibile est, transeat calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis; & in alio loco: Non mea voluntas, sed tua fiat. Cujus testimonii sensum si à sanctis & probabilibus Patribus explanatum cognoscere cupimus, & quid mea voluntas, & quid tua significet, veraciter in- 541
telligere, beatus Ambrosius in ii. libro ad Gratianum Augustum his verbis de hoc loco nos intelligere commonet.* Quo relato subdit: *Quem locum Confessor Christi Athanasius Antistes Alexandrinæ Ecclesiæ in libro adversus Apollinarium hæreticum, de Trinitate & Incarnatione; etiam duali numero comprehendens sic explanat.* Athanasii relato testimonio sequitur: *Cujus divini sermonis intentum beatus Augustinus præstantissimus Doctor ita adversus Maximinum Arianum disseruit.* Et postea: *Quod & Apostolicæ memoriæ sanctus Leo in Epistola ad Leonem Augustum explanat.* Hinc Gregorius Nazianzenus, & Concilium Calchedonense subjiciuntur. Et post alia: *Licet enim numerosa aliorum sanctorum Patrum existant volumina, parva tamen testimonia de libris, qui in Græco sunt, propter fastidium in hac humillima suggestione subnexuimus.*

Sequitur indiculus Patrum, quorum auctoritates recensentur.

Sanctus Gregorius Theologus in lib. ii. de Filio.

Sanctus Gregorius Nyssenus in lib. ii. contra Eunomium, & lib. contra Apollinarem.

Sanctus Joannes Episcopus Constantinopolitanus in sermone ad eos, qui ad Missas non occurrerunt, & de Consubstantiali.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus in lib. thesaurorum.

Sanctus Hilarius defensor veritatis egregius in lib. 542
ix. de Trinitate.

Sanctus Ambrosius in lib. ii. ad Gratianum Imperatorem.

Sanctus Dionysius Areopagita Episcopus Atheniensis in lib. ii. divinorum nominum cap. ii.

Sanctus Leo Romanæ Ecclesiæ Pontifex in tomo fidei ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, & in epistola ad Leonem Augustum.

Et post alia: *Non desunt autem & aliorum venerabilium Patrum probatissima testimonia, duas manifeste dicentium naturales operationes in Christo, ut silentio transeamus sanctum Cyrillum Hierosolymitanum, sanctum Joannem Constantinopolitanum, vel quicunque postmodum pro rectitudine venerabilis Concilii Calchedonensis, & tomo sancti Leonis satisfaciendo laboriosos conflictus adversum confundentium hæreses pertulerunt: De quorum errore & novi dogmatis descendit assertio, id est beatæ memoriæ Joannes Scythopolitanus Episcopus, Eulogius Alexandrinus Episcopus, Ephræmius & Anastasius*

major

major, Ecclesia Theopolitanæ Antistites dignissimi, & præ omnibus æmulator veræ & Apostolicæ fidei piæ memoriæ Justinianus Imperator, cujus fidei rectitudo quantum pro sincera confessione Deo placuit, tantum rempublicam Christianam exaltavit: Et utique ab omnibus gentibus ejus religiosa memoria veneratione digna censetur, cujus fidei rectitudo per augustissima ejus edicta in toto orbe diffusa laudatur.

543 Et post alia: *Ut autem & Deo odibilium hæreticorum, quorum sicut vocabula pariter abominamur & dicta, ad demonstrationem duntaxat eorum, quos novi dogmatis inventores unam in Christo dicendo voluntatem & operationem secuti sunt, pauca quædam ex eorum execrabilibus dictis innexuimus.*

Sequuntur nomina hæreticorum, qui postea citantur.

Apollinaris, Severus, Nestorius, Theodosius Alexandrinus. Tum: *Nunc necesse est, ut novi dogmatis intentio quosnam secuta sit, & quorum Doctorum auctoritate fulciatur, annotemus.*

Sequuntur nomina Monothelitarum, quorum testimonia producuntur.

Cyrus Alexandrinus Episcopus, Theodorus Pharanitanus Episcopus, Sergius Constantinopolitanus Episcopus.

Pirrhus Constantinopolitanus Episcopus, Paulus Constantinopolitanus Episcopus, & Petrus ejus successor.

Hæc autem omnia sic comparantur inter se, ut novi dogmatis auctores cum veteribus hæreticis conveniant, & ab antiquis Patribus dissentiant. Ex quo certa constat methodus, qua hæretici, hoc est, novi dogmatistæ refellantur.

Actione VIII. Agathonis epistola probatur ab omnibus Episcopis, qui Constantinopoli convenerant, atque eodem pene modo probatur. Instar omnium erit
544 Georgius Constantinopolitanus Antistes, qui his verbis loquitur: *Georgius sanctissimus Archiepiscopus Constantinopolitanus dixit: Inspiciens, pie domine, omnem virtutem suggestionum directarum ad piissimam vestram fortitudinem, tam ab Agathone Papa sanctissimo Romæ, quam ab ejus Synodo, & scrutans libros sanctorum ac probabilium Patrum, qui repositi sunt in venerabili meo Patriarchio, inveni cuncta testimonia sanctorum ac probabilium Patrum, quæ in eisdem suggestionibus continentur, consonantia, & in nullo discrepantia à sanctis ac probabilibus Patribus: Et consentio eis, & sic profiteor & credo.*

Actione IX. & X. releguntur laudatorum Patrum testimonia, quibus adduntur sanctus Epiphanius, & Justinus Martyr: Releguntur quoque testimonia hæreticorum, Severi, Theodori, Theoduli, Apollinaris, quibus adjiciuntur Themistius, Anthimus & Paulus; ita ut eadem semper constet ratio, qua novitas impugnetur.

CAPUT XXIII.

Observatus de septima Synodo contra Iconoclastas tractandi modus exponitur.

HADRIANUS I. Pontifex Romanus Græcis prælucet in epistola ad Constantinum & Irenem,
545 quæ actione II. Concilii refertur. Verba sunt hæc: *Quamobrem non est dubitandum, omnia quæ in Ecclesiis Dei ad laudem & decorem domus illius constituuntur, sancta & colenda esse. Sed & hoc, ô serenissimi Imperatores, ad incredulorum certiorem fidem, & errantium castigationem adjiciendum est, non frustra Moysi famulo suo, quemadmodum in libro Numerorum legitur, propter pestem in populum grassantem præcepisse: Fac serpentem, & pone illum in signum, & qui tactus fuerit, illúmque inspexerit, vivet. Fecit igitur Moyses serpentem æneum, & posuit illum, & servati sunt. O insaniam infremuntium adversus fidem & cultum sacrum Christianorum! O stultitiam vetantium venerandas imagines honorari, in quibus Servatoris nostri, cujus potentia genus humanum & constat adhuc & servatur, & præterea genitricis ejus, omniúmque Sanctorum historia continentur! Nam si Israeliticum populum per inspectionem ænei serpentis servatum à sua peste credimus; Christi vero Dei & Servatoris nostri, omniúmque Sanctorum figuras contemplantes & venerantes dubitamus nos servari. Absit, absit ut amplius dubitemus, absit ut à Patrum sanctorum traditione diversa sentiamus. Hæreamus in doctrina illorum, nec ab illa declinemus.*

Sequuntur nomina Patrum, qui in eum sensum adducuntur. Sanctus Augustinus, Gregorius Nyssenus, Basilius, Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus Episcopus, Cyrillus, Athanasius, Ambrosius, Stephanus Episcopus Bostrorum, Hieronymus Presbyter Hierosolymitanus. Et post allata illorum testimo- 546
nia, subjicit: *Hæc sunt, piissimi & serenissimi Imperatores & dilectissimi filii, quæ ex sacra Scriptura veteris & novi Testamenti, item piis sanctorum Patrum sententiis de sacris imaginibus Dei, sanctorúmque virorum, item de divina pictura in Ecclesiis ad laudem Dei, & memoriam Sanctorum suscipienda, breviter descripsimus.*

Deinde hæc Hadriani epistola sic ab Episcopis comprobatur. In exemplum sint, qui sequuntur: *Euthymius sanctissimus Episcopus Sardensium dixit: Ergo ante lectas beatissimi Papæ veteris Romæ literis sincere & irrepugnabiliter inhæreo, consentio, & confiteor de orthodoxa fide, deque sanctis videlicet & venerandis imaginibus: Non veluti hoc sit novum aliquod dogma, aut nuperum inventum recipiens; sed clare cognoscens ex Apostolica traditione, sanctorúmque Doctorum in Ecclesia jussu per manus nobis traditum, ob eamque causam venerandas imagines ex toto corde cum debito honore & salutari adoratione suscipio.*

Leo Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ locum tenens Sidæ Metropolis dixit, Et post pauca: *Sanctas & venerandas imagines recipio, quoniam hæc vetustissima traditio est.*

Constantinus sanctissimus Episcopus Gangrorum dixit: Juxta lectam relationem sanctissimi Papæ veteris Romæ Hadriani, & priscam Patrum traditionem venerandas imagines recipio. His pene verbis Antistites reliqui subscribunt. Tum actione IV. sub initium: 547
Et nunc quoque testamur, Synodum sacram hanc gaudere, quod ex lectis literis clarum est & perspicuum, Orientis & Occidentis Sacerdotes summos in unam sententiam convenisse.

Sequuntur nomina librorum & auctorum, qui producuntur in assertionem veritatis. Exodus cap. XXV. Numeri cap. VII. Ezechiel cap. XLI. Paulus in epistola ad Hebræos cap. IX. Joannes Chrysostomus in Encomio Meletii, & alibi; Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Acacium; Gregorius Theologus in carmine suo & in sermone de virtute; Antipater Episcopus Bostrorum in oratione de muliere laborante sanguinis fluore; Asterius Episcopus Amasiæ in Ecphrasi Euphemiæ Martyris; vita Anastasii Persæ Martyris; miracula sancti Anastasii Martyris; Athanasius in sermone de imagine Domini veri Dei, & de miraculo in Berytensi civitate prodito; beatus Nilus in epistola ad Heliodorum & Olympiodorum; dogmata agitata inter Maximum & Theodosium Episcopum Cæsareæ, quæ est in Bithynia; canon LXXXII. Quinisextæ; Leontius Episcopus Nicopoleos Cypri in V. libro Apologiæ pro Christianis contra Judæos, & de imaginibus Sanctorum; Sophronius Archiepiscopus Hierosolymorum in Encomio Cyri & Joannis; Athanasius in lib. IV. contra Arianos; Basilius cap. XVIII. ad Amphilochium de sancto Spiritu, in libro contra Sabellianos;

nos, Arium & impios; Theodoretus Episcopus Cyri
548 in vita Simeonis; Basilius in oratione de Martyre Barlaam; vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ; martyrium Procopii; vita Theodori Archimandritæ; Gregorius Papa Romanus in epistola ad Germanum Constantinopolitanum; Germanus iste Constantinopolitanus in epistola ad Joannem Episcopum Synadon, in epistola ad Constantinum Episcopum Nacoliæ, & ad Thomam Episcopum Claudiopoleos.

Actione v. hæc traduntur, quæ ad rem nostram faciunt: *Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Legantur, & si qui plures sunt libri, in redargutionem & triumphum falsæ istius & calumniatricis congregationis. Quæ scilicet sub Copronymo habita est sancta Synodus dixit: Legantur.*

Sequuntur nomina eorum, qui lecti fuerunt. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi II. Simeon Stylita in epistola v. ad Justinum Juniorem Imperatorem, Joannes Episcopus Thessalonicensis in sermone: Falso inscripta sanctorum Apostolorum itineraria, Amphilochius Episcopus Iconiensis de falso inscriptis ab hæreticis libris, Theodorus lector in historia Ecclesiastica, Joannes Episcopus Gabalorum de vita & politia Severi hæresiarchæ, Evagrius in lib. IV. hist. cap. XXVI.

Sic Hadrianus & Synodus credunt non alia ratione Iconoclastarum novitatem redargui posse, quam si ipsis & Scriptura & Patrum antiquitas opponerentur.

---

549 CAPUT XXIV.

Observatus de Concilio Francofordiensi contra Elipandum tractandi modus exponitur.

HUJUS Concilii pars magna est epistola, quam Hadrianus primus ad Episcopos Hispaniæ contra Elipandum scripsit. Sed referamus ea, quæ causæ serviunt: *Nunquidnam dixit Petrus: Tu es Christus, qui propter nos factus es filius hominis, & per adoptionem factus es Filius Dei? Absit. Hoc nec Petrus confessus est, nec sancta Ecclesia super firmam petram fundata.* Tum citatis quibusdam Scripturæ locis subjicit: *Sufficeret quidem in his duobus vel tribus testibus stare omne verbum; sed propter controversias litigantium, qui falsis objectionibus conjecturalium quæstionum molimine veritatis refragari nituntur assertionibus, adhibeamus quinetiam alios veritatis testes, sanctos videlicet prædicatores nostros, qui in gremio catholicæ Ecclesiæ lacte fidei sunt nutriti, & ad tantam perfectionis maturitatem pertingere meruerunt, quatenus & solido cibi capaciores fierent, & minutius turbis frangendi peritiam retinerent.*

Sequuntur nomina eorum, qui adducuntur in testes: *Beatus Athanasius in Symbolo, Gregorius Nazian-*
550 *zenus in epistola ad Cledonium, sanctus Augustinus in quodam sermone super Evangelium Joannis, & Gregorius Papa in libris Moralium.*

Hadriani epistolam sequitur epistola quam Galliæ & Germaniæ Præsules ad Episcopos Hispaniæ miserunt. In ea sic se res habet: *Nunquid sagaciores sumus ad inveniendam viam veritatis, quam Apostolici Doctores? Et quare aliquid confirmare audemus, quod in illorum non invenitur scriptis?* Et post alia: *Dices enim: Cur times adoptivum Christum Dominum nominare? Dico tibi, quia nec Apostoli eum sic nominarunt, nec sancta catholica Dei Ecclesia consuetudinem habet sic eum appellare; imo nec credere eum adoptivum esse, sed proprium filium, juxta præcedentia Apostolorum testimonia, & sanctorum Doctorum dogmata.*

In hac porro epistola Patres bonum in sensum interpretantur Hilarii, Augustini & Hieronymi testimonia, quæ Elipandus adferebat in confirmationem erroris sui. Et præterea afficta Hieronymo ad Cerasiam epistula comprobatur. Tum Hildefonsus Toletanæ Sedis Episcopus, quo ille quoque utebatur, novitatis arguitur, quod in ritu Missæ de cœna Domini, & de Ascensione posuerat: *Qui per adoptivi hominis passionem suo non indulsit filio.* Item: *Hodie Salvator noster post adoptionem carnis sedem repetivit deitatis.* Et primo quidem ei sic opponitur Scriptura: *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo filio, quam Hildefonsi*
vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemniis, 551
quales universalis & sancta Dei non habet Ecclesia. Deinde opponitur Gregorius magnus, qui longe aliter quam Hildefonsus in oratione cum feriæ II. post palmas, tum Ascensionis dominicæ loquitur.

Ad utramque supra laudatam epistolam accedit ea, quam Carolus Rex ad Elipandum dedit, in qua quæ ad institutum nostrum faciunt, sic se habent: *Ad impletionem vero hujus gaudii, fraterna cogente caritate, jussimus sanctorum Patrum synodale ex omnibus undique nostræ ditionis Ecclesiis congregari Concilium, quatenus sancta eorum unanimitas veraciter decerneret, quid credendum sit de adoptione carnis Christi, quam nuper novis assertionibus, & sanctæ Dei universalis Ecclesiæ antiquis temporibus inauditis, vos ex vestris scriptis immisisse cognovimus. Imo & ad beatissimam Apostolicæ Sedis Pontificem de hac nova inventione nostræ devotionis ter quaterque direximus missos, scire cupientes quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac respondere voluisset inquisitione. Necnon & de Britanniæ partibus aliquos Ecclesiasticæ disciplinæ viros convocavimus, ut ex multorum diligenti consideratione veritas catholicæ fidei investigaretur, & probatissimis hinc inde roborata testimoniis absque ulla dubitatione teneatur.* Et post alia: *Nec vestræ me paucitati in consensione hujus novæ assertionis socium admitto; sed Apostolicæ Sedi & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis traditionibus tota*
mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo. Quod- 552
quid in illorum legitur libris, qui divino Spiritu afflati, toti orbi à Deo dati sunt Doctores, indubitanter teneo. Hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissima Evangelica veritatis pandit historia, quod Apostolica in suis Epistolis confirmat auctoritas, quod eximii sacræ Scripturæ tractatores, & præcipui Christianæ fidei Doctores, ad perpetuam posteris scriptam reliquerunt memoriam.

Sic duobus modis sublata est Elipandi novitas. Uno, quod quæ ille de adoptione Christi dixerat, nec Scriptura, nec antiqui Ecclesiarum præceptores dixissent. Altero, quod ubi de Christo locuti erant, hunc Filium Dei proprium vel nominassent, vel tradidissent ea, ex quibus id dogmatis genus apprime colligeretur. Præterea hujus rei confirmandæ gratia, Concilii Patres duxerunt esse necessarium, ut Hilarii, Augustini, Hieronymi, & Hildefonsi auctoritates, quibus abutebatur Elipandus, revolverentur, & in catholicum sensum exponerentur. Sic enim alloquuntur Hispanos: *Et miramur, dum tanta sanctorum Patrum testimonia profertis, cur non intelligatis, quod contra eadem testimonia sensum ponitur vestrum, alia prave intelligentes, alia pessime interpretantes, juxta Apostolorum non intelligentes, quæ dicitis, nec de quibus affirmatis. Sufficiat vobis, obsecramus, dicere in confessione catholicæ fidei, quod sancti Patres dixerunt, & sic Symbolum tenere Ecclesiasticæ professionis, sicut sanctissimi Doctores exposue-*
runt: Longe siquidem inferiores sumus illis ad excogitanda 553
verba, convenientia fidei Apostolicæ tantum firmiter credamus & teneamus, quod illi scripserunt, qui spiritu Dei repleti sunt, & nobis à Deo dati sunt Doctores. Hæc in epistola, quam Patres Concilii ad Episcopos Hispaniæ miserunt.

CAPUT

CAPUT XXV.

Observatus de Epistolis Nicolai Papæ & Hincmari contra Græcos tractandi modus exponitur.

QUO tempore dissidia inter Ignatium & Photium ferverent Constantinopoli, Nicnlaus Pontifex Romanus Ignatium legitimum Antistitem, & Photinm intrusnm declaravit, & in eam urbem legatos misit, qui declararunt. Qui stabant à partibus invasoris, Romanam criminari cœperunt Ecclesiam, & objicere nonnulla, quæ ut eis responderetur, ad Hincmarum Remensem, & alios Galliæ Episcopos Nicolaus misit. Hujus epistolæ verba sunt post recensitas objectiones: *In his igitur explosio cæteris curis, vos, fratres, convenit summopere desudare; & quia communia sunt hæc opprobria, quæ universali Ecclesiæ in ea duntaxat parte, qua Latina uti dignoscitur lingua, sicut prætulimus, ingeruntur, communiter omnes, qui*
554 *divino sacerdotio illustrari videamini, decertare debetis, quo paterna traditiones tantæ derogationi non pateant.* Et post alia: *Ridiculum est enim & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris vel falso insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus nostris suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur.* Et post alia: *Sed magnopere convenit, ut & vestra quoque fraternitas morem secuta majorum concertans nobis, & unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Unde unusquisque vestrum, qui Metropolitana jura fortitus est, junctis sibi fratribus & Coepiscopis suis, qui sub se sunt, de his diligentem curam suscipiat, & quid invidis & detractoribus opponi necesse sit, rimari studeat, & invenire summopere gestiat, atque inventum nobis ocius transmittere minime parvipendat, quatenus id nos quoque adversus eorum vesaniam cum cæteris assertionibus nostris deinde mittere valeamus.* Et post alia: *Verum pro his & similibus causis canonice discutiendis, & istis definiendis, tam vestrum quam aliorum fratrum Coepiscoporum nostrorum reverendam ad nos connotare vellemus præsentiam, nisi nos diversa mundi calamitates & cotidiana pressura id gerere vetuissent.* Et post alia: *Alioqui vestram ad nos fraternitatem convocandi, & pariter de hujusmodi quæstionibus tractandi nobis erit omnino necessitas, ut videlicet juxta pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud sanctum Petrum convenientes,*
555 *communes Ecclesiæ calumnias repellamus, qui commune sacerdotii culmen in Christi Ecclesia singuli secundum suorum qualitatem privilegiorum promeruisse dinoscimur: Præcipue cum non solum propter hujusmodi generalis Ecclesiæ negotium; sed etiam pro specialis hujus sedis exortæ causa prædecessores vestri, una cum prædecessoribus nostris hic soliti sunt non immerito convenire.* Hæc Nicolaus, ex quibus idem quod antea colligitur. Hincmarus vero accepta illius Pontificis epistola, sic Odoni Bellovacensi Episcopo scribit: *Domnus Apostolicus communiter nobis & aliis Episcopis regni domini nostri Caroli Epistolam misit, in qua continetur, quod Græci tam Ecclesiam Romanam specialiter, quam omnem generaliter, quæ Latina lingua utitur, conantur reprehendere, quia jejunamus in sabbatis, quod Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere dicamus, cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur.*

Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia Presbyteros sortiri conjuges prohibemus, & insimulare tentant, quod eosdem Presbyteros chrismate linire frontes baptizatorum inhibemus; quod tamen chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante Pascha à carnium, & septem hebdomadibus à casei & ovorum esa more suo non cessamus, & cætera, in quibus & reliquæ objectiones & mens Pontificis continentur. Postea subjungit Hincmarus: *Quapropter, frater carissime, secundum Domni Apostolici commendationem de his per tramitem Scripturarum & traditionem majo-* 556
rum, quæ illi convenienter rescribere possimus, quærere, & in unum colligere stude, ut cum simul, adjuvante Domino, venerimus, quæ quisque nostrum invenit singillatim, communi studio relegamus, & quæ eidem Domno Papæ à nobis inde scribenda sunt, ordinemus.

In his autem duabus epistolis idem pene præscribitur, ut scilicet Græcorum respondeatur objectionibus; non qnomodocunqne; sed per tramitem Scripturarum & traditionem majorum, quæ sunt duo terminandarum Ecclesiæ controversiarum principia, toties inculcata, quoties antiqui easdem controversias agitarunt.

CAPUT XXVI.

Observatus de regulari Gregorii IX. ad Magistros Parisienses Epistola tractandi modus exponitur.

GRegorius IX. ut exorta quædam in Academia Parisiensi dissidia sedaret, ad ejusdem Academiæ Magistros dedit epistolam, in qua Theologici studii rationem ita præscribit: *Magistri vero & Scholares Theologiæ in Facultate quam profitentur se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Azotica confunden-* 557
tes, sed de illis tantum in Scholis quæstionibus disputent, quæ per libros Theologicos & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari. Hæc Pontifex, quibus libros Theologicos à sanctorum Patrum tractatibus cùm distinguat librorum Theologicorum nomine, novum & vetus Testamentum, quæ libri vere sunt Theologici, necessario debet intelligere. Quo ita constituto, nullnm est dubium, quin Pontifex Scripturam & catholicæ Ecclesiæ decurrentem ab initio traditionem, quæ in sanctorum Patrum commentariis deprehenditur, terminandarum fidei controversiarum regulam esse sibi sumat, quandoquidem utrumque velit esse regulam tractandarum in Scholis Theologiæ quæstionum, quarum plures dogmatibus fidei non accensentur. Intelligebat sapiens Pontifex, id verum esse, quod olim Facundus Hermianensis Episcopus in libri II. pro defensione trium capitulorum capite VI. *Si humanis,* inquit, *persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare.* Intelligebat id circumspectione summa dignum esse, quod Petrus Cantor Parisiensis Theologus idonea eruditione, & pietate præditus scribit in Abbreviati verbi capite III. *Qui de cœlestibus supra vires, & supra ea, quæ sufficiunt ad salutem, inquirunt, vespis & pugionibus Dominum* JESUM CHRISTUM *exagitare videntur.* Quare si auditus fuisset Gregorius, & præscriptus ab eo docendæ Theologiæ modus ser- 558
vatus, Joannes Gerson Parisiensis Cancellarius non scripsisset, quæ in lectione super Marcum ita scripsit: *Denique cur ob aliud appellantur Theologi nostri temporis Sophistæ, verbosi, imo & phantastici, nisi quia relictis utilibus & intelligibilibus, pro auditorum qualitate transferunt se ad nudam Logicam, vel Metaphysicam, aut etiam Mathematicam, ubi & quando non oportet, nunc de intentione formarum, nunc de divisione continui, nunc detegentes sophismata Theologicis terminis obumbrata, nunc prioritates quasdam in divinis, mensuras, durationes, instantia, signa naturæ, & similia in medium adducentes? Quæ etsi vera essent & solida, sicut non sunt, ad subversionem tamen magis audientium vel*

 irrisi-

irrisionem, quam rectam fidei ædificationem proficiunt. Hæc autem mala & incommoda vitabuntur tum demum, si proposita à Gregorio tractandi in rebus Theologicis regula executioni mandetur.

CAPUT XXVII.

Observatus de Lugdunensi Concilio generali pro concordia Græcorum tractandi modus exponitur.

RES sic se habet in definitione pacis & concordiæ, quæ Græcos inter & Latinos sancita est:
559 *Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno, non duabus spirationibus, sed una spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit & docuit sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium Fidelium & magistra; hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum & Græcorum pariter incommutabilis & vera sententia.* Hujus professionis, quam Concilium illud edidit, caussam adfert duplicem, tum quod ita semper Romana prædicarit Ecclesia, tum quod ita docuerit Magistrorum omnium Græcorum & Latinorum incommutabilis & vera sententia, quæ & Scripturam, & catholicæ Ecclesiæ traditionem perpetuam important.

CAPUT XXVIII.

Observatus de Clemente V. & Concilio Viennensi tractandi modus exponitur.

TEmpore Viennensis Concilii, quod anno Christi MCCCXI. celebratum est in Gallia, fuerunt, qui aliter de Christo jam mortuo lancea perforato, quam se habet veritas, docerent. Sed hac via illorum errorem Clemens & Concilium damnarunt in Clementina de summa Trinitate. Verba sunt: *Fidei*
560 *catholicæ fundamento, præter quod (teste Apostolo) nemo potest aliud ponere, firmiter inhærentes, aperte cum sancta matre Ecclesia confitemur unigenitum Dei Filium.* Et post alia: *Et hoc quod in assumpta natura ipsum Dei Verbum pro omnium operanda salute non solum affigi cruci, & in ea mori voluit; sed emisso jam spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, ut exinde profluentibus undis aquæ & sanguinis formaretur unica & immaculata ac virgo sancta mater Ecclesia conjux Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in conjugium est formata, ut sic certæ figuræ primi & veteris Adæ, qui secundum Apostolum est forma futuri in novissimo nostro Adam, id est Christo, veritas responderet. Hæc, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallata testimonio, quam Propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris Evangelicis transvolantem, beati Joannis videlicet Apostoli & Evangelistæ, qui sacramenti hujus rem gestam narrans, & ordinem in Evangelio suo dixit: Ad* JESUM *autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua, & qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus, quia vera dicit, ut & vos credatis. Nos igitur ad tam præclarum testimonium, ac sanctorum Patrum & Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apostolum*
561 *& Evangelistam Joannem rectum in præmissis facti rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit.* Igitur Christus non ante transfixus fuit lancea, quam spiritum reddiderit. Quem autem in damnando errore illorum, qui docebant contrarium, Pontifex & Synodus modum servant, est ejusmodi. Scripturam imprimis adhibent, deinde perpetuam Ecclesiæ traditionem, quæ cum in testimoniis sanctorum Patrum, tum in communi Doctorum sententia custoditur.

Sed aliam rationem ineunt, eamque notatu dignissimam, dum varias Theologorum opiniones dijudicant, & alias aliis præferendas statuunt. Verba sunt hæc: *Ad hoc baptisma unicum baptizatos omnes in Christo regenerans (sicut unus Deus ac fides unica) ab omnibus fideliter confitendum: Quod celebratum in aqua in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, credimus esse tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem. Verum quantum ad effectum baptismi in parvulis reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: Aliis è contra asserentibus, quod & culpa eisdem in baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad usum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, (quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam (quæ dicit tam parvulis* 562
quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. Hoc autem ut apposite & convenienter instituto nostro intelligatur, scire oportet apud Philosophos & Theologos, quorum mentio hic fit, opinionem de re incerta, scientiam de re certa esse. Discrimen est ab illis inter scientiam & opinionem positum, & propria unicuique habitui definitione conclusum. Atque hoc ut quod omnibus notum fit, nihil est necesse pluribus verbis exponere. Ex eo autem discrimine sequitur omnino, id quod est in opinione positum, ut reipsa verum, ita & reipsa falsum esse posse. Quo fit ut dum Clemens & Synodus indicant opinionem alteram prima esse probabiliorem, & dictis sanctorum Patrum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, non continuo judicent opinionem secundam esse reipsa veram & certam; sed eam duntaxat præferendam esse primæ, quod dictis sanctorum Patrum, & recentiorum Theologorum magis consentiat. Sic tantum inter duas opiniones modum eligendi & sentiendi præscribunt, à quo non licet recedere. Atque hoc quod animadvertimus, facile confirmatur ex mutua contentione duarum quæstionum, quas ex nostra Clementina proposuimus. Nam alius est primam, alius secundam tractandi modus. In prima Scripturæ auctoritas ad- 563
fertur; deinde indicatur testimonium sanctorum Patrum, & communis Doctorum sententia, in qua duæ Theologorum opiniones non recensentur. In secunda nulla profertur Scriptura, nulla communis Doctorum sententia. Quinetiam opiniones memorantur duæ, quorum altera tantum dictis Sanctorum, & recentiorum Theologorum placitis magis concordet.

CAPUT XXIX.

Observatus de Concilio Florentino inter Græcos & Latinos tractandi modus exponitur.

AD Florentinum Concilium quod attinet, res in eo collationibus mutuis transiguntur. Pro omnibus Græcorum partes unus, alter vero Latinorum tuetur. Joannes Theologus Latinorum patronus antiquam sanciendorum fidei dogmatum rationem proponit, ut est in collatione XXIS. novæ editionis num. VSI. *Bene novis* (dicit Cardinali) *quod in omnibus*

œcume-

*œcumenicis Synodis, in quibus facta ſunt definitiones fi-
dei, antequam definitiones promulgarentur, oportebat ad-
ducere teſtimonia & Epiſtolas Sanctorum, ex quibus Pa-
tres Conciliorum promulgabant definitiones, seu quod vir-*
564 *tus definitionum ſumebatur ex virtute teſtimoniorum.* Id
exprimere voluit, quod ante multis capitibus re-
præſentatum eſt. Deinde inter Latinos & Græcos con-
venit, ut Eccleſiaſtici tractatores non proferrentur in
medium, niſi qui ante exortum ſchiſma claruiſſent:
Quo in caſu, ſublato partium ſtudio, facilius iniretur
concordia.

Hinc nec Photius, nec Michael Conſtantinopolita-
nus Epiſcopus, nec Theophylactus, nec OEcumenius,
nec Euthymius, nec Simeon Theſſalonicenſis, nec Zo-
naras, nec Balſamon, nec Matthæus Blaſtares, nec
Cabaſilas, nec alii qui pro Græcis contra Latinos ſcri-
pſerunt: Inde nec Nicolaus I. nec Joannes VIII. nec
Leo IX. nec Humbertus Cardinalis, nec Lanfrancus,
nec Anſelmus, nec Algerus, nec Guitmundus, nec
Thomas, nec alii qui pro Latinis contra Græcos
commentaria ediderunt, laudati ſunt. Audita eſt
Patrum antiquitas, & quod alteris alteri ſuſpecti non
poterant, illud ſuperiorum omnium ſæculorum vene-
randa canities Chriſto propior, abs ſua lite remotior
decidit arbitrio.

Porro autem Concilii hujus editiones ſunt duæ,
vetus una, altera nova, in pluribus diſſimiles, quæ
iterum typis Italicis in lucem prodierunt. Sed cum
ita diſſimiles ſint, non parum negotii poſſunt faceſſere
iis, qui unius Concilii eadem eſſe debere acta, ſibi
merito perſuaderent. Quæ nunc ego retuli, ex edi-
tione nova decerpſi: Parem verborum complexio-
nem vetus mihi non objecit; illa nihilominus referre
565 volui, nec alia de cauſa retuli, quam quod in modo
tractandi omnibus Conciliis & Patribus concordarent.
Non ignoro enim quam in partem olim ante Triden-
tinum Concilium, & in hoc ipſo Concilio Florenti-
nam Synodum acceperint Gallicana Eccleſia, & no-
ſtra Pariſienſis Academia. Carolus Cardinalis Lotha-
ringius id ſignificat in literis, quas anno MDLXIX. è
Concilio dedit ad certum quemdam ſuum Notarium
cognomento Britonem, qui tum Romæ privata illius
negotia curabat. Gallica ſunt verba, quæ Latina hic
facimus: *Supereſt modo titulorum ultimus, quem ad-
ſcribi noſtro ſanctiſſimo Patri volunt, è Florentina Syno-
do depromptus. Ego vero negare non poſſum, me & Gal-
lum & Pariſienſis Academiæ alumnum eſſe, in qua Con-
cilii ſupra Romanum Pontificem auctoritas defendi-
tur, & ut heretici damnantur, qui contrarium teneat;
Gallium, Conſtantienſe Concilium quoad omnes ſuas par-
tes œcumenicum habere, & Baſilienſe ſequi; Florenti-
num vero nec pro legitimo, nec pro generali ducere.
Quamobrem Galli de vita potius quam de ſententia de-
cedent. Hæc autem cum ita ſint, ſimo & ſeco, meque
ſanctitatis ſuæ pedibus advolvo, & eam per viſcera miſe-
ricordiæ Dei noſtri precor, ut modo hujuſmodi verba hæc
omnia, & diſputationes hujuſmodi omittantur: Afflicto
regno danda non eſt afflictio. Hinc jam ſatis offendun-
tur heretici, inde Catholici reguntur à Theologis, qui
clamores ad cœlum uſque tollent. Regni privilegia om-
nia veritati huic innituntur: Etſi diſputatio hæc fiat, ea*
566 *tota ad ſubverſionem audientium, & regni diſceſſionem
certiſſimum illius exitium terminabitur. Nam futurum
eſſe, ut vel unus è regni Galliæ Epiſcopis aſſentiretur,
credere ſtultum foret. Legati proteſtabuntur, viaque tunc
ſchiſmati aperietur: utrinque conſcribentur libri, & tota
revocabitur in dubium Sedis Apoſtolicæ auctoritas. Hoc
moneo, & libero fidem meam, Deumque ipſum, & ſum-
mum Pontificem teſtes appello. Tum demum mea ſenten-
tia eſt, ut ab iſtis honorum titulis abſtineatur impræſen-
tiarum, & Sedes Apoſtolica in ſua poſſeſſione & auctoritate
ſua maneat.* Quinam autem ſint illi honorum tituli,
de quibus Cardinalis loquitur, Claudius Sanctelius
qui Tridenti erat, in literis ad Claudium Eſpencæum
ſignificat. Cæterum hæ & memoratæ Cardinalis literæ
extant inter inſtructiones legatorum Regis, aliaque
pertinentia ad Tridentinum Concilium monumenta,
quæ ante aliquot annos ſtudio Petri Puteani viri clariſſi-
mi Lutetiæ prodierunt.

Quamvis igitur Gallicani Præſules & Pariſienſes The-
ologi, Tridentino non improbante, quod ſciam, Con-
cilio, Florentinam Synodum rejecerint ut œcumeni-
cam & legitimam, decidendarum tamen fidei contro-
verſiarum methodum, quam exhibuimus, rejeciſſe haud
quaquam cenſendi ſunt.

CAPUT XXX. 567

*Obſervatus de Tridentina Synodo contra recentiores
Heterodoxos tractandi modus exponitur.*

TRIDENTINA Synodus non uno in loco, ſed in
permultis eum tractandi modum præſtituit, quo
& fidei dogmata, & generalis diſciplina Eccleſiæ ſan-
ciri facile poſſint, ſi ſemel ſtudia partium ſecluderen-
tur, & unicus regnaret amor veritatis.

Primus locus eſt in ſeſſione IV. ubi legitur: *Præ-
terea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo
ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei aut morum ad ædificatio-
nem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam
ad ſuos ſenſus contorquens contra eum ſenſum, quem te-
nuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de
vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum,
aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scri-
pturam ſacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi in-
terpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ fo-
rent: qui contravenerint, per ordinarios declarentur, & pœ-
nis à jure ſtatutis puniantur.*

Alter in ſeſſione V. ubi legitur: *Si quis recentes
parvulos ab uteris matrum baptizandos negat, etiamſi fu-
erint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remiſſio-
nem quidem peccatorum eos baptizari; ſed nihil ex A-* 568
*dam trahere originalis peccati, quod regenerationis lava-
cro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam;
unde fit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis in re-
miſſionem peccatorum non vera, ſed falſa intelligatur;
anathema ſit, quoniam non aliter intelligendum eſt id
quod dixit Apoſtolus: Per unum hominem peccatum in-
travit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes
homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; quemad-
modum Eccleſia catholica ubique diffuſa ſemper intellex-
it.* Sic propoſita hoc in articulo quæſtio per Scriptu-
ram & catholicæ Eccleſiæ traditionem, quæ ducatur
jam inde ab initio, definitur.

Tertius in ſeſſione VI. ubi capite I. decreti de Re-
formatione legitur: *Eadem ſacroſancta Synodus, eiſ-
dem præſidentibus Apoſtolicæ Sedis legatis, ad reſtituen-
dam collapſam admodum Eccleſiaſticam diſciplinam, de-
pravatoſque in Clero & populo Chriſtiano mores emendan-
dos ... ſtatuit, ut ad Eccleſiarum regimen, qui maxime
digni fuerint, ſecundum venerabiles beatorum Patrum
ſanctiones aſſumantur.* Sic collapſa Eccleſiæ diſciplina
per venerabiles & antiquas beatorum Patrum ſanctiones
reſtituitur. Quare paullo poſt dicitur: *Placuit ſacro-
ſanctæ Synodo, antiquos canones, qui temporum atque homi-
num injuria pene in deſuetudinem abierunt, adverſus non
reſidentes promulgatos, innovare.*

Quartus in ſeſſione VII. ubi legitur in proœmio: 569
*Propterea ſacroſancta œcumenica & generalis Triden-
tina Synodus ... ad errores eliminandos & extirpandas
hæreſes, quæ circa ſanctiſſima ipſa ſacramenta hac no-
ſtra tempeſtate, tam de damnatis olim à Patribus
noſtris hæreſibus ſuſcitatæ, tum etiam de novo adin-
ventæ ſunt, quæ catholicæ Eccleſiæ puritati, & animarum
ſaluti magnopere officiunt, ſanctarum Scripturarum doctri-
næ, Apoſtolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum*

& Patrum consensui inhærendo, hos præsentes canones statuendos & decernendos censuit. Sic hæreses novæ Scripturarum auctoritate, & catholicæ Ecclesiæ traditione, necnon Conciliorum & Patrum omnium doctrina profligantur.

Quintus in sess. XIII. cap. VI. *Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam, adeo antiqua est, ut eam etiam sæculum Nicæni Concilii agnoverit.* Sic antiquitas consuetudinis, qua de agitur, firmamentum est.

Sextus in sess. XIV. cap. I. *Dominus autem tunc præcipue sacramentum Pœnitentiæ instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos Fideles post baptismum lapsos, Apostolis & eorum successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.* Quod in canonem ita compingitur: *Si quis*
570 *dixerit verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit: Detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.* In capite dicitur, *universorum Patrum consensus semper intellexit.* In canone, *sicut Ecclesia catholica ab initio intellexit.* Hæc eadem sunt, quibus & antiquitas doctrinæ, & in antiquitate universitas & consensio intelliguntur. Quæ tria novitati opponuntur.

Septimus in ejusdem sessionis capite V. ubi legitur: *Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere.* Quid est, universa Ecclesia semper intellexit, nisi quod Synodus ad definitionem suam rite faciendam crediderit necessarium esse Patrum consensum, in quo antiquitas consensio & universitas comprehenduntur?

Octavus in ejusdem sessionis capite VIII. ubi legitur: *Claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Sic Patrum antiquitas novatoribus opponitur.

Nonus in ejusdem sess. capite I. de institutione sacramenti Extremæ Unctionis, ubi legitur: *Quibus verbis* (Jacobi) *ut ex Apostolica traditione per manus*
571 *accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris sacramenti.* Apostolica traditio per manus accepta, antiquitatem, consensionem & universitatem importat.

Decimus in sessionis XXI. capite II. ubi legitur: *Præterea declarat* (sancta Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret.* Etiam in iis quæ sunt disciplinæ, observatur potestas, quæ ab initio Ecclesiæ derivetur, & in tali potestate utilitas major attenditur.

Undecimus in ejusdem sessionis capite IV. ubi legitur: *Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: Siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Heic Synodi Patribus tanta est in pretio & honore antiquitas, ut ab ea separari nolint; & ne separari videantur, commodam exposi- 572
tionem adferunt: Quod observatione summa dignum est. Sed observare negligunt, qui κενωνία & novitatis amore ducuntur.

Duodecimus in sess. XXIII. cap. I. ubi legitur: *Cum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile & externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi & retinendi, sacræ literæ ostendunt, & catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.* Ecce tibi duo veræ Theologiæ principia, sacræ literæ, & catholicæ Ecclesiæ traditio, quibus quicunque tractandi de rebus Theologicis modus inniti debet!

Decimus-tertius in ejusdem sess. capite III. ubi legitur: *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse, vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis.* Heic ad Scripturæ testimonium, & Apostolicam traditionem unanimis Patrum consensus adjungitur.

Decimus-quartus in ejusdem sess. capite VII. decreti de Reformatione, ubi legitur: *Sancta Synodus antiquorum canonum vestigiis inhærendo decernit,* 573
ut quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Quæ reformanda sunt in sacris ordinationibus, per antiquos canones reformantur: sic antiquitas canonum novis aberrationibus opponitur.

Decimus-quintus in ejusdem sessionis capite XVII. ubi legitur: *ut sanctorum Ordinum à diaconatu ad ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis intermissæ, in usum juxta sacros canones revocentur.* Quæ hic memoratur intermissio, intermissionis consuetudine non confirmatur, sed destruitur, cum usus rei intermissæ juxta sacros canones revocetur.

Decimus-sextus in sess. XXIV. in doctrina de sacramento Matrimonii, ubi legitur: *Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter legis novæ sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt,* &c. Doctrinæ hujus quæ exponitur, fundamentum in sanctis Patribus, Conciliis, & universalis Ecclesiæ traditione consistit: Adeo verum est doctrinam de hoc & aliis sacramentis ita fundandam esse.

Decimus-septimus in ejusdem sess. capite XXI. decreti de Reformatione, ubi legitur: *Cupiens sancta Synodus, ut ex decretis ab ea editis nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita in de-* 574
creto publicato sessione prima sub beatissimo Domino nostro Pio IV. videlicet: Quæ proponentibus legatis ac Præsidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram & Christianam pacem conciliandam, apta & idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur, explicando declarat mentis suæ non esse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam præter id quod à sacris canonibus vel generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur. Postrema

peri-

periodos, quæ cedro digna est, antecedentia concludit omnia, & ad novitatis aditum tollit omnem.

Decimus-octavus in ea legati Franciæ ad legatos Concilii petitione, quæ anno Christi MDLXII. Calend. Junii facta est, ubi legitur: *Alterum petit Rex Christianissimus, non sua, Reginæ matris, fratrum, Regis Navarræ, & aliorum Principum Galliæ, sed eorum causa, qui à religione Romanæ Ecclesiæ discesserunt. Ii enim sæpius indicarunt continuationem Concilii Tridentini indicti & inchoati à Paulo III. Pontifice maximo suspectam, neque velle ad aliud, quam ad novum Concilium venire. Habent enim Catholici, cujusmodi sunt fere omnes Galli, sacram Scripturam, & antiquorum Patrum & Conciliorum libros, à quibus petunt dogma-
575 ta, & veras sententias de religione, atque ipsam morum disciplinam.* Cum Tridentina Synodo communes sunt hi Gallorum fontes, e quibus eos sua fidei dogmata & morum disciplinam haurire ait legatus Galliæ, Scriptura sacra & antiquorum Patrum & Conciliorum libri, qui Ecclesiasticam traditionem sine dubio complectuntur.

Decimus-nonus in forma juramenti professionis fidei, quam Pius IV. ex decretis Tridentinæ Synodi composuit, ubi legitur: *Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.* Huic autem professionis fidei articulo, si mos gereretur ab omnibus, facile sedarentur controversiæ, quæ de religione moventur.

Porro autem his locis novemdecim, in quibus varia quidem est nonnunquam verborum contextio, sed idem fere sensus, decernendorum fidei dogmatum, & instaurandæ morum disciplinæ legem præscribunt, Scripturæ auctoritatem, & catholicæ Ecclesiæ traditionem, ut in singulis ferme locis admonui. Et sane nisi ad regulam, quam heic Tridentinum Concilium & Pius IV. Pontifex constituunt, expendantur quælibet Theologiæ placita, quies nulla unquam erit in Scholis, & in Ecclesia altercandi finis nullus, dum
576 alii ad stabiliendum fidei dogma consensum unanimem Patrum necessario exigent, alii non exigent; sed id vel hæreticum vel Catholicum esse dicent, quod hæreticum vel Catholicum esse videbitur, & ductis ex publica professione & veteri magisterio præjudiciis & opportunitatibus expediet.

Hactenus quod auctore ac suasore te opus mihi proposueram, ad ingenii mei modulum perfeci. In eo sic se res habet, ut admodum pauca sint mea, reliqua omnia Patrum, Conciliorum, Romanorum Pontificum. Nempe collecta ex illis & docendæ Theologiæ & dirimendarum fidei quæstionum methodus, quæ apud eruditos & cordatos homines expedita semper erit & facilis. Ut fidei dogmata Scripturæ sacræ auctoritate, & catholicæ Ecclesiæ traditione astruuntur, sic & his oppositæ hæreses, & quælibet novæ in Theologia opiniones Scripturæ sacræ auctoritate, & catholicæ Ecclesiæ traditione destruuntur. Traditionem hanc objiciunt sanctorum Patrum in Scripturæ loca expositiones, quibus utrumque suo quodque modo absolvitur. At si Patres atque Ecclesiastici tractatores suis in expositionibus unanimiter non concordarent, ita ut merito dici posset, Scripturæ testimonia exposita non esse juxta unanimem consensum Patrum; Tunc fiet quod factum est in Viennensi Concilio, & Ecclesiarum paci ac tranquillitati, si turbata sit factionibus disceptantium, alia via quam statuto dogmate consuletur. Excitatæ quæstiones iis annumerabuntur, de quibus beatus Augustinus in libri I. con-
577 tra Julianum capite VI. sic loquitur: *Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores salva fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius.* Sed ante in definiendæ rei modum vel regulam, quam res definiatur ipsa, inquirendum est. Quis unquam ponderabit nummos, nisi mensuras habeat, & pondera Reipublicæ vel Principis auctoritate firmata? Aliud est igitur constitutus definiendæ rei modus seu regula, aliud regulæ usus & applicatio. Primum in conditione juris, secundum in conditione facti potius quam juris versatur. Quando fallaciter ponderantur nummi, culpa est ponderantium & metientium, non mensurarum & ponderum, quæ Reipublicæ aut Principis auctoritate proponuntur, ut apud omnes rerum servetur æqualitas. Hinc si quando culpa in usu & applicatione regulæ contingat, ut culpa illa corrigatur, ad mensuras & pondera recurrendum est, & ponderandum rursus quod antea minus diligenter ponderatum fuerat. Sed res ita temperari non debet, ut usus & applicatio regulæ, cujuscumodi sit, maneat, atque ut maneat, regulæ ipsi, quæ culpæ subesse non potest, vis inferatur. Quo in casu nova regulæ ad rem quæ definienda fuit, facienda est applicatio: Atque ita si coæquari materiæ non possit, capiendum erit consilium, quod tunc Ecclesiæ prudentia suppeditabit: Et si ei videbitur, Viennense poterit eminere Concilium, & causæ servito. Nam si quis præjudicio quodam ductus 578
affirmaret non esse necessarium, ut propositis supra regulis aptentur momenta Ecclesiasticæ quæstionis singula, principium sine dubio peteret, communibus regulis contrairet, & perniciosæ contentionis funem duceret. Sic quod uni dogma fidei foret, alteri non foret, & in hac pugna mutua, quisque sibi Catholicus, & alter alteri hæreticus esset. Hic præjudicium adferret suum, ille regulam opponeret, quibus præjudicium non conveniret. Quis absonum auribus, animisque absurdum non judicet, mutandam esse libram & mutanda pondera, ut qui nummi sunt librati fallaciter, librati sincere putentur? Quo nihil potest esse in Ecclesia calamitosius, nihil à sancita per Christum suos inter Fideles concordia & pace alienius.

Vigilius Papa in suo pro tribus capitulis constituto sibi sumit Ibæ epistolam in Calchedonensi Concilio cum à Patribus, tum maxime à Sedis Apostolicæ legatis probatam esse ut orthodoxam; quæ tamen à Synodo V. ut heterodoxa rejecta est. In priori judicio culpa non fuit in regula, sed in regulæ usu & applicatione. In posteriori judicio emendatus est regulæ usus & applicatio. In uno nihil reipsa deperiit Ecclesiæ, quia illius auctoritas, quæ magis in conditione juris, quam in conditione facti consistit, salva & incolumis remanet. In altero veritati, cui nunquam præscribitur, consultum est: Et in utroque justitia & æqualitas servata.

Qui cum Bellarmino sentiunt Honorium Papam à 579
Synodo VI. perperam judicatum esse ut hæreticum, non aliter philosophantur. Sic enim Bellarminus in libri IV. de Pont. capite XI. scribit: *Quamvis enim generale Concilium non possit errare, ut neque erravit hoc sextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tuto dicere possumus, hos Patres deceptos fuisse ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii Epistolis, immerito cum hæreticis connumerasse Honorium.* Hic auctor celebris ponit in facti quæstionibus, quod alii forte non ponerent, Honorii Epistolarum *ἀνοίας*, non intelligentiam. Atque hoc in casu juris regula, quæ in damnandis hæreticis servanda est, ad Honorium non bene intellectis illius epistolis perperam applicata fuit. Sic disputat Bellarminus, sic asseclæ disputant. Qui cum Bellarmino sentiunt, dixi. Nam ad rem ipsam quod attinet, ad eos non facile accedo. Nam Synodus VI. Honorii epistolas duas sat breves tam perfecte intelligere potuit, quam Scripturæ loca, & sanctorum Patrum testimonia, quorum auctoritate hinc damnata est Monothelitarum hæresis, inde confecta

fidei

fidei definitio, perfecte intelligere potuit, & intellexit. Sed hoc non agitur modo: Quod Bellarminus & asseclæ ponnnt, & Ecclesia patienter tolerat, agitur.

Cæterum, his in exemplis duobus & opere toto si quid occurrat curvum, & à te vel aliis piis atque eruditis juxta hominibus corrigatur in melius, gratissima mihi erit correctio. Quod enim efficere 580
non potui ut oportet, docente veritatis amore, qui magister est optimus, efficiam postea ut oportet. Vale, Lutetiæ Parisiorum, Calendis Sextilibus anni MDCLXXIII.

Joannes Launoius
JACOBO BEVILAQUÆ
Parisiensi *Theologo, &* Senonensis *Ecclesiæ Decano.*

581 QUIN Stephanus & Cypriann s eminentissimarum Sedium Episcopi duo ad Ecclesiæ vulnera pervenerint, & nobile par extiterint martyrum, legitima nulla potest esse dubitatio: sed uter eorum celebrior, & pluris apud Romanam & cæteras Ecclesias per omnes consequentes annos habitus fuerit, studiose quæri potest aque utiliter. Quærendum igitur est, & tibi antiquæ traditionis non incurioso faciam satis, etiam ea in re, quam si per otium liceret, alios fideliter doceres. Hoc opus quod aggredior, prius exigit ut repræsentem momenta controversiæ, quæ tantos Antistites, quoad vixerunt, biennio plus minus inter se commissos acerrime tenuit.

Stephanus Romanus Antistes de baptismo ab hæreticis collato ita decernit apud Cyprianum in epistola LXXIV. ad Pompeium: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Decreti hujus pars ultima sic
582 refertur in epistola Firmiliani ad Cyprianum: *Hæreticos quoque ipsos in baptismo convenire, & quod ad alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Stephani decretum ex Cypriani & Firmiliani epistolis repetere cogimur, quia epistolæ duæ quas Stephanus de baptismo hæreticorum scripsit, non extant. Nam si extarent, decretum illud ex ipsis repeteremus. Non repetimus ex Eusebii historia, quia Eusebius in libri VII. capite III. plura Stephano tribuit, quam Stephanus apud Cyprianum & Firmilianum edisserit. *Verum,* inquit, *Stephanus nihil novi, nisi alieni à traditione ex Apostolorum temporibus derivata moliendum arbitratus hac de re animo vehementer commotus fuit.* Stephanus in decreto, quod Cypriann s & Firmilianus commemorant, traditionis ex Apostolorum temporibus derivatæ non meminit. Vincentius Lirinensis, qui uno post Eusebium sæculo claruit, Stephani decretum in commonitorii I. capite IX. sic diminute refert: *Stephanus in epistola, quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit, nihil novandum nisi quod traditum est.*

His autem ita constitutis, penes unum Cyprianum stat integrum Stephani decretum, quod Cyprianus ita refellit in epistola ad Pompeium: *A quacunque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, id est, omnium hæreticorum baptismata justa esse & legitima judicavit; & cum singulæ hæreses singula baptismata, & diversa peccata habeant, hic cum omnium*
583 *baptismo communicans, universorum delicta in sinum suum coacervata congessit, & præcepit nihil aliud innovari, nisi quod traditum est, quasi is innovet, qui unitatem tenens, unum baptisma uni Ecclesiæ vindicat; & non ille utique, qui unitatis oblitus, mendacia & contagia profanæ tinctionis usurpat. Nihil innovetur, inquit, nisi quod traditum est. Unde est ista traditio? Utrumne de Dominica & Evangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque Apostolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur & proponit ad Jesum Nave, dicens: Non recedet liber legis hujus ex ore tuo; sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia, quæ scripta sunt in eo. Item Dominus Apostolos suos mittens, mandat baptizari gentes, & doceri, ut observent omnia quæcunque ille præcepit. Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum Epistolis, aut Actibus continetur, ut à quacunque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam, observetur divina hæc & sancta traditio; si vero ubique hæretici nihil aliud quam adversarii & antichristi nominantur; si vitandi & perversi, & à semetipsis damnati pronunciantur, quale est ut videantur damnandi à nobis non esse, quos constat Apostolica contestatione à semetipsis damnatos esse? ut nemo infamare Apostolos debeat, quasi illi hæreticorum baptismata probaverint, aut eis sine Ecclesiæ baptismo communicaverint, quando talia de hæreticis Apostoli scripserunt: Et hoc cum nondum hæ- 584
retica pestes acriores prorupissent, necdum quoque Marcion de Ponto emersisset, cujus magister Cerdo sub Hygino tunc Episcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius cæteris, & abruptius in Deum Patrem Creatorem blasphemare instituit, & hæreticum furorem sacrilegis armis contra Ecclesiam rebellantem sceleratius & gravius armavit. Quod si hæreses constat postmodum plures ac pejores extitisse; & si retro nusquam omnino præceptum est, neque conscriptum, ut hæretico tantum manus in pœnitentiam imponatur, & sic ei communicetur; Et si baptisma non nisi unum est, quod apud nos est, & intus est, & soli Ecclesiæ de divina dignatione concessum est: Quæ ista obstinatio est, quæve præsumptio humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere, indignari & irasci Deum, quoties divina præcepta solvit & præterit humana traditio? Sicut per Esaiam Prophetam clamat & dicit: Populus iste labiis honorificat me, cor vero eorum longe separatum est à me. Sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Item Dominus in Evangelio increpans similiter & objurgans, ponit & dicit: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Cujus præcepti*

memor

numor beatus Apostolus Paulus commonet ipse quoque &
instruit, dicens: Si quis aliter docet, & non acquiescit
sanis verbis Domini nostri Jesu Christi *& doctri-*
na ejus, stupore elatus est, nihil sciens, & discedendum
585 *ab hujusmodi. Praclara sane & legitima traditio Ste-*
phano fratre nostro docente proponitur, qua auctorita-
tem nobis idoneam prabeat. Nam in eodem loco Epi-
stola sua addidit & adjecit: (Cum ipsi haretici pro-
prie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed com-
municent tantum.) Ad hoc enim malorum devoluta est
Ecclesia Dei & sponsa Christi, ut hareticorum exempla
sectetur, ut ad celebranda sacramenta calestia discipli-
nam lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christiani,
quod antichristi faciunt. Qua vera est animi cacitas, qua
pravitas, fidei unitatem de Deo Patre & de Jesu Chri-
sti *Domini & Dei nostri traditione venientem nolle*
cognoscere? Et post alia multa: *Observatur itaque à*
nobis & tenetur, frater carissime, explorata & perspecta
veritate, ut omnes, qui ex quacunque haresi ad Eccle-
siam convertuntur, Ecclesia unico legitimo baptismo bapti-
zentur, exceptis his, qui baptizati in Ecclesia prius fue-
rant, & sic ad hareticos transierunt: Hos enim oportet
cum redeunt, acta pœnitentia per manus impositionem
solam recipi, & in ovile, unde erraverant, à pa-
store restitui. Et hæc sunt maxima, quæ Stepha-
ni decreto Cyprianus nervose ac fortiter opponit.
Alter alteri non cedit in hac controversia, neque
Cyprianus Stephano, neque Cypriano Stephanus:
Uterque in sua usque ad obitum perseveravit sen-
tentia.

Nunc veniendum est ad propositam quæstionem, cui
duplici modo respondendum esse mihi videtur.
586 Et primum quidem Cyprianus Stephano, quandiu
illi vixerunt, celebrior fuit. Id rationibus certissimis,
quæ & ad tempus excitatæ inter eos controversiæ,
& antiquiorem complurium Ecclesiarum traditionem
pertinent, confirmatur.

I. An Stephanus relatum decretum adversus Cy-
priani epistolam defenderit, & prolatas in ea episto-
la rationes editis in lucem decessorum exemplis, &
vetustiorum Patrum testimoniis confutaverit, & Ro-
mæ tandem Synodum habuerit, qua decretum, cujus-
modi est, vindicaretur, annales nulli produnt, nulla
docet historia. Cyprianus contra, ut suam & episto-
lam & sententiam tueretur, Concilium habuit Episco-
porum LXXXVII. quos ex provincia Africa, Numidia
& Mauritania, Carthaginem advocavit. Secundum
Cyprianum ab omnibus pronunciatum est.

II. Ecclesiasticus in Occidente & in Oriente tracta-
tor nullus, Synodus nulla invenitur, quæ viventis Ste-
phani causam adversus Cyprianum propugnandam sus-
ceperit. Percurra Britannias, Gallias, Hispanias,
Pannonias, Dalmatiam, Italiam, cujus caput est Me-
diolanum, Siciliam, adjacentes insulas; Ægypti & O-
rientis provincias omnes percurre; relati decreti fau-
torem atque approbatorem reperies neminem: At
Cypriani viventis causam adversus Stephanum in Cap-
padocia Firmilianus amplexus est in epistola quam ad
Cyprianum scripsit: *De vobis*, inquit, *cognoscentes, quod*
587 *secundum regulam veritatis, & sapientiam Christi, hoc de*
quo nunc quaritur, disposueritis, cum magna lætitia exul-
tavimus, & Deo gratias egimus, quia invenimus in fra-
tribus tam longe positis tantam nobiscum fidei & ve-
ritatis unanimitatem. Potens est enim gratia Dei copu-
lare & conjungere charitatis atque unitatis vinculo,
etiam ea qua videntur longiore terrarum spatio esse divisa.
Et quibusdam interpositis: *Nos vero ea qua à vo-*
bis scripta sunt, quasi nostra propria suscipimus, nec
in transcursu legimus, sed sape repetita memoria man-
davimus: Neque obest utilitati salutari aut eadem re-
texere ad confirmandam veritatem, aut & quadam ad-
dere ad cumulandam probationem. Si quid autem à
nobis additum fuerit, non sic additur, quasi à vobis
aliquid minus dictum sit: Sed quoniam sermo divinus
humanam naturam supergreditur, nec potest totum &
perfectam anima concipere. Et paullo post: *Et quidem*
quantum ad id pertineat quod Stephanus dixit, quasi
Apostoli eos qui ab haresi veniant baptizari prohibuerint,
& hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissime vos
respondistis, neminem tam stultum esse, qui hoc credat
Apostolos tradidisse, quando etiam ipsas hareses constet
execrabiles ac detestandas postea extitisse. Cum & Mar-
cion Cerdonis discipulus inveniatur sero post Apostolos,
& post longa ab eis tempora sacrilegam adversus Deum
traditionem induxisse: Apelles quoque blasphemia ejus
consentiens, multa alia nova & graviora fidei ac ve-
ritati inimica addiderit. Sed & Valentini & Basilidis 588
tempus manifestum est, quod & ipsi post Apostolos,
& post longam atatem adversus Ecclesiam Dei scele-
ratis mendaciis suis rebellaverint. Ceteros quoque ha-
reticos constat pravas suas sectas, & inventiones per-
versas, prout quisque errore ductus est, postea induxisse:
Quos omnes manifestum est à semetipsis damnatos esse,
& ante diem judicii inexcusabilem sententiam adver-
sus semetipsos dixisse: Quorum baptisma qui confirmat,
quid aliud quam cum ipsis se adjudicat, & se ipse
participem talibus faciendo condemnat? Eos autem, qui
Roma sunt, non ea in omnibus observare, qua sint
ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctorita-
tem pratendere, scire quis etiam inde potest, quod circa
celebrandos dies Pascha, & circa multa alia divina rei
sacramenta videas esse apud illos aliquas diversitates, nec
observari illic omnia aqualiter, qua Hierosolymis obser-
vantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis pro-
vinciis multa pro locorum & nominum diversitate vari-
antur: Nec tamen propter hoc ab Ecclesia catholica pace
atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Ste-
phanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem,
quam semper antecessores ejus vobiscum amore & honore
mutuo custodierunt: Adhuc etiam infamans Petrum &
Paulum beatos Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint, qui
in Epistolis suis hareticos execrati sunt, & ut eos
evitemus, monuerunt. Unde apparet traditionem hanc hu-
manam esse, qua hareticos asserit, & baptisma, quod non
nisi solius Ecclesia est, eos habere defendit. Sed & ad 589
illam partem bene à vobis responsum est, ubi Stephanus
in Epistola sua dixit: (Hareticos quoque ipsos in bap-
tismo convenire, & quod ad alterutrum ad se veni-
entes non baptizent, sed communicent tantum) quasi &
nos hoc facere debeamus. Quo in loco, etsi vos jam pro-
bastis satis ridiculum esse, ut quis sequatur errantes,
illud tamen ex abundanti addimus, non esse mirum, si
sic haretici agant, qui etsi in quibusdam minoribus dis-
crepant, in eo tamen quod est maximum, unum & eun-
dem consensum tenent, ut blasphement Creatorem, qua-
dam somnia sibi & phantasmata ignoti Dei confingen-
tes: Quos utique consequens est sic consentire in baptis-
mis sui vanitate, ut consentiunt in repudianda divinita-
tis veritate. De quibus quoniam longum est ad singula
eorum vel scelesta, vel supervacua respondere, satis
est breviter illud in compendio dicere, eos, qui non
teneant verum Dominum Patrem, tenere non posse,
nec Filii, nec Spiritus sancti veritatem. Secundum quod
etiam illi, qui κατάφρυγας *appellantur, & novas prophe-*
tias usurpare conantur, nec Patrem possunt habere, nec
Filium, nec Spiritum sanctum; à quibus si quaramus
quem Christum pradicent, respondebunt eum se pra-
dicare, qui miserit Spiritum per Montanum & Priscam
locatum. In quibus cum animadvertamus non veritatis
spiritum, sed erroris fuisse; cognoscimus eos, qui fal-
sam illorum prophetiam contra Christi fidem vindicant,
Christum habere non posse. Et paullo post: *Haretico*
enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita
nec baptizare, nec quidquam sancte, nec spiritualiter ge- 590
rere, quando alienus sit à spirituali & deifica sanctitate.
Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygia locus
est

est, collecti in unum convenientibus ex Galatia & Cilicia, & cæteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter & vindicandum, cum à quibusdam de ista re dubitaretur. Et quibusdam interjectis: *Atqui illa mulier, quæ prius per præstigias & fallacias dæmonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera, quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut, & invocatione non contemptibili sanctificare se panem & Eucharistiam facere simularet, & sacrificium Domino sine sacramento solitæ prædicationis offerret: Baptizaret quoque multos usitata & legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Nunquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt, comprobant? Maxime cui nec Symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima, & Ecclesiastica defuit.*

Et post alia: *Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati; Quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem præferat? Aut qui perspecta luce tenebras non derelinquat? Nisi si & Judæos Christo adveniente, id est, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta nova veri-*
591 *tatis via in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. Cæterum nos veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes, quod à Christo & ab Apostolo traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, & sanctam baptisma, non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus. Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui etsi novos Prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem & Filium nosse nobiscum videntur; plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus, & confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.*

Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt, & aiunt Apostolum dixisse: Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, ut respondeamus, ineptum est, quando manifestum sit, Apostolum in Epistola sua qua hoc dixit, neque hæreticorum, neque baptismi eorum mentionem fecisse, sed locutum esse de fratribus tantum, sive perfide secum loquentibus, sive in fide sincera perseverantibus: Nec oportcat hoc longo tractatu exequi; sed ipsam satis sit epistolam legere, & quid Apostolus dixerit, de ipso Apostolo recognoscere. Et post alia: *Non pudet, Stephanum talibus* (Hæreticis) *adversus Ecclesiam patrocinium præstare, & propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere:*
592 *Insuper & Cyprianum pseudochristum & pseudoapostolum, & dolosum operarium dicere? Qui omnia in se esse conscius prævenit, ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipse ex merito audire deberet.* In hac Firmiliani oratione tota Stephanus constringitur, sive cum ad absurdas complexiones deducitur, sive cum à derivata ex temporibus Apostolorum traditione, & Scripturarum auctoritate urgetur, sive cum a retenta cum Afris decessorum concordia pulsatur.

III. Africanæ disciplinæ, quæ circa hæreticorum baptismum ante excitatam inter Stephanum & Cyprianum controversiam servabatur, monumenta suppeditant Agrippinus Carthaginiensis Episcopus, & Tertullianus Presbyter. Ille apud Cyprianum in Epistola LXXIII. ad Jubaianum Episcopum. Verba sunt: *Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, non aspernati sint, neque cunctati, imo & rationabiliter & libenter amplexi sint ut lavacri vitalis, & salutaris baptismi gratiam consequerentur.* Decreto Concilii hujus Carthaginiensis nemo restitit: Restitisset aliquis sine dubio, si constitutæ circa baptismum hæreticorum disciplinæ repugnasset.
Nam mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque 593
foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Id Vincentius Lirinensis in commonitorii 1. capite IX. testatur.

Tertullianus qui ante Agrippinum claruit, & ad æræ Christianæ annum CCIII. librum de præscriptione hæreticorum composuit, cap. XII. de collato ab hæreticis baptismo sic disputat: *Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur; ab eo enim petit qui non audit. Nobis etsi quærendum esset adhuc & semper, ubi tamen quæri oportet? Apud hæreticos, ubi omnia extranea & adversaria nostræ veritati, ad quos vetamur accedere. Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui petat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus donativum & stipendium captat, nisi plane desertor & transfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum drachmam requirebat, etiam pulsator ille vicini januam tundebat, etiam vidua illa non inimicum licet durum judicem interpellabat. Nemo inde instrui potest unde destruitur, nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro & à nostris & de nostro: Idque duntaxat, quod salva regula fidei potest in quæstionem devenire.* Hoc in loco Tertullianus collatum ab hæreticis baptismum rejicit, non rejecturus, opinor, si ducta à Domino vel Apostolis non rebaptizandi hæreticos traditio in Africa, & cum primis Carthagine constitisset. Tertullianus, inquam, Apostolicarum
traditionum vindex & assertor invictissimus, & earum 594
maxime quæ ad baptismum pertinent.

In libri de corona capite II. *Ergo quæramus an & traditio nisi scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à baptismate ingrediar: Aquam adituri ibidem; sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo & pompæ & angelis ejus; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit: Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus: Ex eaque die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.* De traditione suscipiendi baptismatis hæreticorum silet; non sileret utique, si qua tunc in Africa fuisset.

In libri de baptismo capite XV. eandem reciprocat serram: *Nescio siquid amplius ad controversiam baptismi ventilatur: Sane retexam quod supra omisi, ne imminentes sensus videar intercidere. Unus omnino baptismus est nobis tam ex Domini Evangelio, quam ex Apostoli literis: Quoniam unus Deus, unum baptisma, & una Ecclesia in cælis. Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet? Ad nos enim editum est; hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ: Quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis agnoscere*
quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis 595
& illis, nec unus Christus, id est, idem; ideoque nec baptismus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, sine dubio non habent, nec capit numerari quod non habetur: Ita nec possum accipere, quia non habeo; sed de isto plenius jam nobis in Græco digestum est. Hic hæreticorum baptismum sine exceptione ulla repudiat, & cur ita repudiet, rationes exponit. Non me latet Baronium in Annalibus Ecclesiasticis Tertullianum erroris incusare, quod hæreticorum baptis-

baptismum præ nimio in eos odio rejiciat. Communis hic locus est, qui nulli materiæ, quia omni convenit. Quis enim non peræque scriberet, Tertullianum præ nimio in Ecclesiam amore libros de præscriptione hæreticorum, adversus Hermogenem, adversus Valentinianos, adversus Marcionem, & alios hæreticos edidisse, & continuo ex iis, quidquid palato haud saperet, non abjiceret? Ὀψιμαθίας accusandus est Baronius, quod post annos mille trecentos, & eo amplius, sine antecessorum patrocinio Tertullianum erroris insimulet. Hoc autem observasse, Tertullianum liberasse est; & maxime, si quis observet nullam Romanis Episcopis æqualibus cum Tertulliano ea super re fuisse controversiam. Igitur fatendum est ingenue traditionem de qua loquitur in decreto Stephanus, Romanæ fortassis Ecclesiæ tunc fuisse propriam; Africanis vero & Orientalibus Ecclesiis communem minime fuisse, ut liber, quem Tertullianus de
596 baptismo Græce composuit, Firmilianus, & Iconiensis Synodus testantur.

IV. Clemens Alexandrinus qui ad annum CC. floruit, in libro I. Stromatum Tertulliano consentit, & adversus hæreticorum baptismum paucis præscribit. *Deinde acclamat, ita enim trajicies aquam alienam baptismam hæreticum, non convenientem, & germanam aquam repinans, & transmeabis fluvium alienum, qui in mare defert & detrahit, in quod emittitur, qui divertit ab ea stabilitate, quæ est in veritate, rursus confluens ad gentiles, & inordinatos vitæ fluctus.* Quibus verbis apparet non novam Alexandriæ, sed vetustam rem esse baptismi hæreticorum rejectionem, quæ à beati Marci disciplina manare dicenda est, nisi contrarium evidenti testimonio probetur.

V. Irenæus Lugdunensis Episcopus ad annum CLXXX. libros quinque contra hæreses elucubravit, & in libri I. capite XVIII. varia hæreticorum baptismata describit & rejicit: *Redemptionis*, inquit, *ipsorum traditionem evenit invisibilem esse & incomprehensibilem, videlicet cum sit incomprehensibilium & invisibilium mater; & propter hoc cum sit instabilis, non simpliciter, neque uno sermone referendum est: Quoniam unusquisque illorum, quemadmodum ipsi volunt, tradunt eam. Quanti enim sunt hujusmodi sententiæ mystici Antistites, tot sunt & redemptiones; & quia ad negationem baptismatis, ejus quæ est in Deum regenerationis, & universæ fidei destructionem remissa est species hæc à Satana, arguentes eos referemus aptiori loco.* Et paullo
597 post: *Quidam enim ex ipsis sponsale cubiculum quoddam adaptantes, & quasi mysticam conficiunt cum quibusdam profanis dictionibus iis qui sacrantur, & spiritales nuptias dicunt esse id quod ab ipsis fit, secundum similitudinem supernarum conjugationum. Alii autem adducunt ad aquam, & baptizantes ita dicunt: In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, & in nomine descendentis in* JESU *ad unitionem & redemptionem & communionem virtutum. Alii autem & Hebraica nomina superfantur, ut stupori sint, vel perterreant eos qui sacrantur. Sic: Basima cacabasa, eanaa, irraumista, dyarbada caeotaba fobor camelanthi. Horum autem interpretatio est talis: Hoc quod est super omnem virtutem Patris invoco, quod vocatur lumen, & Spiritus & vita, quoniam in corpore regnasti. Alii autem rursus redemptionem profantur sic: Nomen quod absconditum est ab universa deitate & dominatione & veritate, quod induit* JESUS *Nazarenus in zonis luminis, Christus Dominus viventis per Spiritum sanctum in redemptionem angelicam. Nomen quod est restaurationis, Messian farmagno in seenchaldia, mosomeda, eaacha, faronepseha* JESU *Nazarene: Et horum interpretatio est talis: Christo non divido Spiritum, cor & supercælestem virtutem misericordem; fruar nomine tuo, Salvator veritatis. Et hæc quidem profantur ipsi qui sacrant. Qui autem sacratur, respondet: Confirmatus sum, & redemptus sum, & redimo animam meam*
ab Æone hoc, & omnibus quæ sunt ab eo nomine in Jao, 598
qui redemit animam ejus in redemptionem in Christo viventem. Dehinc superfantur qui adstant: Pax omnibus, in quibus hoc nomen requiescit. Post deinde ungunt sacratum opobalsamo; unguentum enim hoc typum esse dicunt ejus suavitatis, quæ sit super universa.

Quidam autem eorum adducere quidem ad aquam supervacuum esse dicunt: Admiscentes autem oleum & aquam in unum, cum quibusdam profanis dictionibus similibus quæ supra prædiximus, mittunt super eorum caput qui sacrantur; & hoc esse redemptionem volunt. Unguunt autem & ipsi opobalsamo. Alii autem hæc omnia recusantes dicunt non oportere inenarrabilis & invisibilis virtutis mysterium per visibiles & corruptibiles perfici creaturas; & ea quæ mente concipi non possunt, & incorporalia & insensibilia per sensibilia & corporalia; esse autem perfectam redemptionem ipsam agnitionem inenarrabilis magnitudinis. Ea enim quæ sunt de ignorantia Labis, & passione facta, per agnitionem dissolvi universam ignorantiæ statum, uti sit agnitio interioris hominis, & neque corporalem esse eam; corruptibile enim est corpus; Neque animalem, quoniam anima de Labe est spiritus velut habitaculum: Spiritalem ergo oportere & redemptionem esse. Redimi enim per agnitionem interiorem hominem spiritualem, & sufficere eis universorum agnitionem, & hanc esse redemptionem veram. Et quibusdam interpositis: *Et de redemptione quidem ipsorum hæc sunt, quæ quidem in nos ve-* 599
nerunt. Cum autem discrepant ad invicem & doctrina & traditione, & qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire & fructificare, quod nunquam quisquam excogitavit; Durum est omnium describere sententias. Hæc est variorum, quæ nunc à variis hæreticis conferebantur, baptismatum recensio: Hæc est illorum absurda in baptizando disciplina, quam catholica, ut apparet apud Irenæum, rejiciebat Ecclesia. Irenæus igitur hæc recensens in Gallia & in Asia, non Stephano, sed Cypriano prætulxit.

VI. Justinus Martyr, qui ad annum Christi CL. enituit in Samaria Palæstinæ regione, quomodo dandus sit baptismus, ita præscribit in Apologia II. *Quicunque persuasi fuerint, & crediderint vera esse quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una & orantibus & jejunantibus. Deinde eo adducuntur à nobis, ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini Dei & Servatoris nostri* JESU CHRISTI, *& Spiritus sancti in aqua tum lavantur.* At vix ullos reperies hæreticos, qui tunc temporis hæc servaverint omnia, cum vel baptizaverint, vel baptizati fuerint. Irenæus varia notavit hæreticorum baptismata, sed inter illa nullum est huic simile.

Justinus idem in dialogo, quem cum Tryphone Ju- 600
dæo habuit, non obscure significat, baptisma collatum à Judæis nullius esse usus: *Illud ipsum*, inquit, *ab eo promulgatum baptisma, quod solum lustrare & purificare potest pœnitentiam agentes, aquam esse vitæ; quas vero ipsi vobis fodistis cisternas esse dissipatas & nulli usui.* Hoc est discrimen quod inter Christi & Judæorum baptisma constituit. At cum non sit potior hæreticorum, de quibus Irenæus & Cyprianus & Firmilianus sermonem faciunt, quam Judæorum, de quibus Justinus loquitur, ratio; Justinus hæreticorum perinde ac Judæorum baptisma rejicit, & Samaritanæ tunc rejiciebant Ecclesiæ. Quod hic de Justino & Samaritanis Ecclesiis notatur, Cypriano inservire potest, sed Stephano inservire non potest.

Cæterum ex iis finibus & terminis, quos per traditionem Tertulliani, Clementis Alexandrini, Irenæi, & Justini, testium veritatis, usque ad tempus Ste-

phani & Cypriani jam posuimus, apparet quæ sit vera & certa latitudo & longitudo possessionis illius, de qua beatus Augustinus multis in locis verba facit: *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur volentibus inducere novitatem.* Urgenda hæc non est, sed potius infflaminanda propositio. Nam consuetudo illa nec in Africa Cypriani, Agrippini, & Carthaginensis Synodi, nec Alexandriæ, & in Ægypto Clementis, qui Ecclesiasticam ibi scholam tenuit, nec in Oriente Firmiliani & I-
601 coniensis Synodi, nec in Asia & in Galliis Irenæi, nec in Samaria Justini tempore antiquos possessores ullos, vel inscriptiones possessionis fide jussorias sibi vindicat. Quinimo qui Africam, Orientem, Ægyptum, Asiam, & Gallias percurret & scrutabitur, pacificam Ecclesiæ in baptizandis hæreticis possessionem reperiet. De possessione hac à vicinis gentibus lis mota nulla est: Et siquando de re vel de modo rei dubitatum inter possessores, coacta Episcoporum Synodo sublata est dubitatio vel controversia, & rigor servari jussus.

Monumentum ex antiquitate nullum superest, quo Stephanus de seipso, vel defensor ullus Stephani de Stephano vere & affirmate possit dicere, quod Julius de seipso in Epistola ad Orientales dicit: *Tametsi solus sim qui scripsi; non meam tamen solum sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi. Ego autem nolui omnes scribere, ne à multis onerarentur. Certe ad constitutum tempus convenerant Episcopi, & ejus sententiæ fuere, quam vobis iterum significo. Quapropter, dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo.* Stephanum ad Africanos & Orientales Episcopos similia scripsisse nemo tunc, vel postea literis prodidit. Hoc autem de Cypriano dici non potest, ut ante docuimus.

Hic finiuntur monumenta celebritatis majoris, quam Cyprianus præ Stephano, sive spectetur tempus quo
602 vixerunt ambo, sive traditio Patrum qui præcesserunt, facile consecutus est.

Deinde postquam desierunt vivere, Cyprianus adhuc Stephano celebrior, & pluris cum apud Romanam, tum apud alias Ecclesias habitus fuit.

I. Dionysius Alexandrinus ad Xistum Stephani decessorem scribit, eúmque à tuenda de baptismo hæreticorum sententia deterret, & Cypriani sententiam confirmat. Epistolæ verba sunt apud Eusebium in libri VII. hist. capite IV. *Stephanus*, inquit, *scripserat de Heleno, de Firmiliano, de Episcopis omnibus, qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ, quod neque cum illis quidem ob eam causam communicare vellet. Nam illi*, inquit, *hæreticos rebaptizant.* Deinde Xistum sic alloquitur: *Rei igitur magnitudinem attenta cogitatione complectere. Decreta enim in maximis Episcoporum Conciliis, sicut audio, facta fuerunt, ut qui ab hæresis impietate recedunt, debeant primum institui in fide; deinde veteris & impuri fermenti eluvie ac sordibus ablui purgarique. Atque ut pro his omnibus Episcopis illum deprecarer, Epistolam scripsi.* Et paullo post subnectit: *Dilectis nobis & Compresbyteris Dionysio & Philemoni, qui antea Stephani suffragabantur sententiæ, quique ad me de iisdem rebus scripserant, sicut ante per literas breviter, ita ut jam pluribus verbis sententiam meam explicavi.* Hæc sunt rationum momenta, quæ Dionysius ad re-
603 conciliandum reliquis Episcopis hæreticos baptizantibus Stephanum adhibuerat, & opponebat Xisto, ut eum à tuenda Stephani decessoris sententia deterreret. Præterea notanda sunt duo. Primum quod Dionysius & Philemon Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, Dionysium Alexandrinum hac super re consuluerant, non consulturi sine dubio, si hinc Stephani decreto firmiter adhæsissent, inde clarum & apertum fuisset traditionis id genus, quo decretum Stephanus communiverat.

Deinde quod Dionysius de duobus Presbyteris illis dicat: *Qui antea Stephani suffragabantur sententiæ.* Quo dicendi genere innuit, Romanos illos Presbyteros desiisse Stephani suffragari sententiæ: Tantum abest ut in Stephani sententia constantissime perseverarent. Sed incertum relinquitur, quo modo Dionysius & Philemon Stephani sententiæ suffragari desierint, utrum probando baptismi iterationem in hæreticis, an judicando probabilem esse utramque Stephani & Cypriani aliorúmque Præsulum illi concordantium sententiam, ac proinde Ecclesiasticæ dissensioni locum nullum suppetere.

Tum in ejusdem libri capite VI. *Idem Dionysius in tertia Epistola de baptismate, quam scribit ad Philemonem Presbyterum Romanum, ista tradit: Equidem tametsi hæreticorum libros & traditiones perlegebam, & meum ipsius animum ad tempus scelestissimis eorum opinionibus quodammodo inquinare videbar; hoc tamen ab illis capiebam commodi, ut non modo eos interiore animi mei cogitatione condemnarem ac refellerem, sed multo* 604
vehementius in posterum detestarer. Et post alia Eusebius dicit: *Deinde paucis quibusdam de omnibus errorum generibus explicatis adjungit ista: Istum canonem, istudque exemplum à beato Papa nostro Heracla cepi. Ille enim eos, qui ab Ecclesia abscessissent, (imo vero non ita abscessissent, quin ob corporis præsentiam congregationis Fidelium viderentur esse participes) eos, inquam, cum essent accusati, quod consuetudine cujusdam eorum, qui alienam & diversam à fide doctrinam tuebantur, malitum usi fuissent, Ecclesia ejecit: Et quamvis vero & ex animo ab erroribus se averterent, & in Ecclesiam admitti denuo magnopere flagitarent, non usque eo admisit, quoad omnia, quæ à veritatis adversariis audivissent, palam apud omnes essent elocuti. Atque tum in Ecclesiam & conventum recepit, non aliud baptisma in illis omnino desiderans: Quippe antea fuerant ab illo Spiritum sanctum assecuti. Rursus ista quæstione copiose admodum exagitata, addit hæc: Hoc tamen didici, quod non Episcopi in Africa solum istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis jam invexerunt; verumetiam longo tempore ante, Episcoporum memoria, qui antegressi sunt in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis fratrum tum Iconii, tum Synodis, tum aliis multis in locis convocatis istud decretum fuit: Quorum judicia & sententias condemnare irritaque facere non audeo; Sicque illos in odium & invidiam conjicere. Terminos, ut est apud Salomonem, ac fines proximi tui non commutabis, quos patres* 605
tui præstituerunt. Complurium Ecclesiarum & Synodorum, quæ Cypriano vel præiverunt, vel eum potius quam Stephanum secutæ sunt, decreta prædicare non cessat, & nisi me mea fallit opinio, persuasus literis Dionysii Philemon Stephani sententiæ suffragari desiit.

Adjungendus est Hieronymus, qui Dionysii Alexandrini epistolas vidit, ac de illius epistolis & sententia in libro de viris illustribus sic censet: *Hic in Cypriani & Africanæ Synodi dogma consentiens de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit Epistolas, quæ usque hodie extant.*

Porro Dionysius qui Xisto successit, dum Stephani sententiæ suffragari desiit, cum Africanis & aliis Episcopis rebaptizantibus pacem coluit, & alterutro coluit è duobus modis, quos supra exposui.

II. Stephani successores non ita tuiti sunt illius decretum, ut contra sentientes & agentes durius appellarent. Id Pontius Cypriani Diaconus in libello, quem de vita illius composuit, non obscure significat, cum Xistum Stephani successorem proximum vocat bonum & pacificum Sacerdotem: *Ordinatis itaque pie rebus, & sic voluntate disposita proximabat dies crastinus. Jam de Xisto bono & pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo martyre ab Urbe nuncius venerat.* Bonus & pacificus hoc in loco Sacerdos dicitur, quod,

opinor,

606 opinor, cum Africæ, aliarumque gentium Episcopis hæreticos rebaptizantibus pacem haberet. Ut autem tolleretur dissidium, Dionysius Alexandrinus operæ multum ac studii adhibuit, ut testes sunt multæ de baptismo epistolæ, quas ad Xistum Romanum Episcopum, & ad Philemonem & Dionysium Romanos Presbyteros scripsit.

III. Credibile est prorsus, eos Pontifices, qui post Xistum & Dionysium Romanam administraverunt Ecclesiam, horum institisse vestigiis, & cum Africanis, aliisque rebaptizantibus hæreticos Episcopis coluisse pacem, quomodo supra indicavimus. Et ab anno CCLXXII. quo Dionysius è vita migravit V. Calend. Januarii, usque ad annum CCCXIV. quo habita est Arelatensis Synodus prima, inter Africanos rebaptizantes, & Romanos motam fuisse ullam controversiam nemo est qui testetur. Hæc, ni fallor, controversia, quæ tanto incensa est studio, initium & finem in uno Stephano accepit.

IV. Silvestro certe pax erat cum Africanis hæreticos rebaptizantibus, quando Arelatensis Synodus celebrata est, consentientibus Silvestri legatis quatuor, qui interfuerunt, & una cum reliquis Patribus canonem condiderunt: *De Afris quod propria lege utuntur ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint, eum in Patre & Filio & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum: Quod si interrogatus non responderit hanc Tri-*
607 *nitatem, baptizetur.* Hic est igitur canon, in quo quinam hæreticorum admittendus, quinam rejicendus esset baptismus, decernitur. Hic est canon, in quo Patres oppositas Stephani & Cypriani sententias ad legitimum modum reducere se putant.

Stephanus hæreticorum baptismum admittebat quemcunque, Cyprianus hæreticorum baptismum rejiciebat quemcunque: Arelatensis Synodus inter utrumq; media est, nec quemcunq; hæreticorum baptismum admittit, ut Stephanus, nec quemcunq; rejicit, ut Cyprianus: Eum hæreticorum baptismum admittit, qui in Patris & Filii & Spiritus sancti nomine confertur, nec iterandum esse censet; eum hæreticorum baptismum rejicit, qui non ita confertur, & iterandum esse censet. Atque ita emendare id studuit, in quo contentionis æstu modum excessisse sibi videretur: Quo in casu Cypriani sententia emendationem minorem, Stephani vero majorem accepit. Nam subductis, quoad ejus fieri potest, hæreticorum omnium baptismatibus, non tot erant in nomine Trinitatis baptizati, quot non baptizati. Paucos admodum fuisse hæreticos, qui in nomine Trinitatis hujus baptizarent aut baptizarentur, ante exortam Stephanum inter & Cyprianum controversiam reperies. Cujus rei fidem facit Irenæus, cujus verba è libri I. contra hæreses capite XVIII. supra descripsimus. In cumulum accedit, quod Stephanus in Cypriani epistola LXXIV. ad Pompeium, Marcionis admittit baptisma, in quo nulla
608 fiebat Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti mentio. Id Cyprianus exagitat iis verbis, quæ supra retulimus.

V. Posteri minus diligentes fuerunt in conservandis Stephani epistolis, quas ille vel ad Cyprianum scripsit, vel de Heleni, Firmiliani & aliorum excommunicatione ad eos misit. Has omnino intercidere & perire passi sunt. Sed in vindicandis ab oblivione & situ Cypriani & Firmiliani epistolis, quas adversus Stephanum exararunt, diligentissimi fuere. Quid ita, nisi quod Stephani epistolas memoriæ minus dignas; Cypriani vero & Firmiliani epistolas memoriæ dignissimas judicarunt?

VI. Baronius ad annum CCLIX. & CCLX. recenset Stephani Papæ *acta, quæ germana, ut ait, cognita atque legitima, non tantum Occidentalis Ecclesia complexa est, sed & Orientalis eadem Græce reddita in ipsorum Martyrum natalitiis legere consuevit.* At his in actis multa narrantur de baptismo quem Stephanus multis contulit. Sed illius de non rebaptizandis hæreticis decretum omittitur & ita siletur, ac si nullum unquam editum fuisset. Quis non miretur, cum illud vel unicum merito prædicari debuerit, si qui Romana in Ecclesia collegerunt hæc Stephani acta, merito prædicandum esse duxissent? In rei silentio plus laudis & gloriæ, quam in recitatione positum esse sibi persuaserunt. Pontius in Cypriani vita de iterandi hæreticorum baptismatis sententia nihil intulit, ratus id ex superstitibus Doctoris hujus epistolis, & Carthaginensi Concilio sine difficul- 609
tate ulla observatum iri.

VII. Romana Ecclesia Stephano Papæ & Martyri suo basilicam nullam erexit, licet multis aliis Pontificibus seu martyrio seu confessione illustribus basilicas erexerit. Erigere tamen debuit, cum si quæ de Stephani decreto, & ejus successu narrat Baronius, veritate niterentur, nullus post beatum Petrum fuerit illustrior & fortior Christianæ religionis vindex & assertor. At Carthaginiensis Ecclesia Cypriano Martyri suo non unam tantum basilicam, sed duas erexit, quæ celebritatem habuere maximam. Id Victor Uticensis in libro I. de persecutione Wandalorum memoriæ prodidit: *Pulso namque Episcopo* (Carthaginis) *cum Clero venerabili, illico Ecclesiam nomine Restitutam, in qua semper Episcopi commanebant, suæ religioni mancipavit* (Geisericus) *atque universas, quæ intra muros fuerant civitatis, Ecclesias cum suis divitiis abstulit; sed etiam quæ foras muros erant, quascunque voluit, occupavit, & præcipue duas egregias & amplas sancti Martyris Cypriani, unam ubi sanguinem fudit, aliam ubi sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur.* Sulpitius Severus in dialog. I. capite II. basilicæ hujus celebritatem paucis attingit: *Libuit animo adire Carthaginem, loca visitare Sanctorum, & præcipue ad sepulcrum Cypriani Martyris adorare.* Sed pluribus attingit Evagrius in libri IV. hist. capite XVI, ubi quæ sequuntur, ex Procopii Wandalicis arcessit: *Commemorantur præterea ab eodem auctore nonnulla de Cypriano Martyre, quæ sunt huic nostra historia valde* 610
accommodata. Sic enim scribit: Cyprianum virum sanctissimum Carthaginenses ad unum omnes imprimis colunt, cui templum plane memorabile extra urbem ad littus maris exstruxerunt, eumque cum aliis pietatis officiis venerantur, tum festum diem, quem Cypriana vocant, quotannis celebrant, atque nautæ tempestatem, quæ solet incidere eo ipso tempore, quo Libyes hoc festum celebrandum statuebant, hujus nomine, cujus mentionem nuper feci, nuncupare solent. Istud templum Uvandali regnante Onoricho Christianis vi abstulerunt, indeque Sacerdotibus ignominia expulsis, de reliquo Arianis, utpote ad eorum jus pertinens, reddiderunt. Ex quibus rebus cum Libyes magnam ægritudinem & angorem animis caperent, fertur, Cyprianum illis secundum quietem sæpe apparuisse dixisseque, Christianos non debere ob eam causam in mœrore & sollicitudine esse, se enim post aliquod temporis spatium eam injuriam vindicaturum: Quæ prædictis temporibus Belissarii expleta fuit. Nam idem Cyprianus Martyr prædixerat, Carthaginem post nonagesimum quintum annum, quo à Uvandalis capta & excisa fuit, in potestatem Belissarii Ducis exercitus Romani venturam, & Uvandalos omnino expugnatos fore, & opinionem Arianam ex finibus Libyæ relegatum iri, & Christianos sua templa recuperaturos. De Stephano & Stephani sepulcro simile nihil Ecclesiasticis commendatum est monumentis.

VIII. Nicæna Synodus cum canonem XIX. statuit, 611
ut Paulianistæ ad Ecclesiam confugientes baptizentur omnimodis, non Stephani, sed Cypriani sententiam complectitur, si canonis hujus interpres sit, qui Synodo interfuit, beatus Athanasius. Quis vero interpretationem illius jure rejiciet, ut aliam alius, qui nec interfuisset, nec potuisset per ætatem interesse, admittat? Nunc adscribenda sunt Athanasii verba: *Sed tamen quia series dicendi nos ad mentionem sacri baptismatis adduxit, necessum est, ut de ea re, quemadmodum & sentio & credo, verba faciamus. Non enim quasi non sufficiat Pater, ideo*

una connominatur & Filius, neque id temere fit, aut fortuito: Sed quoniam Filius est Verbum Dei, & propria sapientia, splendorque illius, & cum ea utpote cum Patre suo semper existit; ideo impossibile est, ut prabente Patre non prabeat in Filio idipsum quod prabet. In Patre enim est Filius, ut splendor in luce. Siquidem Deus non ut impotens, sed ut Pater in sua sapientia fundavit terram, & suo Verbo condidit omnia, & sacrum baptisma in Filio confirmat; ubi enim Pater, ibi & Filius, ut ubi lux, ibi splendor, & ut Pater operatur, ita & Filius, quemadmodum Salvator seipsum verbis indicat: Qua video Patrem facientem, ea quoque & ipse facio. Eadem ratione ubi baptismus datur, quem baptizat Pater, baptizat & Filius, & quem Filius baptizat, is in Spiritu sancto initiatur. Rursum sicut sole lucente dixeris splendorem illuminare; (Una enim eademque hic lux est, qua aeatiqaam à sole dividi aut abstiadi potest:)
612 *Ita rursus ubi Pater est vel nominatur, ibi omnino & Filius existit. Nominatur autem Pater in baptismate. Necessarium ergo est, & Filium una nominari. Eaque de causa, ubi Christus ad Sanctos promissiones edit, ita locutus est: Veniemus ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus. Et rursum: Ut quemadmodum ego & tu unum sumus, & illi unum sint in nobis. Una quoque eadem gratia est, qua in mundus venit, & per Filium à Patre in nos confertur, ut Paulus scribit: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino* JESU CHRISTO. *Necessum est enim lucem cum splendore esse, & radios videri una cum luce. Quapropter Judai una cum Arianis Filium abnegantes, ne Patrem quidem habent. Obturantes autem fontem sapientia (ut illis exprobrat Baruch) abjecerunt etiam à se sapientiam inde promanantem Dominum nostrum* JESUM: *Siquidem Christus, ut ait Apostolus, Dei virtus & Dei sapientia. Judai igitur, dum affirmant se non habere Regem nisi Casarem, pro ista inficiatione egregium superpondium, auctariumque sua pœna adjecerunt. Perdiderunt enim una cum civitate ratiocinationem. Ariani enim in periculum veniunt, ne amittant integritatem mysteriis. Loquor autem de baptismate. Si enim in nomine Patris & Filii datur perfectitudo plenaque initiatio; Patrem autem verum illi non pronunciant, eo quod negent aliquid ex ipso existere, & simile esse illius substantia, negant quoque verum Filium, aliumque ex non entibus con-*
613 *ditum sibi comminiscentes, in baptismate proferunt. Quique se, igitur non plane vanum ac inutile fuerit baptisma, quod ab illis datur, cum id nonnisi species sit & inane simulacrum, ipsique ea re nihil solidi opis adferunt ad pietatem? Non enim in Patre & Filio tribuunt baptisma Ariani; sed in creatore & creatura, in factore & factura. Sicut igitur creatura diversum quiddam est à Filio: Ita diversum quiddam à vero baptismate est, quod ab illis existimatur dari; tametsi nomen Patris & Filii, quia illa in Scripturis vident, simulant sese nominare. Non enim qui simpliciter ait, Domine, is est qui donat legitimum baptismum; sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet: Ideoque Salvator non quovis modo baptizandum pracepit, sed primum dixit, Docete, ac deinde, Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide baptismatis integra initiatio perficeretur. Certe alia etiam hareses, eaque numero non exigua, nomine tenus ritum istum pronunciant: Sed non recte sentientes, ut dictum est, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam quam impertiunt, nimirum numine & religione destitutam, adeo ut qui ab illis adsperguntur, sordescant potius prava religione quam redimantur. Ita quoque & ethnici quamquam Deum in ore habent, impietatis crimini subjiciuntur, eo quod verum Deum non agnoscant Patrem Domini nostri* JESU CHRISTI. *Itidem quoque Manichai & Phryges ac discipuli Samosateni nomina nostra pronunciantes, nihil*
614 *ob id sunt minus haeretici: Ita quoque deinceps & reliqui, & qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illuduntque iis, qui ab ipsis baptisma accipiunt; homines nimirum improbiores, quam ulli haeretici, quos indies magis ac magis superant, haeresesque omnes propemodum justas oris sui effrænitate reddunt.* Hæc Athanasius orat. III. contra Arianos, in quibus Alexandrinæ Ecclesiæ traditionem sequitur & confirmat, nec aliud reipsa scribit, quam quod in Cypriani epistolis ad Jubaianum & Pompeium, & Firmiliani ad Cyprianum, & in Carthaginiensi Concilio scriptum legimus. Deinde Nicænos Patres per explicatum à se canonem XIX. relicto Stephano ad Cyprianum recta perducit.

IX. Optatus Milevitanus Episcopus in libro I. de schismate contra Parmenianum insigne de Cypriano conscripsit elogium, dum ait: *Nec Cæcilianus recessit à cathedra Petri vel Cypriani, sed Majorinus.* Non dicit: *Nec Cæcilianus recessit à cathedra Stephani vel Cypriani:* Sed omnino dicit: *Nec recessit Cæcilianus à cathedra Petri vel Cypriani.* Quibus verbis ostendit vel unam & eandem esse Petri & Cypriani cathedram propter Ecclesiasticæ unitatis indicium, vel ut Petri, sic & Cypriani cathedram eam esse, in qua unitas Ecclesiastica collocetur, & schismatica Donatistarum tempestas dissipetur. Quidquid in causa, quocunque modo verba illa intelligantur, ad insignem Cypriani gloriam intelligentur.

Deinde in libro IV. longe magis ad Cyprianum 615
quam ad Stephanum accedit, cum ita loquitur: *Deinde sequitur unum baptisma, ut quia quod unum est, sanctum est, per quod unum est, non solum ab haereticorum profanis & sacrilegis baptismatibus separetur; sed ne duplicetur quod unum est, aut iteretur quod semel est. In hoc sacramento baptismatis celebrando tres esse species constat, quas & vos nec augere nec minuere nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante; sed non pari libramine ponderanda sunt singula: Duas enim video necessarias, & unam quasi necessariam: Principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri; hanc sequitur fides credentis: jam persona operantis vicina est, quæ simili auctoritate esse non potest. Duæ priores permanent semper immutabiles & immotæ; Trinitas semper ipsa est; fides in singulis una est; vim suam semper retinent ambæ.* De baptismo hæreticorum idem sentit quod Athanasius.

X. Basilius Stephani sententiæ anteponit Cypriani sententiam in epistolæ I. ad Amphilochium capite I. *Veruminvero antiquis visum est, Cypriano, inquam, & nostro Firmiliano, hos omnes uno calculo subjicere, Puros, Encratitas, Hydroparastatas.* Et quibusdam interpositis: *Eos, qui ab ipsis* (hæreticis) *baptizati erant, tanquam à laicis baptizatos jusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesiæ baptismo expurgari.*

Deinde in epistola III. canone XLVII. *Encratitæ* 616
& Saccophori & Apotactitæ eidem subjiciuntur rationi, cui & Novatiani, quia de illis canon est editus, etsi diversus; quæ autem ad hoc pertinent, silentio prætermissa sunt. Nos autem una ratione eos rebaptizamus. Et paullo post: *Ne dicant in Patrem & Filium & Spiritum sanctum se baptizari, qui certe Deum malorum effectorem esse supponunt, instar Marcionis & reliquarum hæresium.*

Tum in libro III. contra Eunomium, ubi post verba Christi: *Euntes docete,* &c. subjungit: *Baptismus est sigillum fidei; fides vero deitatis confessio: nam credere prius oportet, ac postea baptismate designari; baptismus vero noster est secundum traditionem Domini.*

Denique in libro V. contra eundem hæreticum: *Docete,* inquit, *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Et gentes jubet credentes & doctas baptizari in Trinitatis nomine.* Basilius Athanasii amici & familiaris sententiam & doctrinam sequitur, & ab ea ne latum quidem unguem discedit.

XI. Gregorius Nazianzenus de Stephano Papa orationem qua laudetur, nullam habuit; sed de Cypriano orationem, qua mirum in modum laudetur, habuit egregiam, quæ est decima octava: *Cyprianus,* inquit,

fere

fere nos effugit. O ingens damnum! Idque vos passi estis, qui eum omnium maxime suspicitis, annuisque honoribus & festis celebratis. Cyprianus, inquam, cujus vel etiamsi
617 *alioquin oblivionis vitio laboraremus, meminisse tamen necesse fuerat; siquidem optimi potissimum viri memoria colendi sunt, iique quorum meminisse non modo pium est, sed etiam utile ac fructuosum. Verum hoc debitum cum fœnore dissolvamus.* Infra: *Tu mihi, Cypriane re & nomine carissime, supra cæteros Martyres celebrandus occurris, (nec enim verendum est, ne Martyres Martyribus invideant) atque & virtute tua majorem in modum afficior, & memoria recreor, ac præ gaudio quasi lymphatus feror, dimicationisque socius ac particeps sum, ac totus ad te transeo, sive me tibi eloquentia & doctrina conciliet, qua tu tanto reliquos mortales antecellis, quanto nos brutis animantibus præstamus.* Infra: *Hic Cyprianus vir (ut & qui nostis ex ipsa commemoratione majorem voluptatem capiatis, & qui ignoratis historiam omnium nostrarum pulcherrimam; commune Christianorum decus atque ornamentum discatis:) Hic, inquam, Cyprianus magnum quondam Carthaginiensium, nunc autem totius orbis nomen, opibus conspicuus, potentia illustris, genere clarus.* Infra: *Ut apertiori distinctione hæc* (quæ supra dixit) *explicem, alios multiplici rerum cognitione, alios quod summum scientiæ gradum attigisset, alios utraque laude; omnes autem omnibus nominibus superaret. Ac eruditionem quidem libri ipsi attestantur, quos ille complures & luculentos pro nobis conscripsit, postea quam Deo, qui omnia fecit, & in melius commutat, benignitate doctrinam suam transtulit, atque soliditatem rationi subjecit.* Infra: *Postea deinde crea-*
618 *tur pastor ac pastorum optimus & probatissimus. Neque enim Carthaginiensi tantum Ecclesiæ, nec Africæ, ab eo & propter eum etiam nunc clara & celebri præficitur; verumetiam Occiduis regionibus, ac prope etiam Orientali omni atque Australi, & Septentrionali oræ. Quocumque illius fama & admiratio pervagata est: Sic Cyprianus noster efficitur.* Infra: *Habes, vir divine & sacrosancte, meorum sermonum primitias, habes tum doctrinæ præmium, tum certaminis non olivam olympiacam, verum orationem, qua nihil est quod Verbi cultoribus magis conveniat; quæ si certaminum tuorum doctrinæque meritum assecuta est, Verbo id acceptum fero.* Hæc ille qui per antonomasiam Theologus appellatus est. Pauciora ex eo referre non potui, cum observare voluerim quanto in honore & pretio Cyprianus per universam habitus fuerit Ecclesiam. Gregorius Cypriani doctrinam atque eruditionem laudat, nec in eo quidquam reprehendit; sed absolvit omnia, cum dicit: *Tu, Cypriane, doctrina & eloquentia tanto reliquos mortales antecellis, quanto nos brutis animantibus præstamus.*

Nazianzeni præterea cives Cyprianum annuis honoribus & festis celebrant, Stephanum non celebrant.

De hæreticorum baptismo hæc tradit in oratione XXIV. *Si eos, qui nondum purgati sunt, splendidiores cerno, si per pravam initiatoris mei doctrinam tanquam talis quibusdam deludor, si præstantiorem spiritum quæro*
619 *nec invenio, da mihi alterum lavacrum, ac tum de priore male cogita. Quid mihi perfectam regenerationem invides? Quid me cum spiritus tanquam Dei templum sim, rei creatæ domicilium facis? Quid me partim honore, partim contumelia afficis, malum te divinitati arbitrium præbens, ut mihi baptismum, vel meipsum potius per baptismum secet? Aut totum honore prosequere, ô nove Theologe; aut totum sperne, ut etiamsi impius sis, tibi tamen ipse consties, naturam honore parem haudquaquam dispari modo expendens.*

Deinde in oratione XXV. *Confessionem tuam memoria tene. In cujus nomine baptizatus es? Patris. Recte, verum id adhuc Judaicum. Filii? Præclare. Hoc jam minime Judaicum, sed nondum plenum ac perfectum est. Spiritus sancti? Optime: Numeris omnibus absolutus est hic baptismus. Verum heus tu, an simpliciter in hæc tria? An quoddam etiam nomen est, quod tribus his communiter quadret? Maxime, nimirum Dei nomen. In hoc igitur commune nomen credit, & prospere incede & regna: Atque hinc ad ulterius vitæ beatitudinem transibis. Ea porro in expressiore, ut mihi videtur, horum cognitione ac comprehensione sita est.* At quis non videt ea quæ ex Nazianzeno retulimus, magis in Cypriani doctrinam de baptismo hæreticorum, quam in Stephani decretum quadrare?

XII. Pacianus Barcinonensis Episcopus, non Stephanum, sed Cyprianum Novatianis in Ecclesiastici difficili causa opponit in epistola I. ad Sympronianum:
Quid parva nobis de Apostolicis viris, parva de primis 620
Sacerdotibus, parva de beatissimo Cypriano Martyre atque Doctore occurrit auctoritas? An volumus docere doctorem? An sapientiores illo sumus, & a spiritu carnis inflammamur adversus eum, quem æterni Dei testem nobilis cruor, & clarissimæ passionis corona produxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totam Ecclesiam cum eodem Cypriano pax una solidavit? Deinde in secunda ad eundem epistola: *Cyprianus in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est.*

XIII. Cyrillus Hierosolymitanus ad Cyprianum, non ad Stephanum accedit in prima catechesi, dum Christianæ religionis candidatos ita docet: *Non licet bis aut ter hoc lavacro uti, ut si semel fueris frustratus, deinceps corrigas: Si enim semel illo frustraberis, amplius id correctionem non patitur. Unus enim Dominus & una fides & unum baptisma. Nam soli hæretici rebaptizantur: Siquidem prius illud non erat baptisma.*

XIV. Gregorius Nyssenus relicto Stephano Cyprianum sequitur in oratione prima contra Eunomium: *Credimus igitur quemadmodum discipulis suis Dominus fidem suam exposuit sic locutus: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Hic est sermo mysterii, in quo per supernam generationem nostra natura in melius transformatur.* Et paullo post: *Idcirco asserimus conjunctum sive adunatum, simul etiam discretum ac distinctum sanctis discipulis fuisse traditum pietatis mysterium, nempe oportere* 621
credere in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti. Deinde in oratione X. adversus eundem hæreticum: *Nos autem sanctis & beatis viris obtemperantes, neque nominum gravitate, neque rituum & mysticorum symbolorum proprietate dicimus pietatis mysterium confirmari; sed dogmatum accurata expensione.* Tum sub finem: *Ait* (Eunomius) *Domini legem pervertens, (lex enim est divinæ institutionis traditio) non in Patrem, in Filium & Spiritum sanctum baptisma fieri, sicut præcepit discipulis tradens mysterium; sed in opificem & creatorem, & non solum Patrem, inquit, unigeniti, sed etiam Deum.* Et paullo post: *Legamus in eo verborum vocem Domini: Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ubi Filium creaturam appellavit? Ubi Patrem creatorem & conditorem unigeniti esse sermo docuit? Ubi in his quæ dicta sunt, Filium esse servum Dei docetur? Ubi Deus Filii in mysterii traditione prædicatur?*

XV. Ambrosius in libri de initiandis capite IV. laudari non potest, ut relatum Stephani decretum confirmetur: Sed laudari potest, ut Cypriani sententia illi decreto contraria confirmetur. Judicium sit penes verba quæ sequuntur: *Credit autem etiam Catechumenus in crucem Domini* Jesu, *qua & ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire.* Et 622
paullo post: *Crede ergo quia non sunt vacua aquæ. Ideo tibi dictum est, quia Angelus Domini descendebat,* &c. *Hæc piscina in Hierosolymis erat, in qua unus annuus sanabatur; sed nemo ante sanabatur, quam descen-*

descendisset Angelus. Ut esset indicium, movebatur aqua propter incredulos, illis signum, tibi fides; illis Angelus descendebat, tibi Spiritus sanctus; illis creatura movebatur, tibi Christus operatur ipse Dominus creatura. Tunc curabatur unus, nunc omnes sanantur, aut certe unus solus populus Christianus. Est enim in aliquibus & aqua mendax. Non sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.

Ambrosius deinde ne unum quidem de Stephano sermonem habet, sed de Cypriano duos habet. In primo dicit: *Sancti Cypriani festivitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus, & natali, sicut dicunt, imminente vindemia, natalem ejus martyrii procuramus. Conveniunt igitur vota nostra & mundi. Mundus vindemiarum ubertate letatur, nos Sanctorum passione gaudemus.* Infra: *Fratres, istius beatissimi Martyris Cypriani sectemur exempla, qui recto tramite Christum secutus est.* In secundo dicit: *Ante dies, cum beatissimi Martyris Cypriani celebraremus natalem, suavissime in ejus festivitate jucundati sumus. Quia enim hoc vindemiarum tempore passus est, tanquam & nos de vindemia dulces & varios fructus ex ejus passione collegimus.*

XVI. Prudentius Hispanus Poeta, Stephanum in libro
623 *περὶ στεφάνων*, & in hymnis silet; Cyprianum vero magnifice prædicat in hymno v.

Punica terra tulit, quo splendeat omne quidquid unquam est,
Inde domo Cyprianum, sed decus orbis & Magistrum.
Est proprius patria Martyr, sed amore & ore nostro,
Incubat in Libya sanguis, sed ubique lingua pollet.
Sola superstes agit, de corpore sola obire nescit.
Dum genus esse hominum Christus sinet, & vigere mundum,
Dum liber ullus erit, dum scrinia sacra literarum,
Te leget omnis amans Christum, tua, Cypriane, discet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in Prophetas,
Fontibus eloqui te cœlitus actus irrigavit.
O nive candidius linguæ genus!

Infra:

Deerat Apostolicis scriptis opulentus exsecutor,
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem,
Quæque voluminibus Pauli famulata disputaret,
Quo mage cruda hominum præcordia perpolita nossent
Sive timoris opus, seu mystica, seu profunda Christi.

624 Infra:

Flevit obire mœsta Africa, quo docente facta est
Culter, eloquio cujus sibi docta gloriatur.
Mox tumulum lacrymans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum, tenet ille regna cæli;
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe.
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Libya populos tantum regit, exit usque in ortum,
Solis & usque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos.
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Hiberis,
Denique Doctor humi est, idem quoque Martyr in supremis,
Instruit hic homines, illic pia dona dat patronus.

Hinc effectum est, ut in iis locis omnibus, quæ designat Christianus Poeta, beati Cypriani opera diligenter asservata & custodita fuerint. Vetus Bibliotheca fere nulla est, quæ sancti Doctoris hujus opera illa non habeat. Stephani vero epistolæ nusquam inveniuntur gentium; ubi legatur decretum hoc: *Siquis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi etiam hæretici proprie
alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communi- 625
cent tantum.*

XVII. Beatus Hieronymus in libro de viris illustribus, de Victore Romano Pontifice notat: *Victor tertius-decimus Romanæ urbis Episcopus, super quæstione Paschæ, & alia quædam scribens opuscula, rexit Ecclesiam sub Severo Principe annis decem:*

De Cornelio quoque notat: *Cornelius Romanæ urbis Episcopus, ad quem octo Cypriani extant Epistolæ, scripsit Epistolam ad Flavianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodo Romana, Italica & Africana, & aliam de Novatiano, & de his qui lapsi sunt, tertiam de gestis Synodi, quartam ad eundem Flavianum valde prolixam.*

De Damaso etiam notat: *Damasus Romanæ urbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia metro edidit.* Sed Hieronymus de Stephano minime notat, eum scripsisse epistolas super baptismi hæreticorum quæstionem, quæ inter eum & Cyprianum agitata est acerrime. De Cypriano minime silet. Hæc enim notat: *Cyprianus Afer primum gloriose Rhetoricam docuit, exinde suadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomentum sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam pauperibus erogavit, ac post non multum temporis electus in Presbyterum, etiam Episcopus Carthaginiensis constitutus est. Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sint ejus opera.* Ex his autem omnibus rite perpensis nihil
aliud colligitur, nisi quod Hieronymus judicaverit 626
Stephani epistolas non esse dignas, quæ posteritati commendentur; & præterea quod pluris Cyprianum quam Stephanum æstimaverit. Id numero proximo confirmatum imus.

XVIII. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos de Cypriano scribit: *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcirco hæreticorum baptisma reprobans ad Stephanum Urbis Episcopum, qui à beato Petro vicesimus-sextus fuit, super hac re Africanam Synodum direxit. Sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.* Hæc ille ad annum Christi CCCLXXXII. Sed progressu temporis ostendit se, cum hæc scripsit, apocryphis quibusdam commentariis deceptum fuisse. Et primum quidem in libro de viris illustribus Stephanum contumaci silentio prætermisit, ut mox vidimus. Tunc excusandi Stephani locus erat, non tamen excusat: Quemadmodum excusat in dialogo Cyprianum ita scribens: *Verum si voluerint hi qui ab Hilario instituti sunt, & oves sine pastore esse cœperunt, de Scripturis ea proferre, quæ beatus Cyprianus ob hæreticos non rebaptizandos in Epistolis suis reliquit, sciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerant, edidisse. Siquidem in communione eorum permansit, qui
sententiæ suæ contrarierant.* De Stephano similia non 627
dicit. Non dicit quoque in libro de viris illustribus, quem annis post editum dialogum decem composuit. Cyprianus porro, Firmilianus & alii ad antiquam revoluti non sunt consuetudinem; sed in sua consuetudine, pro cujus antiquitate pugnaciter contenderunt, remansere. Id testatur Arelatensis Synodus in canone VIII. id quoque Basilius testatur in epistola ad Amphilochium. In summa, si verum esset nec apocryphum decretum, cujus meminit Hieronymus, Donatistæ ausi non essent Cypriani epistolas & Africanam illam Synodum Catholicis toties objicere, quoties apud Augustinum objiciunt, aut si essent ausi objicere, Augustinus hujusmodi compressisset audaciam objecto recenti decreto, quod Cyprianus & collegæ tandem

dem aliquando emisissent. Sed hac de re tota ne gry quidem in commentariis, quos Augustinus contra Donatistas edidit. Fuerunt homines perverse religiosi, qui post Cypriani tempus Cyprianum pœnitentia ductum finxerunt, & ei libellum inscriptum, *Pœnitentia sancti Cypriani*, subjecerunt: Qui libellus in Romana Synodo inter apocrypha relatus est anno post obitum Hieronymi LXXIV. Cum tunc Romæ dialogum scripsit adversus Luciferianos, seu, ut ipse loquitur, *Altercationem Luciferiani & orthodoxi*, potuit in libellum de sancti Cypriani pœnitentia incidere, & illius lectione induci.

Deinde quidquid Hieronymus in dialogo contra
628 Luciferianos de baptismo hæreticorum disseruit, correxit postea tribus in locis, quorum primus est in commentario super caput II. Joelis Prophetæ: *Sequentes regulam Prophetarum, quidquid Judæi in ultimo tempore sibi carnaliter repromittunt, spiritualiter in primo adventu Domini Salvatoris diceremus esse completum, maxime cum & illi & nos quæ promissa sunt, in Christo dicamus complenda, in hoc tantummodo discrepantes, quod illi futura, contendunt, nos jam facta convincimus. De quo in his quæ sequuntur, plenius disserendum est. Omnis autem caro, super quam effusurum se de Spiritu sancto Dominus pollicetur, illa est, de qua Esaias loquitur: Et videbit omnis caro salutare Dei. Ergo salutare Dei videri non potest, nisi Spiritus sanctus effundatur; & quicunque credere se dicit in Christum, non in Spiritum sanctum, perfecta fides oculos non habebit. Unde & in Actibus Apostolorum, qui baptizati erant baptismate Joannis in eum qui venturus erat, hoc est, in nomine Domini* JESU, *quia responderunt Paulo interroganti, Sed nec si sit quidem Spiritus sanctus novimus, iterum baptizantur: Imo vero baptisma accipiunt, quia sine Spiritu & mysterio Trinitatis, quidquid in unam & alteram personam accipitur, imperfectum est.* Hæc Stephani decreto convenire non possunt, sed epistolis Cypriani convenire possunt.

Alter est in libro IV. super Evangelium Matthæi: *Euntes autem docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Primum docent omnes gentes; deinde doctas intingunt aqua. Non*
629 *enim potest fieri, ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & quorum una est divinitas, una sit largitio nomenque Trinitatis. Unus Deus est. Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Ordo præcipuus: Jussit Apostolis, ut primum docerent universas gentes; deinde fidei intingerent sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent observanda, præciperent. Ac ne putemus levia esse, quæ jussa sunt, & pauca, addidit: Omnia quæcunque mandavi vobis, ut quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant, quæ præcepta sunt.* Hieronymus in hujus loci expositione Concilium Carthaginiense, cui Cyprianus præfuit, Athanasium, Basilium, & Gregorium Nyssenum sequitur, & sequendo stat à partibus Cypriani, non Stephani.

Tertius est in commentario super caput IV. epistolæ ad Ephesios: *Propterea & una fides dicitur, quia similiter in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credimus. Et baptisma unum; eodem enim modo & in Patrem & Filium & in Spiritum sanctum baptizamur & ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris & Filii & Spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Et miror quæ consequentia in uno vocabulo, eodem opere & eodem sacramento, naturæ diversitatem Arius, Macedonius, & Eunomius suspicentur, concordante in impietate discordia, & creaturam in Filio & Spiritu sancto cœnosum fontem tenentes, diversos hæreseos rivulos*
630 *duxerint. Unum baptisma, & contra Valentinum facit, qui duo baptismata esse contendit, & contra omnes hæreticos, ut sciant non habere se baptismata, sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem. Potest unum baptisma & ita dici, quod licet ter baptizemur propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputetur.* In hoc quoque loco, ut in duobus aliis, à Stephano recedens ad Cyprianum accedit. Porro autem his tribus locis tanquam certa quadam lege dirigi & corrigi necesse est, quidquid sanctus Doctor de baptismate hæreticorum in dialogo contra Luciferianos minus accurate disseruerat.

XIX. Beatus Hieronymus & Cyprianum & Cypriani opera quanti faciat, pluribus in locis ostendit. Et primum in illius Apologia contra Jovinianum: *Lego Tertullianum, lego Cyprianum, lego Ambrosium, & cum illis me vel accusa vel libera.* In epistola ad Paulinum de institutione Monachi: *Beatus Cyprianus instar fontis purissimi dulcis incedit & placidus, & cum totus sit in exercitatione virtutum, occupatus persecutionum angustiis, de Scripturis divinis nequaquam disseruit.* In epistola ad Lætam: *Cypriani opuscula semper in manu teneat.* In epistola ad Paulum Concordiensem de Novatiani epistolis: *Ut dum schismatici hominis venena cognoscimus, libentius sancti Martyris Cypriani bibamus antidotum.* In epistola ad Eustochium de custodia virginitatis: *Legas Tertullianum ad amicum* 631
Philosophum, & de virginitate alios libellos, & beati Cypriani volumen egregium. In epistola ad Magnum oratorem Romanum: *Cyprianus quod idola dii non sint, qua brevitate, qua historiarum omnium scientia, quorum verborum & sensuum splendore perstrinxit?* In commentario super caput IV. Jonæ: *Proponamus nobis beatum Cyprianum, qui prius idololatriæ assertor fuit, & in tantam gloriam venit eloquentiæ, ut oratoriam quoque doceret Carthagini; audisse tandem sermonem Jonæ, & ad pœnitentiam conversum in tantam venisse virtutem, ut Christum prædicaret, & pro illo cervicem gladio flecteret.* In libro XVII. super caput LI. Esaiæ: *Ac ne longo tempore sensum traham, vir sanctus & eloquentissimus Martyr Cyprianus, & nostri temporis Confessor Hilarius, nonne tibi videntur excelsa quondam in sæculo arbores ædificasse Ecclesiam Dei?* At Hieronymus de Stephano simile nihil scribit: Non remittit ad illius epistolam ut ad schismatis antidotum: Non scribit Stephanum ædificasse Dei Ecclesiam per suum decretum: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, cum ipsi etiam hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.*

XX. Beatus Augustinus in libri de unico baptismo contra Petilianum capite XIV. de Stephano & Cypriano sic verba facit: *Erant duo eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis Episcopi duo, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti, quorum Stephanus baptismum hæreticorum in* 632
nullo iterandum esse censebat, & hoc graviter facientibus succensebat: Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia catholica existimabat. Et quanquam Augustinus videtur heic utrumque pari modo laudare; tamen Cyprianum magis quam Stephanum laude dignum censuit. Augustinus scilicet de Stephano sermonem nullum, tractatum nullum instituit; sed de Cypriano plures instituit. De singulis ad specimen aliquid delibandum est. Et primum quidem de sermone XVII. in natali sancti Cypriani, quem venerabilis Beda laudat: *Sermonem à nobis debitum auribus & cordibus vestris exigit tam grata & religiosa solemnitas, qua passionem beati Cypriani Martyris celebramus. Tristis proculdubio tunc Ecclesia fuit, non damno cadentis, sed desiderio recedentis, semper cupiens videre tam bonum rectorem atque doctorem.*

Deinde

Deinde de sermone CXIII. de diversis cap. I. *Quis hodie, non dicam in nostra civitate, sed plane per Africam totam, transmarinas regiones, non Christianus solus, sed paganus aut Judæus, aut etiam hæreticus poterit inveniri, qui non nobiscum dicat natalem Martyris Cypriani?* Rursus cap. III. *Sed cum Carthago habuerit cathedram ejus, Carthago habeat memoriam ejus. Unde nos celebraremus natalitia ejus, nisi esset & pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum: In*
633 *omnem terram exivit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum. Docuit fideliter quod factum erat, fecit fortiter quod docuerat.*

Tum de sermone CXIV. capite I. *Sanctissimus & solennissimus dies, atque huic Ecclesiæ familiarior & præclarior lætificandus nobis dies hodiernus illuxit, quem sua nobis gloria passionis Cyprianus beatissimus illustravit, cujus reverendi Episcopi & venerandi Martyris laudibus nulla lingua sufficeret, nec si seipse laudaret.* Infra cap. II. *Quid enim nisi Dei sunt tanti Martyris laudes? Aut cujus honor est Cyprianus ad Deum toto corde conversus, nisi ejus, cui dictum est: Deus, converte nos? Cujus opus est Cyprianus doctor, nisi ejus, cui dictum est: Doce me justificationes tuas? Cujus opus est Cyprianus pastor, nisi ejus, qui dixit: Dabo vobis pastorem secundum cor meum, & pascet vos cum disciplina? Cujus opus Cyprianus Confessor, nisi ejus qui dixit: Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere inimici vestri?*

Præterea de sermone CXV. capite I. *Istum nobis festum diem passio beatissimi Martyris fecit, cujus nos victoria celebritas in istum locum devotissimos congregavit; sed celebratio solennitatis Martyrum imitatio debet esse virtutum.* Infra: *Beatissimus Martyr errores sapientia, terrores patientia superavit.* Iterum cap. IV. *Aliquando ante annos valde multos istum locum invaserat pestilentia saltatorum, istum tam sanctum locum ubi jacet tam sancti Martyris corpus sicut meminerunt*
634 *multi qui habent ætatem: Locum, inquam, tam sanctum invaserat pestilentia & petulantia saltatorum; per totam noctem hic cantabantur nefaria, & cantantibus saltabatur. Quando voluit Dominus per sanctum fratrem nostrum Episcopum vestrum, ex quo hic cœperunt sanctæ vigiliæ celebrari, illa pestis aliquantulum reluctata, postea cessit diligentiæ, erubuit sapientiæ.*

Postremo de sermone CXVII. cap. I. *Diei tam grati, lætique solennitas & corona, tamque Martyris tam felix & jucunda festivitas sermonem à me debitum flagitat; sed tantam sarcinam orationes illius mecum portant, ut si quid minus quam debetur, exolvero, non me deficiat loquentem verbis, sed omnes reficiat precando pro vobis.* Iterum cap III. *Aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, ad hæc quis idoneus? Alii Cyprianum imitando vixerunt, alii Cypriano invidendo perierunt.* Iterum cap VI. *Illi laus, illi gloria, Domino nostro Regi sæculorum creatori, & creatori hominum, qui suo tali Antistite hujus civitatis Ecclesiam ditavit, & tam sancto corpore hujus loci amplitudinem consecravit.* Quin autem sermones vel tractatus hi sint Augustini, ut quis dubitet, Possidii non patitur indiculus, cum in eo notetur: *De natali sancti Cypriani tractatus quatuor.* Cur autem Augustinus de Cypriano tot sermones vel tractatus habuerit, & de Stephano ne unum quidem habuerit, nisi quod pluris in Ecclesia Dei Cyprianus quam Stephanus habitus fuerit?

635 XXI. Augustinus Stephani minus quam Cypriani
sententiæ patrocinari, qui tria certe noverit, asserere non verebitur. Primum, quod Stephanus hæreticorum quorumcunque baptismata, ut justa & legitima admisit, & in nullo iteranda esse censuit. Id manifeste præ se fert Stephani decretum, & Augustinus mox testatus est.

Deinde, quod sanctus Doctor existimavit hæreticorum baptismata nec justa esse, nec legitima, quæ in Trinitatis, id est, Patris & Filii & Spiritus sancti, nomine collata non erant. Ea super re cum aliis in locis, tum maxime in tribus perspicue mentem aperit & confirmat suam. In libri III. de baptismo contra Donatistas capite XV. *Quamobrem si Evangelicis verbis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* In libri VI. de eodem baptismo capite XXV. *Cæterum quis nesciat non esse baptismum, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* In ejusdem libri capite XXXVI. *Plane si non est baptismus Patris & Filii & Spiritus sancti nomine consecratus, hæreticorum deputetur, & iniquus à nobis omni contestatione refutetur.*

Denique, quod ante Stephani & Cypriani tempus nulli vel pauci admodum fuerunt hæretici, à quibus
in nomine Trinitatis, Patris scilicet, Filii & Spiritus 636
sancti nomine, baptisma datum vel acceptum sit: Tunc hæretici vel omnes vel pene omnes aliter baptizabant aut baptizabantur, ut ex Irenæo in libri I. adversus hæreses capite XVIII. colligitur. Ante Stephani & Cypriani tempus, dixi; quia post illud tempus hæretici frequentius in Patris & Filii & Spiritus sancti nomine baptizari vel baptizare cœperunt. Sic Augustinus in libri VI. de baptismo contra Donatistas capite XXV. intelligendus est, cum ait: *Sed facilius inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis* (Evangelicis) *baptizent.* Sic, inquam, intelligendus est Augustinus, nisi quis velit illum in re historica falli. Ad tempus suum procul dubio respectum habuit. Ad hæc tria ut cumulus accedit, quod Stephani decretum hoc: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum;* nusquam producit integrum, vel ut illud confirmet, vel ut ex eo quidquid de non iterando hæreticorum baptismo disseruit, confirmetur.

XXII. Beatus Paulinus Nolæ Episcopus in poematibus suis non celebrat Stephanum: Sed Cyprianum celebrat hoc modo in natali XI.

At Carthago potens Cypriano Martyre gaudet,
Cujus & ore simul profusi & sanguine fontes
Fœcundaverunt Libyes sitientis arenas.

XXIII. Vincentius Lirinensis Stephanum quidem 637
laudat in commonitorii I. adversus profanas hæreticorum omnium novationes capite IX. cum illum virum sanctum & prudentem nominat; sed Cyprianum multo magis laudat in capite XI. cum ait: *Quis illud sanctorum omnium & Episcoporum & Martyrum lumen beatissimum Cyprianum cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo?* Rursus in commonitorii II. capite II. *Sunt ergo hi viri, quorum in illo Concilio* (Ephesino) *vel tanquam judicum, vel tanquam testium scripta recitata sunt.* Et paullo post: *Adhibitus est à meridie beatissimus Cyprianus Episcopus Carthaginiensis & Martyr.* At nullo unquam in Concilio scripta Stephani vel ut judicis vel ut testis recitata sunt.

Verum non prius hic manum de tabula, quam nonnulla notavero, in quibus ab historica lapsione Vincentius defendi non potest. Sic enim scribit in commonitorii I. capite IX. *Neque hoc sane novum: Siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia, sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab Apostolica potissimum Sede sumemus, ut omnes luce clarius videant,*

beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper,
quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ se-
mel religionis integritatem. Quondam igitur venerabi-
638 *lis memoriæ Agrippinus Carthaginensis Episcopus, pri-*
mus omnium mortalium contra divinum canonem, con-
tra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omni-
um consacerdotum, contra morem ac instituta majorum
rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum
mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus formam
sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem
præbuerit erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei
cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum Sacer-
dotes pro suo quisque studio reniterentur: Tunc beatæ
memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum
cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris resti-
tit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes
tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate
superabat. Denique in Epistola, quæ tunc ad Africam
missa est, idem his verbis sanxit, nihil novandum, nisi quod
traditum est.

Hoc autem in sermone toto consideranda sunt
duo. Unum in quo servantur leges historiæ. Al-
terum in quo negliguntur nonnihil, pace viri tanti
dixerim.

Primum est sermonis exordium, quo quidquid ad
Carthaginensem Synodum, quam Agrippinus habuit,
quo quidquid ad Tertulliani & Clementis Alexand.
ad Irenæi, & ad Justini testimonia observavimus,
valide confirmatur. Etenim cum Agrippinus Syno-
dum habuit annis ante pluribus quam Stephanus Ro-
manam administraret Ecclesiam, in orbe toto qui
resisteret, inventus est nemo. In primis non restite-
639 runt Romani Pontifices, qui Agrippino æquales vel
ætate suppares fuere. Tertullianus cum scripsit vel
librum de baptismo, vel librum de præscriptione hæ-
reticorum, & horum baptismum omnino abjecit, in
orbe toto qui resisteret, inventus est nemo. In pri-
mis non restiterunt Romani Pontifices, qui quo tem-
pore vir tantus suos edidit commentarios, vixere.
Clementi non restiterunt. Irenæus cum varia hære-
ticorum baptismata descripsit, & ut absurda repulit,
in orbe toto qui resisteret, inventus est nemo. In pri-
mis non restiterunt Romani Pontifices, qui quo tem-
pore vir tantus scripsit, claruerunt. Justinus cum
baptizandi formam apud Christianos delineavit, &
Judæorum baptisma dissipatis cisternis æquavit & re-
jecit tanquam inutile, in orbe toto qui resisteret,
inventus est nemo. In primis non restiterunt Roma-
ni Pontifices, qui quo tempore vir maximus scripsit,
floruere. Quis, quæso, Justinum redarguit? Quis di-
minutæ circa baptismum doctrinæ accusavit, quod hæ-
reticorum baptismum ut Dominicæ vel Apostolicæ
traditionis censum minime prædicaverit?

Hæc autem cum ita sint, necessario sequitur, no-
vellis non posse adscribi adinventionibus, quod Agrip-
pinus & cæteri Africani Præsules de baptismo hære-
ticorum decreverunt, quod Tertullianus & Clemens
ante Agrippinum & Carthaginensem Synodum, quod
Irenæus ante Tertullianum, quod Justinus ante Ire-
næum de baptismo hæreticorum tam pacifice tradi-
derunt. Cur vero, quidquid id est, novellis adscribi
640 non possit adinventionibus, certo certius colligitur ex
illo more, *qui semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque*
foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus con-
trairet.

Alterum sermonis exordio proximum est, & à Vin
centio in exemplum assumitur; sed in hoc leges hi-
storiæ negliguntur.

I. Stephanus Sedis Apostolicæ Antistes Agrippino
nec restitit, nec potuit resistere: Æquales tempore
non erant, Stephanus Agrippinum post multos annos
& longam ætatem subsecutus est.

II. Agrippinus non fuit omnium mortalium pri-
mus, qui rebaptizandum esse censuit. Tertullianus
ante Agrippinum duobus in locis hæreticorum bap-
tismum abjudicat Ecclesiæ, ac proinde censet rebapti-
zandos seu baptizandos esse hæreticos, cum hi tum
primum ad Ecclesiam veniunt. Clemens Alexandri-
nus Tertulliano æqualis, eumdem Tertullianum sequi-
tur. Irenæus ante Tertullianum & Clementem in de-
ridiculo & contemptu ponit varia hæreticorum bap-
tismata, quæ in libri I. contra hæreses capite XVIII.
late recenset. Justinus ante Irenæum in tradendo
Christianorum baptismate rationem nullam habet
baptismatis, quod ab hæreticis tunc conferebatur.
His autem ita positis, Agrippinus rebaptizandum esse
non ita perinde censuit, ac si omni retro versus A-
postolos tempore in Africa hæreticorum omnium
baptismata probarentur. Sed primus omnium, habi-
to Concilio, majorum traditionem asseruit, cum à
nonnullis dubitari cœpit, num hæreticorum baptisma 641
justum ac legitimum foret, necne.

III. Divinus canon nullus rebaptizandos esse pro-
hibebat hæreticos, qui quomodo refert Irenæus,
hæreticorum baptisma tradiderint aut acceperint.
Divinum canonem intelligo, quem Scriptura sacra
vel Apostolica traditio nobis objiciat. Hæc nus-
quam docet, baptismum ab hæreticis ubicunque &
quomodocunque datum, justum ac legitimum esse.
Quinetiam Cyprianus & Firmilianus Stephano Scrip-
turam & traditionem majorum suorum pugnaciter op-
ponunt.

IV. Ante tempus, quo Agrippinus seu Carthagi-
nensis Synodus rebaptizandum esse censuit, univer-
salis Ecclesiæ regula occurrit nulla, quæ ne rebap-
tizentur hæretici præscribat. Ubi, quando & quare
regula hæc constituta esset? Et si quæ fuisset tunc
regula ejusmodi, tunc ab Agrippino, vel à Carthagi-
nensi Synodo, vel à Tertulliano violata non esset im-
pune. Siquidem, ut ait noster Vincentius, *Mos iste*
semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religio-
sior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.
Cum venisset Petrus Antiochiam, Paulus in faciem
ei restitit, quia reprehensibilis erat: In Epistolæ ad
Galatas capite II. Irenæus Victori Papæ restitit,
commonens eum non facile debere unitatem collegii
scindere, servandam esse cum Polycrate & Asianis
pacem, quam Anicetus decessor cum Polycarpo Smyr-
nensi servaverat: Eusebius in lib. V. hist. capite 642
XXIV. Hieronymus in catalogi virorum illustrium
capite XLIV. Malchion Antiochenæ Ecclesiæ Presby-
ter Paulo Samosateno Præsuli sui Artemonis dogma
instauranti restitit: Hieronymus in ejusdem catalogi
capite LXXX. Athanasius negat decessorem suum Di-
onysium Arianis favisse, quia quo tempore favisse di-
citur, ob id reprehensus non fuit: In libro de senten-
tia Dionysii Alexandrini.

V. Agrippinus contra sensum omnium consacer-
dotum rebaptizandum esse non censuit, cum id quod
censuit, habita multorum Episcoporum Synodo, u-
na omnium voce censuerit. Sacerdotes tunc nulli
fuerunt, vel qui in Africa, vel in Ægypto, vel
in Oriente, vel in Occidente, atque adeo in ipsa
Italia reclamarint. Si Firmiliani ad Cyprianum E-
pistolam legisset Vincentius, si Dionysii Alexandri-
ni vidisset Epistolas, non scripsisset sine dubio, quod
scripsit.

VI. Agrippinus contra morem ac instituta majo-
rum rebaptizandum esse non censuit. Hic mos &
instituta majorum simpliciter enunciantur à Vin-
centio, non probantur, nec probari possunt. Quin-
etiam Vincentianæ enunciationi majores obsistunt,
Tertullianus, Clemens, Irenæus, Justinus, & siqui
alii de baptismo & ejus disciplina jam indè ab Apo-
stolicis temporibus usque ad Episcopatum Agrippini
tractarunt.

VII. Stephanus Papa non Agrippino, sed Cypria-
no restitit: Quod erroris genus excusationem nul- 643

lam habet. Anni jam erant complures, quod Agrippinus obierat, cum Stephanus ad Romanam accessit Ecclesiam

VIII. Hac in re multo plures Cypriano, quam Stephano complauserunt: Tantum abest, ut undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur. Novitas quippe non erat quod Vincentius novitatem appellat. Id supra perpensum atque examinatum est. Quis ante Stephanum in cæteris Ecclesiæ partibus inveniet simile quid decreto huic: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum?*

IX. In summa, hæc non est juris, sed facti quæstio, quæ non præsumpta opinione seu suspicione, sed certis atque evidentibus vetustiorum Agrippino Scriptorum testimoniis dirimenda est, nec adversus Agrippinum unquam hocce modo dirimetur. Exinde verba illa, quibus Auctor caput suum IX. concludit, evanescunt; nempe: *Quis ergo tunc universi negotii exitus? quis utique, nisi usitatus & solitus? Retenta scilicet antiquitas, explosa novitas.*

Sic igitur è duobus quæ in sermone Vincentii notanda sunt, unum, quia ei sua constat veritas, dissertationi nostræ multum prodest, & non potest obesse: Alterum, quia ei sua non constat veritas, nec obest
644 reipsa, nec potest obesse. Annus erat ab excessu Stephani ducentesimus septuagesimus quartus, cum hoc in Commonitorio scriberet Vincentius. Quo fit, ut quidquid narrat, auctoritate sola præstare non possit. Indiget antecessorum patrocinio, quod penitus deesse ostendimus.

XXIV. Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus Stephanum Papam suis in homiliis incelebratum dimisit; Cyprianum vero in duabus celebrandum esse duxit. Mirifica est secunda, in qua sic habetur: *In martyrio beatissimi Cypriani, fratres carissimi, universa nobiscum Christi exultat Ecclesia, quam in omne gaudium & cælestis eruditione sermonis instruxit, & munere triumphalis sanguinis decoravit. Fuit in eo, sicut compertum habemus, & contra errores diaboli spiritalis sapientia plenitudo, & adversum persecutiones mundi, Christiani pectoris infatigata constantia. Quis hujusmodi virum quantis vellet præconiis prosequatur, cujus eloquentia inspirata divinitus & Ecclesias docuit & sæculum confutavit? Vere hic mirabiliter, atque omnium ubique studiis celebrandus, quem sanctitas Sacerdotem, peritia Doctorem, fides Martyrem consecravit.* Infra: *Hic est ille Evangelicus paterfamilias proferens de thesauro suo nova & vetera, qui veteris novique Testamenti unum atque idipsum mysterium prædicans, Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditavit.* Infra: *Nec immerito, fratres, tanto cum honore nominis ejus memoria per amplissima mundi spatia celebratur, quia per*
645 *universum orbem ad firmamentum fidei & passio ejus & doctrina proficit.* Ut ante Mediolani in Italiæ capite per Ambrosium, sic & nunc Taurini per Maximum Cypriani doctrina & passio prædicantur: Stephani vero Romani Pontificis nec doctrina prædicatur, nec passio. Res est historica, quam persequor.

XXV. Theodoretus cum in exponendis Scripturis, tum in Ecclesiæ historia exercitatissimus, non Stephanum, sed Cyprianum sequitur, cum Marcionis rejicit baptismum, quem Stephanus admittit: Qua de re sic ad Constantinopolitanos Monachos scribit in epistola CXLV. *Non pro filiis duobus, sed pro unigenito Dei Filio, & contra Græcos, & contra Judæos, & contra Arii atque Eunomii morbo laborantes, & contra eos, qui Apollinarii amentiam sectantur, vel qui Marcionis tabo correpti sunt, certare nunquam destitimus.* Et post alia: *Mihi vero flere libet ac lugere, quod quæ dudum adversus Marcionis tabe corruptos argumenta protuli, convictosque Dei beneficio plures decem millibus ad sanctissimum baptisma perduxi: Ea nunc in eos, qui fidei nostræ creduntur, exorta hæresis proferre cogit. Ecqua enim de his unquam apud Ecclesiæ alumnos extitit dubitatio? Aut quis sanctorum Patrum doctrinam istam non tradidit? Hujus enim plena sunt Magni Basilii opera, ejusque commilitonum, Gregorii & Amphilochii, & illorum qui in Occidente doctrinæ gratia claruerant, Damasi magnæ Romæ, & Ambrosii Mediolani, & Cypriani Carthagini, qui martyrii etiam coronam pro his dogma-* 646
tibus adeptus est.

Deinde in libri de hæreticis fabulis quarti capite I. idem sentit quod supra sentientem vidimus beatum Athanasium. *Idem* (Arius) *gloria decantanda legibus relictis, quas tradiderant, qui ab initio spectatores & ministri Verbi fuerant, aliam formam introduxit, glorificare quos deceperat, docens Patrem per Filium in sancto Spiritu, & divini quidem baptismatis usitatam invocationem mutare propter apertam transgressionem ausus non est. Sed juxta Dominicum præceptum baptizare docuit in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Baptizare autem juxta baptismatis legem vetuit, licet Deus & Salvator noster non simpliciter baptizare, sed prius docere præceperit. Euntes enim, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Ex hac autem lege & divini Apostoli, & qui eos secuti sunt Ecclesiæ Magistri docent eos qui accedunt, credere in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & quos docuerunt, baptizant in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Quocirca qui donum adepti sunt, sicut edocti fuerunt & baptizati; sic glorificant Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Absurdum enim est eos, qui baptismi donum à sancta Trinitate acceperint, solam gloriam Patri offerre, & inhonoratum Filium ac Spiritum sanctum relinquere.*

XXVI. Beatus Petrus Ravennas Episcopus, qui Chrysologi nomen obtinuit, de natali sancti Stephani Papæ & Martyris sermonem non habet; sed ha- 647
bet de natali sancti Cypriani Martyris, & dicit: *Quoniam hodie Deo in natali sancti Cypriani Martyris convenimus, in quo vero certamine de diabolo triumphavit, & quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum, ideo exultare convenit & lætari.* Sic non tam longe ab urbe Roma siletur nomen Stephani, & longe ab urbe Carthagine Cypriani natale prædicatur.

XXVII. Romana Synodus, quæ libros authenticos ab apocryphis distinxit, Stephani Papæ Epistolis contra Cyprianum & Orientales editis locum nullum dedit; sed, quod mireris, primum locum dedit sancti Cypriani opusculis hoc modo: *Jam nunc subjiciendum de opusculis sanctorum Patrum, quæ in catholica Ecclesia recipiuntur; Opuscula beati Cypriani Martyris & Carthaginensis Episcopi.* Hic, quod observatione summa dignum est, nulla fit exceptio.

XXVIII. Ennodius Ticinensis Episcopus de Stephano hymnum nullum composuit, de Cypriano egregium composuit, qui sic se habet:

Vatis Cypriani & Martyris
Cor, lingua, sensus, dignitas,
Mortem ferendo proferunt.
Vitalis ictum vox dedit,
Mucrone parta lux micat:
Dictis suis præfulgidus,
Et ore dives unico.
Torrentis unda gurgitis.
Impacta corum specula, 648
Sermone vincens promula.
Opus verendi pectoris,

Qui

Qui jure Christo reddidit:
Nunc munus implet pristinum,
Orator erat, obtinet, &c.

Quæ Cyprianus docuit & fecit Carthagine, celebrantur in Italia; quæ vero Stephanus docuit & fecit Romæ, non celebrantur in Italia. Hæc est mira rerum conversio.

XXIX. Sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus Augustinum imitatur, non prædicat Stephanum, sed Cyprianum prædicat in sermone, quem in illius natali die habuit. *Clarum*, inquit, *tanti Martyris natalis diem, beati scilicet Cypriani, qui terrenis ac moribundis membris exutus ad æterna præmia vitæ transmigravit, & sacerdotii ejus doctrinam, & martyrii nobis victoriam commendavit.* Et paullo post: *Erat in memoria doctrina laudabilis, versabatur ante oculos virtus mirabilis, quando sanctus Deo servabat quod docuerat, & quid cæteri deberent facere, non tam verbis, sed operibus demonstrabat.* Laudatur Cypriani sine ulla exceptione doctrina.

XXX. Cassiodorus Senator Cypriani laudes semel atque iterum exequitur in libro de divinis lectionibus: Semel quidem in cap. XIX. *Impossibile est omnino complecti, quantum inter alios (prætermissa ratione baptismatis, quem usus * gratia repudiavit Ecclesia) conferat beatissimus Cyprianus, velut oleum decurrens in* 649 *omnem suavitatem lingua composita, Declamator insignis, Doctorque mirabilis. Quantos enim ille dubitantes non aperuit labi, lapsos vero firmissima prædicatione solidavit? Confessores ad martyrium ipse perduxit, & ne minor esset prædicationibus suis, ipso quoque martyrii corona Domino præstante decoratus est.* Iterum in cap. XXVIII. *Sicut beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana meminit, dicens: Nos aspicimus quanto auro & argento & veste suffarcinatus, exierit de Ægypto Cyprianus & Doctor suavissimus & Martyr beatissimus.* At de Stephano & de Stephani Epistolis simile nihil scribit.

XXXI. Athalaricus Rex Italiæ non Stephano, sed Cypriano diem solennem instituit. Institutionis monumentum est apud Cassiodorum in libro variarum octavo, num. XXXIII.

*Severo v. s. Athalaricus Rex: Sicut incognita velle nosse prudentiæ est, ita comperta dissimulare dementia est, eo præsertim tempore, cum nova res ad correctionem possit celerrimam pervenire; frequenti siquidem probatione didicimus, Lucaniæ conventu, qui prisca superstitione Leucothea nomen accepit, quod ibi sit aqua nimio candore perspicua, præsumptionibus illicitis rusticorum, facultates negotiantium hostili direptione laceratas, ut qui ad natale sancti Cypriani religiosissime venerant peragendum, mercimoniisque suis faciem civitatis ornare, egentes turpiter, inanesque discederent: Hoc non simplici ac facili remedio credidimus corrigendum, ut spectabili*650 *tas vestra prædicto tempore, una cum possessoribus atque conductoribus massarum diversarum ad quietem convenientium, anticipata debeat cautela procurare, ut atrocis facti reos inveniat, quos pœna consumat. Quod si aliquis rusticorum vel cujuslibet loci homo causas nefariæ litis attulerit, inter ipsa initia comprehensus fustuariæ protinus subdatur ultioni, & pompatus mala nota corrigat, quæ primo occultum faciant excitare tentabit. Est enim conventus iste nimia celebritate festivus, & circumjectis provinciis valde proficuus.* Neque Romæ, neque in Italia quidquam reperies, quo similis honor Stephano Papæ & Martyri decernatur.

XXXII. Facundus Hermianensis Episcopus, utrique Stephano & Cypriano honorem defert; sed Cypriano quam Stephano majorem. Adscribo verba è libri X. capite III. *Si nemo sapiens Ecclesiam credit hæreticam, quia doctrinam beati Cypriani Carthaginensis Episcopi & Martyris laudat; cum ille non solum privatim, ut ei visum est, verumetiam congregato Concilio definierit, ut omnis hæreticus ad Ecclesiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus à Stephano Antistite Romano restiterit, suamque sententiam scribens ad Pompeium quanta potuit humana argumentatione defenderit, injuriose tractans eundem beatum Stephanum, à quo fuerat jure culpatus, quomodo Epistola venerabilis Ibæ juste decernitur hæretica, quod Theodori doctrinam laudavit.* Paullo post: *Igitur sicut Ecclesia non approbans beati Cypriani ejusque prædecessoris Agrippini, qui hoc ante statuerat, de baptizandis omnibus hæreticis definitionem,* 651 *non solum ipsos, sed & omnes qui cum illis hoc definierunt, Episcopos Patres adscribit, eorumque fidem atque doctrinam, & maxime Cypriani toto orbe radiantem judicat esse laudabilem.* Hæc non indigent commentariis ut intelligantur; sed notandum est Facundum etiam inter Stephani & Cypriani sententiam in verbis prioribus comparationem instituere quæ causæ suæ serviret, id est, ut Ibæ epistolam unam è tribus capitulis tueretur. Exinde tali occupatus comparatione in libro contra Mocianum ait: *Stephani potius, quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia.* Tunc non recordabatur Stephani decretum hoc esse: *Si qui ergo à quacunque hæresi venerit ad nos nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Non recordabatur Augustinum de Stephani decreto observasse, quid decreti verba ipsa manifeste præ se ferunt, scilicet quod Stephanus in nullo hæreticorum iterandum esse baptismum censeret; non recordabatur Augustinum illud tantum hæreticorum recepisse baptisma, quod in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti dabatur; non recordabatur Stephanum in Cypriani ad Pompeium Epistola Marcionis admittere baptismum, qui prædictis verbis Evangelicis consecratus non erat; non recordabatur ea quæ ad Arelatensis Concilii canonem VIII. & ad Nicæni canonem XIX. de Paulianistis ex Athanasio notari poterant, & nos 652 supra notavimus.

XXXIII. Theodoretus ante num. XXIV. tradit Arium docuisse suos discipulos, ut dum baptizarent, in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto baptizarent: Qui ritus per miraculum ita reprobatus est in Chronico Victoris Tunnonensis Episcopi. *Patritio & Hypatio Consulibus Barbas quidam Ariani erroris Episcopus, dum præsumit contra regulam super baptizandum dicere: Baptizat te Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto; protinus aqua, in qua futurus erat baptizare, nunquam comparuit; vas vero ipsum, in quo aqua erat, confractum est. Quod considerans, qui baptizandus erat, protinus ad Catholicum currit, & baptismum regulariter sumit.* Hinc Stephanus cum hæreticorum baptismum sine exceptione ulla, & cum primis Marcionis quondam admisit, baptismum deteriori forma collatum admisit, ut ex Cypriano constat.

XXXIV. Fortunatus Pictaviensis Presbyter in libri VIII. carmine IV. de virginitate, seu potius de beatitudine, post laudatos Apostolos non laudat Stephanum Papam & Martyrem, sed proxime laudat Cyprianum hoc versu.

Africa Cyprianum, dat Siscia clara Quirinum.

XXXV. Gregorius Turonensis in libro de gloria Martyrum nihil habuit, quod de Stephano Papa & Martyre observaret; sed de Cypriano Episcopo & Martyre præclara quædam habuit, quæ in capite XCIV. sic observaret: *Cyprianus beatissimus Carthaginensis Antistes & Martyr salutem sæpius infirmis sup-* 653 *plicantibus præstat, in cujus basilica analogius, in quo libro supra posito cunctatur aut legitur, mirabiliter compositus esse refertur. Nam ex uno lapide marmoris totus sculptus adseritur, id est, mensa desuper, ad quam per quatuor gradus adscenditur; cancelli in circuitu, subter*

columna, quia & pulpitum habet, sub quo octo personæ recipi possunt. Quæ nunquam ibi ullo ingenio potuit exhiberi, nisi virtus Martyris præstitisset. Deinde in libri I. historiæ Francorum capite XXX. *Tunc* (Valeriano & Gallieno imperantibus) *Romam Cornelius, Cyprianus Carthaginem felici sanguine illustrarunt.* In Gallia Cornelius notior fuit quam Stephanus, cum Gregorius Cornelii, non Stephani martyrium adscribat, & Cornelium Cypriano conjungat.

XXXVI. Quo tempore Gregorius magnus Romanam administrabat Ecclesiam, beati Cypriani dies natalis tam celebris erat Romæ, ut ille tractandis negotiis tanquam terminus apponatur. Id Pontifex in libri XII. epistola XXX. ad Petrum Subdiaconum Siciliæ significat. *Stude*, inquit, *si Deo placuerit, ut in hanc urbem ante natalem beati Cypriani transeas.* Non dicit, ante natalem Cornelii: Etiamsi vel commune fuerit, ut in libro sacramentorum ejusdem Gregorii legitur; vel speciale utriusque, Cornelii nempe & Cypriani, officium, ut ex laudata Epistola probari posset: Sed quia Gregorius in tali rerum & persona-
654 rum conditione non dicit, ante natalem Cornelii,
aut saltem ante natalem Cornelii & Cypriani; multo minus diceret, ante natalem Stephani. Hoc autem quantus in Romana Ecclesia Cyprianus audierit præ Cornelio & Stephano, perspicue demonstrat.

XXXVII. Idem Gregorius Papa sacramentorum librum edidit, vel à decessoribus editum adauxit: In quo qualiter Missa Romana celebrabatur, exponit. In præfatione seu canone Cyprianus ponitur, non ponitur Stephanus, qui tam acriter cum Cypriano disputavit: *Te igitur, clementissime Pater, per* JESUM CHRISTUM *Filium tuum Dominum nostrum*, &c. *communicantes & memoriam venerantes, in primis gloriosæ virginis Mariæ genetricis Dei & Domini nostri* JESU CHRISTI; *sed & beatorum Apostolorum & Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum.* Quis autem præfationem hanc seu canonem temere, non consilio exaratum asseverare auderet?

XXXVIII. Quod hic de Romana observamus Ecclesia, id de cæteris observare debemus Ecclesiis, quæ præfatione Romanæ Missæ utuntur, & ab eo usæ sunt tempore, quo præfatio conscripta est & recitari cœpit. Hinc efficitur ut dubitari merito nequeat, quin tam in Romana quam in Occidentalibus Ecclesiis
655 Cyprianus pluris, quam Stephanus æstimatus semper
fuerit.

XXXIX. In eodem Gregorii sacramentorum libro Stephani festum IV. nonas Augusti præfationem non habet; sed Cornelii & Cypriani festum XVIII. Calend. Octobris præfationem habet hujusmodi: *Vere dignum & justum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte Pater, omnipotens sempiterne Deus, tuamque in sanctorum tuorum Cornelii simul & Cypriani festivitate prædicare virtutem, quos diversis terrarum partibus greges sacros divino pane pascentes, una fide, eademque die pari nomini tui confessione coronasti. Per Christum.* Cyprianus in hac præfatione par cum Cornelio sortitur elogium: Uterque greges sacros divino pane, id est, doctrina sacra pavisse, & in una fide martyrium implevisse dicitur. At Stephanus non ita laudatur, & cum non ita laudetur, signum est evidens Cyprianum in Romana Ecclesia tunc fuisse tractatum aliter, ac nunc à quibusdam è Schola Theologis tractatur §. excusare tamen se utcumque possunt, quod ista prorsus ignorent: Notandum tamen est ne quis me *mendacii* accuset, in sacramentorum libro quem Grimoldus Abbas quondam recensuit, Cornelium & Cyprianum præfatione hac vel simili carere. Enimvero si libri sacramentorum Romana præferenda esset editio, quæ Gregorio XIII. Pontifice accurata est, me vide Cornelii & Cypriani in doctrina & fide consortium ita
describitur, ut ad statuendum hac in parte inter Cy- 656
prianum & Stephanum discrimen aditum omnem intercludat.

XL. Gregorius cum de admittendis in Ecclesiam hæreticis tractat, non dicit, sicuti Romani Pontifices consueverunt dicere: Nos Stephani Papæ & Martyris decessoris nostri vestigiis inhærendo, statuimus quod ille statuit. *Si quis ergo à qualicunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Gregorius hoc non dicit: Illius verba sunt in libri IX. epistola LXI. ad Quirinum & alios, non Hiberniæ, ut in vulgata editione, sed Iberiæ, ut in manuscriptis, Episcopos. *Quia caritati nihil est longe, quos dividunt loca, jungat Epistola. Lator itaque præsentium ad beati Petri Apostolorum Principis limina veniens fraternitatis vestræ se asseruit ad nos Epistolas accepisse, easque in Hierosolymorum urbe cum rebus quoque aliis perdidisse, in quibus, sicut ipse ait, studuistis inquirere, Sacerdotes ac plebes, quæ Nestorianæ hæreseos errore confusæ sunt, cum ad matrem electorum omnium catholicam Ecclesiam revertuntur, utrum deberent baptizari, an certo solum veræ fidei confessione ejusdem matris Ecclesiæ visceribus adjungi. Et quidem ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud hæreticos in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut
impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum* 657
matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manus Occidens; per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat: Monophysitas & alios ex sola vera confessione recipit, quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emendationis recipit, cum vel illi per manus impositionem Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hi vero hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicuti Bonosiani & Cataphrygæ, quia & illi Christum Dominum perverso sensu esse quendam purum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt; & alii tamen cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizantur, quia baptisma non fuit, quod in errore positi in Trinitatis nomine minime perceperunt. Nec potest hoc ipsum iteratum dici baptisma, quod, sicut dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum. Nestoriani vero, quia in sanctæ Trinitatis nomine baptizantur, sed eos Judaicæ perfidiæ similes, Incarnationem Unigeniti non credentes, sua hæreseos error obscurat; & ideo ad sanctam Ecclesiam venientes veræ fidei firmitate & confessione docendi sunt, ut unum eundemque Dei & hominis Filium Deum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM *credant, ipsum existentem in divinitate ante sæcula.* In hac quam Gregorius ad recipiendos hæreticos præscribit, for-
ma hæreticorum baptismata universa, excepto eo 658
quod in Trinitatis nomine confertur, rejicit, & eam ob causam minus à Cypriano quam à Stephano recedit. Id facile perspiciet, qui quod de hæreticorum baptismo Cyprianus & Stephanus sentiunt, inter se comparabit.

Cæterum rationis hujus initio notavi Gregorium, cum de admittendis in Ecclesiam hæreticis tractat, non dicere, quemadmodum dicere consueverunt Romani Pontifices: Nos Stephani Papæ & Martyris decessoris nostri vestigiis inhærendo, statuimus quod ille statuit. At istud non dixit: Sed dicere facile potuit, si fecisset quod quidam è Schola Theologi faciunt. Hi enim nec ad Stephani tempus, nec ad pugnatam

natam inter Stephanum & Cyprianum pugnam, nec ad pugnæ hujus conditiones ullatenus respiciunt, sed ad hodiernam tantum disciplinam, & ad doctrinam ac placita sua, de quibus Stephano Pontifici, ne suo videatur erralle judicio, per summam, non gratiam, sed *ἀνοικείως* accommodant, & continuo præ se ferunt, certiora esse quæ imaginantur & jaciunt in commentarios, quam quæ apud Sagram; scilicet non aliud à Stephano hæreticorum admissum esse baptisma, quam juxta ritum Ecclesiæ in Trinitatis nomine collatum existimant, quia hæretici quos norunt, non aliter baptizant. Tantum in isto hominum grege opinio præjudicata potest, ut pervelint aliquando suam sine ratione auctoritatem valere. De priscis
659 hæreticorum in baptizando moribus nihil cogitant, nihil unquam fortassis degustarunt. Hæc est perversa illorum, quos, si opus esset, facile nominarem, sapientia. Gregorius non sic se gerit, quia sic se gerere, veritate salva, non potuit. Intelligebat vir prudens Stephani decretum capiendum esse cum ex propriis illius verbis, quæ nuda sunt, & perspicua; tum ex Epistolis, quas Cyprianus ea super re conscripsit. Intelligebat circumspectus Pontifex *dicentis intentionem*, ubi non apparet, *cum jam persona defuncta est, ex communione religiosissime æstimari*, ut Facundus Hermianensis Episcopus tradit in libri x. pro defensione trium capitulorum capite v. Pontifex abjecta usque adeo præpostera & dicendi & docendi methodo, Stephani decretum in præteritis relinquere maluit, quam quod Stephani decreto quadrare nequit, perperam asserere.

XLI. Fuerunt in Gallia, qui post Gregorii tempus Missæ præfationem, Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi & Benedicti nominibus auxerint, sed Stephani Papæ nomine non auxerint: Iis tanti non fuit Stephanus, quanti Hilarius, Martinus, Augustinus, Gregorius, Hieronymus & Benedictus. Quidquid in causa, sic se habet præfatio, quæ in Gregorii libro sacramentorum ex Missali manuscripto sancti Eligii prodiit. *Te igitur, clementissime Pater*, &c. *Communicantes & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Je-*
660 *su* CHRISTI; *sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi & Benedicti, & omnium Sanctorum.*

XLII. Inter antiquas Missæ præfationes numero centum & tredecim, nulla est pro Stephano Papa & Martyre, sed pro Cornelio & Cypriano. Hæc est: *Æterne Deus, tuamque in sanctorum Cornelii & Cypriani festivitate prædicare virtutem, quos pro diversis terrarum partibus greges sacros divino pane pascentes, una fide eadem die pari nominis tui confessione coronasti. Per Christum.* De his autem præfationibus Galterus Ruys a Gravia, Ordinis Prædicatorum Theologus, in Epistola, qua illarum libellum Provinciali suo nuncupat, sic loquitur: *Invenimus in collegio beati Stephani Martyris gratia dominorum Canonicorum volumen ornatissimis literis descriptum, & venerabilem antiquitatem contestans. Ex quo hunc præfationum libellum descriptum tibi, reverende Pater, dedicare volui.*

Præterea libellus idem vel alius similis extat inter Pamelii Liturgica, in quibus eadem est pro Cornelio & Cypriano præfatio; sed pro Stephano Papa nulla legitur.

XLIII. Synodus Quinisexta in can. 11. ubi vetustos
661 canones confirmat, quod Stephanus contra Cyprianum & Carthaginensem Synodum decrevit, non confirmat; sed quod Cyprianus & Carthaginensis Synodus contra Stephanum statuerunt, confirmat hoc modo: *Præterea vero & à Cypriano, qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus & Martyr, & Synodo quæ sub ipso fuit, emissum canonem, qui in prædictis Præsulum locis secundum consuetudinem eis traditam servatus est* (obsignamus.). Hac in materia Synodi Quinisextæ Patres Stephano Cyprianum tacite anteponunt.

XLIV. Venerabilis Beda in libro de sex ætatibus mundi, Stephanum & Cyprianum aliter atque aliter appellat. *Hac*, inquit, *persecutione* (Valeriani) *Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cujus doctissima scripta extant, martyrio coronatur.* Et paullo post: *Stephanus & Xystus, Romani Episcopi martyrium passi.* Cypriani scripta laudat, eaque vocat doctissima. Decretum Stephani, vel exaratas ab eo de non rebaptizandis hæreticis epistolas non laudat: Tantum abest ut nominet doctissimas, vel eis insignem aliquem vindicatæ religionis titulum attribuat.

XLV. In Ephemeride, quæ est apud Bedam, ingens Stephanum inter & Cyprianum discrimen statuitur. In mense Augusto:

Nonarum Stephanus, Martyrque & Papa beatus.

In mense Sept.

Corneliusque suam virtute & sanguine Romam
Antistes fulcit, & Cypriano læta coruscat
Carthago insigni Doctore & Martyre, totum 662
Ecclesia scribunt cujus sacra dicta per orbem.

Insignis Doctor non dicitur Stephanus, sed Cyprianus, cujus dicta totum per orbem ab Ecclesiis prædicantur. De Stephani dictis seu epistolis tacetur.

Porro, in Ephemeride apud Bedam, dixi, quia num Beda sit auctor illius, nonnihil dubito. Nam Ephemeridis dies pleni sunt omnes, & pleni non sunt dies omnes Martyrologii, quod certissime conscripsit. Martyrologium ab Usuardo, non Ephemeris laudatur.

XLVI. Alcuinus Stephano Papæ locum in suis poematibus nullum tribuit, sed aliquem Cypriano tribuit in poemate CCLII.

Scriptor Evangelicus servet hanc Matthæus artem,
Cornelius Præsul, Romana & Martyr in arce,
Et decus Afrorum Cyprianus Martyr & ille.

XLVII. Theodulfus Aurelianensis Episcopus in carminum libro IV. multorum Patrum laudes persequitur. Sed inter eos Stephanus Papa non eminet, Cyprianus eminet.

Namque ego suetus eram hos libros legisse frequenter,
Extitit ille mihi nocte dieque labor.
Sæpe & Gregorium, Augustinum perlege sæpe,
Et dicta Hilarii, seu tua, Papa Leo.
Hieronymum, Ambrosium, Isidorum fulvo ore Joannem,
Inclyte seu Martyr te Cypriane pater.

XLVIII. Imperante Carolo Magno, Cypriani reliquiæ translatæ sunt Carthagine in Gallias, & Lug- 663
duni summa cum veneratione & cultu susceptæ. Id testatur Ado Viennensis in Martyrologio XVI. Calend. Augusti. *Horum*, inquit, (Martyrum Scyllitanorum) *reliquiæ cum ossibus beati Cypriani, & capite sancti Pantaleonis Martyris ex Africa in Gallias translata venerantur Lugduni in basilica beatissimi Joannis Baptistæ.* Tum ad XVIII. Calen. Octobris: *Post multa vero curricula annorum gloriosissimo Carolo Francis imperante contigit legationem Francorum ferentibus, illustres ac sapientia circumspectos legatos transitum per Africam fecisse. Hi cum Carthaginem dirutam & loca venerabilia sanctorum Martyrum, revertentes à Rege Persarum*

Aaron;

Aaron, qui, excepta India, totum pene tenebat Orientem, vidissent facile sibi conciliato Principe ac favorem in re tali præstante pro magno munere rogaverunt, ut ossa beati Cypriani eis ferenda permitteret. Quod ille non magni ducens, continuo postulatu concessit, utpote pio Imperatori, cujus gratiam omnium, qui in toto terrarum orbe erant, Regum ac Principum amicitiæ præponeret, ipsi ea ferrent libenter assensit. Cumque venerabiles legati ingentia dona, Martyrum scilicet reliquias ferentes (nam beati Sperati Martyris membra, qui unus fuit ex XII. illis præclarissimis Martyribus Scyllitanis; caput etiam Martyris gloriosi Pantaleonis secum, cum beatis ossibus Cypriani habebant) reverterentur, prosperis usi velis tandem pervenerunt Arelatem, ubi sacra Mar-
664 *tyrum membra signatis interim relinquentes, legationem suam glorioso Imperatori renuntiare festinarunt, & ut animum Regis amplius sibi de legatione strenue perfecta conciliarent, inter alia de Sanctorum reliquiis ab Africa deportatis ejus animos attollunt. Unde ille plurimum lætus eas tandem apud Arelatem digna veneratione reservari jussit, donec ipse magno aliquo opere in regno suo templum conderet, ubi tam pretiosum pignus ingenti cultu & ornatu reponeret; sed ejus cogentibus causis, dum opus tardius construitur, occasionem nactus Leidradus venerabilis Lugdunensis Episcopus gloriosum Imperatorem rogavit, ut civitatem suam deferre beata ossa Martyrum ei liceret. Annuit Imperator; sed & iisdem ocyus votum suum prius perficit, cum honore infra civitatem Lugduni deportata sunt, ibique in majori Ecclesia beati Joannis Baptistæ & sancti Martyris Stephani aliquanto tempore custodita, & ad defensionem civium, Deo id misericorditer operante, & Imperatore jam votum suum de ædificatione templi in longe alia transferente, sanctus Episcopus beatissimas reliquias gloriosorum Martyrum in prædicta Ecclesia post venerabile & sacrum altare decentissima sepultura recondidit, ac posteris civibus suis profutura honorabiliter commendavit. Sed post interposito tempore, regnante glorioso Carolo Rege Ludovici Imperatoris filio, iterum reliquiæ beati Cypriani ad Monasterium novum, quod idem Rex augusto opere construxit, in Compendio palatio suo eo jubente transla-*
665 *tæ sunt.* At Stephani Papæ reliquiæ nusquam Roma translatæ sunt alio, & ob id celebri veneratione cohonestatæ.

XLIX. Agobardus Lugdunensis Episcopus reliquiarum translationem carmine cecinit, ex quo nonnullos versus juvat excerpere.

Hic dum basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt veranda templi,
Cernunt, ut sua, Cypriane Martyr,
Servaret loculus neglectus ossa.

Infrà:

Illic (Arelate) *eximias opes ovanti*
Deponunt animo, stupente portu
Terrenas solitos patere fluctus
Cælestes subito subisse gazas.
Quod mox comperit optimus Sacerdos
Lugduni placidam tenens cathedram,
Solerti studii calore flagrans,
Intentusque sacris rebus ubique
Leidradus, prece supplici serenum
Regem postulat, impetratque raptim,
Ut rite sacra Martyrum piorum
Nostris manibus ossa conderentur.
Et nunc ad placidam Joannis aram
Qui Christum vitrea aspergit unda,
Dignis cultibus & honore claro
Florens, inclyte Cypriane, dormis.

Infra, de Cypriani lingua:

Hanc Christus jugiter benignus audit
Vel sacro populos stilo excitantem
Hæresesque pravas, falsosque deos
Verbi fulmine funditus cremantem.
Hanc & pro populo & patrono nostro
Semper quæsumus audias rogantem, 666
Pastorem foveat, gregem propaget,
Det munus fidei Deus salutis.
O doctor sacer, ô beate martyr,
Serva Pontificem pius Agobardum,
Qui nomen, meritum, tuumque festum
Dictis extulit, & honore compsit.

Quis unquam talia de Stephano cecinit? Quis illius proinde ut Cypriani festum instituit, & aliquo carmine cohonestavit? Igitur Cyprianus pluris quam Stephanus in Ecclesia habitus est. Quod lemma præcipuum mihi sumpsi.

L. Hincmarus Remensis Episcopus in libro de Prædestinatione capite III. Stephanum & Cyprianum aliter atque aliter laudat. *Scimus*, inquit, *sanctum Cyprianum aliter de hæreticorum baptismo sensisse, quam sanctus Stephanus Romanæ Ecclesiæ Pontifex senserit, & nunc sancta Ecclesia teneat? Tamen inter Catholicos computari Doctores.* Iterum in cap. XXV. *Cyprianus quoque Doctor mirificus & Martyr magnificus in libro de oratione dominica*, &c. Cyprianum mirificum Doctorem appellat. Stephanum non appellat. Cæterum cum ait, *nunc sancta tenet Ecclesia* quod de baptismo sensit Stephanus, Stephani decretum haud legisse se significat. Fortassis opinione vulgi raptus est in errorem, qui veritati nocere minime debet: Non enim quod de baptismo hæreticorum sensit Stephanus, sed quod Arelatensis synodus prima, & secutus hanc synodum Gregorius I. senserunt, nunc sancta tenet, & ævo Hincmari tenuit Ecclesia.

LI. Anastasius sedis Apostolicæ bibliothecarius in 667
vita Stephani Papæ aliarum ejus constitutionum meminit: Sed non meminit illius, quæ ad hæreticorum baptismum pertinet. Decretum istud omnino silet, quasi qui Romæ scribunt, illud eloqui non auderent, vel etiam erubescerent. Anastasium imitatus esset Hincmarus, si tam probe novisset decretum Stephani, quam probe noverat Anastasius Hincmari æqualis, & rerum à Romanis Pontificibus gestarum peritior.

LII. Calendarium quod sub Romani nomine Joannes Fronto Cœnobii S. Genovefæ Paris. Cancellarius, juris publici fecit. In eo ponitur die XXIX. Junii: *Natale Apostolorum Petri & Pauli.* Deinde ponitur: *Hebdomada* I. II. III. IV. V. *&* VI. *post natale Apostolorum.* Sic die XIV. Septembris ponitur: *Natale sanctorum Cornelii Pont. & Cypriani.* Et continuo subjungitur: *Hebdomada* I, II, III, IV, V. *&* VI, *post natale S. Cypriani.* Sed non ponitur: Hebdomada post natale SS. Cornelii & Cypriani, vel post natale S. Cornelii; vel multo minus suo loco ponitur: Hebdomada post natale S. Stephani Papæ & Martyris. Hæc autem si considerentur attentius, majoris apud Romanam Ecclesiam pro Cypriano, quam pro Stephano vel etiam Cornelio existimationis testimonium important.

LIII. Quod hoc in Calendario extat, hoc ipsum reperitur in Remensis Ecclesiæ codice MS. cujus argentei sunt characteres, nobilissimæ vetustatis indices. Ut post festum Apostolorum Petri & Pauli
Dominica I, II, III, IV, V, & VI, notantur, sic 668
& post sancti Cypriani festum Dominicæ quæ sequuntur usque ad festum sancti Andreæ Apostoli, notantur I, II, III, IV, V, & VI, post festum sancti Cypriani. Cyprianus hac in parte Petro & Paulo æquatur, & Stephano, cui simile nihil adscribitur, superior est. Sic non tantum Romæ, sed etiam Remis Cyprianus majoris quam Stephanus æstimatur.

LIV. Ro-

LIV. Romana Ecclesia in veteribus Litaniis, quas Romanus ordo continet, Cyprianum invocat, Stephanum non invocat. *Sancte Line, S. Clete, S. Clemens, S. Sixte, S. Corneli, S. Cypriane, ora pro nobis.*

LV. Romanam Ecclesiam plures sequuntur Galliarum Ecclesiæ, in quibus similes Litaniæ decantantur.

Lugdunensis in Rituali libro, qui anno M.D.XLII. & M.D.LXII.

Lingonensis in Rituali libro, qui anno M.D.LXIII.

Viennensis in Rituali libro, qui anno M.D.

Turonensis in Rituali libro, qui anno M.D.LXX.

Nannetensis in Rituali libro, qui anno M.D.LX.

Bituricensis in Rituali libro, qui anno M.D.LXIX. & M.D.LXXXVIII.

Aniciensis in Rituali libro, qui anno M.D.XXVII.

Lemovicensis in Rituali libro, qui anno M.D.LV.

669 Burdegalensis in Rituali libro, qui anno M.D.LXI.

Pictaviensis, Lucionensis, & Malleacensis in Rituali libro, qui anno M.D.LXXXIII. & M.D.XCIII.

Mimatensis in Rituali libro, qui anno M.D.XXX.

Uticensis in Rituali libro, qui anno M.D.

Magalonensis in Rituali libro, qui ann. M.D.XXXIII.

Aquisextiensis in Rituali libro, qui ann. M.D.LXVII.

Meldensis in Rituali libro, qui anno M.D.XL.

Suessionensis in Rituali libro, qui anno M.D.XXXV.

Bellovacensis in Rituali libro, qui anno M.D.XLIV.

Noviomensis in Rituali libro, qui anno M.D.LX.

Atrebatensis in Rituali libro, qui anno M.D.LXVII.

Metensis in Rituali libro, qui anno M.D.XLII. & M.DC.V. editus est.

Cameracensis in Rituali libro MS.

Atqui hæ sunt illustriores in Galliis Ecclesiæ Romanum ordinem eo secutæ modo quem supra exhibuimus. In recentioribus Romanæ Ecclesiæ Litaniis, ut Stephanus, sic & Cornelius & Cyprianus prætermittuntur. Quo autem id factum fuerit consilio, me latet: Ne fortassis ex hoc precum genere Cyprianus pluris quam Stephanus æstimatus judicare-
670 tur. Sed frustra; quia Cyprianus in Missæ canone remansit: Quidquid id est, privatorum quorumdam hominum sententia, non publico sedis Apostolicæ judicio, cui resistendum non esset, accidisse credimus. Exinde quod argumentum ex veteribus Romani ordinis & conspirantium cum illo tot Ecclesiarum Litaniis ducitur, aut duci potest, vim ac robur non amittit.

LVI. Notkerus Monachus Monasterii sancti Galli in martyrologio suo IV. Nonas Augusti, breviarium vitæ sancti Stephani Papæ & Martyris conficit, in quo variarum illius constitutionum meminit, & plures ab eo baptizatos fuisse dicit. Sed ne verbo quidem attingit constitutionem, quo ne quis à quacumque hæresi veniens ad Ecclesiam baptizetur, vetuit, id traditioni tribuens, & confirmans exemplo hæreticorum, qui licet ab una secta transirent ad aliam, se se non rebaptizabant: Notkerus, inquam, ne verbo quidem decretum hoc attingit, quia post Stephani migrationem ab Romana Ecclesia vindicatum fuisse non compererat.

LVII. Petrus Damianus Ostiensis Episcopus & Cardinalis, de Stephano Papa & Martyre sermonem habet sat longum; sed enim minime laudat ab eo certamine, quod cum Cypriano de hæreticorum baptismate instituit: Non laudat ab ea sanctione, qua ne à quacumque hæresi ad Ecclesiam venientes rebaptizentur, vetuit, & sequendum ea in re hæreticorum se invicem non rebaptizantium exemplum proposuit. Atque ex hoc vel uno capite apparet,
671 quanto Romæ in neglectu erat decretum, quod Stephanus de non rebaptizandis quibuscumque hæreticis ediderat.

LVIII. Leo IX. ut adversus Gummitanum Episcopum Carthaginiensis Metropolitani jura tueatur, Concilium quod Cyprianus habuit, usurpat in Epistola IV. ad Joannem & Petrum Episcopos. *Adversus Gummitanum Episcopum dignitatem Carthaginensis Ecclesiæ defendistis, quia sine dubio post Romanum Pontificem primus Archiepiscopus & totius Africæ maximus Metropolitanus est Carthaginensis Episcopus, sive deserta jaceat Carthago, sive resurgat gloriosa aliquando. Hoc ex Concilio beati Martyris Cypriani, hoc ex Synodo Aurelii, hoc ex omnibus Africanis Conciliis . . . aperte monstratur.* Hic Pontifex eam in confirmandis Carthaginensis Ecclesiæ juribus diligentiam adhibet, ut argumentum ex præfatione Concilii, cui beatus Cyprianus præfuit, repetere non dubitet: Adeo non istam execretur præfationem, ut eam Joannes cognomento David, auctor recentior nuper execratus est.

LIX. Paschalis II. in Epistola IX. ad Pontium Cluniacensem Abbatem: *Scribens*, inquit, *ad Cæcilium beatus Cyprianus ait: Quando*, &c. *Igitur in sumendo corpore & sanguine Domini juxta eundem Cyprianum Dominica traditio servetur.* At neque Paschalis, neque illius decessor, aut illius successor edixit unquam, ut Stephani Papæ decretum, quale à Cypriano recensetur, in auctoritatem admittatur, aut memorata in eo traditio servetur.

LX. Ordericus Vitalis in Ecclesiasticæ historiæ 672
libro I. Cypriani scripta laudat; Stephani vero scripta vel decreta non laudat. *Hac*, inquit, *persecutione* (Valeriani & Gallieni) *Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cujus doctissima extant opuscula, martyrio coronatur.* Et paullo post: *Stephanus & Xistus Episcopi Romæ passi sunt.*

LXI. Lucius III. in libri V. decret. tit. XXXII. de novi operis nunciatione: *Lucius III. Paduano Episcopo. Intelleximus ex literis tuis, quod cum causa vertitur in Priorem sancti Cypriani & Clericos de Rodigio super Capella*, &c. Fuisse Paduæ monasterium S. Cypriano dedicatum colligitur ex hoc titulo, quem Gregorius nonus confirmat: Sed nusquam, quod appareat, sancto Stephano Papæ monasterium in Italia consecratum est.

LXII. Beati Isidori Breviarium, quod Toleti anno M.D.II. in lucem prodiit, hymnum de S. Stephano Papa non habet; sed de S. Cypriano habet, & ille est hujusmodi.

O decus orbis, ô doctor unice veritatis magister,
Catholica Catholicorum dotator Ecclesia,

Cypriane Martyr sanctissime, qui Christum & voce prædicando, & sanguine & lingua amœnus, & passione monstraris esse conspicuus. Dumque doces, agis; & quæ agis, posteris docendo derelinquis: In utroque admirabilis & præclarus. Dum & Doctor mirificus & Martyr agnosceris gloriosus: Dum & doctrina clarus in sæculo, & de effuso sanguine lætaris in cœlo: Te quæsumus, te rogamus, rege, fove, instrue nos, tuis semper suffragiis pariter & doctrinis imbue ore nescios, preci- 673
bus tuere infirmos, verbis doce, quod agere debent meritis obtine, quo possimus intrare illic; riga ignorantiam verbis; hic continuis fragilitatem nostram foveto suffragiis, ut per Deum unum in Trinitate perfecta, quam tu & doctrina prædicasti & sanguine, nos & dictorum tuorum fructus hic libentius hauriamus, & meritorum tuorum gaudiis post transitum juvamur per ipsum qui nos docuit, amen dicere, Pater noster.

Oratio. Christus Dominus, qui beatissimum Cyprianum Ecclesiæ tuæ præsulem, quem doctrina magisterio clarum, & martyrio fecit esse conspicuum, impleat vos, & gratia sanctæ doctrinæ, & amoris tui opulentia & dulcedine. Amen.

Amen. R. Ut & in verbis Martyris correptionem vitæ integram assumatis, & in exemplis ejus adipiscamini, quod vos hæredes efficiat in cælestibus regnis. Amen. R. Quo & per ejus doctrinam peccatorum à vobis rubigo effugiat, & per ejus suffragia vita vobis commendetur æterna. At de Stephano Papa & Martyre hymnus talis nullus unquam compositus, aut decantatus fuit. Porro in privata Breviarii hujus rubrica ponitur: *Jejunium observatur tribus diebus ante festum S. Cypriani.* At jejunium istud licet, opinor, sit quatuor temporum; id tamen certæ cuidam beati Cypriani gloriæ vertitur, quod jejunium quatuor temporum ita notetur, cum alias ita notari potuerit: *Jejunium observatur tribus diebus*
674 *ante festum sanctorum Cornelii & Cypriani.* Quod factum non est, cum in rubrica Cornelii nomen suppressum sit. Porro Breviarium dicitur *Musarabicum*, & *secundum regulas beati Isidori* inscribitur, Francisci Card. Ximenii opera & studio impressum.

LXIII. Quanti vero Cyprianus ineunte sæculo posteriori fuerit, nos docet Leo X. in Constitutione, qua Lutheri propositiones proscripsit. *Sanctorum*, inquit, *Patrum declarationibus, Conciliorum quoque & summorum Pontificum ordinationibus, seu canonibus non obtemperare, omnium hæresum & schismatum, teste Cypriano, fomes & causa semper fuit.* Hæc uti jacent, apud Cyprianum non extant; sed fecit viri tanti celebritas, ut ei potius quam ulli decessorum, puta Stephano Papæ & Martyri, illa tribueret, quæ Cyprianus nusquam dixit.

LXIV. In vetere Breviario Rom. quod Venetiis anno M.CCCCLXXVII. & Parisiis anno M.D.XLIII. editum est, de Stephano Papa & Martyre lectiones sunt numero sex, & ibi quos baptizaverit, quæ docuerit, & quæ decreverit, narrantur. Sed inter ea omnia decretum de non rebaptizandis hæreticis omnino siletur. De Cypriano lectiones sunt quoque numero sex, in quibus & Cypriani martyrium, & reliquiæ illius in Galliam translatæ celebrantur.

LXV. In Ambrosiano Missali, quod anno M.XLVIII. typis mandatum est, fit tantum Stephani Papæ & Martyris commemoratio. Cornelii & Cypriani festum semiduplex est, in quo præfatio hæc habetur: *Æterne Deus, tuamque in sanctorum tuorum Cornelii*
675 *simul & Cypriani festivitate prædicare virtutem, quos dispersis terrarum partibus greges sacros divino pane pascentes una fide eademque die pari nominis tui confessione coronasti. Per Christum* Præfatio hæc, ut jam vidimus, ex pristina Ecclesiæ traditione descendit; quo tempore Stephani decretum, prout tale, defensores nullos habuit, & Cypriani fama orbem totum impleverat.

LXVI. Mediolanenses Stephano Papæ & Martyri basilicam nullam erexerunt; Cypriano Carthaginensi Episcopo basilicam erexerunt: Basilica hæc antiquæ & egregiæ pietatis opus est.

LXVII. In Romano Breviario, quod Clementis VIII. primum, deinde Urbani VIII. auctoritate recognitum est, decretum quidem de non rebaptizandis hæreticis refertur, sed non tale, quale ab Stephano conditum est. Sic autem refertur in lectione II. *Baptizatos ab hæreticis iterum baptizari vetuit, rescribens sancto Cypriano verbis illis: Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* At Stephani decretum aliter prorsus se habet in rescripto ad Cyprianum. Est autem hujusmodi: *Si quis ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* At quantum decretum hoc quod à Cypriano refertur, & illud quod in Breviario legitur, distent inter se, mutua nos docet contentio.

676 I. Stephani decretum, quod est in Breviario, sic verbis concipitur affirmantibus, ut ad negantia inflecti non possit: Stephani decretum, quod est apud Cyprianum, contrario modo se habet. Sic enim formatur, ut sit reipsa & sensu negans, etiamsi oratione tenus affirmans esse videatur.

II. Stephani decretum, quod est in Breviario, distinctionem facile admittit, nimirum baptizatos ab hæreticis hac & non illa forma iterum baptizari vetuit: Stephani decretum, quod est apud Cyprianum, distinctionem nullam admittit; verba hæc *à quacumque hæresi*, quia hæresim nullam excipiunt, & omnem omnino includunt, distinctioni locum nullum præbent.

III. Stephani decretum quod est in Breviario, habito respectu ad hæreticorum hujus temporis baptismum, qui in nomine Trinitatis confertur, efformatum est: Stephani decretum, quod est apud Cyprianum, habito respectu ad baptismum, qui & Stephani tempore, & superiori ævo varia & absurda forma dabatur ab hæreticis, efformatum est.

IV. Stephani decretum, quod est in Breviario, hæreticorum se invicem non rebaptizantium exemplo minime confirmatur: Stephani decretum, quod est apud Cyprianum, hæreticorum se invicem non rebaptizantium exemplo confirmatur.

V. Decreti confirmatio, quæ est apud Cyprianum, rem ita circumscribit, ut decretum quod est in Breviario, funditus evertat, & ut alienum à vero Stephani decreto procul abjiciat: Nam decretum, quod 677
est in Breviario, exceptionem pati potest. Decreti confirmatio, quæ est apud Cyprianum, ex hæreticorum moribus quæsita, exceptionem pati non potest.

VI. Romani Breviarii correctores cum Stephani decretum interpolatum mutilum & decurtatum repræsentant in Breviario, palam ostendunt Stephani decretum, quale ab eo editum, purum putum defendi non posse: Et necessaria consecutione firmari Cypriani ad Jubaianum & ad Pompeium, & Firmiliani ad Cyprianum epistolas, quibus relatum à Cypriano & Firmiliano Stephani decretum impugnatur & subvertitur.

LXVIII. In vetere Romano Breviario describebatur Cypriani martyrium; sed in hodierno sublatum est martyrium, & in ejus locum suffecta una lectio, quæ ex beati Hieronymi Catalogo virorum illustrium sic desumitur: *Cyprianus Afer primum gloriose Rhetoricam docuit*, & cætera quæ supra numero XVII. relata sunt. At ex eodem Hieronymi Catalogo nulla repeti potest de sancto Stephano Papa lectio, quia Hieronymus ibi epistolarum Stephani non meminit.

LXIX. Baronius in notis ad martyrologium XVIII. Calend. Octobris dicit: *Legi in antiquo Breviario Toletano hymnum, quo Cypriani martyrium egregie descriptum canitur. Est ejus exordium: Orbis magister Thascie, &c.* Per *&c*, supprimit quæ sequuntur: *Tu Cypriane Pontifex, fax luminosa & efficax, verbo do-* 678
cens & sanguine, ô doctor orbis, ô doctor unice, veritatis magister. Sed non dicit, in eo vel alio Breviario legisse se hymnum, quo Stephani martyrium egregie descriptum canatur, & cujus esset exordium: *Orbis magister Stephane, tu Stephane Pontifex, fax luminosa & efficax, verbo docens & sanguine, ô doctor orbis, ô doctor unice, veritatis magister.* At quantum sit illud elogium, quo Toletana Ecclesia Cyprianum decorare voluit, cogitari quidem posset; sed pro dignitate verbis exprimi non posset.

LXX. Hodiernum Romanum Martyrologium de beato Stephano sic loquitur, IV. Nonas Augusti: *Romæ in cœmeterio Callisti natalis Sancti Stephani Papæ & Martyris, qui in persecutione Valeriani, dum Missæ sacrum perageret, supervenientibus militibus ante altare intrepidus & immobilis cœpta mysteria perficiens, in sede sua decollatus est.* De beato Cypriano sic, XVIII.

Calendas Octobris: *In Africa passio Sancti Cypriani Episcopi Carthaginensis, sanctitate & doctrina clarissimi, qui sub Valeriano & Galieno Principibus post durum exilium detruncatione capitis martyrium consummavit sexto milliario à Carthagine juxta mare.* A doctrina non laudatur Stephanus sed Cyprianus laudatur: Et tamen multo magis laudandus esset Stephanus, si quod Baronius tradit in notis ad illum diem, certissima id veritate niteretur. *Ejus*, inquit, *celeberrima & ad-*
679 *miranda plane gesta, cum adversante orbe fere toto de baptismate hæreticorum tutatus est majorum traditionem, digessimus in annalibus Ecclesiasticis.* At in Stephani gestis, quæ ibi digessit, nulla est rei tantæ mentio: Tantum abest ut in gestis ejusmodi dicatur Stephanus, adversante orbe fere toto, majorum traditionem tutatus esse. Sic, quod dicit Baronius, non diceret, si gestorum, quæ ut celeberrima & plane admiranda venditat, recordaretur. Deindu (ad hominem disputo) si tutatus esset majorum traditionem Stephanus, cur Romani Breviarii correctores non retulerunt Stephani decretum quale ab eo conditum est, & quale in Ecclesiasticis annalibus refertur? Hic aqua hærebit. Cur iidem correctores Stephani decretum interpolatum mutilum & decurtatum repræsentando, ut mox vidimus, in laqueos inextricabiles inciderunt? Cur Gregorius magnus Iberorum consultationi respondens, Stephani decretum probando non fecit suum? Cur idem Gregorius distinguit, ubi Stephanus non distinxit? Cur idem adhuc Gregorius ad Arelatensis Synodi primæ potius, quam ad Stephani constitutionis formam exprimit responsionem suam? Profecto Baronius cum falsis recentiorum curiæ doctorum præjudiciis occupatus Stephani Papæ honori & famæ velificari voluit, prorsus neglexit leges historiæ, & prodidit se in Ecclesiasticæ quæstionis cognitione hospitem & peregrinum omnino fuisse. Id mecum fatebuntur omnes, qui ad primam epistolæ hujus partem nonnihil attendent.
680 Baronii calamus hac in re calamus est hominis velociter scribentis.

LXXI. Romana Ecclesia Cypriani, quam Stephani festum agit solennius. Id in Breviarii Calendario notatur IV. Nonas Augusti. *Stephani Papæ & Martyris.* XVII. Calend. Octobris. *Cornelii & Cypriani Pontificum & Martyrum semiduplex.* Cur ita? Nisi quod Cyprianus in Romana pluris factus est Ecclesia, quam Stephanus: Non quidem propter martyrium, quia in utroque par fuit; sed propter celebritatem martyrii in Cypriano quam in Stephano majorem, & propter exantlatos in ædificanda Dei Ecclesia labores. Ecclesia vero Dei non nisi fide, doctrina & operibus sanctis ædificatur. Quidquid id est, idonea facti ratio vix alia redderetur.

Hactenus explicatæ sunt rationes sat multæ, quibus primum apparet dici non posse de illis Stephani Papæ circa baptismum hæreticorum epistolis; quod in apologia pro Origene Ruffinus ita dicit: *Sancti Cypriani Martyris solet omne epistolarum corpus uno codice scribi.* Deinde apparet majoris Cyprianum, quam Stephanum in Ecclesia, & præsertim Romana, semper habitum fuisse. Has inter rationes, quas ducta jam inde ab utriusque excessu perpetua suppeditavit traditio, principatum tenet trigesima septima. Eam objicit Missæ canon, in quo Cyprianus prætermisso Stephano collocatur. Præstabilis est dignitas, quam consequentes anni omnes ab initio conditi canonis
681 ad nostram usque memoriam, & in oculis cunctorum hominum, atque in luce Ecclesiæ conservant. Et quandiu Missæ canon etiam unicus remanebit integer, id tandiu supererit, quo vindiciæ adversus beati Cypriani criminatores, & cum primis adversus Joannem cognomento Davidem, repetantur in perpetuum. Hic auctor de canonicis Episcoporum judiciis tractatum scripsit Gallice, in quo cum alia criminatur in sancto Doctore & Martyre, tum illud potissimum, quod *Cyprianus fundamenti Ordinis Hierarchici Ecclesiæ sit eversor, & privilegiorum Sedis Apostolicæ irrisor.* Hoc accusationis genus cum inspexi, fateor, exhorrui, & facinus detestabile aversis in sinistrum palmis abominatus sum. Hinc temperare mihi tunc non potui, quin abominationem meam in certo quodam gravium atque eruditorum hominum consessu exponerem. Hoc ille amici cujusdam symmistæ opera rescivit, & in alio postea scripto se id, quod de Cypriano pronunciaverat, vere pronunciasse confirmavit: Adeo non correxit, quod sine dubio corrigendum fuit. O confidentiam sine exemplo maximam! O licentiosam scriptionem, inultam nihilominus (proh superi) & impunitam! In qua omnes Ecclesiæ, & præsertim Romana, lethale vulnus acceperunt.

Porro autem recentiores quidam Scholastici, Albertus Pighius, Robertus Cardinalis Bellarminus, Martinus Becanus, & alii, cum ex inveniendi asserendique veri legibus diluendæ quæstioni huic Ecclesiasticæ non vacaverint, haud mirum est illos in 682
varias abiisse sententias, quæ in eo tamen conveniunt, quod omnes à Theologicæ professionis scopo longius aberrent, id est, asserant quod considerata re asserendum neutiquam fuit.

Pighius in libri VI. de Hierarchia Ecclesiastica capite XIII. *Africanum*, inquit, *Concilium illud ducentorum, & eo amplius Episcoporum, qui sub gloriosissimo Pontifice & Martyre Cypriano convenerunt longe ante Nicænam Synodum, quam ex se erat, errabat in definitione fidei, & baptizatos ab hæreticis & schismaticis ad unionem Catholicæ Ecclesiæ revertentes baptizandos censuit. Quod falsum & erroneum docet orthodoxa Christi Ecclesia. Sed definitionem suam Apostolicæ Sedis auctoritati submiserunt.* Quod ut probet, Hieronymum laudat in Dialogo adversus Luciferianos.

Bellarminus in libri IV. de Romano Pontifice capite VII. ita scribit: *Cyprianus quidem non fuit hæreticus, tum quia nec modo censentur manifeste hæretici, qui dicunt Pontificem posse errare; tum etiam quia sine dubio Stephanus Papa non definivit tanquam de fide, hæreticos non esse rebaptizandos, licet jusserit non rebaptizari, ut patet ex eo quod non excommunicavit Cyprianum, & alios contrarium sentientes. Sicut etiam è contrario Cyprianus in Concilio LXXX. Episcoporum definivit hæreticos rebaptizandos: Tamen noluit hoc haberi tanquam de fide, diserte protestans non propterea velle se separare ab iis, qui contrarium sentiebant. Neque his repugnat, quod, ut scribunt Eusebius libri VII.* 683
hist. cap. IV. & Augustinus libro de unico baptismo cap. XIV. Stephanus Papa non solum imperavit, ne rebaptizarentur ab hæreticis baptizati; sed etiam censuit excommunicandos qui non obedirent, tamen nihil illud fuit aliud quam comminatio. Constat enim ex Vincentio Lirinensi in libro de profanis vocum novitatibus, & ex Augustino locis citatis, semper conjunctos fuisse Stephanum & Cyprianum. Et per hoc etiam respondetur ad confirmationem: Fuit enim post Pontificis definitionem adhuc liberum aliter sentire, ut Augustinus dicit, quia Pontifex noluit rem ipsam de fide facere sine generali Concilio. Sed solum voluit interim servari antiquam consuetudinem.

Becanus in cap. IV. de Sacram. in communi quæstione V. *Primus error est, non esse valida Sacramenta, quæ conferantur ab hæreticis & schismaticis post eorum separationem ab unitate catholica. Ita enim decuerunt Asiatici, teste Eusebio lib. VII. hist. cap. VI. & Africani, teste Augustino libro de baptismo cap. VII. ubi etiam indicat primum auctorem hujus erroris fuisse Agrippinum Episcopum Carthaginensem sancti Cypriani prædecessorem. Hunc secutus est sanctus Cyprianus cum multis Africæ Episcopis; sic tamen ut non propterea se separaret ab unitate Ecclesiæ, ut ipse fa-*

*tetur in epistola ad Quintum, & in epistola ad Pom-
peium: Unde nunquam hereticus habitus est, imo multi*
684 *putant eum postea revocasse sententiam, ut testatur divus
Augustinus epistola* XLVIII. *ad Vincentium. Ceteros
Episcopos qui adhaeserunt Cypriano, constat errorem re-
vocasse, permotos auctoritate Stephani Rom. Pont. ut scri-
bit Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.*
Hic ante notanda sunt nonnulla quæ ad examinan-
das & una configendas auctorum trium scriptiones,
necessaria mihi videntur.

Ac primum quidem Pighius, Bellarminus, Beca-
nus quæstionem tractant, occupati non antiquis Sedis
Apostolicæ traditionibus, sed recentibus Romanæ Cu-
riæ placitis & moribus, quos Hadrianus VI. descri-
bit in mandatis à Francisco Cheregato acceptis, cum
hunc Pontifex ad Germaniæ Principes ablegavit. In
hac mentis occupatione Stephano Papæ tribuunt non
errandi privilegium, cui aptant quæcumque censent
de exorta Cyprianum inter & Stephanum de baptis-
mo hæreticorum controversia. Id verba hæc: *Afri-
canum Concilium errabat in definitione fidei, sed defini-
tionem suam Sedis Apostolicæ auctoritati submisit. Ste-
phanus Papa non definivit tanquam de fide, Cyprianus non
fuit hæreticus*; objiciunt. At ex vetustis Ecclesiæ tra-
ctatoribus neminem reperies unquam, qui quæstionem
ita proposuerit.

Deinde cum de baptismo hæreticorum disputant,
sibi tantum ante oculos constituunt hodiernos nova-
tores, qui dum se à Catholica sejunxerunt Ecclesia,
hunc in baptizando ritum scilicet, *In nomine Patris,
& Filii, & Spiritus sancti*, retinuerunt. Sed nusquam
685 sibi ante oculos constituunt varia baptismata hæreti-
corum, qui vel æquales fuerunt Stephano, vel Ste-
phanum præcesserunt. Dissimulant Irenæum, qui bap-
tismata illa etiam ad satietatem recensuit. Dissima-
lant Marcionis baptisma, quod uti justum & legiti-
mum Stephanus admisit. Dissimulant quæ Justinus,
Tertullianus, Clemens Alexandrinus de baptismo
hæreticorum arbitrantur. Dissimulant tandem Ste-
phani decretum hoc: *Si quis igitur à quacumque hæ-
resi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum
est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi
hæretici proprie alterutrum ad se venientes non bap-
tizent, sed communicent tantum.* Hæc momenta quin-
que, quæ scitu necessaria sunt ad decisionem con-
troversiæ, tam non leguntur apud Pighium, Bellar-
minum, & Becanum, quam non leguntur apud Ho-
merum, aut Virgilium.

Tum dissimulant, vel potius non probe norunt,
Hieronymum ætate provectiorem tribus in locis ta-
cite revocasse, quæ de baptismo hæreticorum in Di-
alogo contra Luciferianos junior scripserat. Hic
tria illa loca non refero, quia ante num. XVII.
relata sunt. In iis deposita priori sententia in con-
trariam illi transivit sententiam, & relicto Stephano
ad Cyprianum accessit. Quo fit, ut quæ Hieronymus
de baptismo hæreticorum docet in Dialogo, hæc
non possint illi amplius nisi per summam injuriam attri-
bui: ἀνάγνω nimirum δευτέρας φροντίδας, quas Pighius,
Bellarminus, Becanus, & horum exscriptores nosse
686 debuerunt. Expectanda igitur lux non est ab iis, qui
in tenebris, id est, in rei cognitu necessariæ igno-
ratione versantur. Versari se demonstrant sat perspi-
cue, cum quæ scienda sunt ab initio, ut ita dicam,
nesciant, & quæ sunt evolvenda diligentius, pertinaci
silentio convolvant. In summa hoc deerat unum
Pighii, Bellarmini & Becani negligentiæ & ἀνεπιστασίᾳ,
ut multa ex Dialogo Hieronymi contra Luciferianos
Hieronymo tribuerint, quæ post secundas cogitatio-
nes, lectum Arelatensis Concilii I. canonem VIII.
& evolutam Basilii ad Amphilochium Epistolam ca-
nonicam, tribui jure non poterant amplius.

Denique, quod vix crederes, cum materiæ pro-
pius insistunt, ipsis nescientibus cum Cypriano ma-
gis, quam cum Stephano conveniunt. Cyprianus
hæretici cujuscumque baptismum simpliciter & ab-
solute rejicit: Pighius, Bellarminus & Becanus hæ-
retici cujuscumque baptismum rejiciunt, præter il-
lum, qui in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti
confertur; Stephanus vero hæretici cujuscunque bap-
tismum simpliciter & absolute recipit. Auctores
illi tres hæretici cujuscunque baptismum minime
recipiunt, quia non alium baptismum recipiunt,
quam qui confertur in nomine Patris & Filii &
Spiritus sancti. Quo autem tempore mutua Cy-
prianum inter & Stephanum exarsit contentio, hæ-
retici nulli vel certe pauci baptizabant in nomine
Patris & Filii & Spiritus sancti, ut videre est a-
pud Irenæum in libri I. contra hæreses capite XVIII.
His autem ita constitutis auctores nostri, nisi ma- 687
gis, certe non minus cum Cypriano, quam cum
Stephano conveniunt, etiamsi hoc sic se habere non
existiment. Testantur hinc rem de qua agitur, nec
ad plenum & perfectum se comprehendere; Inde
veterum hæreticorum instituta baptizandi recentium
hæreticorum institutis baptizandi minus conside-
rate metiri. Quæ perversa est & discendi & do-
cendi ratio.

Hæc generatim in aversione sint notata & ani-
madversa: Nunc alia σφάλματα singillatim persequor,
quæ in relatis auctorum trium testimoniis facile de-
prehenduntur.

I. Pighius dicit Africanum Concilium fuisse du-
centorum & eo amplius Episcoporum; Bellarminus
vero ait Africanum Concilium fuisse Episcoporum
LXXX. Uterque fallitur; ille magis, hic minus. Con-
cilium fuit Episcoporum LXXXVII. quorum totidem
extant sententiæ.

II. Quo sensu Pighius Africanum Concilium de-
finitionem suam Sedis Apostolicæ auctoritati submisisse
scribit, non submisit. Et quia Bellarminus & Becanus
istud non scribunt, hac in parte minus quam Pighius
falluntur.

III. Becanus non omnes refert, qui Stephano resti-
terunt: Nam præter Asiaticos & Africanos quorum
memini, restiterunt alii; & potissimum Dionysius
Alexandrinus, vir magni nominis restitit: atque ita
historiam quæstionis Ecclesiasticæ, cui solvendæ va-
cat, haud perfecte callnit.

IV. Bellarminus non legit unquam Stephani decre- 688
tum, cujusmodi mox relatum est: Vel si quando le-
git, legisse se non meminit, cum semel atque ite-
rum ita scripsit. Semel: *Sine dubio Stephanus Papa
non definivit tanquam de fide.* Iterum: *Pontifex noluit
rem ipsam de fide facere sine Concilio generali.* Inju-
riam facit non mediocrem Stephano Papæ, cum id
hoc modo proponit: quasi vero potuisset recte sta-
tuere, ut id quod decrevit, fide divina crederetur,
scilicet baptizandum non esse à quacumque hæresi
venientem ab illis hæresibus, quarum baptismata Ire-
næus in libri I. contra hæreses capite XVIII. de-
scribit? Ubi Scriptura, ubi traditio, quibus fidei
articulus inniteretur? Profecto nescire me fateor,
qui res animis & auribus tam absurda Bellarmino
in mentem venire potuerit, nisi fortassis ut obiter
non errandi privilegium etiam in materia rei non
apta lectoribus suis instillet: Sed vir cautus in aere
piscatur, & in medio mari jaculo venatur.

V. Bellarminus cum ait: *Pontifex noluit rem ipsam
de fide facere sine Concilio generali*; ariolorum &
vatum artem exercet. Stephani Epistolas duas, u-
nam ad Cyprianum, alteram ad Orientales Episco-
pos, missas non vidit. Deinde qui has viderunt Cy-
prianus, & Firmilianus, & iis responderunt, id vi-
disse se non memorant, & ambo penitus silent de
Concilio generali, quod habiturus esset Stephanus, ut
rem de fide faceret. Augustinus quidem controver-
siæ hujus decisionem ad generale sæpius remisit Con- 689
cilium

cilium, sed id fecisse vel semel Stephanum nunquam dicit. Quorsum, quæso, hic neglectus historiæ? Quorsum technæ tam inutiles, cum simplex prodenda est veritas?

VI. Bellarminus Stephanum non excommunicasse Cyprianum, id est, non sejunxisse se à Cypriani communione, vix potuisset scribere, si perlegisset Firmiliani ad Cyprianum Epistolam, in qua Stephanus Cyprianum appellat *pseudochristum, pseudoapostolum & dolosum operarium.* Quæ amabo vos Stephani communio cum illo, quem *pseudochristum, pseudoapostolum & dolosum operarium* esse judicat? Majus non est excommunicationis indicium.

VII. Becanus, si Augustini Epistolam XLVIII. ad Vincentium legisset, in duobus potuisset proficere, & primum quidem didicisset, *fuisse qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contenderint, sed sub ejus nomine à præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum.* Sed isti non minus falluntur, quam qui eodem in loco affirmant, *Cyprianum suam correxisse sententiam.* Deinde didicisset Augustinum neutrum in se recipere. Hinc dicit: *Nos non negamus illud sensisse Cyprianum, quod & stylus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci.* Inde subjicit, quod *si quid in eo fuerat emendandum, purgavit falce passionis.*

VIII. Scribit *Episcopos qui adhæserunt Cypriano, errorem revocasse, permotos auctoritate Stephani Rom. Pont. ut scribit Hieronymus in Dialogo contra Lucc-*
690 *ferianos.* Et primo quidem Becanus Hieronymi testimonio, quod ex illo Dialogo repetitur, non uteretur, si contentam ibi de baptismo hæreticorum doctrinam cum iis, quæ Hieronymus in Commentariis ad caput II. Joelis, ad caput ultimum Matthæi, & ad caput IV. Epistolæ ad Ephesios, de eodem hæreticorum baptismo disserit, perpendisset, & ea omnia inter se comparasset.

Deinde si vidisset Arelatensis Synodi primæ canonem VIII. qui sic adversus Hieronymi Dialogum præscribit: *De Afris qui propria lege utuntur, ut rebaptizent,* &c.

Tum si legisset Basilii canonicam ad Amphilochium Epistolam, in qua sic magnus ille Doctor scribit de baptismo hæreticorum. *Verumenimvero antiquis visum est, Cypriano, inquam, & nostro Firmiliano hos omnes* (hæreticos) *uni calculo subjicere puros Encratitas Hydroparastatas.*

Hinc si observasset Augustinum Donatistis auctoritatem Cypriani toties objicientibus respondisse nunquam, Cyprianum suam revocasse sententiam, ac proinde eos operam & oleum perdere, cum Cypriani auctoritatem objiciunt: Id autem si verum esset, facile respondisset, & sese ab importunissimis hostibus prudenter liberasset: Hæc responsio ad stylum decretorium accessisset.

Denique si qui Cypriano adhæserunt Antistites, *permoti auctoritate Stephani,* suam revocassent sententiam, decretum Stephani continuo amplexi fuissent, suum illud probando fecissent. Marcionis cum Stephano admisissent baptismum, quem Cyprianus tot
691 tantisque rationum molibus oppressit, ut supra vidimus. Marci præstigiatoris admisissent baptismum, quem Theodoretus in libri I. de fabulis hæreticis capite IX. ita depingit. *Tingentes* (Marci sectatores) *quos decipiunt, dicere solent: In nomine ignoti Patris universorum, in veritatem matrem omnium, & in Jesum qui descendit ad unionem & redemptionem communionemque potestatum. Admiscent & nomina Hebraica ad terrorem eorum, qui initiantur.* Illorum, qui κατάφρυγες appellantur, admisissent baptismum, quem Firmilianus tam horride repræsentat in Epistola ad Cyprianum, ut supra quoque vidimus. Admisissent illa baptismata omnia, quæ Irenæus in libri I. contra hæreses capite XVIII. memoriæ prodidit. Hæc autem nisi Becanus possit concoquere, devoret necesse est, si stomachus satis habeat virium. In has Syrtes compellendi sunt & angustias, qui ab æquitatis campo deflectunt.

IX. Becanus post Bellarminum, ut Cypriani famæ & honori consulat, & adulatrici curiæ faveat opinionis novæ subsidio, dicit: *Cyprianus non est habitus hæreticus;* quasi quæ ad variam tradendi baptismatis rationem pertinent, hæreseos materia foret. Unum esse baptisma divina fide certum est, quia id scriptura sacra & Apostolorum symbolo sancitur. At varia tradendi baptismatis forma, quæ Stephani ævo reperitur inter hæreticos, divina fide certa non est, nec certa esse potest, quia id nec scriptura sacra, nec Apostolorum symbolo sancitur.

Deinde qui à simili proponeret, Paulum habitum 692
non esse hæreticum, quod Petro in faciem restiterit, nonne oppido quam ridiculum se præberet theatris explodendum omnibus? Dolendum hoc non modo, sed erubescendum etiam est, quia non tam disputandi quam adulandi ratione seipsos reddidere dignos, qui experiantur absurdissima quæque & ultima.

Præterea si quod tractatur, hæreseos esset materia, Becanus & Bellarminus Stephanum vel ejus commilitones difficilius quam Cyprianum ab hæresi defenderent. Id planum facio. Irenæus & Tertullianus, qui ante utrumque vixere, hæresim definiunt. Ille in libri I. contra hæreses præfatione, cum ait de hæreticis: *Interpretatores mali eorum quæ bene dicta sunt effecti;* & sic hæresis aut origo hæreseos est interpretatio mala eorum quæ bene dicta sunt. Hic in libri de præscriptione hæret. capite VI. *Hæreses taxat,* (Paulus) *quarum opera sunt adultera doctrina: Hæreses dicta Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas vel ad suscipiendas eas utitur. Ideo & sibi damnatum dixit, quia & in quo damnatur, sibi elegit.* Et in ejusdem libri capite XXXIX. *Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materiam subministrarent, cum legam: Oportet hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possunt. Sequetur, à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? à diabolo scilicet, cujus partes sunt intervertendi veritatem.* Periphrastico est hæreseus vel fundamenti illius
definitio, quæ eo spectat, ut scripturæ bonæ non 693
bene intelligantur. Sic Hilarius Pictaviensis, qui uno post Stephanum sæculo claruit, in libro II. de Trinitate scribit: *De intelligentia heresis, non de scriptura est; & sensus, non sermo, fit crimen.* Hæresis igitur vel origo illius est, cum Scripturæ bonæ non bene intelliguntur, nec recte explicantur.

In Epistolis Cypriani locus scripturæ nullus est, quem sanctus hic Doctor agens de baptismo hæreticorum male interpretetur, sive habita ratione ad paria ejusdem scripturæ loca, quæ mutuo inter se conferantur, sive habita ratione ad traditionem, quæ inde ab Apostolis usque ad Stephani & Cypriani ætatem per Ecclesiasticorum tractatorum testimonia decurrerit. At Stephanus, vel Stephani commilitones Paulinæ ad Philippenses Epistolæ locum: *Verumtamen omnimodo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur;* cum ad baptismum hæreticorum referunt, male intelligunt, non bene interpretantur.

Id Tertullianus confirmat in libri V. contra Marcionem capite XX. *Sed causas solas animorum, non regulas sacramentorum in diversitate proponens, unum tamen Christum, & unum ejus Deum quocunque consilio prædicatum, confirmat: Et ideo nihil mea, inquit, sive causatione, sive veritate Christus annuncietur, quia unus annunciabatur, sive ex causatione, sive ex veri-*
tate fidei. Ad fidem enim prædicationis retulit mentionem veritatis, non ad regulæ ipsius, quia una quidem 694
erat regula, sed fidei prædicantium quorumdam vera,

id est, simplex, quorundam minus docta: Quod cum ita sit, apparet enim Christum prædicatum, qui semper annunciabatur.

Id Cyprianus confirmat in Epistolis ad Jubaianum & Pompeium. Augustinus Cypriani verba suo loco refert, & suam ei auctoritatem adjiciet.

Id Firmilianus confirmat in Epistula ad Cyprianum, cujus verba jam in hujus nostræ Epistolæ parte prima retulimus, nec ut hic repetantur, necesse est.

Id Chrysostomus confirmat in caput 1. Epistolæ ad Philippenses: *Quid enim mea,* Inquit, *interest, utrum hoc, an illo modo? Dum nihilominus, sive occasione, sive veritate Christus interea annunciatur. Non dixit, annuncietur, quasi legem ferens; sed primum quidem eventum narravit. Deinde etiamsi legem ferens hoc dixisset, non propterea hæresibus aditum patefecit. Rem enim ipsam, si libet, expendamus: Intelligemus profecto, etiamsi ad eum modum prædicare jussisset, quemadmodum illi prædicabant, non tamen locum hæresi dari. Quomodo? Quoniam illi sacram quidem doctrinam prædicabant. Propositum vero ac mens qua id faciebant, ita corrupta erat, ut non tamen prædicata doctrina variaretur.*

Id Augustinus, & Cyprianus apud Augustinum confirmant in libri IV. de baptismo contra Donatistas capite VII. *Nam revera,* inquit, *quod quidam*
695 *Cypriani disputationibus opponebant, quod Apostolus ait: Verumtamen omnino, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, recte Cyprianus refellit, ostendens ad causam hæreticorum non pertinere, quoniam de his dicebat Apostolus, qui cum malevola invidia sua quærentes intrinsecus versabantur. Christum quidem annunciabant, sicut se habet veritas, qua Christo credimus, sed non eo animo, quo & bonis Evangelistis illius columbæ filiis annunciabatur. Neque enim de hæreticis,* inquit (Cyprianus) *aut de eorum baptismo loquebatur in Epistola sua Paulus, ut aliquid quod ad hanc rem pertineat, posuisse ostendatur: Verum loquebatur de fratribus, sive inordinate & contra Ecclesiasticam disciplinam ambulantibus, sive Evangelicam veritatem de Dei timore servantibus.*

Id Theodoretus confirmat in caput 1. Epistolæ ad Philippenses. *Vel inviti,* inquit, *veritatis hostes veritatem adjuvant; hoc stulti quidam existimarunt esse dictum etiam de hæresibus, atque oportebat eos animadvertere, divinum Apostolum hoc non præcipiendo, sed narrando posuisse. Non enim dixit, annuncietur, sed annunciatur: Et illos quidem accusavit, non quod mala dicerent, sed quod bona quidem; at non bene, nec scopo ducti pietatis, sed extrema malevolentia.*

Porro quam Pauli verbis interpretationem, Stephanus vel ejus commilitones appinxerunt, hanc singularem fecit cæterorum Ecclesiæ tractatorum contemptus.

Igitur Bellarminus & Becanus etiam atque etiam 696
velim considerent, quid de Stephano vel de Stephani fautoribus, adhibitis secum in judicium Irenæo, Tertulliano & Hilario, pronuntiaturi sint. Sic ad hominem, ut loquuntur dialectici, disputare placuit. Interim ego tantum pronuntio, rem istam non esse fidei, sed disciplinæ, quæ suas in Ecclesia vices habuit, ut de Arelatensis Synodi primæ canone VIII. & de Niceno canone XIX. & de multis Patribus antiquis observavimus, & ab aliis observari nullo negotio potest.

Jam vides, opinor, & perspicis, qui tam multa soles animo sagaci perspicere, fuisse tria potissimum, quæ novam & priscis sæculis inauditam propositionem hanc, *Cyprianus non est habitus hæreticus,* sollicitaverint & extuderint; inexploratam suis legibus veritatem, quærendam via omni adulatricia curiæ benevolentiam, & immensam ubicunque quomodocunque ingerendæ de non errandi privilegio in Rom. Pont. opinionis libidinem.

Nunc contrahenda sunt vela Epistolæ nostræ, in qua quicquid tibi & aliis reprehensione dignum videbitur, paratus sum emendare, & sincero emendandi voto, & asserendæ veritatis unius studio jam emendatum puta. Vale, Lutetiæ Paris. anno MDCLXXIII. Calend. Septembris.

F I N I S.

Index

Index Locorum
S. SCRIPTURÆ,
Quæ in
Hoc Epiſtolarum Tomo

Interim Illuſtrantur & Explicantur, interim rei natæ Accommodantur.

In quo a. primam, b. ſecundam Paginæ Columnam denotat.

MAT.

INDEX

Rerum, Verborum, Conciliorum,

Et Eorum

Qui Conciliis interfuere, Locupletissimus: Ubi nihil Observatu dignum in toto hoc Opere prætermittitur.

Agobar-

Antio-

B.

Claro-

Index Rerum & Vocabulorum.

D.

Dilecti-

E.

Eccle-

F.

De

G.

H.

Hen.

I.

Impecca-

C.

Clare-

spiritu

D.

Dilecti-

E.

Index Rerum & Vocabulorum.

5 P

F.

De

G.

H.

I.

Impecca-

Libe-

N.

O.

P.

S.

Samari-

Speltam

T.

Troja-

Vitalia-

W.

X.

Z.

F I N I S.